R.P. MART. PEREZ AB VNANOA, VALENT. È SOCIETATE...

Martin Perez de Unanoa,
Ascanio Rivaldi

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
8
3 N
2
C. 20 d.
Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

R. P.

MART. PEREZ AB VNANOA, VALENT.

E SOCIETATE IESV,

SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTORE, eiuſdémque olim Primario Profeſſore in Collegio D. Pauli Valentino, & in Aragoniæ Corona apud Inquiſitores Apoſtolicos propoſitionum Fidei Cenſore;

DE VIRTVTE ET SACRAMENTO POENITENTIÆ,

OPVS THEOLOGICVM, SCHOLASTICVM, & Morale, Confeſſariis omnibus maximè vtile.

Quinquaginta ſeptem Diſputationibus diuiſum, atque neceſſariis Indicibus illuſtratum.

NVNC PRIMVM IN LVCEM PRODIT.



Sᵉ Marie de Scala

LVGDVNI,

Sumptibus PHILIPPI BORDE, LAVRENTII ARNAVD, & CLAVDII RIGAVD.

M. DC. LIV.

CVM PERMISSV SVPERIORVM.

Digitized by Google

Digitized by Google

Illuſtriſſimo, & Excellentiſſimo Principi

D. D. FR. PETRO
DE VRBINA,
ARCHIEPISC. VALENTINO,
AC REGIO CONSILIARIO,

Quondam Valentini Regni Proregi, & Generali Duci; nunc verò à Catholico Rege noſtro Philippo IV. deſtinato ad Beatiſſimum P.N. Innocentium X. Pontificem Maximum, pro definienda Immaculata Deiparæ Conceptione Extraordinario Legato.

CARMELITANI SCALZI DI S. MARIA DELLA SCALA

SI digna ſui ſolum munera Principes admitterent, ad tuam Magnitudinem erubeſceret meum iſtud munuſculum, ILLVSTRISSIME, ET EXCELLENTISSIME ARCHIPRÆSVL; Sed vel id nobile vobis eſt, vt de veſtro fauore vilibus etiam rebus pretium accedat. Idcirco minus trepidus, certè mei prouidus Librum hunc de Pœnitentiæ Virtute, & Sacramento tibi ſiſto, quem ſcio pro tua Excellentia paruum, ſed à tuæ lucis auſpiciis, ſi tantilli operis, quæ tua eſt humanitas, Mœcenatem eſſe non pudeat, maximum euaſurum. Scilicet hic fuit meæ tenuitatis prudens aſtus, vt quantum ſibi de exilitate meus iſte labor metuebat, tantum de tuo patrocinio modeſtè arrogans ſuperbiret; vt liber, cuius in fronte tuæ laudes, rudi licèt adumbratæ penicillo legerentur, plauſum ſibi, non inuidiam orbis concitaret, quem ſi minus pedibus, Nominis certè claritate peragraſti. Accedit & alia ad tuæ benignitatis ſinum conuolandi non leuis ratio, & nobile incitamentum, officioſa ſcilicet neceſſitas. Quem enim ſibi potiori iure Patronũ deligerent noſtræ hæ de Pœnitentia elucubrationes, quàm te, EXCELLENTISSIME HIERARCHA? Quem ſupremum Valentiæ Antiſtitem, Cæleſtium Sacramentorum diſpenſatorem, & Parochum, maximo bono noſtro veneramur; cui ingratæ eſſe non poterunt, niſi Auctor demereatur, *De Pœnitentia* tractationes, omnibus Confeſſariis apprimè neceſſariæ. Vnum tamen mihi maximè dolendum eſt, quod cum de tuis laudibus aliquæ recenſendæ ſint (neque enim omnes nuncupatoriæ Epiſtolæ anguſtiis cir-

Digitized by Google

cumſcribi poſſunt) tu ipſe lecturus ſis, qui laudari impatiens veracem calamum præproperè caſtigabis. Cuncta tamen iniurioſo ſilentio præteriiſſe irreligio fuerit. Ne verò tuam modeſtiam in eis citra adulationis fucum adumbrandis offendam, conſiderabo quid tui oculi, & aures pati poſſint, non quid tuis virtutibus debeatur.

Ordiar imprimis à tua florentiſſima Nobilitate. Sed de illa quid eloquar? Cùm multa poſſem, illud ſolum ad maximum elogium dixiſſe ſufficiat; Te de Marchionibus Vrbinæ venire. Cuius Gentilitij vetuſtatem fumoſis atriorum imaginibus, rerum geſtarum gloria celebrem prædicare gaudet admiratio; cuius ſtrenui Duces, & Heroës Clariſſimi iampridem & famæ tubas, & annales Cantabriæ ſuis factis fatigarunt. Huius Tu glorioſiſſimæ, & laureatæ Familiæ Germen nobile. Quanquam difficile eſt indicare, an Tu Maiores tuos magis commendes, quàm Te illi. *Qui*, vt de ſuo Antonio ſcribebat Enodius, *quamuis de ſplendore Natalium conſcientiæ iubar hauſeris; tamen fulgorem ſtirpis præcipuè morum radiis obumbraſti, vincens decorem ſanguinis ingenij claritate.* Itaque Stemmatis victor tui, quando magnum fuerat à tuis Auis non degeneraſſe, Nobiliſſimo generi inclytas virtutes addidiſti Ecquid non Tibi tua indoles, excellens ingenium, Maiorum nobilitas, ſiue Martem, ſiue togam amares in ſæculo, promittebant? Sed melioris vitæ deſiderio, & cæleſtis felicitatis auidus, contempto ſæcularis pompæ fulgore, & apparatu, pauperem Franciſcum pauper ſequi voluiſti, eiúſque Seraphicæ militiæ nomen dare; beatius æſtimans de religioſæ paupertatis cenſu, quàm de hæreditatis opulentia viuere. At verò Religioſorum contubernio additus, breui oſtendiſti quantum Nobilitatis lumen ſub attrita lacerna lateret, quantum religioſæ diſciplinæ exemplar tegeretur, quantus ingenij, ſapientiæ, prudentiæ, & virtutum omnium Sol deliteſceret. Neque enim facilè eſt Solis radios nubium, licèt vmbraculis obſtantibus diutius oculorum teſtimonio ſubtrahi. Quamobrem Religio Te his animi dotibus eximiè probatum iuſſit arcana Theologiæ in Complutenſi Collegio auditoribus reſerare. Et quidem tuum ingenium præſtantiſſimum Complutenſis Academiæ inter cæteras orbis celeberrimæ Doctores & teſtes, & laudatores expoſcebat, vt in ea ſcientiarum luce ſiue argumentorum tela iaculareris, ſiue iaculata retunderes, admirationem omnium merereris. Addo etiam, vt cùm labentibus annis illius Academiæ Primates Te cernerent ad Eccleſiaſtica culmina faſtigiatũ, intelligerent nõ fragili fœlicitate, & fortunæ ludo repentinis ſucceſſibus ad eum apicẽ prouectum, neque hæreditarias Tibi, ſed meritis partas veniſſe dignitates. Sexdecim integros annos Te Cõplutum vidit Theologiam docentem, tuúmque ſemper ingenium, ſuámque fœlicitatem adorauit; donec decurſo Theologico ſtadio, & iam emeritum ad Paſtoralem curam virtus, grauitas, prudentia, manſuetudo, & ſapientia tranſtulerunt; *quaſi fortunam puderet*, Sineſio teſte, *ſi non manifeſtis virtutibus teſtimonium redderet.* Iccircò primùm totius Prouinciæ

clauum

clauum tenuiſti;cúmque per cæteras Prouincias præclaram Nominis opinionem ſparſiſſet fama,tota Te Hiſpania Commiſſarium Generalem ordinis Seraphici mira Prouinciarum in tua electione conſonantia , & diſcretarum nationum concordi ſententia meruit,& obtinuit. Non enim tãti Præſulis vigilantiæ vna Prouincia ſatis erat ; qui Athlante maior tuis humeris totius Religionis cælum torquere poteras. Et verò votis omnium ſatisfeciſti,cumulaſti deſideria. Quippe talem Te in eo regimine geſſiſti,ita regularem diſciplinam dictis,factis,& exemplo promouiſti,eámque breui tẽpore apud domeſticos & externos tui nactus es opinionẽ,vt iam tũ prudens quiſque facili præſagio Eccleſiaſtici culminis fundamẽta prędiceret.

Neque ſpem de te conceptam , & præmiſſum auſpicium fefellit euentus. Siquidem Maximus Philippus IV. ſuis Eccleſiis optimos Paſtores prouidere de more ſollicitus,in te,quem iamdudum longis experimentis clarum nouerat,oculos conuertit, & Corienſi Eccleſiæ Antiſtitem præfecit.Iam verò infulis initiatum,qui Te,dum Religioni præeſſes , augendæ pietatis exederat, acrior in procuranda commiſſi gregis ſalute, & indemnitate vrgebat. *Et quoniã,* vt ſuum Traianum monebat Plinius, *vita Principis cenſura eſt,eáque perpetua, ad hanc dirigimur , ad hanc conuertimur , nec tam imperio nobis opus,quàm exemplo.* Tibi altè inſedit animo ouibus pròbitatis exemplo præire. Tu primus piis,ſacríſque rebus religiosè vacabas, Tu Sacerdotum regula,Tu Legum vindex,Tu diſciplinæ inſtaurator, & quibus gregem moribus informare ſtudebas, priùs in Te ad cæterorum imitationem exprimebas.Nimirum blandiſſimè iubetur exemplo;& quod exaſperata correctio non obtinet,perſuadet,& exorat exemplar. His verò pietatis officiis intẽtus dum Paſtorale munus exerces, placuit iterum Magno Philippo nouis infulis tuorum incrementa meritorum coronare; & Placentinę Eccleſiæ Præſulem deſtinauit.Sed quam fœlicitatem ſperabat, ſibíque tuo aduentu gratulabatur Placentia non obtinuit;& meruiſſe contenta,Te ſaltem ſibi regendæ electum in magnis fortunæ faſtis numerauit.Igitur meliori conſilio Valentinum Tibi Archiepiſcopatum Regis alta prouidentia commendauit.Nec potuit oſtendiſſe quantum ſibi cordi eſſet hoc regnum,niſi tali tantóque Viro Archipræſule renunciato. Veniſti tãdem , EXCELLENTISSIME HIERARCHA , votis omnium expetitus, omnium deſideriis expectatus,feſtis omnium acclamationibus exceptus; & quem abeuntem lamenta pauperum,viduarum clamores,Corienſium omnium dolentium ſibi Parentem optimum ereptum lachrymæ proſequutæ ſunt, in hanc vrbem ingredientem noſtræ gratulationes exceperunt. Et dum primum Te præſentem,tuíque egregias animi dotes propiùs agnouimus, circumlatam de Te famam protinus accuſauimus , quaſi tua gloria , & virtutum veritate longè minorem.

Atque in hac Vrbe nobiliſſima quanta præclariſſimorum facinorum ſeries tuorum? Quàm diues copia laudis? Prohibet me dicentem tua verecundia.Sed vtcumque mihi ſilentium imperes, at teſtes habes oculos tuarum rerum admiratores. *Tibi non magis,quàm Soli latêre contingit,* vt aiebat

Digitized by Google

Seneca, *multa circa te lux eſt, omnium in iſtam conuerſi oculi ſunt.* Quàm ſollicitè ouium tibi commiſſarum ſecuritatem procuras! Quàm indefeſſo labore alienis commodis inuigilas? Quàm Te religioſus animarum zelus, & ardor vrit, & exſtimulat? *A domeſticis*, vt cum Caſſiodoro loquar, *voluiſti inchoare diſciplinam, vt reliquos pudeat errare, quando tuis cognoſceris excedendi licentiam non praſtare.* Quas ſibi laudes non commeruit auguſtiſſimus ille, & religioſiſſimus Imperator Theodoſius, *Qui*, Authore Socrate, *Palatium ſic diſpoſuit, vt haud alienum eſſet à Monaſterio.* Talem Tu, Religiosissime Princeps, aulam inſtituiſti non profanam in qua vitia tumultuantur, ſed ſacratam ædem, in qua virtutes exercentur. Nullus in ea licentiæ locus, nulla vitioſis moribus ſedes, ſolius eſt virtutis hoſpitium, & probis dumtaxat, & litteratis hominibus ſtatio permiſſa. Et quid in eo palatio religionem, & pietatem non ſpiret, vbi Dominus cum Principem poſſit agere, mauult religioſus haberi, & eſſe? Tantum abeſt, vt in tuo corde religioſæ vitæ amor intepuerit in tanto dignitatum, & honorum culmine, vt D. Franciſci regulam conſtanti vitæ tenore ita obſerues, vt nondum è Religionis Tyrocinio prodiiſſe videaris. Rerum nimirum in tanta dignitatis opulentia exemplum, & ad magnorum Antiſtitum ideam poſteritatis recordatione digniſſimum. Menſa tibi frugalis eſt, attrita veſtis, vtenſilia domus Religioſo digna, à faſtu, & affectata maieſtate prorſus aliena. At qui tibi tam parcus es, qualem in pauperes munificentiam exhibes? Omnibus auxilio es, omnium inopiam ſubleuas, omnibus larga manu auxiliaris, omnes tua pietatis viſcera complectuntur. Quot viduas, quot viros, & fœminas, non de plebe ſolum, ſed nobilitate, fames malè vexaſſet, niſi tua liberalitas opportunè adfuiſſet? Nemo à Te indonatus, nemo vacuus diſcedit, & in tanta temporum iniuria accedunt plures. Frequens vox omnium eſt, Te in tuo palatio Paupertati tutiſſimum aſylum erexiſſe, & de Archiepiſcopatus prouentibus, qui tuo parciſſimo victui, & neceſſariis ſumptibus, & penſionibus ſuperſunt ad inopiam ſubleuandam ærarium inſtituiſſe. Penè ſupra fidem eſt, ſed intra veritatis confinium, ſingulis annis duo ſupra viginti aureorum millia in pauperes diſtribui. Vt cæteri taceant, non tacebit tuam beneficentiam noſtræ Societatis domus Profeſſa Valentina, quæ tuam toties liberalitatem experta, Te tanquam Patrem amantiſſimum veneratur, & diuturnæ fœlicitatis incolumes annos precatur.

Verum enim verò dum Te animarum ſaluti totum impendis, Illvstrissime Præsvl, dum Eccleſiaſtici Ordinis incrementis vigil incumbis, dum pauperum afflictis fortunis tua ope recreandis ſtudes, dum Archiepiſcopales curæ animum in frequentes vigilias diſtrahunt, Hiſpaniarum Monarcha quantum tuæ prudentiæ, experientiæ, virtuti, & ſapientiæ fideret, nouo teſtimonio firmaturus, Te quaſi ſacræ infulæ non ſufficerent, Regni Valentini Proregem, & Generalem Ducem renunciauit. O qualia tunc de tuo regimine, quàm fauſta per totum Regnum auguria! Nempe ſperabant omnes fore, vt in Te benignitatem Patris, & integritatem Præ-

ſidis

Digitized by Google

ſidis amico fœdere copulatas inuenirent. Nec vana ſpe deluſi. Etenim vt primùm ad Reipublicæ clauum ſediſti, concreditum tuæ fidei Regnum integerrima Iuſtitiæ adminiſtratione ſanxiſti, & auream illam mediocritatis viam non niſi fœliciſſimis, & prudentiſſimis Principibus peruiam ingreſſus es,nec latum vnguem ab ea ſemita deuiaſti? Iuſtitiam ſine rigore,Clementiam ſine vitioſa indulgentia exercuiſti: Nec rigor vnquam ingratus fuit, quia temperatus manſuetudine; nec manſuetudo diſſoluta, quia comitem habuit iuſtitiam. Nemo Te in vitioſos mores rigidior, in homicidas vehementior, in cæteros malorum greges, & pietatis oſores durior,& auſterior. At quis in homines virtute præditos humanior, in Religioſos officioſior, in bene moratos,& litteratos procliuior? Nec vitio diù licuit vnquam impunè vagari,nec virtus debuit, Te Præſide, deliteſcere: Tua verò morum facilitas, humanitas, & vrbanitas ita ſe in omnium animos inſinuauit,ita popularium, ciuium, Nobilium voluntates allexit, ita demeruit,vt omnium corda tuo quaſi regeres arbitrio,& in iuſta,ac debita ſuo Principi obſequia facillimo negotio traheres ſcilicet in Te; nec facilitas authoritatem, nec ſeueritas amorem minuebat. Altera alteram viciſſim ita commendabat, vt vtra vtram vinceret nemo poſſet definire.

Hæc ſanè maxima ſunt, & ad cuiuſuis Principis commendationem,& immortalem poſteritatis recordationem ſingularia, ſed adhuc eſt quod magis mirer; Te nimirum qui tanto animi niſu, tam conſtanti ſtudio diu noctúque publicæ rei inuigilabas, inter tot grauiſſimas adminiſtrationis publicæ curas, quibus excelſus quiuis animus obrueretur, eam paſtoralem ouium ſolicitudinem habuiſſe,ita gregis indemnitatem prouexiſſe,vt cùm Proregis negotioſum munus ſolertiſſimè obires, ſolis tamen Archiepiſcopatus curis intentus videreris. Noueras quantum afferret cōmodum Apoſtolicum Miſſionum miniſterium, quod noſtra Societas IESV à ſuis incunabulis exercet,quàm opportunum eſſet perditis moribus corrigendis remedium,quàm validum graſſanti licentię frænum,quàm tempeſtiuū ad virtutem,& pietatem in hominum cordibus ſerendam, & augendam incitamentum:& prouidus Paſtor, ac Parens optimus tuo gregi conſulturus voluiſti noſtros Religioſos per tuæ Diœceſis oppida excurrere, & peccatorum antidotum Miſſionum ope circumferre. Cæterùm ne ſola Valentia tanto emolumēto fraudaretur,intra eius mœnia Miſſiones intuliſti,& per illius Parochias exerceri iuſſiſti. Paruimus tam iuſtis deſideriis. Quanto verò Reipublicæ commodo, norunt omnes,& notius eſt,quàm vt noſtro egeat teſtimonio. Tu verò, VIGILANTISSIME ARCHIEPISCOPE, ſpiritu præ iucunditatis inundantia penè excedens, dum tantam hominum frequentiam expiandis animæ noxis confluentem, & ad ſalutem,ſanitatémque certatim properātem intelligeres, tuo etiam voluiſti conſpectu dignari,& concionibus per ſummam humanitatem intereſſe,& quod maius eſt, non ætas grauis, non afflicta valetudo retardauit, quominus innumerabilem omnis ſtatus multitudinem deſtinato die

Digitized by Google

tua ipſe manu cæleſti Euchariſtiæ pabulo reficeres. O religioſiſſimum Principem æternitatis monumentis digniſſimum! Hæc tua dum Prorex eſſes animi laxamenta. Vix tamen eo munere defunctus, in tuum ſucceſſorem Regni gubernacula tranſtuleras, tranquillius Eccleſiaſtico dumtaxat regimini operam nauaturus, cùm ecce iterum tuam quietem & noſtrum vnicum ſolatium Regis mandata interturbant. Iuberis igitur protinus Romam proficiſci extraordinaria legatione apud Pontificem maximum Innocentium X. functurus; vt ſcilicet pulcherrimam illibatæ, & immaculatæ ab originaria noxa Conceptionis Mariæ cauſam ageres, definitionem vrgeres, & tuo iudicio, ſapientia, eruditione rem tantam, toti Hiſpaniæ, & Orbi, omnibus Europæ Principibus, & noſtro maximè Catholico Monarchæ optatiſſimam exorares. Plauſit Hiſpania tota, & Te Oratore fœlicem ſperauit euentum. Neque nouum fuit iſtud de Te Regis noſtri iudicium. Iam Te olim inter octo illos celebres viros numerauit, quos hac de re in conſilium adhibuit, vt ab eis reſciret, quid ſibi in vrgenda huius Myſterij Pontificia, & certiſſima declaratione agendum eſſet. Ergo inſtantibus Philippi iuſſis, profectionem ad Legationem obeundam adornabas; ſed de cælo prouiſum eſt, vt Valentiæ longiùs ſubſiſteres, ne depreſſis leuamen, pauperibus ſubſidium, virtuti propugnaculum, omnibus parens deeſſet. Sed nolo ampliùs tuam modeſtiam premere tuorum commemoratione facinorum. Suſcipe igitur, EXCELLENTISSIME ANTISTES, hunc meum *De Pœnitentia* Tractatum, non quod imprudens exiſtimem hocce munuſculo tua in noſtram Societatem, & in me collata beneficia rependere, ſed vt hac grati animi teſtificatione ſoli & orbi patefaciam, Librum hunc ſi Tibi placuerit omnibus placiturum, & ſi tua auctoritate firmetur, nullum ſibi cenſorem, & calumniatorem Ariſtarchum metuendum. VALE, & VIVE diù Eccleſiæ Valentiæ, Hiſpaniæ, & Orbi. Ex hoc tuo Valentino D. Pauli Collegio. xiij. Kalendas Martij, Anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo quarto.

EXCELLENTIÆ TVÆ,

Addictiſſimus ſeruus,

MARTINVS PEREZ AB VNANOA.

FACVLTAS R. P. PROVINCIALIS in Prouincia Aragoniæ.

EGo Didacus de Alaſtuci, Prouincialis Societ. IESV, in Aragoniæ Prouincia, poteſtate ad id mihi facta à Reuerendo admodum Patre noſtro Goſvvino Nickel Generali Præpoſito, facultatem concedo; vt Tractatus *De Virtute & Sacramento Pœnitentiæ*, à Patre Martino Perez ab Vnánoa, elaboratus, & eiuſdem Virorum grauium, atque ſapientum iudicio examinatus, & approbatus typis mandetur: in quorum fidem has litteras manu noſtra ſubſcriptas, & Officij noſtri Sigillo munitas dedimus. Valentiæ Nonas Iulij anni 1653.

DIDACVS DE ALASTVCY.

Approbatio Doctorum Facultatis Pariſienſis.

NOn pœnitebit vllum qui leget hunc Librum *De Pœnitentia* ſcriptum, *à R. P. Martino Perez ab Vnanoa, Societ. IESV*: vtpote quod nihil à fide, aut bonis moribus diſſonum continet, immo potiùs profundam & clariſſimam Doctrinam. Hoc tulimus iudicium in Carmelo noſtro Lugdunenſi, nos ſubſignati Doctores Theologi Sacræ Facultatis Pariſienſis, die vltima Ianuarij 1654.

Fr. PAVLVS LOMBARD, Prouincialis Prouinciæ Narbonæ, Ordinis B. Virg. Mariæ de Monte Carmelo.
Fr. CYRILLVS MOREL, Humilis Prior Conuentus Lugdun. eiuſdem Ordinis.

CONSENSVS.

VIsis ſupradictis Approbationibns hunc librum inſcriptum *R. P. Martini Perez ab Vnanoa, è Societ. IESV, Tractat. Theolog. & Moralem de Pœnitentia*, &c. Typis mandari, & in lucem edi ſumptibus Philippi Borde, Laurentij Arnaud, & Claud. Rigaud, Bibliopolarum Lugdunenſium; Ego Regis Conſiliarius, & Aduocatus in dicta Vrbe Lugdunenſi non impedio. Lugduni die ſexta Februarij 1654.

BOVLLOVD MERMET.

PERMISSIO.

VIso Aduocati Regis conſenſu fiat vt petitur, & ne quis vltra conceſſam facultatem denuo excudat hunc librum prohibemus. Datum Lugduni die 6. Februarij 1654.

SEVE.

Digitized by Google

INDEX DISPVTATIONVM, & SECTIONVM totius Operis.

PARS PRIMA.

De Pœnitentia, vt Virtus præciſè eſt.

DISPVTATIO PRIMA.

De obiecto mat riali virtutis Pœnitentiæ. p. 1

SECT. I. QVODNAM ſit obiectum materiale amoris, ſeu proſecutionis virtutis Pœnitentiæ. pagina 1.
II. An, & quo pacto Deus poſsit eſſe obiectum materialis proſecutionis virtutis Pœnitentiæ? 3
III. An obiectum materiale virtutis Pœnitentiæ per actum odij, vel fugæ, ſit omne peccatum mortale proprium. ibid.
IV. An peccata venialia ſint obiectum materiale virtutis Pœnitentiæ per actus odij, fugæ, ac deteſtationis? 4
V. An actus materialiter mali ſint obiectum materiale virtutis Pœnitentiæ per actus odij, ac fugæ? 5
VI. An meræ imperfectiones, quæ carent culpa, ſint quoque obiectum materiale Virtutis Pœnitentiæ? 6
VII. An peccatum habituale poſsit eſſe materia, ſeu obiectum materiale Pœnitentiæ? 7
VIII. An peccatum originale poſsit eſſe materia, ſeu obiectum materiale odij, fugæ, ac retractationis per virtutem Pœnitentiæ? 8
IX. An peccatum nondum commiſſum, & peccatum iam dimiſſum, poſsit eſſe obiectum materiale virtutis Pœnitentiæ? 9
X. An peccata aliena poſsint eſſe obiectum materiale virtutis Pœnitẽtiæ? 12
XI. An reatus, vel malum pœnæ ſit etiam obiectum materiale virtutis Pœnitentiæ? 13

DISPVTATIO SECVNDA.

De obiecto formali, ſeu motiuo proprio virtutis Pœnitentiæ. 13

SECT. I. An omne mortale peccatum habeat propriam malitiam iniuriæ, ſeu iniuſtitiæ in Deum? ibid.
II. Vtrùm ex peccato mortali commiſſo maneat in homine obligatio iuſtitiæ ad ſatisfaciendum Deo. 14
III. An ratio boni honeſti vt ſic, quod includitur in ſeruando integrè iure diuino, ſit obiectum formale virtutis Pœnitentiæ. 16
IV. An obiectum formale Pœnitentiæ ſit bonitas pacis cum Deo ad vitandam offenſam. 17
V. Vtrùm obiectum formale, ſeu motiuum ſpecificum virtutis Pœnitentiæ, ſit diutnum ius. 19
VI. Vtrùm bonum compenſationis ſit obiectum formale virtutis Pœnitentiæ. 20

DISPVTATIO III.

De actibus elicitis virtutis Pœnitentiæ. 21

SECT. I. Quos actus proſecutionis eliciat virtus Pœnitentiæ circa ſuum obiectum bonum? ibid.
II. Quos actus odij, ac fugæ eliciat virtus Pœnitentiæ circa ſuum obiectum malum, nempe peccatum. 22
III. Vtrùm actus deteſtationis peccati præteriti ſit abſolutus, & efficax, an ſolùm conditionatus? 23
IV. An actus Pœnitentiæ deteſtationis peccati, ſit ſecundùm ſubſtantiam ſupernaturalis. 25
V. An actus Pœnitentiæ deteſtationis peccati debeat eſſe vniuerſalis de omnibus peccatis. 26
VI. An actus deteſtationis Pœnitentiæ debeat eſſe deteſtatio ſuper omnia appretia

Digitized by Google

preciatiuè, & ſupra omne malũ pœnę. 28
VII. Quodnam peccatum actuale ſit magis deteſtabile per actũ virtutis Pœnit. 29
VIII. An per actum deteſtationis Pœnitentiæ ſit magis deteſtabile peccatum proprium leue, quàm peccatum alienum graue. 30
IX. An ſit magis per actum Pœnitentiæ deteſtandum peccatum veniale actuale, quàm habituale mortale? 31
X. An per actum deteſtationis Pœnitentiæ ſit magis deteſtandum peccatum originale, quàm perſonale. 33

DISPVTATIO IV.

De Habitu, ſeu Virtute Pœnitentiæ. 33

SECT. I. An detur habitus Pœnitentiæ, qui ſit propriè ac ſimpliciter virtus. 34
II. An habitus Pœnitentiæ ſit peculiaris virtus, & ea ſit ſupernaturalis? ibid.
III. An virtus Pœnitentiæ ſit Theologica, an potiùs moralis? 36
IV. An habitus Pœnitẽtiæ ſit virtus iuſtitiæ, re, & ſpecie diſtincta à Religione? ibid.
V. Quem perfectionis gradum habeat virtus Pœnitẽtię inter reliquas virtutes. 38
VII. An poſſit dari aliquis habitus Pœnitentiæ naturalis. 39

DISPVTATIO V.

De ſubiecto remoto, ſeu perſonis in quibus eſt virtus infuſa Pœnitentiæ. 40

SECT. I. An virtus Pœnitentiæ fuerit in primis parentibus, ante peccatum, in ſtatu innocentiæ. ibid.
II. An in Chriſto Domino, & in B. Virgine ſit virtus Pœnitentiæ? 41
III. An in omnibus hominibus viatoribus ſit conſtituenda virtus Pœnitentiæ? 42
IV. Vtrùm in Beatis ſit concedenda ſpecialis virtus Pœnitentiæ? 43
V. Vtrùm Angeli in via habuerint virtutem, vel habitum Pœnitentiæ? ibid.

DISPVTATIO VI.

De imperio voluntatis, & actibus eius imperatis. 44

SECT. I. An in voluntate vnus actus internus poſſit alium actum internum immediatè imperare? ibid.
II. An imperium conueniat omnibus voluntatis virtutibus, etiam ignobilioribus in virtutum nobiliorum actus? 45
III. An actus malus poſſit imperare actum bonum etiam ſupernaturalem. 46
IV. In quo conſiſtat influxus actus imperantis in actum imperatum. 49
V. An imperium efficax reflexùm adimat libertatem immediatam, & propriam actui imperato. 50
VI. An imperium efficax adimat actui imperato meritum ſibi proprium. 52
VII. An actus externus alterius potentiæ à voluntate imperatus, habeat ſuum meritum diſtinctum à merito actus voluntatis interni imperantis? 53

DISPVTATIO VII.

De natura, & quidditate perfectæ contritionis. 56

SECT. I. Quodnam ſit formale motiuum actus perfectæ Contritionis? ibid.
II. An contritio ſit formalis, & expreſſus amor Dei ſuper omnia. 59
III. An contritio ſupponat neceſſariò actum amoris Dei; & hunc virtualiter includat? 60
IV. Qualis intenſio requiratur ad rationem formalem contritionis? 61
V. An requiratur ad contritionem duratio determinata pro aliquo tempore, 63
VI. An ad valorem contritionis requiratur recogitatio explicita ſingulorum peccatorum in particulari? 65
VII. Vtrùm ad rationem Contritionis requiratur, vt ei adiungatur propoſitum vitandi peccata, & voluntas ſatisfaciendi. 66
VIII. Quænam ſit Contritionis perfectæ vera, & propria definitio. 67

DISPVTATIO VIII.

De contritione prout neceſſaria eſt ad impij iuſtificationem extra Sacramentum. 68

SECT. I. Vtrùm Contritio ſit forma ex ſe formaliter iuſtificans, & ſanctificans peccatorem? ibid.
II. An contritio ſit proxima, ſeu vltima diſpoſitio ad impij iuſtificationem ex natura rei. 73
III. An actus contritionis ſolus, vel etiam dilectio Dei ſimul, ſit neceſſaria diſpoſitio ad iuſtificationem extra Sacramentum? ibid.
IV. An in eodem inſtanti, in quo eſt vltima Contritionis diſpoſitio, infundatur habitus gratiæ, & fiat peccatoris iuſtificatio. 75

V. An

V. An actus Contritionis qui eſt vltima diſpoſitio ad iuſtificationem, fiat ab habitu infuſo Charitatis, vel Gratiæ. 76
VI. An Contritio de potentia Dei abſoluta, poſſit eſſe ſimul cum peccato mortali, etiam actuali. 79
VII. An poſſit peccatum remitti de potentia Dei abſoluta, abſque vlla diſpoſitione Contritionis. 80

DISPVTATIO IX.

De virtute, ſeu efficacia Contritionis ad delenda peccata, & mala pœna remittenda? 82

SECT. I. Vtrùm ſufficiat Contritio ad delenda omnia peccata mortalia. ibid.
II. Vtrùm in hac vita peccatoribus obduratis deneget Deus auxilia gratiæ ad agendam pœnitentiam, vel Contritionem eliciendam? 83
III. Vtrùm in aliquibus peccatoribus valdè obduratis danda ſit impotentia moralis ad agendam pœnitentiam? 85
IV. An poſſit remitti per Contritionem vnum peccatum mortale ſine alio? 87
V. An poſſit Deus condonare peccatum mortale antequam fiat, vel in inſtanti in quo fit? 88
VI. An per Contritionem remittatur de condigno pœna æterna debita peccato mortali: & poſſit hoc remitti, non remiſsâ illâ. 89
VII. An quoties remittitur culpa, & pœna æterna remittatur quoque per Contritionem aliquid pœnę temporalis. 91
VIII. An per Contritionem in lege gratiæ remittatur plus pœnę temporalis, quàm ante à, cæteris paribus? 93

DISPVTATIO X.

De efficacia Contritionis in ordine ad remiſſionem venialium peccatorum. 94

SECT. I. Vtrùm ad remiſſionem venialium in hac vita ſit neceſſaria gratia habitualis ſanctificans? ibid.
II. Vtrùm ad remiſſionem venialis peccati in hac vita requiratur ſaltem ex Dei inſtitutione, gratia ſanctificans tanquam forma expellens illud? 96
III. An ad remiſſionem peccati venialis in hac vita ſit neceſſaria gratia ſanctificans in aliquo genere cauſæ per ſe concurrens. 98
IV. An homo iuſtus poſſit ſatisfacere de condigno, & ad æqualitatem pro veniali peccato? 100
V. Quomodo venialis culpa remittatur per actus Cõtritionis, & dilectionis Dei. 103
VI. An ad remiſſionem venialis peccati extra Sacramentum ſufficiat Attritio in homine iuſto? 104
VII. Vtrùm per omnia Sacramenta tollantur venialia ex opere operato. 107
VIII. Quomodo venialia peccata remittantur quoad culpam poſt mortem in altera vita? 110
IX. An, & quo pacta Sacramentalia remittãt venialia peccata; & quot illa ſint. 111

DISPVTATIO XI.

De perpetuitate pænitentiæ, & Contritionis, ſeu de non reditu peccatorum, quæ per Pænitentiam, vel Contritionem remiſſa ſunt. 113

SECT. I. An culpa actualis eadem numero poſſit redire per commiſſionem eiuſdem numero peccati. ibid.
II. An peccata remiſſa per pœnitentiam redeant quoad culpam per ſubſequens peccatum mortale? 115
III. An peccata dimiſſa poſsint diuinitùs redire quoad culpam per ſubſequens peccatum mortale? 117
IV. An peccata poſsint redire quoad debitum pœnæ æternæ per ſubſequens peccatum? 120
V. Vtrùm peccatum commiſſum poſt præcedentia remiſſa, ſit ex eo capite grauius; ideóque remiſſa peccata virtute ſaltem redeant ob adiunctam ingratitudinis circumſtantiam. 121
VI. An ingratitudo, ratione cuius per peccatum iuſtificationem ſubſequens, peccata priùs remiſſa virtute redeunt, ſit ſemper ſpeciale peccatum? 122
VII. Vtrùm per ingratitudinem peccet grauiùs is qui committit peccatum, quo innocentia perditur, quàm is qui peccatum perpetrat, quo iuſtificationis gratia à præcedentibus delictis amittitur. 123

DISPVTATIO XII.

De vltimo effectu Contritionis, vel Pænitentiæ, qui eſt reparatio, reditus, vel reuiuiſcentia operum mortificatorum. 124

SECT. I. An, & quàm certum ſit, opera, ſeu merita mortificata per pœnitentiam reuiuiſcere? ibid.
II. An, & quænam ſit vera ratio, ob quam merita mortificata redire poſsint? 126

III. An

III. An merita reuiuiſcant ex natura rei, & ex iuſtitia; an potiùs ex miſericordia Dei? 127

IV. An merita integrè reuiuiſcant quoad totum præmium gratiæ, & gloriæ; an quoad partem tantùm? 129

V. Vtrùm per Pœnitentiam reſtituatur etiam priſtina gratia, quæ data fuerat ſine meritis, virtute Sacramentorum? 130

VI. Vtrùm opera mortua aliquo modo per Pœnitentiam viuificentur. 132

DISPVTATIO XIII.

De præcepto Pœnitentiæ, ſeu Contritionis. 133

SECT. I. Vtrùm Contritio de peccato commiſſo ſit ſub præcepto? 133

II. Quale ſit præceptum Contritionis; ſeu ex qua virtute oriatur obligatio Contritionis? 134

III. An præceptum Contritionis ſit poſitiuum, vel etiam naturale? 137

IV. An circa eadem peccata præceptum Pœnitentiæ, & Contritionis ſemel tantùm obliget in hac vitâ? 138

V. An præceptum Pœnitentiæ, & Contritionis obliget ſtatim poſt commiſſum mortale peccatum? 141

VI An præceptum Pœnitentiæ obliget per ſe, & ratione ſui in vita; an ſolùm in articulo mortis? 144

VII. Quodnam ſit illud tempus, pro quo præceptum Contritionis obligat ratione dilectionis Dei ante mortem? 145

VIII. An impœnitentia poſſit eſſe ſpeciale peccatum; & an ſit vnum, vel multiplex? ibid.

DISPVTATIO XIX.

De Contritione imperfecta, quæ Attritio dicitur. 146

SECT. I. An omnis Attritio ſit quoad ſubſtantiam ſupernaturalis? 147

II. Quid, & quotuplex ſit Attritio? 148

III. Quæ, & qualia ſint omnia Attritionis motiua? 149

IV. Vtrùm Attritio includat propoſitum, ſiue formale, ſiue virtuale, non peccandi de cætero? 151

V. Ad quam virtutem pertineant actus ſupernaturales Attritionis? 153

VI. Vtrùm Attritio ſit ſufficiens diſpoſitio ſimul cum Sacramento ad conſequendam gratiam. 155

VII. An in articulo mortis ſufficiat ſuſcipientem Sacramentum Pœnitentiæ habere Attritionem cognitam? 156

VIII. In quo differat Attritio à Contritione; & in quo ſenſu dici poſſit, Attritionem fieri Contritionem? 157

DISPVTATIO XV.

De actibus externis virtutis Pœnitentiæ. 157

SECT. I. An virtus Pœnitentiæ habeat proprios actus exteriores per ſe honeſtos? ibid.

II. An actus exteriores Pœnitentiæ cadant ſub præceptum ad cauenda peccata in futurum? 158

III. An actus externi pœnitentiæ cadant ex natura rei ſub præceptum, quatenus ordinantur ad tollendum reatum pœnæ temporalis? ibid.

SECVNDA PARS HVIVS Operis, quæ eſt de Pœnitentia, vt eſt Sacramentum.

DISPVTATIO XVI.

De exiſtentia, & inſtitutione Sacramenti Pœnitentiæ. 160

SECT. I. An Sacramentum Pœnitentiæ ſit à Chriſto Domino inſtitutum. 161

II. An Chriſtus inſtituerit Sacramentum Pœnitentiæ ſecundum eſſentialem ritum, & ad modum iudicij. ibid.

III. An Sacramentum Pœnitentiæ diſtinctum ſit à Sacramento Baptiſmi? 163

IV. Quando Chriſtus Dominus Sacramentum Pœnitentiæ inſtituerit? 164

V. An Sacramentum Pœnitentiæ fuerit per ſe inſtitutum ad remittenda peccata ante, vel poſt Baptiſmum commiſſa? 165

VI. An Sacramentum Pœnitentiæ per ſe, & ex vi ſuæ inſtitutionis poſſit remittere peccatum formalis fictionis, quod ſit in ipſo inſtanti receptionis Baptiſmi? 166

VII. An Sacramentum Pœnitentiæ per ſe,& ex vi ſuæ inſtitutionis poſſit remittere alia peccata quæ fiunt ſimul cum Baptiſmo? 169

DISPVTATIO XVII.

Qualis ſit eſſentia Sacramenti Pœnitentiæ? 171

SECT. I. Quænam ſit eſſentia Metaphyſica Sacramenti Pœnitentiæ? ibid.

II. An Sacramentum Pœnitentiæ intrinſecè, & eſſentialiter conſtet ex materia & forma? 172

III. Ex qua forma, & materia in ſpecie conſtet Sacramentum Pœnitentiæ? 173

IV. An Satisfactio ſit pars eſſentialis, an verò integralis Sacramenti Pœnitentiæ? 176

V. An intentiones Sacramentum Pœnitentiæ faciendi, & recipiendi ſint partes materiæ ipſius? 178

VI. Pro qua parte ſupponat in recto Sacramentum Pœnitentiæ, an pro omnibus, an pro aliqua ſolùm? 179

VII. An aliquid aliud præter formam Abſolutionis, & tres partes materiæ, conſtituat intrinſecè Sacramentum Pœnitentiæ? 181

VIII. Quid ſit in Sacramento Pœnitentiæ, Res tantùm, Sacramentum tantùm, Res & Sacramentum ſimul? 183

IX. Quænam ſit definitio quaſi phyſica Sacramenti Pœnitentiæ, atque eius vnitas? 185

DISPVTATIO XVIII.

De forma Sacramenti Pœnitentiæ. 185

SECT. I. An requirantur verba propriè dicta ad formã Sacramenti Pœnitentiæ? ibi.

II. Quæ verba requirantur eſſentialiter ad formam Sacramenti Pœnitentiæ? 187

III. De aliis verbis quæ apponuntur in forma Abſolutionis, an ſaltem cadant ſub præceptum? 189

IV. An illa ſola verba, *Abſoluo te*, ſi ſola ſufficiant ad valorem formæ, concurrant de facto ad valorem Sacramenti? 190

V. Quem ſenſum habeant verba formæ Abſolutionis? 191

VI. An verba Abſolutionis poſſint proferri modo deprecatiuo, an ſolùm indicatiuo? 193

VII. Vtrùm formæ Abſolutionis poſſit apponi aliqua conditio de futuro, quâ effectus Abſolutionis ſuſpendatur? 194

VIII. Vtrùm forma Abſolutionis poſſit ſimul proferri à duobus, vel pluribus Sacerdotibus? 196

IX. An forma Abſolutionis ſacramentalis poſſit licitè, & validè proferri abſẽti? 198

DISPVTATIO XIX.

De Contritione, ſeu dolore neceſſario de peccatis mortalibus, ad ſuſceptionem Sacramenti Pœnitentiæ. 200

SECT. I. Vtrùm Contritio, ſeu dolor ſit pars eſſentialis Sacramenti Pœnitentiæ diſtincta à Confeſſione. ibid.

II. Vtrùm ad valorem Sacramenti requiratur quòd dolor antecedat Confeſſionem tempore, vel natura? 201

III. An dolor formalis debeat tempore antecedere Abſolutionem; vel ſatis ſit haberi ſimul in eodem inſtanti quo impenditur Abſolutio. 203

IV. An in caſu quo pœnitens confitetur peccata oblita, poſt acceptam Abſolutionem, requiratur nouus dolor; an verò ſufficiat idem dolor? 204

V. An cùm quis ſecundò confitetur peccata ſemel iam confeſſa, & abſoluta, ſufficiat dolor habitus in prima illorum Confeſſione; an verò ſit neceſſarius nouus alius dolor formalis. 205

VI. An actus doloris debeat elici à pœnitẽte ex intentione, ac relatione ad Confeſſionem, & ad Sacramentum Pœnitentiæ 207

VII. Quo tempore poſſit dolor præcedere Confeſsionem, & Abſolutionem, & exiſtere debeat in homine, vt validè, & fructuosè recipiat Sacramentum Pœnitentiæ? 209

VIII. An propoſitum non peccandi ſit de ratione doloris neceſſarij ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ. ibid.

IX. An propoſitum debeat ſe extendere non ſolùm ad peccata vitanda, ſed etiam ad occaſiones peccandi? 212

X. Vtrùm dari poſſit Sacramentum Pœnitentiæ validum, & informe ex defectu doloris? 214

DISPVTATIO XX.

De dolore requiſito in Confeſsione Sacramentali de ſolis peccatis venialibus. 220

SECT. I. An in Confeſſione quæ ſit de ſolis venialibus, requiratur Attritio, vel dolor efficax? 221

II. An ſit mortale confiteri venialia abſque vllo dolore? ibid.

III. An ſit mortale non habere dolorem de omnibus venialibus, quæ in Confeſſione explicantur. 222

IV. An

IV. An, & quale propoſitum requiratur in Confeſſione peccatorum venialium? 223
V. An ex defectu integritatis in dolore, poſſit Sacramentum Pœnitentiæ de peccatis venialibus eſſe validum, & informe? 225
VI. Quæ venialia dentur pro materia in Confeſſione Sacramentali; & an retractetur totaliter dolor, ſi fiat aliquod veniale poſt ipſum? ibid.

DISPVTATIO XXI.

De materia remota, hoc eſt de peccatis quæ debent, vel poſſunt eſſe materia Confeſſionis Sacramentalis. 226

SECT. I. Quænam ſit materia remota Sacramenti Pœnitentiæ? ibid.
II. An peccata mortalia non certa, ſed dubia opinatiuè ſint materia neceſſaria Confeſsionis ſacramentalis? 227
III An peccata mortalia dubia negatiuè, ſeu ſuſpenſionis, ſint materia neceſſaria Confeſſionis ſacramentalis? 229
IV. Ex doctrina tradita præcedenti ſectione varij caſus reſoluuntur. 231
V. An peccatum mortale dictum vt dubium, debeat iterùm ceſſante dubio aperiri vt certum in Confeſſione? 232
VI. An qui confitetur peccata propriè dubia, teneatur addere ſaltem aliquod veniale certum? 235
VII. An peccata iam validè confeſſa, & abſoluta ſint materia ſufficiens Sacramenti Pœnitentiæ? 237
VIII An omnia peccata mortalia ſint materia neceſſaria Confeſſionis generalis? 239
IX. Vtrùm peccata venialia ſint materia ſufficiens Pœnitentiæ? 240
X. An peccatum veniale in generali, nullo veniali determinato explicato, ſit ſufficiens materia ſacramenti Pœnitentiæ? ibid.

DISPVTATIO XXII.

De neceſsitate Confeſſionis, vt eſt medium neceſſarium ad ſalutem. 243

SECT. I. Quid ſit neceſſitas medij, quid verò præcepti? ibid.
II. An Confeſſio ſacramentalis ſit medium neceſſarium ad remiſſionem peccati mortalis poſt Baptiſmum cõmiſsi? 246
III. Quid ſit, peccatores iuſtificari per Confeſſionem ſacramentalem in voto? 247
IV. An votum Confeſſionis in Contritione incluſum debeat eſſe explicitum, an ſufficiat implicitum? 248

DISPVTATIO XXIII.

De præcepto diuino Confeſſionis ſacramentalis obligante ad illam. 248

SECT. I. Vtrùm Confeſſio ſacramentalis peccatorum mortalium ſit iure diuino præcepta? 249
II. Quas perſonas obliget præceptum diuinum Confeſſionis ſacramentalis? ibid.
III. Quo tempore obliget præceptum diuinum Confeſſionis, præcisè vt diuinum eſt? 251
IV. An per accidens propter aliquos caſus obliget præceptum diuinum Confeſſionis? 253
V. An per Confeſſionem informẽ impleatur præceptum cõfitendi, vt eſt diuinũ? 255
VI. An Summus Pontifex poſſit abrogare præceptum diuinum confitendi, vel in eo diſpenſare? 256
VII. Vtrùm Confeſſio ſemel inſtituta à Chriſto, ſi non fuiſſet iure diuino præcepta, ſed arbitrio fidelium relicta, Eccleſia potuiſſet eius vsũ præcipere? 257

DISPVTATIO XXIV.

De præcepto Eccleſiaſtico annuæ Confeſsionis. 258

SECT. I. An Eccleſia poſſit præcipere annuam Confeſſionem ſacramentalem 259
II. An, & quale ſit præceptum de facto impoſitum annuæ Confeſſionis? 260
III. An, & quale ſit præceptum confitendi impoſitum Sacerdoti à Concilio Tridentino? 262
IV. An, & quale præceptum ſit impoſitum Monachis ſancti Benedicti, vt ſingulis menſibus ſemel ſaltem confiteantur. 263
V. An Eccleſia præcipere poſſit Confeſsionem peccatorum venialium. 264
VI. Quas perſonas obliget præceptum annuæ Confeſsionis ſacramentalis? 267
VII. Qua ratione debeat computari annus, intra quem conſcius ſibi peccati mortalis teneatur confiteri? 270
VIII. An vt quis ſatisfaciat præcepto annuæ Confeſsionis præcisè, ſufficiat eum quauis parte anni confiteri? 272
IX. Vtrùm is qui vno anno hoc præceptum Confeſsionis non impleuit, teneatur ſtatim initio ſequẽtis anni cõfiteri? 274

X. Vtrùm qui elapſo toto anno abſque Confeſſione poſteà confitetur inchoato iam anno ſequenti, debeat iterùm confiteri eodem anno. 276
XI. Vtrùm fideles teneantur interdum præuenire, ſeu anticipare Confeſſionem, antequam tempus præcepti impleatur? 278
XII. An poſſit eſſe præceptum Eccleſiaſticum confitendi eadẽ peccata bis? 279
XIII. Qualis Confeſſio ſufficiat, vt ſatisfiat præcepto Eccleſiaſtico confitendi? 280
XIV. De cauſis excuſantibus ab impletione præcepti Eccleſiaſtici. 281
XV. De pœnis, quæ infliguntur tranſgreſſoribus præceptum annuæ Confeſſionis Sacramentalis. 282

DISPVTATIO XXV.

De quidditate, ac qualitate Confeſſionis Sacramentalis. 284

SECT. I. An, & quid ſit Sacramentalis Confeſſio? 284
II. Quas qualitates, vel conditiones habere debeat Sacramentalis Confeſſio? 285
III. Vtrùm Confeſſio Sacramentalis debeat eſſe ſecreta, vel poſſit quoque publica eſſe? 286
IV. Vtrùm quis poſſit, imò & teneatur aliquando ex vi præcepti Confeſſionis, per interpretem confiteri? 288
V. An teneatur quis per ſcriptum confiteri, quando non poteſt ſe aliter explicare. 291
VI. An ex præcepto, vel ex alio capite, teneatur pœnitens propria voce confiteri 292
VII. An Confeſſio per litteras, aut per internuntium Sacerdoti abſenti facta, ſit idonea ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ? 293

DISPVTATIO XXVI.

De integritate Confeſsionis ex parte materiæ remotæ, ſeu peccatorum, quæ in Confeſſione dici debent. 294

SECT. I. Quæ præparatio examinis, ſeu diligentia ſit neceſſaria ad integritatem Confeſſionis Sacramentalis? ibid.
II. Vtrùm omnia peccata mortalia ſint neceſſariò explicanda ad integritatem ſacramentalis Confeſſionis ex vi inſtitutionis Sacramenti? 296
III. Vtrùm ad integritatem Confeſſionis ſit neceſſarium, omnes malitias peccatorum mortalium ſpecie diſtinctas, diſtinctè confiteri? ibid.
IV. An non ſolùm actus peccaminoſus interior, ſed etiam exterior, ſit neceſſariò aperiendus in Confeſſione, ad huius integritatem? 279
V. An meræ imperfectiones ſint in Confeſsione explicandæ ad illius integritatem? 298
VI. An peccet grauiter qui contra integritatem Confeſsionis mentitur in ea; & an omne mendacium in ea admiſſum ſit peccatum mortale? 299

DISPVTATIO XXVII.

De integritate Confeſſionis ex parte circumſtantiarum peccatorum in genere. 300

SECT. I. An circumſtantiæ mutantes ſpeciem ſint neceſſariò confitendæ? ibid.
II. An repetenda ſit Confeſſio peccati integri, quando ex obliuione fuit omiſſa circumſtantia ſpecie diuerſa; vel ſufficiat confiteri ſolam circumſtanſtiam omiſſam? 301
III. An circumſtantiæ notabiliter aggrauantes intra eandem ſpeciem, ſint neceſſariò confitendæ? 303
IV. An circumſtantiæ notabiliter minuentes ſint neceſſariò confitendæ? 307

DISPVTATIO XXVIII.

De prima Circumſtantia Quis, *neceſſariò in Confeſſione aperienda, ad illius integritatem.* 308

SECT. I. An Religioſus peccans contra votum caſtitatis, debeat explicare ſtatum religioſũ præter circũſtantiã Voti. ibid.
II. An Sacerdos, qui ſimul profeſſus eſt, fornicans teneatur vtramque circumſtãtiam fateri; an verò ſatisfaciat explicans tãtùm ſe voto caſtitatis eſſe ligatum? 309
III. Quotuplex ſit malitia in tranſgreſſione Obedientiæ Religioſi in Confeſſione explicanda? 311
IV. An in peccatis contra caſtitatem ſit explicanda circumſtantia Virginitatis? 313
V. In quo gradu circumſtantia inceſtus conſanguinitatis, explicanda ſit? 316
VI. In quo gradu circumſtantia inceſtus procedentis ex affinitate ſit in Confeſſione explicanda 317
VII. An cognatio legalis debeat explicari in copula illicita? 320
VIII. An circumſtantiã ſponſalium debeãt in Cõfeſſione explicare ſpõſi, de futuro, dum

dum confitentur copulam fornicariam cum aliis perſonis. 321
IX. An cognatio ſpiritualis explicanda ſit in copula illicita. 322
X. An ſit circumſtantia neceſſariò explicanda, ſi quis peccauerit cum filio, vel filia Confeſſionis. 323
XI. An copula fornicaria inter affectos aliquo impedimento dirimente matrimonium, vel ſolùm impediente, habeat ſpecialem malitiam in Confeſſione explicandam? 326
XII. An dignitas perſonæ, & etiam Officij, ſit in Confeſſione explicanda? 328

DISPVTATIO XXIX.

De ſecunda circumſtantia, Quid, *in Confeſſione neceſſariò explicanda.* 329

SECT. I. An in peccato odij proximi, ſit declarandum malum proximo deſideratum; an ſufficiat dicere, ex odio deſideraui ei malum graue, non declarando mortem, infamiam, vel paupertatem, &c. ibid.
II. Vtrùm in peccato contumeliæ debeant explicari cōtumeliç in particulari? 332
III. An in peccato iactantiæ debeat explicari ſpecies peccati, de quo quis ſe iactauit? 334
IV. An in delectatione moroſa de concubitu cum fœmina, qui delectatur, teneatur in Confeſſione explicare omnes illius circumſtantias ſpecie diuerſas. 336
V. An ſi quis fornicetur, teneatur in Confeſſione explicare copulam, & tactus impudicos præcedentes, & ſubſequentes illam? 338
VI. An in peccato ſcandali explicanda ſit ſpecies peccati, ad quod ſcandalum inducit? 340
VII. An cùm quis ſuo peccato ſcandalum præbet adſtantibus, debeat in Confeſſione explicare numerum determinatum adſtantium, & qualitatem ipſorum, qui potuerunt ſcandalizari? 343
VIII. Quid debeat conſulens opus illicitum, quod ſit peccatum mortale, explicare in Confeſſione? 344
IX. An in peccato blaſphemiæ teneatur quis confiteri qualitatem blaſphemiæ; an verò ſufficiat ſe accuſare de blaſphemia? 345
X. De circumſtantia hæreſis, quo pacto ſit neceſſario in Cōfeſſione explicāda? 348
XI. An circumſtantia Apoſtaſiæ ſit neceſſariò exprimenda in Confeſſione? 349

XII. An debeat explicari in Confeſſione effectus ſubſecutus, an verò ſufficiat explicare cauſam? 351

DISPVTATIO XXX.

De tertia circumſtantia Vbi, *ſeu de loco ſacro in Confeſſione declaranda.* 352

SECT. I. In quibus caſibus furtum ex loco ſacro accipiat ſpecialem malitiam ſacrilegij neceſſariò in Confeſſione explicandam. 352
II. An, & quando per effuſionem peccaminoſam ſanguinis humani in loco ſacro, contrahatur grauis malitia ſacrilegij in Confeſſione exprimenda? 354
III. An, & quando per humani ſeminis effuſionem in loco ſacro contrahatur malitia ſacrilegij in Confeſſione explicanda? 356
IV. Quale crimen in Confeſſione aperiendum committant Iudices in violatione immunitatis Eccleſiæ, ſeu loci ſacri? ibi.

DISPVTATIO XXXI.

De quarta Circumſtantia, Quibus auxiliis, *quando eam oporteat in Confeſſione explicare.* 357

SECT. I. An inſtrumenta quibus peccatum factum eſt, ſint in Confeſſione explicanda? ibid.
II. An ſit circumſtantia neceſſariò in Confeſſione fatenda, habuiſſe ſocios peccati, nulla tamen intercedente inductione? 358
III. Vtrùm, ſi formalis inductio antecedat, ſit ea circumſtantia in Confeſſione explicanda? 359
IV. An auxilium Dæmonis ad aliquod maleficium ſit in Confeſſione aperiendum. 361

DISPVTATIO XXXII.

De quinta Circumſtantia, Cur, *ſeu fine, quando debeat in Confeſſione explicari?* 361

SECT. I. An quando aliquis peccat ex motiuo confidentiæ veniæ, & Iubilæi, debeat in Confeſſione explicare circumſtantiam confidentiæ? 362
II. An in peccato inobedientiæ propter contemptum, circumſtantia contemptus ſit in Confeſſione exprimenda? ibid.
III. An circumſtantia finis mali poſſit ſeorſim explicari in Confeſſione? 363
IV. An quando finis non eſt ex ſe malus,

medium verò malum ſit, debeat explicari etiam finis in confeſſione? 365

DISPVTATIO XXXIII.

De ſexta Circumſtantia, Quomodo, *an debeat in Confeſſione explicari?* 366

Sect. I. De Circumſtantiis feritatis, raptus, & rapinæ in Confeſſione aperiendis. ibid.

II. An modus grauiter peccandi ex conſuetudine neceſſariò debeat explicari in Confeſſione? 368

III. An modus grauiter peccandi ex ignorantia vincibili, & culpabili, ſit neceſſariò in Confeſſione explicandus? 373

IV. An modus peccandi grauiter ex conſcientia erronea, ſit explicandus in Confeſſione? 375

V. De aliis modis circa circumſtantiam, *Quomodo*, an debeant in Confeſſione explicari? 376

DISPVTATIO XXXIIII.

De ſeptima, ac vltima Circumſtantia, Quando, *an debeat in Confeſſione aperiri?* 377

Sect. I. An circumſtantia diei feſti, ſeu temporis ſacri ſit neceſſariò explicanda in peccato mortali? ibid.

II. An diuerſitas præceptorum quæ violantur eodem die circa vnam rem, ſit neceſſariò in Confeſſione explicanda? 379

III. An duratio peccati mortalis, quando eſt notabiliter exceſſiua, ſit circumſtantia neceſſariò confitenda? 381

DISPVTATIO XXXV.

De circumſtantia perſonæ complicis, ſeu ſociæ criminis, quæ ſpeciem variat. 381

Sect. I. An pœnitens poſſit abſque vlla neceſſitate, vel cauſa manifeſtare complicem ſui peccati in Confeſſione? ibid.

II. Vtrùm liceat pœnitenti manifeſtare perſonam complicis in particulari, propter ſolam integritatem ſuæ Confeſſionis? 383

III. An nō ſolum poſſit, ſed debeat pœnitens explicare circumſtantiam complicis propter ſolam integritatem ſuæ Confeſſionis? 384

IIII. An quæ dicta ſunt de manifeſtatione complicis, procedant quoque in Confeſsione venialium, & peccati mortalis iam plenè confeſsi? 385

V. An teneatur pœnitens differre Confeſſionem non neceſſariam, per aliquod tempus, donec habeat alium Confeſſarium, cui complex ſit ignotus? 386

VI. An poſsit pœnitens manifeſtare Confeſſario perſonam, quæ non eſt complex, ſed obiectum peccati eius, quando id eſt neceſſarium ad explicandum integrè ſuum peccatum? 387

VII. An liceat pœnitenti dare Confeſſario notitiam complicis in particulari ad emendandum illum, & poſsit Confeſſarius ea vti? 389

VIII. An poſsit Confeſſarius pœnitentem obligare ad manifeſtandum ſibi complicis nomen; & ſi renuat, negare Abſolutionem? 390

DISPVTATIO XXXVI.

De integritate Confeſsionis, quoad numerum peccatorum intra eandem ſpeciem. 390

Sect. I. An omnia, & ſingula peccata ſecundum numerum intra eandem ſpeciem, ſint in Confeſsione manifeſtanda? 391

II. Vnde ſumenda eſt vnitas, vel diſtinctio numerica peccatorum circa peccata merè interna, prout ſunt in voluntate? ibid.

III. Vnde ſumenda ſit vnitas, vel diſtinctio numerica peccatorum externorum, quorum eſt vnum poſt aliud. 393

IV. Quomodo numerus peccatorum ſit in Confeſsione explicandus? ibid.

DISPVTATIO XXXVII.

De cauſis legitimis excuſantibus ab integritate materiali Confeſsionis Sacramentalis. 396

Sect. I. An propter vitandum aliquod detrimentum proprium, liceat pœnitenti mortale peccatum in Confeſsione tacere? ibid.

II. An poſsit aliquod peccatum taceri propter detrimentum alienum, quod pœnitens timet? 397

III. Qualis neceſsitas, vel etiam vtilitas ſit ſufficiens vt in prædictis caſibus poſsit dimidiari Confeſsio, tacendo aliquod graue peccatum? 398

IV. An de peccato ob legitimā cauſam omiſſo, requiratur Contritio; & an teneatur pœnitens illud fateri, cum primum poſsit? 399

V. Qualis

Sect. V. Qualis ignorantia vel obliuio excuſet ab integritate materiali Confeſſionis? 400
VI. Quænam intregritas ſufficiat ad valorem Confeſſionis? 401

DISPVTATIO XXXVIII.

De integritate ac ſufficienti Confeſſione in caſu neceſſitatis moribundi. 402

Sect. I. An poſſit abſolui infirmus, qui vnum ſolum peccatum in particulari confitetur? ibid.
II. An poſſit abſolui moribundus, qui nullum peccatum in particulari confitetur, ſed ſolum in genere dicit, ſe peccata commiſiſſe, & poſteà ſenſibus eſt deſtitutus. 403
III. An ſi moribundus in articulo mortis ſolum confiteatur in genere veniale, dicens ſe peccaſſe, nullo veniali determinato explicato, poſſit, ac debeat abſolui? 404
IV. An qui nullum peccatum dixit, neque in genere, neque in ſpecie, ſed ſolum exhibuit ſigna doloris præſente Confeſſore, poſſit ab eo abſolui? 405
V. Vtrum decretum Clementis VIII. non ſolùm damnet abſolutionem, abſente pœnitente; ſed etiam Confeſſionem, abſente Confeſſario? 406
VI. An Confeſſarius poſſit abſoluere moribundum, qui in eius abſentia Confeſſionem petiit, vel ſigna pœnitentiæ exhibuit, aliquo hoc atteſtante, & iam eſt ſenſibus deſtitutus. 408
VII. Quot teſtes requirantur teſtantes moribundum ſigna pœnitentiæ dediſſe; & an neceſſariò debeant eſſe teſtes immediati, vel ſufficiant mediati? 410
VIII. An ſi quis non coram infirmo, ſed in eius abſentia manifeſtauit Confeſſario illum petiiſſe Confeſſionem, poſſit Confeſſarius, ſi illum viuum adhuc inueniat, abſoluere? 411
IX. An non ſolùm poſſit, ſed teneatur Sacerdos abſoluere moribundum ſenſibus deſtitutum, quando circumſtantes coram illo fatentur petiiſſe Confeſſionem, vel ſigna Contritionis exhibuiſſe? ibid.
X. Vtrùm moribundus, qui nec Confeſſionẽ petiit, nec dedit ſignum aliquod pœnitentiæ, poſſit adhuc Sacramentaliter abſolui? 412

DISPVTATIO XXXIX.

De Confeſſione peccatorum ex neceſſitate reiteranda, & repetenda. 413

Sect. I. An ſit ex neceſſitate repetenda Confeſſio, ex defectu doloris, intentionis, ac iuriſdictionis impeditæ per cenſuram. ibid.
II. An, & quando Confeſſio facta fuit Confeſſario ignaro, & dormienti ſit nulla, & repetenda? 415
III. An propter excommunicationem non ablatam, ſit Confeſſio nulla, ac repetenda? 416
IV. An ſit Confeſſio repetenda, eo quod Confeſſarius ante Abſolutionem oblitus eſt, & confeſſionis, & ſtatus pœnitentis? 418
V. Vtrùm Confeſſio facta ob finem malum ſcilicet inanis gloriæ, ſit nulla, & iteranda? 420
VI. An ſit iteranda Confeſſio peccati integri quando ex obliuione omiſſa fuit circumſtantia; vel ſufficiat confiteri ſolam circumſtantiam omiſſam. 420

DISPVTATIO XXXX.

De poteſtate Clauium, quam dedit Chriſtus Dominus Eccleſiæ Miniſtris ad remittenda fidelium peccata. 420

Sect. I. Vtrùm Chriſtus dederit ſuæ Eccleſiæ Miniſtris ſpecialem poteſtatem ad remittenda peccata poſt Baptiſmum commiſſa? 421
II. Quinam, & quales ſint actus ſpecialis poteſtatis, quam Chriſtus Dominus dedit ſuæ Eccleſiæ Miniſtris. ibid.
III. An poteſtas remittendi peccata ſit ſolius poteſtatis ordinis. 422
IV. An poteſtas Ordinis ſufficiat Sacerdoti ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ. 423
V. An poteſtas iuriſdictionis detur Sacerdoti in ſui Ordinatione, an potiùs illa ab Eccleſia poſteà conferatur? 424
VI. An poteſtas remittendi peccata rectè ſignificetur per Clauem regni cœlorum, & ea ſit vna, vel plures. 426

DISPVTATIO XXXXI.

De Miniſtro ordinario, ſeu ex ordinaria poteſtate, Sacramenti Pœnitentiæ. 427

Sect. I. Quinam ſint Miniſtri ordinarij in

Sacra

Digitized by Google

Sacramento Pœnitentiæ; & quo iure? ibid.
I I. Quis ſit Iure proprius Sacerdos ad miniſtrandum Sacramentum Pœnitentiæ? 428
III. An Parochus,vel etiam Epiſcopus extra Diœceſim poſſit abſoluere ſubditum ſuum; & an ratione delicti in tali loco commiſſi acquiratur iuriſdictio. 429
I V. Quis ſit ordinarius Miniſter Epiſcoporum , Cardinalium , & Parochorum. 430
V. Quis Parochus ſit proprius Sacerdos fidelium,ratione domicilij? 431
V I. Quis cenſeatur Parochus,ſeu proprius Sacerdos vagorum, & iter agentium, ſeu peregrinorum. ibid.
VII. An Parochus qui habet ſolum titulum coloratum officij, habeat iuriſdictionem ordinariam, ac validè abſoluat? 432

DISPVTATIO XLII.

De Miniſtro delegato,ſeu ex delegata poteſtate, huius Sacramenti. 433

Sect. I. Quinam poſſint iuriſdictionem delegare in foro Pœnitentiæ. ibid.
II. An qui habet iuriſdictionem delegatam, poſſit eam alteri ſubdelegare? 434
III. An ſine notitia delegationis, ille cui iuriſdictio delegatur, validè abſoluat, vel eius abſolutio irrita ſit? 435
IV. An iuriſdictio delegata habeatur ſufficienter per ratihabitionem de futuro Superioris delegantis, rationabiliter præſumptam? 436
V. An,& qua ratione delegetur iuriſdictio per conſuetudinem? 438
VI. An iuriſdictio delegata obtenta à delegante per dolum,ac errorem, vel per vim,& metum valida ſit? 439
VII. An ille qui habens iuriſdictionem delegatam cœpit audire Confeſſionem, poſſit illam finire,etiamſi interim delegatio expiret? 440
VIII. Quàm ſit durabilis, ac permanens iuriſdictio delegata ad audiendas Confeſsiones? 441
IX. An dari queat Abſolutio à Confeſſario cum poteſtate, ſeu iuriſdictione delegata, verè, & propriè dubia? 442
X. An ſufficiat iuriſdictio delegata probabilis ad miniſtrandum Sacramentum Pœnitentiæ? 443

DISPVTATIO XLIII.

De Miniſtro Sacramenti Pœnitentiæ in articulo mortis. 451

Sect. I. Vtrùm facultas abſoluendi in articulo mortis conceſſa ſit ab Eccleſia omnibus Sacerdotibus,etiam Hæreticis,Schiſmaticis, & excommunicatis? ibidem.
II. An facultas abſoluendi in articulo mortis ſit de iure diuino,an de iure humano ſolùm? 453
III An facultas abſoluendi conceſſa in articulo mortis, concedatur quoque in periculo mortis. 454
I V. An præſente proprio Sacerdote poſſit ſimplex Sacerdos abſoluere in articulo,vel periculo mortis? 455
V. An omnis Sacerdos ſit ſufficiens & legitimus Miniſter ad abſoluendum à peccatis venialibus? 457
VI. An omnis ſimplex Sacerdos poſſit abſoluere à peccatis mortalibus iam ritè confeſſis. 458

DISPVTATIO XLIV.

De facultate eligendi Confeſſorem ex parte pœnitentis. 459

Sect. I. Quis poſſit facultatem eligendi Confeſſorem concedere pœnitenti; & qua de cauſa? ibid.
I I. Quibus ſit conceſſa facultas à iure ſiue Diuino,ſiueEccleſiaſtico,eligendi ſibi Confeſſarium? 460
III. An aliquibus ſit conceſſa facultas eligendi Confeſſarium ex ſola conſuetudine? ibid.
I V. Quibus ſit conceſſa facultas eligendi Confeſſarium ab homine, & qualis eſſe debeat? 461
V. An ſufficiat aliquando facultas interpretatiua, vel præſumpta? ibid.
V I. An ſatis ſit facultatem eſſe petitam, etſi non obtentam? 462

DISPVTATIO XLV.

De Prælatis, qui , & quomodo poſſint reſeruare ſibi peccata. 463

Sect. I. An ſit in Eccleſia poteſtas reſeruandi peccata in hoc foro pœnitentiæ? ibid.
I I. An poſſint Prælati pro libito reſeruare caſus abſque legitima cauſa? 464

III. An puerorum peccata poſſint quoque Prælati ſibi reſeruare? 465
IV. An perſonæ ignorantes reſeruationem pœnalem, illam incurrant? 465

DISPVTATIO XLVI.

De obiecto, ſeu materia, circa quam cadere poſſit reſeruatio. 466

SECT. I. Vtrùm venialia peccata, & etiam mortalia iam legitimè confeſſa, poſſint reſeruari? ibid.
II. An peccata merè interna poſſint reſeruari; & ſint de facto reſeruata? 467
III. An quando reſeruatur aliquod peccatum externum, requiratur etiam quòd ipſa actio externa ſecundùm ſe habeat grauitatem? 468
IV. Vtrùm quando aliquod peccatum mortale ſimpliciter reſeruatur, cenſeatur etiam reſeruatum, quando eſt dubium? 469
V. An in reſeruationibus Pontificiis, peccata non ſolùm quoad cenſuram, ſed etiam quoad culpam reſeruentur? 471
VI. An, & quæ peccata ſint de facto Epiſcopis reſeruata? 472

DISPVTATIO XLVII.

De caſibus, ſeu peccatis reſeruatis in ſacris Religionibus. 473

SECT. I. Qui caſus, ſeu peccata ſtatuerit Clemens VIII. poſſe in Religionibus obſeruari? ibid.
II. An non obſtante Conſtitutione Clementis VIII. poſſit Capitulum Generale, vel Prouinciale reſeruare aliquod peccatum graue ſolùm pro vna Domo, & non pro toto Ordine, vel Prouincia. 474
III. An non obſtante Conſtitutione prædicta, poſſint Prælati Regulares propria auctoritate, ſine conſenſu Capituli, aliquod peccatum graue prohibere, ſub excommunicatione maiori ſibi reſeruata? 475
IV. De primo caſu Veneficiorum, Incantationum, & Sortilegiorum, qui reſeruari poteſt in Religionibus, iuxta Decretum Clementis VIII. 476
V. De ſecundo, tertio, quarto, & quinto caſu, qui reſeruari poteſt iuxta Decretum Clementis VIII. 477
VI. De ſexto, ſeptimo, & octauo caſu reſeruato, iuxta Decretum Clem. VIII. 478
VII. De nono, decimo, & vndecimo caſu reſeruato, iuxta Decretum Clementis VIII. 479
VIII. De reſeruatione caſuum, quam habet Religio Societatis IESV, ex parte materiæ. 480

DISPVTATIO XLVIII.

De eo qui poteſtate ordinariâ poteſt directè, & per ſe abſoluere à caſibus reſeruatis? 482

SECT. I. An Prælatus qui caſus reſeruauit, & ſuperior illo poſſit directè, & per ſe ab illis abſoluere? ibid.
II. An Epiſcopi habeant ordinariam facultatem ad abſoluendum directè, & per ſe à caſibus Sedi Apoſtolicæ reſeruatis? ibid.
III. An Epiſcopi, & eorum Vicarij poſſint abſolui à ſuo Confeſſario à ſibi reſeruatis, etiam in caſibus Papæ reſeruatis? 484
IV. An Prælati regulares poſſint abſolui à ſuo Confeſſario à peccatis reſeruatis, per Generalem Ordinis cum Capitulo Generali? 485
V. An facta ſemel Confeſſione cum habente poteſtatem ordinariam abſoluendi à reſeruatis; cenſeatur ablata reſeruatio pro omnibus, quæ pœnitens propter obliuionem omiſit? 486
VI. Vtrùm habens poteſtatem ordinariam abſoluendi à cenſuris reſeruatis, quando abſoluit pœnitentem in Confeſſione ab excommunicatione ſub illa conditione generali, *In quantum poſſum, & indiges*, abſoluat quoque illum ab excommunicatione reſeruata omninò oblita? 487

DISPVTATIO XLIX.

De eo qui ex poteſtate delegata poteſt à reſeruatis abſoluere. 488

SECT. I. Quibus verbis Superior det iuriſdictionem delegatam ſuper reſeruata; & ea detur quoque pro ipſo petente? 488
II. An facultas quæ petitur, & datur, *Pro hac vice*, extendatur ad peccata commiſſa poſt petitam, & obtentam facultatem, antequam fiat Confeſſio; & an illa verba, *Pro hac vice*, coarctent facultatem intra certum tempus? 489
III. An virtute Iubilæi, vel ſimilis facultatis delegatæ, poſſit Confeſſarius abſoluere

uere à reſeruatis commiſſis poſt finitum Iubilæi tempus. 490
IV. Vtrùm confitens habenti facultatem delegatam abſoluendi à reſeruatis, ſi inculpabiliter omiſit peccatum reſeruatum, maneat liber à reſeruatione peccati omiſſi? 491
V. Vtrùm pœnitens ex priuilegio Iubilæi, abſolutus in aliquo die Septimanæ à reſeruatis, antequam impleat omnia, quæ præcipiuntur facienda per totam Septimanam, ſi poſteà non impleat, teneatur iterùm confiteri, vel ſaltem ſit reus culpæ? 492
VI. An virtute facultatis delegatæ, poſſit tolli reſeruatio ſine Abſolutione à culpa Sacramentali? 493
VII. Ab poſſit idem peccatum eſſe multiplici reſeruatione reſeruatũ; & tunc ablata vna reſeruatione, poſſit remanere alia? 493

DISPVTATIO L.

De modo abſoluendi à caſibus reſeruatis. 494

SECT. I. Quis Sacerdos poſſit pœnitentem abſoluere à reſeruatis, & qua facultate? ibid.
II. Vtrùm Superior poſſit audire ſola peccata reſeruata, & ab illis abſoluere pœnitentem, committendo cætera inferiori Sacerdoti. 495
III. An Superior teneatur dare facultatem ſubdito per ſe, vel per alium eam petenti, vt abſoluatur à reſeruatis? 497
IV. An poſſit Superior concedere facultatem, vt ſubditus à reſeruatis abſoluatur, cum onere poſteà comparendi coram Superiore, vt ex præcepto ipſi iterùm reſeruata Sacramentaliter confiteatur? 499
V. Vtrùm Superior poſſit prædictam facultatem concedere, petendo à ſubdito votum, vel iuramentum quo ad iteratam Confeſsionem obligetur. 501
VI. Vtrùm Superior poſsit per dictam facultatem concedere, ex pacto comparendi poſteà, & manifeſtandi eadem peccata reſeruata ſuo Superiori? 502
VII. An Superior poſsit facultatem à reſeruatis concedere, reſtringendo poteſtatem iniungendi pœnitentiam ex parte? 503
VIII. An Sacerdos inferior poſsit abſoluere aliquando à non reſeruatis, remittendo pœnitentem ad Superiorem pro reſeruatis? 505

DISPVTATIO LI.

De approbatione in Confeſſario requiſita. 506

SECT. I. Proponuntur quæ videntur certa, & ab omnibus conceduntur ex ipſis Concilij verbis relatis. ibid.
II. Vtrùm habens beneficium Parochiale, cenſeatur approbatus, & idoneus intra totam Diœceſim, & etiam extra Diœceſim, ac vbique? 508
III. A quo Ordinario, ſeu Epiſcopo debeat eſſe approbatus Confeſſarius non habens Parochiale Beneficium? 509
IV. Vtrùm approbatus ab vno Epiſcopo pro ſua Diœceſi, cenſeatur quoque vbique approbatus pro qualibet alia? 511
V. Vtrùm approbatio poſſit negari; & ſi iniuſtè negetur, ſint validæ abſolutiones abſque illa? 513
VI. An poſſit approbari Confeſſarius cum limitatione ad tempus, ad perſonas, &c. 514
VII. An approbatus cum limitatione, ſeu reſtrictione, eligi poſſit per Bullam, vltra terminos conceſsionis? 515
VIII. An Religioſus ſimpliciter, & abſolutè ab Epiſcopo approbatus poſsit eligi per Bullam ad Confeſsiones audiendas, tametſi à ſuo Superiore regulari prohibeatur miniſterium exercere? 516
IX. An approbatio ſemel conceſſa poſsit ab Epiſcopo validè, & licitè reuocari? 517
X. An approbatio dari debeat in ſcriptis, & etiam gratis? 518

DISPVTATIO LII.

De probitate & doctrina in Confeſſario requiſita. 519

SECT. I. Quæ probitas in Confeſſario requiratur ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ. ibid.
II. Quæ probitas ſit neceſſariò requiſita ad licitè miniſtrandum Pœnitentiæ Sacramentum. ibid.
III. An ſcientia Sacerdotis ſit conditio ſubſtãtialis ad audiẽdas Confeſsiones? 521
IV. Quæ ſcientia requiratur, vt Sacerdos licitè Sacramentum Pœnitentiæ adminiſtret? ibid.

DISPVTATIO LIII.

De obligatione Miniſtri Pœnitentiæ in ipſo actu Confeſsionis. 523

SECT. I. Quando teneatur Confeſſarius audire Confeſsiones, ſi ex obligatione miniſtret,

Digitized by Google

miniſtret, vel ſolùm ex voluntate ſua? ibid.
II. Qualiter debeat Confeſſarius interrogare pœnitentem in ipſo actu Confeſſionis. 524
III. An Confeſſarius debeat pœnitentem corrigere, qui per ignorantiam eſt in ſtatu de ſe malo? 525
IV. An poſſit, aut debeat Confeſſarius ſequi opinionem probabilem pœnitentis, contra propriam ſententiám æquè probabilem, vel probabiliorem. 527
V. Quam diligentiam teneatur Confeſſarius adhibere, vt certus fiat de diſpoſitione pœnitentis? 528
VI. Quomodo Confeſſarius debeat ſupplere defectus à ſe commiſſos circa ſubſtantiam, & valorẽ Sacramenti Pœnit. 529
VII. Ad quid Confeſſarius teneatur, quando errauit in damnum tertij. 531
VIII. An quando Confeſſarius ex negligentia culpabili non interrogauit pœnitẽtem de circumſtantiis neceſſariis ad integritatem Confeſſionis, teneatur poſteà pœnitentem monere de defectu commiſſo. 533
IX. An aliqua pœna impoſita ſit in iure miniſtranti indebitè? 534

DISPVTATIO LIV.

De Sigillo Confeſſionis, ac ſecreto ſeruando. 535

SECT. I. An ſigilli Confeſſionis obligatio ſit tanta, vt in omni caſu obliget inuito pœnitente? ibid.
II. Quo iure inducta ſit tam ſtricta ſigilli Confeſſionis obligatio? 536
III. Ex qua Confeſſione oriatur obligatio ſigilli. 538
IV. Quæ ſit materia ſigilli Confeſſionis? 540
V. Quinam teneantur obligatione ſigilli Confeſſionis? 542
VI. An Conſiliarius, quem Confeſſarius cõſulit ad ſciendum quid debeat cum pœnitente facere in aliquo caſu, teneatur ſigillo Confeſſionis? 543
VII. An ille qui inuenit chartam, in qua pœnitens ſua peccata ſcripſit ad Confeſſionem faciendam, debeat ſub ſigillo eam tenere? 545
VIII. An peccatum cõplicis manifeſtatum à pœnitente in ſua Confeſſione, maneat etiam tunc ſub ſigillo? 547
IX. Quomodo reſpondere debeat Confeſſarius, ne ſigillum frangat, quando interrogatur de peccato pœnitentis? 548
X. Quomodo ſit reſpondendum interrogantibus ea quæ in Confeſſione cognita ſunt, abſque fractione ſigilli? 550
XI. Vtrùm liceat Prælato, vel Superiori regulari vti ſcientiâ habitâ ex Confeſſione ſacramentali ad gubernationem ſubditorum. 551
XII. An, & quomodo poſſit Confeſſarius vti Confeſſionis notitiâ ad vitandum imminens vitæ periculum? 553
XIII. Quid in aliis caſibus ſimilibus præſtare debeat Cõfeſſarius, vt ſeruet ſigillũ? 555
XIV. Vtrùm cum licentia pœnitentis poſſit Confeſſarius loqui de auditis in Confeſſione? 557
XV. Quas pœnas incurrant violatores ſigilli? 559

DISPVTATIO LV.

De ſatisfactione ſecundùm ſe, ſeu opere operantis, pro pœna temporali reſtante poſt remiſſionem culpæ. 561

SECT. I. Vtrùm homo iuſtus poſſit ſatisfacere de condigno pro pœna temporali, quæ poſt remiſſionem culpæ, & pœnæ æternæ manet luenda. 561
II. An, & quomodo requiratur ſtatus gratiæ, & viatoris, ad condignam ſatisfactionem pro pœnis peccato debitis? 563
III. An ſatisfactio requirat opus liberum, & bonum; & per opus præceptum poſſit homo ſatisfacere pro pœna temporali? 564
IV. Vtrùm per ſola opera pœnalia poſſimus ſatisfacere pro pœna temporali reſtante poſt remiſſionem culpæ. 565
V. Vtrùm actus externus, ſeu paſſio externa addat Satisfactionem ſupra actum internum. 567
VI. An actus externus, ſeu paſſio externa vt ſit fructuoſa, & ſatisfactoria, requirat permanentiam actus interni voluntatis? 568
VII. An neceſſarium ſit, vt opus per quod ſatisfacimus de condigno, debeat eſſe ſupernaturale, & ex aliqua actuali gratia profectum? 571
VIII. An opus ſatisfactorium de condigno debeat procedere ex motiuo charitatis, vel ſaltem ex motiuo ſatisfaciendi, an potiùs ſufficiat, vt fiat ex quocumque alio ſupernaturali motiuo? 572
IX. Vtrùm diuina ordinatio, & acceptatio requiratur ad noſtrã ſatisfactionem? 573
X. Vtrùm requiratur diuina promiſſio, vt opus ſatisfactorium ſit de cõdigno. 574
XI. An poſſit homo iuſtus ſatisfacere pro vno peccato, & non pro aliis: & an opera pœnalia in mortali facta poſſint

ſint reuiuiſcere? 576
XII. An poſsit iuſtus abſque condigna ſatiſfactione liberari à debito pœnæ Purgatorij aliâ viâ, nempe per impetrationem? 577
XIII. Vtrùm vnus poſſit pro alio ſatiſfacere pro pœnis temporalibus, peccato remiſſo, reſtantibus; & qua ratione, infallibilíne, ac de iuſtitia? 578
XIV. Vtrùm decedens ex hac vita in peccato mortali, ſeu in inferno exiſtens poſſit ſatiſpati pro pœna temporali peccato remiſſo reſtante; an ſolùm in Purgatorio poſſit eſſe ſatiſpaſſio? 580

DISPVTATIO LVI.

De Satisfactione Sacramentali, prout eſt tertia pars Sacramenti Pœnitentiæ. 581

Sect. I. Quomodo ſatisfactio ſit pars Sacramenti Pœnitentiæ? ibid.
II. An Satisfactio ſacramẽtalis quando ponitur, cauſet aliquam gratiam ſanctificantem ex opere operato. ibid.
III. Vtrùm Satisfactio ſacramentalis conferat aliquam gratiam ſacramentalem, id eſt auxilium aliquod præueniens, quo iuuetur pœnitens, vt in poſterum fugiat peccata? 583
IV. An Satisfactio ſacramentalis conferat ex opere operato remiſsionem pœnæ temporalis, & quando ea conferatur; iſdque conueniat cuilibet Satisfactioni, & in qua proportione? ibid.
V. An ſi Confeſſarius prudenter exiſtimet pœnitentiam iniunctam æqualem eſſe, liberetur pœnitens ab omni reatu pœnæ per illam pœnitentiam, tametſi reuera non fuerit æqualis. 585
VI. An teneatur Confeſſarius imponere Satisfactionem pœnitenti? 587
VII. An Confeſſarius teneatur imponere pœnitentiam obligantem ſub præcepto, an ſolùm liberè, & de conſilio implendam. 589
VIII. An teneatur Confeſſarius pœnitentiam æqualem imponere; vel quam menſuram ſeruare debeat? 590
IX. Quæ opera poſſit Confeſſarius imponere pœnitentibus [illegible] pœnitentiam ſacramentalem? 591

DISPVTATIO LVII.

De Satisfactione, ſeu pœnitentia à Confeſſario iniuncta, quam pœnitens tenetur acceptare, & exequi; eiuſque commutatione. 591

Sect. I. Vtrùm pœnitens teneatur Satisfactionem, ſeu pœnitentiam ſibi impoſitam acceptare? 592
II. An in aliquo caſu omiſſio pœnitentiæ iniunctæ non ſit culpa grauis, ſed leuis, ſeu venialis? 593
III. An, & quomodo obligetur pœnitens ad circumſtantias operis à Confeſſario iniuncti in Satisfactionem, ſeu pœnitentiam? 596
IV. An ſit neceſſe implere pœnitentiam in ſtatu gratiæ? 597
V. Vtrùm pœnitens debeat per ſeipſum pœnitentiam implere, an verò poſsit per alium? 598
VI. An pœnitens poſsit propria auctoritate commutare pœnitentiam ipſi impoſitam, in aliquid euidenter melius? 600
VII. An idem Confeſſarius poſſit extra Confeſſionem pœnitentiam à ſe impoſitam mutare, vel minuere? 601
VIII. An alius Confeſſarius æqualis poſſit, audita iterum Confeſſione eorundem peccatorum, tollere, minuere, vel moderari pœnitentiam ab alio impoſitam 603
IX. An poſsit Sacerdos inferior pœnitentiam pro peccatis reſeruatis à Superiore impoſitam immutare, vel etiam imminuere? 605
X. An Confeſſarius Superior poſsit mutare, ac diminuere pœnitentiam ab inferiore impoſitam? 606
XI. An ſi pœnitentia fuerit impoſita, vt præſeruatiua à primo Confeſſario, poſſit commutari, vel minui à ſecundo Confeſſario. 607
XII. Vtrùm obligatio implendæ pœnitentiæ à Confeſſario impoſitæ, tolli poſſit ab alio habente poteſtatem concedendi Indulgentias? 608

Digitized by Google

R. P. MARTINVS
PEREZ AB VNANOA,
E SOCIETATE IESV,
DE
POENITENTIA.

PARS PRIMA HVIVS OPERIS; QVÆ EST de Pœnitentia, vt virtus præcisè eſt.

POENITENTIA, *nomen deriuatum à verbo* pœnitere, *quod componitur ex nomine* pœnæ, *& verbo*, teneo, *ſignificat retractationem prioris facti cum pœna, ſeu dolore. Vnde Theologico more, Pœnitentia ſolùm dicitur deteſtatio, ſeu dolor de peccato commiſſo. Cùm autem Pœnitentia ſic à Theologis accepta, ſoleat ab illis ſumi, & ſub ratione Virtutis Pœnitentiæ, & vt eſt pars Sacramenti Pœnitentiæ, & ſub vtraque ratione ab ipſis pertractetur; Nos quoque de illa vtroque modo exactè dicemus. Prius verò ordine doctrinæ ſeruato, qui ab vniuerſalioribus initium ſumit, de Pœnitentia vt Virtus eſt, ex ſe, independens à ratione Sacramenti, in hac prima huius Operis parte agemus. Tum quia hoc pacto ſe habet ſicut ſuperior ratio, cùm poſſit reperiri Virtus Pœnitētiæ ſine Sacramento. Tum maximè quia ſine Virtutis notitia non poteſt rectè percipi illius Sacramenti doctrina: nam actus huius Virtutis, partes ſunt Sacramenti Pœnitentiæ.*

DISPVTATIO PRIMA.
De obiecto materiali Virtutis Pœnitentiæ.

NATVRA Virtutis, ſeu habitus Pœnitentiæ non poteſt exactè explicari, ſicut nec cuiuſlibet alterius virtutis, ſine ſufficienti declaratione obiecti, tam materialis, quàm formalis. Materiale obiectum dicitur id quod amamus, vel odio habemus: nam quælibet voluntatis virtus primariò inclinat in amorem boni, & ſecundariò in odium, vel fugam mali oppoſiti. Formale obiectum appellatur motiuum, quo impellimur ad amorem, vel odium. De obiecto

Digitized by Google

formali Pœnitentiæ agunt priùs nonnulli, quia ab illo Pœnitentia ſpeciem accipit, & ab aliis virtutibus diſtinguitur. Nos à materiali obiecto ordimur; quia ſicut ordine naturæ in compoſito phyſico materia eſt omnium prima quæ declaratur, quia ipſam forma ſupponit, illiuſque potentialitatem, ſeu indifferentiam ad certam ſpeciem determinat; ita prima debet eſſe obiecti materialis explanatio, cuius indifferentiam ſupponit obiectum formale, ac determinans.

SECTIO PRIMA.

Quodnam ſit obiectum materiale amoris, ſeu proſecutionis virtutis Pœnitentiæ.

1 PRæmitto *primò* principium illud communiter receptum, & omnibus virtutibus conueniens; virtutem omnem, quæ odio habet aliquod malum, primariò, ac præcipuè proſequi ac diligere contrarium bonum. Ratio eſt, quia malum cùm ſit priuatio boni, non habetur odio niſi ratione boni; ergo omnis virtus quæ odit aliquod malum, ideò eſt, quia primariò, ac præcipuè inclinat in aliquod bonum: nam omnis facultas, inclinatio, & actio priùs ac principaliùs ordinatur ad terminum ad quem, quàm ad receſſum à termino à quo: in virtutibus autem, malum ſe habet vt terminus à quo voluntas recedit, ſeu ſeparatur; bonum verò vt terminus ad quem tendit. Id idem dicendum eſt de virtute Pœnitentiæ.

2 Præmitto *ſecundò*, virtutem Pœnitentiæ ſecundùm ſuam integram, & adæquatam rationem, non ſecus ac quamlibet aliam voluntatis virtutem, habere duo genera actuum; vnum amoris, ſeu proſecutionis; & alterum odij, fugæ, ac deteſtationis; quorum primum verſatur circa bonum, & ſecũdum circa malum oppoſitum. Circa bonum ſunt amor ſimplex, ſeu complacentiæ inefficax, deſiderium, intentio, electio mediorum & gaudium. Circa malum verò ſunt è contra, diſplicentia ſimplex, odium efficax, deteſtatio, dolor, propoſitum vitandi illud, &c. Cùm autem bonum quod formaliter intendit virtus Pœnitentię, ſit, ius diuinum ſeruare illęſum; conſequens eſt, vt in eo iuris diuini illęſi bono poſſit complacere, poſſit illud efficaciter amare, deſiderare, intendere, media ad illud eligere, & de eius poſſeſſione gaudere. Item de peccatis quę ius diuinum lędunt, poteſt diſplicere, poteſt efficaciter illa odio habere, deteſtari, de illis dolere, ac efficaciter proponere circa ea de cętero fugienda: Hi omnes ſunt actus eliciti virtutis Pœnitentiæ. Quod adeo certum eſt, vt nulla indigeat probatione, cum exemplo aliarum virtutum manifeſtè conſtare videatur.

3 Præmitto *tertiò*, in virtute Pœnitentiæ conſequenter duplex diſtingui debere obiectum; materiale, videlicet obiectum amoris, & proſecutionis, nempe bonum quod ipſa amat, & proſequitur; & obiectum odij, ac fugæ, id eſt malum quod odio habet, fugit, ac deteſtatur. Vtrumque obiectum eſt in diſcurſu huius diſputationis explicandum. Primum verò, quod principalius eſt in hac, & ſequenti ſectione.

4 Dico itaque *primò*, obiectum materiale proſecutionis ſeu amoris in vitute Pœnitentię, eſſe bonum omne vtile ad ius diuinum conſeruandum, vel poſitiuè reparandum. Probatur, quia obiectum materiale proſecutionis cuiuſuis virtutis eſt omnis illa res ad quam ipſa intendit, ſeu in qua ipſa verſatur; ſed virtus Pœnitẽtiæ per actus amoris, & proſecutionis verſatur ſẽper, ac tẽdit in bonum, quod eſt vtile, & conueniens ad cõſeruandũ ius diuinũ integrum, ac illæſum; vel ad illud, ſi fuerit læſum, reparandum: ergo iſtud eſt obiectum materiale proſecutionis virtutis Pœnitentiæ. Quare ſicut iuſtitię humanæ, quæ eſt inter homines, obiectum proſecutionis, eſt id quod iuſtum eſt, ſine vlla iuris alterius læſione, ac perturbatione; ſic virtus Pœnitentiæ, quæ vt ſuo loco dicemus eſt iuſtitia erga Deum, habet pro obiecto proſecutionis id quod æquum, & iuſtum eſt erga ipſum Deum.

Dico *ſecundò*, actus aliarum virtutum cadere poſſe ſub obiectum materiale proſecutionis virtutis Pœnitentiæ. Patet, quia ea omnia cadere poſſunt ſub dicto obiecto materiali virtutis Pœnitẽtiæ, quæ videntur bona, & vtilia ad ius diuinum integrum, vel illæſum ſeruandum, vel ad illud, ſi fuerit læſum, reparandum; ſed ad hunc finem valde ſunt conuenientes, ac vtiles omnes actus aliarum virtutum: Quis enim neget contritionem perfectam, quæ eſt actus ſupernaturalis elicitus à virtute charitatis Theologicę, & attritionem, quę eſt dolor ex deſiderio ſalutis æternæ, & alios ſimiles actus ſupernaturales, poſſe deſeruire ad hunc finem? Nam, vt eſt certum, ſi virtus Pœnitentiæ eos velit imperare, vt poteſt, cadent ſub obiecto proſecutionis materiali ipſius. Imò poteſt virtus Pœnitentię ſuos proprios actus non ſolùm elicere, ſed imperare: quia cùm actus ipſius virtutis Pœnitentiæ, quibus ex proprio motiuo ipſa deteſtatur peccata, vt ſunt offenſa, & iniuria Dei; vtiles etiam ſint ad reparandum ac reſarciendum ius diuinum; poteſt bene illos ex eodem ſuo proprio, & formali motiuo velle, & imperare per alium actum reflexum: ſicut dicunt Logici de habitu Logicæ, non ſolùm dirigere actus aliarum ſcientiarum, ſed etiam proprios actus, per alios actus ipſius Logicæ reflexos. 5

Obiicies, hinc ſequi poſſe, virtutem Pœnitentiæ imperare quoque actus bonos alienos, vt ieiunia, & preces aliorum hominum in ordine ad ſuum finem; atque adeò non ſolùm actus proprios ipſius pœnitentis, ſed etiam aliorum, qui etiam ſunt vtiles ad prædictum finem, eſſe obiectum proſecutionis materiale, virtutis Pœnitentiæ. *Reſpondeo*, concedendo totum; quia poteſt virtus Pœnitentiæ eligere, & imperare actus alienos circa ſuum finem. Quia cùm intendat ius diuinum, quod fuit læſum per peccatum, habere reſarcitum, ac reparatum; & ad id poſſint deſeruire ieiunia, preces, & alia opera ſatisfactoria aliorum, ſaltem de congruo, non eſt cur non poſſit ea eligere. Quod etiam concedunt Doctores iuſtitiæ humanę, quę eſt inter homines; nam hęc cùm intendat non retinere alienum inuito Domino; & ad hunc finem deſeruiat non minus condonatio creditoris quàm propria reſtitutio; non videtur negandum, quin ex motiuo iuſtitię poſſit debitor petere à creditore debiti condonationem, vt medium vtile ad tollendam illam inęqualitatem. Idem igitur dandum eſt virtuti Pœnitentię, quę eſt iuſtitia hominis ad Deum; cùm formaliter intendat diuinum ius per peccatum læſum reſarcire, ac reparare; poſſe ſcilicet velle ſatisfactionem quoque alienam, & aliorum preces, ac ieiunia ad eundem finem; quia hęc omnia ſunt media vtilia ad illum obtinendum. 6

SECTIO

SECTIO II.

An, & quo pacto Deus poſſit eſſe obiectum materiale proſecutionis virtutis Pœnitentiæ.

1 DIco *primò*, negari non poſſe virtutem Pœnitentiæ aliquo modo comprehendere Deũ ſub obiecto ſuo materiali proſecutionis. Patet, quia omne illud circa quod virtus verſatur, & ad quod tendit, pertinet aliquo modo ad obiectũ eius: At virtus Pœnitẽtiæ verſatur aliquo modo circa Deum; eſt enim iuſtitia ad alterum, & nõ niſi ad Deum; eiúſque munus eſt ſeruare ius diuinum integrũ, & illæſũ, ac prout poteſt reſarcire illud, ſi fuerit læſũ, & quãtũ eſt ex ſe reddere ius ſuum Deo: Igitur pertinet Deus aliquo modo ad obiectum materiale proſecutionis huius virtutis. Firmo idem ex diuiſione vulgari ab omnibus recepta virtutis moralis, in eam quæ ordinatur primariò ad moderandas animi paſſiones, & in eam quæ perficit operationes circa alterũ: quã tradit D. Thomas *1. 2. q. 60. art. 2.* Quæ diuiſio ſumpta eſt ex propriis obiectis, ſeu materiis, circa quas variæ virtutes verſãtur. Nam quarundam principale munus eſt paſſiones reprimere, & ideò ipſæ paſſiones dicuntur materia, ſeu obiectum illarũ; aliæ verò virtutes pro fine proximo habẽt rectè ſe gerere, & operari conuenienter circa alios; & ſub hac materia includũt perſonã illã circa quã operãtur, quia illã reſpiciũt vt terminum habitudinis ſuæ. Ex his autem, virtus Pœnitentiæ eſſentialiter eſt ad alterum, videlicet Deum. Quarè ſicut iuſtitia humana ſub ſuo obiecto comprehendit proximũ, ad quem ordinatur, & in vniuerſum, quidquid eſt ad alterũ, illũ reſpicit vt finẽ, vel terminũ; ita virtus Pœnitẽtiæ quæ eſt iuſtitia erga Deum, ſub obiecto ſuo illum neceſſariò complectitur.

2 Dico *ſecundò*, Deũ nõ eſſe immediatũ obiectũ, & directũ virtutis Pœnitentiæ. Ita omnes. Ratio eſt, quia illud dicitur eſſe immediatũ obiectũ alicuius virtutis, quod directè & immediatè attingitur per internum actum ab ipſa immediatè elicitũ: ſic ſe habet Deus in charitate Theologica ad actum, quo ſuper omnia diligitur; nã talis amor à charitate elicitus immediatè, & directè circa Deũ verſatur. At certũ eſt virtutẽ Pœnitẽtiæ nullũ habere actum quo circa Deũ immediatè verſetur: nã eius actus internus nũquã ita Deũ attingit, quin mediet aliqua actio, qua ius diuinũ cõſeruatur, vel reparatur. Sicut iuſtitia humana nũquã ita immediatè attingit proximũ, quin mediet actio aliqua, qua ius humanum conſeruatur, vel reparatur. Idẽ eſt in virtute Religionis, cuius actus internus nũquã ita Deum attingit, quin mediet aliqua alia actio hominis, qua Deo cultum, ſeu reuerentiam exhibeat.

3 Dico *tertiò*, Deum eſſe obiectum materiale virtutis Pœnitentiæ, ſed indirectum. Probatur, quia virtus Pœnitentiæ ex vi eiuſdẽ affectus, qui ab illa manat, quo verſatur circa aliquã operationẽ, attingit quoq; Deũ; quia non ſiſtit in illa operatione, ſed per illam tranſit in Deũ: Hoc declarant eiuſmodi locutiones, *Volo ſatisfacere Deo; Volo ſeruare ius diuinũ integrũ, & illæſũ: Volo reſarcire ius diuinũ*, & aliæ ſimiles: Igitur hoc pacto rectè dicitur Deus ſub obiecto materiali virtutis Pœnitentiæ cõtineri, indirecto tamen: ad eum modum quo in cognitione relationis; ſub obiectũ talis cognitionis nõ ſolũ cadit relatio, ſed etiã terminus eius; diuerſo tamẽ modo: nã relatio immediatè, & directè; at terminus media relatione, ac quaſi indirectè ſub talem cognitionẽ cadit, & ideò comparatione relationis nequit eſſe obiectum ita propinquum, ac immediatum; tamẽ quatenus illa cognitio non terminatur in relationẽ niſi in ordine ad terminum, verè terminus ipſe cõtinetur ſub obiecto illius cognitionis, quamuis indirecto.

4 Dico *vltimò*, non incõgruè dici cõmuniter à Doctoribus Deũ eſſe virtutis Pœnitẽtiæ obiectũ *Cui*. Probatur, quia hoc loquẽdi modo clariùs exprimitur, ac declaratur in virtute Pœnitẽtiæ obiectũ *quod*, & *Cui*. Appellatur enim obiectũ *quod*, illud quod omnino directè, ac immediatè per internũ actũ virtutis attingitur: vt ſe habet Deus ad actũ charitatis quo amatur, & moderata comeſtio ad actũ tẽperãtiæ, qui circa illam immediatè verſatur. Obiectũ autẽ *Cui*, dicitur eſſe illud quod ſolùm mediante alia actione attingitur, quamuis cum illa coniunctum ſit: ſic ſe habet perſona quã honoramus reſpectu volũtatis honorãdi illã. Hoc pacto, in virtute Religionis, obiectum illius proximum, & immediatum, dicimus eſſe cultum Dei, id enim eſt quod proximè, immediatè, ac directè intendit Religio; remotũ verò, & obliquũ, ſeu indirectũ eſſe Deum. Simili modo, dicendum eſt in virtute Pœnitentiæ. Vnde infero meritò ſolere vocari ab aliquibus Theologis, Obiectũ *Cui* tam virtutis Pœnitentiæ, quam Religionis, finẽ Pœnitẽtiæ, ac Religionis: eſt enim Deus finis vtriuſque virtutis non quidẽ finis extrinſecus, ac remotus, & quaſi per accidens, quo pacto Deus eſt finis virtutũ omniũ, cũ ad illũ referri poſſint; ſed finis eſt proximus, per ſe, & intrinſecè; & ideò hic finis nõ eſt omninò extra rationẽ obiecti materialis, ſed indirectè includitur in illo, modo explicato.

SECTIO III.

An obiectum materiale virtutis Pœnitentiæ per actum odij, vel fugæ ſit omne peccatum mortale proprium.

CErta eſt omnium doctrina, obiectũ materiale, quod cõſequenter, & ſecundariò reſpicit habitus, ſeu virtus Pœnitentiæ per actus odij, & fugæ ac deteſtationis; 1 eſſe omne peccatum mortale proprium. Patet, quia Pœnitentiæ habitus poteſt odio habere, ac deteſtari quodlibet peccatum mortale propria voluntate, ac libertate cõmiſſũ, ex proprio motiuo formali, vt liquet; ergo illud erit obiectum materiale eius. Firmatur, nam peccatum mortale liberè ac voluntariè commiſſum, eſt malum Dei, prout eſt offenſio, & iniuria Dei, infinitè diſplicens illi: eſt quoque malum noſtrum, prout nos priuat omni gratia, & amicitia Dei, ac nos ligat reatu pœnæ æternæ: ergo eſt infinitè dignum vt per virtutem Pœnitentiæ odio habeatur, ac retractetur: ergo erit obiectum illius materiale per actum odij, & deteſtationis. Cùm autem odium ac deteſtatio tanti mali procedat ex amore boni oppoſiti, quod primariò, & per ſe reſpicitur ab habitu, ſeu virtute Pœnitentiæ; peccatum ipſum quod tam graue malum eſt, nõ erit obiectum materiale primarium, ſed ſecundarium.

Difficultas verò eſſe poteſt de peccato mortali cõmiſ- 2 ſo cum ignorantia inuincibili, quòd ſit grauis offenſa, & iniuria Dei, an poſſit tũc illud peccatũ eſſe obiectũ materiale odij fugæ, ac deteſtationis ipſius virtutis Pœnitẽtiæ.

Ratio dubij eſſe poteſt non modica, quia poteſt committi peccatũ mortale, quod licèt ſit cõtra rectã rationẽ, nõ ſit tamẽ offenſa & iniuria Dei formaliter: ergo de illo non poſſet virtus Pœnitentiæ dolere ex ſuo proprio motiuo formali, atq; adeo non eſſet obiectum materiale odij ſeu deteſtationis Pœnitẽtiæ, quæ nõ deteſtatur, nec dolet de peccato, niſi prout eſt offẽſa & iniuria Dei. Antecedẽs illud probatur, quia poteſt ſeparari ratio offenſæ & iniuriæ contra Deum, à peccato mortali: Nã ſi quis cõmitteret furtum graue, animaduertens eſſe in damnum proximi, & contra dictamẽ rectæ rationis, ignorans tamen inuincibiliter eſſe iniuriam Dei, adhuc peccaret mortaliter.

Ad hanc difficultatem reſpondet noſter Cardinalis Lugo *diſp. 3. de Pœnitentia, ſect. 1. n. 7.* etiamſi admitta- 3 tur antecedens, negandam eſſe conſequentiam; Quia ſi illud reuera eſt peccatũ, Deus vtiq; offẽderetur; licèt ego inuincibiliter ignorarẽ illum offẽdi. Dat rationẽ, quia ad hoc vt Deus offendatur ex meo facto, ſufficit inueniri in me

me aliquam malitiam, ratione cuius rationabiliter indignetur contra me:ad hoc autem nó eſt neceſſarium quod ego ſciam Deum offendi illo peccato;ergo ſi detur in me aliqua malitia ſine cognitione quòd ſit Dei offenſa, id ſufficiet, vt Deus etiam indignetur contra me,& per cóſequens vt offendatur ex mea malitia: Sicut pater etiam in humanis iuſtè indignatur ex filij crimine, licèt filius non attenderet ad offenſionem patris, quę inde poſſet ſubſequi;& ideò poteſt filius poſtea dolere de illo crimine, quia patrem offendit. Vnde concludit ſimiliter poſſe pœnitentiam dolere de omni peccato, quatenus offenſio fuit Dei, licèt patratum fuerit ſine cognitione ad diuinam indignationem inde orituram &c.

4 In hac re, Dico *primò*, ſéper mihi videri omnino impoſſibile, vt nos cognoſcamus rationé formalé peccati mortalis, prout diſſoná naturæ rationali, vt rationalis eſt, quin etiam cognoſcamus ſaltem implicitè eſſe cótra volútaté Dei,& per cóſequens eſſe eius offéſá, ac iniuriam, vt dixi in opere *de Incarnatione diſp.4.ſect.4.n.14*. Quia ſi quis peccatú clarè cognoſcat eſſe contra rectá rationé, ſeu cótra naturá rationalé, vt rationalis eſt, vel prout eſt diſcóueniés naturę intellectuali hominis vt ſic; videtur cognoſcere ſaltem implicitè, eſſe diſſentaneum diuino eſſe, cùm natura noſtra intellectualis ſit ens participatum diuini eſſe ſeu diuinæ intellectionis: ergo cognoſcit peccatum diſplicere Deo, & eſſe ipſi valde exoſú: quod enim diſſentaneú eſt diuino eſſe, ſeu diuinę intellectioni, neceſſariò diſplicet Deo, & abhorret ipſe Deus, & cognoſcitur vt Deo exoſú; ergo ſic peccás cognoſcit ſaltem implicitè ſuum peccatú diſplicere Deo, ac eius diſconuenientiam, & oppoſitioné cum Deo, ac per conſequens eſſe eius offenſam, & iniuriam. Nequit autem cum ſcientia etiam implicita alicuius rei dari ſimul omnimoda ignorantia inuincibilis eiuſdem rei. Vnde neceſſe eſt, vt qui ſic cognoſcit peccatum, nequeat habere ignorantiam inuincibilem, quòd ſit contra Deum, & quòd ſit offenſa, & iniuria Dei.

5 Dico *ſecundò*, data hac hypotheſi meo iudicio impoſſibili, vt aliquis committés homicidiú, verbi cauſa, peccet mortaliter, quia cognoſcit eſſe cótra rectá rationé, ignorás tamé ignorátia inuincibili quòd ſit vllo pacto cótra Deum; data prædicta hypotheſi, non poſſe illum peccatoré durante eiuſmodi ignorantia inuincibili dolere de illo peccato per virtutem pœnitentiæ; prout eſt offenſa, & grauis iniuria Dei. Ratio quę me mouet hęc eſt; ná in eo euentu, admiſſa prædicta ignorátia inuincibili, nullo modo Deus per tale peccatum fuiſſet offenſus, neque illi fuiſſet irrogata iniuria vlla, quia nullo modo fuiſſet volita tunc talis malitia peccati ſub ratione iniurię, & offéſæ diuinę, nec formaliter, nec virtute, cum nullo modo fuiſſet vt ſic pręcognita, & abſq; vlla culpa talis ignorantiæ, vt ſupponitur; & nihil ſit volitú, quin præcognitú. Igitur in eo caſu non eſt poſſibilis dolor, ac deteſtatio prędicti peccati per virtuté Pœnitétię: patet cóſequétia, quia hęc nullo modo verſatur circa peccatú, niſi prout eſt iniuria cótra Deú, ſeu contra diuinú ius. Quarè túc, tametſi dictaret ratio, vt qui ſic peccaret, verè doleret, ac retractaret prauú illud opus homicidij, tanquá rectę rationi oppoſitú; non tamé prout offenſá Deo iniurioſam, quam in prędicto peccato exiſtere omninò inuincibiliter ignorat.

6 Ad doctrinam Cardinalis Lugo, dicendú eſt, Deú non offendi illo peccato, tanquam iniurioſo ipſi; ná cum tali ignorantia inuincibili iniuriæ Deo illatæ nequit concipi peccatum vllo modo voluntarium, prout eſt contra diuinum ius; cum in eo caſu nec lædi illud, ſeu violari per tale peccatum concipi queat. Adhoc autem vt Deus offendatur, & iniuriam patiatur ex illo prauo homicidij opere, nó ſatis eſt eſſe in illo malitiam contra rationem rectá; ſed neceſſe eſt, vt ſit formaliter, vel ſaltem virtute malitia aliqua in ratione offenſæ, ſeu iniuriæ commiſſæ contra ipſum Deum, vel ius ipſius diuinum: At eiuſmodi nó datur in eo caſu, vt oſtenſum eſt. Neq; eſt eadé ratio de defectu attentionis, ac de ignorantia inuincibili: quia negari non poteſt dari poſſe in homine peccante malitiam offenſæ, ac iniuriæ Dei, ſine expreſſa attentione ad Dei offenſam, & iniuriam, adeo vt ex tali malitia maneat Deus offenſus, & iuſtè indignatus ob tale crimen; nam ad id ſufficit attentio virtualis, ſeu implicita, quæ ibi reperitur. Vnde hac de cauſa meritò pater in humanis, ac iuſtè indignatur contra factum filij exoſum ipſi, licèt filius non attenderit expreſſe ad offenſionem Patris ibi imbibitam: præſertim cùm pater ſimul præſumeret de crimine filij fuiſſe ab illo patratú, nulla habita ratione de honore, obedientia, ac reuerétia ipſi debita. At ignorantia inuincibilis alicuius rei omné excludit ſcientiá, nó ſolùm actualé, ſed etiá implicitam; quia vt eſt manifeſtú, cú tali ignorátia nequit dari ſciétia etiam implicita eiuſdem rei: vnde cum tali ignorantia nequit dari voluntaria offenſa, & iniuria Dei etiam virtualis, nec interpretatiua, & in cauſa; atque ideò nec peccatum vllo modo prout eſt Deo iniurioſum, ac offenſiuum.

SECTIO IV.

An peccata venialia ſint obiectum materiale virtutis Pœnitentiæ per actus odij, fugæ, ac deteſtationis.

Videtur pars negatiua amplectenda: Tum quia Pœnitétiæ virtus tendit formaliter actu proſecutionis in bonum compenſationis, non cuiuſcumq; ſed inæqualis; vt ſic diſtinguatur à iuſtitia propriè, ac rigoroſè ſumpta: ergo nequit Pœnitentia velle compéſationé pro culpa veniali; hęc enim poteſt eſſe omnino æqualis: Nam, vt oſtédi in opere *de Incarnatione diſp.5.ſect.8*. purus homo ſanctus poteſt pro veniali culpa condignè, & de perfecta iuſtitia ſatisfacere; quia poteſt iuſtus exhibere Deo obſequium, quod in valore, & morali æſtimatione adæquetur offenſę, ac iniuriæ venialis peccati, vel illam ſuperet, cùm ſit leuiſſima iniuria. Tum maximè, quia veniale peccatú non eſt vera offenſio Dei: ergo nequit virtus Pœnitentię per actus odij vel deteſtationis deteſtari illud. 1

Dico *primò*, peccatum veniale eſſe verè & propriè iniuriam, & offenſam Dei, tametſi leuem. Ita communiter Doctores. Ac primú, quod ſit iniuria, & offenſa Dei, liquet ex eo, quia culpa venialis verè diſplicet Deo, cùm ſit contra rectam rationem, quæ eſt vera Dei participatio; pugnat quoq; cum volútate, ac lege Dei propter diſſonátiá, quá in propria ſpecie habet. Quis enim neget médacium etiá leue opponi virtuti veracitatis; & Deo, qui eſt ſumma Veritas, non poſſe nó diſplicere? Præterea impedit feruoré charitatis; neque ordinatur, neq; ordinari poteſt in Deum, vt in vltimú finem, cum tamen debitú ſit Deo, vt omnia referantur in ipſú: eſt item culpa, quæ meretur de condigno pœnam Purgatorij acerbiſſimam, excedentem pœnas omnes, quas leges humanæ condignè taxant pro offenſis humanis; vnde eſt fugienda, & vitanda ſuper omnia mala pœnarum præſentis vitæ, ac ſupra iacturam cuiuſuis boni temporalis: eſt denique culpa quæ retardat viſionem Dei beatificam; nam per illam impeditur, ne quis vitam ęternam conſequatur, quandiu remiſſa ei non ſit. Igitur eſt verè, & propriè iniuria, ac Dei offenſa. Secundum eſt certum, quia peccatum veniale non ſoluit amicitiam cum Deo, nec illi ſimpliciter obedientiam negat: ergo eſt leuis offenſa, licèt illi diſpliceat. Quarè ſicut Princeps, vel Rex dupliciter lædi, vel offendi poteſt: *Primò* ſecundum propriam dignitatem regiam, itaut ea omnino tollatur, vel re ipſa, vel quantum eſt ex natura actionis, ſeu læſionis, quo pacto dici ſolet Regem lædi, ac offendi criminibus læſæ 2

maieſta

maieſtatis. *Secundò*, lædi poteſt non contra dignitatem, vel ius regium auferendo illud, ſed leniter Regem inhonorando aliqua locutione, vel facto leuiter, ita pariter contingit in diuinis offenſis, ac iniuriis, quarum *quædam* nempe mortales, tametſi Deũ deſtruere nequeãt, re ipſa, tollunt tamen ab illo rationem vltimi finis, & ab illo abſolutè auertunt, & illi directè, & adęquatè opponuntur, eius amicitiã diſſoluentes; & ideò ſũt, ac dicuntur offẽſę, & iniuriæ graues. *Aliæ* verò, nẽpe veniales, quæ ſic Deũ non lædunt, nec ſoluunt amicitiã cum Deo, nec ſunt propriè contra Deum, vt vltimum finem, nec auertunt ab illo, ſed retardant; nec ſunt contra charitatem, ſed contra charitatis feruorem: ſunt denique offenſæ, quæ moraliter, inſpecta humana fragilitate, vix poſſunt vitari; vnde ſecũdum prudentem ęſtimationem moralem non ſunt magni ponderis, aut momenti, propter quod peccatis venialibus per ſe loquendo ſolum temporalis pœna debetur; neque ſunt tanti ęſtimanda, vt debuerint homines terreri ab eis per ipſam pœnam ęternam; ſunt igitur offenſę, ac iniurię leues.

3 Dico *ſecundò*, peccatum veniale eſſe materiam proximam, ſeu obiectum materiale circa quod verſatur virtus Pœnitentię per actus odij, fugæ, ac deteſtationis Ita omnes Theologi, & Sancti Patres, qui de Pœnitentia sẽper tanquam de vna Virtute loquũtur, quæ ad omnia peccata tã mortalia, quam venialia ſe extẽdit, illa omnia execrãdo. Ratio eſt, quia peccatum veniale, licèt nõ ſit grauis offẽſio Dei, ſicut eſt mortale, re tamen vera eſt offenſa, reddens Deũ offenſũ, ac rationabiliter indignatum, licèt leui offenſione, & indignatione: ergo eſt obiectũ Pœnitentię quod debet odio habere, vitare, & fugere, ſeu deteſtari ac de illo dolere, vt Deo iniurioſo Firmatur, nam aliæ virtutes odio habent ac deteſtantur obiectũ contrariũ, etiam in materia leui: ſic enim Iuſtitia odio habet ac deteſtatur furtum etiam leue; Temperantia, gulã etiã leuẽ, Religio, ſuperſtitionem quãlibet tametſi leuiſſimam; Charitas itẽ dolet de omni culpa veniali, prout impedit feruorẽ ſpiritus ipſius: Denique omnis alia virtus, quæ honeſtè odit, ac deteſtatur factum, vel opus contrariũ bono, quod reſpicit iuxta ſuum ſpeciale motiuum, extenditur ad venialia peccata; ergo & virtus Pœnitentiæ fugit, ac deteſtatur quamlibet culpam etiam leuiſſimam, prout eſt offenſa, & iniuria Dei: ergo proximè verſatur circa illam.

4 Dices, virtutem Pœnitentiæ proximè non verſari circa veniale peccatum, ſed circa illius deſtructionem, quam intendit. *Sed contra eſt*; quia hoc idem potiori iure dici poteſt de peccato mortali. Quis autem neget Pœnitẽtiã immediatè non elicere actus odij, diſplicentię, ac triſtitię de peccato mortali? Idem ergo dici debet de veniali. Vt enim aliquod obiectum dicatur eſſe proxima materia alicuius virtutis, ſatis eſt, quòd per aliquem actum ſuum circa illud immediatè verſetur: Similiter etiam reſpectu intentionis ipſius Pœnitentiæ, quodlibet peccatum, vt deſtruendum, eſt proximum obiectum, & immediatũ prædicti actus; ſicut è conuerſo, bonum vt obtinendũ eſt proximum, & immediatum obiectum intentionis, ſeu illius deſiderij: non enim ibi ſunt propriè duo obiecta; ſed vnũ, cum ordine, & reſpectu ad ſubiectum, cui tale bonum eſt obtinendum; vel à quo malum contrarium eſt expellendum.

5 Ad argumentum oppoſitum *Dico*, non eſſe de ratione Pœnitentiæ, vt quis reparando, vel reſarciendo ius diuinum per peccatum læſum, intendat inæqualitatem in ea compenſatione. Imò cum virtus pœnitentiæ ſit ſpecialis virtus iuſtitiæ erga Deũ, vt infrà *diſp. 4. ſect. 4.* dicemus; neceſſe eſt, vt in reparatione iuris diuini per peccatũ lęſi intendat formaliſſimè ęqualitatem dati, & accepti; id eſt vt in compenſatione iniurię; reddatur tantum in effectu, quantum ablatum fuit, vel ſaltem in affectu. Quapropter ſi vir iuſtus & ſanctus in compenſatione pro veniali culpa, exhibeat Deo tale obſequium, quod in valore ac æſtimatione morali adæquetur offenſæ, ac iniuriæ per veniale peccatum Deo illatæ, ſi id præſtet ex motiuo reſarciendi ius diuinum, aliquo modo, nempe leui, per veniale peccatum læſum, verum, ac proprium eliciet actum virtutis Pœnitentię.

SECTIO V.

An actus materialiter mali ſint per actus odij ac fugæ obiectum materiale virtutis Pœnitentiæ.

VIdetur pars affirmãs amplectenda, nẽpe actus externos materialiter malos, etiãſi nõ ſint cõiuncti interiori actui malo, neq; ab illo procedẽtes, eſſe obiectũ materiale Pœnitentię. Nam ſiquis comederit carnes in die prohibito, & ex ignorantia inuincibili id præſtiterit abſque vlla malitia formali, poteſt nihilominus diſplicentiã habere de tali facto. Simili modo poteſt quis habere nocturnam pollutionem abſque vlla malitia; & de tali paſſione dolere honeſtè per virtutem Pœnitentię. Denique periurium factum ſine attentione ſufficienti ad culpam, quamuis non ſit peccatum formaliter, ſed ſolum materialiter, poteſt eſſe obiectum doloris Pœnitentiæ. Firmatur, nam alię virtutes non ſolum habent odio obiecta oppoſita, quando cum aduertentia admittuntur, ſed omni prorſus modo; vt Iuſtitia, v. g. odio habet nocumentum proximi, quomodocumque fiat: Temperantia odit ebrietatem etiam caſualem, & ſic de aliis, ergo & Pœnitentia. 1

Communis Theologorum ſententia abſolutè docet actus externos malos odio haberi per Pœnitentiam, non ratione ſui, ſed prout coniuncti ſunt cum actu interno malo: quo informantur, & à quo procedunt. Ratio eſt, quia actus internus, & externus malus ſunt vnũ formale peccatum: & cenſetur eſſe vna actio in genere moris: nã vt actus externus pertineat ad genus moris, debet ab interiori pendere, & cum eo connecti, vt ab eo accipiat libertatem, quæ ſaltem eſt fundamentum totius generis moris: Vnde actus externus malus nihil addit malitiæ actui interno malo, ſi cætera ſint paria; ideſt, niſi affectus voluntatis propter ipſum opus externum, cui coniungitur, fiat intenſior, vel magis duret; quia eadem eſt malitia actus interni, & externi; atque ideò cæteris paribus tanta eſt malitia actionis interioris ſine exteriori, quanta cũ exteriori. Igitur actus exterior non eſt deteſtabilis, niſi ratione interioris, & prout coniunctus cum illo; ergo hoc pacto ſub obiecto materiali Pœnitentiæ continetur: Neque enim eſt dolor per Pœnitentiam, quòd poſita voluntate interna ſecutus fuerit neceſſariò actus externus; hoc enim pręcise non eſt Deo iniurioſum; ſed dolet, quòd poſitus fuerit ille actus depẽdenter à volũtate interna mala, quę ius diuinũ læſit; Igitur ratione illius, odio habetur actus externus per virtutem Pœnitentiæ. 2

Dico *primò*, actus externos malos, provt coniunctos cũ internis malis, & non alio modo, eſſe immediatè, ac directè obiectum materiale virtutis Pœnitentiæ per actus odij, ac fugæ. In hoc ſenſu intelligenda eſt communis sẽtentia, & firmat ratio, ac doctrina tradita, ac roboratur ampliùs exemplo aliarum virtutum: nam Charitas proximi reſpicit corpus directè ac immediatè, tanquam obiectum materiale, quia cum anima conſtituit proximum, nempè hominem. Idem claret in virtute Religionis; nam imago, quia in ratione expreſſionis, ſeu repræſentationis Prototypi, conſtituit vnum quid moraliter cum illo, cenſetur eſſe immediatè, ac directè obiectum materiale Latriæ, vel Duliæ. Idem igitur dicendum eſt de Pœnitentia, cui valdè diſplicet actus exterior, vt moraliter informatus 3

Digitized by Google

per actũ internũ malũ; vndè iſte eſt immediatè, ac directè vera materia illius. Quo pacto etiã poteſt, ac debet eſſe materia ſacramẽti Pœnitẽtiæ. Dixi, actũ externum, provt coniunctum cum interno malo, & non alio modo eſſe immediatè obiectum materiale Pœnitentiæ ad denotandum diſcrimen inter vtrumque actum: nam actus interior malus, cùm ſit per ſe, & ratione ſui, ac ſinè informatione alterius actus, actus omnino liber, & humanus, poteſt per ſe eſſe integrè materia Pœnitentiæ. At exterior actus, cùm ſolùm ſit liber, & humanus, vt actui interno malo coniunctus, nequit alio modo eſſe deteſtabilis immediatè, niſi provt illi coniunctus; & vt ſic, poteſt eſſe immediatè, ac directè quaſi partialis materia Pœnitentiæ.

4 Vnde infero, eiuſmodi actus externos malos, ſicut non ſunt intrinſecè, ſed extrinſecè mali malitia formali, quatenus denominantur à voluntate mala, à qua procedunt; ita Pœnitentiam illos deteſtari extrinſecè, & denominatiuè: nam doleo quòd poſitus fuerit ille actus externus dependenter à voluntate interna mala, quæ formaliter fuit, & quæ offenſam, ac iniuriam intulit Deo; & ideò ratione illius habentur odio actus externi.

5 Dico *ſecundo*, eiuſmodi actus externos materialiter ſũptos non pertinere immediatè ad obiectũ materiale Pœnitẽtiæ. Sequitur hoc dictum ex præcedenti; & ratio eſt manifeſta, quia ſeclusâ aduertentiâ neceſſariâ ad culpã, non manet ratio offenſæ diuinæ, quam immediatè Pœnitentia deteſtatur; ergo cùm prædicti actus materialiter ſumpti ſint abſque vlla aduertentia; ſunt enim actus primo primi, nequeunt cadere immediatè ſub obiecto prædictæ virtutis; quæ cùm ſolùm habeat odio immediatè offenſam Dei, non poteſt odiſſe actum indeliberatum, quia ille non eſt offenſa Dei. Hoc igitur pacto ſe habet virtus Pœnitentiæ, quæ per actus odij, fugæ, ac deteſtationis ſolum verſatur immediatè circa formalem offenſam, ac iniuriam Dei.

6 Dico *tertiò*, prædictos actus materialiter ſumptos, poſſe remotè, ſeu mediatè eſſe materiam Pœnitentiæ. Hoc probant exempla ſuprà numero primo adducta. Nam illi actus etiam ex inaduertentia facti, generant habitum, & diſponunt, vt faciliùs ſimiles actus poſtea etiam cum aliqua aduertentia fiant, quibus Deus offendatur; ergo ſub hac ratione poſſunt à Pœnitentia odio haberi; non quia formaliter ſint offenſæ Dei, ſed quatenus diſponunt ſaltem remotè ad Dei offenſam.

Hinc patet ſolutio ad argumentum ſuprà adductum numero primo.

7 Ad confirmationem. Cardinalis Lugo ponit diſcrimen inter alias virtutes, & Pœnitentiam, quòd illæ præſcindendo ab aduertentia, vel inaduertentia, habent in obiectis contrariis malitiam formalem, quam odio habeant; vt verbi gratia, Temperantia inuenit in ebrietate, præſcindendo ab aduertentia malitiam indecentiæ cum natura rationali, quàm malitiam odit Temperantia, & ſic de aliis virtutibus. At Pœnitentia eſt virtus quaſi reflexa, quæ odit malitiam, & indecentiam offenſæ diuinæ; offenſa autem nullo modo poteſt præſcindere ab aduertentia; & ideò ſeclusâ aduertentiâ, non reſtat ibi in eo actu malum illud, quod formaliter deteſtetur virtus Pœnitentiæ. Quod firmat exemplo; nam ſi poneretur aliqua virtus, cuius proprium munus eſſet prohibere, ne homo operaretur cõtra conſcientiam; hæc virtus nullum actum poſſet deteſtari, niſi eum qui fieret cum aduertentia; alioquin enim non fuiſſet contra conſcientiam, & per conſequens non caderet ſub obiecto illius virtutis; ſic, inquit, ſe habet Pœnitentia, quæ cùm ſolùm habeat odio offenſam Dei, non poteſt odiſſe actum indeliberatum, quia ille non eſt offenſa Dei. Cæterùm, vt verum fatear, eandem rationem inuenio quoad hoc in virtute Pœnitentiæ, ac in aliis virtutibus: Nam ſi ſumamus actus exteriores materialiter malos; ſumimus illos abſque vlla aduertentia; atque ideò abſtractos ab omni malitia formali, & per conſequens vt ſic, nullam habent malitiam formalem neque offenſæ, ſeu iniuſtitiæ contra diuinum ius, neque vllius indecentiæ contra naturam rationalem; vnde hoc pacto, ſe habent eodem modo reſpectu virtutis Pœnitentiæ, ac reſpectu Temperantiæ, & aliarum virtutum. Si verò prædictorum actuum ſumatur obiectum, provt habet talem malitiam obiectiuam, ſic oppoſitam rectæ rationi, & ipſi Deo, vt ſi voluntas cum deliberatione appetat illam, verè peccabit, ac Deum offendet; hoc pacto ſicut habet illa res indecentiam obiectiuam contra naturam rationalem; ita habet obiectiuam offenſam contra ius diuinum, & contra legem Dei: Vnde ſicut Temperantia honeſto affectu odit illud obiectum ebrietatis indecentis, provt obiici poteſt, & cauſare malitiam formalem, ac moralem intemperantiæ; ita ſimiliter virtus Pœnitentiæ poteſt odio habere eandem ebrietatem, quæ eſt offenſa obiectiua Dei, diſſona, & oppoſita ſuo diuino iuri, provt obiici poteſt voluntati humanæ, & cauſare obiectiuè in illa moralem, ac formalem offenſam, & iniuriam Dei. Nullum igitur in hac re diſcrimen inuenio inter has virtutes; Vnde infero, non ſolùm virtutem Pœnitentiæ, ſed alias quoque virtutes eſſe quodammodo reflexas: nam etiam aliæ virtutes deteſtantur, & odio habent actus formaliter malos, contrarios ſuis actibus bonis, & honeſtis, ad quos inclinant; exemplum verò illud de virtute illa, nobis fauere videtur; quia illa virtus inclinaret quoque hominem ad operandum ſecundum conſcientiam rectam, & honeſtam, & eliceret actus bonos & honeſtos circa prædictum obiectum, & odio haberet obiectum contrarium, & actus formaliter malos tendentes in tale obiectum. Quod totum præſtat Pœnitentia intra ſuum motiuum; & ſicut illa virtus non deteſtaretur directè niſi eum actum, qui fieret cum aduertentia: ita ſimiliter Pœnitentia.

Quare ad argumentum illius Confirmationis, Reſpõdeo, concedendo virtutem Pœnitentiæ, non ſecus, ac Tẽperantiam, & reliquas virtutes odio habere obiecta oppoſita; id enim non negamus, imò nec iure negari poteſt. Solùm ergo dicimus, non pertinere immediatè, & proximè ad obiectum materiale Pœnitentiæ; nam eiuſmodi ſunt peccata formalia, quæ ſunt verè & propriè offenſæ, ac iniuriæ Dei formales. Vnde ſolùm remotè, ac mediatè, & quaſi radicaliter obiecta diſſona quatenus poſſunt obiectiuè cauſare actus formales diſſonos, ac iniuſtos, qui ſint peccata formalia contra ius diuinum, odio habentur à virtute Pœnitentiæ. Quod idem fatendum eſt cum proportione in aliis virtutibus Temperantię, Religionis, ac ſimilium. Præterea admitto quoque poſſe quem honeſtè dolere & triſtari de comeſtione illa carnium ex affectu Temperantiæ; & de pollutione illa nocturna, ex affectu caſtitatis; & etiam ex affectu Pœnitentiæ; non ſecus ac diximus de motibus primò primis malis, poſſe remotè eſſe materiam Pœnitentiæ. 8

SECTIO VI.

An meræ imperfectiones, quæ carent culpa, ſint quoque obiectum materiale virtutis Pœnitentiæ.

SErmo eſt de meris imperfectionibus, provt diſtinguuntur ab omni culpa, & peccato; vt cum quis, verbi gratia, omittit actum perfectiorem, & conſilij, ad quem ſub culpa non tenetur.

Dico *primò*, Virtutem Pœnitentiæ non poſſe prædi- 1
ctas imperfectiones, ſeu omiſſiones deteſtari immediatè,

ac

ac directè. Ita Cardinalis Lugo *diſp. 3. ſect. 1. num. nono.* Probatur; quia vbi nulla eſt culpa, nulla eſt Dei offenſa, ſeu iniuria, nec Dei auerſio, vel indignatio, nec vlla directè correſpondere poteſt pœna; hæc enim eſt correlatiua culpæ; & vbi culpa non eſt, nequit eſſe dignitas pœnæ; ergo cùm in prædictis imperfectionibus nulla ſit culpa; ſic enim ſumuntur, prout nimirùm ab omni peccato diſtinguuntur; nequit virtus Pœnitentiæ deteſtari illas immediatè, & directè tanquam Dei offenſas, ſeu iniurias. Vnde propter eandem rationem, certum eſt has meras imperfectiones non eſſe materiam Sacramenti Pœnitentiæ: nam forma illius Sacramenti eſt abſolutio à ſolis peccatis.

2 Dico *ſecundò*, prædictas meras imperfectiones poſſe indirectè, remotè, ac mediatè eſſe obiectum materiale virtutis Pœnitentiæ per actus odij, ac deteſtationis. Ratio eſt, quia ſunt oppoſitæ quaſi mediatè, & remotè cum diuino iure; ergo ſub ea ratione poſſunt odio haberi à Pœnitentia. Antecedens probatur; quia ſunt tanquam diſpoſitio remota indirectè inducens culpam, & offenſam diuino iuri oppoſitam: nam ob prædictas imperfectiones, ſeu omiſſiones, deobligatur Deus ad ſpecialia beneficia conferenda, nempe ad danda auxilia efficacia, & vberiora, quæ alioquin benignè conferret; ex negatione autem auxilij efficacis conſequitur culpa; ergo illæ imperfectiones diſponunt indirectè ad culpam. Firmo, nam iſtæ imperfectiones ſunt quaſi remouens prohibens: remouent enim auxilia efficacia, quibus prohibetur infallibiliter peccatum, ſeu culpa. Vnde tametſi propter ipſas imperfectiones, Deus non auertatur poſitiuè ab homine, nec conſtituatur poſitiuè iratus, ſicut auertitur, & iraſcitur propter culpam mortalem; nihilominùs tamen auertitur quaſi negatiuè, & manet deobligatus, ac minùs conuerſus ad ipſum, in ordine ad beneficia gratiæ, & in ordine ad auxilia efficacia illi conferenda, cum infallibilitate peccati futuri Vnde eiuſmodi imperfectiones conſtituunt hominem in eo ſtatu, in quo ſe gerens in obſequio Dei, non exactè, & perfectè, ſed imperfectè, ac negligenter ſolet aliquando manere deſtitutus ad vincendas tentationes, & ad præcepta adimplenda, auxiliis gratię non ſufficientibus, ſed efficacibus, quæ benignè Deus concedere dignatur viris perfectis, ſeu ſpiritu feruentibus; & per conſequens in ſtatu infallibiliter peccandi: Igitur penes hanc conſiderationem, poteſt virtus Pœnitentiæ vitare negligentias, ac huiuſmodi imperfectiones; & illas fugere, ac deteſtari indirectè, prout inducunt culpam modo dicto; ac proinde erunt eo modo obiectum materiale virtutis Pœnitentiæ.

3 Hinc colligo *primò*, non poſſe virtutem Pœnitentiæ, circa illas omiſſiones exercere actus proſecutionis, ſeu amoris. Patet, quia nequeunt illæ in ſuo genere eſſe bonæ, & amabiles, cùm ſint in ſe quodammodo odibiles, quia ſunt ſuo modo & malum Dei, quatenus remotè diſponunt modo dicto ad culpam, quæ valdè diſplicet Deo, eſtque illius manifeſta iniuria, & malum quoque noſtrum, quia propter illas deſtituimur vberioribus beneficiis diuinis, & gratiis efficacibus, ſine quibus in peccata labi eſt infallibile.

4 Colligo *ſecundò*, dolorem, ac diſplicentiam de omiſſionibus, poſſe eſſe propriam pœnitentiam, & actum ab illa elicitum, ſi fiat ex motiuo ſpeciali illius; cùm circa illas poſſit virtus Pœnitentiæ exercere varios actus odij, & fugæ, quaſi circa oppoſitas ſaltem mediatè cum diuino iure, quod ipſa Pœnitentia illæſum ſeruare intendit.

5 Colligo *tertiò*, meritò, pœnitentes ex motiuo Pœnitentiæ, ſolere à Deo petere veniam harum imperfectionum, ac negligentiarum, vt habeant Deum benignum, & propitium ad beneficia ſpecialia gratiæ efficacis obtinenda; ſic enim ſub motiuo Pœnitentiæ, ne Deum offendant, eas euitare, & ab illis cauere conantur.

Colligo *vltimò*, iure pœnitentes ex motiuo Pœnitentiæ conari ieiuniis, flagellationibus, & aliis piis operibus Deo ſatisfacere pro imperfectionibus, ac negligentiis, vt nimirùm illis operibus ſatisfactoriis, & obſequiis compenſent, quod per negligentias, & omiſſiones perdiderunt de beneuolentia Dei, & eius ſibi animũ concilient, vt habeant ſibi Deum in eo ſtatu, in quo fuiſſet, ſi non imperfectè, ac negligenter, ſed exactè, & perfectè in eius obſequio ſe geſſiſſent. 6

SECTIO VII.

An peccatum habituale poſsit eſſe materia, ſeu obiectum materiale Pœnitentiæ.

PRocedit quæſtio tam de peccato habituali mortali, quàm etiam de habituali veniali. 1

Circa primum, ſuppono *Primò*, habituale peccatum mortale, nihil aliud eſſe, quàm actuale mortale peccatum, moraliter perſeuerans in ordine ad conſeruandũ hominem rationabiliter exoſum Deo. Conſtat enim poſſe aliquem actum, poſtquam phyſicè tranſiit, manere moraliter: ſic votum quo quis Deo vouit religionem, licet phyſicè tranſierit, imò & eam voluntatem retractet, manet moraliter obligans hominem ad reddendum quod Deo promiſit, non minùs ac ſi nunc actu voueret: voluntas item, quâ quis contrahit matrimonium, licet phyſicè tranſeat, & retractet voluntatem, adhuc moraliter perſeuerat, non minùs quàm ſi actu exiſteret prior illa voluntas: eodem modo habituale peccatum, dicitur actuale peccatum, moraliter perſeuerans in ordine ad reddendum hominem rationabiliter exoſum Deo.

Suppono *ſecundò*, fundamentum huius moralis perſeuerantiæ eſſe, peccaſſe hominem, nec Deum offenſam condonaſſe; ſicut in voto fundamentum ad iudicium prudenter ferendum, nimirùm permanere votum præteritum, non eſſe aliquid phyſicum actuale, ſed eſſe ipſummet actum præteritum non diſpenſatum, vel condonatum. Quare ſtatus peccati, ſeu eſſe in peccato, eſt peccaſſe, & ab ipſo veniam non obtinuiſſe. Vnde eſſe in peccato, dicit quidem relationem ad dictum præteritum, non tamen vt præteritum tantùm, ſed ſimul vt non condonatum, nec remiſſum, Vt notauit benè Suar. *tom. 3. de gratia lib. 7. c. 23. n. 15.* 2

Suppono *tertiò*, ex peccato actuali mortali reſultare Deo ius aduerſus peccatorem, ad condignè habendum odio ipſum, ſeu ad rationabilem & iuſtam ab ipſo auerſionem, & indignationem ratione iniuriæ illatæ ipſi. Cui iuri, quod Deus habet ob peccatum mortale aduerſus hominem, cedit quando illud condonat; Et quamuis inter homines ius, quod habet offenſus ratione iniuriæ, iuſte indignandi contra offenſorem, poſſit tolli, vel per condonationem perſonæ offenſæ, vel per condignam ſatisfactionem ipſius offenſoris, qui tot poteſt præſtare obſequia perſonæ offenſæ, vt quantumcumque ille adhuc maneat in ſua indignatione, non tamen cenſeatur iam apud prudentes rationabiliter indignari: tamen in peccato mortali, & offenſa graui cùm nequeat purus homo condignè ſatisfacere pro illa; ideò ſolùm per Dei condonationem poteſt tolli hoc ius, quod Deus habet aduerſus peccatorem. Vnde quandiu Deus non condonat peccatum mortale, cedendo huic iuri, cenſetur manere moraliter peccatum præteritum, id eſt æquiualenter exiſtere ad fundandum hoc ius Dei, non minus quàm ſi 3

acta exiſteret phyſicè ipſum peccatum mortale actuale, & hoc eſt exiſtere peccatum habituale.

4 His poſitis Dico *primò*, virtutis Pœnitentiæ munus eſſe, odio habere, fugere, ac vitare habituale peccatum quodlibet, ſicut & actuale prout eſt Deo iniurioſum; atque ideò eſſe obiectum materiale illius; ita communiter Doctores. Probatur *primò*, quia ſicut actus, & habitus virtutis conueniunt in eadem honeſtate virtutis; & ideò eodem motiuo operamur actum virtutis, & diligimus ipſam virtutem; ita cum proportione peccatum actuale & habituale conueniunt in eodem genere deformitatis; ergo eiuſdem virtutis Pœnitentiæ erit vtrumque vitare, ac fugere. *Secundò*, peccatum habituale, vt habituale, eſt malum, & facit hominem malum, & reddit illum Deo odibilem; ergo ſicut Deus odit hominem, quia habet habituale peccatum; ita homo poteſt illud odiſſe ex motiuo virtutis Pœnitentiæ, illúdque deteſtari. Tandem, macula habitualis peccati intrinſecè componitur ex peccato actuali præterito, & ex negatione diuinę condonationis; complexum enim ex his duobus eſt, & appellatur habituale peccatum; & quolibet eorum deficiente non datur habituale peccatum; cum hoc ſolo diſcrimine, quod peccatum actuale non requiritur præſens, ſed præteritum, negatio verò diuinæ condonationis requiritur præſens; ergo cùm illud prius ſit malum, & ratione illius homo diſpliceat Deo, poteſt ac debet odio haberi, ac vitari per virtutem Pœnitentiæ.

Ex quo manifeſtè colligitur, peccatum actuale præteritum, quod includitur in habituali, eſſe obiectum retractationis per Pœnitentiam: quia eſt intrinſecè malum, & ex ipſo oritur, ac conſtituitur habitualis culpa, & macula Deo odibilis.

5 Dico *ſecundò*, peccatũ habituale, prout condiſtinguitur ab actuali, nõ poſſe eſſe obiectũ retractationis per Pœnitentiam. Id optimè notauit Cardinalis Lugo *diſputat. 3. ſect. 1. numer. 13.* Patet, quia habituale ſupra actuale præteritum ſolùm addit illam carentiam condonationis diuinæ; hanc autem quis non videat non poſſe hominem retractare, cùm non ſit actio ſua, ſed Dei, & iuſta, ac rationabilis; ſicut non poteſt homo propriè retractare per Pœnitentiam reatum pœnæ ex peccato ortum, tametſi poſſit retractare culpam actualem ex qua ortus fuit ille reatus. Quare in hoc ſenſu non poſſum retractare peccatum habituale, vt habituale eſt, à peccato actuali diſtinctum, quia vt ſic non dicit, niſi prædictæ condonationis Dei, ſeu remiſſionis carentiam.

6 Circa ſecundum de peccato veniali, notandum etiam eſt, peccatum habituale veniale ſimiliter nihil aliud eſſe, quàm peccatum veniale, præteritum, moraliter perſeuerans, donec à Deo remittatur, vel condonetur. Quamuis enim probabile ſit, poſſe hominem iuſtum ſatisfacere condignè pro veniali culpa; de facto tamen, regulariter loquendo, non tollitur habituale peccatum veniale, ſine gratuita Dei condonatione, ac remiſſione, tametſi antecedat aliqua ſatisfactio noſtra, ſaltem de congruo; non enim Deus expectat iuſti condignam ſatisfactionem poſſibilem, ſed poſitâ congruâ per Pœnitentiam, condonat venialem offenſam. Vnde D. Ambroſius loquens de omnibus peccatis, etiam de venialibus, *lib. 1. de pœnitentia c. 4* egregiè dixit: *Expectat Deus lachrymas, vt profundat ipſe pietatem ſuam.*

7 Hoc præmiſſo, Dico, in omnibus cum proportione ſentiendum eſſe de peccato veniali habituali, ſicut de mortali habituali. Ratio eſt, quia cùm peccatum veniale ſit etiam ſuo modo offenſa Dei, licet leuis; & ſuo modo pariat ius, & titulum Deo, non vt ab homine auertatur per inimicitiam, ſed ſaltem per indignationem leuem; & hic titulus extinguatur per Dei remiſſionem, ac condonationem, ſequitur vt ſit idem ſentiendum de illo, ac de mortali habituali.

Vnde colligo, poſſe hominem per pœnitentiam dolere de peccato habituali tam mortali, quàm veniali, & intendere illius ablationem, ac conari ad ſatisfaciendum pro vtroque.

Obicies, veniale habituale, vt habituale, dicit negationem ſatisfactionis, quam poſſem exhibere; ergo il- 8
lud, vt habituale poſſum retractare: *Reſpondeo*, veniale vt habituale præcipuè dicere carentiam condonationis Dei, quæ etiam ſine ſatisfactione ſufficit. Præterea, cùm non ſit ſemper ſaltem obligatio ſatisfaciendi de condigno; carentia ſatisfactionis, etiamſi ſit libera, poteſt non eſſe culpabilis, ac proinde non eſt retractabilis per Pœnitentiam eo modo, quo retractari poſſunt peccata. Vt notauit Cardinalis Lugo *ad finem ſectionis primæ, iam ſuprà citatæ.*

SECTIO VIII.

An peccatum originale poſſit eſſe materia, ſeu obiectum materiale odij, fugæ, ac retractationis per Pœnitentiam.

SVppono *primò*, ex materia de peccatis, certam Theo- 1
logorum doctrinam ex Tridentino deſumptam *ſeſſ. 5. canone 3.* peccatum originale eſſe origine vnum, & propagatione pura; transfuſum omnibus, quibus ſingulis ineſt, vnicuique proprium: Hoc autem fieri potuit per transfuſionem noſtrarum voluntatum in voluntatem Adæ, per quam transfuſionem conſtitutus fuit Adamus caput morale omnium poſterorum; & transgreſſio illius reputatur transgreſſio ſingulorum: Vnde propter dictam transfuſionem voluntatis pueri in Adamum, ille actus Adæ moraliter cenſetur actus ipſius pueri, ideſt operatur idem, quod operaretur, ſi eſſet actus pueri: Ac proinde peccatum originale eſt moraliter intrinſecum puero; quia peccatum originale eſt actus Adę præteritus, exiſtimatus actus pueri præſens, in ordine ad reddendum ipſum dignum odio; ſi autem ille eſſet actus pueri, eſſet illi intrinſecus; ergo cùm ſit æquiualenter actus pueri, eſt etiam æquiualenter, & moraliter intrinſecus.

Suppono *ſecundò*, conſequenter ad doctrinam tradi- 2
tam *præcedenti ſectione*, peccatum originale huius paruuli eſſe ipſam transgreſſionem Adæ moraliter perſeuerantem, quandiu huic paruulo non condonatur. Nam cùm habituale peccatum ſit ipſum actuale moraliter durans, dum non condonatur; actuale autem huius habitualis, quod eſt in puero, fuerit transgreſſio Adæ, conſequens eſt, quòd illa eadem moraliter perſeuerans in hoc puero, ſit eius originale peccatum.

Suppono *tertiò*, peccatum originale Petri v.g. phyſi- 3
cè eſſe idem peccatum Adæ, eſſe tamen moraliter diuerſum; ideſt, ita ſe habere in ordine ad maculandum Petrum, & ad maculandum Adamum, ac ſi eſſent diſtincta peccata. Similiter etiam peccatum originale Petri, & Pauli, licet ſit eadem entitas phyſica actus præteriti, eſſe tamen moraliter plura peccata; ideſt, ita ſe habere in æſtimatione hominum in ordine ad maculandum Petrum, & Paulum ſeparabiliter, ac ſi eſſent duo phyſicè peccata: quia permanentia moralis in Petro, & in Paulo, ſumitur à diuerſa carentia, ſeu negatione condonationis, quâ condonatur Petro, & quâ condonatur Paulo. Potuit etiam condonari peccatum Adę reſpectu ipſius, & tamen manere in Petro; quia condonari Adę illud peccatum, non eſt aliud, quàm Deum cedere iuri, quod habebat ad auerſionem rationabilem contra Adamum propter illud peccatum; potuit autem Deus cedere huic iuri, retinendo ius ad auerſionem rationabilem contra Petrum propter

Digitized by Google

propter illud peccatum, quod moraliter cenſebatur peccatum Petri: Igitur potuit benè remitti illud peccatum Adæ, & manere moraliter in aliis; & è contra potuit etiam remitti Petro, & manere adhuc in Adamo.

4 His præmiſſis, Doctores communiter ſentire videntur, non eſſe eandem rationem de peccato originali, ac de peccato habituali; Quia peccatum originale non eſt actio noſtra, nec reſpicit proprium actum, per quem ſit voluntarium: at peccatum habituale eſt homini voluntarium per proprium actum: ergo hoc potius quàm illud pertinere poteſt ad virtutem Pœnitentiæ.

5 Cardinalis Lugo *diſp. 3. ſect. 1. n. 12.* concedit poſſe virtutem Pœnitentiæ deteſtari culpam originalem, vt offenſiuam diuinæ Maieſtatis, non tamen poſſe exercere actum retractationis circa illam. Primum probat, quia poteſt Pœnitentia deteſtari offenſam Dei, vndecumque proueniat. Secundum dicit, quia non poteſt aliquis propriè, & phyſicè retractare, quod ipſe phyſicè non fecit. Hanc ſententiam iudico veriorem, quam ſequentibus dictis magis declaro.

6 Dico igitur *primò*, originale peccatum poſſe eſſe materiam, ſeu obiectum materiale odij, & diſplicentiæ pertinentis ad virtutem Pœnitentiæ, non ſecus ac habituale peccatum: Ita D. Thom. *in 4. d. 17. q. 2. art. 1.* Id primum probatur de odio: nam virtus Pœnitentiæ amat, & intendit ſeruare diuinum ius illæſum; ergo conſequenter odio habet omnem ſtatum iniuſtitiæ lædentem tale ius, quacumque ratione fuerit contractus; ergo & ſtatum peccati originalis. Firmo; nam charitas ex ſuo proprio diuino motiuo poteſt deteſtari peccatum originale, & ſtatum illius, prout eſt offenſa contra diuinam bonitatem: ergo ſimili modo Pœnitentia, quæ eſt iuſtitia ad Deum, poteſt deteſtari talem ſtatum iniuſtitiæ, ergo poteſt hac ratione peccatum originale odio habere. Præterea idem oſtenditur de diſplicentia; quia illa voluntas Adæ, à qua noſtra culpa originem traxit, quodammodo noſtra æquiualenter reputatur, quatenus in illo eramus, & in illo peccauimus; vnde ille actus Adę moraliter cenſetur actus noſter, vt notaui *ſupra numero primo*, ergo poſſumus dolere, quia nos, ſeu totum humanum genus in primo parente Deum offenderit; igitur poteſt originale peccatum eo pacto per pœnitentiam nobis diſplicere.

7 Dico *ſecundò*, potuiſſe Deum prædictum dolorem, ac diſplicentiam exigere, ſi voluiſſet, vt ſatisfactionem, vel diſpoſitionem neceſſariam ad remiſſionem originalis peccati; tametſi de facto neceſſaria non fuerit. Prima pars liquet; quia ille actus eſt honeſtus, & potuiſſet eſſe vtilis ad perficiendum magis affectum, & amorem erga ius diuinum, quodammodo reparando ipſum per originale peccatum læſum per prædictam diſplicentiam. Secunda pars conſtat quoque; quia nullum latum eſt de ea præceptum, nec dari oportuit: quia ſicut vnius Adæ voluntate commiſſum eſt, ita vnius Chriſti Domini voluntate pro illo ſatisfactum eſt; & ſicut generatione naturali contrahitur; ita etiam per regenerationem in Chriſto deletur, vt optimè notauit Suar. *diſp. 2. ſect. 1.*

8 Dico *tertiò*, originale peccatum non poſſe eſſe obiectum retractationis per Pœnitentiam, nec poſſe per illã vitari. Hoc videtur eſſe commune Theologorum dictum. Probatur manifeſtè; quia tametſi originale peccatum ſit intrinſecè malum, & reddat hominem peccatorem, ac Deo odibilem, tamen contrahitur generatione naturali, ac ineuitabiliter, abſque vlla noſtræ voluntatis poſſibilitate illud impediendi: nam generatio ex Adamo eſt merè naturalis; & independens in ſe, & in omnibus quæ per illam communicantur, à propria voluntate ipſius geniti; & ideò non poteſt per illam impediri transfuſio peccati; ſine qua nunquam fit generatio ex Adamo; ergo nequit per Pœnitentiam retractari originale peccatum, vel vitari: In quo non parum differt peccatum originale à peccato habituali; hoc enim intrinſecè componitur ex peccato actuali commiſſo noſtra libera voluntate: & ideo poteſt per Pœnitentiam retractari. Firmo dictum, quia retractatio per Pœnitentiam propriè ſignificat diſplicentiam prioris vitæ, ac peccatorum, quæ ab ipſa ſola propria voluntate commiſſa ſunt; at originale peccatum nõ eſt ſic propria voluntate contractum; ergo nequit illud reſpicere tanquam materiam, ſeu materiale obiectum. Quod adeò verum eſt, vt ſi contingeret hominem adultum accedere ad Baptiſmum ſine peccato mortali, cum ſolo originali, non eſſet illi neceſſaria, nec poſſibilis retractatio per Pœnitentiam de proprio peccato, ſed ſufficeret cum intentione ſuſcipiendi Baptiſmum, voluntas, ac propoſitum profitendi, & ſeruandi legem Chriſti: quia retractatio illa tantùm poſſibilis eſt, ac neceſſaria prędicatur iis, qui propria volũtate peccarunt. Atq; in hoc ſenſu loquuntur communiter Theologi, cùm negant originale peccatum comprehendi ſub obiecto Pœnitentiæ: ſumunt enim Pœnitentiam rigoroſè, ac præciſè vt exercet actum contritionis, vel deteſtationis, ſeu retractationis prioris facti. Multò magis id negant, cùm loquuntur de Sacramento Pœnitentiæ: nam peccatum originale nullo modo pertinet ad materiam illius Sacramenti.

Ad argumentum propoſitum *numero quarto*, Dico, benè illo probari, eſſe diuerſam rationem de peccato originali, ac de habituali peccato, quantum ad actum retractationis per Pœnitentiam rigoroſè acceptam; non verò quantum ad alios actus odij, & diſplicentiæ, vt declaratum eſt. Vnde verũ eſt peccatum originale non reſpicere proprium actum, per quem ſit voluntarium, ſed reſpicere illam voluntatem Adæ, à qua noſtra culpa originem traxit, quæ etiam fuit quodammodo noſtra; & ideò licèt illud non poſſimus in rigore retractare, poſſumus tamen odio habere, ac deteſtari. 9

SECTIO IX.

An peccatum nondum commiſſum, & peccatum iam dimiſſum, poſſit eſſe obiectum materiale virtutis Pœnitentiæ.

CErtum eſt apud Theologos, ſi loquamur de Pœnitentia ſecundùm rigoroſam nominis ſignificationem, prout præciſè tendit in peccatum per modum reſipiſcentiæ, quæ reſpicit vitam malè actam à reſipiſcente; ſolùm poſſe nos pœnitere peccati à nobis commiſſi, quod aliquo modo, vel ratione maculæ habitualis, aut quia pro eo non eſt omninò ſatisfactum, aut ratione denominationis extrinſecæ, qua dicitur aliquando cõmiſſum eſſe, adhuc perſeuerat. Quo ſenſu loquuntur Theologi de Contritione, & Attritione. Sermo igitur eſt de virtute Pœnitentiæ ſecundum totam adæquatam rationem eius, & penes alios actus quos poteſt ſub ſuo proprio motiuo elicere. 1

Hoc præmiſſo, dicendum eſt, non ſolùm peccatum iam commiſſum, ſed etiam peccatum nondum commiſſum, quod cauendum eſt, comprehendi ſub obiecto materiali virtutis Pœnitentiæ. Patet, quia ad virtutem Pœnitentiæ ſpectat non ſolùm dolere de commiſſa offenſa Dei, ſed etiam odio habere illam, & proponere nunquam illam committere: triſtitia enim & dolor de præſenti malo oritur ex odio ipſius mali ſecundùm ſe; & ideò eiuſdem virtutis eſt deteſtari illud, ſi ſit præſens, & odio habere illud. Igitur Pœnitentiæ virtus non ſolùm comprehendit actum triſtitiæ, qui eſt dolor de præſenti malo, vel quod vt tale apprehenditur, cuiuſmodi exiſtimatur 2

eſſe

Digitized by Google

eſſe peccatum commiſſum, verumetiam odium peccati, reſpiciens malum ſecundum ſe. Similiter eiuſdem virtutis Pœnitentiæ eſt, ex odio ipſius peccati cauere in poſterum ipſum, quod futurum timetur: nam includit propoſitum ortum ex odio peccati nunquam iterum committendi: eiuſdem enim virtutis eſt abiicere malum, ſi iam adeſt, ex odio ipſius; & vitare, ac cauere illud, prius quàm inſit. Vtrumque præſtat virtus Pœnitentiæ ſub motiuo ſuo.

3 Circa ſecundum, de peccato iam dimiſſo, & plenè ſatisfacto maior eſt difficultas. Certũ eſt autẽ *primò*, poſſe illud deteſtari, ac retractari per Pœnitentiã, quia cõdonatio, ac illius remiſſio non tollit, quòd poſſit quis velle non feciſſe illud peccatum, nec offendiſſe Deum, ius ipſius diuinum lædens; ſicut poſt morbi curationem poteſt quis dolere de cauſa, quam dederat morbo. Vnde illud peccatum ſemper eſt dignum odio, ac retractatione.

4 *Secundò*, etiam certum eſt, ſi remiſſio peccati ignoretur, vel ſit dubia, poſſe hominem velle ſatisfacere pro eo, vel etiam ſatisfacere ſub conditione ſi peccatum non ſit dimiſſum. Quæſtio ergo eſt de eo qui eſt omninò certus per reuelationem de remiſſione peccati, etiam quoad reatum pœnæ, an poſſit velle adhuc pro illo vlteriùs ſatisfacere. Coincidit hæc quæſtio cum illa alia virtutis iuſtitiæ; an nimirum poſſit inclinare ad actum ſoluendi iterum debitum illud, quod iam ſufficienter ſolutum eſt.

5 Communis ſententia, quam ſequitur noſter Ludouicus Turrianus *de iuſtitia, diſput. prima, dub. 2.* ſequitur partem negantem. Quia vbi nullum eſt peccatum, nec debitum pœnæ, nulla poteſt eſſe abſoluta compenſatio ex iuſtitia: hæc enim formaliter eſt ſolutio pro debito; nec enim poſſibilis eſt ſolutio debiti, vbi non eſt debitum; qui enim nihil alteri debet, non poteſt ei ſoluere, ſed donare: ergo ſi peccatum eſt iam omninò dimiſſum, & debitum pœnæ omninò extinctum, nequit Pœnitentiæ virtus titulo iuſtitiæ velle ſatisfactionem, & compenſationem abſolutam pro eo.

6 Cæterùm noſter Cardinalis Lugo *diſp. 3. ſect. 1. n. 15.* ſentit poſſe Pœnitentiam velle compenſationem pro peccato iam dimiſſo. Vnde conſequenter *tom. 1. de iuſtitia, diſput. 1. ſect. 1.* dubio incidenti, latè defendit poſſe virtutem iuſtitiæ inclinare ad actum ſoluendi iterùm debitum illud, quod iam ſemel omninò ſolutum eſt. Probat hanc ſuam ſententiam. *Primò*, quia id commune eſt aliis virtutibus, vt poſſint ſuo debito ſatisfacere, vel adæquatè, vel abundanter. Sic enim gratitudo poteſt velle retributionem maiorem, quàm exigeret beneficium acceptum. Obedientia poteſt velle audire duo Sacra, vt ſatisfaciat abundantiùs præcepto audiendi ſacrum; ſimiliter iuſtitia, licèt ſolùm obliget, v. g. ad reſtitutionem honoris æqualis cum infamia illata, poteſt tamen mouere ad maiorem honorem retribuendum; igitur Pœnitentia, licèt non obliget niſi ad extinguendum debitum peccati, atque ideò extincto debito, ceſſet obligatio compenſandi; poterit tamen mouere adhuc ad ſatisfactionem abundantiorem exhibendam.

Secundò, poteſt quis ſecundò ſe obligare ad illud idem quod debebat, per quam obligationem nec plus, nec aliud debet, quàm debebat: ſic qui debet obedientiam ex voto, poteſt iterùm vouere; quod eſt ponere ſecundum motiuum ad obediendum, & ad reddendam inobedientiam illicitam. Idem creditor debitum ſemel condonatum poteſt iterum condonare: ſic enim Deus in ſacramento Pœnitentiæ per Sacerdotum miniſterium remittit iterùm peccatum, quod iam ſæpiùs remiſerat; ergo poterit etiam debitor iterùm ſecundò ſoluere debitum iam ſolutum, & ſecundò obligare creditorem ne poſtulet debitum; & per conſequens, poteſt pœnitens ex virtute Pœnitentiæ, ſatisfacere ſecundò pro iam omnino peccato dimiſſo, etiam quoad reatum pœnæ.

Tertiò, poteſt homo ex motiuo iuſtitiæ bis ſatisfacere pro debito contracto, ſic operatus eſt Zachæus *Lucæ 19.* Si quid aliquem defraudauerat, reddens quadruplum: non enim ex mero liberalitatis motiuo donabat, ſed totum illud reddebat, hoc eſt, dabat ad extinguendum debitum præcedens; quod enim redditur, ſemper inuoluit ordinem ad aliquod debitum; ergo etiam ille, cui peccata dimiſſa omninò eſſent, etiam quoad reatum pœnæ, poteſt adhuc agere pœnitentiam ad ſatisfaciendum magis & magis pro illis.

Quartò, qui ex præcepto debet orare, non debet tanta intenſione, vel attentione orare, ſed cum minori ſatisfaceret præcepto; & tamen totum illum actum cum tota ſua intenſione, & attentione ponit ex motiuo obedientiæ: ipſa etiam prolatio verborum in oratione vocali non præcipitur cum tanta duratione; poſſet enim ſatisfieri celeriùs proferendo verba; & tamen tota illa prolatio, & duratio ponitur ex motiuo obedientiæ; & ſic in aliis: ergo non repugnat, quòd aliquis ex motiuo iuſtitiæ ſimiliter velit ponere aliquid, quod neceſſarium non erat ad extinguendum tale debitum; atque adeò & ad ſatisfaciendum magis & magis pro peccatis omninò remiſſis, & extinctis.

Quintò, vt aliquid poſſit à nobis eligi ad aliquem finem, v. g. ad delendum aliquod debitum, quod contraximus, non requiritur quòd ſit medium neceſſarium, & ſine quo eiuſmodi finis haberi non poſſit: ſufficit quòd ſit aptum, & vtile ad eum finem, & ad delendum tale debitum: Sed illa ſecunda ſolutio debiti, licèt non ſit neceſſaria ad illud extinguendum; eſt tamen apta, & vtilis ad eum finem; ergo poſſumus ex eo motiuo eligere ſecundam ſolutionem eiuſdem debiti; ergo & ſecundam compenſationem, & ſatisfactionem ex virtute Pœnitentiæ eiuſdem debiti peccati iam extincti. Minor probatur, quia ſecunda ſolutio debiti, licèt illud inueniat extinctum, poteſt tamen quaſi in genere cauſæ formalis illud debitum iterum impedire; ſicut ſecundum peccatum mortale, licèt inueniat gratiam ablatam per primum, adhuc illam iterum impedit in genere cauſæ formalis. Sicut qui ex iuſtitia debet vnum librum Petro, ſi poſtquam dedit ei vnum, dederit alterum, etiam tunc ſatisfacit debito, quia etiam tunc dat quantum promiſit. Vnde ſi poſtea Petrus petat ſibi ſatisfieri, poterit debitor, nulla facta mẽtione primi libri, probare ſolùm quod dederit hunc ſecundum, atque ideo ſoluerit debitum; ergo per hunc etiam ſecundum ſatisfecit; ergo ſecunda ſolutio apta eſt ad delendum debitum, quia ſe ipſa formaliter facit, vt eâ poſitâ, debitum illud nequeat exigi; ergo ſe ipſa impedit inæqualitatem, quia ſe ipſa facit, vt debitor non debeat aliquid creditori, nec retineat quidquam ex eius bonis; ergo negari non poteſt poſſe eligi à virtute iuſtitiæ illam ſecundam ſolutionem ad finem iterum impediendi inæqualitatem poſitam per debitum præcedens.

Vltimò, Chriſtus Dominus ſatisfecit pro noſtris peccatis, exhibendo maius pretium; & tamen illum exceſſum, quem ſupra menſuram debiti offerebat, exhibebat vt pretium, & ad extinguendum debitum humani generis; ergo.

Magis placet, ſequendo priorem ſententiam, dicere, 7
virtutem Pœnitentiæ, quæ eſt iuſtitia ad Deum, non poſſe elicere actum, quo velit ex iuſtitia ſatisfacere, & abſolutè compenſare pro peccato iam remiſſo, etiam quoad reatum pœnæ. Moueor, quia vbi nullum eſt peccatum, nec debitum pœnæ, nulla poteſt eſſe abſoluta compenſatio ex iuſtitia; hæc enim formaliter eſt ſolutio pro debito; ergo ſi peccatum eſt omninò condonatum, & debitum omninò extinctum, nequit Pœnitentia titulo iuſtitiæ velle ſatisfactionem, & compenſationem abſolutam pro eo. Firmo; nam Iuſtitia eſt conſtans, & perfecta

Digitized by Google

fecta voluntas ius ſuum vnicuique tribuens; ſed ſatisfacto iam iure, v.gr. ad centum, per exhibitionem centum; voluntas dandi alia centum, non eſt voluntas dandi alteri ius ſuum; ergo non eſt voluntas Iuſtitiæ, neque actio materia iſtius. Minor patet; quia centum iſta ſecunda nunquam fuerunt, nec ſunt, nec erunt debita tali iure, nec illius terminus; ergo in nulla differentia temporis ſunt res alterius; ergo voluntas circa illam materiam, non eſt voluntas dandi alteri rem ſuam. Antecedens eſt euidens; quia illud ius ſolùm reſpicit vnicum centum; ergo ſemel illi data centum, non poteſt alia centum reſpicere, nec facere ſua reſpectu proprij ſubiecti; ergo iſta ſecunda centum nec fuerunt, nec ſunt, nec erunt debita, nec propria alterius ex vi talis iuris; ergo voluntas illa reſpiciens, nunquam poteſt eſſe voluntas dandi alteri quod ſuum eſt; Imò neque poteſt moueri ex tali honeſtate; non enim quælibet æqualitas eſt obiectum iuſtitiæ, ſed æqualitas rei alterius cum iure illam reſpiciente.

Poſſet aliquis reſpondere, illud ius iam reſpexiſſe iſta centum; ſaltem vagè ſcilicet iſta, niſi alia darentur; vnde iam fuiſſe aliquo modo debita.

Sed contra eſt; quia illud ius ſolùm reſpexit iſta centum, niſi alia darentur; ergo ſolum fuerunt debita, niſi alia darentur; ergo nunquam fuerunt debita, neque à iure reſpecta, ſi alia darentur; ergo nunquam fuerunt, nec ſunt, nec erunt debita, vt ſunt obiectum huius voluntatis. Patet conſequentia; quia hæc eſt voluntas dandi, poſito iam quòd alia centum ſunt data, & hoc voluntatis propoſito; ſed in hoc caſu ius iſtud nec reſpexit, nec reſpicit, nec reſpiciet talia ſecunda centum; ergo talia centum nunquam ſunt, fuerunt, vel erunt debita, quà ſunt obiectum huius voluntatis; imò nec ſtatum habent, quo à voluntate iuſtitiæ attingi poſſint. Quare nec abſolutè, & ſimpliciter, nec abundantiùs, & perfectiùs poteſt quis ſatisfacere pro peccato dimiſſo, & pro reatu pœnæ ſatisfacto, ac iure diuino iam omninò reſarcito. Vbi enim nullus eſt titulus iuſtitiæ, nullum eſſe poteſt motiuum iuſtitiæ, nec virtus quæ poſſit illo moueri ad ſatisfactionem vllam, nec ſimpliciter, & abſolutè, nec abundantiùs, & perfectiùs.

8 Sunt verò duo obſeruanda. Primum eſt, prædictam noſtram ſententiam ſemper eſſe intelligendam in eo caſu, quo quis ſe vltimò diſpoſuit ad gratiæ infuſionem, & remiſſionem peccatorum, ac de condigno, & de perfecta iuſtitia ſatisfecit pro reatu pœnæ temporalis, vt reuera poteſt ſic iuſtus ſatisfacere, idque illi certò conſtet: Nam ſi fuerit illi non ſolùm condonata gratia, & remiſſio peccatorum, ſed etiam extinctus omnis reatus pœnæ temporalis per meram Dei condonationem; vt contingit in adulto baptizato, cui totum id remittitur, ſi nullus ſit obex; fateor poſſe in eo euentu, non ſolùm dolere, ac deteſtari peccata præterita condonata, verùm etiam & velle ſatisfacere pro illis, titulo, & motiuo iuſtitiæ. Quod firmo exemplo adducto de illo debito centum: nam ſi illud ius creditoris reſpectu illorum centum, fuiſſet extinctum per condonationem, ac liberalitatem creditoris, quin illi ad æqualitatem fuiſſet ſatisfactum, non video cur illa centum ſic gratis remiſſa, & donata, nequeant eſſe materia iuſtitiæ, ſi debitor voluerit illa ex iuſtitia ſoluere: quia licet reſpectu talium centum creditor ille non habeat ius, quia illa ex liberalitate remiſit, & abſolutè donauit; id tamen non obſtat, quominùs, ſi debitor velit ea ſoluere ex iuſtitia, poſſit id præſtare; quandoquidem hoc iuſtitiæ titulo non fuit creditori ſatisfactum, nec ius illius fuit ex iuſtitia extinctum. Alterum eſt, dato quòd conſtet pœnitenti, præterita peccata fuiſſe à Deo remiſſa, & omnem pœnam omninò per diuinam condonationem extinctam, certum eſſe nullam manere obligationem ſatisfaciendi pro illa per virtutem Pœnitentiæ: quia compenſationis vel ſatisfactionis obligatio eſt pro debiti nondum ſoluti, vel condonati, reſtitutione, ac ſolutione.

Supereſt vt reſpondeamus ad argumenta Cardinalis Lugo *ſuprà* adducta *numero ſexto*, ex quorum ſolutione, manebit noſtra ſententia magis firma & perſpicua.

Ad primum, negandum eſt, quod dicitur de illis virtutibus. Nam in primis, gratitudinis virtus ex proprio conceptu eſſentiali, & formali recompenſat beneficium acceptum; & ideò eſſentialiter reſpicit debitum ex beneficio acceptum, & ipſum benefactorem, cui aliquid pro beneficio rependit. Vt enim rectè notauit D. Thom. 2. 2. *q.* 106. *a.* 2. benefactor vt ſic eſt cauſa beneficiati. Vnde gratitudinis virtus ſolùm inclinat ad retributionem, quæ ſit æqualis beneficio accepto; æqualis inquam moraliter: vnde ſi in ipſa retributione fuerit exceſſus, non ſpectabit ad virtutem gratitudinis, ſed liberalitatis. Similiter negatur auditionem ſecundi Sacri ſatisfacere obligationi præcepti abſolutè, cùm nulla talis ſit obligatio, nec fuerit: ex affectu ergo Religionis, abſque vlla obligatione audit ſecundum Sacrum; nam audiendo vnum ſacrum, adimpleuit præceptum. Præterea virtus Iuſtitiæ, quæ ſemper habet pro ſuo obiecto motiuo æqualitatem in re, ſiue hæc ſit pecunia, ſiue honor, ſiue aliquid aliud, non poteſt ſub hac ſua ratione formali, & intra dictum motiuum, extra quod nequit operari, tribuere infamato niſi honorem debitum, ac requiſitum ad tollendam infamiam, quia ſemper iuſtitia reſpicit æqualitatem in ipſa re; vnde reſtituto æquali honore plenè ſatisfacit, & ex toto rigore iuſtitiæ; atque adeò exceſſus ille honoris non poteſt ſpectare ad virtutem Iuſtitiæ, ſed ad virtutem Liberalitatis, vel certè Obſeruantiæ, quæ reſpicit dignitatem, ac præſtantiam perſonæ ſic honoratæ. 9

Ad ſecundum Dico concedendum eſſe totum Antecedens, & diſtinguendum conſequens: nam licèt ſit verum, poſſe aliquem velle iterùm eandem ſolutionem, quam priùs voluerat, & præſtiterat; non tamen poſſe velle dare aliam ſolutionem abſolutè ex obligatione iuſtitiæ. Ratio eſt, quia ſolutio iuſtitiæ, eſt elargitio iuris alterius; ſemel verò ſoluto debito centum, v.g. ex iuſtitia, alia centum non ſunt alterius; vnde ſunt incapacia terminandi actum abſolutum ſoluendi ex iuſtitia. Sicut enim ſi quis ſolùm habet ius ad centum, licèt poſſit ſemel, & iterum cedere iuri ad centum; non poteſt vno actu cedere iuri ad hæc centum, & alij iuri ad alia centum; quia non eſt tale ius; ita cum quis ſolùm debet centum; licèt poſſit ſemel, & iterum velle dare illa centum, quæ reuera ſunt alterius; non poteſt tamen vno actu velle ſoluere centum, & alio actu ſoluere alia centum pro eodem iure; quia ſolutio dicit debitum & rem alterius; hæc verò ſecunda centum non ſunt alterius. 10

Ad tertium, illud factum Zachæi non eſſe contra nos: nam illam actionem dandi quadruplum vocat redditionem; quia affectus & voluntas illius fuit in odium, & pœnam furti, illiuſque occaſione ſoluere vnum, & alia tria ſponte dare, & quoniam ea quatuor eadem actione dabat, & ea eſſet redditio quoad aliquam partem, nempe quoad vnum, abſolutè eam vocauit redditionem. 11

Ad quartum reſpondeo, præceptum illud orandi obligare ad vnam actionem orandi, non ad hanc, vel illam: quare eo ipſo quòd ego dem hanc actionem, præceptum cadit ſupra illam. Cúmque actio orandi, ſiue ſit intenſior, ſiue attentior, ſiue longior, ſiue breuior, ſit vna; hinc eſt vt totâ illâ ſatisfaciam obligationi præcepti; quia ſupra totam illam cadit præceptum, eo ipſo quòd ad illam me determinem. At ius, in illo centum exemplo, ſolùm reſpicit vnum centum, tanquam ſua, non duo centum; vnde actio illa ſolùm eſt ſolutio, & actus iuſtitiæ, vt eſt elargitio centum; non verò eſt actus iuſtitiæ, nec ſolutio illa ſecunda elargitio aliorum centum. 12

Ad

13 Ad quintum, non caret ſua difficultate illa Maior; nam ſi ego velim efficaciter finem, ſolùm eligere poſſum medium neceſſarium ad conſecutionem illius; & non ſufficit eligere ſufficiens; licet cum volo inefficaciter, vel cõditionatè, ſufficiat. Admiſſâ tamen Maiori, nihil ſequitur contra noſtram doctrinam; nam ſecunda ſolutio non eſt ſufficiens abſolutè, poſita prima ſolutione, quia elargitio ſecunda non eſt abſolutè debita, vnde nec abſolutè apta ad ſolutionem, poſitâ primâ. Quare negandum eſt per ſecundam exhibitionem centum licèt debitum ſit ſolutum, apponi nouum impedimentum formale tali debito; nam cùm elargitio ſecunda non poſſit abſolutè reſpicere illud ius in centum, hinc eſt vt non apponat impedimentum tali iuri. Nec id probat exemplum illud libri, in quo eſt diſpar ratio; nã prout in foro externo requiritur, ſufficiẽter probatur ſolutio, & adimpletio promiſſionis per elargitionem ſecundi libri, quia in illo foro non attenditur ad intentionem elargitionis, ſed ſolùm ad hoc, quòd dederit centum, ſi centum promiſit. Præterea, quoties quis dat aliquid alteri, niſi aliter intendat, intelligitur velle quantum eſt ex ſe, ſoluere, ſi debeat; vnde eſt voluntas ſoluendi conditionata: quare eo ipſo quòd prima ſolutio negetur à creditore, tranſit hæc quoad forum externum in ſolutionem abſolutam; & poſſum verè abſolutè dicere, me ſecunda elargitione ſoluiſſe librum.

14 Ad vltimum, illud eſſe proprium ſatisfactionis Chriſti, vt nimirùm fuerit ſuperabundans ad extinguendum omne debitum humani generis; etiamſi infinitis titulis iuſtitiæ deberetur vt dixi in opere *de Incarnatione, diſ. 4. ſect. 6.* Quia valor ſatisfactionis Chriſti potens eſt ad omnia, & infinita debita, & ſuperat æſtimationem omnem quorumcunque debitorum etiam infinities multiplicandorum, propter infinitum valorem, quem habet à perſona Verbi, & Deitate. Nec poteſt Chriſti ſatisfactio prædictum infinitum valorem non habere, ratione dignificationis diuinæ inſeparabiliter coniunctæ.

SECTIO X.

An peccata aliena poſsint eſſe obiectum materiale Virtutis Pœnitentiæ?

1 Certum eſt non poſſe virtutem Pœnitentiæ ex vi huius appellationis, elicere actum retractationis de alienis peccatis; quia ſecundùm communem, ac rigoroſã vocis *retractationis* ſignificationem, non poteſt cadere ſub noſtram retractationem, id quod à nobis factum non eſt, nec commiſſum. Quo pacto, contritio quoque, propriè, & ſtrictè ſumpta nequit eſſe niſi de peccato proprio commiſſo. Atque in hoc ſenſu intelligendi ſunt Doctores cum D. Th. & Aliis *in 4 d. 17.* dicentes, Pœnitentiam ſolùm eſſe de peccatis propriis. Nam pœnitens ex more cõmuni loquendi, non eſt qui vult alios pœnitere, vel ſatisfacere pro ſuis peccatis, ſed qui ſatisfacit pro peccatis, propriis. Non enim humilis eſt, qui vult alios eſſe humiles; neque abſtinens eſt, ac ieiunans, qui vult alios abſtinere, ac ieiunare: alioqui Angeli quoque eſſent abſtinentes, ac ieiunantes, & pœnitentes, quia volunt nos abſtinere, ieiunare, ac pœnitere. Imò ipſe Deus diceretur quodammodo humilis, & pœnitens, quia vult nos eſſe humiles, ac pœnitentes; quod nullo modo eſt concedendũ. Solùm ergo difficultas eſt, an virtus Pœnitentiæ poſſit verſari, & ſe extendere ad aliena peccata, exercendo circa illa actus odij, & deteſtationis; ac deſiderando ne fiant.

2 Ratio dubitandi eſſe poteſt, quia velle bonum caſtitatis aliis, & velle illud mihi, nõ pertinet ad eandem virtutem; videtur enim eſſe virtus amicitiæ honeſtæ erga proximos, quæ inclinat ad procuranda bona ipſorum; ergo idem dicendum videtur de virtute Pœnitentię, propter eandem rationem. Firmatur, quia prædicti actus ſunt ſpecie diuerſi, ergo non poſſunt elici ab eadem virtute Pœnitentiæ.

Dico, cum communi ſententia Recentiorum ſequentiũ noſtrum Suarium multis in locis, præſertim hic *diſp. 2. ſect. 1. n. 9. & 10.* aſſerentem virtutem Pœnitentiæ, quæ eſt iuſtitia ad Deum, verſari quoque circa peccata aliena per odium, ac deteſtationem eorum, ſub proprio motiuo ipſius. Ratio eſt aperta, quia ex omnium ſententia, eiuſdem ſpecie virtutis iuſtitiæ eſt ſoluere debitum proprium, & alienum, propter æqualitatem in re: eiuſdem virtutis miſericordiæ eſt amare, & gaudere de eleemoſyna facta à ſe, vel ab alio propter honeſtatem ipſius, nempe ſubleuandi miſeriam proximi: idem habitus Spei, quo nobis deſideramus Deum vt bonum noſtrum, deſeruit ad ſperandum idem bonũ aliis. Denique quia eadem Charitas amat honeſtatẽ ac dignitatẽ diuini amoris, vbicũque illi proponatur; quia nimirùm honeſtas cuiuſcũque virtutis obiectiuè ſumpta, per ipſammet virtutem eſt amabilis, vbicumque illa ſit. Nam vnaquæque virtus deteſtatur malum ſuæ honeſtati contrarium, vbicumque illud proponatur; ac proinde eadem virtus inclinat ſubiectum, vt amet ſui obiecti honeſtatem, & oderit malum ei contrarium, non ſolùm in ſe, ſed etiam in aliis. Nam malum peccati, vbicumque illud ſit, eſt odio dignum ſecundùm rectam rationem, atque adeò eadem virtus quæ ſub ſuo formali motiuo illud odio habet in proprio ſubiecto, etiã odit illud, vbicumque ſit; quia eiuſdem virtutis eſt odiſſe malum, & diligere bonum ſub ſua ſpeciali honeſtate, & ratione formali. Vnde homo ex inclinatione iuſtitiæ, non ſolùm odio habet iniuriam vt à ſe committendam, ſed etiam abſolutè, & ſimpliciter, vbicumque illam videt, quia illa ſpecialis honeſtas in ſe ſemper eſt eadem: Igitur cum eadem proportione, virtus Pœnitentiæ odio habet turpitudinem peccati, ac offenſæ, & iniuriæ Dei, vbicumque illi proponatur: nam illa turpitudo, quæ diſplicet pœnitenti vt ſic in proprio ſubiecto, diſplicet etiam in alieno ex inclinatione eiuſdem virtutis, quia in illo motiuo eadem formalis honeſtas reperitur. Quare eiuſdem virtutis Pœnitentię eſt velle ſatisfacere pro peccato proprio, vel pro alieno, ex motiuo reparandi, ac reſarciendi ius diuinum læſum.

Ad rationem dubitandi reſpõdeo, dupliciter poſſe nos velle bonum caſtitatis, v.g. Petro; *primò* ita vt motiuum huius amoris ſit bonitas, & honeſtas ipſa caſtitatis ſecundùm ſe, & non bonitas Petri, cui volo caſtitatem: & hic actus nõ eſt virtutis amicitiæ, quia nõ habet pro obiecto formali, ſeu motiuo, bonitatẽ Petri, propter quã eã diligã, ſed bonum honeſtum caſtitatis, quod me formaliter mouet, & Petrus cui caſtitatem volo, ſe habet materialiter: & tunc ille actus elicitur ab eodem habitu, quo volo etiam caſtitatem mihi; quia vterque actus habet idẽ motiuum, nempe honeſtatem caſtitatis, quæ excitat me, ac mouet ad amandam eam mihi, & Petro. Atque in hoc ſenſu procedit cõcluſio noſtra, & doctrina *ſuprà* tradita; & in eodem ſenſu dicitur idem de virtute Pœnitentiæ in ordine ad actum odij, quo abominatur peccatum proprium, & alienum, prout iniurioſum Deo, quia vterque actus odio habet eandẽ turpitudinẽ in vtroque ſubiecto, ſub eodẽ formali motiuo. *Secundò* poteſt quis deſiderare caſtitatẽ Petro affectu amicitiæ, cuius motiuum ſit bonitas ipſa Petri, quæ reddit illum mihi amabilem; & ideò volo illi bonũ caſtitatis, quia ipſe bonus eſt; & hic actus non procedit ab eadẽ virtute caſtitatis, quâ volo caſtitatem mihi; quia non eſt idem; ſed valdè diuerſum motiuum, nempe bonitas Petri, vt ſatis per ſe notum apparet.

Ad cõfirmationẽ facilis eſt ſolutio, vnũ ſimplicẽ habitũ Pœnitentiæ infuſum ſufficere ad odium peccati proprij,

pæ,& ad odium peccati alieni. Non enim debent multiplicari habitus infuſi, ſicut adquiſiti; ſed poteſt vnus habitus ſimplex infuſus ſe extendere ad plura obiecta, & ad plures actus ſpecie diuerſos; non enim generantur habitus infuſi per actus, ſed habent ſe ad modum potẽtiæ in ordine ad actus ſupernaturales. Quare ſicut idem habitus Spei infuſus, quo deſideramus, ſeu ſperamus nobis Deum vt bonum noſtrum, deſeruit quoque vt idem diuinum bonum ſperemus, vel deſideremus aliis; aliter enim ſi deberet dari ad ſperandum pro aliis alius habitus infuſus, qui ſanè etiam eſſet Theologicus, cùm tenderet in Deum vt obiectum *quod*, eſſet concedenda alia virtus Theologica, vltra eas tres, quæ communiter à Theologis numerantur; ita idem habitus infuſus Pœnitentiæ; deſeruire poteſt ad odium peccatorum, & offenſarum, quæ à nobis, & ab aliis committuntur. Cuius rei ratio à priori hæc eſt, quia virtus Pœnitentiæ eſt virtus iuſtitiæ ad Deum, quæ intendit diuinum ius illæſum conſeruare, &, ſi fuerit læſum, reparare; atque ad hunc finem connectit, non ſolùm prædictos actus, ſed etiã plures alios: vnde omnes illos actus elicit, & exercet, prout habent connexionem in hoc adæquato motiuo diuini iuris; quod ſufficit, vt ad eandem ſpecie virtutem, & ad eundem ſimplicem habitum infuſum, omnes illi actus, etſi ſpecie diuerſi, ſpectare videantur.

SECTIO XI.

An reatus, vel malum pœnæ ſit quoque obiectum materiale virtutis Pœnitentiæ.

1 RAtionem dubitandi mouet communis modus loquendi Theologorum dicentium, veram Pœnitentiam eſſe de malo culpæ, non verò de malo pœnæ; atque adeò nec de reatu pœnæ.

2 Breuiter Dico *primò*, etiam malum pœnæ, ſeu illius reatum comprehendi ſub obiecto materiali virtutis Pœnitentiæ. Hoc videtur certum, quia eiuſdem virtutis eſt intendere finem, & eligere media apta, & conuenientia ad illum finem: ſed virtus Pœnitentiæ intendit deſtruere peccatum, & reſarcire diuinam iniuriam, atque ad hunc finem vtitur malo pœnæ v.g. afflictionibus corporis, nempe ieiuniis, flagellationibus, & aliis ſimilibus pœnis, vt medio vtili ad placandum Deum offenſũ, vel in vindictam peccati, & iniuriæ commiſſæ; ergo malũ iſtud pœnæ cenſeri debet obiectũ virtutis Pœnitentiæ.

3 Dico *ſecundò*, malum pœnæ prædictum non eſſe obiectum virtutis Pœnitentiæ per actum fugæ, ſed per actum proſecutionis: Ita notauit benè Suar. *diſp. 2. ſect. 1. n.* 15. Ratio eſt, quia Pœnitentia non fugit, imò amplectitur id quod honeſtum eſt, & accommodatum ad ſuum finem, quale eſt malum pœnæ: nam Pœnitentia ſolùm fugit illud malum quod opponitur cum Dei placatione, & cum diuino iure, quod intendit, quando fuerit læſum, reparare; cum hoc autem ſolùm opponitur malum culpę, quæ eſt offenſa, & iniuria Dei, non malum pœnæ; quia ſublatâ culpâ Deus nullo modo manet offenſus, nec cum indignatione, & odio erga offendentem, tametſi ſuperſit adhuc reatus pœnæ. Firmo; nã malũ culpæ ideò reſpicitur à virtute Pœnitentiæ vt deſtruendum, quia eſt ſimpliciter malum oppoſitum diuino iuri: ſed malũ pœnæ non eſt ſimpliciter malũ, nec per ſe eſt offenſio Dei; imò eſt verè, ac ſimpliciter bonũ, & potens ad deſtruendum cum diuina gratia malum culpæ, diſponendo hominem ad odio habendum illud; ergo reſpicitur à virtute Pœnitentiæ, vt amplectendum.

4 Verum eſt, reatum pœnæ poſſe terminare actum fugæ alterius virtutis, quatenus opponitur, v.g. cũ viſione Dei, quam retardat, vel quatenus affert malum aliquod ipſi homini refugienti macerationem carnis per tot ieiunia, & flagellationes; nõ tamen quatenus poteſt iuuare ad diuinum ius reparandum quod Pœnitentia intendit, cum ille reatus, ſicut & ipſa pœna nullo modo ſit iniuria, ſeu Dei offenſa.

Hinc colligo *primò*, non ſolum malum pœnæ quod conſiſtit in actione humana, ſed etiam quod conſiſtit in paſſione, & quod prouenit etiam à cauſa extrinſeca, cõprehendi ſub hoc obiecto. Sic enim ægritudo, vel aliud ſimile malum, ſi ex affectu virtutis Pœnitentię acceptetur, cùm ſit aptum ad ſatisfaciendum Deo, ſpectabit ad hanc virtutem. 4

Colligo *ſecundò*, non ſolùm actiones externas corporis, ſed etiam aliquas actiones internas volũtatis poſſe ſub hoc obiecto comprehendi. Ratio eſt, quia voluntas, ſicut intellectus, eſt potentia reflexiua, vnde poteſt per vnum actum ſuum velle, ſeu imperare alium; & hoc modo vnus actus voluntatis poteſt eſſe obiectum alterius; ſic ex affectu Pœnitentiæ, & voluntate deſtruendi peccatum, poteſt eadem voluntas in ſemetipſa excitare dolorẽ, & triſtitiam de peccato commiſſo: Imò & intra eandem virtutẽ Pœnitentiæ poteſt vnus actus illius eſſe obiectũ alterius actus eiuſdem virtutis, quatenus voluntas per vnum actum poteſt velle alium; & hoc modo ſecundùm diuerſos reſpectus poteſt actus vnus virtutis contineri ſub eius obiecto materiali adæquato. 5

Ad dictum illud commune Theologorum, dicendum eſt, loqui illos de Pœnitentia, quantum ad actum retractandi, & quantum ad illud malum, quod deſtruere intendit; quod certe non de malo pœnæ, ſed de malo culpę eſt intelligendum. 6

DISPVTATIO II.

De obiecto formali, ſeu motiuo proprio Virtutis Pœnitentiæ.

IN VNAQVAQVE Virtute obiectum formale cenſetur eſſe proximum & intrinſecum motiuum eius à quo ipſa ſpecificatur. Hoc igitur quodnam ſit ſpeciale in virtute Pœnitentiæ ſecundùm propriam, & adæquatam rationem ſumpta, inueſtigandũ eſt in præſenti Diſputatione. Prius tamen præmittẽdæ ſunt duæ difficultates, in duabus primis ſectionibus declarandę, vt poſteà meliùs obiectum formale prædictæ virtutis proponatur.

SECTIO I.

An omne mortale peccatum habeat propriam malitiam iniuriæ, ſeu iniuſtitiæ in Deum.

HAnc quæſtionem fusè tractaui in opere *de Incarnatione, diſp. 4. ſect. 8. à numero tertio, vſque ad numerum decimum quartum incluſiuè*. Vbi cum Suario, VVandingo, & Aliis defendo, omne peccatum mortale eſſe ſimpliciter iniuſtitiam, & iniuriam propriè in Deum, ſuo dominio proprietatis vere, ac ſtrictè oppoſitam. 1

Impugnat hanc noſtram ſententiam Cardinalis de Lugo, hic *diſp. 2. ſect. 1. n.* 10. Primò, quia non ſemper

Digitized by Google

exigit Deus noſtra opera, & obſequia ex dominio proprietatis quod habet, & quod neceſſe eſſet ad rationem iniuriæ, ſed ex dominio iuriſdictionis, vt legiſlator, & ſuperior.

Secundò, multi ſunt, qui inuincibiliter ignorant illam malitiam iniuriæ eſſe in omnibus peccatis. Nam multi ſunt, qui illam probabiliter negant; cui opinioni poteſt quiuis ſe practicè conformare; & tunc ſuum peccatum ſaltem per accidens non haberet malitiam contra iuſtitiam. In eo autem caſu, non poſſe Pœnitentiam de illo peccato dolere; quia in illo non inueniretur ratio iniuriæ, quam Pœnitentia per ſe formaliter deteſtatur. Conſequens autem eſt abſurdum; quia Pœnitentia eſt virtus vniuerſalis, quæ omnia peccata deteſtari poteſt; ergo motiuum formale ipſius, non eſt ratio iniuriæ, ſed aliquid aliud.

2 His non obſtantibus, perſiſto in prædicta mea ſententia, aſſerente, non ſolùm ea peccata, quæ directè ſunt contra Dei honorem, & famam, & quæ directè ſunt contra illud ius proprium, ac dominium Dei, quod habet rigoroſũ in honorem, & famam propriam, verũetiã omnia alia peccata mortalia eſſe, per ſe loquendo, grauem iniuſtitiam, ac propriè iniuriam in Deum. Ratio vnica eſt quam loco citato expendi; quia omne peccatum ex ſe eſt contrarium diuinę dominationi, & volũtati, & ſemper peccator, cùm peccat, abutitur re propria Dei cõtra voluntatem ipſius, vt ſupremus dominus eſt. Nam Deus iure naturæ habet ſupremum dominium diſponendi de creaturis rationalibus, ſecundùm eius beneplacitum, ac voluntatem: & omnis creatura rationalis titulo creationis, & conſeruationis, manet neceſſariò iure naturæ ſubordinata, ac pendens ex Dei voluntate in ſuis omnibus operationibus; ac proinde tenetur ex iuſtitia non peccare contra Deum; & ſi peccat, abutitur re propria Dei, inuito domino; quod ſpectat ad iniuſtitiã: quoniam acceptio, vel vſus rei alienæ inuito domino, iniuſtitia eſt; ſicut ſeruus nõ obediens domino, per poteſtatem dominatiuam præcipienti, peccat contra iuſtitiã, quia negat domino ius iuſtitiæ, quod illi debet.

3 Ad primum pro contraria ſententia, negandum eſt Deum non exigere titulo dominij, vt ei obediamus, & ſubordinati ſimus; cùm conſtet Deum eo titulo præcipere tam in veteri, quàm in nouo teſtamento, vt *loco citato* probaui. Adde creaturam rationalem in omnibus ſuis actionibus ſubordinatam eſſe Dei voluntati, ex ipſo iure naturæ titulo creationis, & conſeruationis, qui ligat omninò iure naturæ, etiam ablata, & præciſa omni lege diuina poſitiua; & ideò tenetur ſemper iure naturæ non violare, peccando, ius ac dominium Dei ſupremum, quod habet in ipſam.

4 Ad ſecundum Dico, conſultò me dixiſſe in concluſione, per ſe loquendo omne peccatum mortale eſſe iniuſtitiam: quia per accidens non omne peccatum habet rationem iniuriæ ſtrictè ſumptæ: nam ad inducendã circumſtantiam iniuſtitiæ, ac peculiarem illius malitiã, deberet illa circumſtantia cognoſci à peccatore: hæc autem circumſtantia à pleriſque ignoratur inuincibiliter; & ab alijs multis probabiliter negatur, cum quibus poſſunt ſe alij practicè conformare: vnde in illis peccata non habebunt hanc peculiarem malitiam contra iuſtitiam, neque in illis Pœnitentiæ virtus poterit elicere actum ſpecialem doloris de illis peccatis, ſecundùm ſpeciale, ac proprium eius motiuum, quia in illis non erit ſpecialis ratio iniuſtitiæ, quam virtus Pœnitentiæ per ſe formaliter deteſtatur. Hinc verò nullum video ſequi abſurdum; quia Pœnitentia ſemper eſt virtus vniuerſalis, quæ omnia peccata per ſe deteſtari poteſt ſub ſuo proprio, formali, ac ſpeciali motiuo. Addo, ſimili argumento obiici poſſe alijs Doctoribus idem abſurdum; imò & Cardinali de Lugo. Nam ipſe defendit obiectum formale Pœnitentiæ eſſe æqualitatem moralem cum Deo, ſeu bonitatem pacis cum Deo, nempe vitando offenſam Dei. Nam qui inuincibiliter ignorarent illam malitiam eſſe in omnibus peccatis, & alij quoque qui illam probabiliter ignorarent, cum quibus poteſt quis ſe practicè conformare; tunc in his caſibus illa peccata non haberent malitiam illam contra æquitatem moralem, vel pacem; & virtus Pœnitentię non poſſet dolere de illis peccatis, & per conſequens non eſſet virtus Pœnitentiæ vniuerſalis virtus, quæ omnia peccata deteſtari poſſet. Cui argumento ſatisfacere deberent, reſpondendo, non ſequi abſurdum illud, quia in illis caſibus contingeret id quaſi per accidens; atque adeò virtutem Pœnitentiæ ſemper eſſe per ſe loquendo virtutem vniuerſalem, quæ omnia peccata per ſe deteſtari poſſet. Hoc idem nos reſpondemus ad obiectionem dictam, atque ideò aliquod abſurdum ſequi omninò negamus.

SECTIO II.

Vtrùm ex peccato mortali commiſſo, maneat in homine obligatio iuſtitiæ ad ſatisfaciendum Deo.

CArdinalis de Lugo *diſp. 2. ſect. 1. n. 11. & ſequentibus* exiſtimat, licet omne peccatum fuiſſet iniuria, 11
ac iniuſtitia propriè dicta in Deum; adhuc ex illa nõ reſultare debitum reſarciendi, vel reparandi damnum ex iuſtitia. Probat *primò*, quia peccator nõ poteſt reddere in indiuiduo, quod abſtulit, vt conſtat: in æquiualenti verò non tenetur, quia illud in æquiualenti iam eſt in plena Dei poteſtate, nam æquiualentem gloriam extrinſecam, pro illa quã Deus non habuit, imò & perdidit pro peccato commiſſo, poteſt ſibi Deus pro libito recuperare, quoties ipſe voluerit per innumeras vias, mouendo peccatorem ad actus egregios efficaciter ex quibus æqualis, vel maior gloria extrinſeca ipſi Deo reſultet. Nõ igitur reſtat quomodo peccator poſſit ex motiuo iuſtitiæ ſatisfacere Deo pro iniuria, nec Pœnitentia poſſit velle ſatisfactionem ex motiuo iuſtitiæ: ſicut qui occidit hominem iniuſtè, ſi non poteſt neque indiuiduo, neque in æquiualenti reparare illud damnum, non poteſt ex motiuo iuſtitiæ velle illud reparare, vel ſatisfacere pro illo.

Secundò, ſi eſſet obligatio ex iuſtitia ad exhibendam pro peccato ſatisfactionem prædictam, certè ipſa lex iuſtitiæ obligaret proculdubio ſtatim quamprimũ poſt commiſſum peccatum: quia iuſtitia ſicut obligat ad non lædendum ius alienum, obligat etiam quando læſum eſt, ad ſatisfaciendum, quantum fieri poſſit ſtatim; ita vt quandiu ſatisfactio differtur, continuetur peccatum non ſolùm habituale, ſed nouum actuale. Conſequens autem eſt falſum ex omnium doctrina; non enim homo peccat de nouo, eo quòd poſt primum peccatum non ſtatim conteratur, vel ſatisfaciat pro illo. Firmatur, nam lex Iuſtitiæ inter homines, obligat ad reſtituendum ſtatim rem furto ſublatam, aut damnum illatum, quia ſimpliciter obligat ad non contrectandam rem alienam; ergo ſi lex iuſtitiæ obligat ad Deo ſatisfaciendum pro peccato, ſtatim obligabit ad talem ſatisfactionem, & ad non permanendum in iniuria eius.

Hanc difficultatem tractaui in opere *de Incarnatione, diſp. 4. ſect. 8. n. 16. & 17.* Vbi partem affirmantem, vt veriorem, amplexus ſum. Quam ampliùs ſequentibus dictis declaro.

Dico ergo *primò*, eſſe in peccatore obligationẽ ex natura rei ſatisfaciẽdi Deo pro iniuria illa per peccatũ mortale, 1

tale, quantum homini poſſibile ſit. Probatur à priori, quia omnis iuſtitia ad alterum proportione ſeruata, intrinſecè, & naturaliter obligat ad ſatisfactionem iniuriæ illatæ; nam obligat ad medium conſtituendum in ſuo obiecto, id eſt ad æqualitatem reſarciendam, quam iniuria abſtulerat: Igitur cùm homo peccando intulerit iniuriam Deo, contra eius honorem, & dignitatem vltimi finis, ac ſupremi dominij proprij, tenetur ex natura rei reſarcire hoc damnum, ſatisfaciendo Deo, ſe totum illi ſubmittendo ratione iniuriæ illatæ, ac Deum vt ſupremum Dominum, & vltimum finem honorando. Dixi, *quantum homini poſſibile ſit*; quia nequit dari obligatio de rebus impoſſibilibus.

3 Dico *ſecundò*, nullum actum peccatoris etiam ſupernaturalem, qui fieri poſſit a peccatore per auxilium gratiæ, eſſe ex ſe, & ex natura ſua condignam, & ſufficientem ſatisfactionem pro iniuria Deo facta per peccatum mortale. Hoc latè oſtendi cum communi ſententia *integra diſputatione quinta de Incarnatione.* Ratio vnica eſt deſumpta ex infinitudine perſonæ offenſæ, & ex infima, ac vili conditione perſonæ ſatisfacientis, maximè exiſtentis in peccato mortali. Firmo, quia ſatisfactio æqualis pro mortali debet prudenti iudicio tanti æſtimari moraliter, prout effectiuè procedit ab agente morali, quanti æſtimatur offenſa peccati; itavt ex vi talis æſtimationis offenſam delere queat: ſicut enim prudenti iudicio moraliter æſtimatur offenſa; ita & ſimili iudicio debet æſtimari illius compenſatio. At Contritio, v. g. quam poteſt homo exhibere in ſatisfactionem pro peccato proprio mortali, nequit tanti æſtimari, quanti offenſa; quia contritio quatenus procedit efficienter à peccatore, procedit adhuc à perſona inimica Dei; & licèt procederet à perſona grata, eſt infimæ dignitatis reſpectu Dei; ergo eius ſatisfactio omninò eſt inæqualis grauitati iniuriæ, & offenſæ Dei. Vnde infertur, quantumuis iuſtitia de ſe nata ſit obligare ad condignam ſatisfactionem, tamen excuſari hominem ab huiuſmodi obligatione propter impotentiam: ſicut inter homines qui alterum occidit, ex vi iuſtitiæ obligaretur ad vitam reparandam ſi poſſet, tamen propter impotentiam non obligatur, ſeu potiùs excuſatur.

4 Dico *tertiò*, quamuis homo nequeat condignè ſatisfacere, poſſe tamen adiutum diuina gratia de congruo ſatisfacere, & ad huiuſmodi congruam ſatisfactionem obligari ex iuſtitia. Probo id manifeſtè, quia ex vi legis iuſtitiæ, quâ obligatur homo ad condignam ſatisfactionem, ſi poteſt eam exhibere, obligatur quoque, ſi non poſſit integram, ſaltem eam quam poſſit, exhibere. Hac enim de cauſa, ſi quis alium infamauit, tenetur integrè infamiam tollere, vel ſaltem minuere, ſeu efficere, ne augeatur Et qui alteri contumeliam fecit, tenetur integrè reparare honorem, ſi poſſit, vel ſaltem ea exhibere ſigna honoris, quibus prior iniuria, prout fieri poterit, reſarciatur. Igitur eadem proportione iudicandum eſt de ſatisfactione Deo exhibenda, quamuis nequeat homo condignè ſatisfacere; poteſt tamen per auxilium gratiæ Dei conuerti ad Deum, ac illi ſe totum ſubmittere, eumque vt vltimum finem, quantum poteſt, honorare, atque adeò tenetur homo ex naturali lege iuſtitiæ ad Deum illam exhibere. Firmo à paritate; nam homo non poteſt condignas gratias agere Deo pro beneficiis acceptis, debet tamen referre quas poteſt. Item non poteſt tribuere Deo adorationem, & cultum condignum tantæ Maieſtati, tenetur tamen prout potuerit colere illum. Idem igitur dico de ſatisfactione pro peccatis, tametſi nequeat homo ſatisfacere pro illis de condigno, nec ſufficienter; tenetur tamen quantum poteſt pro illis ſatisfacere, nempe, de congruo.

5 Ad argumenta oppoſita. Ad primum; tametſi peccator per ſua peccata tollat ſolùm à Deo honorem, & gloriam extrinſecam, neque enim aliud auferre poteſt; nego tamen ad hanc gloriam reſtituẽdam in æquiualenti, quantum poſſit, non obligari ex iuſtitia. Poteſt quidem Deus illam ſibi pro libito recuperare, per innumeras vias; ſicut videmus quotidie ex ipſa permiſſione talium peccatorum, ſequi quoque Deo non parùm honoris. Hoc tamen non tollit, quin ipſe peccator teneatur ex iuſtitia talem iniuriam, quantum poſſit, compenſare propria ſubmiſſione, & obſequio: nam etiam in æſtimatione morali non cenſetur tolli iniuria, niſi ab ipſo qui illam intulit, exhibeatur obſequium, & ſubmiſſio illi poſſibilis. Vnde tenetur peccator ſe ipſum Deo ſubmittere, & ad ipſum Deum cõuertere, & ſic reſarcire Deo gloriam, quam ipſe peccando abſtulit: dum enim qui offendit non ſe ſic ſubmittit, cenſetur moraliter manere in priſtina voluntate offenſæ, ex quo ipſa non retractatur, atque ideò moraliter cenſetur manere offenſa.

Ad ſecundum, optimè reſpondet Suarez *diſp. 15. de Pœnitentia ſectione quinta, num.* 10. conſtituens diſcrimen inter iuſtitiam, quæ eſt ad Deum, & illam aliam iuſtitiam quæ eſt erga hominem: nam cùm læditur homo, v. g. per furtũ, vel per iniuriã, per ſe loquendo, paritur detrimentum, aut damnum in propriis bonis ſibi vtilibus, quibus carere cogitur, quamdiu res ablata ei non reſtituitur, nam infamia quò magis durat, eò magis radicari ſolet, aut diffundi, & ideò carentia honoris ſemper fit oneroſior, ſicut etiam carentia pecuniæ de ſe eſt nocumentum conſiderabile; multum enim ex his bonis humana vita pendet; & ideò iuſtitia non ſolùm obligat ad non accipiendam rem alienam, vel ad non inferendam proximò iniuriam, ſed etiam ligat ad non detinendam illam apud ſe, vel ad non dilatandam iniuriæ ſatisfactionem; vnde reſtitutio inter homines ſtatim, quamprimùm ſi poſſit, facienda eſt. At reſpectu Dei nõ ita ſe res habet, per ſe loquendo: nam licet noſtris offendatur peccatis; non tamen ita læditur, vt priuetur aliqua re ſibi vtili, ex quo eius vita pendeat; aut detrimẽtum aliquod patiatur; ſolum enim priuatur honore ſibi iure debito, vt eſt finis vltimus, & ſupremus dominus; & ideò dilatio ſatisfactionis debitæ non eſt Deo nociua; & per conſequens non ſtatim quamprimùm vrget. Dixi *per ſe loquendo*: nam per accidens contingere poteſt in aliquo caſu, cùm quis v. g. infamat Deum per falſam doctrinam, apud alios eius auctoritatem minuens, ac inducens, vt falſa de illo credant, nempe eſſe mendacem, crudelem, &c. tunc enim tenetur ille ſtatim ex iuſtitia reuocare errores quos ſeminauit, extollendo diuinam auctoritatem, & bonitatem, & oſtendendo ſui dicti retractationem, ad tale damnum ſtatim reparandum. Quæ obligatio propriè non ſpectat ad præceptum Pœnitentiæ: nam ſine vera pœnitentia poſſet illa ſatisfactio fieri, quatenus eſt reſtitutio famæ, ſeu deſtructio erroris; vnde pertinet ad aliam rationem iuſtitiæ, propter ſpecialem iniuriam illi factam per illud peccatum. 6

Vrget adhuc Cardinalis de Lugo: In humanis idem nocumentum, quod ſufficit vt obligetur homo ad non lædendum ius alterius, ſufficit vt obligetur damnificator ad non differendam reſtitutionem, vel ſatisfactionem; quia quamdiu differtur reſtitutio, manet dominus cum illa læſione, aut nocumento: ergo idem dicendum in iuſtitia ad De[illegible] licèt dilatio non ſit Deo nociua, obligabit nihil[illegible]ùs ad non differendam ſatisfactionem, cùm illatio damni quæcumque ſit, obliget ad ſatisfaciendum aliquando Deo. Verùm facilè reſpondeo: nam etiam in humanis aliquando contingit; vt is cui damnum illatum eſt, nullam ex dilatione reſtitutionis, vel ſatisfactionis damnum patiatur, nec alicuius damni augmentum; & tunc nõ eſt tam ſtricta obligatio 7

reſtituendi ſtatim, neque eſt nouum peccatum, quoties oblata reſtituendi commoditas negligitur, modò non deſit voluntas aliquando reſtituendi, vt notauit Coninck. *de Pœnitentia, diſp. 3. dubio 3. n. 25.* & credat debitor ſe adhuc ſæpiùs habiturum commoditatem reſtituendi. Qui etiam aduertit *numero vigeſimo ſexto*, cæteris paribus, grauius peccatum eſſe alteri damnum inferre, quam illatum non reſarcire. Hincque multa eſſe, quæ damnificatorem, vel ad tempus, vel etiam perpetuò excuſant à reſtitutione damni: quæ tamen non ſufficiunt vt quis licitè poſſit damnum inferre. Videatur de hac re Leſſius *de iuſtitia c. 16. dubio* 10. Igitur non valet argumentum ab obligatione non lædendi ius alterius, ad obligationem non differendi reſtitutionem, vel ſatisfactionem, etiam in iuſtitia humana. Potiori iure hoc idem dicendum eſt in ipſa iuſtitia quæ eſt ad Deum, propter rationem ſuprà dictam, quia non priuatur Deus per iniuſtitiam contra ipſum commiſſam aliqua re ſibi vtili, nec vllum ex dilatione patitur detrimentum, præterquam in caſu illo ſpeciali, in quo diminuitur apud alios diuina auctoritas.

SECTIO III.

An ratio boni honeſti vt ſic, quod includitur in ſeruando integre iure diuino, ſit obiectum formale virtutis Pœnitentiæ.

1 OBiectum formale, & motiuum honeſtum ad odio habendum, ac deteſtandum peccatum, multiplex eſſe poteſt, pro varietate virtutum, & diuerſitate rationum formalium, quibus peccatum concipi poteſt contrarium bono. Diſcurrendum igitur eſt per varia motiua formalia, vt tandem proprium, ac ſpecificum obiectum formale virtutis Pœnitentiæ deſignemus, quam ſupponimus eſſe ſpecialem virtutem.

Poſſet quis opinari, bonum honeſtum vt ſic, quod eſt ex ſe amabile, & expetibile, poſſe eſſe obiectum formale Pœnitentiæ: quia vnaquæque virtus verſatur circa aliquod ſpeciale honeſtum bonum, in quo communis ratio boni honeſti vt ſic formaliſſimè includitur; ergo quælibet virtus, atque adeò & virtus Pœnitentiæ poterit quoque verſari circa illam rationem præcisè ſumptam, quæ verè includitur in honeſtate ſpecifica iuris diuini illæſi ſeruandi, &, ſi fuerit læſum, reſarciendi. Firmatur, quia circa prædictum bonum honeſtum vt ſic, cùm ſit ratio generica, & non ſpecifica, ad nullam ſpecialem ac determinatam pertinet virtutem; ergo ab omnibus, & à qualibet ſeorſim attingi debet, & per conſequens à virtute Pœnitentiæ.

2 Dico *primò*, negari non poſſe, rationem illam boni honeſti vt ſic, tametſi genericam, poſſe eſſe obiectum formale ſpecificans aliquem actum honeſtum in ſpecie, & in particulari. Ratio euidens eſt, quia rationes formales obiectorum, quæ in ſe ſunt genericæ, poſſunt aſſumi vt ſpecificę in ratione obiectorum formalium: ſic ratio communis animalis, quæ eſt in homine, & in brutis poteſt concipi ab intellectu, vt ratio ſpecifica, ſeu vt diuerſa ſpecie à ratione formali rationalis, quæ eſt conſtitutiua hominis. Idem cum proportione inuenitur in aliis rationibus vniuerſalioribus, & etiam in tranſcendẽtalibus. Igitur ſicut hoc negari nõ poteſt noſtro intellectui præſcindenti, ita nec poteſt negari noſtrę voluntati; quæ etiam eſt vniuerſalis potentia, quæ communes rationes, & abſtractas attingit: vnde illæ obiectiuè ſumptæ poſſunt comparari ad actus voluntatis, vt ſpecificæ; tametſi in ſe ſint vel genericæ, vel vniuerſaliores.

Hinc Dico *ſecundò*, actum quo voluntas amat bonum honeſtum vt ſic, eſſe quendam actum ſpecialem habentem ſuum proprium ſpecificum obiectum formale. Probatur, quia talis actus nequit eſſe in rerum natura, quin in aliqua vltima, ſeu infima ſpecie ſit conſtitutus. At ille actus eſt ſpecie diſtinctus ab omnibus actibus ſpecialium virtutum, vt Temperantiæ, Iuſtitiæ, Religionis, & ſimilium; quia non poteſt eſſe eiuſdem ſpeciei cum omnibus illis, cum etiam illi inter ſe ſpecie diſtinguantur; neque etiam eſſe poteſt eiuſdem ſpeciei cũ aliquo illorum; tum quia non eſt maior ratio de vno, quam de alio; tum etiam quia nullum obiectum illorum actuum poteſt ipſum terminare, vel ſpecificare. Igitur ille actus eſt in quadam alia propria, & determinata ſpecie vltima actus honeſti voluntatis, cuius obiectum formale ſit ratio honeſtatis vt ſic, quatenùs ſumitur vt proprium, & particulare motiuum, & induit rationem ſpecificam obiecti formalis. Idem dicendũ eſt de alio actu, qui huic correſpondet, circa malum, ſeu peccatum, deteſtando illud, ſub hac præciſa ratione, quia turpe eſt, & contrariũ honeſtæ rationi vt ſic. Sunt enim hi duo actus inter ſe maximè connexi; ac proinde vtrorumque ſemper eadem eſt ratio. 3

Dico *tertiò*, dictam peccati deteſtationem, prout eſt malum oppoſitum bono honeſto vt ſic, non poſſe ſpectare ad alias particulares virtutes Temperantiæ, Iuſtitiæ, Religionis, & ſimiliũ. Vnde ſi ab aliqua virtute elicitur, ſolum elici poteſt à peculiari quadam, propria, & ſpeciali virtute ſibi cõmenſurata, diſtincta ab omnibus aliis. Probatur manifeſtè, quia talis actus elici nõ poteſt ab omnibus virtutibus ſimul, cùm illæ ſolùm operentur ſub propriis rationibus ſeu motiuis, quæ ſũt variæ, & diſtinctiſſimæ: neque etiã elici poteſt ab aliqua determinata virtute ex omnibus illis; quia nõ eſt maior ratio dę vna, quàm de alia; & motiuũ operãdi eſt lõgè diuerſũ in illo habitu, & actu: Igitur deſignãda eſt peculiaris virtus & habitus diſtinctus ab omnibus aliis, qui talẽ actũ eliciat, & illam honeſtatem vt ſic formaliter reſpiciat. 4

Dico *quartò*, prædictum actũ elici non poſſe à virtute Pœnitentiæ: Patet ex præcedentibus dictis; quia virtus Pœnitentiæ, tametſi vniuerſalis ſit, ſicut eſt iuſtitia, & charitas; nam verſari poteſt circa quaſcumque materias virtutũ, aut vitiorum; tamen in his materiis reſpicit proprium & ſpeciale motiuũ, quod vt *infrà* dicemus, eſt iuris diuini ſeruandi, &, ſi fuerit læſũ, reparãdi; hoc autem motiuum continetur ſub generali ratione boni honeſti in communi, vt ſpeciale ſub vniuerſaliori; ergo actus proprius virtutis Pœnitentiæ nõ minùs diſtinguitur ab actu, qui verſatur circa bonum honeſtum vt ſic, quàm actus Charitatis, Iuſtitię, Religionis, & aliarum virtutum; non ergo poteſt virtus Pœnitentiæ elicere talem actum. Firmo; quia virtus Pœnitentiæ eſſentialiter eſt virtus iuſtitiæ ad Deum, vt dicemus *infrà*; ergo quidquid per ſe proximè operatur, eſt ſub ratione iuris diuini, & cum habitudine ad ius, & ſupremum dominium Dei, quod propriè reſpicit, vt ſuum formale ſpecificatiuum. At ille actus nullo modo tendit ad conſeruationem iuris diuini, neque, ſi fuerit læſum, ad reparationem illius, ſed ſolùm ad rationem boni honeſti in communi, quatenus eſt honeſtum vt ſic; ergo non poteſt prædictus actus elici à virtute Pœnitentiæ. 5

Dico *quintò*, actus naturales proſecutionis, quos voluntas elicit circa bonum honeſtum vt ſic, habere quendam peculiarem, & naturalem habitum, ſeu virtutẽ, habentem propriam naturam, & ſpeciem ex habitudine ad tale obiectũ, ſub præciſa ratione boni honeſti vt ſic cõſideratum, & acceptum. Patet. Tum quia ex ipſo vſu, & exercitio horum actuum naturalium, manifeſtè conſtat hos actus multùm conferre ad facilitatem adquirendam

dam

dam in operatione virtutis; ergo ſignum eſt relinquere habitum: Hoc enim argumento, & indicio probamus, per alios actus naturales adquiri habitus naturales. Tum etiam quia habitus bonus, & virtutis circa obiectum honeſtum, & difficile, neceſſarius eſt; at obiectum horũ actuum bonum, & honeſtum per ſeſe conſideratum, etiam eſt difficile: nam in voluntate, licèt ſit magna propenſio naturalis ad bonum honeſtum vt ſic, eſt etiã quoque naturalis inclinatio ad bonum, commodum, & delectabile ipſi naturæ, & ipſi corpori; eſt enim anima rationalis vt ſic, forma corporis, & ad ipſius commodum propenſa: ex hac autem inclinationum diuerſitate oriri ſolet difficultas, & repugnantia in operando Hac enim de cauſa oritur neceſſitas aliarum virtutum moralium.

Reſpondebis, hanc difficultatem oriri ex materiis, ſeu obiectis particularibus, quam vincunt habitus naturales ſpeciales verſantes circa tales materias, & obiecta particularia Sed contrà eſt, quia ſicut ex obiectis particularibus colligimus difficultatem circa obiectum peculiare ſpecificum; ita etiam colligere debemus difficultatem obiecti in genere, ſeu in maiori abſtractione ſumpti, propter repugnantiam cum inferiori natura ſenſitiua; ſaltem reſpectu efficacis voluntatis de bono honeſto, & propoſito abſoluto exequendi illud; Et quamuis hęc difficultas minui poſſit per alias particulares virtutes naturales, ſeu habitus; non tamen ita omninò tollunt difficultatem illam, quin multùm iuuari poſſint per proprium ſpecialem habitum, commenſuratum dictis actibus tendentibus in vniuerſale bonum: ſicut è contrario, quamuis voluntas ſit naturaliter propenſa ad delectabilia, poteſt hæc inclinatio magis ac magis augeri per habitus vitiorum, quibus propenſio ad virtutem quodammodo minuatur. Quare, ſicut ſi homo vitioſus exerceat actus ſequendi in vniuerſum ſuum appetitum in omnibus, tametſi ad particulare obiectum non deſcendat, proculdubio adquiret aliquem habitum vitij, quo & difficilior ad virtutem, & propenſior ad vitia reddatur: ita eodem modo de homine bono ac ſtudioſo dicendum eſt, ſi ſe exerceat in actibus illis amplectendi ſemper id quod honeſtum eſt, tametſi non attingat expreſsè particulare aliquod obiectum honeſtum penes eius ſpecificam honeſtatem; proculdubio adquiret habitum ſpecialem honeſtum, quo difficilior ad vitium, & propenſior ad virtutem reddatur.

7 Dico *vltimò*, circa rationem obiectiuam boni honeſti, prout eleuatam ſupra naturam rationalem ad ordinem gratiæ, poſſe elici ſpeciales actus ſupernaturales; & ad illos connaturaliter eliciendos, eſſe conſtituendum ſpecialem habitum ſupernaturalem, ſeu virtutem infuſã attingentem prędictam vniuerſalem rationem ſupernaturalem. Ita notauit benè Suarez *diſp. 2. ſect. 4. n. 8.* Probatur prima pars Dicti; quia negari non poteſt, quin etiam ſub illa ratione ſumpta in ordine ſupernaturali poſſint actus honeſti ſupernaturales fieri; cùm in ratione obiecti ſupernaturalis induat ſpecialem rationem ſuperni ordinis, valdè diſtinctam à particularibus bonis; & obiectis ſupernaturalibus aliarum virtutũ. Secunda pars inde clarè oſtenditur; quia ad connaturaliter eliciẽdos prædictos actus honeſtos, ac ſupernaturales, debet deſignari principium proportionatum, & intrinſecum; hoc autem non inuenitur in ſola voluntatis natura, vt eſt per ſe notum; quia voluntas per ſe, ac nude ſumpta, non eſt intrinſecè proportionata ad actus ſupernaturales eliciendos: Igitur neceſſe eſt vt in illo ordine ſuperno aliquis habitus ſupernaturalis talibus reſpondeat actibus; ille autem talibus nequit eſſe habitus, ſeu virtus Pœnitentiæ, neque charitas, neque alia virtus infuſa, quæ verſetur circa aliquam ſpecialem rationem ſpecificam boni honeſti ſupernaturalis, quia tendit in diuerſam ſpecie honeſtatem; ergo neceſſariò conſtituendus eſt in ordine habituum infuſorum ſpecialis habitus ſupernaturalis, reſpiciens illam rationem ſupernaturalem vniuerſalem. Firmatur idem à ſimili; nam illi actus verſantes circa rationem illam genericam boni honeſti in communi, ſi ſint ordinis naturalis, generant habitum dantem facilitatẽ ad ſimiles actus; cur etiam ſi ſint ordinis ſupernaturalis, verſantes circa illam rationem genericam, prout eleuatam ad ordinem gratiæ ſupernaturalem, non requirent habitum ſeu virtutem ſupernaturalem eiuſdem ordinis, vt ſic illi fiant connaturali modo? Hæc enim eſt neceſſitas omnium aliorum habituũ, ſeu virtutum ſupernaturalium. Quare prędictus habitus in nobis eſt cõcedendus; & eſt verè, & propriè virtus, quia eſt à Deo immediatè, & per ſe infuſus noſtræ voluntati; & obiectum eius eſt bonum ſupernaturale, & actus illius ſunt etiam honeſtiſſimi, ac ſupernaturales; Et quãuis prædicta virtus non ſit principium actuum ſupernaturalium optimorum ſimpliciter, & in omni genere, ſicut eſt virtus Theologica charitatis; eſt tamen virtus ſupernaturalis moralis, ac præclara diſpoſitio ſubiecti ad optimum bonum operandi in ſuo genere; quia eſt principium actuum ſupernaturalium honeſtorum ex obiecto ſupernaturali, & per conſequens optimorum in ſua ſpecie, & ratione formali.

SECTIO IV.

An obiectum formale Pœnitentiæ ſit bonitas pacis cum Deo ad vitandam offenſam.

Cardinalis Lugo *diſp. 2. ſect. 4. n. 49. & ſequẽtibus,* 1 circa præſentem difficultatem tria proponit, ac defendit. Primum eſt, dari aliquam ſpecialem virtutem inter homines, ab aliis omninò diuerſam, cuius formale obiectum ſit bonitas pacis cum illis, ad vitandam offenſam, ratione cuius ſit homo rationabiliter auerſus, & indignatus; quæ etiam tendit ad hoc, vt hominem auerſum reconciliet. Secundum eſt, dari ſimilem ſpecialem virtutem hominis ad Deum, quæ inclinat ad habendam pacem cum Deo; cuius obiectum formale ſit bonitas pacis cum Deo ad vitandam offenſam Dei; & etiam vt Deum auerſum nobis reconciliet. Tertium eſt, hanc virtutem eſſe ipſam formalem Pœnitentiam, & per cõſequens eius obiectum formale eſſe bonitatem pacis cum Deo, ad vitandam omnem illius offenſam. Primum ex his tribus probat; quia ea virtus negari non poteſt, quòd detur inter homines; nam eſt valdè honeſtum & laudabile, neminem habere offenſum, nec rationabiliter auerſum; quod eſt habere pacẽ cũ omnibus; ergo debet dari virtus, quæ habeat hoc motiuum adeò honeſtum, Firmat, explicans prædictum obiectũ formale huius virtutis valdè differre inter homines ab obiecto Iuſtitiæ, Quia aliud eſt, offendere aliquem, aliud verò inferre iniuriam: nam iniuria eſt contra ius ſtrictum & proprium quod alius habet; offẽſa verò contingit ſæpe ſine iniuria. Vt v.g. ſi amicus à me petat librum commodatum, quo ipſe valdè indiget, & quem ego ſine incommodo poſſum commodare, & tamen nolo id facere, proculdubio offendo amicum, & do ſufficiens fundamentum vt rationabiliter auertatur à me, licèt reuera nullam ei irrogem iniuriam contra iuſtitiam, alioquin tenerer ad reſtitutionem, quod eſt falſum, Item ſi ab amico furarer librum, vel veſtem, non ſolùm facerem iniuriam, ſed offenſam diſtinctam: iniuria enim omninò ceſſaret reſtituto poſtea libro, vel veſte; adhuc tamen maneret in ęſtimatione prudentum ſufficiens fundamentum, vt ille maneret auerſus, donec illi etiam pro offenſa ſatisfacerem. Ad tollendam

ergo vel vitandam iniuriam obligat Iuſtitia;ad tollendam verò, vel vitandam offenſam inclinat alia virtus inter homines,quę prohibet dare alicui ſufficientem ac rationabilem cauſam indignationis,& auerſionis,etiam ſine iniuria.& inclinat ad tollendam etiam illam,quando poſita eſt, exhibendo ſatisfactionem ſufficientem per obſequia, per veniæ petitionem, & per ſimilia alia, pro quantitate offenſæ: nam poſitâ eâ ſatisfactione, offenſa extinguitur; & ſi offenſus durus eſſet in acceptanda ſatisfactione, prudentes tamen iam non cenſerent ipſum manere rationabiliter auerſum.

2 Secundum oſtendit à paritate, dandam eſſe aliam virtutem ſimilem hominis ad Deum, quæ inclinet ad habendam pacem cum Deo, ſeu ad vitandam offenſam Dei. Nam Deus omnibus peccatis offenditur, vnde omnia illa odio habet hæc virtus ſub ea ratione formali, quia offenſæ Dei ſunt: & omnia illa conatur tollere,vt iterùm habeat Deum pacatum,& placatum; & ideò dicitur hæc virtus reconciliatiua, quia tendit ad hoc, vt Deum auerſum nobis reconciliet.

4 Tertium, nempe hanc virtutem eſſe ipſam Pœnitentiam; Probat primùm ex modo loquendi Theologorum, qui de Pœnitentia ſic loquuntur. Nam D. Thom. 3. *part. quæſt.* 85. *art.* 2. *in corpore*, probat Pœnitentiam eſſe ſpecialem virtutem, quia tendit ad deſtructionem peccati præteriti, in quantum eſt Dei offenſa: quod non pertinet ad rationem alterius virtutis. Non dixit habere odio peccatum, in quantum eſt Dei iniuria, hoc enim pertinet ad Iuſtitiam: neque in quantum eſt Dei irreuerentia; hoc enim pertinet ad Religionem:ſed in quantum eſt Dei offenſa, quod eſt proprium motiuum huius Virtutis. Clarius adhuc idem D.Thom. hoc expreſſit *in* 4 *d.*14. *quæſt* 1.*art.*1. *quæſtiuncula* 3. *ad vltimum*, vbi idem probat his verbis: *Sicut enim eſt alicuius virtutis, vt homo placet Deum, quem peccando offendit; ita etiam eſt alicuius virtutis, vt homo Deum placet, quem peccato offendit.* Idem probat ex modo loquendi ipſius Eccleſiæ, quæ hoc peculiare munus videtur Pœnitentiæ tribuere, cum dicit: *Deus qui culpâ offenderis, pœnitentiâ placaris.*

5 Quòd ſi quis dicat, hoc videri proprium motiuum charitatis, quia deteſtari peccatum, vt præcisè offendit Deum, eſt deteſtari peccatum, vt aduerſatur Deo, quod eſt proprium Charitatis. Contrà obiicit Cardinalis Lugo,quia aliud eſt longè diuerſum,deteſtari peccatum, quia aduerſatur Deo, ſeu quia eſt malum Dei extrinſecum, & quia diſplicet Deo, quod pertinet ad Charitatem; aliud verò, deteſtari peccatum, quia offendit Deum, ſeu quia irritat Deum, & auertit eum ab homine;& hoc ait pertinere ad ipſam, quam ponit Pœnitentiæ virtutem. Nam etiam inter homines diſtinguuntur hæc duo: poſſum enim nolle offendere alium, ne eum rationabiliter reddam mihi auerſum, licèt alioquin nullam habeam, nec habere expetam cum ipſo amicitiam: quoniam Amicitia tendit ad vitandum malum illius; quia malum illius eſt; at Pœnitentia tendit formaliter ad vitandam offenſam, non quia malum illius eſt, ſed potiùs quia malum, & inhoneſtum mihi eſt habere alium rationabiliter mihi auerſum. Vnde infert Pœnitentiam formaliter tendere ad reconciliationem cum Deo,quatenus expetit Deum habere placatum, non ita vt formaliter expetat habere Deum amicum.Quoniã aliud eſt habere Deũ placatũ, hoc eſt, non auerſum, non iratum, non offenſum; & aliud habere Deum amicum,hoc eſt, poſitiuè beneuolum,& gratum. Illud primum ſolùm expetit formaliter Pœnitentia; licet de facto nunquam reperiatur illud primum ſine hoc ſecundo. Nihilominus tamen, ſicut etiam inter homines datur ſtatus medius inter amicitiam, & inimicitiam; ita Pœnitentia poteſt intendere formaliter hoc, quod eſt non habere Deum inimicum, & tollere omnes occaſiones offenſionis & diſſidij,ſine eo quòd intendat poſitiuè eius amicitiam.

Dico *primò*, non apparere ſufficientem rationem, quæ obliget ad conſtituendum inter homines ſpecialem virtutem ab aliis diuerſam, ad vitandam offenſam vt ſic;& conſeruandam pacem. Moueor, quia ſi offenſa ſit adeò grauis, vt verè iudicetur iniuria contra Iuſtitiam,certum videtur ad tollendam, vel vitandam prædictam offenſam, obligare non aliam virtutem præter Iuſtitiam,cuius proprium munus & officium eſt,ſeruare vnicuique ius ſuum, & ſi fuerit læſum,reſarcire, ac reparare.Si autem fuerit offenſa, quæ non ſit verè iniuria; conſtat enim inter homines non omnem offenſam eſſe propriè, & in rigore iniuriam; iam datur virtus Obſeruantiæ, cuius officium eſt honorare omnes perſonas dignitate, vel perfectione præditas, ſiue ſint ſuperiores,ſiue æquales,ſiue inferiores, vnamquamque ſecundùm ſuum ſtatum,ac dignitatem, & ipſis honoris exhibere ſigna,ac per conſequens prohibere cauſam omnem rationabilem indignationis,& auerſionis etiam leuis. Id enim totum ſpectare videtur ad virtutem Obſeruantiæ. Non ergo videtur ſufficiens ratio ad conſtituendam aliam ſpecialem Virtutem diſtinctam ab omnibus aliis, ad vitandas offenſas, quæ poſſunt eſſe inter homines, & ad conſeruandam pacem cum illis.

Dico *ſecundò*, non eſſe conſtituendam ſpecialem 6
virtutem ſupernaturalem hominis ad Deum, diſtinctã à iuſtitia ſupernaturali, quæ eſt erga Deum, ad vitandam offenſam diuinam,& habendam pacem cum Deo. Id magis conforme eſt communi ſenſui, & modo loquendi Theologorum, qui talem virtutem ſupernaturalem non agnoſcunt. Ratio autem quæ me mouet; hæc vnica eſt, quia nulla poteſt dari offenſa hominis ad Deum, quæ non ſit iniuria Dei;ergo ſemper erit talis, quam teneatur prohibere virtus Iuſtitiæ, quæ eſt hominis erga Deum. Antecedens conſtat ex dictis à nobis ſupra *ſectione prima*, quia nulla poteſt concipi formalis offenſa in Deum, reddens illum auerſum, & indignatum, quæ non ſit culpa mortalis; at omne peccatum mortale eſt grauis iniuria in Deum,quâ grauiter læditur ius,& ſupremum dominium Dei, quod habet in hominem; & in omnes eius operationes, quæ titulo iuſtitiæ ſunt debitæ ipſi,& ſubordinatæ, ac pendentes ex eius diſpoſitione, & voluntate: ex quo infertur manifeſtum diſcrimen inter offenſas hominum inter ſe, & offenſam quæ eſt hominis ad Deum: nam inter homines, plerumque ſunt inſidiæ, & offenſæ, quæ non ſunt vllo modo iniuriæ,aut iniuſtitiæ;quia ſæpè ſunt de rebus,ad quas offenſus non habet dominium,nec ius in illis,vt conſtat ex illis exemplis adductis *num.*1. Cæterùm in homine reſpectu Dei, nulla concipi poteſt vera offenſa, maximè ſi talis ſit,vt reddat Deum auerſum,quæ non ſit formaliter iniuria, & contra virtutem Iuſtitiæ quæ eſt hominis ad Deum.

Dico *tertiò*,obiectum formale virtutis Pœnitentiæ, 7
non poſſe eſſe illam bonitatem pacis cum Deo,ſeu non habere Deum offenſum abſolutè. Sequitur ex præcedẽtibus dictis,quia nulla eſt offenſa contra Deum,quæ nõ ſit verè & propriè iniuria in ipſum; lædens eius ſupremum ius ac dominium; virtus autem Pœnitentiæ non tendit ad illius deſtructionem,niſi provt læſit tale ius,& intendit illud reſarcire, vt dicemus *infrà*. Igitur nulla alia bonitas pacis,quæ ſit diſtincta à prædicto motiuo, poteſt ſpecificare virtutem Pœnitentiæ. Addo, bonitatem pacis ſumi poſſe, vel in habitu,vel in actu. Pax in habitu,vel quaſi permanenter,nihil eſt aliud,quàm vnio voluntatum; non per modum actus ſecundi, ſed reſpectu Dei, inclinando voluntatem hominis ad coniunctionem cum Diuina voluntate;reſpectu verò aliorum

homi

Digitized by Google

hominum, inclinando ad concordiam, & conſentionem in rebus honeſtis; & in ipſo homine conſtituendo bonum ordinem inter appetitus, ſubiiciendo inferiorē ſuperiori. At hæc omnia nō poteſt efficere vna ſingularis ac ſpecialis virtus, ſed per varias virtutes hęc omnia fieri debēt, per diſtributionē accōmodam, dando vnicuique virtuti quod iuuet intra ſuum proprium motiuū ſpecificum; ita vt ex illis collectiuè ſumptis reſultet prædicta pax in actu primo. Si verò conſideretur pax in actu ſecundo, nihil eſt aliud quam actus voluntatis quo quis appetit hunc bonum ordinem cum Deo, vel cum proximis, vel in ſe ipſo: qui actus poteſt eſſe elicitus à virtute Charitatis, ſi ex formali motiuo charitatis fiat: & quia hoc motiuum maximè accommodatur tali actui; ideò talis actus maximè tribui ſolet Charitati. Nihilominùs tamen nō poteſt negari huiuſmodi actum elici quoque ab aliis virtutibus ex proprio cuiuſuis motiuo, nempe ex Religione, ex virtute Obſeruantiæ, Obedientiæ, & aliis. Vnde & conſequenter poterit quoque elici ex virtute Iuſtitiæ erga Deum, quæ eſt virtus Pœnitentiæ, intra ſuum proprium motiuum ſpecificum.

8 Ex dictis patet ſolutio ad tria illa capita Cardinalis Lugo. Ad primum iam conſtat ex primo Dicto, non eſſe admittendam illam ſpecialem virtutem. Similiter ſecundo Dicto oſtenditur, non eſſe dandam ſpecialē virtutem ſupernaturalem, quæ inclinet ad habendam pacem cum Deo.

Tertiū verò, quod probat auctoritate D. Thomæ, nō eſt contra nos. Nam eo ipſo quòd D. Thom. dicat Pœnitentiam eſſe ſpecialem virtutem, quia tendit ad deſtructionem peccati præteriti, in quantum eſt Dei offenſa; videtur ſignificare Pœnitentiam odio habere peccatum in quantum eſt Dei iniuria; quia nulla intelligi poteſt offenſa in Deum, quæ non ſit formaliſſimè iniuria Dei: ſimiliter Pœnitentia placat Deum, quem, peccando homo, & iniuriam ipſi faciendo, offendit. Idem eſt Eccleſiæ ſenſus, cùm dicit, *Deus qui culpa offenderis*, id eſt iniuria offenderis, *Pœnitentia placaris*. Denique offendere Deum, lædendo ius, & ſupremum dominium ſuum, non eſt peccatum directè & formaliter contra charitatem, ſed contra iuſtitiam quæ eſt ad Deum, ſeu contra virtutem Pœnitentiæ, quę formaliter eſt ipſa iuſtitia erga Deum: nam Charitas ſub alio ſuperiore motiuo, odio habet offenſam Dei, provt nimirum opponitur immediatè Deo, ſeu Diuinæ bonitati.

SECTIO V.

Vtrùm obiectum formale, ſeu motiuum ſpecificum virtutis Pœnitentiæ, ſit diuinum ius.

1 SEmper mihi placuit pars affirmans, quam defendit Suarez *diſp.* 1. *ſect.* 3. *n.* 4. Coninch *diſp.* 1. *dubio* 4. & Alij recentiores communiter. Quam hoc vnico argumento firmo, quia vt conſtat ex *ſect.* 1. *huius diſputationis*, omne peccatum eſt verè & propriè iniuria in Deū: conſtat quoque ex *ſectione ſecunda*, manere in peccatore debitum, & obligationem iuſtitiæ ad ſatisfaciendum Deo, & ad reſarciendum ius læſum per peccatum; ergo debet neceſſariò aſſignari pro motiuo, & obiecto formali alicuius virtutis, ius Dei illæſum ſeruandum; & ſi fuerit læſum, reparandum: nam ad eandem iuſtitiam, quā debemus ſeruare illæſum ius Dei, ſpectat quoque reſarcire illud, quantum fieri poteſt, ſi fuerit læſum: ſic enim in humanis eadem virtus iuſtitiæ quæ mouet ad non furandum, mouet quoque ad reſtituendum, quando factum eſt furtum. Hoc totum reſpicit virtus Pœnitentiæ, in ordine ad ius diuinum ſeruandum, & ſi fuerit læſum, reſarciendum; ergo prædictum ius erit illius obiectum formale, ac motiuum ſpecificum.

Variæ ſunt obiectiones contra prædictam ſententiam, ex quarum ſolutione manebit magis ſtabilis, ac firma. Prima eſt; quia Iuſtitia ex ſua ratione formali, tendit ad ponendam æqualitatem inter iniuriam, & ſatisfactionem; at Pœnitentiæ virtus nequit tendere ad æqualitatem; immò videtur formaliter tendere ad ſatisfaciendum inæqualiter, quia nulla creatura poteſt ſatisfacere Deo ad æqualitatem pro iniuria peccati mortalis; ergo nequit Pœnitentiæ virtus habere pro obiecto formali ius iuſtitiæ erga Deum ſeruandum. Verùm hæc obiectio facilè ſoluitur, quia Iuſtitia formaliter ſolum obligat ad ponendam æqualitatem, in quantum poni poteſt; neque enim Iuſtitia obligat cum rigore niſi ad ſatisfactionem poſſibilem; ſi poteſt totaliter, ad totalem; ſi ſolùm partialiter, ad partialem. Si ergo Pœnitentia ſatisfacit quantum poteſt, ex debito iuſtitiæ ſatisfacit; ſicut qui debet centum, & dat decem, quæ ſola habet, ſatisfacit ex iuſtitia quantum poteſt. 2

Secunda obiectio ſumitur ex dicto exēplo, de illo, qui debet centum, & dat decem, quæ ſola habet; nam ille de iuſtitia ſatisfacit ſaltem partialiter dando decem. At homo pro ſuo peccato nequit ſatisfacere de iuſtitia, nec de condigno etiam partialiter ob vilitatem perſonæ ſatisfacientis; vnde ſolùm ex congruitate quadam, mediā contritione ſe diſponit, vt non maneat ita Deo offenſus, ſicut antea; igitur diſpar eſt ratio. Firmatur; nam ille qui occidit hominem, ideò non poteſt ex iuſtitia reparare damnum illatum, quia non poteſt illum iterùm viuificare; & quamuis pro eius anima poſſit offerre preces, & Miſſarum ſacrificia, ſed non ad id ex iuſtitia tenetur; quia ea omnia nec partialiter reparant damnum illud occiſionis. *Reſpondeo*, exemplum illud, ſi benè attendatur, eſſe accommodatum ad præſens inſtitutum. Nam ſicut in humana iuſtitia datur reſtitutio, & ſatisfactio totalis integra, & adæquata, & etiā partialis, ac non ſufficiens ad ſoluendum totum debitum: ita etiam in iuſtitia quæ eſt ad Deum, & poteſt dari Satisfactio condigna, & ad æqualitatem pro peccatis venialibus; nam pro illis poteſt iuſtus diuturnis obſequiis plenè, & de condigno ſatisfacere; & datur quoque ſatisfactio congrua, ac non plenè ſufficiens pro peccato mortali. Vnde ad id declarandum deſeruit prædictum exemplum. Ad confirmationem, dico illum homicidam nullo modo reparare damnum mortis, nec de condigno, nec de congruo; quia nec poteſt mortuum ad vitam reddere; nec preces, ac ſacrificia quæ offert, tametſi valdè vtilia animæ ſint, ſed nullo modo deſeruiunt, nec reparant amiſſionem vitę corporeę, nec damnum illud homicidij. At pœnitens, cùm pro peccato ſuo proprio vult Deo ſatisfacere per virtutem Pœnitentiæ, quæ eſt iuſtitia ad Deum, ac reſarcire ius diuinum per peccatum læſum, facit ſuo dolore, quantum poteſt in ordine ad hunc finem. Vnde licet non ſatisfaciat ad æqualitatem, tamen ſatisfacit in effectu ad congruitatem, & in affectu vellet æqualiter ſatisfacere ad reſarciendum diuinum ius. 3

Tertia obiectio, quæ eſt Cardinalis Lugo *diſp.* 2. *ſect.* 1. *num.* 9. & 11. Pro debito peccati ad nullam teneor ſatisfactionem ex iuſtitia; ergo motiuum meæ pœnitentiæ nequit eſſe ius diuinum. Antecedens probat, quia illud idem quod abſtuli, non poſſum reddere in indiuiduo: non enim eundem actum, quem debui facere quando peccaui, poſſum reddere cum illis eiſdem 4

circunſtantiis,quas tunc habuiſſet,loci,temporis,& cæteris. Præterea alium ſimilem æquiualentem non teneor reddere ex iuſtitia, quia illum habet Deus in ſua plena poteſtate,& facilè poteſt illum à mea voluntate educere auxiliis ſuis efficacibus, quæ nouit optimè, & poteſt, quoties voluerit, vti illis; non ergo teneor ex iuſtitia ad reſtitutionem, vel ſatisfactionem pro iniuria facta. Quod firmari etiam poteſt exemplo illo homicidij: nam qui occidit hominem iniuſte, quia non poteſt neque in indiuiduo, neque in æquiualenti reparare illud damnum mortis,non poteſt ex motiuo iuſtitię velle illud reparare, vel ſatisfacere pro illo; ergo cùm peccator non poſſit reddere in indiuiduo quod abſtulit;in æquiualenti verò non teneatur, quia illud in æquiualenti iam eſt in plena Dei poteſtate, non reſtat quomodo ex motiuo iuſtitię velit ſatisfacere pro iniuria peccati. *Reſpondeo* negãdo antecedẽs. Ad eius probationem dico,peccatorem per ſua peccata abſtuliſſe à Deo honorem,& gloriam extrinſecam vltimi finis,ac ſupremi dominij;& ideò teneri reſtituere æquiualentem gloriam extrinſecam; & ad hanc reſtituendam quantum poſſit,obligari ex iuſtitia. Verum eſt habere eam Deum in ſua plena poteſtate,& facile poſſe illam ſibi pro libito per innumeras vias recuperare,hoc tamen non tollit, quominùs ipſe peccator teneatur ex iuſtitia talem iniuriam, quantum poſſit,compenſare propria ſubmiſſione,& obſequio. Nam etiam in æſtimatione morali, non cenſetur tolli iniuria, niſi ab ipſo, qui illam intulit, exhibeatur obſequium, & ſubmiſſio ipſi poſſibilis. Vnde tenetur peccator ſe ipſum Deo ſubmittere, & ad ipſum conuerti, & ſic reſarcire Deo gloriam, quam ipſe peccando abſtulit. Dum enim qui offendit, non ſe ſic ſubmittit,cenſetur moraliter manere in priſtina voluntate offenſæ,ex quo non retractatur; atque ideò moraliter cenſetur manere offenſa; & per conſequens vt non ſit moraliter manens, debet, & tenetur ex iuſtitia ſe ſubmittere, & pro iniuria ſatisfacere quantum poſſit:Ex quo conſtat exemplum illud confirmationis nihil probare: nam in noſtro caſu peccator poteſt,& tenetur iniuriam peccati compenſare quantum poſſit.

SECTIO VI.

Vtrum bonum compenſationis ſit obiectum formale virtutis Pœnitentiæ.

AD vberiorem intelligentiam obiecti formalis *præcedenti ſectione* explicati, virtutis Pœnitentię, hanc inſtituimus quæſtionem.

1 Nam Cardinalis Lugo conſequenter negat bonum compenſationis,ſeu ſatisfactionis, præſuppoſitâ offenſâ eſſe obiectum formale virtutis Pœnitentiæ. Probat, quia Pœnitentiæ virtus potiſſimùm eſt ad dolendum de peccatis commiſſis, vt conſtat. At poteſt dari compenſatio ſine odio & dolore peccati. Nam ſtat benè,me velle omnino ſatisfacere pro debito, & tamen non dolere de debito illo contracto:ſicut qui emit librũ vult ſatisfacere pro libro,& non dolet quòd contraxerit illud debitum.

Reſpondebis id omninò repugnare in ipſa Pœnitentia,quia medium maximè neceſſarium ad compenſationem pro peccato, eſt ipſum odium & dolor peccati. *Contrà* obiicit Lugo,quia licèt nũc de facto odiũ, & dolor ſit cõpẽſatio pro peccato,quia ita de facto voluit Deus ſibi ſatisfieri à peccatore per actum doloris;potuit tamen Deus eam ſatisfactionem non exigere,ſed aliam: nam potuit exigere, quòd peccator faceret eleemoſynam, vel ieiunaret pro peccato, quâ conditione poſitâ Deus condonaret peccatum, ſicut modò condonat illud, poſito dolore: tunc ergo virtus Pœnitentiæ non inclinaret neceſſariò ad habendum actum doloris, ſed ad eleemoſynam,vel ieiunium, quod tunc eſſet materia compenſationis, & medium vnicum ad illam; ergo per ſe loquendo, cum actu abſoluto Pœnitentiæ,non haberet connexionem neceſſariò odium peccati, eiúſque dolor. Vrget, quia nunc de facto, licèt Pœnitentia velit abſolutè ſatisfacere Deo pro peccato, non debet neceſſariò velle actum contritionis perfectæ, quia de facto non eſt neceſſaria contritio ad hunc effectum, ſed ſufficit attritio cum Sacramento, quam Deus voluit de facto eſſe ſufficientem ſatisfactionem; ergo ſi Deus neque hanc exigeret, ſed ſolum actum eleemoſynæ, vel ieiunij, non magis requireretur tunc odium peccati, eiuſque dolor ad ſatisfaciendum Deo, quàm nunc requiratur contritio; imò multò minùs, quia nunc requiritur contritio ſaltem extra Sacramentum. Patet conſequentia, quia ex natura rei, ſicut eleemoſyna non eſt ſufficiens ſatisfactio, ita nec attritio, vel contritio, ſed ſolùm ex diuina liberalitate acceptante illam pro ſatisfactione ſufficienti; ergo neque etiam dolor requireretur, ſi Deus acceptaret aliam ſatisfactionem. Igitur nunc de facto ſolum habet Pœnitentia connexionem cum dolore de peccatis, per accidens, quatenùs nunc de facto exigit Deus dolorem pro ſatisfactione: per ſe tamen poſſet eſſe perfecta, & abſoluta Pœnitentia ſine dolore, & odio peccatorum, imò & cum eorum complacentia.

Dico *primò*, bonum compenſationis eſſe obiectum 2
formale virtutis Pœnitentiæ, non verò adæquatum & totale, ſed partiale. Prima pars iuxta noſtra principia neceſſariò eſt amplectenda; quæ ſatis efficaciter probatur, quia bonum compenſationis, vel ſatisfactionis, præſuppoſitâ offensâ, & iniuriâ Deo illatâ, eſt ex ſe expetibile; nam poſt offenſam Dei, & læſum diuinum ius, eſt debita Deo titulo iuſtitiæ compenſatio, vel ſatisfactio; ergo ratione prædicti tituli eſt honeſta, & laudabilis compenſatio,atque adeò expetibilis. Igitur tale bonum cùm ſit expetibile per actum honeſtum, non videtur poſſe eſſe obiectum formale,niſi actus honeſti ſupernaturalis Pœnitentiæ, atque adeò & virtutis Pœnitentiæ,cuius munus & officium eſt, cùm reſpiciat ius diuinum illud ſi fuerit læſum per peccatum, reſarcire, ac reparare quantum poſſit. Secunda pars conſtat; quia intra virtutem adæquatam Pœnitentiæ ſunt alij quamplurimi actus,qui non reſpiciunt bonũ compenſationis vt obiectum formale, nec ſupponunt peccatum commiſſum, ſed reſpiciunt ius diuinum ſecundùm ſe, & non prout læſum, ac reparandum. Nam præcipuum munus Iuſtitiæ eſt, qualis eſt virtus Pœnitentiæ, ſeruare ius integrum, & illæſum.

Dico *ſecundò*, neque Attritionem, neque Contri- 3
tionem perfectam poſſe eſſe integram, & adæquatam compenſationem, & ſatisfactionem in peccatore pro iniuria Deo illata. Hoc etiam videtur certum;quia nullus homo purus, nedum peccator poteſt adęquatè compenſare iniuriam Dei,quæ eſt in omni peccato mortali; neque enim in æſtimatione morali cenſetur iniuria tolli,niſi offenſor ſuo obſequio poſſit integrè ſatisfacere: conſtat autem non poſſe pro iniuria Dei,etiam per contritionem perfectam;quia perſona offenſa eſt infinitæ dignitatis,& offenſor infimi ordinis,ac ſummæ vilitatis perſona, atque adeò obſequium, & quælibet ſubmiſſio non ſunt æqualia iniuriæ,vt eſt per ſe notum: eſt itaque infinita inæqualitas obſequij, & ſubmiſſionis proce

Digitized by Google

procedentis à tali perſona viliſſimæ conditionis. Vnde neque ad hoc poteſt inclinare virtus Pœnitentiæ, quia eſt omnino impoſſibile obiectum. Solum enim Chriſtus Dominus hic integre ſatisfecit pro noſtris peccatis, etiam prout ſunt iniuria Dei.

4 Dico *tertiò*, bonum compenſationis congruæ per attritionem eſſe ex ſe, & quaſi ex natura ſua obiectum formale virtutis Pœnitentiæ. Probatur, quia Attritio poteſt eſſe actus elicitus virtutis Pœnitentiæ, ſi fiat ex motiuo proprio, ac ſpeciali virtutis Pœnitentiæ; vt conſtabit ex dicendis in hac materia. At Attritio eſt congrua ſatisfactio, & compenſatio pro iniuria Deo illata; nam per illum actum homo ſe ſubmittit Deo, & obſequitur, ac pœnitet ipſum de offenſa commiſſa, nec iam manet moraliter in priſtina voluntate offenſæ; atque ideò per illum actum habet ex ſe congruitatem ad ſatisfaciendum pro iniuria, per illam animi ſubmiſſionem, ac dolorem. Præterea dicta ſupernaturalis Attritio cum Sacramento, ex Dei lege, & ordinatione, de facto eſt ſufficiens compenſatio; nam eâ poſitâ, Deus iniuriam peccati mortalis remittit, & liberaliter condonat, cúmque talis actus factus ſub motiuo ſpeciali reſarciendi ius diuinum, per iniuriam peccati læſum, ſit actus proprius, & elicitus à virtute Pœnitentiæ, ſequitur manifeſtè quòd tale bonum compenſationis poſſit virtus Pœnitentiæ reſpicere.

5 Ad argumentum initio adductum optimè ibi eſt reſponſum. Vnde notandum eſt manifeſtum diſcrimen inter compenſationem, ſeu ſatisfactionem pro peccato, & alias inter homines compenſationes, ac ſatisfactiones: nam in humanis rebus datur æqualis compenſatio, & ſatisfactio pro debito, quin detur dolor vllus de debito illo contracto, ſic enim ille qui emit domum, plenè ſatisfacit pro domo empta, ſoluendo pretium, & valorem illius quin doleat, vel pœniteat, quòd tale contraxerit debitum; imò gaudeat de tali debito contracto: At nequit dari in homine via, nec minima ſatisfactio Deo pro peccato, & iniuria contra ipſum commiſſa, quin verè peccatorem pœniteat de tali offenſa commiſſa: nullo enim modo, neque congruè tollitur inæqualitas, quam offenſa poſuerat, dum offenſor non deſtruit actionem offenſiuam, quantum poſſit; non verò moraliter deſtruit illam, etiam congruè tantum, niſi retractando ipſam; aliter enim cenſeretur moraliter manere in eadem actione offenſiua. Quare ad ſatisfaciendum Deo, ſeu vt peccator congruè Deo ſatisfaciat, neceſſaria eſt peccatoris ſubmiſſio per actum doloris ac deteſtationis peccati commiſſi.

Ad replicam, concedo potuiſſe Deum ordinare, vel ſtatuere, vt actus, v. g. eleemoſynæ fieret tanquam conditio, vt illâ poſitâ, condonaret peccata, & quòd ex Diuina diſpoſitione non requireretur actus Pœnitentiæ ad illorum remiſſionem, Deus enim, vt offenſus, poteſt condonare iniuriam, & offenſam, prout illi libuerit: Nego tamen in eo euentu, actum eleemoſynæ, futurum congruam diſpoſitionem ex ſe ad compenſandam iniuriam peccati, & obtinendam illius diuinam condonationem, ſicut eſt dolor ſupernaturalis de peccato commiſſo congrua diſpoſitio ad illius compenſationem. Ratio eſt, quia actus eleemoſynæ ex ſua natura, ſeu ex ſe nullo modo ordinatur ad bonum compenſationis, ſeu ad retractandam iniuriam Deo illatam, ſatisfaciendo pro illa, cùm ſolùm reſpiciat ex ſe, ac deſtinetur ad ſubleuandam miſeriam pauperis. Vnde ſi ex ordinatione diuina deſtinaretur ad condonandam culpam, eſſet quidem tanquam conditio prærequiſita ex mera Dei diſpoſitione ac volitione, non verò tanquam ex ſe diſpoſitio per modum ſatisfactionis etiam congrua ad talem effectum conſequendum. Ratio eſt, quia nequit dari vlla ſatisfactio etiam congrua pro peccato, quæ non ſit ſatisfactio pro iniuria Dei vt ſic, quia omne peccatum formaliſſimè eſt iniuria Dei; nequit autem eſſe vlla ſatisfactio, etiam congrua pro iniuria, & offenſa Dei, niſi offenſor, nempe peccator, ſe ſubmittat Deo, & cognoſcat grauitatem iniuriæ, ac pœniteat eum peccaſſe, ac talem iniuriam commiſiſſe, eliciendo actum doloris ſupernaturalem de peccato à ſe commiſſo. Quod nequit præſtare eleemoſyna vt ſic, ſeu ſub ſuo ſpeciali ac formali motiuo, ſolùm enim imperari poteſt à virtute Pœnitentiæ, referendo illam in ſuum finem reparandi, & reſarciendi diuinum ius. Hoc igitur præſtat Pœnitentia; & dolor ſupernaturalis procedens ab illa non poteſt non ordinari ad bonum compenſationis, vel ſatisfactionis modo dicto, ac per conſequens nequit non eſſe ex ſe ſatisfactio, & compenſatio ex ſe congrua pro peccato commiſſo; ſufficiens verò ex diuina liberalitate, ac volitione.

DISPVTATIO III.

De Actibus elicitis Virtutis Pœnitentiæ.

POST explicationem obiecti formalis, ac motiui virtutis Pœnitentiæ, oportet agamus de actibus ipſius. Hi autem duplices ſunt; alij Imperati, alij Eliciti. Imperati dicuntur, quos Pœnitentia vult fieri, vt media ad ſeruandum ius diuinum illæſum, aut ſi fuerit læſum, reparandum. Eliciti ſunt, quos elicit ipſe habitus Pœnitentiæ ſub motiuo formali ipſius. De actibus Elicitis dicemus in hac diſputatione.

SECTIO I.

Quos actus proſecutionis eliciat virtus Pœnitentiæ circa ſuum obiectum bonum.

CErtum eſt *primò*, virtutem Pœnitentiæ eos omnes actus elicere, quos alij habitus ſupernaturales eliciunt circa ſua obiecta. Cùm autem omnis habitus voluntatis habeat duo genera actuum, nempe proſecutionis circa ſuum obiectum bonum, in quod tendit, inclinando in illud; & fugæ, ſeu deteſtationis circa malum, fugiendo, ac deteſtando illud; quia eiuſdem virtutis eſt bonum proſequi, & contrarium malum fugere; hoc idem habere virtutem Pœnitentiæ dubitandum non eſt. De prioribus actibus proſecutionis in hac ſectione dicimus modò. 1

Præterea *ſecundò*, certum videtur, circa obiectum bonum, omnes alios habitus voluntatis ſolere elicere varios actus, qui ſunt, amor ſimplex, ſeu complacentia inefficax boni, item amor efficax, deſiderium, intentio, electio mediorum, & gaudium. Hos ſimiles elicit virtus Pœnitentiæ circa bonum ſuum, ſeu circa ius diuinum, quod reſpicit tanquam proprium motiuum. Nam elicit ſimplicem amorem, ſeu complacentiam circa honeſtatem iuris diuini: illam poteſt efficaciter amare, deſiderare, intendere, media ad illud bonum conſequendum eligere, & de eius poſſeſſione gaudere. 2

Rurſus *tertiò*, quid nomine horum actuum intelligatur? facillimè explicatur: Nam ſimplex affectus, vel amor inefficax non eſt aliud, quàm ſimplex complacen- 3

tia

tia erga ius diuinum, non quà illud efficaciter intendimus, ſed quà propenſionem in illud, ac inclinationem noſtram explicamus. Amor efficax eſt, quo obiectum ſeruandi ius diuinum omninò volumus, quantum ex nobis eſt. Deinde deſiderium eſt, ſi obiectum apprehendatur abſens. Si requirantur media, oritur intenſio finis, ex qua poſtea naſcitur electio mediorum. Denique ſi ſit præſens, oritur gaudium, ſeu delectatio de tali bono. In hoc autem differt delectatio à gaudio, quòd delectatio datur etiam in appetitu ſenſitiuo, & per conſequens etiam in brutis; gaudium verò conſequitur cognitionem intellectualem, & rationalem.

4 *Quartò*, certum eſt ad virtutem Pœnitentiæ pertinere illos duos actus elicere, nempe gaudium de æquitate iuris diuini vel conſeruata, vel reſtituta; & dolorem de peccatis, quę illud ius lędere conati sũt. Nã ſicut virtus Charitatis poteſt gaudere de bonis intrinſecis & extrinſecis Dei, quatenùs Dei bona ſunt, & etiã dolere de peccatis contra Dei bonitatem; ita ſimiliter virtus Pœnitentiæ vtrumque actum elicere poteſt ſub ſuo proprio motiuo formali. Nec valet dicere gaudium pugnare cum dolore: non inquam valet, quia nec pro eodem tempore pugnat, cùm ſint actus de diuerſis obiectis materialibus ſub eodem motiuo formali. Optimè enim ſimul cohærent, dolere de peccatis, & gaudere de remiſſione peccatorum. Et quamuis quodlibet gaudium habeat vim minuendi dolorem; non tamen illum omninò impedit, niſi ſit ſummum gaudium; quale eſt beatificum in Patria; ac proinde Beati nequeunt habere dolorem, vel triſtitiam de peccatis, tametſi ea ſummo odio proſequantur, ob perfectionem ſtatus beatifici: nam beatitudo cùm ſit cumulus omnium bonorum ſecum affert ex natura ſua expellere omnes miſerias, quarum vna eſt triſtitia, & dolor, ac proinde naturâ ſuâ pugnat cum beatitudine. Vnde ex peculiari Dei diſpenſatione, ac miraculosè factum fuit, vt in voluntate Chriſti Domini in hac vita mortali degentis, ſecundùm portionem ſuperiorem quoque fuerit ſimul tanta triſtitia cum perfectiſſima fruitione beata.

5 *Quintò* denique, negari non poteſt, voluntatem ſatisfaciendi, vel delendi peccatum commiſſum, & propoſitum non peccandi, ſeu deſiderium non peccandi de cætero, ne ius diuinum lædatur, eſſe actus elicitos virtutis Pœnitentiæ. Ratio eſt, quia hæc omnia includuntur in obiecto proprio huius Virtutis. Nam ad conſeruandum ius diuinum, vel ad illud reparandum, ſi fuerit læſum, neceſſe eſt ſatisfacere Deo, diſponere ſe ad deſtruendum peccatum. Idem dicendum de propoſito non peccandi; nam omnis virtus in ſua materia, & ſub honeſtate ſua exercet iſtum actum; quia ad virtutis perfectionem ſpectat, perſeuerantia in illa honeſtate; vnde velle ſemper ſeruare Caſtitatem ſub ſuo ſpeciali motiuo, actus eſt caſtitatis, & ſic de aliis: Igitur idem dicendum eſt cum eadem proportione de virtute Pœnitentiæ. Notat benè Suarez *diſp. 3. ſect. 3. n. 9.* actum intentionis, ſeu propoſiti deſtruendi peccatum eſſe diſtinctum ab actu deteſtationis peccati: nam deteſtatio eſt per modum fugæ, & auerſionis voluntatis, & immediatè verſatur circa peccatum commiſſum; at intenſio, vel voluntas ſatisfaciendi, ſeu deſtruendi peccatum eſt per modum proſecutionis, & tendit propinquiùs ad reſarciendam iniuriam Dei, ideóque verſatur immediatè circa ſatisfactionem, vel recompenſationem peccati.

Ex dictis Colligo, quàm falſum ſit, virtutem Pœnitentiæ nullum actum elicere, niſi circa peccatum, vt iam commiſſum. Nam licèt id concedi poſſet de Pœnitentia ſub appellatione, ſeu denominatione Pœnitentiæ; non tamen de virtute in tota ſua latitudine; cùm conſtet elicere quamplurimos actus etiam ante commiſſum peccatum; quia plurimi illius actus eliciuntur à virtute Pœnitentiæ eo fine, vt vitetur peccatum. Sic enim velle conſeruare ius diuinum illæſum, velle fugere occaſiones ne illud lædatur, quid eſt aliud, quàm velle fugere offenſam ac iniuriam Dei vt ſic.

SECTIO II.

Quos actus odij, & fugæ eliciat virtus Pœnitentiæ circa ſuum obiectum malum, nempe peccatum.

Certum videtur, virtutem Pœnitentiæ fugere peccatum omnibus modis, quibus poteſt malum refugere: & ita diſtinguuntur quoque circa malum, plures alij actus huius Virtutis, videlicet diſplicentia ſimplex, odium efficax, deteſtatio, & dolor. Cum enim bonum, quod intendit Pœnitentia, ſit conſeruare ius diuinum illæſum; & de illo poſſit complacere, & illud efficaciter amare, deſiderare, intendere, media ad illud eligere, ac de eius poſſeſſione gaudere: ita pariter de malo, ſeu peccato, quod illud ius lædit, ac violat, poteſt diſplicere, poteſt illud efficaciter odio habere, deteſtari, ac dolere de illo. Qui omnes actus ſunt actus eliciti virtutis Pœnitentiæ vt conſtat exemplo aliarum virtutum, qui dicuntur actus fugæ ſeu deteſtationis circa malum. 1

Præterea, ſi ſermo ſit de Diſplicentia, communiter eam ſumunt Doctores, vt vocem generalem, & communem; quia diſplicentia dicitur tum de odio, tum de ipſa deteſtatione, tum de ipſo dolore: nam quilibet ex his actibus, diſplicentia dici poteſt, ſicut dicitur auerſio à peccato, vel fuga illius: Conſtat etiam dolorem, & triſtitiam poſſe diſtingui, ſicut gaudium, & delectationem; quia dolor reperitur etiam in brutis, & in appetitu ſenſitiuo; triſtitia verò ſolùm in rationali. Cæterùm in præſenti materia idem ſunt, ac pro eodem ſumi ſolent. Superſunt igitur ſolùm tres actus explicandi, videlicet odium, deteſtatio, & dolor. Omiſſis aliorum dicendi modis, iuxta communiorem Theologorum, & Philoſophorum moralium ſenſum. 2

Dico *primò*, Odium eſſe ex ſe priorem actum, ac elicitum à virtute Pœnitentiæ. Prima pars conſtat, quia reſpicit ſuum obiectum malum, videlicet peccatum abſolutè, ſecundùm rationem magis abſtractam, & abſolutam, abſtrahendo ab hoc quòd ſit commiſſum. Et quamuis odium poſſit verſari circa malum quod iam ineſt, quia ex eo quòd inſit non tollit abſolutam rationem mali; tamen odium ex ſe non reſpicit malum præcisè, quia præſens eſt; ſed abſolutè, quia quoddam malum eſt; vnde ex ſe videtur ſua natura eſſe prior actus, ſicut & amor cui opponitur. Verum eſt in executione, non ſemper odium formaliter antecedere: nam poteſt peccator, conſiderata turpitudine peccati commiſſi, ſtatim deteſtari peccatum, deſiderando nunquam illud commiſiſſe; quia in ipſo obiecto eſt ſufficiens ratio, & motiuum ad talem actum: tunc verò in illo includitur virtute ipſum odium. Secunda pars etiam claret, quia odium peccati, prout eſt iniuria lædens diuinum ius, non poteſt ſpectare ad aliam virtutem, niſi ad virtutem Pœnitentiæ. 3

Dico *ſecundò*, actum deteſtationis peccati, eſſe actum elicitum à virtute Pœnitentiæ. Ita communiter omnes. Et patet, quia ex proprio motiuo virtus Pœnitentiæ 4

videlicet

videlicet ex amore ſeruandi integrum ac illæſum diuinum ius,poteſt deteſtari peccata omnia commiſſa, quæ hoc ius lædunt. Quòd ſi aliqui dixerint, deteſtationem pertinere ad virtutem Charitatis,nobis non opponuntur, quia loquuntur de perfecta deteſtatione quæ vltimò diſponit ad gratiam extra ſacramentum, quæ eſt perfecta contritio, procedens ex motiuo Charitatis, vt *infra* ſuo loco dicetur. Firmatur dictum, nam virtus Pœnitentiæ poteſt intendere deſtructionem peccati, & recompenſationem illius; ergo aliquam propriam rationem mali inuenit in peccato ratione cuius illud conatur deſtruere; ergo ob eandem rationem poteſt illud deteſtari. Vnde ſicut Iuſtitia humana,quia eius officium eſt intendere recompenſationem iniuriæ factæ proximo, hinc ipſam iniuriam deteſtatur; ita & in virtute Pœnitentiæ,quæ eſt iuſtitia ad Deum idem eſt aſſerendum. Et certè cùm deteſtatio propriè ſignificet retractationem prioris facti;quis neget Pœnitentiam non habere hunc actum in propria ſua,ac rigoroſa ſignificatione ſignificantem ipſam retractationem peccati commiſſi?

5 Dico *tertiò*,prædictum actum deteſtationis peccati re ipſa diſtingui ab odio, & dolore, ſeu triſtitia. Probatur, nam imprimis, quòd deteſtatio differat ab odio patet; tum quia deteſtatio eſt ſemper de peccato commiſſo; odium verò eſt abſolutè de peccato abſtractè, & ſecundùm ſe ſumpto, prout malum eſt; ergo deteſtatio actus eſt diſtinctus ab odio. Tum etiam, quia circa peccatum poteſt inſurgere deſiderium quòd non inſit, & affectus voluntatis ad hoc,vt tale malum non fuerit commiſſum, quod eſt proprium deteſtationis;id autem diuerſum quid eſt ab odio, tam ex modo operandi, quam etiam ex effectu;nam ad odium vt ſic,non ſequitur dolor,vel triſtitia,ſequitur autem ex illa deteſtatione,vt rectè notauit D. Th. *in 4. d. 17. q. 2. art. 1. quæſtiuncula 1. ad 3.* Tum deniqne, quia, ſicut circa bonum quod poſſidetur, præter amorem,poteſt homo habere deſiderium nunquam carendi tali bono; ita è contrario per ipſam deteſtationem, habet quis hunc affectum deſiderij, Vellem nunquam peccaſſe. Igitur deteſtatio diſtinctus eſt actus ab odio. Quòd autem deteſtatio differat quoque à dolore, liquet clarè ex ſeparabilitate: nam in Beatis datur perfecta deteſtatio peccati præteriti; & non datur triſtitia, vel dolor; hic enim impeditur à ſummo beatitudinis gaudio, ne inſurgat. Firmatur amplius;nam differunt deteſtatio, & dolor, ſicut cauſa & effectus: nam dolor proximè ſequitur ex ipſa deteſtatione. Vnde egregiè Tridentinũ *ſeſſ. 14.c.2.*dixit Pœnitẽtiã,eſſe deteſtationẽ peccati cũ pio animi dolore:eodẽ ferè modo loquitur Conciliũ Coloniẽſe *titulo,de Pœnitentia,in principio.* & Auguſt. *lib. 2.ad Simplicianum quæſt.* 2. Et ratio à priori hæc eſt, quia deteſtatio formaliſſimè eſt retractatio, ac nolitio mali ſeu peccati præteriti: at dolor, licèt ſit quoque fuga obiecti, ſed non eodem modo quo deteſtatio, ſed cum inquietudine,ac pœna. Cui adiungo teſtimonium D. Auguſtini 14. *de ciuitate cap.* 15. dicentis; *Dolor eſt diſplicentia de his, quæ nobis nolentibus accidunt.* In qua deſcriptione ſupponit actum, quo obiectum doloris ſit nolitum: qui actus in præſenti materia non eſt niſi ille,quo peccator nollet peccaſſe; ille autem actus eſt ipſa deteſtatio peccati;ergo dolor ſupponit illam, & ab illa re diſtinguitur. Vocat verò Auguſtinus ipſum dolorem, diſplicentiam, ſumens hanc vocem in generali ſignificatione, qua dicitur de omni actu voluntatis circa malum: vel certè effectui, nempe dolori, tribuitur nomen cauſæ, videlicet diſplicentia.

6 Reſtat verò difficultas,quis horum duorum actuum ſit Pœnitentia rigoroſè ſumpta ſecundùm appellationem, deteſtatio-ne; an dolor de peccatis? Nam ſancti Patres communiter Pœnitentiam dicunt planctum,dolorem,tædium; & contritio magis videtur explicare dolorem à conterendo, quia conterit, & quaſi diuidit cor in partes minutiſſimas, quod eſt proprium doloris. Ex alio verò capite, videtur deteſtatio eſſe potiſſimè actus pœnitentiæ; nam dolor oritur neceſſariò ex ipſa deteſtatione; & honeſtas ac libertas principaliùs reperitur in deteſtatione, quàm in dolore conſecuto.

Dico *vltimò*,vtrumque actum deteſtationis,& doloris requiri ad veram, & perfectam pœnitentiam in rigore huius vocis conſideratam;præcipuè tamen ipſam deteſtationem eſſe, & dici Pœnitentiam.Id benè notauit Cardinalis Lugo *diſp. 4. ſect.1.n.6.* Prima pars probatur, quia deteſtatio; vt præſcindit omnino à dolore, Pœnitentia non dicitur: datur enim ea deteſtatio, in Beatis, non verò pœnitentia, quia non datur dolor. Dolor quoque vt præſcindit à deteſtatione, non eſt pœnitentia; quia totam ſuam libertatem, & honeſtatem habet à deteſtatione. Igitur Pœnitentia vtrũque actum in recto includit; vnde neuter actus ſine alio ſufficit ad veram, & perfectam rationem pœnitentiæ; vterque tamen ſufficit.Vnde hac de cauſa Tridentinum *ſeſſ.14. cap.4.de contritione,* dixit eſſe deteſtationem,& dolorem animi. Secunda pars eſt manifeſta,quia deteſtatio talis eſt, vt ex illa dolor neceſſariò oriatur; & tota honeſtas ac libertas reperitur in deteſtatione, à qua ſolà dolor conſecutus habet ſuam honeſtatem, & libertatem; igitur Pœnitentia principaliùs, ac potiſſimùm ſupponit pro ipſa deteſtatione. Nos autem in diſcurſu huius materiæ, nomine Deteſtationis intelligemus proprium, & potiſſimum actum Pœnitentiæ; atque etiam promiſcuè, nomine Doloris intelligemus quoque ipſam deteſtationem, tribuendo effectui nomen cauſæ. Nec SS. Patres negant Pœnitentiam formaliter eſſe deteſtationem peccati,ſed talem volunt deteſtationem, ex qua ſequatur afflictio,& dolor. 7

SECTIO III.

Vtrum actus deteſtationis peccati præteriti ſit abſolutus, & efficax; an ſolum conditionatus.

QVamuis verum ſit, & negari non poſſit,deteſtationem peccati præteriti in genere ſumptam, poſſe habere diuerſas honeſtates, ac ſpecies virtutis,iuxta varia motiua honeſta,ex quibus procedere poteſt Nam ſi ſit deteſtatio peccati,furti v.g.ob turpitudinem quam habet contra Iuſtitiam humanam;pertinet ad Iuſtitiam humanam tale motiuum; & actus ille habet rectitudinem, & honeſtatem Iuſtitiæ: ſi verò deteſtatio ſit peccati, vt repugnat Diuinæ bonitati, & amicitiæ Dei,pertinet ad virtutem Charitatis,& ſic de aliis. Nihilominùs tamen in hac materia communiter ſumimus deteſtationem pro actu formali virtutis Pœnitentiæ, prout eſt deſtructiuum peccati prout eſt iniuria Dei contra diuinum ius: Nam deteſtatio peccati, prout eſt contra Deum, eiuſque bonitatem,iam eſt,& appellatur abſolutè Contritio.

Accedens ad præſentem difficultatem, ſuppono ex *Prima ſecunda*, cum communiori Theologorum doctrina, dari in voluntate actus elicitos, tendentes in ſuum obiectum ſub conditione; non quidem ita vt ipſi actus habeant ſuum eſſe ſub conditione; hoc enim 2
eſt

Digitized by Google

eſt implicatio in terminis , ſed qui tendant ad obiectum, amando, vel nolendo illud, non abſolute, ſed ſub conditione aliqua. Vt cùm teſtator legat mille Petro, ſi talem eleemoſynam fecerit, reuera vult donare, tamen ſub ea conditione; quâ expletâ, illa voluntas habet effectum ſine nouo actu. Atque hoc pacto diſtinguuntur actus conditionati ab actibus abſolutis, qui ex parte obiecti nullam habent appoſitam conditionem. Quare ſicut intellectus habet actus realiter exiſtentes, quibus affirmat obiectum non abſolutè, ſed ſub conditione, vt v.g. ſi Petrus currit, mouetur: ita ſimiliter voluntas poteſt habere actum elicitum, qui feratur in bonum, non abſolutè, ſed ſub conditione, ſine qua non eſt bonum; ſicut illud aliud obiectum non eſt verum abſolutè, ſed ſub conditione. In quo differunt hæ duæ potentiæ rationales intellectus, & voluntatis à ſenſibus externis. Nam hi non poſſunt ferri in ſua obiecta ſub conditione, ſicut nec poſſunt in illa ferri abſtractiuè, ſed ſolùm intuitiuè. At intellectus, & voluntas ſicut ferri poſſunt in obiectum abſens, & abſtractiuè ſic ferri poſſunt ſub conditione, per tendentiam quidem actualem, & abſolutam in ſuo eſſe, obiectiuè tamen conditionalem, ſeu ex parte obiecti, hoc eſt, ex nunc amplectendo illud obiectum, pro eo caſu, quo poſita ſit talis conditio.

Hoc præmiſſo, difficultas eſt, an actus deteſtationis peccati præteriti ſit actus conditionatus, qui explicetur per hæc verba, Vellem non peccaſſe, ſi id fieri poſſet.

3 Videtur pars negans amplectenda. *Primò*, quia, videtur ſtultum, velle & conari ad hoc quod non fuerit peccatum ex ſuppoſitione quòd commiſſum fuerit, quia impoſſibile hoc eſt: ſed non minùs impoſſibile eſt, quòd peccatum preteritum ex ſuppoſitione quod eſt præteritum, non ſit præteritum, etiam quacumque conditione poſita, quia ſi ponatur non preteriiſſe, eo ipſo deſtruitur præteritio; ergo non minùs ſtultus erit affectus, quo etiam ex ſuppoſitione illius poſſibilitatis, vellem coniungere negationem præteritionis cum præteritione.

Secundò, qui deſiderat etiam per affectum inefficacem, & velleitatem; quòd eſſet poſſibile id, quod eſt impoſſibile, eo ipſo implicitè deſiderat, quòd Deus non ſit Deus; ſed hoc etiam per affectum inefficacem velle, eſt intrinſecè malum, vt conſtat; ergo non debemus ponere actus virtutum, qualis eſt deteſtatio peccati, in ordine ad obiectum impoſſibile, etiam per modum velleitatis, & voluntatis conditionatæ. Maior probatur, quia iuxta veriorem ſententiam, omnipotentia Dei habet intrinſecam, & neceſſariam connexionem cum poſſibilitate creaturarum, ita vt ſi Leo, v.g. non eſſet poſſibilis, aut ſi chimæra eſſet poſſibilis, non eſſet hæc omnipotentia, neque eſſet hæc eſſentia Dei: ergo conſequens eſt, vt qui deſiderat, etiam per affectum ſimplicem ac inefficacem, quòd eſſet poſſibile id, quod eſt impoſſibile, vt chimæram eſſe poſſibilem; eodem affectu velit ſaltem implicitè, quòd Deus non ſit Deus.

4 Dico *primò*, cum communiori ſententia, quæ eſt D. Thom. 1. 2. *q.* 13. *art.* 3. *ad primum.* quem ſequuntur Suarez *diſp.* 3. *ſect.* 3. Coninck *diſp.* 1. *dub.* 2. Cardinalis Lugo *diſput.* 4. *ſect.* 2. & communiter omnes Recentiores, actum deteſtationis peccati præteriti non eſſe abſolutum, ſed actum conditionatum, qui explicatur per illa verba, Vellem non peccaſſe, ſi id fieri poſſet: non enim dicit, Volo non fuiſſe peccatum; ſed, Vellem, ſi in mea poteſtate nunc eſſet, non fuiſſe peccatum. Ratio communis eſt, quia ad præteritum non datur potentia, & voluntas non poteſt abſolutè velle id quod poſſibile non eſt, nec ſubeſt ſuæ poteſtati; ergo non poteſt velle abſolutè quòd peccatum non fuerit, ſed ſolùm conditionatè, ſi fieri poſſet. Hic autem affectus conditionatus honeſtus eſt, & laudabilis: ſimiles enim affectus frequenter exercent viri pij & ſancti circa obiecta impoſſibilia; deſiderando v. g. habere amorem infinitum erga Deum, poſſe attentione infinita diuinas perfectiones meditari, & alia ſimilia: qui affectus non ſunt abſoluti, ſed conditionati; & ſemper apponitur conditio, ſi fieri poſſet.

5 Dico *ſecundò*, actum deteſtationis peccati præteriti, tametſi ſit conditionatus, eſſe aliquo modo efficacem. Probatur, quia talis actus cenſetur efficax quoad effectum, ad ſeparandam videlicet, & auertendam voluntatem ab affectu peccati: nam impoſſibile videtur cum tali actu, ſi ex plena determinatione voluntatis fiat, ſimul eſſe affectum peccandi. Vnde etiam includit ille actus efficaciam ad deſtruendum peccatum commiſſum, quatenus permanet habitualiter, ſeu moraliter. Nam per huiuſmodi deteſtationem, ita abominatur homo peccatum commiſſum, vt ex vi illius vellet, ſi poſſet, facere vt non fuiſſet; ergo etiam vult illud deſtruere, quantum ad rationem culpæ quæ moraliter manet. Nam poſitâ illâ deteſtatione, ita deſtruitur affectus prior ad peccatum, vt iam homo non cenſeatur perſeuerare habitualiter in illa priori voluntate peccandi: Imò etiam ob eandem cauſam talis actus efficaciter auertit voluntatem à peccato futuro, quantum eſt ex ſe, quia habet cum illo formalem, aut ſaltem virtualem incompoſſibilitatem.

6 Dico *tertiò*, prædictum actum deteſtationis, ſaltem virtute, eſſe, ac rectè dici poſſe odium efficax peccati. Probatur, quia inprimis certum videtur in prædicto actu includi ſaltem virtute odium, & abominationem peccati; cum ſit impoſſibile cum tali actu deteſtationis, non eſſe voluntatem omninò, ac plenè auerſam ab affectu peccati. Quod verò ſit odium efficax, & non inefficax, ideò oſtenditur, quia inefficax, ſeu ſimplex odium, aut ſimplex diſplicentia, poteſt ſimul dari cum actuali affectu ad peccatum: nam per odium inefficax, ſolùm dicimus, Vellem non peccaſſe; aut, Vellem non peccare, ſi inde non ſequerentur mihi alia incommoda, quæ nolo ſubire. At per odium efficax dicimus, Vellem, quantum ex me eſt, non peccaſſe, ſi id eſſet nunc in mea poteſtate. Vnde hoc odium ſolùm includit conditionem, quæ non eſt in mea poteſtate; volo autem facere, quantum ad me attinet; & ideò dicitur efficax, id eſt efficax quantum eſt ex me. Addo dici quoque efficax verè & propriè quoad effectum, quia, quamuis reuera non poſſit facere, quòd peccatum non fuerit; ex Dei tamen gratia, & acceptatione habet valorem, & vires ad delendum peccatum, perinde ac ſi non fuiſſet.

7 Hinc facilè reſpondetur ad primum argumentum oppoſitũ; ſenſum illius voluntatis conditionatæ non eſſe illum; Si ergo poſſem coniungere cum peccato præterito negationem præteritionis, id facerem; ſed hunc potius, Si ego nunc haberẽ potentiam, vt peccatum illud non fuiſſet, id facerem. Vnde obiectũ huius actus, quod volo, non eſt coniunctum negationis præteritionis cum peccato præterito, vt præterito, ſeu ex ſuppoſitione quòd eſt præteritum: nec conditio ſub qua fertur, eſt potentia ad coniungendam præteritionem cum non præteritione, ſed obiectum volitum eſt, peccatum non fuiſſe, quod quidem ſimpliciter, & abſolute eſt in materia poſſibili, licèt ex ſuppoſitione quòd fuit, ſit impoſſibile: conditio autem quam appono, eſt; Si ego nunc haberem potentiam, non quidem ad coniungendam preteritionem cum negatione præteritionis, ſed ad faciendum ſimpliciter quòd non fuiſſet illud peccatum, ſicut habeo de facto nunc potentiam, & eſt nunc in mea poteſtate, quòd non fuerit in Deo vnquam præſcientia abſoluta de meo peccato hodierno. Hoc ergo ſenſu dicimus, Si nunc eſſet in mea poteſtate, quòd illud peccatum non fuiſſet, certè

vellem

vellem,& facerem,quòd nunquam fuiſſet commiſſum; & hoc eſt formaliſſime illud deteſtari.

8 Ad ſecundum,negatur illa propoſitio;nam etiãſi vellem affectu ſimplici,quòd eſſet nunc in me potentia ad impediendum peccatum heſternum, quæ potentia impoſſibilis eſt,inde non ſequitur, quòd vellem implicitè deſtructionem,aut negationẽ Dei;cuius eſſentia habet neceſſariã cõnexionẽ cũ impoſſibilitate omniũ impoſſibiliũ Ratio eſt,quia poſſet voluntas taliter ferri ad illud impoſſibile,vt excluderet in ipſo affectu illud malũ Vt ſi dicat v.g. ſi hoc poſſet eſſe poſſibile abſq;detrimento,aut negatione eſſentiæ,aut perfectionis diuinæ, vellẽ quod eſſet poſſibile,adhuc vt non fuiſſet peccatum heſternũ; qui affectus nullo modo nec explicitè,nec implicitè vult negationem,aut deſtructionem Dei;atq; adeò poſſibilis eſt talis affectus,& valdè honeſtus,ac laudabilis, quem exercent viri pij,& ſancti,deſiderando v.g poſſe habere amorem infinitum erga Deum,& ſimilia.

SECTIO IV.

An actus Pœnitentiæ deteſtationi peccati, ſit ſecundùm ſubſtantiam ſupernaturalis.

1 RAtio dubitandi eſt,quia peccatum eſſe offenſam,& iniuriam Dei,oppoſitam diuino iuri,eſt obiectum quod naturali ratione eſt cognoſcibile, & cognoſcitur: nã diuina Prouidẽtia lumine naturali cognoſcitur,& per conſequens Deũ eſſe vniuerſalem Dñum,gubernatorem & legiſlatorẽ,& eſſe ſupremum Dñum,ac vltimum finem noſtrum,ſupra omnia diligẽdum.Hinc autem euidẽter colligitur,Deum offẽdi peccatis hominũ,vel quia eius pręceptũ,& obediẽtia cõtẽnitur,vel quia in ratione vltimi finis aliquid ei præfertur;vel quia violatur ius,& dominiũ ſuũ ſupremum,cùm creatura abutitur re ſua in malũ, ipſo inuito,ac repugnante: eſt enim prædicta ratio mali,quæ eſt in peccato, propter ſe deteſtabilis, ac deteſtabilior cæteris malis; eſt quoque repugnans ipſi naturæ ac rectæ rationi naturali;ergo poteſt homo per ſe loquendo,illam deteſtari actu naturali.

2 Dico *primò*,actum Pœnitentiæ deteſtationis peccati eſſe ſupernaturalem actum.Hoc ſufficiẽter probatur doctrina,ac definitione Concilij Tridentini *ſeſſ.6.c. 6. & canone tertio*,ſic dicentis. *Si quis dixerit ſine præueniẽte Spiritus ſancti inſpiratione,atque eius adiutorio, hominem credere,ſperare,diligere,aut pœnitere poſſe,ſicut oportet,vt ei iuſtificationis gratia conferatur, anathema ſit.* Vbi eodem modo docet gratiam eſſe neceſſariam ad actum Pœnitentiæ,ſicut ad actum Fidei, Spei,& Dilectionis:ergo ſentit eodem modo eſſe ſupernaturalem;Et ratio à priori eſt,quia ad vltimam diſpoſitionem ad gratiam,& amicitiã Dei conſequendam,nullus actus naturalis per ſe eſt neceſſarius;nam debet eſſe eiuſdem ordinis cum forma;quod ſi eſſet naturalis,poſſet homo naturæ viribus,ſine præuenienti Spiritus ſancti inſpiratione,& auxilio gratiæ illã inchoare, & perficere;quod eſt erroneum.Firmo idem,nam actus deteſtationis Pœnitẽtiæ præſupponit,ac prærequirit ex ſuo conceptu actum Fidei,& Spei ſupernaturalem; nam prærequirit cognitionem ſupernaturalem offenſæ,& ſpem veniæ supernã; ergo talis Pœnitẽtię actus eſt ſupernaturalis:nullus enim actus naturalis prærequirit per ſe actum ſupernaturalẽ.

3 Dico *ſecundò*,prædictum actum eſſe in ſua entitate,& ſubſtantia ſupernaturalem.Ita communior Theologorũ ſententia.Probatur à priori;quia motiuum talis actus eſt ſuperioris ordinis,excedens omne naturale motiuum;ergo & actus,qui debet eſſe proportionatus motiuo, ſeu obiecto formali,etiã eſt ſuperioris,& ſupernaturalis ordinis. Antecedens conſtat,quia virtus Pœnitentiæ, cùm ſit ſupernaturalis,& infuſa, habet ſuum obiectum formale ſupernaturale,ob conformitatem ad rectam rationem ſupernaturalem. Firmatur exemplo aliarum virtutum:nam Charitas habet ſpeciale motiuum ſupernaturale,nempe diuinam bonitatem Dei, vt eſt finis ſupernaturalis,ita excedens humanam naturam, vt non habeat cum illa naturalem connexionem,aut inclinationem,ex quo prouenit,vt diligere hunc finem ſuper omnia,propter ſolam bonitatem ſuam,excedat vires totius humanæ naturæ;& inde etiam prouenit,vt deteſtari peccatũ efficaciter,ſolùm quia huic diuinæ bonitati repugnat,ſit ſupra omnes naturę vires. Virtus quoq; Religionis infuſa quia Deũ reſpicit vt finẽ *Cui*,ſupernaturalẽ,& habet pro obiecto formali cultũ proportionatũ illi,tribuit illi hũc ipſum cultum excedentem vires humanæ naturæ eliciẽs actũ religionis ſupernaturalem;vnde deteſtatio quoque peccati,prout illi obiecto contrarium eſt,etiam eſt ſupra eaſdem naturales vires. Igitur eadẽ proportione, in virtute Pœnitentiæ, quæ etiam attingit Deum vt finem ſupernaturalem *Cui*,à quo peccatum auertit, cùm habeat pro obiecto formali ius diuinũ ſupernaturale; illud vult efficaciter reſarcire,ſi fuerit per peccatum læſum, ſupernaturali deteſtatione tam grauis iniuriæ. Probatur idem à poſteriori, virtutem Pœnitentię eſſe ſupernaturalem & infuſam, ſicut ſunt omnes aliæ virtutes morales ſupernaturales,& infuſę,vt dicemus infra, *diſ. 4. ſect. 2.* Nam principium ſeruat proportionem cum effectu, & è conuerſo:ergò ſi habitus eſt in ſubſtantia ſupernaturalis,neceſſe eſt actus eiuſdem eſſe ſubſtantiæ.

Ad rationem dubitandi, vt eam ſoluam, præmitto 4 communem diſtinctionem de Deo vel vt prima cauſa naturalis eſt,& finis vltimus connaturalis homini,præciſè in ſua natura conſideratos vel vt eſt auctor ſupernaturalis gratię,& obiectum beatitudinis ſupernaturalis, Nam priori modo, cenſetur Deus bonum naturale hominis;poſteriori verò modo ſpectatur Deus, vt bonum excedens hominis naturam. Simili modo, conſtat motiuum deteſtandi peccatum,poſſe eſſe naturale,& etiam eſſe poſſe ſupernaturale. Quod naturale eſt, reſpicit vt finem *Cui*,Deum,prout eſt cauſa naturalis,ac dominus,& finis vltimus homini connaturalis. Quod verò eſt ſupernaturale,reſpicit Deum vt finem *Cui*,prout eſt Dominus,& legiſlator ſupernaturalis, & finis vltimus,ordinem naturę excedens,& cum illa non habens neceſſariam connexionem. Quo poſito,ad obiectionem Dico;quòd ſicut poteſt homo pro aliquo inſtanti aut breui tempore diligere Deum auctorem naturæ;ita ſimili modo poſſe deteſtari peccatum vt illi contrarium per motiuum naturale;quia obiectum totum eſt omninò naturale, & per conſequens actus & cauſa eius. Verum eſt,quòd vtrumque actum dilectionis, & deteſtationis eliciet cum manifeſta imperfectione cuiuſdam inefficaciæ,in ordine ad effectum,quia talis amor,& deteſtatio auxiliis gratiæ deſtituta,non poteſt eſſe conſtãs nec diu tot contrariis, ac difficultatibus reſiſtere; quia non poteſt homo moraliter ſolis viribus naturæ, totam naturæ legem multo tempore implere,vt docent omnes Theologi. Addo etiam poſſe hominem,ſtando in pura ratione naturali,poſtquam peccauit,ac Deum offendit, habere etiam naturale deſideriũ expellẽdi à ſe peccatũ, & habendi Deum placatũ,petendo veniam illius, & ob motiuum naturale,habere odium peccati,ac deteſtationem illius,non tamen poſſe lumine naturæ cognoſcere ſe poſſe diſponere ad remiſſionem culpę,per infuſionem gratiæ,& per veram reditionem ad Dei amicitiã:id enim lumine naturæ nullo modo cognoſcibile eſt. Quare id nõ impedit,quominùs detur honeſtas ſuperioris ordinis gratiæ,& motiuum ſupernaturale deteſtandi peccatum, prout lædit ius diuinũ,ac dominiũ ſupernaturale,ac opponitur illi vt fini ſupernaturali;& quòd tale motiuũ ſit excellẽtius,& efficacius ad cõuertẽdã volũtatẽ,& omnẽ mali

Digitized by Google

malitiam peccati deteſtandam;non ſecus ac datur quoque in Charitate motiuum excellentius ſupernaturale ad deteſtandum peccatum,prout oppoſitum diuinæ bonitati,ſeu Deo auctori gratiæ,ac fini vltimo ſupernaturali.Quare ſicut perfectus amor Charitatis Dei, & perfecta deteſtatio peccati illi oppoſita,eſt in ſua entitate, & ſubſtantia ſupernaturalis ; ita perfecta voluntas ſeruandi ius diuinum ſupernaturale illæſum, & deteſtatio Christiana peccati contra tale ius, erit actus ſupernaturalis virtutis Pœnitentiæ.

SECTIO V.

An actus Pœnitentiæ deteſtationis peccati debeat eſſe vniuerſalis de omnibus peccatis.

1 NOn procedit difficultas de quouis actu deteſtationis peccati:nam conſtat poſſe hominem deteſtari vnum peccatum,non deteſtãdo formaliter nec virtualiter alia,ſi ſit deteſtatio ex motiuo ſpeciali.Sic enim poteſt quis ex motiuo iuſtitię deteſtari furtum,propter turpitudinem oppoſitam illi motiuo ac iuri,abſq; eo quòd formaliter,vel virtute deteſtetur fornicationem,quã etiã commiſit;quia in hac,furti turpitudo non inuenitur:Et ratio eſt,quia illa vitia nec ſunt formaliter contraria tali virtuti,nec ſub eodem motiuo deteſtandi comprehenduntur;& ideò non habent neceſſariam connexionem cum illo.Idem dicendum eſt de peccatis venialibus,quãdo vnum deteſtamur propter peculiarem illius turpitudinem;vt cùm deteſtor mẽdacium,quia mendacium eſt, non deteſtor etiam virtualiter gulam, vel aliud veniale diſſimile.Difficultas ergo de actu Pœnitentiæ deteſtationis peccati , cuius motiuum generale eſt ad omnia peccata,vtrùm poſſit ferri ad vnum,quin feratur ad alia præſertim mortalia.

2 Ioannes Medina affirmare videtur, *Cod. de pœnitentia,tract.*1.*q.*12.Quod probat,quia ex ſola libertate diuinæ voluntatis prouenire poteſt,vt exiſtente eadem ratione operandi circa duo obiecta, velit vnũ,& nõ aliud: ſic enim poſſum velle aliquid operari,quia eſt conſẽtaneũ rationi;ex quo tamen non infertur,vt velim operari quidquid eſt rationi conſentaneum ; quia ſum liber ad volendum vnum, & non aliud:poſſum quoque velle legare Franciſco mille,quia filius meus eſt, quin velim aliis filiis legare mille.Igitur ſimiliter ex eo quòd per Pœnitentiam deteſter furtum,quia offenſa Dei eſt , & iniuria,non ſequitur me deteſtari etiam virtute omnem Dei offenſam,& iniuriam.

Secundò,aliæ virtutes de facto tẽdũt in aliquod obiectum,propter motiuũ propriũ quod habent;& tamen non ideò tendunt virtualiter in alia omnia obiecta,quę participant idem motiuum;imò poſſumus tunc habere actum contrarium.Vt ſi quis v.g.ex motiuo tẽperantiæ velit ieiunare die Veneris;non ideò debet neceſſario ieiunare die Iouis, tametſi ſit idem motiuum formale ad vtrumque ieiunium. Pariter etiam , ex motiuo iuſtitiæ poteſt quis nolle occidere,& adhuc poteſt velle furari, tametſi furtum ſit etiam contra motiuum Iuſtitiæ. Igitur ſimili modo poteſt quis ex motiuo virtutis Pœnitẽtiæ deteſtari vnum peccatum, quia eſt offenſa Dei , & non deteſtari aliud nec formaliter,nec virtute.

3 *Tertiò*,vnitas motiui ſolùm videtur facere,quòd omnia peccata ſint deteſtabilia propter illud,ſed non quòd de facto ea omnia deteſter:Sic enim vnitas motiui miſericordiæ facit,quòd poſſim ex eodẽ motiuo dare eleemoſynam centũ egenis,non tamen facit quòd ſi do vni eleemoſynam,eo ipſo, formaliter vel virtute velim dare centum.

Quartò,qui ex amore Dei vult facere vnũ opus bonũ quia ei placet,non ideò etiã virtualiter vult facere omnia quæ ei placent ; ergo qui deteſtatur peccatum,quia Deo diſplicet;non ideò virtualiter deteſtatur omnia.

Quintò,qui deteſtatur peccatum graue ex motiuo Pœnitentiæ,non ideò debet quoque deteſtari etiam virtualiter veniale peccatum ; imò poteſt perſeuerare poſitiuè affectus ad peccatum veniale,& tamen peccatũ veniale eſt deteſtabile propter idẽ motiuum;ergo vnitas motiui non inducit neceſſitatem deteſtandi ſimul omnia,etiam virtute,quæ ſunt deteſtabilia ex eodem motiuo.

Vltimò,qui deteſtatur vnum veniale,ex motiuo Pœnitentiæ, non deteſtatur omnia;ergo nec qui deteſtatur vnum mortale , deteſtatur neceſſariò omnia mortalia etiam virtute.

Communis ſententia,contrarium docet,quæ vera eſt, & eam ſequuntur Theologi antiqui,& Recentes:Suarez *diſp.*3.*ſect.*8.Lugo *diſp.*5.*ſect.*6.Coninchius *diſp.*1. *dub.*5. & Alij Iuxta eam;

Dico *primò*,actum virtutis Pœnitentiæ deteſtationis peccati , eſſe virtualem deteſtationem omnium mortalium,etiamſi formaliter,& expreſsè circa vnum tantum mortale verſetur.Probatur,quia motiuum huius virtutis eſt vniuerſale pro omnibus peccatis mortalibus , & eſt eiuſdem rationis in omnibus illis, prout omnia, & ſingula continent grauem iniuriam Dei,quam hæc Virtus deteſtatur;ergo deteſtando vnum mortale præcisè, propter reparandam hanc iniuriam, virtute deteſtatur quis cætera omnia mortalia.Firmo,nam qui abſolutè & perfectè amat aliquod bonum, neceſſariò ſaltem implicitè odit,& auerſatur omne malum, quod illius boni eſt deſtructiuum omninò:ſicut qui intendit efficaciter finem, implicitè & virtute intendit media ad eum adquirendũ, omninò neceſſaria,& per conſequens auerſatur malum quod eum finem neceſſario deſtruit. At prædicta deteſtatio virtutis Pœnitentiæ procedit ex amore abſoluto, & efficaci alicuius boni, cui quoduis peccatum mortale ita contrariatur,vt ipſum plane deſtruat:ergo qui vnum mortale ita deteſtatur,neceſſariò deteſtatur omnia.Idem ſolet firmari ſimilitudine deducta ex actibus Fidei : non enim poſſumus Fide diuina credere vnum articulum, quin virtualiter credamus omnes , in quibus reperitur eadem ratio formalis,videlicet diuinæ auctoritatis in dicendo, ſeu reuelationis Dei;ergo non poſſumus ex virtute Pœnitentiæ deteſtari vnum mortale peccatũ, quin eo ipſo deteſtemur alia omnia mortalia,in quibus reperitur eadem ratio offenſæ Dei:vnitas enim motiui facit, vt vel omnia mortalia,vel nullum debeat diſplicere,propter eandem rationem formalem.Vnde ſicut non poteſt ſtare diſſenſus ad vnum articulũ Fidei ſufficienter propoſitũ,cum aſſenſu ad alium ex motiuo Fidei diuinæ;ſic nequit ſtare deteſtatio peccati ex motiuo Pœnitentiæ, quæ non ſe extendat ad omnia alia peccata mortalia. Denique idem oſtendit Cardinalis Lugo,quia cùm voluntas fertur in aliquod obiectũ propter aliquod motiuum,eo ipſo fertur etiam in ipſum motiuum,imò principaliùs,& meliùs quàm in ipſum obiectũ,iuxta vulgare Ariſtotelis Dictum: *Propter quod vnumquodque tale,& illud magis*:quod hìc potiſſimè locũ habet.Nam ſi volo Medicinam propter ſanitatem,magis volo ſanitatem;ſimiliter ſi fugio potum propter febrem,magis fugio febrem,quàm potum. Igitur ſimili modo ſi deteſtor furtum,propter Dei offenſam , & iniuriam, magis deteſtor Dei iniuriam;atque adeò ſicut cum illo actu nequit eſſe volitio furti , ita nec volitio offenſæ Dei , ſi deteſtatio ſit omninò efficax.

4 Dico *ſecundò*,deteſtationẽ mortalium,propter motiuũ virtutis Pœnitentiæ commune illis, non eſſe neceſſariò deteſtationẽ virtualem venialium. Ita communiter omnes. Ratio eſt, quia actus perfectus deteſtationis, ſicut & actus Charitatis , ita diligit æquitatem diuini iuris,

vel

vel Deum ſuper omnia, vt eo ipſo præferat æquitatem diuini iuris, vel Dei amicitiā rebus omnibus, atque adeò eo ipſo deteſtatur virtualiter ea omnia quæ poſſunt tollere æquitatem diuini iuris, vel amicitiā cū Deo, qualia ſunt peccata mortalia, non venialia: hęc enim non lædūt grauiter diuinū ius, nec amicitiā cū Deo; & ideò nō opponuntur cum illa Pœnitētię deteſtatione, nec cū Charitate. Firmatur, nā veniale peccatum nō opponitur motiuo Pœnitentiæ, nam ius diuinum non læditur niſi per grauem iniuriam; at qui peccat ſolùm venialiter, non dicitur iniurioſus in Deum; ſicut qui in re parua infert damnum proximo, nō poteſt dici abſolutè iniuſtus, quia propter leuitatem materiæ eius actus non habet rationē perfectæ iniuriæ: ſicut ob eandem rationē venialia peccata, licèt diſpliceant Deo, & contrariētur feruori Charitatis, tamen amicitiam Dei non tollunt, ſed cum illa conſiſtunt. Quare tametſi venialia peccata opponi poſſent cum alia perfectiori deteſtatione, quæ poſſet oriri ex deſiderio non offendendi ius diuinum etiam leuiter; cœterùm cum deſiderio non offendendi illud grauiter; quod ſufficit ad perfectum actum Pœnitentiæ deteſtationis, non opponuntur.

5 Dico *tertiò*, eum qui deteſtatur veniale, quia eſt offēſa, & iniuria Dei, etſi leuis, multò magis deteſtari virtualiter omnia mortalia, quæ ſunt iniuria Dei grauis. Patet, quia mortalia magis opponuntur cum motiuo formali illius deſiderij, quo volumus ius diuinum ſeruare illæſum, ergo fieri non poteſt, vt qui actualiter deteſtatur veniale, provt leuiter eſt iniurioſum in Deum, habeat complacentiam in mortali, quod grauiter illi iniuriam facit, lædens ſuum diuinum ius. Firmo, quia qui efficaciter vult non retardari à fine conſequēdo, à fortiori implicitè vult non auerti à tali fine: ſicut qui efficaciter fugit ægritudinem, à fortiori fugit mortē quātum eſt ex vi illius actus. Et qui efficaciter odio habet remiſſionem virtutis, multò magis amiſſionem. At veniale peccatū retardat, & impedit tātùm feruorē charitatis, mortale verò tollit Charitatē, & eſt animæ mors.

6 Dico *vltimò*, ſi ſit deteſtatio de vno veniali præcisè, quia offenſa Dei eſt, & iniuria, tametſi leuis, tunc deteſtari virtute omnia venialia. Ratio eſt, quia omnia venialia ſunt offenſæ, & iniuriæ Dei leues. Quòd ſi deteſtatio de vno veniali non ſit præcisè, quia offēſa Dei eſt, ſed quia intra ordinem offenſę leuis habet tantam grauitatē v.g. quia mendacium ex deliberatione plena, eſt grauior offenſa, quàm ex ſemiplena aduertentia, tunc intelligor eo ipſo deteſtari virtualiter alia venialia, quæ attingunt illum gradum offenſæ, quem in hoc veniali deteſtor, nō verò alia venialia, quæ illum gradum non attingunt.

7 Obiicies contra hoc vltimum, inde ſequi poſſe ſimiliter eſſe deteſtationē vnius peccati mortalis, non præciſè, quia offenſa grauis Dei eſt, ſed quia eſt offenſa grauiſſima: & tunc illa deteſtatio non poterit eſſe virtualiter deteſtatio omnium peccatorum. *Reſpondeo* concedendo totum, nec propterea cōcludi aliquid contra nos. Nā illa deteſtatio non eſſet actus virtutis Pœnitentiæ, neq; ex motiuo ipſius. Nam id quod eſt præcipuū in omni peccato mortali, eſt, quod contineat talē Dei iniuriā, quæ ſit ſufficiens ad auertendū hominē à Deo, & cōſtituēdum aliam vltimum finem, quantum eſt in hominis affectu, & ideò virtus Iuſtitiæ ad Deū, hoc reſpicit primo, & per ſe, reliqua verò vt accidentaria, vel ſecundaria; & ideò quoties homo in deteſtādo peccato mouetur ex grauitate particulari alicuius peccati mortalis, ſignū eſt nō moueri ex puro motiuo virtutis Pœnitentię, ſeu iuſtitię, ſed ex aliquo alio incommodo, vel ratione priuata. Nō ergo illa deteſtatio attingit rationē virtutis Pœnitētię, in ſuo modo tēdēdi, ſicut etiā ſimilis deteſtatio nequit procedere ex perfecto charitatis motiuo, videlicet ex dilectione Dei ſuper omnia: ſi enim Deum ſuper omnia diligeret, deteſtaretur non ſolùm grauiſſimam, ſed omnē Dei grauem iniuriam, & offēſam, qua eius amicitia diſſoluitur.

8 Ad argumēta oppoſita facilis eſt ſolutio, provt noſtrę doctrinæ propoſitæ opponuntur. Ad primum Dico, nos non dicere eum, qui vult aliquod obiectum ſub ratione vniuerſali adæquata velle formaliter omnia ſimilia obiecta, ſed virtualiter tantùm Voluntatis autem libertas poteſt quidem conferre ad volendum formaliter vnum obiectum, & non aliud, nō poteſt tamen ſeparare virtualem incluſionē vnius in alio, nec virtualē volitionem vnius à formali volitione alterius. Sic poteſt volūtas pro ſua libertate efficaciter intendere finē & non velle formaliter media, non tamē poteſt nō velle virtualiter media, quæ habent neceſſariam cōnexionem cum illo fine. Similiter ergo deteſtatio cuiuſlibet peccati mortalis, ex hac præciſa ratione, quòd eſt grauis iniuria Dei, vel quia hominē ſeparat à Deo, continet in ſe abſolutum & efficax odiū diuinæ offenſionis vt ſic, cum illo autem obiecto habet intrinſecā cōnexionem deteſtatio cuiuſlibet mortalis, & ideò virtualiter in illo actu continetur; nec per arbitrij libertatem poteſt excludi hæc virtualis continentia; quamuis poſſit voluntas pro ſua libertate propoſitum mutare, & poſt illū deteſtationis actū in aliquo alio peccato complacere, vel reuerti iterùm ad illud idē peccatum, quod formaliter deteſtata eſt. Exemplum verò illud patris legantis vni filio mille, non eſt contra nos; nam ſi illi ſingulariter ea legat, reuera præciſè, & adæquatè non mouetur ex eo quòd filius eius eſt, ſed ex eo quòd talis filius eſt; ſeu quia cum conditione filij, coniunguntur alia quæ plus moueant ad legandū illi, quàm aliis. Quòd ſi nulla ſit ratio ex parte obiecti, quæ mouere poſſit, præter rationem filiationis, & ex ſola libertate determinari voluntatem patris ad vnum potiùs filium, quàm ad alium; adhuc hoc admiſſo, tunc non erit ſola filiatio adæquata ratio volendi, ſed cum illa coniungetur affectus ad vtendum propria libertate, ac dominio ſuarum rerum.

9 Ad ſecundum, Reſpondeo in illis caſibus, vt benè aduertit Cardinalis Lugo, non amari motiuum illud Temperantiæ, & Iuſtitię omninò, ſed ex parte: vult enim homo bonum Temperantiæ non omninò, ſed aliquale illius virtutis bonum: vult item bonum Iuſtitię, nō totale, ſed ex parte, videlicet quatenus impedit homicidia; & ideò mirum non eſt, quòd non velit etiam virtualiter alia obiecta Temperantiæ, & Iuſtitiæ, quia ea neceſſaria non ſunt ad finem, quem ſibi ſtatuit cum illa mediocritate conſequendū. At actus deteſtationis Pœnitentię talis nequit eſſe: nam cùm deteſtetur iniuriam Dei vt ſic, ſumma deteſtatione, non poteſt non deteſtari virtualiter omnia peccata, quæ cum ſumma illa deteſtatione motiui opponūtur: ſicut in perfecta deteſtatione peccati, quę oritur ex Deo ſuper omnia dilecto, manifeſtè conſtat, non poſſe deteſtari vnum mortale, quin virtualiter omnia mortalia deteſtetur.

Ex quo patet ſolutio ad tertium; nā etiam in illo caſu non vult bonum miſericordiæ omninò, ſed ex aliqua parte; & ad hoc ſumit medium proportionatum, videlicet eleemoſynam dandam vni pauperi.

10 Ad quartum, conceſſo antecedente, negatur conſequentia: quia voluntas etiam implicita faciendi omnia bona opera, quando non ſunt præcepta, non eſt neceſſaria ad conſeruandum Dei amorem; atq; ideò poſſū ſimul amare Deum ſuper omnia, & tamen nolle hic, & nunc hoc bonum opus facere. Secùs eſt de deteſtatione peccati; implicat enim vt amem Deum ſuper omnia, & ſimul velim committere aliquod mortale peccatum; quia hoc ipſo quòd hoc vellem, amarē peccatū ſupra Deum. Idemque dico de ipſa deteſtatione Pœnitentię; implicat enim vt velim ius diuinum ſuper omnia illęſum conſeruare, & ſimul velim committere aliquā culpā mortalē:

Digitized by Google

quia hoc ipſo quo hoc vellem, læderem ius diuinum, quantum eſt ex me.

11 Ad quintum, cõcedo cum deteſtatione peccati mortalis, poſſe eſſe actualem voluntatem peccandi venialiter, quia peccatum veniale non continet in ſe motiuum idem: nam motiuum charitatis, eſt conſeruare amicitiam Dei; & motiuum Pœnitentiæ, eſt ſeruare ius diuinum illæſum, at veniale peccatum. nec diſſoluit amicitiam Dei, nec lædit ius diuinum. Vnde hæc eſt ratio diſcriminis, cur videlicet poſſit eſſe perfecta deteſtatio mortalium ſine venialibus, non tamen vnius mortalis ſine alio; quia actus perfectus Charitatis, vel Pœnitẽtiæ ita diligit Deum, vel ius diuinũ illæſum ſuper omnia, vt eo ipſo præferat diuinam amicitiam, & talis iuris conſeruationem rebus omnibus; ac proinde eo ipſo deteſtatur virtualiter ea omnia, quæ poſſunt tollere amicitiam cum Deo, vel ius diuinũ lædere qualia ſunt omnia peccata venialia, nulla verò venialia, hæc enim nõ deſtruũt amicitiam cum Deo, nec lædunt ius diuinum atque ideò non opponuntur cum illa perfecta deteſtatione. Verum eſt, ſi quis haberet deſiderium non diſplicendi Deo, vel non offendendi illum etiam leuiter, cum hac perfectiori deteſtatione opponerentur venialia, nec poſſet illa eſſe ſine deteſtatione venialium. Cæterùm cum deſiderio nõ offendendi, vel non diſplicendi Deo grauiter, quod ſufficit ad perfectum Charitatis, vel Pœnitentiæ actum, venialia peccata non opponuntur.

12 Ad vltimum, negatur antecedens, ſi deteſtetur veniale ob generale motiuum, propter continentiam virtualem in illo, ratione connexionis. Quare ſi deteſtatio ſit vnius venialis, quia eſt iniuria Dei leuis, tunc neceſſariò intelligitur deteſtatio virtualis omnium venialium, cùm omnia ſint offenſæ Dei leues.

SECTIO VI.

An actus deteſtationis Pœnitentiæ debeat eſſe deteſtatio ſuper omnia appretiatiuè, & ſupra omne malum pœnæ,

1 PRæmitto quod certum eſt apud omnes Theologos, malũ culpæ de ſe deteſtabilius eſſe malo pœnæ: quia malum culpæ eſt malum ſimpliciter, repugnans Deo ſecundùm ſe, & rectæ rationi, at malum pœnæ ſolum eſt incommodum ipſi homini; & ideò hoc eligibilius eſt proculdubio ad vitandum malum culpæ, neque hæc cõmittenda eſt, vt vitentur mala pœnæ; aliàs enim culpa iam non eſſet culpa, quia iam eſſet licita.

2 Hoc poſito, circa primum, Dico actum deteſtationis virtutis Pœnitentię deteſtari peccatum ſupra omnia appretiatiuè, ſaltẽ implicitè. Probatur, quia deteſtatio Pœnitentiæ, quæ eſt ex motiuo Iuſtitiæ, neceſſe eſt vt habeat hunc exceſſum appretiatiuum, quia ea deteſtatio debet eſſe perfecta in Deum conuerſio, vt conſtat ex ſacra Scriptura, & videbimus *infrà* ſuo loco; non eſt autẽ perfecta conuerſio, ſi non præfert Deum omnibus aliis rebus; imò potiùs adhæret rei alicui pluſquàm Deo, ergo. Dixi, *ſaltem virtualiter*, quia non eſt neceſſe, vt qui deteſtatur peccatum, faciat comparationem formalẽ & explicitam inter peccatũ, & cætera alia: non enim ea eſt neceſſaria, quia ſufficit virtualis, & implicita: nec verò eſt vtilis, quia non rarò occurreret talis, vel talis caſus infamiæ, vel mortis ſubeundæ ad vitandum peccatum, quid faceret tunc? Quod tamen periculum ceſſat, quando ſolùm virtualiter, ac implicitè proponitur deteſtatio peccati ſuper omnia.

3 Quid verò ſit implicitè, ſeu virtute, deteſtari peccatũ ſuper omnia, dubitari ſolet? Sentit Suarez *diſp.* 3. *ſect.* 9. *n.* 10. conſiſtere hanc prælationem in excellentia motiui, quod tale eſt, vt de ſe ſit potentius ad firmandã voluntatem in tali affectu: hoc enim ſatis eſt, vt in tali actu contineatur virtualis comparatio, & exceſſus ſuper alia. Cardinalis Lugo *di. p.* 5. *ſect.* 2. *n.* 21. exceſſum hunc, vel hanc implicitam prælationem declarat per efficaciam, ac firmitatem, quâ voluntas fertur in ſuum obiectum: ego verò in vtroque cenſeo conſiſtere; Nam inprimis neceſſarium eſt, quòd motiuum in ſe ſit excellens, & potens ad illum exceſſum cauſandum; & quòd talis excellentia proponatur vt excellenter amabilis, & vt voluntas de facto feratur in obiectum cum illo exceſſu, & amet illud pro dignitate: ſic enim firmiſſimo modo adhæret illi, affectu efficaciori, ac firmiori; adeo vt ſi tunc haberet voluntas affectum etiam abſolutum circa aliud obiectum diuerſum, quamprimùm aduerteret illud opponi cũ hoc alio firmiori affectu, deberet ab illo deſiſtere. Sicut ſi intellectus aſſentiatur certo vni obiecto, & probabiliter alteri contrario, quia non aduertit eſſe contrarium, ſed tamen quamprimum aduertit oppoſitionem, debet deſiſtere ab aſſenſu illo probabili, quia opponitur cum hoc alio aſſenſu firmiori. Hic igitur modus poſitiuus adhærendi, ex quo oritur prædicta prælatio, quando aduertitur contrarietas inter actus, vel obiecta, dicitur implicita, ſeu virtualis comparatio cum aliis, tametſi eorum non recordemur explicitè, ſeu expreſſe. Hoc eodem modo ſe habet voluntas etiam in actu abſoluto, quo vult aliquod obiectum: nam aliqua obiecta vult, licet abſolutè, ſed infirma quadam, ac debili adhæſione, ita vt ex ipſo modo adhærendi oſtendat ſuam formidinem, & quaſi promptitudinem ad diſcedendum facilè ab eo obiecto, ſi ſe offerat occaſio: alia verò amplectitur firmiter, ſed non omnia eodẽ gradu firmitatis; ſicut nec intellectus aſſẽtitur eodẽ gradu certitudinis omnibus, quibus certò aſſẽtitur. Quando ergo volũtas adhæret, & amplectitur obiectum ſupremo illo gradu adhæſionis firmæ, & efficacis, qui reſpondet adhæſioni intellectus, quo aſſentimur rebus euidentibus; tunc ex ipſo modo firmiter omninò adhærendi, oſtendit implicitè ſe immobiliter adhærere tali obiecto: non quòd reuera non poſſit poſtea pro ſua libertate recedere ab eo, ſed quòd durante illa voluntate, ex modo adhærendi, oſtendit ſe nullo modo poſtea ab ea receſſuram: & hæc dicitur adhæſio ſuper omnia; quia etiam ſine comparatione explicita, habet eam implicitã, quatenus eſt firmiſſima adhæſio, quâ voluntas poſitiuè poteſt adhærere obiecto. Hoc pacto Contritio, quæ eſt deteſtatio peccati ex ſupremo motiuo Charitatis, eſt deteſtatio, quâ illud deteſtamur ſuper omnia appretiatiuè, quia eundem gradum appretiationis habet deteſtatio hæc; ac ipſe charitatis amor, ex quo oritur. Similiter poſt Contritionem, deteſtatio peccati, quæ eſt ex motiuo virtutis Pœnitentiæ, habet quoque hunc exceſſum appretiatiuum. propter eius præſtantiſſimum motiuum, poſt motiuum charitatis, omnium excellentiſſimum.

Circa ſecundum, Dico cum communi ſententia, virtutem Pœnitentiæ, eiúſque actum deteſtari peccatũ ſupra omne malum pœnæ; atque adeò deteſtationem peccati ex motiuo Iuſtitiæ ad vitandam, vel deſtruendam iniuriam Dei, eſſe ſupra omne malum pœnæ. Probatur, quia talis deteſtatio fundatur in quadam ratione mali, ſuperante omne incommodum pœnæ: nam malũ culpę de ſe ſẽper eſt grauius & altioris ordinis, quàm ſit malum pœnæ; ergo in ſe habet efficaciam ad firmandã magis voluntatem in illo affectu deteſtationis. Firmo ac declaro id ex propoſito vitandi peccata in futurum: tale enim propoſitum eſt etiam actus Pœnitentiæ, ſi fiat ſub ratione vitandi diuinam iniuriam. Nam hoc propoſitũ vt ſit efficax, & verus actus Pœnitẽtię, includere debet abſolutã voluntatẽ nunquã peccãdi ampliùs propter vllã cauſã, vel occaſionẽ; ſed in hoc propoſito aperte includitur virtualis deteſtatio, & fuga peccati futuri,

ſeu

Digitized by Google

ſeu poſſibilis ſupra omne aliud malum pœnæ; ergo. Minor probatur, quia in amplitudine illius obiecti includitur, vt peccatũ non cõmittatur ex quacumq; occurrẽte occaſione, etiãſi neceſſe ſit pati quodlibet aliud malum; ergo præponitur, ſecũdùm tale propoſitũ & affectum, vitatio diuinæ iniuriæ ipſi carentiæ cuiuſcumq, alterius mali. Vnde ob eandem rationem, reſpectu peccati præteriti, deteſtatio eius ex vera pœnitentia, includit virtualem volũtatem, quã nollet quis commiſiſſe illud, etiãſi neceſſe eſſet pati quodlibet aliud malum. Quia peccatum omne, ſiue vt præteritum, ſiue vt futurum, ſeu abſolute, & ſecundum ſe, eandem malitiam includit, & ideò eſt æquè deteſtabile, ac odio dignum.

5 De Attritione autem ſupernaturali, quę eſt deteſtatio peccati propter metũ pœnarũ inferni, notat Suar. *diſ.* 5. *sect.* 9. *n.* 15. cùm nõ ſit deteſtatio peccati ſupra ipſã pœnã æternã, nõ eſſe ſuper omnia. Quia fieri non poteſt vt actus excedat motiuũ, in quo fundatur; cùm ab illo habeat totã ſuã rationẽ, & ſpeciẽ; ergo ſi homo ſolum deteſtatur peccatũ propter vitandum malũ pœnæ æternę, nõ poteſt plus deteſtari peccatũ quam prædictum malũ pœnæ Firmo, quia in nullo alio genere rerũ verificatur magis Ariſtotelis dictum, *Propter quod vnumquodq; tale, & illud magis*, quàm in iſto; ergo ſi peccatum deteſtor propter pœnã æternam, impoſſibile eſt, vt peccatũ deteſter magis quam illam, imò hãc deteſtor magis, vel certe magis præcipuè. Neq; ideò in eiuſmodi affectu eſt aliquid inordinatũ, vt dicã *infrà diſ.* 13. *sect.* 3. *n.* 5. *&* 6.

SECTIO VII.

Quodnam peccatum actuale ſit magis deteſtabile per actum virtutis Pœnitentiæ.

1 Dictũ eſt hactenùs de exceſſu illo appretiatiuo cõparãdo peccata cũ aliis rebus quæ nõ ſunt peccata; nunc idem tractandum eſt, cõparando peccata inter ſe. Triplex autem cõparatio eſſe poteſt. Prima eſt inter ipſa peccata ſecundum ſe, an actus deteſtationis Pœnitentiæ deteſtetur magis peccatum grauius, quàm minus graue. Secunda comparatio eſt inter peccatũ propriũ, & alienum, an ex motiuo Pœnitentiæ, debeã deteſtari magis peccatũ proprium leue, quàm peccatũ alienũ graue. Tertia eſſe poteſt inter peccatum actuale perſonale, & peccatum habituale, & etiã originale. De prima cõparatione agã in hac ſectione; de aliis, duabus inſequẽtibus.

2 Videtur igitur circa primam comparationẽ pars negans amplectenda. Quia cùm peruenitur ad ſummum, non poteſt dari magis, vel minus; ſed omnia mala culpę ſunt deteſtabilia in ſũmo gradu, ſecundùm appretiationẽ, videlicet ſupremã ac ſummã deteſtatione, nec propter vllam cauſam ſunt eligibilia; ideò vt nec minimum peccatum rectè eligi poſſit propter vitandum etiã maximum; ergo virtus Pœnitentiæ æqualiter deteſtatur omnia peccata, & non vnum plus quàm aliud.

Secundò, ſi comparando ipſa peccata inter ſe, magis eſſent deteſtanda, quæ grauiora ſunt, ſanè iſte exceſſus explicaretur per hanc conditionalẽ, ſi committendũ eſſet alterum ex his duobus peccatis, potiùs committendũ eſſet leuius, quàm grauius: hoc tamen in nullo caſu licitum eſt, quia nullum peccatum etiam leue eligibile eſt; quia ſi eſſet eligibile ſecundùm rectam rationem, iã non eſſet malum culpæ: ergo ſemper eſt quædam æqualitas inter omnia peccata in ordine ad deteſtationem ipſorũ.

3 Dico *primò*, peccata quò grauiora ſunt, eò eſſe magis deteſtabilia, & magis deteſtanda per actum Pœnitentię. Ita D. Th. *d.* 17. *q.* 2. *ar.* 3. *quæſt.* 3. & communis Theologorũ Schola. Ratio eſt, quia peccatũ eſt deteſtabile, quia eſt malũ, ſeu quia eſt offenſa Dei, ergo quò fuerit maius malũ in ſuo ordine, eò erit deteſtabilius per actum, qui fugit malũ illius ordinis; huiuſmodi autẽ eſt actus virtutis Pœnitentiæ, quo quis fugit, ac deteſtatur culpã, quatenus iniuria Dei eſt; ergo vbi erit maior iniuria ac offenſa Dei, ibi debet eſſe maior deteſtatio. Firmatur, nã hæc maior deteſtatio fũdatur in grauiori & maiori motiuo, & ratione, ſed in peccato grauiori eſt maior ratio, ac maius motiuum ad deteſtandum illud, ergo & debet eſſe maior deteſtatio, quæ in tali motiuo fũdatur: cùmq; in peccato grauiori ſit maior, & grauior Dei iniuria, magis debet deteſtari ex motiuo ipſo virtutis Pœnitentiæ. Quare ſi in eodem actu malo, ſint plures deformitates, ac plures Dei offenſæ, & iniuriæ, ea erit maior per Pœnitentiã deteſtatio, quæ erit ex grauiori deformitate, & grauiori iniuria; ac illa quoque erit deteſtatio maxima, quæ fuerit ob maximam deformitatem ac offenſam: eſt enim in his omnibus eadem ratio, & proportio.

Dico *ſecundò*, per ſe loquendo, conſideratã naturã, & proprietate peccati, non poſſe eligi ſecundum rectã rationem peccatum leuius, vt vitetur grauius. Hoc etiam eſt commune apud Theologos, & certũ. Patet, quia nullum malum culpę eſt abſolutè eligibile, cùm ſit malum Dei, eiuſq; offẽſa, ac iniuria; vnde ſi eſſet eligibile ſecundum rectam rationem, iam non eſſet malum culpę: nã ſi eſſet eligibile ſecundùm rectam rationem, eſſet quoque licitum; quod autem licitum eſt, peccatum non eſt. Vnde quamuis in aliquo caſu liceat conſulere peccatum leuius, vt vitetur grauius; quia illud conſilium ſupponit in alio determinatum affectum ad grauius peccatum, & ideò qui conſilium præbet, cum non poſſit vtrumque vitare, rectè conſulit, vt ſaltem minuatur malum illud. Hæc tamen intentio recta eſt, quia non eſt de malo, vt malũ eſt, ſed vt minus eſt, & ex ſuppoſitione, quòd non poſſit totum vitari. In eligente verò ſemper ille actus malus eſt, quia ille qui eligit, habet in poteſtate ac libertate ſua vtrumq; malum vitare, quia vtrumque eſt malum Dei, eiuſque offenſa, ac iniuria; & ideò nequit in eligente ille actus non eſſe malus. 4

Dico *tertiò*, poſſe accidere caſum, in quo homo eligendo id, quo putat eſſe leuius peccatum, nullo modo peccet. Id rectè notauit noſter Cardinalis Lugo *diſp.* 5. *sect.* 4. *n.* 40. & ponit caſũ de eo, qui ex ignorãtia inuincibili, incidit in perplexitatem conſcientiæ, qua putat ſe teneri audire ſacrum, quia eſt dies Dominica; & ſimul putat ſe peccaturum, ſi illud audiat, quia eſt excommunicatus, nec poteſt hic & nunc abſolui ab excõmunicatione; in hoc caſu hic homo ex ignorãtia ſua inuincibili, putat ſibi eſſe neceſſe cõmittere vnũ ex illis, ſi eligat id quod putat eſſe leuius peccatũ, nullo modo peccabit. Ratio eſt, quia prædictus ſtatus, & perplexitas non eſt prædicto homini libera, ſed inculpabilis, vt ſupponitur; eã autem poſitã neceſſe eſt omninò vnũ ex illis duobus eligere; ergo nõ imputabitur ei ad culpã quòd eligat minus malũ: nã ſi in hoc peccaret, reprehenſibilis eſſet, ac vituperabilis. Quis autẽ illũ reprehẽderet in illo caſu, cũ elegerit quod putauerat minus malũ ad vitandum grauius, atq; id liberè elegerit, potẽs illud nõ eligere; ergo iſte tũc potiùs eſt dignus laude quàm vituperio. Et quãuis prædictus homo exiſtimet ſe peccaſſe, adhuc eligẽdo minus malũ, nihilominus tamen coram Deo nõ peccat neq; eſt culpabilis. Quia non eſt culpabilis ratione perplexitatis antecedentis; hæc enim non fuit volũtaria, vt ſupponitur: neq; etiã eo quòd, poſitã eã perplexitate, elegerit minus malum, hoc enim potius eſt laudabile; ergo nullo modo peccaret ille homo, eligendo id, quod putat eſſe leuius peccatũ. Firmatur hoc idẽ, nã ſi videã Petrũ determinatũ ex ſe ad furtũ, vel homicidiũ, ideò honeſtè facio, ſi ſuadeam furtum, quod minus malum eſt; quia 5

Digitized by Google

meum conſilium nõ eſt de furto abſolutè, ſed ſolùm cõditionatè, ſi ſit furandum vel occidendum; vnde meum conſilium non eſt de malo, vt malum eſt, ſed vt minus eſt. At ſimiliter homo in prædicto caſu habet voluntatem neutrum malum faciendi ſi poſſet; cæterùm quia videt alterum eſſe faciendum, eligit quod minus eſt, nõ abſolutè, ſed ex ſuppoſitione illius antecedentis; ergo non peccat eligendo minus malum, ſicut neque ipſe cõſulendo. Denique probatur concluſio, quia ſuppoſitâ neceſſitate ad diſiunctum ex duobus malis, certè qui eligit minus, quia minus malum eſt, non oſtendit vllum affectum ad malum, ſed potiùs ad carentiam mali, quia oſtendit ſe fugere malum quantum poteſt; ergo non poteſt reprehendi, quaſi habens affectum, & propenſionẽ ad malum, ſed debet magis laudari, quaſi habens auerſionem quantam poteſt a malo. Igitur nullum peccatum committit.

6 Dico *vltimò*, ſi per comparationem conditionalem diceret quis; Si mihi neceſſariò committendum eſſet homicidium, vel mendacium leue, potiùs eligerem homicidium, quàm mendacium leue, grauiter peccaturum propter præelectionem peccati grauioris prę minus graui. Probatur, quia homicidium eſt grauior Dei offenſa, quam mendacium leue, & illud excedit notabiliter in malitia; ergo auget notabiliter malitiã, ſeu offenſam, ergo non poteſt eligi ſine grauiſſima deordinatione. Sicut ſi quis ſic diceret; Si mihi peccandũ eſſet, mallem committere mille peccata, quàm vnum. Quis dubitet hunc actum habere malitiam grauem? ergo idem dicendum de illo alio dicente; Mallem committere peccatum grauius, quàm leue. Firmo, nam in hoc caſu quo eligeret voluntas ſub conditione grauius peccatum, eligeret maius malum, ergo tunc non oſtenderet auerſionem quantum poteſt a malo, imò potiùs propenſionem ad malum cùm non fugeret illud quantum poſſet, ſed amplecteretur liberè id quod notabiliter ſuperat in ratione mali; ergo.

7 Ad argumenta oppoſita. Ad primum, concedo libenter omnia peccata perueniſſe ad ſummum, quatęnus videlicet nullum eorum eſt abſolutè eligibile, & quoduis illorum dignum eſt ſumma deteſtatione: in hoc enim ſenſu omnia æqualia ſunt. Cæterùm id non tollit, quominùs peccatum quò grauius, eò ipſo ſit deteſtabilius; quoniam inter peccata non eſt æqualitas ex parte materiæ, neque ex parte obiecti motiui; hoc enim maius, & grauius eſt reſpectu vnius, & aliud eſt minus graue reſpectu alterius; & ideò eſt maior deteſtatio illius peccati, quæ ſumitur ex grauiori deformitate, & malitia; & per conſequens in hoc genere nequit eſſe æqualitas inter omnia peccata, nec æqualis deteſtatio ipſorum, ſed omnis inæqualis pro varietate, & inæqualitate offenſæ, & iniuriæ in Deum Ad ſecundum concedenda eſt maior; eſt verò neganda minor, vt conſtat ex Dicto tertio.

SECTIO VIII.

An per actum deteſtationis Pœnitentiæ ſit magis deteſtabile peccatum proprium leue, quàm peccatum alienum graue.

1 VIdetur pars negans vera. *Primò*, quia virtus Pœnitentiæ, ſicut & Charitas, non attẽdit ad bonum vel malum proprium, ſed ad bonum, vel malum Dei: ergo cùm ſit maior iniuria, & maius malum Dei, peccatũ grauius alienum, quàm proprium meũ leue, non videtur poſſe me ex motiuo Iuſtitię, vel Charitatis deteſtari magis peccatum leue proprium; quàm graue alienum.

Secundò, ſi ego poſſem vitare atrociſſimam mortem amici mei, vel grauiſſimam iniuriam faciẽdã certiſſimè ab alio, offendendo illum leuiter, deberem hoc facere ex Charitate, vel Iuſtitia, ergo ſimiliter idem dicendum eſt reſpectu Dei.

Tertiò, poteſt aliquis pœnitere magis de mortali alieno, quàm de veniali alieno, licèt nõ poſſit velle, nec procurare peccatũ veniale Petri, vt mediũ, ad vitandũ peccatum mortale Pauli; ergo licet nõ poſſim velle peccatũ veniale meum ad vitandum mortale alienum, potero tamen ex Pœnitentia, vel Charitate magis deteſtari mortale alienum, quàm veniale proprium.

Quartò, ſi ex Dei reuelatione ſcirem, me peccaturum venialiter, ſi venero ad talem locum, in quo tamen impediam peccatum mortale Petri, poſſum me exponere illi certo periculo, vt impediatur peccatum mortale Petri: ſed hoc eſt velle peccare venialiter; ergo iam licet peccare venialiter, vt impediatur peccatum alienum graue.

Vltimò, ſi ex hypotheſi impoſſibili ponatur: Aut mihi peccandum eſt, aut Deus ipſe verum aliquod malum patietur, quia vel non erit, vel inordinatùm aliquid ageret, eſſet tũc deteſtabilius malũ in ipſo Deo, quàm in me; quia quacũq; ratione conſideretur malum Dei reſpectu mei, magis eſt à me vitandum, quia diuinum bonum in re ipſa exiſtens, & prout eſt in ſe, ſuper omnia eſt à nobis diligendum Hunc autem vrget argumentum; nam ſi poſſet eligi culpa propria ad vitandum malum intrinſecum Dei, quia hoc eſt grauius Dei malum, quàm culpa, videtur manifeſtè inferri poſſe eligi culpam propriam leuem ad euitandam culpam grauem alienam, & præferri poſſe malum alienum graue.

Cæterùm Theologi omnes antiqui cum Magiſtro *in 4. d.* 17. & omnes Recentiores meritò aſſirmant, proprium peccatum etiã leue appretiatiuè ſemper eſſe magis deteſtandum, quàm peccatum alienum etiam grauiſſimum. Ratio à priori eſt, quia committere peccatum, ſemper eſt malum, & fugiendũ; ergo nõ licet mihi peccare, vt alius non peccet. Neque enim id ſecundùm rectam rationem fieri poteſt; videtúrque manifeſta implicatio in terminis: nam ex vno capite, ſi mihi licet eligere peccatum leue proprium ad vitandum graue alienum, iam illud non eſſet peccatum; quod enim licitum eſt, peccatum non eſt; ex alio verò capite, peccatum leue, cùm ſit verè Dei offenſa, nunquam licitum eſt; ergo nũquam erit rectè eligibile in ea comparatione. Firmatur, nam cùm peccatum leue propriũ ſupponatur adhuc in eo caſu futurum peccatum, & offenſa Dei; repugnat omninò id eligi ex Charitate, vel Pœnitentia ad vitandum peccatum graue alienum. Patet ex Charitate, quia hæc cùm ſit vera amicitia Dei, inclinat omninò ad non diſplicendũ Deo amico in iis quæ ipſe vult; imò potiùs ad complacendũ ipſi in omnibus: cùm ergo video Deũ hîc & nunc, nolle me eligere peccatum leue, quia eſt eius offenſa, vt medium ad vitandum peccatum graue alienum, nequit vera erga Deum amicitia inclinare me ad diſplicendũ in hoc ipſi Deo; imò potius inclinat ad complacendum ipſi; cùm certò ſciam non niſi benè, & rationabiliter Deum id velle; & lex amicitiæ, quod pręcipuè intendit, eſt ſemper placere amico, eumque non offendere. Præterea idem conſtat ex virtute Pœnitentię ſeu Iuſtitiæ: nam omnis offenſa, & iniuria etiam leuis lædit aliquo modo ius diuinum, & dat rationabilem cauſam Deo auertendi ſe aliquo modo ab offenſore; ergo repugnat quod rationabiliter committatur, vel eligatur ad vitandum peccatum graue alienum; quia peccatum leue proprium ſupponitur adhuc,

in eo caſu futurum peccatum, & offenſa, ac iniuria Dei.

3 Ad argumenta oppoſita. Ad primum ſatisfacit rectè Cardinalis Lugo *diſp. 5. ſect. 4. num. 54.* tametſi Charitas tendat in bonum Dei, non tamen præcisè, & nudè, ſed quatenùs bonum illud non eſt contra voluntatem Dei. Multa enim ſunt bona Dei, quæ Charitas, nec Iuſtitia velle poteſt. Si enim quis baptizaret omnes Turcarum paruulos, & ſtatim eos occideret, procul dubio eſſet cauſa ſalutis illorum, & Deo accreſceret gloria accidentalis ex ipſorum beatitudine, ſed tamen illud Dei bonum Charitas, & Iuſtitia non poteſt velle, quia quantumcumque illud ſit, eſt tamen contra rectam Dei voluntatem, & contra iuſtitiam, prout per hoc medium poneretur. Non ergo poteſt Charitas velle bonum Dei, niſi quòd non ſit contra beneplacitum ipſius Dei. Cùm ergo in noſtro caſu, illud maius Dei bonum, quòd ex vitatione peccati alieni reſultaret, per illud medium committendi veniale peccatum, eſſet hic & nunc contra Dei beneplacitum, & manifeſta offenſa & iniuria eius; neque enim Deus vult illud bonum per hoc medium habere; nec poteſt Charitas, nec Iuſtitia illud bonum per hoc medium deſiderare, cùm ſit contra diuinum beneplacitum; & quodammodo contra ius, & dominium ipſius. Vnde charitas, & amor Dei non conſiſtit præcipuè in procurando bono, vel impediendo malo ipſius, ſed in eo, quod eſt velle placere ipſi, faciendo eius voluntatem. Si autem per amorem Dei procuramus bona ipſius, hoc ita eſt, quia ei placet. Quod inde patet, quia ſi ego poſſem aliquod opus facere quod contineret magnam aliquam gloriam Dei, & mihi ſignificaret ipſe Deus, hoc non placere ipſi, Charitas Dei tunc me inclinaret ad illud opus non faciendum. Placet autem Deo, vt vnuſquiſque magis deteſtetur minus malum culpæ ſuum, quàm maius malum extrinſecum Dei; ſiquidem in eo caſu etiam prohibet vnicuique ſuum peccatum leue.

4 Ad ſecundum Reſpondeo cum diſtinctione. Nam ſi ſupponamus illud leue, quod facio contra amicum, ad liberandum illum à grauiſſimo malo, adhuc tamen habere rationem amicitiæ offenſæ, negandum eſt debere hoc facere ex lege amicitiæ; Quia lex amicitiæ etiam humanæ, quod præcipuè intendit, eſt, placere amico, eumque non offendere; atque adeò ſi malum illud, quo ego amicū liberarem à maiori malo, adhuc ipſe rationabiliter imputaret mihi ad offenſam, non deberē rem illam facere, ſed potiùs permittere vt incideret in illud malum magnum. Si verò ſupponamus illud leue, quod ego facio contra amicum, ad illum liberandum à grauiori malo, eo ipſo iam amittere rationem offenſæ, tunc certè deberem id facere ex lege amicitiæ. Et ſic de facto contingit inter homines; nam mala minora irrogata ipſis ad impediendum ne incidant in maiora, non ſolùm non putant eſſe offenſas, ſed etiam illa maximi beneficij loco habent. Non ſic reſpectu Dei, cui ſemper, & in omni euentu diſplicet peccatum etiam leue; & in omni caſu prohibet illud tanquam offenſam, & iniuriam ſuam, etſi leuem.

5 Ad tertium, conceſſo Antecedente, negatur Conſequentia, ſi ſermo ſit de propria deteſtatione. Ratio diſcriminis eſt, quia quando ego odio habeo peccata aliena, odium illud non eſt omninò practicum, & efficax, ſed eſt ſimplex deſiderium, vel certè voluntas extrinſecè impediendi, ſeu non permittendi peccatum alienum; poſſum autem permittere potiùs peccatum veniale Petri, quàm mortale Pauli; licèt non poſſim illud velle, aut procurare ad impediendum iſtud. At verò odium mei peccati & efficax, & practicum, quod non terminatur ad permiſſionem, nec opponitur deſiderio, ſed intrinſecè terminatur per modum cauſæ, ad negationem peccati, volendo efficaciter vt non ſit peccatum. Cùm igitur conſtet iam, nunquam me poſſe velle peccare venialiter, ad vitandum peccatum mortale alienum; conſequenter fatendum eſt loquendo de hoc genere deteſtationis, & odij me magis debere ſemper nolle veniale meum, quam mortale alienum.

Ad quartum, conceſſa Maiore, negatur Minor: nam 6
velle me in eo caſu periculum peccandi, non eſt velle me peccare, ſed tantùm ſubire periculum ex graui cauſa, nempe vt poſſim proximo ſuccurrere, & impedire eius peccatum mortale: eſt enim communis Theologorum doctrina, poſſe nos licitè ſubire periculum peccandi, vt ſubueniamus neceſſitatibus ſpiritualibus, vt in caſu præſenti: Imò & ob neceſſitatem etiam grauem corporalem proximi, poteſt quis exponere ſe morali, & proximo periculo grauiter peccandi, vt cum multis tenet Sanchez *lib. 9. de matrim. diſp. 45. n. 6.* & *lib. 1. in Decalogum cap. 8.* & attingit etiam Suarez hic *diſp. 32. ſect. 2. num. 4.* Quia amans periculum minimè dicitur, qui neceſſitate compulſus in illud ſe conijcit, & diuinâ miſericordiâ, confidere meritò poterit, fore, vt maius ſibi auxilium impendat, quo à lapſu caueat. Vnde non tam dicitur amare periculum, quàm inuitus illud ſubire; & ideò magis prouidebit Deus, ne illo pereat.

Ad vltimum, Dico inprimis illas conditionales de 7
rebus adeò impoſſibilibus eſſe vitandas, vt omninò inutiles, ac imprudentes. Præterea manifeſtum eſt conditionalem illam poſitam in argumento, inuoluere manifeſtam contradictionem. Nam omninò repugnat quòd illud ſit peccatum, & concipiatur neceſſarium ad conſeruandum bonum intrinſecum Dei. Nam bonum intrinſecum Dei, eſt ipſum eſſe Dei infinitè bonum, ſanctum, incorruptibile, immutabile, æternum. Vnde implicantia euidens eſt, quòd tale bonum Dei, tam altioris, ac diuini ordinis, ac ſummè independens, indigere poſſit meo peccato ad ſui conſeruationem. Præterea hæc eſt alia cōtradictio, quòd illa culpa ſit verè culpa, & ſit neceſſaria ad vitandum malum intrinſecum Dei; quia culpa, vt talis eſt, debet habere oppoſitionem cum Deo, cui eſſentialiter opponitur; ergo & cum bono intrinſeco Dei, quod eſt ipſe Deus. Quomodo autem poteſt talem oppoſitionem habere, ſi indicatur neceſſaria ad vitandum malum intrinſecum Dei? Quare de illa hypotheſi chimerica curandum non eſt. Quòd ſi de eo aliquid eſſet dicendum, potiùs dicerem in eo caſu, illud non fore peccatum; quia eo ipſo quòd per impoſſibile eſſet neceſſarium ad bonum infinitum Dei intrinſecum; redderetur licitum, & honeſtum propter infinitam præponderationem boni Dei. Vnde non diceretur præferri peccatum proprium bono alieno, cùm illud tunc nequiret eſſe peccatum: & ipſamet boni Dei conſeruatio non cenſeretur aliena, ſed valdè propria ſuper omnia à nobis diligenda, & adeò propria, vt à fortiori eſſet magis noſtra, quàm ſit noſtra omnium hominum exiſtentia, & permanentia.

SECTIO IX.

An ſit magis per actum Pœnitentiæ deteſtandum peccatum veniale actuale, quàm habituale mortale.

SEnſus præſentis difficultatis intelligitur optimè per 2
iſtum caſum. Si quis exiſtens in ſtatu peccati mortalis, ſeu in mortali habituali, putaret ſe non poſſe liberari ab illo, niſi per actum doloris Pœnitentiæ ſimul

cum Sacramentali confeſſione, & hanc conciperet ſe non poſſe obtinere vllo modo, niſi faciendo vnum mendacium leue, v. g. an tunc in eo caſu deberet facere iſtud leue mendacium, an potiùs manere in habituali mortali.

2 Cardinalis Lugo *diſputat. 5. ſect. 5. numer. 60.* exiſtimat non poſſe hominem in eo caſu licitè committere veniale peccatum, ſed debere eligere manere in ſtatu peccati non ſolùm per vnum inſtans, ſed per multos annos, potiùs quàm illud committere. Quod adeò verum iudicat, vt ſi occurreret caſus, quo quis ſciens ſe eſſe in ſtatu peccati, & putans ſe non poſſe liberari per contritionem, ſed per actum deteſtationis ſimul cum Sacramento Pœnitentiæ, cuius opportunitatem nunc habet, videátque ſe occidendum ab inimico, a quo poſſet ſe liberare mendacio quodam veniali, non poſſet licitè illud committere, ſed deberet potius ſinere ſe in illo periculo apprehenſo damnationis æternæ, quam committere vnú veniale peccatum. In quo caſu tametſi credibile eſſet, quòd homo ille reipſa non damnaretur, tamen in exiſtimatione ſua deberet potius permittere damnationem ſuam, quàm peccare venialiter. Probat, quia manere in peccato habituali, non eſt peccatum, nec dignũ noua pœna, ſed eſt perſeuerantia mortalis culpæ præteritæ, illud autem mendacium eſſet peccatum veniale, vt ſupponimus; peccatum verò nunquam poteſt eſſe licitum, ſi maneat in ratione peccati: ergo ſi illud mendacium eſt peccatum, non poteſt licitè eligi ad quodcumque malum vitandum; vel ſi licitè eligitur, non eſt peccatum, quia eſt contra rationem peccati vt licitè fiat.

3 Dico *primò*, ſi ille qui eſt in habituali mortali, certò putet quòd poterit poſtea iuſtificari, & ab ſtatu peccati mortalis exire, non poſſe eligere effectionem illius venialis, ad exeundum ex illo ſtatu mortali. Hoc videtur certum, & manifeſtè probatur ſupradicta ratione: Et amplius firmatur, quia ſic eligens, vel operans non ſolùm tenetur hoc vel illud peccatum vitare, ſed ſimpliciter omnia peccata etiã venialia; eſtque id poſitum in voluntate, & poteſtate eius cum diuina gratia; ideóque non licet illi leuius peccatum eligere ad vitandum grauius, vel ad exeundum ex mortali, quia illa electio non eſt permiſſio tantum, ſed volitio peccati in ipſo eligente; & ideò non eſt licita, eſt enim contra rectam rationem, & vera Dei offenſio, ſeu iniuria, etſi leuis. Videantur dicta ſuprà *ſectione ſeptima, numero tertio.*

4 Dico *ſecundò*, illum qui eſt in habituali mortali, & putat quòd hîc & nunc non poſſit ab eo exire, niſi mẽtiendo leuiter, & ſimul etiam exiſtimat, quòd poſteà non erit amplius occaſio exeundi ab illo, quia videt ſe eſſe morti proximum, peccaturum mortaliter, ſi eligeret manere in illo ſtatu mortali. Ratio quæ me vincit, hæc eſt, nam licèt verum ſit, quòd manere in habituali mortali, non ſit ſemper, & in quocumque tempore nouum peccatum, cæterùm negari non poteſt, dari verè aliquod inſtans, vel tempus in quo manere in eo ſtatu peccati, eſt iam nouum peccatum mortale, quia vrget grauis obligatio exeundi aliquando à ſtatu peccati mortalis habitualis. Quòd verò iſta obligatio vrgeat ſaltem in articulo mortis, eſt certum apud Theologos. Cùm igitur iſte homo videat ſe morti proximum, & ſe commiſſurum nouum peccatum actuale mortale, niſi exeat ab habituali in quo eſt; & videat quoque ſe non poſſe ab habituali exire, niſi mentiendo leuiter; atque adeò iudicet ſibi eſſe neceſſarium eligere inter mortale actuale, & mendacium leue; certè in caſu huiuſmodi perplexitatis non poſſet ſine peccato graui eligere mortale nouum actuale, vt eſt in confeſſo apud Doctores. Igitur dato, quòd reuera neceſſe eſſet proferre mendacium illud materiale, ad exeundum in eo articulo à peccato habituali mortali, & à morte æterna, teneretur ſub mortali leuiter mentiri.

Dico *tertiò*, in prædicto caſu illum hominem nullò modo peccaturum nec venialiter, eligendo illud mendacium. Probatur manifeſtè ex præcedenti Dicto, nam de ratione peccati eſt, vt reipſa adſit obligatio non faciendi illud; ergo eſt contra rationem peccati vt reipſa ſit obligatio faciendi illud, ſed in eo caſu eſſet obligatio mentiendi, vt probatum eſt; ergo mentiri in eo caſu nullum eſſet peccatum: nam ſi actus eſt neceſſarius ad vitandum peccatum grauius, non poteſt eſſe ipſe actus vllum peccatum. Quod magis conſtabit ex ſequenti Dicto. 5

Dico *quartò*, etiamſi ille homo, ex ignorantia inuincibili exiſtimaret in prædicto caſu, eligendo mendaciũ leue, ſe venialiter peccare, adhuc reuera non peccaturum. Idem dixi ſuprà *ſect. 7. dicto tertio, n. 4.* in ſimili caſu. Ratio eſt, quia tametſi hic homo exiſtimet in eo caſu ſe venialiter peccare, reuera tamen coram Deo non peccat, neque eſt culpabilis. Probatur, quia non eſt culpabilis ratione perplexitatis antecedentis; nam hæc ſupponitur quòd non fuit voluntaria: neque ex eo, quòd poſitâ eâ perplexitate elegerit minus malum, nempe mendacium; id enim irreprehenſibile eſt; imò potiùs eſt laudabile: ergo nullo modo peccat ille homo, eligendo illud mendacium, quod rectè exiſtimat eſſe leuius malum. Firmo idem; nam impoſſibile videtur, vt vnum malum, ſi ſit neceſſariò faciendum ad vitandum aliud grauius malum, maneat in eſſe culpæ: quo enim fundamento rectæ rationi conformi, poteſt quis apprehendere vnum malum leue, eſſe neceſſarium medium, ad fugiendum aliud malum graue, & eſſe obligationem grauem, & ſub mortali illud committendi, ne committatur iſtud, & per conſequens quod placeat Deo, & ſit illi valde gratum vt eam adimpleat obligationem; & quod adhuc illud malum leue retineat propriam malitiam, ac deformitatem venialis peccati? Quis hoc dicet, aut concipiet? Sic autem ſe habet in noſtro caſu: Igitur ille homo etſi putet ſe venialiter peccare, adhuc tamen reipſa non peccabit.

Obiicies; non eſt obligatio reipſa audiendi Sacrum in die non feſto, & nihilominùs qui credit eſſe diem feſtum, ſi illud non audiat, peccat, & verè peccat abſque eo, quòd faciat contra obligationem reipſa exiſtentem: ergo non eſt de ratione peccati, vt reipſa ſit obligatio faciendi; ergo poteſt eſſe aliquis defectus, & vera culpa, ac peccatum, licèt reipſa ſit obligatio faciẽdi: & per conſequens in illo caſu, tametſi ſit obligatio reipſa mentiendi, poterit nihilominùs illud mendacium eſſe coram Deo veniale peccatum, maximè ſi ille homo putet ſe leuiter peccare. 6

Reſpondeo, caſum Antecedentis eſſe valdè diuerſum. Nam eſt certa omnium doctrina, quòd licèt in die non feſto nulla ſit reipſa obligatio audiendi Sacrum, reſpectu illius qui nullam habet ignorantiam, circa hoc præceptum audiendi Sacrum, quomodo obliget, & quando: nihilominùs tamen, reſpectu illius qui habet ignorantiam, quã credit eſſe diem feſtum, & eſſe reipſa obligationem audiendi Sacrum: nam iſte non ſolùm in exiſtimatione ſua, ſed etiam verè, & à parte rei habet obligationem audiendi Sacrum, licèt fundatam in falſa illa exiſtimatione. Caſus verò ille præſentis quæſtionis eſt, cùm conſtituitur homo inculpabiliter in ea perplexitate, à qua non poteſt ſe liberare niſi eligendo minus malum, atque ideò in ea electione nullo modo peccaret, cum faciat quod tenebatur facere, tametſi ipſe putet ſe peccare.

Dico *vltimò*, directè reſpondendo titulo quæſtionis propoſitæ, nempe per ſe loquendo, per actum Pœnitentiæ eſſe magis deteſtabile veniale peccatum, quàm habitua- 7

habitualē mortale, nec poſſe hominem eligere veniale, vt poſſit exire à ſtatu peccati mortalis in quo eſt: nihilominùs tamen per accidens in aliquo caſu debere potiùs eligi ipſum mendacium leue, quàm manere in illo habituali; & in tali euentu mendacium illud leue nullo modo fore vllum peccatum. Hoc totum ſequitur manifeſtè ex præcedentibus Dictis. Prima pars liquet; quia veniale peccatum eſt verè peccatum, & offenſa, ac iniuria Dei, licèt leuis; & ideò non poteſt eſſe licitum neque eligibile ad quodcumque malum vitandum; præſertim cùm per ſe loquendo manere in peccato habituali, non ſit de nouo peccare, cùm ſit ſola perſeuerantia moralis culpæ præteritæ. Secunda pars conſtat ex ſupra dictis; quibus nihil addendum occurrit, quod neceſſarium ſit ad prædictam doctrinam defendendam.

SECTIO X.

Vtrùm per actum deteſtationis Pœnitentiæ ſit magis deteſtandum peccatum originale, quàm perſonale.

1 RAtio dubitandi eſt, quia magis per talem actum debet deteſtari id, quod eſt dignum grauiori odio Dei; ſed grauiùs odit Deum homo maculatus originali peccato, quàm habens peccatum perſonale veniale: ergo magis debeo deteſtari peccatum originale, quàm ſaltem veniale. Firmatur, quia Pœnitentia magis odit id, quod eſt grauius peccatum, ſed Originale eſt ſimpliciter grauius, cùm facit hominem inimicum Dei, ac filium iræ, ergo.

2 Præmitto, ſicut in peccato hominis perſonali datur peccatum actuale quod tranſit; & habituale, ſeu macula relicta ex peccato præterito, quę appellatur Habituale peccatum: ſic in peccato originali hæc duo quoque diſtingui, videlicet peccatum præteritum actuale, quod fecit Adamus, & poſteri eius quoque, quorum voluntates ex diuino decreto fuerant transfuſæ in voluntatem Adami, ita vt actio Adami exiſtimaretur moraliter actio poſterorum; ratione cuius dicimur verè nos peccaſſe actualiter in Adamo; & maculam habitualem relictam ex illo actu præterito, ratione cuius puer ante Baptiſmum eſt verè in ſtatu peccati, & poteſt appellari Originale habituale, quod ſolum contrahimus in inſtanti conceptionis; tunc enim non peccat puer, ſed eſt in peccato maculatus, ob peccatum actuale præteritum, quod commiſit in Adamo, & nondum eſt remiſſum.

3 Hoc præmiſſo, Dico *primò*, ſi comparetur peccatum perſonale mortale cum originali habituali, certum videtur, per actum Pœnitentiæ deteſtari magis debere illud, quàm iſtud. Ratio eſt, quia tametſi vtrumque priuet gratia, & amicitia Dei, ac viſione beatifica; cæterùm perſonale peccatum eſt multò magis voluntarium, cùm ortum habeat à ſola noſtra voluntate; vnde magis nos obligabit ad illud vitandum; reddit etiam nos digniores reprehenſione, & ſupplicio, vt eſt per ſe notum; ergo. Vnde ob eandem rationem idem dicendum eſt, ſi comparatio fiat inter perſonale actuale mortale, & originale actuale: quia illud eſt magis voluntarium quàm iſtud.

4 Dico *ſecundò*, ſi comparetur originale peccatum habituale, ſeu macula habitualis, quæ eſt in paruulo ante Baptiſmum, cum peccato veniali actuali, hoc eſſe magis deteſtabile, quàm illud per actum Pœnitentiæ. Probatur, quia contrahere maculam originalem in primo inſtanti conceptionis, non eſt peccare; tunc enim non peccat puer, ſed eſt in peccato habituali; eo quòd peccauit antea in Adamo, & non eſt ei condonatum, vel remiſſum illud peccatum. At veniale peccatum eſt verè peccatum, & iniuria Dei etſi leuis: ergo hoc eſt magis deteſtandum per Pœnitentiam, quàm illud, præſertim cùm ſit illud propria voluntate commiſſum: ex quo manifeſtè colligitur potiùs debere aliquem eligere manere in ſtatu peccati originalis habitualis, quàm committere veniale peccatum.

Dico *vltimò*, ſi comparetur veniale actuale proprium 5
cum originali actuali, quod commiſimus in Adamo, magis deteſtari debere per actum Pœnitentiæ veniale actuale. Ratio eſt, quia committere veniale per voluntatem propriam, eſt verè intrinſecè malum, ac peccatum dignum odio & deteſtatione; præſertim cùm ſit à me plenè voluntariè commiſſum: illud autem originale, quod eſt commiſſum per voluntatem Adami, cui mea voluntas erat alligata, permittitur ſolùm, & non à me committitur; ergo hoc eſt minùs odibile, ac minùs deteſtabile: ex quo fit, vt ſi mihi poſſibile fuiſſet per veniale peccatum, me liberare originali, non potuiſſem licitè eligere illud ad vitandum iſtud, quia ſemper veniale eſſet peccatum; ac illicitum; atque adeò & ineligibile, nec potens licitè eligi ad vitandum originale.

Ad argumentum oppoſitum, diſtinguenda eſt Ma- 6
ior: magis debeo deteſtari, vt non faciam id quod Deus magis odit, eſt verum, & concedendum: magis debeo deteſtari, vt non permittam id quod Deus magis odit, quàm facere id quod minus odit, falſum eſt, & negandum. Nam Deus magis odit peccatum mortale alienum, quàm veniale meum, & tamen magis ego obligor ad non faciendum veniale, quàm ad impediendum vel non permittendum mortale alienum. Pariter igitur magis obligor ad non faciendum veniale meum, per voluntatem propriam commiſſum, quàm ad impediendum, ne denominer peccans per voluntatem alienam. Ad confirmationem, ſimiliter Dico; Deum magis odio habere peccatum grauius, ſi æque procedat à mea voluntate, non verò ſi non æquè procedat: quia licèt in ſe ſit grauius, quatenùs affert grauius detrimentum, nempe carentiam gratiæ, & gloriæ æternæ; non facit tamen me magis, ſed minus reprehenſibilem: non poſſum enim reprehendi in rigore propter peccatum originale, ſicut poſſum propter veniale: nam reprehendere eſt, dicere, cur hoc feciſti? non te pudet? quod certè habenti ſolùm originale dici non poteſt.

DISPVTATIO IV.

De Habitu, ſeu Virtute Pœnitentiæ.

CVm conſtet ex præcedentibus tam obiectum formale, quàm etiam actus eliciti Pœnitentiæ in ordine ad illud; manifeſtè conſtare debet dari habitum Pœnitentiæ; quia habitus ab obiecto formali & actibus ſpeciem ſumit: illúmque debere eſſe in voluntate; quia habitus in potentia eliciente actus, ponendus eſt; nam illi dat facultatem, & inclinationem operandi. Qualis verò ſit huius habitus & virtutis ſpecialis natura, & eſſentia, & quomodo ſe habeat, & comparetur ad virtutes alias, in hac Diſputatione eſt explicandum.

SECTIO

Digitized by Google

SECTIO I.

An detur habitus Pœnitentiæ, qui ſit proprie, ac ſimpliciter Virtus.

1 DVrandus in *4.d.14.q.1.* & *2.* & Caietanus 1.2. *q.114.art.1.* ſentiunt prædictum habitum ſolùm eſſe Virtutem ſecundùm quid, non ſimpliciter. Probari poteſt. *Primò*, quia Virtus ſimpliciter non debet ex ſuo conceptu eſſentiali ſupponere aliquod malum, ſeu turpe factum. Ideò enim Verecundia ex Ariſtotele *2. Ethic. c.7. & lib.4. c. vlt.* non eſt virtus, quia ex ſuo conceptu ſupponit turpitudinem, vel turpe factum in eo qui verecundatur: at pœnitentia ſupponit eſſentialiter peccatum, quod eſt malum magnum; ergo.

Secundò, omnis Virtus conſiſtit in mediocritate: at Pœnitentiæ habitus non eſt eiuſmodi, quia etſi quis peccet contra Pœnitentiam, vel quia parum, aut nihil doleat de peccatis; vel quia non doleat de omnibus; nunquam tamen peccat, ex eo quòd de illis extremè, & ſuper omnia doleat.

Tertiò, Virtus debet habere obiectum bonum, ſed Pœnitentiæ obiectum eſt malum; nam odium, deteſtatio, & fuga nequit eſſe boni, ſed mali: ergo non eſt virtus.

Quartò, Virtus exercetur cum delectatione, ſed Pœnitentiæ operatur cum triſtitia; ergo non eſt virtus.

Quintò, Pœnitentia non eſt ex ſe, & per ſe expetibilis, quia ſupponit peccatum; ergo non eſt virtus.

Vltimò, Virtus ſimpliciter ineſſe debet ei qui eſt ſimpliciter perfectus, & ſtudioſus; at habitus Pœnitentiæ non ineſt Deo, nec Chriſto, nec Angelis: ergo.

2 Certa veritas eſt apud Theologos, habitum Pœnitentiæ eſſe honeſtum, & virtutem ſimpliciter. Ratio eſt euidens, quia ille habitus eſt honeſtus, & virtus ſimpliciter, qui eſt principium bonorum, & honeſtorum actuum ex vi proprij motiui honeſti, & boni: id totum habet habitus Pœnitentiæ, nam actus bonus & honeſtus ille eſt, qui procedit iuxta regulas rationis in genere moris; talis verò eſt actus Pœnitentiæ; aliter enim neque eſſet in præcepto, neque in conſilio, neque eſſet meritorius, nec Deo placeret; cuius oppoſitum docent ſacræ Literæ, Concilia, & Patres; ergo.

3 Ad primum Dico, Virtutem ſimpliciter poſſe ex ſuo conceptu eſſentiali ſupponere malum in aliquibus, non verò in omnibus actibus ſuis; alioquin nulla eſſet, nec daretur virtus ſimpliciter: nam Virtutes omnes non ſolum amant ſuum obiectum honeſtum, & in eo adepto delectantur; verùm etiam odio habent, & execrantur malum tali obiecto oppoſitum, ac de illo præſente triſtantur, vnde in iſtis actibus eſſentialiter ſupponunt malum. Similiter ergo habitus Pœnitentiæ formaliter & adæquatè ſumptus, primariò eſt, ac præcipuè ad aliquod bonum conſtituendum, nempe ad ſeruandum diuinum ius integrum, & illæſum vt liquet ex *ſuperioribus diſputationibus*; ſumptus verò ſecundùm inadæquatum conceptum, & præciſum reſpectum ad peccatum commiſſum, reſpicit odium, fugam, ac deteſtationem mali oppoſiti ſuo obiecto honeſto. Verecundia autem, vt nomen ipſum ſonat, ſecundùm communem, ac vſitatam appellationem, ideò non cenſetur actus virtutis, quia oritur ex nimio ac inordinato affectu honoris, & æſtimationis propriæ; qui actus non eſt conformis rationi, atque ideò nec virtus. Pœnitentia autem, etiam prout ſupponit malum, eſt dolor, ſeu deteſtatio peccati commiſſi propter illius malitiam, prout oppoſitam integritati diuini iuris; hoc autem valdè eſt conſentaneum naturæ rationali, vt ſic, & omni rectæ rationi. Addo, quòd habitus Pœnitentiæ etiamſi adæquatè ſumptus ſupponeret eſſentialiter peccatum, & non eliceret niſi actus odij, fugæ, deteſtationis, ac doloris peccatorum ſub proprio motiuo reſarciendi ius diuinum per peccatum læſum, adhuc eſſet virtus ſimpliciter; quia nimirùm prædicti actus ſunt quoque valde honeſti, ac conformes rectæ rationi; ac proinde habitus inclinans in illos, tanquam principium eorum, haberet honeſtatem ſimpliciter, ac propriè rationem virtutis. Nam quicumque habitus inclinans ad ſolum actum honeſtum, eo ipſo quò talis eſt, vera virtus eſt, ſiue neceſſariò præſupponat aliquod malum, ſiue non.

Ad ſecundum, Dico etiam Pœnitentiam in nobis debere habere medium, & moderationem: quia tametſi peccatū ſit tam graue malum, vt nequeat à creaturis ita odio haberi, quin maiori odio dignum ſit; poſſet tamen quis tam intenſum dolorem de peccatis habere, vt noceret grauiter ſaluti, ac proinde delinqueret per exceſſum contra Pœnitentiam.

Ad tertium, Dico bonitatem actus non ſemper ſumi ex bonitate ſui obiecti; id enim ſolùm habet locum 4
in actibus proſecutionis, qui non ſunt boni, niſi obiectum ſit bonum: at verò actus odij, fugæ, & deteſtationis, eò ſunt meliores quò obiectum deterius eſt, atque ideò eorum bonitas, & honeſtas deſumitur ex prauitate obiecti ad quod terminantur; quia ſicut laudabile eſt complecti bonum, ſic etiam laudabile eſt fugere malum. Addo illam fugam mali virtualiter, & quaſi æquiualenter eſſe proſecutionem, & amorem boni. Vnde actus deteſtationis peccati prout oppoſiti diuinæ bonitati, eſt virtualiter, ac æquiualenter dilectio Dei, quia ad eandem virtutem charitatis ſpectat amare Deum, ob eius infinitam bonitatem, & fugere malum, ſiue peccatum, prout tali bonitati oppoſitum.

Ad quartum. Reſpondeo, non ſolùm virtutem, ſed omnem etiam habitum elicere ſuos actus cum delectatione: nam omnis habitus operatur cum delectatione, quatenus delectatio ſignificat alacritatem, facilitatem, & opponitur difficultati, ac labori.

Ad quintum, Antecedens eſt abſolutè falſum, nam etiam Medicina ſupponit morbum, & tamen eſt expetibilis: & quidem ante morbum eſt expetibilis conditionatè, poſt morbum verò, abſolutè. Præterea non eſt de ratione virtutis quod ſit expetibilis per ſe, hoc eſt, nulla facta ſuppoſitione; ſed quòd ſit expetibilis per ſe, id eſt gratiâ ſui, præſcindendo ab omni alio, ſiue hoc ſit abſolutè, ſiue ex ſuppoſitione.

Ad vltimum, conſtabit *diſputatione ſequenti*, de ſubiecto remoto, ſeu de quibus perſonis habentibus virtutem Pœnitentiæ. Modò ſat eſt dicamus, tametſi nequeat Pœnitentia ſimul ſtare cum impeccabilitate Chriſti Domini, ex eo quòd ſupponat peccatum; ſicut neque etiam Medicina ſtare poteſt cum incorruptibilitate: inde tamen non ſequi Pœnitentiam non eſſe perfectionem in ſuo proprio genere, quod ad rationem virtutis ſufficiens eſt.

SECTIO II.

An habitus Pœnitentiæ ſit peculiaris virtus, & ea ſit ſupernaturalis.

CIrca primam partem ſectionis, Altiſſiodorenſis 5
lib 4. ſummæ, tract. 6. q. 3. & Maior *in 4. d. 14 q. 1. dubio 1* negant dari aliquam peculiarem, & determinatam virtutem Pœnitentiæ. *Primò*, quia ad ſingulas alias virtutes

Digitized by Google

virtutes ſpectare videtur, amare proprium obiectum honeſtum, & odiſſe peccatum illi oppoſitum; quia eiuſdem virtutis eſt amare bonum ſibi proprium, ſeu propriam ſuam honeſtatem, & odiſſe malum huic bono contrarium, ſeu peccatum huic honeſtati repugnans, ergo.

Secundò, intentio ſatisfaciendi pro offenſa parentibus, aut proximis illata, pertinet ad pietatem, vel iuſtitiam, contra quas delinquendo, illos offendimus, & non ad aliam virtutem; ergo intentio ſatisfaciendi pro offenſa, & iniuria Deo facta; idem eſt de dolore, ac deteſtatione illius; pertinet ad eam virtutem, contra quam delinquendo, Deum offendimus, & non ad aliam diſtinctam.

Tertiò, ſi Pœnitentia eſſet ſpecialis virtus, fieret inde iuſtiorem & ſtudioſiorem eſſe illum, qui pluries peccaſſet, & de peccatis pœnituiſſet, quàm innocentem, qui nullum perpetraſſet peccatum; nā peccator per deteſtationem peccatorum adquireret habitum Pœnitentiæ, quo innocens careret; vnde innocens non haberet tot virtutes, quot peccator; atque adeò eſſet minus ſtudioſus, quàm peccator.

2 Certa eſt apud Theologos ſententia affirmans. Quæ optime probatur, quia virtus illa ſpecialis eſt, & à cæteris omnibus diſtincta, cuius eſt aliquis ſpecialis actus honeſtus, ac ſpeciale motiuum, à proprijs cæterarum omnium virtutum motiuis, & actibus diſtinctum: talis autem eſt Pœnitentiæ virtus, quæ amat, & procurat diuini iuris integritatem, & odit, ac deteſtatur peccata vt tali integritati contraria; quod obiectum, & motiuum honeſtum eſt, ac ſanctum; & actus odij deteſtationis, & doloris peccati prout oppoſiti prædicto diuino iuri, ac illud violat, ſunt etiam honeſti, & ſancti; ergo. Firmiorā vbi eſt ſpecialis honeſtas quæ poteſt ab actibus reſpici, eſt conſtituenda ſpecialis virtus, quæ ad illam inclinet, niſi ratione ſtatus impediatur. At ſeruare ius diuinum illæſum, vel læſum reparare, compenſando offenſam ex honeſtate ſatisfactionis, eſt peculiaris honeſtas diſtincta ab honeſtate aliarum virtutum. Nā quis neget compenſare offenſam diuinam, & ius diuinum illæſum conſeruare, eſſe maximè rationi conformes? Vnde æqualitas illa per talem compenſationem intenta, eſt valde honeſta. Hoc verò obiectum non reſpicit Charitas, quæ ſolum odio habet peccatum propter bonitatem diuinam: ſicut & virtus miſericordiæ propter honeſtatem ſubleuationis miſeriæ; & ſic de aliis virtutibus. Igitur ponenda eſt peculiaris virtus, quæ in hanc honeſtatem inclinet. Et quamuis iniuria Deo facta ſit generalis, & inſeparabilis ab omni peccato; eſt tamen ſpecialis, ſeu contra ſpeciale ius quod Deus habet, ne illud violetur, & ideò non impedit quominus ſit conſtituenda peculiaris virtus Pœnitentiæ: ſicut licet inobedientia ſit circumſtantia generalis omnis peccati; tamen eo ipſo quòd ſpecialiter intendatur, eſt ſpeciale vitium; ac per conſequens ſi honeſtas Obedientię ſpecialiter ametur, ac intendatur, amari neceſſe eſt, ac intendi per peculiarem Obedientiæ virtutem.

3 Ad primum oppoſitum; tametſi verum ſit, quamlibet virtutem peculiarem deteſtari poſſe peculiare peccatum ſibi oppoſitum, ex ea peculiari ratione formali, qua ſibi, ſuæque propriæ honeſtati opponitur, non tamen deteſtari peccatum, quatenus eſt iniuria Dei, lædens ac violans diuinum ius; & ſub hoc reſpectu non opponi illis, ſed ſoli virtuti Pœnitentiæ; & ideò præter alias virtutes conſtituenda eſt peculiaris virtus Pœnitentiæ. Quare licèt demus ſingulis virtutibus [illegible] modum deteſtationis, ac doloris; certè neg[illegible] reſt eſſe ſpecialem honeſtatem, & excellentiam, in eo quòd voluntas deteſtetur peccata ob eam generalem rationem, quod nimirùm ſunt Dei offenſa, qua eſt diuinum ius læſum. Hoc autem motiuum non eſt Temperantiæ, nec Fortitudinis, nec Religionis, nec Charitatis, nec aliarum ſpecialium virtutum; oportuit ergo conſtitui aliam ſpecialem virtutem quæ a dicto obiecto formali ſpecificetur: & hæc eſt, quam Pœnitentiam cum communi ſenſu Doctorum appellamus.

Ad ſecundum Reſpondeo, parentibus, & amicis nos non ſatisfacere niſi externis actibus, vt externa reſtitutione pecuniæ antea ablatæ, externa honoris exibitione, & ſimilibus, qui externi actus non oriuntur immediatè ab habitu virtutis, ſed tantum mediante interno actu voluntatis à quo imperatur. Vnde fit vt diuerſam ab illo formalem honeſtatem, ſeu moralem bonitatem non habeant, & ad eundem proinde virtutis habitum cum eo pertineant: qui multiplex, & diuerſus eſſe poteſt, iuxta multiplicitatem, ac varietatem obiecti formalis, ſeu motiui ſpecificantis. In ſatisfactione autem noſtra, quam Deo exhibemus per internum actum voluntatis, nempe per actum deteſtationis peccati, prout eſt Dei offenſa, qua eſt diuinum ius læſum, ac violatum, habet prædictus actus ex ſuo proprio obiecto, & motiuo formali ſpecificam, & formalem, ac ſpecialem honeſtatem independenter ab vllo alio actu interno voluntatis, ac proinde ad peculiarem habitus Pœnitentiæ virtutem per ſe ſpectare debet. Imò & ipſa intentio ſatisfaciendi Deo pro offenſa, ſi reſpiciat illam vt offenſiuam diuini iuris, ad eandem ſpecialem Pœnitentiæ virtutem pertinere neceſſe eſt, cùm habeat idem formale motiuum, ac ſpecificatiuum. 4

Ad tertium, falsò ſupponitur, Pœnitentiam non eſſe virtutem per ſe infuſam, ſed adquiri actibus pœnitentis. Præterea, adhuc illo falſo ſuppoſito, negandum eſt peccatorem futurum abſolutè ſtudioſiorem Innocente; quia tametſi haberet intenſiorem Pœnitentiæ habitum; remitterentur tamen illi alij habitus ſtudioſi per peccata contra illos commiſſa. Innocens autem illos retineret intenſos; & per conſequens maiori hac intenſione compenſaretur. Addo, coram Deo quemque meliorem eſſe, quantò ſanctior eſt; at ſanctitatis magnitudo non tam penſanda eſt, ex qualicumque multitudine virtutum, quàm ex magna gratiæ & Charitatis intenſione, ex magno bonorum operum numero, maiorique eorum perfectione, ac præſtantia ex obiecto, aliiſque circumſtantiis ſumpta. 5

Circa ſecundam Sectionis partem, cum communiori ſententia Dico, habitum Pœnitentiæ eſſe ſupernaturalē in entitate ſua. Ratio à priori eſt, quia datur actus Pœnitentiæ ſupernaturalis in entitate, vt oſtendi *diſputatione præcedenti, ſectione quarta*, ergo & habitualis. Patet conſequentia, quia talis actus non poteſt fluere a voluntate, ſolis naturæ viribus, ſed præuenta ſaltem auxilio diuinę gratiæ: vt ergo a voluntate eliciatur talis actus modo connaturali, eleuari debet per habitum ſupernaturalem per ſe infuſum, tali actui proportionatum. Hæc enim eſt ratio à priori conſtituendi lumen gloriæ in intellectu ad eliciendam viſionem beatam; & habitum Charitatis in voluntate Iuſti ad eliciendum actum amoris ſupernaturalem & alios habitus Religionis, Piæ Affectionis, & ſimiles, vt poſſit voluntas prædictis habitibus adiuuari, & eleuari ad illos connaturaliter, ac magis proportionali modo eliciendos. 6

Vnde Colligo, prædictam ſpecialem virtutem Pœnitentiæ ſupernaturalem, eſſe etiam per ſe infuſam. Ratio eſt, quia ad omnem actum ſupernaturalem ex obiecto formali ſuperno, infundit Deus habitum perfectiorem ipſis actibus, quo tanquam principio potentiam eleuante, ab ipſa connaturaliter eliciantur. 7

Verùm autem actibus Pœnitentię ſupernaturalibus adquiratur habitus, quo actus ſupernaturales promptè, &

& facilè eliciantur; & qui ſit minus principalis quàm actus, quia non concurrit ad eorum ſubſtantiam, ſed tantùm vt promptè, & facilè eliciantur: quæſtio eſt communis omnibus aliis habitibus, ſeu virtutibus; quam in materiam de Virtutibus reiicio.

SECTIO III.

An virtus Pœnitentiæ ſit Theologica, an potius Moralis.

1 RAtio dubitandi eſt. *primò*, quia virtus Pœnitentiæ habet Deum ſaltem vt obiectum *Cui*, vt conſtat ex *diſputatione prima, ſectione vltima*; vult enim ſatisfacere Deo: ergo ex hoc capite erit virtus Theologica. Patet conſequentia, quia Charitas eſt virtus Theologica etiam in illis actibus, quibus vult Deo bona extrinſeca laudis, & gloriæ, quia in illis habet Deum pro obiecto *Cui*.

Secundò, virtus Pœnitentiæ intendit placare Deum per deteſtationem peccati: at placatio Dei eſt quid increatum; nam eſt actus diuinæ voluntatis condonantis offenſas, & iniurias, ac deponentis indignationem, & acceptantis obſequia noſtra: ergo Pœnitentia virtus eſt Theologica, quia fertur ad aliquod obiectum increatum, & diuinum:

Tertiò, Pœnitentia vult formaliter integritatem diuini iuris, ſeu Dei; ergo reſpicit Deum ex parte obiecti: non eſt autem Deus obiectum materiale; non enim vult Deum propter integritatem iuris; ergo Deus habet ſe ex parte obiecti formalis; ac proinde Pœnitentia cenſenda eſt virtus Theologica.

2 Communis eſt Doctorum ſententia, Pœnitentiam non eſſe virtutem Theologicam. Ratio à priori hæc eſt, quia virtus Theologica debet ſaltem attingere vt obiectum formale præcipuum, ac principalius intentũ, ipſum Deum, vel aliquid Dei intrinſecum, increatum, ac diuinum, vt omnes affirmant, & ex ipſo nomine virtutis Theologicæ eſt compertum: ſed Pœnitentiæ habitus non habet pro formali obiecto Deum, vel aliquid Dei intrinſecum; ergo nõ eſt virtus Theologica. Minor liquet ex dictis *diſputatione ſecunda*, vbi oſtendimus obiectũ formale Pœnitentiæ eſſe iliam honeſtatem, quę reperitur in reſarciendo diuino iure per culpam læſo, vel in compenſatione ſeu integritate iuris diuini: quæ honeſtas eſt quid creatum. Vnde virtus Pœnitentiæ nullo ſuo actu tendit directè in Deum, tanquam in obiectum formale, à quo ſpeciem accipiat: tendit enim directè ſolùm per actus ſibi proprios in actus humanos, quibus ſatisfit Deo, tanquam in obiectum formale à quo ſpecificatur. Ipſa quoque prædicta honeſtas licet reſpiciat Deum, tanquam illum, cui exhibenda eſt ſatisfactio, & cuius iniuria reſarcienda eſt; ac proinde ad virtutem Pœnitentiæ pertineat, tendere ad Deum, vt ad obiectum *Cui*, ac veluti in obliquo; non tamen eſt obiectum materiale vel formale illius, ipſe Deus, aut attributum diuinum, aut aliquid intrinſecum Dei. Firmo, nam Theologicæ virtutes tantum ſunt tres, vt colligunt Theologi ex illis verbis Pauli 1. *Cor.* 14. *Nunc autẽ manent tria hæc. Fides, Spes, Charitas*: at Pœnitentia non eſt Fides, vt liquet: neque eſt Spes, quæ non ſolùm dona creata, ſed Deũ ipſum ſperat; & ideò Deum ipſum attingit directè, & vt *quod*, ſeu vt materiam proximam, circa quam verſatur; Pœnitentia verò ſolùm attingit Deum vt perſonam, cui ius ſuum, ſeu debitam ſatisfactionem reddit; & ita ſemper habet aliam materiam creatam, circa quam proximè verſatur, nempe actus humanos, & Deum ſolùm attingit vt obiectum *Cui*. Multò minùs virtus Pœnitentiæ poteſt eſſe Charitas, quæ habet præſtantiſſimum, ac ſupremum omnium motiuum, nempe diuinam bonitatem: ergo.

Hinc colligo, Pœnitentiam eſſe virtutem moralem. 3
Patet, quia intellectualis eſſe non poteſt, cùm non ad intellectum, ſed ad voluntatem, ſeu potentiam affectiuam pertineat; omnis autem virtus voluntatis, aut eſt Theologica, aut Moralis: nam hæc duo membra includunt immediatam contradictionem.

Ad primum argumentum oppoſitum, negatur con- 4
ſequentia; eſt enim notorium diſcrimen inter Charitatem, & Pœnitentiæ virtutem: nam Charitas ita habet Deum pro obiecto *Cui*, vt habeat ipſum pro motiuo formali: vult enim Deo bona, quia bona Deo ſunt, quem formaliter amat per illum actum: at Pœnitentia vult ſatisfacere Deo, non quia bona ſit Deo ſatisfactio, tanquam propter motiuum formale, ſed quia ſatisfacere Deo eſt bonum, & honeſtũ ipſi ſatisfacienti. Vnde ille actus Pœnitentiæ non eſt amor Dei, ſed eſt actus ſatisfactionis Deo, quod totum eſt aliquid creatum: ſicut virtus Obedientiæ vult obedire Deo, & virtus Religionis vult exhibere cultum Deo; & tamen non ſunt virtutes Theologicæ propter eandem rationem.

Ad ſecundum, Dico, Pœnitentiam, tametſi remotè 5
intendat placare Deum vel quod Deus remittat offenſam, id tamen non eſſe obiectum formale, & motiuum proprium Pœnitentiæ; quia ſolum intendit proximè, & immediatè, ac formaliter bonum, & honeſtum, quod reperitur in integritate iuris diuini, reſarciendo illud per peccatum læſum, ac violatum; quæ honeſtas eſt quid creatum; atque ideò nequit eſſe virtus Theologica; ſicut ſunt Fides, Spes, & Charitas; quia hæ Virtutes habent pro obiecto formali, à quo ſpecificantur, aliquid intrinſecum diuinum, nempe Dei veracitatem, omnipotentiam, infinitam Dei bonitatem. Addo etiam, tametſi cõdonatio Dei ſit aliquid increatum; non tamen reſpici à Pœnitentia propter ſuam perfectionem infinitam, ac diuinam, vt ſuum proprium motiuum ſeu obiectum formale, ſed ſolùm indirectè, vt impedit titulum indignationis Dei. Quod quidem ſi poni poſſet per condonationem Dei, quæ eſſet aliquid extrinſecum, & creatum, Pœnitentia ipſa parum curaret; atque adeò non reſpicitur à Pœnitentia, vt eſt infinita, & increata perfectio formaliter.

Ad tertium, Dico Pœnitentiam, cùm reſpicit inte- 6
gritatem iuris diuini, reſpicere Deum vt finem *Cui*, ſeu vt perſonam, cui ius ſuum, ſeu debitam ſatisfactionem reddit, non verò reſpicere Deum vt obiectum volitum, ſeu vt motiuum. Ille autem reſpectus ad Deum vt finem *Cui*, non ſufficit ad virtutem Theologicam: nam etiam eodem modo Religio reſpicit Deum, cùm illi præbet cultum; & Obedientia ſimiliter cùm vult obedire Deo; quin vlla ex illis ſit, vel dicatur virtus Theologica.

SECTIO IV.

An habitus Pœnitentiæ ſit virtus Iuſtitiæ, re & ſpecie diſtincta à Religione.

OMiſſis Aliorum variis dicendi modis, Dicam 1
quid ſentiam ſequentibus Dictis. Dico itaque *primò*, habitum Pœnitentiæ eſſe virtutem iuſtitiæ erga Deum. Probo id, quia affectus formalis conſeruandi ius diuinum, & ſatisfaciendi Deo, ſeu ius ipſius læſum reparandi, ſunt actus eliciti ab habitu Pœnitentiæ,

tiæ, vt conſtat ex *ſuperioribus*; ergo eiuſmodi habitus Pœnitentiæ eliciens illos, eſt verè, & propriè iuſtitia erga Deum. Conſequentia patet, quia obiectum proprium Iuſtitiæ, non eſt aliud niſi ius: hæc enim prout eſt ſpecialis virtus, non inclinat niſi ad cuilibet conſeruandum, vel reddendum ius ſuum rigoroſum ad æqualitatem, reſpiciens illud tanquam ſuum peculiare obiectum formale.

2 Dico *ſecundò*, habitum Pœnitentiæ eſſe ſpecialem virtutem Iuſtitiæ commutatiuæ erga Deum. Ratio eſt, quia Iuſtitia commutatiua intendit æqualitatem dati, & accepti; id eſt in compenſatione iniuriæ tantum reddi in effectu, vel ſaltem in affectu, quantum ablatum fuit: ſed hoc eſt quod intendit virtus Pœnitentiæ, ſatisfaciendo; nam ſaltem affectu vult reddere Deo tantùm honoris, quantùm per peccatum ablatum fuit; ergo eſt commutatiua Iuſtitia.

3 Obiicies, homines puros non poſſe æqualem exhibere Deo ſatisfactionem pro culpa mortali; ergo pœnitentia hominis puri non poteſt talem ſatisfactionem intendere; ergo neque habere pro obiecto formali ius diuinum ſumptum pro æquali ſpecialiter debito. Firmatur: nam ſolus Chriſtus Dominus exhibuit in effectu integram & adæquatam ſatisfactionem, reddens Deo ad æqualitatem tantùm honoris, quantum per peccatum ablatum fuerat: ergo ſoli Chriſto concedenda eſt talis Pœnitentiæ virtus, quæ ſit Iuſtitia commutatiua erga Deum. *Reſpondeo*, virtutem Pœnitentiæ in ſuis actibus non intendere in effectu æqualitatem rigoroſam, quæ dicitur Arithmetica rei ſcilicet ad rem, attingens ius rigoroſum, ſed ſolùm eam æqualitatem intendere in affectu; in re ipſa verò omnem illam æqualitatem, quam humana voluntas ope diuinæ gratiæ ſuffulta, aſſequi poteſt; idque ſufficere, vt ſit, & dicatur virtus Iuſtitiæ commutatiuæ. Ad confirmationem, concedo ſolum Chriſtum Dominum reipſa in compenſatione iniuriæ tantum reddidiſſe in effectu, quantum per peccatum ablatum fuerat; & ideò potiori iure prædictam virtutem Iuſtitiæ fuiſſe in Chriſto. Hinc verò ſumitur argumentum pro noſtra ſententia: nam manifeſtum eſt prædictam virtutem Iuſtitiæ fuiſſe in Chriſto; ergo etiam eſt nobis concedenda, tametſi ſolum cum affectu intendere poſſimus ad æqualitatem ius diuinum reſarcire. Conſequentia patet; quia omnes affirmant etiam Doctores contrariæ ſententiæ, contra Medinam, Iuſtitiæ virtutem in Chriſto non eſſe virtutem ſingularem illius tantùm, quæ nullo pacto reperiatur in puro homine. Cuius optima ratio hæc aſſignari poteſt; quia nullum obiectum formale honeſtum poteſt intendi, & eſſe volitum à Chriſto Domino, quod ſimiliter nequeat ab homine puro amari; cùm iſte habeat potentiam obedientialem eleuatam ad omne bonum honeſtum ſupernaturaliter diligendum.

4 Dico *tertiò*, prædictam Iuſtitiam commutatiuam erga Deum ſpecie diſtingui ab omni Iuſtitia commutatiua, quæ eſt inter homines. Id conſtituo contra Durandum exiſtimantem, eſſe valdè per accidens iuſtitiæ commutatiuæ, quòd ſatisfactio quæ per illam intenditur, fiat homini, vel Deo. Probatur tamen concluſio quæ eſt Suarij *diſput. 7. ſection. 1. numer.* 17. Granado *diſput. 5. numer.* 3. & Aliorum; quia ius diuinum eſt longè excellentius iure humano, & altioris ordinis: ergo virtutes talia iura reſpicientes ſunt ſpecie diuerſæ. Nam ſicut iniuria irrogata Deo eſt longè alterius rationis ab ea quæ irrogatur homini; eo quòd ſuprema Excellentia diuina, cui infertur, ſit ſummè, ac infinite diſtans ab excellentia humana; ita ius quod in hac excellentia fundamentum habet, & quod à peccatoribus læditur, eſt longè diuerſum. Igitur virtus Pœnitentiæ, quæ intendit hoc ius diuinum reſarcire, non poteſt non diſtingui a iuſtitia humana, quæ reſarcire intendit ius læſum inter homines, propter iniuriam vni ab altero irrogatam. Firmatur concluſio variis paritatibus: nam veneratio, ſeu adoratio debita Deo, diuerſa eſt ſpecie a veneratione debita homini, quia excellentia Dei infinitè maior eſt, & eminentior, quam omnis excellentia creata cuiuſcumque hominis quantumcumque ſancti. Idem eſt de Pietate, gratitudine, & ſimilibus verſantibus circa Deum, quæ ſpecie diſtinguuntur ab illis aliis quæ circa homines verſantur. Igitur Pœnitentia quæ eſt iuſtitia hominis ad Deum, ſpecie diſtinguetur ab illa, quæ inter homines verſatur.

Dico *vltimò*, prædictam virtutem Iuſtitiæ erga Deum, quæ eſt ipſa virtus Pœnitentiæ, eſſe ſpecie diuerſam à virtute Religionis. Ita Suarez *tom. 1 de Religione lib. 3. c. 3.* & Alij contra Caietanum. Probatur, quia obiectum formale Religionis & longè diuerſum ab obiecto formali virtutis Iuſtitiæ, ſeu Pœnitentiæ; nam religio habet pro obiecto formali honeſtatem cultus diuini Deo debiti iure creationis; & virtus Pœnitentiæ honeſtatem, quæ relucet in conſeruando iure diuino integro, & reſarciendo illo ſi fuerit læſum; quæ videntur eſſe obiecta longe diuerſa; ergo & habitus tendentes in illa. Firmatur, nam vt bene notauit Suarez tametſi vtraque virtus reſpiciat debitum Dei; tamen ſtrictius, ac rigoroſius eſt debitum quod reſpicit actus iuſtitiæ, quàm religionis. Nam duplex ius ex parte Dei conſiderari poteſt, vnum quod habet tanquam proprius & particularis Dominus famę ſuæ, vel honoris, vel aliarum rerum externarum: Aliud ius eſt quod præciſè ratione ſuæ excellentiæ, potentiæ, & operationis habet, vt ab omnibus colatur, honoretur, & adoretur. Ex quibus duobus iuribus primum videtur rigoroſius, & inducit maiorem rationem debiti iuſtitiæ. Vnde etiam violatio illius ex genere ſuo eſt magis propria iniuria, vel iniuſtitia contra Deum. Sic enim infamatio Dei, vel detractio de Deo, quòd videlicet ſit mendax, vel infidelis in ſuis promiſſis, eſt propriiſſima iniuria Dei altioris rationis, quàm ſit erga homines. Hoc ergo ius ſtrictiſſimum reſpicit propriè virtus Iuſtitiæ. Aliud verò ius, & debitum cultûs ratione ſuæ excellentiæ reſpicit virtus religionis. Quare ſicut ob ſimilem diuerſitatem iurium inter homines, Theologi diſtinguunt iuſtitiam, & obſeruantiam humanam, tanquam duplicem ſpecie virtutem: ſimiliter in ordine ad parentes, virtutes iuſtitiæ & pietatis ſpecie diuerſas conſtituunt: Ita ſimiliter in ordine ad Deum, ſpecie diſtinguuntur Iuſtitia, ſeu virtus Pœnitentiæ, & Religio. 5

Ex his colligo *primò*, virtutem Pœnitentiæ potiori 6
iure, re & ſpecie diſtingui à virtute Obedientiæ ſtrictè ſumptæ. Patet quia obiectum formale obedientiæ ſtrictè ſumptæ eſt honeſtas ſubiectionis Superiori, vt tali; hoc autem obiectum eſt valdè diuerſum ab obiecto formali Pœnitentiæ; ergo & virtus Pœnitentiæ à virtute obedientiæ. Dixi, *ſtrictè ſumpta*; quia omnes virtutes dici poſſunt latè obedientiæ, quatenus præſtant id quod Deus iubet: deficiunt tamen à rigoroſa obedientia, quia non intendunt expreſsè, & formaliter ſe ſubiicere Deo, vt præcipienti; quod eſt proprium obedientiæ ſtrictè ſumptæ.

Colligo *ſecundò*, virtutem Pœnitentiæ eſſe virtutem 7
ſpecialem, ab omnibus aliis diſtinctam. Patet: Tum quia habet ſpeciale obiectum formale, diſtinctum ab obiectis formalibus aliarum virtutum: Tum quia ſi cum aliqua

Digitized by Google

aliqua alia virtute eſſet identificanda, maximè cum religione; ſed iam probatum eſt oppoſitum; ergo cum nulla.

8 Contra hoc vltimum Dictum obiici poteſt duplex D. Th. teſtimonium. Primum eſt ex 2.2. *q.*80. *a.*1. in quo iuſtitiæ partes enumerat, & inter eas Religionem, nulla facta mentione Pœnitentiæ; ergo ſignũ eſt Pœnitentiam identificari à ſancto Doctore cũ aliqua virtute ibi relata, quæ alia eſſe non poteſt niſi Religio. Secundum eſt eiuſdem D. Th. *dicta* 2.2.*q.*81.*a.*1. vbi ait, Religionem deduci à *reeligendo*; quia nimirùm Religione Deum noſtrâ culpâ amiſſum reeligimus. Hoc autem cùm per Pœnitentiam faciamus, videtur ex mente ipſius, hanc ab illa non eſſe diſtinctam. Reſpondeo ad primum teſtimonium, S. Thomam illo loco poteſtatiuas iuſtitiæ partes numerantem, non meminiſſe virtutis Pœnitentiæ, quia in hac tertia parte erat de ea ex profeſſo acturus, eamque inter illas partes enumeraturus, vt reipſa numerauit in hac 3.*p.q.*85.*a.*3. Ad ſecundum Dico, duplicem eſſe reelectionem, quâ Deum culpâ noſtrâ amiſſum, reeligere poſſumus: vna eſt Religionis propria, ea nimirùm, quâ Deum falſa religione & alieno cultu amiſſum per verum cultum reeligimus, & aſſumimus nobis in Deum: & ab hac reelectione ait D. Thom. Religionem deduci. Altera eſt propria Pœnitentiæ, ea videlicet quâ Deum eatenus tantùm reeligimus, quatenùs redimus, ac Deum recuperamus per commiſſi peccati compenſationem: quæ proinde longè diſtinguitur à Religione. Adde, Religionem habere quoque aliam etymologiam, & forte magis propriam, à *religando*, quia nos adſtringit, & alligat.

SECTIO V.

Quem perfectionis gradum habeat virtus Pœnitentiæ inter reliquas virtutes.

1 CErtum eſt *primò*, virtutem Pœnitentiæ ſuperari in perfectione à virtutibus Theologicis. Patet, quia præcipua virtutis perfectio ex obiecto formali penſanda eſt, ſed obiectum formale virtutum Theologicarum, eſt nobilius obiecto formali virtutum moralium ſupernaturalium; quia illud eſt quid increatum, hoc verò eſt res creata: Igitur virtutes Theologicæ præcellunt Pœnitentiam, vtpote moralem.

2 *Secundò*, etiam eſt certum, virtuti Pœnitentiæ eſſe præferendam virtutem piæ Affectionis ſupernaturalem circa res Fidei. Probatur, quia licèt pia Affectio per ſe non ſit Theologica virtus; tamen per ſe eſt neceſſaria ad Theologicam virtutem Fidei, cuius eſt quaſi forma moralis. Prætereà, verſatur circa nobiliſſimam materiã, nempe circa honeſtatem actus Fidei ſupernaturalis, qui eſt actus dignior actibus, & materia, circa quam verſatur virtus Pœnitentiæ; & per illum attingit Deum nobiliſſimo modo ſubiiciendo illi ſupremam hominis potentiam: plus enim eſt ad Deum ipſum, ipſimet credendo, accedere, quàm actus recompenſationis, & ſatisfactionis illi exhibere. Igitur habitus voluntatis, qui immediatè mouet hominem, & eius mentẽ, vt priori modo Deo coniũgatur, perfectior eſt, quàm virtus Pœnitentiæ, quæ poſteriori modo in Deum mouet. Quare prædictus piæ Affectionis habitus inter Virtutes morales poſt Theologales, primum locum tenet, ordine perfectionis, quia verſatur circa obiectum, & materiam digniorem, & cæteris difficiliorem.

3 *Tertiò*, certum videtur, virtutem Pœnitentiæ nobiliorem eſſe omnibus virtutibus moralibus, quę verſantur circa paſſiones; nempe Temperantiã, Fortitudine, & cęteris illis cõnexis. Ratio eſt, quia virtus, ſicut ab obiecto habet ſpeciem ſuam, ita ex eodem habet ſuam nobilitatẽ, obiectum autem virtutis Pœnitentiæ, quod eſt ius diuinum, eſt omnium excellentius obiectorum circa paſſiones verſantium, vt per ſe eſt manifeſtum.

Quartò, certum quoque eſt, virtuti Pœnitentiæ cedere omninò omnem virtutem iuſtitiæ, quæ eſt inter homines. Patet, quia ius diuinum, quod reſpicit virtus Pœnitentiæ, eſt longe excellentius omni iure humano, circa quod verſatur virtus Iuſtitiæ, quæ eſt erga homines; & eſt quoque altioris ordinis, vt eſt per ſe notum. 4

Quintò, certum mihi videtur, virtutem Pœnitentiæ perfectiorem eſſe virtute Miſericordiæ erga homines. Suppono hanc virtutem eſſe ſpecie diſtinctam à Charitate, vt ipſe opinor. Probatur, quia licèt Miſericordia erga pauperes ſit valdè honeſta, & laudabilis, ſed non ita proximè nos vnit Deo ſicut Pœnitentia: quæ licèt non æquè, ac virtutes Theologicæ, tamen proximè poſt illas coniungit nos Deo, vt ſupremo Domino, cuius diuinum ius illæſum ſeruare, &, ſi fuerit læſum, reparare conatur. Vndè maximè commendatur Pœnitentiæ virtus, quia ad conſeruandum illæſum omninò diuinum ius, quantum in ſe eſt, toto affectu tendit, & quando læſum eſt, illud quantum poteſt, reſtaurare ſtudet. 5

Vltimò, verius iudico, virtutem Pœnitentiæ præferendam eſſe virtuti Obedientiæ. Moueor, quia Obedientia ad præceptum attendit; at Pœnitentia, ad omne diuinum ius illæſum conſeruandum. Et quamuis obediendo, Deo magnus cultus exhibeatur, non ſecus ac tranſgrediendo præceptum eius, iniuria ac irreuerentia illi fiat; formalis tamen ratio, & intentio obediendi, non reſpicit reuerentiam debitam perſonæ, cui obeditur propter excellentiam eius, ſed reſpicit ſolùm honeſtatem, quæ eſt in Obſeruantia præcepti, ſeu quod idem eſt, quæ eſt in conformitate voluntatis ſubditi cum voluntate ſuperioris volentis, & potentis obligare. Vnde Obedientia etiã prout verſatur circa præcepta Dei, non ita proximè tendit in Deum, ſicut virtus Pœnitentiæ: Quia Obedientia tota verſatur immediatè circa præceptum; & Auctorem præcepti ſolùm reſpicit, tanquam extrinſecam cauſam efficientem præcepti, vel tanquam regulam extrinſecam, cui ſecundùm voluntatem conformari tenetur. Vnde D. Th. 2.2. *q.*104. *art.*2. *in corpore*, & *ad* 3. dicit, proprium obiectum Obedientiæ eſſe præceptum, quod ex alterius voluntate procedit. Et *ad primũ* dicit, aliquem non facere formalem actum Obedientiæ, niſi quando operatur ex intentione implendi præceptum. Et Auguſt. 14. *de ciuitate Dei*, *c.*12. dixit Obediẽtiam commendatam eſſe in præcepto. At virtus Pœnitentiæ immediatiùs tendit in Deum, quia nõ nititur in præcepto eius, ſed in diuino dominio, ac iure conſeruando illæſo, quod ipſius eſt; & directiùs quoque tendit ad Deũ, quia nõ reſpicit illũ vt cauſã efficientẽ, ſed vt perſonam, ad quam tendit, ſeruando ius ipſius tanquã proximũ finem *Cui*; nam eſt ille cui ſatisfacit, & debitũ eius ſeruat; &, ſi fuerit læſũ, reparare conatur quantũ poteſt. 6

Difficultas ergo ſupereſt tantùm de virtute Pœnitentiæ collata cum virtute Religionis.

Suar. *de Religione*, *tr.*1. *lib.*3. *c. vlt. n.*17. affirmat perfectiorem eſſe virtutem Pœnitentię, quæ nomine virtutis Iuſtitiæ ad Deũ, ſignificatur. Probat, quia licet vtraque virtus reſpiciat ius diuinum, & ordinetur ad perſoluendum debitum Deo; & vtraque reſpiciat Deum vt obiectum *Cui*, & ius aliquod, vt obiectum formale immediatum; nihilominùs tamen ius quod Pœnitentia reſpicit, ſtrictiùs obligat, quàm ius quod à Religione reſpicitur; quia illud eſt rigoroſæ iuſtitiæ, non verò 7

verò iſtud. Pœnitentia enim intendit conſeruare ius diuinum illæſum, & ſi fuerit læſum, reſarcire, quod certe magis ſtricte obligat: Quò enim magis de obligatione iuſtitiæ participat, eò videtur eſſe perfectior.

Contrariam ſententiam defendit Granado *tract.* 2. *diſp.* 6. *num.* 10. Tum quia S. Thom 2. 2 *q.* 81, *art.* 6. abſolutè abſque vlla limitatione præfert Religionem cæteris virtutibus moralibus, quæ reſident in parte affectiua. Tum maximè, quia nobiliſſimus & præcipuus Pœnitentiæ actus ſupponit peccatum, cùm ſit efficax illius retractatio. Vnde Religio maxime decet perſonam impeccabilem, cuius munus eſt debitam Deo reuerentiam exhibere, independenter à culpa quæ præceſſerit. Igitur nobilior eſt Religio ipſa Pœnitentia.

8 Mihi magis placet ſententia Suarez, hac ductus ratione. Nam inprimis virtus Pœnitentiæ non minorem habet numerum, ac multitudinem propriorum actuum elicitorum, quam habeat Religio: nam ex diuerſis modis quibus ſolet tendere in ſuum obiectum bonum, nempe in ius diuinum conſeruandum, habet varios actus proſecutionis, nempe actum amoris, vel ſimplicis complacentiæ in diuino iure conſeruando per ſe ſpectato; propoſitum & intentionem ſeruandi illud illæſum in omnibus; & ad hunc finem electionem mediorum, deſideriũ quoque ac ſpem id præſtandi, gaudium denique, ac delectationem de tali iure conſeruato. Habet etiam actus fugæ varios, quibus vitat malum ſuo obiecto bono oppoſitum, videlicet actum odij, fugæ, deteſtationis, triſtitiæ, & doloris de diuino iure læſo, ac violato; & hos habet multiplices ſpecie iuxta multitudinem, ac diuerſitatem iniuriarum, & contumeliarum, ac conuiciorum, quæ dicuntur contra Deum, & grauiter offendunt diuinum ius. Prætereà in modo attingendi Deum vt finem *Cui*, cõuenit omninò cũ virtute Religionis, vt conſtat ex *ſuperiùs* dictis. Igitur ex modo reddendi debitum Deo, colligenda eſt perfectio, ac præſtantia harum virtutum; nam in cæteris videntur magnam paritatem ſeruare. At in prædicto modo attingendi, videtur virtus Pœnitentiæ, ſeu Iuſtitiæ erga Deum ſuperare Religionem. Quod ſic oſtendo, quia virtus Iuſtitiæ ad Deum, quæ reipſa eſt virtus Pœnitentiæ, reſpicit magis rigoroſum, ac ſtrictius debitum Deo, quàm virtus Religionis; nam Iuſtitiæ Commutatiuæ ius fundatur in arithmetica æqualitate rei ad rem, & ideò attingit, ac reſpicit ius rigoroſum, ac magis ſtrictum; ergo virtus reſpiciens illud, erit perfectior: Conſequentia patet, quia tota eius perfectio ſumitur in ordine ad illud ius; ergo quò illud attingit intimiùs, ac ſtrictiùs, eò erit in modo attingendi nobilior.

Firmatur; nam maius peccatum eſt, & iniuria maior, auferre à Deo honorem per contumeliam, vel detractionem, v. g. quàm non dare illi debitum cultum præcisè; quia videlicet ius diuinum ſtrictiùs obligat ad illud primum; & ideò continet peccatum illud contumeliæ, vel detractionis, maiorem deformitatem, & grauiorem iniuriam: ergo è contrario maiorem honeſtatem habet, & perfectionem virtus illa, quæ tendit ad ſtrictius ius conſeruandum. Quare, ſicut inter virtutes morales naturales, perfectior virtus eſſe cenſetur Iuſtitia propria, & rigoroſa, quæ attendit ad ſtrictius, magíſque rigoroſum debitum, quàm aliæ virtutes Gratitudinis, Liberalitatis, ac Obſeruantiæ; ita ſimiliter inter virtutes morales ſupernaturales infuſas, quæ reddunt Deo debitum, illa erit perfectior, quæ magis attendit ad ſtrictius debitum Deo: cúmque id principaliùs reſpiciat Iuſtitia Commutatiua, quæ eſt hominis ad Deum, illa ſanè erit perfectior. Quòd ſi dicas in conſtituenda æqualitate magis deficere Pœnitentiam, quàm Religionem? *Contrà occurram*, licet id concedatur nihil referre: quia defectus æqualitatis, cùm non ſit defectus voluntatis, ſed poteſtatis, parum, aut nihil minuit perfectionem virtutis. Præterea cùm virtus Pœnitentiæ toto affectu tendat, quantum in ſe eſt, ad conſeruandum illæſum omne diuinum ius; & quando læſum eſt, illud, quantum poteſt, reſarcire conatur. Perfectio enim virtutis non ex effectu, vel potentia, ſed ex affectu honeſto, ac præcellenti metienda eſt.

Ad argumentum Granado. Ad D. Thomam, Dico 9
non eſſe alienum à noſtra ſententia. Nam ibi ſaltem æquiparat Pœnitentiam Religioni, quia illas non diſtinguit: loquitur enim de Religione in communi, & genericè, prout omnem iuſtitiam ad Deum ſub ſe cõprehendit: quo pacto rectè dixit ſine vlla limitatione, Religionem eſſe perfectiorem cæteris virtutibus moralibus. Ad rationem *Reſpondeo* nullius roboris eſſe, quia ſũpta virtute Pœnitentiæ, vt ſumi debet quoad totam latitudinem ſui obiecti, ſuorúmque actuum, non ſupponit neceſſariò peccatum, ſed ex ſe, & per ſe habet illa virtus vſum ſuorum actuum proſecutionis, nempe Amoris, Intentionis, Electionis, Deſiderij, & Gaudij: & etiam ex ſe, & per ſe habet vſum aliorum actuum, quoad odiũ peccati ſecundùm ſe, & quoad propoſitum cauendi omnem diuinam iniuriam. Quare ſi comparatio fiat abſolutè, & ſimpliciter, virtus Pœnitentiæ, quæ eſt iuſtitia hominis ad Deum, ſupernaturalis, præſtat virtuti Religionis. Ad ſummum concedi poteſt, aliquem actum Pœnitentiæ, nempe retractationem peccati commiſſi eſſe quodammodo, & ſecundùm quid, imperfectiorem aliquo actu religionis; quatenus id quod eſt per ſe, ſolet eſſe melius quàm id quod eſt per accidens; & ille actus Pœnitentię non eſt per ſe neceſſarius, niſi ſuppoſito peccato.

Ex dictis in tota hac Diſputatione, & præcedentibus, 10
facile eſt, veram & propriam virtutis Pœnitentiæ definitionem proponere, quæ eſt huiuſmodi. Habitus ſupernaturalis, affectiuus, ordinatus ex ſe ad ſeruandam integritatem diuini iuris.

SECTIO VI.

An poſſit dari aliquis Habitus Pœnitentiæ naturalis.

PRæcipua difficultas eſt, an poſſit quis elicere actum 1
deteſtationis peccati, quatenus Dei offenſa eſt, ac iniuria, qui ſit omninò naturalis? & procedit Quæſtio tam de homine exiſtente in ſtatu puræ naturæ, quàm etiam de homine exiſtente in ſtatu naturæ lapſæ.

Partem negantem ſignificant Scotus *in* 4. *d.* 14. *q.* 3. Durandus, *q.* 1. & Alij eam ſequuntur: Quia nequit naturaliter cognoſci, Deum ſemel offenſum poſſe placari; nullum enim medium cognoſcitur per rationem naturalem, quo poſſit homo placare Deum offenſum, cùm enim tale medium nequeat eſſe naturę, ſed ſolius gratiæ, nequit eſſe naturaliter cognitum; ergo nequit homo naturaliter id medium appetere, atque adeò nec deteſtari peccatum ob eandem rationem, ac per conſequens, non poteſt dari Pœnitentia naturalis, ac proinde nec habitualis.

Dico *primò*, in vtroque ſtatu poſſe ab homine ra- 2
tione naturali cognoſci, Deum, vt eſt auctor, gubernator, & finis naturæ, offendi peccatis. Probatur, quia lumine naturæ cognoſcitur Deus eſſe prouiſor, legiſlator, ac totius naturæ gubernator: cognoſcitur quoque Deus eſſe finis vltimus naturalis hominis, ſupra omnia diligendus, in cuius conſecutione hominis beatitudo naturalis conſiſtit; ergo lumine

Digitized by Google

naturæ cognoſcitur Deum offendi peccatis hominum, vel quia contemnitur eius præceptum, & obedientia; vel quia in ratione vltimi finis aliqua creatura ei præfertur.

3 Dico *ſecundò*, poſſe hominem deteſtari peccatum, vt eſt offenſa Dei, actu naturali. Ita Vega in Tridentinum *lib.* 13. *cap.* 25. Suarez *diſputat.* 3. *ſect.* 7. & Alij. Probatur id *primò*, quia illa ratio mali, nempe offenſionis Dei, eſt propter ſe odibilis, ac deteſtabilis, imò & deteſtabilior, quam aliæ, cùm ſit grauior cæteris, & eſt repugnans rationi naturali, ac proinde & ipſi naturæ intellectuali, ſeu rationali; ergo poteſt homo per ſe loquendo illam deteſtari actu naturali: Firmatur, quia omnes gentes quantumuis barbaræ inſtituerunt certos ritus, ac ceremonias, quibus conantur ſatisfacere ſuis Diis propter peccata offenſis; ergo quòd Deus peccatis offendatur, & illorum deteſtatione placari videatur non ſubterfugit captum naturæ. Igitur neganda non eſt pœnitentia naturalis ad hoc munus obeundum.

Dices, vnamquamque virtutem adquiſitam retractare peccatum contra illam commiſſum. *Sed contra eſt*; quia pœnitentia adquiſita habet ſpeciale motiuum ad retractanda peccata omnia, nimirum quatenus opponuntur diuini iuris integritati; ergo quamuis aliæ virtutes adquiſitæ deteſtentur peccata, provt oppoſita ſuis obiectis formalibus, adhuc cōcedenda eſt ſpecialis virtus pœnitentiæ naturalis, quæ peccata cuncta retractet, provt ſunt contraria ſuo obiecto, quod eſt ſpeciale, & diſtinctum ſpecie ab obiectis omnium aliarum virtutū: ſicut etiam in ſupernaturalibus præter virtutes infuſas odio habentes peccata ſuis obiectis oppoſita, conſtituitur virtus ſpecialis Pœnitentiæ per ſe infuſa, quæ ex ſuo ſpeciali motiuo peccata omnia deteſtetur. *Secūdò*, homo poteſt naturaliter appetere ſuam beatitudinem naturalem, vt docent Theologi; ergo etiam poterit optare, vt auferantur impedimenta talem beatitudinem retardantia, ſed hæc impedimenta tolluntur per compenſationē peccatorum Deo exhibitam, ergo hanc poterit per actū naturalē Pœnitentiæ optare, ac procurare. *Vltimò*, Deus vt vltimus finis naturæ poteſt ſuper omnia diligi amore naturali amicitiæ, vt fatentur Granado 1.2. *contr.* 8. *tract.* 1. *d.* 3. *n.* 2. Martinez *de ente ſupernaturali, d.* 49. *n.* 14. & plerique alij; ergo & poterit voluntas naturali lumine ducta odiſſe peccata, vt oppoſita Deo ſuper omnia dilecto; ergo & poterit intendere ea deteſtari ad placandum Deum, eiuſque ius illæſum conſeruandum; ſed iſta intentio eſt actus pœnitentiæ naturalis, ergo. Eſt verò obſeruandum, prædictam pœnitentiam, ac deteſtationem peccati, & propoſitum non peccandi, quod naturaliter haberi poteſt, habiturum imperfectionem cuiuſdam inefficaciæ in ordine ad effectum: quia talis dolor & propoſitum per ſeſe conſideratum non poſſet eſſe conſtans, nec diu ſuis contrariis reſiſtere; quia non poteſt homo ſolis ſuis viribus naturæ, totam legem naturæ multo tempore implere. Vnde ob hanc rationem tale propoſitum auxiliis gratiæ deſtitutum, meritò dici ſolet abſolutè inefficax.

4 Dico *tertiò*, poſſe dari habitum, ſeu virtutem Pœnitentiæ naturalem. Patet ex dictis, quia datur, vel dari poteſt actualis Pœnitentia naturalis; ergo & habitualis. Patet conſequentia; quia prædictus habitus deſeruire poteſt ad faciliùs ſic operandum, non ſecus ac aliæ virtutes naturales morales conſtituuntur ad eundem finem.

5 Ad argumentum oppoſitum, negandum eſt antecedens. Quamuis enim cognoſci nequeat naturaliter, Deum placari, & remittere iniuriam per intrinſecam qualitatem ſupernaturalem gratiæ; quia non eſt in rerum natura aliquis effectus, vel res, ex qua talis gratia habitualis per diſcurſum naturalem colligi poſſit; tamen ex condonatione offenſæ vel iniuriæ, quæ fit inter homines, colligere homo poteſt naturaliter, poſſe Deum ſic placari, nempe liberè condonando peccatum, vel offenſam contra ipſum commiſſam, per extrinſecam ipſius Dei condonationem, ac remiſſionem liberam, vt inter homines contingit.

DISPVTATIO V.

De ſubiecto remoto, ſeu Perſonis, in quibus eſt habitus ſeu virtus infuſa Pœnitentiæ.

NOn eſt vlla quæſtio de ſubiecto proximo, & immediato Nā conſtat idem iudicium ferendum eſſe de virtute Pœnitentiæ, ac de aliis habitibus voluntatis; ac proinde ſi iſti in ſubſtantia animæ recipiuntur, vt volunt modò nonnulli recentes Philoſophi, & Theologi; idem de habitu Pœnitentiæ dicendū erit. Si verò prædicti habitus ſint in voluntate reipſa diſtincta à ſubſtantia animæ, vt cùm D. Thoma, & antiquis Theologis ipſe opinor; erit ſimiliter in voluntate habitus Pœnitentiæ. Difficultas ergo ſolùm eſt, in quibus perſonis ſit prædictus habitus conſtituendus.

SECTIO I.

An virtus Pœnitentiæ fuerit in primis Parentibus ante peccatum in ſtatu innocentiæ.

VIdetur negatiua pars amplectenda: Quia primum peccatum Adami & Euæ in illo ſtatu, vel ex natura rei, vel certè ex ſpeciali Dei prouidentia, non potuit eſſe veniale; cumque per mortale eſſet virtus Pœnitentiæ omninò deſtruenda, vnà cum gratia ſanctificante, ſuperuacuè, poneretur in illo ſtatu; quia prius eſſet prædicta virtus deſtruenda, quàm haberet materiā circa quam, nempe peccata. Propter hoc argumentum ſentit Vaſq. 3. *p. q.* 85. *a.* 4. *dub.* 2. habitum Pœnitentiæ infuſū non fuiſſe in Adamo ante peccatum, quia in eo fuiſſet omninò ſuperfluus, cùm nunquam poſſet elicere actum deteſtationis.

Dico negari non debere primis parentibus in ſtatu innocentiæ virtutem Pœnitentiæ, eiuſdem rationis cum 2
noſtra. Eam illis tribuit S. Th. *p. p. q.* 95. *a.* 3. & *in* 4. *d.* 14. *q.* 1. *a.* 3. *q.* 2. & 3. & communiter Doctores. Probatur *primò*, quia in eo ſtatu potuiſſent primi parentes elicere aliquos actus ſupernaturales, ſimiles iis quos elicit in nobis virtus Pœnitentiæ; ergo ad eiuſmodi actus eliciēdos debuiſſent habere habitum Pœnitētiæ infuſū eiuſdem rationis, ac noſtrū. Antecedens probatur: nā in primis potuerunt habere odiū peccati; quatenus eſt offēſa, & iniuria violans ius diuinū; & propoſitū efficax fugiēdi peccatū, ne ius diuinum læderetur; quos actus elicit noſter habitus Pœnitentię: Poſſet quoque, durante illo ſtatu, habere gaudiū de carētia peccati propter æquitatē iuris diuini ſeruandā: qui actus etiā fit à noſtro habitu Pœnitētiæ: Denique habere potuerunt actus cōditionatos circa peccatū, videlicet, ſi peccarē, deteſtarer peccatū, omninò reſarciēdi diuinū ius: qui actus cōditionati; cùm ſint etiam ſupernaturales, eſſent ab aliquo habitu infuſo; & in nobis nō fiunt ab alio quàm ab habitu Pœnitētiæ; ergo negari nō poteſt prædictū habitū Pœnitētiæ fuiſſe in primis parentibus in ſtatu innocentię. *Secundò*,

dè, tametſi de facto in ſtatu innocentiæ nondum peccauerant primi parentes; nihilominùs tamen quantum eſt ex parte ſubiecti non repugnabat illis peccaſſe, ergo tota repugnantia pœnitendi non erat ex parte ſubiecti, ſed ex circumſtantia extrinſeca, eo quòd non peccaſſet: nam idem ſubiectum eſſe poſſet, & cum eiſdem habitibus, licèt antea peccaſſet; quòd ſufficit, vt actus deteſtationis pœnitentiæ eſſet illi aliquo modo poſſibilis, licet non ex ſuppoſitione quòd non peccauerat. Quare ſicut primi parentes habuerunt in illo ſtatu habitum Charitatis; ita poterant habere habitum Pœnitentiæ ob eandem rationem. *Vltimò*, a priori idem firmatur, quia gratia eſt radix prima horum habituum infuſorum, ac per conſequens & ipſius habitus Pœnitentiæ. At gratia eiuſdem rationis erat in Adamo ante peccatum, & poſt peccatum; ergo iidem habitus debebant ab ea in vtroque ſtatu emanare. Quare ſicut ab eſſentia animæ dimanabat potentia affectiua voluntatis eiuſdem rationis in vtroque ſtatu elicitiua, quantum erat ex ſe, actus deteſtationis Pœnitentiæ, licet ante peccatum non poterat per accidens illum elicere; ita etiam habitus infuſi, & inter eos habitus Pœnitentiæ, qui comparantur ad gratiam, ſicut potentiæ ad animam, debebant manare eodem modo ante peccatum, & poſt peccatum, quia quòd ille homo peccaſſet prius, vel non peccaſſet, erat circumſtantia valdè extrinſeca gratiæ.

3 Ad argumentum Vaſquez negandum eſt fore habitum Pœnitētiæ in eo ſtatu ſuperfluum; cum iam ſit probatum quòd poſſent primi parentes in ſtatu innocentiæ varios actus ſupernaturales elicere, ſimiles illis, quos elicit in nobis virtus Pœnitentiæ, ac proinde habuiſſe habitū infuſum Pœnitentiæ eiuſdem rationis ac noſtrū.

SECTIO II.

An in Chriſto Domino, & in beatiſſima Virgine ſit virtus Pœnitentiæ.

1 NEgant Vaſquez citatus *præcedenti ſectione*. Valentia, Soto & Alij habitum infuſum Pœnitentiæ fuiſſe in Chriſto Domino. Probant, quia in eo fuiſſet omninò ſuperfluus, cùm nunquam poſſet elicere actum deteſtationis abſolutę peccati, ob illius intrinſecam, ac naturalem impeccabilitatem.

2 Partē affirmantē iudico verā, quā ſequuntur Doctores multi, & graues. Alexander enim 4. *p. q.* 12. *membr.* 1. *a.* 1. §. 1. non longe à fine, admittit in Chriſto Domino virtutem Pœnitentiæ, licèt nō quatenus ſupponit peccatum præceſſiſſe. Caietanus, qui Pœnitentiam putat non diſtingui à Religione, proculdubio concedet eam Chriſto, in quo fuit virtus Religionis. Argentinas *in* 4. *d.* 14. *q.* 1. *a.* 1. *ad* 5. quoad habitū, & quoad aliquē actū, Pœnitentiā Chriſto cōcedit. Suar. *to.* 1. *in* 3. *p. diſp.* 19. *ſect.* 1. & *tomo* 4. *de Pœnitentia, diſp.* 7. *ſect.* 1. *n.* 10. & 11. concedendam putat Chriſto virtutem, quæ in nobis dicitur Pœnitentia, ſed non ſub hac appellatione Pœnitentiæ. Idem docent Coninck *diſp.* 1. *dub.* 3. Cardin. Lugo *diſp.* 6. *n.* 6. Granado *tr.* 1. *diſp.* 6. *n.* 5. & 6. Neque huic ſententię opponitur D. Th. *in* 4. *d.* 14. *q.* 1. *a.* 3. *qu.* 3. *ad* 2. negans in Chriſto virtutem Pœnitentiæ. Nam, vt interpretatur ibi Granado, S. Doctor conſtituit diſcrimen inter Chriſtum Dominum, & alios Beatos: quòd hi radicaliter, & remotè ſunt capaces peccati, cum ſint puræ creaturæ; & ideò habere dicuntur Pœnitentiam quoad habitum, qui eſt remotum principium deteſtationis peccati proprij, quod verè habuerūt multi in via, licèt modò, ratione habitudinis habere non poſſint. At Chriſtus Dominus non potuit peccare, quia ſuppoſitū illius eſt incapax peccati, & ideò dicendus non eſt habuiſſe pœnitentiam quoad habitum, quatenùs inclinat ad deteſtandum peccatum proprium. Non verò negat D. Th. in Chriſto Domino fuiſſe entitatem ipſius habitus, & inclinaſſe ad odium peccati alieni. Hanc ſententiam, quam ſequor vt veram, ſequentibus Dictis propono, & explico.

Dico ergo *primò*, certum eſſe apud omnes, virtutem Pœnitentiæ ſub nomine, & appellatione rigoroſa Pœnitentiæ non fuiſſe in Chriſto Domino. Patet, quia rigoroſa Pœnitentiæ appellatio connotat reſpectum ad peccatum proprium, & ad ipſius peccati, vt proprij retractationē inclinat; & ideò nequit ſub hac appellatione cōſtitui in Chriſto, in quo nullū peccatū eſſe potuit. Quare ſicut Pœnitentia ſub hoc nomine adeò ſupponit peccatum commiſſum propria voluntate habentis illā, vt licet poſſim odio habere, ac deteſtari meū originale peccatum, vt contrarium iuri diuino, adhuc tamen iſte actus nequit dici abſolutè pœnitentia; quia pœnitētia ſub hoc nomine ita appellatur, quia reſpicit peccatū propriū, voluntate, ac libertate propria cōmiſſum, & eſt deteſtatio peccati liberè cōmiſſi ab eo ſuppoſito, in quo eſt. Similiter etiam in Beatis actus quo Beati de propria beatitudine, vt proprio bono delectatur, procedit ab habitu cōcupiſcentiæ ſupernaturalis, qui in nobis viatoribus dicitur Spes, & tamē in Beatis non ita nuncupatur. Ita pariter in Chriſto Domino, tametſi cōſtituatur virtus ſupernaturalis iuſtitiæ ad Deū, quæ nō eſt diſtincta à virtute Pœnitētiæ in nobis exiſtente; non ideò tamen illa eſt Chriſto concedenda ſub nomine, & appellatione Pœnitentiæ. 3

Dico *ſecundò*, Chriſto Domino concedendam eſſe virtutem Iuſtitię erga Deum. Conſtat id ex ſuperiori Diſputatione. Nam virtus Iuſtitiæ reſpicit peccatum, & iniuriam Dei in compenſationem iuris diuini, per eam læſi, ſeu ex motiuo reparandi ius diuinum læſum. At Iuſtitia Chriſti reſpicit peccatum & iniuriam Dei vt ſic, compenſandam; ergo eſt in illo virtus Iuſtitiæ. Nec valet dicere, iuſtitiam Chriſti reſpicere peccatum alienum, & alienam iniuriam compenſandam. Non, inquā, id valet, quia eiuſdem virtutis eſt iuſtitiæ Cōmutatiuæ humanæ, ſoluere debitū proprium, & alienum propter æqualitatem: eiuſdem etiam virtutis Miſericordiæ gaudere de eleemoſyna facta à ſe, vel ab alio, propter honeſtatem Miſericordiæ, ergo eiuſdem virtutis iuſtitiæ erga Deū, eſt, deteſtari, & velle ſatisfacere pro peccato proprio, vel alieno, ob honeſtatē cōpenſationis iuris diuini læſi, ſeu ex motiuo reparandi ius diuinum læſum. Cùm igitur in Chriſto fuerit odium, & deteſtatio peccati, & voluntas ſatisfaciendi pro alieno peccato, concedendus eſt Chriſto habitus iuſtitiæ erga Deū ad eliciēdos prædictos actus. Et ratio a priori videtur eſſe, quia ſolùm eſt eſſentiale virtuti Iuſtitiæ erga Deum, abſolutè, & ſimpliciter intendere compenſare iniuriam Deo illatam; quòd verò illa iniuria fuerit illata à ſubiecto, in quo eſt talis virtus, vel ab alio, circumſtantia eſt accidentalis; nam peccatum vbicumque ſit, malum eſt, & odio dignum, quatenus iniuria eſt Dei, ergo eadem virtus ſecundùm ſpeciem, quæ inclinat ad peccati odium, ac deteſtationem, & compenſationem iniuriæ in proprio ſubiecto, poteſt inclinare ad eius odium, & compenſationem, quatenùs eſt ex parte ſua, vbicumque ſit. Addo, mihi videri probabilius, Chriſtum Dominum ſatisfeciſſe Patri pro noſtris peccatis ex affectu elicito à virtute Iuſtitiæ Commutatiuę erga Deum, vt probaui in tractatu, *de Incarnatione diſp.* 4 *ſect.* 11. 4

Dico *tertiò*, virtutem Iuſtitiæ, quæ eſt in Chriſto, eſſe eiuſdem ſpeciei cum virtute Pœnitentiæ; atque adeò hanc eſſe in Chriſto quoad ſuā ſubſtantiā, & entitatē. Ratio eſt, quia vt cōſtat ex ſuperiori diſputatione, virtus 5

Pœnitentiæ eſt eiuſdem formaliſſimæ naturæ,& eſſentiæ cum virtute iuſtitiæ erga Deum, & habet idem obiectum materiale, & formale cum ipſa: ergo eſt eiuſdem ſpeciei cum ipſa; imò eſt ipſiſſima virtus iuſtitiæ ſecundùm ſubſtantiam,& entitatem.Igitur eſt in Chriſto Domino, quoad ſuam ſubſtantiam, & entitatem, cùm ſit in illo virtus prædicta iuſtitiæ.

6 Dico *quartò*, dictam virtutem Pœnitentiæ in Chriſto non fuiſſe habitum ſuperfluum, ſed valdè conuenientem. Probo id primum, quia aliqui actus qui in nobis fiunt ab habitu Pœnitentiæ, potuerunt elici à Chriſto Domino; ergo vt illos connaturaliter eliceret, eguit habitu Pœnitentiæ; atque ideò non fuit ſuperfluus. Antecedens probatur, quia potuit Chriſtus Dominus, & verè habuit odium diuinæ offenſæ, & deteſtationem ſeu dolorem peccati alieni, vt eſt iniuria Dei: potuit etiam habere gaudium de carentia peccati, ob honeſtatem ſeruandi ius diuinum illæſum: potuit ſatisfacere pro peccatis hominum, ex motiuo reparandi ius diuinum læſum; &, vt dixi, eſt valde probabile ſatisfeciſſe de facto ob prædictum ſpeciale motiuum; potuit denique habere amorem, ſimplicem complacentiam,& intentionem ſeruandi ius diuinum illæſum, & deſiderium quoque, vt homines illud ſeruarent, &, ſi peccarent, illud reſarcirent: qui omnes actus in nobis non fiunt ab alio,quàm ab habitu Pœnitentiæ. Quare ſi habitus Pœnitentiæ nullum alium haberet actum, niſi deteſtationem proprij peccati commiſſi, poſſet dici eſſe ſuperfluus in Chriſto; cæterùm quia verè habet alios actus iam memoratos, qui actus potuerunt eſſe in Chriſto, non ſolùm non fuit ſuperfluus, verumetiam valdè conueniens; imò & neceſſarius, vt voluntas Chriſti ſupradictos actus connaturaliter eliceret. Declaro hoc idem à paritate, nam deteſtatio peccati proprij pertinet quoque ad Charitatem,ex ſuo ſpeciali motiuo;& ad quamlibet omnem aliam virtutem ſub ſua ſpeciali ratione formali,vt conſtat: & nihilominùs huiuſmodi virtutes reperiuntur in Chriſto tanquam conuenientes, & neceſſariæ, quamuis non ſub ea denominatione vel connotatione deteſtationis proprij peccati; ergo idem proportionaliter dici debet de virtute, ſeu habitu Pœnitentiæ. Denique addo, non repugnare, vt detur habitus Pœnitentiæ in Chriſto, qui ſupponens intrinſecam impeccabilitatem in ſubiecto,nequeat elicere actum deteſtationis proprij peccati, poſſit tamen elicere alios actus numeratos ex motiuo ſuo proprio iuris diuini ſeruandi, vel, ſi fuerit læſum, reparandi; nam habitus infuſi ſunt ad modum potentiarum,& per conſequens poſſumus in habitu conſiderare habitudinem ad ſuos actus, ſicut in ipſis potentiis.

7 Dico *vltimò*, adhuc reſpectu actus deteſtationis proprij peccati, qui cenſetur eſſe propriiſſimus actus Pœnitentiæ, non repugnare per ſe loquendo cum Vnione hypoſtatica, tametſi de facto repugnet Chriſto. Id rectè obſeruat Cardinalis Lugo relatus *numero vndecimo*. Nam eiuſmodi actus non repugnat ex parte humanitatis,neque etiam ex parte ſuppoſiti diuini ſecundùm ſe conſiderati. Patet hoc, quia non repugnat quòd aſſumpta fuiſſet humanitas ad ſuppoſitum Verbi poſt commiſſum peccatum; tunc ergo ille homo Deus poſſet elicere deteſtationem illius peccati commiſſi priùs ab illa humanitate. De facto autem repugnat, quia non ſupponitur peccaſſe humanitas illa ante vnionem ad Verbum.

8 Circa ſecundam ſectionis partem, ex dictis à fortiori conſtat dari virtutem ſeu habitum Pœnitentiæ in beatiſſima Virgine, quoad rem, & ſubſtantiam. Nam in Virgine impotentia ad peccandum erat valdè extrinſeca, non intrinſeca, ſicut in Chriſto: potuit quoque elicere alios actus, præter deteſtationem peccati proprij. Vnde in illa non fuit Pœnitentia ſub nomine, & appellatione rigoroſa pœnitentiæ, ſignificante deteſtationem peccati proprij ab ipſo pœnitente commiſſi. Non enim requiritur ad conſeruationem habitus infuſi, quòd poſſit elicere omnes ſuos actus: nam habitus Charitatis non poteſt elicere in patria actum contritionis, nec doloris de peccatis; & tamen manet habitus propter alios actus quos ibi poteſt habere, ac elicere.

SECTIO III.

An in omnibus hominibus viatoribus conſtituenda ſit virtus Pœnitentiæ.

Dubitari poteſt *Primò*, de pueris baptizatis, ante vſum rationis in gratia decedentibus, qui nunquam peccauerunt. De quibus, proculdubio dicendum, iuxta dicta *præcedenti ſectione*, habuiſſe habitum infuſum Pœnitentiæ eiuſdem rationis, ac ipſorum adultorum iuſtorum, tametſi nunquam habituri ſint actum deteſtationis peccati proprij commiſſi, quod nunquam habuerunt. 1

Secundò, & præcipuè dubitatur de homine peccatore, an in ſtatu peccati maneat habitus Pœnitentiæ.Ratio dubitãdi eſt, quia manet in illo habitus infuſus ſpei, vt omnes Theologi fatentur, ergo & habitus Pœnitentiæ. Conſequentia probatur, quia ſicut homo in ſtatu peccati adhuc poteſt elicere actus ſpei, ita etiam poteſt,& ſæpe elicit actus pœnitentiæ; hi enim quando non ſunt ex motiuo Charitatis,ſed ex motiuo virtutis Pœnitentiæ,vel alterius virtutis moralis poſſunt eſſe cum ſtatu peccati; ergo ſicut in peccatore relinquitur habitus ſpei, vt homo per ſpem veniæ, & ſalutis ſe diſponat ad iuſtificationem; ita pariter remanere debet Pœnitentiæ habitus, vt homo per actum pœnitentiæ, ſeu deteſtationis, ac doloris, ſe diſponat ad iuſtificationem: non enim videtur maior ratio virtutis ſpei, quam virtutis Pœnitentiæ. 2

Verùm communis Theologorum ſchola ſupponit duo prædictæ ſententiæ contraria, quæ non ſunt neganda. *Primum*, omnibus iuſtis, ſimul cum gratia infundi virtutes morales ſupernaturales, quarum vna eſt iuſtitia ſupernaturalis hominis ad Deum, quæ eſt eadem virtus Pœnitentiæ. Quia hoc poſtulat perfectio gratiæ ſanctificantis: nam ſicut in naturalibus ipſa natura poſtulat intrinſecas facultates, & potentias, quibus poſſit in omni materia conuenienter operari in ordine ad ſuum vltimum finem naturalem; ita gratia ſanctificans iuſtum, poſtulat omnia principia intrinſeca, quibus ille poſſit in omni materia operari conuenienter, ac connaturaliter in ordine ad finem ſupernaturalem; ac proinde ſicut potentiæ naturales concreantur animæ ex connaturali vinculo, ita hæ virtutes ſupernaturales infunduntur cum gratia, quaſi ex debito ipſi connaturali. Alterum eſt, omnes virtutes morales infuſas tolli ſimul cum habitu Charitatis, & gratiæ per quodcumque mortale peccatum. Quia ſicut hæ virtutes infunduntur amicis Dei cum ipſa gratia, tanquam facultates, & ornamenta ipſius gratiæ; ita etiam cum ea amitti debent. Quare licèt in peccatore maneat actus aliquis virtutis moralis infuſæ, hoc eſt, ex eadem ratione honeſtatis; nihilominùs tamen ille actus non elicitur connaturaliter à potentia per habitum, ſed per ſolum gratiæ auxilium,ſupplente Deo, medio illo, efficacitatem habitus. His duobus admiſſis, Dico ad præſentem dubitationem, non adeò neceſſariam eſſe virtutem Pœnitentiæ, ſicut virtutem Spei, vt homo ſe diſponat ad iuſtificationem, & à peccato reſurgat. Hoc eſt 3

eſt certum, quia tametſi homo non pœniteat, nec doleat de ſuis peccatis ex ſpeciali motiuo virtutis Pœnitentiæ; poteſt tamen ea deteſtari, ac de illis pœnitere ob alia diuerſa motiua, nempe propter pœnas inferni, vel propter Dei bonitatem, & ſic, ſe diſponere ad iuſtificationem, & remiſſionem illorum, ac proinde virtus ſpecialis Pœnitentiæ non eſt ſimpliciter neceſſaria ad ſalutem: At verò ſpes eſt omninò neceſſaria; non enim regulariter loquendo poteſt homo peccator diſponi ad iuſtificationem, & ad ſalutem animæ ſine ſpe veniæ, & ſalutis, vt eſt certum ex Tridentino *ſeſſ. 6. cap. 6.* dicente, præter fidem, neceſſarium eſſe actum ſpei, vt impius ad ſuam iuſtificationem diſponatur. Nam iuſtificatio & remiſſio peccatorum non eſt humanum opus, quod ſolis viribus naturæ fieri poſſit, ſed eſt à Deo expectandum, iuxta promiſſa ipſius; ergo non poteſt conuenienter conari ad remiſſionem peccatorum obtinendam, niſi firmiter ſperet illam eſſe obtenturum, ſi ex parte ſua conditionem impleat, ſub qua eſt à Deo promiſſa. Vnde cùm ſine auxilio Dei non poſſit homo conari, ſicut oportet, vt ſe ad iuſtificationem diſponat; etiam neceſſe eſt, vt firmiter ſperet tale auxilium non eſſe ſibi ex parte Dei defuturum, ſi per ipſum non ſteterit. Hac ergo ratione, actus ſpei eſt ad ſalutem neceſſarius: ex alio capite conſtat, virtutem Pœnitentiæ cùm ſit virtus moralis infuſa, non ſecùs ac alias virtutes infuſas, ſimul infundi cum gratia ſanctificante, & cum illa conſeruari: ex quo manifeſtum eſt non poſſe reperiri in homine exiſtente in ſtatu peccati mortalis.

SECTIO IV.

Vtrum in Beatis ſit concedenda ſpecialis virtus Pœnitentiæ.

1 PArs negans videtur probari. *Primò*, quia in beatis non datur habitus Fidei ex eo præciſe, quia ratione ſtatus, nequit habere actum Fidei, tametſi quantum eſt ex parte ſubiecti, hoc ei non repugnet; ergo eodem modo non debet poni in Beatis habitus Pœnitentiæ; quia licèt ex parte ſubiecti poſſet habere ſuum actum deteſtationis ac doloris peccati proprij; tamen hic & nunc, ex parte ſtatus beatifici, non poteſt illum habere.

Secundò, in patria non eſt poſſibilis actus doloris peccatorum; ergo non eſt cur maneat habitus pœnitentiæ elicitiuus illius, ergo connaturalius videtur, quòd detur alius habitus, qui poſſit ex natura ſua elicere alios actus, qui ibi ſunt poſſibiles.

Tertiò, habitus Pœnitentiæ, tametſi ſit quaſi paſſio, dimanans à gratia ſanctificante, non ſufficit vt perſeueret in patria, quando non eſt poſſibilis actus illius: ſicut habitus fidei, quia eius actus non eſt iam poſſibilis in patria, tollitur omninò etiam perſeuerante gratia.

2 Dico cum ferè omnium doctrina, Beatis concedendam eſſe virtutem Pœnitentiæ, & hanc non eſſe in patria ſuperfluam. Moueor, quia eſt virtus perfecta, & nobile gratiæ ornamentum ortum ex illa: ex alio capite, poſſunt in patria à Beatis elici varij actus, nempe amoris, & complacentiæ conſeruandi ius diuinum illæſum; delectationis, ſeu gaudij de eodem; actus etiam odij peccati, & etiam gaudium de carentia peccati, prout eſt iniuria lædens diuinum ius; ergo & permanere debet habitus Pœnitentiæ, vt eos eliciant Beati modo connaturali, ac proportionato.

3 Ad primum oppoſitum, diuerſa eſt ratio de habitu Fidei, ac de habitu Pœnitentiæ. Nam Fides eſt proprius habitus, quaſi conſtituens ſtatum viæ, qui durat non in perpetuum: Vnde tollitur à Beatis per ſuſpenſionem influxus diuini, ratione ſtatus beatifici, qui cùm ſit vltimus, & perfectiſſimus terminus, non requirit, neque admittit formam quaſi conſtituentem ſtatum viatoris. Præterea per ipſam viſionem, & perfectionem eius, ſunt Beati indiſpoſiti, & quaſi impediti ad actum fidei: quod impedimentum ſtabile eſt, & perpetuum; & ideò ſunt etiam indiſpoſiti ad habitum fidei. Quo argumento vſus eſt D. Thom. 1. 2. *qu. 67. art. 5. ad 3.* Nihil horum autem reperitur in habitu Pœnitentiæ; qui etiam, vt dixi, poteſt in patria quamplures elicere actus, illi ſtatui aptos, & conuenientes.

Ad ſecundum, Dico, eo argumento probari quoque, 4
non manere in patria vllum habitum infuſum voluntatis, ex iis qui ſunt in via. Nam ij omnes poſſunt elicere in via actum doloris circa proprium obiectum, quem non poſſunt elicere in patria, vt conſtat diſcurrendo per ſingulos: ac proinde deberent ij omnes in patria commutari in alios habitus non elicitiuos doloris; quod nemo dicet. Et ratio eſt, quia prædicti habitus ſunt quaſi paſſiones ortæ ex gratia habituali: ſufficit autem ad hoc quòd detur talis habitus cum gratia, ſi ipſi gratiæ ſecundùm ſe non repugnet, eſſe principium illius actus doloris: poſitâ enim ſemel poſſibilitate doloris ſupernaturalis, datur habitus ad illum; qui habitus non debet variari, quoties actus non poteſt fieri, ſicut in naturalibus licet voluntas non poſſit nunc elicere actus aliquos, quos antea poterat, non ideò debet mutari potentia volitiua in aliam, quæ ſit elicitiua illius actus: ſufficit enim, ſi huic homini ſecundùm ſe, fuit aliquando poſſibilis ille actus, vt debeat ab anima dimanare potentia ad illum, quæ potentiam ſemper in homine perſeueret.

Ad tertium, conſtat iam habitum fidei futurum omninò inutilem in patria, quia ibi ad nullum prorſus actum deſeruiret: Vnde expellitur adueniente viſione; 5
quia fruſtra eſt potentia, quæ non poteſt reduci ad vllum actum. Id verò non procedit in habitu Pœnitentiæ, cùm in patria deſeruiat quoque ad plures actus eliciendos.

SECTIO V.

Vtrum Angeli in via habuerint virtutem vel habitum Pœnitentiæ.

NOn eſt quæſtio de Angelis beatis, de quibus idem iudicium ferendum eſt, quod tulimus *præcedenti ſectione*, de Beatis, quia eſt vna & eadem prorſus ratio; 1
ſed de Angelis viatoribus. Suppono, quod mihi videtur verius, Angelos ex ſe, ſeu ex ſua natura, non eſſe immutabiles, aut inflexibiles in ſuis electionibus, ſeu determinationibus; ſed ſicut liberè eligunt, ita poſſe liberè electionem, vel deliberationem mutare. Vt egregiè tractat Suarez *lib. 3. de Angelis, cap. 10. num. 8. & ſequentibus.* Quia Angelus in eligendo, vel ſe determinando eſt liber, vt eſt certum de fide. At poſt factam liberam determinationem, nihil eſt quòd neceſſitet Angelum, vt non poſſit mutare illam, ſi velit. Probatur, quia in primis actus iam factus cùm ſit formaliter liber, non aufert à voluntate potentiam liberam ad non permanendum in determinatione iam facta, nec poteſtatem agendi alium actum. Præterea, nullus habitus, vel diſpoſitio concipi poteſt exiſtens in voluntate Angeli, quæ illam neceſſitet ad determinationem factam. Tum quia quiuis habitus ſubditur voluntati, nec poteſt priuare voluntatem ſua naturali poteſtate ſuſpendendi influxum ſuum. Tum etiam, quia habitus

Digitized by Google

non poteſt fortiùs influere in conſeruationem actus, quàm in primam effectionem illius; ergo poteſt voluntas Angeli ab actu, quem liberè elicuit, ceſſare, non obſtante tali habitu. Rurſus dicta neceſſitas nequit prouenire ab ipſa voluntate Angeli; quia cùm ſit voluntas, quæ deficere poteſt, ad eius perfectionem non ſpectat immutabilitas; imò eſſet imperfectio, & maximum malum. Denique nec dicta neceſſitas, ſeu immutabilitas prouenire poteſt ab intellectu: quia ſtante eadem aduertentia, conſideratione, & iudicio vtriuſque partis, poteſt voluntas pro ſua ſola libertate, quod maluerit, eligere, ſine alia ratione ex parte intellectus. Vnde poteſt eſſe peccatum in voluntate, ſine aliquo defectu in intellectu: vt de facto Angelus malus mutauit in ſecundo inſtanti bonum propoſitum, & amorem erga Deum, quem in primo inſtanti habuerat, & peccauit. Ex nullo ergo capite oriri poteſt in Angelo prædicta immutabilitas, ſeu inflexibilitas.

2 Hoc ita præmiſſo, dicendum eſt in omnibus Angelis viatoribus fuiſſe virtutem, ſeu habitum Pœnitentiæ infuſæ. Ratio eſt, quia omnes Angeli, etiam mali, fuerunt in gratia creati, vt eſt certum; ergo cum gratia habuerunt ſimul omnes virtutes infuſas, ſaltem quoad habitũ: nam hæ comparantur ad illam, tãquam proprietates neceſſariò conſequentes eſſentiam, atque adeò & habitus Pœnitentiæ.

3 Reſpondebis id verum eſſe de virtutibus, quarum Angeli ſunt capaces: cæterùm Angeli non habuerunt capacitatem habitus Pœnitentiæ: nam Angeli boni qui nunquam peccarunt, & ſemper conſeruarunt perfectam innocentiam, & carentiam omnis culpæ etiam venialis, non fuerunt capaces Pœnitentiæ; Angeli verò mali qui peccarunt, non erant Pœnitentiam acturi. *Sed contra eſt*, quia cùm virtus Pœnitentiæ per ſe conſequatur gratiam, non debuerunt carere illa virtute, durante gratia. Falſum verò eſt dicere, in Angelis fuiſſe incapacitatem ad prædictam virtutem. Patet. Nam in primis Angeli boni potuerunt elicere in via varios actus ſupernaturales Pœnitentiæ: quia licet propter illorum innocentiam, non potuerint elicere actum abſolutæ retractationis, ac deteſtationis, ſeu doloris peccati proprij commiſſi, conſtat tamen ex præcedentibus, huiuſmodi actum non eſſe vnicum, & adæquatum actum virtutis, quæ Pœnitentia nominatur, ſed ad ipſam quoque ſpectare alios actus, quos poſſent Angeli boni elicere, nempe odio habere peccatum, prout eſt inuria Dei, cauere omnem offenſam Dei, vt conſeruetur illi ius ſuum; deſiderare vt peccatores pœniteant de ſuis peccatis, animo reſarciendi diuinum ius; gaudere de eorum pœnitentia, vt diuinum ius reparetur; & ſimiles alios. Præterea ſi ſermo ſit de Angelis malis; cẽſeo fuiſſe quoque illis infuſam virtutem Pœnitentiæ ſimul cum gratia, in primo inſtanti ſuæ creationis; quia tunc potuerunt quoque elicere, ſicut Angeli boni, plures ex prædictis actibus, neque ipſi Angeli mali cùm peccarunt in via, fuerunt ſimpliciter incapaces Pœnitentiæ. Quod verò illis non eſſet concedendus locus, aut tempus ad pœnitentiam agendam; fuit omnino per accidens ad rationem virtutis Pœnitentiæ, quæ non dicit actum, ſed aptitudinem: nec reſpicit actum futurum, ſed poſſibilem.

4 Obiicies, Angelos malos, cùm peccarunt, fuiſſe omnes impotentes ad pœnitendum in breuiſſima illa mora, quam habuerunt ad reſipiſcendum; ergo fuerunt abſolute incapaces virtutis Pœnitentiæ. *Reſpondeo*, concedendo, fuiſſe illos impœnitentes, obduratos, & excæcatos ſua culpa; non tamen fuiſſe abſolute impotentes ad pœnitendum. Quia intra illam breuem moram ſecundam, in qua via Angelorum durauit, potuiſſent peccatum retractare, quantum fuit ex parte durationis viæ: nam phyſicam poteſtatem & libertatem habuerunt intra illam moram reſipiſcendi; nec Deus intra eandem moram illis denegauit auxilium gratiæ ſufficiens. Quòd verò non pœnituerint, Deo non eſt imputandum, ſed ipſis Angelis, qui ſe pæcipitarunt; quia Deus non tenebatur, aut diuturniorem viam, aut efficax auxilium concedere: quin potius in vtroque Deus egit iuſte, ac miſericorditer, & ſapienter.

DISPVTATIO VI.

De imperio Voluntatis, & actibus eius imperatis

HActenùs dictum eſt de actibus Voluntatis, elicitis à virtute ſpeciali Pœnitentiæ; agendum deinde eſt de actibus præcipuis ab illa communiter imperatis; nempe de Contritione, & Attritione. Priùs tamen in hac Diſputatione de Imperio Voluntatis in genère, & de actibus imperatis ſermonem inſtituo, vt meliùs intelligatur virtutis Pœnitentiæ imperium; & doctrina de actu imperante, & imperato, cuius frequens incidit diſputatio in Theologia. Diſputatio autem ſolùm erit de Imperio Voluntatis, ſeu ad voluntátem tantùm ſpectante, quod appellatur Voluntarium; non de imperio intellectuali, ſeu pertinente ad intellectum: Quod imperium voluntarium appellatur Reflexum, cùm vnus actus voluntatis alium eiuſdem potentiæ imperat actum; Directum verò dicitur, cùm imperat actus aliarum potentiarum externarum.

SECTIO PRIMA.

An in voluntate vnus actus internus poſſit alium internum immediatè imperare.

SEntentia eſt ſatis ſingularis noſtri Gabrielis Vaſquez 1. 2. *diſp.* 51. *cap.* 5. negans actum internum poſſe imperare alium actum, niſi ſolum externum. Quod probat *primò* auctoritate D. Thom. 1. 2. *quæſt.* 18. *art.* 6. *ad* 2. ſic dicentis. *Dicendum, quòd ordinari ad talem finem, etſi accidat exteriori actui, non tamen accidit actui interiori voluntatis, qui comparatur ad exteriorem, ſicut formale ad materiale.* Ex quibus verbis manifeſtè colligi videtur, non poſſe vnum actum internum voluntatis imperari per alium eiuſdem potentiæ: quia actus interior nequit ordinari ad finem ab alio actu interiori, ſicut ordinatur exterior. Nequit igitur imperari actus interior, ſicut imperatur exterior; quia ſi imperaretur ab aliquo interiori, ordinaretur ab illo in finem: non enim alia ratione exterior ordinatur ad finem, niſi quia ab interiori imperatur: nam imperari, & referri in finem extrinſecum, idem prorſus eſt in actu imperato.

Secundò, ex eo differunt actus internus & externus, 2
quòd internus finem habet intrinſecum, ac propriam moralitatem, & libertatem; externus verò tantùm habet finem extrinſecum; & moralitatem ac libertatem ab actu interno deriuatam: ergo quamuis actus exterior poſſit ſumere moralitatem, ac libertatem ab actu interno

Digitized by Google

terno imperante: at interior nullam poterit ab illo participare.

Tertiò, ſi ex eo præciſè quòd vnus actus internus ſit ab alio interno imperatus, dependet ab illo, & refertur in finem illius; ſequitur ergo quòd actus imperatus ſit formaliter electio, & actus imperans ſit intentio. Hoc autem concedi non poteſt, quia inde fieret, vtrumque actum, verb. grat. contritionis imperantem, actum religionis imperatum pertinere ad eundem habitum, ſeu virtutem.

2 Oppoſita ſententia affirmans, communiſſima eſt ferè omnium Theologorum, quos refert & ſequitur Martinez de Ripalda *lib. 3. de ente ſupernaturali, diſp. 65. ſect. 3.* & veriſſima. Quæ probatur *primò* ex Paulo 1. *Cor.* 13. ſic dicente de Charitate, *Omnia credit, omnia ſperat.* Vbi charitati tribuit actum credendi per fidem diuinam, & actum ſperandi per diuinam ſpem. At certum eſt, Charitatem non credere Deo per fidem diuinam, nec ſperare per ſpem Theologicam; quia actus fidei, & ſpei non ſunt eliciti à Charitate; erunt igitur actus imperati: non externi, quia credere & ſperare non sūt actiones externæ; erūt igitur actus interni per Charitatē in ſuū finē imperati, quatenùs ſuis actibus facit, vt Fides, ac Spes ſimiliter actū credēdi, & ſperandi eliciāt. Ratione probatur, quia voluntas per actū efficacē Pœnitentiæ v. g. poteſt velle efficaciter actum internum Temperantiæ, vt conſtat; ergo poteſt actus vnius virtutis imperari, & referri per alium in finem alterius virtutis: Conſequentia patet, quia voluntas poſito illo actu Pœnitentiæ, non poteſt non elicere illum actum internum Temperantiæ; nam illum efficaciter vult; ergo ex vi & motione Pœnitentiæ, exiſtit actus internus Temperantiæ, ergo exiſtit relatus in finem Pœnitentiæ, ergo eſt imperatus ab illa. Firmatur, nam cùm voluntas vult actionem externam ieiunij, v.g. per actum Pœnitentiæ, actio illa externa fit imperio Pœnitentię in finem ipſius, quia ea actio eſt cōſtituta in poteſtate voluntatis: ergo ſimiliter, cùm voluntas vult per actū Pœnitentiæ actum internum Tēperantiæ fit ſane hic actus imperio Pœnitentiæ in finem ipſius: quoniam voluntas magis habet in ſua poteſtate actiones ſuas internas, quàm actiones externas aliarum potentiarum.

3 Soluit hanc rationem Vaſquez, dicens, tunc actum Pœnitentiæ immediatè non mouere voluntatem in actū internum temperantiæ, ſed ſolùm mediatè, quatenùs applicat intellectum ad conſideranda motiua, propter quæ fieri debeat actus internus Temperantiæ.

Sed contrà eſt firmum argumentum: nā ſi actus Pœnitentiæ volens abſolutè, & efficaciter actum internum Temperantiæ, ſolùm concurreret applicando intellectū ad conſideranda motiua virtutis Temperantiæ; ſanè exiſtente eo actu Pœnitentiæ, poſſet non fieri actus internus Temperantiæ; quia rectè componitur applicari media, & motiua conuenientia ad actum Temperantiæ, cum omiſſione libera illius, cùm ſint motiua indifferentia, & ex ſe non inferant vllam neceſſitatem. Hoc autē concedi non poteſt: quia inde fieret poſſe hominem habere firmum, & efficax propoſitum ſeruandi omnia precepta; & tamen ſtante hoc propoſito, poſſe omittere actū eleemoſynę, quādo vrget preceptū illius. Quid enim eſt aliud illud propoſitum, quàm actus volens, ſeu imperans omnes actus præceptos? Igitur ſi ea voluntas nō habet aliam efficaciam in actum quàm applicandi motiua illi actui, rectè poterit componi omiſſio actus præcepti cum ea voluntate, & efficaci propoſito. At hoc repugnat Concilio Tridentino *ſeſſ. 14. c. 4.* dicenti, propoſitum, (intellige efficax) expellere de cætero omne peccatum. Vnde illud propoſitum eius eſt efficaciæ, vt expellat de cætero omne peccatum; ergo tali actui alius concurſus adhibendus eſt in actum interiorē Temperātiæ, præter applicationem motiuorum, nempe motio, & determinatio immediata voluntatis, qualis datur in actum externum efficaciter volitum.

Ad argumenta oppoſita. Ad primum Reſpondeo, D. 4
Thomam ſolum diſcernere actum internum ab externo in relatione ad finem: nam actus internus eſſentialiter habet aliquem finem intrinſecum, non verò externus, cui ſemper accidit, & extrinſecè venit relatio in aliquē finem, nempe ab actu interiori ipſum imperante: nunquam verò negauit actum interiorem poſſe per actum reflexum, habere alium finem extrinſecum: & hoc eſt quod nos aſſerimus.

Ad ſecundum, Dico actum externum diſtingui ab interno, quia externus capax non eſt immediatè libertatis, & nonniſi medio actu imperante reſpicit finem; internus verò actus in ſe liber eſt, ac per ſe finē reſpicit. Hinc tamen non rectè infertur non poſſe actum internū imperari ab alio interno, medio quo finem extrinſecum reſpiciat diſtinctum à fine intrinſeco, quem per ſe reſpicit.

Ad tertium, negatur ſequela: Ratio eſt, quia electio fertur in medium, prout conducibile eſt, ac vtile ad finem intentum; ſiue talis conducibilitas ſit intrinſeca medio, ſiue ſit bonitas finis extrinſecè applicata ipſi medio. At internus Tēperantiæ actus, qui elicitur à voluntate mota, efficaci intētione ſatisfaciendi Deo propter motiuum Pœnitentiæ, quamuis ſit imperatus; ſed non eſt electio reſpectu intentionis prædictæ, quia non attingit ſuum obiectum vt conducibile, ad motiuum, & finem intrinſecum Pœnitentiæ; neque enim eſt talis actus reflexus amans Temperantiam vt reduplicatiuè conducibilem ad reſarciendum diuinum ius læſum; ſi enim is daretur, eſſet propriè electio, & vt ſic cōſideratus, ab eodem habitu Pœnitentiæ proficiſceretur: ſolùm enim actus internus Temperantiæ imperatus participat extrinſecè, & denominatiuè illud motiuum Pœnitentiæ, quatenùs imperatur ab actu elicito Pœnitētię qui tendit ſub illud motiuum, quia vtilis apprehenditur ad finem Pœnitentiæ aſſequendum. Quod magis conſtabit ex dicendis in ſequentibus.

SECTIO II.

An imperium conueniat omnibus voluntatis virtutibus, etiam ignobilioribus in virtutum nobiliorum actus.

Certum eſt apud omnes, qui admittunt imperium voluntatis reflexum, virtutem ſuperiorē poſſe imperare actūs virtutum inferiorum: vt Charitatem, alias virtutes. Quis enim neget voluntatē ex amore Dei efficaci moueri poſſe ad eliciendos actus Pœnitentiæ, Religionis, & aliorum virtutum inferiorum? Difficultas eſt an hoc idem imperium conueniat quoque virtutibus ignobilioribus charitate. 1

Nam Caietanus, & Bañez, quos ſequitur Lorca 2. 2. *q. 23. a. 1. ad 2.* negant actus virtutis ſuperioris poſſe imperari per actus inferioris. 2

Primò, quia imperare, ſuperioris eſt propriū, neutiquā inferioris, nō ergo virtus inferior poteſt ſuperiori imperare.

Secundò, rationi diſſonum videtur, vt finis nobilior dirigatur in finem ignobiliorem: præcipuè Deus qui eſt Charitatis finis, in fines alios creatos quos intrinſecè reſpiciunt aliæ virtutes inferiores; vnde amaretur Deus propter alium finem, & non propter ſeipſum; ergo

Digitized by Google

ergo indecens eſt, vt virtus ſuperior in inferiorem dirigatur.

Tertiò, propria excellentia Charitatis eſt imperare aliarum virtutum actus; ergo aliis virtutibus, vel actibus id adſcribi non debet.

3 Verior eſt oppoſita ſententia, quam tenent Doctores, quos referunt & ſequuntur Valentia 2. 2. *diſp.* 3. *quæſt.* 9. *part.* 1. Coninck 2. 2. *diſput.* 17. *num.* 11. Martines de Ripalda *lib.* 3. *diſp.* 65. *ſect.* 4. Idem defendit Cardinalis Lugo *de Pœnitentia*, *diſp.* 5. *in proœmio*, ſic dicens; non eſſe inconueniens, virtutem inferiorem imperare aliquando actus virtutis ſuperioris, quando ij ſunt neceſſarij ad finem virtutis inferioris, ſicut ex Miſericordia erga proximum, poſſum velle elicere actum Religionis, orando, vel vouendo, vt impetrem à Deo proximi ſanitatem. Eiuſdem quoque ſententiæ eſt Suarez *lib.* 12. *de gratia. cap.* 11. *numer.* 15. Et probatur, quia vnam virtutem imperare alteri ſuos actus, nihil eſt aliud, quàm ex fine à ſe intento, mouere voluntatem ad eliciendum actum alterius virtutis, vt conſtat; ſed voluntas poteſt prædicto modo allici, & moueri ad producendum actus virtutis ſuperioris, v. g. Charitatis, ex affectu inferioris, nimirùm Miſericordiæ erga proximum; quia actus Charitatis multum conducunt ad conſequendum finem Miſericordiæ, qui eſt ſubleuare miſeriam proximi; atque ideò poteſt voluntas moueri ex deſiderio, & affectu efficaci ſubueniendi miſeriæ proximi, ad eliciendos actus Charitatis, ergo. Firmatur, nam propoſitum efficax non peccandi de cætero, quod ad Pœnitentiæ Sacramentum requiritur, imperat omnes actus præceptos, quandiu durat; ſed actus Charitatis ſunt aliquando præcepti; & ex alio capite opus non eſt vt prædictum propoſitum ſit actus Charitatis; ſufficit enim vt ſit alterius virtutis inferioris, & ſit actus attritionis; ergo actus virtutis inferioris poteſt imperare ſuperioris actus. Quod iterùm vrgeo, quia in re ipſa vnus actus interior poteſt eſſe proportionatum medium ad finem intentum, per eandem, vel aliam virtutem, tam magis, quàm minùs perfectam; ergo nulla eſt repugnantia in hoc genere imperij. Item in vitiis, & peccatis idem reperitur. Et certè cùm ſit receptiſſimum apud Theologos, & Philoſophos morales, poſſe eundem actum virtutis etiam internum eſſe bonum eſſentialiter ex obiecto, & accidentaliter ex fine extrinſeco; ſupponere id videtur, actum internum poſſe aſſumi vt vtilem ad alium extrinſecum finem.

4 Hinc euidenter Colligo, poſſe à virtute Pœnitentiæ imperari reliquarum omnium virtutum actus. Ratio eſt iam dicta; quia quælibet virtus poteſt imperare aliarum actus conducentes ad finem à ſe intentum. At omnes actus virtutum, tam moralium, quàm etiam Theologalium conducunt ad finem à Pœnitentia intentum, qui eſt, compenſare ius diuinum læſum, illúdque integrum, ac ſartum conſeruare; nam omnes prædicti actus ſunt honeſti, Deo grati, ac proinde apti ad placandum Deum offenſum. Præterea poteſt Pœnitentia efficaciter intendere conſeruationem, diuini iuris integri; vnde ſtante hac efficaci intentione, tenetur voluntas præcepta cuncta adimplere, ac proinde omnium virtutum actus elicere.

5 Ad argumenta contraria. Ad primum, Reſpondeo imperium *vt quod*, & auctoritate propria eſſe Superioris proprium: ſecus imperare *vt quo*, & poteſtate alterius; at virtus inferior non imperat ſuperiori, *vt quod*, & propria auctoritate; hoc enim ſolùm competit voluntati, quæ præuenta auxilio diuinæ gratiæ, medio actu inferioris virtutis imperat actui ſuperioris. Vnde imperium, quod damus virtutibus inferioribus, non eſt imperium iuriſdictionis, quod eſt ſuperioris proprium, ſed executionis ſolius. Addo imperium in alium ſibi naturâ ſubiectum, eſſe proprium Superioris, non verò imperium in alium naturâ non ſubiectum, ſed ad beneplacitum propriæ voluntatis, quâ regitur; vnuſquiſque enim poteſt ſe ſubiicere voluntati alterius; ſimile autem eſt imperium virtutis ignobilioris in actus virtutis nobilioris.

6 Ad ſecundum, Dico diſſonum eſſe rectæ rationi, vt finis nobilior dirigatur in ignobiliorem vltimatè, tanquam in finem vltimum, non verò tanquam in finem proximum minùs perfectum. Virtus autem ſuperior tametſi dirigatur in finem inferioris; hæc tamen dirigitur in Deum tanquam in finem vltimum. Sicut Incarnatio Verbi Diuini directa fuit à Deo in ſalutem hominum, tanquam in finem proximum; licèt præſtantior ſit, quàm hominum ſalus; vltimatè vero in ipſiuſmet Dei maximam gloriam. Vnde hoc non eſt contra perfectionem actus Charitatis, quia licèt ordinetur ad finem proximum minùs perfectum; totum tamen ſemper refertur in Deum vltimum finem. Neque inde ſequitur, quòd actus Charitatis ſic imperatus, & directus, non ſit dilectio Dei propter ſeipſum; quia actus dilectionis Dei quando eligitur vt medium, non priuatur ſuo obiecto, alias priuaretur ſuo eſſe, & per conſequens deſtrueretur ſufficientia, & vtilitas eius, propter quam eligitur vt medium: quod apertè repugnat, & eſt contra intentionem eligentis. Dum ergo eligitur dilectio Dei ad aliquem finem, hoc tantùm eligitur, ſcilicet, quòd diligatur Deus propter ſeipſum, quia hoc ipſum vtile eſt ad alium finem; & ita retento obiecto dilectionis, ipſa, ſeu exercitium eius ad alium finem extrinſecum ordinatur.

Ad tertium; Non eſt ſolius Charitatis, imperare virtutum actus, ſed etiam reliquarum virtutum: excellentia verò propria Charitatis ſolùm eſt in fine; nam dirigit actus imperatos in finem omnium nobiliſſimum, qui eſt Deus; at reliquæ virtutes non intendunt immediatè in eum finem.

SECTIO III.

An actus malus poſſit imperare actum bonum etiam ſupernaturalem.

1 SVppono vt certum, non poſſe actum malum malitiâ intrinſecâ, ſeu ex proprio obiecto, imperari ab actu bono alicuius virtutis. Ratio eſt manifeſta, quia ſi actus Miſericordiæ, v. g. imperaret actum Intemperantiæ, iam ille actus non fuiſſet verè ex motiuo Miſericordiæ, & conſequenter deſineret eſſe actus Miſericordiæ. Probatur ſequela, quia motiuum Miſericordiæ eſt honeſtas, quæ, vt nunc ſuppono, conſiſtit in ſubleuanda miſeria pauperis; non poteſt autem mentè concipi honeſtas aliqua hic & nũc, in ſubleuando paupere per actum intemperantiæ; hæc enim ſubleuatio eſt mala, ac inhoneſta vt per ſe patet; ergo ille actus imperans nequit habere veram honeſtatem pro motiuo intrinſeco, ac proinde nequit eſſe actus bonus & honeſtus. Quæſtio igitur eſt: vtrùm actus bonus ex obiecto poſſit imperari ab aliquo actu malo, verbi cauſa, ab affectu inanis gloriæ.

2 Prima ſententia abſolutè negat actum bonum, præſertim ſupernaturalem poſſe fieri malum, & vitioſum ex fine imperantis, inanis gloriæ. Hanc defendunt Suares 2. 2. *diſp.* 6. *ſect.* 7. *num.* 13. Coninck etiam 2. 2. *diſp.* 14. *dubio* 3. Vaſquez 1. 2. *diſp.* 53. *cap.* 4. & *diſp.* 54. *cap.* 3. Baſilius Ponce *p. p. var. relectione* 2. & alij quos ipſi referunt. Probat id *primò* Coninck vt omninò certum de aſſenſu fidei ſupernaturalis, nullo modo

Digitized by Google

modo poſſe imperari à mala voluntate. Quia Concilium Arauſicanum *cap.* 5. apertè docet voluntatem, quâ fides ſupernaturalis imperatur, neceſſariò procedere à Gratia: ſed impoſſibile eſt actum voluntatis malum procedere à gratia: ergo ille actus voluntatis imperans fidem, nequit eſſe malus. Minor probatur, quia Deus eſt abſolute, & ſimpliciter cauſa omnis actus procedentis à gratia, & quidem magis principalis, & cui ipſe actus præcipuè vt cauſæ tribuitur, atqui Deus nullo modo poteſt ea ratione eſſe cauſa actus ſecundum ſe mali, ſiue qui ex ſe, & non ſolùm denominatione extrinſeca eſt malus, qualis eſſet ille actus voluntatis; quia per ſe videtur abſurdum, Deum eſſe cauſam, cur hic & nunc actus eiuſmodi a me fiat, ſiue eliciatur, quem ſine peccato nequeo elicere, quia ſic eſſet cauſa peccati, ergo talis actus voluntatis non poteſt procedere ex Gratia.

Secundò, actus ſupernaturalis non poteſt fieri ſine gratia per Chriſtum, vt conſtat; actus autem vitioſus nequit fieri auxilio gratiæ per Chriſtum, vt eſt certum; quia Chriſtus mortuus non eſt, vt operemur vitioſe, ſed religiosè, & honeſte: nequit ergo actus vitioſus imperare actum ſupernaturalem.

Tertiò, repugnat actum Miſericordiæ v.g. fieri ex intentione inanis gloriæ: ergo nequit actus bonus, præſertim ſupernaturalis, deprauari per imperium, ex fine turpi. Antecedens probatur, quia vt ex tali intentione fiat, non ſufficit eſſe conducentem ad inanem gloriam. Sed vlterius requiritur eſſe capacem procedendi ex intentione illius. Hoc autem non habet actus Miſericordiæ, quia in eo euentu deficeret talis actus ex negatione gratiæ diuinæ, quæ nunquam confertur in vitium, ac ruinam voluntatis. Neque enim Deus exhibet ſuum concurſum in actum ſupernaturalem ex præuiſione actus vitioſi: ergo.

Quartò, non ſolùm actus charitatis, ſed etiam quilibet alius actus virtutis internus, nequit ad prauum finem vtilis eſſe; ergo non poteſt imperari per actum vitioſum: patet Conſequentia, quia imperium ſemper fit de re vtili ad finem imperantis.

Quintò, bonum ex integra cauſa, malum ex quocumque defectu: ergo actus imperatus etiam bonus, cùm ſit malus ex aliqua circumſtantia, nempe ex fine imperantis, non poteſt eſſe ſimpliciter bonus. Nec valet dicere, quando defectus eſt extrinſecus, non tollere ab actu bonitatem ſimpliciter, & malitiam actus imperati, eſſe defectum extrinſecum actui imperato. Non, inquam valet, quia malitia extrinſeca ſufficit inficere omninò actum, & delere penitùs bonitatem ipſius; ſic enim actus externus imperatus ſolùm ab intentione mala, ſimpliciter eſt malus, & non bonus, tametſi malitia formalis ſit ei adæquatè extrinſeca; ergo actus interior imperatus erit etiam ſimpliciter malus, & non bonus, licet malitia ſit omninò extrinſeca.

Sextò, cum fine actus imperantis malo, non poteſt obiectum eſſe bonum: ergo nec actus imperatus poteſt eſſe bonus. Antecedens probatur, quia bonitas obiectiua moralis coaleſcit intrinſecè ex carentia omnis malæ circumſtantiæ, vt pulchritudo naturalis ex carentia omnis maculæ, at circumſtantia finis eſt potiſſima in obiecto: ergo cum fine malo nequit obiectum eſſe bonum.

Septimò, Virtus eſt quâ nemo malè vtitur, vt eſt commune proloquium; igitur actus virtutis non poteſt eſſe malus etiam extrinſecè.

Octauò, in ipſo exercitio actus imperati voluntas liberè cooperatur imperio, & intentioni prauæ at cooperari liberè prauæ intentioni, eſt malum, ac diſplicens Deo: ergo diſplicet quoque Deo quòd ponatur ille actus imperatus, etiam ſuppoſito imperante.

Vltimò, poſitâ adhuc malitiâ actus imperantis, eſt manifeſtè malum, ponere actum imperatum. Patet, quia debet quiſque procurare, ne ſua actio, ſeu operatio fiat ex malo fine; at ſi ponatur tunc actus imperatus, iam erit ex malo fine extrinſeco; ergo etiam ſuppoſito imperante, debet quis procurare ne ponatur imperatus in his circumſtantiis.

Contrariam ſententiam tenent multi, & graues Doctores quos referunt & ſequuntur Ripalda *lib.* 3. *diſp.* 50. *ſect.* 1. & Cardinalis Lugo *de Pœnitentia diſp.* 15. *ſect.* 9. *num.* 109. & *ſequentibus*. Quæ mihi magis vera videtur, & ſequentibus Dictis explicatur.

Dico ergo *primò*, poſſe aliquem actum naturalem ex obiecto bonum & honeſtum imperari extrinſecè ab aliquo actu malo. Ratio quæ me vincit hæc eſt, 3
quia poteſt quis ex motiuo inanis gloriæ, vel alterius finis mali, velle exercere actus Temperantiæ, Iuſtitiæ, Fortitudinis, & aliarum virtutum, vt poſſit de illis vanè gloriari; ſed tunc fieret actus virtutis ex fine turpi & malo, vt liquet: ergo poteſt actus bonus, & honeſtus fieri ex fine turpi, & per conſequens imperari extrinſecè ab aliquo actu malo, & vitioſo. Minor, & Conſequentia euidens eſt. Maior non videtur negari poſſe; quia intentio inanis gloriæ, & actus Temperantiæ, vel Iuſtitiæ non reſpiciunt obiecta, ſe inuicem contradicentia; nam temperatè comedere, vel ſeruare ius ſuum vnicuique, & gloriam vanam inde acquiri, compoſſibilia ſunt: & aliunde prædicti actus virtutis poſſunt conducere ad finem intentionis inanis gloriæ. Actus autem conducens ad finem, & non continens obiectum contradicens fini, expeti poteſt à voluntate, ex intentione finis.

Dico *ſecundò*, actum bonum ſupernaturalem qualis eſt actus Fidei, Spei, Pœnitentiæ, & ſimilium, 4
poſſe imperari extrinſecè ab aliquo actu malo. Ita DD. citati pro ſecunda ſententia. Quibus adde Granado 1. 2. *tract.* 9. *diſp.* 3. *num.* 2. & 8. & *tract.* 10. *diſp.* 3. *num.* 10. & *tract.* 14. *diſp.* 1. *num.* 9. Vbi admittit poſſe actum bonum, & ſupernaturalem eſſe malum extrinſecè ex imperio malo. Probatur ratione adducta *precedenti Dicto*, de actu naturali, quæ pariter probat hoc ſecundum Dictum. Et liquet manifeſtè in actu Attritionis ſupernaturalis. Nam qui ex fine vanæ gloriæ malo, accedit ad Confeſſionem ſacramentalem cum attritione ſupernaturali, verum recipit Sacramentum Pœnitentiæ, quandoquidem accedit cum Confeſſione integra, & doloroſa, vt ſupponitur: & tamen illa attritio, quæ eſt actus ſupernaturalis, oritur aliquo modo ex intentione illa gloriæ humanæ, à cuius malitia totus ille actus denominatur extrinſecè malus, tametſi ſit intrinſecè bonus, & laudabilis. Sicut qui ex fine vanæ gloriæ, celebrat Sacrum, vel ſolo fine lucri celebrat illud, eodem modo vitiat ipſam intentionem conſecrandi, ordinans illam ad eum finem vanæ exiſtimationis.

Sunt tamen duo valde notanda. *Primum*, reſpectu actus fidei ſupernaturalis; cùm dixi, poſſe imperari extrinſecè ex fine malo, intelligi debere, non de imperio immediato; quia voluntas immediata debet eſſe ex pia affectione ſupernaturali, vt conſtat ex materia *de Fide*; ſed de imperio, ſeu intentione mediata, ex qua ſequatur poſtea pia affectio, & mediâ piâ affectione ſequatur aſſenſus fidei. *Secundum* eſt, reſpectu Pœnitentiæ, vel Attritionis ſupernaturalis, intelligi debere reſpectu intentionis imperantis, quæ ſit tantùm venialiter mala, vt eſt intentio inanis gloriæ. Nam ſi intentio imperans eſt mortaliter mala, tunc Confeſſio ſacramentalis eſt irrita, & Sacramentum Pœnitentiæ nullum, prop-

ter defectum diſpoſitionis requiſitæ ad abſolutionem: vnde etiam tunc in eo caſu, actus Pœnitentiæ eſſet malus formaliter, & nullo modo ſupernaturalis, nec honeſtus. Si verò intentio imperans ſit ſolùm venialiter mala, non ideò ipſa Confeſſio vel Attritio imperata eſt mala formaliter, & intrinſecè, tametſi ſit occaſio peccati venialis ſubſequentis; quia non eſt obligatio præcauendi peccatum veniale futurum cùm diſpendio Confeſſionis præſentis; quæ ſecundùm ſe eſt bona, & ſupernaturalis; nec ſecundùm ſe cooperatur, aut eſt cauſa peccati venialis futuri: erit igitur tunc mala intrinſecè ipſa intentio actus imperantis; cæterùm Confeſſio, vel Attritio ſupernaturalis imperata, non erit mala intrinſecè, & formaliter propter periculum peccati leuis futuri.

6 Dico *tertio*, actum imperatum intrinſecè bonum & ſupernaturalem, eſſe ſimul extrinſecè malum ex fine prauo imperantis. Ita Doctores relati. Sequitur ex dictis præcedentibus. Nam cùm probatum ſit, actum bonum etiam ſupernaturalem poſſe fieri ex imperio actus, ſeu intentionis intrinſecè malæ; conſequens eſt eundem actum imperatum poſſe ſimul manere intrinſecè bonum, & extrinſecè malum: nam tota difficultas in actu ſimul intrinſecè bono, & extrinſecè malo, alia non eſt in re, quàm eundem virtutis actum, qui ſine imperio actus mali eſſet intrinſecè bonus habere ortum ex motione, & directione extrinſeca actus intrinſecè mali. Vnde cùm aliqui Doctores antiqui docent, non poſſe eundem actum eſſe ſimul bonum, & malum, loquuntur de malitia intrinſeca: quod etiam ipſe opinor, non poſſe eundem actum eſſe ſimul bonum & malũ, bonitate, & malitiâ intrinſecâ. Cęterùm poſſe eſſe bonum intrinſecum, & in ſe, & malum extrinſecum, & in cauſa, ſeu in alio, ac per malitiam alienam alterius actus, non video implicantiam. Quare ſicut Religioſus orans, vel prædicans, vel Confeſſiones audiens ex obedientia, exercet actum bonum, & laudabilem, tametſi Prælatus illum præcipiat ex fine vanæ gloriæ; & tunc ille actus tametſi relatus ad imperium Prælati, & provt recipiens illum finem, eſſet malus extrinſecè; eſſet nihilominùs bonus in ſe, & ex proprio obiecto, & laudabilis; ita pariter in voluntate actus imperatus, in ſe bonus, & laudabilis; extrinſecè, ac denominatiuè dicitur malus ex imperio malo. Quæ omnia faciliùs intelligentur ex argumentorum oppoſitorum ſolutionibus.

7 Ad primum, Dico illud argumentum euidenter probare nullo modo poſſe aſſenſum fidei ſupernaturalis imperari immediatè à mala voluntate ſeu intentione; quia immediatè neceſſe eſt imperetur à pia affectione ſupernaturali, vt *ſuprà* notaui *num.* 5. De intentione verò, ſeu imperio mediato nihil prodeſt; nam malitia ex fine extrinſeco ſuperueniens, non poteſt obeſſe bonitati intrinſecæ piç affectionis, neque aſſenſui fidei ſupernaturali.

Ad ſecundum, conceditur Antecedens totum, negatur tamen Conſequentia: nam malitia ex fine extrinſeco ſuperueniens actui ſupernaturali, qui fit ex Dei gratia, eſt omninò extrinſeca, & totaliter diſtincta ab entitate intrinſeca actus ſupernaturalis: quæ entitas eadem manet intrinſecè, poſt extrinſecam relationem actus imperantis in finem malum, quæ ſine illa relatione maneret; ſicut & ille actus imperatus intrinſecè bonus, etiam poſt eam relationem extrinſecam actus imperantis, manet intrinſecè bonus.

Nec vllo modo obeſt acceſſus malitiæ extrinſecæ, quia ea malitia non poteſt obeſſe bonitati intrinſecæ actus, quæ ſolùm ex ordine, & reſpectu intrinſeco ad obiectum formale proprium deſumitur; quod obiectum idem, & eadem ratione honeſtum poſt eam relationem in extrinſecam exiſtit. Sicut enim actus externus verbi gratia eleemoſynæ imperatus ex duplici affectu, altero bono, ex motiuo ſubleuandæ miſeriæ proximi, & altero malo, ex motiuo inanis gloriæ, exiſtit ſimul extrinſecè bonus ab vna intentione, & extrinſecè malus ab alia; ita potiori iure actus ſupernaturalis intrinſecè bonus, relinquitur cum ſua intrinſeca ſupernaturali bonitate, quamuis fiat extrinſecè malus ab imperio alterius actus mali ſibi extrinſeco.

Ad tertium, negatur Antecedens. Ad probationem, Dico malitiam illam finis eſſe valdè extrinſecam entitati, ac bonitati intrinſecæ actus ſupernaturalis eleemoſynæ; ac proinde non eſt, cur gratia non influat in illum actum, à quo eſt omninò diſtincta omnis illa malitia; nec gratia confertur in vitium ac ruinam voluntatis, vt liquet.

Ad quartum, iam conſtat actum bonum eſſe vtilem, & poſſe conducere ad finem prauum ex praua intentione actus imperantis. Nec repugnat, actum in ſe ſimpliciter bonum eſſe, & procedere a cauſa aliqua ſimpliciter mala, abutente tali actu, & ordinante illum ad prauum finem. Vt conſtat de obedientia ſubditi, quæ eſt ſimpliciter bona, tametſi Prælatus abutatur illa, ordinans, & referens extrinſecè in malum finem.

Ad quintum, benè ibi reſponſum eſt. Ad replicā Di- 8
co malitiam adæquatè extrinſecam actui alias bono, non tollere bonitatem ſimpliciter, & intrinſecam actus. Talis eſt malitia actus imperati proueniens ab imperante; hæc enim eſt adæquate extrinſeca actui imperato. At malitia partim intrinſeca, & partim extrinſeca actui, tollit bonitatem ſimpliciter: talis eſt malitia proueniens ex circumſtantia præcepti prohibentis, & ex circumſtantia temporis, vel loci, quæ non eſt adæquatè, & omninò extrinſeca actui, ſed partim intrinſeca, & partim extrinſeca, quia non datur alius actus moraliter malus, à quo deriuetur malitia formalis in talem actum, ſed tota malitia formalis inhæret immediatè illi, tanquam principali, conſtituenti in recto totam malitiam formalem, quin ea prius inhæreat alteri actui; ac proinde defectus moralis eſt in ipſo actu qui dicitur malus, & non in alio. In actu tamen imperato non ita contingit, quia tota malitia & defectus inhæret in actu imperante, & ille inficit extrinſecè omnino actum imperatum. Diſparitas autem maxima eſt inter actum imperatum, & actum exteriorem: nam actus externus vt condiſtinctus ab actu interno, non eſt capax bonitatis, aut malitiæ formalis, cùm ex ſe illam non habeat; actus verò imperatus interior, vt condiſtinctus ab imperante, eſt capax ex ſe bonitatis formalis per reſpectum intrinſecum ad bonitatem obiectiuā; ac propterea quando malitia formalis eſt adæquatè extrinſeca actui interiori, poteſt actus interior eſſe ſimpliciter bonus bonitate formali, cuius eſt ex ſe capax.

Ad ſextum, negatur Antecedens. Ad eius probationem, verum eſt, obiectum bonum morale coaleſcere intrinſecè ex carentia omnis malæ circumſtantiæ. At finis prauus actus imperantis non eſt circumſtantia obiecti actus imperati; vnde obiectum actus imperati non eſt affectum malâ aliqua circunſtantiâ, provt eſt obiectum eius, ac per conſequens actus manet ſemper intrinſecè honeſtus.

Ad ſeptimum, breuiter Dico cum D. Thom. 3. *p. q.* 80. *a.* 4. *ad* 3. virtutē eſſe, qua nemo malè vtitur vt principio: benè tamen poſſe quem ea male vti vt obiecto extrinſeco; quod præſtat actus imperans ordinans virtutis actum in prauum finem extrinſecum.

Ad octauum, negandum eſt eſſe in illo caſu actus 9
impe

imperati cooperationem formalem ad malum. Eſt enim notandum aliqua eſſe obiecta, quorum intentio licèt ſit mala, conſecutio tamen non eſt mala; & ideò cooperatio ad illam conſecutionem, ſeu ponere aliquid quod ſit medium ad eorum conſecutionem, non tamen ea intendendo, non eſt malum. Talis eſt laus, & æſtimatio apud homines, quam quidem vane intendere malum eſt, conſequi verò non eſt malum, nec etiam ponere aliquid, ex quo illa laus, & gloria ſequatur. Vnde fit, vt in exemplo *ſuprà* adducto, Prælatus peccet, intendendo gloriam humanam vanè, & ex ea intentione præcipiendo aliquid ſubdito; ſubditus verò non peccet obediendo, licet eo ipſo ponat aliquid vtile ad eum finem malum, quem Prælatus intendit. Hæc enim non eſt cooperatio formalis, cùm non intendat ſubditus eundem finem malum, ſed eſt quaſi cooperatio materialis, quæ reſpectu huiuſmodi obiectorum mala non eſt. Sic igitur ſe habet voluntas in exercitio actus imperati; ponit quidem liberè aliquid vtile ad finem prauum actus mali imperantis, ſed non cooperatur ad eius malitiam, quia per actum imperatum voluntas non intendit illum finem; & licèt ponat aliquid vtile ad eius conſecutionem, conſecutio tamen non eſt mala, ſed ſola intentio, ad quam actus imperatus minimè formaliter cooperatur.

Ad vltimum negatur Antecedens. Ad id verò quod dicitur, debere quem procurare, ne ſua operatio fiat ex malo fine, diſtinguendum eſt; debet procurare, ne ſua operatio fit ex malo fine extrinſeco, tollendo intentionem mali finis, & reuocando illam, verum eſt: tenetur reuocare, vel impedire ſuum actum imperatum de ſe bonum, falſum eſt. Quare tota malitia conſiſtit in poſitione actus imperantis, & in non reuocanda ea intentione: quòd autem eâ poſitâ ſequatur actus imperatus, non eſt malum nouâ malitiâ, ſed ſolùm denominatiuè à malitia præcedenti actus imperantis, quæ iam præceſſit.

SECTIO IV.

In quo conſiſtat influxus actus imperantis in actum imperatum.

1 CErtum eſt apud omnes, actum imperantem aliquem influxum habere, vel deriuare in actum imperatum. Qualis autem hic ſit, eſt difficilis explicatu: nam difficilè percipitur, quid appingat actus imperans imperato, vel clariùs, quid ſit hic & nunc actum charitatis v. g. imperatum fluere ab actu virtutis Pœnitentiæ imperante, & non ab actu virtutis religionis exiſtente tunc in eadem voluntate, vt ſupponimus.

2 Communiter Thomiſtæ dicunt, talem influxum nihil aliud eſſe quàm ab actu Pœnitentiæ, & non ab actu Religionis appingi modum quendam actui Charitatis. Diſplicet. Tum quia abſque tali modo poteſt intelligi actus imperatus ab imperante dependens, vt videbimus. Tum etiam quia antequam concipiatur modus ille iam concipitur influxus Pœnitentiæ in Charitatem; nam modus ille ſupponit exiſtentiam vtriuſque actus, cùm ab imperante dependeat efficienter, & ab imperato materialiter; ſed conceptâ vtriuſque actus exiſtentiâ, iam concipitur influxus actus imperantis in imperatum, ergo.

3 Secunda ſententia eſt Ouiedi, *de anima controuerſia nona, puncto quinto,* § 6. conſtituentis influxum actus imperantis in imperatum, in coëxiſtentia actus imperantis potentis in actu primo, influere in imperatum, & actus imperati potentis in actu primo ab imperante dependere, & in negatione alicuius dependentiæ imperantis ab imperato, ex vi cuius, illius influxus poſſit impediri. Diſplicet quoque hic modus dicendi, quia non aſſignat illud ſpeciale quod relucet in imperio, ratione cuius coniuncti cum negatione impedimentorum dicatur influere. Nam etiam ſimiliter dici poſſet influxum cognitionis in amorem, vel intentionis in electionem, eſſe coëxiſtentiam vtriuſque cum carentia omnis impedimenti, vt cognitio, vel intentio influat in amorem, vel electionem.

4 Tertia ſententia eſt Ripaldæ *lib. 3. de ente ſupernaturali, diſp. 67. ſect. 1.* dicentis, actum imperatum pendere ab imperato, nihil aliud eſſe, quàm mouente actu imperante, fieri imperatum à voluntate, non elicitura, niſi imperans rapuiſſet. Neque hæc ſententia placet. *Primò*, quia non oſtendit, quo fundamento dicat, voluntatem non elicituram v. g. actum charitatis, niſi illum imperaſſet actus Pœnitentiæ; cum potuerit illum elicere abſque vllo imperio, & ſæpe voluntas ita illum eliciat. *Secundò* ſæpe quis conſilio amici præuentus, & propria ratione motus, operatur actum bonum, quem eliciuiſſet quamuis amici conſilium non præextitiſſet; & aliquando ita mouetur ab amico, vt ſi illius conſilium non præextitiſſet, neque actum bonum operatus fuiſſet; & tamen in vtroque euentu influit conſilium: ergo ſimiliter influet imperium in actum, quem voluntas eliciuiſſet, etiamſi imperium non præextitiſſet, ergo de ratione imperij non erit, vt ipſo mouente fiat actus imperatus à voluntate non elicitura, niſi imperans rapuiſſet. *Tertiò*, poſito duplici imperio efficaci eiuſdem actus, voluntas eliceret actum imperatum, quolibet illorum non exiſtente, & vno tantùm permanente; aliter enim vtrumque efficax non eſſet: ergo actus imperatus extitiſſet, quamuis vnus imperans non præextitiſſet; ergo influxus omnis imperij non rectè explicatur per illam conditionalem, Quòd ſi imperans non rapuiſſet, neque imperatus extitiſſet. *Vltimò* illa Conditionalis clarior apparet, in intentione efficaci reſpectu electionis mediorum, & in cognitione reſpectu volitionis: nam ſi intentio efficax finis non præextitiſſet, neque fuiſſet electio, ſi etiam cognitio non præextitiſſet, neque fuiſſet volitio: & tamen neutrum eſt imperium de quo eſt ſermo; ergo hic modus influendi non eſt proprius imperij.

5 Vltima ſententia eſt aliquorum Recentiorum exiſtimantium, Actum imperantem influere in imperatum, nihil aliud eſſe, quàm imperatum oriri à potentia applicata, & determinata in actu primo per imperium. Probant, quia omnis actus volens actum alterius potentiæ ſibi ſubditæ, applicat illam ad effectum, & iſte oritur ab illa applicata; ſed imperium nihil aliud eſt, quàm applicatio potentiæ in actu primo ad effectum imperatum: ergo actum imperatum oriri ab imperante, nihil aliud erit, quam oriri à potentia in actu primo, per imperium applicata. Verùm hæc ſententia magis accedit ad veritatem rei. Cæterùm non explicat, quo pacto actus imperans applicet, & determinet potentiam per imperium, ad eliciendum actum imperatum. Nam imperium, præſertim directum, non videtur, quo pacto poſſit applicare potentiam externam, verbi gratia, locomotiuam ad mouendum, vel deambulandum. Probatur, quia vel applicat formaliter, vel efficienter; nequit formaliter, quia imperium eſt in voluntate, & potentia locomotiua in pede: neque efficienter, quia concurreret imperium ad producendos actus imperatos, quod ipſi negant: ergo nullo modo poteſt imperium, potentias à volũtate diſtinctas applicare. Si dicas,

imperium applicare potentias externas in genere cauſæ formalis extrinſecæ; eo pacto, quo indiſtantia applicat materiam & formam ad vnionem, & cauſam efficientem ad actionem. *Contrà occurram*, indiſtantiam non eſſe niſi extrinſecam quandam, ac materialem conditionem, quæ etiam fit per motum localem. Igitur ſimili modo applicatio potentiarum fiet per influxum actiuum. Præterea imperium reflexum non ſufficienter declarat.

6 Breuiter dicam, quid ſentiam. Inprimis imperium directum exiſtimo conſiſtere in influxu actiuo, ſeu effectiuo actus imperati. Itaque actum imperantem voluntatis imperare potentias externas, nihil aliud eſt, quam applicare, & mouere effectiue ad actus dictarum potentiarum. Hanc ſententiam tenet in cæteris potentiis ab intellectu, noſter Fonſeca 9. *Metaphyſicæ, cap. 2. quæſt. 6. ſection. 2. ratione tertia*: reſpectu verò omnium potentiarum, defendunt efficientiam phyſicam imperij directi, noſtri Conimbricenſes *diſputat. 4. eth. quæſt. 3. art. 1.* & Alij. Probatur noſtra ſententia, quia refutatis prædictis aliis dicendi modis, nullus alius ſupereſt magis explicans rem ipſam. Ratio autem eſt ſatis efficax: quia in potentiis externis voluntati ſubordinatis, ad actionem moralem, ac liberam, deambulationis v. gr. tria concurrunt, Intellectus, Voluntas, & Potentia materialis exequens; ſed intellectus vt dirigens, & determinans illam quoad ſpecificationem, mediâ cognitione, repræſentando eius conuenientiam voluntati, pertinet ad genus cauſæ efficientis, vt late oſtendi 1. 2. *tractat. 2. diſp. 9. ſect. 7.* cum Caietano, Medina, Conrrado & Aliis, quos refert, & ſequitur noſter Ioannes Salas 1. 2. *tract. 1. diſputat. 5. ſection. 3.* variis rationibus id defendens: ergo & voluntas vt imperans eſt, ac mouens quoad exercitium; imperat autem, ac mouet medio actu imperante: ergo actus imperans cauſa eſt effectiua actus imperati. Firmo idem, nam in rebus artificialibus, exemplar, ſiue idea exiſtens in mente artificis, eſt cauſa efficiens phyſica operationis externæ artificioſæ, vt optimè probat Suarez *diſputatione vigeſima quinta Metaphyſicæ, ſection. 2.* Vnde ad actionem artificis docet tria concurrere, nempe Artem, Voluntatem, & Potentiam exequentem; & voluntatem vt mouentem potentiam exequentem, pertinere ad genus cauſæ efficientis: At mouet, & determinat medio actu imperij directi: Igitur imperium directum ad idem genus cauſæ efficientis pertinere debet. Quare, licèt potentia exequens habeat in ſe ſufficientem virtutem, ad efficiendam abſolutè ſuam operationem; non tamen ad peculiari modo illam efficiendam, nempè voluntariè, & liberè: ſicut in artificialibus, ipſum exemplar ſiue idea; quia complet peculiarem modum efficiendi operationem, nempe artificioſè, dicitur cauſa efficiens illius operis. Nec refert, in effectu deambulationis eſſe voluntarium, vel liberum, nihil aliud eſſe quàm denominationem extrinſecam reſpectu entitatis actus. Non, inquam refert; nam etiam in operibus artificialibus, eſſe directa ab artifice, eſt denominatio extrinſeca, neque addit ipſorum entitati aliquid intrinſecum; & tamen exemplar ſeu idea eſt cauſa effectiua illorum. Imò & in opinione non improbabili aliquorum Recentiorum dicentium, in actu voluntatis, ſumpto ſecundùm intrinſecam entitatem ſubſtantialem, eſſe voluntarium, tantùm eſſe denominationem extrinſecam, quia eademmet entitas actus, quæ fit à voluntate, poteſt fieri à ſolo Deo, ſemper eadem immutata manens quoad intrinſecam entitatem abſolutam: nihilominus tamen nullus dicet voluntatem non concurrere phyſicè, & effectiue ad illius productionem. Quare voluntas optimè poterit per modum imperij, & applicationis effectiuæ, cauſare actus potentiarum exequentium; & inde reſultabit in illis actibus denominatio quædam extrinſeca, ac relatio prædicamentalis effectus ad ſuam cauſam, etiamſi nihil intrinſecum illis ſuperaddatur.

De imperio autem reflexo, idem dicendum iudico, actum imperantem determinare actum imperatum, cauſando hunc effectiuè. Ratio eſt eadem, quia 7
nullo alio modo poteſt intelligi applicatio, ſeu determinatio actus imperati per actum imperantem, niſi per prædictum influxum actiuum. Quòd ſi hoc in imperio directo eſt neceſſariò concedendum, vt probatum eſt; certè non eſt cur imperio reflexo idem ſit negandum. Quare, ſicut nequit ſpecies intelligibilis determinare potentiam intellectiuam ad cognoſcendum hoc obiectum, potius quàm aliud, niſi medio effectiuo influxu ad cognitionem; & ideò conceditur ſpeciei intelligibili actiua efficientia in ordine ad actum intellectionis: & ſimiliter ob eandem rationem, in mea ſententia conceditur idem actiuus influxus intellectioni, in ordine ad actum volitionis; aſſenſui quoque principiorum, in ordine ad aſſenſum concluſionis; & actui intentionis in ordine ad actum electionis; ita pariter actui imperanti in ordine ad actum imperatum. Omnes enim iſtæ applicationes, ac determinationes nequeunt rectè explicari niſi per influxum effectiuum. Nec obeſſe poteſt, quòd ſæpè actus imperij ignobilior eſt actu imperato. Nam tunc non erit cauſa præcipua, ſed inſtrumentaria illius; non ſecùs ac ſpecies intelligibilis, quia eſt ens imperfectius intellectione, non eſt cauſa principalis etiam partialis illius, ſed ſolùm inſtrumentalis.

SECTIO V.

An imperium efficax reflexum adimat libertatem immediatam, & propriam actui imperato.

SVppono de facto, rarò, vel nunquam imperari actum voluntatis ita determinatè hic & nunc, vt debeat neceſſariò voluntas elicere illum in eodem inſtanti, ſed imperari cum aliqua temporis latitudine. Vt benè notauit Cardinalis Lugo *diſputat. 15. ſect. 9. num. 204.* & Suarez *lib. 12. de gratia, cap. 11. numero 11.* ſic enim ordinariè contingit, & vix poteſt humano modo aliter fieri, quin actus imperans pro aliqua morula, vel reali duratione antecedat actum imperatum. Ex quo manifeſtè infertur, actum imperatum fieri omninò liberè propriâ libertate diſtinctâ à libertate actus imperantis. Patet, quia quando poſtea fit actus imperatus, nihil præcedit in actu primo, quod neceſſitet ad illum eliciendum: nam actus imperans præcedens non cogit ad actum illum imperatum eliciendum eodem inſtanti, vt ſupponitur; tempore verò ſequenti, poteſt voluntas deſiſtere ab imperio, quod nunc habet, & ita non elicere actum imperatum. Igitur eo inſtanti vel tempore, quo poſtea fit actus imperatus, nihil omninò præcedit in actu primo quod determinet, ac neceſſitet ad illum vnquam habendum: quia ſolùm præcedit imperium nunc exiſtens; at imperium nunc exiſtens non determinat ad actum imperatum nunc habendum, nec

Digitized by Google

nec ad habendum poſtea ; quia poteſt poſtea ceſſare hoc imperium nunc exiſtens. Nunc igitur fit actus imperatus omninò liberè, non ſolùm quoad circumſtantiam temporis, ſed quoad ſubſtantiam ; quia ita fit, vt poſſit nec nunc, nec poſtea eſſe, licet imperium nunc exiſtat ; atque ideò actus imperatus fiet cum noua libertate formali propria ipſius, etiam quoad ſubſtantiam. Difficultas ergo eſt, & valdè grauis, dato quòd in aliquo euentu præcedat imperium efficax determinans omninò, & imperans abſolutè fieri actum imperatum internum eodem ipſo inſtanti, itaut poſito actu imperante, nequeat alius actus internus imperatus non fieri hîc & nunc, pro eodem inſtanti ; an in eo euentu actus imperatus eſſet immediatè ſua propria libertate liber ; an ſolùm mediatè, & in cauſa actus imperantis?

2 Martinez de Ripalda *libr. 3. de ente ſupernaturali, diſput. 68. ſectione 2.* ſentit prædictum actum ſic efficaciter imperatum, non eſſe immediatè liberum, ſed mediatè dumtaxat, eâ ſolùm libertate, quâ actus imperans liber eſt. Probat id ; quia actus immediatè, & proximè liber requirit, vt omnia principia proximè, ac immediatè antecedentia ſint indifferentia, & compoſſibilia cum carentia actus, vt eſt certum : ſed omnia principia immediatè, & proximè antecedentia actum imperatum in prædicto caſu, non ſunt indifferentia, & compoſſibilia cum carentia actus ; ergo actus ſic imperatus non eſt immediatè, ac proximè liber. Minor probatur quia actus imperans antecedit ſaltem prioritate naturæ actum imperatum, & non eſt indifferens ad omiſſionem huius actus. Nam vnum principium omninò determinatum ſufficit ad tollendam indifferentiam actus ; ſic enim prædeterminatio phyſica ſufficeret ad tollendam indifferentiam voluntatis. Firmat, nam libertate immediatâ magis liber eſt actus non imperatus, quàm imperatus ; quia non imperatus nullum ſupponit principium antecedens, cum quo ſit incompoſſibilis eius carentia, vt ſupponit actus efficaciter imperatus. At maior hæc libertas actus non imperati, nequit eſſe alia ; quàm actum imperatum efficaciter eſſe aliquo modo neceſſarium neceſſitate proxima voluntatis ; ergo actus efficaciter imperatus non manet immediatè, & formaliter liber.

3 Suarez verò *loco citato*, contrarium defendit, adhuc in eo euentu vtrumque actum tam imperantem, quàm etiam imperatum fore formaliter, & in ſe verè & propriè liberum. Fundamentum illius eſt, quia licèt actus imperatus neceſſariò tunc ſequatur, poſito actu imperante, naturâ tantum priori ; nihilominùs neceſſariò antecedit cogitatio vtriuſque actus, & connexio vnius cum alio ; & ideò quando voluntas ſe determinat ad vnum actum, liberè ſe determinat ad vtrumque actum, quamuis cum ordine eorum inter ſe, ac propterea ſemper manet integra libertas vtriuſque actus ; quia licèt ſecundus videatur neceſſarius ex ſuppoſitione, tamen ſuppoſitio eſt libera, & non eſt liberè volita, niſi vt habens connexionem cum altero actu : quia quando voluntas ſe liberè determinauit ad actum imperantem, viſâ connexione neceſſariâ inter ipſum, & actum imperatum, eo ipſo ſe determinauit ſimul ad imperatum.

Hæc doctrina Suarez non placet Cardinali Lugo, *loco citato ſect. 9. num. 198. & ſequentibus.* Quam refutat exemplo actuum externorum Nam voluntas etiam amplectitur vno impetu actum internum, viſâ connexione neceſſaria, quam habet cum actu externo, & actus externus ſolùm eſt neceſſarius ex ſuppoſitione liberè volita : & tamen negatur actui externo diſtincta libertas, quia poſito actu interno, non poteſt non ſubſequi ; atque ideò ſolùm eſt liber denominatiuè, & in cauſa. At eodem omninò modo ſe habet actus internus imperatus, qui poſitò imperante, non poteſt non eſſe. Igitur eodem modo non eſt liber in ſe, ſed ſolùm in cauſa, videlicet in poſitione actus efficacis imperantis.

Poſſet quis reſpondere, eſſe manifeſtum diſcrimen : nam actus potentiæ externæ de ſe eſt incapax 4
libertatis immediatæ, quia non oritur, neque elicitur à potentia immediatè libera : actus verò voluntatis eſt capax libertatis immediatè, quia eſt actus elicitus à potentia libera ; & ideò poteſt eſſe ſubiectum immediatum libertatis, & indifferentiæ, ac denominari immediatè liber ab indifferentia, quam voluntas habet in actu primo.

Contrà arguit Cardinalis Lugo. Quia, quòd actus de ſe ſit capax libertatis, non ſufficit, vt hîc & nunc ſit liber ; vt conſtat de amore beatifico Dei, qui in patria non eſt liber, tametſi de ſe ſit capax libertatis: quia deficit conditio requiſita, ſcilicet, indifferentia principij. Igitur licèt actus internus imperatus ſit de ſe capax libertatis, non ideò erit immediatè liber hîc & nunc, deficiente conditione neceſſaria ad libertatem immediatam, ſcilicet, indifferentia in principio proximo & immediato. Nam licèt voluntas pro ſigno priori ante actum imperatum ſit indifferens ad vtrumque actum, ſed tamen pro ſigno ſequenti, quo habet actum imperantem, priori naturæ ante imperatum ; non eſt iam indifferens ad habendum, vel non habendum actum imperatum : ergo non habet indifferentiam per modum principij proximi ad actum imperatum.

Nec obſtat illam eſſe determinationem ex ſuppoſitione libera, quia ad impediendam libertatem immediatam in effectu, ſufficit ea determinatio. Vt ſi quis liberè vellet, & poſſet videre Deum, dilectio Dei ex illa viſione ſecuta non eſſet formaliter, & immediatè libera, ſed ſolùm in cauſa, videlicet, in volitione videndi Deum ; tametſi tota eius neceſſitas oriretur ex ſuppoſitione liberè volita. Roborat dictus Cardinalis Lugo hoc idem à priori, quia licèt ante actum imperantem voluntas ſit indifferens ad vtrumque actum ; illa tamen indifferentia omninò tollitur per poſitionem actus imperantis, itaut in illo ſigno medio, pro quo intelligimus actum imperantem ante actum imperatum, nulla ſit iam indifferentia ad actum imperatum ponendum, vel non ponendum, ſec omnimoda determinatio : ergo quidquid poſtea fit, non eſt liberum noua libertate, ſed ſolùm eſt liberum denominatiuè ab exercitio libertatis iam poſito. Ponamus enim quòd Deus neget tunc concurſum ad actum imperatum, non ſtetit certè per hominem, quòd non ſequeretur actus imperatus ; ipſe enim de ſe poſuit cauſam efficacem, ad quam neceſſariò debebat ſequi ; ergo non erit minùs laudabilis coram Deo, & minùs præmiabilis, quàm ſi fuiſſet ſecutus. Sicut è contra, qui imperat actum odij, licèt ex defectu concurſus non ſequeretur ; non ideò eſſet minùs culpabilis, & punibilis ; quia quantum eſt ex ſe, poſuit cauſam efficacem, vt neceſſariò odium ſequeretur.

Nihilominùs tamen adhæreco doctrinæ Suarez *ſuprà traditæ numero tertio*, vt veriori. Nam licèt 5
actus imperatus nequeat non eſſe, factâ ſuppoſitione actus efficaciter imperantis ; ea tamen ſuppoſitio non eſt omninò antecedens actum imperatum, ſed verè conſequens. Nam intellectus videt priùs, & cognoſcit connexionem quæ eſt inter actum imperantem, &

Digitized by Google

imperatum, & vtriuſque bonitatem, ac amabilitatem; qua viſa, liberè voluntas vult actum imperantem, non vtcumque, ſed vt habentem connexionem cum actu
8 imperato; ac proinde cùm voluntas ſe liberè determinat ad actum imperantem, eo ipſo ſe determinat liberè ad imperatum, cum illo connexum; & per conſequens vterque actus eſt liberè volitus, & habet ſuam immediatam, propriam, ac diſtinctam libertatem. Firmatur hoc manifeſto exemplo intentionis finis, & electionis medij. Nam certum eſt, eandem Charitatem intendentem augere magis diuinam amicitiam, poſſe in virtute huius actus intentionis, eligere vt medium, ad illum finem, iteratum odium, ſeu iteratam contritionem peccatorum, quæ ſit actus elicitus eiuſdem virtutis. Item virtus Pœnitentiæ intendens ſatisfacere Deo pro peccatis, poteſt eligere vt medium actũ interiorem, ver. gr Temperantiæ, & ſic de aliis. In quo nulla poteſt eſſe difficultas, quia in reipſa, vnus actus internus poteſt eſſe proportionatum, imò & neceſſarium medium ad finem intentum. Præterea non poteſt in dubium reuocari, actum internum intentionis habere ſuam propriam bonitatem, ac libertatem; quia cùm ſit prior, ſaltem naturâ, quam actus electionis, omninò liberè fit; & cùm ſupponatur honeſtas ex fine ſuo, eligendo etiam honeſtum medium, eius bonitas minui non poteſt. De actu verò electionis habere etiam ſuam proprietatem, bonitatem, ac libertatem, euidens eſt, quando medium quod eligitur, non eſt vnicum; quia inter plura liberè fit electio. Similiter idem dicendum, quando licèt medium ſit vnicum, & neceſſarium, electio illius non eſt neceſſaria pro eodem inſtanti, in quo eſt intentio; ſicut de facto ordinariè contingit. Cùm enim ſic ipſa intentio præcedat duratione, manet libera electio; quia liberum eſt voluntati ab intentione deſiſtere, ne ad volẽdum tale medium adſtringatur. Quòd ſi in aliquo euentu talis concipiatur neceſſitas, vt pro eodem inſtanti, in quo primum habetur intentio, determinetur quoque ſimul voluntas ad electionem; tunc cùm voluntas determinetur ad vtrumque actũ intendẽdi, & eligendi cum mutua connexione eorum inter ſe; videtur quoque manifeſtum actum electionis etiam in ſe eſſe liberum; quia tunc præuidetur vterque actus, & obiecti bonitas, & connexio eorum inter ſe; & ſic voluntas ſimul ad vtrumque actum determinatur, cum duplicato quaſi vſu libertatis. Hoc idem dicimus de actu imperato, eſſe in ſe, formaliter, ac immediatè liberum ob prædictam connexionem cum actu imperante.

6 Hinc facilè ſoluuntur argumenta propoſita contra prædictam doctrinam. Vnde ad argumentum Ripaldæ, conceditur Maior, & negatur Minor: quamuis enim actus imperans nequeat componi cum omiſſione actus imperati; id tamen non aliunde prouenit, niſi ex mutua connexione, quæ eſt inter ipſum actum imperantem, & actum imperatum, & ex libera determinatione voluntatis, quæ vult actum imperantem, non vtcumque, ſed vt habentem connexionem cum actu imperato, ac propterea vterque actus eſt omninò liber; ſicut manet explicatum exemplo intentionis, & electionis. Ex quo manifeſtè infertur euidens diſcrimen prædeterminationis phyſicæ: nam hæc non ſolùm præcedit, ſed ponitur omninò indepedenter à libertate voluntatis, & eâ poſitâ prædeterminatione, non poteſt componi cum omiſſione actus phyſicè prædeterminati; idque procedit non ex libera volitione voluntatis, ſed ex ipſius inſita natura, ac intrinſeca efficacia ante conſenſum voluntatis, abſque illius dependentia. Ad Confirmationem, negatur Antecedens: nam actus internus, v. g. eleemoſynæ volitus, non eſt magis moralis ac liber, quàm ſit alius actus internus eleemoſynæ imperatus à virtute Pœnitentiæ; ſolùm enim eſt alio modo liber, nam priori modo eſt liber abſolutè & ſecundùm ſe, abſque vlla alterius actus dependentia, & connexione; poſteriori verò modo eſt liber cum dependentia, & connexione cum actu imperante pro libito voluntatis.

Ad Argumentum Cardinalis Lugo benè ibi reſponſum eſt. Ad Replicam dico, actum illum internum 7
imperatum eſſe formaliter, & in ſe liberum, non ſolùm quia de ſe eſt capax libertatis, ſed præcipuè quia habet indifferentiam in principio proximo, & immediato tam intellectus, quam voluntatis: nam pro ſigno priori ante actum imperantem, propoſita fuit voluntati per intellectum conuenientia obiecti tam actus imperantis, quam imperati; & viſa quoque fuit connexio vtriuſque abſque vlla neceſſitate, & cum omnimoda indifferentia ex parte obiecti ad illos actus eliciendos, & non eliciendos: quo obiecto poſito ex ſe indifferente, voluntas ex ſua innata libertate ſe determinat, & ſimul vult in eodem inſtanti vtrumque actum; ſeruato ordine ipſorum inter ſe. Vnde elicit priùs natura, actum imperantem, non ſecundùm ſe ſolum, ac quaſi ſolitariè acceptum, ſed prout connexum cum actu alio imperato, quem elicit poſteriùs natura in eodem inſtanti reali: quare vtrumque elicit duplici quaſi vſu libertatis, & ideò neuter eſt neceſſarius, ſed vnuſquiſque eſt omninò liber ſuâ propriâ, ac diſtinctâ libertate. Ex quo patet illa exempla argumenti eſſe valdè diuerſa: nam dilectio beatifica habet pro principio neceſſitante, ipſam viſionem beatam, quæ licèt detur dependenter à voluntate libera; tamen poſita viſione, ac tali Dei intuitiua cognitione, non manet voluntas indifferens, ſed prorſus neceſſitata ad diligendum Deum. Ad illud de auxilij negatione, dicendum eſt, Deum non poſſe negare concurſum ad actum imperatum, ſi det, vel conſeruet concurſum ad actum imperantem; quia tametſi ſint actus re diſtincti, ſunt tamen inter ſe neceſſariò connexi in ratione actus imperantis, & imperati. Vnde ob hanc connexionem, neceſſitas quæ eſt in actu imperato ex ſuppoſitione actus imperantis, eadem eſt in actu imperante, prout imperans eſt, atque adeò non minus eſt liber actus imperatus, quàm ſit liber ipſe actus imperans.

SECTIO VI.

An imperium efficax adimat actui imperato meritum ſibi proprium.

Martinez de Ripalda *diſp.* 68. *ſect.* 4. duo defendit. *Primum*, actum imperatum internum ſuperaddere actui imperanti aliquod meritum proprium, & diſtinctum à merito imperantis. Probat, quia actus imperatus habet bonitatem formalem diſtinctam à bonitate formali actus imperantis: cui bonitati, vt moralis ſit, ſolùm reſtat libertas, quam actus imperatus participat formaliter ab actu imperante. *Secundum*, meritum actus imperati non eſſe adæquatè diſtinctum à merito actus imperantis. Quia actus efficaciter imperatus non eſt in ſe immediatè propria libertate liber, ſed libertate actus imperantis; ergo vt meritorius actum imperantem complectitur. Nam vt meritorius, eſt actus moralis ac liber; vt liber, complectitur actum imperantem, cùm ſeorſim ab actu imperante liber non ſit: ergo etiam vt meritorius, actum imperantem complectitur. 1

Ipſe verò, conſequenter ad ea quæ dicta ſunt præcedenti *ſectione*, Dico *primò* certum 3
eſſe

eſſe, in quo omnes conuenimus, actum internum imperantem efficaciter alium, propter eiuſmodi imperium, non amittere, nec remittere ſuum meritum Patet, quia cùm prædictus actus ſupponatur honeſtus, & ſupernaturalis ex obiecto, & fine ſuo intrinſeco, eligátque honeſtum medium, & ſit omninò liber, nequit bonitas eius formalis, ac moralis minui; ergo neque meritum.

3 Dico *ſecundò*, actum quoque imperatum honeſtum, & ſupernaturalem nihil meriti amittere, ſed ſuum proprium ac integrum meritum obtinere. Ratio eſt, quia, vt conſtat ex *præcedenti ſectione*, prædictus actus imperatus habet ſuam propriam bonitatem, moralitatem, & libertatem; ergo & ſuum proprium meritum. Firmo, nam quando actus imperatus, eſt ex proprio obiecto ſupernaturalis, ſi per ſe ſolus fieret abſque vlla extrinſeca relatione ad alium finem, haberet ſuum proprium meritum: ſed hoc non aufertur propter relationem actus imperantis ad alium finem; ergo imperium non adimit, nec minuit actui imperato meritum ſibi proprium.

4 Maior difficultas eſt de actu imperato virtutis naturalis acquiſitæ, an habeat ratione ſuæ bonitatis naturalis proprium meritum, propter imperium in finem ſupernaturalem. Videtur enim pars negans vera: quia actus virtutis acquiſitæ non habet bonitatem intrinſecè proportionatam præmio gloriæ, cùm ſit inferioris naturæ, & ordinis; per imperium verò, vel ordinationem ad finem ſupernaturalem, illa bonitas non fit in ſe melior, quia ſolùm illi additur alia bonitas accidentalis & extrinſeca, ex fine ſupernaturali extrinſeco; ergo ſolùm ratione illius poterit actus imperatus denominari extrinſecè meritorius, ſicut actus merè externus relatus in finem ſupernaturalem; non ergo habebit proprium meritum ratione ſuæ bonitatis naturalis.

5 Suarez *lib.* 12. *de merito capite* 11. *numer.* 22. probabiliùs iudicat, bonitatem prædictam moralem, tametſi per ſe ſola non ſufficiat ad meritum gloriæ; tamen vt imperatam, & eleuatam ad ſuperiorem finem ſupernaturalem, aliquid ex parte ſua ad illud conferre. Id præcipuè fundat, & colligit ex differentia inter actum internum virtutis acquiſitæ imperatum, & actum merè externum etiam imperatum. Nam in actu externo non eſt formaliter propria bonitas moralis, ſed tantùm obiectiua, quæ per ſe, & intrinſecè non conſtituit meritum, ſed ſpecificat bonitatem actus meritorij: in actu verò interiori ineſt formaliter propria bonitas moralis, quæ imputatur homini liberè operanti, & placet Deo. Et quamuis nudè ſumpta non placeat Deo in ordine ad finem ſupernaturalem; habet tamen aptitudinem quaſi obedientialem, vt coniuncta moraliter relationi ſupernaturali, componat vnum actum moralem conſentaneum fini ſupernaturali; atque ideò bonitas eius confert ad meritum illius finis, non tantùm per modum obiecti, ſed etiam per modum actus conſtituentis aliqua parte illud meritum.

6 Ego verò diſtinguendum puto, & obſeruandum, duobus modis poſſe voluntatem operari circa materias virtutũ acquiſitarum ex motiuo ſupernaturali. *Primò*, vt illud motiuum ſit proximum, & conſtituens proprium formale obiectum talis actus. Et hoc pacto certum mihi videtur talem actum, cùm ſit ſupernaturalis, & elicitus à virtute infuſa ſupernaturali, in homine iuſto eſſe meritorium gloriæ; quia nihil illi deeſſe poteſt ad rationem meriti *Secundò*, vt illud motiuum ſupernaturale ſit tantùm remotum, & extrinſecum ipſi actui naturali, & virtutis acquiſitæ, imperato. Et in hoc ſenſu mihi difficile & durum videtur, quòd tali actui reſpondeat ſuum ſpeciale & proprium meritum; propter ſuam honeſtatem naturalem, vt probat ratio ſupra adducta *numero quarto*. Et firmatur ampliùs, quia nullus actus meritorius fieri poteſt ſine ſpeciali auxilio gratiæ, vt communiter docent Theologi, & ex Concilio Tridentino *ſeſſione 6. capit.* 16. optimè oſtendit Suarez *libro* 12. *de gratia*. *capit.* 7. At opus morale bonum ex pura ratione, & honeſtate naturali factum, fieri poteſt ſine actuali influxu gratiæ; ergo id non ſatis eſt vt ſit meritorium gloriæ de condigno. Quare cùm Charitas verbi gratia, imperat efficaciter actum naturalem eleemoſynæ, referendo illum in ſuum finem, tametſi verum ſit, mereri de condigno per illam relationem Charitatis; quia ille actus imperans eſt actus charitatis extrinſece denominans actum eleemoſynæ imperatum; tamen inde non poteſt effici meritorius ipſe actus intrinſecè, vt ſic dicam, & per proprium, ac diſtinctum meritum; quia neque illud ex ſe habet, vt ſupponitur, cùm ſit res inferioris ordinis, & ex ſe nullam habeat proportionem ad præmium gloriæ ſupernaturale; neque actus imperans poteſt illud dare, tum quia nihil intrinſecum illi communicat, ſed ſolam extrinſecam denominationem; tum etiam quia non poteſt vnum & idem imperium Charitatis, & per ſe mereri ſuum præmium, & ſimul conferre alteri actui imperato, vt nouum præmium mereatur. Quod exactiùs expendere ſpectat ad materiam *de Merito*.

SECTIO VII.

An actus externus alterius potentiæ à voluntate imperatus, habeat ſuum meritum diſtinctum à merito actus voluntatis interni imperantis?

Certa ſunt duo, *Primum*, nullum eiuſmodi actum exteriorem eſſe meritorium, niſi à voluntate imperetur, vel acceptetur. Patet, quia non eſt meritorius actus, niſi fiat liber; at nullus actus alterius potentiæ à voluntate eſt liber. Vnde ſimili modo, nullus actus externus quãtumuis malus, & prohibitus ſit, eſt demeritorius, niſi ſit aliquo modo à libera voluntate. *Secundum*, actum externum bonum, & liberè factum ab homine iuſto, eſſe meritorium, ſicut & opus malum externum eſt verè peccatum, & ſupplicio dignum. Quod ergo dubitamus, eſt, an in actu externo imperato ſit conſtituendum intrinſecum meritum proprium, diſtinctum à merito, quod eſt in actu voluntatis imperante, itaut maius præmium vtrique actui ſimul reſpondeat, quàm ſoli actui voluntatis. 1

Affirmant Scotus *quodlib.* 18. *art.* 3. & omnes eius Diſcipuli. Viriliter tamen defendit Martinez de Ripalda *diſp.* 68. *ſect.* 5. actum externũ augere meritũ actus interni; ac cæteris paribus, actione externa plus gratiæ, & gloriæ mereri iuſtum, quàm ſolo actu interiori; non quia actio exterior ſola meritoria ſit, ſed quia ſimul cum interiori maius meritum conſtituit, quàm ſolo actu interiori conſtitueret: ſicut gratia habitualis ſecundùm ſe meritoria non eſt, coniuncta tamen actui interno virtutis, complet meritum condignum, quod ſoli actui interno ſeorſim à gratia non competit. 2

Hanc ſententiam ſic explicatam probat Ripalda. *Primò*, quia meritum eſt obſequium cedens in honorem, aut commodum Principis, aut Reipublicæ potentis illud præmio compenſare; ſed actio exterior auget obſequium Dei, qua parte cedit meritum in hono- 3

rem Dei, & commodum Reipublicæ rationalis, licèt non augeat bonitatem moralem meriti; quia actio externa conducit maximè ad excitandum in aliis laudem, & cognitionem Dei, & affectus virtutum, quæ ſunt bona externa Dei, & Reipublicæ rationalis: ergo actio externa auget meritum in ratione meriti; vel ſeipſa conſtituit meritum, vt conducens in honorem Dei, & commodum Reipublicæ rationalis.

Secundò, ſatisfactio noſtrorum operum augetur per actionem externam, vt ſentit communis Theologorum apud Suarez de Pœnitentia *diſput.* 37. *ſect.* 5. & Alios; quia Satisfaicto eſt vindicta, & caſtigatio voluntaria culpæ, quam plus actionibus externis, quàm ſolis internis caſtigamus; ergo etiam meritum creſcit actione externa: quia meritum eſt actio obſequij alterius, nempe Principis ſupremi, & Reipublicæ rationalis, quibus maius obſequium præſtatur per actiones externas iunctas internis, quàm per ſolas actiones internas.

Tertiò, conſtat ex vſu Eccleſiæ, cenſuras & alias pœnas imponi iis, qui non ſolum interiùs, ſed etiam exteriùs aliqua peccata committunt: Indulgentias quoque, & priuilegia concedi pro actu externo pietatis, non pro ſolo interno deſiderio: quod etiam ſæculares Principes facere ſolent. Cur ergo Deus non potuit præmia aliqua definire pro illis, qui actum externum ſimul cum interno coniungerent? Quæ enim prudenter geruntur à Principe humano, in ordine ad Reipublicę bonum, fieri poſſunt à Deo in ordine ad bonum Reipublicæ ſuæ.

Quartò, firmat hic Auctor ſuam ſententiam aliquibus exemplis Primum eſt ex Confeſſione ſacramentali, in qua explicandum eſt opus externum, & ſubiiciendum clauibus Eccleſiæ: nec ſufficit confiteri voluntatem internam ex ſe efficacē: cuius ratio difficilè redditur, niſi dicamus actionē externam meritum augere & demeritū. Secundum exemplum eſt de actu Martyrij, in quo actus externus affert nouum præmiū, nempe aureolam, quam non conſequitur, qui efficaciter deſiderauit martyrium, ſi reipſa non moriatur. Tertium exemplum eſt ex Chriſti Domini paſſione externa reipſa exhibita, cuius intuitiuam præuiſionem Deus expectauit ad definienda prædeſtinatis dona ſupernaturalia: nec ſatis erat, videre deſiderium ſolùm internum patiendi. Hæc ſunt argumenta quæ dictus Auctor proponit in fauorem ſuæ ſententiæ. Vlteriùs probatur ordine.

Quintò, maius auxilium gratiæ neceſſarium eſt ad volendum, & exequendum opus pietatis, quàm ad volendum tantùm, vt docet Auguſtinus, *de gratia*, *& lib. arbitr. c.* 17. & *in enchiridion c.* 32. Ergo ſignum eſt, augeri bonitatem, & difficultatem operis per ipſum actum externum; aliter enim non eſſet cur maius gratiæ auxilium ad illum poſtularetur; ergo per actum externum augetur meritum.

Sextò, ſequeretur, eum qui toto conatu, quantum poteſt, deſiderat infinitè amare Deum, tantùm mereri, ac ſi reipſa infinitè amaret: & illum, qui ſimiliter cuperet infinitos homines à miſeria peccati liberare, vel infinitas diuitias pauperibus erogare, perinde mereri, ac ſi reipſa, & exterius illa opera feciſſet. Denique qui cuperet mereri apud Deum, vel ſeruire illi, quantùm Apoſtoli aut Beata Virgo meruit, vel ſeruiuit; per illum affectum poſſe æquare illorum merita. Quæ omnia videntur per ſe ſatis eſſe manifeſta abſurda.

Denique Auguſtinus, quem Scotus refert, *lib.* 13. *de Trinitate, cap.* 5. dicit. *Malâ voluntate, vel ſolâ quiſque miſer efficitur, ſed miſerior poteſtate, quâ deſiderium malæ voluntatis impletur*: ergo executio malæ voluntatis, quæ non eſt niſi externus actus, hominem miſerabiliorem facit, teſte Auguſtino, ac per conſequens maiori pœna dignum; ergo executio bonæ voluntatis facit hominem feliciorem, ſeu maiori beatitudine dignum

Contraria ſententia communiſſimà eſt apud Doctores antiquos, & recentiores, quos refert, & ſequitur Suarez *lib.* 11. *de merito, cap.* 6. ēſtque D. Thom. 1. 2. *q.* 20. *in corpore.* Quam veriſſimam iudico. 4

Ad illam magis ſtabiliendam, quatuor præſuppono cum communi doctrina, quæ meo iudicio negari non poſſunt. *Primum* eſt, formalem bonitatem actionis humanæ ſolùm eſſe intrinſecam interiori actui voluntatis; in exteriori verò ſolùm eſſe per denominationem tantùm extrinſecam. Ratio à priori eſt, quia ille actus humanus eſt formaliter bonus, & ratione ſui, qui formaliter tendit in obiectum honeſtum, quatenùs honeſtum eſt; nam hoc eſt quod facit bonum operantem, & à quo pendet tota virtus, ac rectitudo eius; ſed hoc conuenit actui voluntatis tantùm, & non actui externo, vt per ſe notum eſt; ergo.

A poſteriori firmatur idem, quia actus externus, quantumuis ex ſe bonus ſit bonitate obiectiua, & ſit conformis rationi, provt obiectum eſt; ſi tamen ab actu interno malo imperetur, non eſt bonus, quatenùs actus humanus eſt; ergo ſignum eſt in ratione actus humani ſolum eſſe bonum per denominationem extrinſecam ab actu interiori bono: & per conſequens totam bonitatem formalem ſolùm eſſe intrinſecam interiori actui voluntatis.

Secundum eſt, idem dicendum de morali malitia, formali, & propria, quæ hominem malum, & peccantem conſtituit, totam ſcilicet eſſe in volūtate, in actibus verò exterioribus per denominationem ſolùm à voluntate. Patet à priori, quia licèt actus malus non tendat in malum ſub ratione mali; tamen debet eſſe capax aliquo modo bonitatis, ſaltem ſecundùm communem rationem talis actus: ergo malitia formalis tantùm eſſe poteſt in eo genere actus, quod eſt capax bonitatis formalis; huiuſmodi autem eſt actus interior, non exterior, vt dictū eſt; ergo. Antecedens illud probatur, tum quia bonitas, & malitia formalis, quæ oppoſita ſunt, debent verſari aliquo modo circa idem: ergo circa eundem actum voluntatis: tum etiam quia malitia habet rationem priuationis, ſaltem reſpectu ſubiecti: ergo in illo actu eſt propriè, in quo ſubiectum, ſeu voluntas deberet ponere bonitatem; at voluntas non debet bonitatem formalē niſi ſuo interiori actui: ergo in actu interiori habet rationem priuationis, & malitiæ carentia bonitatis debitæ. Quod etiam à poſteriori liquet, quia actus exterior idem omninò manens eſt malus, vel non malus, per mutationem ſolùm interioris actus; & ſimiliter augetur, ac minuitur in bonitate, & malitia, quatenùs procedit à voluntate magis, vel minùs mala: idem enim furtum externum, factum ex maiori, vel intenſiori affectu voluntatis, eſt maius peccatum; ac etiam æqualis voluntas, æquale peccatum eſt, ſiue exterior actus accedat, ſiue non.

Tertium eſt, rectè à Theologis dici actum interiorem, & exteriorem in genere moris non eſſe plures actus, ſed vnum actum: quia licèt phyſicè ſint diſtincti; tamen exterior comparatur ad interiorem, ſicut materiale ad formale; & in genere moris cenſetur tantùm vnum eſſe, quia habent vnum voluntarium, vnam libertatem, vnam bonitatem, vel malitiam; vnde ita ſunt ſubordinati, vt vnum componant; neque exterior habet rationem actus humani, niſi vt ſubſtat interiori.

Quartum denique eſt, actum exteriorem per ſe non conferre ad augmentum bonitatis, vel malitiæ ſi cætera ſint paria, in actu interiori, per accidens tamen poſſe augere.

Primum conſtat ex præcedētibus, quia actus exterior non habet bonitatem diſtinctā ab interiori, & neceſſariò ſequitur ex illo, ſi eſt in noſtra facultate; ſi autem

non

non eſt in noſtra facultate, non minuit bonitatem voluntatis. Secundùm facilè conſtat, quia propter exteriorem actum ſæpe homo magis durat, & perſeuerat in interiori, imò etiam ſæpe multiplicat interiores actus; & ideò moraliter peius eſt occidere, quàm velle occidere. Ipſe quoque exterior actus accendit affectum, & ita facit ad actum interiorem, quomodo vocalis oratio conferre ſolet ad interiorem deuotionem. Denique actiones externæ ſunt vtiles ad moderandas paſſiones, & habituandum corpus vt faciliùs rationi deſeruiat.

His præſuppoſitis, facilè probatur noſtra Concluſio, nempe actum externum ſub ratione affectus voluntatis acceptum, ſeu vt eſt actus humanus, nihil addere meriti actui interno Tum quia actus interior ſic ſumptus, non eſt cauſa, ſed effectus actus voluntatis; neque eſt prior, ſed poſterior illo; ergo nihil poteſt conferre actui interno. Tum maximè, quia actus externus per ſe, ac formaliter ſpectatus nequit augere moralem dignitatē totius operis, vt compoſiti ex actu interno, & externo; quia ſuppoſito actu interno, in emanatione actus externi ab interno nulla eſt moralitas, quia nulla eſt indifferentia, ſeu libertas, ſed neceſſitate omninò naturali ſequitur actus externus poſito interno: ergo actus externus per ſe, nullam conditionem moralem addit actui interiori, nec bonitatem moralem; ergo nec addit meritum, quia meritum eſt proprietas ſequens bonitatem moralem.

6 Reſpondet Ripalda, tametſi actio externa non augeat bonitatem moralem, tamen auget conducentiam in bonum extrinſecum Dei, & Reipublicæ rationalis: atque ita conſtituit heterogeneè meritum; ſicut gratia habitualis, & libertas extrinſeca, hoc eſt non vt pars homogenea, in qua ſeorsùm ab aliis ſit meritum, ſed quæ ſimul cum aliis faciat meritum; ſicut corpus facit hominem cum anima, licèt corpus non ſit homo.

Sed contra eſt, quia gratia habitualis eſt dignitas perſonæ, quæ per ſe confert ad meritum, & ad actum interiorē; vnde comparatur ad illum, vt principium morale illius: vel ſaltem vt neceſſaria conditio, ſeu circumſtantia moraliter dignificans illum: homo enim carens gratia, eſt in peccato mortali, & in odio Dei; non poteſt autem ſimul mereri de condigno vitam æternam, & manere in peccato. At verò actus exterior vt in exercitio poſitus, ſolùm eſt quid conſequens ad actum interiorem, & in ſe nullam habet bonitatem, vt dictum eſt *ſuprà*; atque ideò nequit vllam ſpecialem dignitatem addere. Præterea libertas eſt omninò neceſſaria ad meritum, quia eſſe meritorium, eſt proprietas quædam moralis, & ideò neceſſariò ſupponit in actu eſſe morale, ſine quo intelligi non poteſt proprietas moralis; actus verò moralis, vt ſuppono *ex prima ſecunda*, primariò, & quaſi formaliter conſtituitur per eſſe liberum. Nihil horum præſtat actui interno actio externa. Quòd verò non augeat conducentiam in bonum extrinſecum Dei, per ſe, & ratione ſui, clareſcet ex ſolutionibus argumentorum oppoſitorum.

7 Ad primum, Dicendum eſt, meritum vt meritum, non ſumi per conducentiam, ſeu conuenientiam operis cum honore, & bonis ſuperioris, vel Reipublicæ præmiantis. Neque enim minùs ingenua, & aliena à proprio commodo concipienda eſt conditio præmiantis, quàm laudantis. Quare ſicut laudans non attendit, quid ſibi commodi attulerit ille, quem laudat, ſed quid in eo ſit: ita qui præmiat, non debet attendere ad ſuū intereſſe, & lucrum, ſed ad bonitatem illius qui præmiatur. Nam præmia non ſunt inſtituta ſecundùm gubernationem rectam, vt ille qui præmiat, honoretur; ſed vt ille, cui præmium proponitur, bonus fiat, ſaltem intuitu remunerationis, & præmij. Vndè licèt Deus nihil lucri accepiſſet à merente, nec aliquid ab eo ſperaret, adhuc ſecundùm leges prudentis, ac bonæ gubernationis, deberet præmiare eum qui laudabiliter, & honeſtè operatur. Gubernator enim, vt gubernator, reſpicit bonum ipſius ſubditi; vnde propoſitio præmij, & ſupplicij, qui eſt actus gubernatoris, vt gubernator eſt, refertur ad bonum ipſius ſubditi, qui vt bonus in ſe fiat, alliciendus eſt præmiis, & deterrendus ſuppliciis: eſt igitur præmij finis ipſius operantis bonitas: hæc autem non creſcit per opus externum per ſe loquendo, ac proinde non oportuit præmia, & ſupplicia pro actibus externis multiplicare. Quare negandum eſt dignitatem præmij deſumi ex commodo, aut lucro, quod reipſa ex opere conſequitur præmianti; ſed ex condignitate fundata in bonitate operis ſecundùm ſe independenter à commodo illi conſecuto. Hoc enim eſt debitum excitandi homines ad amorem boni, & odium vitij, ac per conſequens reſpicit æqualitatem non inter datum, & acceptum, ſed inter bonitatem operis, & præmium. Addo, etiamſi dicamus, præmium, & pœnam ordinari ad lucrum præmiantis, & bonum Reipublicæ, propter exemplum; adhuc dicendum eſt pro ſolis actibus internis deſignanda eſſe; nam cùm actus externi non ſint in noſtra poteſtate, niſi mediis internis; ſufficiet allicere hominem ad actum internum efficacem; quia licèt rurſus proponatur præmium pro actu externo, non magis excitabitur homo, quam ſi eſſet propoſitum pro ſolo actu interno, cùm in vtroque caſu ſolùm excitetur ad actum internum, quem ſolùm ipſe poteſt ponere, & non ponere.

Ad ſecundum, conceſſo Antecedente, negatur Con- 8
ſequentia, ob manifeſtam differentiam inter Meritum, & Satisfactionem: nam Satisfactionis condignitas ſumitur ex æquitate exigente, vt qui ſe voluntariè caſtigauit, & paſſus eſt laudabiliter pœnam, non cogatur iterum pati, & torqueri, ne afflicto ſuperaddatur afflictio; ad quod multum facit afflictio, & pœna reipſa tolerata. Vnde ſatisfactio non tantum ſumitur ex bonitate, ſed maximè ex pœnalitate: actus autem exterior per ſe affert propriam pœnam, & dolorem. At meritum, & eius condignitas fundatur in æquitate poſtulante, quòd bonitas operis præmietur, vt homines alliciantur ad amorem boni. Quòd ſi ex defectu euentus externi ſecuti, bonitas operis minus præmiaretur, homines minùs allicerentur à præmio propoſito ad ſtudium virtutis, timentes, quòd abſque ſua culpa poſſent conatus, & affectus boni fraudari præmio ob effectum non conſecutum.

Ad tertium, non benè arguitur ab vſu Eccleſiæ, & 9
Principis humani, ad leges præmij, & ſupplicij condigni in foro Dei: quia Eccleſia non iudicat de merè internis, nec ea punit, niſi quando per actum externum eorum malitia manifeſtatur; & ideò expectat actum externum meritò, non quia augeat dignitatem, ſed quia per illum culpa interna, & eius dignitas deducitur ad forum Eccleſiæ. Nam Eccleſia potiſſimùm ex actu externo cognoſcere poteſt quantitatem, grauitatem, & dignitatem culpæ internæ; ideò non potuit prudenter meliorem regulam vniuerſalem aſſumere ad pœnam ſtatuendam, quàm actum externum: nam ſi quis, v. gr. percutiat, abſque morte percuſſi, non poteſt ſcire animum fuiſſe occidendi. Id autem in iudicio Dei non procedit, qui omnia peccata æquè punit pro eorum dignitate, & eorum grauitatem certò cognoſcit, non ex euentu, ſed ex intentione peccantis, vt liquet.

Ad quartum continens varia Exempla. Ad primū, 10
conſtat ideò nos obligari ad confitendum actum externum peccati; quia ille actus externus eſt verè peccatum, quando durat voluntas, à qua denominatur malus, & ideò debet explicari; quia non ſolùm eſt præceptum

confitendi malitiam, ſed confitendi etiam peccata ipſa, qualis eſt actus externus prohibitus. Ad ſecundum exemplum Dico, nempe Martyrij, non fieri ex illo rectè argumentum; quia iuxta communem Theologorum doctrinam, ex peculiari priuilegio, & ordinatione diuina, ac liberalitate, actui externo martyrij, quaſi ex opere operato, dantur aliqua dona, vel præmia, quæ non dantur propter ſolam voluntatem martyrij, etiamſi magnam, & magis meritoriam eſſe contingat: nam martyrium conſummatum affert augmentum, vel etiam infuſionem primam gratiæ ex opere operato, & laureolam illam accidentalem ex opere operato, vltra dignitatem operis: ſicut etiam ex priuilegio Sacramenti, Baptiſmus aquæ, vel Communio Euchariſtiæ, plus gratię & gloriæ confert cœteris paribus, & ex opere operato, recipienti exterius Sacramentum, quam non recipienti: quia verò vtrumque eſt ſpeciale priuilegium, nihil inde infertur contra noſtram doctrinam. Ad vltimũ aliud exemplum Dico voluiſſe Deum expectare mortem ipſam Chriſti, quia vſque ad illam durauit meritũ actuale ipſius Chriſti, quandoquidem vſque ad illud vltimum inſtans vitæ ſemper meruit per actus internos, quibus mortem volebat, & acceptabat. Cùm igitur Deus voluerit Redemptionẽ noſtram obtineri per omnia Chriſti merita, debuit expectare eorum omnium conſummationem, quæ vſque ad mortem poſita non erat, etiam quoad actus internos. Et quamuis merita non duraſſent vſque ad illud vltimum inſtans, durauit tamen ſatisfactio; quæ augetur per ipſam paſſionem externam; voluit enim Deus vt Redẽptio noſtra, & ſatisfactio quoad ſufficientiam correſponderet toti ſatisfactioni Chriſti completæ, & conſummatæ.

11 Ad quintum, Reſpondeo, dixiſſe Auguſtinum, maiorem gratiam eſſe neceſſariam ad volendum, & perficiendum opus, quàm ad volendum tantùm, ratione perſeuerantiæ in propoſito voluntatis: tunc verò non ſolùm additur externum opus voluntati, ſed additur noua voluntas, vel noua perſeuerantia in priori voluntate; & ideo poterit optimè augeri meritum, quia iam non ſunt cætera paria ex parte voluntatis. At ſi comparetur actus interior voluntatis ad ſolum exteriorem actum, qui ab eo immediatè procedit pro eadem duratione; ſic non eſt neceſſaria maior gratia ad actum externum, quàm ad internum; ſed vna, & eadem ad vtrumque ſimul datur, quia vterque componunt vnum actum moralem, & interiori poſito, naturaliter ab eo manat exterior.

12 Ad ſextum, negandæ ſunt omnes illæ ſequelæ; quia in omnibus illis exemplis, voluntas interior non eſt commenſurata, nec adæquata obiecto. Patet; nam in primo exemplo, deſiderium illud amandi infinitè Deum, habet pro obiecto infinitum amorem Dei, & ideò quantocumque conatu fiat, nunquam poteſt eſſe adæquatus tali obiecto, neque habere illam vim, quam ille amor haberet ad amandum Deum, ſi in re poneretur, ſed infinitè diſtat ab eo, ac proinde tale deſiderium, nec æquale, nec infinitum meritum habere poteſt. Idem eſt in ſecundo exemplo, in quo etiam ſumitur obiectum infinitum, cui præſens deſiderium non poteſt adæquari, nec etiam actui, vel actibus, quos aliquis exerceret, ſi de facto infinitos homines à miſeria peccati liberaret, vel infinitas diuitias pauperibus effunderet. Adde in his duobus exemplis interiorem affectum eſſe de re impoſſibili; qui neceſſariò eſt minus efficax, quàm voluntas de actu externo ſimpliciter poſſibili, cui poteſt eſſe commenſurata, etiamſi ex accidenti deſit poteſtas illam exequendi. Tertium exemplum etiam includit plurimos, & perfectiſſimos actus internos voluntatis, quibus impoſſibile eſt, illum affectum in ipſa efficacia benè volendi, aut operandi adæquari. Vnde non comparatur ille affectus ad illa merita, ſicut actus internus ad externum, cui de ſe adæquari poſſit, ſed comparatur ſicut actus ad obiectum ita eminens, & quaſi infinitum, vt illi adæquari non poſſit.

Ad vltimum, admitto, ad peculiarem infelicitatem pertinere, poſſe prauam voluntatem impleri; non quia actus externus præciſè ſpectatus, ac cæteris paribus, augeat offenſionem Dei, aut pœnæ reatum, ſed quia eſt occaſio, vel maioris conatus, ac ardentioris peccandi, vel maioris moræ in ipſa actuali commiſſione peccati, vel etiam augendi, & multiplicandi peccata, vt quotidiano ſatis conſtat experimento.

DISPVTATIO VII.

De natura, & quidditate perfectæ Contritionis.

EGimus iam de imperio voluntatis, & de actibus imperatis in genere, & vidimus virtutem Pœnitentiæ poſſe imperare actus reliquarum virtutum: ſupereſt agamus de duobus actibus in ſpecie, nempe de perfecta Contritione, & Attritione; qui nomine Pœnitentiæ generatim ſumptæ donari, & à virtute Pœnitentiæ ſpeciali imperari ſæpè ſolent: ac proinde de illis in hac materia de virtute Pœnitentiæ tractant Doctores copiosè, præſertim Recentiores. Nos eorum veſtigiis inſiſtentes, de illis quoque exactè dicemus. De Contritione autem perfecta primo loco multa explicabimus ſeptem ſequentibus Diſputationibus. In præſenti verò, primo loco, ordinem doctrinæ ſeruantes, eius naturam, & eſſentiam exponemus.

SECTIO PRIMA.

Quodnam ſit formale motiuum actus perfectæ Contritionis.

SVppono *primò*, Contritionem perfectam à nobis ſumi iuxta communem Eccleſiæ, ac Theologorum 1
vſurpationem, provt videlicet ſignificat perfectam auerſionem volunta tis à peccato commiſſo. In quo ſenſu ſumitur Pſal. 50. *Cor contritum, & humiliatum Deus non deſpicies*: Danielis tertio, *In ſpiritu humilitatis, & & animo contrito*: & alibi. Quæ nominis ſignificatio, metaphoricâ appellatione ſumptâ, deducitur à verbo, *Contero*, quod propriè ſignificat rem aliquam duram in minutiſſimas partes diuidere, ac comminuere.

Hoc autem præſtat Contritio, cor peccatoris per peccatum obduratum diuidens, & à peccato auertens.

Suppono *ſecundò*, Contritionem formaliter eſſe actũ Pœnitentiæ, & meritò ſic appellari; Quia eſt perfecta auerſio à culpa, & perfecta fuga illius: hæc enim 2
concipi nequit abſque actu pœnitentiæ quæ ſit execratio, & abominatio peccati. Non dico Contritionem eſſe actum elicitum a virtute Pœnitentiæ ſpeciali; ſed eſſe actum Pœnitentiæ generatim ſumptæ, provt ſignificat quam

quamlibet honeſtam peccati deteſtationem; quo pacto
Pœnitentia non dicit vnam ſolam virtutem, ſed tranſ-
cendit, ac dicit, ſeu complectitur varias virtutes, & actus
iuxta variam, & multiplicem rationem formalem, ſeu
motiuum deteſtandi peccatum.

3 Vnde infero, & ſuppono *tertiò* ex actibus fugæ, qui
dicuntur eſſe Pœnitentiæ generatim, qui ſunt, odium
peccati, fuga ſeu deteſtatio eius, & dolor de illo; Contri-
tionem ipſam eſſe formaliter deteſtationem peccati, re-
liquos verò actus regulariter comitari illam, vel ante-
cedenter, vel conſequenter. Hoc etiam conſtans eſt apud
Theologos. Ratio eſt, quia Contritio eſt propriiſſimus,
& perfectiſſimus actus Pœnitentiæ, vt per ſe claret. &
Tridentinum declarauit *ſeſſ. 14. cap. 4. in initio*, ſic dicens
contritionem primum locum habere inter dictos Pœni-
tentis actus: at actus perfectiſſimus in deteſtatione con-
ſiſtit, vt oſtenſum eſt ſupra *Diſputatione 3. ſect. 2. n. 7.*
Et quamuis *loco citato* Tridentinum affirmet Contri-
tionem eſſe animi dolorem, & deteſtationem de pec-
cato commiſſo; id tamen cum proportione eſt intelli-
gendum, & accommodandum; vt nimirùm Contri-
tio formaliter ſit deteſtatio, dolor verò concomitanter
vel cauſaliter. Vnde rectè intulit Vega *lib. 13. in Tri-
dentinum cap. 25.* ſi contingeret peccatorem deteſtari
peccatum, & inde nullum reſultare dolorem, fore ſuffi-
cientem contritionem: quia ſola deteſtatio, ſeu execra-
tio peccati eſt ſufficiens, & ipſa ſola eſt per ſe, ac pro-
priè in poteſtate liberæ voluntatis; dolor verò ſolùm,
provt ex deteſtatione reſultat. Ille verò alius actus, qui
eſt odium peccati vt ſic, provt abſtrahit à commiſſo, vel
non commiſſo, non poteſt ſufficere ad rationem forma-
lem contritionis, ſicut non ſufficit ad rigoroſum actum
Pœnitentiæ ſtricte & propriiſſime ſumptæ, vt *dicta diſ.
3. ſect. 2.* explicui.

4 Suppono *quartò*, Contritionem eſſe actum ſecundùm
ſuam ſubſtantiam ſupernaturalem. Vt communiter do-
cent Theologi. Quod manet probatum ſuprà *diſp. 3.
ſect. 4.* Vbi idem oſtendimus de actu deteſtationis pec-
cati, qui eſt actus ſpecialis virtutis Pœnitentiæ. Potio-
ri enim iure prædictæ illę rationes id euincunt de Con-
tritione, quæ, vt videbimus eſt perfectior ac nobilior
peccati deteſtatio. Similiter dicendum eſt, Contritio-
nem, eſſe deteſtationem vniuerſalem de omnibus pecca-
tis, vt idem probauimus de ſpeciali deteſtatione virtu-
tis Pœnitentiæ *diſput. 3. citata ſect. 5.* Pariter quoque
eſſe deteſtationem peccati ſuper omnia appretiatiuè,
iuxta dicta *ibidem ſect. 6.* ac denique eſſe actum effi-
cacem, eo modo quo idem docui de actu deteſtationis
peccati ſpecialis virtutis Pœnitentiæ, *prædicta diſputat.
ſect. 3.*

5 His poſitis, inquirendum modò eſt, quodnam ſit ob-
iectum ſeu motiuum formale Contritionis, vt inde in-
feramus, cuius ſpecialis virtutis ſit illam elicere tanquam
proprium illius actum.

Dominicus Soto *in 4. d. 17. q. 2. art. 2.* docet Contri-
tionem differre ab Attritione ex parte obiecti, quia Cō-
tritio eſt dolor, ſeu deteſtatio de peccatis, vt ſunt offen-
ſa Dei; Attritio autem eſt propter pœnas inferni. Qui-
bus verbis ſignificare videtur Contritionem procedere
ex formali motiuo iuſtitiæ erga Deum. Quod probabile
iudicat noſter Suarez, *diſp. 4. ſect. 2. n. 13.* & ſibi aliquā-
do placuiſſe cū aliis Theologis. Vnde immeritò Vaſquez
q. 85. art. 2. n. 45. id docuit erroneum eſſe. Cenſeo enim
cum Cardinali Lugo ſtatim citando, nullo modo dignū
ea cēſura eſſe, neque vlla alia. Tum propter auctoritatem
grauium Theologorum, inter quos iure eſt recenſendus
Dominicus Soto, qui eam vt probabilem defendunt.
Tum ex modo loquendi antiquorum Theologorum, qui
cùm de Contritione perfecta loquuntur, dicunt genera-
liter eſſe dolorem de peccato, eo quòd ſit Dei offen-
ſa; offenſa autem vt offenſa eſt præciſè, non pertinet ad
Charitatem, ſed ad virtutem Pœnitentiæ, quæ verſa-
tur circa peccatum provt eſt Dei offenſa, ac iniuria.

Quòd verò ſufficiat ad rationem Contritionis, quòd
ſit deteſtatio ex formali motiuo iuſtitiæ erga Deum,
poteſt probari: Tum quia talis deteſtatio eſt valdè perfe-
cta, cùm ſit de peccato, quatenùs eſt iniuria Dei læ-
dens integritatem iuris diuini: Tum quia idem firmare
videtur communis fidelium concipiendi modus: ipſi e-
nim dum de Contritione cogitant, exiſtimant, tunc ſe
Contritionem habere, quando ita dolent de peccatis, vt
nulla etiam ſtante pœna, vel præmio damno, vel emo-
lumento, eodem modo dolerent; quod totum reperitur,
cùm peccatū conſideratur quatenus eſt offenſa Dei, quę
læſit integritatem iuris diuini, etiamſi non adſit moti-
uum Charitatis.

Dico *primò*, cum communiori Theologorum ſenten-
tia, Contritionem, quæ ſufficiens eſt ad iuſtificatio- 6
nem, (de qua loquimur, & ſemper loquemur) oriri
ex motiuo formali Charitatis, nempe Dei ſuper om-
nia dilecti. Hanc concluſionem probat Cardinalis Lugo
diſp. 5. ſect. 1. num. 15. quia per peccatum mortale ex-
pellitur Charitas, & per iuſtificationem reſtituitur;
non debuit autem reſtitui niſi præcedente aliquo actu
Charitatis; ſicut Fides, quæ per hæreſim expellitur non
reſtituitur, niſi præcedat aliquis actus Fidei; & Spes
quæ per peccatum deſperationis expellitur, non reſti-
tuitur, niſi exerceatur aliquis actus Spei: ſic etiam Cha-
ritas, quæ per quodlibet peccatum mortale expelli-
tur, non debuit reſtitui, niſi præcedente exercitio
ritatis, vt congruè reſtitueretur. Homo enim per pec-
catum voluntariè diſceſſit ab amicitia Dei, & factus eſt
inimicus; quare vt redeat in eandem amicitiam, ne-
ceſſe eſt, vt diligat eum, quem vult habere amicum; &
per actum dilectionis diſponatur ad habitum Charita-
tis, qui propter ſuam perfectionem continet virtuali-
ter, & eminenter perfectionem aliarum virtutum infe-
riorum, quas ſecum affert; & ideò ſi homo diſponatur
ad Charitatem, eo ipſo intelligitur diſponi ad alias vir-
tutes morales recuperandas. Firmat præterea idem au-
ctoritate Concilij Tridentini *ſeſſ. 14. cap. 4.* Vbi diſtin-
guens Contritionem perfectam ab imperfecta, quæ ſo-
let, Attritio appellari, docet Contritionem illā aliquando
charitate perfectam eſſe contingere; hominémque Deo
conciliare; Attritionem verò donum Dei; ex quo ma-
nifeſtè conſtare videtur, Contritionem perfectam, quā
extra Sacramentum homo iuſtificatur, eſſe illam quæ
Charitate perfecta eſt: vbi nomine Charitatis ſola intel-
ligitur actualis dilectio. 7

Verùm prædictę rationes nō mihi ſatisfaciunt. *Primò*
quia benè poteſt Contritio procedere ex motiuo Cha-
ritatis, quin præcedat, vel ſimul cum contritione eli-
ciatur amor Dei formalis, vt *infrà* dicetur: ergo non eſt
cur neceſſariò ac ſemper in omni euentu ſit neceſſaria
diſpoſitio ad gratiam ipſe amor Dei formalis; adeò vt
abſque illo nequeat exiſtere perfecta Contritio, & eſſe
vltima diſpoſitio ad gratiam. *Secundò*, cùm homo iuſti-
ficatur, ſicut recuperat virtutem charitatis; ita pariter re-
cuperat cęteras virtutes infuſas Pœnitentiæ, Religionis,
& alias, & nihilominùs licèt contra illas quis mortali-
ter peccauerit, non eſt neceſſarius aliquis illarum actus
vt diſponatur ad earum recuperationem; ergo nec erit
ſimpliciter neceſſarius actus dilectionis in omni euen-
tu, ad recuperandam virtutem Charitatis, contra quam
peccatur. *Tertiò*, virtus Charitatis licèt ſit perfectior om-
nibus aliis virtutibus infuſis, ſed non continet eminen-
ter, ac virtualiter perfectionē aliarum virtutum infuſa-
rum; alias enim potuiſſet eliceret actus ſupernaturales
omnium aliarum virtutum infuſarum; quod eſt falſum:
nam aliter non deberent iſtæ infundi ad eliciendos ſuos
proprios

proprios actus. Igitur ad recuperandam gratiam non eſt ſimpliciter neceſſarium, vt pręcedat ſemper actus amoris; cùm ſufficiat aliquando vt præcedat tantùm tanquã diſpoſitio ipſa perfecta Contritio procedens ex motiuo Charitatis. *Quartò*, forma ſanctificans & expellens formaliter peccatum, eſt ſola gratia habitualis quæ eſt in eſſentia animæ, & eſt realiter diſtincta à Charitate, vt latè oſtendi in materia *de Gratia*; quia Deus remittit nobis peccatum, diligendo nos; tunc enim Deus remittit culpam, quando pacatur nobis, pacatur autem, nos diligendo. At forma, quâ nos conſtituit Deus ſic diligibiles, ac dilectos, eſt gratia habitualis, quæ eſt primarius, ac per ſe effectus illius diuinæ dilectionis. Vnde ſi Deus infunderet habitum gratiæ peccatori, & non habitum Charitatis, illi remitteret plenè, ac integrè peccatum, eſſetque ille homo ſimpliciter ſanctificatus, & in filium Dei adoptatus, ac dignus vitâ externâ Non eſt igitur vlla ratio, ob quam ſemper ac neceſſario debeat præcedere tanquam diſpoſitio ipſe actus amoris Dei, cùm præcedit tanquam diſpoſitio vltima ipſa Contritio perfecta. Tandem quod propoſitum eſt ex Tridentino, non probat intentum concluſionis. Nam cùm dicit Concilium, Contritionem aliquando charitate perfectam eſſe contingere; his verbis non indicat, Contritionem procedere ex motiuo Charitatis. Patet, quia expreſsè dicit. Contritionem charitate perfectam eſſe, nõ ſemper, ſed aliquando id contingere: at motiuum Contritionis, cùm ſit id quod dat ſpeciem Contritioni, non aliquando, nec contingenter, ſed neceſſariò, & ſemper debet eſſe idem; hoc autem nequit eſſe niſi motiuum formale charitatis, quod eſt bonitas Dei in ſe. Quare cùm nomine charitatis debeat neceſſariò intelligi dilectio Dei actualis, ſeu actus dilectionis, neceſſariò dicendum eſt intentum Concilij ſolùm eſſe poſſe, contingere aliquando, actum dilectionis ſimul coniungi cum actu Contritionis. Et quamuis etiam cum Attritione coniungi poſſit actus quoque dilectionis, quo ipſa Attritio perficiatur, & formetur; id tamen verum eſt in homine iuſto; non verò in peccatore, provt ſe diſponente ad iuſtificationem, ac peccatorum remiſſionem; nã Attritio in illo, ſine vllo alio actu eſt proxima diſpoſitio ad illam, ſimul cum Sacramento Pœnitentiæ.

8 Ratio igitur vnica, quæ me mouet ad probandum, Contritionem habere pro obiecto & motiuo ſuo formali, motiuum charitatis, hæc eſt. Quia Contritio cùm ſit vltima diſpoſitio àd gratiam extra Sacramentum, debet eſſe peccati commiſſi optima, & omnium præſtantiſſima, ac ſuprema deteſtatio; igitur debet eſſe non ſolùm ſupernaturalis, & de motiuo vniuerſali, ac generali, cùm voluntatem debeat auertere ab omni totius peccati affectu, ſed etiam debet eſſe deteſtatio talis, quæ ſit ſimpliciter ſuper omnia, ergo debet eſſe ex ſupremo omnium motiuo: hoc autem eſt motiuum Charitatis; ergo nequit eſſe ex alio motiuo inferiori, nempe virtutis Pœnitentiæ, vel Religionis; quia non eſſet ſimpliciter ſuper omnia; cùm non eſſet ex motiuo omnium optimo, ac ſupremo. Firmo: nam deteſtatio perfecta peccati ex motiuo Charitatis, habet maiorem proportionẽ, vt diſponat ad iuſtificationẽ, quàm deteſtatio orta ex motiuo virtutis inferioris, nempe Pœnitentiæ, vel Religionis. Ad hoc enim inſtificationis negotium exigitur ex parte hominis perfecta conuerſio, quâ ſe à ſe ipſo auertat, & ſe ad Deum conuertat. Vnde ille actus habet maiorem proportionem in ratione vltimæ diſpoſitionis, quo homo magis conuertitur ad Deum; hoc autem melius fit per actum Contritionis ortum ex motiuo Charitatis, quàm per actum alterius virtutis ortum ex motiuo inferiori: debet enim Contritio eſſe ex toto corde, & ex totis viribus. Vnde ſicut homo per peccatum ſe prætulit Deo, ita per Contritionem debet Deum ſibi præferre, & quaſi ex ſe ipſo exire, vt tendat ad Deum à quo receſſit. Hoc autem fit meliùs per actum Contritionis ex motiuo charitatis, quàm per actum virtutis Pœnitentiæ, vel Religionis; quia per Religionem homo non mouetur ad deteſtationem peccatorum ex Dei bonitate in ſeipſa, ſed ex cultu, & honore Dei: ſimiliter virtute Pœnitentiæ, vel Iuſtitiæ erga Deum, non mouetur peccator ex Dei bonitate; ſed ex iure, vel dominiò Dei; ita vt ſi neceſſaria eſſet deſtructio, & annihilatiò ipſius hominis ad Dei honorem, vel cultum, vel ad ſeruandum ipſius ius, & dominium illæſum, aut læſum reſarciendum, illam potiùs vellet ac toleraret. At per actũ Contritionis ortum ex motiuo charitatis, cùm ſit perfectiſſima, ac ſuprema deteſtatio peccati, provt immediatè opponitur, non bono Dei extrinſeco, ſui cultus, & dominij, ſed ipſi Deo, eiúſque infinitæ bonitati in ſe ipſa; fortiùs, & efficaciùs mouetur ad deſtructionem peccati, & ſuipſius, ſi oporteret ad ipſiuſmet Dei in ſeipſo, & in ſua bonitate conſernationem, & exaltationem. Tandem in Scriptura Sacra Contritio poſtulatur vt mediũ ad obtinendam remiſſionem peccatorum; vt colligunt Doctores ex illis verbis Zachariæ; *cap.* 1. & Ioëlis, *cap.* 2. *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.* Vbi Deus vnum ab homine poſtulat, nempe conuerſionem, & aliud promittit infallibili promiſſione, videlicet veniã & remiſſionem. Poſtulat autem ab homine liberum motum in Deum; ille autem motus non eſt niſi perfecta Contritio: tum quia nullus alius actus eſt vera, & perfecta conuerſio in Deum, maximè in illo homine qui antea erat auerſus; tum etiam quia nulli alteri motioni in Deum promiſſa eſt per ſe remiſſio peccatorũ, niſi Contritioni, extra Sacramentum, hæc igitur debet eſſe omnium perfectiſſima: ergo debet eſſe ex motiuo charitatis perfectiſſimo, & omnium optimo, ac ſupremo. Addo Tridentinum *ſeſſione* 14. *cap.* 4. agens de Contritione dicit, eam primum locum inter pœnitentis actus habere, quibus verbis ſatis ſignificare videtur, Contritionem eſſe præſtantiſſimam, & ſupremam peccati commiſſi deteſtationem, & dolorem; & per conſequens ipſam procedere ex motiuo omnium præſtantiſſimo.

Dico *ſecundò*, Contritionem perfectam eſſe per ſe actum elicitum à virtute Theologica Charitatis. Ita communiter núc omnes Theologi Ratio eſt, quia pro- 9
cedit ex motiuo formali virtutis Charitatis, vt oſtenſum eſt *præcedenti Dicto*. Tum etiam, quia omnis habitus voluntatis habet duo genera actuum, nempe proſecutionis circa ſuum obiectum bonum, in quod inclinat; & fugæ ſeu deteſtationis circa malum oppoſitum, deteſtando illud: quia eiuſdem virtutis eſt, bonum proſequi, & contrarium malum fugere, ac deteſtari, vt vidimus *ſuprà, diſputatione tertia, ſectione prima.* Hoc idem habet virtus Theologica Charitatis, circa Deum, quod eſt illius obiectum formale, elicit ſimplicem amorem, ſeu complacentiam de illa infinita bonitate, eam efficaciter amat, deſiderat, intendit, ac de eius poſſeſſione gaudet. Similiter habet de peccato provt illi infinito bono oppoſito, varios actus fugæ, deteſtationis, odij, & doloris. Quare ipſa Contritio, quæ eſt deteſtatio peccati, provt ipſi Deo oppoſiti, erit per ſe actus elicitus à virtute Charitatis. Dixi *per ſe*, nam per accidens Contritio, quæ eſt vltima diſpoſitio peccatoris ad iuſtificationem extra Sacramentum, quia elicitur ab homine peccatore, nequit effectiuè produci ab habitu Charitatis, qui ſequitur gratiam; & ideò fit ab illo adiuto ſpeciali auxilio diuinæ gratiæ, ſupplente habitum Charitatis.

Ad argumentum ſuprà *numero quarto* propoſitum, dicendum eſt, deteſtationem peccati commiſſi, quæ elicitur à virtute Pœnitentiæ eſſe quidem in ſuo gene-

re

re honeſtiſſimam, ſupernaturalem, & perfectam, ſed non omnium perfectiſſimam, qualis debet eſſe Contritio, cui ſoli à Deo extra Sacramentum promittitur venia, ac remiſſio peccati: neque illam deteſtationem, quæ oritur ex virtute, ſeu motiuo Pœnitentiæ præciſè continere virtualiter amorem Dei, cùm non ſit execratio peccati ex ſupremo motiuo Charitatis, ſed ex alio motiuo inferiori nempe quia ius diuinum læſit; vnde non eſt propriè Contritio, ſed ſpecialis quædam Attritio. Communis autem modus concipiendi fidelium nobis potiùs multùm fauet. Nam regulariter omnes fideles qui ita dolent de peccatis ſuis, vt nullâ etiam ſtante pœnâ, vel præmio, damno, vel emolumento, eodem modo dolerent, concipiunt peccatum vt immediatè oppoſitum diuinę bonitati, & illud vt ſic deteſtantur. Vnde id præſtant per veram, & perfectam Contritionem ex motiuo proprio Charitatis procedentem.

SECTIO II.

An Contritio ſit formalis, & expreſſus amor Dei ſuper omnia.

1 OPinio eſt Vaſquez in *hac 3. p. q. 85. art. 2. dubio vnico, num. 42.* affirmantis Contritionem eſſe formalem ipſius amorem Dei. Quem ſequuntur nonnulli Recentiores Theologi, dicentes Contritionis actũ qui ex motiuo fit Charitatis, eſſe amorem Dei formalem, & explicitum. Probant *primò*, quia actus ille, quo volo ſalutem Petro, quia video ei eſſe bonam, & ad hoc moueor propter ipſum Petrum, actus inquam iſte, eſt formalis, & expreſſus amor Petri. Similiter quando quis Petro inimico vult infamiam, iſte actus eſt amor reſpectu obiecti materialis, & voliti *vt quod*, & tamen eſt formale odium Petri, ergo quando quis Petro amico non vult infamiam, licèt ille actus ſit odij, reſpectu obiecti materialis, quod attingit *vt quod*, eſt tamen formalis, & expreſſus amor Petri, qui eſt obiectũ formale, & *vt quo*. Igitur eodẽ modo actus ille quo Dei offenſam deteſtor ex motiuo ipſius Dei, erit formalis, & expreſſus amor Dei, & non tantùm implicitus ſeu virtualis.

Secundò, actus deteſtationis qui oritur ex amicitia, ſemper eſt eſſentialiter amor proſecutionis erga illum, cui nolumus malum: ergo deteſtatio peccati ex motiuo Charitatis, ſeu quia malum Dei eſt, eſt etiam ſimul formalis amor Dei; quia eſt idem, ac velle Deo carentiam peccati: ergo Contritio quæ procedit ex motiuo diuinæ bonitatis non eſt mera fuga, ſed ita eſt fuga, & odium peccati, vt ſimul ſit proſecutio, & amor erga Deum, & eius bonitatem infinitam, ob quam mouemur ad odium & deteſtationem peccati. Antecedens patet, quia quando amico nolo malum, motiuum non eſt malum illud, ſed bonitas amici, quæ reddit eum mihi charum; nam æque malus eſt morbus vel infamia in alio, cui tamen non ita nolo illa mala; ergo bonitas ipſa amici eſt motiuum illius actus; bonitas autem non terminat fugam, ſed amorem rei bonæ, ergo ille actus non ſolùm eſt fuga mali, ſed etiam amor amici boni, & eius bonitatis.

Tertiò, deteſtatio mali, & amor boni oppoſiti inter ſe comparantur, ſicut acceſſus ad terminum *Ad quem*, & receſſus à termino *A quo*, oppoſito ad terminum *Ad quem*; ergo ſicut in naturali motu vnus eſt indiuiſibilis motus quo receditur à termino *A quo*, & quo acceditur ad terminum *Ad quem*, im mediatè, & directè oppoſitum; & ideò fieri non poteſt, vt mobile recedat ab vno termino, quin accedat ad alterum, & è contra; ita idem actus deteſtationis qui eſt Contritio, erit ſimul & formaliter actus amoris Dei.

Dico *primò*, deteſtationem peccati propter Deum, ſeu Contritionem ortam ex motiuo virtutis Charitatis, non eſſe ipſum formalem Dei amorem ſuper omnia. Ita Suarez *diſputatione quarta ſectione ſecunda*, præſertim *numero 15.* eſtque commune Theologorum dictum. 2
Probatur manifeſtè, quia actus Contritionis non tendit directè in Deum, vt in obiectum materiale *Quod*; nam Deus tunc tantum eſt obiectum *Quo*, id eſt ſolùm reſpicit illum vt rationem proximam deteſtandi peccatum: ergo non eſt formalis amor Dei: ſicut cùm diligo proximum ex charitate, propter bonitatem Dei increatam, non diligo formaliter, & expreſſè Deum, vt obiectum *Quod* materiale, ſed ſolùm proximum. Firmo, nam Contritio formaliter & expreſsè, non eſt actus proſecutionis, ſed fugæ; amor autem formaliter acceptus, eſt quædam proſecutio ſui obiecti, & quaſi coniunctio ad illud. Igitur vt actus dicatur formalis amor Dei, nõ ſatis eſt quòd ſit ex motiuo charitatis; quia motiuum charitatis comprehendit varia obiecta materialia, nempe, Deum, vt obiectum primarium; proximum vt ſecundarium; comprehendit quoque peccatum, quod Dei bono, eiuſque amicitiæ eſt contrarium, circa quod ſolùm directè verſatur Contritio vt obiectum *Quod*, odij, & deteſtationis. Vnde virtus charitatis Theologica varios complectitur actus reipſâ diſtinctos.

Hinc dico *ſecundò*, formalem amorem Dei non eſſe de eſſentia, ſeu ratione formali Contritionis. Patet; 3
quia vt conſtat ex Metaphyſica, & eſt per ſe notum, id ſine quo res poteſt aliquando exiſtere, non eſt de eſſentia eius; ſed poteſt, & eſt in re ipſa Contritio formalis ſine formali amore Dei, quem nullo modo formaliter includit, & à quo re ipſa diſtinguitur: ergo formalis amor Dei non eſt de eſſentia Contritionis.

Dico *tertiò*, non repugnare eundem numero actum 4
tendere ſimul in Deum ſuper omnia diligendum, & in peccatum vt illi contrarium, ſuper omnia deteſtandum. Moueor ex ratione formali obiectiua, quæ reſpectu vtriuſq; obiecti materialis, & *vt Quod*. eſt eadem, nempe bonitas diuina in ſe vna, & ſimpliciſſima. Nam voluntas poteſt vnico motu in totam illam materiam ferri, vt proportionaliter ſubeſt eidem dictæ rationi formali.

Firmatur à ſimili: nam eodem numero actu poteſt Charitas diligere Deum, & Proximum propter eandem diuinam bonitatem intrinſecam ipſi Deo. Vnde Beatus eodem actu numero diligit Deum, & Proximũ propter bonitatem diuinam, tametſi ea ſit intrinſeca ipſi Deo, & Proximo ſit extrinſecè applicata. Simile quid eſt in virtute Religionis; nam eodem numero adorationis actu, poteſt quis ferri in Virginem, & in eius imaginem.

Denique vno numero, fidei diuinæ actu, poteſt quis credere varia obiecta materialia credibilia, quia motiuum credendi eſt omninò idem, & eadem ratione omnibus credibilibus applicatur, ſcilicet propter externum teſtimonium Dei reuelantis. Igitur cùm reſpectu Dei, & peccati prout ipſi oppoſiti, applicetur idem formale motiuum diuinæ bonitatis, poterit eadem qualitas, ſeu idem numero actus tendere in vtrumque obiectum. Vnde idem numero actus poteſt eſſe ſimul dilectio Dei, & perfecta Contritio, ſeu deteſtatio peccati.

Ad argumenta pro ſententia Vaſquez. Ad primum,

Digitized by Google

negandum eſt illud Antecedens: non enim ex eo quòd illi actus ſint ſub eodem motiuo, ſeu ſub eadem ratione formali, neceſſariò infertur, debere eſſe eundem numero actum, qui ſimul ſit dilectio Dei, & Contritio peccati, prout eſt contra Deum: nam ad horum diſtinctionem realem, & numericam multiplicationem, ſatis eſt diuerſitas materiæ, ſeu multiplicitas, & diſtinctio realis obiecti materialis, vt liquet.

Quare ad ſummum, probat illud argumentum non repugnare eundem actum numero poſſe eſſe ſimul dilectionem Dei, & Contritionem, vt dixi *Dicto tertio*; non tamen id eſſe neceſſarium, ſed tantùm poſſibile: & tunc in illo actu qui ſimul eſſet dilectio, & Contritio, eſſent quaſi duæ rationes partiales, altera tendens in Deum affectu proſecutionis, & alia per modum fugæ, odio habens, ac deteſtans peccatum prout oppoſitum ipſi Deo.

Ad ſecundũ ſimiliter Dico, actum illum deteſtationis eſſe quidem indirectè amorem Dei, ſed non expreſsè, formaliter, ac directè: non enim identitas motiui formalis tollit diſtinctionem realem, ac numericam actuum.

6 Ad tertium, conceſſo Antecedente, negatur Conſequentia ob vulgarem, & manifeſtam differentiam inter naturalem motum, & inter animalem, ſeu vitalem: nam in priori, vnus eſt indiuiſibilis motus, quo receditur à termino *A quo*, & quo acceditur ad terminum *Ad quem*, immediatè, & directè oppoſitum, & ideò fieri non poteſt, vt mobile recedat ab vno termino, quin accedat ad alterum, & è contrario. At in motibus appetitus, ſeu voluntatis, oppoſitum contingit, quia ſecundùm affectum liberum, per vnum motum accedit ad bonum, & per alium diſtinctum recedit directè à malo, prout ipſi libuerit. Vnde fit, vt poſſit habere & realiter vnum ſine alio realiter.

SECTIO III.

An Contritio ſupponat neceſſariò actum amoris Dei, & hunc virtualiter contineat.

1 PEtrus Lorca *diſp. 32. de gratia*, duo dicit. *Primum* non poſſe Contritionem peccati antecedere amorem Dei. *Secundum*, dilectionem Dei non poſſe virtualiter contineri in ipſa Contritione. Primum probat, quia amor Dei comparatur ad Contritionem, ſeu deteſtationem peccati, ſicut intentio finis ad electionem medij; ſed impoſſibile eſt habere electionem medij ante intentionem finis; ergo etiam eſt impoſſibile habere Contritionem vel deteſtationem peccati propter Deum, ante dilectionem Dei: quia, ſicut electio oritur ex intentione, ita contritio ex amore: nam ab illo accipit rationem formalem motiui, propter quod conteritur de peccato.

Secundum probat, quia charitas eſt prima virtus, & aliis excellentior; ergo in nulla alia virtualiter contineri poteſt; ergo nullus alius actus etiam Contritionis poteſt virtualiter charitatem continere. Firmatur, nam amor Dei eſt actus perfectior contritione; nequit autem actus minùs perfectus virtute continere perfectiorem.

2 Dico *primò*, non repugnare, quin homo prius actum Contritionis eliciat, quam actum amoris Dei. Moueor ad id aſſerendum, quia ex parte intellectus, & obiectorum non repugnat conſiderare vnum, & non aliud; ergo neque ex parte voluntatis tendere in vnum formaliter, & non in aliud. Antecedens probatur, quia proxima obiecta materialia talium actuum ſunt diſtincta, & diſtinctis actibus cõſiderantur, & ponderantur: nam obiectum amoris Dei eſt Deus, vt ſummum bonum propter ſe amabile; quod obiectum poteſt intellectus attentè conſiderare abſque vlla actuali recordatione peccati, vt eſt manifeſtum: obiectum autem materiale immediatum & quod contritionis eſt, peccatum diuinæ bonitati oppoſitum, vnde in Contritione ſolùm includitur Deus, vt *Quo*, vel ad ſummum vt obiectum *Cui*; ergo poteſt optime menti obiici, & conſiderari, non conſiderando Deum, vt obiectum *Quod* proprij amoris. Sicut poteſt quis cogitare de cultu Dei; atque adeò de Deo, prout illi cultus ſupremus latriæ offerendus eſt, & exhibendus, non cogitando illum vt ſuper omnia amabilem; ergo ex parte intellectus, vel obiectorum, manifeſte videtur non repugnare, conſiderare vnum, & non aliud. Imò attentâ hominis imperfectione, naturale eſt, vt ſi attentè, & magno conatu ad vnum applicetur, ab alio prorſus diſtrahatur. Et quamuis contingere poſſit homini, qui non eſt multum rebus diuinis inſtructus, vt in principio nequeat prius exactè ponderare malitiam offenſionis Dei, quam ſit deteſtabilis, niſi præcedat cogitatio ſummæ bonitatis Dei; nihilominus tamen prius quàm voluntas in actum amoris, vel Contritionis prodeat, poteſt intellectus deſiſtere à cogitatione directa, vt ſic dicam, ipſius Dei, & circa offenſionis conſiderationem immorari, ac attentiùs iſtam ponderare; quod ſatis erit, vt voluntas poſſit incipere ab illius deteſtatione, & contritione. Et certè in illo, qui ex habitu, ſeu frequenti vſu fidei operatur, facilè contingere poteſt, vt ſtatim ac cogitationi offertur peccatum, eiuſque malitia vt offenſiua diuinæ bonitatis menti proponatur, nullâ interim habitâ noua, ſeu directâ Dei conſideratione; atque adeò facile poteſt peccatum practicè offerri vt grauiſſimum malum omni deteſtatione dignum, etiamſi tunc actu non proponatur Deus practicè, *vt quod*, & ſuper omnia diligendum. Igitur ex parte intellectus, non repugnat actum Contritionis prius elici, quàm actum dilectionis Dei; & abſque iſto, quandiu intellectus voluntatem ampliùs non excitet: atque adeò neque ex parte voluntatis repugnat idem præſtare. Præterea ex parte ipſorum actuum minimè repugnat incipere à Contritione, facta inductione ex aliis actibus voluntatis. Nam inter diſpoſitiones ad iuſtificationem, ſpectantes ad voluntatem, Tridentinum *ſeſſione ſexta capite ſexto*, poſuit primo loco timorem diuinæ iuſtitiæ, qui eſt, quædam fuga mali gehennæ, quo timore concutitur peccator, prius quàm in ipſo præcedat formalis amor ſuæ beatitudinis, quam ſibi concupiſcat. Idem eſt in aliis ſimilibus humanis motibus: nam propoſitâ infamiâ, ſtatim homo auerſatur illi per odium, vel timorem, tametſi amor famæ tunc actu non præcedat. Igitur in præſenti, poteſt ſimiliter voluntas ſæpe prodire in actum fugæ, vel Contritionis peccati, prius quàm eliciat actum tendentiæ in Deum, ſeu amorem Dei. Et ratio huius non repugnantiæ videtur manifeſta, quia in ipſo peccato eſt ſufficiens malitia, ob quam odio habeatur, & per affectum fugiatur; & ideò propoſito tali obiecto, poteſt ſequi debita deteſtatio, & eius Contritio, etiamſi proprius amor Dei ſuper omnia minimè præcedat.

3 Dico *ſecundò*, virtutem Charitatis includere virtualiter, ſeu eminentialiter Contritionem, ſicut & amorem Dei

formalem. Hoc negari non poteſt; quia eſt commune principium, eiuſdem virtutis eſſe, malum fugere, & contrarium bonum proſequi; & omnem virtutem, quæ odio habet, ac deteſtatur aliquod malum, potiori iure diligere contrarium bonum:quia malum cum ſit priuatio boni, non odio habetur, niſi ratione boni; vnde omnis virtus quæ odit aliquod malum, ideò eſt, quia inclinat ad aliquod bonum. Igitur multò magis virtus Charitatis, quæ habet pro materia peccatum vt fugiendum, & deteſtandum, provt opponitur diuinæ bonitati,habet quoque pro materia bonum Dei ſuper omnia diligendum, per diuerſos actus virtualiter contentos in ipſo habitu, ſeu virtute Charitatis. Quæ continentia eſt vere eminentialis, quia habet virtutem producendi illos effectiue;qualis in omni principio efficiente æquiuoco poſtulatur.

4 Dico *tertiò*, actum Contritionis virtualiter includere actum dilectionis Dei,non virtute eminentiali,ſed implicita,ac morali connexione. Probatur, quia nullum eſt inconueniens; imò eſt neceſſariò concedendum, in virtute Charitatis, vnum actum contineri virtute in alio actu eiuſdem Charitatis, modo dicto, atque adeò & ipſam dilectionem Dei contineri virtute in ipſa formali Contritione; & è contrario in ipſa quoque dilectione contineri virtute formalem Contritionem. Ratio eſt, quia hæc continentia non eſt intelligenda quaſi eminentialis, quæ ſit principium effectiuum alterius actus; non enim Contritio eſt cauſa efficiens dilectionis Dei, neque è contra, quia vterque actus habet pro ſufficienti principio & cauſa efficiente ipſum habitum, ſeu virtutem charitatis ſimul cum voluntate: eſt igitur prædicta continentia virtualis, ratione connexionis cum eodem obiecto formali,ſeu motiuo eiuſdem virtutis Charitatis;ex quo procedit, vt vnus morali modo alterum conſequatur; & ideò iſti duo actus ſunt inter ſe moraliter connexi.

5 Ad argumentum Loreæ propoſitum in fauorem primi puncti,Dico,falſum eſſe,dilectionem Dei, & deteſtationem peccati,ſeu Contritionem, comparari vt intentionem finis,& electionem medij: nam obiectū electionis, vt electio eſt,non habet bonitatem,niſi per habitudinem ad finem intentum; obiectum autem Contritionis per ſe malum & odio dignum eſt,etiamſi amor Dei non præſupponatur. Vnde falſum eſt,quod aſſumitur, nempe deteſtationem mali accipere ab amore rationem motiui: nam ipſa malitia peccati, vt contraria diuino bono,vt ſic per ſe ſpectata, eſt ſufficiens ac ſuperabundans deteſtationis motiuum. Quod manifeſtè conſtat in Attritione ex motiuo inferioris rationis mali, nempe pœnæ æternæ; illa enim ex vi talis obiecti immediatè haberi poteſt,etiamſi formalis amor boni contrarij nempe beatitudinis æternæ, non præcedat in voluntate, ſed ſolùm ex parte obiecti eius malitia per intellectum proponatur.

6 Ad aliud argumentum, quod adducitur in fauorem ſecundi Puncti, verum eſt,virtutem Charitatis,quæ ſuprema eſt omnium virtutum,minimè contineri in alia virtute inferiori; ex eo tamen quòd actus Contritionis virtute contineat Dei dilectionem, non ſequitur,charitatem contineri virtualiter in alia virtute inferiori:nam Contritio non eſt actus elicitus ab alia virtute inferiori,ſed à ſola Charitate;tum etiam,quia licet vnus actus charitatis contineatur virtute in alio actu eiuſdē Charitatis; non ſequitur, virtutem Charitatis contineri in aliquo eiuſdem actu; ipſa enim eſt præſtantior omnibus ſuis actibus, immediatè producta,& infuſa à Deo, tanquam cauſa præcipua ac principalis omnium ſuorum actuum. Ad Confirmationem iam dictum eſt ſuprà *numero quarto*, illam continentiam non eſſe intelligendam quaſi eminentialem, qualem ſolent habere cauſæ efficientes æquiuocæ, ſed dici continentiam virtualem adinuicem, quia prædicti actus connectuntur ſub eodem obiecto formali, & inter ſe quoque moraliter connectuntur.

SECTIO IV.

Qualis intenſio requiratur ad rationem formalem Contritionis.

SVppono *primò*, dupliciter amorem alicuius boni, aut deteſtationem, ſeu dolorem peccati poſſe dici maiorem. *Primò* appretiatiuè,quando videlicet aliquid diligitur,itavt plus aliis æſtimetur,itavt ſi oporteret,potiùs alia quis relinqueret,quàm illud quod magis diligit. Sic appretiatiuè magis Deum diligimus, quando illum ita amamus, vt malimus quodvis aliud bonum amittere, quàm illum offendere; & peccatum ita deteſtamur, vt malimus quodvis malum pati,quam peccare.*Secundò*, intenſiuè, quando maiori conatu voluntas fertur in amorem, vel deteſtationem, itavt entitas amoris, vel Contritionis habeat plures gradus intenſionis. 1

Suppono *ſecundò*, hos duos modos eſſe valdè diuerſos; quia facile intelligi poteſt maior appretiatio cum minori intenſione, & è contra:nam fieri poteſt, vt voluntas per actum naturâ ſuâ digniorem quamuis aliàs minùs intenſum,firmius coniungatur obiecto,quàm per actum minus dignū intenſiorem. Sicut enim id conſtat manifeſtè in actibus intellectus;nam intellectus magis adhæret obiecto per iudicium ſcientiæ,etiam remiſſum, quàm per iudicium opinionis etiam intenſiſſimum; quia ad eam firmitatem datur certitudo,& claritas,quæ eſt eſſentia,& ratio formalis ipſius intellectionis:ita in voluntate idem ſuo modo reperitur; ſic enim ſæpiſſimè fit,vt rem aliquam longè intenſiùs amemus,quàm aliā, & hanc tamen appretiatiuè plus diligamus. Sic enim matres communiter filium maximum natu ſolent amare maximè,appretiatiuè;minimum verò natu,maximè, intenſiuè. Et in hac materia de Pœnitentia, ſeu dolore, videmus aliquos vehementiſſimè dolere perditionem filiorum, aut vxoris;& lachrymas, aut ſingultus ciere, qui propter commiſſa à ſe peccata nec vnam lachrymam poſſunt emittere nec ſenſibilem dolorem ſentire; qui tamen animo ita ſunt comparati, vt mallent omnia amittere,quàm Deum optimum offendere. Et ratio huius rei hæc eſt,quia quòd actus ſit intenſus, vel remiſſus, ſæpiſſimè plurimum pendet ex parte ſenſitiuæ animæ,quæ plurimum valet,vt voluntatem in aliquem affectum vehementem impellat,vel ab eo retardet. Vnde maior, vel minor intenſio actus voluntatis ſæpiſſimè oritur,ex eo quòd pars inferior erga eius obiectum vel benè, vel male afficiatur, & imaginatio illud vt valdè commodum, aut incommodum apprehendat. *Contrà verò*, quòd aliquid ametur plus appretiatiuè, quàm aliud,oritur purè ex iudicio rationis, quo vnum iudicatur maius bonum, quàm aliud; & ex libertate voluntatis,quâ illud vt tale proſequitur: ac ſæpiſſimè contingit, vt id quod iudicamus abſolutè eſſe maius bonum, minus afficiat partem inferiorem, aut etiam ei contrarietur; atque ita minùs intensè ametur alio bono minore. 2

Suppono *tertiò*, perfectionem, ſiue magnitudinem amoris intenſiuam, eſſe accidentalem, ac minùs principalem in actu ipſo; appretiatiuam verò eſſe magis 3

principalem, & quaſi ſubſtantialem: vt benè notauit noſter Coninck, *diſputat. 2. dub. 7. numer. 66.* Ratio eſt, quia idem actus reſpectu eiuſdem obiecti, eodem modo propoſiti ſolùm ratione diuerſi conatus potentiæ poteſt intendi, & remitti; quod eſt ſignum manifeſtum, hanc perfectionem non eſſe ſubſtantialem, ſed quoddam accidens quod poteſt adeſſe, & abeſſe eidem ſubiecto. At nullo modo fieri poteſt, vt eodem actu aliquid ametur modò appretiatiuè perfectius, modò imperfectiùs. Quia hæc maior, vel minor perfectio oritur ex diuerſa apprehenſione obiecti; quia nimirùm modò aliquid apprehenditur in obiecto, quod anteà non apprehendebatur; quod nequit fieri ſine mutatione totius entitatis: nam quando appretiatiuè aliquid magis amatur quàm antè, aliter in illud tenditur, quàm antè, ſecundum totam entitatem actus: neque enim eſt vlla ratio, cur dicamus illum actum potiùs mutari ſecundùm vnam partem, quam ſecundùm aliam. Et ratio moralis à priori eſt, quia perfectio appretiatiua eſt magis ſecundùm rationem apprehenſam, & per eam voluntas perfectius, & conſtantius inhæret obiecto, & quod appretiatiuè magis amo, neceſſariò alteri præfero: at maior vel minor intenſio per ſe non dicit vllam comparationem interbona amata; nec enim quod intenſius amo, neceſſariò alteri præfero.

4 Suppono *vltimò*, quod eſt certum, & commune apud Doctores, Contritionem peccati commiſſi eſſe appretiatiuè ſummam, ita vt illius deteſtatio ſit maior appretiatiuè, quàm vllius alterius mali. Quia certum eſt, me debere ita peccatum deteſtari, vt mallem quoduis aliud malum ſubire, quam peccare; quia eſt ſummum malum: ſicut teneor ita Deum diligere, vt mallem quoduis aliud bonum amittere, quàm ipſum offendere, quia eſt ſummum bonum; & ideò maximè diligibile, ad quod Charitas maximè inclinat. In quo ſenſu Chriſtus Dominus *Matth.* 10. dixit. *Qui amat patrem & matrem plus quàm me, non eſt me dignus.* Quaſi dicat, qui propter amorem patris, & matris, non dubitat me Deum grauiter offendere, non eſt me dignus. Debet ergo Contritio eſſe deteſtatio peccati ſuper omnia mala quoad pretium, ſeu æſtimationem. Videantur dicta ſuprà *diſputatione tertia, ſectione ſexta.* Conſiſtit autem deteſtatio peccati ſuper omnia mala appretiatiuè, in eo quod ſit deteſtatio peccati, quia Deo diſplicet peccatum, vt oppoſitum ſuæ infinitæ bonitati; ſicut dilectio Dei eſt ſuper omnia bona appretiatiuè.

His præmiſſis reſtat difficultas examinanda de intenſione, qualis debeat eſſe in Contritione.

Prima ſententia eſt Adriani *in 4. quæſt. 2. de pœnitentia*, dicentis, omnem illam intenſionem eſſe de
5 conceptu Contritionis, quam humana voluntas, auxilio diuinæ gratiæ ſuffulta, elicere poteſt, omni adhibito conatu poſſibili. Probari poteſt *primò*, quia ſimilis dolor exigitur in Scriptura Sacra Deuteronomij *cap. 4. verſicul. 29. Cum quæſieris Dominum Deum tuum, inuenies eum: ſi tamen toto corde quæſieris, & tota tribulatione animæ tuæ.* Michææ cap. 4. verſicul. 10. *Dole, & ſatage filia Sion quaſi parturiens*; & ſic in aliis locis.

Secundò, Contritio eſt vltima diſpoſitio ad formam omnium perfectiſſimam, nempe ad habitum gratię: ergo debet eſſe ſummè intenſa.

Tertiò peccator debet dolere, & conteri ſuper omnia; ergo ſummo dolore.

Quartò, Contritio deſtruit peccatum mortale, quod eſt ſumma Dei offenſa, ergo debet eſſe in intenſione graduali ſumma.

Quintò, & vltimò, peccator debet facere, quantum poteſt: ergo debet habere ſummam Contritionem, quā poſſit. Antecedens probatur, quia debitor, qui non poteſt ſoluere totum debitum, tenetur ſoluere quantum poteſt, ſed humana voluntas nequit ſoluere Deo totum debitum, quod per peccatum mortale contraxit; ergo ſaltem tenetur elicere Contritionem tam intenſam, quam poteſt diuinâ gratiâ præuenta.

Secunda ſententia, quæ eſt Petri Soto *lectione* 15. 6
16. & 17. *de pœnitentia*, tametſi concedat non eſſe de ratione Contritionis, vt ſit omnium maximè intenſa; affirmat tamen debere eſſe intenſiorem quacumque deteſtatione cuiuslibet alterius mali pœnæ. Quod probari poteſt; quia Sancti Patres talem à nobis exigunt Contritionem, quæ æquet vel exceda; crimina noſtra. Sic D. Cyprianus in *ſermone de lapſis. Quam magna deliquimus, tam grauiter defleamus: Pœnitentia crimine minor non ſit.* Simili modo loquuntur alij Patres: ergo debet eſſe Contritio intenſiſſima.

Tertia ſententia, quam indicare videtur Scotus 7
in 4. d. 14. q. 1. a. 2. tametſi neutrum ex prædictis requirat ad naturam Contritionis, vult tamen eſſe de conceptu illius certam, ac determinatam intenſionem cuiuſdam gradus ſoli Deo noti. Quod probari poteſt à paritate, quia ad valorem Contritionis requiritur determinata duratio pro aliquo tempore, quę mora nobis eſt ignota, & Deo nota; ergo idem aſſerendum de intenſione.

Verior eſt communior Antiquorum, & Recentiorum 8
Theologorum doctrina, aſſeuerans, nullam intenſionem ex dictis eſſe de ratione Contritionis, ſed quemlibet gradum ſufficere ad illius conſtitutionem: Iuxta quam;

Dico *primò*, certum videri ad Contritionem nullo modo requiri ſummam intenſionem. Probatur id *primò* ex Scriptura Sacra, quæ abſolutè promittit remiſſionem peccatorum cordi contrito, iuxta illud Pſalm. 50. *Cor contritum, & humiliatum Deus non deſpicies.* Et Zachariæ c. 1. v. 3. *Conuertimini ad me, & conuertar ad vos*: hæc autem conuerſio eſt Contritio, ſeu vera Pœnitentia. At deteſtationis actus ex motiuo Charitatis, qualis eſt Contritio, in quacumque intenſione reddit cor contritum, quia intenſio non mutat rei eſſentiā, ſed eſt accidens, vt dixi ſuprà *num.* 3. calor enim in quacumque intenſione, eſt verè calor; & Charitas quantumuis remiſſa, eſt vera Charitas: ergo quilibet gradus Contritionis eſt vera Contritio, reddens cor contritum. *Secundò*, vel eiuſmodi ſumma intenſio quæ exigitur in Contritione, eſt ſumma poſſibilis; & hoc nequit eſſe; quia non eſt deſignabilis; nulla enim eſt intenſio, quā non poſſit eſſe maior: vel exigitur ſumma intenſio hic & nunc poſſibilis ex vi auxilij gratiæ, quo ipſe peccator præuenitur: & hoc etiam eſſe abſurdum *ſequenti Dicto* oſtendam; ergo. *Vltimò*, in quauis intenſione poteſt exiſtere vera & propria Contritiò, quę ſit deteſtatio peccati ex motiuo diuinæ bonitatis, ſed poſitâ illâ remittitur peccatum; ergo. Maior certa eſt, quia prædicta Contritio, licèt ſit minus intenſa, eſt deteſtatio ſuper omnia appretiatiuè, vt dictum eſt: ergo, quando etiam exigitur deteſtatio, & dolor ſuper omnia, non exigitur dolor ſummè intenſus, ſed ſummus appretiatiuè. Imò ſi non eſſet appretiatiuè ſummus, quantumcumque eſſet ſummè intenſus, non ſufficeret: non igitur attenditur ex neceſſitate ad intenſionem Contritionis, ſed ad perfectionem ſubſtantialem deteſtationis appretiatiuè maioris.

Dico *ſecundò*, nec requiri ad Contritionem, ſummam illam intenſionem poſſibilem iuxta menſurā gratiæ excitantis, quā peccator ſolet præueniri. Probatur, 9
quia nemo tenetur elicere Contritionem ęque intenſā, ac eſt gratia actualis præueniens illum: nam cùm prædicta gratia ſit inæqualis in diuerſis ſubiectis, fieret inde,

Digitized by Google

Inde, Contritionem, quæ reſpectu vnius ſufficeret ad iuſtificationem, non ſufficere reſpectu alterius; quia ſæpè contingit vnum præueniri minori auxilio gratiæ excitantis, quàm alium; vnde ſi ille primus eliceret Contritionem remiſſam vt duo, iuxta quantitatem auxilij, verè iuſtificaretur: hic verò ſecundus, tametſi Contritionem eliceret intenſam vt octo, non iuſtificaretur, quia poterat elicere vt nouem. Quod eſt manifeſtum abſurdum: quia certiſſimum eſt, non exigi à Deo tanquam diſpoſitionem intenſiorem Contritionem in vno quàm in alio ſubiecto: neque homo tenetur omninò reſpondere toti quantitati gratiæ prouenientis; id enim eſſet valde obſcurum, & quamplurimis ſcrupulis obnoxium.

10 Dico *tertiò*, nec debere Contritionem eſſe intenſiorem quacumque deteſtatione, ac dolore cuiuſlibet mali pœnæ. Probatur; quia nobis ſolùm exigitur dolor de peccatis, ſuperans appretiatiuè maiorum pœnæ dolores, non intenſiuè. Maximè; quia cùm hæc intenſio ſoleat prouenire ex obiecto magis propinquo, & naturæ noſtræ ſenſitiuæ magis commodo, vt dixi ſupra *numero ſecundo*, ac ſæpè mala pœnæ ſint eiuſmodi: poſſunt, & ſolent etiam homines etiam pij intenſiorem de his, quàm de peccatis dolorem concipere, cum alioqui certum ſit eos perfectè dolere de peccatis. Quis enim inficiabitur, plurimos iuſtificari dolore remiſſiore illo, quem habuit ſanctus Iob de calamitatibus ſuis? Et de Iacob dicitur in Scriptura ſacra, acerbiſſimè doluiſſe de filij Ioſeph morte exiſtimata, & de Beniamin ducto pro alimoniis. Nec tantùs dolor intenſiuus legitur fuiſſe in Dauide, cùm dixit, *Peccaui Domino*; & tamen ſtatim iuſtificatus eſt, eàdem Scripturâ teſtante, ac dicente; *Et tranſtulit Deus peccatum illius*. Huc ſpectat quod ſcribit ſanctus Hieronymus de ſancta Paula, teſte Becano *cap. 35. quæſt. 2. num. 6.* nimirùm intenſiùs doluiſſe de morte filiorum, quàm de ſuis peccatis, & tamen non malè fecit. Firmatur idem, quia nemo tenetur diligere Deum amore ſuperante in intenſione entitatiua, & graduali, creaturarum amores, ſed ſolùm in appretiatiua; ergo neque tenebitur elicere deteſtationem, ex motiuo Charitatis ſuorum peccatorum, ſuperantem in intenſione graduali reliquorum malorum deteſtationes, ſed ſolùm appretiatiuè, & quoad æſtimationem.

11 Dico *quartò*, multò minùs verum eſſe; Contritionem debere eſſe determinati cuiuſdam gradus intenſionis, ſoli Deo noti. Patet, quia id nullum habet fundamentum in Scriptura ſacra, neque in Patribus, & Concilijs. Et in quoddam deſperationis genus induceret peccatores, qui penitùs ignorarent illum Contritionis gradum, ad quem eſſent obligati, & quid præſtituri eſſent ad veram Contritionem. Vnde Cardinalis Bellarminus refert de quibuſdam hæreticis, qui ſibi viſi ſunt de Catholicis triumphare, eo quòd ad Contritionem requirere exiſtimauerint certum, & incognitum intenſionis gradum.

12 Quare dico *vltimò*, ad Contritionem ſufficere deteſtationem peccatorum ex motiuo Charitatis, cuiuſcumque gradus ſit intenſionis. Hoc ſequitur ex præcedentibus Dictis. Et patet, quia Scriptura ſacra, Concilia, & Patres promittunt cordi contrito remiſſionem peccatorum, nullâ taxatâ intenſione; & quælibet intenſio prædictæ deteſtationis, ſufficiens eſt ad peccatorum remiſſionem conſequendam. Vnde rectè dixit D. Chryſoſtomus *epiſtola quinta*, Deum quantulâcumque, & quamlibet breui tempore geſtam pœnitentiam non reſpuere, nec pati etiam exiguæ pœnitentiæ remitti mercedem.

13 Ad argumenta primæ ſententiæ Ad primum, verum eſſe in illis locis, exigi à nobis ſummum dolorem, & perfectiſſimam noſtrorum peccatorum deteſtationem, non intenſiuam, ſed appretiatiuam.

Ad ſecundum, tametſi Contritio ſit vltima diſpoſitio ad gratiam; ſicut ipſa gratia habitualis, cuiuſcumque ſit intenſionis, ſanctificat impium: ita quilibet actus deteſtans peccata, ex motiuo Charitatis, tametſi remiſſiſſimus, rectè diſponet ad talem gratiam.

Ad tertium, iàm conſtat peccatorem debere dolere de peccatis ſuper omnia, non intenſiuè, ſed appretiatiuè; & per conſequens ſummo dolore non intenſiuo, ſed appretiatiuo.

Ad quartum, verum eſt Contritionem deſtruere quodlibet mortale peccatum, ſaltem diſpoſitiuè, non tamen quodcumque peccatum mortale, & fortè nullum, eſſe ſummam Dei offenſionem gradualem. Dicitur autem, & meritò ſumma Dei offenſio, quia voluntas per illud anteponit creaturam Deo, quem cunctis creaturis anteponere tenebatur.

Ad vltimum Dico, ſolùm à nobis exigi, vt exhibeamus Deo pro offenſis ſummum dolorem appretiatiuum, quem facilè poſſumus exhibere, diuinæ gratiæ auxilio adiuti. Vnde ſi illud argumentum aliquid valeret, probaret quoque debere peccatorem ſatisfacere Deo omnibus modis quibus poſſet, nempe precibus, ieiuniis, flagellationibus, eleemoſynis, vt ſic faceret, quantum ex ſe poſſet; quod tamen licèt vtile ſit, non eſt abſolutè neceſſarium. Deus enim requirit à peccatore ex neceſſitate ſummam ſatisfactionem, ſolùm in ſpecie; non in indiuiduo, quia illud primum poteſt homo facilè præſtare; ſecundum verò nõn niſi difficillimè, ac vix moraliter non eſt poſſibile.

Ad argumentum ſecundæ ſententiæ, Dico, Patres 14
qui ſummum exigunt dolorem, debere in eo ſenſu intelligi, vt velint, valdè expedire, vt peccator cum feruore conuertatur, ſumma intenſione, ac conatu dolere, vt ſic pleniùs ſatisfaciat non ſolùm pro culpa, ſed etiam pro pœna: non tamen aſſeuerant illud eſſe ſimpliciter & abſolutè neceſſarium: ſed ſolum ſummum dolorem ſuper omnia appretiatiuum. Dictum verò illud D. Cypriani, ſic eſt intelligendum, vt ſolùm contendat æquum eſſe, ac rationi conſonum, vt aliquam proportionem ſeruemus inter Pœnitentiam, & peccatum commiſſum, ita vt qui plùs deliquit, longiori tempore defleat, vt ita pro pœna temporali debita peccatis iam remiſſis, ſatisfiat Deo: non verò velit dicere, eſſe neceſſarium ad remiſſionem adæquari omninò culpam, & pœnitentiam; alioqui qui in peccatis conſumpſiſſet decem, vel viginti annos, non iuſtificaretur niſi poſt decem, vel viginti annos, quod eſt maximum abſurdum.

Ad tertiæ ſententiæ rationem, negatur Antecedens, cuius falſitas conſtabit *ſequenti ſectione*.

SECTIO V.

An requiratur ad Contritionem determinata duratio pro aliquo tempore.

SVb hoc titulo quatuor includuntur. *Primum*, an 1
actus Contritionis ſecũdùm ſe, ſpectatâ eius naturâ, exigat neceſſariò vt fiat duratione tẽporis determinatâ, an potiùs fieri queat in inſtāti. *Secundò*, an inter diſpoſitionem vltimam Contritionis, & gratiæ infuſionem aliqua temporis mora debeat intercedere. *Tertium*, an de-

terminata temporis duratio requiratur, vt ipſa Contritio fiat vltima diſpoſitio ad gratiæ infuſionem. *Vltimum*, an ſaltem id neceſſariò exigatur in peccatore, vt ſe diſponat ad ſuorum remiſſionem peccatorum.

2 Circa primum, conſtat ex principiis phyſicis, Contritionem de ſe poſtulare fieri in inſtanti. Quia Contritio eſt qualitas, & actus immanens habens totum ſuū eſſe ſimul; ergo de ſe poſtulat fieri in inſtanti. Hoc enim argumento probatur, gratiam habitualem infundi in inſtanti, quia eius eſſe, ac exiſtentia eſt permanens, ac tota ſimul neceſſariò. Solùm dubitari poſſet, an Contritio ſicut & ipſa gratia poſſit aliquando fieri in tempore. Breuiter Dico, Contritionem, ſicut & gratiam neceſſariò fieri debere in intrinſeco inſtanti, ſeu duratione intrinſeca inſtantanea, quia vtriuſque exiſtentia eſt permanens, ac neceſſariò fit tota ſimul. At per coëxiſtentiam ad tempus extrinſecum, poſſe fieri per vltimū non eſſe; quia ſecundum eandem indiuiſibilem exiſtentiam, ac intrinſecam durationem, poteſt eſſe tam in tẽpore toto, quàm in qualibet parte, vel inſtanti illius: res enim permanens poteſt incipere coëxiſtendo tempori, etiamſi non coëxiſtat inſtanti proximo præcedenti.

3 Circa ſecundum, Scotus *in 4. d. 14. q. 2* & Caiet. *to. 1. opuſculorum tract. 4. q. 1.* affirmant præcedere tempore Contritionem ad ipſam gratiæ infuſionem. *Primo*, quia Contritio eſt diſpoſitio ad gratiam, & diſpoſitio debet antecedere formam.

Secundo, quia ſi eſſet infallibile Deum acceptare Contritionem ſtatim ac fit, ad gratiæ infuſionem, poſſet homo eſſe certus de ſua gratia, quia poſſet ſcire ſe habuiſſe dolorem de peccatis ſuper omnia, & ex motiuo charitatis; ergo poſſet ſcire ſe habuiſſe Contritionẽ quæ infallibiliter affert iuſtificationem. Vt igitur id certò non ſciatur, neceſſarium videtur, vt requiratur determinata duratio Contritionis pro aliquo tempore, quæ mora ſit nobis ignota, & ſoli Deo nota.

4 Veriſſima tamen eſt communis Theologorum ſententia cum D. Thoma 1. 2. q. 113. a 7. *in corpore*, & ad primum, in eodem inſtanti reali, in quo eſt Contritio, vltima diſpoſitio infundi gratiam ſanctificantem. Ratio eſt, tum quia de ratione vltimæ diſpoſitionis eſt, vt illā ſtatim forma comitetur, tam in phyſicis, quàm in moralibus. Tū etiam quia infuſio gratiæ habitualis de ſe poſtulat fieri in inſtanti, vt dixi: ergo conſummatâ diſpoſitione vltimâ, nihil eſt quod expectetur ad infuſionem ipſius. Tum denique, quia facienti quod eſt in ſe per diuinum ac ſupernaturale auxilium, Deus non denegat gratiam ſuam ſanctificantem; quia iam non ſtat per eum, qui ſe vltimò diſponit ad iuſtificationem, nec per Deum ſtare queat de facto, ſecundùm eius diuinam ordinationem Firmatur, nam verius eſt, & communius apud Theologos, Angelos, & primos parentes fuiſſe ſanctificatos cum propria diſpoſitione, nempe cum libero actu amoris Dei ſupernaturalis, quem in eodem inſtanti habuerunt, quo ſe ad receptionem gratiæ ſanctificantis ſe diſpoſuerunt. Tum quia ille modus iuſtificationis magis eſt conſentaneus naturæ intellectuali, & liberæ, & eſt maioris perfectionis, & magis proportionatus ipſi gratiæ habituali. Nam conſequi gratiam habitualem cum aliqua cooperatione propria perfectius eſt, quàm omninò ab extrinſeco illam recipere: quia ex ſuo genere, ac cæteris paribus, ſemper eſt perfectius habere aliquid à ſe, quàm ab alio tantùm, & eſſe aliquo modo ſibi cauſam ſuæ perfectionis, quàm non eſſe. At qui ſe præparat, & diſponit ad gratiam per proprium actum ſupernaturalem, aliquo modo eſt cauſa ſuæ gratię per prius auxilium gratiæ actualis: nam qui diſponit ſubiectum ad formam, aliquo modo eſt cauſa formæ. Tum etiam, quia qui ſe diſponit ad gratiam, impetrat illam à Deo; imò illam meretur ſaltem de congruo, & ita ad illam aliquo modo cooperatur, & trahit Deum vt illam infūdat: ergo hoc maioris eſt perfectionis. Tum denique, quia per gratiam habitualem contrahitur peculiare vinculum amicitiæ inter creaturam, & Deum; & quaſi celebratur ſpirituale matrimonium inter ipſos; at de ratione amicitiæ, & matrimonij eſt, vt per conſenſum voluntatis vinculum illud contrahatur: igitur valdè conſentaneum eſt Angelo, & primis Parentibus, ac ipſi gratiæ, & effectui eius, vt ex parte dictorum ordine naturæ præceſſerit motus voluntatis, nempe dilectio ſupernaturalis Dei, quo ad gratiam ſe diſponerent. Præterea verius eſt, in eodem etiam inſtanti ſuæ conditionis, Angelos præſertim recepiſſe gratiam ſanctificantem: quia Angeli in inſtanti conditionis ſuæ omnes fuerunt innocentes, & ſine peccato; ergo omnes etiam in gratia creati ſunt. Videtur enim quaſi ordinariâ lege à Deo ſtatutum, vt nulla creatura intellectualis, vel rationalis, poſſit de facto eſſe in ſtatu neutro, id eſt, ſine gratia, vel ſine peccato: quod in hominibus nunc ſeruatur adultis; & in ſtatu etiam innocentiæ ſeruaretur.

Ad primum argumentum oppoſitum, Dico, cùm cō- 5
ſtet Contritionem eſſe diſpoſitionem perfectam, & vltimam; ideò debere conſtare nō antecedere tẽpore gratiæ infuſionem, quia, vt conſtat ex phyſicis, diſpoſitio perfecta, & vltima non antecedit formam tempore, ſed naturâ.

Ad ſecundum, negatur Sequela; quia non poteſt homo certus eſſe omninò, an actus, quem elicit, ſit ſupernaturalis, & talis, qualis ad veram Contritionem requiritur. Præterea, tametſi aliquando poſſimus probabiliter conijcere nos eſſe in gratia; tamen non poſſumus id omninò certò ſcire. Quia vt habetur Ierem. c. 17. *Prauum eſt cor omnium, & inſcrutabile: quis cognoſcet illud? Ego Dominus ſcrutans cor, & probans renes.* Eſt igitur inſcrutabile etiam ipſi homini. Vnde ſæpe nos ipſos fallimus, putantes nos ſincerè amare Deum amore amicitiæ; cum tamen ſolùm amemus eum, amore concupiſcentiæ propter bonum, & commodum noſtrum.

Circa tertium, Dicendum eſt cum communi Theo- 6
logorum ſententia, quamlibet temporis durationem, etſi ſolius vnius inſtantis, ſufficere ad Contritionem, prout eſt diſpoſitio ad iuſtificationem peccatoris. Hoc primū conſtat ex variis Scripturæ Sacræ teſtimoniis promittentibus impio iuſtificationem in quocumque temporis momento ad Deum per Contritionẽ ſe conuerterit. *Iſaia 30. v. 19.* ita habetur. *Ad vocē clamoris tui ſtatim vt audierit, reſpondebit tibi.* Ezechielis 18. v. 27. *Cum auerterit ſe impius ab impietate ſua, ipſe animam ſuam viuificabit.* At peccator poteſt in momento auerti, ergo & conteri: neque enim eſt melior auerſio, quàm contritio. Et c. 33. v. 12. *Impietas impij non nocebit ei in quacumque die conuerſus fuerit.* Sumitur ibi definitum tempus pro indefinito; vnde idem eſt ac pro quocumque tempore, vel momento. Quod liquet à contrario: nam ibi dicitur. *In quacumque die iuſtus fecerit impietatem, iuſtitia eius non recordabuntur amplius.* Quod perinde eſt, ac ſi diceretur, eodem momento. Vnde eodem modo loquitur Scriptura Sacra de peccato gratiam deſtruente ac de Contritione ad eandem gratiam diſponente; ſicut ergo peccator non indiget aliquo temporis interuallo ad gratiam expellendam; ita nec Contritio ſimile quid requirit ad illam introducendam. Idem etiam claret ex aliis Scripturæ teſtimoniis, quibus dicitur, Deum promittere gratiā ſuam, ſi homo cōuertatur ad ipſum ex toto corde; Zachariæ 1. v. 3. *Conuertimini, & conuertar. &c.* Iſaiæ 30 *ſi conuerſus fueris, ſalua*

ſaluaberis. Igitur impleta conditione, ſtatim ſine mora impletur promiſſio Dei; eſt enim fideliſſimus in implendo quod promiſit. *Secundò*, hoc idem apertè ſignificat Concilium Tridentinum *ſeſſ. 6. cap. 7.* cùm dixit de Contritione: *hanc diſpoſitionem iuſtificatio ipſa conſequitur.* Quia nimirùm reſpectu illius eſt vltima diſpoſitio; & de ratione vltimæ diſpoſitionis eſt, vt illam ſtatim forma comitetur. *Tertiò*, idem firmatur dictis Summorum Pontificum. Nam Iulius primus, vt habetur in Canone *ſi Presbiter 26. quæſt. 6. Dominus*, ait, *non ſolum temporis, ſed momenti inſpector eſt; ſicut latro vnius momenti pœnitentia meruit eſſe in paradiſo.* Sanctus Celeſtinus primus *in epiſtola ad Epiſcopos Galliæ*, vt refertur in Canone *Agnouimus, eadem quæſtione ſexta. Deſperat*, inquit, *de miſericordia Dei, qui ei ad ſubueniendum morienti ſufficere, vel in momento, non credit, poſſe.* S. Leo *in epiſtola 91.* vt habetur in Canone *Is qui, cauſa eadem 26. & q. 6. Apud Deum*, inquit, *nullas patitur veniæ moras vera conuerſio.* Vltimò, ratione oſtenditur, quia continuatio actus nihil addit naturæ, & intrinſecæ perfectioni Contritionis; ergo Contritio peccati propter Deum in primo momento, quo elicitur à peccatore, eſt ſimpliciter & abſolutè deteſtatio, & conuerſio; at Scriptura ſacra deteſtationi huic, & conuerſioni promittit iuſtificationem: ergo in primo inſtanti quo habetur, eam obtinet à Deo. Firmatur, nam homo tenetur habere veram Contritionem, & conuerſionem, cui ſine vlla mora adiuncta ſit gratia, vt eſt certum; ſed non tenetur aliquo tempore durare in actu conuerſionis, vel Contritionis quem elicit; id enim nec dictat ius naturale, nec diuinum; nam ſolùm petitur à nobis Contritio, vel conuerſio, non verò tanta quoad durationem: ergo non perficitur Contritio duratione temporis, ſed ſolâ efficientiâ talis actus. Quibus addo ex contraria ſententia, ſequi magnum abſurdum: nam ſi deberet Contritio certo aliquo tempore durare, ſequeretur poſſe fieri, vt aliquis peccator habens veram contritionem, ſi moreretur illo medio tempore, quòd damnaretur; quod eſt manifeſtus error contra Scripturam ſacram, & Concilia.

7 Circa vltimum, error fuit illius Theologi Louanienſis Michaëlis Baij, qui aſſeruit, peccatori contrito ſtatim infundi gratiam, ſed non ſtatim remitti peccata; & ita inter illa duo moram temporis intercedere, donec Sacramentum recipiatur. Fundamentum illius erat neceſſitas Baptiſmi, vel Pœnitentiæ ad remiſſionem peccatorum. Eſt manifeſtus error; quia vt tractatur in materia *de Gratia*, remiſſio peccati mortalis eſt effectus formalis ipſius gratiæ ſecundùm legem ordinariam: ergo inter infuſionem habitualis gratiæ, & remiſſionem peccati, nullus eſſe poteſt ordo durationis, ſed ſimul in eodem inſtanti vtrumque confertur. Quod etiam ſatis apertè docuit Tridentinum *ſeſſ. 6. cap. 7.* ſic dicens, *Hanc diſpoſitionem iuſtificatio ipſa conſequitur, quæ non eſt ſola peccatorum remiſſio, ſed & ſanctificatio, & renouatio interioris hominis per voluntariam ſuſceptionem gratiæ, & donorum. Vnde homo ex iniuſto fit iuſtus, & ex inimico amicus.* Quibus verbis apertè declarat in iuſtificatione illa duo indiuiſibiliter, ac inſeparabiliter ſimul conferri. Quia in eodem inſtanti fit homo ex iniuſto iuſtus, ex inimico amicus: nec poteſt ſimul gratus, & in peccato eſſe. Ad illud autem de neceſſitate Sacramenti, idem Concilium ſatis explicuit *ſeſſ. 14. cap. 4.* ſufficere votum Sacramenti, vbi opportunitas illius non adeſt. Et efficaciter poteſt contra dictum Doctorem Louanienſem retorqueri argumentum: quia non eſt minùs neceſſarium ſacramentum Pœnitentiæ ad gratiam primam habitualem, quàm ad remiſſionem peccatorum: ergo ſicut ſufficit Sacramentum in voto ad infuſionem gratiæ, vt ipſe concedit, ita etiam & ad remiſſionem peccatorum.

SECTIO VI.

An ad valorem Contritionis requiratur recogitatio explicita ſingulorum peccatorum in particulari.

NOn procedit quæſtio de memoria peccatorum requiſita ad legitimam eorum Confeſſionem; de quo *infra ſuo loco*; ſed de memoria requiſita ad Contritionem perfectam; qualis etiam in lege antiqua requirebatur ad remittenda peccata, quando Confeſſio ſacramentalis inſtituta nondum erat. Neque etiam eſt quæſtio, an ad iuſtificationem requirantur tot peccatorum contritiones, ſeu deteſtationes, quot ſunt peccata. Quia neque ex Scriptura ſacra, neque ex Conciliis, neque ex Patribus colligi poteſt neceſſitas vlla tot actuum, quot ſunt peccata. Quia vnicus actus eſt ſufficiens retractatio quorumcumque peccatorum, ob motiuum generale; quòd ſi illud fuerit motiuum Charitatis, quale eſt perfectæ Contritionis, eſt perfectiſſima auerſio à peccatis. Supereſt igitur difficultas, an quamuis ſufficiat vna Contritio omnium peccatorum, ſit ſimul neceſſarium, vt feratur in omnia peccata ſeorſim & in particulari recogitata, ita vt exigatur illorum examen, ſi adſit temporis opportunitas: vt dici ſolet de examine in ordine ad Confeſſionem ſacramentalem. 1

Affirmant Durandus, Sotus, Valentia, & Alij, quos refert, & ſequitur noſter Granado *diſp. 7. ſect. 1.* Primò, quia hæc eſt doctrina D. Thom. *3. part. quæſt. 87. art. 1. in corpore*, ſic dicentis: *Exigitur ad remiſſionem peccati mortalis perfectior pœnitentia, vt ſcilicet homo actualiter peccatum mortale commiſſum deteſtetur, quantum in ipſo eſt: vt ſcilicet diligentiam adhibeat ad rememorandum ſingula peccata mortalia, vt ſingula deteſtetur.* Idémque conſtat ex multis Patribus ad veram pœnitentiam requirentibus, vt doleamus de ſingulis peccatis, ea in memoriam reuocando. Quod etiam deducunt ex illo Iſaiæ cap 38 *Recogitabo tibi omnes annos meos*, &c. & ex illo Pſal. 76. *Cogitaui dies antiquos.* 2

Secundò, præceptum Contritionis impleri non poteſt ſine prædicta deteſtatione omnium peccatorum mortalium, quæ exigat diligenté eorum recordationem; ergo Contritio perfecta eſt deteſtatio omnium illorum ita formalis, & expreſſa, vt exigat ipſorum recordationem in ſpeciali: nam Contritio perfecta eſt, quâ impletur præceptum hoc; vnde ſaltem quando illud obligat, neceſſaria eſt ad Contritionem prædicta cogitatio. Antecedens probatur, quia finis intrinſecus præcepto Contritionis, eſt auerſio voluntatis à peccatis commiſſis, & propoſitum præcauendi in futurum, quale neceſſarium eſt, vt homo non peccet de cætero; fugiátque occaſiones peccandi, & ea ratione, quâ poteſt, ſatisfaciat Deo quem offendit. At ad hæc omnia per ſe loquendo, neceſſarius eſt dolor exigens memoriam omnium mortalium; cúmque inter illa ſoleant eſſe aliqua, vel plura, quæ vitare moraliter non poteſt, niſi talem, vel talem fugiat occaſionem, niſi hoc, vel illud medium adhibeat debet cogitare in ſpeciali peccata, & occaſiones, aut media.

Tertiò, nos debemus Contritionem metiri grauitati peccatorum; ſed peccata ratione ſuorum obiectorum,

Digitized by Google

& circumſtantiarum aggrauantur magis, & minus: ergo quantum eſt ex natura rei, debet eſſe ſingulorum recogitátio, & illorum ſingularium perfecta Contritio.

3 Oppoſitam ſententiam negantem, quam defendunt Suarez *diſp.4.ſect.3.* Vaſquez *qu.86 art.2.dub.7* Coninck *diſp.2.dub.8.* Cardinalis Lugo *diſp 5.ſecti.7.nu.90.* Gaſpar Hurtado *diſputat.2.difficultate 4.* & communiter nunc omnes Doctores, ſentio eſſe veriſſimam. Ratio efficax hæc eſt, quia ea obligatio inprimis non fundatur in aliquo præcepto naturali, vt per ſe conſtat; neque etiam in aliquo poſitiuo, quod certè aſſignari nõ poteſt. Imò ex Scriptura ſacra oppoſitum deduci videtur. Neque enim veriſimile eſt, Magdalenam, Matthæum, & alios ſimiles recogitaſſe ita in ſpeciali ſpecies, & numerum peccatorum, priùs quam iuſtificarentur. Neque verò id eſt abſolutè neceſſarium ad excitandam deteſtationem, & dolorem de peccatis ex motiuo Charitatis, vt per ſe liquet. Igitur per ſe loquendo ſatis erit ea in communi recogitare ad excitandam Contritionem. Firmatur hæc doctrina, nam Contritio quæ fertur in peccata in communi, & in confuſo apprehenſa, eſt perfecta deteſtatio ex motiuo Charitatis, & expreſsè auertens perfectiſſimè à peccatis; ergo eſt ſufficiens vt ſit proxima, & immediata diſpoſitio ad formam remiſſiuam peccatorum. Dixi *per ſe loquendo*, quia per accidens poteſt contingere, vt ſit neceſſaria recogitatio peccatorum in ſpeciali, nimirum ad remedia apponenda, vel ad aliquã reſtitutionem. Addo etiam, prædictam cogitationem ſingulorum peccatorum, & Contritionem, tametſi non ſit abſolutè neceſſaria eſſe nihilominùs vtiliſſimam. Tum, vt pro pœna temporali ſatisfaciamus, quia ſingularis peccatorum, ac omnium circumſtantiarum exacta perpenſio multum animum incitat, vt homo ea in ſe grauiter in hac vita caſtiget, quæ aliàs Deus aut in hac vita, aut in alia eſſet grauiſſimè puniturus. Tum vt animum obfirmet in deteſtatione, conſtanter ea peccata in poſterum euitando: longè enim magis confirmat, ac roborat animum propoſitum expreſſum, & particulare, quàm ipſum generale, & confuſum.

Ad argumenta oppoſita. Ad primum Dico, D. Thomam eo in loco loqui de pœnitentia, prout ordinatur ad Confeſſionem: hoc enim modo neceſſariò requirit pœnitentem de peccatis mortalibus debere ſingula in memoriam reuocare, quantum fieri poteſt. Alij verò SS. Patres etiam loquuntur de cogitatione peccatorum in ordine ad Confeſſionem faciendam: indicant quoque recogitationem peccatorum in particulari, vtilem eſſe ad comparandam humilitatem, & ad profectum maiorem ſpiritus. Ille autem locus Iſaiæ non præſcribit, quid ad Pœnitentiam, vel Contritionem ſit abſolutè neceſſarium; ſed ſolùm ibi narratur, quid fecerit Ezechias; quidque pœnitentẽ facere deceat, ac ſit magis vtile, ac expediens. Dauid quoque in illo alio loco docet peccata ſua in particulari cogitaſſe, & de eis in particulari doluiſſe; quod licèt valdè opportunum, perfectiſſimum ſit, & vtiliſſimum, non tamen eſt abſolutè, ac ſimpliciter neceſſarium. Nam etiam Dauid pro ſuo ingenti ſpiritus feruore *Pſalm.50.* dicit, *peccatum meum contra me eſt ſemper*, id eſt perpetuò de eo cum dolore cogito. Et *Pſal.101* ait ſe *cinerem tanquam panem* manducaſſe, & *potum* ſuum *cum fletu* miſcuiſſe. Et *pſalmo 6.* ſe *per ſingulas noctes lectum* ſuum lauiſſe, *& lachrymis* ſuis *ſtratum ſuum* rigaſſe. Quæ tamen conſtat non eſſe abſolutè neceſſaria ad remiſſionem peccatorum obtinendam.

4

5 Ad ſecundum, negatur Antecedens: nam licèt finis intrinſecus præcepti Contritionis, ſit auerſio voluntatis à peccatis commiſſis, præcauendo ea de cætero; id tamen per ſe loquendo obtinetur optimè per Contritionem perfectam omnium peccatorum in confuſo, & in genere ex motiuo ſupremo Charitatis: per accidens autem, vt dixi, non negatur in aliquo caſu poſſe neceſſariò requiri recogitationem peccatorum in ſpeciali ad remedium apponendum.

Ad tertium, conceſſo Antecedente, negatur Conſequentia, quia vna ſimplex Contritio in peccatore cogitante de ſuis peccatis in confuſo, ſufficienter illum ab omnibus peccatis ad Deum conuertit, quia eius voluntatem totaliter ab illis peccatis ad Deum conuertit. Et certè ſi illa conſequentia valeret, ſequeretur nos debere tot elicere Contritiones, quot peccata commiſimus; & eas magis vel minus intenſas, prout peccata dileximus, vt numerum tot, & æqualibus actibus conuerteremur ad Deum, quot ab eo fuimus auerſi.

Ex dictis colligere licet, debere nos neceſſariò ſaltem implicitè vnum peccatum magis deteſtari quam aliud; non verò explicitè ſeu expreſsè debere nos actualiter peccata ipſa, comparando vnum peccatũ præ altero, deteſtari. Primum conſtat, quia id in ipſa Contritione intrinſecè includitur: nam eo ipſo, quo omnia noſtra peccata deteſtamur, quia diſplicent Deo; implicitè magis deteſtamur id quod magis diſplicet Deo; nam per contritionem ita affecti ſumus, vt ſi per impoſſibile, neceſſarium eſſet alterutrum peccatum committere, potiùs id committeremus, quod minus Deo diſplicet, quam quod magis. Secundum patet quia aliàs ad contritionem neceſſarium eſſet, ſingula peccata in memoriam reuocare, & ſigillatim de ſingulis conteri, contra *ſuprà* dicta in hac ſectione. 6

SECTIO VII.

Vtrùm ad rationem Contritionis requiratur, vt ei adiungatur propoſitum vitandi peccata, & voluntas ſatisfaciendi.

Circa primum, ratio dubitandi eſt, Quia videtur communiter illud requiri, cùm expreſsè doceat Concilium Tridentinum *ſeſſ.14.c.4* Contritionem eſſe animi dolorem, ac deteſtationem de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi de cætero. Et ratio fauere videtur, quia cùm Contritio procedat ex motiuo bonitatis diuinæ, oportet vt deteſtetur omnia peccata, & delicta, quæ opponuntur diuinæ bonitati, tam præterita quàm futura, & ſic vita peccatoris penitus emendetur: ergo neceſſariò exigitur propoſitum emendandi vitam, & de peccato cauendi in futurum. Ex alio verò capite videtur non eſſe neceſſarium tale propoſitum. Nam contingere poteſt, & ſæpiſſimè contingit, vt homo cogitet de ſuis peccatis antea commiſſis, & Deo optimo per illa offenſo; & hac cogitatione abſorptus non cogitet de vita in futurum agenda, multóque minùs de ea diſponenda, & ordinanda, tunc iſte homo poteſt ſua peccata ex motiuo diuinæ bonitatis deteſtari, ac dolere de illis, non autem poteſt expreſſum habere propoſitum de illis cauendis in futurum; ergo non eſt ſemper neceſſarium eiuſmodi propoſitum. 1

Omiſſis varijs dicendi modis, qui videri poſſunt apud Suar. *diſp.4.ſect.3.* Dico *primò* negari non poſſe in ipſa Contritione includi ſaltem virtute, dictum propoſitum non peccandi in futurum. Patet, quia Contritio eſt vniuerſalis, ac ſuprema ratio peccata omnia deteſtandi, quæ complectitur omne peccatum ſaltem 2

morta

mortale; ergo includit odium, & auerſionē omnis peccati, quod committi poteſt in ipſa vita futura; hoc autem eſt virtuale propoſitum ampliùs non peccandi. Sicut etiam in efficaci amore Dei includitur tale propoſitum; quia amor Dei perfectus & efficax vix intelligi, & eſſe poteſt ſine propoſito ſeruandi diuina mandata, ſeu quod idē eſt, placendi Deo in omnibus, vel implendi eius voluntatem; hic enim amor non eſt tantum ſimplex complacentia de bonis Dei in ſe, ſed eſt amor obedientialis, qui voluntatem Dei maxime præcipientem præfert rebus omnibus; includit ergo talis amor propoſitum ſaltem implicitè implendi huiuſmodi voluntatem ſemper: ergo & propoſitum non peccandi de cætero.

3 Dico *ſecundò* non ſemper neceſſariò requiri formale, & actuale propoſitum vitandi in poſterum omnia peccata, quod ſit re diſtinctum ab actu Contritionis. Hoc etiam videtur certum. *Primò*, quia fieri poteſt, cum quis elicit actum Contritionis, vt nihil cogitet de vitandis peccatis in poſterum; quo caſu non poterit habere circa illa actuale propoſitum. *Secundò*, poteſt fieri, vt quis iam certò moriturus vere & propriè conteratur; in quo caſu nullo modo neceſſarium eſt tale propoſitum, quia hoc tantùm eſt neceſſarium, quatenus requiritur vt voluntas confirmetur ad conſtanter peccata in poſterum vitanda; nihil verò horum eſt opus, cùm mors ipſa facultatem peccandi ſit iam ablatura. Firmat dictum ipſe vſus; nam ſi hominem damnatum ad mortem exhortemur ad pœnitentiam, non multùm curamus de futuris actibus, ſed de dolore, ac Contritione præteritorum delictorum; quia licet aliquantulum vitæ ſuperſit, tamen moraliter quaſi nihil reputatur; quod enim parùm diſtat, nihil diſtare videtur; & perſeuerando eo tempore in ipſa deteſtatione, ac dolore vitæ præteritæ, ſatis proponitur obſeruantia omnium mandatorum pro eo breui tempore.

4 Dico *tertiò*, extra prædictos caſus, cum menti occurrit diſponere de futura vita, neceſſarium eſſe, per ſe loquendo propoſitum vitandi peccata expreſſum. Ita Suarez *diſp.* 4. *ſect.* 3. *numer.* 3. Lugo *diſp.* 5. *ſect.* 6. *numer.* 97. Vaſquez *quæſt.* 86. *art.* 2. *dubio* 4. *numer.* 7. Coninck *diſp.* 2. *dubio* 6. *numer.* 59. & communiter omnes. Id firmatur *primò*, propter ſacræ Scripturæ verba, in quibus ad veram pœnitentiam noua vitæ emendatio poſtulatur, Ezechielis 18. & 33. Pſalm. 50. Apocalypſ. *cap.* 2. *Noua opera fac*: & propter verba Tridentini dicta *ſuprà numero primo*: & Florentini in decreto Eugenij, vbi dicitur, ad Contritionem pertinere dolorem de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero. *Secundò*, idem ratione oſtenditur, quia vnus ex præcipuis finibus Pœnitentiæ, & Contritionis eſt correctio, & emendatio vitæ præteritæ, ad quem conſequendum deſeruit prædictum propoſitum. Hic etiam actus propoſiti ex natura rei eſt valdè proportionatus ad impetrandam veniam iniuriæ factæ. Quid enim ad id magis eſt conſentaneum, quàm vt is qui intulit iniuriam, proponat omninò a ſimilibus iniuriis abſtinere? Meritò ergo exigit Deus à peccatore huiuſmodi propoſitum. Plura de hoc propoſito, in ordine ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ dicam *infra diſputatione decimanona, ſectione octaua, & nona*. Dixi, *per ſe loquendo*, nam per accidens, vt conſtat etiam ex præcedenti Dicto, ſufficit virtuale propoſitum, quod includitur in deteſtatione peccati commiſſi propter motiuum vniuerſale bonitatis diuinæ; nam qui dolet de peccatis commiſſis propter Deum, virtute, ac implicitè vult ea iterùm non committere eo pacto quo amor Dei virtute ac implicitè includitur in ipſa Contritione.

Ex his patet ſolutio ad rationem dubitandi. Nam prima illius pars firmat tertium dictum. Secunda verò, ſecundum. De huiuſmodi autem propoſito cauendi peccata in futurum, plura dicam infra *diſputatione decima nona, ſect. octaua, & nona*, vbi iterùm erit ſermo de illo in ordine ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ. Solum nunc dico, ſicut contritus neceſſariò habet propoſitum ſaltem virtuale, & implicitum implendi in poſterum omnia præcepta, & ſic vitandi omnia peccata mortalia; ita habere neceſſariò propoſitum virtuale & implicitum confitendi.

5 Circa ſecundum de propoſito, & voluntate ſatisfaciendi, Dico cū citatis Doctoribus non includi in actu Contritionis; imo nec requiri illud neceſſariò. Ratio eſt, quia pœnitens non tenetur inprimis habere propoſitum ſatisfaciendi pro culpa, & pœna æterna: quia non tenetur ad id quod illi impoſſibile eſt; illud autem de condigno facere nullo modo poteſt, vt late oſtendi in tractatu *de Incarnatione, diſputatione quinta, ſectione ſexta*, ob infinitudinem perſonæ offenſæ, & infimam, ac vilem conditionem perſonæ ſatisfacientis, maximè exiſtentis in peccato mortali. De congruo autem, quantum potuit, & quantum Deus exigit, iam ſatisfecit per actum Contritionis, ſe vltimò diſponendo ad iuſtificationem. Nec verò tenetur habere propoſitum ſatisfaciendi pro pœna temporali adhuc reſtante. Tum quia, fieri poteſt vt Contritio ſit tanta, vt nulla pœna ſuperſit. Tum etiam, quia fieri poteſt, vt homo ſit iam iam moriturus, nec poſſit ſatisfacere. Tum denique, quia niſi alicui in Confeſſione ſit adiuncta aliqua pœnitentia, probabilius eſt, eum non teneri alias pœnas voluntarias ſubire ad ſatisfaciendum pro peccatis, ſed poſſe velle ſatis pati in Purgatorio. Quare in propoſito ſeruandi mandata non continetur tale propoſitum ſatisfaciendi, quia non eſt de re præcepta. Addo verò, nolle ſatisfacere in hac vita, ſignum eſſe minoris dilectionis, ac valde remiſſæ Contritionis: quia eiuſmodi actus quando ſunt intenſi, excitant efficaciter ad prædictam ſatisfactionem: eſt etiam perfectius, ac Deo gratius, vt per nos voluntariò pro his pœnis ſatisfaciamus; quia debitum illud pœnæ, tametſi non excludat nos omninò à regno cæleſti; eius tamen conſecutionem, ac Dei fruitionem retardat; item ſatisfactio in hac vita eſt longè facilior, & cum magno merito peragitur; in altera verò vita ſine merito, & cum maximo cruciatu ſatis patimur. Quare rectè dicitur adhuc amorem noſtrum proprium ordinatum impellere nos ad dictam ſatisfactionem ex animo ſubeundam. Vnde hac de cauſa Concilia, & Patres ad perfectam Pœnitentiam ſæpiſſimè requirunt externa noſtra opera pœnalia, quibus pro pœnis debitis ſatisfaciamus.

SECTIO VIII.

Quænam ſit Contritionis perfectæ vera & propria definitio.

1 Conſtat, Contritionis nomine intelligere Nos dolorem & deteſtationem de peccatis, non vtcumque, ſed illam quæ propter ſuam perfectionem, diſponit vltimò ad gratiam iuſtificationis etiam extra Sacramentum. Nam licèt nomen Contritionis aliquando latiùs vſurpetur, prout extenditur quoque ad Contritionem imperfectam, ſeu Attritionem; in quo ſenſu dici ſolet, in Sacramento Pœnitentiæ debere reperiri internam Contritionem, & Confeſſionem externam; formaliter tamen loquendo apud Theologos, Contritio ſupponit pro illo primo perfecto dolore, ac pro præſtantiſſima ac ſuprema peccatorum deteſtatione, cuius

Digitized by Google

naturam in hac diſputatione explicuimus, ſecundis verò non iam Contritio, ſed Attritio appellatur.

2 De hac igitur Contritione variæ referuntur à Doctoribus definitiones, quas omitto. Solùm referam Contritionis definitionem traditam à noſtro Granado *tractat.* 1. *diſputat.* 7. *ſect.* 1. quam ipſe putat eſſe faciliorem, ac dilucidiorem. Contritio eſt Actus voluntatis, liber, honeſtus, & ſupernaturalis, deteſtans efficaciter peccata omnia, ſaltem lethalia, commiſſa, quatenùs ſunt contra Deum, ſuper omnia ſupernaturaliter dilectum, cum firmo, & ſupernaturali propoſito non peccandi, ſaltem lethaliter, & ſpe etiam ſupernaturali veniæ.

Cuius definitionis partes ipſe declarat, tametſi ſint iam ſatis notæ.

Verùm hac definitione, quæ potiùs deſcriptio eſt, non ipſa Contritio ſecundùm ſe, ſed provt eſt aggregatum ex pluribus actibus comprehenditur. Cùm igitur conſtet Contritionis eſſentiam in vno actu conſiſtere, ſic breuius definienda videtur. Deteſtatio ſupernaturalis de peccato commiſſo, vt oppoſito diuinæ bonitati. Prior pars definitionis declarat rationem genericam, communem Contritioni, & Attritioni: nam vtraque eſt deteſtatio ſupernaturalis de peccatis commiſſis. Poſterior pars declarat propriam differentiã Cõtritionis, per quam diſtinguitur ab omni alia peccatorum deteſtatione; nam ſola Contritio habet pro obiecto, & motiuo formali Deum, provt eſt in ſe, ſeu eius diuinam bonitatem, vt conſtat ex dictis in hac diſputatione.

Ex his colligo *primò*, Contritionem formaliter eſſe
3 actum Pœnitentiæ generatim ſumptæ; id eſt eſſe perfectam deteſtationem, & à peccatis auerſionem, quâ homo ſe præparat ad reconciliandam amicitiam cum Deo, ſi illa careat. Ex quo fit, Contritionem eſſe actum re diſtinctum ab amore Dei ſuper omnia, qui nõ eſt actus deteſtationis, ſed proſecutionis. Igitur Contritio ſignificat ſemper, aut perfectum dolorem de peccatis, aut perfectam deteſtationem cum dolore. Vnde Tridentinum loquens de Contritione, per formalem actum deteſtationis, vel doloris illius rationem ſemper declarat.

Colligo *ſecundò*, Contritionem eſſe actum ſpectan-
4 tem ad virtutem charitatis Theologicæ, non ſecùs ac amorem Dei ſuper omnia: quia vterque actus habet pro obiecto, & motiuo formali diuinam bonitatem vt ſic; & conſtat eiuſdem virtutis eſſe, amare obiectum propter ſuum ſpeciale motiuum, & odio habere, ac deteſtari malum oppoſitum tali bono ex eodem ſpeciali motiuo.

Vnde actus Contritionis non eſt actus virtutis Pœ-
5 nitentiæ, vel Religionis, quia non procedit ex ſpeciali motiuo harum virtutum. Quia cùm ſit deteſtatio de peccatis commiſſis, omnium præſtantiſſima, debet eſſe ex ſupremo omnium motiuo, nempe Charitatis Theologicæ, ac proinde per ſe loquendo, ſemper eſt actus elicitus à virtute Charitatis. Dixi *per ſe loquendo*, quia vt videbimus *diſputatione ſequenti*, actus Contritionis, qui eſt diſpoſitio ad gratiam recuperandam per accidens, quia non fit à ſubiecto grato, nequit procedere à virtute Charitatis, ſed ab ipſâ voluntate adiuta ſpeciali auxilio Dei, ſupplente Deo vicem ipſius virtutis, ſeu habitus Charitatis.

* * *

DISPVTATIO VIII.

De Contritione, provt neceſſaria eſt ad impij iuſtificationem extra Sacramentum.

EXPLICATA naturâ, & eſſentiâ Contritionis, eius moralis dignitas in ordine ad impij adulti iuſtificationem eſt explicanda. Vnde non eſt Quæſtio de iuſtificatione infantium in Baptiſmo; in qua nulla ex parte eorum exigitur præparatio, cùm vſum non habeant intellectus, & voluntatis: Neque etiam de ſimplici iuſtificatione, quæ per ſolam ſanctificationem perſonæ, in qua nullum peccatum ſupponitur: atque ideò ſine vlla fit remiſſione peccati; quæ ſolùm in Angelis, in Adamo, & Eua in ſtatu innocentiæ, & in beatiſſima Virgine inter puras creaturas, in ſtatu gratiæ locum habuit; ſed de iuſtificatione impij, ſeu peccatoris extra Sacramentum, ad quam eſt ſimpliciter neceſſaria Contritio de peccatis actualibus commiſſis.

SECTIO PRIMA.

Vtrùm Contritio ſit forma ex ſe formaliter iuſtificans, & ſanctificans peccatorem.

SEnſus quæſtionis eſt, an Contritio ex ſe, ſeu ex ſua natura, ac per modum formæ, habeat vim ſanctifi- 1
candi peccatorem; ita vt licet contrito non infunderetur gratia habitualis, adhuc per ipſam Contritionem intelligeretur iam iuſtus, & ſanctus, ac mundus ab omni culpa lethali propter præſtantiam, & intrinſecam excellentiam Contritionis. Eadem quæſtio eſt de actu dilectionis Dei ſuper omnia: nam eſt eadem ratio de vtroque actu; cùm vterque reſpiciat idem ſupremum motiuum formale, nempe diuinam bonitatem in ſeipſa.

Noſter Vaſquez 1. 2. *diſputatione* 103. cum aliis, 2
quos ipſe refert, acerrimè defendit, Contritionem ex ſe, & ex ſua natura, eſſe formam ſanctificantem formaliter. Quem ſequuntur Gaſpar Hurtado *diſp.* 2. *difficultate ſeptima*, & valdè ex profeſſo Ludouicus Mæratius tractatu *de gratia, diſputatione duodecima, per duas ſupra triginta ſectiones*; & non pauci Recentiores *in Manuſcriptis*.

Probant *primò* variis Scripturæ locis, & ſanctorum Patrum, quibus Pœnitentiæ, ſeu Contritioni, & etiam dilectioni tribuitur ſanctitas, puritas animæ, ac pulchritudo, vinculum perfectionis, & plenitudo legis, ac obſeruantia.

Secundò, quia Contritio, vel dilectio Dei ſuper omnia eſt æqualis, & condigna ſatisfactio, ac ſufficiens pro offenſa; ergo debet delere formaliter offenſam in ratione offenſæ, & per conſequens formaliter ſanctificare. Cõſequentia eſt manifeſta, quia offẽſa tandiu durat moraliter in ratione offenſæ, quandiu non condonatur, vel non compenſatur per ſufficientem ſatisfactionem: ergo ſi ipſa Contritio eſt ſatiſfactio ęqualis, & ſufficiens, iam non

Digitized by Google

non poterit manere offenſa in ratione offenſæ. Antecedens probatur, quia non minus placet Deo actus Contritionis, & dilectionis, quàm ipſi diſplicuit peccatum, & offenſa: eſt enim tam bonus vterque actus, quàm fuit malus ille actus peccati; ergo vterque actus ſufficiens eſt perſeipſum ad placandum Deum offenſum. Quid enim aliud requiritur ad placandum Deum, quàm placere illi tantum, quantum antea peccator diſplicuerat?

Tertio, ablato aliquo intrinſeco conſtitutiuo peccati, non poteſt manere peccatum adæquate in ratione peccati; ſed Contritio tollit formaliter aliquid, quod eſt intrinſece conſtitutiuum peccati habitualis in ratione talis, ergo eſt forma ſaltem partialiter expellens peccatum. Minor probatur, quia peccatum in ratione peccati, includit auerſionem hominis a Deo, ſed hæc tollitur formaliter per Contritionem; nam per hanc homo ad Deum conuertitur; ergo tollit formaliter aliquid intrinſecum peccati.

Quarto, ſi homo exiſtens in peccato mortali raperetur ad claram Dei viſionem, & ad amorem beatificum ille eſſet beatus, etiamſi ei non infunderetur gratia habitualis, ergo tunc iuſtificaretur per dilectionem Dei beatificam, qua coniungeretur cum Deo: ergo etiam in viâ dilectio Dei habet hanc viam iuſtificandi, cùm ſit eiuſdem ſpeciei cum dilectione patriæ. Firmatur, nam forma quæ ex natura ſua mundat ſubiectum à macula culpæ, illa vere dicitur ſanctificare: quid enim aliud eſt ſanctificare, quàm mundare, & purificare: ergo cùm in eo caſu viſio beata & amor beatificus, quatenùs vterque eſt formalis beatitudo, haberet vim ad mundandum ſubiectum a macula peccati, verè eſſet forma iuſtificans, & ſanctificans.

Quintò, qui diligeret Deum ex toto corde, etiam ſine habitu Charitatis, diceretur vnus ſpiritus cum Deo: ergo vere eſſet iuſtus cum Deo; eſſet enim adæquatus primæ regulæ, quæ eſt Deus, in omnibus; ergo iuſtus: nam iuſtus eſt, qui adæquatur in omnibus cum ſua regula.

Sexto, qui diligeret Deum etiam ſine habitu, diceretur manere in Deo, & Deus in eo, & habere ſemen Dei in ſeipſo; ergo non maneret in peccato: hæc enim duo repugnant inter ſe; amor enim transformat amantem in rem amatam, vnde facit illum quaſi Dei formam; atque ideò non poteſt manere ſimul deformis per peccatum.

Septimò, per dilectionem Dei ſuper omnia diligeremus Deum vt amicum, hoc eſt, ex vero amore amicitiæ; ergo etiam à Deo diligeremur: amor enim amicitiæ reciprocus eſt; nec Deus patitur ſe ab aliquo diligi, quin eum diligat.

Octauò, qui iuſtificatur Contritione, & Charitatis amore, etiamſi ſimul habitu gratiæ iuſtificaretur, aliter iuſtificatur, quàm qui ſolo habitu: nam iuſtitia per habitum obtenta, eo ipſo quòd habitus auferatur, deſinit eſſe; vnde ſi ab infante recens baptizato, auferretur habitus, non maneret iuſtus: at ſi auferretur habitus ab eo, qui per actum fuerat iuſtificatus, etiam tranſacto actu maneret iuſtus, & dignus vita æterna, tam ratione dilectionis præteritæ, quàm ratione operum reliquarum virtutum, quæ factæ fuerant in ſtatu ſanctitatis; ergo.

Nonò, dilectio Dei fortior eſt, & potentior, vt conuertat animam ad Deum finem vltimum, quàm voluntas primi parentis ad auertendos homines à Deo; ſed voluntas primi parentis valuit auertere omnes homines à Deo, & eos peccatores efficere, cùm non fuerit voluntas propria poſterorum, ſed aliena; ergo dilectio cùm oriatur ex voluntate propria, potuit formaliter conuertere, & illum iuſtum, ac ſanctum efficere coram Deo, ac proinde quilibet exiſtens in originali peccato poſſet per actum dilectionis Dei, ab ea macula mundari, ac iuſtificari.

Decimò, ſi Contritio non haberet ex ſe vim iuſtificandi, non eſſet Contritio neceſſaria iure naturali. Patet ſequela, quia ſi non habet ex ſe vim iuſtificandi; ergo non habet neceſſariam connexionem cum iuſtificatione: ergo illa non exigitur ex natura rei, ſed ex ſola diſpoſitione ac voluntate libera Dei; ergo non eſt neceſſaria ad iuſtificationem, niſi ex ſolo iure poſitiuo diuino.

Vndecimò, ſequeretur ex oppoſita ſententia, poſſe hominem ardentiſſimè Deum amantem ſuper omnia, non ſolùm non eſſe iuſtũ, ſed adhuc permanere in peccato præterito, ſi Deus illi formam iuſtificantem non infunderet. Si enim amor Dei non eſt forma ſanctificans, nulla eſt ratio, cur non poſſit cum peccato componi; ſi autem cum peccato componatur, homo qui Deum diligit ſimul erit in peccato, & erit obiectum dignum odio Dei.

Duodecimò, dilectio hominis erga Deum, propter eius diuinam bonitatem, eſt amicitia hominis erga Deum, ſicut dilectio Dei erga hominem eſt amicitia Dei erga hominem; ſed amicitia & inimicitia hominis erga Deum ſunt incompoſſibiles; ergo dilectoi hominis erga Deum eſt incompoſſibilis cum peccato, quod eſt inimicitia hominis erga Deum. Firmatur, nam adhoc vt ſit perfecta amicitia inter duos, ſolùm requiritur mutuus amor, & in vnoquoque ex complacentia alterius; ergo eo ipſo quòd homo diligat Deum ex complacentia ipſius Dei, & Deus diligat hominem ex complacentia ipſius hominis, eſt vera amicitia inter Deum & hominem; ergo hæc amicitia repugnat formaliter cum inimicitia hominis erga Deum: ergo illa eſt incompoſſibilis cum peccato.

Vltimo, forma quæ per ſe, & ex natura ſua, purgat animam a peccato, eſt formaliter ſanctitas; ſed perfecta contritio per ſe, & ex ſua natura purgat animam a peccato veniali; quia per extrinſecum Dei fauorem non remittitur, & nulla eſt alia forma incompoſſibilis cum veniali peccato; nam gratia habitualis cum veniali peccato nullam habet oppoſitionem, vel repugnantiam; ergo.

Contrariam ſeutentiam defendunt communiter Do- 3
ctores, quos referunt, & ſequuntur Cardinalis Lugo *diſp.* 8. *ſect.* 4. Suarez *tom.* 1. *in* 3. *part. d.* 4. *ſect.* 8. & *tomo* 4. *diſput* 8. *ſect.* 3. & *tomo* 3. *de gratia, libr.* 7. *cap.* 8. *&* 18. & Ouiedo *de iuſtificatione, contr.* 1. *puncto* 7. *num* 97.

Inter has duas extremas ſententias, tenet mediam Ioannes Martinez de Ripalda *de ente ſupernaturali tom.* 2. *lib.* 4. *diſp.* 99. per varias ſectiones: dicens actum perfectum Charitatis non ſanctificare formaliter peccatorẽ, nec delere maculam peccati independenter a nouo fauore miſericordiæ diuinæ, ſeparabili ab eo Charitatis actu; cæterùm adiuncto eo fauore ſanctificare, & peccatum expellere formaliter, non ſecùs ac gratiam habitualem, quæ adiuncto diuino fauore ſanctificat, & peccatum formaliter expellit.

Adhæreo ſecundæ ſententiæ vt veriori. Iuxta quam, 4
Dico *primò*, Contritionem, ſicut & dilectionem non poſſe eſſe formam iuſtificantem ſeu ſanctificantem Solet id probari variis rationibus deſumptis à Tridentino, & ab aliis Patribus, quæ videri poſſunt apud prædictos Doctores Lugum, Suarez, & Ouiedo. Ipſe vnam vel aliam proponam efficaciſſimam. Prima eſt, quia Contritio nequit habere condignitatem, & æqualitatem ſufficientem ad delendam culpam mortalem; ergo nequit eſſe forma iuſtificans, vel ſanctificans. Conſequentia patet, quia ſi eſſet forma iuſtificans, Contritio extingue-

ret

Digitized by Google

ret formaliter peccatum;atque adeò iam homo per Cõtritionem ſatisfaceret ſufficiẽter & cõdignè pro peccato ſuo Antecedẽs conſtat ob infinitatem Dei offenſi,& infimam, ac vilem conditionem perſonæ humanæ ſatisfacientis,maxime in peccato mortali exiſtentis.Si enim in humanis experimur vulgarem hominem grauiter Regem offendentem, non expiare, nec poſſe ſatisfacere ſufficienter pro offenſa,eo ipſo quòd doleat,& diligat Regem; quanto minùs ſufficiet Pœnitentia, & Contritio hominis peccatoris ad delendam offenſam grauem factam in Deum infinitum? Hæc ratio meo iudicio efficax eſt.Nam vt latè oſtendi in opere *de Incarnatione, diſputatione* 5. *ſect.* 4. 5. & 6. iuxta communem omnium Sapientum æſtimationem,ex qualitate perſonæ ſatisfacientis, ſumitur præcipuus valor ſatisfactionis: nam ſatisfactio exhibita perſonæ nobili ab ignobili,per actiones reuerentiæ,& humiliationis,quaſi nihil reputatur; exhibita verò à perſona nobili & excellenti plurimùm æſtimatur.

Cum enim perſona vilis conditionis ſe ſubmittit excellentiori,nihil fere illi præſtat,cum ex propria conditione ad id teneatur; quod ſecus eſt,quando perſona excellentis dignitatis exhibet ſatisfactionem. Vnde ſi contingat,actionem exhibitã à perſona inferiori & vili,propter alias circũſtantias eſſe magni valoris,& æſtimationis; nihilominus ex conditione perſonæ ſemper erit minor,quam eſſet ſimilis actio à nobiliori perſona exhibita.Igitur inæquabilis eſt homo,& improportionatus ad reddendam Deo ſatisfactionem condignam,& æqualem pro iniuria, & offenſa peccati proprij. Nam ſi homo ſpectetur ratione ſuę naturalis conditionis pręcisè, comparatione Dei eſt quaſi nihil; & quidquid honoris poteſt illi exhibere,infinitè minus eſt,quam excellentiæ diuinæ reſpondeat, ac debeatur: quòd ſi vltra hoc conſideretur ſtatus inimicitiæ diuinæ, in quo peccando conſtitutus eſt, ratione illius indignus eſt omni bono;& quidquid Deo exhibeat,non poteſt habere cõdignitatem ad ſatisfaciendum pro offenſa propria; nam ſtatus eius diminuit ac deprimit ſatisfactionem vſque ad viliſſimum gradum.

Reſpondet Vaſquez *3.p. diſp.2.cap.5.& 6.* Contritionem extinguere formaliter culpam,ſed non eſſe condignam ſatisfactionem pro illa; quia non ſatisfacit pro toto debito per culpam contracto, nempe pro debito carendi auxilio congruo ad habendam Contritionem; hoc enim debitum gratis à Deo condonatur ante ipſam Contritionem. *Sed contra eſt*, quia tametſi hoc vltimum de debito auxilij congrui verum ſit; id tamen non tollit, quominus concedi debeat, Contritionem ſatisfacere adæquatè pro ipſa culpa, vt ſic. Patet,quia per auxilium congruum ſolùm fuit condonata ad ſummum aliqua pars pœnæ contractæ ex peccato, at de ipſa culpa nihil condonatum fuit ante Contritionem; quia ante Contritionem habet peccator culpam maculæ totalem,ac integram Dei offenſam: ergo Contritio ſatisfacit pro toto illo, quod nondum ablatum eſt:ergo ſatisfacit pro tota culpa integrè; & perfectè. Hoc eſt igitur,quod nos negamus,quia ipſa Contritione quit eſſe ſatisfactio condigna pro culpa, propter grauitatem infinitam culpæ, ex eo quòd ſit contra Deum infinitum, & propter infimam ac vilem conditionem hominis ſatisfacientis, præſertim in mortali exiſtentis.

5 Secunda ratio, quæ mihi etiam videtur efficax ad probandum, Contritionem non poſſe eſſe ſuâ naturâ formam ſanctificantem,hæc eſt: nam ſanctitas formaliter, iuxta varias opiniones, vel eſt puritas immaculata,ſeu perfecta mundities; vel eſt rectitudo vniuerſalis in ordine ad omnes operationes honeſtas, & rectas reliquarum virtutum, vel vtrumque ſimul: ſed nihil horum conuenire poteſt Contritioni elicitæ ab homine peccatore; ergo nequit illa vllo modo eſſe formalis ſanctitas formaliter ſanctificans.Minor probatur, quia inprimis nequit eſſe perfecta munditia,cum ſit actus procedens ab homine peccatore vt ſic, qui eſt coram Deo infinitè immundus, & influit, vt talis eſt, in actum prædictum: ſunt enim actiones ſuppoſitorum,& ab illis habent ſuum valorem, & dignitatem, ſeu indignitatem. Quid autem indignius,aut turpius homine in peccato mortali exiſtente? Prætereà manifeſtum eſt actum Contritionis non poſſe eſſe rectitudinem vniuerſalem, & principium omnium aliarum operationum honeſtarum: quia actus Contritionis neque formaliter vt liquet,neque eminenter continet rationem principij productiui omnium actuũ aliarum virtutum,vt eſt certum: ergo non poteſt per ſe afficere iuſtum in ordine ad vniuerſalem rectitudinem; ſicut id præſtat gratia habitualis, quæ eſt principium vniuerſale actuum honeſtorum ſupernaturalium omnium virtutum moraliũ infuſarum. Dicere verò,gratiam habitualem præcedere in genere cauſæ efficientis Contritionem, quia eſt principium efficiens Contritionem, eſt omninò falſum vt *infrà* videbimus:nam Contritio fit ex auxilio gratiæ ſpeciali,& omninò præcedit iuſtificationem, ac gratiæ infuſionem.

Tertia ratio eſſe poteſt ſatis firma,ſumpta ex natura Contritionis, quæ ideò nequit eſſe forma ſanctificans, quia eſt actus tranſiens; at ſanctitas debet eſſe forma per modum habitus permanentis: quia ſtatus ſanctitatis eſt ſtatus firmus, & habitualiter permanens, ſeu perſeuerans, ergo debet prouenire ab aliqua forma habitualiter perſeuerante: actus autem Contritionis eſt entitas naturâ ſuâ facilè tranſiens: ergo non poteſt dare ſtatum ſanctitatis habitualem, & permanentem. 6

Reſpondebis,peccatum actuale conſtituere hominem habitualiter peccatorem,& in ſtatu peccati; ſimiliter igitur poteſt forma actualis citò tranſiens, relinquere hominem cum ſtatu habituali gratiæ,& ſanctitatis. *Sed contrà eſt*,quia eſt apertum diſcrimen inter ſtatum ſanctitatis,& ſtatum peccati: nam peccatum actuale conſtituit hominem habitualiter peccatorem per imputationem moralem,& etiam per moralem informationem etſi intrinſecam; ac proinde dum illi imputari poteſt peccatum actuale præteritum, dicitur eſſe in ſtatu peccati. At contritio ſi eſſet forma ſanctificans, non ſanctificaret per imputationem moralem, ſed per intrinſecam, & phyſicam inhærentiam; ac proinde dum phyſicè non exiſteret, nullo modo poſſet ſanctificare.

Dico *ſecundò*, Contritionem non ſolùm de facto non iuſtificare formaliter,ſed neque etiam de poſſibili in vllo caſu. Hoc dictum ſequitur ex præcedenti. Nam rationes adductæ probant quoque de poſſibili. Et certè ſi de poſſibili haberet vim formaliter iuſtificandi, haberet etiam de facto: quia forma applicata ſubiecto capaci,non poteſt impediri, quin communicet illi ſuum effectum formalem;ergo ſi Contritio eſt potens ad dandum effectum formalem iuſtificationis, & ſanctitatis, dabit illum de facto Nec valet dicere,ideò de facto non poſſe, quia Contritio præſupponit habitum gratiæ à quo procedit, ac proinde inuenit iam peccatum expulſum per talem habitum. Non,inquam,valet.Tum quia falſum eſt, Contritionẽ præſupponere habitum gratiæ, & fieri ab habitu Charitatis,quia vt dicemus *infrà*,non fit ab habitu, ſed ab auxilio ſpeciali Dei.Tum etiam,quia licèt fieret,adhuc poſſet de facto iuſtificare:nam ſicut habitus gratiæ, vt dicunt Aduerſarij,iuſtificat pro illo priori, licèt in alio genere cauſæ materiali ſit prior Contritio; cur etiam 7

Contri

Contritio pro illo priori, pro quo præcedit habitũ gratię ex parte ſubiecti, non poterit iuſtificare? licèt in alio genere cauſæ ſubſequatur ad habitum gratiæ.

8 Ad argumenta contraria. Ad primum, Dico illa omnia teſtimonia, & alia plurima rectè explicari de Charitate, non tanquam forma præſtante illos effectus, ſed tanquam diſpoſitione infallibili, & certa. Nec Patres, dum encomia de Charitate protulerunt, vt homines ad illius exercitium allicerent, curare debebant, an illos effectus tanquam forma propria, vel tanquam vltima diſpoſitio præſtaret: ſufficiebat enim certum eſſe, eum qui elicit actum Charitatis conſequi iuſtificationem certò, & infallibiliter, vt abſolutè Charitati tribuatur iuſtificatio, etiamſi tantum ſit vltima diſpoſitio ad illam. Nam etiam in Euangelio Humilitas appellatur Iuſtitia; & Eleemoſyna dicitur extinguere peccatum, & Chriſtus Dominus dicitur eſſe noſtra Iuſtitia, & noſtra ſapientia: quæ tamen omnia non de cauſa formali, ſed de cauſa efficiente, vel præparatiua debent intelligi.

9 Ad ſecundum negatur Antecedens: nam Contritio tametſi, phyſice loquendo, tantùm habeat bonitatis, quantum malitiæ actus peccati, & reddat phyſice Deo tantum, quantum abſtulit peccatum, non tamen moraliter; atque ideò nequit eſſe condigna, & æqualis ſatisfactio pro mortali proprio: quia adhuc talis Contritio prouenit a perſona finita, & infimæ vilitatis, atque ideò manet in inferiori ordine ſatisfactionis. Nam æqualis ſatisfactio pro mortali, debet prudenti iudicio tanti æſtimari moraliter, prout procedit effectiuè ab agente morali, quanti æſtimatur offenſa peccati; itaut ex vi talis æſtimationis rectè concipiatur, offenſam delere poſſe. Sicut enim prudenti iudicio moraliter æſtimatur offenſa, ita ſimili iudicio æſtimari debet illius compenſatio, & ſatisfactio: at Contritio non poteſt æſtimari tanti, quanti offenſa, quia Contritio quatenus procedit effectiuè a peccatore procedit a perſona adhuc inimica Dei; & etiam procedit quoque a perſona vili, ac infimæ dignitatis reſpectu Dei; & ipſa offenſæ magnitudo habet talem infinitatem ex parte Dei offenſi, vt nequeat pro illa ſatisfacere vlla pura creatura. Vnde hác de cauſà, peccatum mortale potentius eſt in ordine ad offendendum Deum, quam Contritio in ordine ad eum placandum.

10 Ad tertium, negatur Minor, quia per Contritionem non tollitur ſufficienter auerſio Dei, quia peccatum habituale in ſuo conceptu includit actum præteritum non condonatum, nec ſufficienter retractatum ad extinguẽdam auerſionem Dei: quod per Contritionem formaliter non tollitur, quia nec tollitur negatio condonationis, nec tollitur negatio retractationis ſufficientis: non enim Contritio, vt iam dixi, eſt retractatio ſufficiens ad placandum Deum. Quare nihil eorum, quæ in peccato habituali includuntur, tollitur formaliter per Contritionem, vnde non includitur in peccato habituali negatio retractationis vtcumque, ſed negatio retractationis ſufficientis ad placandum Deum; nam hæc negatio etiam poſità Contritione, omninò perſeuerat.

11 Ad quartum negatur Antecedens: nam in eo caſu ſolùm exigeret viſio beata gratiam habitualem ſanctificantem, ratione cuius peccatum expelleretur. Quòd ſi Deus non daret gratiam ſanctificantem, poſſet non remittere peccatũ, & eſſet viſio beata ſimul cum peccato, non tamen iuxta connaturalem exigentiam. Vnde in eo caſu, licèt homo videret Deum; non tamen eſſet in ſtatu beatitudinis, qui præter ſuam eſſentiam conſiſtentem in ipſa viſione Dei & amore, dicit alia dona tanquam integrantia ipſam beatitudinem, & formaliter conſtituentia ſtatum omnium feliciſſimum; vnde præcipuè includit gratiam habitualem ſanctificantem, & expellentem peccatum, & inimicitiam Dei. Ex quo patet ad Confirmationem.

12 Ad quintum dico, quòd ille, qui peccauit mortaliter, & diligeret Deum ex toto corde, tametſi eſſet vnus ſpiritus cum Deo, effectiuè, quantum eſt ex ſua parte, ſed non quantum eſt ex parte Dei, qui eum non ſolùm non amaret, ſed propter peccatum commiſſum, & non remiſſum odio haberet. Vnde ille qui Deum diligit ſine habitu gratiæ, non eſt formaliter vnus ſpiritus cum Deo: nam hæc bonitas conſiſtit in amicitia inter Deum, & hominem; hæc autem non tantùm conſiſtit in eo quòd homo amet Deum, ſed in eo quòd ſit dignus, qui à Deo ametur; quam dignitatem non habet ſine habitu iuſtificante. Sicut enim non eo ipſo, quòd quis amat Regem toto corde, dicitur formaliter illius amicus; ſic non eo præciſè quòd quis amet Deum, dicitur formaliter illius amicus; bene tamen cauſaliter, ſeu effectiuè, quia hunc amorem hominis erga Deum conſequitur habitus gratiæ; & ex vi huius homo formaliter conſtituitur dignus Dei amore, & formaliter amicus. Ad illud, quod dicitur per amorem adæquari primæ regulæ, quę eſt Deus in omnibus: dicendum eſt adæquari affectiuè, ſeu quantum eſt ex ſe, non tamen effectiuè, ſeu efficaciter ſine alia forma gratiæ, ad quam hæc adæquatio affectiua proximè, & vltimò diſponit.

Ad ſextum, Reſpondeo transformationem illam totam eſſe ſecundùm affectum: poteſt autem quis amare rem pulchram, & tamen in ſe eſſet difformis. Maneret ergo ille in Deo per affectum ſuum, ſed extra Deum per peccatum, propter quod eſſet Deus auerſus digniſſime ab ipſo.

13 Ad ſeptimum, negatur Antecedens: nam amicitia Dei non ſolùm dicit Deum amari ab homine, ſed hunc eſſe obiectum dignum, quod a Deo ametur. Vnde amicitia completa dicit amorem mutuum vtriuſque. Quare tunc daretur amicitia ex parte hominis erga Deum, non tamen è contra; quia licèt nunc de facto Deus omnes diligentes ſe, diligat vt amicos, id fit, quia de facto iuſtificat illos, & condonat eis offenſas; non autem propter efficacitatem Contritionis ſolius, vel dilectionis Dei, vt dictum eſt.

14 Ad octauum, ſupponitur, quod probari deberet, nempe Contritionẽ iuſtificare. Quare ille homo qui actum Contritionis, vel dilectionis eliceret, & ſimul haberet habitum gratiæ, non iuſtificaretur per actum dilectionis, vel Contritionis; ac proinde ablato habitu gratiæ, nullo modo maneret iuſtum ex vi illius actus; neque illi debendam eſſe gloriam vt hæreditatem; deberetur tamen tanquam præmium meritorum præcedentium, quæ nondum fuerunt mortua, nec mortificata.

15 Ad nonum, negatur Antecedens: nam homo per voluntatem ſuam, ſiue ſuam phyſice, ſiue ſuam moraliter, qualis erat voluntas Adæ reſpectu poſterorum, poteſt ſe auertere à Deo, & Deum offendere; non poteſt autem homo per voluntatem ſuam ita ſe conuertere ad Deum, vt placare poſſit Deum pro offenſa, & iniuria illata: multò enim minùs requiritur ad peccandum, quàm ad tollendum peccatum, vel extinguendum. Vnde notãdum eſt, duplicem eſſe diſtinguendam conuerſionem, & auerſionem: vna eſt actualis conuerſio affectiua ad Deum, & auerſio actualis affectiua à creatura, & hæc fit per actum Contritionis; alia verò eſt conuerſio habitualis ad creaturam, & auerſio habitualis à Deo, quæ permanent in peccatore ex vi peccati commiſſi, & in quibus peccatum habituale conſiſtit; & hæc non tollitur per actum Contritionis, vel amoris; quia hæ conuerſiones, & auerſiones ſunt diuerſi generis, & ita non mutuò expelluntur. Conuerſio enim habitualis ad creaturas, & auerſio habitualis à Deo, permanent per modum habitus ex actu præterito, ſeu iniuria facta Deo, &

obliga

obligationē ſatisfaciendi pro hac iniuria; & ita donec extinguatur per condignam ſatisfactionem, vel per cōdonationem iniuriæ.& debiti ex ea reſultātis, nullo modo auferetur conuerſio habitualis ad creaturas, & auerſio habitualis à Creatore, in quibus permanet habituale peccatum.

16 Ad decimum, facilè Reſpondeo, negando ſequelam: nam licèt Contritio ex ſua natura, non habeat vim iuſtificandi; tenetur tamen homo iure naturali procurare, meliori modo quo poteſt, placare Deum; ad quod impetrandum eſt medium omnium congruentiſſimum, infallibiliterque connexum, deteſtari offenſam ex motiuo Charitatis; ideo tenetur hoc medium adhibere: dū enim hoc medium adhibere non curat, non videtur ſufficienter procurare, quantum eſt de ſe, placare Deum.

Ad vndecimum dico, de facto illud contingere non poſſe; quia videtur eſſe de fide ex Tridentino *ſeſſ. 6. c. 6.* Iuſtificationem adulti extra Sacramentum annexam eſſe dilectioni Dei ſuper omnia, vel Contritioni. Neque vllo caſu credendum eſt, Deum non infuſurum formam iuſtificantem homini, qui ex toto corde ſe ad illum conuerteret per dilectionem ipſius. Quòd ſi aliquando ita de potentia abſoluta id facere decreuiſſet, tunc reuera cum peccato componeretur: ſicut de potentia abſoluta poteſt gratia habitualis exiſtere ſimul cum peccato actuali.

17 Ad duodecimum, Reſpondeo, dilectionem hominis erga Deum, quantumuis ſit ex complacentia Dei, non eſſe amicitiam, neque amicitiæ actum in homine aliàs non eleuato per gratiam ſanctificantem, quam formaliter importat amicitia habitualis, & ſtatus amici. Quare, ſicut ſi actus dilectionis erga Deum ſupernaturalis non ſit, non eſt actus amicitiæ hominis erga Deum; ſic etiamſi ſupernaturalis ſit, ſi non eſt actus hominis exiſtentis in gratia, non eſt actus amicitiæ propriè, & ſtrictè; qualis eſt illa, ex vi cuius homo redditur ſanctus, & mundus à peccati macula. Ad Confirmationem ſimiliter dico, ad amicitiam non ſufficere quemlibet amorem mutuum, ſed eum debere eſſe efficacem in ordine ad communicationem bonorum; & inter eos, in quibus reperitur proportio, ſeu æqualitas illa, quæ inter amicos requiritur: neutrum horum intercedit, dum homo non habet gratiam habitualem; quia dum Deus hâc hominem non illuſtrat, amor Dei erga illum non habet efficaciam illam, quæ in actu amicitiæ requiritur: Neque amor peccatoris erga Deum eſt actus amicitiæ ſtrictæ, quia non eſt amor hominis eleuati ad eam æqualitatem cum Deo, quam per gratiam habitualem creatura poteſt habere cum ſuo Creatore, quæ requiritur ad amicitiam, quæ nonniſi inter æquales intercedere poteſt. Quamuis enim creatura etiam poſt quamcumque eleuationem gratiæ diſtet ſemper infinitè à Deo; tamen quatenus participat diuinam naturam ex vi gratiæ habitualis, habet illud æqualitatis quod requiritur, & quod ſufficit ad veram amicitiam inter Deum, & creaturam. Vt enim rectè notauit Ariſtoteles 8. *& 9. Ethicorum c.* 10. genus amicitiæ duplex eſt: Vnum eſt Æqualitatis ſimpliciter, quod eſt inter omninò æquales; Alterum eſt Excellentiç quod eſt inter perſonas habentes communicationem, & conuenientiam ad vnum finem honeſtum, conſtitutas tamen in diuerſa dignitate, inter quas non ſeruatur æqualitas ſimpliciter, ſed proportionalis, quia vnaquæq; tribuit alteri id amoris, honoris, & officij, quod vnicuique pro conditione ſua conuenit. Hæc autem amicitia non deficit inter Deum & hominem: nam licèt inter nudam hominis naturā & diuinam nō reperiatur; inuenitur tamen ſufficienter inter homines per gratiam eleuatos ad diuinum ordinem, & Deum: ſic enim ſunt diuinæ conſortes naturæ, & accepti ad eundem ordinem beatitudinis, quæ communicatio facit æqualitatem, non ſimpliciter, ſed excellentiæ.

Ad vltimum dico, actum Contritionis ex ſe, & ex ſua natura non expellere formaliter peccatum veniale, etiamſi illius ſit retractatio formalis, ſed in homine peccatore illum eliciente eſſe vltimam diſpoſitionem ad illius remiſſionem, ſicut eſt vltima diſpoſitio ad remiſſionem mortalis. 18

Obiicies, ſaltem negari non poſſe, in homine iuſto Contritionem deſtruere veniale peccatum, & formaliter ſatisfacere pro illo, quia habet cum ipſo formalem oppoſitionem, cum ſit æqualis, & condigna illius ſatisfactio: at iſta Contritio eſt eiuſdem ſpeciei cum illa prima Contritione elicita ab homine peccatore; ergo vtraque eſt forma purificans ex ſe, & ſanctificans. *Reſpondeo* negando, Contritionem eſſe æqualem ſatisfactionem pro veniali culpa, & hanc formaliter deſtruere. Nam ex omnium ſententia, & ex morali, ac prudentiali iudicio, tunc deſtruitur, vel extinguitur formaliter debitum per ſatisfactionem, quando opus ſatisfactorium integrè tollit omne debitum; adeò vt nequeat poſtea à creditore alia exigi ſatisfactio pro eo. Et ratio eſt, quia ſatisfactio eſt pro debito; ergo non durante debito nulla eſt obligatio vlterioris ſatisfactionis: ergo quando ſatisfactio per ſe extinguit debitū, inducit obligationem acceptandi illud, ſaltem negatiuè, vt nequeat pro illo aliam ſatisfactionem exigere. Sic enim qui tantùm pecuniæ reddidit, quantùm abſtulit, integrè reſtituit, & tollit omne debitū: & qui integrè reddidit tātùm honoris, quantùm per iniuriam iniquè abſtulerat, tollit omne debitum, & extinguit illud formaliter, nec poſtea pro tali offenſa aliam poteſt ſatisfactionem exigere. Hoc pacto ſatisfecit Chriſtus Dominus de rigore iuſtitiæ, Patri æterno, pro omni culpa mortali, & veniali noſtra, in ratione iniuriæ; quia actio Chriſti honorifica & ſatisfactoria, quæ erat ex propriis, & erat quoq; infiniti valoris, & honoris, reddidit Deo tātùm, & etiam plus honoris, ac obſequij, quam per peccatum fuerat illi ablatum; & ideò omnem iniuriam, ac læſionem factam in iure diuino, & honore, penitus formaliter extinxit independenter ab omni alio pacto, & acceptatione diuina. At in ſatisfactione puri hominis iuſti per Contritionem, vel Dei dilectionem pro peccato veniali id minimè reperitur; quia tametſi iuſtus exhibeat Deo per Contritionem, ſatisfactionem condignam, & æqualem ex parte operis, quia videlicet illud in valore, & æſtimatione morali adæquatur offenſæ, & iniuriæ leui venialis peccati; quia tamen ſatisfactio illa iuſti non eſt ex propriis, ſed ex bonis Dei offenſi, nempe ex Dei gratia gratis ipſi perſonæ ſatisfacienti conceſſa; vnde illud opus, quo ſatisfacit, magis eſt Dei, quàm ipſius ſatisfacientis; quod enim nos facimus auxilio gratiæ, dicitur Deus facere potiùs quam nos: eſt quoque illud opus debitum Deo multis aliis titulis; vnde poſſet Deus illud, ſicut & omnia alia opera exigere pro aliis obligationibus, quibus omnibus non poteſt ſatisfacere ſimul, ac pro veniali culpa ſatisfaciendo, quia illud opus non eſt infiniti valoris; vt ſunt opera Chriſti: & quamuis poſſet, Deus poteſt illud acceptare pro aliis obligationibus, & nō pro remiſſione venialis culpæ; ideò non habet cum peccato veniali, in ratione extinguendi formaliter illius iniuriā, oppoſitionem ex ſe formalem, quia nequit tollere iniuriam venialē, niſi præcedat pactum, vel ordinatio diuina. Vnde ex ſua natura non eſt forma expulſiua venialis peccati, ſed quaſi diſpoſitio proxima, adhoc vt Deus illud remittat per ſuam gratuitam ac liberalem condonationem.

SECTIO

SECTIO II.

An Contritio ſit proxima, ſeu vltima diſpoſitio ad impij iuſtificationem ex natura rei.

1 PRo explicatione, obſeruandum eſt *primò*, diſpoſitionem ad iuſtificationem extra Sacramentum, duplicē eſſe: proximam ſeu vltimam vnam, & remotam ſeu non vltimam aliam. Diſpoſitio proxima dicitur, quæ eſt coniuncta cum gratia ſanctificante, & peccati remiſſione, & ab ea non ſeparatur quoad realem durationem; quia ſimul ac talis diſpoſitio exiſtit, forma gratiæ infunditur: è contrario verò illa dicitur remota, quæ licet aliquo modo ad formam gratiæ præparet, tempore tamen illam antecedit, neque immediate illi coniungitur.

2 Præterea eſt obſeruandum, proximam diſpoſitionem ſeu vltimam eſſe poſſe, vel adæquatam, & integram, vel partialē tantū, & inadæquatā. Priori modo diſpoſitio proxima nō eſt ſimplex actus, ſed ex pluribus coaleſcit; quilibet verò illorum dici poteſt diſpoſitio proxima, ſeu vltima, non omninò integra, ſed quaſi partialis tantùm.

3 His præmiſſis, circa primum, an Contritio ſit vltima, & proxima diſpoſitio ad gratiam habitualem ſanctificantem. Dico *primo* illam vere eſſe neceſſariam diſpoſitionem. Hoc manifeſte conſtat ex Tridentino Nā *ſeſſ. 6. canone 3.* inter actus, quibus ad iuſtificationem diſponimur, ponit *pænitere ſicut oportet*, vt homini iuſtificationis gratia conferatur. Vbi nomine Pœnitentiæ ſufficientis ad iuſtificationem conſequendam, nequit intelligi Attritio, quæ non ſufficit extra Sacramentum, ſed Contritio Idem habetur *ſeſſ. 6. c. 6.* Et de ipſa Contritione ſubiungit *in cap. 7. Hanc diſpoſitionem iuſtificatio ipſa conſequitur.* Denique *ſeſſ* 14. *c. 4.* loquens de motu Contritionis, ait ſic: *Fuit autem quouis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic Contritionis motus neceſſarius.* Vbi manifeſtum videtur, non loqui Concilium de Attritione; quia per ſolam Contritionem potuit ante legem gratiæ iuſtificatio obtineri; & fides cum Contritione perfecta ſemper fuit diſpoſitio ſufficiens ad ſalutem; quod de Attritione dici non poteſt. Ratione quoque firmatur, quia nulla forma introducitur, niſi in materia, vel ſubiecto ſufficienter, & vltimò diſpoſito; ergo ad introducendam gratiam iuſtificationis, diſpoſitio proxima, & vltima neceſſaria eſt Hęc autem nequit eſſe niſi actus Cōtritionis, vt conſtabit ex Sciptura ſacra, Conciliis, & Patribus *ſequenti ſect.* ergo. Firmatur, quia cū homo per peccatū ſit auerſus à Deo, maximè conueniens eſt, vt ipſe quantum in ſe eſt conuertatur ad Deum per actum Contritionis, & dilectionis Dei, vt ad ſtatum amici promoueatur.

4 Dico *ſecūdò*, Cōtritionē, quæ eſt diſpoſitio vltima, nō ſolùm eſſe neceſſariam ad infuſionē primę gratiæ habitualis, ſed etiā ad remiſſionē peccatorū. Patet, quia eadē eſt diſpoſitio ad formā, & ad effectū formalē formæ, ſed remiſſio peccatorū eſt effectus formalis gratiæ, ergo impoſſibile eſt, Contritionē eſſe diſpoſitionem ad recipiēdā gratiam, & nō ad obtinendā remiſſionē peccatorū Et quāuis remiſſio peccati ſit tantùm ſecundarius effectus gratię, vrget magis prædicta ratio: nā ſi eſt ſecundarius effectus, hic ſupponit primarium, & per conſequēs ſupponit diſpoſitionem ad illū; ergo neceſſariò talis diſpoſitio erit etiam ad ſecundarium effectum, ſaltem mediatè, & conſequenter ad primarium.

5 Circa ſecundū an Contritio ſit phyſica diſpoſitio, & ex natura rei ad gratiā, an potiùs moralis tantùm. Dicēdū eſt cū communi Doctorum ſententia, non eſſe phyſicam, ſed moralem diſpoſitionem, fundatam tamen in ipſa congruitate actus. *Primum* probatur Tum quia diſpoſitio phyſica, & vltima ad aliquā formā ſēper, & in omni recipiente ſolet eſſe neceſſaria ſed talis diſpoſitio non eſt neceſſaria in omni ſubiecto ad receptionē gratiæ habitualis, vt conſtat in paruulis: igitur neq neceſſaria in adultis, nec debita ex natura talis formæ. Tū etiā, quia diſpoſitio phyſica neceſſariò requiritur, vel propter expellendam formam oppoſitam, vel propter determinationem materiæ; hic autem non eſt forma oppoſita gratiæ, niſi peccatum, quod non phyſice expellitur per actū oppoſitum, determinatio autē ex parte animæ neceſſaria non eſt, quia ipſa per ſe capax eſt gratiæ naturā ſuā; & ad illam recipiendā ſatis eſt determinata, ſi ex parte agentis actio ad talem formam dirigatur ac determinetur. Tū deniq, quia diſpoſitio phyſica ſemper remanet ſaltē ſub aliquo remiſſo gradu in ſubiecto, in quo eſt forma, ad quam diſponit, dū hæc in ea conſeruatur, cúmq. gratia ſine conſortio alicuius diſpoſitionis conſeruetur, inferre licet nullam phyſicam habere diſpoſitionem. *Secundum*: Contritionem eſſe diſpoſitionē moralem ex diuina inſtitutione conſtat ex Scriptura ſacra ex illis videlicet locis, in quibus ſignificatur Pœnitentiā ſufficere ad remiſſionem peccatorum. Contritio verò eſt Pœnitentia omnium perfectiſſima. Vt ex illo *Regū* 12. Vbi Dauid dicenti, *Peccaui Domino*, quo actū Contritionis ſignificauit; ſtatim Nathā dixit: *Dñus quoq; tranſtulit peccatum tuum.* Et ex illo Ieremiæ *c. 18. v. 8. ſi pœnitentiam egerit gēs illa, agā & ego pœnitentiam.* Et ex illo Ezechielis 18. *Agite pœnitentiā ab omnibus iniquitatibus veſtris, & non erit vobis in ruinā iniquitas.* Et ex illo Lucæ 13. *ſi pœnitentiam non habueritis, omnes ſimul peribitis*; & ex aliis ſimilibus locis. Cui adiungitur Tridentinū *ſeſſ. 6. c. 4. & 14. ac ſeſſ. 14. c. 4.* id ipsū exprimēs manifeſte. *Tertiū* deniq. quod hæc diuina diſpoſitio ſit fundata in ipſa congruitate, & natura actus, videtur apertum: nā cùm peccator voluntariè ſit auerſus à Deo, ratio ipſa poſtulat, vt quātū in ſe ſit, cōuertatur ad Deū: amicitia enim debet eſſe voluntaria, & ideò maximè cōgruit, vt aliquis actus ex parte peccatoris præcedat, vt ad ſtatum amicitiæ Dei, & gratiæ euehatur; nullus autē congruentior, ac efficacior ex ſe, & ex ſua natura; quam ipſe actus Contritionis.

Hinc colligo, gratiā habitualē, cùm ſit forma acciden- 6
taria, nō exigere diſpoſitiones phyſicas, quas expoſcit forma ſubſtantialis in ſubiecto; ob eximiā verò illius excellētiā, & præſtantiā, exigere diſpoſitiones morales Cōtritionis, & dilectionis Dei ſuper omnia, quæ ſūt meritoriæ de cōgruo ipſius infuſionis gratiæ: exigūtur verò relatę ad conditionem ſubiecti; & ita non exiguntur in ſubiecto earum incapaci, vt in paruulis, ſeu in rationis vſum non habentibus; ſed in ſubiecto capaci vt in adultis Et quamuis natura rationalis dicat proportionē cū gratia, per modū ſubiecti habentis potētiā obediētialē ad illā; non verò per modū ſubiecti, ſēper moraliter vltimò diſpoſiti: atq; ideò indiget diſpoſitione morali ad illā recipiendā. Adde gratiā ſanctificantē, tametſi ſit forma accidētalis, in pluribus formā ſubſtātialē æmulari: nā dat primū eſſe ſupernaturale, ſicut forma ſubſtātialis dat primū eſſe naturale: eſt radix omniū habituū ſupernaturaliū, ſicut forma eſt radix potētiarū naturaliū, ac proinde congruum eſt, vt ſicut formam naturalē aliquæ præcedunt diſpoſitiones phyſicæ naturales; ita ſimiliter ad ſupernaturalem formam gratiæ, aliquæ diſpoſitiones ſaltem morales, præſertim actus Contritionis, & dilectionis Dei congruè ſupponantur, illámque præcedant.

SECTIO III.

An actus Contritionis ſolus, vel etiam dilectio Dei ſimul, ſit neceſſaria diſpoſitio ad iuſtificationem extra Sacramentum.

VAriæ ſunt Doctorum ſententiæ, quæ videri poſ- 1
ſunt apud Suarez *diſp 4. ſect. 2. & diſp. 9. ſect. 1.*

& apud Ægidium Coninck *diſp.* 2. *dubio* 6. Ipſe cum communiori ſententia Suarez & aliorum, dicam quid ſentiam ſequentibus Dictis.

1 Dico itaque *primò*, vtrumque actum Contritionis, & dilectionis Dei, per ſe loquendo eſſe neceſſarium, ad complendam diſpoſitionem vltimam ad iuſtificationem extra Sacramentum. Id manifeſtè conſtat ex diuina ordinatione declarata in Scriptura ſacra, & Conciliis. Nã in primis de Cõtritione ſeu Pœnitẽtia dicitur Luc. 13. *Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimul peribitis.* Eccleſiaſtici cap. 2. *Si pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus Dei, & non in manus hominum*, Act. 2. *Pœnitentiam agite.* Matth. 3. cùm dixit Baptiſta, *Genimina viperarum, quis oſtendit vobis fugere à ventura ira?* ſtatim ſubdit, quaſi vnicum proponens remedium: *facite ergo fructus dignos pœnitentiæ.* Quæ, & alia ſimilia teſtimonia non ſunt intelligenda de virtuali, ſed de formali Pænitentia. Tum propter Scripturæ ſacræ proprietatem, quæ debet in proprio ſenſu intelligi, ſi commodè poteſt. Tum quia non aliter ſacra Scriptura requirit Fidem, Spem, & alios actus, quàm Pœnitentiam; atque adeò ſicut alij ſunt formaliter neceſſarij; ita & Pœnitentia, ſeu Contritio. Idem docuit Tridentinum *ſeſſ.* 14. *c.* 4. vbi poſt definitam Contritionem ait. *Fuit autem omni tempore neceſſarius hic motus ad obtinendam peccati veniam.* Idem probatur de dilectione Dei: nam 1. Ioann. 3. *Qui non diligit, manet in morte.* Et Lucæ 7. *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multùm.* Vbi Magdalenæ pœnitentis dilectioni tribuitur quoque remiſſio peccatorum eius. Vnde etiam Tridentinum *ſeſſ.* 6. *cap.* 6. vt perfectam diſpoſitionem requirit amorem. Igitur vterque actus Contritionis, & dilectionis Dei eſt per ſe neceſſarius, ex Dei ordinatione. Et meritò quidem; quia cùm homo per peccatum conuertatur ad creaturam, & auertatur à Deo, præferendo illi in amore creaturam; non ſatis diſponitur ad reconciliationem cum Deo, niſi & ipſum diligere incipiat, & peccatum deteſtetur, itaut vtrumque ex toto corde faciat.

Neque verò neceſſarium eſt, vt amor formalis Dei exerceatur per actum realiter diſtinctum ab actu Contritionis; quia cùm illa duo obiecta ſint ita connexa, vt vnum ſit aliquo modo propter aliud; fieri poteſt vt vno actu ſimplici vtrumque attingatur, vt dixi *diſp. præced. ſectione ſecunda.* Quibus addo, ſiue ille actus ſit vnus, ſiue ſint duo, poſſe voluntatem, quantum eſt ex parte ſua, ſimul illos elicere, ſi ex parte intellectus obiectum ſit ſufficienter propoſitum. Vnde tametſi id communiter difficile ſit, ſed non eſt impoſſibile hominem ſubitò diſponi per formalem actum Contritionis ſimul cum amore Dei.

2 Dico *ſecundò*, per accidẽs poſſe hominẽ iuſtificari per ſolum actum Cõtritionis ſine formali actu amoris Dei. Probatur, quia poteſt ſubitò proponi peccatori grauitas offẽſæ oppoſitæ diuinæ bonitati, prout ſeparat à Deo, & eſt quodammodo illius: quo obiecto ſic propoſito, poteſt voluntas auxilio gratiæ adiuta ſtatim de illo cõteri ſine vllo actu amoris Dei. Quis hoc neget? Nam propoſito tali obiecto ſub prædicta ratione mali, poteſt ſtatim ſequi deteſtatio & odium eius, etiamſi amor boni non præcedat; ergo poteſt homo iuſtificari, priuſquam actum formalem dilectionis Dei eliciat.

3 Dico *tertiò*, ſimili modo per accidens poſſe hominem iuſtificari per ſolum formalem amorem Dei ſuper omnia, etiamſi tunc formalem actum non habeat Contritionis. Probatur ſimili fundamento præcedentis Dicti: quia poteſt ille qui eſt in ſtatu peccati mortalis ſubitò excitari ad cogitandum de Deo, ac eius bonitate, ac diuinis beneficiis, & antequam peccata in mentem veniant illum ex toto corde diligere: eſt enim naturale homini vnum ſine alio cogitare, quia infinitæ poſſunt eſſe occaſiones, vel obiecta, quæ illo modo mentem excitent. Nam hominis memoria, & conſideratio ordinariè excitatur obiectis externis, quæ interdum ad vnum occurrunt, & non ad aliud. Et ſimiliter Deus in excitandis hominibus vtitur externis obiectis, aut ſignis, & illis ſe accommodat. Vnde propoſito Deo vt ſummè diligibili, ſtatim nullo alio expectato, poteſt voluntas, adiuuante diuinâ gratiâ, in dilectionem Dei prodire: ſicut iuſtus poteſt diligere Deum ex eius recordatione, nulla præcedente recordatione peccatorũ priorum. Abſoluta autem Dei dilectio ſuper omnia non poteſt ſimul eſſe cum peccato mortali, de lege Dei ordinaria; quæ quidem eſt conſentanea bonitati Dei, vt debeat redamare eum, qui ipſum ex toto diligit corde: ex quo manifeſtè infertur, interdum poſſe ſufficere ſolum actum amoris Dei per modum vltimæ diſpoſitionis ad gratiam. In illo vero amore, ſemper virtute includitur ipſa Contritio; itavt implicet, eum qui ita Deũ amaret, ſimul affici erga peccatum mortale. Imò, vt rectè notauit Coninck *diſp.* 1. *dub.* 6. *n.* 51. Si peccatum ei occurreret, ſtatim incitaretur ad eius formalẽ deteſtationẽ, & dolorẽ, idque quodãmodo neceſſariò: nam cùm actus Charitatis ſit omninò efficax, & virtualiter contineat auerſionem à peccato, naturaliter. i. neceſſariò, mouet volũtatem ad deteſtandũ peccatũ, in quo homo ſcit ſe eſſe; itavt non poſſit hoc non deteſtari, poſito quòd velit cõtinuare amorẽ Dei; ſicut intendens efficaciter finem, nõ poteſt non velle medium, quod ſcit ad eum adquirendũ eſſe neceſſariũ, niſi deſiſtat ab ea intentione. Et ſicut hic, ſi perfectè videat neceſſitatem medij ad finem, eodẽ inſtanti, quo hunc intendit efficaciter, neceſſariò etiã illud eligit; ita amans Deum ſuper omnia, ſi aduertat ſe eſſe in peccato mortali, eodem inſtãti hoc deteſtatur. Eodẽ etiã pacto, prædictus amor continet propoſitum vitandi in poſterum omnia peccata mortalia, quia per eum volũtas perfectiſſimè Deo ſubiicitur. Quare ille actus amoris Dei, virtute continet Contritionẽ ipſam; atque adeò non minus quàm hæc, diſponit vltimò peccatorem ad ſuam iuſtificationem, & ad ſuorum peccatorum remiſſionem recipiendam.

Ex his Colligo *primò*, Contritionem per ſe loquendo non eſſe adæquatam, & integram diſpoſitionem gratiæ, ſicut neque dilectionem Dei ſuper omnia; quia conſtat per ſe loquendo, vtrumque actum Contritionis, & dilectionis Dei eſſe neceſſarium ad peccatoris iuſtificationem: per accidens verò vnum vel alium ſufficere. 4

Colligo *ſecundò*, nullum alium actum, qui non ſit Contritio, vel amor Dei formalis, eſſe vltimam diſpoſitionem ad iuſtificationem extra Sacramentum, ſecluſo ſpeciali priuilegio Martyrij, vt benè notauit Suarez *diſ.* 9. *ſect.* 1. *n.* 13. Ratio eſt, quia nulli actui præter Contritionem, & Dei amorem, eſt promiſſa iuſtificatio extra Sacramentũ, in Scriptura, vel in Conciliis, ac proinde abſque ſufficiẽti fundamẽto procederet, qui aliis actibus iuſtificationem adſcriberet. Dixi, *ſecluſo priuilegio martyrij*; quia eſt valdè probabile, adultum poſſe aliquãdo iuſtificari cum reali martyrij ſuſceptione, ſine Contritione, & ſine formali amore Dei. 5

Colligo *tertiò*, contra Vegam *lib.* 6. *in Tridentinum cap.* 38. per ſolam orationem non poſſe peccatorem obtinere remiſſionẽ culpæ mortalis, abſque formali amore, vel Contritione. Ratio eſt, quia qui petit veniam peccatorum, iam de illis cogitat; ergo indebitè petit veniã ſine remedio, quod ipſe poteſt & debet adhibere, quod eſt Contritio, & Dei amor: nam oratio vt exaudiatur, infallibiliter debet habere coniũcta cõuenientia media quatenus à Deo exigũtur, & ab homine exhiberi poſſũt; vnde temerè petitur à Deo ſine huiuſmodi mediis: ſicut qui peteret magnã gloriam ſine magnis meritis, malè peteret, & nõ mereretur exaudiri, at nõ minùs eſt neceſſaria cõtritio, & amor Dei ad remiſſionẽ peccatorũ, quã merita 6

ad

ad gloriam in adultis; & vtrumque eſt in poteſtate noſtra cum diuina gratia. Cæterum licet ſola oratio non ſufficiat ad remiſſionem peccati; eſt tamen vtiliſſima ad illam impetrandam, vt paſſim ſancti Patres eam commendantes proponunt. Verum quoque eſt orationem non eſſe ſemper neceſſariam neceſſitate medij; quia interdum Deus, quæ eſt eius infinita clementia, abſq; vlla prævia oratione præuenit peccatorem, & dat auxilium efficax etiam non petenti ad eliciendum actum Contritionis, & amoris Dei.

7 Colligo *vltimò*, cùm ſancti Patres variis in locis prędicant, ſubmiſſionem animi, gratiarum actionem in aduerſis, eleemoſynam, aſſiduam orationem, acceptarum iniuriarum obliuionem, correctionem fratris à via mala, & alia ſimilia opera bona, eſſe cauſas remiſſionis peccatorum; ſic intelligendi ſunt, vt ſolùm velint prædicta opera conferre quidem ad remiſſionem peccatorum, quatenùs conferunt ad impetrandam veram Pœnitentiam, vel etiam ad ſatisfaciendũ pro pœna, ſi culpa ſupponatur remiſſa; non tamen per ſe ſufficere ad remiſſionem culpæ, niſi vera Contritio ſeu Pœnitentia, & amor Dei intercedant.

SECTIO IV.

An in eodem inſtanti, in quo eſt vltima Contritionis diſpoſitio, infundatur habitus gratiæ, & fiat peccatoris iuſtificatio.

1 CErtum eſt diſpoſitiones remotas Fidei, & Spei, ſæpè tẽpore prǫcedere iuſtificationẽ, ac remiſſionẽ peccatorum. Patet, quia cùm forma non introducatur, quouſque ſit vltima diſpoſitio ad illam; & ſæpè nonnullæ diſpoſitiones tempore præcedant vltimam, neceſſe eſt toto illo tempore, quo hanc illæ præcedunt, exiſtere, abſque introductione formę ſanctificãtis. Sic contingit in peccatore qui habet actum Fidei, & Spei, & nondum habet actum Charitatis, nec Contritionis: & in eo qui diſpoſitionem habet Attritionis ad ſuſcipiendum Sacramentum prærequiſitam, antequam accedat ad illud reipſa recipiendum.

2 De Contritione autem, quæ eſt vltima diſpoſitio, docuit Franciſcus Syluius relatus à noſtro Cardinali Lugo *diſp.* 5. *ſect.* 8. non ſemper, imò nec frequenter, vel ordinariè habere coniunctam remiſſionem peccatorum, antequam recipiatur Sacramentum. Probat id *primò*, ex Auguſtino *tract.* 13. *in Ioannem*, dicente, Catechumenũ, quantumcumque proficiat, adhuc ſarcinam iniquitatis ſuæ portare, nec illi dimitti, niſi cùm venerit ad Baptiſmum.

Secundò, ex Tridentino *ſeſſ.* 14. *c.* 4. dicente, aliquando contingere Contritionem eſſe Charitate perfectam, & hominem reconciliare priùs, quàm actu Sacramentum ſuſcipiatur; ergo non ſemper Contritio actu reconciliat. Cur enim diceret, *aliquando*, &, *contingit*, ſi id ſemper locum haberet?

Tertiò, Magdalena dilexerat multùm, & tamen poſtea dictum eſt, *Remittuntur ei peccata multa*; ergo non fuit remiſſio ſimul in eodem inſtanti cum dilectione.

Quartò, Paulo, poſt perfectam conuerſionem, dictum eſt ab Anania, Actorum 22. *Exurge, & baptizare, & ablue peccata tua*: ergo non fuerunt remiſſa per Contritionem ante Baptiſmum.

Quintò, ſi per Contritionem obtineretur remiſſio peccati, fruſtra eſſet Sacramentum Pœnitentiæ; neque eſſet miniſterium Sacerdotum erga pœnitentes neceſſarium, nec rectè dixiſſet Bernardus, ſententiam Petri præcedere ſententiam Cœli.

Vltimò arguit, quia ſufficit Contritio ad ſtatum gratiæ, vt quid Confeſſio Sacramentalis præmittitur ante Euchariſtiam?

Verùm hanc ſententiã meritò reiiciũt omnes Theologi: eam iudicat eſſe erroneã Coninck *tom.* 1. *de Sacramentis, q.* 68. *a.* 2. *n.* 30. Vaſquez dicit *tom.* 2. *in* 3. *p. diſp.* 152. *n.* 3. eſſe contra ſententiam Catholicam Curiel 1. 2. *q.* 112. *a.* 3. *dubio vnico*, dicit eſſe periculoſam, & parùm tutam in fide. Alij denique dicunt eſſe ſcandaloſam; quia non parùm remoueret homines à procuranda Cõtritione, ſi ſcirent, non habituros ſe veniam ante ſuſceptionem Sacramenti. Ipſe verò dico ad minus eſſe manifeſtè temerariam; quia in re grauiſſima diſcedit ab omnibus Theologis, & à communi ſenſu ſanctorum Patrum ſine fundamento. 3

Quare dicendum eſt, in eodem inſtanti temporis, in quo eſt vltima diſpoſitio ad iuſtificationem, ſubſequi ipſam iuſtificationem, quæ includit ſanctificationem, ac remiſſionem peccatorum. Hoc manifeſtè oſtenditur verbis Tridentini *ſeſſ.* 6. *c.* 7. ſic dicentis. *Hanc diſpoſitionem iuſtificatio ipſa conſequitur, quæ non eſt ſola peccatorum remiſſio, ſed & renouatio, & ſanctificatio interioris hominis.* Idem conſtat ex *ſeſſ.* 14. *capit.* 4. Vbi ſupponit pro comperto, haberi aliquando remiſſionem peccati ante Sacramentum per Contritionem. Et *ſeſſ.* 13. *cap.* 7. permittit, Sacerdotem, vrgente neceſſitate poſſe celebrare ſine præuia Confeſſione: quia ſupponit poſſe præmittere Contritionem, quâ iuſtificetur. Præterea ex conſuetudine Eccleſiæ, liquet dari Indulgentias confeſſis, vel contritis; ergo ſupponit poſſe hominem iuſtificari per Contritionem, vt ſit in ſtatu gratiæ, & Indulgentiam obtineat; aliàs non concederet indulgentiam contritis, quia nunquam Papa dat, nec dare poteſt indulgentiam homini exiſtenti in peccato mortali. Tandem idem conſtat ex communi ſenſu, & vſu omnium Theologorum, & fidelium, ad Sacramenta adminiſtranda, vel ſuſcipienda, exceptâ Euchariſtiâ, non eſſe dę neceſſitate præcepti, quòd præcedat Confeſſio, ſed ſola Contritio, etiamſi ſit copia Confeſſoris: omnia autem Sacramenta, exceptis duobus, nempe Baptiſmo, & Pœnitentia, ſunt Sacramenta viuorum, & per ſe loquendo prærequirũt ſtatum gratiæ: ergo manifeſtè infertur, Contritionem perfectam ex lege Dei afferre infallibiliter gratiã; aliter enim tenerentur fideles recipere Sacramentum Pœnitentiæ ante illa omnia Sacramenta, vt haberent diſpoſitionem ſufficientem, ſine qua eſſet grauiſſimum ſacrilegium velle ſuſcipere aliquod Sacramentum. 4

Ad primum oppoſitum, conſtat ex multis locis D. Auguſtinũ docuiſſe, veram Dei dilectionem nunquam eſſe ſine remiſſione peccatorum. Quare illud Dictũ intelligendum eſt regulariter; quia rarò catechumenus ante Baptiſmum iuſtificatur, vel habet perfectam Contritionem, aut certè non habet illam moralem ſecuritatem, quam habent qui baptizantur. Ita interpretatur illum locum Vaſquez *tom.* 3. *in* 3. *p. diſ.* 152. *n.* 29. 5

Ad ſecundum, dico Concilium nomine Contritionis, intelligere perfectã, quæ eſt ex motiuo Charitatis, & etiã imperfectã, quæ eſt Attritio; vt ipſamet verba ſignificant: & ideò dixit contingere aliquando, Contritionem eſſe perfectã, & reconciliare; non quia nõ omnis Contritio perfecta reconciliet, ſed quia non omnis Contritio eſt perfecta. Imò ex hoc loco neceſſe eſt colligere, Contritionẽ perfectã ſẽper afferre ſecũ remiſſionem præſentem peccatorum; nam Concilium pro eodem reputat Contritionem eſſe Charitate perfectam, hoc eſt, ex motiuo Charitatis, & recõciliare; licèt neutrũ ſit de ratione Contritionis, prout abſtrahit à perfecta, & imperfecta. 6

Ad tertium, verba Chriſti eſſe intelligenda de remiſſione, quæ tunc temporis fiebat, in eo ſenſu, quo ſolemus, cùm quis iudicialiter abſoluitur, dicere, & loqui tota illa die de abſolutione quaſi de præſenti.

Ad quartum, dico Ananiam, vel ignoraſſe, vel dubitaſſe an fuiſſent remiſſa peccata Pauli : vel ſaltem timere poterat relictum fuiſſe aliquem reatum pœnæ, quem oporteret omninò per Baptiſmum tolli.

Ad quintum, negatur ſequela ; quia Sacramentum certius remedium eſt, cum ſufficiat cum ſola Attritione. Quis etiam neget miniſterium ſacerdotum erga pœnitentes eſſe neceſſarium, propter difficultatem Contritionis, & propter fragilitatem hominum. Illud autem dictum Bernardi veriſſimum eſt, quia ita eſt regulariter; quoniam Cõtritio in paucis præcedit. Imò & quando præcedit, reconciliat cum voto ad claues Petri.

Ad vltimum Reſpondeo, illud eſſe ſpeciale in Sacramento Euchariſtiæ, etiam ſi ſufficiat Contritio ad ſtatum gratiæ, Confeſſionem præmitti debere ante Euchariſtiam : quia dignitas Euchariſtiæ exigit ſecuritatem illam, quæ habetur per Sacramentum Pœnitentiæ de remiſſione peccati ; quod non æque habetur per Contritionem, de qua magis dubitamus, an vera fuerit.

7 Ex dictis ſatis conſtat, perfectam Contritionem eſſe vltimam diſpoſitionem, quam infallibiliter, ac ſtatim in eodem inſtanti conſequitur infuſio gratiæ, & iuſtificatio. Dubitari verò poteſt; an ſicut poſitâ vltimâ diſpoſitione ad formam ignis, ſi Deus ignem non produceret, aliquid efficeret contra exigentiam rerum ; ita ſimiliter aliquid præſtaret contra naturam Contritionis perfectæ, & actus dilectionis Dei, ſi illis poſitis gratiam non infunderet.

8 Ad hoc dubium Dico quatuor. *Primum* eſt, debitum iſtud gratiæ reſpectu Contritionis & dilectionis, non eſſe adeò ſtrictum, ſicut eſt debitum formæ ſubſtantialis, reſpectu ſuæ vltimæ diſpoſitionis. Patet, quia illa eſt diſpoſitio phyſica : at gratia nullam diſpoſitionem phyſicam ſupponit, ſed tantùm moralem, vt vidimus *ſuprà, ſectione prima*. Secundum, infuſionem gratiæ eſſe nouum beneficium, etiam ſuppoſitâ Contritione perfectâ, vt conſtat ex materia *de Gratia* ; ac proinde illam huic non eſſe debitam, itaut nequeat abſque vlla violentia negari : *Tertium*, Contritionem perfectam, ſeu amorem Dei, ſolùm eſſe vltimam diſpoſitionem ad gratiam, per modum impetrationis, aut meriti de congruo : neque enim reſpectu primæ gratiæ ſanctificantis, poteſt aliquid præſupponi vt meritum de condigno, ſed tantum vt meritum de congruo; atque ideò non neceſſariò, attentâ tantum naturâ rerum, connectitur cum gratia : meritum enim de congruo ſtrictam non habet connexionem cum præmio, ſed tantùm conducentiam quandam, quæ rectè explicatur congruentiæ nominę, adhoc vt Deus illius intuitu poſſit, ſi velit, moueri ad præmium conferendum. *Vltimum* eſt, ſecluſâ prædictâ ſtrictâ connexione, eſſe in prædictis actibus diſponentibus maximam conducentiam, vt Deus intuitu talium actuum tanquam diſpoſitionis vltimæ, velit gratiam infundere. Ratio eſt, quia prædicti actus ſupernaturales Contritionis, & dilectionis Dei ſunt perfectiſſimi, qui ex parte peccatoris reperiri queant ; itaut aliis perfectioribus non poſſit diſponi ad gratiam: deinde eo ipſo quòd illos habeat ſupponitur eleuatus ad beatitudinem; nam ad eum finem dantur illi ſupernaturalia auxilia ad tales actus eliciendos : ergo eſt valdè congruum vt Deus homini ſic diſpoſito, infundat gratiam habitualem.

9 Obiicies, actus Charitatis, qui eſt etiam diſpoſitio ad gratiam, non ex congruentia ſolùm, ſed ex natura rei eſt connexus cum habitu Charitatis ; ergo & etiam cum gratia ſanctificante, cum qua coniunctus eſt habitus Charitatis. *Reſpondeo*, actum Charitatis poſſe eſſe connexum ex natura rei, cum habitu Charitatis, ex eo ſolùm quia illum ſupponat tanquam principium actiuum, non quia ad illum ſit diſpoſitio; nam prout diſpoſitio eſt, ſolum habet connexionem quandam congruentiæ. Vnde actus Charitatis qui eſt vltima diſpoſitio, & non procedit ab habitu, tanquam à principio actiuo, nullam habet connexionem neceſſariam ex natura rei cum habitu, neque illum petit vt principium ſuæ entitatis productiuum; cùm enim ſit diſpoſitio immediata ad gratiam, & mediata ad habitum Charitatis gratiam concomitantem, non poteſt procedere ab ipſo habitu, vt clarè conſtabit ex dicendis *ſequenti ſectione*.

SECTIO V.

An actus Contritionis, qui eſt vltima diſpoſitio ad iuſtificationem, fiat ab habitu infuſo Charitatis, vel Gratiæ.

NOn eſt difficultas, an Contritio procedat ab habitu Charitatis poſt inſtans iuſtificationis, cùm debeat fieri connaturali modo, & per conſequens à potentia per habitum eleuata, & nihil tunc impediat ; ſed eſt de productione illius in ipſo inſtanti iuſtificationis. In quo, dubij ratio hæc eſt : nam Contritio tunc præcedit vt diſpoſitio præparans ad gratiæ infuſionẽ, vt ſatis indicat Trid. *ſeſſ.6.c.7.* ergo nequit procedere ab ipſo habitu Charitatis immediatè, & à gratia habituali mediatè; quia debet præſupponi independens ab illa. Ex alio verò capite, cùm Contritio, prout eſt diſpoſitio, ſit actus ſupernaturalis ſecundùm ſubſtantiam, prærequirit potentiam proportionatam, & principium ſupernaturale ex parte potentiæ eleuans à quo fiat; cùm verò hoc nequeat eſſe, niſi habitus Charitatis, videtur debere ab illo procedere. 1

Valdè communis eſt Thomiſtarũ opinio, quam etiam ſequũtur aliqui ex noſtris, Vaſquez, 1.2.*diſp.*211. Val. *diſp* 8.*q.*3.*punct.*4 & *q.*5.*punct.*4.§.4 & Ludouicus de Torrez. 2.2.*diſp.*77. *dub.* 3. affirmans procedere ab habitu Charitatis immediatè, & mediatè à gratia, etiamſi diſponat ad illam, datâ mutuâ prioritate inter actum & habitum; quam non repugnare exiſtimant. 2

Secunda ſententia negans, veriſſima eſt, quam ſequuntur antiqui Theologi Scotus, Gabriel Ricard. Capreolus, & alij, quos referunt Suarez *lib.*8 *de gratia*, *c.* 12. Card. Lugo *de pœnitentia*, *diſp.*8. *ſect.*7. & Ouiedo *de iuſtificatione tract.* 8. *controu.* 11. *punct.* 8. eamque amplectuntur cum fere omnibus noſtræ Societatis Doctoribus.

Sit igitur noſtra Concluſio, Contritionem quæ præparat, & diſponit ad iuſtificationem, & ipſius gratiæ ſanctificantis infuſionem, non poſſe effectiue procedere ab habitu Charitatis, & gratiæ. Variis rationibus, & argumentis prædictam Concluſionem firmant prædicti Doctores. Ipſe vnicum tantum proponam meo iudicio validiſſimum. Prius tamen præmitto tria ab omnibus concedenda. *Primum* eſt, Contritionem eſſe diſpoſitionem ſaltem moralem, præuiã ad primam gratiã iuſtificantẽ, vt eſt *ſuprà oſtenſum ſectione ſecunda*, & concedunt Thomiſtę. Quare ipſa Cõtritio in peccatore, non deſeruit per modũ puræ conditionis, ſed per modũ cauſæ impetrantis, ac moraliter mouentis, vel determinantis Deum ad infundendam gratiam. Vnde ipſa Contritio, prout eſt diſpoſitio, cenſetur eſſe meritum de congruo ad infuſionẽ gratiæ: habet enim quidquid requiritur ad 3

meritum

Digitized by Google

meritum de congruo, in eſſe diſpoſitionis. Quod patet manifeſtè. Tum ex Tridentino *ſeſſione* 14. *capite quarto*, dicente Contritionem fuiſſe omni tempore neceſſariam ad impetrandam veniam; ergò Contritio non vtcumque diſponit, ſed impetrando. Tum maximè ex variis locis Scripturæ ſacræ, in quibus dicitur, Deum moueri ex ſupernaturali hominis Contritione ad infundendam gratiam, intuitu illius deteſtationis, ac doloris; nam *Sap.* 11. ait, Deum propter pœnitentiam diſſimulare, id eſt condonare peccata: & *Pſal.* 50 dicitur, Deum non deſpicere *cor contritum, & humiliatum*. Tum deniq; quia poſitâ diuinâ lege, ſeu ordinatione, ſtatuente dandam eſſe gratiam ad poſitionem Contritionis, habet Contritio vtpote ſupernaturalis talem, ac tantam proportionem ad ipſam iuſtificationem obtinendam, vt nulla aptior diſpoſitio, neque altior inueniri poſſit; ergo eſt congruè meritoria gratiæ ſanctificantis; quia eſt diſpoſitio maximè proportionata, ſeu omnium maxima, quam peccator habere poteſt; etiam diuinâ adiutus gratiâ. Vnde diſpoſitio remota, qualis eſt actus Fidei, vel Spei, vel etiam Attritionis extra Sacramētum, non eſt congruè meritoria, quia poteſt dari alia præſtantior, ac nobilior diſpoſitio. Ex quo etiam fit Contritionem, licet non ſit ſatisfactio ſecūdùm æqualitatē, vel condignitatem, eſſe tamen ſecundùm maximā congruitatem; quia poſitâ lege, ac inſtitutione Dei, quâ talem ſatisfactionem à peccatore exigit, & illâ decreuit eſſe contentus, iam peccator exhibet quod poteſt, & quod creditor vult; & ita eius ſatisfactio dicitur valdè congrua aptitudine quidem ex natura rei, actu verò ex inſtitutione, ac diuina acceptatione.

4 Præmitto *ſecundò*, meritum etiam congruum in merente conſtitutum, eſſe cauſam moralem præmij. Patet, quia meritum non producit actione phyſica præmium eo pacto, quo cauſa efficiens producit ſuum effectum, vt conſtat; ſed ſolùm exiſtens in merente, & præuiſum à remuneratore influit per ſuum valorem in voluntatem remuneratoris, & mouet illum vt velit conferre præmium. Sic igitur Contritio, quæ eſt meritum de congruo exiſtens in peccatore, & præuiſa à Deo influit in voluntatem Dei, & mouet illum vt velit conferre, & conferat gratiam iuſtificationis.

5 Hinc præmitto *tertiò*, meritum etiam de congruo, vt ſit cauſa moralis præmij, & vt virtutem habeat cauſandi illud, & vt poſſit ſuam exercere cauſalitatem, debere habere actualem, & realem exiſtentiam abſolutam. Hoc omnes concedunt, dum explicant diuerſitatem in modo cauſandi finis, & meriti. Nam finis apprehenſus poſſibilis poteſt mouere, & mouet agens ad eligenda media, & executioni mandanda, vt ipſe reipſa exiſtat. Vnde idem finis in ſtatu poſſibilitatis, apprehēſus vt aſſequibilis, eſt cauſa electionis mediorum; & adhibitis mediis conducentibus, ipſe finis ſecundùm eſſe exiſtentię eſt effectus, quia finis exiſtens eſt in executione vltimus; licèt prior ſit in ratione cauſandi. Nam intendens finem adhibet media finis gratia, hoc eſt, vt ſit finis à parte rei. At meritum primò exiſtit vt cauſet, & quia exiſtit, & eſt meritum; ideò merens aſſequitur præmium: merens enim adhibet meritum vt aſſequatur præmium; & ideò remunerator dat illi præmium, quia merens habet meritum. Vnde meritum nō eſt cauſa pręmij pręuiſum à remuneratore vt poſſibile, aut vt futurum ſub conditione, ſed vt abſolutè exiſtens. Nam qui poteſt habere meritum, poteſt etiam habere præmium; non tamen promeretur illud ex eo quòd poſſit. Et qui in certo rerum ordine haberet meritum, ſi in eo collocaretur, etiam in eo ordine promereretur præmium; non tamen quia in eo ordine habiturus eſſet meritum, tunc de facto & actu promeretur præmiū. Eſt igitur meritū cauſa præmij exiſtēs abſolutâ exiſtentiâ, in qua à præmiante ſcientia viſionis præuidetur. Quare Contritio, quæ eſt meritum congruum, reſpectu gratiæ ſanctificantis, quæ eſt præmium, debet præſupponi exiſtens, vt moueat Deum ad dandam gratiam peccatori.

6 His præmiſſis, pono vnicum argumentum efficax, oſtendens non poſſe Contritionem procedere effectiuè ab habitu Charitatis, vel gratiæ. Quia Contritio eſt vltima diſpoſitio moralis per modum cauſæ, ſeu meriti de congruo mouens Deum ad gratiam ſanctificantē concedendam: ergo Contritio eo ipſo ſupponitur producta antequam exiſtat gratia: ergo non poteſt ab illa produci. Antecedens conſtans eſt ex præmiſſis, & admittitur à Thomiſtis. Prima conſequētia ſequitur ex eiſdem pręmiſſis; quia diſpoſitio moralis influit in formā per modum meriti, mouendo, & alliciendo voluntatem efficientis, vt formam producat: nequit autem mouere, niſi prout actu & extra cauſas exiſtens; ergo præuidetur producta ante exiſtentiam gratiæ: ergo non poteſt à gratia effectiuè produci. Firmo, nam exiſtentia Contritionis in peccatore, mouet Deum ad elargiendam illi gratiam, quia præuidetur à Deo ipſa Contritio vt diſpoſitio exiſtens, & excitans; ergo præuidet Deus exiſtentes omnes cauſas Contritionis, ſaltem cum ipſa Cōtritione ſimul: ergo ſi gratia habitualis eſt cauſa producēs Contritionem, præuidet Deus gratiam exiſtentem; ergo non poteſt velle dare gratiam, quia Contritio quæ eſt diſpoſitio exiſtit, vel propter Contritionem exiſtentem tanquam diſpoſitionem: Patet hæc vltima conſequentia quia velle dare gratiam propter Contritionem, quatenus eſt diſpoſitio, eſt velle dare primò gratiam; ſed non poteſt velle dare primò gratiam, ſi præuideat Contritionem exiſtentem à gratia tāquam à cauſa; ergo non poteſt velle gratiam propter Contritionem tanquam diſpoſitionem. Maior conſtat, quia moueri ad dandam gratiam propter vltimam diſpoſitionem, eſt velle complere exiſtentiam vltimæ diſpoſitionis in ordine ad gratiam tanquam ad formam; quod eſt coniungere primò gratiam cum ſua diſpoſitione; aliter enim ſequeretur Contritionem non eſſe diſpoſitionem ad primò habendam gratiam. Minor eſt certa, quia cognitio Contritionis exiſtentis, eſt cognitio gratiæ exiſtentis, vt cauſa eſt, ſed cognitio exiſtentiæ gratiæ non poteſt mouere ad dandam primò gratiam, cùm ſupponat illam exiſtētem: ergo non poteſt Deus velle dare primò gratiam ex cognitione gratiæ iam exiſtentis. Quis enim dicet me poſſe velle primò dare Petro librum, ex cognitione quâ videam Petrum iam habere librum?

7 Variè reſpondent Thomiſtæ ad hoc argumentum. Quamplures confugiunt ad mutuam prioritatem cauſarum in diuerſo genere; & dicunt, gratiam habitualem eſſe priorem actu Contritionis in genere cauſæ efficientis, quia Contritio à gratia tanquam à principio effectiuo dependet; & in hoc genere Contritionem eſſe poſteriorem: eandem verò eſſe priorem gratia in genere cauſæ materialis, quia gratia dependet à Contritione vt diſpoſitione tenente ſe ex parte cauſæ materialis. Quod firmant ex Ariſtotele 2. *phyſic c.* 3. & 5. *Metaph. c.* 2. dicente, cauſas eſſe ſibi inuicem cauſas, atque adeò concedente mutuam cauſalitatem. Quod axioma extendit D. Thom. 2. *phyſ. c.* 3. *lect.* 5. ad cauſam materialem, & formalem.

8 Reiicio ad Philoſophos mutuam hanc cauſarum prioritatem: & mitto etiam modò an diſpoſitiones teneant ex parte cauſæ materialis, vel in quo genere conducant. Solùm ad præſens inſtitutum Dico, hanc mutuam prioritatem inter diſpoſitiones morales, & principium efficiens, manifeſtam inuoluere repugnantiam. Probo, quia, vt dixi *ſuprà*, diſpoſitio moralis influit

in formam per modum meriti, mouendo, & alliciendo voluntatem efficientis, vt eam producat; ergo ſi ante diſpoſitionem iam ſupponitur forma producta in genere efficientis, etiamſi non ſupponatur recepta, vt dicunt Thomiſtæ, nihil poteſt præſtare diſpoſitio, & nullo modo poteſt influere reſpectu formæ quia diſpoſitio dependens in genere cauſæ efficientis à gratiæ forma; non ſolùm ſupponit voluntatem Dei determinatam ad producendam gratiam, ſed etiam omnipotentiam in genere cauſæ efficientis illam producentem; ergo nullum inuenit locum Contritio, vt poſſit voluntatem Dei mouere ad talem gratiam producendam.

Neque huic veritati opponitur Ariſtoteles, qui ſolùm agit ibi de cauſa efficiente, & finali, quæ quidem non cauſat propriè; & ideò licèt propriè pendeat ab efficiente, poteſt efficiens pendere a finali ſecundum eſſe intentionale, quod habet in mente. Nec D. Tho. loquitur de cauſa reſpectu eiuſdem effectus, ſed diuerſi, videlicet materiam cauſare entitatem formę materialis, formam verò cauſare materiam ſecundùm eſſe completum materiæ; hoc eſt, non entitatem materiæ, ſed complementum materiæ, quia forma eſt cauſa, quòd materia ſit completa, de quo nullum dubium eſſe poteſt.

9 Alij ex Thomiſtis, prædicta ratione conuicti, aliter reſpondent cum Caietano: in habituali gratia eſſe plura prædicata, vnum genericum, & aliud ſpecificum; & ſecundùm prædicatum genericum, gratiam eſſe priorem Contritione, & illius principium effectiuum; ſecundùm verò ſpecificum, eſſe poſteriorem Contritione, quia hæc diſponit ad prædicatum ſpecificum gratiæ, & non ad genericum; atque ideò gratiam eſſe priorem, & poſteriorem Contritione, non ſecundùm vnum prædicatum, ſed ſecundùm diuerſa; in quo nullam dicunt reperiri repugnantiam.

Verùm hæc ſolutio euidenter deſtruitur. *Primò*, quia gratia non poteſt eſſe prior ſecundùm rationem genericam, quin etiam ſit prior ſecundùm rationem ſpecificam; ergo nequit cauſare ſecundùm vnam rationem, & non ſecundùm aliam. Conſequentia eſt manifeſta, quia cauſa efficiens, eo modo quo eſt cauſa, eſt prior ſuo effectu; ergo cùm dicta prioritas ſumatur ab ipſa cauſalitate, vbi implicat prioritas ſecundùm vnam rationem, & non ſecundùm aliam, implicat quoque cauſalitas ſecundùm vnam rationem, & non ſecundùm aliam. Antecedens apertè demonſtratur; nam cauſa debet ſupponi realiter exiſtens, ſed gratia nequit ſupponi realiter exiſtens ſecundùm prædicatum genericum, quin ſupponatur etiam exiſtens ſecundùm prædicatum ſpecificum: ergo nequit eſſe prior ſecundùm vnam rationem, quin etiam ſit prior ſecundùm aliam. Minor probatur, quia exiſtentia cuiuſlibet entitatis dicit omnes perfectiones phyſicas illius, & vltimum indiuiduationis terminum. Quis enim dicet, exiſtentiam hominis non dicere animal & rationale exiſtens? vel poſſe hominem exiſtere ſecundùm rationem animalis, & non exiſtere ſecundùm rationem rationalis? Id enim apertè eſt chimericum contra totam Philoſophiam, & Metaphyſicam.

Secundò, dato etiam quòd virtus formalis cauſandi in gratia, foret ratio generica; adhuc tamen actio procedens à gratia, realiter procederet à tota gratia; quia actio realis non eſt præciſiua, neque ex parte agentis, neque ex parte effectus; ergo realiter ſupponeretur tota gratia phyſica prior ſecundùm omne prædicatum genericum, & ſpecificum; & totus effectus, nempe Contritio, ſecundùm totam ſuam entitatem, quæ phyſicè & realiter eſt ſimplex, & indiuiſibilis, eſſet poſterior.

Tertiò, admiſsâ illâ fictione, adhuc non poteſt ſubſiſtere prædicta ſolutio, vt nimirùm tota ratio formalis cauſandi in gratia ſit prædicatum genericum, eo modo quo in homine tota ratio cauſandi ſenſationem, eſt ſenſitiuũ. Patet, quia illa eſt ratio formalis cauſandi in cauſa, quæ continet omnes formalitates effectus, & eſt illi proportionata; ſed prædicatum genericum gratiæ nequit continere omnes formalitates Contritionis: ergo nequit eſſe ratio formalis cauſandi Contritionem. Minor conſtat, quia prædicatum genericum gratiæ ſolùm dicit rationem ſupernaturalis qualitatis, per modum habitus; ſed hoc neque eſt proportionatum, ratione talis ſupernaturalitatis ſpecificæ Contritionis, neque illam continet; ergo prædicatum genericum gratiæ nequit formaliter continere Contritionem vt effectum. Firmo; nam etiam Fides, Spes, & alij habitus ſupernaturales infuſi, conueniunt cum gratia in ea ratione generica, & tamen non ſunt cauſæ Contritionis; alias enim etiam eſſent illius cauſæ, quia continerent rationem formalem producendi illam: ſicut non ſolùm homo eſt cauſa ſenſationis, ſed etiam leo, quia continet rationem ſenſitiui, quæ eſt ratio formalis producendi ſenſationem. Vnde ſequeretur, inde omnes habitus ſupernaturales confundi, nam cùm omnes conueniant in ratione ſuperiori generica, ſi hæc eſſet ratio formalis cauſandi, quilibet habitus poſſet producere omnes actus aliarum virtutum, quod eſt abſurdum.

Vltimò falſum eſt, Contritionem poſſe diſponere præciſè ad rationem ſpecificam gratiæ, & non ad genericam quoque, quia gratia informat ſubiectum ſecundùm vtramque rationem ſuam, & genericam, & ſpecificam; ergo non intelligitur ſubiectum diſpoſitum ad recipiendam gratiam per id, quod ſolùm diſponeret ad rationem ſpecificam. Firmatur, nam Contritio habet proportionem in ratione diſpoſitionis cum ratione generica gratiæ; eſt enim Contritio in ratione generica ſupernaturalis, & conuenit in ea ratione cum gratia. Et certè quis nõ videat inde ſequi, Contritionem non eſſe ſufficientem diſpoſitionem ad gratiam, ac proinde neceſſarium eſſe alium actum diſponentem. Nam gratia non ſolùm recipitur ſecundùm rationem ſpecificam, ſed etiam ſecundùm rationem genericam; ergo ſi Contritio ſolùm diſponit ad rationem ſpecificam, per illam non eſt diſpoſitum ſubiectum ad rationem genericam; atque ideò neque ad recipiendam gratiam, & conſequenter requireretur alia diſpoſitio.

Ex doctrina tradita, colligo *primò*, actum Contritionis qui eſt vltima diſpoſitio ad gratiam, produci à peccatore, non adiuto habitu, ſed adiuto ſpeciali auxilio gratiæ, ſupplente vicem habitus; & vt ſic, eſſe diſpoſitionem ad gratiam habitualem: eundem verò Contritionis actum vt perſeuerantem conſeruari ab habitu Charitatis, & gratiæ. Ratio huius eſt, quia cùm habitus Charitatis ſit cauſa, potens dictam Contritionem conſeruare, & ſit cum omnibus requiſitis ad operandum, non eſt cur illi operatio conſeruationis negetur. Præſertim, quia potentiæ eſt magis connaturale, operari, vel ſaltem conſeruare Contritionem ſupernaturalem, prout eleuatæ ab intrinſeco habitu ſupernaturali proportionato, quàm ab auxilio Dei ſpeciali, quod ſolet adhiberi, deficiente habitu: ſicut etiam connaturalius eſt intellectui Beati elicere viſionem beatam, prout eleuato ab intrinſeco habitu luminis gloriæ, quàm ab ipſo Deo, medio ſpeciali auxilio ſupplente illum. Quare prædicta Contritio, prout procedit tantùm ab ſpeciali auxilio gratiæ, eſt diſpoſitio ad gratiam habitualem, & prior illâ abſolutè; vt verò procedit ſeu conſeruatur ab habitu Charitatis & Gratiæ, eſt effectus vtriuſque habitus, & vtroque habitu poſterior. 10

Colligo *ſecundò*, inuerſo ordine, ac de poſſibili, poſſe diuinâ virtute Contritionem eſſe vltimam diſpoſitionem ad gratiam, & ſimul efficienter procedere ab habitu Charitatis; ſi nimirùm produceretur habitus Charitatis ante ipſam gratiam habitualem, & ab illo habitu 11

charita

charitatis procederet prius naturâ actus Contritionis, & poſtea a Cōtritione tanquam diſpoſitione procederet habitus gratiæ. Hac ratione Contritio diſponeret ad habitum gratiæ, & nō ad habitū Charitatis, & effectiuè procederet ab habitu Charitatis, & non ab habitu gratiæ. Id enim ſic potuiſſet à Deo ordinari ſine vlla repugnantia, quia habitus Charitatis licèt ſit quaſi paſſio ſubſequens habitualem gratiam, potuit tamen a Deo produci ante gratiam; ſicut de potentia abſoluta poteſt illum producere, gratiâ habituali non productâ. De facto tamen conſtat non ita factum fuiſſe, ſed habitum charitatis produci, ſuppoſitâ productione habitus gratiæ, tanquam poſteriorem illa; ac proinde nullo modo poſſe eſſe priorem Contritione, quę eſt prior habitu gratiæ, & diſpoſitio ad illum.

12 Colligo *vltimò*, idem quod dictum eſt de Contritione, eſſe quoque dicendum de actu dilectionis Dei ſuper omnia; quia hic actus dilectionis, non ſecus ac Contritionis eſt per ſe loquendo vltima diſpoſitio ad gratiam habitualem, vt vidimus *ſuprà, ſectione tertia*; atque ideò eſt eadem ratio de vtroque actu.

13 Argumenta philoſophica, quæ obiiciunt Thomiſtæ contra noſtram doctrinam rectè tradūtur à noſtro Cardinali Lugo, & accuratè ſoluuntur. Solùm proponam vnum, quo ſoluto, ſimili modo alia ſoluentur ex phyſicis deprompta. Aër ingrediens per feneſtram, aperit feneſtram, & dependet ab ipſa apertione; ergo ſimiliter poteſt Contritio eſſe diſpoſitio gratiæ, & dependere ab illa in genere cauſæ efficientis. *Reſpondeo*, negando Antecedens; nam impulſus aëris aperiens feneſtram, non eſt ingreſſus aëris per feneſtram, ſed alius motus aëris, quo, apertâ feneſtrâ, ingreditur. Quare duo ibi ſunt diſtinguenda, & impulſus ab aëre in feneſtram impreſſus, & hic cauſat apertionem feneſtræ; non tamen is eſt ingreſſus aëris per feneſtram, & motus quo aër ingreditur, & hic eſt ingreſſus aëris, ſupponens iam apertionem feneſtræ. Quare nec apertio feneſtræ eſt poſterior ingreſſu aëris, nec impulſus ab aëre impreſſus in feneſtram eſt poſterior apertione feneſtræ.

SECTIO VI.

An Contritio de potentia Dei abſoluta poſſit eſſe ſimul cum peccato mortali etiam actuali.

1 Ratio dubitandi eſſe poteſt, quia vt dictum eſt *ſuprà*, neque Contritio, neque actus dilectionis ſuper omnia ſanctificat animam formaliter, nec illam reddit gratam Deo, vel acceptam ad beatitudinem; ergo non repugnat vtrumque actū eſſe ſimul cum peccato, etiam actuali. Firmatur: nam actuale peccatum poſſe committi per ſolam omiſſionem alterius actus, diſtincti ab actu Contritionis, & Charitatis, videtur certum; ergo tunc ſaltem nulla erit repugnantia, nec contraria, nec contradictoria, vt poſſit cum eo peccato eſſe ſimul Contritio, & dilectio.

2 Dico *primò*, implicare contradictionem, peccantem actu mortaliter habere ſimul Contritionem de peccato, vel actu diligere Deum ſuper omnia. Hoc manifeſtè oſtenditur, quia duo actus vitales contrarij, includentes contradictionem in obiectis ſuis, non poſſunt eſſe ſimul etiam de potentia Dei abſoluta, quia inuicem vnus deſtruit obiectum alterius: ſic impoſſibile eſt vt ſimul quis aſſentiatur, & diſſentiatur eidem propoſitioni; vel quòd ſimul credat contradictoria eſſe vera, ſiue vno, ſiue pluribus actibus: ſicut etiam eſt impoſſibile, vt quis pro vno, & eodem tempore efficaciter velit moueri, & quieſcere; vel quòd velit, & nolit moueri; Sic verò ſe habent Contritio, & peccatum actuale mortale; nam Contritio includit diſplicentiam de ſe, ac deteſtationem efficacem omnis peccati mortalis, ſeu nolitionem illius, & abſolutam voluntatem, & propoſitum non peccandi mortaliter; cum hoc autem manifeſtam repugnantiam inuoluit actuale peccatum mortale, quia non committitur ſine actuali voluntate illi propoſito contraria.

Dico *ſecundò*, non repugnare, de potentia abſoluta, Deum non remittere peccatum habituale mortale homini habenti perfectam Contritionem, vel dilectionem. Hoc videtur negari non poſſe: quia nulla implicatio contradictionis aſſignari poteſt; maximè cùm actus & habitus formaliter non opponantur: poteſt enim manere habitus erroris in eliciente verum aſſenſum; ergo & habitus peccati in deteſtante illud quocumque actu. Firmo idem: Tum quia perfecta Contritio non eſt forma delens peccatum, ſed vltima diſpoſitio; at poſitâ vltimâ diſpoſitione poteſt Deus non inducere formam; atque ideò poterit etiam non tollere peccatum. Tum etiam quia remiſſio peccati eſt liberale gratiæ beneficium diſtinctum ab ipſa Contritione, vel dilectione Dei; ergo liberum eſt Deo non conferre hoc beneficium, etiamſi talis actus fiat. Tum denique quia per Contritionem non ſatisfacit Deo peccator ad æqualitatem pro iniuria illi facta per peccatum: ergo non repugnat illam non remittere, quia nullus creditor cogitur remittere debitum non ſolutum. 3

Ad rationem dubitandi Reſpondeo, non oriri repugnantiam ex vi ſanctificationis; vnde ad id parum refert quòd perfecta Contritio non ſit forma ſanctificans; ſed oriri ex oppoſitione, quę inuenitur inter actualē volitionem, & nolitionem, ſeu inter actuales voluntates contradictorum obiectorum, vt ſunt peccare, & non peccare. Argumento eſt, quia eadem prædicta repugnantia reperitur quoque in actu Attritionis, quæ etiam voluntatem peccandi excludit ex ſuo motiuo generali. Imò licèt Attritio non ſit vniuerſalis, ſed ſpecialis in certa materia, ver. gr. Caſtitatis, cum illa repugnat ſimul eſſe actuale peccatum in eadem materia, propter eandem rationem implicantiæ, & contradictionis. 4

Ad confirmationem ſimiliter Dico, regulariter, & vt in plurimum, omiſſionis peccatum committi actuali voluntate omittendi, quæ repugnat cum dilectione Dei, vel Contritione. Quod ſi eiuſmodi peccatum ſit aliquando pura omiſſio per liberam ſuſpenſionem debiti actus voluntatis; hæc ipſa libera ſuſpenſio repugnat contradictoriè cum dilectione, vel Contritione, quia dilectio includit voluntatem efficacem faciendi quod quis tenetur; non igitur cum illa voluntate ſtare poteſt carentia alterius voluntatis præceptæ. Imò etiamſi ſit inconſideratio, dummodò non ſit naturalis, ſeu inuincibilis, ſed culpabilis, impoſſibile eſt eſſe ſimul cum actuali Dei dilectione, vel cum Contritione: nam qui diligit, ſeruat præcepta, & non eſt in mora culpabili; quare vel non erit vera dilectio ſuper omnia, & efficax; vel inconſideratio, quæ ſimul cum illa fuerit, erit omninò inculpabilis. 5

SECTIO VII.

An poſſit peccatum remitti de potentia Dei abſoluta abſque vlla diſpoſitione Contritionis.

1 PRocedit quæſtio de habituali peccato per actum propriæ voluntatis inducto; & de hoc quærimus, an poſſit tolli, vel per extrinſecam Dei condonationem, vel per gratiæ habitualis infuſionem, ſine Contritione tamen, vel alio ſimili actu retractationis peccatoris.

2 Sententia eſt communis inter Thomiſtas, quam tenent Sotus *in 4. d. 15. n. 2.* Petrus de Soto *lect. 4. de Pœnitentia*, Conradus 1. 2. *q.* 112. *ad* 1. & alij, implicare contradictionem peccatum propria voluntate contractum remitti ſine aliquo actu retractationis eiuſdem voluntatis. Probant *primò* ex D. Thom. 3. *p. q.* 86 *art.* 2. dicente, hominem offendere Deum, dum ſua voluntate conuertitur ad creaturam; & ideò ad remiſſionem talis offenſæ neceſſarium eſſe, vt voluntas hominis mutetur per conuerſionem ad Deum, & deteſtationem prioris conuerſionis ad creaturam. Vnde concludit ſanctus Doctor: Et ita impoſſibile eſt, vt alicui remittatur peccatum ſine pœnitentiæ virtute.

Secundò, macula peccati non eſt ſola phyſica priuatio habitualis gratiæ, ſed præcipuè eſt moralis deordinatio, manens ex peccato actuali præterito, & non retractato: ergo impoſſibile eſt remitti peccatum ſine actu proprio peccatoris. Conſequentia patet, quia quamdiu illa prior conuerſio peccatoris ad creaturam, non retractatur ab illo, ſemper manet moraliter in ratione voluntarij; nec infuſio habitus gratiæ, nec extrinſeca diuina condonatio reddit inuoluntarium homini, quod illi ſemel placuit. Vnde illa permanentia ſi explicetur per modum relationis, ſemper manet, cùm maneat idem fundamentum, & terminus eius: ſi intelligatur per modum moralis adhæſionis, ſemper voluntas manet eodem modo adhærens creaturæ; atque ideò eodem etiam modo auerſa à Deo. Si denique conſideretur per modum priuationis moralis conuerſionis ad Deum, hæc non poteſt, niſi per moralem conuerſionem in Deum expelli, quia priuatio non tollitur niſi per formam oppoſitam; ergo.

Tertiò, non poteſt Deus remittere peccatum homini, niſi eum diligendo, & in gratiam ſuam recipiendo; at non poteſt eum ſic diligere, niſi illius auerſam voluntatem conuertat per proprium actum; neque enim aliter peccator fieri poteſt bonus, & iuſtus: quia ſicut non potuit fieri peccator niſi per propriam conuerſionem, & auerſionem; ita nec fieri poteſt bonus, niſi per oppoſitam conuerſionem & auerſionem: ergo non poteſt Deus remittere peccatum ſine proprio actu peccatoris.

Quartò, non poteſt homo tranſire à ſtatu peccati ad ſtatum munditiæ, ſeu carentiæ culpæ, ſine alicuius perſonæ mutatione: ſed non poteſt id fieri per mutationem Dei, vt conſtat: ergo per mutationem peccatoris medio nouo actu.

Vltimò, ſi peccatum poſſet remitti abſque vllo actu retractationis ex parte peccatoris, remitteretur per ſolam non imputationem Dei, ſeu quod idem eſt, per ſolam extrinſecam Dei cõdonationem: hoc autem eſt falſum, quia aliàs peccatum habituale diceretur ſolùm eſſe in homine, quia à Deo imputetur; nam oppoſitorum eadem eſt ratio.

3 Contraria ſententia, quam defendunt Suarez *diſp 9. de Pœnitentia, ſect. 2. & lib. 7. de gratia, c.* 21 Cardinalis Lugo *diſp. 7. ſect.* 8. & multi alij, quos ipſi citant, veriſſima eſt. Ratio quæ me magis mouet ad illam amplectendam, hæc eſt: quia poteſt Deus condonare offenſam peccati ſine retractatione vlla peccatoris; ergo tunc tolletur, ac remittetur peccatum ſine actu contritionis. Conſequentia euidens eſt. Quis enim mente concipere poteſt, peccata à Deo condonata, & remiſſa, non extingui, ſeu tolli, ſed adhuc manere? Antecedens probatur, tum ex humanis; quia poteſt homo remittere offenſam ſibi irrogatam, quantumuis offenſor eam non retractauerit, nec illius vnquam meminerit. Tum quia, ſicut commiſſio peccati eſt opus hominis; ita illius remiſſio eſt opus Dei; ergo à Deo ſolùm, ſeu ab eius liberali condonatione tantùm dependet, peccatum remitti, aut non remitti: eſt enim ſupremus Dominus omnium, & ab eius vnica voluntate pendet, condonare delicta, nullo actu delinquentis præcurrente. Firmo, nam peccatum actuale præteritum non permanet niſi habitualiter; quia eo ipſo quòd homo ceſſat ab actu peccandi, ſtatus peccati iam non eſt illi actualiter voluntarius; neque etiam virtualiter, quia virtuale voluntarium non eſt ſine aliquo voluntario actuali: vnde permanet habitualiter tantùm per modum cuiuſdam debiti, vel moralis indignitatis perſonæ, quæ illud commiſit, quatenus homo peccando iniuriam Deo intulit, quam in ſe retinet, quãdiu pro ea non ſatisfecit: at debitum etiam voluntariè contractum poteſt à perſona offenſa, ſeu à creditore, maximè à Deo, remitti ſine voluntate debitoris, ergo id in quo habitualiter remanet peccatum actuale præteritum, poteſt auferri à Deo ſine voluntate peccatoris: ergo poteſt ſine tali voluntate remitti peccatum. Quòd ſi inter homines remiſſio debiti ſoleat perfici per acceptationem debitoris, ſicut donatio per acceptationem donatarij; tamen reſpectu Dei donantis, talis acceptatio neceſſaria non eſt, ratione ſupremi dominij, quod Deus habet in omnium creaturarum voluntates, ac proinde vt illius remiſſio, ac condonatio efficaciam habeat, nullo modo tali indiget acceptatione.

Ad hoc argumentum poteſt reſponderi, Deum poſſe remittere peccatum, quatenus eſt offenſa illius, non verò quatenus dicit oppoſitionem cum natura rationali. Quamuis enim per extrinſecam Dei condonationem remitti queat debitum pertinens ad Deum, cui iniuria facta eſt, atque ideò auferatur illa deformitas quæ in iniuria fundatur; non tamen per illam deſtruitur, ſeu aufertur alia malitia culpæ, prout eſt contra rectam rationem, vel contra naturam intellectualem. 4

Sed contrà eſt, quia Deus eſt caput, & Dominus rationalis naturæ; ergo poteſt condonare quidquid contra ipsã commiſſum eſt. Præterea oppoſitio cum natura rationali tantùm remanet habitualiter in ratione, ſeu obligatione ſatisfaciendi; hanc autem obligationem poteſt Deus relaxare: ergo poteſt auferre permanentiam illius oppoſitionis contra naturam rationalem, quæ eſt in habituali peccato. Firmatur id totum, nã Dei condonatio, cùm ſit perfecta condonatio totius culpæ, nullam relinquit maculam etiam contra naturam rationalem: quia Deus vt ſupremus Dominus omnis naturæ intellectualis, optimè poteſt tollere omnem culpam, non ſolùm provt eſt offenſa & iniuria ſua, ſed etiam provt opponitur omni creaturæ, & cuilibet bonitati, & honeſtati, deſtructâ omninò integrâ deformitate, & omni maculâ peccati; nec poteſt intelligi deſtructio peccati, provt eſt offenſa Dei, quin reipſa maneat deſtructa omnis ratio malitiæ, tam generica, quàm ſpecifica in tali peccato incluſa. Si enim compenſatio, ſeu ſatisfactio æqualis, & condigna ipſius peccatoris, ſi poſſibilis eſſet, extingueret reipſa omnem malitiam culpæ, tam genericam, quàm etiam ſpecificam, & propriam; multò magis perfecta condonatio Dei valere

debet

Digitized by Google

debet ad extinguendum omnem titulum, & omnem rationem formalem maculæ ex peccato relictæ, ita vt nihil peccati, vt peccati, maneat non extinctum, & omninò ablatum. Nam ad tollendam omnem illam rationem malitiæ, poteſt ſufficere voluntas Dei ſine mutatione phyſica: ſic enim poteſt Deus ſua voluntate diſſoluere vinculum matrimonij, & relaxare votum, ac remittere veniale peccatum. Neque in hoc poteſt ex parte effectus oſtendi repugnantia, cùm reuera poſſit aliquo modo deſtrui; neque ex parte Dei admittenda eſt, cùm ſit omnipotens, & ad id ſufficiat voluntas efficax, & remiſſio Dei.

5 Ad argumenta oppoſita. Ad primum Dico, loqui D. Thomam de lege ordinaria, ſeu ex vi præſentis prouidétiæ, non verò de potentia abſoluta. Et quamuis ibi dicat S. Doctor, poſſe peccatum remitti ſine pœnitentiæ Sacramento, & non ſine Pœnitentiæ virtute; id non obſtat, quia loquitur de Sacramento in re ſuſcepto, ſine quo dicit poſſe tolli peccatum etiam de lege ordinaria; non verò ſine retractatione peccati reipſa poſita vel formali, vel virtuali.

6 Ad ſecundum Reſpondeo, permanentiam habitualem peccati, ex vi cuius, homo remanet peccator, & Dei inimicus, non fundari in illa permanentia habituali orta præcisè ex eo quòd præceſſerit actus voluntatis, & illum non retractauerit; ſi enim hoc eſſet illius fundamentum, certè poſitâ retractatione peccatoris, auferretur formaliter peccatum habituale, & remitteretur culpa, quod dici non poteſt; ſed hanc permanentiam eſſe moralem, & conſiſtere in hoc quòd Deus rationabiliter indignetur, & auertatur ab illo; & ea non deſtruitur niſi per Dei condonationem. Quare tametſi verum ſit ex eo præcisè, quòd actus peccati, qui præceſſit, non fuerit retractatus, quòd permaneat habitualiter, & ſit illius obiectum habitualiter voluntarium, per puram extrinſecam denominationem deſumptam ab actu præterito non retractato; falſum tamen eſt in ea conſiſtere, vel conſtitui peccatum habituale, vel eam conſtituere hominem habitualiter peccatorem; quia peccatum habituale non dicit permanentiam habitualem ex actu præterito non retractato, ſed permanentiam moralem auerſionis à Deo, per quam conſtituitur in ratione odibilis à Deo; & hæc eſt macula habitualis, quæ per condonationem diuinam deſtruitur, & non per retractationem. Hæc doctrina exemplo perſpicuo illuſtratur hominis, qui vouit Religionem, ſane poſtea illa voluntas dupliciter perſeuerare dicitur: *primò*, habitualiter in ratione voluntarij, quandiu illa voluntas non retractatur: *ſecundò*, moraliter quoad effectum obligandi; nam quantumcumque retractet illam priorem voluntatem, ſemper manet moraliter votum, obligans eum, quandiu non aufertur. Quòd ſi illud votum à Pontifice auferatur, etiam inſcio, vel inuito quoque illo, qui vouit, non manebit moraliter votum in ordine ad obligandum; tametſi maneat habitualiter in ratione voluntarij, quandiu non retractatur illa prior voluntas. Similiter ergo cum proportione, ex peccato actuali reſultat permanentia moralis auerſionis à Deo in peccatore, quatenùs reſultat Deo ius contra illum ad odium rationabile illius, huic iuri poteſt Deus cedere, etiam peccatore inſcio, vel inuito, per liberalem iniuriæ condonationem, manebit tamen adhuc peccatum habitualiter in ratione voluntarij, quandiu non retractatur: quæ permanentia non reddit hominem reum culpæ, ſed illa prior.

7 Ad tertium, conceſſa Maiore, negatur Minor: nam ſufficit vt Deus hominem in ſuam gratiam recipiat, condonando illius peccata, ad hoc vt illius voluntas iam non ſit actu auerſa à Deo, & fiat moraliter ad ipſum Deum conuerſa; hoc enim fit, dum deſtruit Deus auerſionem moraliter permanentem in obligatione ſatisfaciendi, ſeu in carentia actus diuinæ voluntatis, qui ſit condonatio peccati.

Ad quartum, facilè intelligitur, Deum ſine vlla ſui mutatione poſſe efficere illam moralem mutationem in homine, licet nō faciat phyſicam; eámque ſufficere, vt homo qui antea erat in peccato, nunc non ſit. Sicut enim homo remittendo alteri offenſam vel debitum, facit, vt ille qui antea erat illi offenſus, vel debitor, iam non ſit, ſine mutatione phyſica eius, cui fit remiſſio; ita potiori iure idem videtur poſſe facere Deus. Sed cum hac differentia, nam homo vt remittat alteri, habet nouum actum voluntatis quo mutatur; Deus autem ſine ſui mutatione poteſt ex æternitate habere decretum, ſeu determinationem ſuæ voluntatis pro tali tempore. Quod firmatur exemplo morali voti; nam homini habenti debitum voti, poteſt Deus illud remittere ſolâ ſuâ voluntate; & tunc fiet ex debitore non debitor, pro diuerſis temporibus, ſine mutatione Dei, & ſine hominis phyſica mutatione cum ſola morali, quia eſſe debitorem ex voto, ſolum quid morale eſſe cenſetur.

8 Ad vltimum, concedo, de potentia abſoluta poſſe peccatum expelli per ſolam extrinſecam voluntatem Dei; quæ non eſt non imputatio, ſpecie tenus, ſed eſt propriè vera deſtructio, & abolitio peccati, quoad eius formalem rationem. Vnde hinc non ſequitur, peccatum habituale conſiſtere ſolùm in imputatione, vel non remiſſione diuina; ſolùm enim ſequitur hanc eſſe veluti conditionem neceſſariam vt ſit. Sicut enim res non eſt, niſi quandiu conſeruatur, ſeu quandiu non deſtruitur à Deo; ita ſimiliter Deum non remittere, eſt conconditio neceſſaria, vt peccatum præteritum maneat habitualiter, & conſtituat peccatorem; ipſum verò non conſiſtit in non remiſſione diuina, vel in imputatione. Non enim ideò eſt peccatum, quia imputatur, ſed potiùs ideò imputatur, quia verè eſt. Peccatum igitur habituale exiſtere dicitur morali modo, per moralitatem quandam, quæ durat, & denominat hominem auerſum à Deo, & reuera facit illum dignum odio, & inimicitia Dei, quandiu modo aliquo ſufficiente non deletur. Modus autem ſufficiens tollendi peccatum de potentia abſoluta, eſt per remiſſionem: nam ſicut res illa moralis eſt, ita etiam morali modo, & per moralem actionem tollitur. Quæ actio eſſe poteſt illius, qui paſſus eſt iniuriam; quia ſicut iniuria fit per voluntatem inferentis illam, ita deſtruitur per voluntatem eius qui illam paſſus eſt; ſi illam remittat. Quare ſicut in humanis, qui alteri iniuriam intulit, eſt illi odioſus, & de ſe inuiſus, quandiu non ſatisfacit, vel quandiu alter non remittit iniuriam, ex quo non ſequitur iniuriam, aut debitum humanum conſiſtere in alterius imputatione; ſed ſolum ſequitur pendere aliquo modo ex alterius voluntate, aut remiſſione; ſic ſeruata proportione, dicendum eſt de Deo in præſenti controuerſia. Eſt verò valdè notandum, malum morale, ſeu peccatum vt ſic, ſicut non fit à Deo, ita nec ab ipſo conſeruari, propriè, ac per ſe loquendo; & ideò nunquam dicendum eſt pendere à Deo; quia tamen poteſt à diuina voluntate deſtrui; ideò dum non deſtruitur, ſeu remittitur, permanet. Vnde hac de cauſa, dixi negationem huius remiſſionis eſſe conditionem neceſſariam vt peccatum ſit, non verò, eſſe veram cauſam durationis eius. Quia licèt voluntas diuina, quia eſt ſuprema, & omnipotens, poſſit rationem moralis in tali peccato inuentam deſtruere vt dixi, nihilominus tamen ad remiſſionem obtinendam requiritur moraliter loquendo, & iuxta modum ipſis rebus magis conuenientem

Digitized by Google

nientem, vt is qui iniuriam intulit, ipſam iniuriam retractet, vel petat veniam, vel aliquo modo alio ſibi poſſibili, remiſſioni cooperetur, & ſe diſponat ad priſtinam amicitiam recuperandam, vt peccatorum remiſſio ſit omninò perfecta. Hanc doctrinam tradit egregiè noſter Suarez *diſp.9. ſect.4.* Videatur *num.15.* vſque ad finem ſectionis.

DISPVTATIO IX.

De Virtute, ſeu efficacia Contritionis ad delenda peccata, & mala pœnæ remittenda.

QVAMVIS poſſit Deus abſque vllo actu Contritionis, & Pœnitentiæ, omnia condonare peccata; conſtat tamen ex præcedenti Diſputatione, Contritionem de facto, & ex diuina ordinatione, congruam eſſe ac moralem diſpoſitionem neceſſariam ad remiſſionem peccati mortalis extra Sacramentum. Quanta igitur ſit illius virtus, & efficacia ad hunc effectum, qui eſt omnium præcipuus, in hac Diſputatione eſt declarandum; cùmque huic effectui ſit etiam valdè affinis remiſſio pœnæ ipſi peccato debitæ; qualis etiam ſit in ordine ad illam, eſt quoque proculdubio explicandum.

SECTIO PRIMA.

Vtrùm Contritio ſufficiat ad delenda omnia peccata mortalia.

1 TRes Hæreticorum errores recenſet Suarez *diſp.8. ſect.1.* Primus eſt eorum qui abſolutè negant actũ Pœnitentiæ ſufficere ad delenda peccata. Quem probant ex illis verbis Pauli *ad Hebræos cap.6. Impoſſibile eſt, eos qui ſemel illuminati ſunt, &c.* Et cap.10. *Non relinquitur hoſtia pro peccato.* Secundus, aliorum aſſerentium, ſemel poſſe remitti peccata per Pœnitentiam, non autem ſæpiùs. Quod ideò probant; quia aliàs daretur hominibus nimia peccandi licentia, ſi ſemper peccatorum remiſſio concederetur per pœnitentiam. In cuius ſignum dicunt Chriſtum in Euangelio neminem bis curaſſe. Tertius denique eorum, qui ſpecialia quædam peccata irremiſſibilia eſſe fingunt, vt apoſtaſiam à fide, aut negare Chriſtum in tormentis. Quod fundant in illis ſacræ Scripturæ locis, in quibus peccatum in Spiritum ſanctum, & peccatum ad mortem eſſe irremiſſibile indicatur.

2 Dico *primò*, perfectam Pœnitentiam, ſeu Contritionem, tam in lege gratiæ, quàm ante illam, fuiſſe & ſemper eſſe ſufficientem ad delenda omnia peccata mortalia. Eſt de fide, conſtans ex variis Scripturæ locis, inuitantibus omnes peccatores, ſine vlla limitatione ad Pœnitentiam, promittendo illis veniam, & vitam. Sapientiæ 11.24. *Miſereris omnium, quia omnia potes, & diſſimulas peccata hominum propter pœnitentiam:* id eſt, patienter expectat, donec Pœnitentiam agant, & ſic veniam conſequantur. Iſaiæ 55. *Derelinquat impius viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas, & reuertatur ad Dominum, & miſerebitur eius, & ad Deum noſtrum: quoniam multus eſt ad ignoſcendum.* Ezechielis c.18. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, vita viuet, & non morietur. Omnium iniquitatum eius, quas operatus eſt, non recordabor: in iuſtitia ſua, quam operatus eſt, viuet.* Hæc etiam veritas definita eſt in multis Conciliis, & nouiſſimè in Tridentino *ſeſſ.6. cap.14. & canone 29.* ſic dicente: *Si quis dixerit, eum, qui poſt Baptiſmum lapſus eſt, non poſſe per Dei gratiam reſurgere, &c. anathema ſit.* Et ratione Theologica firmatur, quia hæc res pendet ex voluntate, & promiſſione diuina; hæc verò ſatis nobis conſtat ex locis relatis, & aliis, quæ omittimus; eſt quoque valde conſentanea miſericordiæ Dei infinitæ, ſuperabundanti Chriſti ſatisfactioni pro noſtris peccatis, & etiam imbecillitati hominum maximæ; quâ poſitâ faciunt id omne quod poſſunt, vt remiſſionem peccatorum obtineant, dum per actum Contritionis, qui eſt omnium præſtantiſſimus, ac magis proportionatus ad eum finem, ſe ad Deum conuertunt.

3 Dico *ſecundò*, Contritionem perfectam, non tantùm ſemel, ſed quoties homo peccauerit, ſufficientem eſſe ad peccata tollenda. Hoc etiam eſt de fide, firmatum quoque prædictis Scripturæ teſtimoniis, quæ vniuerſalia ſunt, & intelligenda non ſolùm de primo peccato, ſed de ſecundo, & tertio, & ſic de aliis in infinitum. Quod etiam ſatis declarant verba Chriſti Domini Matthæi cap.18. *Non dico tibi ſepties, ſed vſque ſeptuagies ſepties.* Vbi ille numerus pro indefinito ponitur, vt obſeruant ſancti Patres. Et quamuis ibi ſit ſermo ad litteram de remiſſione iniuriarum hominum inter ſe, per id tamen ſignificauit Chriſtus Dominus infinitam Dei clementiam, quæ pœnitentiam hominum ſemper acceptat. Firmatur quoque ratione præcedentis Dicti: Tum etiam, quia ſecunda Contritio, tertia, & quarta & ſic in infinitum, non eſt minus bona & honeſta, nec minùs efficax, quàm prima: peccata autem quæ præceſſerunt, cùm iam ſint omninò deleta, non poſſunt obeſſe: neque etiam circumſtantia ingratitudinis, quæ eſt in poſterioribus peccatis poſt remiſſionem priorum, adeò eſt grauis, quin aliæ grauiores per Pœnitentiam deleantur. Meritò igitur SS. Patres, & omnes Theologi, vt certum de Fide fatentur, Pœnitentiam eſſe iterabilem: quod æquè verum iudicant de virtute, ac de Sacramento Pœnitentiæ.

4 Dico *tertiò*, nullum eſſe peccatum adeò graue, nec ſæpeſæpius commiſſum, quod non poſſit per Contritionem deleri in hac vita. Id etiam eſt certum de Fide, deſumptum ex ſupradictis teſtimoniis, in quibus nulla eſt exceptio alicuius peccati etiam grauiſſimi, nec multitudinis peccatorum etiam maximæ. De fide etiam eſt Sacramentum Pœnitentiæ cum debita diſpoſitione applicatũ valere ad omnia peccata delenda, quantũuis grauia, & multa, iuxta verba illa Chriſti Dominij Ioã.c.20. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis;* ſine limitatione vlla, aut reſtrictione prolata. Igitur idem dicendum eſt de Contritione, quæ in voto Sacramentum illud includit, iuxta doctrinam Tridentini *ſeſſ.14. cap.4.* Ex quo habetur, omne peccatum, quod per Pœnitentiæ Sacramentum poteſt remitti, auferri quoque per Contritionem includentem votum eiuſdem Sacramenti.

5 Ex dictis Colligo *primò*, ea Scripturæ loca, in quibus dicitur, aliquos peccatores, etiamſi conuertantur, & clament, non exaudiri à Deo; eſſe intelligenda de peccatoribus non habentibus veram Pœnitentiam, nec veram peccati deteſtationem. Sic enim de Antiocho dicitur 2.Machab.4. *Orabat ſceleſtus Dominum à quo non erat miſericordiam conſecuturus.* Quo etiam ſenſu intelligi poteſt, quod de Eſaü dixit Paulus ad Hebr.12. *Cupiens hæreditare benedictionem, reprobatus eſt: non enim inuenit locum pœnitentiæ, quamquam cum lachrymis*

chrymis inquiſiſſet eam. Quia videlicet pœnitentia bona non erat, cum qua ſtabat animus occidendi fratrem. Adde, nonnullos graues Doctores ſentire, in hoc loco, neque eſſe ſermonem de pœnitentia Eſaü, nec de pœnitentia peccati; ſed de pœnitentia Iſaac, & de retractatione prioris facti, nimirùm benedictionis quam dederat Iacob: hanc enim petebat Eſaü cum lachrymis etiam, & eiulatu, & obtinere non potuit.

6 Colligo *ſecundò*, impoſſibile eſſe de facto, attento ordine, ac lege diuinæ Prouidentiæ, remitti peccatum mortale perſonale extra Sacramentum ſine Contritione, per ſe loquendo. Id ſatis ſignificant illa verba Luc. 13. *Si pœnitentiam non egeritis, omnes ſimiliter peribitis.* Eccleſiaſtici quoque *cap.* 2. meritò laudatur illa vox timentium Dominum. *Si pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini.* Et certè teſtimonia adducta ſatis apertè ſignificant, dum Pœnitentiæ tribuunt remiſſionem peccatorum, illam fuiſſe ſemper medium neceſſarium extra Sacramentum. Vnde rectè Tridentinum *ſeſſ.* 14. *cap.* 4. Sic dixit. *Fuit autem quouis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic Contritionis motus neceſſarius.*

7 Ad loca illa Pauli, quibus Hæretici probant illum ſuum primum errorem, Dico, in primo loco ſermonem eſſe, non de quacumque pœnitentia, ſed de renouatione per Baptiſmum, qui cùm reiterari non poſſit, impoſſibile eſt renouari per iteratum Baptiſmum, & conſequi illam liberalem remiſſionem totius culpę, & pœnę, eo modo, quo in Baptiſmo conceditur. In ſecundo loco Paulus loquitur aduersùs illos, qui volebant ſimul cum Euangelica lege retinere legem Moyſis: & de his dicit, nullam ipſis relinqui hoſtiam pro peccato: non enim reſtat illis hoſtia quam Chriſtus obtulit, quæ deficientibus à lege Chriſti nihil prodeſt; neque etiam reſtat hoſtia Legis veteris, quæ iam eſt abolita per legem Chriſti.

8 Ad argumentum probans ſecundum errorem, facilis eſt ſolutio, negando propter remiſſionem peccatorum per pœnitentiam, dari hominibus licentiam peccandi. Tum quia multò maior daretur, ſi homines deſperarent remiſſionem. Tum quia licèt aliqui malè vtantur hac Dei miſericordia, non ideò debent boni priuari fructu Pœnitentiæ. Tum denique, quia in hoc magis oſtendit Deus odium peccati, quia ſemper illud deſtruit, quoties homo cooperatur diuinæ gratiæ, & ſe diſponit, prout poteſt, & debet, ad remiſſionem peccatorum.

9 Ad duo illa teſtimonia, in quibus fundant Hæretici tertium illum errorem, facilè reſpondemus. In primis ad illud de blaſphemia in Spiritum ſanctũ, quæ non remittitur in hoc ſęculo, neque in futuro: Dico, peccata cõtra Spiritum ſanctum, dici illa, quibus Spiritus ſancti opera, quæ ad noſtram ſalutem operatur, tribuuntur ſpiritui malo, prout tribuebant illi, contra quos loquebatur Chriſtus. Vnde Marcus *cap.* 3. reddens rationem illius ſententiæ, ſubiunxit; *Quoniam dicebant: Spiritum immundum habet.* Huiuſmodi verò peccata irremiſſibilia dicuntur, nonquia pœnitenti non remittantur, ſed quia difficillimè tolluntur: nam homini ſic malè affecto eſt valdè difficile veram pœnitentiam concipere, propter cordis obdurationem, & mentis excæcationem: nec mirum, quia magis directè opponitur contra Dei bonitatem, quæ eſt fons inſpirationum, & gratiarum, quibus homo ad pœnitentiam moneri debuiſſet.

10 Ad aliud teſtimonium 1. Ioann. 5. *Eſt peccatum ad mortem: non pro illo dico vt oret quis*, quibus verbis inſinuatur eſſe irremiſſibile; & ideò non eſſe orandum pro tali peccatore, ſicut non oramus pro damnatis: variæ ſunt expoſitiones. Mihi placet illa, quam tradit noſter Cornelius à Lapide, dicens; ſicut ex plagis, aut ægritudinibus aliæ dicuntur non lethales, illæ nimirùm quæ facilem habent curationem, nec communiter afferunt mortẽ; alię vero lethales dicuntur quę communiter afferunt interitum, eo quòd vix, aut nunquam curentur, ita pariter, licèt omnia peccata mortalia afferant ſecum carentiam gratiæ ſanctificantis, & huius ſpiritualis vitæ priuationẽ; aliqua tamen facilem habent curationẽ, quia nec fidem, nec ſalutis deſiderium extinguũt; quare communi Sacramentorum viu curantur; alia verò difficillime curantur, & frequenter afferunt mortem æternam, quia fidem expellunt; quæ eſt initium ſalutis, vt apoſtaſia à fide, hæreſis, & ſimilia; vel deſiderium ſalutis extinguunt, vt impœnitentia formalis, deſperatio, propoſitum perſeuerandi in peccato per totam vitam: quæ licèt aliquando curentur, dicuntur tamen peccata ad mortem, quia communiter non ſunt medicabilia. Et pro his S. Ioannes licèt non prohibeat orare; non audet conſulere, vt cum plena fiducia quilibet pro eis oret, ſicut pro aliis. Oportet enim virum ſanctum, ac magnum deprecatorem adhiberi, vt queat eiuſmodi peccatorum conuerſionem à Deo impetrare.

SECTIO II.

Vtrùm in hac vita peccatoribus obduratis deneget Deus auxilia gratiæ ad agendam pœnitentiam, vel Contritionem eliciendam?

NOn deſunt graues Doctores Henricus, Abulenſis, 1
Medina, Catherinus, & alij, quos refert Suar. *diſp.* 8. *ſect.* 2. *num.* 1. affirmantes aliquibus peccatoribus obduratis, & excæcatis negare Deum omne genus auxilij gratiæ, vt conuertãtur. Probant *primò* ex modo loquendi Scripturæ Sacræ. Nam *Eccleſiaſtes cap.* 7. dicitur. *Conſidera opera Dei, quia nullus poteſt corrigere, quem Deus deſpexit.* Pſalmo 80. *Dimiſi eos ſecundùm deſideria cordis eorum, ibunt in adinuentionibus ſuis.* Ierem. 6. *Erudire Ieruſalem, ne fortè recedat anima mea ex te.* Denique Ioann. 12. *Propterea non poterant credere, quia dixit Iſaias: Excæcauit cor &c.* Vbi Caietanus notat illos non potuiſſe credere ex defectu gratiæ præuenientis.

Secundò, fauent Patres, dum eundem loquendi modum imitantur, præcipuè Iſidorus *lib.* 2. *de ſummo bono, capit.* 15. ſic dicens. *Nonnulli ita deſpiciuntur à Deo, vt non poſſint mala plangere, etiamſi velint.*

Tertiò, peccata grauiſſima prædictorum obduratorum dignè merentur hanc pœnam; & videtur expedire ad oſtenſionem diuinæ Iuſtitiæ, & ad terrorem aliorum, vt interdum Deus illã vtatur; neque id opponitur diuinæ pietati, & miſericordiæ, ergo.

Quartò, aliquando maiori pœna afficit Deus peccatorem obduratum; nam maior pœna videtur miraculosè interficere illum actualiter peccantem, vel etiam viuum demergere in infernum: quod aliquando Deum feciſſe conſtat ex Hiſtoriis Eccleſiaſticis.

Quintò, certum eſt aliquos peccatores, durante hac vita, ita à Deo deſtitui in pœnam ſuorum peccatorum, vt nullo modo potuerint ad Deum conuerti, quales ſunt illi, qui ob ſua peccata incidunt in amentiam perpetuam, vel in lethargum vſque ad mortem. In quo ſtatu

priuantur

priuantur omni prorſus potentia ad procurandam æternam ſalutem, vel agendam pœnitentiam.

Vltimò, Deus ſua magna pietate aliquando aliquos iuſtos ita in gratia confirmat, vt cadere non poſſint mortaliter; ergo ſimiliter iuſtè aliquos etiam ita deſerit in peccatis, vt ſurgere non poſſint, negando illis omne genus auxilij gratiæ.

2 Dico *primo*, certum eſſe, nullam eſſe ſtatutam legem vniuerſalem à Deo, vt qui ad talem peccatorum numerum, vel cumulum, vel grauitatem peruenerit, careat auxilio omni gratiæ ſufficienti ad agendam pœnitentiam. Ita expreſſe D. Auguſtinus *in Enchiridion c.* 103. vbi probat, de nullo ſtatu peccatorum deſperandum eſſe, qui grauiſſimis ſceleribus obſtricti, miſericordiam, & pœnitentiæ locum conſecuti ſunt. Id etiam probant generales locutiones Scripturæ ſacræ, Conciliorum & Patrum, dicentium, omnes peccatores in hac vita poſſe per pœnitentiam reparari; & Pœnitentiam eſſe medicinam vniuerſalem pro omnibus peccatis, ac proinde omnes eſſe ad pœnitentiam excitandos. Quæ omnia non verificarentur, ſi non pro omnibus eſſet à Deo inſtitutum hoc remedium; vel ſi eſſet ſtatuta lex generalis à Deo negandi auxilium ſufficiens, vel efficax ad pœnitendum peccatori peruenienti ad talem peccatorum cumulum, vel grauitatem.

3 Dico *ſecundò*, certum quoque eſſe, & experimento comprobatum, non omnes peccatores habere de facto poſt peccatum, potentiam proximam ad concipiendam pœnitentiam. Patet, quia videmus multos in ipſo actu peccati repentina morte perire; vel etiam in ſomno mori, quando de peccatis, aut pœnitentia cogitare non poterant; ſine qua cogitatione non eſt potentia proxima, & completa ad actum pœnitentiæ, vt conſtat. Poteſt enim Deus, & de facto permittit, ac vult, in pœnam peccatorum præcedentium negare homini locum, & potentiam proximam pœnitendi: ſicut etiam poteſt permittere in eandem pœnam, continuam diſtractionem, qua homo de aliis cogitans, non recordetur ſalutis ſuæ procurandæ, nec pœnitentiæ faciendæ.

4 Dico *tertiò*, omnibus adultis, quantumuis obduratis, dediſſe Deum & nunquam negaſſe auxilia gratiæ ſufficientia ad agendam pœnitentiam. Hæc eſt expreſſa ſententia D. Thom 3. *p. q.* 85. *a.* 6. & communior apud Theologos, vt docet Suarez citatus *num.*6. Probatúrque *primò*, quia contrarium repugnaret pietati diuinæ, qua vult *homines omnes ſaluos fieri* 1. ad Timoth. 2. Quæ verba, quo pacto vera eſſe poſſunt, ſi aliquibus Deus neget auxilia gratiæ ſufficientia? Petrus quoque 2. *cap.* 3. *verſ.* 3. de Deo ſic loquitur, *Patienter agit, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reuerti.* Igitur immeritò affirmandum eſt, Deum alicui auxilium ſufficiens gratiæ denegare; cui etiam obeſt quoque vniuerſalis Chriſti redemptio. *Secundò*, quia in hac vita nunquam ceſſat præceptum pœnitendi de peccatis commiſſis, & præceptum etiam ſperandi; quibus repugnat talis priuatio, vel carentia auxilij gratiæ neceſſarij, quale eſt ſufficiens; quia prædictorum ſupernaturalium præceptorum impletio nequit fieri ſine actu ſupernaturali ad quem eſt ſimpliciter neceſſarium auxilium gratiæ ſupernaturale, vt conſtat.

Tertiò, ſi Deus ex ſe negaret aliquibus auxilium gratiæ ſufficiens deſereret illos prius, quàm ab illis deſereretur. Quod eſt contra Patres, præſertim D. Auguſtinum *lib. de natura, & gratia cap.* 26. aſſerentē, Deum neminem deſerere, niſi priùs deſeratur ab ipſo; ille verò cui negatur auxilium ſufficiens, dici non poteſt Deū deſerere, quia nemo Deum deſerit propriè, niſi ſupponatur habere auxilium ſufficiens ad non deſerendum.

6 *Vltimò*, homo dum hanc vitam degit, ſemper eſt in ſtatu viatoris; eſt autem de ratione viæ, vt in ea ſemper poſſit ad terminum accedi: ergo repugnat huic ſtatui, quòd homo priuetur poteſtate accedendi ad terminum; ergo & quòd priuetur omnibus auxiliis gratiæ ſufficientibus, ac neceſſariis, ſine quibus poteſtatem non habet etiam phyſicam. Vnde licet homo ſuis peccatis mereatur hanc pœnam priuationis auxilij ſufficientis; nihilominùs tamen abſque fundamento dicitur, Deum infligere talem pœnam: nam cùm ex ſola diuina voluntate pendeat negatio talis auxilij, eam nullo modo concedere debemus, niſi nobis illa voluntas apertè innoteſcat; nequit autem nobis innoteſcere, niſi per Scripturam, vel reuelationem, aut traditionem; cùm ergo nullo ex his modis nota ſit nobis hæc Dei voluntas; imò, vt vidimus, in Scriptura Sacra habeamus præclara, & inſignia diuinæ miſericordiæ documenta, immeritò affirmabimus Deum alicui auxilium gratiæ ſufficientis denegare ad pœnitendum, & dolendum de peccatis ſuis. Imò id non expedire videtur certum quia manifeſtè repugnat ſtatui viatoris: ſubita verò mors peccatoris propter peccata non repugnat, quia iam tunc finitur via eius; & talis mors ſæpe conueniens eſt ad commune bonum, & exemplum aliorum. Et quamuis confirmatio in gratia, quæ eſt actus diuinæ liberalitatis & miſericordiæ, non repugnet ſtatui viatoris; ad hunc enim ſtatum ſatis eſt, poſſe tendere per viam ad terminum, quamuis à via declinare non poſſit; tamen negatio omnimoda auxilij gratiæ ſufficientis repugnat clarè ſtatui viatoris, quia eo ipſo priuatur poteſtate accedendi ad terminum. Vnde talis negatio auxilij eſt pœna excedens ſtatum viæ, ac proinde diſſentanea diuinæ Prouidentiæ, & repugnans miſericordiæ Dei. Ex quo infero Pharaonem poſt obſtinationem, non caruiſſe omni auxilio gratiæ ſufficienti, & potuiſſe Deo obedire; quandoquidem conſtat *ex capit.* 7. 9. & 10. *Exodi*, inobedientiam imputatam illi fuiſſe ad culpam, & potuiſſe pro arbitratu obedire Deo, ſi voluiſſet. Idem dicendum de aliis induratis conuerti potuiſſe ſimpliciter, quia omnes fideles peccatores habent auxilium gratiæ ſufficiens ad ſalutem.

Dico *quartò*, Deum non ſemper, ac quouis momento peccatori dare auxilium gratiæ ſufficiens, ſed opportuno tempore. Hoc notant meritò Doctores communiter. Et patet, quia experientia conſtat, peccatorem ſæpe nulla tangi cogitatione, vel inſpiratione ad dolendum de peccatis; ſignum eſt, Deum non continuò dare auxilium gratiæ ſufficiens circa prædictam conuerſionem; quia hoc Deus non præſtat niſi tribuendo ſanctas cogitationes, & inſpirationes ſuperioris ordinis, in quibus conſiſtunt auxilia gratiæ præuenientia. Confert itaque hæc auxilia, quoties vrget neceſſitas adimplendi præceptum; quia alioqui tranſgreſſio præcepti eſſet inculpabilis, quoties opportunitas loci, temporis, vel occaſionis iuuat, vel etiam neceſſitas obligat. Imò de ipſa pietate ac miſericordia Dei ſentiendum eſt, conferre prædicta auxilia ſæpe ac frequenter, licèt prædicta neceſſitas vel opportunitas non occurrat; non tamen ſemper. Vnde quamuis Deus ſemper ſtet ad oſtium paratus ad pulſandum, quoties opportunum fuerit, & res poſtulauerit; non tamen ſemper pulſat, quia non ſemper eſt neceſſitas, vel opportunitas pulſandi; & ideò habet ſe inſtar hominis pulſantis ad oſtium, qui ſemel, aut bis pulſat, & expectat, an aliquis intus reſpondeat; ſin minùs iterùm ac ſæpius pulſat quibuſdam temporis interuallis. Firmo id amplius: nam Deus in eiuſmodi excitatione, ſe accommodat naturæ. Sicut enim natura non ſemper actualiter ſtimulat ad ſuam naturalem ſalutem procurandam, ſed cum intermiſſione aliqua pro rerum, & temporis opportunitate; vt videre eſt in appetitu vitæ, qui licet naturaliſſimus, & vehementiſſi- 5

clementiſſimus ſit, non perpetuò excitat actualiter ad vitæ conſeruationem, ſed vbi neceſſitas & opportunitas poſtulat; ita Deus non ſemper actualiter pulſat, ac pungit animum in ordine ad procurandam ſalutem ſpiritualem, ac ſupernaturalem, ſed per quædam temporis interualla.

6 Hinc dico *vltimò*, omnibus adultis quantumuis obduratis prouidiſſe Deum media ſufficientia ad ſalutem, vocando illos opportunis temporibus, & mouendo ad pœnitentiam, & ad non ponendum impedimentum conuerſioni, ſi ipſi velint. Hoc ſequitur ex præcedentibus. Et patet manifeſtè ex illis verbis Ioan. 1. *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Quod intelligunt communiter SS. Patres, & Interpretes de lumine gratiæ, & Fidei, vt ſatis ſuadet contextus ipſe. Quid etiam voluit Paulus ad *Rom. cap.* 2. cùm alloquens valdè obduratos, dixit: *An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? Ignorans quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor, theſaurizas tibi iram.* Quibus verbis clarè oſtendit Paulus nullo modo per Deum ſtare, quominus obdurati conuertantur, cùm ipſe variis illuſtrationibus eorum mentes illuminet, & variis inſpirationibus corda eorum demulceat. Quid denique ipſe Deus intendere vult *Ezechielis capit.* 18. illis verbis: *Nunquid voluntatis meæ eſt mors impij, dicit Dominus Deus, & non vt conuertatur à viis ſuis, & viuat?* Et inferiùs, videns peccatorum auerſionem dolens exclamat! *Et quare moriemini domus Iſraël? Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus: reuertimini, & viuite.* Vbi clarè oſtenditur Deum quammaximè deſiderare ſalutem obduratorum Iudæorum. Igitur ſemper prouidit Deus media ſufficientia ad ſalutem ipſis obduratis. Firmat hoc idem ratio Theologica efficax. Nam Deus vult etiam obduratis, quantum eſt ex ſe ſupernaturalem gloriam: hoc enim continetur expreſſè illis verbis Pauli; *Qui vult omnes homines ſaluos fieri*: nam velle ſaluos fieri, propriè loquendo, eſt velle ſalutem, ſeu æternam gloriam. Præterea voluntas iſta eſt vera intentio, quâ vult illis beatitudinem, quantum eſt ex ſe, & niſi ipſi impediant; quia propter hunc finem dat illis Deus dona gratiæ quæ reſpiciunt talem finem; ergo Deus talem finem intendit, ad quem prædicta dona referuntur. Denique talis voluntas cùm ſit intentio, debet eſſe per modum proſecutionis, & quantũ eſt ex ſe, debet inducere operationem; quia omnis intentio finis eſt actus huiuſmodi; illâ enim poſitâ, neceſſe eſt vt voluntas eligat media, & illa exequatur, quantum exigit intentio; & hoc eſt, actum eſſe proſecutiuum. Igitur ex vi talis intentionis proſecutiuæ, tenetur Deus dare obduratis media ſupernaturalia gratiæ ſufficientia, quibus ſalutem conſequantur, ſi velint: aliter enim ſi Deus non prouidiſſet illis prædicta media, neque etiam illis voluiſſet æternam ſalutem, quantum eſt ex parte ſua; cùm hæc media ſeu auxilia ſufficientia gratiæ excitantis ſolùm ex parte Dei, ſeu ex eius ſola libera pendeant voluntate: ergo hæc prouidit Deus obduratis opportuno tempore ad pœnitendum de ſuis peccatis. Ex quo ſequitur nullum eſſe in hac vita adeò excæcatum, & obduratum in peccato, vt iuſtè excuſari queat à peccato impœnitentiæ; cum quiuis tametſi ſit quaſi Pharao Rex, habuerit auxilium gratiæ ſufficiens ad conterendum de peccatis, & doluiſſet de illis, ſi voluiſſet.

7 Ex his facilè ſoluuntur argumenta contrariæ ſententiæ. Ad primum, Dico, illo modo loquendi Scripturæ ſacræ ſolùm ſignificari prædictos obduratos ità eſſe prauè affectos, vt cum ordinaria prouidentia auxilij ſufficientis, ſit illis difficillimum conuerti; & ex malitia ſua eſſe deteriores faciendos; & ideò dici eos relinqui à Deo. Nec verò vllo modo probare poſſum illam Caietani explicationem.

Ad ſecundum, Reſpondeo ſanctos Patres ſolùm intendere per aliquam exaggerationem, declarare duritiam ac cæcitatem illorum peccatorum. Quod verò dixit D. Iſidorus, eſſe nonnullos qui non poſſunt mala plangere, etiamſi velint, eſt benigne interpretandum: nam intelligi debet de voluntate inefficaci, ſeu velleitate, quâ vellent pœnitere, non de voluntate abſoluta; hanc enim ſi haberent, proculdubio pœniterent.

Ad tertium, eſto, verum ſit, illa grauiſſima peccata dignè mereri talem pœnam; non tamen decet diuinam bonitatem & clementiam executioni illam mandare, præſertim cùm omnes homines inuitet generaliter, & abſque vlla exceptione ad pœnitentiam, & deſiderium habeat illos ſaluandi: cum qua affectione ac deſiderio non videtur cohærere benè, vt auxilium gratiæ ſufficiens illis denegetur; videretur enim id fictionem aliquam continere.

Ad quartum, Reſpondeo illud Deum iuſtè diſponere ad correctionem, & inſtructionem noſtram. De illis verò exemplis Dico, eos miſeros homines, ſi tunc propter ſummam animi perturbationem, & anxietatem non poterant deliberatè attendere ad obligationem pœnitendi, & apprehenderent id vt ſibi impoſſibile, non peccaſſe tunc peccato impœnitentiæ ex defectu plenæ libertatis, peccaſſe tamen anteà; & tunc magis pati videbantur pœnam ſuæ obſtinationis.

Ad quintum, ſimiliter Dico, eos iuſtè à Deo puniri eo modo, de quibus dici poteſt eſſe iam quaſi extra viam; cùm ob defectum attentionis, vel conſiderationis nequeant amplius in hac vita pœnitere.

Ad vltimum, diuerſa eſt ratio de confirmatione in gratia, ac de illa Dei deſertione, cum negatione omnis auxilij ſufficientis: nam confirmatus in gratia ſemper magis, ac magis poteſt tendere per viam, donec perueniat ad terminum; & hoc eſt per ſe requiſitum ad ſtatum viæ; poſſe autem cadere, ſeu deflectere à via eſt omninò per accidens; & ideò nihil obſtat quòd confirmatus in gratia, qui abſolutè poteſt deflectere, & peccare, nequeat peccare reduplicatiuè, prout ſub tali ſpeciali Dei prouidentia eſt & protectione. At ſi homo priuaretur auxiliis gratiæ neceſſariis; qualia ſunt auxilia ſufficientia, ſimpliciter priuaretur poteſtate, ſeu potentia, in ordine ad id quod eſt per ſe requiſitum in via, nimirùm circa acceſſum ad terminum *ad quem.*

SECTIO III.

Vtrùm in aliquibus peccatoribus valdè obduratis danda ſit impotentia moralis ad agendam pœnitentiam.

PROCEDIT quæſtio, quando in illis ſemper adeſt plena aduertentia, ac deliberatio. Nec verò eſt difficultas de impotentia phyſica ad agendam pœnitentiam. Hanc enim de facto nulli peccatori etiam valdè obdurato, habenti iudicium plenum, ac voluntatem cum plena libertate eſſe admittendam, certum videtur. Quia ex nullo capite poteſt peccator in 8

gratiæ auxilio, niſi adſit ſpecialior, & vberior gratia: propter difficultatem continuationis. Eodem igitur modo, impoſſibile eſt moraliter peccatori duro, & obſtinato propter rationem dictam, vt reſurgat à culpa per pœnitentiam, adiutus ſolùm generali auxilio gratiæ, niſi alia, ac ſpecialiori, & vberiori gratia confortetur, & corroboretur.

5 Dices, poſitâ quacumque obduratione cum aduertentia rationis, peccator nolens pœnitere, & liberè conſentiẽs huic tentationi de non agenda pœnitentia, peccat mortaliter; ergo poteſt, & phyſicè, & moraliter ex vi liberi arbitrij, cum generali auxilio gratiæ illi tentationi non conſentire, ſaltem non peccando: patet Conſequentia, quia ſicut habet libertatem ad peccandum, debet etiam tunc habere libertatem ad nõ peccãdum; ergo etiam habere poteſtatem reſiſtendi moraliter; at tunc non haberet illam ex ſpeciali, & vberiori gratia, quia, vt ſupponimus, tunc non eſſet illi præparata; ergo ex vi ſolius libertatis cum ſolo generali auxilio gratiæ habuiſſet poteſtatem reſiſtendi moraliter; ergo nulla eſſet, nec eſſe poteſt impotentia moralis. *Reſpondeo*, hoc argumento ſolùm probari in hominibus obduratis, etiam ſecluſa ſpecialiori, ac vberiori gratia, manere ſemper liberum ad non peccandum toto tempore obdurationis; non tamen probari, eſſe in illis toto illo tempore poteſtatem moralem ad conſtanter ac ſtrenuè dimicandum, quia liberum arbitrium natura ſua eſt valdè mutabile; & ideò obduratio, & paſſio contraria faciunt, ne perſeueranter poſſint moraliter attendere, quantum oportet ad reſiſtendum. Atque hoc ſufficit, vt non habeant potentiam moralem ad agendam pœnitentiam. Verumtamen ſemper dicendum eſt, prædictos homines obduratos, etiamſi non habeant vberiorem gratiam, peccare mortaliter non adimplendo præceptum pœnitentiæ; quia ſimpliciter, & abſolutè liberè cedunt tentationi. Nam obduratio & repugnantia, ſeu tentatio non neceſſitat voluntatem quandiu iudicium rationis non abſorbet; vt eſt cõmunis Theologorum ſenſus cum D.Tho.1. 2.*quæſt.*10.*art.* 2.& 3. nullum enim obiectum creatum poteſt neceſſitare quoad exercitium ad aliquem actum, permanente iudicio rationis. Quare impotentia moralis nunquam repugnat libertati; quia non eſt hæc impotentia per determinationem potentiæ ad vnum, quæ opponitur libertati; ſed per inconſtantiam, & infirmitatem operantis; quæ non libertati, ſed conſtantiæ, ac fortitudini opponitur.

SECTIO IV.

An poſſit remitti per Contritionem vnum peccatum mortale ſine alio.

RAtio dubitandi eſt, quia vera Contritio, etiam de potentia abſoluta nequit eſſe de vno peccato mortali, quin ſit de omnibus; ergo nequit per illam remitti
1 vnum mortale, quin remittantur omnia.

Dico *primò*, certum eſſe, de facto non remitti vnum peccatum mortale ſine alio. Hanc veritatem definiuit Tridentinum *ſeſſione* 5. *canon.* 5. dicens, in iuſtificatis per Baptiſmum nihil manere poſſe, quod propriam rationem peccati damnationem merentis habeat. *Et ſeſſione.... capite* 6. dicens iuſtificationem peccatoris includere remiſſionem peccatorum. *Et capite* 14. dicens, ſimilem reparationem lapſi, quoad remiſſionem peccatorum, fieri per pœnitentiam. Et ratio eſt: tùm quia culpa mortalis remittitur de facto per infuſionem gratiæ ſanctificantis, quæ cùm ſit formalis ſanctitas, neceſſe eſt, quòd mundet formaliter animam totaliter à fœditate, & macula culpæ mortalis; atque ideò non poteſt remanere partialiter reatus culpæ, quia iam remaneret ex parte macula mortalis ſimul cum gratia, quæ eſt formalis ſanctitas ac mundities animæ. Tum etiam, quia gratia conſtituit hominem ſanctum, & amicum Dei, ac hæredem regni cœleſtis; at quodlibet mortale peccatum conſtituit hominem inimicum, ac Deo indignum, & illum excludit à regno cælorum; ergo. Vnde rectè dixit Tridentinum *ſeſſ.* 6. *capit.* 15. quocumque peccato mortali acceptam iuſtificationis gratiam amitti, quaſi eo pugnante cum illa. Tum denique, quia non poteſt dari perfecta Contritio vnius peccati mortalis, quin ſit omnium; ſicut nec dilectio Dei ſupernaturalis ſuper omnia poteſt eſſe cum aliquo peccato mortali. 2

Dico *ſecundò*, in ſententia aſſerente, poſſe diuinitus remitti peccatum mortale per ſolam extrinſecam Dei condonationem, conſequenter certum videri poſſe remitti vnum mortale ſine alio: Ratio eſt, quia remiſſio peccati pendet adæquatè à voluntate Dei libera cùm pendeat à ſola eius libera condonatione: ergo Deo integrum eſt vnum peccatum remittere alio non remiſſo, eo modo quo liberum eſt homini offenſo, condonare vnam iniuriam non condonatâ aliâ. 3

Dico *tertiò*, tametſi admittatur opinio multorum, prærequirens retractationem peccatoris, ſiue Contritionem ad remiſſionem peccatorum, adhuc remitti poſſe vnum mortale peccatum ſine alio. Patet, quia adhuc poſitâ prædictâ Contritione, poteſt Deus condonare, & non condonare peccata; ergo poſitâ Contritione, poteſt condonare vnum mortale non condonato alio. Patet Conſequentia, quia ipſa condonatio, ſiue ponatur Contritio, ſiue non ponatur, pendet ſolùm à voluntate diuina; hæc autem poteſt pro ſua libertate condonationem partiri. Ex quo patet ſolutio ad rationem dubitandi initio adductam, ob manifeſtam differentiam inter naturam, & eſſentiam Contritionis, & eius cauſalitatem diſpoſitiuam: nam quòd ipſa Contritio ſit de omnibus peccatis, pertinet ad eſſentiam illius, quæ ſumitur ex eius motiuo formali, non ſpeciali, ſed generali; cui opponitur omne genus peccati mortalis; at eſſentia actus, & formale obiectum eſt immutabile. Remittere autem peccatum, pertinet ad cauſalitatem Contritionis; quæ cùm ſit cauſalitas diſpoſitiua moralis, pendens eſt ex acceptatione, & ordinatione diuina; atque ideò poteſt eſſe mutabilis iuxta diuinam legem, ac ordinationem. 4

Dico *quartò*, etiam iuxta aliam ſententiam, quæ deſiderat gratiam habitualem ad remiſſionem peccati, poſſe remitti vnum peccatum ſine alio, ſi ſemel conſtituatur (quod ipſe probabilius iudico) gratiam compoſſibilem eſſe cum peccato mortali. Probatur, quia ſi poſitâ gratiâ habituali, poteſt Deus condonare peccata; ergo adhuc eâ poſitâ poterit quoque remittere vnum mortale ſine alio; quia poſitâ gratiâ habituali, remiſſio peccati adhuc eſt pendens ex libera Dei voluntate, quę pro ſuo arbitrio poterit determinari ad remittendum quod voluerit: ad eum modum quo poteſt in ſententia, quæ requirit actum peccatoris ad remiſſionem peccati. Si autem quis opinetur, gratiam habitualem eſſe incompoſſibilem etiam diuinitus cum omni peccato

mortalij

Digitized by Google

mortali; euidens eſt non poſſe remiſſionem vnius mortalis abſque alio fieri.

5 Dico *vltimò*, in ſententia illorum qui peccatum habituale defendunt, nihil aliud eſſe, quam gratiæ priuationé, poſſe diuinitus remitti vnũ mortale ſine alio. Ratio eſt, quia peccatũ habituale nó eſt priuatio gratiæ nudè ſumpta, ſed vt inducta per actuale peccatum mortale pręteritum: ſed priuatio gratiæ inducta in vno inſtanti per duplex peccatum actuale mortale, poteſt eſſe in alio inducta per vnum, & non per aliud; ergo poteſt deſtrui vnum peccatum mortale habituale, quin aliud deſtruatur. Maior conſtat, quia ſi Deus promittat homini gratiam ſub conditione, quòd fiat actus charitatis, quem tamen non præcipit, ſed in eius libera electione relinquit, homine non eliciente actum charitatis, exiſtit priuatio gratiæ homini voluntaria abſque peccato habituali; cùm ea priuatio non ſit inducta per actuale peccatum: ergo opus eſt vt priuatio gratiæ inducatur per actuale peccatum, vt fiat peccatum habituale. Minor etiam videtur aperta; ſi ponamus caſum, in quo Deus homini, qui furatus eſt, & heri peierauit, promitteret donare gratiam hodie, niſi hodie duplicet intra eandem ſpeciem peccatum aliquod heſternum, adeò vt ratio priuandi gratia hominem hodie, non ſit peccatum ſimplex heſternum, ſed peccatum duplicatum hodie. Si in hoc caſu homo repetat ſolum periurium, certè priuatio gratiæ non exiſtet hodie ratione furti heſterni, quo non obſtante, exiſteret hodie gratia, niſi duplicatum eſſet periurium; ergo ablato furto heſterno, quod non infert gratiæ priuationem hodiernam, permanebit hodie periurium heſternum, quod ſimul cum hodierno periurio illam cauſat.

SECTIO V.

An poſsit Deus condonare peccatum mortale, antequam fiat, vel in inſtanti quo fit.

1 SEntit Suarez *lib. 7. de gratia, cap. 21. numer. 5.* eſſe per ſe notum, peccatum mortale actuale, dum eſt, remitti non poſſe. Quia peccatum quod remittitur; tollitur, ac deſtruitur; at peccatum dum actu fit, non poteſt pro eodem tempore deſtrui, ſeu tolli: quia contradictio videtur eſſe manifeſta, vt idem poſſit ſimul eſſe, & non eſſe; ergo non poteſt tunc condonari.

2 Contrarium docet Cardinalis Lugo *diſputat. 7. ſect. 8. numer.* 126. Probat, quia in humanis homo antequam ab hoſte lædatur, poteſt, & ſolet illi remittere iniuriam, quantum eſt de ſe; ergo etiam Deus ſciens Petrum cras fornicaturum, poſſet hodie cedere, & condonare ius illud, quod ex peccato Petri ſibi adueniret, ad rationabiliter eum odio habendum. Vnde adueniente peccato, licèt Deus haberet odium circa ipſum peccatum, non tamen in perſonam Petri propter peccatum, quia iam ceſſit iuri rationabili ad illud odium Petri. Tunc autem Petrus, quando actu fornicaretur, actu peccaret, & actu amitteret gratiam ſanctificantem, propter oppoſitionem, quam habet cum peccato actuali; cæterùm non eſſet inimicus Dei, id eſt, non terminaret actum inimicitiæ Dei in ipſum. Imò pro illo inſtanti eodem diceretur Petrus peccator actualis, & peccatum illud eſſet à Deo condonatum: hæc enim duo non pugnant: & inter homines poteſt vnus ſimul offendere actu alium, & ille qui offenditur poteſt actu condonare, vel condonaſſe illam offenſam. Vnde tunc peccaret homo actu, quia actu operaretur contra Dei præceptum, offenderet illum, & quantum eſt ex ſe, daret illi ius ad rationabile odium ipſius; adhuc tamen illa offenſa eſſet condonata, quia Deus ceſſaret iuri ad rationabiliter indignandum contra hominem propter illam offenſam. Ex qua doctrina infert Cardinalis Lugo *numer.* 127. tranſacto actu peccati, quod Deus condonaſſet, antequam fieret, manſurum illum hominem ex natura rei ſine alio Dei fauore non peccatorem, & iuſtum non poſitiuè, ſed quaſi negatiuè: quia non eſſet peccator actualis, quia iam periit actuale peccatum; neque etiam habitualis, quia peccatum habituale conſiſtit in illo iure Dei ad rationabile odium peccatoris, ſeu in peccato præterito non condonato; in illo autem caſu iam eſſet condonatum, atque ideò non reſultaret reatus culpæ habitualis ex actuali: eſſet igitur tunc iuſtus negatiuè, id eſt ex peccatore actuali factus non peccator actualis, neque habitualis; non verò eſſet iuſtus poſitiuè, quia non recuperaret tunc habitum gratiæ ſine alio nouo fauore, quia hic habitus ex natura rei fuit expulſus per culpam actualem; nec deberet reddi ex vi præcisè condonationis, quia condonare peccatum præcisè, non eſt poſitiuè hominem iuſtificare.

Dico *primò*, certum eſſe, Deum non condonare peccata, quæ ſunt ſolùm poſſibilia, & nunquam exiſtent. 3
Patet, quia prædicta peccata non ſunt, nec vnquam futura ſunt offenſa, & iniuria Dei: ergo nihil eſt in illis quod parcat Deus; ergo nihil eſt quod condonare queat: ſicut in humanis offenſæ, ac iniuriæ præcisè poſſibiles, & nunquam exiſtentes in aliqua differentia temporis, cadere non poſſunt ſub humanam condonationem.

Dico *ſecundò*, Deum propriè condonare peccata 4
præterita. Hoc eſt certum: nam condonatio diuina eſt propriè voluntas Dei deſtruens in peccato exiſtentiam actualem moralem; hæc autem ſupponit exiſtentiam phyſicam peccati actualis: nam abſque exiſtentia phyſica peccati actualis, nulla concipi poteſt, nec eſſe poſtea exiſtentia moralis: ergo & ipſa condonatio illam ſupponit; ergo propriè condonatio eſt de peccatis præteritis, quæ moraliter perſeuerant.

Dico *tertiò*, non poſſe Deum exiſtente phyſicè pec- 5
cato habere voluntatem efficacem deſtruendi pro eo inſtanti peccatum; ac proinde cùm condonatio peccati actualis ſumi poſſit pro hac voluntate, non poſſe Deum condonare peccatum pro inſtanti in quo actu eſt. In hoc ſenſu rectè dixit Suarez, eſſe per ſe notum, non poſſe peccatum condonari dum actu phyſicè exiſtit: quia dum actu fit, non poteſt pro eodem inſtanti deſtrui: eſt enim contradictorium impoſſibile, rem ſimul eſſe, & non eſſe. Quæ ratio efficaciter concludit, data opinione, quam iudico veram, nempe peccatum deſtrui poſſe per ſolam extrinſecam condonationem. Firmo idem; nam pro eo inſtanti in quo quis peccat, verè eſt peccator, & infert grauem Deo iniuriam, aliter enim non peccaret; quia in ipſa formali ratione peccati eſſentialiter includitur, quod ſit offenſa Dei, vnde pro eo inſtanti verè committitur contra Deum grauis offenſa, & iniuria: ergo nequit pro eo inſtanti non eſſe Dei offenſa, & iniuria, ſicut pro eo inſtanti nequit non eſſe peccatum, in cuius ratione eſſentiali formaliſſimè includitur eſſe iniuria Dei; ergo nequit pro eo inſtanti non eſſe inimicus Dei, ergo impoſſibile eſt, vt pro eo inſtanti condonetur à Deo, & fiat eius amicus, vel ſit ipſi gratus, etiam negatiuè tantùm.

Hinc

Digitized by Google

6 Hinc dico *vltimò*, nec poſſe condonari peccatum, antequam reipſa, & phyſicè exiſtat. Patet, quia vt probatū eſt, non poteſt condonari peccatum, dum actu phyſice, ſeu reipſa exiſtit; ergo nec poterit condonari, antequam exiſtat: patet Conſequentia, quia ſi antequam habeat eſſe, condonetur, nunquam poterit poſtea eſſe offenſa, & iniuria, cùm fuerit iam antea deſtructa per condonationem, vnde non erit poſtea peccatum, cùm fuerit iam antea remiſſum.

7 Ad argumentum Cardinalis Lugo, Reſpondeo, negando in humanis remitti iniuriam, antequam reipſa extiterit. Poteſt quidem inter homines contingere, vt quis ſit in præparatione animi promptus ad condonandam quamlibet iniuriam ſibi inferendā, verbi gratia, die ſequenti; cæterùm actualiter hodie deſtruere illam, antequam ſit, non capio; cùm nihil hodie illius ſit, nec phyſicè, nec moraliter. Si enim offenſa, vel iniuria hodie nullum habet eſſe, quomodo concipi poteſt deſtrui tale eſſe? Quare illa voluntas, ſeu propoſitum præcedens iniuriam, condonandi illam, non eſt deſtructiuum iniuriæ, ſed oſtenſiuum voluntatis, ſeu affectus, quem habet erga illum hominem, qui eſt eum offenſurus, nempe illi condonaturum, ac remiſſurum iniuriam craſtina die futuram. Hoc idem præſtantiori ratione de Deo dicendum eſt, habere præ ſua infinita benignitate, & clementia voluntatem condonandi peccata, & offenſas hominum, non certè antequam ſint, quia id videtur eſſe manifeſta contradictio, ſed ſtatim, ac phyſicè extiterint. Non enim videtur poſſibile, vt in eodem inſtanti peccet homo, & actu Deum offendat, ſicque eius inimicus, & ſimul non ſit inimicus ratione condonationis pro eodem inſtanti.

SECTIO VI.

An per Contritionem perfectam ſeu Pænitentiam remittatur de condigno, pœna æterna debita peccato mortali, & poſſit hoc remitti, non remiſſa illa.

1 Circa primam ſectionis partem, videtur negari non poſſe per Contritionem perfectam remitti de condigno pœnam æternam. Quia peccator in eo inſtanti, in quo iuſtificatur, meretur de condigno primam gloriam, vt graues Theologi fatentur; ergo meretur quoque de condigno remiſſionem pœnæ æternæ.

2 Dico *primò*, certum eſſe, & traditum in Tridentino *ſeſſ. 6. c. 14.* reatum pœnæ æternæ de facto auferri ſimul cum culpa mortali. Ratio eſt, quia vt conſtat ex eodem Tridentino *ſeſſ. 6. c. 7.* in iuſtificatione accipit homo nō tantùm remiſſionem peccatorum, ſed etiam gratiam ſanctificantem, per quam *ex iniuſto fit iuſtus, & ex inimico amicus, vt ſit hæres ſecundùm ſpem vitæ æternæ*: ergo ſi eſt hæres, eo ipſo habet ius, ad hæreditatem, & beatitudinem æternam, ac proinde habet ius ad hoc vt non puniatur in æternum; cùm beatitudo quæ eſt ſumma felicitas, nequeat eſſe ſimul cum ſumma miſeria damnationis æternæ.

3 Dico *ſecundò*, poſitâ diuinâ ordinatione, ac lege, quaſi ex natura rei, ſequi remiſſionem pœnæ æternæ ex infuſione gratiæ. Probatur, quia gratia ſanctificans facit hominem proportionatum, ac dignum gloria, & beatitudine æterna; ergo ex ſe habet, vt remittat æternam pœnam damni, quæ ipſi gloriæ directè opponitur, & etiam pœnam ſenſus æternam, quæ eſt incompoſſibilis cum beatitudine, quæ eſt cumulus omnium bonorum, & excludit omnem triſtitiam, & dolorem ex natura rei.

Dico *tertiò*, per Contritionem remitti pœnam æternam diſpoſitiuè, ac meritorie de congruo, non de condigno. Ita communiter Doctores. Ratio eſt, quia prædicta pœna remittitur, hoc ipſo quòd conſtituitur homo filius Dei, & hæres; ſed hoc fit per Contritionem diſpoſitiuè, & ſolùm meritoriè de congruo, & ex parte Dei gratis, ac ex miſericordia ſine vllo merito condigno, vt conſtat ex *ſupra* dictis, ergo & illud. Quod intellige, quantum eſt ex parte peccatoris: nam reſpectu meritorum Chriſti Domini, certum eſt, totam eiuſmodi remiſſionem æternæ pœnę, ſicut & remiſſionem culpæ, fieri ex iuſtitia. 4

Ad argumentum oppoſitum, dato Antecedente, adhuc neganda eſt Conſequentia: quia tale meritum primæ gloriæ iam ſupponit remiſſum reatum æternæ pœnæ; nam intrinsecè, & immediatè ſequitur ex ipſa remiſſione culpę, ac proinde talis remiſſio pœnæ non poteſt cadere ſub meritum de condigno per Contritionem. De gloria verò æterna, diuerſa eſt ratio: nam vita æterna duplicem habet reſpectum, videlicet hæreditatis, & præmij, ſeu coronæ: peccator itaque iuſtificatus per Contritionem, antequam iſta intelligatur formata gratia, iam ſupponitur habere per gratiam ius ad primam gloriam, vt ad hæreditatem propriam; & ideò illam vt ſic, non poteſt per Contritionem mereri; quia verò non ſupponitur habere ius ad primam gloriam, tanquam ad præmium, & coronam: ideò per Contritionem gratiâ formatam, poteſt illud mereri vt præmium, & de facto meretur; quod non eſt aliquid nouum gloriæ mereri, ſed eandem gloriam primam, vel ius ad illam nouo titulo coronæ, & præmij obtinere. 5

6 Circa ſecundam ſectionis partem, maior eſt difficultas. Ad quam ſub diſtinctione reſpondet Suarez *diſputat. 8. ſect. 2. numer. 8 & 9.* duo dicens. *Primum*, Deum aliquo genere pœnæ æternæ poſſe de potentia abſoluta punire culpam remiſſam. Probat, quia hæc duo mala culpæ & pœnæ, ſunt diuerſarum rationum; & quamuis ſecundum fundetur in primo, tamen culpa ſemel exiſtens, poteſt relinquere ſufficientem rationem pœnæ proportionatæ, & quę exiſtentiam culpæ non requirat; ſicut inter homines poſt remiſſam culpam, habet ſuum locum pœna. Firmat, quia nulla eſt repugnantia, quòd Deus homini peccatori conferat gratiam, & illi peccata remittat; & nihilominùs legem ſtatuat nunquam illi dandi gloriam ratione iniuriæ ſibi illatæ, nam ipſa acceptatio ad gloriam licèt ſit ſuo modo debita gratię, eſt tamen ſimpliciter libera, & voluntaria Deo, ac proinde de abſoluta potentia ſeparabilis ab interna gratia, ac proinde poteſt æterna pœna manere poſt culpam remiſſam. *Secundum* eſt, pœnam damnatorum non poſſe infligi poſt remiſſionem culpæ mortalis, non propter æternitatem vt ſic, ſed propter ſpeciem, & modum eius, & propter obiecta quæ requirit, quæ neceſſe eſt deſtruantur, remiſſâ culpâ. Probat, quia pœna damnatorum, talis modi, & generis eſt, vt intrinſecè ſupponat peruerſam voluntatem, & inimicitiam inter eum qui eam patitur, & auctorem eius: includit enim talem ſtatum, in quo & voluntas ſit obſtinata in malo, & intellectus apprehendat Deum vt inimicum; ex quo fit, vt illa voluntas perpetuo odio habaat Deum, & ſpecialem triſtitiam

& vermem etiam conſcientiæ obtineat; quæ omnia nequit habere voluntas ordinata iuſti peccato carentis.

7 Cardinalis Lugo *diſput.8.ſect.1.num.* 70. cenſet, ſi ſermo ſit de potentia Dei abſoluta, potuiſſe remiſſâ culpâ remanere debitum totius, aut ferè totius pœnæ æternæ, qualem patiuntur de facto damnati in inferno. Probat, quia de facto Deus in pœnam alicuius venialis peccati, ſolet homini negare auxilium gratiæ efficax ad reſiſtendum tentationi graui, præuidens ex negatione talis auxilij, lapſurum hominem grauiter, & aliquando damnandum: cur ergo non poſſet Deus de potentia abſoluta, remiſsâ culpâ mortali velle punire pœnâ æternâ ſenſus, qualem, & quantam patiuntur damnati in inferno? Et rurſùs negare auxilium, quo poſſet homo moraliter reſiſtere tentationi, quæ ex illo tormento æterno inſurgeret vehementiſſima, ad odium aduerſus Deum ita acriter illum punientem? negato autem illo auxilio moraliter ſufficienti, & relicto illo auxilio quod ſolùm daret potentiam phyſicam, iam homo infallibiliter prorumperet in odium acerbum aduersùs Deum ab ipſo tormenti initio, & haberetur etiam odio ab ipſo Deo propter illud, & alia peccata quæ ex tunc committeret; maneret deinde obſtinatus in illis peccatis, cùm ſemper maneret ſine auxilio moraliter ſufficienti ad pœnitentiam; maneréṫque vermis æternus horum peccatorum: igitur ſimilis maneret in omnibus animæ quæ de facto damnata eſt: tota autem dicta negatio futura auxiliorum includeretur etiam in pœna condigna peccati mortalis; & Deus ſupponitur non remiſiſſe aliquid de pœna, ſed ſolum culpam præciſè.

8 Pro explicatione meæ ſententiæ, præmitto, aliud eſſe loqui de pœna æterna, quam pati poteſt ille cui iam eſt remiſſa culpa; & aliud de reatu pœnę ęternę, propriè & ſtrictè ſumpto: nam reatus propriè ſolum eſt condignitas pœnæ relicta ex peccato proprio præcedente.

Dico ergo *primò*, nec de potentia abſoluta fieri poſſe, vt remiſsâ culpâ mortali per gratiam habitualem, maneat reatus æternæ pœnæ. Moueor, quia homo iuſtus per gratiam ſanctificatus habet ius ad gloriam, & redditur dignus æterna gloria: Ideò enim Chriſtus Dominus vocauit gratiam *Ioan.*4. fontem aquæ ſalientis in vitam æternam: & 1. *Ioan.* 3. dicitur de illa eſſe ſemen gloriæ; ergo non poteſt manere dignus æterna pœna; qui enim dignus eſt æterna gloria, & beatitudine, nequit eſſe dignus æterna pœna, quia eſſet ſimul dignus, & indignus gloria. Firmo, nam de pœna æterna damni, videtur id per ſe notum, quia non poteſt quis eſſe ſimul dignus viſione Dei, & indignus illa, quia hæc ſunt contradictoria; pœna autem damni conſiſtit in priuatione viſionis, vel beatitudinis.

Idem verò eſt de pœna ſenſus, quia qui dignus eſt beatitudine eſſentiali animæ, conſequenter eſt dignus beatitudine, & gaudio corporis: non ergo poteſt eſſe indignus eadem gloria animæ, & corporis delectatione; ergo nequit eſſe dignus pœna ſenſus, quæ eſt cõtraria glorię, & felicitati animæ, & corporis. Quare tametſi iuſtus habere queat obligationem, & reatum alicuius pœnæ temporalis, vt dicam *ſect.ſequenti*; nequit tamen habere obligationem, & reatum pœnæ æternæ.

Vnde colligo, non poſſe Deum homini peccatori infundere gratiam, & eius peccata remittere per infuſionem gratiæ, & ſimul ab illo auferre dignitatem, & ius ad gloriam, ratione iniuriæ ipſi Deo anteà factæ: Ratio eſt, quia implicat id cum dignitate, quã habet iuſtus ex vi ſanctificationis per gratiam habitualem; nã per illam, nõ ſolù eſt omnis iniuria extincta, ſed ipſe iuſtus redditur particeps diuinæ naturæ, filius Dei adoptiuus, ac hæres vitæ æternæ; atque ideò eſt incapax reatus talis pœnæ.

Obiicies, poteſt Deus remittere culpam veniałẽ, quin remittat pœnam temporalem illi reſpondentem; ergo poterit remittere culpam mortalem, quin remittat pœnã æternam ipſi reſpondentem: probatur Cõſequẽtia, quia ſicut dignitas pœnæ temporalis manet abſq; vlla culpa veniali tametſi fundetur in ea; ita poterit manere dignitas pœnæ æternæ abſque vlla culpa mortali, licèt in ea fundetur. Videmus quoq; in humanis, quòd poteſt priuatus homo acceptare offenſorem in ſui amicitiam, cedendo iuri quod habet ratione iniuriæ acceptæ ad rationabilẽ auerſionẽ ipſius, quin remittatur ei pœna, quam ex iuſtitia vindicatiua cõtraxit; quia homo priuatus poteſt ſimul ex affectų iuſtitię velle, vt ipſe offeſor luat pœnas iniurię debitas, & ſimul ex affectu humanæ amicitię velle, vt eius perſona non ſit ſibi inimica, & auerſa; ergo ſimiliter Deus, qui fungitur munere iudicis ſupremi, poterit peccatorẽ in ſuam amicitiam reſtituere, cedendo iuri quod habet ratione peccati mortiferi, ad odium rationabile inimicitiæ, & auerſionis ipſius, & ſimul etiam retinere ius vindicatiuæ iuſtitiæ ad eum puniendum. 9

Reſpondeo, eſſe diuerſam rationem de pœna temporali reſpondente veniali culpæ, & de pœna æterna reſpondente culpæ mortali: nam in remiſſione culpæ ſeu maculæ venialis, etiãſi fiat per gratiã habitualẽ, nullum datur ius ad aliquid, quod ſit incompoſſibile cum reatu vel debito pœnæ temporalis, ac proinde poteſt illud manere, extinctâ omni prædictâ maculâ; at reatus, vel debitum pœnæ æternæ omnino extinguitur per remiſſionem culpæ mortalis factam per gratiam ſanctificantem, quæ dat ſanctificato dignitatem, & ius ad æternam gloriam: hoc autem omninò extinguit omnem reatum pœnæ æternę; atque ideò nequit manere vlla dignitas pœnæ æternæ, ſiue damni, ſiue ſenſus. Neque eſt eadem ratio in humanis; nam ideò perſona offenſa poteſt acceptare offenſorem in ſui amicitiam, & ſimul velle vt luat pœnas iniuriæ debitæ, quia ex vi talis amicitiæ humanæ nec adoptatur in filium; nec in hæredem ſuorum bonorum, nec datur illi ius indemnitatis omnis doloris, & illius pœnæ, quam debet pati pro iniuria illata: At per amicitiam hominis ad Deum, homo iuſtificatus, mediâ collatione gratiæ habitualis, fit particeps diuinæ naturæ, fit Dei filius adoptiuus, hæres vitę, & beatitudinis æternæ cum aggregatione omnium bonorum; atque ideò cum tali dignitate ac felicitate eſt incompatibilis quæuis obligatio, vel reatus pœnæ æternæ vt ſic, etiamſi reſpiciat culpam commiſſam, cùm ſit iam præterita, & ſit omninò remiſſa per habitualem gratiam.

Dico *ſecundò*, poſſe Deum de potentia abſoluta, hominem iuſtificatum, poſt remiſſam omnem culpam, actu priuare æterna gloria, etſi illi debita ratione gratiæ habitualis. Id communiter Doctores affirmant. Ratio eſt, quia tametſi gratia conſtituat hominem dignum gloria, & in ordine ad hanc opera meritoria dignificet; nihilominùs non obſtante hac dignitate, & ſeclusâ etiam omni promiſſione ac ordinatione, poſſet Deus eam gloriam non conferre, quia ea exhibitio, ſeu operatio eſt voluntaria, & libera Deo. Explico id exemplo caloris; nam calor, tametſi ex natura rei opponatur cum frigiditate; tamen ob hanc oppoſitionem ſolùm exigit ſua natura, vt ad illius introductionem expellatur frigiditas, non verò poſcit vt Deus aliam obligationem ſibi imponat ſtrictiorem eâ, quam habet vt eſt Auctor naturæ. Igitur ſimili modo, tametſi fuerit iuſtificato infuſa gratia, & remiſſa omnis culpa, & illi fuerit exhibita dignitas, & ius ad gloriam; non tamen neceſſariò petit, vt Deus promiſerit 10

gloriam

Digitized by Google

gloriam, vel aliam ſibi impoſuerit obligationem ſtrictiorem illâ, quam habet vt eſt auctor gratiæ. Poterit igitur vt Dominus bonorum gratiæ ſupremus, efficere id quod ipſi libuerit, iuxta ſuum diuinum beneplacitum. Nec verò homini iuſto faceret iniuriam vllam, ex eo quòd illi negaſſet æternam gloriam, præciſa ſemper ordinatione de facto à Deo ſtatutâ, quia illam non negaret per modum reatus pœnæ dicentis ordinem, & reſpectum ad culpam iam præteritam, ac remiſſam; ſed ſolum id præſtaret vt ſupremus Dominus, qui poteſt ſua creatura vti, vt libuerit. Quo ſimili argumento manifeſte oſtenditur, poſſe Deum afficere hominem iuſtum quouis dolore, ac pœna ſenſus æterna, non per modum reatus talis pœnæ, & tanquam iudex, ſed tanquam ſupremus Dominus. Quare ſicut Deus de potentia abſoluta potuiſſet hominem iuſtum, qui nullum vnquam peccatum commiſiſſet, priuare æterna beatitudine, imò & quocumque dolore afficere illum in æternum, non per modum pœnæ dicentis habitudinem ad culpam, ſed vt eſt ſupremus omnium Dominus; ita etiam in quolibet iuſto poſſet idem præſtare ſi vellet, eodem titulo, etiamſi illi fuerit remiſſa omnis culpa.

11 Dico *tertio*, pœnam damnatorum æternam non poſſe infligi homini iuſto poſt remiſſionem omnis culpæ, ſecundum præſentem Dei conſtitutionem, & ordinationem. Hoc videtur certum, idque intendit Suarez, & optime probat, quia pœna damnatorum includit ſtatum obſtinatæ & peruerſæ voluntatis in malo, quem nequit habere voluntas hominis iuſti ex hac vita decedentis cum gratia, & carentia omnis culpæ. Nam ex diuina lege ac ordinatione, ſicut qui ex hac vita decedunt in peccato mortali, iam ſunt deſerti à Deo, & obſtinati in malo, & in vltimo ſupplicio; ita qui decedunt ex hac vita in gratia, in ipſo inſtanti mortis ſunt confirmati in gratia, & in bono, itavt ampliùs peccare nequeant; hoc enim pacto ſe habent quoque animæ iuſtorum in Purgatorio. Quod totum prouenit illis ex ſpeciali diuino fauore ac protectione, orta ex diuina lege, ac ordinatione. Igitur ſtante illa, omninò fuiſſet impoſſibile, vt homo iuſtus pœnas æternas lueret damnatorum.

12 Dico *quarto*, ſecluſâ omni præſenti Dei ordinatione, ac promiſſione, nullam videri implicantiam, vt homini iuſto infligeretur ipſa pœna damnatorum. In hoc ſenſu intelligenda eſt ſententia Cardinalis Lugo, quæ rectè ab illo oſtenditur; quia confirmatio in gratia, & exhibitio auxilij congrui ad rectè & ſemper operandum, & ad tentationibus reſiſtendum, eſt liberale, ac ſingulare Dei beneficium, quod abſolutè Deus non tenetur exhibere; vnde ex eius negatione eſſet infallibile, quòd talis homo non reſiſteret tentationi vehementiſſimæ blaſphemandi aduersùs Deum adeò grauiter illum punientem, ac proinde grauiter peccaret, vnde maneret poſteà obſtinatus in illo peccato; atque ideò eſſet ſimilis in omnibus reprobis hominibus, qui de facto damnantur in æternum.

13 Dico *vltimò*, in omni euentu ſemper verum eſſe, etiam de potentia abſoluta, non poſſe iuſtum, remiſſâ omni culpâ mortali, & in gratia manentem puniri æterna pœna, qualem de facto patiuntur damnati in Inferno; quod eſt præcipuum intentum præſentis quæſtionis. Patet, quia pœna prædictorum damnatorum intrinſecè, ac neceſſariò ſupponit, vel ſecum adfert peruerſam voluntatem & obſtinatam in malo; hæc autem nequit eſſe ſimul cum gratia ſanctificante, & neceſſariò adfert ſecum graue peccatum mortale: ergo ſemper eſt verum, iuſtum decedentem in gratia, omni remiſſa culpa, ac permanentem in eadem gratia, non poſſe puniri ea æterna pœna. Vnde in illo caſu, quem ponit Cardinalis Lugo, de homine iuſto, qui poſſet puniri pœna æterna ſimili damnatorum in Inferno, ſupponit illum priùs de nouo lapſurum grauiter in peccatum mortale & amiſſurum gratiam ſanctificantem, ac permanſurum obſtinatum in peccato mortali; vnde non mirum quòd permanens in tali peruerſo ſtatu, puniretur pœna æterna, ſimili modo, ac puniuntur de facto omnes damnati in Inferno.

SECTIO VII.

An quoties remittitur culpa, & pœna æterna, remittatur quoque per Contritionem aliquid pœnæ temporalis.

Error eſt Hæreticorum aſſerentium, remiſſo peccato, ſemper omnem pœnam æternam, ac temporalem remitti: ex quo incidunt in alios errores, negando Purgatorium, Indulgentias, ieiunia, & orationes ad remiſſionem pœnæ temporalis. Probant illud *primò*, ex modo loquendi Scripturæ ſacræ, Ezechielis *cap.* 18. & 33. dicentis Deum ampliùs non recordaturum peccatorum per pœnitentiam remiſſorum. At ſatis recordaretur illorum, ſi remiſſâ culpâ, reſtaret adhuc aliqua pœna temporalis ſoluenda. 1

Secundò, Chriſtus Dominus in Euangelio legitur in hac vita multis remiſiſſe peccata; nulli tamen iniunxiſſe vllam pœnitentiam.

Tertiò, ceſſante cauſa, ceſſat effectus; ergo cùm peccatum ſit cauſa punitionis, certè illo ſublato tolli debet omnis punitio.

Quartò, Chriſtus pro nobis infinitè ſatisfecit; ergo nulla alia ſatisfactione noſtra opus eſt.

Vltimò, Contritio habet vim tollendi culpam, & pœnam æternam; ergo poterit tollere quoque pœnam temporalem, quia hoc minus eſt, ac facilius.

Dico *primò* remiſſâ culpâ, & pœnâ æternâ per Pœnitentiam, vel Contritionem, ſæpiſſimè ſupereſſe adhuc aliquam pœnam temporalem perſoluendam. Ita definitum fuit in Tridentino *ſeſſ.* 14. *cap.* 8. & *canone* 12. Conſtátque id *primò*, quia Scriptura Sacra multis in locis docet, culpas iam remiſſas Deum pœnis temporalibus puniuiſſe David 2. *Reg.* 12. ob commiſſum adulterium, & homicidium, remiſſâ culpâ punitur morte filij: & ſimiliter, 2. *Reg. c.* 24. ob numeratum populum, aliis grauiſſimis pœnis afflictus fuit. Poſtquam remiſſum fuit Moyſi, & Aaron peccatum incredulitatis; *Numerorum* 20. & *Deuteronomij* 32. adhuc impoſita fuit illis pœna, ne ingrederentur in terram promiſſionis; idque, vt ibi teſtatur ſacer Textus, quia præuaricati erant in Deum. Quæ etiam pœna impoſita fuit omnibus pro alio quodam peccato, poſtquam dixerat Deus dimiſſum eſſe: Numerorum *cap.* 14. *verſ.* 22. *Attamen omnes homines qui tentauerunt me, non videbunt terram pro qua iuraui Patribus eorum.* Denique nos omnes morimur propter originale peccatum, tametſi nobis per Baptiſmum fuerit remiſſum. *Secundò*, eadem Scriptura diuina ferè vbique in his, qui ad Deum conuertuntur, requirit pœnitentiam, luctum, lamenta, & alia pœnoſa opera. Ieremiæ 31. *Pone tibi amaritudines: dirige cor tuum in viam rectam.* Ioëlis 2. *Conuertimini ad me in toto corde veſtro, in ieiunio, & in fletu, & in planctu: Et ſcindite corda veſtra &c.* Vnde Viri Sancti, quorum pœnitentia in Scriptura laudatur, ac commendatur, dicuntur maximas pœnas ſibi inflixiſſe. Sic Iob *cap. vltimo*, dicitur egiſſe pœnitentiam in cinere, & cilicio. David pſalm. 6. laborat *in gemitu ſuo, & lachrymis per ſingulas noctes lectum* ſuum lauat: & *cinerem tanquam panem* manducat: & *potū ſuum*

Digitized by Google

cum fletu miſcet; *Pſal.* 101. Similiter Ezechias *Iſaia* 38. *omnes annos* ſuos Deo recogitat *in amaritudine animæ* ſuæ. Ac ſimilia paſſim occurrunt diuinis in litteris. Quæ omnia non ita fierent, ſi peccato iam remiſſo, nullum amplius debitū pœnæ reſtaret. *Tertiò*, firmat hoc idem antiquiſſimus Eccleſiæ ſenſus, & vſus, imponendi pœnitentias pro peccatis: ac clarè colligitur ex Purgatorio, ac ſuffragiis. Nam ſi animæ quæ ex hac vita decedunt in Dei gratia, adhuc debent in Purgatorio ſoluere pœnas pro peccatis, & iuuari poſſunt fidelium ſuffragiis, ieiuniis, & eleemoſynis; ergo habent debitum ſoluendum, pro quo alij quoque ſoluere poſſunt, atque ideò non dimittitur tota pœna ſimul cum remiſſione culpæ. Denique huius rei ratio præcipua ſumenda eſt ex Dei arbitrio, ac voluntate, qui ſicut pœnam quæ æterna eſt, vnà cum culpa gratis remittit: ita potuiſſet ſemper remittere omnem omninò pœnam, ſi voluiſſet. Aſſignatur tamen optima etiam ratio deſumpta ex ordine diuinæ iuſtitiæ: nam Deus ſicut eſt miſericors, ita & iuſtus; ac proinde ſicut gratis remittit culpam ex miſericordia, & etiam æternam pœnam, quia pro his nihil poteſt homo condignum agere: ita iuſtitia poſtulat, vt non relinquat culpam ſine pœna; ne etiam detur hominibus nimia peccandi licentia: Sicut enim inter homines, ſi amicus iniuſtè occupet res alterius amici, quamuis alter offenſam remittat, & fiat amicus, poteſt adhuc exigere iuſtam recompenſationem; ſic Deus ſimiliter gratis reuocat hominem ad amicitiam ſuam; vt iudex tamen poteſt, & ſuo modo debet malè facta punire. Debuit autem hæc pœna poſt reſtitutam amicitiam eſſe temporalis; quia pœna æterna eſt propria inimici: vnde æternitas eius pendet quaſi in conſeruari ab inimicitia. Atque in hoc ſenſu dixit Paulus *Rom.* 8. *Nihil damnationis* eſſe *in iis qui ſunt in Chriſto Ieſu*: non quia nulla pœna poſſit illis imponi, ſed quia illa non eſt æterna, neque ad damnationem, ſed ad ſatisfactionem, & purgationem ſpectans.

3 Dico *ſecundò*, Deum pœnam æternam commutare in temporalem, non ex toto rigore, ſed ex miſericordia, & amore. Hoc etiam videtur certum, quia in eiuſmodi commutatione taxauit Deus pœnam temporalem talem, qualem decet eum ob ipſius bonitatem, & clementiam ab amico exigere; atque ideò non ex iuſtitia ſolùm, ſed etiam ex miſericordia eam taxaſſe videtur. Id enim exigit lex beneuolentiæ, & ius amicitiæ, vt non ſicut inimicus, ſed vt verè amicus benignè puniat iniuriam illatam. Vnde non deſignauit de facto pœnam temporalem ita diuturnam, & grauem, vt non potuiſſet ex iuſtitia aliam pœnam temporalem taxare grauiorem, & diuturniorem. Quare nos omnes debemus peculiares gratias agere Deo, non ſolùm quia nobis remiſit pœnam æternam, ſed etiam quia non commutauit illam in aliam temporalem maiorem, provt iuſtiſſimè poterat: Et in hoc ſenſu nunquam remittitur pœna æterna, imo nec remitti poteſt, quin ſimul remittatur aliquid de pœna temporali, in quam commutari potuiſſet. Quanta autem pœna temporalis pro ſingulis peccatis iam remiſſis ſoluenda reſtet, nobis incertum eſt; quia Deus talem ſtatuit, qualem ipſe iudicauerit expedire.

4 Dico *tertiò*, quoties culpa, & pœna æterna remittitur per Contritionem, deleri ſemper aliquam partem pœnæ temporalis; & quò eſt perfectior Contritio, eò maiorem partem delere, atque adeò in tantum poſſe eſſe perfectiſſimam, vt totam deleat pœnam. Ita ſentiunt Durandus, Caietanus, Medina, Soto, & alij quos refert, & ſequitur Suarez *diſp.* 10. *ſect.* 1. *numer.* 17. & Coninck *diſp.* 2. *dubio* 12. *numer.* 116. & Alij. Id probant prædicti Doctores, quia Contritio provt informatur gratia ſanctificante, habet omnes conditiones ad hoc requiſitas, & eſt de condigno ſatisfactoria pro pœna reſtante. Vnde notant Contritionem dupliciter debere conſiderari; *Primò* ſecundùm ſe, & vt informis; & hoc pacto ſolùm eſt cauſa diſpoſitiua remiſſionis culpæ, & pœnæ æternæ, ac proinde ex vi illius vt ſic, nihil tollitur de pœna temporali. *Secundò*, conſiderari poteſt eadem Contritio, provt iam formata per gratiam; & vt ſic iam eſt ſatisfactoria de condigno, ſicut & meritoria; & ideò ratione illius, ex iuſtitia tollitur aliquid pœnæ temporalis, & magis, vel minus, provt illa maior, vel minor fuerit. Neque eſt inconueniens, vt ſecundùm diuerſa inſtantia naturæ, eadem pœna priùs intelligatur integra, & poſtea ex parte remiſſa. Vnde quia in iuſtificatione quæ fit per Contritionem, ſemper concurrit actualiter ipſa Contritio; ideò ſemper habet hunc effectum, etiamſi ſit minima; quia non habet hunc effectum ratione ſolius exceſſus, ſed ratione ſui valoris moralis. Quare virtute Contritionis vt dignificatæ per gratiam, cùm ſit condigna ſatisfactio, non remittitur quouis modo, ſed ſemper ſoluitur aliquid de pœna temporali debita, quia debitum quod per condignam ſatisfactionem, & ſolutionem deletur, non remittitur propriè, ſed ſoluitur: nam ſolutio æqualis, & remiſſio, videntur opponi.

Cæterum quia multi Doctores graues, non abſque fundamento negant, poſſe Contritionem dignificari à gratia ſanctificante data intuitu eiuſdem Contritionis in eodem inſtanti ad obtinendū alium effectum. Quod certè pendet ex celebri illa quæſtione in materia *de Gratia*, An Contritio quæ eſt diſpoſitio ad gratiam mereatur de condigno primam gloriam? ideò alio etiam fundamento nixus, probo dictum. Quia nimirùm Contritio quantumuis exigua, & imperfecta ſit, eſt ſufficiens diſpoſitio ad diſponendum ſubiectum ad gratiam habitualem impetrandam, & conſequenter ad tollendum debitum pœnæ æternæ. Vnde non poteſt deſignari Contritio ita imperfecta, & remiſſa, vt ad prædictum effectum alia imperfectior, ac remiſſior non ſufficiat: Igitur ratione illius intenſionis, & incrementi, quod non eſt neceſſarium ad tollendum debitum culpæ, & pœnæ æternæ, merebitur Contritio relaxationem alicuius pœnæ temporalis, iuxta maius vel minus illius incrementum. 5

Ad argumenta oppoſita. Ad primum, Dico illis locis nihil aliud ſignificari, quàm ſtatim, ac homo perfectè conuerſus eſt, Deum ei remittere peccatum; & illius, provt habet rationem culpæ, & meritorium eſt æternæ mortis, quaſi omninò obliuiſci, quia non recordatur illius in ordine ad æternam punitionem. Vnde iam ratione peccatorum non reſpicit hominem vt inimicum; tametſi vt amicum illum puniat, donec eum perfectè purget, ac mundet. 6

Ad ſecundum, ideò Chriſtum Dominum multis, quibus peccata remiſit, non iniunxiſſe pœnitentiam; vel quia illis talem de peccatis Contritionem inſpirauerit, vt ſufficeret quoque pro deletione omnium pœnarum; vt in Magdalena, & bono Latrone: vel quia iis quibus denunciabat peccata remitti, iam diu pro iis fuerant puniti, vt accidit in languidis quos ſanabat; ac proinde etiamſi dolor eorum fortè non ſufficeret ad deletionem omnis pœnæ; pietatem tamen ac liberalitatem Chriſti decebat, iam ſatis diu afflictis omnem afflictionem remittere; vel denique ipſe Chriſtus, vt ſummus Pontifex liberaliter indulgebat remiſſionem omnis pœnæ. Addo aliquando etiam illis quos ſanabat in corpore, & in anima, imponebat aliqua pietatis opera exercenda. Vt Leproſo *Marci* 1. à lepra iam mundato iniunxit, vt iret ad Principem Sacerdotum, & offerret pro emundatione munus. Item *capit.* 5. homini à Dæmone liberato præcepit, vt domum rediret, & ſuis prædicaret mirabilia Dei. 7

Ad

Digitized by Google

8 Ad tertium: Maior illa ſolùm eſt vera in effectu continuo dependente à ſua cauſa, vt conſtat; nam alias ſublato patre, neceſſariò tolleretur filius. At debitum illius pœnę non pendet à perſeuerantia peccati. Nam cauſa punitionis non eſt peccatum præſens, nec culpa moraliter permanens, ſed culpa merè præterita, quæ dat ius Deo ad iuſtam punitionem.

9 Ad quartum,conſtat Chriſtum ſatisfeciſſe ſufficientiſſimè pro omnibus peccatis,& eorum pœnis, quoad oblationem pretij;ideoque non eſſe nobis opus alio pretio quo redimamur:opus tamen eſſe variis mediis,quibus hoc pretium nobis applicetur, vt poſſit nobis prodeſſe.Vnde bona opera in gratia facta ex ſeipſis habent valorem, & condignitatem, ſeu æqualitatem ad ſatisfactionem pro pœna temporali; nec accipiunt hanc condignitatem, & valorem à meritis, vel ſatisfactione Chriſti formaliter, ſed efficienter, quatenus ob Chriſti paſſionem datur gratia nobis ad benè operandum. De quo plura *infrà, diſputatione 40. de Satisfactione.*

10 Ad vltimum,Dico Contritionem habere vim delendi culpam & pœnam æternam dependenter ex gratia, & acceptatione Dei.At Deum ipſum, etſi conueniat contrito,vtpote benè diſpoſito, remittere culpam,& æternam pœnam,tamen minus conuenit,eum ſemper illi remittere omnem temporalem pœnam,iuxta rectum ordinem diuinæ iuſtitiæ,vt dixi in *hac ſectione numero ſecundo.*

SECTIO VIII.

An per Contritionem in lege gratiæ remittatur plus pœnæ temporalis, quàm anteà, cæteris paribus.

1 Hanc quæſtionem mouet Caietanus *tom. 1. opuſculor. tractat. 4. quaſt. 4.* docens eandem Contritionem nunc in Lege gratiæ, cæteris paribus, relinquere reatum minoris pœnæ, quàm anteà, propter votum Sacramenti Pœnitentiæ quod includit.

2 Verùm hanc rationem Caietani refellit Suarez *diſp. 10. ſect. 3. num. 8.* Quia vel intelligit remitti aliquid pœnæ ex opere operato propter ſolum votum Sacramenti:& hoc eſt falſum,quia Sacramenta non operantur antequam ſint:vel intelligit,remitti ſolùm ex opere operantis,ſeu ex diſpoſitione operantis;& hoc etiam eſt falſum,quia vel illud eſt votum ſolùm implicitum, & hoc non ſufficit ad illum effectum, quia non reddit actum præſtantiorem,nec magis pœna em;vel eſt votum explicitum:& tunc iam non erunt cætera paria,nec eſſet eadem Contritio,ſed diuerſa, propter votum explicitum Sacramenti,quod olim non habebat;quia peccator nunc habet nouum actum ſatisfactorium.

3 PrædictamCaietani ſententiam non improbabiliter defendit noſter Cardinalis Lugo *diſputat. 8. ſection. 2. numer. 68* alio nixus fundamento,dicens,eandem Contritionem habere nunc in Lege gratiæ maiorem congruitatem ad gratiam promerendam, & ad ſatisfaciendum pro pœna, quàm haberet olim ante Chriſti aduentum.

Quod probat,quia non videtur poſſe negari, quòd eadem oratio,vel idem actus bonus, factus à perſona magis coniuncta Chriſto,verbi gratia,ab eius auia, vel ab alio cognato, habeat aliquam maiorem congruitatem ad impetrandum,vel merendum, quàm ſi fieret ab alio non ita coniuncto,etiamſi cætera eſſent paria;quia illa cognatio, vel coniunctio eſt nouus titulus, præferens illam perſonam aliis, quando cætera ſunt paria. Cùm ergo poſt Chriſti aduentum, omnes facti ſimus eius conſanguinei,licet in gradu remoto, quam coniunctionem nondum habebant in Lege veteri. conſequens videtur quòd hic titulus conſanguinitatis afferat Contritioni noſtræ maiorem aliquam congruitatem ad impetrandam, & promerendam veniam culpæ & pœnæ, quam antea non haberet,ex eo quòd fiat à perſona magis coniuncta Chriſto. Quod certè firmari poſſet à ſimili,doctrina alia recepta Theologia,quæ eſt D.Thom. *1. p. q. 6 1. art. 6.* Vbi non vt certum, ſed vt rationabile docet, Deum diſtribuiſſe gratiam Angelis iuxta proportionem naturalium; itavt quò Angeli creati fuerunt perfectioris naturæ, eò maiori gratia ornati fuerint.Nam ex parte naturæ Angelicæ,fuit veluti fundamentum remotum,aut occaſio,ob quam Deus ex mera liberalitate,& voluntate diſtributurus gratiam Angelis ſapienter voluerit iuxta diſpoſitionem naturalium,illam gratiæ diſtributionem facere:ſimiliter ergo dici poteſt, eandem orationem,& Contritionem in hominibus Legis gratiæ,propter illam naturalem coniunctionem cum Chriſto,afferre ſecum maiorem proportionem,ſeu congruitatem, ad impetrandam, & promerendam veniam culpæ,& pœnæ, quam antea non haberet in lege veteri.

4 Verùm hæc opinio, tametſi primo intuitu appareat ſatis pia,& congrua;cæterùm meo iudicio nullum firmum fundamentum iuxta principia Theologica habere videtur.

Primò,quia iſte nouus titulus conſanguinitatis remotæ cum Chriſto,quoad totum quod includit,eſt quid phyſicum,ac prorſus naturale;ergo nequit habere congruitatem aliquam ad remittendam venialem culpam, vel aliquid temporalis pœnæ pro culpa debitæ: nam prædicta culpa,vel pœna non remittitur niſi per actus ſupernaturales, per ſuſceptionem Sacramentorum cum debita ſupernaturali diſpoſitione doloris peccatorum,ac deteſtationis:nequit ergo remitti ratione ſtirpis,vel generis præſertim remotiſſimi, vel ſanguinis coniunctionis præcisè.

Secundò,prædicta remiſſio culpæ,vel pœnæ eſt opus ordinis ſupernaturalis, & diuini; ergo talis coniunctio naturalis nequit habere proportionem, in qua poſſit congruitas meriti fundari:non ſecus atque actus honeſtus naturalis qui non poteſt eſſe meritorius adhuc de congruo præmij ſupernaturalis,ob improportionem, & diſtantiam,quæ eſt inter ens naturale, & ſupernaturale. Cuius rei ratio à priori hęc eſſe videtur,quia opus merè naturale ex ſe nullam habet relationem ad dona ſupernaturalis ordinis,in qua poſſit congruitas meriti fundari.Vnde ſicut in ratione diſpoſitionis,eſt inferioris ordinis;ita etiam in ratione meriti,eſt quid merè naturale; & ideò non habet habitudinem etiam congruitatis ad præmium ſupernaturale.At remiſſio peccati,vel pœnæ illi debitæ, opus eſt Dei, vt auctor eſt ſupernaturalis ordinis, & gratiæ; vt ſic enim remittit offenſam; & iniuriam ipſi illatam, & pœnam illi debitam: videlicet per infuſionem, vel augmentum gratiæ ſanctificantis,quam producit, vt eſt auctor non naturæ, ſed gratiæ.

Tertiò,vt ille titulus talem haberet congruitatem, debuiſſet conſtare de lege,ordinatione,vel acceptatione Dei præuia,ſine qua nullum meritum etiam congruum eſt admittendum Nam ad rationem meriti etiam congrui in actu ſecundo,ſpectat,non ſolùm aliqua proportio operis ad præmium,ſed etiam actualis quædam exigentia certi, ac determinati præmij. Igitur exiſtentia congrua remiſſionis certæ,& determinatæ pœnæ, non

poteſt

Digitized by Google

poteſt reperiri ſine extrinſeca ordinatione Dei, taxantis certam & determinatam partem pœnæ remittendæ; quia ad Deum pertinet, illam remittere determinatam & certam, magnam, vel exiguam, prout ipſe voluerit. De hac autem ordinatione, ac lege, ſeu promiſſione nullo modo conſtat, neque ex Scriptura, & ſanctis Patribus, neque ex traditione aliqua, aut ſenſu Eccleſiæ, neque ex vllo dicto communi Theologorum.

Quartò, prædicta ſanguinis coniunctio, eſt ſimul coniuncta cum omni macula, ac fœditate peccatorum mortalium, nec habet in ſe aliquid, quod repugnet quodammodò cum peccato mortali; vt experimento liquet in omnibus ferè hominibus Legis gratiæ poſt Chriſtum, variis, ac innumeris peccatorum maculis, ac vitiis infectis; & nullam dicit relationem, vel reſpectum, ſeu connotationem ad ordinem gratiæ; quo pacto igitur talis titulus præciſè poteſt habere aliquid conuenientiæ, vel congruitatis, vt ratione ipſius, remittatur à Deo aliquid pœnæ temporalis pro peccatis debitæ?

Vltimò, Chriſtus Dominus parùm, aut nihil curauit de prædicta cum hominibus conſanguinitate, etiam proxima, nedum remota, vt manifeſtè colligitur ex *cap. 12. Matthæi.* Vbi cum illi dictum fuiſſet: *Ecce mater tua, & fratres tui foris ſtant, quærentes te*: reſpondit; *Quæ eſt mater mea, & qui ſunt fratres mei? Et extendens manum in Diſcipulos ſuos, dixit: Ecce mater mea, & fratres mei.* Subditque. *Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei qui in cælis eſt, ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt.*

Vnde prædicta ſanguinis coniunctio apud Deum, præciſè ſpectata quoad eſſe phyſicum, quod includit, non ſolùm eſt minoris æſtimationis moralis, imò & nullius, reſpectiuè ad dignitatem gratiæ, & filij adoptiui, Deo obedientis; verùm etiam nullius prorſus momenti ad aliquam congruitatem impetrationis, ſeu meriti veniæ ipſius culpæ, vel pœnæ.

5 Ex his manet ſoluta omninò ratio Cardinalis Lugo. Nec confirmatio illa de Angelis aliquid probat. Nam inprimis ab Angelis ad homines, vel è contra, non rectè argui poteſt quoad diſtributionem gratiæ. Non enim poſſumus nos omnium conſiliorum Dei rationem reddere. Sicut enim Deo pro ſola ſua voluntate placuit, naturam humanam, & non Angelicam ſibi hypoſtaticè vnire; ita etiam placuit, homines ad varios gradus gratiæ, & gloriæ pro ſola ſua voluntate, nullâ habitâ ratione naturalis perfectionis eligere; Angelos verò pro eadem ſua voluntate ac libertate placuit, ad ordinem gratiæ, ſeruatâ proportione ad ordinem naturæ eleuare, non quia hoc ipſi naturali ordini; ſeu inæqualitati debitum eſſet, ſed quia ita viſum eſt congruum ad pulchritudinem, & optimam diſpoſitionem cæleſtium Spirituum, & Ordinum. Nec verò ita hoc iudicatur congruum, & conſentaneum diuinæ Sapientiæ, vt ſi aliter Deus res Angelorum diſponere voluiſſet, ſine aliquo defectu, vel imperfectione id facere non poſſet: nam ſi id facere decreuiſſet, certiſſimum eſt non defuturas ipſi plures ſuæ diuinę Sapientiæ congruentias, ſeu congruentes rationes, propter quas id rectè facere poſſet. Quia tamen illæ non ſunt nobis ita notæ, & ille ordo videtur facilior, & aptior ad communem, & ordinariam prouidentiam Angelorum: & quia Patres hoc docent, & D.Th. etiam hoc rationabile iudicat; ideò de facto credimus dictam proportionem in Angelis Deum ſeruaſſe. De hominibus verò oppoſitum conſtat, & ex effectis ipſis, & ex modo loquendi Scripturæ, & Patrum, vt in materia *de Prædeſtinatione*, & *Gratia* docuimus. Et certè non incongruè dici poteſt, voluiſſe Deum vtroque modo ſuam gratiā diſtribuere, & cum proportione ad perfectionem naturæ in Angelis, & ſine illa in hominibus; vt ſe oſtenderet liberalem ſuæ gratiæ donatorem; & quòd illam diſtribuit, prout vult.

Addo, ex prædicta doctrina non imbecille colligi argumentum poſſe in fauorem noſtræ ſententiæ. Nam 6
Deus diſtribuit dona gratiæ hominibus, ſine vlla proportione ad naturalem perfectionem, ſeu ad eorum naturam, pro ſola ſua voluntate, nulla habita ratione, vel congruentia alicuius naturalis perfectionis; ergo etiam ſimili modo remittit culpas etiam veniales, ac leuiſſimas, & veniam concedit pœnæ debitæ, mediis actionibus ſupernaturalibus, nullo modo ſpectantibus ad ordinem naturæ, nullâ habitâ ratione, vel congruentiâ perfectionis naturalis: ergo nec coniunctionis iſtius naturalis remotiſſimæ. Non igitur hæc erit peculiaris titulus, vel congruentia ad remittendam nec partem pœnæ leuiſſimam.

DISPVTATIO X.

De efficacia Contritionis in ordine ad remiſsionem venialium peccatorum.

INTER effectus Contritionis enumerant Doctores remiſſionem venialium peccatorum. Quod vt exactè explicetur, quæ diſpoſitio requiratur ad remiſſionem venialis, tam extra Sacramentum per actum Contritionis, quàm in Sacramento; & per vſum quoque aliquorum Sacramentalium, explicanda eſt. Procedit autem Diſputatio præſertim de facto, ſeu de lege, & potentia ordinaria, & quaſi ex natura rei, iuxta materiæ capacitatem.

SECTIO PRIMA.

Vtrùm ad remiſsionem venialium in hac vita, ſit neceſſaria gratia habitualis ſanctificans.

PRæmitto *primò*, hominem iuſtum in hac vita poſſe 1
conſequi extra Sacramentum, remiſſionem ſuorum venialium peccatorum. Hoc eſt certum; quia & mortalium poteſt, & venialia confitendi nullam obligationem habet.

Præmitto *ſecundò*, peccatum veniale, poſtquam phy- 2
ſicè præteriit, relinquere maculam in anima, ſicut & mortale, cum proportione; ex qua tanquam ex radice naſcitur reatus pœnæ, ſeu dignitas ad pœnam luendam. Hanc verò peccati venialis maculam, formaliter eſſe ipſam malitiam peccati actualis, quatenus moraliter durat, & perſeuerat etiam tranſacto phyſicè actu peccati. Ratio eſt, quia macula peccati venialis, ſicut & mortalis, peccatum formaliter eſt; nam vi Contritionis, & Sacramentorum Baptiſmi, & Pœnitentiæ tollitur peccatum formaliter, vt eſt certum de Fide; cùm verò formaliter peccatum tollitur, nihil aliud tollitur quàm peccati macula. Igitur macula peccati eſt peccatum formaliter; ergo vel eſt ipſum actuale peccatum, quod phyſicè præteriit; vel eſt aliud quid diſtinctum. At nequit eſſe aliud: Patet, quia ille qui ſemel verbum blaſphemum protulit, verbi gratia, & per Contritionem id peccatum

non

Digitized by Google

non deleuit, macula blaſphemiæ contaminatus dicitur, & hæc macula aliud peccatum non eſt, quam ipſa blaſphemia, quæ extitit exiſtente phyſicè reali actu blaſphemiæ; quia ſi hæc macula aliud blaſphemiæ peccatum eſſet, oporteret in homine ſemel blaſphemante reperiri duplex blaſphemiæ pecatum; *primum*, illud quod exiſteret exiſtente phyſico actu peccati; & *ſecundum*, illud quod primo actu tranſacto remaneret. Idem dici deberet de mendacio officioſo, & aliis. Certum ergo debet eſſe, maculam peccati venialis formaliter eſſe ipſam malitiam peccati actualis, quatenus moraliter durat, & perſeuerat, etiam tranſacto phyſicè actu peccati.

3 Præmitto *tertiò*, peccatum veniale, tametſi non contineat grauem, & perfectam iniuriam erga Deum, ideóque non tollat eius amicitiam, ſicut tollit peccatum mortale; verè tamen eſſe iniuriam, & offenſam Dei, etſi leuem, impedire perfectionem amicitiæ Dei, ac verè Deo diſplicere, & eſſe contra Dei voluntatem & præceptum: quæ inordinatio eſt vera animæ macula, tametſi non grauis.

4 Præmitto *quartò*, peccatū veniale remitti, non eſſe formaliter, remitti pœnā, ſed maculā moralē quam reliquit. Ita communiter omnes Theologi. Ratio eſt, quia culpa, & reatus pœnæ moraliter diſtincta ſunt; ergo formaliter, ac propriè loquendo, remiſſio culpæ non eſt ablatio pœnæ: Imò nec ſemper ſunt neceſſariò coniuncta; nam per Indulgentias remittitur pœna, non autem culpa: per opus quoque pœnale ſæpe remittitur pœna, etiāſi non tollat illam moralem malitiam quam culpa reliquit, quia ſupponit iam illam remiſſam: ſignum igitur eſt, aliud eſſe, tolli culpam; aliud verò, pœnam remitti. Quare, ſicut ſe habet culpa mortalis ad reatū pœnæ æternæ; ita videtur ſe habere peccatū veniale ad reatū pœnæ tēporalis; atque ideò ſicut in peccato mortali illa duo diuerſa ſunt, & alia eſt remiſſio culpæ, & alia pœnæ æternæ, licèt ſint coniuncta, vt apertè ſupponit Tridentinum *ſeſſ.6.* & 14. ita ſimiliter in veniali culpa, & reatu pœnæ temporalis; maximè cùm iſte maneat, illâ remiſsâ; quod eſt maximum diuerſitatis indicium.

5 Tandem præmitto, peccatum veniale interdum remitti ex opere operantis, interdum ex opere operato per Sacramenta, interdum quoque remitti ſimul cum peccato mortali, ſcilicet in ipſa prima iuſtificatione, quando eſt ad vtrumque peccatum remittendum ſufficiens diſpoſitio; interdum verò remitti ſolùm ſine mortali, vt quando inuenitur in homine iuſto.

His præmiſſis ad ea, quæ in hac diſputatione ſunt dicenda: præſens difficultas eſt, an remiſſio peccati venialis in hac vita requirat ſemper gratiam ſanctificantem in eo cui confertur. Negant Scot. *in 4.d.16.* & Gab. *diſt.16.q.5.a.3.dub.2.*

6 *Primò*, quia ablatio peccati venialis fit ſufficienter per ſolutionem alicuius pœnæ temporalis.

Secundò, interdum peccator per vnum beneficium gratiæ auxiliantis conſequitur aliud, etiamſi ab ſtatu peccati non recedat: ſic enim per actum fidei intenſum conſequitur augmentum fidei: & benè vtens minori gratiæ auxilio, obtinet maius: ergo dolendo aliquo modo ſupernaturali de culpa veniali, poterit illius veniam obtinere, etiamſi gratiam non obtineat ſanctificantem.

Tertiò, Attritio ſupernaturalis de peccato veniali, vi ſua excludit venialem culpam extra Sacramentum: ſic enim deteſtatio peccati ob turpitudinem eius, verbi gratia; quæ eſt Attritio, habet ſufficientem & proportionatam virtutem, ac vim ad expellendum formaliter veniale peccatum; ergo non requiritur gratia ſanctificans. Quare ſicut Contritio, virtute ſua ſufficienter expellit peccatum mortale: ita Attritio ſupernaturalis idem faciet circa veniale peccatum.

Quartò, ſi homo in puris naturalibus creatus venialiter peccaret, poſſet à ſe illud expellere per actum bonum naturalem, quia tunc non haberet locum gratia, & poterat ille homo facere actum æquè bonum, quàm fuerat malus actus peccati venialis, & formaliter illi repugnantem; ergo.

Quintò, ſequeretur ex contraria ſententia, pœnam peccati venialis eſſe æternam, ſicut & culpam: quia peccatum veniale, ſi in hac vita cum peccato mortali ſit coniunctum ſemper, nunquam tolletur, quia mortale non aufertur, & illud non tollitur ſine iſto: durante autem culpa, durat & debitum pœnæ; ergo & pœna, ac proinde erit perpetua: hoc autem videtur abſurdum, quia veniale peccatum non eſt dignius pœnâ propter coniunctionem cum mortali: ergo cùm de ſe non ſit dignum pœnâ æternâ, neque etiam propter coniunctionem cum alio erit dignum illa, ac proinde puniretur homo vltra condignum.

Sextò, ex contraria ſententia ſequeretur, peccatum veniale, ſi poſt hanc vitam cum ſolo veniali coniunctum inueniretur, fore quoque perpetuum quoad culpam, atque adeò etiam quoad pœnam ſenſus. Quod videtur omninò falſum; quia alias talis homo in inferno damnatorum eſſet in æternum puniendus; quia pœna æterna ſenſus in illo loco ſuſtinetur.

Vltimò, eſt opinio Thomiſtarum ſatis probabilis, non intendi habitum gratiæ, & Charitatis, per actus Charitatis, & Pœnitentiæ remiſſos, ſeu minus intenſos, quàm ſint habitus. At contingere poteſt, & fortè ſæpe contingit, hominem diſponi ad remiſſionem venialium per actus remiſſiores habituali gratia: tunc ergo iuſtus conſequeretur venialium remiſſionem ſine augmento gratiæ ſanctificantis; atque adeò venialia peccata interdum poſſunt homini iuſto remitti abſque vlla gratiæ infuſione. Propter hoc argumentum tenet hanc ſententiam Granado *controuerſ. 7. de pœnitentia, diſp.5.*

Veriſſima tamen ſententia eſt, affirmans remiſſionem venialium in hac vita ſemper requirere gratiam ſanctificantem in eo cui confertur. Quam tenet D.Th. 7
1. 2. *quæſt.* 87. *art.* 5. *ad* 3. & ſequuntur modò ferè omnes, inter quos Suarez, Lugo, Coninck, Mæratius, & alij recentes Theologi. Probatur manifeſta inductione: nam ſi remiſſio venialis fiat ex opere operantis per Contritionem, v. g. debet neceſſariò, vel ſupponere gratiam, vel illam infundere: ſi enim peccatum veniale remittitur ſimul cum mortali, neceſſaria eſt infuſio gratiæ, ſine qua mortale peccatum non remittitur: ſi verò veniale ſolùm per ſe remittitur vi prædicti actus Contritionis, vel cuiuſuis alterius actus ſupernaturalis, neceſſariò ſupponit ſubiectum gratum, & amicum; quia ab inimico nihil acceptat Deus in recompenſationem, aut remiſſionem alicuius offenſæ, etiam minimæ. Vnde ſi peccator diſponatur per Attritionem extra Sacramentum ad remiſſionem mortalis, & venialis, nihil efficiet, quia opus peccatoris non habet valorem moralem ad vllam ſatiſfactionem de condigno: nam exiſtens in mortali dignus eſt irâ diuinâ; quomodo ergo poteſt illum obligare ad remiſſionem venialis, maximè cùm nulla ſit lex, vel promiſſio ex parte Dei de hac re? Inter homines quoque experimur, ſecundùm moralem prudentiam ſubditum Regi offenſum ob grauiſſimas iniurias, & alias quoque leuiores, harum veniā petendo, & non debitam ſatisfactionem pro illis offerendo, nullā mereri conſequi gratiam. Si autem remiſſio venialis fiat ex opere operato per Sacramenta, ratio optima eſt, quia Sacramentum non confert ſecundarium effectum, niſi cui confert primarium, & ita non remittit peccatum veniale, niſi conferendo gratiam. Vnde ſi remittat veniale ſimul

cum

cum mortali, neceſſe eſt vt primam conferat gratiam; ſi verò remittat veniale ſolùm, neceſſe eſt vt & recipientem ſupponat iuſtum, & non ponentem obicem Sacramento, & conſequenter, quòd augeat illius gratiam; quia non remittitur veniale ſine aliquo actu ſupernaturali, omnis autem talis actus eſt meritorius augmenti gratiæ, quod ſtatim ac meritum ponitur, verè infunditur. Nunquam igitur in hac vita remittitur veniale peccatum ſine infuſione gratiæ.

8 Ad argumenta oppoſita. Ad primum, Dico ablationem venialis debere fieri per ſolutionem, id eſt, per actum ſatisfactorium pro pœna temporali; debere tamen procedere ab homine grato, ſeu à gratia ſanctificante, vt conferat dignitatem perſonæ, à qua ſatisfactio ipſa habet valorem, & moralem proportionem ad ſoluendum debitum.

9 Ad ſecundum, verum eſt operationem ſupernaturalem factam cum minori auxilio, eſſe diſpoſitionem moralem ad maius auxilium; quia per ſe, & ex ordinatione diuina ad hoc tendit, vt homo paulatim proficiat: ſimiliter actus Fidei ſupernaturalis eſt ſufficiens diſpoſitio ad Fidei augmentum: Cæterùm reſpectu remiſſionis venialis peccati, nulla diſpoſitio dari poteſt in homine inimico Deo; maximè quia remiſſio venialis culpæ, eſt veluti quædam perfectio, & puritas amicitiæ; & ideò ex natura ſua, vel ſecundùm conuenientem ordinem Dei ſupponit amicitiam.

10 Ad tertium negatur Antecedens: nam in illa Attritione, nullus eſt valor moralis ad ſatisfaciendum Deo pro qualicumque iniuria illi facta per venialem culpam, ſinè qua ſatisfactione, non poteſt illa expelli, niſi gratis à Deo remittatur per liberalem extrinſecam condonationem. Contritio autem iuxta veriorem ſententiam, per ſe, & ex vi ſua non expellit peccatum mortale per modum formæ phyſicæ, ſed per modum diſpoſitionis moralis vltimæ ad formam iuſtificationis, vt dixi *ſuprà diſp. octaua, ſect. prima.* Vnde illa Attritio multò minùs excludet eo modo veniale peccatum.

11 Ad quartum, Suarez *ſect. 2. numer. 9.* duo dicit. *Primum,* non eſſe omnimodam rationem de homine in puris naturalibus, & in hoc ſtatu gratiæ conſtituto; quia nunc veniale peccatum includit aliquam inordinationem à fine ſupernaturali, & eius remiſſio ordinatur ad beatitudinem ſupernaturalem conſequendam; at in illo ſtatu puræ naturæ eſſet inordinatio à fine naturali. Vnde alium modum prouidentiæ habet nunc Deus in hoc ſtatu gratiæ, cum natura humana eleuata ad finem ſupernaturalem, quam tunc haberet: nunc enim per gratiam ſupplet defectus naturæ; tunc verò alio modo accõmodato illi ſtatui prouideret illi. *Secũdum* eſt, etiam in illo ſtatu nõ potuiſſet homo per ſolas naturæ vires perfectè ſatisfacere pro culpa veniali, prout eſt offenſa Dei, etſi leuis, propter improportionem perſonæ offendentis, carentis gratia ſanctificante cum perſona offenſa. Vnde gratis Deus ac liberaliter illam venialem culpam condonaret.

12 Ad quintum, manifeſtè conſtat peccatum veniale, formaliter loquendo, non fieri dignum maiori pœna propter coniunctionem cum mortali; cæterùm negari non poteſt, eiuſmodi coniunctionem eſſe occaſionem quandam impedientem perſonam, ſeu illam conſtituentem in ſtatu, in quo non poſſit à ſe expellere venialem culpam; ex quo fit, vt manente culpa veniali, dignitas, ſeu reatus pœnæ qui ad illam conſequitur, ſemper duret, ac proinde vt pœna etiam duret.

13 Ad ſextum, fusè Suarez *ſectione ſecunda citata, numer. 14. & ſequentibus.* Breuiter dico, in eo caſu ad prouidentiam Dei ſpectare, modum adhibere quo ille homo in eo ſtatu non decederet; niſi alias cum illo vteretur aliqua diſpenſatione, condonando illi venialem culpam; præſertim cùm certum videatur ſine gratia ſanctificante, iuxta præſentem ſtatum non poſſe tolli venialem culpam.

Ad vltimum, ſemper verius exiſtimaui, quod docui in materia *de Charitate*, per quemcumque actum meritorium hominis iuſti intendi gratiam habitualem, etiamſi actus ſit remiſſior ipsâ gratiâ. Quare cùm iuſtus extra Sacramentum ſemper conſequatur venialium remiſſionem per actum meritorium; manifeſtè ſequitur ſemper intendi gratiam hominis iuſti, quoties illi aliqua venialia remittuntur. 14

SECTIO II.

An ad remiſſionem venialis peccati in hac vita, requiratur ſaltem ex Dei inſtitutione, gratia ſanctificans tanquam forma expellens illud?

Certa videtur eſſe communiſſima Doctorum ſententia, gratiam habitualem ſanctificantem, per ſe, ſeu ex natura rei, non eſſe formam propriè expellentem, ſeu formaliter conferentem remiſſionem peccatorum venialium. Ratio eſt, quia ex natura rei, nulla gratia in hac vita, nullus illius gradus quantumuis intenſus, opponitur formaliter cum macula veniali; ergo per nullum gradum gratiæ habitualis expellitur formaliter illa macula. Conſequentia euidens eſt, quia forma non expellit aliam formam, niſi per repugnantiam, & incompoſſibilitatem, quam habeat cum illa: ergo ſi gratia non habet incompoſſibilitatem cum peccato veniali, nec opponitur illi, non poterit illud expellere. Antecedens patet, quia de fide certum eſt, per venialia peccata non amitti gratiam; & iuſtos ſæpe venialiter peccare, ſimúlque iuſtos perſeuerare, ac ſubinde gratiam non amittere: & è contrario ſæpe contingit, hominem habentem peccata mortalia, & venialia, obtinere gratiam, quâ mortalia peccata remittuntur, & non venialia, quia poteſt eſſe diſpoſitus ad priorem effectum, & non ad poſteriorem. Similiter eadem ratione contingit interdum, vt homo iuſtus in gratia creſcat, & remiſſionem venialium quæ prius fecerat, non obtineat; quia poteſt actus eſſe proportionatus ad aliquod meritum gratiæ, & non ad remiſſionem venialis culpæ in alia materia commiſſæ. Igitur gratia quantumcumque intenſa non opponitur formaliter cum macula veniali. Solùm ergo reſtat difficultas, an licèt ex natura rei hoc ita ſit, nihilominùs ex diuina intentione, ac inſtitutione, aliqua gratia ſanctificans ſit expellens formaliter venialia peccata. 1

Affirmat noſter Coninck *diſp. 2. dub. 16. n. 134. & 135.* Probat *primò*, quia peccatum veniale inurit aliquam maculam ipſi animæ, quam conuenit deleri per aliquid animæ intrinſecum, quod ſit pulchritudo ipſius animæ, qualis eſt gratia ſanctificans. 2

Secundò, tametſi Deus non ſolùm veniale peccatum, ſed etiam mortale de abſoluta potentia poſſit remittere per ſolam extrinſecam condonationem; tamen multò conuenientius eſt, vt hoc faciat per infuſionem alicuius doni nobis inhærentis; quia conuenit ipſius liberalitati, vt omnem actum ſuæ dilectionis erga nos teſtetur, per realis alicuius doni largitionem; nullum autem in præſenti eſt aptius, quàm gratia, vel augmentum gratiæ; quæ licèt nullam

Digitized by Google

nullam habeat repugnantiam phyſicam, ſiue ex natura ſua cum peccato veniali, quia neque eam habet cum hac ratione cum peccato mortali; habet tamen illam ex intentione Dei in his circumſtantiis eam infundentis, quatenùs per eius infuſionem intendit peccatum veniale remittere.

Vltimò, peccatum veniale opponitur ſaltem feruori Charitatis, vt eſt commune Theologorum dictum; ergo debet formaliter expelli per feruorem Charitatis, ſeu per intenſionem Charitatis, vel gratiæ, cui opponitur.

3 Noſter Vaſquez 1. 2. *diſput.* 201. *cap.* 4. & 3. *part. quæſt.* 87. *art.* 3. *dub.* 2. idem videtur ſentire, dum negat poſſe peccatum veniale tolli per meram extrinſecam condonationem. Vnde ait neceſſariò requiri aliquam mutationem intrinſecam in ipſo homine, quæ vel fit per actum Contritionis, per quem tollitur, & expiatur ſufficienter illa macula venialis; vel fit in Sacramento per Attritionem, & gratiam ſanctificantem Sacramenti datam à Deo ad hunc finem reconciliandi hominem à peccato. Ex quo infert, illam gratiam ſanctificantem eſſe, quæ tunc formaliter mundat hominem, & expellit veniale peccatum; quia tametſi illa gratia ſecundùm ſe non opponatur cum veniali peccato, opponitur tamen cum illa gratia, vt collata ex intentione Dei in Sacramento ad effectum reconciliandi hominem ab eo peccato; vt ſic enim non poteſt componi cum macula veniali. Probatur id *primò*, quia Tridentinum *ſeſſ.* 5. *can.* 5. expreſsè dicit, in renatis nihil manere quod Deus odio habeat; vel quod eos ab ingreſſu cœli remoretur: vbi etiam de venialibus videtur eſſe ſermo. Dicit quoque hoc fieri veterem hominem exuendo; & nouum, qui ſecundùm Deum creatus eſt, induendo: per quod intelligitur ſanctitas interna. Igitur venialia tolluntur quoque per formam intrinſecam, quæ nequit eſſe niſi gratia habitualis.

Secundò, ſi culpa venialis non tollatur per formam intrinſecam gratiæ, ergo homo non mundaretur intrinſecè, ſed tantùm tegeretur, ſeu ei non imputaretur culpa, vt loquuntur Hæretici: quia repugnat, hominem, qui prius erat intrinſecè maculatus, mundari intrinſecè ſine aliqua intrinſeca mutatione.

Tertiò, peccatum veniale non ſolùm includit malitiam offenſæ Dei, etſi leuis, ſed etiam auerſionis à regula rationis; ſed hæc macula, prout eſt præciſè contra regulam rationis, non poteſt formaliter tolli per condonationem Dei, quia Deus non poteſt remittere peccatum, niſi quatenus eſt contra ipſum: ergo quatenus eſt contra regulam rationis, debet tolli formaliter per aliquam conuerſionem actualem, vel habitualem ipſius hominis; ergo per aliquam gratiæ mutationem intrinſecam phyſicam, quà mundetur ab illa macula.

His non obſtantibus, ſentio cum Suarez *libro* 7. *de gratia*, *capite* 14. Cardinali Lugo *diſput.* 9. *ſect.* 1.
4 & aliis Recentioribus, gratiam habitualem, propriè loquendo non expellere formaliter maculam venialis peccati, etiam accedente voluntate, & intentione, ac inſtitutione Dei. Moueor, quia nulla forma poteſt eleuari, etiam de potentia Dei abſoluta, ad cauſandum aliquem effectum formalem in aliquo ſubiecto, quem in tali ſubiecto, natura ſua præbere non poteſt: Sic albedo, etſi poſſit eleuari, vt producat efficienter nigredinem per potentiam obedientialem actiuam; non tamen vt in genere cauſæ formalis faciat nigrum: ſed in Sacramento Pœnitentiæ gratia, & Attritio ſecundùm ſe, & ex natura rei nequeunt formaliter expellere maculam peccati venialis, vt conſtat; ergo nec poterunt illam formaliter expellere, etiam accedente aliqua voluntate, & inſtitutione, ac intentione Dei. Firmo, quia tametſi poſſit Deus ad præſentiam gratiæ, & Attritionis, tollere maculam venialem, & non ſolùm ad præſentiam, ſed etiam intuitu earum; quo caſu dici poſſet illa eſſe cauſa formalis moralis expulſionis maculæ; non tamen poſſet vnquam expellere illam in genere cauſæ formalis phyſicæ; cùm nullam habeant cum macula illa phyſicam repugnantiam. Dicere verò, quòd habent phyſicam repugnantiam, prout ſubſtant illi decreto Dei infundentis gratiam ad reconciliandum hominem; nihil aliud eſt dicere, quàm illud decretum repugnare cum macula, non verò repugnare ipſam entitatem gratiæ, vel Attritionis. Nam illo modo, poſſet etiam Deus infundere habitum Fidei vel Spei ad tollendum veniale peccatum; & tunc habitus Fidei, vel Spei; prout ſubeſt illi decreto Dei, pugnaret cum peccato veniali; hæc tamen non eſſet repugnantia Fidei, vel Spei cum peccato, ſed potiùs repugnantia illius decreti Dei: vnde in rigore, tunc peccatum tolleretur per extrinſecam Dei condonationem. Vrgetur idem ſpecialiter contra Vaſquez: nam eodem modo deberet admittere, poſſe Deum etiam non poſitâ Attritione infundere gratiam ad effectum reconciliandi hominem à peccato veniali; quia licèt gratia ſecundùm ſe non repugnet cum peccato veniali, ſed tamen gratia prout data ex tali intentione pugnat omninò cum peccato veniali; & tamen ipſe Vaſquez negat poſſe id fieri, etiam de potentia abſoluta; ergo nec poterit tolli per Attritionem ſimul & gratiam: quia nec vtraque ſimul ſecundùm ſe pugnat cum peccato veniali, niſi accedat illa particularis intentio Dei; quæ tamen æquè benè poteſt accedere gratiæ ſoli, ac poteſt accedere vtrique. *Reſpondet* Vaſquez, ſine Attritione non tolli auerſionem relictam ex peccato veniali, quæ debet tolli per actum contrarium. *Sed contrà* eſt, quia etiam peccatum mortale relinquit auerſionem, & grauiorem, ac multò maiorem, & tamen de potentia abſoluta non eſt neceſſaria Attritio, neque vllus alius actus peccatoris in ſententia Vaſquez ad tollendam omninò maculam peccati mortalis, ſed poteſt per infuſionem ſolius gratiæ ſufficienter tolli; ergo poterit faciliùs tolli de potentia abſoluta illa venialis macula ſine Attritione: maximè cùm in eius ſententia, Attritio non ſit perfecta conuerſio, nec ſufficiat ex ſe ad tollendam auerſionem præteritam, ſed ſola Contritio, aut dilectio Dei ſuper omnia.

Ex prædicta doctrina colligo *Primò*, gratiam Baptiſmalem, quæ ex diuina inſtitutione omnia ex- 5
pellit venialia peccata, ſi obicem non inueniat, & etiam gratiam abſolutionis in Sacramento Pœnitentiæ, quæ etiam expellit ea venialia, quæ eidem abſolutioni ſubiiciuntur, nullo modo eſſe, nec dici debere formam expellentem formaliter venialia, ſi id intelligatur de phyſica cauſalitate formali; quia omnis & quæuis gratia habitualis ex vi cauſalitatis phyſicæ quam formaliter confert; neque primariò expellit, niſi priuationem ſui, quam peccatum veniale non innexit; neque ſecundariò exigit, nec tanquam ſibi debitam poſtulat remiſſionem peccatorum, niſi mortalium.

Colligo *ſecundò*, lato & morali modo loquendo, poſ- 6
ſe concedi, prædictam gratiam expellere venialia, quatenus Deus ſtatuit intuitu gratiæ vt ſic collatæ, con-

donare ſimul venialia peccata, ſi ex parte hominis reſiſtentiam non inueniat. Ita notauit Suarez *capite* 24. *citato numero* 3. Vbi etiam aduertit differentiam inter peccata venialia, quæ committuntur poſt gratiam obtentam, vel quibus gratia ſuperuenit, poſtquam commiſſa fuerunt: nam illa peccata venialia, quæ gratiæ ſuperueniunt, nunquam remittuntur ratione gratię præexiſtentis, præciſe ſpectatæ vt informantis; illa verò alia quibus ſuperuenit gratia, cum ipsâ gratiâ, & quodammodo per illam ex inſtitutione Dei remittuntur, quia effectus formalis eius ex diuina inſtitutione ad talem remiſſionem expectatur.

7 In hoc ſenſu intelligenda videtur ſententia Coninck, nec amplius probant eius argumenta. Nihilominùs tamen prout noſtræ ſententiæ opponi videntur, ad ſingula eſt reſpondendum.

Ad primum Dico, illud ſolùm probare, remiſſionem maculæ venialis in hac vita, ſemper requirere gratiam ſanctificantem in eo cui confertur, vt dixi *ſupra ſect.* 1. *num.* 7.

Ad ſecundum Dico, ſolùm probare gratiam Sacramenti morali modo deſtruere venialia ex intentione, ac inſtitutione diuina.

Ad tertium, cùm dicitur feruorem Charitatis opponi cum veniali peccato, non intelligi de intenſione habitus Charitatis, cum qua poteſt eſſe venialis culpa, ſed de feruore actualis dilectionis in operando; qui feruor impeditur per culpam venialem actualem Nec verò dilectionis actualis feruor formaliter, ſed diſpoſitiuè tantùm expellit culpam habitualem venialem; ſicut quilibet Charitatis actus expellit peccatum habituale mortale diſpoſitiuè tantùm, & non formaliter.

8 Ad argumenta pro ſententia Vaſquez. Ad primum, Tridentinum ſolùm velle gratiam internam concurrere ad expulſionem venialium, & eſſe aliquo modo cauſam, cur in illo homine nihil ſit, quod remoretur eum ab ingreſſu cæli; ad hoc autem neceſſe non eſt, vt gratia ſola ſecundùm ſe habeat illam repugnantiam, ſatis eſt vt illam habeat ex intentione, ac inſtitutione Dei.

Ad ſecundum, concedo, nunquam tolli poſſe culpam venialem ſine mutatione intrinſeca ſaltem morali; quæ ablatio fundatur ſufficienter in voluntate Dei condonante illam culpam. Hæretici autem negant tolli culpam, ſed ſolùm radi, vel tegi, dum non imputatur ad pœnam: nos verò dicimus tolli radicitùs, ac deſtrui, & hominem plenè, & propriè cum omni rigore mundari: cum hoc tamen diſcrimine, vt remiſſio mortalis de facto, ſemper ſit formaliter per mutationem phyſicam, & per formam intrinſecam phyſicam, ſcilicet gratiam habitualem, quæ ſecundùm ſuam entitatem habet repugnantiam cum macula peccati mortalis: at remiſſio venialis maculæ licèt de facto habeat etiam ſemper adiunctam aliquam infuſionem gratiæ habitualis, non tamen talem, quæ formaliter ſit repugnans, aut incompoſſibilis cum macula veniali; atque ideò non tam remittitur, formaliter loquendo per mutationem phyſicam intrinſecam, ſicut mortale.

Ad tertium, negandum eſt, condonato peccato veniali, vel remiſſo, relinqui maculam habitualem in ordine ad rectam rationem. Videantur dicta à nobis ſuprà *diſput.* 8. *ſectione* 6. *numero* 4.

* * *

SECTIO III.

An ad remiſſionem peccati venialis in hac vita, ſit neceſſaria gratia ſanctificans in aliquo genere cauſæ per ſe concurrens?

Dictum eſt, nunquam in hac vita remitti veniale peccatum abſque infuſione gratiæ; oſtenſum 1
eſt quoque, gratiam non expellere formaliter maculam peccati venialis, etiam accedente voluntate, intentione, ac inſtitutione Dei; oportet modò videamus, an ad illius remiſſionem concurrat per ſe gratia in aliquo alio genere cauſæ, an verò tantùm per accidens ſe habeat. Quoniam verò veniale peccatum ſoleat remitti dupliciter; vno modo ſimul cum mortali, ſcilicet in ipſa prima iuſtificatione, quando vtrumque peccatum ſufficientem diſpoſitionem contra illud inuenit; alio modo remitti ſolùm ſine mortali, vt cùm inuenitur in homine iuſto; procedit vtroque modo præſens difficultas.

Circa primum, conſtat in iuſtificatione impij, ha- 2
bitum gratiæ eſſe totam formam expellentem omnia peccata mortalia: quia forma naturâ ſuâ habens incompoſſibilitatem cum altera forma, itaut ad ingreſſum illius iſta excludatur, formaliter excludit illam: Sed gratia habitualis naturâ ſuâ habet formalem incompoſſibilitatem cum peccato mortali; adeò vt ad ingreſſum illius iſtud excludatur: ergo formaliter excludit illud, Quare ipſa gratia eſt per ſe neceſſaria ad expellenda omnia peccata mortalia in genere cauſæ phyſicæ formalis. Supereſt igitur quæſtio de peccato veniali, quod non remittitur ſine mortali, quo pacto ſe habeat gratia circa eius remiſſionem, & quomodo tunc concurrat ad illam?

Suppono autem, quod communiter à Doctoribus 3
admittitur, in prima gratiæ infuſione remitti venialia, ſeruatâ proportione cum diſpoſitione ipſa. Nam ſi diſpoſitio, verbi gratia, Contritio, ratione cuius infunditur gratia, talis eſt, vt vel formaliter, vel virtute vniuerſaliter complectatur venialia peccata, ſemel remittentur in gratiæ infuſione: nam ſi illa diſpoſitio ſufficit ad remiſſionem mortalis, multò magis ſufficiet ad remiſſionem venialis, quia iam homo facit quod moraliter poteſt, ac debet ad talem effectum; ſi verò Contritio eſt limitata ad ſola mortalia, vel ſe extendit ad quædam venialia, & non ad omnia, tunc licèt infundatur gratia, non remittentur illa venialia, quæ nullo modo ſub talem Contritionem cadunt, quia homo ad illam remiſſionem nullo modo ſe diſponit; neque auertit voluntatem ſuam ab illis venialibus, atque ideò non remittuntur. Ratio eſt, quia remiſſio venialis non eſt per ſe connexa cum remiſſione mortalis, vt eſt manifeſtum, quia poteſt quis eſſe in gratia, imò & conſequi gratiam, dum actu peccat venialiter; neque etiam eſt connexum veniale in diſpoſitione, vt ſupponitur; nec denique eſt aliqua lex vel promiſſio Dei de remittendis omnibus peccatis venialibus, quoties infunditur gratia; ergo.

His præmiſſis, ſentit Suarez *diſput.* 11. *ſectione* 2. *numer.* 25. Deum prius naturâ infundere pec- 4
catori contrito gratiam, & remiſſionem peccatorum mortalium, conſtituendo illum amicum, & immunem ab omni culpa amicitiæ contraria; & deinde propter

eandem

eandem Contritionem, iam gratiâ formatam remittere, venialia peccata. Iuxta quem modum, ordine & prioritate naturæ gratia antecedit, & eſt cauſa talis remiſſionis venialis, non quidam phyſica formalis, ſed moraliter dignificans illum actum Contritionis, per quem talis remiſſio comparatur: quia ſanctificando perſonam, moraliter dignificat, & informat contritionis actum. Vnde fit, vt iam illa remiſſio venialis peccati, non gratis fiat, ſed ex iuſtitia, quia illa Contritio ſic formata, & dignificata, eſt iam ſatisfactoria & meritoria de condigno remiſſionis venialium peccatorum.

5 Hic modus dicendi videtur ſatis probabilis. Vnde iuxta illum, gratia per ſe conducit ad remiſſionem prædictorum venialium, non ſolùm vt tollentem obſtaculum peccati mortalis, ſed etiam vt conſtituentem perſonam capacem, & condignam meriti, & ſatisfactionis de iuſtitia apud Deum; ita vt illum ſibi obligare, & debitorem ſuum efficere valeat. Vnde hoc titulo, gratia habitualis eſt ſimpliciter neceſſaria ad meritum de condigno, per modum cauſæ moralis dignificantis perſonam, & Contritionem, quæ poſſit mereri de condigno venialium remiſſionem.

Fateor hunc modum dicendi eſſe valdè probabilem; non tamen exigua carere difficultate: nam etiam probabile iudico, gratiam habitualem ſubſequentem non poſſe dignificare illum actum Contritionis. Nam vnio hypoſtatica non tribuit condignitatem, ſeu valorem moralem infinitum actui quem ipſa ſubſequitur, verbi gratia, actui quo humanitas Chriſti operans ante vnionem, & independenter à ſuppoſito diuino mereretur de congruo vnionem hypoſtaticam; quod potuiſſe eſſe, oſtendi in tractatu *de Incarnatione, diſputatione* 12. *ſect.* 2. *num.* 6. quoniam talis actio non eſſet actio Dei virilis, nec procedens ab homine Deo; igitur nec gratia habitualis tribuere poteſt valorem operi, quod ipſam ſubſequitur: talis verò eſt Contritio diſponens ad gratiam: quæ non procedit à gratia, nec eſt propriè actus procedens ab homine iuſtificato; non igitur dignificari poteſt à gratia. Vnde dicta Contritio non eſt ſatisfactoria, nec meritoria de condigno remiſſionis venialium peccatorum, ſed ſolùm diſpoſitio ad illam, ſicut eſt diſpoſitio ad remiſſionem mortalium. Quare ipſa gratia ſanctificans eſt per ſe requiſita ad remiſſionem venialium, quatenus hominem conſtituit in ſtatu remunerabili, vel remiſſibili, tollens formaliter ſtatum & obſtaculum peccati mortalis; quo ablato propter eandem contritionem, vt diſpoſitionem vltimam, remittit Deus illa venialia peccata, quæ ſub talem Contritionem cadunt, cum iam ad illorum deſtructionem homo faciat quod moraliter poteſt, ac debet.

6 Circa ſecundum, quando veniale per ſe ſolùm remittitur, omiſſis aliorum dicendi modis. Dico *primò*, gratiam habitualem eſſe cauſam per ſe illius remiſſionis in genere cauſæ efficientis. Explico id ſimul, ac probo, quia eiuſmodi venialium remiſſio fit per actus ſupernaturales, qui habent rationem meriti, vel ſatisfactionis condignæ. Quod ſic probo, quia actus Contritionis, vel amoris Dei videtur ex natura ſua opus maximè proportionatum ad venialium remiſſionem, quia nobiliori modo attingit Deum, & ad illum conuertit hominem; & leuis offenſa, qualis eſt venialis culpa, ſecundùm Prudentum æſtimationem moralem, non eſt adeò magni momenti, ſicut actus Charitatis, vel Contritionis hominis iuſti, qui eſt magni pretij, ac ſummi valoris apud Deum, & meretur æternum premium. Deinde perſona operans eſt digna, quia ſupponitur iuſta, & amica Dei; & aliunde non deeſt promiſſio diuina ſub conditione talis operis. Nam 1. *Ioannis*, *capite primo*, dicitur, *Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt, & iuſtus, vt remittat nobis, &c.* Loquitur autem præſertim de venialibus, vt ibi notauit Auguſtinus *tractatu* 1. Dixerat enim paulò antea, *Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus.* Quæ verba propter venialia potiſsimum generatim de omnibus dicta ſunt. Nihil ergo deeſſe videtur ad condignam, & iuſtam ſatisfactionem. Hic itaque actus dilectionis Dei, vel Contritionis eſt condignè meritorius expulſionis venialis maculæ. At in illum, ſicut & in omnes alios actus ſupernaturales gratia habitualis habet influxum actiuum in genere cauſæ efficientis: quia prædicti actus ſunt à propriis, & ſpecialibus virtutibus effectiuè, tanquam à principiis particularibus in ſuo ordine, & a gratia habituali tanquam à principio effectiuo generali. Moueor ad hoc vltimum aſſerendum, ex doctrina generali philoſophica decernente, ad opera vitæ, præſertim ſenſitiuæ, ac intellectiuæ, non ſolùm per ſe concurrere effectiuè potentias proximas, ſed etiam animam ipſam, quæ tanquam principium eminens, & vniuerſale per ſuas potentias, & cum omnibus illis immediatè operatur. Quod firmant Philoſophi, tum ex perfectione actus vitalis; tum quia ex hoc modo influendi animæ immediato, videtur oriri, vt interdum ex operatione vnius potentiæ ſequatur operatio alterius per naturalem ſympathiam; qualis inter potentiam appetitiuam, & cognoſcitiuam inuenitur; propter ſubordinationem videlicet, & connexionem illorum actuum, quæ abſque communi aliquo principio immediatè in omnes influente ſtare nequit; vt in libris *de anima* demonſtraui. Interdum quoque attentio vnius potẽtiæ ad ſuam operationem, impedit operationẽ alterius, vt in ſenſibus experimur. Si ergo hoc verum eſt in actibus ordinis naturæ, Simili modo intelligere debemus cum eadem proportione eleuari animam ad eliciendos actus ſupernaturales; ita vt non tantùm per potentias, ſed etiam per ſuam eſſentiam influat immediatè in illas. Sicut ergo potentiæ eleuantur per virtutes infuſas, vt per illas connaturali modo præbeant ſuum influxum ad actus ſupernaturales; ita anima eleuatur per gratiam, vt ſuum peculiarem influxum connaturali etiam modo præbeat. Hoc igitur modo gratia habitualis concurrit actiuè ad actus illos dilectionis Dei, vel Contritionis, non vt principium ſpeciale, ſed vt principium eminens, ac vniuerſale.

Obiicies, etiam poſito illo principio, quòd anima ſimul cum potentia, actu & immediatè influat in opera vitæ, vnus tantùm habitus poſitus in potentia ſufficit ad perfectum modum operandi, neque oportet alium ponere in ſubſtantia animæ; ergo idem erit in ſupernaturalibus. *Sed contrà* eſt manifeſta diſparitas: nam in naturalibus anima eſt proportionatum principium actuum naturalium; neque ex parte illius eſt aliqua difficultas in exercitio talium operationum, ſed tota prouenit ex repugnantia diuerſarum potentiarum inter ſe, vel plurium inclinationum eiuſdem potentiæ, vel ex alia ſimili imperfectione potentiæ proximæ; ideoque in ordine naturali ſufficiunt potentiarum immediati habitus. At in ordine ſupernaturali ipſa anima eſt improportionatum principium, ad influendum in actus ſupernaturales, & ideò etiam ipſa confortari debet ſupernaturaliter, vt in ſuo genere connaturaliter influat. 7

Inſtabis, actum Charitatis, verbi gratia, vt eſt dilectio

ſufficienter fieri à voluntate, & vt eſt talis dilectio, rationem illam ſufficienter habere à Charitate; nihil ergo eſt, quod poſſit habere à gratia, atque adeò videtur eſſe ſuperfluus illius influxus. Cæterùm occurro, illas præciſiones poſſe deſeruire in ordine ad ſpecificationem actus; nihil tamen referre in ordine ad phyſicam efficientiam; quia actus Charitatis tam vt eſt dilectio, quàm vt eſt Charitas, ſeu dilectio Dei, eſt ab habitu Charitatis vt à principio connaturali proximo, & à voluntate, vt à potentia vitali proxima, & ab anima, vt à principio ſubſtantiali vitæ; & ita etiam poteſt emanare à gratia, vt à principio quaſi ſubſtantiali ordinis ſupernaturalis. Ex quo manifeſtè infertur, peccatum veniale remitti, ſeu expelli à gratia habituali effectiuè, quia ab illa proueniunt actiue actus dilectionis Dei, & Contritionis, per quos talis remiſſio comparatur meritoriè de condigno.

8 Dico ſecundò, alio etiam modo remiſſionem peccatorum venialium procedere à gratia, tanquam a cauſa morali dignificante, quatenus dat prædictis actibus dignitatem, & valorem moralem, vt illa remiſſio de condigno, ac de iuſtitia obtineatur. Hoc dictum conſtans eſt, ſi ttia admittantur quæ diximus in materia *de gratia*.

Primum eſt, gratiam iuſtificantem concurrere poſitiuè ad meritum condignum vitæ æternæ, & non negatiuè ſolùm, tanquam remouens prohibens. Ratio eſt, quia gratia habitualis conſtituit poſitiuè hominem amicum, ac filium Dei adoptiuum: at hæc dignitas poſitiuè concurrit de facto ad meritum condignum: nam opera quæ procedunt ab amico & filio Dei, ſunt abſolutè grata Deo, & gratiora ipſi, quam quæ procedunt ab homine non amico, & non filio; ergo opera iuſti accipiunt dignitatem aliquam poſitiuam meriti à dignitate gratiæ habitualis. Quare ſic ſe habet gratia habitualis finita ad valorem finitum operum iuſti. Sicut ſe habet in Chriſto gratia ſubſtantialis infinita ad valorem infinitum operum Chriſti; atque adeò ſicut dignitas infinita gratiæ ſubſtantialis in Chriſto concurrit poſitiuè ad valorem meritorum Chriſti; (aliter enim eorum valor non poſſet eſſe infinitus, cùm operum bonitas phyſica ſit limitata, & finita:) ita & dignitas finita gratiæ habitualis requiritur poſitiuè ad valorem finitum operum Chriſti.

9 *Secundum* eſt, gratiam iuſtificantem non conducere ad meritum condignum, vt conditionem ſolùm, ſed vt partem eſſentialiter conſtitutiuam meriti, ſaltem in obliquo. Patet, quia meritum non conſtituitur condignum per ſolam entitatem actus, vt liquet; ergo præter entitatem actus eſt aliud conſtitutiuum meriti in ratione condigni, nempe gratia. Firmatur, quia gratia eſt neceſſaria ad meritum condignum, vt conſtat; at non eſt neceſſaria mediâ alia entitate, quæ eſſentialiter medium condignum conſtituat, ſed immediatè ratione ſui: nam poſitâ aliâ quacumque re diſtinctâ à gratia, & abſente gratia, actus non eſſet meritorius de condigno, vt affirmant omnes: ergo ſeipſa immediatè eſt neceſſaria ad meritum condignum, ac per conſequens conſtitutiua immediatè illius.

10 *Tertium* eſt, gratiam iuſtificantem conferre actui meritorio æqualitatem proportionis cum beatitudinis præmio, quod tantum eſt, vt niſi euehantur opera ad ſtatum filiationis, & amicitiæ diuinæ, minimè æſtimet Deus proportionata, & æqualia tanto præmio. Ita expreſſe S. Thomas 1. 2. *quæſtione* 114. *articulo* 2. quem ſequuntur communiter Theologi. Et ratio eſt, quia gratia eſt neceſſaria ad meritum, quatenus condignum eſt præmio: at meritum quatenus eſt condignum præmio, eſt illi æquale, non æqualitate abſoluta, & Mathematica rei ad rem, ſed æqualitate reſpectiua, & ſolius proportionis, propter valorem operis, & dignitatem perſonæ in gratia exiſtentis: ergo ad meriti æqualitatem neceſſaria eſt gratia habitualis iuſtificans.

Ex his colligo *primò*, ad remiſſionem per ſe ſolùm venialium peccatorum, gratiam iuſtificantem tripliciter concurrere: primò negatiuè, remouendo indignitatem ſubiecti, expellendo ab illo omnem culpam mortalem: ſecundò poſitiuè in genere cauſæ formalis, conferendo condignitatem poſitiuam meriti, & ſatisfactionis dignæ, ac æqualitatem cum præmio: tertiò, effectiuè, producendo actus ſupernaturales ſatisfactorios, & meritorios. 11

Colligo *ſecundò*, cùm veniale per ſe ſolùm remittitur, ſemper augeri gratiam. Patet, quia illud opus, quo iuſtus meretur remiſſionem venialis, habet omnes conditiones neceſſarias ad meritum gratiæ, quia eſt actus procedens ab homine grato, & eſt bonus, ac liber, & ſupernaturalis. 12

Colligo *vltimò*, non quoties gratia augetur, remitti peccatum veniale, quod eſt in tali perſona; non enim hæc duo ſunt ſemper coniuncta; quia ex intenſione, vel augmento gratiæ non ſequitur per ſe, ac formaliter expulſio venialis peccati, vt liquet: nam poſt gratiam ſic intenſam poteſt ſimile veniale peccatum de nouo commiſſum ſimul cum illa eſſe, ac permanere; Neque etiam cum illo augmento gratiæ eſt neceſſariò coniunctus, aliquis actus, qui ſit incompoſſibilis cum veniali peccato, aut ſit ſufficiens diſpoſitio ad remiſſionem eius, quia poteſt veniale peccatum, verbi gratia, eſſe leue mendacium, & augmentum gratiæ fieri per actum eleemoſynæ, qui nullam habet proportionem ad remiſſionem illius culpæ. 13

SECTIO IV.

An homo iuſtus poſſit ſatisfacere de condigno, & ad æqualitatem pro veniali peccato?

PRæmitto præſentem difficultatem, antequam videamus, per quos actus remittantur venialia peccata: atque ea procedit de remiſſione venialis ſolius, vel per ſe extra Sacramentum. Et quamuis illam iam exagitaui in tractatu de *Incarnatione diſput.* 5. *ſect.* 8. iterùm eandem exagitandam ſuſcipio, propter quorundam recentiorum nobilium difficultates, & rationes, quas oportet modò examinare. 1

Certum autem videtur apud omnes, hominem iuſtum optimè poſſe diſponi ad remiſſionem venialium. Et patet, quia nemo negare poteſt Contritionem perfectam, verbi gratia, eſſe diſpoſitionem ſufficientem ad eorum remiſſionem. Nam ſi dicta Contritio de mortalibus eſt ſufficiens diſpoſitio ad eorum remiſſionem, à fortiori erit ſufficiens ad remittenda venialia, quorum remiſſio facilior eſt, ſicut ipſa offenſa eſt leuior. Quo præmiſſo; 2

Noſter Cardinalis de Lugo *diſput.* 5. *de Incarnatione, ſect.* 7. & *diſp.* 9. *de pœnitentia ſect.* 2. *n.* 16. & *ſequentibus*, Martinez de Ripalda *lib.* 4. *de ente ſupernaturali diſput* 97. *ſect.* 3. & alij cenſent Contritionem non tollere de condigno maculã venialis peccati; atque ideò non poſſe iuſtum ad æqualitatẽ ſatisfacere pro illa. 3

Probant

Digitized by Google

Probant *primò*, quia ſi per Contritionem ſatisfaceret homo condignè, & æqualiter, pro offenſa; eo ipſo tolleretur offenſa ſine vlla alia Dei condonatione; quia offenſa in tantum durat, in quantum offendens non ſatisfacit ſufficienter, vel offenſus non remittit; ergo eo ipſo quòd offenſor ſatisfacit ſufficienter, repugnat quòd intelligatur manere offenſa in ratione offenſæ, niſi adſit diuina condonatio. Vnde propter hanc rationem dixit Cardinalis Lugo in hac re Suarez non ſatis conſequenter proceſſiſſe, dum ex vna parte ponit Contritionem eſſe ſatisfactionem, & meritum condignum, & ex alia petit condonationem Dei, vt remittatur peccatum.

Reſpondebis, poſſe Deum non acceptare illam ſatisfactionem etiamſi ſit condigna; ſicut poteſt non acceptare noſtram ſatisfactionem pro pœna temporali, etiamſi ſit condigna; & æqualis. *Sed contrà* eſt manifeſta diſparitas; nam pœna debita ſubiecta eſt arbitrio iudicis, cui competit illam definire, & taxare, & non arbitrio delinquentis, qui debet ſuſtinere pœnam quam iudex decreuerit proportionatam culpæ; non enim obligatio pœnæ eſt ad ſe caſtigandum, ſed ad patiendum caſtigationem à iudice præſcriptam. Quare etiamſi delinquens ſeipſum acerbiſſime caſtiget pro culpa, & acerbius etiam quàm à iudice decerni ſolet, ſi iudex nolit eam caſtigationem acceptare, & aliam decernat, tenetur delinquens ſuſtinere. At in culpa res aliter ſe habet, nam ſatisfactio non eſt imponenda ab offenſo, ſed offendens debet ſatisfacere, id eſt facere in ratione obſequij tantum, quantum arbitrio Prudentum ſatis ſit ad placandum offenſum: quod ſi fecerit, licèt ille non acceptet, non obſtat, quominus offenſor dicatur ſatisfeciſſe: quia obligatio ſatisfactionis pro offenſa eſt debitum agendi ſeu exhibendi offenſori obſequium æquale culpæ; atque adeò extinguitur ea obligatio, vbi tale obſequium æquale extiterit, etiamſi offenſor nolit illud acceptare.

Secundò, totus valor condignus obſequiorum iuſti in ratione meriti exhauritur augmento gratiæ, & gloriæ, quod condignè meretur; ergo non poteſt mereri vlterius de condigno remiſſionem culpæ venialis; aliter enim non daretur augmentum gratiæ, & gloriæ, ſecundùm totam condignitatem actus vel obſequij, ſed fieret vnum præmium adæquatum condignum ex augmento gratiæ, & gloriæ, & ex remiſſione peccati venialis.

Tertiò, nequit iuſtus per actum dilectionis, verbi gratia, ſimul mereri de condigno cum augmento gratiæ, & gloriæ, bona alia temporalia, diuitias, honores, & ſimilia; quia cùm valor condignus illius actus exhauriatur in augmento gratiæ, & gloriæ, ſolum poteſt mereri de congruo hæc alia dona. Quo ferè argumento vtitur Suarez *lib.* 12. *de merito c.* 26. *num.* 30. *& ſequentibus*, ad probandum, nullo modo cadere bona temporalia ſub meritum condignum hominis iuſti.

Quartò, cùm remuneratio obſequij non eſt adæquata valori ipſius, & ſupereſt obſequio irremuneratus valor, poteſt eo ſuperſtite valore, obſequium ſatisfacere pro offenſa: ſic merita Chriſti Domini ſatisfecerunt pro hominum peccatis, quia valor infinitus eorum nullo adæquato præmio compenſatur, ſempérque ei ſuperſtes relinquitur valor infinitus, quo poſſint ſatisfacere: ergo cùm Deus acceptet totum valorem meritorum iuſti, titulo remunerationis adæquato ad gratiam, & gloriam, nequeunt illa deſeruire ad ſoluendam offenſam venialem, & ad illam omninò extinguendam de condigno. Firmatur, nam inter homines offenſor non ſatisfacit pro offenſa, nec illam extinguit per obſequia mercede conducta, aut quæ offenſus abſque conductione iuxta eorum condignitatem remuneratur, acceptante remunerationem offenſore; non vltra eiuſmodi obſequia iure poteſt offenſus exigere alia ratione offenſæ, cùm ratione offenſæ debita ei ſint obſequia ab omni remuneratione libera. At eadem ratio verſatur inter hominem, & Deum: Igitur homo non poteſt ſatisfacere Deo pro peccato veniali per obſequia, quæ Deus conductà mercede gratiæ & gloriæ de condigno remuneratur. Nam vbi Deus ea acceptaret titulo remunerationis, poteſt iure exigere alia titulo offenſæ venialis culpæ, cùm ei hoc titulo debita ſint obſequia nulli remunerationi expoſita.

Vltimò, peccatum veniale, licèt ſit offenſa leuis, eſt tamen culpa, cui condignè & iuſtè correſpondet grauiſſima purgatorij pœna, cui omnes cruciatus huius vitæ nequeunt adæquari: ergo ſicut ſufficit ad patiendum debitum pœnæ tantæ, & tam acerbæ, quia propter eius fœditatem valdè expedit acerbitate pœnæ, homines ab ea deterrere; ita etiam expedit in ratione offenſæ parere difficultatem maximam placandi Deum condignè, & ſatisfaciendi, vt ipsâ etiam difficultate veniæ terreantur homines ab eiuſmodi offenſis committendis. Firmatur idem; nam peccatum mortale licèt non habeat malitiam infinitam ſimpliciter, fundat tamen pœnam infinitam, vt terreantur homines ſufficienter ab eo patrando, & fundat impoſſibilitatem ſatisfaciendi propter eandem rationem, ne facilitate veniæ vileſcat iniuria Dei; ergo ſimiliter veniale peccatum, licet non pariat omnimodam impoſſibilitatem ſatisfaciendi, parere tamen debet maximam difficultatem in ſatisfaciendo, ne vileſcat offenſa facilitate ſatisfaciendi: atque adeò non debet tolli per ſatisfactionem noſtram condignam, ſed per remiſſionem Dei.

In hac re, Dico *primò*, hominem iuſtum poſſe de condigno ſatisfacere pro peccatis venialibus in Deum commiſſis. Hæc eſt communior Theologorum ſententia. Ratio à priori hæc eſt, quia iuſtus poteſt exhibere Deo obſequia, quæ in valore, & æſtimatione morali adæquentur offenſis venialium peccatorum, imò & ſuperent illas; quoniam veniale peccatum eſt offenſa leuiſſima, & defectus leues inter amicos non impediunt, quominùs inferior amicus exhibeat ſuperiori, & excellentiori obſequium æqualis, aut maioris momenti in æſtimatione morali, quàm leuis offenſa. Videantur circa hanc rationem dicta à nobis *diſputatione* 5. *citata de Incarnatione*, *ſect.* 8. *num.* 2. Firmò idem, nam ſatisfactio condigna pro offenſa leui inter amicos cenſetur illa, quâ poſitâ, iuxta leges amicitiæ deponenda eſt indignatio aduerſus amicum offenſorem concepta, legibúſque amicitiæ aduerſatur, ſi non placetur offenſus, & reconcilietur offenſori. At plura ſunt obſequia quibus regulariter id competat; vt ſi amicus offenſor ſe ſubmittat offenſo, & cum vero dolore veniam petat, & in culpæ ſuæ vindictam pœnas luat, & alia ſimilia. Quis enim neget amicitiæ leges prohibere indignationem, & vindictam culpæ leuis ex inaduertentia, vel ex vehementi paſſione, vel ex humana fragilitate ab amico commiſſæ, ſi is amico vltronea, & magna obſequia ad placandum exhibeat? nam leges naturales amicitiæ etiam eum deuinciunt, & aliud non permittunt. Fieri igitur poteſt Deo ſatisfactio condigna ab amicis, & hominibus iuſtis pro leuibus offenſis in eum commiſſis. 4

Dico *ſecundò*, actum Charitatis, vel perfectæ Contritionis elicitum ab homine iuſto, eſſe ſatisfactorium de condigno pro veniali peccato. Ita Scotus, Durandus, Gabriel, 5

cum fletu miſcet; *Pſal.* 101. Similiter Ezechias *Iſaiæ* 38. *omnes annos* ſuos Deo recogitat *in amaritudine animæ* ſuæ. Ac ſimilia paſſim occurrunt diuinis in litteris. Quæ omnia non ita fierent, ſi peccato iam remiſſo,nullum amplius debitũ pœnæ reſtaret. *Tertio*,firmat hoc idem antiquiſſimus Eccleſiæ ſenſus,& vſus,imponendi pœnitentias pro peccatis : ac clarè colligitur ex Purgatorio,ac ſuffragiis.Nam ſi animæ quæ ex hac vita decedunt in Dei gratia,adhuc debent in Purgatorio ſoluere pœnas pro peccatis,& iuuari poſſunt fidelium ſuffragiis, ieiuniis, & eleemoſynis ; ergo habent debitum ſoluendum, pro quo alij quoque ſoluere poſſunt, atque ideò non dimittitur tota pœna ſimul cum remiſſione culpæ. Denique huius rei ratio præcipua ſumenda eſt ex Dei arbitrio,ac voluntate, qui ſicut pœnam quæ æterna eſt , vna cum culpa gratis remittit : ita potuiſſet ſemper remittere omnem omninò pœnam, ſi voluiſſet. Aſſignatur tamen optima etiam ratio deſumpta ex ordine diuinæ iuſtitiæ : nam Deus ſicut eſt miſericors, ita & iuſtus ; ac proinde ſicut gratis remittit culpam ex miſericordia,& etiam æternam pœnam,quia pro his nihil poteſt homo condignum agere : ita iuſtitia poſtulat, vt non relinquat culpam ſine pœna;ne etiam detur hominibus nimia peccandi licentia : Sicut enim inter homines , ſi amicus iniuſtè occupet res alterius amici, quamuis alter offenſam remittat , & fiat amicus, poteſt adhuc exigere iuſtam recompenſationem ; ſic Deus ſimiliter gratis reuocat hominem ad amicitiam ſuam ; vt iudex tamen poteſt, & ſuo modo debet malè facta punire. Debuit autem hæc pœna poſt reſtitutam amicitiam eſſe temporalis;quia pœna æterna eſt propria inimici : vnde æternitas eius pendet quaſi in conſeruari ab inimicitia. Atque in hoc ſenſu dixit Paulus *Rom.* 8. *Nihil damnationis* eſſe in *iis qui ſunt in Chriſto Ieſu* : non quia nulla pœna poſſit illis imponi,ſed quia illa non eſt æterna, neque ad damnationem, ſed ad ſatisfactionem, & purgationem ſpectans.

3 Dico *ſecundò* , Deum pœnam æternam commutare in temporalem, non ex toto rigore, ſed ex miſericordia, & amore. Hoc etiam videtur certum, quia in eiuſmodi commutatione taxauit Deus pœnam temporalem talem,qualem decet eum ob ipſius bonitatem,& clementiam ab amico exigere ; atque ideò non ex iuſtitia ſolùm , ſed etiam ex miſericordia eam taxaſſe videtur. Id enim exigit lex beneuolentiæ, & ius amicitiæ , vt non ſicut inimicus , ſed vt verè amicus benignè puniat iniuriam illatam. Vnde non deſignauit de facto pœnam temporalem ita diuturnam, & grauem, vt non potuiſſet ex iuſtitia aliam pœnam temporalem taxare grauiorem, & diuturniorem. Quare nos omnes debemus peculiares gratias agere Deo, non ſolùm quia nobis remiſit pœnam æternam,ſed etiam quia non commutauit illam in aliam temporalem maiorem , provt iuſtiſſimè poterat : Et in hoc ſenſu nunquam remittitur pœna æterna, imo nec remitti poteſt , quin ſimul remittatur aliquid de pœna temporali , in quam commutari potuiſſet. Quanta autem pœna temporalis pro ſingulis peccatis iam remiſſis ſoluenda reſtet , nobis incertum eſt ; quia Deus talem ſtatuit,qualem ipſe iudicauerit expedire.

4 Dico *tertiò*, quoties culpa, & pœna æterna remittitur per Contritionem , deleri ſemper aliquam partem pœnæ temporalis ; & quò eſt perfectior Contritio, eò maiorem partem delere,atque adeò in tantum poſſe eſſe perfectiſſimam , vt totam deleat pœnam. Ita ſentiunt Durandus, Caietanus, Medina , Soto , & alij quos refert, & ſequitur Suarez *diſp.* 10. *ſect.* 1. *numer.* 17. & Coninck *diſp.* 2. *dubio* 12. *numer.* 116. & Alij. Id probant prædicti Doctores,quia Contritio provt informatur gratia ſanctificante,habet omnes conditiones ad hoc requiſitas,& eſt de condigno ſatisfactoria pro pœna reſtante. Vnde notant Contritionem dupliciter debere conſiderari; *Primò* ſecundùm ſe,& vt informis;& hoc pacto ſolùm eſt cauſa diſpoſitiua remiſſionis culpæ, & pœnæ æternæ,ac proinde ex vi illius vt ſic,nihil tollitur de pœna temporali. *Secundò*, conſiderari poteſt eadem Contritio, provt iam formata per gratiam ; & vt ſic iam eſt ſatisfactoria de condigno, ſicut & meritoria; & ideò ratione illius , ex iuſtitia tollitur aliquid pœnæ temporalis , & magis, vel minus, provt illa maior , vel minor fuerit. Neque eſt inconueniens , vt ſecundùm diuerſa inſtantia naturæ, eadem pœna priùs intelligatur integra, & poſtea ex parte remiſſa, Vnde quia in iuſtificatione quæ fit per Contritionem , ſemper concurrit actualiter ipſa Contritio; ideò ſemper habet hunc effectum , etiamſi ſit minima ; quia non habet hunc effectum ratione ſolius exceſſus , ſed ratione ſui valoris moralis. Quare virtute Contritionis vt dignificatæ per gratiam , cùm ſit condigna ſatisfactio , non remittitur quouis modo,ſed ſemper ſoluitur aliquid de pœna temporali debita, quia debitum quod per condignam ſatisfactionem, & ſolutionem deletur, non remittitur propriè, ſed ſoluitur : nam ſolutio æqualis, & remiſſio, videntur opponi.

Cæterum quia multi Doctores graues, non abſque fundamento negant, poſſe Contritionem dignificari à gratia ſanctificante data intuitu eiuſdem Contritionis in eodem inſtanti ad obtinendũ alium effectum. Quod certè pendet ex celebri illa quæſtione in materia *de Gratia* , An Contritio quæ eſt diſpoſitio ad gratiam mereatur de condigno primam gloriam?ideò alio etiam fundamento nixus,probo dictum. Quia nimirùm Contritio quantumuis exigua , & imperfecta ſit , eſt ſufficiens diſpoſitio ad diſponendum ſubiectum ad gratiam habitualem impetrandam , & conſequenter ad tollendum debitum pœnæ æternæ. Vnde non poteſt deſignari Contritio ita imperfecta,& remiſſa, vt ad prædictum effectum alia imperfectior , ac remiſſior non ſufficiat : Igitur ratione illius intenſionis , & incrementi, quod non eſt neceſſarium ad tollendum debitum culpæ, & pœnæ æternæ , merebitur Contritio relaxationem alicuius pœnæ temporalis , iuxta maius vel minus illius incrementum. 5

Ad argumenta oppoſita. Ad primum , Dico illis locis nihil aliud ſignificari, quàm ſtatim, ac homo perfectè conuerſus eſt, Deum ei remittere peccatum ; & illius, provt habet rationem culpæ, & meritorium eſt æternæ mortis, quaſi omninò obliuiſci, quia non recordatur illius in ordine ad æternam punitionem. Vnde iam ratione peccatorum non reſpicit hominem vt inimicum ; tametſi vt amicum illum puniat, donec eum perfectè purget, ac mundet. 6

Ad ſecundum,ideò Chriſtum Dominum multis,quibus peccata remiſit , non iniunxiſſe pœnitentiam ; vel quia illis talem de peccatis Contritionem inſpirauerit, vt ſufficeret quoque pro deletione omnium pœnarum; vt in Magdalena,& bono Latrone : vel quia iis quibus denunciabat peccata remitti,iam diu pro iis fuerant puniti , vt accidit in languidis quos ſanabat ; ac proinde etiamſi dolor eorum fortè non ſufficeret ad deletionem omnis pœnæ ; pietatem tamen ac liberalitatem Chriſti decebat , iam ſatis diu afflictis omnem afflictionem remittere ; vel denique ipſe Chriſtus, vt ſummus Pontifex liberaliter indulgebat remiſſionem omnis pœnæ. Addo aliquando etiam illis quos ſanabat in corpore, & in anima , imponebat aliqua pietatis opera exercenda. Vt Leproſo *Marci* 1. à lepra iam mundato iniunxit, vt iret ad Principem Sacerdotum,& offerret pro emundatione munus. Item *capit.* 5. homini à Dæmone liberato præcepit , vt domum rediret , & ſuis prædicaret mirabilia Dei. 7

Ad

Digitized by Google

8 **Ad tertium:** Maior illa ſolùm eſt vera in effectu continuo dependente à ſua cauſa, vt conſtat; nam aliàs ſublato patre, neceſſariò tolleretur filius. At debitum illius pœnę non pendet à perſeuerantia peccati. Nam cauſa punitionis non eſt peccatum præſens, nec culpa moraliter permanens, ſed culpa merè præterita, quæ dat ius Deo ad iuſtam punitionem.

9 Ad quartum, conſtat Chriſtum ſatisfeciſſe ſufficientiſſimè pro omnibus peccatis, & eorum pœnis, quoad oblationem pretij; ideoque non eſſe nobis opus alio pretio quo redimamur: opus tamen eſſe variis mediis, quibus hoc pretium nobis applicetur, vt poſſit nobis prodeſſe. Vnde bona opera in gratia facta ex ſeipſis habent valorem, & condignitatem, ſeu æqualitatem ad ſatisfactionem pro pœna temporali; nec accipiunt hanc condignitatem, & valorem à meritis, vel ſatisfactione Chriſti formaliter, ſed efficienter, quatenus ob Chriſti paſſionem datur gratia nobis ad benè operandum. De quo plura *infrà, diſputatione* 40. *de Satisfactione.*

10 Ad vltimum, Dico Contritionem habere vim delendi culpam & pœnam æternam dependenter ex gratia, & acceptatione Dei. At Deum ipſum, etſi conueniat contrito, vtpote benè diſpoſito, remittere culpam, & æternam pœnam, tamen minus conuenit, eum ſemper illi remittere omnem temporalem pœnam, iuxta rectum ordinem diuinæ iuſtitiæ, vt dixi in *hac ſectione numero ſecundo.*

SECTIO VIII.

An per Contritionem in lege gratiæ remittatur plus pœnæ temporalis, quàm anteà, cæteris paribus.

1 HAnc quæſtionem mouet Caietanus *tom.* 1. *opuſculor. tractat.* 4. *quæſt.* 4. docens eandem Contritionem nunc in Lege gratiæ, cæteris paribus, relinquere reatum minoris pœnæ, quàm anteà, propter votum Sacramenti Pœnitentiæ quod includit.

2 Verùm hanc rationem Caietani refellit Suarez *diſp.* 10. *ſect.* 3. *num.* 8. Quia vel intelligit remitti aliquid pœnæ ex opere operato propter ſolum votum Sacramenti: & hoc eſt falſum, quia Sacramenta non operantur antequam ſint: vel intelligit, remitti ſolùm ex opere operantis, ſeu ex diſpoſitione operantis; & hoc etiam eſt falſum, quia vel illud eſt votum ſolùm implicitum, & hoc non ſufficit ad illum effectum, quia non reddit actum præſtantiorem, nec magis pœnalem; vel eſt votum explicitum: & tunc iam non erunt cætera paria, nec eſſet eadem Contritio, ſed diuerſa, propter votum explicitum Sacramenti, quod olim non habebat; quia peccator nunc habet nouum actum ſatisfactorium.

3 Prædictam Caietani ſententiam non improbabiliter defendit noſter Cardinalis Lugo *diſputat.* 8. *ſection.* 2. *numer.* 68. alio nixus fundamento, dicens, eandem Contritionem habere nunc in Lege gratiæ maiorem congruitatem ad gratiam promerendam, & ad ſatisfaciendum pro pœna, quàm haberet olim ante Chriſti aduentum.

Quod probat, quia non videtur poſſe negari, quòd eadem oratio, vel idem actus bonus, factus à perſona magis coniuncta Chriſto, verbi gratia, ab eius auia, vel ab alio cognato, habeat aliquam maiorem congruitatem ad impetrandum, vel merendum, quàm ſi fieret ab alio non ita coniuncto, etiamſi cætera eſſent paria; quia illa cognatio, vel coniunctio eſt nouus titulus, præferens illam perſonam aliis, quando cætera ſunt paria. Cùm ergo poſt Chriſti aduentum, omnes facti ſimus eius conſanguinei, licet in gradu remoto, quam coniunctionem nondum habebant in Lege veteri, conſequens videtur quòd hic titulus conſanguinitatis afferat Contritioni noſtræ maiorem aliquam congruitatem ad impetrandam, & promerendam veniam culpæ & pœnæ, quam antea non haberet, ex eo quòd fiat à perſona magis coniuncta Chriſto. Quod certè firmari poſſet à ſimili, doctrina alia recepta Theologia, quæ eſt D. Thom. 1. *p. q.* 62. *art.* 6. Vbi non vt certum, ſed vt rationabile docet, Deum diſtribuiſſe gratiam Angelis iuxta proportionem naturalium; ita vt quò Angeli creati fuerunt perfectioris naturæ, eò maiori gratia ornati fuerint. Nam ex parte naturæ Angelicæ, fuit veluti fundamentum remotum, aut occaſio, ob quam Deus ex mera liberalitate, & voluntate diſtributurus gratiam Angelis ſapienter voluerit iuxta diſpoſitionem naturalium, illam gratiæ diſtributionem facere: ſimiliter ergo dici poteſt, eandem orationem, & Contritionem in hominibus Legis gratiæ, propter illam naturalem coniunctionem cum Chriſto, afferre ſecum maiorem proportionem, ſeu congruitatem, ad impetrandam, & promerendam veniam culpæ, & pœnæ, quam antea non haberet in lege veteri.

Verùm hæc opinio, tametſi primo intuitu appareat ſatis pia, & congrua, cæterùm meo iudicio nullum firmum fundamentum iuxta principia Theologica habere videtur. 4

Primò, quia iſte nouus titulus conſanguinitatis remotæ cum Chriſto, quoad totum quod includit, eſt quid phyſicum, ac prorſus naturale; ergo nequit habere congruitatem aliquam ad remittendam venialem culpam, vel aliquid temporalis pœnæ pro culpa debitæ: nam prædicta culpa, vel pœna non remittitur niſi per actus ſupernaturales, per ſuſceptionem Sacramentorum cum debita ſupernaturali diſpoſitione doloris peccatorum, ac deteſtationis: nequit ergo remitti ratione ſtirpis, vel generis præſertim remotiſſimi, vel ſanguinis coniunctionis præciſè.

Secundò prædicta remiſſio culpæ, vel pœnæ eſt opus ordinis ſupernaturalis, & diuini; ergo talis coniunctio naturalis nequit habere proportionem, in qua poſſit congruitas meriti fundari: non ſecus atque actus honeſtus naturalis qui non poteſt eſſe meritorius adhuc de congruo præmij ſupernaturalis, ob improportionem, & diſtantiam, quæ eſt inter ens naturale, & ſupernaturale. Cuius rei ratio à priori hęc eſſe videtur, quia opus merè naturale ex ſe nullam habet relationem ad dona ſupernaturalis ordinis, in qua poſſit congruitas meriti fundari. Vnde ſicut in ratione diſpoſitionis, eſt inferioris ordinis; ita etiam in ratione meriti, eſt quid merè naturale; & ideò non habet habitudinem etiam congruitatis ad præmium ſupernaturale. At remiſſio peccati, vel pœnæ illi debitæ, opus eſt Dei, vt auctor eſt ſupernaturalis ordinis, & gratiæ; vt ſic enim remittit offenſam, & iniuriam ipſi illatam, & pœnam illi debitam: videlicet per infuſionem, vel augmentum gratiæ ſanctificantis, quam producit, vt eſt auctor non naturæ, ſed gratiæ.

Tertiò, vt ille titulus talem haberet congruitatem, debuiſſet conſtare de lege, ordinatione, vel acceptatione Dei præuia, ſine qua nullum meritum etiam congruum eſt admittendum. Nam ad rationem meriti etiam congrui in actu ſecundo, ſpectat, non ſolùm aliqua proportio operis ad præmium, ſed etiam actualis quædam exigentia certi, ac determinati præmij. Igitur exiſtentia congrua remiſſionis certæ, & determinatæ pœnæ, non

poteſt

poteſt reperiri ſine extrinſeca ordinatione Dei, taxantis certam & determinatam partem pœnæ remittendæ; quia ad Deum pertinet, illam remittere determinatam & certam, magnam, vel exiguam, provt ipſe voluerit. De hac autem ordinatione, ac lege, ſeu promiſſione nullo modo conſtat, neque ex Scriptura, & ſanctis Patribus, neque ex traditione aliqua, aut ſenſu Eccleſiæ, neque ex vllo dicto communi Theologorum.

Quarto, prædicta ſanguinis coniunctio, eſt ſimul coniuncta cum omni macula, ac fœditate peccatorum mortalium, nec habet in ſe aliquid, quod repugnet quodammodò cum peccato mortali; vt experimento liquet in omnibus fere hominibus Legis gratiæ poſt Chriſtum, variis, ac innumeris peccatorum maculis, ac vitiis infectis; & nullam dicit relationem, vel reſpectum, ſeu connotationem ad ordinem gratiæ; quo pacto igitur talis titulus præciſe poteſt habere aliquid conuenientiæ, vel congruitatis, vt ratione ipſius, remittatur à Deo aliquid pœnæ temporalis pro peccatis debitæ?

Vltimò, Chriſtus Dominus parùm, aut nihil curauit de prædicta cum hominibus conſanguinitate, etiam proxima, nedum remota, vt manifeſtè colligitur ex *cap. 12. Matthæi.* Vbi cum ilii dictum fuiſſet: *Ecce mater tua, & fratres tui foris ſtant, quærentes te*: reſpondit; *Quæ eſt mater mea, & qui ſunt fratres mei? Et extendens manum in Diſcipulos ſuos, dixit: Ecce mater mea, & fratres mei.* Subditque. *Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei qui in cælis eſt, ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt.*

Vnde prædicta ſanguinis coniunctio apud Deum, præciſè ſpectata quoad eſſe phyſicum, quod includit, non ſolùm eſt minoris æſtimationis moralis, imò & nullius, reſpectiuè ad dignitatem gratiæ, & filij adoptiui, Deo obedientis; verùm etiam nullius prorſus momenti ad aliquam congruitatem impetrationis, ſeu meriti veniæ ipſius culpæ, vel pœnæ.

5 Ex his manet ſoluta omninò ratio Cardinalis Lugo. Nec confirmatio illa de Angelis aliquid probat. Nam inprimis ab Angelis ad homines, vel è contra, non rectè argui poteſt quoad diſtributionem gratiæ. Non enim poſſumus nos omnium conſiliorum Dei rationem reddere. Sicut enim Deo pro ſola ſua voluntate placuit, naturam humanam, & non Angelicam ſibi hypoſtaticè vnire; ita etiam placuit, homines ad varios gradus gratiæ, & gloriæ pro ſola ſua voluntate, nullâ habitâ ratione naturalis perfectionis eligere; Angelos verò pro eadem ſua voluntate ac libertate placuit, ad ordinem gratiæ, ſeruatâ proportione ad ordinem naturæ eleuare; non quia hoc ipſi naturali ordini; ſeu inæqualitati debitum eſſet, ſed quia ita viſum eſt congruum ad pulchritudinem, & optimam diſpoſitionem cæleſtium Spirituum, & Ordinum. Nec verò ita hoc iudicatur congruum, & conſentaneum diuinæ Sapientiæ, vt ſi aliter Deus res Angelorum diſponere voluiſſet, ſine aliquo defectu, vel imperfectione id facere non poſſet: nam ſi id facere decreuiſſet, certiſſimum eſt non defuturas ipſi plures ſuæ diuinę Sapientiæ congruentias, ſeu congruentes rationes, propter quas id rectè facere poſſet. Quia tamen illæ non ſunt nobis ita notæ, & ille ordo videtur facilior, & aptior ad communem, & ordinariam prouidentiam Angelorum: & quia Patres hoc docent, & D.Th. etiam hoc rationabile iudicat; ideò de facto credimus dictam proportionem in Angelis Deum ſeruaſſe. De hominibus verò oppoſitum conſtat, & ex effectis ipſis, & ex modo loquendi Scripturæ, & Patrum, vt in materia *de Prædeſtinatione, & Gratia* docuimus. Et certè non incongruè dici poteſt, voluiſſe Deum vtroque modo ſuam gratiâ diſtribuere, & cum proportione ad perfectionem naturæ in Angelis, & ſine illa in hominibus; vt ſe oſtenderet liberalem ſuæ gratiæ donatorem; & quòd illam diſtribuit, provt vult.

Addo, ex prædicta doctrina non imbecille colligi argumentum poſſe in fauorem noſtræ ſententiæ. Nam 6
Deus diſtribuit dona gratiæ hominibus, ſine vlla proportione ad naturalem perfectionem, ſeu ad eorum naturam, pro ſola ſua voluntate, nulla habita ratione, vel congruentia alicuius naturalis perfectionis; ergo etiam ſimili modo remittit culpas etiam veniales, ac leuiſſimas, & veniam concedit pœnæ debitæ, mediis actionibus ſupernaturalibus, nullo modo ſpectantibus ad ordinem naturæ, nullâ habitâ ratione, vel congruentiâ perfectionis naturalis: ergo nec coniunctionis iſtius naturalis remotiſſimæ. Non igitur hæc erit peculiaris titulus, vel congruentia ad remittendam nec partem pœnæ leuiſſimam.

DISPVTATIO X.

De efficacia Contritionis in ordine ad remiſſionem venialium peccatorum.

INTER effectus Contritionis enumerant Doctores remiſſionem venialium peccatorum. Quod vt exactè explicetur, quæ diſpoſitio requiratur ad remiſſionem venialis, tam extra Sacramentum per actum Contritionis, quàm in Sacramento; & per vſum quoque aliquorum Sacramentalium, explicandum eſt. Procedit autem Diſputatio præſertim de facto, ſeu de lege, & potentia ordinaria, & quaſi ex natura rei, iuxta materiæ capacitatem.

SECTIO PRIMA.

Vtrùm ad remiſſionem venialium in hac vita, ſit neceſſaria gratia habitualis ſanctificans.

PRæmitto *primò*, hominem iuſtum in hac vita poſſe 1
conſequi extra Sacramentum, remiſſionem ſuorum venialium peccatorum. Hoc eſt certum; quia & mortalium poteſt, & venialia confitendi nullam obligationem habet.

Præmitto *ſecundò*, peccatum veniale, poſtquam phy- 2
ſicè præteriit, relinquere maculam in anima, ſicut & mortale, cum proportione; ex qua tanquam ex radice naſcitur reatus pœnæ, ſeu dignitas ad pœnam luendam. Hanc verò peccati venialis maculam, formaliter eſſe ipſam malitiam peccati actualis, quatenus moraliter durat, & perſeuerat etiam tranſacto phyſicè actu peccati. Ratio eſt, quia macula peccati venialis, ſicut & mortalis, peccatum formaliter eſt; nam vi Contritionis, & Sacramentorum Baptiſmi, & Pœnitentiæ tollitur peccatum formaliter, vt eſt certum de Fide; cùm verò formaliter peccatum tollitur, nihil aliud tollitur quàm peccati macula. Igitur macula peccati eſt peccatum formaliter; ergo vel eſt ipſum actuale peccatum, quod phyſicè præteriit; vel eſt aliud quid diſtinctum. At nequit eſſe aliud: Patet, quia ille qui ſemel verbum blaſphemum protulit, verbi gratia, & per Contritionem id peccatum

non

Digitized by Google

non deleuit, macula blaſphemiæ contaminatus dicitur; & hæc macula aliud peccatum non eſt, quam ipſa blaſphemia, quæ extitit exiſtente phyſicè reali actu blaſphemiæ; quia ſi hæc macula aliud blaſphemiæ peccatum eſſet, oporteret in homine ſemel blaſphemante reperiri duplex blaſphemiæ pecatum; *primum*, illud quod exiſteret exiſtente phyſico actu peccati; & *ſecundum*, illud quod primo actu tranſacto remaneret. Idem dici deberet de mendacio officioſo, & aliis. Certum ergo debet eſſe, maculam peccati venialis formaliter eſſe ipſam malitiam peccati actualis, quatenus moraliter durat, & perſeuerat, etiam tranſacto phyſicè actu peccati.

3 Præmitto *tertiò*, peccatum veniale, tametſi non contineat grauem, & perfectam iniuriam erga Deum, ideóque non tollat eius amicitiam, ſicut tollit peccatum mortale; verè tamen eſſe iniuriam, & offenſam Dei, etſi leuem, impedire perfectionem amicitiæ Dei, ac verè Deo diſplicere, & eſſe contra Dei voluntatem & præceptum: quæ inordinatio eſt vera animæ macula, tametſi non grauis.

4 Præmitto *quartò*, peccatũ veniale remitti, non eſſe formaliter remitti pœnã, ſed maculã moralẽ quam reliquit. Ita communiter omnes Theologi. Ratio eſt, quia culpa, & reatus pœnæ moraliter diſtincta ſunt; ergo formaliter, ac propriè loquendo, remiſſio culpæ non eſt ablatio pœnæ: Imò nec ſemper ſunt neceſſariò coniuncta; nam per Indulgentias remittitur pœna, non autem culpa: per opus quoque pœnale ſæpe remittitur pœna, etiã ſi non tollat illam moralem malitiam quam culpa reliquit, quia ſupponit iam illam remiſſam: ſignum igitur eſt, aliud eſſe, tolli culpam; aliud verò, pœnam remitti. Quare, ſicut ſe habet culpa mortalis ad reatũ pœnæ æternæ; ita videtur ſe habere peccatũ veniale ad reatũ pœnæ tẽporalis; atque ideò ſicut in peccato mortali illa duo diuerſa ſunt, & alia eſt remiſſio culpæ, & alia pœnæ æternæ, licèt ſint coniuncta, vt apertè ſupponit Tridentinum *ſeſſ. 6. & 14.* ita ſimiliter in veniali culpa, & reatu pœnæ temporalis; maximè cùm iſte maneat, illâ remiſsâ; quod eſt maximum diuerſitatis indicium.

5 Tandem præmitto, peccatum veniale interdum remitti ex opere operantis, interdum ex opere operato per Sacramenta, interdum quoque remitti ſimul cum peccato mortali, ſcilicet in ipſa prima iuſtificatione, quando eſt ad vtrumque peccatum remittendum ſufficiens diſpoſitio; interdum verò remitti ſolùm ſine mortali, vt quando inuenitur in homine iuſto.

His præmiſſis ad ea, quæ in hac diſputatione ſunt dicenda: præſens difficultas eſt, an remiſſio peccati venialis in hac vita requirat ſemper gratiam ſanctificantem in eo cui confertur. Negant Scot. *in 4. d. 16.* & Gab. *diſt. 16. q. 5. a. 3. dub. 2.*

6 *Primò*, quia ablatio peccati venialis fit ſufficienter per ſolutionem alicuius pœnæ temporalis.

Secundò, interdum peccator per vnum beneficium gratiæ auxiliantis conſequitur aliud, etiamſi ab ſtatu peccati non recedat: ſic enim per actum fidei intenſum conſequitur augmentum fidei: & benè vtens minori gratiæ auxilio, obtinet maius: ergo dolendo aliquo modo ſupernaturali de culpa veniali, poterit illius veniam obtinere, etiamſi gratiam non obtineat ſanctificantem.

Tertiò, Attritio ſupernaturalis de peccato veniali, vi ſua excludit venialem culpam extra Sacramentum: ſic enim deteſtatio peccati ob turpitudinem eius, verbi gratia; quæ eſt Attritio, habet ſufficientem & proportionatam virtutem, ac vim ad expellendum formaliter veniale peccatum; ergo non requiritur gratia ſanctificans. Quare ſicut Contritio, virtute ſua ſufficienter expellit peccatum mortale: ita Attritio ſupernaturalis idem faciet circa veniale peccatum.

Quartò, ſi homo in puris naturalibus creatus venialiter peccaret, poſſet à ſe illud expellere per actum bonum naturalem; quia tunc non haberet locum gratia, & poterat ille homo facere actum æquè bonum, quàm fuerat malus actus peccati venialis, & formaliter illi repugnantem; ergo.

Quintò, ſequeretur ex contraria ſententia, pœnam peccati venialis eſſe æternam, ſicut & culpam: quia peccatum veniale, ſi in hac vita cum peccato mortali ſit coniunctum ſemper, nunquam tolletur, quia mortale non aufertur, & illud non tollitur ſine iſto: durante autem culpa, durat & debitum pœnæ; ergo & pœna, ac proinde erit perpetua: hoc autem videtur abſurdum, quia veniale peccatum non eſt dignius pœnâ propter coniunctionem cum mortali: ergo cùm de ſe non ſit dignum pœnâ æternâ, neque etiam propter coniunctionem cum alio erit dignum illa, ac proinde puniretur homo vltra condignum.

Sextò, ex contraria ſententia ſequeretur, peccatum veniale, ſi poſt hanc vitam cum ſolo veniali coniunctum inueniretur, fore quoque perpetuum quoad culpam, atque adeò etiam quoad pœnam ſenſus. Quod videtur omninò falſum; quia alias talis homo in inferno damnatorum eſſet in æternum puniendus, quia pœna æterna ſenſus in illo loco ſuſtinetur.

Vltimò, eſt opinio Thomiſtarum ſatis probabilis, non intendi habitum gratiæ, & Charitatis, per actus Charitatis, & Pœnitentiæ remiſſos, ſeu minus intenſos, quàm ſint habitus. At contingere poteſt, & fortè ſæpe contingit, hominem diſponi ad remiſſionem venialium per actus remiſſiores habituali gratia: tunc ergo iuſtus conſequeretur venialium remiſſionem ſine augmento gratiæ ſanctificantis; atque adeò venialia peccata interdum poſſunt homini iuſto remitti abſque vlla gratiæ infuſione. Propter hoc argumentum tenet hanc ſententiam Granado *controuerſ. 7. de pœnitentia, diſp. 5.*

Veriſſima tamen ſententia eſt, affirmans remiſſio- 7
nem venialium in hac vita ſemper requirere gratiam ſanctificantem in eo cui confertur. Quam tenet D. Th. *1. 2. quæſt. 87. art. 5. ad 3.* & ſequuntur modò ferè omnes, inter quos Suarez, Lugo, Coninck, Mæratius, & alij recentes Theologi. Probatur manifeſta inductione: nam ſi remiſſio venialis fiat ex opere operantis per Contritionem, v. g. debet neceſſariò, vel ſupponere gratiam, vel illam infundere: ſi enim peccatum veniale remittitur ſimul cum mortali, neceſſaria eſt infuſio gratiæ, ſine qua mortale peccatum non remittitur: ſi verò veniale ſolùm per ſe remittitur vi prædicti actus Contritionis, vel cuiuſuis alterius actus ſupernaturalis, neceſſariò ſupponit ſubiectum gratum, & amicum; quia ab inimico nihil acceptat Deus in recompenſationem, aut remiſſionem alicuius offenſæ, etiam minimæ. Vnde ſi peccator diſponatur per Attritionem extra Sacramentum ad remiſſionem mortalis, & venialis, nihil efficiet, quia opus peccatoris non habet valorem moralem ad vllam ſatisfactionem de condigno: nam exiſtens in mortali dignus eſt irâ diuinâ; quomodo ergo poteſt illum obligare ad remiſſionem venialis, maximè cùm nulla ſit lex, vel promiſſio ex parte Dei de hac re? Inter homines quoque experimur, ſecundùm moralem prudentiam ſubditum Regi offenſum ob grauiſſimas iniurias, & alias quoque leuiores, harum veniã petendo, & non debitam ſatisfactionem pro illis offerendo, nullã mereri conſequi gratiam. Si autem remiſſio venialis fiat ex opere operato per Sacramenta, ratio optima eſt, quia Sacramentum non confert ſecundarium effectum, niſi cui confert primarium, & ita non remittit peccatum veniale, niſi conferendo gratiam. Vnde ſi remittat veniale ſimul

cum

cum mortali, neceſſe eſt vt primam conferat gratiam; ſi verò remittat veniale ſolùm, neceſſe eſt vt & recipientem ſupponat iuſtum, & non ponentem obicem Sacramento, & conſequenter, quòd augeat illius gratiam; quia non remittitur veniale ſine aliquo actu ſupernaturali, omnis autem talis actus eſt meritorius augmenti gratiæ, quod ſtatim ac meritum ponitur, verè infunditur. Nunquam igitur in hac vita remittitur veniale peccatum ſine infuſione gratiæ.

8 Ad argumenta oppoſita. Ad primum, Dico ablationem venialis debere fieri per ſolutionem, id eſt, per actum ſatisfactorium pro pœna temporali; debere tamen procedere ab homine grato, ſeu à gratia ſanctificante, vt conferat dignitatem perſonæ, à qua ſatisfactio ipſa habet valorem, & moralem proportionem ad ſoluendum debitum.

9 Ad ſecundum, verum eſt operationem ſupernaturalem factam cum minori auxilio, eſſe diſpoſitionem moralem ad maius auxilium; quia per ſe, & ex ordinatione diuina ad hoc tendit, vt homo paulatim proficiat: ſimiliter actus Fidei ſupernaturalis eſt ſufficiens diſpoſitio ad Fidei augmentum: Cæterùm reſpectu remiſſionis venialis peccati, nulla diſpoſitio dari poteſt in homine inimico Deo; maximè quia remiſſio venialis culpæ, eſt veluti quædam perfectio, & puritas amicitiæ; & ideò ex natura ſua, vel ſecundùm conuenientem ordinem Dei ſupponit amicitiam.

10 Ad tertium negatur Antecedens: nam in illa Attritione, nullus eſt valor moralis ad ſatisfaciendum Deo pro qualicumque iniuria illi facta per venialem culpam, ſinè qua ſatisfactione, non poteſt illa expelli, niſi gratis à Deo remittatur per liberalem extrinſecam condonationem. Contritio autem iuxta veriorem ſententiam, per ſe, & ex vi ſua non expellit peccatum mortale per modum formæ phyſicæ, ſed per modum diſpoſitionis moralis vltimæ ad formam iuſtificationis, vt dixi *ſuprà diſp. octaua, ſect. prima.* Vnde illa Attritio multò minùs excludet eo modo veniale peccatum.

11 Ad quartum, Suarez *ſect. 2. numer. 9.* duo dicit. *Primum*, non eſſe omnimodam rationem de homine in puris naturalibus, & in hoc ſtatu gratiæ conſtituto: quia nunc veniale peccatum includit aliquam inordinationem à fine ſupernaturali, & eius remiſſio ordinatur ad beatitudinem ſupernaturalem conſequendam; at in illo ſtatu puræ naturæ eſſet inordinatio à fine naturali. Vnde alium modum prouidentiæ habet nunc Deus in hoc ſtatu gratiæ, cum natura humana eleuata ad finem ſupernaturalem, quam tunc haberet: nunc enim per gratiam ſupplet defectus naturæ; tunc verò alio modo accõmodato illi ſtatui prouideret illi. *Secũdum* eſt, etiam in illo ſtatu nõ potuiſſet homo per ſolas naturæ vires perfectè ſatisfacere pro culpa veniali, prout eſt offenſa Dei, etſi leuis, propter improportionem perſonæ offendentis, carentis gratia ſanctificante cum perſona offenſa. Vnde gratis Deus ac liberaliter illam venialem culpam condonaret.

12 Ad quintum, manifeſtè conſtat peccatum veniale, formaliter loquendo, non fieri dignum maiori pœna propter coniunctionem cum mortali; cæterùm negari non poteſt, eiuſmodi coniunctionem eſſe occaſionem quandam impedientem perſonam, ſeu illam conſtituentem in ſtatu, in quo non poſſit à ſe expellere venialem culpam; ex quo fit, vt manente culpa veniali, dignitas, ſeu reatus pœnæ qui ad illam conſequitur, ſemper duret, ac proinde vt pœna etiam duret.

13 Ad ſextum, fusè Suarez *ſectione ſecunda citata, numer. 14. & ſequentibus.* Breuiter dico, in eo caſu ad prouidentiam Dei ſpectare, modum adhibere quo ille homo in eo ſtatu non decederet; niſi aliàs cum illo vteretur aliqua diſpenſatione, condonando illi venialem culpam; præſertim cùm certum videatur ſine gratia ſanctificante, iuxta præſentem ſtatum non poſſe tolli venialem culpam.

Ad vltimum, ſemper verius exiſtimaui, quod docui in materia *de Charitate*, per quemcumque actum meritorium hominis iuſti intendi gratiam habitualem, etiamſi actus ſit remiſſior ipsâ gratiâ. Quare cùm iuſtus extra Sacramentum ſemper conſequatur venialium remiſſionem per actum meritorium; manifeſtè ſequitur ſemper intendi gratiam hominis iuſti, quoties illi aliqua venialia remittuntur. 14

SECTIO II.

An ad remiſſionem venialis peccati in hac vita, requiratur ſaltem ex Dei inſtitutione, gratia ſanctificans tanquam forma expellens illud?

CErta videtur eſſe communiſſima Doctorum ſententia, gratiam habitualem ſanctificantem, per ſe, ſeu ex natura rei, non eſſe formam propriè expellentem, ſeu formaliter conferentem remiſſionem peccatorum venialium. Ratio eſt, quia ex natura rei, nulla gratia in hac vita, nullus illius gradus quantumuis intenſus, opponitur formaliter cum macula veniali; ergo per nullum gradum gratiæ habitualis expellitur formaliter illa macula. Conſequentia euidens eſt, quia forma non expellit aliam formam, niſi per repugnantiam, & incompoſſibilitatem, quam habeat cum illa: ergo ſi gratia non habet incompoſſibilitatem cum peccato veniali, nec opponitur illi, non poterit illud expellere. Antecedens patet, quia de fide certum eſt, per venialia peccata non amitti gratiam; & iuſtos ſæpe venialiter peccare, ſimùlque iuſtos perſeuerare, ac ſubinde gratiam non amittere: & è contrario ſæpe contingit, hominem habentem peccata mortalia, & venialia, obtinere gratiam, quâ mortalia peccata remittuntur, & non venialia, quia poteſt eſſe diſpoſitus ad priorem effectum, & non ad poſteriorem. Similiter eadem ratione contingit interdum, vt homo iuſtus in gratia creſcat, & remiſſionem venialium quæ prius fecerat, non obtineat; quia poteſt actus eſſe proportionatus ad aliquod meritum gratiæ, & non ad remiſſionem venialis culpæ in alia materia commiſſæ. Igitur gratia quantumcumque intenſa non opponitur formaliter cum macula veniali. Solùm ergo reſtat difficultas, an licèt ex natura rei hoc ita ſit, nihilominùs ex diuina intentione, ac inſtitutione, aliqua gratia ſanctificans ſit expellens formaliter venialia peccata. 1

Affirmat noſter Coninck *diſp. 2. dub. 16. n. 134. & 135.* Probat *primò*, quia peccatum veniale inurit aliquam maculam ipſi animæ, quam conuenit deleri per aliquid animæ intrinſecum, quod ſit pulchritudo ipſius animæ, qualis eſt gratia ſanctificans. 2

Secundò, tametſi Deus non ſolùm veniale peccatum, ſed etiam mortale de abſoluta potentia poſſit remittere per ſolam extrinſecam condonationem; tamen multò conuenientius eſt, vt hoc faciat per infuſionem alicuius doni nobis inhærentis; quia conuenit ipſius liberalitati, vt omnem actum ſuæ dilectionis erga nos teſtetur, per realis alicuius doni largitionem; nullum autem in præſenti eſt aptius, quam gratia, vel augmentum gratiæ; quæ licèt nullam

nullam habeat repugnantiam phyſicam, ſiue ex natura ſua cum peccato veniali, quia neque eam habet cum hac ratione cum peccato mortali; habet tamen illam ex intentione Dei in his circumſtantiis eam infundentis, quatenùs per eius infuſionem intendit peccatum veniale remittere.

Vltimò, peccatum veniale opponitur ſaltem feruori Charitatis, vt eſt commune Theologorum dictum; ergo debet formaliter expelli per feruorem Charitatis, ſeu per intenſionem Charitatis, vel gratiæ, cui opponitur.

3 Noſter Vaſquez 1. 2. *diſput.* 101. *cap.* 4. & 3. *part. quæſt.* 87. *art.* 3. *dub.* 2. idem videtur ſentire, dum negat poſſe peccatum veniale tolli per meram extrinſecam condonationem. Vnde ait neceſſariò requiri aliquam mutationem intrinſecam in ipſo homine, quæ vel fit per actum Contritionis, per quem tollitur, & expiatur ſufficienter illa macula venialis; vel fit in Sacramento per Attritionem, & gratiam ſanctificantem Sacramenti datam à Deo ad hunc finem reconciliandi hominem à peccato. Ex quo infert, illam gratiam ſanctificantem eſſe, quæ tunc formaliter mundat hominem, & expellit veniale peccatum; quia tametſi illa gratia ſecundùm ſe non opponatur cum veniali peccato, opponitur tamen cum illa gratia, vt collata ex intentione Dei in Sacramento ad effectum reconciliandi hominem ab eo peccato; vt ſic enim non poteſt componi cum macula veniali. Probatur id *primò*, quia Tridentinum *ſeſſ.* 5. *can.* 5. expreſsè dicit, in renatis nihil manere quod Deus odio habeat; vel quod eos ab ingreſſu cœli remoretur: vbi etiam de venialibus videtur eſſe ſermo. Dicit quoque hoc fieri veterem hominem exuendo; & nouum, qui ſecundùm Deum creatus eſt, induendo: per quod intelligitur ſanctitas interna. Igitur venialia tolluntur quoque per formam intrinſecam, quæ nequit eſſe niſi gratia habitualis.

Secundò, ſi culpa venialis non tollatur per formam intrinſecam gratiæ, ergo homo non mundaretur intrinſecè, ſed tantùm tegeretur, ſeu ei non imputaretur culpa, vt loquuntur Hæretici: quia repugnat, hominem, qui prius erat intrinſecè maculatus, mundari intrinſecè ſine aliqua intrinſeca mutatione.

Tertiò, peccatum veniale non ſolùm includit malitiam offenſæ Dei, etſi leuis, ſed etiam auerſionis à regula rationis; ſed hæc macula, prout eſt præciſè contra regulam rationis, non poteſt formaliter tolli per condonationem Dei, quia Deus non poteſt remittere peccatum, niſi quatenus eſt contra ipſum: ergo quatenus eſt contra regulam rationis, debet tolli formaliter per aliquam conuerſionem actualem, vel habitualem ipſius hominis; ergo per aliquam gratiæ mutationem intrinſecam phyſicam, quà mundetur ab illa macula.

His non obſtantibus, ſentio cum Suarez *libro* 7. *de gratia, capite* 14. Cardinali Lugo *diſput.* 9. *ſect.* 1.
4 & aliis Recentioribus, gratiam habitualem, propriè loquendo non expellere formaliter maculam venialis peccati, etiam accedente voluntate, & intentione, ac inſtitutione Dei. Moueor, quia nulla forma poteſt eleuari, etiam de potentia Dei abſoluta, ad cauſandum aliquem effectum formalem in aliquo ſubiecto, quem in tali ſubiecto, natura ſua præbere non poteſt: Sic albedo, etſi poſſit eleuari, vt producat efficienter nigredinem per potentiam obedientialem actiuam; non tamen vt in genere cauſæ formalis faciat nigrum: ſed in Sacramento Pœnitentiæ gratia, & Attritio ſecundùm ſe, & ex natura rei nequeunt formaliter expellere maculam peccati venialis, vt conſtat; ergo nec poterunt illam formaliter expellere, etiam accedente aliqua voluntate, & inſtitutione, ac intentione Dei. Firmo, quia tametſi poſſit Deus ad præſentiam gratiæ, & Attritionis, tollere maculam venialem, & non ſolùm ad præſentiam, ſed etiam intuitu earum; quo caſu dici poſſet illa eſſe cauſa formalis moralis expulſionis maculæ; non tamen poſſet vnquam expellere illam in genere cauſæ formalis phyſicæ, cùm nullam habeant cum macula illa phyſicam repugnantiam. Dicere verò, quòd habent phyſicam repugnantiam, prout ſubſtant illi decreto Dei infundentis gratiam ad reconciliandum hominem; nihil aliud eſt dicere, quàm illud decretum repugnare cum macula, non verò repugnare ipſam entitatem gratiæ, vel Attritionis. Nam illo modo, poſſet etiam Deus infundere habitum Fidei vel Spei ad tollendum veniale peccatum; & tunc habitus Fidei, vel Spei, prout ſubeſt illi decreto Dei, pugnaret cum peccato veniali; hæc tamen non eſſet repugnantia Fidei, vel Spei cum peccato, ſed potiùs repugnantia illius decreti Dei: vnde in rigore, tunc peccatum tolleretur per extrinſecam Dei condonationem. Vrgetur idem ſpecialiter contra Vaſquez: nam eodem modo deberet admittere, poſſe Deum etiam non poſitâ Attritione infundere gratiam ad effectum reconciliandi hominem à peccato veniali; quia licèt gratia ſecundùm ſe non repugnet cum peccato veniali, ſed tamen gratia prout data ex tali intentione pugnat omninò cum peccato veniali; & tamen ipſe Vaſquez negat poſſe id fieri, etiam de potentia abſoluta; ergo nec poterit tolli per Attritionem ſimul & gratiam: quia nec vtraque ſimul ſecundùm ſe pugnat cum peccato veniali, niſi accedat illa particularis intentio Dei; quæ tamen æquè benè poteſt accedere gratiæ ſoli, ac poteſt accedere vtrique. *Reſpondet* Vaſquez, ſine Attritione non tolli auerſionem relictam ex peccato veniali, quæ debet tolli per actum contrarium. *Sed contrà* eſt, quia etiam peccatum mortale relinquit auerſionem, & grauiorem, ac multò maiorem, & tamen de potentia abſoluta non eſt neceſſaria Attritio, neque vllus alius actus peccatoris in ſententia Vaſquez ad tollendam omninò maculam peccati mortalis, ſed poteſt per infuſionem ſolius gratiæ ſufficienter tolli; ergo poterit faciliùs tolli de potentia abſoluta illa venialis macula ſine Attritione: maximè cùm in eius ſententia, Attritio non ſit perfecta conuerſio, nec ſufficiat ex ſe ad tollendam auerſionem præteritam, ſed ſola Contritio, aut dilectio Dei ſuper omnia.

Ex prædicta doctrina colligo *Primò*, gratiam Baptiſmalem, quæ ex diuina inſtitutione omnia ex- 5
pellit venialia peccata, ſi obicem non inueniat, & etiam gratiam abſolutionis in Sacramento Pœnitentiæ, quæ etiam expellit ea venialia, quæ eidem abſolutioni ſubiiciuntur, nullo modo eſſe, nec dici debere formam expellentem formaliter venialia, ſi id intelligatur de phyſica cauſalitate formali; quia omnis & quæuis gratia habitualis ex vi cauſalitatis phyſicæ quam formaliter confert; neque primariò expellit, niſi priuationem ſui, quam peccatum veniale non innexit; neque ſecundariò exigit, nec tanquam ſibi debitam poſtulat remiſſionem peccatorum, niſi mortalium.

Colligo *ſecundò*, lato & morali modo loquendo, poſ- 6
ſe concedi, prædictam gratiam expellere venialia, quatenus Deus ſtatuit intuitu gratiæ vt ſic collatæ, condonare

Digitized by Google

donare ſimul venialia peccata, ſi ex parte hominis reſiſtentiam non inueniat. Ita notauit Suarez *capit* 24. *citato numero* 3. Vbi etiam aduertit differentiam inter peccata venialia, quæ committuntur poſt gratiam obtentam, vel quibus gratia ſuperuenit, poſtquam commiſſa fuerunt: nam illa peccata venialia, quæ gratiæ ſuperueniunt, nunquam remittuntur ratione gratiæ præexiſtentis, præciſe ſpectatæ vt informantis; illa verò alia quibus ſuperuenit gratia, cum ipsâ gratiâ, & quodammodo per illam ex inſtitutione Dei remittuntur, quia effectus formalis eius ex diuina inſtitutione ad talem remiſſionem expectatur.

7 In hoc ſenſu intelligenda videtur ſententia Coninck, nec amplius probant eius argumenta. Nihilominùs tamen prout noſtræ ſententiæ opponi videntur, ad ſingula eſt reſpondendum.

Ad primum Dico, illud ſolùm probare, remiſſionem maculæ venialis in hac vita, ſemper requirere gratiam ſanctificantem in eo cui confertur, vt dixi *ſupra ſect.* 1. *num.* 7.

Ad ſecundum Dico, ſolùm probare gratiam Sacramenti morali modo deſtruere venialia ex intentione, ac inſtitutione diuina.

Ad tertium, cùm dicitur feruorem Charitatis opponi cum veniali peccato, non intelligi de intenſione habitus Charitatis, cum qua poteſt eſſe venialis culpa, ſed de feruore actualis dilectionis in operando; qui feruor impeditur per culpam venialem actualem Nec verò dilectionis actualis feruor formaliter, ſed diſpoſitiuè tantùm expellit culpam habitualem venialem; ſicut quilibet Charitatis actus expellit peccatum habituale mortale diſpoſitiuè tantùm, & non formaliter.

8 Ad argumenta pro ſententia Vaſquez. Ad primum, Tridentinum ſolùm velle gratiam internam concurrere ad expulſionem venialium, & eſſe aliquo modo cauſam, cur in illo homine nihil ſit, quod remoretur eum ab ingreſſu cæli; ad hoc autem neceſſe non eſt, vt gratia ſola ſecundùm ſe habeat illam repugnantiam, ſatis eſt vt illam habeat ex intentione, ac inſtitutione Dei.

Ad ſecundum, concedo, nunquam tolli poſſe culpam venialem ſine mutatione intrinſeca ſaltem morali; quæ ablatio fundatur ſufficienter in voluntate Dei condonante illam culpam. Hæretici autem negant tolli culpam, ſed ſolùm radi, vel tegi, dum non imputatur ad pœnam: nos verò dicimus tolli radicitùs, ac deſtrui, & hominem plenè, & propriè cum omni rigore mundari: cum hoc tamen diſcrimine, vt remiſſio mortalis de facto, ſemper ſit formaliter per mutationem phyſicam, & per formam intrinſecam phyſicam, ſcilicèt gratiam habitualem, quæ ſecundùm ſuam entitatem habet repugnantiam cum macula peccati mortalis: at remiſſio venialis maculæ licèt de facto habeat etiam ſemper adiunctam aliquam infuſionem gratiæ habitualis, non tamen talem, quæ formaliter ſit repugnans, aut incompoſſibilis cum macula veniali; atque ideò non tam remittitur, formaliter loquendo per mutationem phyſicam intrinſecam, ſicut mortale.

Ad tertium, negandum eſt, condonato peccato veniali, vel remiſſo, relinqui maculam habitualem in ordine ad rectam rationem. Videantur dicta à nobis ſuprà *diſput.* 8. *ſectione* 6. *numero* 4.

* * *

SECTIO III.

An ad remiſſionem peccati venialis in hac vita, ſit neceſſaria gratia ſanctificans in aliquo genere cauſæ per ſe concurrens?

Dictum eſt, nunquam in hac vita remitti veniale peccatum abſque infuſione gratiæ; oſtenſum eſt quoque, gratiam non expellere formaliter maculam peccati venialis, etiam accedente voluntate, intentione, ac inſtitutione Dei; oportet modò videamus, an ad illius remiſſionem concurrat per ſe gratia in aliquo alio genere cauſæ, an verò tantùm per accidens ſe habeat. Quoniam verò veniale peccatum ſoleat remitti dupliciter; vno modo ſimul cum mortali, ſcilicet in ipſa prima iuſtificatione, quando vtrumque peccatum ſufficientem diſpoſitionem contra illud inuenit; alio modo remitti ſolùm ſine mortali, vt cùm inuenitur in homine iuſto; procedit vtroque modo præſens difficultas. 1

Circa primum, conſtat in iuſtificatione impij, habitum gratiæ eſſe totam formam expellentem omnia peccata mortalia: quia forma naturâ ſuâ habens incompoſſibilitatem cum altera forma, itaut ad ingreſſum illius iſta excludatur, formaliter excludit illam: Sed gratia habitualis naturâ ſuâ habet formalem incompoſſibilitatem cum peccato mortali; adeò vt ad ingreſſum illius iſtud excludatur: ergo formaliter excludit illud, Quare ipſa gratia eſt per ſe neceſſaria ad expellenda omnia peccata mortalia in genere cauſæ phyſicæ formalis. Supereſt igitur quæſtio de peccato veniali, quod non remittitur ſine mortali, quo pacto ſe habeat gratia circa eius remiſſionem, & quomodo tunc concurrat ad illam? 2

Suppono autem, quod communiter à Doctoribus admittitur, in prima gratiæ infuſione remitti venialia, ſeruatâ proportione cum diſpoſitione ipſa. Nam ſi diſpoſitio, verbi gratia, Contritio, ratione cuius infunditur gratia, talis eſt, vt vel formaliter, vel virtute vniuerſaliter complectatur venialia peccata, ſemel remittentur in gratiæ infuſione: nam ſi illa diſpoſitio ſufficit ad remiſſionem mortalis, multò magis ſufficiet ad remiſſionem venialis, quia iam homo facit quod moraliter poteſt, ac debet ad talem effectum; ſi verò Contritio eſt limitata ad ſola mortalia, vel ſe extendit ad quædam venialia, & non ad omnia, tunc licèt infundatur gratia, non remittentur illa venialia, quæ nullo modo ſub talem Contritionem cadunt, quia homo ad illam remiſſionem nullo modo ſe diſponit; neque auertit voluntatem ſuam ab illis venialibus, atque ideò non remittuntur. Ratio eſt, quia remiſſio venialis non eſt per ſe connexa cum remiſſione mortalis, vt eſt manifeſtum, quia poteſt quis eſſe in gratia, imò & conſequi gratiam, dum actu peccat venialiter; neque etiam eſt connexum veniale in diſpoſitione, vt ſupponitur; nec denique eſt aliqua lex vel promiſſio Dei de remittendis omnibus peccatis venialibus, quoties infunditur gratia; ergo. 3

His præmiſſis, ſentit Suarez *diſput.* 11. *ſectione* 2. *numer.* 25. Deum prius naturâ infundere peccatori contrito gratiam, & remiſſionem peccatorum mortalium, conſtituendo illum amicum, & immunem ab omni culpa amicitiæ contraria; & deinde propter eandem 4

eandem Contritionem etiam gratiâ ſuam remittere, venialia peccata. Iuxta quem modum, ordine & prioritate naturæ gratia antecedit, & eſt cauſa talis remiſſionis venialis, non quidam phyſica formalis, ſed moraliter dignificans illum actum Contritionis, per quem talis remiſſio comparatur; quia ſanctificando perſonam, moraliter dignificat, & informat contritionis actum. Vnde fit, vt iam illa remiſſio venialis peccati, non gratis fiat, ſed ex iuſtitia; quia illa Contritio ſic formata, & dignificata, eſt iam ſatisfactoria & meritoria de condigno remiſſionis venialium peccatorum.

5 Hic modus dicendi videtur ſatis probabilis. Vnde iuxta illum, gratia per ſe conducit ad remiſſionem prædictorum venialium, non ſolùm vt tollentem obſtaculum peccati mortalis, ſed etiam vt conſtituentem perſonam capacem, & condignam meriti, & ſatisfactionis de iuſtitia apud Deum, ita vt illum ſibi obligare, & debitorem ſuum efficere valeat. Vnde hoc titulo, gratia habitualis eſt ſimpliciter neceſſaria ad meritum de condigno, per modum cauſæ moralis dignificantis perſonam, & Contritionem, quæ poſſit mereri de condigno venialium remiſſionem.

Fateor hunc modum dicendi eſſe valde probabilem; non tamen exiguâ carere difficultate: nam etiam probabile iudico, gratiam habitualem ſubſequentem non poſſe dignificare illum actum Contritionis. Nam vnio hypoſtatica non tribuit condignitatem, ſeu valorem moralem infinitum actui quem ipſa ſubſequitur, verbi gratia, actui quo humanitas Chriſti operans ante vnionem, & independenter à ſuppoſito diuino mereretur de congruo vnionem hypoſtaticam; quod potuiſſe eſſe, oſtendi in tractatu *de Incarnatione*, *diſputatione* 12. *ſect.* 2. *num.* 6. quoniam talis actio non eſſet actio Dei viuilis, nec procedens ab homine Deo; igitur nec gratia habitualis tribuere poteſt valorem operi, quod ipſam ſubſequitur: talis verò eſt Contritio diſponens ad gratiam: quæ non procedit à gratia, nec eſt propriè actus procedens ab homine iuſtificato; non igitur dignificari poteſt à gratia. Vnde dicta Contritio non eſt ſatisfactoria, nec meritoria de condigno remiſſionis venialium peccatorum, ſed ſolùm diſpoſitio ad illam, ſicut eſt diſpoſitio ad remiſſionem mortalium. Quare ipſa gratia ſanctificans eſt per ſe requiſita ad remiſſionem venialium, quatenus hominem conſtituit in ſtatu remunerabili, vel remiſſibili, tollens formaliter ſtatum & obſtaculum peccati mortalis; quo ablato propter eandem contritionem, vt diſpoſitionem vltimam, remittit Deus illa venialia peccata, quæ ſub talem Contritionem cadunt; cùm iam ad illorum deſtructionem homo faciat quod moraliter poteſt, ac debet.

6 Circa ſecundum, quando veniale per ſe ſolùm remittitur, omiſſis aliorum dicendi modis. Dico *primò*, gratiam habitualem eſſe cauſam per ſe illius remiſſionis in genere cauſæ efficientis. Explico id ſimul, ac probo, quia eiuſmodi venialium remiſſio fit per actus ſupernaturales, qui habent rationem meriti, vel ſatiſfactionis condignæ. Quod ſic probo, quia actus Contritionis, vel amoris Dei videtur ex natura ſua opus maximè proportionatum ad venialium remiſſionem, quia nobiliori modo attingit Deum, & ad illum conuertit hominem; & leuis offenſa, qualis eſt venialis culpa, ſecundum Prudentum æſtimationem moralem, non eſt adeo magni momenti, ſicut actus Charitatis, vel Contritionis hominis iuſti, qui eſt magni pretij, ac ſummi valoris apud Deum, & meretur æternum præmium. Deinde perſona operans eſt digna, quia ſupponitur iuſta, & amica Dei; & aliunde non deeſt promiſſio diuina ſub conditione talis operis. Nam 1. *Ioannis*, *capite primo*, dicitur, *Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt, & iuſtus, vt remittat nobis*, *&c.* Loquitur autem præſertim de venialibus, vt ibi notauit Auguſtinus *tractatu* 1. Dixerat enim paulò antea, *Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus.* Quæ verba propter venialia potiſsimum generatim de omnibus dicta ſunt. Nihil ergo deeſſe videtur ad condignam, & iuſtam ſatisfactionem. Hic itaque actus dilectionis Dei, vel Contritionis eſt condignè meritorius expulſionis venialis maculæ. At in illum, ſicut & in omnes alios actus ſupernaturales gratia habitualis habet influxum actiuum in genere cauſæ efficientis: quia prædicti actus ſunt à propriis, & ſpecialibus virtutibus effectiuè, tanquam à principiis particularibus in ſuo ordine, & à gratia habituali tanquam à principio effectiuo generali. Moueor ad hoc vltimum aſſerendum, ex doctrina generali philoſophica decernente, ad opera vitæ, præſertim ſenſitiuæ, ac intellectiuæ, non ſolùm per ſe concurrere effectiuè potentias proximas, ſed etiam animam ipſam, quæ tanquam principium eminens, & vniuerſale per ſuas potentias, & cum omnibus illis immediatè operatur. Quod firmant Philoſophi, tum ex perfectione actus vitalis; tum quia ex hoc modo influendi animæ immediato, videtur oriri, vt interdum ex operatione vnius potentiæ ſequatur operatio alterius per naturalem ſympathiam, qualis inter potentiam appetitiuam, & cognoſcitiuam inuenitur; propter ſubordinationem videlicet, & connexionem illorum actuum, quæ abſque communi aliquo principio immediatè in omnes influente ſtare nequit; vt in libris *de anima* demonſtraui. Interdum quoque attentio vnius potētiæ ad ſuam operationem, impedit operationē alterius, vt in ſenſibus experimur. Si ergo hoc verum eſt in actibus ordinis naturæ, Simili modo intelligere debemus cum eadem proportione eleuari animam ad eliciendos actus ſupernaturales; itavt non tantùm per potentias, ſed etiam per ſuam eſſentiam influat immediatè in illas. Sicut ergo potentiæ eleuantur per virtutes infuſas, vt per illas connaturali modo præbeant ſuum influxum ad actus ſupernaturales; ita anima eleuatur per gratiam, vt ſuum peculiarem influxum connaturali etiam modo præbeat. Hoc igitur modo gratia habitualis concurrit actiuè ad actus illos dilectionis Dei, vel Contritionis, non vt principium ſpeciale, ſed vt principium eminens, ac vniuerſale.

Obiicies, etiam poſito illo principio, quòd anima ſimul cum potentia, actu & immediatè influat 7
in opera vitæ, vnus tantùm habitus poſitus in potentia ſufficit ad perfectum modum operandi, neque oportet alium ponere in ſubſtantia animæ; ergo idem erit in ſupernaturalibus. *Sed contra* eſt manifeſta diſparitas: nam in naturalibus anima eſt proportionatum principium actuum naturalium; neque ex parte illius eſt aliqua difficultas in exercitio talium operationum, ſed tota prouenit ex repugnantia diuerſarum potentiarum inter ſe, vel plurium inclinationum eiuſdem potentiæ, vel ex alia ſimili imperfectione potentiæ proximæ; ideoque in ordine naturali ſufficiunt potentiarum immediati habitus. At in ordine ſupernaturali ipſa anima eſt improportionatum principium, ad influendum in actus ſupernaturales, & ideò etiam ipſa confortari debet ſupernaturaliter, vt in ſuo genere connaturaliter influat.

Inſtabis, actum Charitatis, verbi gratia, vt eſt dilectio

ſufficienter fieri à voluntate, & vt eſt talis dilectio, rationem illam ſufficienter habere à Charitate; nihil ergo eſt, quod poſſit habere à gratia, atque adeò videtur eſſe ſuperfluus illius influxus. Cæterùm occurro, illas præciſiones poſſe deſeruire in ordine ad ſpecificationem actus; nihil tamen referre in ordine ad phyſicam efficientiam; quia actus Charitatis tam vt eſt dilectio, quàm vt eſt Charitas, ſeu dilectio Dei, eſt ab habitu Charitatis vt à principio connaturali proximo, & à voluntate, vt à potentia vitali proxima, & ab anima, vt à principio ſubſtantiali vitæ; & ita etiam poteſt emanare à gratia, vt à principio quaſi ſubſtantiali ordinis ſupernaturalis. Ex quo manifeſtè infertur, peccatum veniale remitti, ſeu expelli à gratia habituali effectiuè, quia ab illa proueniunt actiuè actus dilectionis Dei, & Contritionis, per quos talis remiſſio comparatur meritoriè de condigno.

8 Dico *ſecundò*, alio etiam modo remiſſionem peccatorum venialium procedere à gratia, tanquam a cauſa morali dignificante, quatenus dat prædictis actibus dignitatem, & valorem moralem, vt illa remiſſio de condigno, ac de iuſtitia obtineatur. Hoc dictum conſtans eſt, ſi tria admittantur quæ diximus in materia *de gratia*.

Primum eſt, gratiam iuſtificantem concurrere poſitiuè ad meritum condignum vitæ æternæ, & non negatiuè ſolùm, tanquam remouens prohibens. Ratio eſt, quia gratia habitualis conſtituit poſitiuè hominem amicum, ac filium Dei adoptiuum: at hæc dignitas poſitiuè concurrit de facto ad meritum condignum: nam opera quæ procedunt ab amico & filio Dei, ſunt abſolutè grata Deo, & gratiora ipſi, quàm quæ procedunt ab homine non amico, & non filio; ergo opera iuſti accipiunt dignitatem aliquam poſitiuam meriti à dignitate gratiæ habitualis. Quare ſic ſe habet gratia habitualis finita ad valorem finitum operum iuſti. Sicut ſe habet in Chriſto gratia ſubſtantialis infinita ad valorem infinitum operum Chriſti; atque adeò ſicut dignitas infinita gratiæ ſubſtantialis in Chriſto concurrit poſitiuè ad valorem meritorum Chriſti; (aliter enim eorum valor non poſſet eſſe infinitus, cùm operum bonitas phyſica ſit limitata, & finita:) ita & dignitas finita gratiæ habitualis requiritur poſitiuè ad valorem finitum operum Chriſti.

9 *Secundum* eſt, gratiam iuſtificantem non conducere ad meritum condignum, vt conditionem ſolùm, ſed vt partem eſſentialiter conſtitutiuam meriti, ſaltem in obliquo. Patet, quia meritum non conſtituitur condignum per ſolam entitatem actus, vt liquet; ergo præter entitatem actus eſt aliud conſtitutiuum meriti in ratione condigni, nempe gratia. Firmatur, quia gratia eſt neceſſaria ad meritum condignum, vt conſtat; at non eſt neceſſaria mediâ alia entitate, quæ eſſentialiter medium condignum conſtituat, ſed immediatè ratione ſui: nam poſitâ aliâ quacumque re diſtinctâ à gratia, & abſente gratia, actus non eſſet meritorius de condigno, vt affirmant omnes: ergo ſeipſa immediatè eſt neceſſaria ad meritum condignum, ac per conſequens conſtitutiua immediatè illius.

10 *Tertium* eſt, gratiam iuſtificantem conferre actui meritorio æqualitatem proportionis cum beatitudinis præmio, quod tantum eſt, vt niſi euehantur opera ad ſtatum filiationis, & amicitiæ diuinæ, minimè æſtimet Deus proportionata, & æqualia tanto præmio. Ita expreſſe S. Thomas 1. 2. *quæſtione* 114. *articulo* 2. quem ſequuntur communiter Theologi. Et ratio eſt, quia gratia eſt neceſſaria ad meritum, quatenus condignum eſt præmio: at meritum quatenus eſt condignum præmio, eſt illi æquale, non æqualitate abſoluta, & Mathematica rei ad rem, ſed æqualitate reſpectiua, & ſolius proportionis, propter valorem operis, & dignitatem perſonæ in gratia exiſtentis: ergo ad meriti æqualitatem neceſſaria eſt gratia habitualis iuſtificans.

Ex his colligo *primò*, ad remiſſionem per ſe ſolùm venialium peccatorum, gratiam iuſtificantem tripliciter concurrere: primò negatiuè, remouendo indignitatem ſubiecti, expellendo ab illo omnem culpam mortalem: ſecundò poſitiuè in genere cauſæ formalis, conferendo condignitatem poſitiuam meriti, & ſatisfactionis dignæ, ac æqualitatem cum præmio: tertiò, effectiuè, producendo actus ſupernaturales ſatisfactorios, & meritorios. 11

Colligo *ſecundò*, cùm veniale per ſe ſolùm remittitur, ſemper augeri gratiam. Patet, quia illud opus, quo iuſtus meretur remiſſionem venialis, habet omnes conditiones neceſſarias ad meritum gratiæ, quia eſt actus procedens ab homine grato, & eſt bonus, ac liber, & ſupernaturalis. 12

Colligo *vltimò*, non quoties gratia augetur, remitti peccatum veniale, quod eſt in tali perſona; non enim hæc duo ſunt ſemper coniuncta; quia ex intenſione, vel augmento gratiæ non ſequitur per ſe, ac formaliter expulſio venialis peccati, vt liquet: nam poſt gratiam ſic intenſam poteſt ſimile veniale peccatum de nouo commiſſum ſimul cum illa eſſe, ac permanere; Neque etiam cum illo augmento gratiæ eſt neceſſariò coniunctus, aliquis actus, qui ſit incompoſſibilis cum veniali peccato, aut ſit ſufficiens diſpoſitio ad remiſſionem eius, quia poteſt veniale peccatum, verbi gratia, eſſe leue mendacium, & augmentum gratię fieri per actum eleemoſynæ, qui nullam habet proportionem ad remiſſionem illius culpæ. 13

SECTIO IV.

An homo iuſtus poſsit ſatisfacere de condigno, & ad æqualitatem pro veniali peccato?

PRæmitto præſentem difficultatem, antequam videamus, per quos actus remittantur venialia peccata: atque ea procedit de remiſſione venialis ſolius, vel per ſe extra Sacramentum. Et quamuis illam iam exagitaui in tractatu de *Incarnatione diſput.* 5. *ſect.* 8. iterùm eandem exagitandam ſuſcipio, propter quorundam recentiorum nobilium difficultates, & rationes, quas oportet modò examinare. 1

Certum autem videtur apud omnes, hominem iuſtum optimè poſſe diſponi ad remiſſionem venialium. Et patet, quia nemo negare poteſt Contritionem perfectam, verbi gratia, eſſe diſpoſitionem ſufficientem ad eorum remiſſionem. Nam ſi dicta Contritio de mortalibus eſt ſufficiens diſpoſitio ad eorum remiſſionem, à fortiori erit ſufficiens ad remittenda venialia, quorum remiſſio facilior eſt, ſicut ipſa offenſa eſt leuior. Quo præmiſſo; 2

Noſter Cardinalis de Lugo *diſput.* 5. *de Incarnatione, ſect.* 7. & *diſp.* 9. *de pœnitentia ſect.* 2. *n.* 16. & *ſequentibus*, Martinez de Ripalda *lib.* 4. *de ente ſupernaturali diſput* 97. *ſect.* 3. & alij cenſent Contritionem non tollere de condigno maculã venialis peccati; atque ideò non poſſe iuſtum ad æqualitatẽ ſatisfacere pro illa. 3

Probant

Probant *primò*, quia ſi per Contritionem ſatisfaceret homo condignè, & æqualiter, pro offenſa; eo ipſo tolleretur offenſa ſine vlla alia Dei condonatione; quia offenſa in tantum durat, in quantum offendens non ſatisfacit ſufficienter, vel offenſus non remittit; ergo eo ipſo quòd offenſor ſatisfacit ſufficienter, repugnat quòd intelligatur manere offenſa in ratione offenſæ, niſi adſit diuina condonatio. Vnde propter hanc rationem dixit Cardinalis Lugo in hac re Suarez non ſatis conſequenter proceſſiſſe, dum ex vna parte ponit Contritionem eſſe ſatisfactionem, & meritum condignum, & ex alia petit condonationem Dei, vt remittatur peccatum.

Reſpondebis, poſſe Deum non acceptare illam ſatisfactionem etiamſi ſit condigna; ſicut poteſt non acceptare noſtram ſatisfactionem pro pœna temporali, etiamſi ſit condigna; & æqualis. *Sed contrà* eſt manifeſta diſparitas; nam pœna debita ſubiecta eſt arbitrio iudicis, cui competit illam definire, & taxare, & non arbitrio delinquentis, qui debet ſuſtinere pœnam quam iudex decreuerit proportionatam culpæ; non enim obligatio pœnæ eſt ad ſe caſtigandum, ſed ad patiendum caſtigationem à iudice præſcriptam. Quare etiamſi delinquens ſeipſum acerbiſſimè caſtiget pro culpa, & acerbius etiam quàm à iudice decerni ſolet, ſi iudex nolit eam caſtigationem acceptare, & aliam decernat, tenetur delinquens ſuſtinere. At in culpa res aliter ſe habet, nam ſatisfactio non eſt imponenda ab offenſo, ſed offendens debet ſatisfacere, id eſt facere in ratione obſequij tantum, quantum arbitrio Prudentum ſatis ſit ad placandum offenſum: quod ſi fecerit, licèt ille non acceptet, non obſtat, quominus offenſor dicatur ſatisfeciſſe: quia obligatio ſatisfactionis pro offenſa eſt debitum agendi ſeu exhibendi offenſori obſequium æquale culpæ; atque adeò extinguitur ea obligatio, vbi tale obſequium æquale extiterit, etiamſi offenſor nolit illud acceptare.

Secundò, totus valor condignus obſequiorum iuſti in ratione meriti exhauritur augmento gratiæ, & gloriæ, quod condignè meretur; ergo non poteſt mereri vlterius de condigno remiſſionem culpæ venialis; aliter enim non daretur augmentum gratiæ, & gloriæ, ſecundùm totam condignitatem actus vel obſequij, ſed fieret vnum præmium adæquatum condignum ex augmento gratiæ, & gloriæ, & ex remiſſione peccati venialis.

Tertiò, nequit iuſtus per actum dilectionis, verbi gratia, ſimul mereri de condigno cum augmento gratiæ, & gloriæ, bona alia temporalia, diuitias, honores, & ſimilia; quia cùm valor condignus illius actus exhauriatur in augmento gratiæ, & gloriæ, ſolùm poteſt mereri de congruo hæc alia dona. Quo ferè argumento vtitur Suarez *lib.* 12. *de merito c.* 26. *num.* 30. *& ſequentibus*, ad probandum, nullo modo cadere bona temporalia ſub meritum condignum hominis iuſti.

Quartò, cùm remuneratio obſequij non eſt adæquata valori ipſius, & ſupereſt obſequio irremuneratus valor, poteſt eo ſuperſtite valore, obſequium ſatisfacere pro offenſa: ſic merita Chriſti Domini ſatisfecerunt pro hominum peccatis, quia valor infinitus eorum nullo adæquato præmio compenſatur, ſempérque ei ſuperſtes relinquitur valor infinitus, quo poſſint ſatisfacere: ergo cùm Deus acceptet totum valorem meritorum iuſti, titulo remunerationis adæquato ad gratiam, & gloriam, nequeunt illa deſeruire ad ſoluendam offenſam venialem, & ad illam omninò extinguendam de condigno. Firmatur, nam inter homines offenſor non ſatisfacit pro offenſa, nec illam extinguit per obſequia mercede conducta, aut quæ offenſus abſque conductione iuxta eorum condignitatem remuneratur, acceptante remunerationem offenſore; non vltra eiuſmodi obſequia iure poteſt offenſus exigere alia ratione offenſæ, cùm ratione offenſæ debita ei ſint obſequia ab omni remuneratione libera. At eadem ratio verſatur inter hominem, & Deum. Igitur homo non poteſt ſatisfacere Deo pro peccato veniali per obſequia, quæ Deus conductâ mercede gratiæ & gloriæ de condigno remuneratur. Nam vbi Deus ea acceptaret titulo remunerationis, poteſt iure exigere alia titulo offenſæ venialis culpæ, cùm ei hoc titulo debita ſint obſequia nulli remunerationi expoſita.

Vltimò, peccatum veniale, licèt ſit offenſa leuis, eſt tamen culpa, cui condignè & iuſtè correſpondet grauiſſima purgatorij pœna, cui omnes cruciatus huius vitæ nequeunt adæquari: ergo ſicut ſufficit ad patiendum debitum pœnæ tantæ, & tam acerbæ, quia propter eius fœditatem valdè expedit acerbitate pœnæ, homines ab ea deterrere; ita etiam expedit in ratione offenſæ parere difficultatem maximam placandi Deum condignè, & ſatisfaciendi, vt ipsâ etiam difficultate veniæ terreantur homines ab eiuſmodi offenſis committendis. Firmatur idem; nam peccatum mortale licèt non habeat malitiam infinitam ſimpliciter, fundat tamen pœnam infinitam, vt terreantur homines ſufficienter ab eo patrando, & fundat impoſſibilitatem ſatisfaciendi propter eandem rationem, ne facilitate veniæ vileſcat iniuria Dei; ergo ſimiliter veniale peccatum, licèt non pariat omnimodam impoſſibilitatem ſatisfaciendi, parere tamen debet maximam difficultatem in ſatisfaciendo, ne vileſcat offenſa facilitate ſatisfaciendi: atque adeò non debet tolli per ſatisfactionem noſtram condignam, ſed per remiſſionem Dei.

In hac re, Dico *primò*, hominem iuſtum poſſe de condigno ſatisfacere pro peccatis venialibus in Deum commiſſis. Hæc eſt communior Theologorum ſententia. Ratio à priori hæc eſt, quia iuſtus poteſt exhibere Deo obſequia, quæ in valore, & æſtimatione morali adæquentur offenſis venialium peccatorum, imò & ſuperent illas; quoniam veniale peccatum eſt offenſa leuiſſima, & defectus leues inter amicos non impediunt, quominùs inferior amicus exhibeat ſuperiori, & excellentiori obſequium æqualis, aut maioris momenti in æſtimatione morali, quàm leuis offenſa. Videantur circa hanc rationem dicta à nobis *diſputatione* 5. *citata de Incarnatione*, *ſect.* 8. *num.* 2. Firmò idem, nam ſatisfactio condigna pro offenſa leui inter amicos cenſetur illa, quâ poſitâ, iuxta leges amicitiæ deponenda eſt indignatio aduerſus amicum offenſorem concepta, legibúſque amicitiæ aduerſatur, ſi non placetur offenſus, & reconcilietur offenſori. At plura ſunt obſequia quibus regulariter id competat; vt ſi amicus offenſor ſe ſubmittat offenſo, & cum vero dolore veniam petat, & in culpæ ſuæ vindictam pœnas luat, & alia ſimilia. Quis enim neget amicitiæ leges prohibere indignationem, & vindictam culpæ leuis ex inaduertentia, vel ex vehementi paſſione, vel ex humana fragilitate ab amico commiſſæ, ſi is amico vltronea, & magna obſequia ad placandum exhibeat? nam leges naturales amicitiæ etiam eum deuinciunt, & aliud non permittunt. Fieri igitur poteſt Deo ſatisfactio condigna ab amicis, & hominibus iuſtis pro leuibus offenſis in eum commiſſis. 4

Dico *ſecundò*, actum Charitatis, vel perfectæ Contritionis elicitum ab homine iuſto, eſſe ſatisfactorium de condigno pro veniali peccato. Ita Scotus, Durandus, 5

Digitized by Google

Gabriel, Ricardus, Paludanus, & alij quos refert, & ſequitur Suarez 1. *tom. in 3. part. diſput.* 4. *ſect.* 11. Ratio videtur ſatis efficax, quia ad ſatisfactionem condignam, & æqualem pro culpa, ſufficit actus æqualis bonitatis, valoris, ac meriti cum malitia, & demerito culpæ; ſed actus Charitatis vel Contritionis deteſtantis efficaciter peccata venialia ſunt ſaltem æqualis bonitatis, valoris, & meriti cum malitia culpæ leuis; ergo. Minor probatur, quia eiuſmodi actus in noſtra ſententia vltimò diſponunt peccatorem ad conſtituendum iuſtum, & amicum Dei; & in aliorum probabili ſententia ſunt actus ſanctificantes illum: at veniale peccatum nec ſufficit ad conſtituendum hominem inimicum Deo, nec vltimò ad id diſponunt. Prætereà eiuſmodi actus nobiliori modo attingunt Deum, & ad illum conuertunt hominem, & ſunt abſolutè & ſimpliciter obſequia diuina valdè grata: at veniales culpæ non auertunt perfectè, & efficaciter à Deo, nec ſunt abſolutè & ſimpliciter offenſæ diuinæ, ſed tantùm ſecundùm quid. Rursùs eiuſmodi actus merentur de condigno præmium gratiæ, & gloriæ æternæ: at culpa leuis non meretur de condigno pœnam æternam amiſſionis, nec diminutionis gratiæ, & gloriæ. Denique procedunt à perſona iuſta & amica Dei: Igitur nihil deeſt illis ad condignam, & iuſtam ſatisfactionem.

6 Dico *tertiò*, ſatisfactionem, quam homo iuſtus exhibere poteſt pro veniali culpa, tametſi ſit æqualis, & condigna, adhuc nihilominùs requirere diuinam acceptationem, ſeu ordinationem. Ita rectè & conſequenter Suarez *loco citato*. Ratio à priori eſt, quia nihil poteſt Deo in ſatisfactionem offerri ab homine iuſto, quod multis aliis titulis non debeatur ei, propter quos ſolos poſſet Deus illos actus exigere, vel acceptare ſine vllo ordine, vel reſpectu ad ſatisfactionem pro veniali culpa, vt per ſe notum eſt: quia illi debentur titulo iuſtitiæ, quia eſt omnium Dominus; titulo gratitudinis, pro beneficiis acceptis; titulo religionis, propter omne genus cultus quod illi debetur ob ſupremam & diuinam excellentiam; titulo denique Charitatis ob eius infinitam bonitatem: ergo neceſſaria eſt omninò diuina acceptatio, vel ordinatio ad hunc finem ſatisfaciendi pro veniali culpa; quia poſſet Deus acceptare pro aliis obligationibus, & non pro remiſſione venialis culpæ, & pœnæ. Vnde patet manifeſtum diſcrimen ſatisfactionis Chriſti pro remiſſione peccatorum noſtrorum, prout ſunt iniuriæ, & offenſæ Dei; & ſatisfactionis hominis iuſti pro culpa veniali, prout eſt iniuria Dei, etſi leuis. Nam ſatisfactio Chriſti non ita adæquatè exigi potuit à Deo, titulo religionis, gratitudinis, obedientiæ, vel etiam iuſtitiæ, quin etiam ſufficeret pro debito peccatorum noſtrorum ex rigoroſa iuſtitia; quoniam valor ſatisfactionis Chriſti potens eſt ad omnia, & infinita debita: nam omnia debita ſimul accepta non ſuperant æſtimationem moralem infinitam perſonæ, vel Deitatis dignificantis humanitatem, & actiones ipſius, ac proinde potuit Chriſtus pro omnibus illis ſimul collectiuè ſatisfacere ex rigoroſa iuſtitia. At ſatisfactio hominis iuſti cùm ſit finita, & limitata, facilè exhauritur, ſi aliis titulis petatur; atque ideò non poterit de condigno, ſeu ad æqualitatem ſe extendere ad ſoluendam offenſam venialem, ſeu ad illam extinguendam, niſi à Deo acceptetur, & præcedat eius ordinatio, ſeu promiſſio ſub conditione talis operis.

7 Quòd verò de facto ſit prædicta Dei acceptatio, vel ordinatio, ſeu promiſſio Dei ſub conditione noſtrorum operum æquiualentium in ordine ad remiſſionem venialium, colligunt Doctores *ex Matth.* 6. & *Lucæ*, 11. ex oratione Dominica. Vbi Chriſtus Dominus, poſtquam fideles omnes accendit titulo Patris in dilectionem Dei, præmittit plures, & altiſſimos Charitatis actus, ſic dicens; *Sanctificetur nomen tuum; adueniat regnum tuum; fiat voluntas tua ſicut in cælo, & in terra*, &c. tandem monet orare pro remiſſione peccatorum; *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus*, &c. Quam orationem pro venialibus peccatis ab omnibus fidelibus etiam ſanctiſſimis faciendam, docuiſſe Chriſtum, conſtat ex Concilio Tridentino *ſeſſion.* 6. *cap.* 11. Igitur peccata venialia vt remittantur per actum Charitatis, indigent Dei fauore, acceptatione, & remiſſione. Idem probatur de Contritione, ſeu Pœnitentia: 1. *Ioann.* 1. Vbi agens de peccatis venialibus, iuxta communem Patrum explicationem, ait. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* Ac ſtatim addit. *ſi confiteamur peccata noſtra: fidelis eſt, & iuſtus vt remittat nobis peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate.* Vbi poſt Confeſſionem & Pœnitentiam ſeu Contritionem peccatorum venialium; (de his enim præſertim loquitur Ioannes, vt ibi notauit S. Auguſtinus *tract.* 1.) aſſeuerat dimitti nobis: & in eorum remiſſione, dicit ſe habere Deum vt fidelem, & vt iuſtum: fidelitati enim, ac iuſtitiæ diuinæ tribuit hunc effectum; fidelitati quidem, propter Dei promiſſionem; & iuſtitiæ, quia talem promiſſionem promittit ſub conditione operis æquiualentis, nempe Contritionis condignæ, & ad æqualitatem ſufficientis. Quare reipſa, & de facto, iuxta præſentem Dei prouidentiam, iuſtus per actus Contritionis, & dilectionis Dei, quæ ſunt opera æquiualentia, ſatisfacit de condigno, & ad æqualitatem pro culpis venialibus. Vnde eſt connaturale gratiæ, vt per dicta opera æquiualentia poſſit iuſtus expellere venialia peccata; eſtque illi debitum debito connaturalitatis vt opera iuſti acceptentur in ſatisfactionem pro culpis venialibus. Nihilominùs tamen Deus de abſoluta potentia potuiſſet vt Dominus omnium, non acceptare ſatisfactionem hominis iuſti pro veniali peccato; quia potuiſſet non promittere, cùm hoc fuerit ei liberum: at ſecluſa promiſſione nihil eſt quod Deum neceſſitet ad acceptandum.

Ad argumenta oppoſita. Ad primum, negandum eſt 8
ſatisfactionem de ſe condignam, & æqualem offenſæ, ſemper eo ipſo tollere ſeu extinguere offenſam abſque alia Dei acceptatione, ſeu promiſſione, aut condonatione: quia, vt dictum eſt, illud idem opus ſatisfactorium, cùm poſſit Deus exigere, & ſit illi debitum aliis titulis, ſi non adſit eius acceptatio in ordine ad remiſſionem culpæ venialis, non erit in actu ſecundo ſatisfactorium. Hoc idem obicendum iudico de ſatisfactione inter homines: nam ſi opus aliquod de ſe ſatisfactorium iniuriæ illatæ, ſit perſonæ offenſæ debitum alio ſimili titulo ſtricto, non poterit eſſe remiſſiuum offenſæ, tametſi cenſeatur eſſe æquale illi, abſque illius acceptatione. Vt ſi verbi gratia ad delendam iniuriam illatam, cenſeatur eſſe æquale obſequium ad illam extinguendam exhibitio centum aureorum ipſi perſonæ offenſæ, & ipſe offenſor prædictam quantitatem deberet perſonæ offenſæ alio titulo diſtincto, vel promiſſionis, vel reſtitutionis; certum eſt eſſe neceſſariò prærequiſitam perſonæ offenſæ acceptationem, quâ velit, & acceptet illa centum in recompenſationem offenſæ, ſeu iniuriæ illatæ, quia poterat illam quantitatem ſibi aſſumere, vt ſibi debitam alio titulo, & non titulo recompenſationis iniuriæ. Quando verò ſatisfactio eſt condigna in ordine ad ablationem iniuriæ

iuriæ

iuriæ vel offenſæ, ſi non eſt alio titulo debita, omninò extinguit debitum ſine vlla acceptatione offenſi: quia cùm offenſa procedat ex eo quòd aliquid ablatum fuerit per modum damni, ex eo quòd reddatur æquale, iam dãnum eſt reparatum, & tollitur debitũ, quia in prudenti æſtimatione tantùm durat offenſa vnius in alium, id eſt, tandiu eſt rationabiliter auerſus, quandiu illi ſatisfactum non eſt; eo ipſo verò quo illi ſit ſatisfactum, offenſa eſt extincta, & ſatisfactio cogit ad remiſſionem.

9 Ad ſecundum Dico, totum valorem condignum obſequiorum iuſti, in ratione meriti, non exhauriri præciſè ſolo augmento gratiæ, & gloriæ, ſed extendi quoque ad ea, quæ ſunt connexa cum tali præmio gratiæ, & gloriæ. Qui enim meretur de condigno aliquam formam, meretur quoque quidquid connaturaliter ſequitur ex tali forma, vel ei connexum eſt, vel ei connaturaliter debetur. Vnde hac de cauſa, qui meretur augmentum gratiæ, meretur quoque augmentum omnium donorum, & virtutum infuſarum; quia id connaturaliter ſequitur, vel connexum eſt augmento gratiæ, & ipſi eſt connaturaliter debitum. Igitur qui meretur gloriam, vel augmentum gloriæ, cùm mereatur illius realem conſecutionem, & exhibitionem, conſequenter quoque, & eodem modo poteſt mereri ſimul remiſſionem venialium, quin aliquid detrahatur de ipſo augmento gratiæ, & gloriæ; quia nimirùm prædicta remiſſio eſt connexa cum conſecutione gloriæ cadentis ſub meritum de condigno: conſtat enim, venialia peccata impedire, ſeu retardare ipſius gloriæ realem exhibitionem, vel conſecutionem reipſa executioni mandandam. Obiicit Cardinalis de Lugo, remiſſionem culpæ venialis ante mortem, non eſſe neceſſariam ad executionem gloriæ, ac proinde eſſe nouum præmium vltra augmentum gratiæ, & gloriæ. Occurro tamen, concedendo, eſſe nouum præmium, ſed connexum; quia tametſi in morte poſſit tolli illud impedimentum, nihilominùs tamen ipſi præmio conſecutionis gloriæ debitum eſt quaſi iure connaturalitatis, vt etiam in vita, illicò adhibita condignâ ſatisfactione, prędictum impedimentum tollatur, vt nimirum ipſa gloriæ conſecutio, quæ iam cecidit ſub meritum, ſit omninò præparata, & expedita abſque vlla retardatione ex parte iuſti. Firmo hoc idem, quia negari non poteſt, debitum eſſe gratiæ, vt ſubiectum ſanctificatum per ipſum non excludatur ab hæreditate, & regno quod illi reſpondet: ergo eſt gratiæ ipſi connaturale poſſe expellere à ſuo ſubiecto ſanctificato veniales culpas ſatisfaciendo pro illis. Igitur quomodocumque ſit anima cum gratia, & peccato veniali, ſiue coniuncta ſit, ſiue ſeparata, ſemper eſt potens per gratiam ad expellendum ab illa veniales culpas, ſatisfaciendo pro illis, vel merendo remiſſionem earum. Conſtat igitur, ſi conſideretur natura gratiæ, & venialis culpæ, & meritum vnius, ac debitum alterius, ſiue coniuncta ſit anima, ſiue ſeparata, in qua eſt ipſa gratia, ſemper eſſe illi connexum præmium expellendi veniales culpas, ne impediãt, frui gloriâ hominem iuſtum habentem veniales culpas. Ex quo manifeſtè infertur, cùm acceptet Deus opera hominis iuſti ad venialium remiſſionem; & ea ſit connexa cum præmio gloriæ obtinendo, vt probatum eſt, totum id conſtituere vnum adæquatum præmium operis meritorij, ac ſatisfactorij, abſque vlla detractione, vel diminutione gratiæ, & gloriæ tali merito debitæ.

10 Ad tertium, diuerſa eſt ratio: nam bona temporalia etiam in ordine ad ſpiritualem ſalutem; ideò non cadunt ſub meritum de cõdigno, quia vt rectè docet Suarez citatus, prædicta bona non ſunt ſimpliciter neceſſaria ad perſeuerandum in gratia, cùm ad hoc ſola voluntas ſufficiat, quando ex defectu temporalium bonorum impotentia intercedat. Qua etiam de cauſa, auxilia gratiæ congrua non cadunt ſub meritum condignum hominis iuſti, benè verò auxilia ſufficientia, quæ ſunt ſimpliciter neceſſaria ad poteſtatem perſeuerandi; quia hæc debentur gratiæ, & cuilibet gradui eius, ac proinde qui meretur de condigno gratiæ augmentum, conſequenter etiam, & eodem modo hæc auxilia meretur. Similiter igitur cùm de facto, ac de lege Dei, ac ſecundum præſentem ipſius ordinationem, remiſſio venialium ſit ſimpliciter neceſſaria, & debeat præcedere gloriæ conſecutionem, oportet vt iuſtus per ſua opera ſupernaturalia, & ſatisfactoria, ſicut condignè meretur gloriam, eiúſque conſecutionem; ita condignè mereatur extinctionem venialium, quæ impedire poſſunt, ac retardare illius executionem, ſeu conſecutionem.

Ad quartum, admiſſo Antecedente, dico ad Conſequentiam, Deum acceptare totum valorem meritorium iuſti titulo remunerationis adæquato, non ſolùm ad gratiam, & gloriam, ſed etiam ad ſoluendam venialem offenſam: hoc enim connexum eſt cum expedita executione, & exhibitione ipſius gloriæ, vt dictum eſt. Ad Confirmationem conſtat ex *numero decimo*. 11

Ad vltimum, Reſpondeo, verum eſſe culpæ veniali reſpondere aliquando grauiſſimam purgatorij pœnam, & talem, vt nequeat obſequium iuſti eſſe æqualiter ſatisfactorium pro tota illa; hinc tamen non ſequitur, quòd obſequium vel opus iuſti non ſit æqualiter ſatisfactorium pro tota culpa, & macula veniali; quia licèt pœnalitas operis non ſit illi æqualis; eſt tamen æqualis bonitas, & valor ipſius, cui ſolùm attenditur ad expiandam ipſam culpam. Ad Confirmationem, negamus impoſſibilitatem ſatisfaciendi de condigno pro peccato mortali proprio fundari in difficultate veniæ, ne vileſcat iniuria Dei, ſed in ipſa vilitate, & indignitate peccatoris, qui cùm ſit inimicus Dei, nequit obtinere tale præmium, ſed ſolùm ſe diſponere ad obtinendum illud ex gratia, & miſericordia Dei: at opus iuſti ex ſe condignum, & æquale ad venialis peccati remiſſionem, non eſt cur tali præmio priuetur, ob cauſandum terrorem hominibus, qui ſufficienter detineri debent ab eius perpetratione ob pœnam acerbiſſimam illi debitam in purgatorio, & propter affectum placendi Deo, & liberandi ſe ab omni macula etiam leuiſſima, vt ſint Deo magis grati, & dilecti. 12

SECTIO V.

Quomodo venialis culpa remittatur per actus perfectæ Contritionis, & dilectionis Dei?

TAmetſi veniale peccatum poſſit tolli de potentia abſoluta ſine vllo actu, ſicut dixi *ſuprà diſputat.* 8. *ſect.* 6. ſine vllo actu poſſe tolli peccatum mortale, quod grauius eſt; de facto tamen ad illius remiſſionem extra Sacramentum ſemper requiritur aliquis actus. 1

Quod attinet ad actum perfectæ Contritionis, iam conſtat *primò*, ex præcedenti ſectione, Contritionem eſſe condignam ſatisfactionem in homine iuſto pro veniali, cuius eſt retractatio: quia nullum opus Pœnitentiæ elici poteſt ab homine iuſto, quod maiorem proportionem habeat, & æqualitatem vt ſit ſatisfactio pro veniali, quàm actus perfectæ Contritionis, qui eſt actus ex ſuo obiecto excellentiſſimus, procedens ex ſupremo 2

Digitized by Google

Gabriel, Ricardus, Paludanus, & alij quos refert, & ſequitur Suarez 1. *tom. in 3. part. diſput. 4. ſect.* 11. Ratio videtur ſatis efficax, quia ad ſatisfactionem condignam, & æqualem pro culpa, ſufficit actus æqualis bonitatis, valoris, ac meriti cum malitia, & demerito culpæ; ſed actus Charitatis vel Contritionis deteſtantis efficaciter peccata venialia ſunt ſaltem æqualis bonitatis, valoris, & meriti cum malitia culpæ leuis; ergo. Minor probatur, quia eiuſmodi actus in noſtra ſententia vltimò diſponunt peccatorem ad conſtituendum iuſtum, & amicum Dei; & in aliorum probabili ſententia ſunt actus ſanctificantes illum: at veniale peccatum nec ſufficit ad conſtituendum hominem inimicum Deo, nec vltimò ad id diſponunt. Prætereà eiuſmodi actus nobiliori modo attingunt Deum, & ad illum conuertunt hominem, & ſunt abſolutè & ſimpliciter obſequia diuina valdè grata: at veniales culpæ non auertunt perfectè, & efficaciter à Deo, nec ſunt abſolutè & ſimpliciter offenſæ diuinæ, ſed tantùm ſecundum quid. Rurſus eiuſmodi actus merentur de condigno præmium gratiæ, & gloriæ æternæ. at culpa leuis non meretur de condigno pœnam æternam amiſſionis, nec diminutionis gratiæ, & gloriæ. Denique procedunt à perſona iuſta & amica Dei: Igitur nihil deeſt illis ad condignam, & iuſtam ſatisfactionem.

6 Dico *tertiò*, ſatisfactionem, quam homo iuſtus exhibere poteſt pro veniali culpa, tametſi ſit æqualis, & condigna, adhuc nihilominùs requirere diuinam acceptationem, ſeu ordinationem. Ita rectè & conſequenter Suarez *loco citato.* Ratio à priori eſt, quia nihil poteſt Deo in ſatisfactionem offerri ab homine iuſto, quod multis aliis titulis non debeatur ei, propter quos ſolos poſſet Deus illos actus exigere, vel acceptare ſine vllo ordine, vel reſpectu ad ſatisfactionem pro veniali culpa, vt per ſe notum eſt: quia illi debentur titulo iuſtitiæ, quia eſt omnium Dominus; titulo gratitudinis, pro beneficiis acceptis; titulo religionis, propter omne genus cultus quod illi debetur ob ſupremam & diuinam excellentiam; titulo denique Charitatis ob eius infinitam bonitatem: ergo neceſſaria eſt omninò diuina acceptatio, vel ordinatio ad hunc finem ſatisfaciendi pro veniali culpa; quia poſſet Deus acceptare pro aliis obligationibus, & non pro remiſſione venialis culpæ, & pœnæ. Vnde patet manifeſtum diſcrimen ſatisfactionis Chriſti pro remiſſione peccatorum noſtrorum, prout ſunt iniuriæ, & offenſæ Dei; & ſatisfactionis hominis iuſti pro culpa veniali, prout eſt iniuria Dei, etſi leuis. Nam ſatisfactio Chriſti non ita adæquatè exigi potuit à Deo, titulo religionis, gratitudinis, obedientiæ, vel etiam iuſtitiæ, quin etiam ſufficeret pro debito peccatorum noſtrorum ex rigoroſa iuſtitia; quoniam valor ſatisfactionis Chriſti potens eſt ad omnia, & infinita debita: nam omnia debita ſimul accepta non ſuperant æſtimationem moralem infinitam perſonæ, vel Deitatis dignificantis humanitatem, & actiones ipſius, ac proinde potuit Chriſtus pro omnibus illis ſimul collectiuè ſatisfacere ex rigoroſa iuſtitia. At ſatisfactio hominis iuſti cùm ſit finita, & limitata, facilè exhauritur, ſi aliis titulis petatur; atque ideò non poterit de condigno, ſeu ad æqualitatem ſe extendere ad ſoluendam offenſam venialem, ſeu ad illam extinguendam, niſi à Deo acceptetur, & præcedat eius ordinatio, ſeu promiſſio ſub conditione talis operis.

7 Quòd verò de facto ſit prædicta Dei acceptatio, vel ordinatio, ſeu promiſſio Dei ſub conditione noſtrorum operum æquiualentium in ordine ad remiſſionem venialium, colligunt Doctores ex *Matth.* 6. & *Luca*, 11. ex oratione Dominica. Vbi Chriſtus Dominus, poſtquam fideles omnes accendit titulo Patris in dilectionem Dei, præmittit plures, & altiſſimos Charitatis actus, ſic dicens; *Sanctificetur nomen tuum; adueniat regnum tuum; fiat voluntas tua ſicut in cælo, & in terra*, &c. tandem monet orare pro remiſſione peccatorum; *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus*, &c. Quam orationem pro venialibus peccatis ab omnibus fidelibus etiam ſanctiſſimis faciendam, docuiſſe Chriſtum, conſtat ex Concilio Tridentino *ſeſſion.* 6. *cap.* 11. Igitur peccata venialia vt remittantur per actum Charitatis, indigent Dei fauore, acceptatione, & remiſſione. Idem probatur de Contritione, ſeu Pœnitentia: 1. *Ioann.* 1. Vbi agens de peccatis venialibus, iuxta communem Patrum explicationem, ait. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* Ac ſtatim addit. *ſi confiteamur peccata noſtra: fidelis eſt, & iuſtus vt remittat nobis peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate.* Vbi poſt Confeſſionem & Pœnitentiam ſeu Contritionem peccatorum venialium; (de his enim præſertim loquitur Ioannes, vt ibi notauit S. Auguſtinus *tract.* 1.) aſſeuerat dimitti nobis: & in eorum remiſſione, dicit ſe habere Deum vt fidelem, & vt iuſtum: fidelitati enim, ac iuſtitiæ diuinæ tribuit hunc effectum; fidelitati quidem, propter Dei promiſſionem; & iuſtitiæ, quia talem promiſſionem promittit ſub conditione operis æquiualentis, nempe Contritionis condignæ, & ad æqualitatem ſufficientis. Quare reipſa, & de facto, iuxta præſentem Dei prouidentiam, iuſtus per actus Contritionis, & dilectionis Dei, quæ ſunt opera æquiualentiæ, ſatisfacit de condigno, & ad æqualitatem pro culpis venialibus. Vnde eſt connaturale gratiæ, vt per dicta opera æquiualentia poſſit iuſtus expellere venialia peccata; eſtque illi debitum debito connaturalitatis vt opera iuſti acceptentur in ſatisfactionem pro culpis venialibus. Nihilominùs tamen Deus de abſoluta potentia potuiſſet vt Dominus omnium, non acceptare ſatisfactionem hominis iuſti pro veniali peccato; quia potuiſſet non promittere, cùm hoc fuerit ei liberum: at ſecluſâ promiſſione nihil eſt quod Deum neceſſitet ad acceptandum.

Ad argumenta oppoſita. Ad primum, negandum eſt 8 ſatisfactionem de ſe condignam, & æqualem offenſæ, ſemper eo ipſo tollere ſeu extinguere offenſam abſque alia Dei acceptatione, ſeu promiſſione, aut condonatione: quia, vt dictum eſt, illud idem opus ſatisfactorium, cùm poſſit Deus exigere, & ſit illi debitum aliis titulis, ſi non adſit eius acceptatio in ordine ad remiſſionem culpæ venialis, non erit in actu ſecundo ſatisfactorium. Hoc idem obicendum iudico de ſatisfactione inter homines: nam ſi opus aliquod de ſe ſatisfactorium iniuriæ illatæ, ſit perſonæ offenſæ debitum alio ſimili titulo ſtricto, non poterit eſſe remiſſiuum offenſæ, tametſi cenſeatur eſſe æquale illi, abſque illius acceptatione. Vt ſi verbi gratia ad delendam iniuriam illatam, cenſeatur eſſe æquale obſequium ad illam extinguendam exhibitio centum aureorum ipſi perſonæ offenſæ, & ipſe offenſor prædictam quantitatem deberet perſonæ offenſæ alio titulo diſtincto, vel promiſſionis, vel reſtitutionis; certum eſt eſſe neceſſariò prærequiſitam perſonæ offenſæ acceptationem, quâ velit, & acceptet illa centum in recompenſationem offenſæ, ſeu iniuriæ illatæ, quia poterat illam quantitatem ſibi aſſumere, vt ſibi debitam alio titulo, & non titulo recompenſationis iniuriæ. Quando verò ſatisfactio eſt condigna in ordine ad ablationem iniuriæ

Digitized by Google

iuriæ vel offenſæ, ſi non eſt alio titulo debita, omninò extinguit debitum ſine vlla acceptatione offenſi: quia cùm offenſa procedat ex eo quòd aliquid ablatum fuerit per modum damni, ex eo quòd reddatur æquale, iam dãnum eſt reparatum, & tollitur debitũ, quia in prudenti æſtimatione tantùm durat offenſa vnius in alium, id eſt, tandiu eſt rationabiliter auerſus, quandiu illi ſatisfactum non eſt; eo ipſo verò quo illi ſit ſatisfactum, offenſa eſt extincta, & ſatisfactio cogit ad remiſſionem.

9 Ad ſecundum Dico, totum valorem condignum obſequiorum iuſti, in ratione meriti, non exhauriri præcisè ſolo augmento gratiæ, & gloriæ, ſed extendi quoque ad ea, quæ ſunt connexa cum tali præmio gratiæ, & gloriæ. Qui enim meretur de condigno aliquam formam, meretur quoque quidquid connaturaliter ſequitur ex tali forma, vel ei connexum eſt, vel ei connaturaliter debetur. Vnde hac de cauſa, qui meretur augmentum gratiæ, meretur quoque augmentum omnium donorum, & virtutum infuſarum; quia id connaturaliter ſequitur, vel connexum eſt augmento gratiæ, & ipſi eſt connaturaliter debitum. Igitur qui meretur gloriam, vel augmentum gloriæ, cùm mereatur illius realem conſecutionem, & exhibitionem, conſequenter quoque, & eodem modo poteſt mereri ſimul remiſſionem venialium, quin aliquid detrahatur de ipſo augmento gratiæ, & gloriæ; quia nimirùm prædicta remiſſio eſt connexa cum conſecutione gloriæ cadentis ſub meritum de condigno: conſtat enim, venialia peccata impedire, ſeu retardare ipſius gloriæ realem exhibitionem, vel conſecutionem reipſa executioni mandandam. Obiicit Cardinalis de Lugo, remiſſionem culpæ venialis ante mortem, non eſſe neceſſariam ad executionem gloriæ, ac proinde eſſe nouum præmium vltra augmentum gratiæ, & gloriæ. Occurro tamen, concedendo, eſſe nouum præmium, ſed connexum; quia tametſi in morte poſſit tolli illud impedimentum, nihilominùs tamen ipſi præmio conſecutionis gloriæ debitum eſt quaſi iure connaturalitatis, vt etiam in vita, illicò adhibita condignâ ſatisfactione, prędictum impedimentum tollatur, vt nimirum ipſa gloriæ conſecutio, quæ iam cecidit ſub meritum, ſit omninò præparata, & expedita abſque vlla retardatione ex parte iuſti. Firmo hoc idem, quia negari non poteſt, debitum eſſe gratiæ, vt ſubiectum ſanctificatum per ipſum non excludatur ab hæreditate, & regno quod illi reſpondet: ergo eſt gratiæ ipſi connaturale poſſe expellere à ſuo ſubiecto ſanctificato veniales culpas ſatisfaciendo pro illis. Igitur quomodocumque ſit anima cum gratia, & peccato veniali, ſiue coniuncta ſit, ſiue ſeparata, ſemper eſt potens per gratiam ad expellendum ab illa veniales culpas, ſatisfaciendo pro illis, vel merendo remiſſionem earum. Conſtat igitur, ſi conſideretur natura gratiæ, & venialis culpæ, & meritum vnius, ac debitum alterius, ſiue coniuncta ſit anima, ſiue ſeparata, in qua eſt ipſa gratia, ſemper eſſe illi connexum præmium expellendi veniales culpas, ne impediãt, frui gloriâ hominem iuſtum habentem veniales culpas. Ex quo manifestè infertur, cùm acceptet Deus opera hominis iuſti ad venialium remiſſionem; & ea ſit connexa cum præmio gloriæ obtinendo, vt probatum eſt, totum id conſtituere vnum adæquatum præmium operis meritorij, ac ſatisfactorij, abſque vlla detractione, vel diminutione gratiæ, & gloriæ tali merito debitæ.

10 Ad tertium, diuerſa eſt ratio: nam bona temporalia etiam in ordine ad ſpiritualem ſalutem; ideò non cadunt ſub meritum de cõdigno, quia vt rectè docet Suarez citatus, prædicta bona non ſunt ſimpliciter neceſſaria ad perſeuerandum in gratia, cùm ad hoc ſola voluntas ſufficiat, quando ex defectu temporalium bonorum impotentia intercedat. Qua etiam de cauſa, auxilia gratiæ congrua non cadunt ſub meritum condignum hominis iuſti, benè verò auxilia ſufficientia, quæ ſunt ſimpliciter neceſſaria ad poteſtatem perſeuerandi; quia hæc debentur gratiæ, & cuilibet gradui eius, ac proinde qui meretur de condigno gratiæ augmentum, conſequenter etiam, & eodem modo hæc auxilia meretur. Similiter igitur cùm de facto, ac de lege Dei, ac ſecundum præſentem ipſius ordinationem, remiſſio venialium ſit ſimpliciter neceſſaria, & debeat præcedere gloriæ conſecutionem, oportet vt iuſtus per ſua opera ſupernaturalia, & ſatisfactoria, ſicut condignè meretur gloriam, eiúſque conſecutionem; ita condignè mereatur extinctionem venialium, quæ impedire poſſunt, ac retardare illius executionem, ſeu conſecutionem.

Ad quartum, admiſſo Antecedente, dico ad Conſequentiam, Deum acceptare totum valorem meritorium iuſti titulo remunerationis adæquato, non ſolùm ad gratiam, & gloriam, ſed etiam ad ſoluendam venialem offenſam: hoc enim connexum eſt cum expedita executione, & exhibitione ipſius gloriæ, vt dictum eſt. Ad Confirmationem conſtat ex *numero decimo*. 11

Ad vltimum, Reſpondeo, verum eſſe culpæ veniali reſpondere aliquando grauiſſimam purgatorij pœnam, & talem, vt nequeat obſequium iuſti eſſe æqualiter ſatiſfactorium pro tota illa; hinc tamen non ſequitur, quòd obſequium vel opus iuſti non ſit æqualiter ſatiſfactorium pro tota culpa, & macula veniali; quia licèt pœnalitas operis non ſit illi æqualis; eſt tamen æqualis bonitas, & valor ipſius, cui ſolùm attenditur ad expiandam ipſam culpam. Ad Confirmationem, negamus impoſſibilitatem ſatisfaciendi de condigno pro peccato mortali proprio fundari in difficultate veniæ, ne vileſcat iniuria Dei, ſed in ipſa vilitate, & indignitate peccatoris, qui cùm ſit inimicus Dei, nequit obtinere tale præmium, ſed ſolùm ſe diſponere ad obtinendum illud ex gratia, & miſericordia Dei: at opus iuſti ex ſe condignum, & æquale ad venialis peccati remiſſionem, non eſt cur tali præmio priuetur, ob cauſandum terrorem hominibus, qui ſufficienter detineri debent ab eius perpetratione ob pœnam acerbiſſimam illi debitam in purgatorio, & propter affectum placendi Deo, & liberandi ſe ab omni macula etiam leuiſſima, vt ſint Deo magis grati, & dilecti. 12

SECTIO V.

Quomodo venialis culpa remittatur per actus perfectæ Contritionis, & dilectionis Dei?

Tametſi veniale peccatum poſſit tolli de potentia abſoluta ſine vllo actu, ſicut dixi *ſuprà diſputat. 8. ſect. 6.* ſine vllo actu poſſe tolli peccatum mortale, quod grauius eſt; de facto tamen ad illius remiſſionem extra Sacramentum ſemper requiritur aliquis actus. 1

Quod attinet ad actum perfectæ Contritionis, iam conſtat *primò*, ex præcedenti ſectione, Contritionem eſſe condignam ſatisfactionem in homine iuſto pro veniali, cuius eſt retractatio: quia nullum opus Pœnitentiæ elici poteſt ab homine iuſto, quod maiorem proportionem habeat, & æqualitatem vt ſit ſatisfactio pro veniali, quàm actus perfectæ Contritionis, qui eſt actus ex ſuo obiecto excellentiſſimus, procedens ex ſupremo 2

motiuo,& habens ex modo tendendi oppoſitionem cum veniali,cuius ſit retractatio.

3 Conſtat *ſecundò*, prædictum actum Contritionis non extinguere maculam venialis peccati per modum formæ illi oppoſitæ,ſed per modum ſatisfactionis condignæ;quia non expellit illam niſi dependenter à libera Dei acceptatione.

4 Conſtat *tertiò*, quamcumque Contritionem tollere reſpectiuè illa venialia, de quibus habetur; & conſequenter ſi fuerit vniuerſalis de omnibus,omnia tollere. Patet,quia maiorem proportionem habet Contritio ad tollenda venialia,quàm mortalia, reſpectiuè; ſed vniuerſalis Contritio omnium mortalium tollit omnia mortalia tanquam proportionata, & vltima diſpoſitio ad talem effectum: ergo vniuerſalis Contritio in homine iuſto omnium venialium, tollit omnia venialia tanquam condignum meritum, & ſatisfactio pro omni tali culpa;quia ad huiuſmodi condignitatem ſufficit æqualitas actionis, & dignitas perſonæ operantis.

5 Conſtat *vltimò*, prædictam Contritionem, etſi ſufficiens ſit ad tollendam omnem venialem culpam, ſed non neceſſariò ad tollendam omnem pœnam.Ratio eſt quia ad hoc vltimum maior ſatisfactio pœnalis neceſſaria eſt: Vnde contingere poteſt, vt Contritio iuſti non ſit æqualiter ſatisfactoria pro tota grauiſſima purgatorij pœna;ſemper tamen eſt meritoria de condigno,& æqualiter ſatisfactoria pro tota culpa veniali,cuius ſit retractatio;quia tametſi pœnalitas actus non ſit illi æqualis:at bonitas,& honeſtas ſupernaturalis desũpta ex ſupremo Charitatis motiuo,& valor ipſius,ac condignitas ſumpta ex perſona Deo grata, cui ſolùm attenditur ad tollendam ipſam culpam,ſemper eſt æqualis, imò & ſuperabundans.

6 Quod attinet ad dilectionem Dei ſuper omnia,ſimiliter dicendum eſt,poſſe quoque remittere venialia peccata,abſque actu formali Pœnitentiæ,vel Contritionis, per modum meriti, & condignæ ſatisfactionis, illa inquam venialia,cum quibus habet virtualem oppoſitionem. Quod firmatur ſimili ratione, quia eſt actus omninò proportionatus, vt acceptetur à Deo tanquam meritum vel ſatisfactio condigna ad talem remiſſionem.

7 Sunt verò tria notanda. ***Primum***, non ex eo quòd dilectio (idem intellige de Contritione)per modum ſatisfactionis condignæ remittat maculam peccati venialis iam commiſſi,inferendum eſt aliud peccatum veniale ſuperueniens habere oppoſitionem cum dilectione anteà elicita:quia opus, quod ex ſe eſt condignum ad ſatisfaciendum pro peccato commiſſo, & in actu ſecundo, eſt condigna illius ſatisfactio, quando peccatum fuit commiſſum, non facit vt actio alia iniurioſa illi ſuperueniens in actu ſecundo iniurioſa non ſit, neque aliquam oppoſitionem habeat cum iniuria ſuperueniẽte; quia ſatisfactio formaliter vt talis, eſt pro iniuria iam facta,& nullam habet oppoſitionem cum iniuria committenda.

8 ***Secundum***,eſt manifeſtum diſcrimen inter peccatum mortale, & veniale: nam mortale, quodcumque illud ſit, eſt grauis offenſa Dei, eius amicitiam diſſoluens; & ideò quæcumque dilectio Dei ſupernaturalis,quæ eſt amicitia Dei,opponitur cuicumque peccato mortali;& Contritio cuiuſcumque mortalis peccati,virtualiter cõtinetur in quacumque dilectione amicitiæ Dei. Quoad verò veniale peccatum,cùm non ſit grauis offenſa Dei, nec eius gratiam, nec amicitiam diſſoluens, non quæcumque dilectio amicitiæ Dei opponitur illi, nec quæcumque continet virtualiter Contritionem illius, ſed illa tantùm quæ ratione feruoris ſe extendit ad venialia peccata.

Tertium,eſt aliud diſcrimen; quod tradit Cardinalis Lugo *diſp.9.ſect. 2.n.25.* nempe ad remiſſionem peccati mortalis requiri ſemper efficax propoſitum nunquã peccandi mortaliter. At verò ad remiſſionem venialis non ſolùm non requiritur propoſitum vitandi alia venialia diuerſa, verum etiam reſpectu illiuſmet peccati quod remittitur,poſſe eſſe propoſitum limitatum, ſcilicet, non committendi illud in illis circumſtantiis, in quibus nunc illud commiſſum eſt:Verbi gratia,ſi mentitus ſum ſine cauſa, ſed ex praua inclinatione, fortaſſe non eſt neceſſarium propoſitum non mentiendi, ſed non mentiendi ſine cauſa. Probat, quia cùm hoc mendacium propter illam circumſtantiam contrahat aliquam maiorem malitiam, & ego poſſim dolere de peccato grauiori, quin doleam de leuiori; conſequens videtur,quòd poſſim ſufficienter dolere de illo mendacio prolato ſine cauſa, & proponere circa illud, propter illam maiorem grauitatem quam habet, quin doleam, vel proponam de aliis mendaciis: quod tamen in peccato mortali non ſufficeret. 9

Verum huic diſcrimini non adhæreo.Nam licèt ad remiſſionem vnius venialis,non requiratur propoſitum vitandi alia venialia diuerſa; nihilominùs tamen,reſpectu eiuſdem venialis,tota deformitas ac diſſonantia à recta ratione, quæ eſt in illo mendacio ſecundùm ſubſtantiam, & circumſtantia illa aggrauans, nempe mendacij commiſſi ſine cauſa,ex ſola praua inclinatione, debet retractari formaliter, vel virtute, quoniam nulla homini remittitur offenſa,etſi leuis,cui adhuc per volũtatem interpretatiuè videatur adhærere,dum illam nullo modo retractauit; ergo cùm remittatur totum illud veniale peccatum,& quoad ſubſtantiam,& quoad illam circumſtantiam,neceſſariò requiritur aliqua pœnitentia vel dolor; ergo ſimiliter aliquod propoſitum formale, vel virtuale illud iterum non committendi,neque quoad ſubſtantiam,neque quoad illam circumſtantiam.

SECTIO VI.

An ad remiſſionem venialis peccati extra Sacramentum ſufficiat Attritio in homine iuſto.

SVppono *primò*, Attritionem, etiam in homine iuſto non expellere veniale peccatum, cuius eſt retractatio, per modum formæ formaliter ac phyſicè incompoſſibilis. Patet, quia in noſtra ſententia adhuc perfecta Contritio venialia peccata non expellit hac ratione, cùm non ſit forma ſanctificans, ſed dependenter ab acceptatione Dei;ergo multò minùs id præſtare poterit Attritio. 1

Secundò ſuppono, Attritionem in peccatore extra Sacramentum,neque per modum meriti de condigno, neque æqualis ſatisfactionis, expellere venialia. Patet, tum quia hos effectus non præſtat Contritio elicita à peccatore: ergo neque illos poterit Attritio præſtare. Tum maximè,quia Attritio elicita à peccatore non habet condignitatem,neque in ordine ad meritum, neque in ordine ad ſatisfactionem, quia procedit ab homine Dei inimico. 2

Suppono *tertiò*,Attritionem in peccatore, neque per modum vltimæ diſpoſitionis, extra Sacramentum,poſſe venialia remittere. Ratio eſt manifeſta, quia veniale nunquam ſine mortali remittitur, ſed ex vi Attritionis extra Sacramentum nunquam mortale remittitur; neque ipſa eſt vltima diſpoſitio ad peccatoris iuſtificationem 3

nem extra Sacramentum : ergo neque veniale illi adiunctum remittitur.

His præmiſſis, ſupereſt difficultas, an Attritio in homine iuſto poſſit veniale remittere per modum meriti de condigno, aut per modum condignæ, aut æqualis ſatisfactionis.

Partem negantem defendit Vaſquez *quæſt.* 8 1.*art.*1. *dubio* 1. Lorca 2.2.*mate* 1.2. *diſputat.*41. Petrus Soto *lect.*18.*de Pœnitentia*, Gaſpar Hurtado *de pœnitentia, diſput.* 2.*difficultate* 13.& alij. *Primò*, quia ex contraria ſententia euidenter ſequeretur, peccatum veniale, quod eſt etiam materia Sacramenti Pœnitentiæ, nunquam remitti virtute Sacramenti Pœnitentiæ, quia ſemper præſupponeretur remiſſum per Attritionem, quæ debet præſupponi ad Sacramentum; ſine hac enim non remittuntur peccata per Sacramentum, cum per illud non tollantur ea peccata, de quibus non dolet homo ſaltem per Attritionem, vt conſtat.

4 *Secundò*, malitia ſeu culpa venialis eſt vera offenſio Dei, etſi leuis, eſt aliqualis auerſio a Deo, eanimirum quæ eſſe poteſt inter amicos, eſt denique aliqualis macula; ergo vt deſtruatur, neceſſaria eſt aliqua conuerſio in Deum, & aliqualis mundities animæ; Attritio autem, quamuis ſit hominis iuſti, nullo modo eſt conuerſio in Deum, nec vera mundities, nec ſanctitas animæ; ergo non eſt ſufficiens ad tollendam culpam & maculam venialem.

Partem contrariam affirmantem ſequuntur Durandus *in* 4.*d.*16 *q.*2.& *diſtinct* 21. *quæſt.* 1. Henriquez 1. *de Pœnitentia cap.*15. Azor *lib.*4.*cap.*10.*quæſt.*13. Suarez *diſputat.*11.*ſect.* 3. *numer.*11 Cardinalis Lugo *diſputat.*9 *ſect.*2.*numer.*28. Coninck *diſputat.*2.*dubitat.* 14.& alij.

Primò, quia peccata venialia ſunt leues offenſiones, & ſæpè ſunt voluntariæ imperfecte; Attritio verò eſt formalis dolor, & auerſio ab illis culpis, & gratia quæ in iuſto ſupponitur dat magnum & condignum valorem Attritioni : ergo hæc ſatis erit ad conſequendam huiuſmodi remiſſionem.

Secundò, per Attritionem peccati venialis ita ſufficienter retractatur voluntas præterita illius, vt iam pœnitens non maneat in illa virtualiter adhuc; & quamuis retractatio non ſit ex ſupremo motiuo; eſt tamen ex motiuo honeſto, ſupernaturali, & vniuerſali : ergo Attritio venialis peccati ſufficit ad veniale deſtruendum.

Tertiò, non videtur dici poſſe, Contritionem formalem, aut virtualem venialium eſſe ſimpliciter neceſſariam ad illorum remiſſionem extra Sacramentum; ergo per Attritionem poterunt quoque illa remitti. Antecedens probatur. Tum quia Tridentinum *ſeſſ.*14. *cap.*5. expreſſè docet, ad remiſſionem venialium non eſſe neceſſariam Confeſſionem Sacramentalem, quia multis aliis remediis expiari poſſunt. At ſi Contritio formalis, aut virtualis eſſet vnicum remedium ad expianda venialia extra Sacramentum, non eſſent multa remedia quibus ſine Sacramento expiari poſſent. Tum etiam quia obſequium iuſti per Attritionem fert ſecum tantam proportionem, imò & maiorem condignitatem, vt remittantur venialia amico, & filio quam ſecum ferat Contritio, vt mortalia remittantur homini non amico; quia id quod deficit ei bonitatis, & perfectionis æqualis actui Contritionis, ſuppletur abundè ex dignitate perſonæ, quæ confert maximè, & mouet ad remiſſionem venialium; & exceſſus Contritionis ſuper Attritionem quoad bonitatem, compenſatur per exceſſum peccati mortalis ſupra veniale, quoad grauitatem, & malitiam : maximè quia culpæ veniales ex conditione, & fragilitate humana facilè, ac frequenter, & cum morali neceſſitate committuntur; & ideò frequentioribus ac facilioribus remediis expiandæ ſunt.

Tertia ſententia eſt Argentinæ *diſt.*21.*art.*4. ad primum dicentis, veniale peccatum ſolis Charitatis actibus remitti. Quam defendit noſter Ludouicus Meratius *diſputat.*8.*ſect.*5. tria probans. *Primum*, non remitti niſi actu Charitatis; quia veniale peccatum eſt offenſa Dei, licèt leuior, quam mortale : ergo non ſufficienter retractatur, vel mutatur, niſi eo actu quo diſplicet, aut formaliter, aut virtute, prout offenſa Dei eſt; quæ formalis aut virtualis, actus eſt Charitatis. *Secundum*, quemlibet Charitatis actum non ſufficere ad remiſſionem venialis. Tum quia veniale peccatum per eum actum deleri non poteſt, cum quo ſimul exiſtit, aut exiſtere poteſt; at poteſt exiſtere in homine Charitatis actum exercente. Tum etiam, quia peccatum veniale per illum actum tolli non poteſt, qui ei non opponitur; at dantur multi Charitatis actus qui nulli veniali peccato opponuntur, omnes illi videlicet, qui nec ſunt formalis deteſtatio vllius huiuſcemodi peccati, nec hanc deteſtationem inferunt in iis, qui dum actu diligunt, & aliquorum ſuorum venialium peccatorum recordantur ſatis; nullam tamen de iis Contritionem concipiunt: quod ſæpe euenire experientiâ certum eſt. *Tertium*, peccatum veniale remitti, non eo tantum Charitatis actu, qui formalis de eo Contritio eſt, ſed illo quoque qui eſt virtualis. De formali liquet, quia aut nullâ pœnitentiâ macula venialis culpæ elui poteſt extra Sacramentum, quod falſiſſimum eſt, cùm poſſit multò grauior, nempe peccati mortalis; aut eluitur perfectiſſimâ pœnitentiâ, cuiuſmodi eſt formalis Contritio. De virtuali Contritione idem oſtenditur, quia cùm ille Charitatis actus, qui virtualis de peccato aliquo veniali Contritio eſt, totam formalis Contritionis de eodem virtutem, ac perfectionem in ſe contineat alioqui virtualis de eo Contritio non eſſet, ſicut formalis illud delet propter eam, quam in ſe habet cum illo, oppoſitionem, eo quòd perfecta illius eſt retractatio, perfectáque de eodem pœnitentia; ita virtualis illa eandem ob cauſam delebit.

6 Deniquè vltima ſententia docet, tametſi per Attritionem remittantur venialia peccata extra Sacramentum in homine iuſto, ſed per eam non ſemper remitti omnia venialia, etſi ad omnia ſe extendat Attritio. Ita Coninck citatus & Cardinalis Lugo *loco citato, num.* 29.30.31.32.& 33. Probat Coninck, quia longe maius Dei beneficium eſt remiſſio multorum, & grauium peccatorum venialium, quàm remiſſio paucorum, & leuium : ergo vt meritum debeat eſſe proportionatum præmio, non omne meritum, quod ſufficit ad vnum, ſufficiet quoque ad aliud; & conſequenter fieri poterit, vt peccata venialia ſint tam multa, & tam grauia, & Attritio tam remiſſa, vt non ſit ſufficiens ad remiſſionem omninò. Idem probat Cardinalis Lugo, quia Deus non exigit eandem diſpoſitionem pro omnibus venialibus, ſed pro grauioribus, perfectiorem Attritionem, pro leuioribus minùs perfectam; poſitâ autem Attritione in eo gradu, in quo ſufficit ad tale peccatum, remittuntur omnia alia quæ ſunt in eodem gradu, licèt non remittantur alia, quæ propter ſui grauitatem exigunt perfectiorem diſpoſitionem. Quanta verò diſpoſitio exigatur, ait, a nobis ignorari. Firmat, quia ex vna parte fatendum videtur, quòd extra Sacramentum Pœnitentiæ poſſit de facto homo iuſtus obtinere remiſſionem venialium, non ſolùm per Contritionem perfectam, ſed per alia media, prout indicauit Tridentinum citatum *ſuprà numer.*5. dicens, multis aliis remediis poſſe expiari : ex alia parte concedi debet, non quamlibet Attritionem de facto expiare ſtatim quamlibet venialem culpam, quia alioquin nunquam remitterentur

terentur in Sacramento Pœnitentiæ ſeorſim à mortalibus. Quod videtur eſſe contra ſenſum fidelium, qui ad obtinendam venialium remiſſionem vtuntur remedio frequentis Confeſſionis,atque adeò concipiunt illud Sacramentum habere aliquam efficaciam in ordine ad expianda ea peccata;eſſéque medium vtile, & proportionatum ad eum finem obtinendum.

7 Dico *primo*, Attritionem ſupernaturalem in homine iuſto habere ſufficientem condignitatem ad remiſſionem venialis extra Sacramentum. Sic ſentio cum Doctoribus ſecundæ ſententiæ. Ratio quæ me magis mouet, præter dicta *ſuprà numero quarto*, hæc eſt, quia Attritio ſupernaturalis eſt actus non minus proportionatus ad merendam veniam peccati venialis, quam ad merendum augmentum gloriæ; ſed ad hoc eſt ſufficiens, & condigna, vt conſtat, quia habet omnes conditiones requiſitas ad condignum meritum; ergo etiam & illud. Maior probatur, quia nulla eſt maior improportio ex parte præmij; cùm maius ſit præmium augmentum gloriæ, quam remiſſio venialis peccati;& difficilius ſit obtinere finem, quam media; qualis eſt remiſſio venialis reſpectu gloriæ.

Præterea non eſt maior improportio ex parte actus: nam ſicut Attritio ex natura ſua præciſe non eſt ſufficiens auerſio à peccato, vt eius mereatur veniam: ita neque eſt ſufficiens conuerſio in amicum vt amicitiæ mereatur augmentum,cùm per ſe loquendo, ad vtrumque requiratur actus amicitiæ formalis, vel virtualis ſaltem:& nihilominus Attritio ad augmentum amicitię redditur ſufficiens ratione ſubiecti in gratia exiſtentis, à quo habet quòd ſit actus amici, informatus gratia, & Charitate, ac proinde meritorius. Igitur ob eandem rationem Attritio reddetur ſufficiens, & condigna ad merendam remiſſionem venialis peccati.

8 Dico *ſecundò*, ſi ſemel concedatur per Attritionem ſupernaturalem in homine iuſto remitti de facto venialia, quæ cadunt ſub illam; conſequenter eſſe concedendum per Attritionem remitti omnia quæcumque venialia, ad quæ ipſa ſe extendit. Id ſatis innuit Suarez citatus *num.* 17. *&* 18.& expreſsè tenet Ouiedo *tract.* 8. *de iuſtificatione contr.* 5. *puncto* 2. Et probatur, quia vbi exiſtit diſpoſitio, vel ſatisfactio ſufficiens ad remiſſionem omnium venialium, eſt etiam ſufficiens condignitas ad remittenda omnia, & non aliqua tantùm: ergo, vbi Attritio ſupernaturalis æquè extenditur ad omnia venialia, & ſufficiens eſt ad aliqua remittenda, ſufficiens quoque cenſeri debet ad remittenda omnia: nam æqualis eſt ad omnia; ergo aut ad nulla, vel ad omnia remittenda potens eſt & condigna. Si enim quis recogitet centum mendacia,aut verba otioſa, & omnia efficaciter deteſtetur;per eum Attritionis affectum,qui ſufficiet ad remittendum octoginta, cur nō ſufficiet quoque ad remittenda reliqua?quandoquidem ratio remittēdi octoginta eſt deteſtatio efficax illorum, elicita à tali virtute, & ſub tali motiuo vniuerſali, & ea deteſtatio æque auertit voluntatem à reliquis, ac ab illis octoginta, quæ de facto remiſſa ſunt. Firmatur: nam cùm homo deteſtatur peccata mortalia per actum Contritionis,quicumque ille ſit, cenſetur delere omnia, quia mortalia delentur per Contritionem, tametſi maior ſit gratia remittere centum, quàm viginti tantùm: ergo idem cenſeri debet, quando iuſtus deteſtatur venialia per Attritionem ſufficientem ad remittenda reliqua: patet Conſequentia; quia ea ratione per actum Contritionis deteſtantem omnia mortalia, tolluntur omnia illa, quia eſt deteſtatio omnium vniuerſalis ſub eodem motiuo generali; atque ideò eſt æqualis diſpoſitio ad remiſſionem omnium, cùm ſit æqualis omnium deteſtatio, nec ſit maior ratio, vt eius intuitu remittatur vnum, quam aliud. At eadem ratio eſt ad remiſſionem omnium venialium,cùm adeſt æqualis deteſtatio,& ſub æquali, ac generali motiuo omnium ſufficiens ad remiſſionem aliquorum;ergo per illam omnia venialia tollenda ſunt, ſi ſemel concedatur per illam aliqua venialia deleri.

Dico *tertio*, de facto, per nullum actum Attritionis etiam ſupernaturalis extra Sacramentum in homine iuſto, veniale peccatum vllum infallibiliter remitti,ſed ſolum liberè,& contingenter,ſeu dependenter à diuino beneplacito. Hoc mihi videtur probabilius. Moueor, quia inprimis veram iudico doctrinam, quam tradidi in tractatu *de Incarnatione, diſp.* 3. *ſect.* 8. *num.* 3. ad rationem actualis meriti,& ſatisfactionis cōdignæ, ac infallibilis in actu ſecundo, requiri neceſſariò ordinationem, ſeu legem poſitiuam quâ Deus de facto, & ſecundùm præſentem prouidentiam velit dare præmium, & illud illud promittat operi ipſi: quoniam ad rationem meriti de condigno, in actu ſecundo ſpectat non ſolùm proportio, & condignitas, intrinſeca operis ad præmium, ſed etiam actualis quædam exigentia certi, ac determinati præmij, at iſta exigentia certi, ac determinati præmij, verbi gratia, remiſſionis venialis peccati, non poteſt reperiri in opere condigno, nempe in Attritione iuſti abſque extrinſeca Dei ordinatione, illi tale præmium proponentis, & taxantis ſua ſpeciali lege. Nam Attritio, ſicut & Contritio non mundat iuſtum à veniali peccato in genere cauſæ formalis, ſed ſolùm in genere cauſæ efficientis moralis merendo remiſſionem venialis culpæ, & ſatisfaciendo pro illius macula; Deus autem extra ſe omnia vult, & operatur liberè, éſtque abſolutus Dominus ſuorum donorum; ergo nequit cogi ad aliquam eorum largitionem niſi ipſo volente; aliter enim poſſet inuitus quaſi expoliari ſuis donis, ac dominio. Igitur liberè poteſt non acceptare Attritionem in Satisfactionem, vel meritum remiſſionis venialis peccati;ac proinde vt ſit illius meritoria,& ſatisfactoria in actu ſecundo, indiguit Dei lege, ac ordinatione. 9

Præterea nulla apparet lex, aut promiſſio Dei, quæ ſit ligata ad concedendam venialium peccatorum remiſſionem ipſi Attritioni extra Sacramentum in homine iuſto: nam tale decretum liberum Dei nobis conſtare non poteſt,niſi ex ſacris Litteris,Concilijs,& Patribus;at nihil tale nobis proponunt. Id quidem nobis proponunt de actu Contritionis,ac dilectionis Dei, vt vidimus *ſuprà in hac diſ. ſect.* 4. *n.* 7. non verò de Attritione hominis iuſti. Atque huius rei eſt etiam optima ratio,nimirum alia diſpoſitio prouidentiæ Dei,nempe inſtitutio Sacramentorum facta quoque ad remittenda venialia,cùm præcedit eorum Attritio:non enim ſupereſſet locus remiſſioni venialium peccatorum, per Sacramenta,ſi Attritio præcedens in homine iuſto ea remitteret.

Ex his manifeſtè colligitur,per nullū aliū actum ſupernaturalem hominis iuſti,cuiuſuis ſit virtutis,præter actum Charitatis,& Contritionis,remitti de facto infallibiliter venialia peccata extra Sacramentū,benè tamen liberè,& contingēter ſi Deo placuerit:quia nulla eſt ex parte Dei promiſſio illis actibus alligata. Quare iuſti quotidie deficientes,& venialiter delinquentes incumbere debent in varia obſequia virtutum, quibus Deum alliciant ad veniam ſuorum peccatorum venialium impetrandam,ſcientes eam non eſſe ſibi certam,ac infallibilem per actum Attritionis,vel alterius inferioris virtutis,extra Sacramentum. 10

Argumenta ſententiarum aliarum *ſuprà* adducta, prout 11

provt noſtræ doctrinæ opponuntur, facilè ex dictis ſoluuntur. Ad primum primæ ſententiæ, noſter Suarez *diſputat.* 11. *ſect.* 3. *numer.* 18. nullum reputat inconueniens, concedere, peccata venialia nunquam remitti ſine mortali vi Sacramenti; ac proinde ex vi huius, venialia de facto nunquam remitti in homine iuſto: quia ſufficit, vt venialia aliquando remittantur in Sacramento, videlicet quando Attritione præmiſſa in Confeſſione ſimul cum mortalibus explicantur. Id impugnat Mæratius *diſputat.* 8. *de pœnitentia, ſect.* 4. *numer.* 2. dicens, repugnare communi fidelium ſenſui, etiã iuſtorum, qui peccata venialia confitentur ordinariè, ſperantes ſe remiſſionem eorum per Sacerdotis abſolutionem conſecuturos: repugnare quoque Tridentino *ſeſſ.* 14. *cap.* 5. dicenti, piorum hominum vſum demonſtrare, peccata venialia rectè, & vtiliter in Confeſſione Sacramentali declarari, taceri tamen ſine culpa poſſe, quòd multis aliis remediis expiari poſſint. Quibus verbis videtur apertè ſignificare Concilium, piorum, ſeu iuſtorum hominum venialia peccata Confeſſionis etiã remedio expiari poſſe, hóſque homines rectè, & vtiliter ea confiteri ſolere, quòd per Confeſſionem, eorum expiationem conſequi ſemper poſſint, & plerumque ſaltem reipſa conſequantur.

Nos faciliùs ſoluimus prædictum primum argumẽtum, ſi dicamus, bifariam Deum venialia remittere peccata. *Primò*, infallibiliter, ac neceſſariò ex lege conſtanti, ſeu ex promiſſione infallibili antecedente actum meritorium, ſeu diſpoſitionem; & hoc pacto eam legem ac promiſſionem ex ſacris Litteris, Conciliis, & Patribus tuliſſe colligimus ad connectendam remiſſionem mortalium, & etiam venialium ipſi Contritioni, ac dilectioni Dei extra Sacramentum, & Attritioni cum Sacramento. *Secundò*, contingenter, ac liberè abſque lege & promiſſione antecedente; atque hoc modo annumeratur remiſſio venialium facta iuſto extra Samentum, intuitu Attritionis, abſque infallibili connexione, ſed purè contingenti, & arbitraria Dei, qui poſt Attritionem præuiſam nulla promiſſione ligatus ſit ad eam concedendam extra Sacramentum, ſed ſuo arbitrio, & liberalitati largiendam relinquat, quibus, quando, & quomodo ſibi placuerit.

Ad ſecundum negandum eſt, non eſſe in Attritione hominis iuſti ſufficientem valorem, & condignitatem in actu primo ad remiſſionem venialium, vt oſtendimus *ſuprà numero ſeptimo*, concedimus tamen, nullum actũ Attritionis extra Sacramentum, de facto eſſe meritorium talis remiſſionis, ex defectu legis ſeu promiſſionis Dei, vt eſt *ſupra* declaratum.

12 Ad primum ſecundæ ſententiæ; concedo Attritionem eſſe ſufficientem in actu primo ad promerendam remiſſionem venialium in homine iuſto, non verò in actu ſecundo cum infallibilitate; quia non eſt lex, vel promiſſio Dei eam acceptans in tale præmium.

Ad ſecundum, eodem modo eſt reſpondendum.

Ad tertium, admitto non remitti venialia extra Sacramentum in homine iuſto infallibiliter, niſi per actũ Contritionis, vel dilectionis Dei, & non per Attritionem: non quia non ſit proportionatum meritum in actu primo in ordine ad illud; ſed quia deeſt illi conditio ſimpliciter neceſſaria, nempe promiſſio Dei antecedens, & illi actui annexa. Neque id opponitur Tridentino, quod ſolùm docet, multis aliis remediis expiari poſſe venialia peccata, quæ non negamus: nam expiari poteſt non ſolùm per actum Contritionis, ſed etiam per actum dilectionis Dei, & per ſuſceptionem Sacramentorum, ac etiam fortè per Attritionem, & alios bonos actus ſupernaturales, ſi illorum intuitu Deo placuerit talem concedere expiationem.

Ad tertiam ſententiam, & ad tria illa puncta Mæratij. Ad primum concedimus, veniale peccatum non remitti de facto infallibiliter extra Sacramentum, niſi per actum dilectionis, & Contritionis, ſed non propter rationem illam quam adducit Mæratius: quia falſum eſt ſolum actum Contritionis, vel dilectionis Dei eſſe diſplicentiam offenſæ, vt offenſa eſt, nam etiam actus Attritionis, eſt actus ſpecialiſſimæ virtutis pœnitentię, quæ eſt iuſtitia erga Deum, & deteſtatio offenſæ Dei, provt offenſa eſt, & provt lædit diuinum ius. Secundum Dictum verum eſt, quia ſolus ille actus Charitatis ſufficiens eſt ad remiſſionem venialium, qui eſt formalis, vel virtualis deteſtatio ipſorum, vt benè probat *puncto tertio*. 13

14 Ad quartam ſententiam, Dico eam opponi noſtræ doctrinæ. Quare ad primum reſpondetur, ſi ſemel admittatur, Attritionem eſſe condignam remiſſionem venialium in actu ſecundo, fatendum quoque eſſe, condignam eſſe ad omnia, ſi ad ea ſe extendat; quia quælibet Attritio tametſi remiſſa valdè ſit, habet in homine iuſto ex ſe condignam proportionem ad omnium illorum remiſſionem.

Ad ſecundum negatur Antecedens: neque enim illud conſtat ex Scripturis Sacris, ex Conciliis, & Patribus: ſicut enim Contritio ſiue intenſa ſit, ſiue etiam remiſſa, eſt ſufficiens diſpoſitio ad iuſtificationem, ac remiſſionem peccatorum omnium mortalium ac venialium, ita & Attritio in homine iuſto ſufficiens eſt ad quæuis, & ad omnia venialia diſpoſitio, & eſſet remiſſiua infallibiliter omnium illorum, ſi illi annecteretur ordinatio, vel promiſſio Dei. Ad Confirmationem iam conſtat iuxta noſtram ſententiam, benè illud componi, nempe per ſuſceptionem Sacramenti, hominem iuſtum obtinere remiſſionem venialium, & extra Sacramentum Attritionem non eſſe infallibilem diſpoſitionem, ſed ſolùm ſufficientem in actu primo, quâ moueri poteſt Deus ad illorum remiſſionem, ſi ipſi libuerit.

SECTIO VII.

Vtrùm per omnia Sacramenta tollantur peccata venialia ex opere operato.

SVppono *primò*, Sacramentum conferre aliquem effectum vel gratiæ, vel remiſſionis venialium peccatorum ex opere operato, nihil aliud eſſe, quam cauſare illum effectum in omni ſuſcipiente ſufficienter diſpoſito, ſiue non habente obicem, non per modum meriti, & provt habet rationem actionis laudabilis, ſed provt conſideratur ſecundùm entitatem ſuam, & quatenus habet rationem entis quodammodo naturaliter operantis, abſtrahendo ab omni dignitate conferentis, & merito ſuſcipientis, ſic Baptiſmus collatus irreligiosè ab impio Sacerdote ipſi infanti, confert huic tantam gratiam, quantam conferret, ſi à Sacerdote pio magna cum religione conferretur; cùm tamen & conferens peccet mortaliter, & ſuſcipiens ſe merè paſſiuè habeat. *Contrà verò*, illud opus dicitur cauſare gratiam ex opere operantis, quod eam cauſat quatenùs eſt actio laudabilis, & veræ virtutis, habenſque rationem meriti. 1

Suppono *Secundò*, remiſſionem venialis, quæ fit ſimul cum mortali, fieri ex opere operato per Sacramenta. Patet, tum quia in eo caſu veniale peccatum non poteſt tolli ſine mortali, quod per ſolam Attritionem non tollitur: ergo adueniente Sacramento, cùm 2

tollatur

Digitized by Google

tollatur veniale ſimul cum mortali, tollitur vtrumque ex opere operato. Tum quia id conſtat inductione: nam inprimis de Sacramento pœnitentiæ id negari non poteſt; quia peccata venialia ſunt materia ſufficiens huius Sacramenti, vt docuit Tridentinum *ſeſſ.* 14. *cap.* 5. dicens, venialia rectè & vtiliter in confeſſione dici, vt piorum hominum vſus demonſtrat: eadem quoque venialia peccata comprehenduntur ſub illis verbis Ioann. 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*. Igitur ſicut per poteſtatem clauium remittuntur peccata mortalia ex opere operato, ita etiam venialia illis coniuncta cum proportionali diſpoſitione, & Attritione. Præterea, de Sacramento Baptiſmi id certiſſimum eſt; quia hoc Sacramentum ratione ſui eſt perfectè abluens, & regenerans, vt formâ ipſius ſignificatur, ac proinde abluit ab omni macula etiam veniali. De aliis verò Sacramentis quoad hunc modum remittendi, admiſſa opinione probabili affirmante, aliquando dare primam gratiam, ſi bona fide, & cum ſufficienti Attritione ſuſcipiantur, conſequenter dico etiam auferre venialia, quæ inueniuntur cum mortalibus coniuncta, ſi Attritio ad illa etiam extendatur. Quia ſi gratia infuſa per Sacramentum cum Attritione remittit peccatum mortale, veriſimile eſt ordinari etiam à Deo ad remittendum venialia, ſi Attritio ad illa etiam extendatur. Nam cum æquali diſpoſitione ſi Deus iuſtificat hominem à peccato mortali, multò magis iuſtificabit à veniali.

Supereſt igitur difficultas de remiſſione culpæ venialis, quando ipſa per ſe ſola fit per Sacramentum ſine remiſſione mortalis.

3 Pars negans probatur *primò*, quia nunquam videtur habere locum opus operatum Sacramenti; nam ſemper præuenitur à diſpoſitione pœnitentis, quæ informata per gratiam habitualem, habet vim ſatisfaciendi, & expellendi peccatum veniale, antequam Sacramentum adueniat.

Secundò, ſi omnia Sacramenta habeant eam efficaciam contra venialia ex opere operato, ſequitur omnia Sacramenta tollere omnia venialia poſitâ Attritione, & non ſolùm partem eorum; quia ſi non ſit obex, & ponatur ſufficiens diſpoſitio, totam ſuam efficacitatem exercent. Id autem Doctores non concedunt; ergo.

Tertiò, non apparet, per quam formam deſtruantur venialia per Sacramenta; quia non deſtruuntur ſolâ diſpoſitione ad eorum remiſſionem, quæ ſolet eſſe Attritio, vt patet; neque gratiâ habituali per Sacramentum collatâ, cùm ea ſit naturaliter compoſſibilis cum venialibus; ergo.

Vltimò, non videtur quo pacto Sacramenta tollant venialia ex opere operato; quia ſi nunquam per Sacramentum remittitur veniale peccatum abſque ſufficienti diſpoſitione, ſeu abſque opere operantis, certè illud non remittitur ex opere operato.

4 Dico *primò*, omnia nouæ legis Sacramenta delere venialia, ex opere operato, in homine iuſto. Ita D. Tho. 3. *p. quaſt.* 87. *articul.* 3. Vaſquez *ibidem dub.* 2. Suarez *diſputat.* 12. *ſect.* 1. *numer.* 4. Cardinalis Lugo *diſp.* 9. *ſect.* 3. *numer.* 48. *& ſequentibus*, Granado *tractat.* 4. *diſput.* 1. *num.* 1. & communiter alij Theologi. Probatur *primò* inductione, diſcurrendo per ſingula Sacramenta. Nam de Baptiſmo certiſſimum eſt delere, quia eſt perfecta hominis regeneratio, & eius forma ſignificat vniuerſalem ablutionem. Vnde, ſi contingat, adultum iuſtificari ab originali per Contritionem, antequã hoc Sacramentum reipſa ſuſcipiat; & poſtea labatur in aliqua venialia, & tandem baptizetur abſque diſpoſitione, ſe ſolâ ſufficiente ad talium venialium deſtructionem, proculdubio delebuntur per Baptiſmum. De Sacramento Pœnitentiæ idem etiam eſt certum; quia peccata venialia ſunt materia ſufficiens illius Sacramenti, vnde comprehenduntur ſub illis verbis Chriſti Domini, Ioann. 20 *Quorum remiſeritis peccata &c.* Sacramento Extremæ-Vnctionis negari non poteſt talis virtus, vt colligitur ex Tridentino *ſeſſ.* 14. *cap.* 2. dicente, eiuſmodi Sacramentum abſtergere peccata, ſi quæ ſint adhuc expianda. Quibus verbis clare ſignificatur Concilium loqui de peccatis quæ manent in homine iuſtificato. Idem firmant verba Iacobi 5. *Si in peccatis ſit, dimittentur ei*: & verba formæ huius Sacramenti, *Indulgeat tibi Deus; quidquid deliquiſti per viſum, &c.* Quæ debent habere aliquam efficaciam ad ponendum id quod ſignificant; at ſignificant quoque remiſſionem venialium, quia non rarò per viſum, & per alios ſenſus venialia committuntur. Prętereà de Euchariſtia videtur certum, valere ad remiſſionem venialium, vt antiqua Patrum traditione firmatur; & traditur in Tridentino *ſeſſ.* 13. *cap.* 2. dum dicitur, Euchariſtiam eſſe antidotum, quo liberamur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus pręſeruamur. Et conſtat ex eo quòd Euchariſtia in cibum, & nutritionem animæ ſit inſtituta. Cùm igitur ſit animæ cibus, eo ipſo debet reparare, quæ per continuam fomitis, & contrariorum pugnam deperdimus: ſicut cibus naturalis reſtaurat quæ per naturalem calorem deperduntur. Cùm etiam hoc Sacramentum ſit per modum conuiuij inſtitutum, eo ipſo affert condonationem offenſarum leuium; quoniam amici facilè ſolent in conuiuiis offenſas condonare. Denique de tribus Sacramentis, Confirmatione, Ordine, & Matrimonio, licèt non ſit adeò certum, ſicut de aliis; nihilominùs communiter Doctores cum S. Thoma *quaſt.* 87. *art.* 3. idem illis tribuunt; quia remiſſio venialium eſt illis maximè conſona, & proportionata, vtpote Sacramentis viuorum, & amicorum Dei; & ideò ex vi ipſorum non tantùm creſcit amicitia Dei, ſed etiam auferuntur offenſæ inter amicos compoſſibiles.

Idem probat D. Thomas, quia virtute omnium Sacramentorum infunditur gratia ex opere operato; ergo 7
per infuſionem gratiæ tolluntur venialia, quorum præcedit diſplicentia, & retractatio ſaltem virtualis, quod eſt multò minus, & deſeruit ad perfectam ſubiecti emundationem. Quæ ratio tametſi euidens non ſit, eſt tamen valdè congrua; quia licèt ex natura rei, non ſit neceſſe, quòd collatio gratiæ afferat remiſſionem venialium; eſt tamen valdè conſentaneum legibus amicitiæ, vt quoties quis admittitur ad nouum complexum, & ad vinculum arctius amicitiæ, condonentur offenſæ leues, vel omnes, vel aliquæ. Cùm igitur quælibet collatio gratiæ, vel augmenti illius, ſit nouum amicitiæ vinculum, quo Deus arctiùs ſe cum homine coniungit, & ſit nouus amplexus ſpiritualis, congruum ſanè videtur, vt afferat ſecum condonationem aliquam offenſarum leuium, quarum poſita eſt iam retractatio Et certè ſi quodlibet Sacramentum bona fide ſuſceptum cum ſufficienti diſpoſitione tollit mortale, ſi illud inueniat, cur non etiam à fortiori idem dicendum eſt de veniali, ſi ſit ſimilis vel proportionalis diſpoſitio.

Contra hanc doctrinam obiici poteſt, idem dicendum eſſe iuxta mentem S. Thomæ, quoties ex opere 6
operantis augetur gratia per opera hominis iuſti, remitti quoque per illa venialia quorum eſt retractatio. Probatur, quia per talia opera datur de condigno augmentum gratiæ, quo poſito congruum etiam videtur, quòd remittatur offenſa leuis, quam homo retractauit; quia nimirùm illud gratiæ augmentum eſt etiam quædam amicitiæ redintegratio, & confirmatio

per

Digitized by Google

per nouum complexum, qui congruenter affert ſecum aliquam reconciliationem.

Ad hanc obiectionem noſter Cardinalis Lugo reſpondet *loco citato, numer.* 54. concedendo per ſingula bona opera remitti ſemper, non omnia venialia, de quibus eſt retractatio, ſed aliqua pro maiori vel minori augmento gratiæ, quod infunditur, & iuxta alias circumſtantias. Additque, ea quæ dicta ſunt pro Sacramentis parum vrgere. Quia tametſi Sacramenta aliquando tollant per accidens peccatum mortale, ideò eſt, quia ex ſe habent producere gratiam, quæ ex natura ſua eſt expulſiua peccati mortalis: atque adeò illud expellunt per accidens, quia non inueniunt illud expulſum per aliam gratiam. At expulſio venialis peccati nullam habet neceſſariam connexionem cum effectu, quem cauſant illa Sacramenta. Et quamuis omnia Sacramenta inſtituta ſint ad hominum ſanctificationem, id non arguit tollere venialia peccata: nam etiam per omnia bona opera hominis iuſti additur nouus gradus gratiæ ſanctificantis, quæ etiam ex natura ſua ordinatur ad ſanctificandum hominem, & tamen non expellit venialia peccata; quia poteſt homo ſanctificari ſine hac expulſione.

Verùm huic doctrinæ ipſe acquieſcere non poſſum.
7 *Primo*, quia verius iudico, per opus bonum operantis hominis iuſti, quo augetur gratia, non remitti infallibiliter venialia peccata, niſi illa retractentur per actum Contritionis, vel Charitatis; quia vt oſtenſum eſt *ſuprà, ſect.* 4. *& 6.* ſolùm iſti actus, & non Attritionis, neque alius actus alterius virtutis, ſunt meritorij de condigno in actu ſecundo, & ſatisfactorij peccatorum venialium; quia ſolis actibus Contritionis, & Charitatis de facto eſt annexa promiſſio Dei de illorum remiſſione. *Secundò*, ſi ſemel concedatur, bonum opus hominis iuſti mereri remiſſionem venialis culpæ, de qua eſt retractatio; non poſſum probare, per ſingula bona opera non remitti ſemper omnia venialia de quibus eſt retractatio, ſed aliqua tantùm: nam contrarium manifeſtè demonſtraui *ſuprà, ſectione præcedenti, numero octauo*. Tertiò, cùm ſemper ſermo ſit de infallibili remiſſione venialium, non conſtat, nec conſtare poteſt, factam eſſe de ea promiſſionem diuinam ſub conditione cuiuſuis operis boni, etiam meritorij de condigno gratiæ & gloriæ, exceptis ſemper actibus Contritionis, & dilectionis Dei. Neque enim eſt vlla congruitas ad illam ponendam; eſt verò maxima ad illam ſupponendam reſpectu Sacramentorum ex vi inſtitutionis Chriſti. Tum quia, omnia fuerunt inſtituta ad curationem, & ſanctificationem hominum, non quomodocumque in genere id accipiendo, ſed in ſpecie, in ordine ad aliquod munus ſanctè, & modò Deo grato exercendum, ſecundùm diuerſos fines ſingulorum Sacramentorum; quod poſſunt venialia peccata ſuo modo impedire; & maximè illa, quæ in vnoquoque Sacramento ſpecialiter repugnant fini eius. Tum etiam, quia omnibus Sacramentis ex vi ſuæ inſtitutionis eſt ius tollendi aliquando mortale peccatum quia à Chriſto Domino ſunt inſtituta ad curationem, ad purificationem, & animarum ſanctificationem, & inde habent virtutem ex ſe producendi gratiam iuſtificantem: ergo etiam habebunt virtutem expellendi maculas venialium peccatorum. Quare expulſio venialis peccati habet quoque neceſſariam connexionem cum effectu gratiæ quam cauſant Sacramenta, ſi non ſit obex, vel non deſit ſufficiens diſpoſitio ex parte recipientis. Vnde tametſi gratia habitualis ſanctificans, ſumpta ſecundùm ſe, non ſit expulſiua venialis peccati, & ſit compoſſibilis cum illo; tamen prout eſt effectus Sacramentorum, & dicitur gratia Sacramentalis, opponitur illi, & deſtruit illud, ſi ex parte ſubiecti præſupponatur debita diſpoſitio. In quo valdè differt à nouo illo gradu gratiæ, quem ex opere operantis meretur iuſtus per actum bonum ſupernaturalem Attritionis, verbi gratia, nam ille gradus licet natura ſua ordinetur ad ſanctificandum hominem, ſed non ad expellendum ab illo peccatum, niſi ſolum mortale; quoniam gratia etiam intenſiſſima compoſſibilis eſt cum macula venialis peccati, etiam poſita retractatione illius per Attritionem, vt diximus *præced. ſect.*

Dico *ſecundò*, omnia nouæ legis Sacramenta delere immediatè veniales culpas ex opere operato. Ita Doctores *ſuperiori dicto* relati. Probatur. Tum quia gratiæ augmentum, quod eſt Sacramentorum effectum ex opere operato, non cauſat mediatè, excitando nimirum in nobis actus honeſtos, quibus tale augmentum conſequamur, ſed immediatè; ergo cùm remiſſio venialium ſit effectus ex opere operato, proueniens ab omnibus Sacramentis, non eſt cur non proueniat immediatè. Tum etiam, quia Sacramenta, quæ remittunt mortalia ex opere operato per ſe, aut per accidens, id præſtant immediatè, & tollunt illa abſque diſpoſitione quæ per ſeipſam ſufficiat; vnde non ſolum excitant meliorem diſpoſitionem, ſed cum illa imperfecta ex ſe non ſufficiente, per ſe immediatè tollunt ipſum peccatum mortale: ergo cùm omnia Sacramenta remittant venialia ex opere operato, id certè immediatè præſtabunt. 8

Obiicies: Eucharistiæ tribuitur effectus præſeruandi à mortalibus; & hunc effectum cauſat non immediatè, ſed mediatè, conferendo nimirùm auxilia, & cogitationes ſãctas, quibus homo roboretur contra tentationes: ergo ſimiliter Euchariſtia liberabit à venialibus, præſtando id mediatè, nempe excitando deuotionem, & compunctionem, ſeu Contritionem, quâ ea peccata dimittantur. *Reſpondeo*, Euchariſtiã, cùm ſit cibus animę, eo modo ſe habere in ordine ad illã, ſicut ſe habet cibus naturalis corporis. Quare ſicut cibus corporis diuerſo modo reparat quod deperditum eſt per calorem naturalem, & diuerſo modo iuuat ad operandum poſterius: nam illud primum præſtat immediatè, ſanando debilitatem naturæ, reparando quod perditum eſt, independenter ab alia operatione; ſecundum verò non facit immediatè, ſed mediatè, dando videlicet vires ad operandum, quibus viribus poſſit homo vti, & operari & non vti & non operari: ita etiam hoc Sacramentum in ordine ad futurum, iuuat mediatè, dando viures, id eſt auxilia, & cogitationes ſanctas, quibus poſſit homo poſtea vti, & non vti; at verò in ordine ad ſanandas debilitates præteritas, & reparandum quod deperditum eſt, concurrit immediatè, ſicut ad nutritionem ſpiritualem, præcedente ſemper in ſubiecto ſufficiente diſpoſitione.

Dico *tertiò*, vt Sacramenta remittant venialia, requirere tanquam diſpoſitionem neceſſariam, ipſam Attritionem ſupernaturalem formalem, vel ſaltem virtualem. Ita communiter Doctores: Et patet, quia non decet remittere Deum alicui peccata etiam intra Sacramentũ, de lege ordinaria, quę adhuc ſint illi interpretatiuè ſaltem voluntaria, qualia sũt omnia illa, de quibus nec virtualiter pœnitet homo: ergo Sacraméta nũquam remittunt peccata etiam venialia, quæ non ſint à ſubiecto virtualiter ſaltẽ retractata per Attritionem. Debet autem Attritio eſſe ſupernaturalis; quia peccatũ veniale in hoc ſtatu hominis offendit aliquo modo amicitiam Dei ſupernaturalem, & retardat conſecutionem ſalutis æternæ; ergo eius remiſſio ſpectat ad ſtatum ſupernaturalem; atque ideò requirit pœniten- 9

tiam ſupernaturalem:nam media debent eſſe proportionata fini.

10 Dico *vltimò*, Sacramenta remittere venialia per infuſionem gratiæ, intuitu Attritionis, accedente tamen Dei condonatione. Totum id videtur apertum; nam per ſolam gratiam habitualem, quantumuis intenſam cauſatam à Sacramento, nudè ſumptam, remitti non poſſunt venialia, quia compatiuntur cum gratia habituali ſecundùm ſe abſolutè collata, quantumuis intenſiſſima: ergo remittuntur per gratiam intuitu Attritionis, tanquam aliquo modo illis oppoſitæ; ratione cuius gratia fiat incompoſſibilis aliquo modo cum peccatis venialibus iam commiſſis. Debet autem accedere liberalis Dei condonatio, quia veniales culpæ deſtruuntur per gratiam in Sacramento collatam, accedente Dei voluntate condonandi omnes culpas veniales ſufficienter retractatas: Sicut idem iuxta noſtram doctrinam dicendum eſt de remiſſione mortalium per Sacramenta. Nec valet dicere, merita Chriſti applicari nobis, mediis Sacramentis; non,inquam,valet, quia in hac ipſa applicatione inuoluitur liberalis Dei donatio; quia applicantur nobis per modum impetrationis, ac veluti emptionis gratię,& remiſſionis peccatorum:ac propterea tam infuſio gratiæ,quàm remiſſio peccati intra Sacramentum inuoluit ſemper liberalem Dei voluntatem, & donationem.

11 Ad argumenta contraria initio propoſita. Ad primum; Dico remiſſionem venialis factam per Sacramentum, ſemper eſſe ex opere operato,& non operantis; quia licèt præ requiratur aliquod opus ſuſcipientis Sacramentum, tanquam diſpoſitio, nempe Attritio; cæterùm illa non habet vim expellendi veniale, antequam Sacramentum adueniat.

Ad ſecundum, totum concedo, ſi nimirùm Attritio verè ſe extendat ad omnia venialia, vt conſtat ex dictis *ſuprà*, *ſectione 6. num. octauo*.

Ad tertium, conſtat ſolutio ex Dicto vltimo.

Ad vltimũ,iam conſtat,Sacramenta tollere venialia ex opere operato; quia licèt præſupponi debeat proportionata diſpoſitio Attritionis; tamen ipſa Attritio per ſe non ſufficit, vt tollatur veniale peccatum,niſi accedat vis, & efficax virtus Sacramenti.

SECTIO VIII.

Quomodo venialia peccata remittantur quoad culpam poſt mortem in altera vita?

1 DVbitari non poteſt quin iuſtus poſſit cum peccatis venialibus ex hac vita diſcedere, cùm in illis exiſtens poſſit occidi dormiens,aut aliter repente mori nihil de illis cogitans; imò & contingere poſſit, vt ſit in eorum complacentia tempore mortis. Certum quoque eſt ea peccata debere remitti, ne in æternum impediatur iuſtus à conſecutione gloriæ, ad quam habet ius acquiſitum.De modo igitur, quo remittuntur quoad culpam,eſt præſens difficultas.

Variæ ſunt de hac re opiniones,quæ videri poſſunt apud Suarez *diſp. 11. ſect. 4.* & Meratium *diſp. 11. de Pænitentia, ſect. 1.* Ipſe verò,quid ſit veriſimilius ſequentibus Dictis aperiam.

Dico ergo *primò*, ea peccata remitti per actum perfectæ Contritionis, quem anima iuſti in primo inſtanti poſt mortem elicit.Ita expreſſe D.Tho. *q. 7. de malo art. 11. in fine corporis*; eſtque communior ſententia Theologorum,Suarez,Vaſquez,Cardinalis Lugo,& aliorum.Ratio eſt quia cùm talis anima habeat veram fidem,quâ Dei bonitatem,& ſuum ſtatum, & turpitudinem peccati,etiam venialis,& quantum hoc Deo diſpliceat perfectè cognoſcat;cùm etiam ex parte Dei habeat auxilium efficaciſſimum iuxta menſurã ſuæ gratiæ;& habeat quoque veram in Deum Charitatem;ab hac ſtatim impellitur,vt omnia peccata,quatenùs Deo diſplicent,& eius opponuntur bonitati,deteſtetur.Quod tunc ei facillimum eſt, cùm ab omnibus paſſionibus,& terrenis affectibus, quibus à peccatorum omnimoda deteſtatione prius impediebatur, iam ſit libera. Igitur nulla poteſt eſſe cauſa, cur ſtatim in primo inſtanti poſt mortem eum non eliciat actum. 2

Dico *ſecundò*, illum actum Contritionis non eſſe meritorium gratiæ,nec remiſſionis culpæ venialis. Ita communiter omnes.Ratio eſt quia iam non eſt anima in ſtatu merendi:nam omne tempus merendi vnà cum vita finitur.Vt ex multis ſacræ Scripturæ locis apertè colligitur.Nam Eccleſiaſtici *capit.* 14.dicitur:*Ante obitum tuum operare iuſtitiam:quia non eſt apud inferos inuenire cibum*:quia ſcilicet poſt obitum nihil poſſumus mereri.Et Ioannis 9. *Venit nox*, (id eſt mors,) *quando nemo poteſt operari*:ſcilicet meritoriè. Denique *Apocalypſis, cap.* 10. dicitur, *Non fore ampliùs tempus*;videlicet merendi; id quod etiam ſignificatur *Eccleſ. 9.* Non eſt igitur cur excipi debeat meritum remiſſionis venialis peccati;quia cùm Scripturæ generaliter loquantur, nulla eſt facienda exceptio ſine neceſſitate,quæ hîc non occurrit. 3

Dico *tertiò*,neque illum actum Contritionis eſſe ſatisfactorium;atque ideò nihil demere de pœna, quæ morienti pro ſuis peccatis reſtat ſoluenda.Patet ob eãdem rationem:quia ſicut poſt mortem non eſt ampliùs tempus merendi,ita nec ſatisfaciẽdi;ſolùm enim eſt tẽpus ſatis patiendi.Quod ampliùs firmatur, quia ſi per tales actus poſſent animæ ſatisfacere, cùm habeant iam intellectum, & voluntatem in ſuis operationibus planè expedita, poſſent ſtatim plurimos tales elicere actus: atque ita breuiſſimo tempore pro maximis ſatisfacere pœnis. Quod eſt contra communem Eccleſiæ ſenſum, quæ iudicat ſæpè multas animas valdè diu in Purgatorio permanere. 4

Dico *quartò*, prædictum actum Contritionis eſſe diſpoſitionem ſufficientem, vt culpæ veniales remittantur. Patet, quia ipſa Contritio ſufficiens eſt diſpoſitio, vt intuitu illius immediatè poſt mortem, ſtatim à Deo omnis culpæ venialis venia concedatur; nam etiam in hac vita, poſitâ Contritione ſtatim omnis tollitur culpa, ad quam ipſa extenditur. Dicitur autem prædicta Contritio diſpoſitio ad veniam, quia eſt mera ablatio indiſpoſitionis, & obicis ad veniam: nam hæc indiſpoſitio conſiſtit in carentia reſipiſcentiæ; quæ tollitur omninò per primum dolorem, & retractationem; quæ non eſt Attritio, ſed perfectiſſima Contritio. 5

Obiicies contra dicta. *Primò*,poſt mortem remitti 6 iuſto

Digitized by Google

iuſto venialia ex meritis præcedentibus; ergo venialia non remittuntur intuitu Contritionis poſt mortem elicitæ. Antecedens probatur, quia iuſtus in hac vita per bona opera ſicut meretur gloriam, ſi moriatur in gratia; ita etiam meretur, vt ſi moriatur in gratia, detur ei venia ſuorum venialium, ſine qua non poteſt conſequi cum effectu gloriam quam meretur. *Reſpondeo*, concedendo iuſtum habere ius ex meritis præcedentibus huius vitæ, vt poſt mortem remittantur ei venialia, ac proinde aliquo modo remitti ei venialia ex meritis præcedentibus. Quod adeò verum eſt, vt ſi contingat, iuſtum poſt vltimum veniale peccatum nulla habere merita noua, quibus meruerit illius remiſſionem poſt vitam, tunc ſufficere merita ipſius iuſti facta etiam ante vltimum veniale peccatum: nam ſicut illa merita meruerunt augmentum gratiæ, meruerunt quoque ablationem omnium impedimentorum ad conſecutionem gloriæ, ſi moriatur in gratia; inter quæ impedimenta eſt perſeuerantia maculæ venialis. Hinc tamen non ſequitur, ipſam retractationem, vel Contritionem eſſe meritum remiſſionis venialis culpæ, vt liquet: neque etiam ſequitur, non remitti venialia, intuitu illius Contritionis, tanquam diſpoſitionis, cùm verè ſit diſpoſitio auferens impedimentum, & obicem ad obtinendam à Deo venialium remiſſionem iuxta præſentem Dei ordinationem ac prouidentiam.

Obiicies *ſecundò*, ſi iuſtus per bona opera me-
7 retur condignè remiſſionem venialium; ergo remitti debent illi ſtatim etiam ante mortem: atque adeò non eſt cur differatur remiſſio eorum ad aliam vitam poſt mortem. *Reſpondeo*, tametſi iuſtus ſuis operibus mereatur remiſſionem venialium, non tamen mereri eam habere, niſi priùs doleat de illis: nam ſecundùm legem, & diſpoſitionem diuinam de facto non remittitur culpa aliqua iuſto adulto, niſi præcedat illius ſufficiens retractatio, hæc autem quia aliquando non ponitur ab eo in hac vita, neceſſe eſt differatur remiſſio poſt mortem, quando eſt contritio.

Obiicies *tertiò*, non eſſe cur poſitâ dictâ Contri-
8 tione, ſtatim culpæ veniales remittantur; quia quandiu pœna non eſt ſoluta, minimè debetur introitus in cœlum: ergo ſolutâ pœnâ tunc remittetur culpa. *Reſpondeo*, ad remiſſionem culpæ venialis ſolùm requiri illam Contritionem poſt mortem vt meram ablationem indiſpoſitionis, & obicis ad veniam, vt dictum eſt; quæ indiſpoſitio conſiſtit in carentia reſipiſcentiæ: cùm autem ea indiſpoſitio omninò tollatur per primam illam Contritionem; ideò non eſt, cur vel ad quid differatur remiſſio culpæ (præſertim cùm iam homo non poteſt vlteriùs ſatisfacere pro culpa) donec ſoluta ſit tota pœna. Dignitas verò pœnæ pro venialibus debitæ, ſicut etiam & pro mortalibus quoad culpam remiſſis, paulatim minuitur in purgatorio ipſa tolerantia pœnæ, quouſque tandem extinguatur. Cæterùm nihil illius aufertur actu ipſo Contritionis, quo diſpoſitiuè remittuntur veniales culpæ: quia actus Contritionis in eo ſtatu licèt ſit ſatisfactorius in actu primo pro pœna debita reſtante, non tamen ſatisfacit in actu ſecundo; quia non acceptatur à Deo in eo ſtatu in locum pœnæ debitæ. In quo diſtinguitur dignitas pœnæ æternæ debitæ ob peccatum mortale: nam hæc neceſſariò tollitur de facto per gratiam habitualem iuſtificantem, & remittentem culpam peccati mortalis.

SECTIO IX.

An, & quo pacto Sacramentalia remittant venialia peccata; & quot illa ſint.

NOmine Sacramentalium intelligimus quaſdam 1
actiones, ac pios ritus ab Eccleſia inſtitutos; quos Doctores nonnulli hoc carmine comprehendunt.

Orans, tinctus, edens, confeſſus, dans, benedicens.

Sic autem explicant *Orans*; ideſt, Oratio Dominica, & oratio in Eccleſia conſecrata, & tunſio pectoris quâ vti ſolemus, quando oramus.

Tinctus: id eſt, aſperſio aquæ benedictæ, & etiam vnctio cæremonialis Epiſcoporum, & Regum.

Edens: ideſt manducatio panis benedicti.

Confeſſus: id eſt, Confeſſio generalis, quæ dicitur initio Miſſæ.

Dans: ideſt eleemoſyna.

Denique *Benedicens*; id eſt benedictio Epiſcopi, & Abbatis conſecrati.

Circa primum igitur, Sotus *in 4.d. 15. q. 2. artic.* 2
3. & Ledeſma *p.p.4.quæſt.28.articul.*3. exiſtimant venialia peccata remitti per Sacramentalia ex opere operato, nullâ aliâ requiſitâ in homine diſpoſitione, quam vt ea liberè, ac humano modo ſuſcipiat ſine actuali circa ea peccata complacentiâ. Probatur id *primò*, quia eſt communis fidelium ſenſus aquæ benedictæ ſuſceptione cum deuotione, ac reuerentia, remitti peccata venialia. Cui videtur fauere D. Thom. *3.p.quæſt. 67. articul. 3. in corpore*, dicens, aquam benedictam, aliáque huiuſmodi Sacramentalia, in quantum vſurpantur cum aliquo reuerentiæ motu in Deum, & ad res diuinas remittere venialia peccata.

Secundò, in veteri Lege remittebantur venialia peccata per vſurpationem cæremoniarum Legis illius, vt docet Auguſtinus *lib. de vera, & falſa pœnitentia c.* 20. ergo potiori iure in Lege noua remitti debent per vſurpationem Sacramentalium cum reuerentia, abſque bono alio actu hominis ea vſurpantis.

Tertiò, Sacramentalia hoc appellantur nomine, quòd in conferenda peccatorum venialium remiſſione imitentur Sacramenta in conferenda gratia, per quam & venialia, & mortalia remittuntur: ergo ſicut hæc hanc conferunt ex opere operato: ita & illa remiſſionem illam ex opere operato conferent.

Vltimo, ſi Sacramentalia remitterent venialia, excitando ſolùm ad Contritionem, certè per ea quoque remitterentur mortalia; quia vim etiam habent ex fide, meritis, & precibus Eccleſiæ ad excitandum de his Contritionem perfectam qua remitterentur.

Dico *primò*, certum eſſe apud omnes, Sacramentalia 3
conducere ad venialia remittenda. Id conſtat ex fidelium communi vſu, & ex antiquiſſima conſuetudine vtendi Sacramentalibus ad venialium remiſſionem. Quomodo verò conducant, ſequentibus Dictis aperiam.

Dico ergo *ſecundò*, Sacramentalia non remittere 4
proximè, & immediatè venialia peccata. Ita S. Thom. *quæſt. 7 de malo, articul.* 12. Petrus Soto *lect.* 18. *de pœnitentia*, Vaſquez *quæſt.* 87. *articul.* 3. *dub.* 1. Suarez *diſputat.* 12. *ſect.* 2. Cardinalis Lugo *diſputat.* 10. *ſect.* 4. Gaſpar Hurtado *diſputat.* 11. *difficultate* 15. Mæratius

diſputat. 10. *ſect.* 1. & alij. Probatur, quia Sacramentalia non remittunt immediatè venialia inſtar Sacramentorum ex inſtitutione Chriſti, vt eſt certum, quia de tali inſtitutione nullatenùs conſtat, vt eſt in confeſſo apud omnes. Præterea neque id habent ex inſtitutione Eccleſiæ; quia in Eccleſia non agnoſcitur auctoritas inſtituendi remedia ad immediatè remittendas culpas; neque enim habet à Chriſto poteſtatem dimittendi peccata extra Sacramenta: potuit quidem Chriſtus eam poteſtatem Eccleſiæ relinquere, ſi vellet; de facto tamen non dedit ei poteſtatem circa culpam vllam mortalem, & venialem, niſi mediantibus Sacramentis ab ipſo Chriſto inſtitutis. Dedit quidem poteſtatem dimittendi pœnas peccatorum immediatè per Indulgentias, nullum opus pium exigendo, ſed aliis de cauſis dans communicationem Theſauri ſuorum meritorum, ex quo poſſit applicare per indulgentias pro debito pœnæ; non tamen dedit poteſtatem tollendi culpas extra Sacramentum. Et ratio eſt, quia reatus pœnæ poteſt tolli ſine infuſione gratiæ; & ideò non eſt inconueniens quòd tollatur ab Eccleſia extra Sacramenta: at nullius culpæ reatus tollitur ſine infuſione gratiæ habitualis de facto, vt vidimus *ſuprà*; neque Eccleſiæ communicata eſt poteſtas dandi gratiam extra Sacramenta, neque ipſa Eccleſia vnquam agnouit in ſe talem poteſtatem. Cùm igitur Eccleſia nullam habeat poteſtatem, ſua inſtitutione, efficaciter annectendi aliquibus rebus vim remittendi venialia peccata, vel dandi gratiam; & ipſa Sacramentalia habeant omninò omnem ſuam vim ex inſtitutione Eccleſiæ, ſequitur manifeſtè non habere vim proximè, & immediatè remittendi venialia peccata, ſicut nec dandi gratiam.

5 Dico *tertiò*, Sacramentalia remittere peccata quatenùs aliqua ratione in nobis excitant pium aliquem motum, vel actum aliquem Contritionis quo illa remittuntur. Ita Doctores citati. Id manifeſtè probatur, quia cùm Sacramentalia ex communi conſenſu habeant aliquam vim remittendi peccata venialia; is ſaltem modus illis eſt concedendus, quia nullus alius videtur magis accommodus eorum inſtitutioni, ac benedictioni, quæ fit per Eccleſiæ preces, quibus ipſa nobis tales motus, vel Contritionem precatur; & non eſt dubium quin à Deo ſæpè audiatur. Iuxta hanc doctrinam intelligendi ſunt Patres, Canones, & Auctores, qui dicunt, per vſum Sacramentalium deleri venialia peccata; quia iidem tribuunt eandem vim eleemoſynæ, tunſioni pectoris, orationi Dominicæ, & ſimilibus actibus piis, quæ tamen non aliter peccata venialia delent, quam quatenus ratione doloris, vel Contritionis de illis conceptæ à Deo impetrant remiſſionem.

6 Dico *vltimò*, Sacramentalia non conferre nobis prædictos pios motus, ſeu gratias præuenientes, vel etiam dolorem, & Contritionem de peccatis, vi ſua, & ex opere operato, ſed tantùm per modum impetrationis, quæ non habet omninò infallibilem effectum. Ita Coninck *quæſt.* 71. *articul.* 3. *numer.* 28. benè notauit ex Suario de Sacramentis *diſputat.* 15. *ſect.* 4. Probat, tum quia Theologi inde inferunt, ſolum Deum poſſe inſtituere Sacramenta gratiam ex opere operato conferentia, quia ſolus Deus poteſt immediatè nobis infundere gratiam ſanctificantem; ergo cum ſimiliter ipſe ſolus poſſit nobis inſpirare tales motus, ipſe ſolus poterit inſtituere cæremonias ex opere operato eiuſmodi motus conferentes. Ex alio capite nullum eſt fundamentum, vnde quis poſſit probare, Deum eiuſmodi poteſtatem communicaſſe Eccleſiæ, ergo. Tum etiam, quia ea quæ ex opere operato ſuum effectum conferunt, eum omninò infallibiliter conferunt ex diuina promiſſione: at neque ex Scripturis, neque ex Eccleſiæ traditione talem promiſſionem poſſumus probabiliter colligere, ergo fruſtra ea eſt aſſerenda. Maximè ſi aduertamus, Eccleſiam in Sacramentalium conſecratione non vti verbis aſſertiuis, quibus abſolutè effectum futurum ſignificet, ſicut in Sacramentis, ſed verbis deprecatoriis, vt oſtendat ſe hos effectus tantùm à diuina miſericordia ſperare, ſicut alia quæ à Deo petit. Quæ deprecatio tametſi multùm apud Deum valeat, & aliquid communiter impetret; tamen non ſemper obtinet totum quod petit, ſed prout diuinæ prouidentiæ, pro loco & tempore viſum fuerit. Aliquando enim iuſtis de cauſis Deus non concedit vniuerſaliter ea quæ ab Eccleſia petuntur, vt bene notauit Cardinalis Lugo *loco citato*, *n.* 63.

Ex dictis colligo *primò*, Sacramentalia ex Eccleſiæ inſtitutione, magis prodeſſe ad venialium remiſſionem, quàm alia quæ non habent eam inſtitutionem: quia proſunt quatenùs ex impetratione Eccleſiæ Deus dat ſæpe vtentibus aquâ benedictâ, vel aliis huiuſmodi, aliquem pium motum contra venialia, quem aliàs fortaſſe non daret: non tamen proſunt immediatè, neque infallibiliter, ſed per modum impetrationis modo explicato. 7

Colligo *ſecundò*, Sacramentalia non remittere pœnas temporales debitas peccatis iam remiſſis. Patet ex eorũ inſtitutione: nam ad hunc effectum Sacramentalia non ſunt inſtituta, ac proinde eam remiſſionem Sacramentalia per ſe, & vi ſua non operantur vltra meritum, & ſatisfactionem operantibus, ſiue illis vtentibus, niſi Pontifex illis aliquas annexuerit indulgentias.

Ad argumenta oppoſita. Ad primum, Dico, communi fidelium ſenſu attribui Sacramentalibus remiſſionem venialium modo à nobis explicato, quatenus excitare ſolent bonos motus doloris, & Contritionis, ad venialium remiſſionem ſufficientes. Et hoc ſolum eſt, quod docuit D. Thomas. De aqua benedicta, cùm dicitur ſanctificare, & purificare iuſtos, ſolùm eo modo loquendi explicatur excitare actum Charitatis, vel Contritionis, quo venialia peccata deleantur. Nec ad id opus eſt vt aqua benedicta habeat vllam vim ex opere operato, ſed impetratoriè tantùm deſeruiat ad prædictum finem. Atque in hoc ſenſu orat Eccleſia, ſicut ex Pontificali conſtat, vt aqua luſtralis ſit omnibus eam reuerenter ſuſcipientibus ſalus mentis, & corporis vniuerſim. Ex qua oratione habet quoque vim, tum ad fugandos dæmones, tum ad eorum tentationes repellendas, vt eſt apud omnes Catholicos certum, ac indubitatum. 8

Ad ſecundum, Dico, illum librum non eſſe D. Auguſtini, nec alterius viri magnæ auctoritatis. Cuiuſcumque verò ſit, dictum illud benignè eſt intelligendum, vt ſolùm voluerit, per vſurpationem cæremoniarum veteris Legis eatenùs venialia remiſſa fuiſſe, quatenus illæ ex opere operantis à Deo impetrabant actum Pœnitentiæ, & Contritionis de illis. 9

Ad tertium Dico, vt Sacramentalia hoc nomine appellentur, ſatis eſſe, vt in multis Sacramenta imitentur; in eo videlicet, quòd ſicut hæc à Chriſto inſtituta ſunt, ita & illa ſint ab Eccleſia inſtituta; ſicut etiam hæc ſunt inſtituta ad conferendam gratiam ritè ea ſuſcipientibus, per quam peccata remittantur; ita etiam illa, licet non eodem prorſus modo: nam hæc ex ſolius Chriſti condignis meritis, infallibiliter, & ex opere operato conferunt gratiam; illa verò ex Eccleſię congruis meritis ex opere operantis, nec ſemper infallibiliter. 10

Ad

11 Ad vltimum, concedo Sacramentalia poſſe quoque conducere ad tollenda mortalia aliquo modo, non tamen ita frequenter ſicut ad venialia. Tum ex parte Dei, qui non ita facile placatur in vno caſu ac in alio. Tum ex parte hominis, qui non ita facile concipit motum ſufficientem contra mortalia. Tum deniq; ex parte Eccleſiæ, quæ non ita applicat ex primaria intentione hæc remedia contra mortalia, ſicut contra culpas leuiores: quoniam habet contra mortalia alia efficaciora remedia grauioribus morbis applicanda.

12 Circa ſecundum de numero Sacramentalium. Nonnulli Doctores in Sacramentalium numero reponunt duodecim res, quæ ſunt eiuſmodi: Oratio Dominica, Eleemoſyna, Percuſſio pectoris, Cōfeſsio generalis, Benedictio Epiſcopalis, Communio, Auditio Miſſæ, Concio, Aqua benedicta, Panis benedictus, Oratio in Eccleſia facta, & Vnctio ſacra. Probāt, quia prædictę res, vtpote pię, habēt ex ſe quandam vim excitandi fideles ad quandam pietatem, ac reuerentiam, vt notat Catechiſmus Tridentini *p. 2. de Baptiſ. §. 45*.

Alij verò dicunt Sacramentalium numerū eſſe prope infinitum: quia inter Sacramentalia numerari poſſunt quæcumque res excitantes in nobis Contritionis motum de peccatis venialibus; cuiuſmodi ſunt piæ imagines, aliorum pro nobis orationes, ad bonum exhortationes, conciones, & alia id genus innumera.

13 Placet mihi dicere cum noſtro Mæratio *diſp. 10. cit. ſect. 3. n. 7. & 8*. ex omnibus recenſitis, ſolas quatuor res eſſe, & dici debere Sacramentalia, nempe Aquam benedictam, Orationem in Eccleſia factam, Vnctionem ſacram, & Panem benedictum, ſub quo omnes cibi ab Eccleſia benedicti comprehenduntur. Moueor ad id aſſerendum hâc vnicâ ratione. Quia nimirùm, vt quidpiam ſit Sacramentale, debet eſſe res quodammodo permanens, Eccleſiæ precibus præſanctificata, ſeu conſecrata, & ab ea inſtituta ad obtinendam ex ipſius Eccleſiæ congruis meritis, & precibus, venialium remiſſionem, ſiue vim huius remiſsionis à Deo obtinendę aliunde etiam habeat, ſiue non. Id enim conſtat ex communi ſenſu Theologorum, & modo loquendi de Sacramentalibus: At ex illis rebus, quæ comprehenduntur in illo carmine *ſuprà* memorato *numero primo*, & ex duodecim rebus numeratis quas aliqui in Sacramentalium numero ponunt, ſolùm quatuor prædictæ in Sacramentalibus numerari debent. Quod ſic oſtendo, facta inductione per illas.

Nam in primis Aquæ benedictæ, & Pani benedicto conditiones Sacramentalium conuenire, eſt ſatis manifeſtum. De oratione in Eccleſia facta idem liquet; quia Eccleſia res permanens eſt, conſecrata, & ſanctificata Eccleſiæ precibus, eo fine, vt fideles in ea orent, & ipſorum orationes ipſius Eccleſiæ precibus ac meritis innixæ faciliùs à Deo exaudiantur. Idem quoque patet de Vnctione ſacra: appellatur enim hîc ſacra, quæ fit ex materia permanente per Eccleſiam conſecrata, cuius vſus Sacramentale eſt, non modo extra Sacramenti alicuius adminiſtrationem, ſed etiam in ipſa: in qua tamen diſtinguere debemus id quod ei conuenit vt pars Sacramenti eſt, ab eo quòd habet ex Eccleſiæ precibus factis in materiæ conſecratione ſeu benedictione quâ conſtat. Quod autem nulli aliarum rerum quę ſunt relatæ, prædictæ adſint conditiones, manifeſtum videtur. Nam certum eſt non adeſſe imaginibus, exhortationibus, concionibúſque, quia ad dolorem, & Contritionem excitant per modum obiecti, ſed non ex Eccleſiæ meritis ac precibus.

Quod verò nec auditioni Miſſæ, nec ſacræ Communioni conueniant, ideò manifeſtè liquet, quia tametſi ad venialium peccatorum conferant remiſſionem, auditio Miſſæ, quia participatio Sacrificij eſt; & ipſa Communio, quæ eſt participatio Sacramenti, tamen hoc, & illud non ex Eccleſiæ meritis & precibus, ſed ex Chriſti inſtitutione vim habet. Præterea quòd nec orationi Dominicæ, percuſſioni pectoris eleemoſynæ, & Confeſſioni generali competant, conſtat ex eo, quia hæc etiam non ex Eccleſiæ inſtitutione, ſed ex rei natura ſunt apta media ad impetrandum à Deo ſpiritum compunctionis de peccatis. Denique ob eandem rationem minimè conueniunt benedictioni Epiſcopali, aut priuatorum hominum orationibus pro aliis; quia nimirùm non ex Eccleſiæ precibus, ac meritis vim habent, ſed tantùm vnius perſonæ de Eccleſia.

Ex quo patet ſolutio ad argumentum *ſupra* adductum, nam illæ res ad pietatem nos excitant per modum obiecti, ſed non ex Eccleſiæ inſtitutione.

DISPVTATIO XI.

De perpetuitate Pœnitentiæ, & Contritionis; ſeu de non reditu peccatorum, quæ per Pœnitentiam, ſeu Contritionem remiſſa ſunt.

HACTENVS fuſè explicatum eſt, tolli, ac remitti peccata omnia, tam grauia, & mortalia, quàm etiam leuia, & venialia per ipſam Pœnitentiam, ſeu Contritionem perfectam; oportet modò perpetuitatem, ac immutabilitatem remiſſionis, ac deſtructionis illorum diſcutere; quod facilè præſtabimus, ſi exactè inueſtigemus, an, & quomodo illa duo, quæ in peccato ſunt inſeparabilia, & ſolùm ratione diſtincta, videlicet culpa ſeu macula propria, & reatus pœnæ illi debitæ, minimè per ſubſequens peccatum redeant, nec vnquam poſteà reuiuiſcant?

SECTIO PRIMA.

An culpa actualis eadem numero poſſit redire per commiſſionem eiuſdem numero peccati.

PROCEDIT præſens quæſtio tam de actu materiali peccaminoſo, quàm de malitia formali illum conſequente.

1 Circa primum de actu materiali, Suarez *diſp.* 13. *ſect.* 1. *n.* 11. admittit fieri poſſe in aliis actibus miraculosè, vt idem numero redeat actus; negat tamen in actu peccaminoſo, quia in hoc miraculum illud nec neceſſarium eſt, nec conueniens, nec decens diuinam bonitatem.

2 Cardinalis Lugo *diſp.* 10. *ſection.* 1. *n.* 1. duo dicit. *Primum*, ſemel dato, quòd id eſſet poſſibile, non repugnare Deo in actu materiali peccaminoſo. Probat, quia inde non ſequeretur, quòd Deus diceretur auctor illius peccati, cùm ſolùm daret in actu primo concurſum indifferentem ad illum actum materialiter malum, & ad actum bonum oppoſitum, nullóque modo determinaret, aut ſuaderet, imò potius diſſuaderet fieri eum actum malum. *Secundum*, abſolutè negat id eſſe poſſibile, quia exiſtimat, non poſſe eũdem actum numero reddi, ſeu reproduci; quia videlicet nequit idem actus reproduci in alia duratione: nam duratio hodierna non poteſt cras reproduci.

3 Dico *primò*, ex parte cauſarum naturalium ſecundarum, non repugnare naturis rerum reproductionem eiuſdem numero effectus, vel actus permanentis, ſiue ex vi eiuſdem actionis, ſiue diuerſæ. Moueor ad id aſſerendum, quia inprimis id non repugnat ex defectu virtutis in cauſa ſecunda; nam eiuſmodi cauſa eiuſque virtus, etiamſi finita ſit, per primam effectus productionem non manet exhauſta; vnde tam integra & perfecta manet efficacia eius, ac ſi nihil produxiſſet: quia virtus productiua non minuitur per actiones, vel actus ab illa procedentes, ſed eadem omninò intrinſecè manet, & ita cum eadem fœcunditate ad producendum effectum; fœcunditas autem cauſæ à virtute illius non diſtinguitur. Hac enim ratione, quælibet potentia actiua, quantumuis finita, poteſt ſucceſſiuè agere in infinitum, ſi integra perſeueret in ſuo eſſe, quia manet etiam integra in efficacia ſua, & ex parte effectus illa ſucceſſio, vel multiplicatio in infinitum non repugnat. Firmo, nam licèt virtus exhauriretur exercitio ſuarum operationum; non magis, imò minùs exhauriretur ſi conſeruaret effectum per duas horas continuas, quàm ſi initio illarum produxiſſet effectum, & actione interrupta, iterùm in fine illarum eundem produceret; quia cùm non requiratur maior virtus ad producendum, quàm ad conſeruandum, magis virtutis impenderetur in conſeruatione effectus per duas horas, quàm ſi productione repetita, quæ ſimul cum conſeruatione tantùm duraret per vnam horam diuiſim. Præterea, quod dicit Cardinalis Lugo non poſſe ex natura rei eundem actum numero reproduci in alia duratione, vel certe eſt æquiuocatio, vel non videtur efficax ratio. Nam vel eſt ſermo de duratione ſeu tempore extrinſeco, quod in motu cœli conſideratur; & hoc nihil refert ad intrinſecam indiuiduationem, vel intrinſecam diſtinctionem numericam actionum, vel actuum, quia ab hoc tempore ſolùm ſumitur denominatio extrinſeca quædam eorum, quæ in tali tempore eſſe dicuntur: vnitas autem vel diſtinctio numerica non conſiſtit in extrinſeca denominatione: nam vnaquæque forma etiam accidentalis phyſicè indiuiduatur per ſeipſam, vt eſt talis entitas, quia vnaquæque res per illud idem formaliter & intrinſecè eſt vna numero, quoad fundamentum vnitatis, ſeu negationis, quam dicit Vnum, per quam quod eſt ens actu in rerum natura; quia omne tale ens eſt ſingulare; at omnis res per ſuam entitatem eſt intrinſecè, & formaliter huiuſmodi ens actu; atquè ideò per eandem eſt ſingulare quid, & indiuiduum. Vel eſt ſermo de tempore, ſeu duratione intrinſeca ipſimet actioni, vel actui: & ſic cum talis duratio in re, nihil aliud ſit quàm exiſtentia ipſius actionis, vel actus; dicere iſtas actiones eſſe diſtinctas, quia diuerſo tempore fiunt, perinde eſt, ac ſi diceretur eſſe diſtinctas, quia habẽt diuerſas exiſtentias, & durationes, quod eſt idem. Quare non aſſignatur ratio, cur neceſſe ſit illas durationes, exiſtentias, aut entitates illarum actionum eſſe diſtinctas, & non potiùs eandem iterùm, atque iterùm repetitam.

Dico *ſecundò*, reproductionem eiuſdem rei iam
deſtructæ eſſe naturaliter impoſſibilem. Ita omnes. Pro- 4
bant id nonnulli, quia reſurrectio mortuorum eſt miraculoſa, vt lumine naturæ conſtat, non aliâ de cauſâ niſi quia eſt reproductio rei anteà corruptæ: ergo naturaliter nequit forma corrupta reproduci. Verùm hæc ratio efficax non eſt. Tum quia ſatis probabile eſt, in hominis reſurrectione nihil reproduci: non enim reproducitur anima; quia non perierat: neque corpus ob eandem rationem: vnio autem animæ & corporis poteſt eſſe diuerſa numero. Vnde reſurrectio mortuorum non apparet miraculoſa propter reproductionem rei corruptæ; ſed quia fit ſine ſemine viri, & fœminæ extra vterum maternum, & ſine diſpoſitionibus naturaliter præuiis; & etiam quia expelluntur formæ contrariæ ſine vlla cauſa naturali. Tum etiam quia ſi in corpore Leonis mortui, verbi gratia produceretur forma aliqua Leonis, etiamſi non eadem numero quæ corrupta fuerat, ſed alia noua, adhuc illa noua productio Leonis eſſet miraculoſa; & non propter reproductionem, vt ſupponitur: non igitur propter reproductionem reſurrectio hominis cenſenda eſt miraculoſa. Ratio igitur ſumenda eſt ex decreto Dei fundato in naturis rerum, quo determinauit concurſum ſuum cum cauſis ſecundis, ſemper ad nouos, & diſtinctos effectus producendos, non verò ad producendum iterùm effectum, qui priùs fuit, & iam eſſe deſiit. Cúmque agentia creata naturalia ordinentur ad multiplicationem indiuiduorum, eámque naturaliter intendant: (nam ipſa natura exigit propter ſui pulchritudinem, quæ maximè in varietate conſiſtit, ne formæ ſemel corruptæ iterùm reproducantur, ſed aliæ diſtinctæ; atque adeò quæ ſemel producta eſt maneat impoſſibilis naturaliter) ideò eſt magis conſentaneum naturis eorum, vt ſemper concurſum recipiãt ad nouos effectus. Hac enim de cauſa non ſolùm in Dei voluntate, ſed etiam in ipſis naturis rerum fundatum eſt, quòd in hominum generationibus ſemper nouæ animæ producantur, & non vniantur iterùm aliis corporibus quæ ſemel iam creatæ, & ſeparatæ exiſtunt.

Dico *tertiò*, nullo modo implicare, eundem nu-
mero actum entitatiuum peccaminoſum reddi, vel 5
reproduci. Id ſequitur ex præcedentibus; quia iam oſtenſum eſt poſſe eundem actum, ſicut & quamlibet aliam rem permanentem, eandem numero reproduci in alia duratione extrinſeca; & de omni re dictum eſt, poſſe eandem numero reproduci, ſi Deus voluerit, & ſub alio ordine rem ipſam diſpoſuerit: quia id totum pendere videtur ex libera Dei diſpoſitione, qui ſi decerneret eundem numero actum ſiue peccaminoſum, ſiue bonum reproducere, talis diſpoſitio eſſet extraordinaria, & quaſi miraculoſa; quia non eſſet iuxta diſpoſitionem & decretum Dei præsẽs, qui volens ſe accõmodare naturis rerum, ſemper dat concurſum ad nouos effectus, & non ad eundem numero iterùm producendum. Nihilominùs tamen ſi id vellet præſtare Deus, iure poſſet abſque vlla indecentia, vel repugnantia cum ſua diuina bonitate. Præſertim quia ſi id tale decreuiſſet, non defuiſſent illi rationes, & conuenientiæ rationabiles, & valdè vtiles ad illud peragendum

agendum. Vnde,vt benè notauit Cardinalis Lugo, inde non ſequeretur,quòd Deus diceretur auctor, & cauſa peccati. Nam in eo euentu concurreret eodem modo ad entitatem actus peccaminoſi, ſicut modò concurrit ad illum, quin cenſeatur eſſe cauſa peccati. Ratio eſt, quia non concurrit Deus determinatus in actu primo, ſed potiùs indifferens omninò, & eius concurſus determinatur à cauſa ſecunda libera: Offert enim Deus voluntati concurſum in actu primo indifferentem ad bonum, vel ad malum, cum animo tamen, vt quantum eſt ex ſe, Deus vellet non fieri actum malum; ideóque à malo deterret hominem minis, exhortationibus,& reprehenſionibus;optat autem è contrario vt eliciat opus bonum, ad quod allicit præmiis, exemplis, &c. Quare Deus ad actum peccati non ſolùm dat concurſum indifferentem,ſed talem,vt vellet ne fieret, quantum eſt ex ſe malum: atque adeò non ſolùm non concurrit cum inclinatione,ſed potiùs cum repugnantia,& auerſione. Quod non habent cauſæ phyſicæ naturales reſpectu ſuorum effectuum,licèt indifferentes ſint.

6 Circa ſecundum de malitia formali conſequente actum materialem, docet benè Suarez citatus, tametſi actio phyſica eſſet eadem nihilominùs tamen moraliter illam actionem bis repetitam quoad iniuriam & demeritum, perinde ſe habituram, ac ſe habent duo peccata numero diſtincta.

SECTIO II.

An peccata remiſſa per Pœnitentiam redeant quoad culpam propter ſubſequens peccatum mortale?

1 DIxi in præcedenti ſectione eandem malitiam formalem peccati non redire ex noua commiſſione, ſed perinde ſe habere, ac duo peccata numero diſtincta. Nunc accedimus iam ad id, quod eſt proprium præſentis diſputationis, non agentes de reditu peccati ex noua commiſſione,ſed de reditu peccati iam per Pœnitentiam remiſſi, propter ſubſequens mortale peccatum. Vt verbi gratia, peccat Petrus peccato homicidij, & poſtea iuſtificatur; deinde peccat peccato luxuriæ, vel fornicationis diſceptatio eſt,an Petrus per hoc peccatum fornicationis, non ſolùm ſit reus huius luxuriæ, ſed etiam homicidij iam antea dimiſſi. Atque in præſenti ſectione id inquirimus de actuali reditu quoad culpam,ſeu maculam peccati habitualem.

2 Affirmant antiqui Theologi, Hugo de S. Victore *lib. 2. de ſacramentis part. 14 cap. 9.* Gratianus *diſtin. 4. de Pœnitentia*, & Guillelmus Pariſienſis *tract. de Sacramento Pœnitentiæ fol. 45. col. 3.* Alij limitant hanc ſententiam ad quatuor genera peccatorum, quæ ratione ſpeciali reuiuiſcere faciunt culpam iam dimiſſam,nempe ad peccata odij fratris,apoſtaſiæ à fide,contemptus Confeſſionis, & doloris de peracta pœnitentia. Ita Præpoſitiuus. Quod non leuiter indicant,quod attinet ad odium fratris, Ambroſius *in cap. 4. Epiſtolæ ad Epheſ.* Auguſtinus *ſerm. 15. de verbis Domini*, Chryſoſtomus *hom. 26.* in illa verba Matthæi 18. *Tradidit eum tortoribus*,& Theophylactus in dictum c. 18. Matthæi.

Probari poteſt *primò*, ex parabola illa *Matthæi* 18. Vbi ſeruus, cui Dominus vniuerſum debitum iam condonauerat, iterùm iubetur in vincula mitti, & torqueri, donec ſoluat, eo quòd ipſe ſuo conſeruo noluit dimittere. Quo ſatis apertè ſignificatur exegiſſe Dominum illud idem debitum quod remiſerat; atque adeò idem fore in peccatore, cui Deus peccata dimiſit, ſi in alia crimina prolabatur,præſertim crudelitatis in fratres. Nam Chriſtus Dominus prædictam parabolam ita finit; *Sic & Pater meus cæleſtis faciet vobis,ſi non remiſeritis vnuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris.*

Secundò, Scriptura ſæpe docet peccata redire in Dei memoriam,quæ obliuioni tradita erant, Pſalm. 78. *Domine ne memineris iniquitatum noſtrarum antiquarum.* Pſal. 108. *In memoriam redeat iniquitas Patrum eius.* Et 3. Regum 17. *Quid mihi & tibi vir Dei? reuerſus es ad me,vt rememorarentur iniquitates meæ.* At peccata nequeunt in Dei memoriâ reuocari, niſi quia iam deleta repullulant per ſubſequens peccatum; nam ſi peccata illa, quia in Dei memoriam reuocari dicuntur, non eſſent deleta, nequirent Dei memoriam ſubterfugere,ac proinde ſemper eſſent Deo præſentiſſima.

Tertiò, obiici ſolet exemplum meritorum, quæ poſſunt mortificari per peccatum, & poſtea reſurgere ac reuiuiſcere per Pœnitentiam,vt conſtabit *diſp. ſequenti*; ergo ſimiliter poteſt peccatum mortificari per gratiam,& poſtea reuiuiſcere per peccatum ſubſequẽs. Firmatur, nam *Ezechielis* 18. eodem modo dicit Dominus ſe non recordaturum ampliùs bonorum operum quæ quis cadens in peccatum antea egerat; ſicut dicit, ſe non recordaturum peccatorum, pro quibus quis egit pœnitentiam: at bona opera per peccatum mortificata redeunt per Pœnitentiam; ergo peccata occultata per Pœnitentiam redeunt quoque per ſubſequens peccatum.

Vltimò, in remiſsione peccati mortalis duo fiunt propter Pœnitentiam; datur enim gratia,& remittitur peccatum;ſed gratia datur ſub ea conditione, vt ſit tollenda per ſubſequens peccatum mortale;ergo & è contrario ita peccatum tollitur, vt propter eandem cauſam ſit rediturum.

3 Dico vt certum,culpas remiſſas formaliter & in ſe,de facto nũquam redire, quantumuis noua peccata multiplicentur. Ita modò omnes Theologi cum D. Tho. 3. *p. q. 88. art. 1.* Firmatur *primò*, vt certum auctoritate Gelaſij Papæ in *cap. Diuina, de pœnitentia, diſt. 4.* Vbi ſic ait: *Diuina clementia dimiſſa peccata in vltionem vlterius redire non patitur.* Et quamuis prædictis verbis clariùs inſinuet Pontifex,peccata dimiſſa non redire de facto quoad pœnæ reatum; inde tamen à fortiori cõuincitur,neque quoad culpam redire;nam ipſam culpam conſequitur reatus pœnæ. Idem probatur apertè ex D. Proſpero *in reſponſione ad ſecundam obiectionem Gallorum*,& refertur *cap. Qui recedit,de pœnitentia, diſt. 4.* Vbi ſic ait; *Omnis homo qui credens in Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum,regeneratur in Baptiſmo,tam à propriis peccatis,quæ mala voluntate contraxit,quàm ab originali quod à parentibus traxit abſoluitur;ſed relapſum poſt baptiſmum ad infidelitatem, & impios mores, qui negat originali peccato fuiſſe purgatum,tam falſa opinatur,quàm qui eundem aſſerit non æterna morte eſſe damnandum; qui enim recedit à Chriſto, & alienus à gratia finit hanc vitam, quid niſi in perditionem cadit? Sed non in quod remiſſum eſt, decidit, nec in originali peccato damnabitur.* Quibus verbis manifeſtè inſinuat Proſper, neminem catholicum poſſe hac de re dubitare; cùm dicat non minùs falsò poſſe negari, quàm ſi negetur apoſtatam à fide eſſe damnandum. Vnde in eodem gradu certitudinis videtur vtrumque collocare.

Secundò, probatur concluſio ex abſurdo;nam ex contraria ſententia fieret, oportere eum peccatorem, illa etiam peccata Confeſſione Sacramentali olim expiata confiteri rurſus,vt docet D. Thom. *in 4. d. 22. q. 1. a. 4.*

in corpore. Et meritò ſanè, quia mortalia peccata poſt baptiſmum admiſſa non expiantur, niſi Pœnitentiæ Sacramento ſuſcepto, vel in re, vel in voto, quod in actu perfectæ Contritionis includitur: ſi igitur peccata illa redeunt, & hominem tam reum culpæ conſtituunt, quàm conſtituerent antequam remitterentur, neceſſariò rurſus ſubiici debent Pœnitentiæ Sacramento. Quod manifeſtè firmo: nam ſi conciperemus hominem committere non tantùm ſpecie, ſed etiam numero peccatum, quod olim commiſerat, & per ſuſceptum Pœnitentiæ Sacramentum expiauerat, teneretur proculdubio illud confiteri rursùs ad conſequendam eius remiſſionem, quia mortalis peccati remiſſio non niſi per Sacramentum illud in re, vel in voto ſuſceptum haberi poteſt. At peccata illa quæ reipſa redire dicuntur ab aduerſariis, æquè ſunt eadem numero peccata, cum antè per Confeſſionem expiatis, ac iſtud eſſet.

Tertiò, idem oſtenditur: quia peccata quoad culpam ſeu maculam de facto tantùm remittuntur per gratiam, & ſanctitatem nobis inhærentem, ſua naturâ pugnantem cum illis: at per gratiam & ſanctitatem iſtam peccata abſolutè, & non ſub conditione in poſterum non peccandi, remittuntur, & extinguuntur, quia gratia & ſanctitas ſuâ naturâ opponitur peccatis quoad culpam ſeu maculam directè, quia hæc eſt formaliter iniuſtitia, & immunditieſ apud Deum, cui gratia & ſanctitas ſuâ naturâ opponitur: ſicut calor vt octo, abſolutè, & non ſub conditione aliqua, deſtruit frigus vt octo, quia ſuâ naturâ opponitur frigori vt octo; ergo peccata vt de facto remittuntur, per nullum peccatum ſubſequens redeunt.

Vltimò, Deus pœnitentibus abſolutè, & independenter ab omni futura conditione remittit peccata, & ea penitùs tollit; vt conſtat ex Scriptura ſacra, ſæpè dicente pœnitenti peccata abſolutè remitti, tolli, & deleri, itaut nihil eorum remaneat: Pſalmo 50. *Mundabor: lauabis me, & ſuper niuem dealbabor*. Iſaiæ cap. 1. *Si fuerint peccata veſtra vt coccinum, quaſi niue dealbabuntur: & ſi fuerint rubra quaſi vermiculus, vel vt lana alba erunt*. Pſ. 102. *Quantum diſtat ortus ab occidente, longè fecit à nobis iniquitates noſtras*. Denique Ioan. 1. dicitur Chriſtus tollere *peccata mundi*. Quibus loquendi modis omnimoda peccati abolitio ſignificatur. Quare peccata per pœnitentiam non ſolùm teguntur, vel incipiunt non imputari, ac veluti occultari, vt aliqui noſtri temporis Hæreticis ſomniarunt, ſed verè eradicantur, tolluntur, & deſtruuntur. Igitur peccata ſemel dimiſſa nunquam redeunt per ſubſequens peccatum. Patet Conſequentia: Tum quia, cùm Deus ſit omninò immutabilis, nunquam poteſt reuocare quod ſemel remiſit. Tum etiam quia talis eſt deſtructio peccati, vt oppoſitum eſſe, nempe eſſe in peccato, non poſſit fieri per ſolam Dei voluntatem.

4 Ad argumenta oppoſita. Ad primum Dico, intentum Chriſti Domini in illa parabola fuiſſe, nos excitare, vt benigni ſimus in proximos, facilè illis iniurias remittentes; & ſic nos habituros Deum benignum erga nos; alioquin eum tam ſeuerum futurum in nos, quàm nos ſumus ſeueri in proximos. Iuxta illud quod dixit Lucæ 6. *Dimittite, & dimittemini. Eadem quippe menſurâ, quâ menſi fueritis, remetietur vobis*. Vnde ad eiuſmodi intentum in dicta parabola concludit Dominus, quòd ſicut Dominus ille à ſeruo crudeli exigit priora debita, quamuis iam remiſſa; ita etiam potiori ratione pater cœleſtis ob crudelitatem non remittentium iniurias, non remittet, & exiget non ſolùm vera debita, & peccata nondum remiſſa, ſed iterùm exiget peccata iam remiſſa; ſed non eadem numero, ſed ſimilia, permittendo lapſum in alia tam multa, tamque grauia, vt iis non minus Deo debitores conſtituantur, quàm conſtituerentur præcedentibus omnibus nondum remiſſis. Quoniam verò Deum permittere ita euenire omnibus, qui crudeles in proximum fuerint, certum non eſt; ideò illa Chriſti verba non prorſus affirmatiua, ſed magis comminatoria cenſenda ſunt. Eodem modo intelligenda ſunt dicta Patrum Ambroſij, Auguſtini, Chryſoſtomi, & aliorum: hi enim ſolùm volunt, ob peccatum odij, aut crudelitatis in fratrem, ſæpe peccata præterita iam remiſſa redire; non eadem numero, ſed ſimilia: quia Deus ob dicta peccata permittit ſic peccantes labi in peccata ſimilia, peccatis iam remiſſis, vt in priorem debitorum ſtatum, ac pœnarum reducantur: quod eſt, debita iam remiſſa quodammodo exigere.

5 Ad ſecundum Reſpondeo paſſim illa Scripturæ ſacræ, Peccata in memoriam Dei reuocari, non ſignificare peccata iam remiſſa iterùm à Deo imputari, ſed Deum temporaliter punire peccata, quorum punitionem ita diſtulerat, vt eorum appareret oblitus. Vnde Deus non ſolùm dicitur obliuiſci peccatorum, quando peccata iam ſunt dimiſſa, ſed etiam dicitur obliuiſci, quando peccata iam dimiſſa temporaliter non caſtigat: qui tamen recentibus prouocatus ea cum his grauiter punit.

6 Ad tertium, ex diſputatione ſequenti conſtabit, merita non tolli, nec extingui, ſed verè remanere in acceptatione diuina; & ideò poſſe reuiuiſcere. Ad Confirmationem, tametſi concedamus, ex illis verbis Prophetæ per ſe ſumptis, non poſſe nos clare colligere diuerſitatem inter remiſſionem peccatorum, & mortificationem bonorum operum; ex diuerſitate tamen materiæ eam facilè nos colligere. Nam cùm iuſtificamur, applicantur nobis merita Chriſti, quibus pro peccatis quoad culpam, & pœnam æternam de condigno ſatiſfit; atque ideò ſecundùm hæc delentur omninò, ac ſi nunquam fuiſſent, vt etiam conſtat ex aliis Scripturæ ſacræ locis. Secus eſt de bonis operibus, quibus debetur æterna merces. Nam peccatum ſubſequens tametſi habeat vim ea mortificandi, ſiue impediendi hominem, ne poſſit eorum conſequi præmium, cùm tamen non efficiant, vt pro iis ſatiſfiat, non poteſt ea omninò tollere: atque ideò manent in acceptatione diuina, vt ſublato impedimento eorum præmium iis reddat Deus. Quare peccati remiſſi obliuio quoad culpam & pœnam æternam debet eſſe perpetua, cùm prò ea ſit omninò ſatiſfactum per merita Chriſti: obliuio verò bonorum operum tantùm debet durare, quandiu peccatum mortale ſubſequens durat: nam alias peccatum remiſſum neceſſariò in æternum puniretur, cùm propter ipſum homo in æternum priuaretur mercede præcedentium operum.

7 Ad vltimum, diuerſa eſt ratio de gratia quæ tollitur per ſubſequens peccatum mortale, ac de reditu peccati, quod iam eſt remiſſum: nam gratia per Pœnitentiam data non infunditur, vt abſolute perpetuò duratura, ſed quandiu homo nō poſuerit obicem conſeruationi eius; hoc autem obſtaculo poſito peccati mortalis, Deus ipſe poteſt ſuſpendere ſuum influxum, & poteſt eſſe cauſa priuationis gratiæ, quæ ſecundùm ſe ſumpta, pœna quædam eſt. At peccatum ſemel remiſſum, ac deſtructum, non poteſt redire ſine noua reproductione, non poteſt autem de nouo produci à Deo, cùm ſit malum culpæ, & Deus non ſit cauſa peccati; neque etiam ab homine, quia non iterum illud peccatum committit, vt ſupponitur; & peccatum ſubſequens ex ſe, & vi ſua non affert ſecum peccata præcedentia, vt per ſe notum eſt.

8 Inſtabis, peccatum illud iam remiſſum redire non per actionem Dei; nec hominis; ſed quaſi reſultare, & conſequi ex noua actione peccaminoſa hominis; ſicut cùm infans concipitur, incipit in eo eſſe peccatum originale, non per actionem pro-

priam

Digitized by Google

propriam Dei, neque per actionem hominis, ſed vt reſultans ex tali generatione. *Reſpondeo*, illud intelligi non poſſe quia, vt dixi, peccatum ſubſequens ex ſe, & ex vi ſua non affert ſecum præcedentia peccata, neque etiam in virtute peccatorum præcedentium, quatenus commiſſa fuerunt: quia iam illa prorſus ablata, & extincta fuerunt, & peccatum ſubſequens nullo modo continet illa, neque eſt veluti virtus ab eis relicta ad ea reproducenda; atque ideò id fieri non poteſt, nec phyſicè, nec moraliter. Vnde non eſt ſimile illud de peccato originali: nam hoc non dicit reſpectum ad actum voluntatis eius, qui illud contrahit, vt eſt certum; ſed ad peccatum Adæ; hoc autem non fuit plenè, & efficaciter ablatum, vt fuit peccatum totius naturæ, ſed tantùm vt fuit peccatum perſonæ: vt optimè notauit Suarez *diſp.* 13 *ſect.* 1. *num.* 5. At peccata perſonalia pœnitentis fuerunt iam antea per Pœnitentiam plenè, & efficaciter ablata, & deleta.

SECTIO III.

An peccata dimiſſa poſſint diuinitùs redire quoad culpam per ſubſequens peccatum?

1 IN hac re certum videtur, Deum nullo modo poſſe facere, vt peccata ſemel abſolutè remiſſa, ſicut modò de facto remittuntur, per ſubſequens peccatum propriè & formaliter redeant ſecundum culpam. Ratio eſt, quia impoſſibile eſt concipere, quomodo per ſubſequens peccatum illa redeant, niſi aut à Deo immediatè in homine reproducantur, quod fieri nequit; aut per ſubſequens peccatum reſultent, quod non poteſt concipi niſi fuerint remiſſa non abſolutè, ſed ſub conditione & dependentia ab euitatione futuræ culpæ; neque eſt veluti virtus ab eis relicta ad ea reproducenda, vt eſt per ſe manifeſtum. Firmatur, nam eſt manifeſta implicantia, vt poſſit vnquam redire macula peccati præteriti ſemel abſolutè condonata. Quia macula relicta nihil eſt aliud, quàm actus præteritus moraliter perſeuerans, quandiu à Deo non condonatur: ergo non poteſt manere illa macula niſi maneat actus præteritus non condonatus à Deo; ergo ſi ſemel fuit abſolutè condonatus, implicat quòd maneat illa culpa, cùm non poſſit manere actus præteritus non condonatus. Atque in hoc ſenſu exiſtimo docuiſſe Suarium *diſp.* 13. *ſect.* 1. *num.* 10. ſic dicentem, *Suppoſito modo remiſſionis peccati, quem Deus nũc ſeruat, omninò repugnare vt illa peccata redeant quoad culpam.* Solùm igitur poteſt eſſe duplex dubium. *Primum*, an poſſit Deus de potentia abſoluta remittere peccatum alio modo, ſcilicet, non abſolutè, ſed conditionatè, nimirum, niſi iterum peccaueris: *Secundum*, an tunc poſitâ contrariâ conditione poſſint præterita peccata ſic conditionatè dimiſſa iterùm redire ſecundùm culpam. Hæc igitur duo ſunt diſcutienda.

2 Circa primum Vaſquez 1. 2. *d.* 208. *c.* 5. & *in hac* 3. *p. q.* 88. *a.* 1. *dub. vnico*, Moncæus *diſp.* 12. *c.* 5. Meratius *diſp. etiam* 12. *ſect.* 3. Gaſpar Hurtado *diſp.* 11. *difficult.* 19. Cardinalis Lugo *diſp.* 10. *ſect.* 1. *numero* 10. & alij, negant poſſe peccata remitti à Deo ſub conditione. Probant *primò*, quia eo pacto peccata per infuſionem gratiæ non deſtruerentur, ſed tegerentur, & occultarentur.

Secundò, gratia ſuâ naturâ eſt abſoluta peccatorum remiſſio; ergo implicat, vt per illam remittantur peccata ſub conditione: nam alioquin eſſent ſimul abſolutè, & ſub conditione remiſſa, quod implicat.

Tertiò, ideò homo non poteſt expellere frigus ſub conditione ab aqua, quando applicat illi ignem, quia eatenus illud expellit, quatenus applicat cauſam frigoris expulſiuam, nec ſemel expulſum frigus habet vim illud recuperandi; Sed etiam Deus non aliter deſtruit peccatum, quàm infundendo gratiam illius expulſiuam, nec poteſt ſe ſolo reuocare peccata dimiſſa: ergo nequit illa ſub conditione remittere.

Quartò, gratia non minùs deſtruit peccatum, quàm condigna pro eodem peccato ſatisfactio; atqui adhibitâ condignâ peccati ſatisfactione nequit peccatum ſub conditione remitti; ergo neque infuſâ gratiâ ſanctificante.

Quintò, arguit Cardinalis Lugo, quia eo ipſo, quòd culpa remittatur ſolùm ſub conditione, non remittitur abſolutè, & ſimpliciter, nec poterit dici ablata, nec homo mundatus, & purificatus ab illa macula; quia condonare culpam alicui, eſt radicitus & ex corde euellere radicem offenſionis, & querelæ contra illum: ergo ſi maneat in corde peccatum præteritum, & radix querelæ & auerſionis, non fuit verè condonata offenſa; cùm condonare, ſit, reducere rem ad priorem ſtatum: interim autem dum Deus reſeruat ſibi illud ius ad querelam & odium, ratione offenſæ præteritæ, non reducit rem ad priorem ſtatum æqualitatis, & pacis, nec habet erga hominem eundem animum, quem priùs habebat. Firmat, quia licèt interim dum homo non peccat de nouo, non detur odium Dei ratione peccati præteriti iam remiſſi; adhuc tamen dum non peccat, manet abſolutè & actu ius illud in Deo, ratione peccati præteriti ad habendum illum odio, poſita tali cõditione; illud autem ius actuale impedit, quòd homo actu ſit iuſtus; & purus ab omni labe; qui enim debet ſub conditione odium, iam debet aliquid, & habet debitum actuale ex parte obligationis, licèt non obliget pro tunc, ſed pro tali tempore ad odium Dei terminandum. Vnde pro eo tempore intermedio licèt non haberetur odio à Deo, non tamen eſſet gratus & ſanctus; habet enim aliquid repugnans cum perfecta ſanctitate, & puritate, ſcilicet illud debitum, & obligationem paſſiuam ad odium Dei nondum condonatum, quæ aliquo modo maculat, & inficit animam, & facit eam non habere omnimodam æqualitatem cum Deo. Vbi enim eſt debitum, non eſt æqualitas, & vbi non eſt æqualitas, non eſt iuſtitia perfecta.

Vltimò, ille ſtatus culpæ dimiſſæ ſolùm ſub conditione eſt verè labes & macula repugnans cum conceptu perfectæ puritatis, & ſanctitatis: ergo homo in eo ſtatu non eſſet omninò purus, & mundus; atque ideò nec omninò gratus in conſpectu Dei. Antecedens probatur, quia humanitas peccatoris; cui fuiſſent condonata peccata non abſolutè, ſed ſolùm conditionatè iterùm non peccandi, non poſſet aſſumi ad vnionem hypoſtaticam, nec poſſet ille ſtatus ſtare cum perfectiſsima ſanctificatione, quam illa humanitas à Deo ſibi hypoſtaticè vnita participaret.

Partem affirmatiuam contrariam tuentur Scotus *in* 4. *diſt.* 21. *quæſt.* 1. *art.* 1. Gabriel *quæſt.* 1. *art.* 3. *dub.* 2. Medina *Codice de pœnitentia, quæſt.* 9. Val. *diſp.* 7. *q.* 5. *puncto* 1. Coninck *diſp.* 2. *dubio* 18. *n.* 148. *& ſequentibus*, vſque ad finem dubij: Granado, *controuerſia ſeptima, tractatu* 15. *numero* 6. & alij Probari id poteſt. 3

Primò, quia culpa, ſeu macula poſt peccatum actuale tranſactum relicta, eſt iniuria Deo facta habitualiter perſeuerans, hæc autem poteſt à Deo condonari, ſeu remitti ſub conditione non peccandi in futurum, non minus quàm vnus homo poteſt alteri iniuriam ſibi factam ſub conditione remittere; ergo Deus ita remittere poteſt.

Secundò,

Secundò, & eſt argumentum Coninckij, non repugnat, peccatum eſſe, quantum eſt ex ſe, & tamen adhuc non inficere ſubiectum, donec ponatur talis conditio: ſic enim peccatum Adæ, in quo omnes poſteri peccârunt, non inficit animam, donec vniatur corpori; quare ſi anima crearetur vno menſe, ante vnionem cum corpore, toto illo menſe non contraheret maculam originalem, poſt menſem verò poſitâ vnione inciperet infici à peccato præterito, quia licèt tunc non peccaret, tunc tamen ponitur conditio requiſita vt inficiatur; ergo ſimiliter poſſet Deus facere, vt homo cui remiſſum eſt peccatum ſub conditione iterùm non peccandi; illo tempore intermedio, quo non peccat, nullo modo inficeretur, & macularetur à peccato commiſſo, ſed ſuſpenderetur eius vis ad maculandum, poſtea verò poſitâ tali conditione noui peccati, inciperet infici, & maculari à peccato priori.

Tertiò, & eſt argumentum Granado: nam opera meritoria per peccatum ſubſequens mortificata non ſunt Deo tunc acceptata; tamen eo ipſo quòd deleatur peccatum, merita reuiuiſcunt, & iterùm acceptantur; ergo ſimiliter quandiu nouum peccatum non commiſerit pœnitens, cui dimiſſa ſunt peccata ſub ea conditione, non imputabuntur illi peccata præterita; ſed tamen eo ipſo quòd denuo peccet reuiuiſcent in conſpectu Dei ſcelera ipſius, & imputabuntur, ac ſi remiſſa non eſſent. Quæ enim in hoc implicantia aſſignari poteſt?

4 Perplacet mihi hæc ſecunda ſententia. Iuxta quam, in primis certum videtur, ſi Deus remittat peccata per ſolam extrinſecam condonationem, vt verè poteſt, non dubium, quin poſſit ea remittere ſecundùm culpam ſub conditione. Patet, quia Deus pro ſua libera voluntate remittit peccata: ergo poteſt illa remittere per extrinſecam condonationem prout ipſi libuerit; ergo poteſt ea remittere adhibitâ conditione. In hoc enim nulla cernitur implicantia. Firmatur, nam homines poſſunt & ſolent condonare offenſas ſibi illatas adhibita conditione aliqua: ergo potiori iure poterit idem Deus præſtare, præſertim ſi peccata remittat per ſolam ipſius extrinſecam condonationem.

5 Præterea, ſi remittantur peccata per gratiam ſanctificantem includentem extrinſecum Dei fauorem, videtur quoque certum, poſſe ſimiliter Deum illa remittere ſub conditione: quia tunc Deus ita condonat peccatum, vt poſſit illud non condonare, adhuc poſitâ gratiâ; nam prædictus Dei fauor, ſine quo nequit eſſe condonatio, eſt diuinitùs ſeparabilis ab infuſione gratiæ ſanctificantis, vt concedunt omnes qui affirmant gratiam habitualem eſſe diuinitùs cum peccato mortali compoſſibilem: ergo poteſt peccata illa Deus ſub conditione remittere.

Difficultas ergo ſupereſt, in ſententia Vaſquez, & aliorum negantium, poſſe diuinitùs coniungi peccatum & gratiam in eodem ſubiecto, & dicentium, ſolam gratiam habitualem, abſque vllo alio extrinſeco diuino fauore, eſſe formaliter integram formam ſanctificantem, & expellentem peccatum, an iuxta hunc modum opinandi, poſſit concipi, Deum poſſe remittere peccata ſub conditione. Cùm enim in hac ſententia idem omninò ſit, velle infundere gratiam, & velle peccatum deſtruere, implicare videtur, quod velit Deus abſolutè gratiam infundere, & quòd non velit eodem modo nempe abſolutè, ſed ſub conditione peccatum deſtruere.

6 Nihilominùs tamen iuxta hanc ſententiam, verius iudico, nullam eſſe implicantiam, cur non poſſit Deus infundere gratiam ſub conditione, atque adeò per eandem gratiam remittere peccatum ſub conditione. Moueor *primò*, quia Deus liberè confert gratiam, etiamſi cum peccato graui ſit omninò incompoſſibilis; & non ſolùm poteſt illam conferre ſub conditione verùm & defacto homini infunditur, non vt abſolutè, ac perpetuò duratura, ſed conditionatè, quandiu homo non poſuerit obicem per peccatum conſeruationi ipſius, quo poſito ſuſpendit Deus ſuum influxum; ergo & poteſt Deus homini per eandem gratiam peccata conditionate remittere, concedens illi gratiam & remiſſionem peccatorum, quandiu nouum peccatum non committat; ita vt ſi illud commiſerit, non ſolùm auferat illi gratiam, ſed etiam imputet eadem peccata ad culpam ac ſi nunquam fuiſſent remiſſa. Firmatur ampliùs, nam licèt peccatum mortale ſuapte naturâ deſtruat gratiam ſanctificantem, quæ erat in iuſto, & omnia iura proxima quæ habebat ad conſeruationem gratiæ, & ad gloriã obtinendam; hoc non obſtante non deſtruuntur hæc iura abſolutè, ſed ſub conditione, nimirùm, ſi peccator non redierit ad priſtinam Dei gratiam & amicitiam, vt liquet: ergo ſimiliter quamuis gratia ſe ſolâ peccatum expellat, tamen cùm Deus habeat ius non infundendi illam peccatori, nec illi peccata dimittere, poterit totum hoc ſub conditione præſtare, quandiu nouum peccatum non committat. Quæ enim in hoc implicantia contradictionis concipi poteſt?

Dices, merita ſeu iura proxima non deſtrui per peccatum mortale ſubſequens, ſed mortificari tantùm, at peccata omninò aboleri, ac radicitus auelli per gratiam ſubſequentem, alioquin gratia non eſſet perfecta ſanctitas, & mundities animæ. Verùm prædictum diſcrimen admitto libenter de facto; cæterùm de poſſibili, non video cur Deus non poſſit deſtruere peccatum mediâ gratiâ ſanctificante, eo modo, quo gratia & iura proxima ad gloriam deſtruuntur per peccatum, cùm hoc non minùs opponatur ex ſua natura cum gratia & iuribus ad illam, & ad gloriam, quàm eadem gratia cum peccato. Adde, quòd tametſi accedente peccato, maneant iura remotè, & quaſi in actu primo remoto; reuera tamen iura proxima non manent: alioquin ille qui ex gratia decidit, haberet ſimul ius proximum ad gloriam, & ad pœnam æternam, & exigeret formam gratiæ, eiúſque carentiam, ac foret ſimul Dei inimicus, & hæres felicitatis æternæ: quæ certè manifeſtam inuoluunt cõtradictionem. Præterea, licèt peccatum graue ſit adæquata & omnimoda immundities animæ, priuans illam iure proximo hæreditatis æternæ & conſtituens eam æternæ damnationis ream; hoc non obſtante poteſt compati, & de facto compatitur cum iure illo remotiſſimo diuinæ amicitiæ, & felicitatis æternæ; ergo quamuis gratia ſanctificans ſit perfecta & adæquata animæ mundities, poterit diuinitùs compati cum iure remotiſſimo æternæ damnationis, & inimicitiæ diuinæ. Igitur ſicut iura illa remota gratiæ & gloriæ reuiuiſcunt abſque noua actione diſtincta ab ea, quâ homo à peccato reſurgit; ita repullulabunt per ſubſequens peccatum ſimilia iura inimicitiæ diuinæ & damnationis æternæ, abſque vlla actione Dei, aut hominis, diſtincta ab ea, quâ homo in nouum peccatum labitur. Quod certè intelligi benè poteſt reuocatione peccatorum, quæ conditionatè remitterentur à Deo per ſolam extrinſecam condonationem, quia licèt hæc non reddat hominem ſanctum poſitiuè, deſtruit tamen omninò peccatum, & hominem conſtituit ac ſi eſſet in pura natura. Quare ſicut in hoc euentu rectè concipimus peccata hoc modo remiſſa, quamuis reipſa deleta ſint, reditura tamen per ſubſequens peccatum abſque vlla actione Dei, aut hominis, diſtincta ab illa, quâ homo in nouum peccatum incideret; ita pari ratione concipimus reditura peccata remiſſa ſub conditione per gratiam ſanctificantem. Vnde ſicut iura gratiæ & gloriæ dicũtur de facto manere in acceptatione diuina, quandiu homo eſt in peccato mortali; ita iura diuinæ inimicitiæ & ſupplicij æterni dicerentur manere in diuina

uina diſplicentia, quandiu homo eſſet in gratia; dato quòd hæc fuiſſet illi ſub conditione collata.

7 Ad argumenta partis negantis eſt ſatisfaciendum. Ad primum, negatur ſequela: nam illa peccata per gratiam fuere deſtructa & extincta, itaut ille, cui dimiſſa fuerunt ſub conditione, maneat ſimpliciter & abſolutè iuſtus, ſanctus, amicus Dei, & hæres æternæ gloriæ, dum ſeruatur conditio. Vnde negandum eſt talia peccata manere tecta, & occultata.

8 Ad ſecundum, dico, illo argumento retorqueri poſſe in aduerſarios exemplo peccati, quòd licèt ſit vera & realis meritorum deſtructio, hoc non obſtante, poteſt illa deſtruere ſub conditione. Quare ſi velint dicere aduerſarij, gratiam non egere fauore aliquo extrinſeco vt peccata depellat, admitti poteſt ea doctina; quod ſi velint dicere non poſſe infundi gratiam ſub aliqua conditione, quia ſuapte natura peccata expellit, petunt principium; & ſibipſis aduerſantur in reuiuiſcentia meritorum; & adhuc de facto conſtat gratiam habitualem in hac vita infundi homini non abſolutè, ſed conditionatè, quandiu non poſuerit obicem per mortale peccatum conſeruationi ipſius.

9 Ad tertium, ſimiliter dico ſi illud argumentum aliquid roboris haberet, deſtrueret etiam actualem meritorum reuiuiſcentiam & poſſibilem reatus pœnæ. Quare Reſpondeo, aſſignando diſparitatem: nam ideò frigus non poteſt expelli ſub conditione, nec illâ poſitâ iterùm illud recuperari, quia cùm ſit quid phyſicum, nequit redire ſine noua actione phyſica, aut antiqua phyſice repetita, ad quam cùm homo non habeat virtutem, non poteſt frigus expellere ſub conditione: reuocatio autem alicuius effectus quoad moralem ſolum exiſtentiam non requirit nouam actionem, ſed ſufficit antiqua, accedente noua aliqua conditione, quia eiuſmodi reuocatio ſolum eſt in ordine ad prudentem æſtimationem; vt videre eſt in reuiuiſcentia debiti ſub conditione remiſſi: nam eo ipſo quòd quis debito ſolutus conditionem non adimpleat, cenſetur apud prudentes, idem debitum incurrere: patet etiam hoc idem in reuiuiſcentia meritorum.

10 Ad quartum, conſtat etiam id argumentum deſtruere quoque reuiuiſcentiam meritorum, atque adeò ab omnibus ſolui debere. Quare dico, diſtinguendam eſſe Maiorem, & illam particulam *non minus*; ſi enim per illam ſignificetur tam gratiam, quàm condignam ſatisfactionem eſſe omninò incompoſsibilem cum peccato, admittenda eſt Maior; ſi verò per illam particulam, *non minus*, ſignificetur, quòd ſicut poſitâ condignâ peccati ſatisfactione, non poteſt Deus non illud remittere; ita poſitâ congrua ad gratiam diſpoſitione, debeat Deus illam neceſſariò infundere, & peccatum abſolutè remittere, neganda eſt Maior: nam tam infuſio gratiæ, quàm peccati deſtructio eſt libera Deo; & ideò poteſt illam præſtare, prout ipſi libuerit: at per condignam & omninò æqualem ſatisfactionem, cum omninò tollatur debitum, inducit obligationem vt acceptetur: Si enim quis tantùm pecuniæ reddat, quantùm abſtulit, aut debet ex contractu; vel famam, & honorem, quem iniquè abſtulit, integrè reſtituat, tollit omne debitum, & ita illud extinguit, vt nequeat poſtea à creditore alia exigi ſatisfactio pro eo. Sic etiam in diuinis, actio honorifica Chriſti Domini, quæ eſt infiniti valoris, & honoris, reddidit Deo tantùm honoris, quantùm per peccatum fuerat ablatum; atque ideò omnem læſionem factam in honore diuino penitùs extinxit.

11 Ad quintum negandum eſt, non eſſe ſimpliciter ablatam culpam & extinctam, tametſi fuerit adhibita conditio eius remiſsioni: nam conditio poteſt dupliciter adhiberi alicui operi, primò introductiuè, ſi nimirum deſeruiat ad introducendam debiti ſolutionem, vt cùm dico: Condono tibi debitum, dummodò priùs labores in mea vinea per diem integrum; ſecundò continuatiuè, quando illa neceſſaria eſt ad continuandam debiti ſolutionem, vt cùm dominus dicit ſeruo: Ex nunc do tibi libertatem, dummodò non te inebries. Hoc ſecundo modo ſe haberet remiſsio peccati ſub conditione, ne iterùm pecces; nam verè quandiu illa ſeruatur, eſt deſtructum peccatum moraliter, ſicut ſeruus ille eſt ſimpliciter à ſeruitute liber, quandiu non ſe inebriat. Vnde ſicut ſeruus ille incurreret iterùm ſeruitutem, ſi non ſeruaret conditionem illam non ſe inebriandi; ita homo, cui eſſent peccata remiſſa ſub conditione iterùm non peccandi, incurreret in illa eadem, ſimul atque non ſeruaret conditionem dictam. Exemplum optimum eſt infuſionis gratiæ, quâ redditur homo purus, ſanctus, ac gratus Deo, & tamen infunditur & conſeruatur à Deo, modò non incidat in peccatum mortale. Illud verò ius remotum quod habet Deus, ſi homo de nouo peccet mortaliter, non obeſt, nec impedit ſtatum præſentem gratiæ, æqualitatis, & pacis, quem poſſidet dum ſeruat conditionem: ſicut ius remotum, quod habet Deus priuandi illum gratia ſanctificante, ſi denuò peccet mortaliter, non obeſt, nec impedit ſtatum præſentem ſanctitatis, & amicitiæ cum Deo, quo gaudet, dum ſeruat conditionem iterum lethaliter non peccandi. Ad Confirmationem ſimiliter Reſpondeo, hominem illum, dum non peccat, de nouo habere gratiam ſanctificantem, nec eſſe reſpectu illius odium Dei ratione peccati præteriti, cùm ſit verè & realiter remiſſum. Quod verò habeat Deus ius remotum ratione peccati præteriti, ad illum odio habendum, ſi iterùm in peccatum mortale labatur, nihil impedit, vt homo tempore intermedio, quo non peccat, actu ſit iuſtus & purus ab omni labe, neque habeat aliquid repugnans cum perfecta ſanctitate & puritate; neque pro illo tempore intermedio eſt propriè vllum debitum, vel obligatio paſſiua ad odium Dei, & conſequenter nulla inæqualitas.

Ad vltimum negatur Antecedens. Ad illius probationem ſimiliter negatur, eam humanitatem non poſſe 12 aſſumi ad vnionem hypoſtaticam, cùm eſſet actu pura, & ſancta, & ſine vlla labe, & ſi aſſumeretur, iam amplius non poſſet peccare; nam ſemel à Deo aſſumpta, eſſet abſolutè impeccabilis, itaut peccatum committere nequiret, quo vnionem hypoſtaticam, vel gratiam ſanctificantem expelleret, vt eſt commune Theologorum dictum, à me fusè explicatum tractatu *de Incarnatione, diſp. 17. ſect. 2.*

Circa ſecundum, An poſſint præterita peccata iterùm redire ſecundum culpam per ſubſequens peccatũ? 13

Dico *primò*, peccata remiſſa abſolutè, abſque vlla conditione, vt modo fit, non poſſe diuinitùs redire per ſubſequens peccatum, etiamſi dimiſſa eſſent per extrinſecam Dei condonationem. In hoc conueniunt communiter Doctores, & videtur certum: quia ſi creditor ſemel remittat debitori debitum aliquod, nullâ adhibitâ conditione, nequit iterùm pro ſua libera voluntate rationabiliter iraſci contra debitorem propter debitum abſolutè remiſſum: ergo implicat, Deum iraſci in peccatorem propter culpam abſolutè remiſſam, quia irrationabiliter, & abſque fundamento procederet; ergo etiam implicat, quòd peccata abſolutè remiſſa quoad culpam, redeant formaliter ſecundùm aliquid eorum per ſubſequens peccatum. Patet hæc vltima Conſequentia, quia reditus ſimpliciter & formaliter in eo conſiſtit, quòd Deus non ſolùm iraſcatur & odio habeat peccatorem intuitu peccati de nouo commiſſi, ſed etiam intuitu eorum, quæ iam fuerant condonata, perinde ac ſi condonata non fuiſſent: ſicut dicuntur reuiuiſcere formaliter merita peccato mortificata, quia Deus non ſolùm mouetur ad præmium exhibendum intuitu actus Pœni-

tentiæ,

têntiæ, quo merita reuiuiſcunt, ſed etiam eorum iurium ac meritorum, quæ fuerunt per ſubſequens peccatum mortificata, perinde ac ſi nullum peccatum ſucceſſiſſet, & ea mortificaſſet.

14 Dico *ſecundò*, peccata ſub conditione remiſſa poſſe redire quoad culpam per ſubſequens peccatum. Ita expreſsè Granado *tract.* 5. *numero* 6. & omnes illi qui nobiſcum ſentiunt, peccata poſſe à Deo remitti ſub conditione: Hinc enim euidenter ſequitur dictum: patet, quia ex ſuppoſitione, quòd poſſit Deus remittere peccata ſub conditione, poſſet ita cum peccatore veluti paciſci: Ego remitto tibi omnia crimina, quæ in me commiſiſti, dummodo in nouum non incidas, eo autem ipſo, quòd in nouum incideris, reuiuiſcent in conſpectu meo ſcelera tua, tibique quoad culpam imputabuntur, perinde ac ſi remiſſa non fuiſſent: atqui tunc relabente homine in nouum peccatum, reuocarentur antiqua; ergo. Eſt verò notandum, non ſolùm noui peccati commiſſionem poſſe eſſe conditionem vt peccata dimiſſa redeant, verum etiam quamcumque aliam rem, quæ Deo placuerit; quia cùm hoc pendeat ex libera ipſius voluntate, adhibere poterit conditionem quam maluerit, quâ poſitâ peccata reuocabuntur, & redibunt.

Quod dictum eſt de reditu culpæ mortalis, intellige quoque de reditu peccati venialis eodem modo; eſt enim vtriuſque peccati eadem ratio.

SECTIO IV.

Vtrùm peccata redire poſſint quoad debitum pœnæ æternæ per ſubſequens peccatum?

1 NOn procedit quæſtio de facto; nam conſtat ex dictis *ſupra diſp.8.ſect.5.* poſitâ præſenti diuinâ ordinatione, qua ordinauit Deus hominem iuſtificatum ad vitam æternam conſequendam, reatum pœnæ æternæ abſolute ſimul cum mortali culpa auferri. Difficultas ergo ſolum eſt de potentia abſoluta.

2 In quo ſenſu Vaſquez *quæſt.*88.*art.*1.*dubio* 1. & 1. 2. *diſp.*208.*num.*29. Gaſpar Hurtado *diſp.*2. *difficultate* 20. & alij id negant. Quia nemo poteſt eſſe dignus pœna pro ſola voluntate Dei, non ſolùm antequam peccet, ſed nec poſtquam peccauit, ſed ſolùm fit dignus pœna peccato ipſo, quod eſt pœna dignum: nam dignitas pœnæ, vtpote extrinſeca denominatio quædam, nequit produci, neque conſeruari à Deo in ſe ipſa, ſed ipſa conſurgit, & conſeruatur ex ſuo fundamento, nempe ex peccato pœnâ digno: ſed peccatum abſolutè remiſſum quoad culpam, & maculam, &. offenſam Dei, non manet dignum ex ſe æternâ pœnâ, vt patet: ergo illo abſolutè remiſſo quoad culpam, & maculam, & offenſam, & quoad eam non redeunte, nequit homo manere, nec redire dignus pœnâ æternâ adhuc de potentia Dei abſoluta.

3 Suarez verò *diſputat.* 13. *ſectione* 2. *numero* 14. Henriquez *de pœnitentia capite* 32. Coninck, *diſputatione* 2. *dubitatione* 18. & alij affirmant oppoſitum. Quia Deus ſuâ potentiâ abſolutâ poteſt remittere culpam, ſeu maculam mortalem, non remittendo dignitatem pœnæ æternæ vtpote diſtinctam ab illa: ergo Deus culpâ mortali abſolute remiſsâ, poterit dignitatem pœnæ æternæ remittere, ſub conditione in poſterum non peccandi, ac conſequenter dignitas pœnæ æternæ poterit de potentia abſoluta Dei, per ſubſequens peccatum redire. Firmat hoc idem Suarez, quia de abſoluta potentia poſſet Deus non ordinare hominem iuſtificatum ad vitam æternam cum effectu conſequendam, vt per ſe conſtat; poſſet quoque conſequenter remittendo culpam mortalem, non remittere pœnam æternam, ſed relinquere, verbi gratia, perpetuam carentiam viſionis beatæ; in hoc enim nulla eſt repugnantia, cùm id non opponatur ſanctitati, quam gratia confert; ita vt illam formaliter deſtruat: vlterius etiam poſſet Deus, quamuis ſecundùm præſentem iuſtitiam remittat pœnam æternam cuiuſcumque rationis, nihilominùs non remittere abſolutè, ſed ſub illa conditione, niſi me iterum offendas; quia etiam hoc non repugnat formaliter ſanctitati gratiæ, neque alicui attributo diuino, neque aliunde poteſt vlla oſtendi contradictionis implicantia. Igitur reatus, vel dignitas pœnæ æternæ poteſt diuinâ virtute per ſubſequens peccatum redire. Idem ſentit Cardinalis Lugo *diſp.*10. *ſect.*2.*n.*31. Dicens, debitum pœnæ remiſſæ ſolùm ſub conditione, ſi iterùm non peccat homo, poſito ſecundo peccato reuiuiſcere omninò, & redire, quia potuit Deus condonatâ culpâ, nolle condonare pœnam abſolutè, ſed ſolùm ſub dicta conditione.

In hac re, dico *primò*, debitum pœnæ æternæ, ſi ſit 4
iam abſolutè remiſſum, non poſſe redire per ſubſequens peccatum, etiam diuina virtute. Hoc videtur certum, quia illa pœna, prout fuit pœna debita prioris peccati præcedentis, iam fuit omninò remiſſa, & extincta, vt ſupponitur: ergo vt ſic, nequit ampliùs deberi; ergo nequit eſſe pœna debita prioris peccati: ergo nequit redire per ſubſequens peccatum, tanquam pœna præcedentis culpæ. Firmo, nam reditus debiti pœnæ formaliter in ea cõſiſtit, quòd Deus non ſolùm puniat pœnâ æternâ peccatum de nouo commiſſum, ſed etiam alia peccata præcedentia, quæ iam fuerant condonata, & remiſſa, ac ſi condonata, ac remiſſa non fuiſſent; ſed implicat, id fieri poſſe, ſi pœna debita peccatorum præcedentium fuit iam omninò remiſſa abſolutè, & abſque vlla conditione, vt eſt ex ipſis terminis manifeſtè perſpicuum; ergo nequit talis pœna iterùm redire ratione peccati ſubſequentis. Et certè ſi eſt implicatio in terminis, vt inter homines creditor, qui ſemel remiſit debitori totum debitum abſolutè, & ſine vlla conditione, poſſit rationabiliter illud idem repetere pro ſua libera voluntate; etiam manifeſtè implicabit, quòd Deus æquiſſimus ac rectiſſimus iudex ſupremus puniat hominem æternâ pœnâ tanquam debitâ, cùm fuerit iam anteà omninò, & abſolute remiſſa tota illa pœna; quia irrationabiliter, ac iniuſtè procederet.

5 Dico *ſecundò*, ſi culpa mortalis remittatur per infuſionem gratiæ, vt modò fit in iuſtificatione peccatoris, non poſſe debitum pœnæ æternæ reuiuiſcere, ſeu redire, etiam diuina virtute, per ſubſequens peccatum. Moueor ad id aſſerendum, quia vt efficaciter oſtendi *ſuprà diſputat.* 8. *ſect.* 5. *num.*8. 9. & 10. impoſſibile eſt, etiam de potentia abſoluta, vt remiſsâ culpâ mortali per infuſionem gratiæ habitualis, maneat in iuſtificato reatus, ſeu obligatio ac debitum pœnæ æternæ, quia homo per dictam gratiam ſanctificatus, habet ius ad beatitudinem, & redditur dignus æterna gloria; vnde neceſſe eſt, vt careat debito aliquo, vel obligatione æternæ pœnæ: aliàs enim eſſet ſimul dignus, & indignus gloria, quod eſt manifeſta contradictio; ergo cùm nihil maneat prædicti debiti, nihil eſt quod reuiuiſcere poſſit, vel redire per ſubſequens peccatum. Quo argumento etiam probatur, remiſsâ culpâ per gratiam habitualem, non poſſe remitti debitum pœnæ æternæ ſub conditione vlle: quia tametſi macula, ſeu culpa mortalis, & debitum, ſeu obligatio æternæ pœnæ ſint duo valdè diuerſa; nihilominùs tamen eo ipſo, quo remiſſa eſt iuſtificato omnis culpa mortalis per

Digitized by Google

gratiæ infuſionem redditur dignus æterna gloria abſolutè, & ſine vlla conditione, nec poteſt eſſe dignus pœna æterna, nec habere debitum talis pœnæ, ob intrinſecam nimirùm ac neceſſariam connexionem, quæ eſt inter remiſſionem culpæ mortalis per gratiam, & carentiam obligationis ſeu debiti pœnæ æternæ.

6 Dico *tertiò*, ſi remittatur culpa mortalis à Deo, non per gratiæ infuſionem; ſed per meram & extrinſecam condonationem ſolam, poſſe debitum pœnæ æternæ reuiuiſcere, & redire per ſubſequens peccatum.

In hoc ſenſu iudico ſecundam ſententiam veriorem. Probo, quia poteſt Deus remiſsâ culpâ, & omninò condonatâ per extrinſecam condonationem, nolle remittere debitum æternæ pœnæ, quia remiſſio huius debiti non eſt connexa cum remiſſione culpæ, quando hæc remittitur per extrinſecam condonationem; ergo poteſt ſic remittere culpam mortalem, & non remittere debitum pœnæ æternæ: ergo tunc manet integrum debitum, & non extinctum. Præterea poteſt Deus condonatâ culpâ modo dicto, nolle condonare pœnam æternam, niſi ſub hac conditione, ne iterùm peccet homo; in hoc enim nulla eſt repugnantia in ordine ad potentiam abſolutam, vt eſt manifeſtum; igitur in hoc caſu manifeſtum eſt, quòd interim debitum pœnæ non eſſet abſolutè extinctum, ſed conditionatè; & conſequenter poſitâ conditione contrariâ peccati ſubſequentis reuiuiſcere, ac redire idem omninò debitum.

7 Ex dictis conſtat, quid dicendum ſit ad ſententias propoſitas *numero ſecundo, & tertio*. Ad primam Vaſquez, & ad illius argumentum, prout opponitur noſtro tertio Dicto, fateor, verum eſſe neminem per ſe dignum eſſe, ac debitorem pœnæ, niſi ratione culpæ ab ipſo commiſſæ; nego tamen, non poſſe culpam mortalem abſolutè à Deo remitti per extrinſecam condonationem, non remiſsâ pœnâ æternâ: poteſt enim homo remiſsâ hoc modo omni culpâ, manere dignus æterna pœna; quia hoc debitum, & obligatio ad talem pœnam, eſt quid diſtinctum à macula peccati, & ab ipſa formali offenſa; & remiſſio illius debiti non eſt connexa cum remiſſione culpæ, quando hæc fit per ſolam extrinſecam condonationem. Vnde ſi hominibus conceditur, vt remiſsâ culpâ offenſoris in ratione offenſæ, poſſint rigidè debitas pœnas exigere, verbi gratia, mortem homicidæ; quare non etiam Deo? Sicut igitur homo poteſt acceptare ſuum offenſorem in ſuam amicitiam, cedendo iuri quod habebat, ratione iniuriæ præteritæ ad rationabilem auerſionem ipſius, quin velit vt remittatur ei pœna, quam ex iuſtitia vindicatiua contraxit; vnde poteſt ſimul ex affectu iuſtitiæ velle, vt offenſor luat pœnas iniuriæ debitas, & ex affectu amicitiæ humanæ velle, vt eius perſona non ſit ſibi inimica, & offenſa: ita Deus, qui fungitur munere præſtantiſſimi, ac ſupremi Iudicis, poteſt potiori iure peccatorem abſoluere ab omni offenſa, condonando illi omnes iniurias in ipſum illatas, & cedendo iuri, quod ratione peccati habebat ad odium rationabile inimicitiæ, & auerſionis ipſius, & ſimul retinere ius vindicatiuæ iuſtitiæ ad eum puniendum.

8 Ad ſecundam ſententiam Suarez, admitto libenter, Deum potuiſſe non ordinare hominem iuſtificatum per gratiam habitualem ad vitam æternam cum effectu conſequendam; quia talis eleuatio, & ordinatio fuit abſolutè, & ſimpliciter Deo libera: concedo quoque, remittendo culpam mortalem etiam per infuſionem gratiæ habitualis, poſſe Deum non remittere actu pœnam æternam, imò & eam infligere, ac priuare vitâ æternâ, quamuis ſit debita homini iuſtificato ratione gratiæ habitualis: vt oſtendi *ſuprà diſput. 8. ſectione 5. num.* 11. Denique fateor, poſſe Deum homini iuſtificato actu non remittere pœnam æternam, abſolutè, & ſimpliciter, ſed ſub illa conditione, ſi me iterùm non offendas. Solùm igitur intendo, iuſtificatum per gratiam habitualem, habere dignitatem, & ius ad gloriam, nec vllum habere reatum, ſeu debitum pœnæ æternæ; & ſi hanc pateretur, non eſſet per modum pœnæ dicentis reſpectum ad culpam, ſed per reſpectum ad Deum, & ſupremum Dominum, qui poteſt ſuâ creaturâ vti, iuxta eius liberum, & abſolutum beneplacitum.

Ad ſententiam Cardinalis Lugo, Dico eius præclarâ doctrinâ firmari noſtrum tertium Dictum.

Hic diſputant nonnulli, an peccatum veniale coniunctum cum mortali puniantur pœna æterna in inferno. Verùm hanc difficultatem, quæ non eſt huius loci, & de qua agunt Theologi 1. 2. q. 87. reiicio in tractatum noſtrum *de peccatis*.

SECTIO V.

Vtrùm peccatum commiſſum poſt præcedentia remiſſa, ex eo capite grauius ſit; ideóque remiſſa peccata virtute ſaltem redeant ob adiunctam ingratitudinis circumſtantiam.

Conſtans eſt cum D. Thoma 3. *parte quæſt.* 88. *articul.* 1. & 2. pars affirmatiua: Et ratio videtur manifeſta, quia magis à ratione alienum eſt, ac deterius offendere benefactorem cæteris paribus, quàm eum, à quo nullum vnquam beneficium acceperis: ergo non poteſt non eſſe grauius peccatum, quo Deus poſt collatum inſigne iuſtificationis à præcedentibus peccatis beneficium offenditur, quàm alioqui per ſe fuiſſet; Ergo peccata per iuſtificationem remiſſa, homine de nouo peccante, virtute redeunt, id eſt, nouum hoc peccatum aggrauant ob adiunctam ingratitudinis circumſtantiam. Vnde infero *primò*, aggrauari peccatum ob ingratitudinis circumſtantiam tantò magis, quantò plura & grauiora peccata per iuſtificationem ſunt remiſſa; quia hinc tantò maius fuit hoc iuſtificationis beneficium: ſicut etiam aggrauatur peccatum ex Dei beneficiis aliis, tantóque magis, quantò illa plura, & maiora ſunt; & tantò quoque magis aggrauatur peccatum, quantò in ſe, & in ſua ſpecie, & vniuerſim aliunde, quàm ex ingratitudinis circumſtantia, maius eſt; quia ſicut ingratitudinis vitium eſt admiſſa in benefactorem offenſa; ita maioris ingratitudinis offenſa grauior: eſt tamen obſeruandum peccatum aggrauari ex circumſtantia beneficiorum anteà acceptorum, & ex ea contrahi ingratitudinem, quando peccans ſatis aduertit, aut aduertere poteſt ad ea beneficia: nam ſi de illis tunc nullam prorſus habeat, vel habuit cogitationem, peccatum inde aggrauari non poteſt; nam actus humanus ex nulla re poteſt accipere vel bonitatem, vel malitiam moralem, niſi ea ſit aliquo modo volita; nullo autem modo volita eſt, ſi nullo modo fuit cognita. 1

Infero *ſecundò*, per quatuor genera peccatorum priùs remiſſa ſolere virtute ratione ingratitudinis præcipuè redire. *Primum* eſt, odium fraternũ: eſt enim valdè indignus diuinâ beneficentia, qui in alios Dei filios immitis eſt, nolẽdo eis offenſas remittere. *Secundum* eſt, contemptus Confeſſionis: nam cùm peccatũ mortale remittatur 2

Digitized by Google

contrito cum obligatione illud confitendi, certè hanc remiſſionem, quantum eſt in ſe reſcindit, qui non vult poſtea confiteri: ſicut quodammodo reſcindit emptionem, qui non vult ſoluere. *Tertium*, eſt Pœnitentia prioris emendationis, quando quis dolet ſe receſſiſſe à peccato quia hoc modo complacet ſibi in prioribus peccatis, & ea rurſus quodammodò committit. *Quartum* eſt, Apoſtaſia à fide; quia per hanc homo fit valdè ingratus Deo, à quo omninò deficit.

3 His ita præmiſſis, ſupereſt difficultas. An ipſa ingratitudo contineat omnem malitiam præcedentium peccatorum. Ratio dubitandi eſt, quia quantitas ingratitudinis reſpondet quantitati beneficij, nam illa tantò eſt maior, quantò iſtud maius eſt: ergo quantitas ingratitudinis, quâ beneficium iuſtificationis à præcedentibus peccatis contemnitur, reſpondet quantitati beneficij iſtius; at tantùm habet bonitatis hoc beneficium, quantùm ineſt mali peccatis quæ per ipſum delentur: ergo & illud ingratitudinis peccatum tantùm habet malitiæ, quantùm inerat iſtis omnibus peccatis præcedentibus.

4 Dico *primò*, peccatum iuſtificationem à præcedentibus ſubſequens, non habere neceſſariò ratione ingratitudis adiunctæ tantùm malitiæ, quantùm illa omnia præcedentia. Ita D. Thom. 3. *part. q.* 88. *art.* 3. & communiter Doctores. Patet à poſteriori, quia incredibile eſt, vnicum peccatum mortale furti, verbi gratia, vnius vel alterius aurei nummi, ſubſequens iuſtificationem à plurimis homicidiis, ſacrilegiis, blaſphemiis, aliiſque horrendis eiuſcemodi peccatis, ratione adiunctæ ingratitudinis tãtùm habere malitiæ, tantúmq; mereri pœnæ, quantùm habebant, & merebantur illa omnia peccata præcedentia. A priori verò oſtenditur, quia nequit ex illa ingratitudinis circumſtantia non transferente peccatum iuſtificationem ſubſequens ad aliam ſpeciem, ſed ſolùm intra eandem malitiæ augmentum tribuente, plus deriuari malitiæ in peccatum hoc, quàm deriuaretur ex ingratitudine ſpeciali ſeu ſecundùm ſpeciem diuerſa, quâ iuſtificationis beneficium expreſſo & formali contemptu ſperneretur, vt per ſe eſt clariſſimum; atqui ex hac non neceſſariò tantùm deriuaretur, vt prædictum peccatum præcedentium omnium malitiam exæquaret: eò enim peccata grauiora ſunt cæteris paribus, quò præſtantioribus virtutibus opponuntur: peccata autem præcedentia etiam ſingula poſſunt eſſe multò præſtantioribus virtutibus oppoſita, quàm vel peccatum iuſtificationem ſubſequens, quo hæc amittitur, cùm iſtud poſſit eſſe multò minùs graue in genere mortalium, aut peccatum ſpecialis ingratitudinis, cùm hoc opponatur ſpeciali virtuti gratitudinis; hæc autem multis aliis virtutibus ſit inferior.

5 Dico *ſecundò*, negari non poſſe, quòd in aliquo euentu contingere poſſit, vt peccatum ingratitudinis æquet, imò & ſuperet malitiam omnium præcedentium. Patet, quia ſi quis peccaret directè, vt oſtenderet ſe contemnere beneficia à Deo accepta per remiſſionem præcedentium peccatorum, tunc poſſet facilè fieri, vt illud peccatum æquaret malitiam omnium præcedentium; atque adeò etiam ſuperaret, quando non eſſent ita grauia. Credo tamen id rariſſime inter homines contingere. Ad rationem dubitandi *Reſpondeo*, quantitatem ingratitudinis reſpondere quantitati beneficij, ſed ad æqualitatem geometricam, non verò ad arithmeticam; non ad hanc, quia neceſſe non eſt ingratitudinem eſſe ſemper æqualem penitùs accepto beneficio, cùm contra vnum & idem beneficium numero poſſit modò magis, modò minùs peccari per ingratitudinem, vt conſtat: ad illam verò, quia ſeruatâ proportione quantitas ingratitudinis beneficij quantitati reſpondet, id eſt, cæteris paribus, maior eſt ingratitudo, quâ peccatur contra ius beneficium; ſicut quantitas perfectionis actuum reſpondet quantitati perfectionis obiectorum, ſed non ad æqualitatem arithmeticam; alioquin actus qui circa Deum vel Angelum verſantur, habere deberent æqualem perfectionem Deo, aut Angelo; ſed ad geometricam, quia ſeruatâ proportione, quantitas perfectionis actus reſpondet quantitati obiecti, & cæteris paribus, quò perfectius eſt obiectum, eò perfectior eſt actus, qui circa illud verſatur.

SECTIO VI.

An ingratitudo, ratione cuius per peccatum iuſtificationem ſubſequens peccata prius remiſſa virtute redeunt, ſit ſemper ſpeciale peccatum?

Verior, & communior Theologorum ſententia eſt, tunc ſolùm ingratitudinem eſſe ſpeciale peccatum, diſtinctum ſpecie à reliquis omnibus peccatis, quando peccatur contra benefactorem ex formali, & contemptu accepti ab eo beneficij. Ita D. Thomas 3. *p. quæſt.* 88. *art.* 4. ibi Vaſquez *dubio vnico*, Suarez *diſp.* 13. *ſect.* 3. & alij, quos ipſi citant. Ratio à priori ſumitur ex communi Theologorum doctrina, quam in materia *de peccatis* tractauimus, nimirùm peccata, quæ interiùs conſummantur, vt hæreſis, verbi gratia, in eo diſtingui ab iis, quæ exteriùs, vt homicidium: quòd vt iſta committantur, ſufficit proprium eorum obiectum eſſe volitum etiam indirectè, ſeu interpretatiuè, quia ad communem rationem mali mortalis ſeu peccati hoc voluntarium ſufficit, & in tali materia ſufficit etiam ad talem ſpeciem mali, eo quòd virtus contraria per ſe primò intendit, & requirit cõtrariam virtutem in tali materia: ad illa verò requiritur neceſſariò, vt illorum proprium obiectum ſit directè & expreſsè volitum: nam cùm talis virtus per ſe primò conſummetur in interiori actu, regulariter, & propter ſolum modum generalem operandi, non requirit ſpecialem rectitudinem in exterioribus actibus. Id rectè explicatur in odio proximi: nam iniuria facta proximo, tametſi ſit contra beneficentiam debitam Charitati proximi, quod generale eſt omnibus actionibus, quæ fiunt contra bonum proximi; nihilominùs non habet inde actus ſpecialem malitiam, niſi ex odio intendatur, ex omnium ſententia: quia amicitiæ virtus, & odium ei oppoſitum præcipuè conſummatur in corde; & ideò communis effectus actionis exterioris neque ſpecialiter tribuitur odio, nec cenſetur opponi Charitati ſecundum ſpecialem malitiam, niſi ſpecialiter intendatur, ſed dicitur opponi materialiter, & includere virtute malitiam eius. De genere autem peccatorum quæ conſummantur interiùs, eſt ſpecialis ingratitudo, ſicut & inobedientia: nam ſicut in quocumque peccato reperitur inobedientia generalis, quia quodcumque peccatum contra præceptum aliquod eſt: ita in quocumque peccato generalis ingratitudo eſt, quia quodcumque in Deum benefactorem committitur: & ſicut dum violatur præceptum de Temperantia ſeruanda, verbi gratia, ſi non violetur ex formali, & expreſſo contemptu præcepti, non eſt ſpecialis inobedientia, ſed eſt peccatum inobedientiæ generalis idem ſpecie cum peccato Intemperantiæ: ita dum peccatur in

in Deum benefactorem per intemperantiam; nec peccatur ex formali & expreſſo contemptu beneficij; peccatum illius generalis ingratitudinis cum Intemperantiæ peccato eiuſdem prorſus ſpeciei eſt. Ratio autem à priori, quæ oſtendit in eo ſolo interno voluntatis actu per ſe primò reperiri ſpeciale tam inobedientiæ, quàm ingratitudinis peccatum, quo formaliter & expreſsè contemnitur vel præceptum, vel beneficium, hæc ſola eſt, quia in illius ſolius interni actus entitate repetitur primò, & per ſe contrarietas cum ſpeciali virtute vel obedientiæ vel gratitudinis; ſolus autem ille actus ſpeciale peccatum eſt, qui ſpeciali virtuti, ſeu honeſtati opponitur.

2 Hinc colligo *primò*, nunquam peccari peccato commiſſionis contra gratitudinem, quæ ſpecialis virtus eſt, niſi dum expreſſo, & formali contemptu beneficij benefactor offenditur.

3 Colligo *ſecundò*, peccatum omiſſionis contra virtutem gratitudinis, quod accidere poteſt omittendo verb. grat. gratiarum actionem, vel aliam accepti beneficij compenſationem, dato quòd detur præceptum affirmatiuum ad hanc virtutem pertinens, obligans ſaltem ſub veniali, certum eſſe ad eiuſmodi peccatum non eſſe neceſſarium illum formalem & expreſſum beneficij contemptum.

SECTIO VII.

Vtrùm per ingratitudinem peccet grauiùs is qui committit peccatum, quo innocentia perditur, quàm is qui peccatum perpetrat quo iuſtificationis gratia à præcedentibus delictis amittitur.

1 PRæmitto *primò*, peccatum vtriuſque eſſe eiuſdem ſpeciei, cæteraque paria omnia prorſus habere, hoc dempto, quòd vno innocentia, altero hæc iuſtificatio deſtruitur.

Præmitto *ſecundò*, gratiam ſanctificantem collatam innocenti fuiſſe prorſus æqualem ei, quæ peccatori pœnitenti collata eſt, dum à peccatis iuſtificatus eſt.

Præmitto *tertiò*, gratiam hanc, & vniuerſim quodlibet beneficium ac donum collatum alicui, ſpectari poſſe duobus modis: primò, in ratione boni, ſecundò in ratione boni gratuiti, vt gratuitum eſt, ſeu gratis collatum: has enim rationes inter ſe differre ex eo patet, quia idem, vel prorſus æquale bonum poteſt conferri duobus, quorum vni conferetur non gratis, quia illud condignè meruit; alteri verò purè gratis, quia nullo modo meruit; aut ſi vtrique gratis, minùs tamen vni quàm alteri, quia minùs vnus quàm alter eo dignus eſt.

2 His præmiſſis, Dico *primò*, ingratitudinem eius qui per peccatum iacturã fecit innocentiæ, ſpectatæ præciſè in ratione boni, maiorem eſſe ingratitudine illius, qui per peccatum à beneficio iuſtificationis excidit. Hoc videtur certum & euidens, quia ingratitudo ſic cõſiderata tantò maior eſt cæteris omnibus paribus, quantò bonum collatum in ratione boni maius eſt: at innocentia maius bonum eſt quàm iuſtificatio à peccatis præcedentibus, ſi ſpectetur hoc & illud bonum ſecundùm ſe præciſè, ac cæteris omnibus paribus; nam illud complectitur omnem bonitatem & perfectionem iſtius, nempe gratiam ſanctificantem, & vacuitatem à peccato pro præſenti tempore, & habet inſuper quidpiam ſingulare, quo caret iſtud, nempe quòd anima toto tempore præcedente caruerit malo peccati, & bono gratiæ ſanctificantis perfruita ſit. Vnde innocentia includit quandam dignitatem moralem magnæ æſtimationis, quam non includit, neque conferre poteſt Pœnitentia, videlicet nunquam offendiſſe Deum. Igitur ſub hac conſideratione excedit innocentia Pœnitentiam. Quod certè firmatur auctoritate S. Cypriani, *epiſt. 55. ad Cornelium Papam*: *Primus*, inquit, *felicitatis gradus eſt non delinquere. Secundus, delicta cognoſcere*: id eſt, per pœnitentiam delere. *Illic*, proſequitur Sanctus, *currit innocentia integra, & illibata, quæ ſeruet; hic ſuccedit medela quæ ſanet.* Idem ſic dicit Hugo de S. Victore *de Sacramentis, parte 14. c. 4. poſt medium*; *Si magnum eſt aliquando ſurgere, maius vtique eſt nunquam cecidiſſe: ſi bonum eſt ſanatum eſſe, melius eſt nunquam corruptum eſſe.*

Dico *ſecundò*, ingratitudinẽ eius, qui per peccatum à beneficio iuſtificationis excidit, eſſe maiorem illius ingratitudine, qui ab innocentia receſſit, ſi ſpectetur in ratione boni gratuiti, vt gratuitum eſt, ſeu gratis collatum. 3
Patet, quia ea ingratitudo iuxta rationem hanc ſpectata maior eſt, quæ maiori gratiæ, vt gratia eſt, opponitur; talis autem eſt ingratitudo illius qui à benificio iuſtificationis per peccatum excidit; hæc enim huic opponitur beneficio, quòd in ratione gratiæ, ſeu doni gratuiti, vt gratuitum eſt, dono innocentiæ maius eſt; magis enim gratuito confertur donum quod confertur indigno, quã quod non digno, nam indignus non ſolùm eſt non dignus ſicut iſte, ſed etiam eſt poſitiuè indignus, quod non iſte: at innocentiæ donum confertur non digno, iuſtificationis autem à præcedentibus peccatis, indigno; quoniam per hæc peccata ſe indignum eo reddiderat.

Vtrùm autem pœnitentia in hoc caſu abſolutè & ſimpliciter ſit maius beneficium quàm innocentia, vel è contra; magna eſt diſceptatio apud Doctores. Nam qui affirmant donum remiſſionis peccati ex parte recipientis eſſe maiorem gratiam propter illius indignitatem, cum conſtet hîc non eſſe cætera paria; quia donum innocentiæ aliquòd bonum & dignitatem includit, quæ non datur per beneficium pœnitentiæ, non probant illum exceſſum ex parte recipientis ità ſuperare exceſſum ipſius doni ſecundùm ſe, vt conſtituat maius beneficium ſimpliciter. Similiter etiam qui affirmant exceſſum illius doni innocentiæ maioris æſtimationis eſſe, ideóque ſimpliciter eſſe maius beneficium, non ſatis oſtendunt illum exceſſum ex parte doni eſſe ſimpliciter maius, quàm aliud ex parte recipientis. 4

Cæterùm meo iudicio, cæteris paribus quoad gradum ſanctitatis, exiſtimo maius beneficium eſſe innocentiam, quâ homo iuſtificatus ita conſeruatur vſque ad finem vitæ quin peccet mortaliter, quàm pœnitentiam alterius hominis iuſtificati, qui poſt multa peccata mortalia peruenit ad finem vitæ cum æquali gradu gratiæ & ſanctitatis. Moueor, quia in beata Virgine, non ſolùm ſi conferatur cum Maria Magdalena, ſed etiam ſi conferatur cum alia perſona, vel ſecum ipſamet, fingendo quòd per viã pœnitentiæ tãdem perueniret ad æqualem gradũ gloriæ, vel gratiæ cũ illo, quẽ nunc habet, conſtat maius beneficium illi cõtuliſſe Deũ perducendo illam ad tãtam gratiam, & gloriam, per viã innocentiæ, & præſeruationis ab omni peccato, quam ſi permittendo aliquem lapſum, & illũ reparãdo, ad eũdem gradum gratiæ & gloriæ illam perduceret. Quod ſupponunt tanquam certum omnes Doctores qui diſputant de innocẽtia Virginis; & qui ſentiũt illam fuiſſe præſeruatã à peccato originali, in hoc maximè fũdãtur. Vnde manife- 5

quæ Gratiæ lex dicitur ; redire) *pro veſtris perpeſſionibus mercedem accipietis.* Ambroſius : *Multa eos paſſos pro fide ſignificat ab infidelibus ; cuius rei meritum perdiderant ; mittentes ſe ſub lege : ſed quia adiecit,* (nempe Apoſtolus,) *ſi tamen ſine cauſa, oſtendit ſperare ſe , poſſe reformari illos. Haud dubiè non ſolum ad ſtatum gratiæ , ſed etiam ad prius meritum quod perdiderant.* Hieronymus in eadem verba ſic ait : *Simul & hic aſpiciendum , quòd quicumque ad Chriſti fidem laborauerit , & poſtea lapſus fuerit in peccatum, ſicut priora ſine cauſa dicitur paſſus fuiſſe dum peccat, ſic rurſus non perdet ea , ſi ad eam priſtinam fidem & antiquum ſtudium reuertatur.* Anſelmus : *Sine cauſa paſſi eſtis , ſi in hoc errore perſeueretis, non ſine cauſa, ſi reſipiſcatis.* Tandem his Patribus adiungo S. Thomam , qui *lectione ſecunda in caput tertium epiſtolæ ad Galatas* , relata Pauli verba exponens , ſic ait : *Non contemnatis tantum donum, quod cum labore accepiſtis, aliàs illa ſine cauſa , id eſt , ſine vtilitate paſſi eſtis, quia hæc ſuſtinuiſtis vt perueniretis ad vitam æternam. Vnde ſi precluditis vobis aditum æternæ vitæ deſerentes fidem , & quærentes conſeruari carnalibus obſeruantiis , ſine cauſa , id eſt , inutiliter paſſi eſtis : Et hoc dico* , ſi tamen ſine cauſa : *quod ideò dicit , quia in eorum poteſtate erat pœnitere ſi vellent, quandiu viuerent : ex hoc autem habetur , quòd opera mortificata reuiuiſcunt.* Hæc S. Thomas.

6 Addo huic loco D. Pauli , in confirmationem reuiuiſcentiæ meritorum , alium Scripturæ locum *Ezechielis* , 33. vbi ſic dicitur : *Impietas impij non nocebit ei , in quacumque die conuerſus fuerit ab impietate ſua.* Et *capit.* 18. ſic dicitur : *Omnium iniquitatum eius , quas operatus eſt, non recordabor.* Ex prædictis verbis manifeſtè colligitur intentum. Nam ſi peccator pœnitendo non recuperaret gratiam deperditam , multùm in omnem æternitatem ei noceret impietas ſua , & Deus perpetuò recordaretur peccatorum ipſius, ea puniendo priuatione gratiæ , & gloriæ, quam per opera præcedentia meritus fuerat. Vnde ea priuatio etiam poſt pœnitentiam haberet rationem punitionis , quia omnis pœna in punitionem peccati ſemel inflicta ſemper habet rationem pœnæ , quamdiu durat , & conſequenter tamdiu etiam durat punitio , quia hæc nihil eſt aliud , quàm pœnæ ſemel inflictæ continuatio. Firmo , nam ſi Rex alicui militi ob fortia facta dediſſet aliquod dominium , quo poſtea eum ob aliquod peccatum priuaret , nunquam diceretur ei hoc peccatum perfectè remiſiſſe , ſed illud perpetuò punire , quamdiu non reſtitueret ei hoc dominium in ſe , vel in æquiualenti : at eadem eſt ratio de gratia prioribus meritis reſpondente , ſi per Pœnitentiam non reſtituatur.

7 *Secundò* , eadem concluſio probatur , argumento deſumpto ex his Tridentini verbis. *ſeſſione 6. capit. 16. Nihil ipſis iuſtificatis amplius deeſſe credendum eſt, quò minus plenè illis quidem operibus , quæ in Deo ſunt facta , diuinæ legi pro huius vitæ ſtatu ſatisfeciſſe , & vitam æternam ſuo etiam tempore , ſi tamen in gratia deceſſerint , conſequendam ; verè promeruiſſe cenſeantur.* Vbi , ſicut & in *dicta ſeſſione canon.* 32. tres tantum conditiones neceſſarias eſſe definit , vt opus aliquod æternam gloriam promereatur , eámque aliquando conſequatur. Prima eſt , vt ſit opus hominis iuſti. Secunda eſt , vt ſit opus in Deo , id eſt ex diuinæ gratiæ auxilio factum. Tertia , vt qui illud opus fecit , ex hac vita decedat in ſtatu gratiæ. At hæc omnes conditiones cum operibus bonis mortificatis adeſſe poſſunt : nam & iuſti ea ex auxilio gratiæ exercuerunt , poteſtque contingere , vt hi à ſtatu peccati , in quod poſtea lapſi ſunt , ad ſtatum gratiæ redeant , & in ea decedant. Igitur ex doctrina Concilij ea ſunt de facto compenſanda aliquando mercede vitæ æternæ. Quod eſſe non poteſt , niſi merita per peccatum mortificata, homine gratiam recuperante, reuiuiſcant.

Tertiò , expendenda eſt ratio ob quam merita redeant. Quam remitto in ſequentem ſectionem, quæ poſcit plenam notitiam rei , cur videlicet merita redeant, cùm peccata non redeant.

Obiicies *primò* contra concluſionem ex Tridentino *ſeſſione 6. canon.* 26. Vbi videtur exigi ad obtinendum præmium , perſeuerantia in gratia poſt meritum vſque ad mortem , his verbis : *Si quis dixerit , iuſtos non debere pro bonis operibus , quæ in Deo fuerint facta , expectare & ſperare æternam retributionem à Deo per eius miſericordiam , & Ieſu Chriſti meritum , ſi benè agendo , & diuina mandata cuſtodiendo vſque in finem perſeuerauerint ; anathema ſit.* Ex quibus verbis colligi videtur, non deberi præmium bono operi , ſi poſtea iuſtus non perſeuerat in gratia, ſed labitur in peccatum, & poſtea reſurgit. *Reſpondeo*, per perſeuerantiam in gratia vſque in finem, non intelligi gratiam nunquam interruptam , ſed gratiam perſeuerantem ab vltima eius acceptione vſque ad mortem. Patet , quia ſic dicitur etiam à Chriſto Matth. 19. *Qui perſeuerauerit vſque in finem , ſaluus erit.* Vbi perſeuerantiæ nomine, quæ certè in omnibus adultis neceſſariò requiritur ad ſalutem , non ſignificatur gratia ſolùm , nunquam per totam vitam amiſſa, ſed gratia vſque ad mortem conſeruata , ſiue multò , ſiue paulò ante accepta fuerit : aliter enim ſemel poſt iuſtificationem lapſi , non poſſent fieri ſalui , quod dicere planè hæreticum eſt. Quare iuxta Tridentinum , non exigitur perpetua , & conſtans conſeruatio gratiæ , ſed finalis tantùm in gratia perſeuerantia , quam Chriſtus exegit *loco citato.* Eam verò habet quiſquis poſt multa etiam peccata in ſtatu gratiæ ex hac vita decedit. 8

Obiicies *ſecundò* , aduersùs reditum meritorum , verba illa Ezechielis 18. *Si auerterit ſe iuſtus à iuſtitia ſua , & fecerit iniquitatem , omnes iuſtitiæ eius non recordabuntur.* Quibus videtur negari reditus operum , ſeu meritorum mortificatorum. *Reſpondeo* , verbis his non negari reditum meritorum , quia ibi non agitur de iuſto peccante , & poſtea pœnitentiam agente , & gratiam recuperante , ſed in peccato ad mortem vſque obſtinatè perſiſtente , cum de illo ſtatim adiungatur : *In peccato ſuo morietur.* 9

Obiicies *tertiò* , certum non eſſe merita mortificata per pœnitentiam redire ; nam id in opinione poſitum eſt , nec Doctores conueniunt in reddenda ratione prædicti reditus ac reuiuiſcentiæ. *Reſpondeo* , hanc veritatem de fide non eſſe , quia non ita expreſsè conſtat ex diuina reuelatione : eam verò adeò certam eſſe , vt ſine temeritate & impietate aliqua negari non poſſit. Ita Suarez *diſputat.* 1. *ſectione* 2. *numero* 10. *ad finem* , & Granado *tractatu 6. diſputatione* 2. *numero* 2. & communiter omnes ferè moderni Scriptores. Et meritò quia eam ſatis Scriptura ſacra , vt à ſanctis Patribus intelligitur , indicat ; Concilium Tridentinum multùm fauet , & eſt illud diuinæ prouidentiæ & pietati , ac hominum fragilitati conſentaneum. Vnde eam doctrinam omnes nullo excepto teſtantur. 10

Qualis verò ſit efficacior ratio ad eam oſtendendam, quod ſolùm eſt in opinione poſitum, *ſequenti ſectione* diſcentimus.

SECTIO II.

An, & quænam ſit vera ratio ob quam merita redire poſsint.

1 Difficultas eſt apud Doctores, in reddendà ratione huiuſmodi reditus ac reuiuiſcētiæ,& diſcriminis inter merita & demerita, cur per ſubſequens peccatum non redeant demerita, ſicut merita redeunt per pœnitentiam. Quia tantam vim habet peccatum ad extinguenda merita quantam iuſtificatio ad extinguenda peccata vt liquet; ergo ſi merita interrupta peccato redeunt per iuſtitiam ſubſequentem, etiam peccata remiſſa per gratiam, redibunt per ſubſequens peccatum. Firmatur, quia merita non ſolùm mortificantur, ſed etiam extinguuntur per peccatum finale, quin rere poſſint: ergo etiam extinguuntur omninò, & non ſolùm mortificantur per alia peccata, quæ eiuſdem malitiæ, & efficaciæ ſunt cum peccato finali ad extinguenda merita.

Circa hanc rem varias proponunt rationes Doctores,quas refert noſter Martinez de Ripalda *libro* 4. *diſput.* 91. *ſect.* 5. Quibus omiſſis, vt veram rationem ſeligamus,quæ oſtendat merita redire,& non demerita, priùs ſunt quædam ſupponenda.

2 Suppono itaque *primò*, merita bifariam poſſe conſiderari. *Primò*, ſecundùm ſe & in actu primo, & quoad ſufficientiam cum ſola condignitate vt remunerentur à Deo, quæ meritis conuenire poteſt, quamuis Deus nullum eis præmium promittat, nec conferat. *Secundò*, in actu ſecundo, & quoad efficaciam cum connexione eorum cum præmio, & obligatione Dei ad illud tribuendum; quæ meritorum condignitatem ſupponit, & inſuper addit promiſſionem, vel legem Dei de retribuendo præmio. Modò in præſenti non quæritur ratio de reditū meritorum quoad actum ſecundum & efficaciam, ſed quoad actum primum, & ſufficientiam, ſeu condignitatem eorum. Nam ſuppoſito reditu meritorum quoad actum primum, & condignitatem eorum, nullus negat, nec negare poteſt efficaciam & connexionem infallibilem eorum cum præmio, poſt peccatum dimiſſum; eſſe reuocandam in voluntatem Dei, ſicut ante peccatum commiſſum, reuocatur in illam. Inueſtigatur itaque ratio, propter quam homo poſt peccatum dimiſſum, per iuſtificationem ſequentem, exiſtat dignus præmio reſpondente priſtinis meritis, cùm non exiſtat dignus odio inimicitiæ Dei, & pœna æterna reſpondente priſtinis peccatis poſt iuſtificationem amiſſam per ſequens peccatum.

3 Suppono *ſecundò*, vim meritoriam operum in præmium, eſſe efficientem moralem, & vt poſſit ſuam exercere cauſalitatem, tametſi habere debeat realem exiſtentiam, ſed non præſentem, ſed ſufficère præteritam, quia meritum exercet ſuam cauſalitatem in perſonam ratione præditam, & hæc cognoſcere poteſt exiſtentiam meriti non ſolùm præſentem, ſed etiam præteritam; atque ideò habitâ ſemel illâ præſcientiâ, poteſt mouere ſuam voluntatem vt velit conferre præmium. Similiter peccatum meritis præteritis ſuperueniens ſolùm opponi poteſt in genere cauſæ efficientis moralis:quia ſicut vis meritoria præmij in opere bono moraliter efficiens eſt; ita vis meritoria pœnæ in opere malo. Itaque meritum antecedens, & peccatum ſubſequens opponuntur quoad effectum moralem, eo modo, quo duo agentia contraria æqualiter applicata eidem paſſo ad inducendas formas contrarias, quorum alterum pugnat pro inducendâ vna forma, alterum pro inducenda alia:meritum enim mouet ad collationem doni, & demeritum ad priuationem illius. Cum hoc verò diſcrimine: nam inter agentia naturalia præualet agens actiuitate validius; inter moralia verò quod Deo libitum eſt, cuius arbitrio ſubiicitur collatio, & priuatio doni.

4 Tandem ſuppono, quamuis peccatum meritis ſuperueniens, poſſit demereri reſtitutionem gratiæ & gloriæ poſt remiſſionem ipſius, poſſitque remiſsâ culpâ, manere in iuſto dignitas ad pœnam, & priuationem præmij operibus antecedentibus, promeriti: tamen poſſe Deum ſic remittere peccatum quoad culpam & pœnam; imò de facto ita remittere, vt nulla maneat dignitas in iuſto, vt ea priuatione puniatur. Hoc videtur negari non poſſe: nam in primis quòd poſſit Deus eam pœnam remittere & dignitatem ad illam auferre, patet, tum à poſteriori, quia ſicut poteſt Deus deſtruere culpam, & dignitatem ad odium inimicitiæ conſiſtentem in illa; ita poteſt abolere pœnam, & dignitatem ad illam. A priori idem conſtat, quia dignitas ad pœnam conſiſtit formaliter in peccato præterito, non remiſsâ, nec ſatisfactâ pœnâ, ſicut dignitas culpæ & inimicitiæ diuinæ in ipſo peccato præterito, non remiſsâ culpâ: ergo per voluntariam remiſſionem pœnæ tolli poteſt dignitas pœnæ, ſicut dignitas culpæ per remiſſionem voluntariam ipſius. Quod verò de facto Deus eam pœnam & dignitatem ad illam remittat, patet, quia de facto Deus remittit culpam delendo cum illa omnem dignitatem ad æternam pœnam, vt conſtat & dictis *ſuprà, diſputat.* 8. *ſect.* 5. At priuatio gratiæ ex gloriæ priſtinæ eſſet æterna pœna, quia ea priuatio duraret in æternum.

5 His poſitis, optima ratio reminiſcentiæ meritorum ſic concluditur. Priſtina opera ad promerendam collationem gratiæ & gloriæ, poſt remiſſum interpoſitum peccatum, ſolùm poſſent impediri peccato in genere cauſæ efficientis moralis, ſeu meritoriæ pœnæ, vt conſtat ex *ſuppoſitione ſecunda.* At eo genere non impediuntur de facto, vt oſtenſum eſt *ſuppoſitione tertia.* Igitur promerentur collationem gratiæ & gloriæ poſt remiſſum interpoſitum peccatum. Firmatur id clariùs: quia ſicut peccata abſolutè remittuntur à Deo per gratiæ infuſionem quoad culpam, & quoad pœnam; ita bonis iuſti operibus promiſit Deus præmium eâ ſolùm conditione adhibita vt fiant in in gratia, & iuſtus in Dei amicitia finiat vitam: ſed totum hoc habent merita peccato mortificata, recuperante homine priſtinam Dei amicitiam vſque ad mortem perſeuerantem; ergo ſicut peccata, quia abſolutè remiſſa per gratiam habitualem quoad culpam, & quoad pœnam nequeunt de facto redire etiam quoad pœnam per ſubſequens peccatum: ita merita peccato interrupta nequeunt non redire de facto per ſubſequentem iuſtificationem, eo quòd habeant omnia quæ Deus requirit ad eorum remunerationem.

6 Hinc conſtat ſolutio ad rationem dubitandi. Nam eo argumento non bene probatur, peccata remiſſa quoad culpam redire poſſe quoad dignitatem pœnæ, ſicut

Digitized by Google

ſicut merita: quia de facto conſtat non redire immò nec redire poſſe, ſi remittantur per gratiæ infuſionem, vt contingit de facto. Nam vt rediret dignitas pœnæ, oporteret, vt peccata remitterentur per extrinſecam ſolam condonationē, ſub conditione ne iterùm peccatum committeretur. Vnde modò de facto voluit Deus per gratiæ infuſionem peccata remittere, & conſequenter voluit abſolutè remittere cum culpa debitum pœnæ, & ideò peccatorum dignitas non redit quoad pœnam, ſicut dignitas meritorum quoad præmium. Ad Confirmationem, Dico, peccatum finale non habere ſuapte naturâ, extinguere merita, ſed ex voluntate Dei ipſi adiunctâ; de nunquam ampliùs remittendo peccatum, neque quoad culpam, neque quoad pœnam: nam ſi poſt finale peccatum Deus voluiſſet damnatum iuſtificare, & illi remittere peccatum quoad culpam, & quoad pœnam, poſſet homo in priſtinam gratiam, & gloriam promeritam redire.

SECTIO III.

An merita reuiuiſcant ex natura rei, & ex iuſtitia, an verò ex miſericordia Dei?

1 VARIÆ ſunt de hac re ſententiæ. Prima affirmat, reuiuiſcentiam eſſe opus diuinæ miſericordiæ. Quam tenent Ochamus, Bonauentura, Scotus & alij.

Primò, quia totum id pendet ex voluntate Dei, & hæc cùm ſit pronior ad miſerendum quam ad puniendum, ex ſeipſo facit Deus, vt redeat operum valor ad præmium, non verò ad pœnam.

Secundò, merita nequeunt reuiuiſcere niſi homo reſurgat à peccato mortali: ſed reſurgere à peccato mortali, eſt opus Miſericordiæ, & non Iuſtitiæ; quia Contritio nonniſi de congruo meretur remiſſionem culpæ mortalis: ergo merita non reuiuiſcunt ex Iuſtitia, ſed ex Miſericordia.

Tertiò, ex oppoſito ſequeretur, hominem qui poſt merita præterita labitur, non poſſe iuſtè damnari à Deo, quia priuaretur iure Iuſtitiæ quod habet ad præmium debitum illis: nam ſi ex iuſtitia reuiuiſcunt, meretur homo ex iuſtitia illorum viuificationem: ergo iniuriam Deus irrogaret ea non viuificando.

2 Secunda ſententia, quam defendunt multi cum Vaſquez 1. 2. *diſp.* 221. *cap.* 3. & 4. & in hac materia *de pœnitentia, dubio* 1. docet reuiuiſcere ex natura rei, ita vt nullo modo potuerit impediri à Deo, quòd reuiuiſcant. Vnde tametſi ſit Dei miſericordia, vt homo pœniteat, vel iuſtificetur; ſuppoſitâ tamen iuſtificatione omninò neceſſe eſt merita reuiuiſcere. Probant *primò* quia cùm iuſtus per opera priſtina remunerationem æternæ gloriæ promeruerit, eâ priuandus non eſt, niſi in pœnam peccati. At in huius pœnam priuari non poteſt, poſtquam à Deo peccatum remiſſum eſt remiſſione abſoluta, & non conditionata, quia peccatum remiſſum iam ea pœna dignum non eſt; & remiſſione peccati redditur homo dignus, qualis eſſet, ſi peccatum non interueniſſet: ergo vt non interueniente peccato non eſſet priuandus ea remuneratione, ita nec peccato iam remiſſo.

Secundò, quando offenſæ remiſſio eſt abſoluta prorſus ab omni conditione, continuò poſt illam obſequia meritoria, & iura priora ex natura rei vim ſuam priſtinam recuperant. At offenſæ remiſſio facta à Deo eſt prorsùs abſoluta ab omni conditione; ergo continuò poſt illam merita, & iura priora ex natura rei vim ſuam recuperant. Maior probatur, quia in humanis ſi Rex acceptam à ſubdito iniuriam abſolutè condonet, ſtatim ex natura rei vim ſuam recuperant iura, & merita ſubditi priora, quibus Rex tenetur ſatisfacere, poſt condonatam abſolutè iniuriam, ac ſi eam non accepiſſet, alioquin eam abſolutè non condonaſſet. Et ratio à priori eſſe videtur quia abſoluta iniuriæ condonatio reſtituit iniuriantem in eam indemnitatem, quam ante iniuriam retinebat.

Tertia ſententia eſt Cardinalis Lugo *diſp.* 11. *ſect.* 1. *numer.* 14. & *ſequentibus*, duo dicentis. *Primum*, ex natura rei, & conformiter ad exigentiam gratiæ habitualis, eo ipſo quòd homo redeat in amicitiam Dei, priora merita reuiuiſcere, ſine vllo fauore Dei ſuperaddito, qui ſaltem non ſit connaturaliter debitus ipſi iuſtificationi. Probat, quia nequit Deus ex natura rei, peccata iam remiſſa punire æternâ pœnâ, ſi remiſſio fiat per gratiam iuſtificantem: nam huic ex natura rei annexum eſt ius ad æternam gloriam, quæ ſuapte naturâ repugnat punitioni æternæ. Puniretur autem homo æternâ pœnâ propter peccata iam remiſſa, ſi merita non redirent. Nam iactura æternæ gratiæ, & gloriæ, quam illa meruerunt, eſſet pœna; ſiquidem pateretur illam iuſtus propter demeritum peccati, ſicut priuatio gloriæ damnatis eſt pœna. *Secundum*, merita non reuiuiſcere ex iuſtitia: nam ſupponit Deum non obligari ex rigoroſa iuſtitia ad dandam gloriam hominibus, ſed ex fidelitate. 3

4 Vltima ſententia eſt Martinez de Ripalda *diſp.* 91. *ſect.* 5. *numer.* 45. aſſerentis merita in actu primo, & quoad dignitatem præmij non redire ex iuſtitia, ſed ex miſericordia; at verò in actu ſecundo, & quoad efficaciam, & connexionem ineffabilem cum præmio redire ex iuſtitia. Primum probat, quia merita in actu primo, & quoad dignitatem præmij redeunt ex ſola voluntate Dei, remittente culpam, & pœnam æternam, at iſta voluntas non eſt ex iuſtitia Dei, & de merito condigno hominis, ſed ex miſericordia, & merito congruo. Secundum probat, quia efficacia, & connexio meritorum redeuntium cum præmio, ſupponit condignitatem meritorum, & promiſſionem Dei; condignitas autem meritorum cum promiſſione Dei inducit obligationem iuſtitiæ. Nam Deus capax eſt iuſtitiæ ſtrictæ, & eam exercet in remuneratione meritorum iuſti tam mortificatorum, quàm viuorum.

5 Dico *primò* certum eſſe voluntatem miſericordem Dei remittentem peccatum, neceſſariam eſſe ad reditum meritorum. Patet, quia ſine remiſſione peccati merita redire non poſſunt; remiſſio autem peccati gratuita, & miſericors eſt. Firmo, nam merita mortificata nequeunt redire niſi tollatur impedimentum peccati mortalis, hoc autem non aufertur ex iuſtitia, ſed ex miſericordia; quia conſtat hominem, qui lapſus eſt, non mereri de condigno, ſeu de iuſtitia remiſſionem peccati mortalis; ſed id eſſe opus diuinæ miſericordiæ.

6 Dico *ſecundò* præter voluntatem Dei remittentem peccatum, neceſſariam eſſe promiſſionem, ſeu legem voluntariam Dei, ac liberam, de præmio retribuendo meritis mortificatis. Hoc etiam negari non poteſt: nam etiam inter homines nemo tenetur remunerare obſequium ſibi ab alio exhibitum, niſi interceſſerit promiſſio de remuneratione: ſi enim quis laboret per diem in vinea alterius, non meretur ex iuſtitia ſtipendium diurnum, nec illud tenetur dominus reddere ex iuſtitia,

Digitized by Google

niſi promiſerit pacto expreſſo, vel implicito, etiamſi labor ſit condignus tali ſtipendio; ergo nec Deus tenetur remunerare merita mortificata, niſi præcedat ſimile pactum, & promiſſio. Et ratio à priori hæc eſt, quia meritum de iuſtitia ſicut dat ius merenti, ita conſtituit debitorem ex rigore illum, apud quem meretur: eſt enim hæc relatio reciproca; repugnat enim, aliquid eſſe debitum alicui, quin ab illo debeatur. Non poteſt autem intelligi ex parte Dei tale debitum, niſi eius promiſſio præceſſerit, cùm ſit ſupremus Dominus omnium, & à nemine poſſit obligari, niſi ipſe velit. Cæterùm notandum eſt hanc Dei promiſſionem erga merita mortificata, imbibi in illa Dei generali promiſſione dandi præmiũ gloriæ omnibus meritis hominis iuſti ex hac vita in gratia decedentis; quia ſub illis comprehenduntur quoque merita mortificata; ex quibus ſi auferatur vnicum impedimentum, quod obeſſe poteſt, nempe peccatum mortale, iam deſinunt eſſe mortificata, & ſunt viua merita, ſicut omnia alia. Vnde promiſſio Dei circa iuſtos hæc eſt, dare illis præmium omnium meritorum, has ſolas conditiones ab eis exigendo ſcilicet, vt talia opera meritoria fiant in gratia, & ex gratia, & quòd eo tempore, quo eis Deus daturus eſt præmium in gratia eos inueniat. Hoc totum habent merita illa quæ mortificata dicuntur, ablatâ culpâ; atque ideò in generali illa Dei promiſſione comprehenduntur.

7 Dico *tertiò*, merita mortificata vt redeant viua, vel reuiuiſcant, non indigere niſi Dei fauore, & voluntate remittendi peccatum mortale. Hoc etiam patet, quia Deus remittendo dictam culpam per gratiæ infuſionem, remittit ſimul omne debitum pœnæ æternæ; & conſequenter eſt expedita dignitas præmij gloriæ, & augmenti gratiæ in prædictis meritis: ergo nullo alio indigent fauore vt redeant viua, ſeu vt reuiuiſcant.

8 Dico *quartò*, ex natura rei, eo ipſo quòd homo redit in gratiam Dei, priora merita reuiuiſcere. Ita benè Cardinalis Lugo cit. *ſuprà n.* 14. Ratio ſumitur ex natura gratiæ habitualis, quæ ex ſe, & connaturaliter eſt ſemen gloriæ; vnde licèt de potentia abſoluta potuiſſet homini iuſtificato, & grato non condonari pœna æterna, quam debet ex peccato; ſed tamen gratia habitualis connaturaliter exigit illam condonationem; quia connaturaliter exigit gloriam, cum qua non poteſt ſtare pœna æterna: ita ſimiliter connaturaliter exigit, quòd iuſtus non patiatur in æternum aliquam pœnam propter peccatum: at ſi priuaretur in æternum præmio præcedentium meritorum, iam pateretur perpetuò illam iacturam, quæ erat pœna præcedentis peccati.

9 Dico *Vltimò*, merita prædicta, remiſſo peccato reuiuiſcere ex natura rei, & de iuſtitia. Ita communiter Recentiores cum noſtro Suario *diſp*.... *ſect*. 3. *n*. 12. & 13. Probatur, quia in eo conſiſtit prædicta viuificatio, quòd merita poſt remiſſum peccatum habeant eandem vim, ſeu efficacitatem, quam ante peccatum habebant: ſed ante peccatũ merebantur ex iuſtitia gloriam, & tam ipſius gloriæ, quàm gratiæ augmentũ, vt ſuppono ex materia *de gratia*: ergo poſt peccatum iam remiſſum, etiam merentur ex iuſtitia idem ipſum. Ratio à priori eſt, quia omne debitum Dei ad hominem ſub conditione operis proportionalis, eſt debitum iuſtitiæ, imò non poteſt in Deo alio modo reperiri, vt oſtêdi in tractatu *de Incarnatione*, præſertim *diſp*. 3. *ſect*. 9. Sed ablato peccato, ſtatim incipit deberi præmium priorum operum ei proportionatorum, & ex promiſſione diuina ſub conditione talium operum; ergo eſt debitum iuſtitiæ. Firmo hoc idem, nam ius quod mediis operibus meritoriis iuſtus obtinuerat, non fuit extinctum omninò per peccatum, ſed impeditum: ergo ablato impedimento, redit idem ius: ſed hoc erat ius iuſtitiæ; ergo redit idem ius iuſtitiæ.

Hinc colligo *primò*, meritum poſtquam præceſſit, non manere alicubi formaliter, ſed relinquere in homine ius ad præmium, quod ius in gratia fundatur, & manere dicitur in Deo quantum ad acceptationem, ad dandum pro illo præmium ſuo tempore. Vnde peccatum ſuperueniens cùm excludat ab homine formaliter gratiam, poteſt conſequenter excludere ius ad tale præmium, ſecundùm præſentem ſtatum; à diuina tamen acceptatione non poteſt delere formaliter ipſum meritum, ſed poteſt ſolum illam acceptationem expellere demeritoriè: quod faceret, ſi Deus ſtatuiſſet punire omne peccatum mortale perpetuâ amiſſione præcedentium meritorum; tunc enim Deus ſolùm acceptaſſet merita ſub hac conditione, niſi per peccatum ſuperueniens amittantur: ideóque commiſſo peccato, finiretur acceptatio. Nunc verò Deus de facto non acceptauit merita ſub illa conditione, ſed abſolutè nobiliori, ac liberali modo. 10

Colligo *ſecundò*, ſi peccatum hominis habentis merita mortificata, remitteretur à Deo per meram condonationem extrinſecam, ſine gratiæ infuſione, potuiſſe tunc ex natura rei non reuiuiſcere priora merita; quia potuiſſet Deus remittere culpam, non condonando pœnam æternam totalem, vel etiam partialem, qualis eſſet carentia gloriæ illis meritis debita; & hoc certè potuiſſet efficere veluti ex natura rei, cùm non eſſet gratia habitualis, quæ exigit ex naturâ rei condonationem pœnæ æternæ. Vnde nullum eſſet principium, cui ex natura rei deberetur tunc reuiuiſcentia meritorum: & ideò rectè à Concilio exigitur mors in gratia, vt merita reuiuiſcant. 11

Colligo *tertiò*, ſi Deus aliquem ex inferno educeret in hanc vitam, & daret illi ſpatium pœnitentiæ, ex natura rei reditura antiqua eius merita, ſi fortè habuit aliqua: quia nimirùm gratia, quam nunc reciperet, daret illi ius ad gloriam, atque ideò exigeret non puniri iam hominem illum aliquâ pœnâ, qualis eſſet carentia præmij debiti illis operibus. In eo autem caſu illa merita non fuiſſent omninò mortua, & extincta, quia poſito quòd Deus non habebat decretum abſolutum, & efficax puniendi illum hominem in æternum in inferno, non erat præciſa omninò ſpes recuperandi illa merita; nunc autem merita de facto in damnatis dicuntur mortua, quia iam eſt omninò illis impoſſibilis vita. Hæc autem impoſſibilitas prouenit formaliter ex decreto Dei non remittendi vnquam eis illam pœnam: radicaliter verò ex ipſa ſtatus conditione, quæ quia eſt iam extra viam, & in termino, affert ſecum eam immutabilitatem, ac proinde adimit meritis potentiam reſurgendi, ex qua impotentia dicuntur omnia merita mortua. 12

Ad argumenta ſententiarum quæ propoſitæ ſunt, prout opponuntur noſtris dictis. Ad primum primæ ſententiæ negatur totum, reuiuiſcentiæ negotium pendere adæquatè ex voluntate Dei: pendet quidem ex voluntate Dei remiſſio peccati, & promiſſio de præmio meritis mortificatis tribuendo, vt dixi *ſuprà num*. 5. & 6. non verò pendet ex illa valor & condignitas meritorum; non enim Deus poteſt facere dignum eum, qui aliàs ſeorſim à voluntate diuina non eſt dignus, ſicut non poteſt facere, vt homo nullum agens opus bonum condignè præmium mereatur; ſicut nec poteſt Deus operibus naturalibus, quæ ex ſe inualida ſunt, ac improportionata ad præmium ſupernaturale, tribuere valorem & dignitatem ad illud. Quamuis enim poſſit Deus dare, vel non dare dona ſupernaturalia ex intuitu eorum, non verò ex condignitate, quam ex ſe non ferunt. Vnde collatio donorum ſupernaturalium, ſi non præſupponatur condignitas operum, non eſt meritorum remuneratio, ſed gratioſa quædam ac liberalis 13

liberalis conceſſio, qualis fieret homini qui nulla edidiſſet opera bona.

Ad ſecundum, concedo totam argumentationem & conſequentiam, nimirùm merita non reuiuiſcere ex iuſtitia, ſed ex miſericordia, quantum ad voluntatem miſericordem Dei remittentem peccatum.

Ad tertium, diſtinguenda eſt ſequela: vel enim illi homini remiſſa eſt culpa, vel non; ſi ſit culpa remiſſa, non poteſt iuſtè damnari, nec priuari iure quod habet ad præmium gloriæ; ſi culpa non eſt remiſſa, nulla fiet illi iniuria, & iuſtè à Deo damnabitur.

Ad ſecundam ſententiam, Dico eam mihi placere, & probare rectè illis duobus argumentis, poſitâ remiſſione peccati, merita reuiuiſcere ex natura rei; vt etiam oſtendi *ſuprà dicto quarto*.

Ad tertiam ſententiam ſimiliter affirmo, me probare primam partem illius, non verò ſecundam, vt conſtat ex *ſuprà* dictis.

Vltima ſententia & tota eius doctrina pro nobis eſt, firmans noſtra omnia dicta.

SECTIO IV.

An merita integrè reuiuiſcant quoad totum præmium gratiæ, & gloriæ; an quoad partem tantùm?

1 Conſtat ex ſuperioribus, homini à peccato reſurgenti reſtitui gratiam ſanctificantem, & virtutes per ſe infuſas illam comitantes: non eaſdem numero, quia non eſt cur hoc miraculum admittatur, ſed eaſdem ſpecie. Conſtat etiam non ſolùm reſtitui gratiam, & virtutes, verùm etiam merita, ſeu iura quæ habebat ad gratiam & gloriam: hoc enim conuincunt omnia, quæ à nobis dicta ſunt *duabus ſectionibus præcedentibus*. Difficultas igitur præſens eſt, An intra illa peccato grauì interrupta, recuperent per ſubſequentem iuſtificationem totum vigorem, quem ante peccatum habebant, atque adeò ſi homo ante relapſum habebat ſex gradus gratiæ, v.g. totidem eidem reſtituantur redeunti in priſtinam Dei amicitiam, & aliquid aliud intuitu diſpoſitionis quâ ſe præparauit ad ipſam iuſtificationem.

2 Prima ſententia quæ eſt Thomiſtarum, negat merita redire quoad totum præmium gratiæ & gloriæ. At non omnes eodem modo commentantur: Dominicus Bannez 2.2.*quæſt.*24.*art.*6.*dub.*6.prælertim *concluſ.*3. docet, merita mortificata redire, ita tamen vt propter illa nullum aliud præmium eſſentiale ſit Deus redditurus, præter illud quod reddet intuitu diſpoſitionis, quâ qui bona opera exercuit, reſurgit à peccato: illud tamen præmium eſſe à Deo tribuendum, non ſolùm propter præſentem diſpoſitionem, verùm etiam intuitu meritorum reuiuiſcentium; atque adeò duplici titulo Quod non facit, cùm ſimile præmium elargitur alteri homini, æqualiter ſe diſponenti ad iuſtificationem, ſi nulla bona opera anteà exercuit: atque hunc caritutum in cælo præmio accidentali, quod habebit, qui priùs benè operatus eſt: hoc verò prȩmium conſiſtere in quodam gaudio accidentali proueniente ex eo quòd obſequia illa peccato mortificata in Dei gloriam obtulerit. *Secundò* Sotus, Ledeſma, & alij dicunt reſtitui gratiam præcedentem iuxta proportionem diſpoſitionis præſentis: ita vt qui habet diſpoſitionem ad gratiam præſentem vt duo, v.g. accipiat etiam de gratia præterita alios duos gradus; quia diſpoſitio quæ ſufficit ad duos gradus nouos, ſufficit etiam ad reſuſcitandos duos antiquos. Alij denique limitant aliis modis, quos omnes affert Suarez *diſputat.*2.*ſect.*1. quem de hoc puncto videre oportet.

Nos ſolum proponamus argumenta quæ probare contendunt merita mortificata non reuiuiſcere quoad integrum reditum gratiæ & gloriæ. *Primò*, quia gratia cùm primùm infunditur, exigit diſpoſitionem in ſuſcipiente, & pro maiori, vel minori eius perfectione, maior, vel minor eſt perfectio gratiæ infuſæ: ergo etiam cum gratia amiſſa recuperatur, eandem exigit diſpoſitionem, & ad eius menſuram erit recuperatio gratiæ: nam eiuſdem conditionis eſt gratia infundenda, & recuperanda.

Secundò, ſi tota gratia integrè rediret, pœnitens reſurgeret à peccato cum maiori gratia, & cum maiori iure ad gloriam, quam ante lapſum habebat, nam vltra gratiam priſtinam accederet gratia præſenti Contritioni reſpondens. Id autem concedi non debet, quia videtur abſurdum, hominem qui diu iacuerat in peccato mortali, ſtatim poſt Contritionem reſtitui in tantam amicitiam cum Deo, quantam priùs diuturno labore comparauerat, imò & in maiorem familiaritatem, & etiam contra rectam rationem; hæc enim exigit, vt qui grauiſſimis iniuriis alterum affecit, non redeat confeſtim in eandem omninò beneuolentiam, & gratiam antiquam.

Tertiò, habitus ſupernaturalis nunquam infunditur niſi præcedente diſpoſitione proportionata ſecundum intenſionem: ergo quando ea non datur, non poteſt redire gratia intenſa, quæ erat ante peccatum. Firmatur, nam in Tridentino *ſeſſ.*6. *canon.* 7. dicitur in iuſtificatione infundi iuſtitiam ſingulis, ſecundùm propriam cuiuſque diſpoſitionem: ergo non infunditur gratia ſupra menſuram diſpoſitionis.

Quartò, mortificatio meritorum eſt pœna peccati: at pœna peccati non tollitur ſtatim adæquatè, ſed paulatim; ergo non ſtatim homo euehi debet ad priſtinum ſtatum: ergo multò minùs ad maiorem amicitiæ gradum.

Quintò, ex oppoſita ſententia ſequitur minui timorem peccandi, & homines reddi faciliores, & procliuiores in peccata; nam perſuaſione recuperandi priſtinam gratiam per qualemcumque pœnitentiæ conatum, ibunt facilè in quęcumque peccata.

Vltimò, obiicitur S. Hieronymus relatus à Gratiano *cap. Quicumque, diſt.*56. ſic dicens. *Quicumque dignitatem diuini gradus non cuſtodierint, contenti fiant animam ſaluare; reuerti enim in priſtinum gradum difficile eſt.* Vbi S. Doctor plus exigit ad recuperandum priſtinum gradum amicitiæ diuinæ, quam ad conſequendam ſalutem animæ, ad quam quæuis Contritio ſufficiens eſt.

Secunda ſententia quæ eſt communior apud omnes præſertim noſtræ Societatis Doctores, quos refert & ſequitur Cardinalis Lugo, Suarez, & Ripalda, affirmat merita antiqua reuiuiſcere ad totum præmium eſſentiale, ita nimirùm, vt ſupra gratiam diſpoſitionis propriam perducant hominem ad tantam gratiam & gloriam, ad quantam perductura eſſent, ſi nunquam peccato interrupta fuiſſent; eſt omninò amplectenda. Hanc probo 3 *primò* quia D. Paulus, & Eccleſiæ Patres relati *ſect. prima*, abſolutè & abſque vlla limitatione docent merita redire; nullaque eſt ratio limitandi ad partem tantùm & non ad integrum præmium recuperandum.

Secundò, quia Tridentinum *ſeſſ.*6. *&* 16. ad promerendam gloriam, & illam reipſa conſequendam tres tantùm in quolibet opere conditiones requirit, nempe vt ſit opus iuſti; vt ſit in Deo, ſeu ex auxilio gratiæ factum; & vt operans ex hac vita in gratia decedat. At omnes hæ

hæ tres conditiones inſint in omnibus operibus mortificatis omnium qui ſaluātur:ergo omnia gloriam ſemel promeritam conſequuntur. Nulla igitur alia conditio deſideranda eſt. Hoc autem argumento deſumpto ex doctrina Tridentini idem oſtenditur de reditu gratiæ integræ in via recuperandæ: quia non poteſt poſt pœnitentiam redire meritum gloriæ, quin etiam redeat meritum gratiæ, quæ præuia eſt ad gloriam, & ſimul cum gloria ſub meritum cadit. At præmium gratiæ ſtatim confertur in via ſimul cum merito ipſius, vt in materia *de charitate*, oſtenſum eſt: ergo ex reditu meritorum gloriæ conferendæ in patria arguitur reditus meritorum gratiæ conferendæ in via.

6 *Tertiò*, peccatum remiſſum quoad culpam & pœnam æternam, ſicut non impedit dignitatem meritorum ad partem præmij, ita nec ad totum præmium, cùm peccatum adęquatè quoad culpam & pœnam æternam remiſſum ſit, & indignitas totius præmij omninò ablata, ac ſi nullum præteriiſſet peccatum; ergo ſicut nullo præcedente peccato nihil gratiæ & gloriæ promeritæ demeretur: ita nec demitur peccato præcedente iam omninò remiſſo. Reſpondent Thomiſtæ huic argumento, merita integrè quoad dignitatem præmij redire, non verò integrè redire quoad ipſum præmium, quia deficit diſpoſitio, cui totum præmium reſpondeat. *Sed contra eſt*, quia cùm Deus conferat præmium iuxta dignitatem meritorum, ſi redit integra dignitas ad totum præmium, etiam redit totum præmium. Nec vbi eſt cõdignitas præmij meritoria, alia ad conferendum præmium diſpoſitio neceſſaria eſt; quæ enim aptior diſpoſitio ad præmium, quàm condignitas ipſius? ergo non deficit diſpoſitio, cui præmium totum reſpondeat. Tum etiam quia ad inſtaurandam priſtinam gratiam, & gloriam, non exigitur immediatè diſpoſitio poſitiua, iuxta quam conferatur quantitas priſtinę gratiæ, & gloriæ, ſed ſola diſpoſitio negatiua remouens impedimentum peccati, quæ æqualiter ſternit viam ad totius recuperationem præmij.

Vltimo, eadem veritas firmatur, quaſi à priori, quia reuiuiſcere nihil eſt aliud, quàm primam vitam recuperare: at ſi merita non habent primum valorem, ſed aliũ inferiorem, non recuperant primam vitam, ſed partem primæ vitæ, & ita non plene reuiuiſcunt, ſed diminutè. Quod ſine vllo fundamento dicitur, quia per quamcumque diſpoſitionem homo iuſtificetur, tollitur omninò impedimentum peccati, quod merita impediebat, ergo manent iam omninò expedita, & libera, ſicut antea; alioquin ſi reſtaret pars aliqua impedita, iam ſecundùm illam partem præmij non dandi, puniretur peccatum pœna aliqua æterna; cùm propter illud peccatum pateretur homo perpetuam carentiam illius glorię partialis; quę nunquam redderetur.

Ex his patet, omnes modos, quibus Aduerſarij limitant recuperationem præmij, & totius meriti reparationem adimunt, eſſe nullius fundamenti: quos latè refutat Suarez & Martinez de Ripalda *diſp. 9. ſect. 7. n. 57. & ſequentibus*; ad quos remitto Lectorem.

4 Ad argumenta contrariæ ſententiæ. Ad primum, conceſſo Antecedente, dico ad Conſequentiam, etiam cùm gratia amiſſa recuperatur, adeſſe diſpoſitionem recuperandæ gratiæ neceſſariam, nempe condignitatem priſtinam meritorum, quæ poſt pœnitentiam redit, & ſufficiens eſt ſeorſim ab alia ad integram eius recuperationem, vt fuit ſufficiens ad primam eius infuſionem: nam interpoſitio peccati ſicut nullam priſtinæ dignitatis partem ademit: ita nec diſpoſitionis meritoriæ ſufficientis ad integram gratiæ inſtaurationem.

Ad ſecundum Reſpondeo nullum eſſe abſurdum, imò valde conforme Scripturæ, Conciliis, & Patribus, pœnitentem reſurgere à peccato cum eadem, & maiori gratia, quam priùs habuerat. Si enim pœnitens titulo, & iure ſolius Contritionis remiſſæ in priſtinã gratiam rediret, certè incredibile eſſet tantã, quantam prius, & maiorem etiam gratiam, & familiaritatem cum Deo comparare. Cæterum cùm in eum ſtatum reſtituatur, titulo, & iure antiquorum meritorum, quę adæquatè redeunt, & omni gratia priſtina condigna ſunt, credibilius, ac verius eſt, Deum iuxta meritorum condignitatem, quàm infra illam, largiri gratiam. Vnde recta ratio exigit, vt remiſsã omninò per Pœnitentiam iniuriã, & confeſtim redeunte iure & condignitate ad priſtinam amicitiam, confeſtim etiam qui iniuriauit, in priſtinam familiaritatem, ac beneuolentiam reuocetur.

Ad tertium, permiſſo Antecedente, negatur Conſequentia, quia illa gratia antiquorum meritorum non datur intuitu diſpoſitionis remiſſæ præſentis, ſed intuitu meritorum præcedentium, cum quibus, & non cum ſola diſpoſitione præſenti debet commenſurari. Ad Cõfirmationem, concedimus dari gratiam ſecundùm diſpoſitionem, negamus tamen eſſe diſpoſitionem ad totam illam gratiam, ſolam Contritionem pręſentem ſed Contritionẽ cum meritis præcedentibus; ita vt Contritio, vt duo v.g. diſponat ad duos gradus gratię, & merita pręcedentia ad alios duos quos habebat ante peccatum; & vtrumque ſimul ad totam illam gratiam, vt quatuor.

Ad quartum, Dico mortificationem meritorum eſſe pœnam peccati, non temporalem, & accidentalem, quæ non remittitur ſtatim adæquatè, ſed paulatim, ſed eſſe pœnam ſubſtantialem & æternam, nempe detractionem gratiæ & gloriæ eſſentialis & æternæ, & ideò hanc pœnam non paulatim, ſed ſtatim tolli remiſſo peccato.

Ad quintum, negatur ex noſtra ſententia, minui timorem peccandi: nam quod illa detrahit timori arcenti homines a peccato, dat Spei prouocanti eos ad pœnitentiam. Quo ſine Sacræ Litteræ, & Eccleſię Patres reditus meritorum meminerunt, vt ſpe recuperandi fructus homines in pœnitentiam adducerent.

Ad vltimum, non negat Hieronymus, quamcumque Contritionem per quam peccator animæ ſalutem conſequi poteſt, ſufficere ad reparandam priſtinam gratiã, ſed tantùm ſignificat, quãcumque Contritionem conſequentem priſtinæ ſalutis & gratiæ quamuis remiſſæ eſſe difficilem; & ideò pœnitentem gaudere debere, quòd animæ ſalutem fuerit adeptus: nam Sanctus Hieronymus loquitur in genere de omni iuſto, ſiue de eo qui ante peccatum abundans meritis fuit, ſiue de eo qui nulla prius in ſtatu gratiæ vel pauca merita exercuit.

SECTIO V.

Vtrùm per Pœnitentiam reſtituatur etiam priſtina gratia, quæ data fuerat ſine meritis, virtute Sacramentorum?

NOn eſt quæſtio de poſſibili, cùm ſit certiſſimum, Deum poſſe eam reſtituere gratiam, ſed de facto.

Negant eam gratiam habitualem reſtitui ex toto, vel ex parte Vaſq. Ludouicus de Torres, Gaſp. Hurtad. Monc. & alij. Probat *primò*, quia gratia Sacramentalis non poteſt reſtitui propter merita; non enim data fuit ex meritis, vt ſupponimus, ſed ſine illis ex opere 1

opera

Digitized by Google

operato: ergo debet reſtitui ex ſola voluntate Dei: at hæc non habetur ex Sacra Scriptura, vel Patribus; ergo non eſt cur ſine vllo fundamento talis reſtitutio ponatur.

Secundò, ſi aliqua eſſet ratio, maximè illa, quia gratia Sacramentalis data fuerit iam ex meritis Chriſti applicantis Sacramento, quæ potentiora ſunt ad dandum ius perpetuum ad gratiam, & ad obligandum Deum ad eius reſtitutionem. At hæc ratio licet oſtendat poſſibilitatem, ſed non quòd de facto debuerit ita fieri: non enim quoties datur nobis aliquid ex meritis Chriſti, datur cum omni perfectione, & iure, quo poſſet ex Chriſti meritis dari, quia non vult Chriſtus applicare ſua merita cum tota illa perfectione, ſed cum limitatione, licèt ex parte valoris meritorum Chriſti poſſent perfectiùs applicari: poterant enim Chriſti merita non ſolum dare aliam gratiam, ſed etiam perſeuerantiam in gratia. Vtrumque enim ipſis debetur, ſi pro vtroque applicentur; & tamen de facto non valent omnibus ad vtrumque, non ex defectu valoris, ſed ex defectu applicationis Chriſti: cur ergo non potuit ſimiliter Chriſtus applicare ſua merita in Sacramento, vt daretur gratia homini qui baptizatur, v. g. & non vt reſtitueretur illa gratia poſt lapſum? Certè ſi illa Chriſti merita facta fuiſſent mea: ego obtinuiſſem infallibiliter perſeuerantiam, quia ad id totum habebant valorem; ergo ſignum eſt non applicari ſimpliciter, ſed cum limitatione, videlicet ad hoc vel illo modo obtinendam gratiam: ergo potuerunt applicari, vt daretur gratia, non ſolùm amiſſibilis, ſed irrecuperabilis; non enim magis videtur vna limitatio repugnare quàm alia ex parte applicationis.

Tertiò, etiam ſi non reſtituatur gratia habitualis Sacramentalis, adhuc Sacramenta præterita non fraudantur ſuo fine, quia Deus eorum intuitu dat homini gratias actuales & auxilia ad finem Sacramentorum opportuna, ſic Sacerdoti, qui in ſua ordinatione accepit gratiam habitualem ad benè exercendum ſuum miniſterium, & poſtea peccauit, tametſi nunquam, quantumuis conuertatur, recuperet gratiam habitualem; nihilominùs in illo non fruſtratur Sacramentum Ordinis ſuo fine, quia Deus intuitu talis Sacramenti dat illi gratias actuales, & auxilia ad finem dicti Sacramenti opportuna; ergo nulla eſt ratio cur ſit reſtituenda gratia habitualis Sacramentalis.

Quartò, gratia meritorum, ideò poſt ablationem peccati reſtituenda eſt, quia aufertur in pœnam peccati. At Sacramentalis gratia non aufertur peccato tanquam pœna, ſed tanquam effectus, ſecundarius neceſſariò ſecutus peccatum: ergo non ſicut gratia meritorum, ita & Sacramentorum gratia poſt ablationem peccati reſtituenda eſt.

Vltimò, de prima gratia, quæ data fuit peccatori ſe præparante extra Sacramentum ad iuſtificationem media Contritione, veriſimilius videtur non redire, quia illam Contritio mereri non potuit niſi de congruo; at meritum congruũ apud SS. Patres, & Doctores non venit abſolutè nomine meriti, atque adeò neque promiſſiones de meritorum viuificatione intelligi poſſunt cum ſufficienti fundamento de merito congruo.

2 Oppoſitam ſententiam, cum Suarez, Lugo, Coninck, Martinez, Soto, & aliis iudico veram, ac conformem Scripturæ, & Patribus indicantibus hominem per pœnitentiam in priſtinam gratiam reuerti ſine vllo diſcrimine, ſine vlla limitatione: Iuxta quam;

Dico *primò*, gratiam omnem datam per Sacramenta ex opere operato per peccatum mortificatam, ablato obice per pœnitentiam, reſtituendam eſſe. Moueor duplici ratione efficaciori. Prima ſumitur ex ipſa natura iuſtificationis, ex qua oritur, vt ablato obice reſtituatur tota gratia, cuius iacturam incurrimus propter peccatum: ergo & gratia Sacramentalis, quæ fuit deperdita illo peccato, ablato illo, reſtituenda eſt. Antecedens patet, quia eo ipſo quòd homo per pœnitentiam iuſtificatur, & accipit gratiam habitualem, accipit ius ad gloriã æternam; atque ideò exigit ſtatum expertem omnis pœnæ & punitionis æternæ. At ſi non reſtitueretur gratia tota Sacramentalis per peccatum ablata, ſequeretur hominem puniri aliqua pœna damni æterna, quatenùs perpetuò careret illa gratia in pœnam ſui peccati, & per conſequens gloria illi correſpondente. Altera ratio ſumitur ex condignitate meritorum. Nam vt oſtẽſum eſt *præcedenti ſectione*, per reminiſcentiam redit condignitas meritorum: ergo etiam gratia Sacramentalis. Patet Conſequentia, quia condignitas meritorum conſtituitur eſſentialiter ex dignitate gratiæ ſanctificantis, quæ conducit ad meritum condignum, vt pars eſſentialiter conſtitutiua meriti ſaltem in obliquo: nam meritum non conſtituitur condignum per ſolam entitatem actus, vt conſtat: nam illâ exiſtente ſolâ, quamuis abeſſet gratia, exiſteret condignum meritum, quod eſt falſum. Quare gratia eſt neceſſaria, & immediatè rationẽ ſui tanquam conſtitutiua meriti in ratione condigni. At prima merita poſt iuſtificationem Sacramentalem elicita non conſtituuntur aliâ gratiâ, quàm Sacramentali, cùm aliam non ſupponant: ergo ſi redit eorum meritorum condignitas, etiam redit dignitas gratiæ Sacramentalis, quæ pars eſt eſſentialiter conſtitutiua ipſorum. *Reſpondebis*, hinc ſolùm ſequi redire gratiam Sacramentalem ſolùm moraliter vt merita redeunt, ſed nõ redire phyſicè. *Sed contra eſt*, quia ex morali gratiæ Sacramentalis reditu manifeſtè probatur phyſicus reditus ipſius, nã eo ipſo quòd redeat dignitas eius gratiæ moraliter ad collationẽ glorię, tanquã pręmij meritorũ, redire quoque debet moraliter ius & dignitas eiuſdem ad collationem gloriæ, tanquam hæreditatis, quæ ipſam neceſſariò antecedit, ſicut antecedit opera meritoria: ergo redire debet gloria eius gratiæ dignitati, & iuri, tanquam hæreditas debita, & in patria phyſicè conferenda; ergo etiam ipſa gratia aliquando phyſicè conferenda cùm ſemper iuxta menſuram gloriæ præſupponatur phyſicè exiſtens gratia.

Dico *ſecundò*, prædictam gratiam Sacramentalem redire ſtatim, ablato peccato per pœnitentiam. Probatur: Tum quia ſi iſta gratia aliquando reſtituenda eſt, cur non reſtituetur ſtatim ablato peccato, cùm eo ipſo auferatur obex, quo impediebatur? Tum etiam quia tota cauſa, cuius intuitu datur illa gratia, fuit Sacramentum, v. g. continens in ſe merita Chriſti: ergo non apparet ratio, cur debeat ampliùs differri eius reſtitutio poſt ablatum peccatum, quod impediebat efficaciam Sacramenti præteriti. Quare ſicut in communi Theologorum ſententia aliqua Sacramenta etiam in peccato ſuſcepta cauſant poſtea ſuum effectum gratiæ, quando aufertur obex peccati: ita gratia illa Sacramentalis ſtatim ſublato obice danda eſt, quia iam ſupponitur poſitâ totâ eius cauſâ, nempe Sacramento. 3

Et dictis colligo *primò*, ſemper hominem per pœnitentiam reſurgere ad maiorem gratiam, quam priùs habebat ante peccatum. Patet, quia recuperat integram totam priſtinam gratiam, & vltra illam ſemper denuò ſuperadditur gratia ex vi Contritionis, vel Sacramenti præſentis. Nec inde ſequitur eum eſſe melioris conditionis, quàm ſi non peccaſſet: nam ſi non peccaſſet, habuiſſet præmium eorum omnium operum quæ fecit, quandiu erat in ſtatu peccati; quæ tamen cùm fuerint opera mortua, nunquam illi proderunt ad præmium æternæ beatitudinis. 4

Colligo *ſecundò*, ſimul cum gratia redire integrè virtutes infuſas cum priſtina intenſione ipſarum: nam eiuſ- 5

modi

modi virtutes ſequuntur gratiam quoad infuſionem & intenſionem. Et quamuis experientiâ conſtet deficere pœnitenti poſt longum vitiorum vſum, priſtinam facilitatem in officia virtutum, id non obeſt, quia iam conſtat virtutes infuſas facilitatem non præſtare in ſuos actus.

6 Colligo *tertiò*, non reſtitui virtutes adquiſitas. Quia virtutes acquiſitæ non deperduntur in pœnam peccati, nec acquiruntur merito actuum, ſed paulatim generantur phyſicâ actuum cauſalitate, & pereunt vſu vitiorum contrario.

7 Colligo *vltimò*, Adamo reſtitutã fuiſſe gratiã habitualẽ quã ante peccatũ habuerat. Quia licèt eã nõ impetrauerit merito proprio condigno, nec virtute alicuius Sacramẽti, neque ex meritis Chriſti, vt aliqui volũt: tamen ea in pœnam peccati ablata eſt, & remiſſo quoad culpam & pœnam æternam peccato, reſtitui debet, quia alioquin Adamus pateretur aliquam æternam pœnam ſui peccati, videlicet carentiam illius gratiæ, & gloriæ correſpondentis. Tum etiam quia redit condignitas meritorum, quæ ante peccatum habuit, informata per illam gratiam: ea autem condignitas redire non poteſt abſque ipſa gratia prima, quæ eorum valorem conſtituebat. Et quamuis non recuperauerit in hac vita iuſtitiam originalem, nec alia dona ei ſtatui annexa, id non obſtat, quia illa temporalia bona ſolùm pro ſtatu viæ prouiſa: iactura autem bonorum temporalium tanquam pœna temporalis potuit cõponi cũ remiſſione peccati, vt cõponitur alia tẽporalis pœna. Neq; etiã erãt partes eſſẽtiales condignitatis meritorum; at gratia ſanctificans erat donum in æternitatem diſpoſitum, & vlterius pars eſſentialis conſtituens condignitatem meritorum poſt pœnitentiam redeuntium.

8 Ad argumenta contraria. Ad primum Dico, neceſſitatem reſtituendi gratiam Sacramentalẽ, non prouenire ex meritis, ſed ex exigentia gratiæ, quâ peccator iuſtificatur; quæ gratia exigit, vt non puniatur homo ampliùs pœna æterna ob peccatum præteritum, & per conſequens non patiatur priuationem æternam illius gratiæ quam amiſit propter peccatum.

9 Ad ſecundum, Reſpondeo, alias rationes eſſe vrgentiores, quas nimirùm Nos propoſuimus ad recuperandam gratiam Sacramẽtalem; nihilominùs illam quoque non eſſe contemnendam: nam merita Chriſti efficacia ſunt ad reſtitutionem gratiæ Sacramentalis, ſi cum voluntate diuina reſtituendi talem gratiam applicentur Sacramentis. Conſtat autem, ea ſic fuiſſe applicata, & cũ ea vi Sacramenta inſtituta. Tum quia merita hominis, tametſi potuiſſent extingui peccato, quin redirent, ſi Deus voluiſſet remiſsâ culpâ non remittere pœnam; tamen quia conſtat, Deum remittere peccatũ quoad culpã & pœnam, colligitur, iam eâ ſuppoſitâ voluntate Dei ex natura rei redire merita abſque nouo fauore ipſius. Igitur ſimiliter redibit eâ ſuppoſitâ voluntate Dei, non ſolùm condignitas meritorum Chriſti, ſed etiam prioris applicationis ipſorum pro gratia conferenda ſuſcipientibus Sacramenta. At redeunte non ſolùm condignitate meritorum Chriſti, ſed etiam priori ipſorum applicatione, non poteſt non redire gratia Sacramentalis, quæ tali applicationi coniuncta eſt; ergo redit Sacramentalis gratia. Tum etiam quia merita Chriſti quoad efficaciam merentur, vt ſuſcipientibus Sacramenta concedatur gratia pro omni tempore, quo nullum obſtet peccatum. At ipſi per ſuos actus gratiam merentur quoad efficaciam conferendam pro inſtanti ſequentis iuſtificationis abolentis interpoſitum peccatum. Igitur etiam id merentur quoad efficaciam merita Chriſti ex inſtitutione, & applicatione Sacramentali.

10 Ad tertium Reſpondeo, ſi non recuperetur gratia habitualis Sacramentalis; ablato obice peccati, Sacramenta fruſtrari ſuo fine. Nam illæ gratiæ actuales & auxilia non cauſantur immediatè à Sacramentis, ſed mediante gratia habituali, quæ ideò datur in omnibus Sacramentis, vt ſit quaſi radix; & ius quoddam permanens in anima, ex quo ſuo tempore oriantur ea auxilia & alij effectus accidentales ad finẽ Sacramenti conſequendum. Si ergo reſtituitur illud ius, reſtituitur etiam gratia; ſi verò non redit gratia, non redit ius, & ideò manebit iam omninò otioſum, & inutile Sacramentum.

Ad quartum negatur, Sacramentalem gratiam non auferri peccato tanquam pœnam, ſicut gratia meritorum aufertur in pœnam peccati; ac proinde ſicut gratia meritorum, ita & gratia Sacramentorum reſtituenda eſt poſt ablationem peccati.

Ad vltimum dico reuiuiſcere quoque omnem primã 11
gratiam. Vt benè docet Suarez *diſ. 2. ſect. 3. n. 57.* Id fũdat in merito primę gloriæ, quæ eidem primæ gratiæ reſpondet vt hæreditas, ipſi autem diſpoſitioni nempe Cõtritioni, vt informatæ per primã gratiam, debetur vt corona iuſtitiæ. Hinc enim fit, vt meritum illius primę glorię, ſi mortificetur per peccatũ, reſurgat poſtea per Pœnitentiam; eadem ratione ac modo, quo viuificatur omne aliud meritum gloriæ. Viuificato autem merito alicuius gloriæ, ſtatim datur ius ad illam fũdatũ in intrinſeca proportione & gratia: ergo neceſſe eſt gratiam etiã proportionatam gloriæ reſtitui, quamuis iam non cõferatur vt prima gratia, ſed vt quidã gradus gratiæ. Vnde quamuis homo non mereatur primam gratiam, tamen merendo gloriam, meretur quantum eſt ex ſe, perpetuitatem gratiæ proportionatæ, ſi auferatur impedimentum peccati. Verùm hoc fundamentũ licèt ſit ſatis probabile, à multis nõ admittitur. Quare ipſe cenſeo prędictã primã gratiã omninò reuiuiſcere, ob duplicẽ aliã rationem à nobis allatam ſuprà *n. 2.* videlicet ob naturã iuſtificationis, ex qua oritur vt reſtituatur omnis gratia per peccatũ ablata, & etiam propter condignitatem operum meritorum quæ fiunt poſt iuſtificationem: quæ duæ rationes æquè militant reſpectu primæ gratiæ infuſę per Contritionẽ, tanquam per vltimam diſpoſitionem, etiamſi dicta contrariè non ſit meritoria primæ gloriæ; imò neque vllius gradus gloriæ, vt patet illas conſideranti.

SECTIO VI.

Vtrùm opera mortua aliquo modo per Pœnitentiam viuificentur?

DVplex opus mortuum diſtinguendum eſt, vnũ ef- 1
fectiuè cauſans mortem, tale eſt peccatum mortale quod mortem animæ infert; alterum priuatiuè, quod eſt opus bonum carens tamen vita gratiæ; eiuſmodi eſt actus Fidei, & Spei, qui non procedit à Charitate, quæ eſt vita animæ, ſed efficitur ab homine peccatore.

Certum eſt autem opus mortuum effectiuè nullo modo reuiuiſcere poſſe, nam iſtud potius deſtruitur, cùm homo reſurgit per pœnitentiam, ac proinde non poteſt per illam viuificari.

De alio vero opere mortuo priuatiuè. Ratio dubitan-
di eſſe poteſt, quia peccator mediis actibus Fidei & Spei, 2
meretur de congruo aliqua auxilia diuina, & augmentum habituum Fidei, & Spei: ergo quoad hunc effectum

poterunt

Digitized by Google

poterant viuificari. Vt exempli gratia, meruerat peccator fidelis de congruo quinque gradus habituum Fidei, & poſtea eos amiſit, quia in hæreſim lapſus eſt; certè cùm poſtea reſipiſcit, & ad fidem redit, cur non poterunt reuiuiſcere illi quinque gradus, ſeu quod idem eſt, illi reſtitui? Firmatur, nam prima gratia habitualis, quam peccator per actum Contritionis primum meretur de congruo, recuperatur poſtea, ſi amittatur; ergo ſimiliter dici debet, fidem reſtitui in prædicto caſu. Quòd ſi reſpondeas diuerſam eſſe rationem, quia cùm homo meretur de congruo primam gratiam per actum Contritionis, meretur quoque per illum de condigno primam gloriam illi proportionatam; ac proinde vt detur illi gloria debita ex iuſtitia, debet quoque dari gratia, cui correſpondet. Quæ ratio non procedit in Fide, & Spe peccatoris. *Contra eſt,* quia probabilius tenent multi Doctores graues, primam gloriam non cadere ſub meritum condignum Contritionis, ſed dictam gloriam deberi primæ gratiæ independenter à merito, titulo hæreditatis, vt debetur primæ gratiæ paruulorum, & augmentum gloriæ debetur augmento gratiæ per Sacramenta comparato.

3 Veriſſima tamen eſt communis omnium Theologorum ſententia cum D. Thom. *3. part. quæſt. 89. art. 6.* opera mortua priuatiuè non poſſe per pœnitentiam viuificari, vel reuiuiſcere. Ratio eſt, quia quod nunquam habuit vitam, non poteſt illam recuperare: ſed opus mortuum non habuit vitam, quia nunquam proceſſit ad homine ſpiritualiter viuo per gratiam; ergo. Firmo, nam prædicta opera mortua, nunquam viua fieri poſſunt: ergo cùm ſint incapacia vitæ, nequeunt reſurgere ad nouam vitam. Antecedens patet, quia dicta opera mortua nequeunt eſſe viua eo tempore quo permanet homo, qui ea exercuit in ſtatu peccati mortalis, vt eſt per ſe notum: nec ſequente, quo redit ad ſtatum gratiæ, quia viuum opus illud eſt, quod dum fit, à principio vitę procedit, quę vita non eſt alia quàm gratia; opus autem illud non fit ab hoc vitæ principio, dum homo ad gratiam redit, quia tunc non fit: & quod hæc gratia poſtquam factum eſt, recuperetur, efficere non poteſt, vt eo tempore quo factum eſt à principio vitæ proceſſerit, quandoquidem proceſſit ab homine exiſtente extra ſtatum gratiæ, ergo. Addo, neque in Scriptura, neque in Patribus, aut Doctoribus eſſe fundamentum, cui ad oppoſitum aſſerendum innitamur. Præſertim quia opera mortua nihil habeat quod poſtea poſſit viuificari, cùm non habeat vitam, nec vnquam aliquid gratiæ, aut gloriæ meruerint; nam qui iuſtus non eſt, non meretur gratiam aut gloriam.

4 Ad rationem dubitandi, Reſpondeo meritum de congruo non eſſe abſolutè meritum, nec nomine meriti illud intelligi, ac proinde non eſt cur id quod propter illud confertur, reſtituatur. Ad Confirmationem ſatis probabilis eſt illa diuerſa ratio. Cui addo duplicem aliam rationem efficaciorem allatam *præcedenti ſectione, num. 11.* Quæ non procedunt in Fide, & Spe peccatoris. Notat verò rectè Granado *tract. 7. diſp. vltima ad finem:* eſſe in hac re peculiarem diſparitatem de merito gratię & gloriæ, ac merito Fidei, & Spei: nam meritum Fidei & Spei eſt meritum quaſi doni temporalis, quod in hac tantum vita permanet, & ideò ſemel amiſſum, non eſt cur iterùm detur; at gratiæ & gloriæ augmentum in æternum duraturum eſt, & ideò eſt efficax ratio vt iterùm reuiuiſcat, & redeat ne propter peccatum, quod iam eſt remiſſum pœna æterna illius priuationis puniatur.

DISPVTATIO XIII.

De præcepto Pœnitentiæ, ſeu Contritionis.

NOmine Pœnitentiæ ſemper intelligimus Contritionem, quæ eſt perfectiſſima pœnitentia actualis, & quam Patres nomine Pœnitentię intelligunt. Conſtat autem obligationem Pœnitentiæ eſſe antiquiorem quàm Sacramentum; quoniam eſt virtuti Pœnitentiæ vt ſic per ſe annexa; cuius proprium munus etiam eſt ſatisfacere pro culpa, ſeu diſponere hominem ad peccati remiſſionem obtinendam, quod per internum actum Contritionis maximè fit.

SECTIO PRIMA.

Vtrùm Contritio de peccato commiſſo ſit ſub præcepto?

NOn deſunt aliqui Theologi, inter quos Victoria, 1
vt refert Canus *relectione de Pœnitentia p. 4.* qui dixerunt, Contritionem non cadere ſub præceptũ. *Primò*, quia non ſunt multiplicandæ obligationes, & præcepta abſque neceſſitate: nulla verò eſt in præſenti; quia omnia quæ de neceſſitate Pœnitentiæ, de periculo damnationis, & obiurgatione impœnitentiæ, quæ in ſacris Litteris proponuntur, intelligi poſſunt ſufficienter ob neceſſitatem medij.

Secundò, quia aliàs nullus damnaretur ob vnicum tantùm peccatum mortale, quia cum quocumque alio mortali peccato, eſſet aliud peccatum mortale omiſſionis ipſius Contritionis: imò, & eſſet quoque aliud impœnitentiæ peccatum, de ſecundo peccato, & aliud de tertio, & ſic in infinitum.

Dico *primò*, Contritionem eſſe ſub præcepto. Ita D. 2
Thomas *3. p. q. 84. art. 7. ad 1. & 2.* eſtque communis ſententia, quam ſequuntur Suarez *diſput. 15. ſect. 1.* Vaſquez *q. 86. art. 2. dub. 2.* Gaſpar Hurtado *diſp. 3. difficult. 1.* Coninck *diſp. 4. du. 1.* Cardinalis Lugo *diſp. 7. ſect. 10.* & alij.

Probatur primò, ex illo Lucæ 13. *Niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimul peribitis*, ergo datur ſpeciale præceptum Contritionis, quæ ſub nomine Pœnitentiæ ſignificatur: patet Conſequentia; nam omnes Theologi etiam aduerſarij ex illo Ioan. 3. 5. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei*, Et ex illo Marci 16. *Qui verò non crediderit, condemnabitur*: probant præceptum Fidei, & Baptiſmum eſſe ſub præcepto. Pariter etiam ex illo Ioan. 6. *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis*, colligũt, Euchariſtiã cadere ſub præceptum: Igitur cùm ſimili modo loquatur Scriptura ſacra de Pœnitentia; abſque fundamento diceretur, Fidem, Baptiſmum, & Euchariſtiam eſſe ſub pręcepto, non verò Pœnitentiam. *Reſpondent*, eſſe manifeſtam diſparitatem: nã cùm quis iam à peccato iuſtificatus eſt per actum amoris Dei, vel per Attritionem intra Sacramentum, non tenetur de illo peccato cõteri, vt conueniunt Doctores; & tamẽ tenetur Baptiſmũ, & Euchariſtiã ſumere; cuius nulla alia reddi

poteſt ratio, niſi quia Contritio ſolùm eſt neceſſaria neceſſitate medij; Baptiſmus verò, & Euchariſtia non ſolum ſunt neceſſaria neceſſitate medij, verum etiam præcepti. *Sed contrà* eſt, quia hac ex doctrina ſolùm infertur, præceptum Contritionis non eſſe tam vniuerſale, ac illa alia præcepta, non verò quòd nullum detur tale præceptum: nam Confeſſio Sacramentalis ſolùm obligat ex ſuppoſitione quod quis mortaliter peccauerit poſt ſuſceptum Baptiſmum; & tamen inde non ſequitur non eſſe ſub præceptum, eo quòd ſolùm obliget ſub conditione. Igitur Contritio tametſi ſolùm obliget peccatorem non habentem aliud remedium quo à peccato reſurgat, erit nihilominùs ſub præceptum.

3 *Secundò*, quotieſcumque medium ad ſalutem neceſſarium eſt in noſtra poteſtate, etiam eſt ſub præceptum; ſed Contritio, quæ eſt medium ad ſalutem neceſſarium, eſt in noſtra poteſtate: ergo etiam eſt ſub præcepto. Maior conſtat inductione in actu Fidei, Spei, & Charitatis, qui ſunt ſub præcepto, quia ſunt medium neceſſarium ad iuſtificationem. Et patet clariſſimè, nā præcepta dantur in ordine ad finem vltimum conſequendum, & honeſtè vitam inſtituendam; ſed nihil eſt magis neceſſarium ad honeſtatem vitæ & ad conſecutionem vltimi finis, quàm id, ſine quo non poteſt ſtare illa honeſtas, neq; ille finis: ergo nihil magis poteſt cadere ſub præceptum, quam ipſum medium: neque enim Deus vtpote ſupremus omnium legiſlator rectè hominibus prouidiſſet, ſi media ad ſalutem neceſſaria in ſuis legibus prætermiſiſſet. Vnde quamuis quæ ſunt media ad ſalutem, non omnia ſint in præcepto, & ea non habere non ſit peccatum, nempe ea quæ non ſunt in noſtra poteſtate, vt eſt auxilium Dei præueniens; tamen quæ ſunt in noſtra poteſtate, quia ſunt actus noſtri humani, ſi ſunt ad ſalutem neceſſaria, erunt in præcepto conſequenter. Vnde ea quæ ſunt media neceſſaria ad ſalutem, & nobis libera, non ſolùm ſine illis non erit ſalus, & condemnabitur quis propter antiqua peccata, ſed etiam ea omittere erit reprehenſione dignum, & peccatum: diſſonat enim rectæ rationi, vt quis, quæ neceſſaria ſunt ſibi ad ſalutem, & ad reconciliationem cum Deo, negligat, & omittat: & ideò non tantùm ob alia priora peccata, ſed etiam propter hoc meritò damnabitur. Igitur cùm ipſa Contritio ſit in hominis poteſtate, ſuppoſito auxilio gratiæ quod nunquam deeſt peccatori, erit ipſi ſub præcepto. Firmatur, nam euidēs eſt ex peculiari obligatione procurandi ſalutem propriam oriri obligationem Pœnitentiæ, vel Contritionis: quia ſicut homo obligatur ad procurandum ſibi ſuum vltimum finem, & conſecutionem beatitudinis; ſic obligatur ad ponenda media neceſſaria, ſine quibus beatitudinem conſequi non poteſt: qui enim non vult medium neceſſarium, & vnicum, non vult efficaciter finem, vt eſt per ſe notum. Igitur Contritio eſt in præcepto, & illam omittere tempore debito, eſt peccatum graue.

4 Dico *ſecundò*, præceptum Contritionis non obligare abſolutè, ſed ex ſuppoſitione peccati mortalis, & non remiſſi, vt mediâ Contritione fiat iuſtificatio. Ita omnes. Nam hoc præceptum tantùm obligat ratione iuſtificationis. Verùm quia iuſtificatio obtineri poteſt ſine Contritione mediâ Attritione intra Sacramentum, & etiam extra Sacramentum, per actum dilectionis Dei ſuper omnia; ideò Contritio formalis, & expreſſa non eſt ſub præceptum abſolutè, ſed ex ſuppoſitione peccati mortalis, non remiſſi. Vnde hoc præceptum Contritionis non eſt ſicut præceptum Confeſſionis Sacramentalis; hoc enim verè obligat non tantùm ratione iuſtificationis, ſed etiam poſt remiſſum peccatum. Verùm ex eo quòd homo iuſtificatus non teneatur ad Pœnitentiæ, vel Contritionis actum, non inde ſequitur non eſſe Contritionis præceptum: quia hoc præceptum non eſt neceſſarium, niſi exiſtentibus in peccato mortali non remiſſo; ſicut Sacramentum Pœnitentiæ non eſt abſolutè neceſſarium, & in præcepto, niſi ei qui peccauit mortaliter.

Ad primum argumentum contrariæ ſententiæ, iam conſtat ex Dicto primo, colligi clarè ex ipſa neceſſitate medij, præcepti quoque neceſſitatem. 5

Ad ſecundum, concedo nullum damnandum eſſe ob vnicum tantùm peccatum mortale, niſi repente moriatur exiſtens in ſtatu vnius peccati mortalis tantùm; aut niſi inuincibiliter ignoret dictum præceptum, vel illius naturaliter obliuiſcatur. Ad proceſſum illum infinitum negatur illum ſequi. in primis non eſſent plura peccata ſpecie diuerſa, impœnitentia de primo peccato, & de ſecundo: neque enim differt ſpecie impœnitentia pro diuerſitate ſpecifica peccati de quo deberet eſſe pœnitentia; ſed omnis impœnitentia eſt eiuſdem ſpeciei, quia opponitur eidem ſpecie virtuti, atque eidem debito Pœnitentiæ. Præterea, neque etiam eſſent infinita peccata numero diſtincta; quia ad multiplicanda numero peccata requiritur interruptio non ſolùm phyſica, ſed moralis actuum; alioquin ſemper eſt idem numero peccatum continuatum: non poſſunt autem poni infinitæ interruptiones phyſicæ, nedum morales, vt per ſe liquet. Denique ad hoc requirerentur infinitæ reflexiones, & aduertentiæ, ſupra ſingula peccata, quæ afferunt nouam obligationem pœnitendi; quæ tamen infinitæ reflexiones fieri non poſſunt.

SECTIO II.

Quale ſit præceptum Contritionis, ſeu ex qua virtute oriatur obligatio Contritionis?

QVæſtio non eſt, ex qua virtute eliciatur Contritio: conſtat enim ex dictis *ſuprà diſputat. 6. ſectione prima*, eſſe actum elicitum à virtute Charitatis Theologicæ; ſed ſolùm declaranda eſt radix ex qua oriatur præceptum, vel obligatio Contritionis: ſeu quod idem eſt, ex qua virtute ea præcepti obligatio procedat? Dubitarique ſolet, an obligatio agendi pœnitentiam iſtam perfectam Contritionis, oriatur ex triplici, vel quadruplici virtute: nimirùm ex virtute ſpeciali pœnitentiæ, quæ in noſtra ſententia eſt ſpecialis virtus iuſtitiæ erga Deum; ex virtute Charitatis Theologicæ erga Deum; ex Charitate propria, quâ quis tenetur ſibi conſulere, ac denique ex virtute peculiari Miſericordiæ, quam multi conſtituunt ſpecie diſtinctam à propria Charitate, inter quos Suarez *diſp. 4. de Charitate ſect.* 2. Hæc omnia ſigillatim explicanda ſunt in hac ſectione. 1

Circa primum, an Contritionis obligatio oriatur ex ſpeciali virtute pœnitentiæ, ſeu iuſtitiæ? Negantem partem tuentur non pauci, Vaſquez *quæſtione 86. articulo 2. dubio 3.* cui ſubſcribunt Cardinalis Lugo *diſputatione 7. ſectione 10. numero 182.* Mæratius *diſputatione 22. ſectione 3.* Gaſpar Hurtado *diſput. 3. difficult. 2.* Coninck *diſputat. 3. dub. 2. num. 16.* & alij. 2

Probari

Digitized by Google

Probari poteſt *primò*, quia peccator nullo vnquam tempore tenetur conteri ex affectu reſarciendi ius diuinum læſum, quia ex quocumque fine eliciatur Contritio, ſatisfacit illius præcepto, ergo obligatio eliciendi Contritionem, nequit oriri ex ſpeciali virtute Pœnitentiæ, vel Iuſtitiæ.

Secundò, non ſemper interuenit in omni peccato iniuria propriè, & ſtrictè accepta: eſt etiam impoſſibilis homini ſatisfactio pro illa offenſa, cum neque ipſa Contritio ſufficiens ſit aut æqualis, nec ab homine puro offerri poſſit; ergo ex titulo, vel virtute Iuſtitiæ nequit prouenire obligatio Pœnitentiæ, & ſatisfaciendi, ſeu Contritionis.

Tertiò, ex ſpeciali virtute Pœnitentiæ nequit oriri obligatio, niſi ad intentionem ſatisfaciendi, ſeu deſtruendi peccatum vt offenſam Dei, aut illud vt offenſam Dei deteſtandi, aut de eo vt offenſa Dei, dolendi; quia ſpecialis virtus Pœnitentiæ non habet alium actum proprium, & nulla virtus obligare poteſt niſi ad proprium actum; & ſi aliquando etiam obligat ad actum alterius virtutis, eſt quando iſte eſt neceſſarius ad proprium actum, qui ſit ſub obligatione illius virtutis: at Contritio perfecta neque eſt neceſſaria ad aliquem actum proprium ſpecialis virtutis Pœnitentiæ, nec aliquis actus proprius huius virtutis eſt ſub obligatione ipſius, ergo.

Quartò, virtus ſicut nõ operatur extra proprios terminos, ita nec præceptũ eius extra illos obligat; ergo præceptum Pœnitentiæ vel Iuſtitiæ quod per ſe primò dicitur obligare ad ſatisfactionem poſſibilem Deo exhibendam, nequit obligare ad actum Contritionis, qui eſt actus elicitus à virtute Charitatis.

His tamen non obſtantibus; veriorem iudico ſen-
3 tentiam Suarez *diſputatione* 15. *ſectione* 1. *num.* 9. 10. 11. & 12. docentis præceptum Contritionis, obligans ratione iuſtificationis, quando hæc non fit medio Sacramento, eſſe ex ſpeciali virtute pœnitentiæ, ſeu ex Iuſtitia ad Deum, cui media Contritione ſatisfacimus pro offenſa ipſi facta, & eam delemus. Ratio eſt, quia per peccatum vera & ſtricta iniuria eſt Deo illata, vt ſuprà oſtendi *diſputatione* 1. *ſectione* 1. & ex peccato commiſſo manet in homine obligatio Iuſtitiæ ad ſatisfaciendum Deo, vt ibi demonſtraui *ſectione* 2. ex alio capite virtus Pœnitentiæ eſt quædam iuſtitia ad Deum, vt probaui *ſuprà*, *diſputat.* 4. *ſect.* 4. intendens conſeruare ius diuinum integrum, &, ſi fuerit læſum, reparare: ergo ad hanc virtutem proximè ſpectat obligatio ſatisfaciendi; prout homo poteſt, & Deus offeſus exigit: igitur hæc virtus obligatur ad ponendam reparationem iuris diuini læſi, hæc autem reparatio eſt perfecta Contritio; ergo obligat ſub præcepto ad Contritionem iſtam exercendam. Imò ex hac ratione manifeſtè infertur, hoc eſſe proprium præceptum Pœnitentiæ, ſatisfacere pro iniuria Deo illata media Contritione: nam ipſa æquitas Iuſtitiæ affert ſecum obligationem ſatisfaciendi propter ſuam honeſtatem, ſeu quod idem eſt, propter ius alterius reparandum.

Hinc facilè ſoluuntur argumenta contraria. Ad pri-
4 mum enim, conceſſo Antecedente, Conſequentia nulla eſt. Nam illo argumento etiam probaretur, obligationem reſtituendi rem furto ſublatam, non oriri ex virtute Iuſtitiæ, quæ formaliter intendit æqualitatem inter duo, quia fur non intendit rem alienam reſtituere ex affectu ponendi talem æqualitatem; quoniam ex quocumque fine hoc præſtet, ſatisfacit præcepto reſtituendi. Et ratio eſt manifeſta, quia obligatio faciendi aliquid, non dicitur oriri ab aliqua virtute, eo quòd ſtrictus tali obligatione teneatur opus præceptum elicere, ex motiuo illius virtutis; motiuum enim præcepti, ſeu finis non cadit ſub præceptum; ſed quia præceptum talis actionis latum fuit ex motiuo, ſeu fine talis virtutis; cùm igitur præceptum Pœnitentiæ per ſe ponatur ad compenſandã Dei offenſam, ſequitur Contritionem, quã fit compenſatio, ſeu reparatio, oriri ex ſpeciali virtute Pœnitentiæ ſeu Iuſtitiæ ad Deum.

Ad ſecundum negatur Antecedens, & ipſa Contritione fit ſufficiens & poſſibilis ſatisfactio, licet non ad æqualitatẽ, quod ſufficit, vt ex titulo iuſtitiæ oriri queat. Quando enim quis intulit damnum, (eadémque eſt ratio iniuriæ) ſi non poteſt illud totum tollere, ſed tantùm ex parte, ad id ipſe tenetur ex virtute Iuſtitiæ. Vt ſi Petrus aliquem mutilauit, ex quo patitur damnum pecuniarum, tametſi excuſetur per impotentiam à reſtitutione membri, tenetur tamen ex iuſtitia alterum damnum reſarcire, vel in totum, vel ex parte, prout poteſt.

Ad tertium; Dico vnam virtutem non ſolùm obligare ad ſuos proprios actus, ſed etiam poſſe obligare ad actus alterius virtutis: ſicut enim vnã virtus poteſt imperare actum alterius; ita & poteſt obligare ad actum alterius, vt imperabilem ab ipſa; nam ſub ea ratione actus imperatus ad eam virtutem ſpectat, vt actus externus; præcepta autem virtutum obligant quoque ad actus externos. Quare ſicut in virtute Religionis, ſi hîc & nunc ad reddendum Deo cultum debitum ſit neceſſarium exercere actum Fidei, ipſa virtus Religionis obligat ad exercendum illum, itavt omiſſio talis actus tunc non ſit contra Fidem, ſed contra Religionem. Idémque eſt in aliis virtutibus, quoties neceſſitas exercendi actum vnius virtutis oritur ex alia virtute, quæ requirit actum alterius, vt medium ſibi neceſſarium: ita ſimiliter in præſenti, Contritio quatenus eſt actus imperabilis à virtute Pœnitentiæ, ſeu Iuſtitiæ ad Deum, & eſt medium neceſſarium ad implendam obligationem illius virtutis, poteſt exigi ex vi præcepti ad dictam pœnitentiæ virtutem. Ex quo patet ſolutio ad quartum, & vltimum argumentum.

Circa ſecundum; Suarez conatur præceptum 5
Contritionis deducere quoque ex radice, ac titulo Charitatis, ſeu amicitiæ erga Deum; quia ex motiuo Charitatis tenetur homo ad ponendum medium neceſſarium, vt reconcilietur cum Deo offenſo; ad quam reconciliationem maximè videtur Charitas obligare. Quod firmat, quia nullus actus Charitatis maiori ratione cadit in præceptum eiuſdem Charitatis diuinæ, quam ille, qui neceſſarius eſt ad ipſammet Charitatem habendam: cùm igitur ipſa Contritio ſit neceſſaria ad Charitatem habendam, quia eſt neceſſaria ad reconciliationem cum Deo, quæ per Charitatem fit; præceptum Charitatis Dei obligat ad Contritionem.

Cardinalis verò Lugo docet hoc argumento non probari ſatis efficaciter intentum: quia lex amicitiæ & eius motiuum non me obligat ad procurandum, quòd ille alius amet me, ſed vt ametur à me: nam licèt amicitia completè ſumpta ſit amor mutuus; illa tamen quæ eſt in me, ſolùm inclinat ad amandum actiuè amicum, non vt ille amet me. Quamuis ergo Pœnitentia ſit medium neceſſarium ad hoc vt Deus reconcilietur mecum, & diligat me; Charitas tamen non me obligat ad procurandum illud medium, quatenus vtile eſt ad amorem Dei erga me, ſed ſolùm vt ego ex parte mea diligam Deum.

Veriſſimam iudico communem ſententiã, præceptũ 7
& obligationem Contritionis oriri ex virtute Charitatis erga Deũ Moueor: Quia hæc virtus per ſe obligat ad

amorem Dei ſuper omnia: nam amor Dei per ſe eſt neceſſarius ad ſalutem, & per ſe habet vim obligandi ſicut cæteræ virtutes. Cùm enim virtus Charitatis ſit omnium præſtantiſſima, & Deus ſummè ex ſe diligibilis, & à nobis ob innumeras cauſas meritò diligendus, mirũ valdè eſſet, ſi nullo vnquam in caſu obligare per ſe hominẽ poſſet ad actum dilectionis Dei exercendum, cùm præſertim virtutes, eâ multò inferiores, cum aliquando obligent ad ſibi proprios actus exercendos: ergo virtus Charitatis obligat quoque, vt Deo, quem homo offendit, reconcilietur; ac proinde actum veræ Contritionis erga ipſum exercere, ſi alio modo ipſi reconciliari non poſſit. Si enim Charitas obligat ad diligendum Deum ſuper omnia, eo ipſo obligat ad retractandum ſaltem implicitè peccatum mortale, quod opponitur dilectioni Dei ex parte obiecti: nam impoſſibile omninò eſt, quòd aliquis diligat Deum ſuper omnia, & retineat adhuc affectum ad obiectum creatum, quo illud Deo præferat, atque adeò & ad conterendum de illo affectu perfectâ Contritione, ſi nequeat alio modo Deo reconciliari. Firmat hoc idem efficaciter Suarez argumento adducto, quia virtus Charitatis erga Deum, obligat vt Deum amemus ſuper omnia, vt eſt per ſe notum; ergo & vt illius amorem præferamus omni creaturarum amori, vt eſt etiam compertum: ergo & obligabit quoque, vt Dei amicitiam conſeruemus medio illo amore: nam amicitia inter nos & Deum perficitur mutuo amore, quoniam eſt integrum vinculum Charitatem Dei & noſtram complectens: & quod nos præſtamus in hac amicitia, illud eſt Charitas, quâ Deum amamus; ergo & ipſa Charitas obligat quoque vt peccato mortali amiſſam Dei amicitiam per Contritionem recuperemus, ſi alio modo nequimus illam recuperare. Vnde Charitas obligat ad procurandum illud medium Pœnitentiæ vel Contritionis, quatenus vtile eſt vt ego ex ex parte mea diligam Deum, & conſequenter ad amorem Dei erga me, & ad hoc modo reparandum amicitiam per mortale peccatum amiſſam.

Obiicies; nulla eſt ex Charitate erga Deum obligatio conſeruandi eius amicitiam: ergo nec eſt vlla obligatio eam per peccatum mortale amiſſam reparandi. *Reſpondeo*, admiſſo Antecedente, negandam eſſe conſequentiam ob manifeſtam diſparitatem: quia diuina amicitia nonniſi præceptorum omnium ſub mortali obligantium obſeruatione conſeruatur, & cuiuſlibet tranſgreſſione amittitur; quo fit vt obligatio diuinam amicitiam conſeruandi, non ſit alia, quàm obligatio non peccandi mortaliter, ſeu obſeruandi præcepta omnia ſub mortali obligantia: præter quam obligationem generalem, ſi daretur alia ſpecialis ex ſpeciali virtute Charitatis de amicitia illa conſeruanda, quoties peccaretur mortaliter contra virtutes alias ab iſta diuerſas, toties duplex peccatum mortale committeretur, vnum alicui virtutum illarum, alterum iſti oppoſitum. At è contrario illa eadem amicitia per peccatum deſtructa per vnicum Charitatis actum, nempe per Contritionem reparatur, atque ideò de eo ſpeciale præceptum eſſe poteſt, ex radice, ac titulo Charitatis.

7 Circa tertium de propria Charitate erga ſeipſum, videtur certum, quando homo in fine vitæ conſtitutus videt certiſſimè ſibi imminere æternæ ſalutis diſpendium, niſi pœniteat, teneri hoc titulo ad pœnitendum, vel conterendum. Patet, quia proculdubio obligatur homo aliquo ſpeciali præcepto, & nonniſi Charitatis, vt curam habeat ſuæ ſalutis; ſi enim ex Charitate obligatur homo, vt ſibi prouideat in corporalibus, cur non magis in ſpiritualibus? Et ſi ex charitate obligatur homo ad ſubueniendum proximo in ſpiritualibus, cur non magis ſibi ipſi? Quòd ſi homo tenetur ex Charitate propria ſibi prouidere in ſpiritualibus, maximè hac obligatione vrgebitur, vbi periculum æternæ imminet damnationis; at hoc non ſolum imminet, ſed etiam certiſſima eſt damnatio, ſi de peccatis non pœniteat; ergo etiam ex vi huius præcepti Charitatis obligatur ad pœnitentiam agendam, & ad actum Contritionis eliciendum, ſi alio modo Deo reconciliari nequeat. Firmo idem, nam ad Contritionem tenemur ratione iuſtificationis in fine vitæ, vt moriamur Deo reconciliati, eſt enim contra rationem & Charitatem propriam homines in Dei amicitiam & æternam beatitudinem ordinatos, in eius inimicitia in perpetuum diſcedere, ac in æterna damnatione; præceptum autem quod eſt, & obligat ratione reconciliationis cum Deo, & ad euitandum certiſſimum ſalutis æternæ diſpendium, ad Charitatem erga Deum, & erga hominem pertinet, & ex ea oritur.

Circa quartum, & vltimum, an dictum præceptum Contritionis etiam ſit, & obliget ex propria miſericordia erga noſmetipſos? Negant Vaſquez, & Gaſpar Hurtado, quia ſicut miſericordia erga proximos non exigit, vt eos liberemus à malis, adhuc ſpiritualibus, à quibus ipſi ſe liberare poſſunt, & nolunt, quia tunc non habet locum compaſſio miſeriæ proximorum, quia ipſi tunc ſe habent quaſi non patientes, & quaſi non dolentes de ſua miſeria; ita nec miſericordia exigit, vt liberemus nos ipſos à malis adhuc ſpiritualibus, nec in articulo mortis, ſed in hoc articulo tantùm obligamur ex Charitate erga Deum, vt liberemur à peccato graui, & obligamur liberari à peccato graui, non vt liberemur a damno, ſed vt reconciliemur cum Deo. 8

Hoc non obſtante, oppoſitum iudico verius, ſuppono autem duo. *Primum*, Miſericordiam eſſe virtutem à Charitate ſpecie diſtinctam. Vt docet D. Thomas 2. *2. quæſtione* 30. *artic.* 3. *&* 4. *& quæſt.* 32. *artic.* 1. Vbi alij Theologi, & Suarez *diſputat.* 4. *de virtute miſericordiæ*, *ſect.* 5. *num.* 4. Ratio eſt, quia habent motiua ſpecie diſtincta: nam motiuum Charitatis eſt ratio amicitiæ, & amoris; tamen ſeclusâ amicitiæ ratione, hoc ipſum, quod eſt ſubuenire rationali naturæ indigenti, eſt per ſe honeſtum, & conſentaneum rationi, & ablatâ omni conſideratione amicitiæ & amoris, talis miſeria per ſe mouet hominem ad honeſtam compaſſionem: & hoc motiuum poteſt per ſe pertinere ad aliquam virtutem, & eam vocamus Miſericordiam. *Secundum* eſt, omnem miſeriam rationalis creaturæ etiam ipſam culpam, tametſi voluntariam, pertinere ad materiam huius virtutis Miſericordiæ. Quamuis enim communiter miſeria quæ eſt illius obiectum, ſit malum inuoluntarium; nihilominus tamen ipſa culpa, & quòd ſit voluntaria, eſt magna miſeria, & obiectum ſummè miſerabile, quatenus ſcilicet repugnat naturæ rectitudini, & rationalis voluntatis commodo, & inclinationi; & ideò poteſt cadere ſub obiectum Miſericordiæ. His præmiſſis manifeſtè liquet præceptum Contritionis oriri quoque ex virtute Miſericordiæ propriæ, iuxta illud Eccleſiaſtici 30. *Miſerere animæ tuæ placens Deo, & contine: congrega cor tuum in ſanctitate, &c.* Et ratio eſt, quia ex hac virtute Miſericordiæ tenemur noſtræ ſaluti ſpirituali conſulere ſubleuando nimirum, ſeu deſtruendo ipſam culpam, quæ eſt magna miſeria, & obiectum ſummè miſerabile, quatenus eſt repugnans rectitudini, 9

Digitized by Google

tudini, & rationalis voluntatis commodo, & inclinationi, maximè in articulo mortis, ob vitandam æternam damnationem: ergo ex hac radice & hoc titulo tenemur tunc elicere actum Contritionis, quo peccatum deletur, cui ni deleatur, annexa eſt æterna damnatio.

SECTIO III.

An præceptum Contritionis ſit poſitiuum, vel etiam naturale?

1 CErtum eſt præceptum Contritionis non eſſe humanum, ſed diuinum: nam eſt antiquius omni humano, omnium hominum volũtates etiam Adami præueniens; ipſumque etiam Adamum obligauit. Dubium igitur eſt, an ſit præceptum diuinum naturale, quod ſit rationali naturæ initum, ac proinde præceptis naturalibus adſcriptum; an verò ſit poſitiuum, toti legi naturali additum, & ex libera Dei voluntate ortum. Pleraque enim præcepta naturalia, vt illa quæ in Decalogo continentur, ſunt etiam diuina, quia Deus etiam illa tulit: alia verò etſi diuina ſint propter eandem rationem, quale eſt præceptum de præmittenda Sacramentali Confeſſione peccati mortalis ante ſumptionem Euchariſtiæ, ſed non ſunt naturalia, quia non ſunt naturæ rationali inſita, ac proinde diuina poſitiua vocantur.

Quare præceptum iuris diuini poſitiui appello, quod verſatur circa obiectum, quod niſi poſitiuè præciperetur à Deo, non deberetur, qualis eſt Baptiſmus, Confeſſio, ſumptio Euchariſtiæ &c. Alia autem obiecta, ad quæ dictamen ipſum rationis oſtendit eſſe obligationem, & ideò præcipi à Deo, appellantur naturalia, ſeu de iure naturæ, accipiendo naturæ vocem in latiori ſignificatione, vt præſcinditur à materia naturali, & ſupernaturali. Hoc ita præmiſſo.

2 Prima ſententia affirmat præceptum Pœnitentiæ eſſe naturale. Quam tenent Caietanus, Vega; Sotus, Canus, Alenſis, Bonauent. & alij apud Suarez *diſputatione* 15. *ſectione* 3. *numero* 1. Et fauet S. Thomas 3. *part. quæſt.* 84. *art.* 7. Probatur, quia ille qui alteri intulit iniuriam, tenetur eam quantum poteſt reſarcire: atqui homo per peccatum intulit Deo iniuriam; ergo tenetur eam, quantum poteſt reſarcire; quod fit per Pœnitentiam, vel Contritionem. Cui adhæret Cardinalis Lugo *diſputatione* 7. *ſectione* 12. *num.* 250. Tum quia præceptum diligendi Deum eſt omninò de iure naturæ, & obligaret ſecluſo quolibet Dei decreto, vt omnes concedunt; ergo lex naturalis obligaret quoque ad Pœnitentiam. Tum quia ex eodem iure naturæ obligaretur homo ad ſeruanda alia præcepta, etiam poſt peccatum; hæc autem diu non poſſent ſeruari ſine aliqua retractatione ſaltem implicita peccati præteriti: ergo in illa obligatione ſeruandi legem includitur obligatio Pœnitentiæ, ſine qua lex non ſeruabitur longo tempore.

3 Secunda ſententia docet, eſſe iuris poſitiui, quæ tribuitur Medinæ, & Soto apud Coninck *diſputatione* 3. *dubio* 2. *numero* 7. Probatur, quia Deus non poteſt ius naturæ mutare; ergo ſi Contritio eſſet iure naturæ præcepta peccatori, etiã modò ad eam teneretur, quantumuis Sacramentum Pœnitentiæ media Attritione ſuſciperet.

Tertiam ſententiam mediam defendit Suarez cit. nempe peccatorem iure naturæ teneri ad ſatisfaciendum Deo, quantum hoc ei poſſibile eſt: ad talem verò modum ſatisfaciendi teneri ex poſitiua Dei ordinatione. Iuxta quam, quæ mihi valdè placet;

Dico *primò*, præceptum ſatisfaciendi Deo in genere, pro iniuria illata, eſſe naturale. Id probant argumenta propoſita in fauorem primæ ſententiæ. Et patet quia omnis iuſtitia ad alterum, ſeruata proportione, intrinſecè & naturaliter obligat ad ſatisfactionem iniuriæ illatæ, ſeu ad medium conſtituendum in ſuo obiecto, id eſt ad æqualitatem reſarciendam, quam iniuria abſtulerat, quantum homini poſſibile eſt; ergo obligatio, quam habemus ad ſatisfaciendum Deo, eo modo quo poſſumus, eſt merè naturalis. Vnde infero tametſi nullus actus peccatoris ſit ex ſua natura ſufficiens diſpoſitio pro iniuria Deo facta, vt conſtat teneri tamen iure naturæ de congruo ſatisfacere prout poteſt: nam iuſtitia quæ obligat ad æqualitatem faciendam integrè, ſi poſſibilis eſt, à fortiori obligat ad faciendam illam ex parte, quantum poſſibile eſt. Quare ſicut homo tametſi nequeat condignas Deo agere gratias pro beneficiis acceptis, tenetur tamen iure naturæ referre quas poteſt: & ſimiliter licèt non poſſit tribuere Deo adorationem & cultum condignum tantæ Maieſtati, tenetur tamen prout potuerit colere; ſic ſimiliter idem dicendum de ſatisfactione pro peccato. 4

Ex quo etiam infero, licèt Deus ex ſe abſque vlla pœnitentia remiſiſſet offenſam, adhuc ex iure naturæ manere debitum & obligationem pœnitentiæ habendæ. Id enim exigit quoque reuerentia erga Deum offenſum. Sicut licèt Rex condonaret ſubdito irreuerentiam, & contumeliam grauem ſibi irrogatam, adhuc iure naturæ obligaretur ſubditus ad oſtendendum ſibi diſplicere quod fecerat, & ad petendam veniam. 5

Dico *ſecundò*, præceptum Pœnitentiæ, quatenus præcipit hanc ſpecialem ſatisfactionem nimirùm Contritionem, non eſſe naturale, ſed poſitiuum ex diuina diſpoſitione. Ratio eſt à priori, quia quod Deo ſatisfaciamus ea ratione, quâ poſſumus per Contritionem potiùs, quàm per quemlibet alium actum ſupernaturalem, non eſt naturæ rationali inditum, ſed pendens eſt ex libera Dei ordinatione, qui ſicut hunc actum Contritionis exegit, poterat alium pro ſuo libito exigere. Quare ſicut licet ex præcepto purè naturali teneamur colere Deum; tamen obligatio colendi illum hoc vel illo cultu externo, ceſſando videlicet ab operibus ſeruilibus, & Sacrum audiendo, potiùs quàm alio modo, non eſt naturalis, ſed poſitiua; vt communiter docent omnes Theologi; ita quamuis obligatio pœnitendi, ſiue exhibendi Deo aliquam ſatisfactionem pro offenſis eidem illatis naturalis ſit, non verò ſatisfactio quæ per Contritionem potius, quàm per alios actus exhibitur. Firmatur idem à poſteriori, nam præceptum iſtud ſatisfaciendi per Contritionem, paſſum eſt in Lege Gratiæ aliquam mutationem: nam ante Legem Gratiæ obligabat cunctos peccatores, ſaltem non diligentes Deum ſuper omnia: at in Lege Gratiæ, etiamſi peccator non diligat Deum ſuper omnia, non tenetur conteri perfecta Contritione de peccato graui, adhuc in memoriam reuocato, cùm poſſit per Attritionem, & Sacramentum Pœnitentiæ toties quoties iuſtificari; ergo ſignum eſt præceptum iſtud quantùm ad hanc determinatam ſatisfactionem per Contritionem faciendam, non eſſe naturale, ſed poſitiuum; quia præcepta naturalia nullam vnquam ſubeunt mutationem.

6 Dico *tertiò*, præceptum ſatisfaciendi Deo, eſſe præceptum ita naturale, vt propriè loquendo non ſit diſpenſabile à Deo: ita Cardinalis Lugo, & Suarez. Ratio eſt quia cùm obligatio ſatisfaciendi Deo pro iniuria illata ſit naturalis, nequit in eam cadere diſpenſatio magis quàm in alia naturalia præcepta, quia non habet minus intrinſecam honeſtatem. Addit tamen Cardinalis Lugo docere Suarium *dicta ſect.* 3. *num.* 15. poſſe à Deo auferri eam obligationem per mutationem materiæ, quatenus poteſt abſque pœnitentia cedere iuri ſuo, & remittere offenſam quo caſu ceſſaret conſequenter obligatio pœnitentiæ. Hanc doctrinam impugnat Cardinalis dicens *ſect.* 12. *n.* 253. neque hoc modo ceſſare eam obligationem; quia ſicut non poteſt Deus ita cedere iuri ad amorem, vel ad cultum, vt ceſſet in nobis obligatio amandi, & colendi Deum, manente adhuc infinita bonitate & excellentia Dei, quæ exigit amorem & cultum: ſic non poſſe per condonationem, aut ceſſionem iuris tollere obligationem, quam infinita bonitas & excellentia Dei inducit iure naturæ ad reuocandam offenſam, & exhibendum hunc cultum. Quam doctrinam iudico veram, nec illi meo iudicio contradicit Suarez, qui non dicit, ex eo quòd Deus cedat iuri ſuo, & remittat offenſam, ceſſare obligationem ſatisfaciendi: nam reuera non ceſſaret vt benè probat Lugo; ſed ſolùm dicit Suarez ceſſare obligationem Contritionis, quia poſſet Deus non deſignare contritionem ad hanc ſatisfactionem, ſed aliis actibus eſſe contentus, & tunc ceſſaret obligatio Contritionis propter mutationē materiæ, quia illud præceptū ſatisfaciendi nudè ſumptum non obligat ad Contritionē, ſed ſolùm ſuppoſitâ determinatione diuinâ deſignante talem actum ad ſuam ſatisfactionem. Quamuis enim actus Contritionis ex ſe, & natura ſua ſit valdè proportionatus ad ſatisfaciendum Deo; abſolutè tamen non eſt ſimpliciter neceſſarius abſque ſpeciali ordinatione diuinæ voluntatis determinantis talem ſatisfactionis modum; potuit enim Deus non exigere ab hominibus formalem Contritionē peccatorum, ſed ſola dilectione eſſe contentus: potuit etiam per ſolam Attritionem eos iuſtificare non præcipiendo Contritionem. Iam etiam in Lege Gratiæ facta eſt mutatio in præcepto Contritionis; nunc enim non obligat ſimpliciter præceptum Contritionis, ſicut antea obligabat: nam ſi quis per Attritionem cum Sacramento iuſtificatus ſit, iam non tenetur ad Contritionem, in quo non cum vno, vel altero homine diſpoſitum eſt, ſed generali & ordinaria lege pro omnibus hominibus huius ſtatus Legis Gratiæ id ſtabilitum eſt. Id totum omninò verum eſſe iudico.

7 Dico *vltimò*, præceptum pœnitendi, tametſi naturale ſit, non contineri expreſsè in Decalogo. Ita Vaſq. *dub.* 3. *n.* 3. Suarez *ſect.* 3. *n.* 14. Lugo *diſp.* 7. *ſect.* 10. *n.* 192. & Alij. Ratio eſt, quia non omnia præcepta naturalia continentur expreſsè in Decalogo: ſufficit enim vt ex principiis naturaliter notis colligatur, vel certè vt ad ipſamet principia naturalia pertineat. Sic enim præceptum diligendi Deum, quod eſt primum, & maximum mandatum; non eſt expreſsè in Decalogo, in quo primum præceptum magis videtur eſſe de cultu, quàm de dilectione Dei, eſt tamen principium & radix illorum quæ in Decalogo continentur. Alia verò ſunt præcepta magis particularia, quæ ex præceptis Decalogi per conſequentias deducuntur. Præceptum itaque pœnitendi ſeu ſatisfaciendi Deo pro peccato, radicaliter continetur in præcepto dilectionis Dei; formaliter verò eſt quædam lex naturalis Iuſtitiæ; quæ reduci poteſt ad præceptum primum colendi Deum & honorandi.

Quæret aliquis an præceptum Contritionis ſit iuris ſupernaturalis, & in dici poſſit aliquo ſenſu eſſe quoq. iuris naturalis. *Reſpondeo*, præceptum Contritionis eſſe ſicut præceptum dilectionis Dei; quare eodem modo quo hoc dicetur ſupernaturale, & iuris naturæ, idem dici poteſt de præcepto Contritionis. De quo abſolutè dico eſſe ſupernaturale, quia eſt de obiecto ſupernaturali, eſt enim actus Contritionis ſupernaturalis ſecundùm ſubſtantiam: lex enim naturalis non poteſt obligare ad id quod viribus naturæ fieri non poteſt: nec ipſa natura poteſt dictare obligationem, quam niſi ex ipſa fide cognoſcere non poſſumus. Poteſt verò hoc præceptum aliquo modo appellari naturale, quatenus homini eleuato ad gratiam, & ad actus ſupernaturales eſt connaturale; ſicut appellari ſolet ſtatus Legis Naturæ in quo homines ſaluari poterant ante Legem ſcriptam, quia licet contineret aliqua præcepta ſupernaturalia, erant tamen connaturalia homini eleuato ad finem ſupernaturalem, & ex ipſa eleuatione ad gratiam oriebatur ſine alio præcepto poſitiuo ſuperaddito. Nam ex ſuppoſitione quod Deus eleuauerit hominem ad finem ſupernaturalem acquirendum per actus ſupernaturales eo ipſo abſque alio nouo præcepto obligatur homo ad habendos actus ſupernaturales neceſſarios ad finem illum acquirendum: quia ex obligatione diligendi ſeipſum, obligatur ad procurandum finem illum adeò ſublimem, & perfectum, ad quem ordinatus eſt, & per conſequens ad adhibenda media neceſſaria ad eum finem, quorum vnum eſt actus Contritionis ſupernaturalis, vt queat iuſtificari extra Sacramentum.

Argumenta ſententiarum adducta, pro nobis ſunt. Nam propoſita pro prima ſententia, firmant noſtrum primum Dictum. Illud verò aliud pro ſecunda, roborat Dictum noſtrum ſecundum. Tertia verò ſententia media eſt, quam nos ſumus ſecuti.

SECTIO IV.

An circa eadem peccata præceptum Pœnitentiæ, & Contritionis ſemel tantùm obliget in vita?

CErtum eſt, quoties homo poſt Contritionem priorum peccatorum iterùm peccat, obligari iterùm ad pœnitendum: ſicut quoties furatur, tenetur reſtituere, quia ſit ſimilis inæqualitas, ex qua conſurgit obligatio Iuſtitiæ. Niſi quis velit quamuis peccata multiplicet, eorum pœnitentiam differre, & de omnibus vnam Contritionem exhibere in fine vitæ. Diſceptatio igitur eſt circa eadem peccata, circa quæ varia occurrunt dubia. 1

Primò ergo dubitatur; an qui iam iuſtificatus eſt per Attritionē cum Sacramento, obligetur adhuc ex præcepto illo naturali ad Contritionē perfectā. Videtur pars affirmans ſequenda. *Primò*, quia tametſi Deus in Sacramento acceptauerit pro illo tunc illam Attritionem, vt ſufficientem ad dandam gratiam ob Chriſti merita applicata per Sacramentum; tamen in re ipſa non fuit exhibita ſufficiens ſatisfactio, quam homo poteſt, & debet exhibere; ergo ſemper manet obligatio complendi illam ſatisfactionem per Contritionem perfectam. 2

Secundò, iuſtificatus extra Sacramentum per Contritionem, adhuc tenetur poſtea intra Sacramentum conteri, vel atteri; ergo etiam iuſtificatus per Attritionem intra Sacramentum, tenebitur etiam conteri extra illud.

Tertiò, remiſſio peccati per amorem non fit niſi ſub onere & voto Pœnitentiæ: ergo nec remiſſio peccati per Attritionem cum Sacramento non fit niſi ſub onere & voto Contritionis.

Verius

3 Verius iudico oppoſitum cum Cardinali Lugo *diſput.7. ſect.12. num.155.* Suario *diſput.14. ſect.4. numero 13.* Vaſquez *dubio 2. numero 10.* & aliis: nimirùm per ſe loquendo non manere in Lege noua, eam obligationem poſt prædictam iuſtificationem. Ratio à priori eſt, quia non eſt, vnde oriatur in eo caſu obligatio ad Contritionem ex præcepto naturali Pœnitentiæ; ex ſuppoſitione quòd non ſit neceſſaria Contritio, ſed ſufficiat Attritio ad recipiendum Sacramentum, vt nunc ſupponimus. Patet, quia ſolùm tenemur ex vi præcepti Pœnitentiæ illum actum elicere, quem ſcimus eſſe connexum ex diuina inſtitutione cum gratia ſanctificante; nam præceptum iſtud non eſt nobis impoſitum ex complacentia honeſtatis actus, ſed ex complacentia fructus illius, qui eſt noſtra iuſtificatio: Ergo nulla eſt obligatio eliciendi poſtea Contritionem de illis peccatis, à quibus per Attritionem intra Sacramentum peccator iuſtificatus eſt, quia iam Contritio non eſt medium neceſſarium ad ipſam iuſtificationem. Firmo, nam ex contraria ſententia fieret, Sacramentum Pœnitentiæ remittere peccata attrito in voto futuræ Contritionis, quod valdè alienum eſt à ſenſu Eccleſiæ, & Conciliorum, quæ potiùs dicunt Contritionem aliquando remittere peccata in voto Sacramenti; ſed non è contrario: quia in Sacramento fertur veluti vltima & definitiua ſententia illius cauſæ, & ideò ſimpliciter remittitur culpa abſque alio onere ampliùs ſatisfaciendi pro illa. Addo inſtitutionem Sacramenti Pœnitentiæ non debuiſſe fieri cum tanto grauamine, nimirùm vt relictâ abſolutè obligatione Contritionis, adiungeretur onus Confeſſionis Sacramentalis, quæ facta potiùs videtur per modum commutationis: nam Attritio coniuncta Sacramento æſtimatur, & acceptatur per modum Contritionis, & ideò præceptum Contritionis non obligat, obtenta remiſſione peccati per Sacramentum Pœnitentiæ; quia cùm nouum medium Sacramenti inſtitutum ſit per ſe ſufficiens ad dictam remiſſionem, & reconciliationem hominis cum Deo, ideò obiecto, ſeu materia mutata, per ſe ceſſat obligatio præcepti affirmatiui Contritionis, vt in aliis præceptis naturalibus contingere ſolet. Vtrùm verò iuſtificatus per Attritionem intra Sacramentum, teneatur poſtea Contritionem elicere in proximo mortis periculo ex obligatione Charitatis? *infrà* diſcutietur.

4 Ad primum oppoſitum, dico illam Attritionem abſolutè Deum acceptare vt ſatisfactionem ſufficientem; ſuppleríque ex meritis Chriſti per Sacramentum applicatis, quod ex parte hominis deeſt, atque ideò non manere obligationem vlterioris Contritionis. Quare remiſſa ſimpliciter iniuria per Attritionem intra Sacramentum, ceſſat obligatio Iuſtitiæ.

Ad ſecundum, conceſſo Antecedente, negatur Conſequentia: quia remiſſio peccati per ſolum amorem Dei non eſt diſpoſitio per ſe ſufficiens, nec formaliter continet ſatisfactionem à Deo requiſitam, & ideò per illam non fit remiſſio niſi ſub onere & voto Pœnitentiæ. At remiſſio peccati per Attritionem intra Sacramentum eſt diſpoſitio, & quaſi ſatisfactio per ſe ſufficiens ex inſtitutione Chriſti, à quo facta eſt veluti quædam commutatio neceſſitatis Contritionis in neceſſitatem Confeſſionis Sacramentalis cum omnibus ad illam requiſitis.

Ad tertium, concedo Antecedens, & Conſequentiam nego, quia obligatio illa prouenit ex præcepto recipiendi Sacramentum Pœnitentiæ etiam ab illo qui iuſtificatus eſt per Contritionem, aut per Dei dilectionem extra Sacramentum. Quod præceptum nobis conſtat ex Tridentino *ſeſſione 14. capit. 4.* At obligatio eliciendi Contritionem ab illo qui intra Sacramentum iuſtificatus eſt per Solam Attritionem, nullibi extat; imò oppoſitum deducitur ex Sacramenti Pœnitentiæ inſtitutione, in qua commutata fuit obligatio Contritionis in obligationem Attritionis, & Cōfeſſionis. Tum quia Attritio coniuncta Sacramento æſtimatur, & acceptatur à Deo, ac ſi eſſet Contritio. Tum etiam quia alioquin in Lege Gratiæ non fuiſſet onus alleuiatum, ſed nouum impoſitum Confeſſionis, retento priori Contritionis.

5 *Secundò* dubitatur, an qui per ſolam dilectionem Dei ſuper omnia iuſtificatus fuit, quia erat immemor peccatorum, teneatur poſtea ad eliciendum actum Contritionis formalem, quando poſtea recordatur ſuorum peccatorum.

Negant Vaſquez cum aliis *dubio 2. numero 10.* Cardinalis Lugo *loco citato, numero 156.* & Mæratius *diſput.23. ſect.2.*

Primò, quia Contritio ſolum eſt neceſſaria ad remiſſionem peccati; illud autem peccatum iam verè remiſſum eſt; Ergo. Firmatur, quia is qui à peccato iuſtificatus eſt per actum amoris Dei, perinde ſe habet quoad reatum culpæ, atque ſi nunquam peccaſſet; quia per iuſtificationem perinde deletur, atque ſi nunquam fuiſſet; ergo ſicut ad actum Contritionis non obligaretur is qui nunquam peccaſſet; ita nec obligabitur peccator qui à peccato iuſtificatus erit.

Secundò, prædicta obligatio ad Contritionem nequit oriri ex puro iure naturæ, quia ius naturæ non poteſt nos aliter obligare ad eam, quàm quatenus neceſſaria eſt ad remiſſionem peccati obtinendam; ergo hâc obtentâ, iam ea obligatio ceſſat: nec poteſt oriri ex iure merè poſitiuo, quia nullum tale oſtendi poteſt; nam vbicumque Scriptura docet neceſſariam eſſe Pœnitentiam, loquitur de peccatoribus. Imò *Lucæ 15.* dicuntur iuſti non egere pœnitentia.

Tertiò, in ſacris Litteris non minor vis remittendi peccata tribuitur Charitati, quàm Pœnitentiæ, ſeu Cōtritioni, atqui per hanc remittuntur peccata ſine vllo onere, vel voto dilectionis Dei eliciendæ; ergo etiam per illam ſine vllo onere, vel voto Contritionis.

Vltimò, inter homines is, qui remiſsâ quacumque ratione offenſâ, alterum verè recipit in ſuam amicitiam, nunquam poſtea ſolet ab eo exigere vt amplius de ea doleat: ergo cùm Deus magis perfectè remittat peccata, quàm homines, poſt eorum remiſſionem nihil ampliùs requiret.

6 Contrariam ſententiam defendit Suarez *ſectione 4. numer. 11.* cum Medina, Vega, & Corduba. In quam etiam inclinare videtur Coninck, *diſputatione 3. dubio 4.* Probant, quia tam Scripturæ, quàm Patres, & Concilia ſæpe docent peccata non remitti ſine pœnitentia; quod cùm poſſit intelligi de Pœnitentia formali, ſaltem in voto habita, itaut actus Charitatis non aliter diſponat ad remiſſionem peccati, quàm quatenus includit virtuale votum formalis pœnitentiæ, & directam ad eam obligationem, dicendum eſt de ea debere intelligi, quia eorum verba hanc propriè ſignificant. Suarez verò ideò exiſtimat obligationem huius præcepti Contritionis non ceſſare, aut tolli, donec per actum formalem Contritionis expleatur, quia hoc præceptum non obligat ex vi Legis Naturæ ſolùm ſub hac conditione, niſi aliunde iuſtificatio, & remiſſio peccati comparetur, ſed ſimpliciter obligat ad habendam Contritionem de peccato, tanquam medium per ſe ſimpliciter neceſſarium ad remiſſionem peccati; aliter enim non eſſet hoc præceptum de medio ſimpliciter neceſſario. Vnde infert, ſi contingat hominem iuſtificari per ſolum amorem, non remitti ei culpam, niſi ſub onere habendi Contritionem, nec Deum acceptare illam ſatisfactionem, vt omninò & abſolutè ſufficientem iuxta ordinationem ſuam, ſed ſolùm acceptare illam, vt con-

tinentem in voto Contritionem. Conſtat autem, quandocumque remiſſio iniuriæ, & acceptatio ſatisfactionis hoc modo fit, optime poſſe manere obligationem ad aliquid aliud faciendum.

Huic ſecundæ Sententiæ vt veriori adhęreo, & vt magis conformi doctrinæ à nobis traditæ ſuprà *diſp.6 ſect.3.* Vbi oſtendimus, actum Contritionis eſſe per ſe medium neceſſarium ad ſalutem & ad noſtram iuſtificationem extra Sacramentum; & per accidens in caſu naturalis obliuionis, vel inconſiderationis inculpabilis ſuorum peccatorum, poſſe hominem iuſtificari per ſolum actum amoris Dei ſuper omnia, includentem tamen virtute, & in voto formalem Contritionem. Quâ poſitâ, firmo dictam ſententiam ratione optime allata ab ipſo Suarez. Quia extra Sacramentum, præceptum Contritionis eſt per ſe medium neceſſarium ad ſalutem & ad iuſtificationem peccatorum; ergo quando poteſt commode adhiberi, non dabitur effectus ſine tali medio. At quando homo cogitat actu de ſuis peccatis, & illi occurrunt tanquam deteſtanda, & delenda, etiamſi anteà exercuerit actum amoris Dei ſuper omnia, poteſt facile cum diuina gratia adhibere remedium Contritionis formalis, quia amor Dei præteritus non impedit Contritionem iſtam, imò poteſt mouere ad illam, maximè ſi intelligat Contritionem eſſe per ſe medium neceſſarium & diſpoſitionem vltimam ad ſanctificationem; ergo.

8 Ex his facile ſoluuntur argumenta primæ ſententiæ. Ad primum dico Contritionem eſſe neceſſariam ad remiſſionem peccati; non quomodocumque, ſed tanquam medium per ſe neceſſarium ſimpliciter ad illam; atque ideò præceptum Contritionis non obligat ſolùm ſub ea conditione, niſi aliunde remiſſio peccati ſit comparata, ſed abſolutè, ſimpliciter, & per ſe obligat, quoniam aliter nón eſſet medium ſimpliciter neceſſarium. Ad Confirmationem, negatur Antecedens: nam qui iuſtificatur per ſolum actum amoris Dei, iuſtificatur per accidens, quia per ſe iuſtificari non poteſt niſi per vtrumque actum ſimul amoris Dei & Contritionis. Vnde cùm iuſtificatur aliquando per accidens per ſolum actum amoris Dei, cùm deſit in re Contritio, oportet vt ſaltem in voto habeatur, & poſtea quando recordatus fuerit ſuorum peccatorum, eliciat formalem actum Contritionis.

Ad ſecundum, reſpondeo prædictam obligationem & præceptum Contritionis oriri ex diuina diſpoſitione ſecundùm legem ordinariam, ſecundùm quam à Deo eſt ſtatutum, vt vterque actus dilectionis Dei & Contritionis ſimul, ſit per ſe loquendo medium neceſſarium ad complendam vltimam diſpoſitionem ad iuſtificationem extra Sacramentum. Hæc autem Dei ordinatio teſtimoniis Sacræ Scripturæ, Conciliorum, & Patrum eſt manifeſtata, vt probaui ſuprà *ſect.3. citata, n.1.* Dicuntur verò in Scriptura non egere pœnitentia iuſti, illi nimirùm qui nunquam peccauerunt.

Ad tertium, conceſſâ Maiori, negatur Minor: nam etiam amor Dei ſuper omnia eſt medium per ſe neceſſarium ad comparandam ſanctificationem, ſicut & ipſa Contritio; ac proinde quando per accidens deficit amor Dei formalis & iuſtificatur quis per Contritionem formalem, neceſſe eſt vt in formali Contritione contineatur virtute, & in voto ipſa dilectio, ſicut dixi de Contritione virtuali contenta in ipſo Dei amore, eſt enim omninò eadem ratio.

Ad vltimum, etiam conſtat, inter homines, ſi ſit remiſſa offenſa non abſolutè, ſed ſub conditione, donec iſta impleatur, ſolere illam exigere. Similiter igitur cùm Deus ad iuſtificationem extra Sacramentum tanquam diſpoſitionem vltimam exigat vtrumque actum ſimul Contritionis & amoris Dei, ſi quiuis ex illis defuerit, & per accidens peccator iuſtificetur cum ſolo vno formali, neceſſe eſt, vt in illo alter contineatur virtualiter, & in voto, & poſtea cum occaſio occurrerit, formaliter eliciatur, vt ſatis explicatum eſt.

Tertiò dubitatur, an circa eadem peccata ſufficiat ſemel pœnitere, an potiùs obliget pœnitentia ad ſæpius pœnitendum de eiſdem peccatis? Ratio dubitandi eſt, quia homo per vnum actum pœnitentiæ non ſatisfacit condignè: ergo adhuc manet in illo obligatio ampliùs ſatisfaciendi, vel pœnitendi Firmatur, nam ſi attendatur ad præceptum naturale Pœnitentiæ, procedit ex obligatione ſatisfaciendi Deo, quantum fieri poſſit, pro iniuria, & offenſa illata; ergo homo ex natura rei obligatur ad ſæpius pœnitendum pro eiſdem peccatis; patet Conſequentia, quia obligatur ad ſatisfaciendum, ſi non adęquatè pro tota iniuria, quia hoc eſſet impoſſibile, ſaltem quantum fieri poteſt, & meliori modo; at certum eſt minùs ſatisfacere, & minùs perfectè, per vnicum actum pœnitentiæ, quàm per plures. Igitur manet obligatio repetendi pœnitentiam, vt homo meliori modo ſatisfaciat. 9

Oppoſita ſententia quæ eſt communis apud omnes 10 Theologos, eſt amplectenda. Iuxta quam?

Dico *primò*, eum qui peccauit non teneri pœnitere poſitiuè, quoties peccata recogitantur. Patet quia abſque fundamẽto vllo grauiſſimũ hoc onus imponeretur. Quæ enim fingi poteſt ratio huius obligationis per ſe, & ex vi ſolius cogitationis? Neque enim tenetur homo, quoties de aliquo obiecto cogitat, habere in voluntate actum illi obiecto proportionatum, vt cùm homo cogitat de Deo, non ſtatim tenetur illum ſuper omnia diligere, ex vi ſolius cogitationis; vel etiamſi de beatitudine cogitat, non ſtatim tenetur elicere actum Spei illius: Neque etiam per accidens tenetur ad vitandam complacentiam peccati commiſſi; quia poteſt diuertere cogitationem ad alia obiecta honeſta, ſi ſit aliquod complacentiæ periculum. Quòd ſi in aliquo caſu particulari eſſet alicui tale periculum, vt inde oriretur obligatio ſtatim exercendi Contritionem ad occurrendum illi periculo; certè illa obligatio non eſſet ex proprio præcepto affirmatiuo Contritionis, ſed ex illo negatiuo, quod obligat ad non committendum tale peccatum. Dixi, *non teneri poſitiuè*; nam negatiuè, ſeu ex negatiuo præcepto, ſemper habenda eſt pœnitentia negatiua vt videlicèt nunquam nobis diſpliceat pœnitentia, ſeu Contritio priùs habita, & nunquam complaceant iterùm peccata quæ ſemel diſplicuêre. Atque in hoc ſenſu locuti ſunt SS. Patres de perpetuitate Pœnitentiæ, quando ſignificant eam eſſe neceſſariam ſemper. Nomine enim Neceſſitatis intelligunt vel magnam vtilitatem ad obtinenda à Deo auxilia gratiæ in futurum; vel obligationem ex præcepto negatiuo non complacendi in peccatis: quod impleri poteſt; quamuis ille cuius memoriæ peccata occurrunt, non deteſtetur illa; quia poteſt ſuſpendere omnem affectum circa 11 illa.

Dico *ſecundò*, eum qui peccauit non teneri præcepto affirmatiuo habendi Contritionem de peccatis iam remiſſis. Ratio eſt manifeſta, quia hæc obligatio adeò dura non modò inducitur abſque fundamẽto, ſed etiam contra rationem, quia præceptum iſtud eatenus obligat in actu ſecundo, quatenus indigemus iuſtificatione & remiſſione peccatorum, vt liquet; ergo qui ſemel iuſtificatus eſt ab illis, manet exemptus ab obligatione 12 illius.

Hinc dico *tertiò*, pręceptum Pœnitentiæ ex ſe ſemel tantùm obligare circa eadem peccata. Probatur. Tum quia ſatis impletur per vnum actum Contritionis, per quem homo recipitur ad diuinam amicitiam, & liberatur à periculo æternæ mortis. Tum etiam quia ſatisfa-

ctio

ctio quæ debetur Deo pro iniuria illata, eſt exactè completa per vnum actum Contritionis, quia eſt talis, qualis à Deo offenſo exigitur, & ab ipſo ita acceptatur, vt ſimpliciter remittat iniuriam; & inde perinde ſe habet debitor, ac ſi integre ſoluiſſet; & ex vi Iuſtitiæ conſtat tantùm teneri hominem ſemel ſatisfacere, aut reſtituere; ergo.

13 Ex quo patet ſolutio ad rationem dubitandi: quamuis enim illa ſatisfactio non ſit integra & condigna ex parte hominis, de facto tamen non eſt maior obligatio, quia nunquam à peccatore poſtulat Deus, vt de eodem peccato ſæpius conteratur, ſed ſolùm quòd ex toto corde conteratur, & conuertatur ad ipſum. Ad Confirmationem dico, tametſi verum ſit, pœnitentiæ obligationem, cùm ſit ex iuſtitia, exigere vt ſatisfiat pro debito iuſtitiæ ex peccato relicto; tamen quia de facto Deus poſt primum actum pœnitentiæ, vel Contritionis, condonat peccatum, & omnem offenſam; ideò ceſſat debitum ſatisfaciendi pro illo, quoniam condonatio creditoris extinguit debitum ſatisfactionis.

SECTIO V.

An præceptum Pœnitentiæ, & Contritionis obliget ſtatim poſt commiſſum mortale peccatum?

1 VIdendi ſunt de hac re docti Recentiores, præſertim Cardinalis Lugo *diſputatione 7. ſectione 11.* & Suarez *diſputatione 15. ſectione 5.* doctè & fusè rem hanc declarantes. Nos breuiter cum prædictis Doctoribus, & aliis quos ipſi referunt, ac cum omnium doctrina communiſſima aſſerimus præceptum hoc Pœnitentiæ non obligare ſtatim, ac commiſſum eſt peccatum mortale, quamuis peccator non iuſtificetur ab illo per Sacramentum. Ratio à priori, quæ communiter à Doctoribus traditur, hæc eſt, quia præceptum Pœnitentiæ non eſt negatiuum, ſed affirmatiuum, vt omnes fatentur; ergo non obligat pro ſemper, ſed pro determinato, & debito tempore. In hoc enim valdè diſtinguuntur præcepta negatiua & affirmatiua; nam illa, vt, v. g. præceptum reſtitutionis, videlicet non retinendi alienum, obligant ſtatim, ſemper, & pro ſemper; iſta verò è contra non obligant pro ſemper, ſed pro ſuo debito tempore. Nullum verò eſt fundamentum ad dicendum, quòd hoc tempus debitum pœnitendi ſit illud quod immediatè ſubſequitur poſt peccatum commiſſum. Imò contrarium conſtat ex ſenſu omnium Fidelium, & ex praxi Eccleſiæ: & etiam ex ſimili obligatione & præcepto diligendi Deum ſuper omnia: nam hæc non vrget ita ſtrictè, vt ſtatim ac proponitur menti Deus, debeat elici perfectus amor Charitatis: non enim magis ſtrictè obligat præceptum reconciliationis cum Deo, quàm præceptum ineundi primam amicitiam cum Deo per primum actum dilectionis erga ipſum.

Vnde modus loquendi Scripturæ ſub interminatione grauiſſimæ pœnæ, ac verbis etiam grauiſſimis admonentis, ne differatur pœnitentia poſt peccatum, explicandus eſt: nam Scriptura ſacra non tam loquitur de dilatione Pœnitentiæ, quàm de perſeuerantia in peccato actuali: Nos verò ſolum agimus de mera dilatione pœnitentiæ, ceſſante omni continuatione peccati præteriti, & omni affectu erga illud. Sancti verò Patres vbique adhortantes ad agendam pœnitentiam ſine mora; adhortantur ad illam tanquam ad rem vtiliſſimam, non verò ex aliquo præcepto neceſſariam.

Vt verò res hæc exactè intelligatur, oportet diſcurrere per quatuor illa capita, quæ ſuprà propoſuimus *ſectione ſecunda*, ex quibus oriri poteſt præceptum, ſeu obligatio habendi Contritionem: nam vt benè obſeruat Suarez *diſp. 15. ſect. 5. num. 4. ad finem*, ex eiſdem tantùm capitibus naſci poteſt obligatio non permanendi voluntariè, vel minimo tempore in ſtatu peccati mortalis. Vnde manifeſtè conſtabit nullam talem eſſe obligationem, ſi probauerimus ex nullo talium capitum illam oriri; quod facilè præſtabimus *ſequentibus dubiis*.

Dubitatur itaque *primò*, an præceptum Pœnitentiæ obliget ſtatim ex lege ſeu virtute Iuſtitiæ. Nam qui rem alienam vt pecuniam, famam, vel quidpiam aliud iniuſtè abſtulerit, tenetur domino reſtituere, cùm primùm poſſit, vt eſt certum apud Theologos; ergo qui per peccatum læſit diuinum ius, tenetur ex lege Iuſtitiæ illud ſtatim per pœnitentiam, vel Contritionem reparare. 2

Communis ſolutio eſt, eſſe diſcrimen manifeſtū, quia homo ita læditur per furtum, v. g. vt detrimentum, vel damnum patiatur in propriis bonis ſibi vtilibus, quibus carere cogitur, quandiu res ablata ei non reſtituitur; & ideò lex Iuſtitiæ non tantùm obligat ad non accipiendam rem alienam, ſed etiam ad non detinendam illam apud ſe, quia illa carentia rei propriæ continuata, eſt quaſi continuum nocumentum proximi. At Deus licèt noſtris peccatis offendatur, non tamen ita læditur, vt priuetur aliqua re ſibi vtili, aut detrimentum aliquod in hoc genere patiatur: *Sed contrà* eſt, quia etiam inter homines ex dilatione reſtitutionis non creſcit detrimentum alterius, quia poteſt accidere vt detentio pecuniarum verbi gratia, nullum alteri ſit nocumentum, quia pro eo tempore non erat illis vſurus. E contrario verò, tametſi Deus non patiatur detrimentum in bonis intrinſecis; attamen in extrinſecis, quæ ſunt fama, & honor, interdum illud patitur propter peccatum hominis: ergo poteſt eſſe obligatio ex iuſtitia ad ſatisfaciendum ſtatim Deo, ne eius infamia vel iniuria creſcat. Vt ſi quis Deum infamaret falſa inter homines de illo ſeminando teneretur quamprimùm poſſet, damnum reparare. Et certè non facilè poteſt reddi ratio differentiæ, cur ex iniuſtitia contra hominem oriatur obligatio ſtatim ſatisfaciendi, & ex iniuria contra Deum non oriatur ſimilis obligatio ad ſtatim ſatisfaciendum.

Rectè tamen ſentit Suarez citatus *numero 5. & ſequentibus*, præceptum Pœnitentiæ non obligare ſtatim ex lege Iuſtitiæ. Quod bene probat ex ratione dicta, quia hæc lex eſt affirmatiua; ergo ex ſe non obligat ſtatim. Vt verò eſt negatiua, prohibet Dei offenſam, vt eſt iniuria ipſius, & vt ſic, ſolùm obligat, poſt factam primam iniuriam, vt non addatur altera, neque illa prior augeatur. Vnde vt ſic, obligat ſtatim, ſemper, ac pro ſemper. Ex eo autem quòd homo non ſtatim ſatisfaciat pro iniuria priùs Deo facta per peccatum, non augetur illa prior iniuria; quia inde non creſcit illud peccatum, quod fuit commiſſum; neque etiam noua iniuria committitur, quia hæc nequit eſſe ſola ipſa dilatio Contritionis, de quo eſt quæſtio præſens, & negatur; nec poteſt fingi alia quæ admiſceatur, quia ſupponitur hominem non habere aliquam actualem peccandi voluntatem; ergo conſtans res eſt ex lege Iuſtitiæ præceptum Pœnitentiæ, vel Contritionis ſtatim non obligare. 3

Ad argumentum oppoſitum facilis eſt ſolutio: nam inter homines, per ſe loquendo, dilatio ſatisfactionis, vel reſtitutionis eſt nociua alteri; atque ideò rationabiliter inuoluntaria; nam infamia quò magis durat, eò magis radicari ſolet, aut diffundi: ipſa etiam carentia pecuniæ, vel cuiuſuis alterius rei propriæ eſt damnum & nocumentum quoddam; & ideò reſtitutio per ſe lo-

quendo

Digitized by Google

quendo, ſtatim facienda eſt. Quod ſi in aliquo caſu particulari manifeſtè ceſſaret omne detrimentum, vel augmentum eius, & alioqui intercederet aliqua rationabilis cauſa, valde probabile eſt poſſe pro aliquo tempore reſtitutionem, aut ſatisfactionem differri. At reſpectu Dei vt dictum eſt *ſuprà*, non creſcit iniuria, vel nocumentum in bonis extrinſecis Dei propter ſolam dilationem Contritionis; nam etiam in illo caſu de infamatione Dei per falſam doctrinam, licèt ſit obligatio illud damnum ſtatim reparandi, ſed ea obligatio propriè non ſpectat ad præceptum Pœnitentiæ, vel Contritionis: nam ſine vera pœnitentia & Contritione poſſet illa fieri ſatisfactio, quatenùs eſt reſtitutio famæ, ſeu deſtructio erroris.

4 Dubitatur *ſecundò* an ex charitate Dei teneatur quis ſtatim pœnitere, ac conteri abſque vlla dilatione. Videtur enim pars affirmatiua vera.

Primò, quia videtur grauiter oppoſi legibus Charitatis, & amicitiæ ſemel cum Deo initæ, ſi diſſolutâ poſteà amicitiâ, velit homo in eo inimicitiæ ſtatu perſeuerare, & non ſtatim reconciliari, & ad priorem amicitiam redire.

Secundò, videtur eſſe contra reuerentiam patri debitam, ſi filius ſciens patrem à ſe grauiter offenſum, non curet patris gratiam, & reconciliationem ſibi quamprimùm promereri. Similiter ſeruus, qui ſciret dominum ſibi rationabiliter indignatum, contemnere eum videretur, ſi negligeret ipſi quamprimùm ſatisfacere, ac veniam petere. Igitur potiori iure tenebitur peccator ſtatim ſatisfacere Deo Patri, & domino ſibi meritiſſimò irato.

Tertiò, ſicut eſt præceptum negatiuum non perdendi fidē; ſic etiam eſt præceptum negatiuum nō perdendi Charitatem; ſed ex illo oritur obligatio recuperandi ſtatim fidem amiſſam, vt docent communiter Theologi, quos referunt & ſequuntur Thomas Sanchez *lib. 2. in præcepta Decalogi cap. 1.* & Suarez *diſputat. 13. de fide ſect. 5.* ergo ex hoc alio orietur quoque obligatio quamprimùm recuperandi per veram pœnitentiam Charitatem amiſſam.

Quartò, ſtatus habitualis inimicitiæ Dei ſemper conſtituit hominem in periculo nouæ inimicitiæ, ſeu offenſionis Dei; ergo ex Charitate Dei obligatur quis ad vitandum tale periculum, ſtatim conterendo. Antecedens patet ex communi Theologorum proloquio, iuxta illa verba Gregorij *homil. 11. in Ezechielem*: *Peccatum quod per pœnitentiam non deletur, ſuo pondere trahit ad aliud.* Si igitur homo non poteſt ſine gratia habituali perſeuerare per longum tempus abſque nouo peccato mortali actuali, cum ſit in eo grauis obligatio cauendi noua peccata mortalia, inde manifeſtè infertur obligatio non differendi pœnitentiam: qui enim obligatur ad aliquid cauendum, obligatur æque ad fugiendum id, cum quo illud aliud eſt infallibiliter connexum.

Vltimò, præceptum Charitatis Dei eſt, non permanendi voluntariè in ſtatu habituali inimicitiæ Dei; ergo ad illam ſpectat obligatio non volendi talem ſtatum: ergo ex vi eiuſdem præcepti voluntaria impœnitentia peccati eſt omni tempore prohibita; ergo e contrario præceptum Pœnitentiæ ex eadem Charitate obligat ad agendam de peccato pœnitentiam ſtatim oblatâ opportunitate: patet Conſequentia, quia non poteſt voluntaria impœnitentia ſemper eſſe mala, niſi pœnitentia ſemper ſit præcepta; quoniam voluntaria omiſſio rei non præceptę non eſt mala.

5 Dico tamen cum prædicto Suarez, præceptum Pœnitentiæ, vel Contritionis non obligare ſtatim ex Charitate Dei. Patet eodem argumento, quia etiā hoc titulo præceptum hoc eſt per ſe affirmatiuum: neque opponitur præcepto negatiuo ſtatus habitualis inimicitiæ Dei pro aliquo tempore. Nam licèt præceptum negatiuum Charitatis Dei obliget ad non habendum Dei odium, & non faciendum aliquid contrarium amori Dei, tamen vltra hoc non datur præceptum, vt homo nullo breui tempore in ſe permittat illum ſtatum habitualis inimicitiæ. Quamuis enim directè ac poſitiuè velle carentiam gratiæ, aut illum ſtatum inimicitię Dei, ſit intrinſecè malum, quia obiectum illius actus intrinſecè malum eſt, habens grauem deformitatem contra Charitatem Dei; inde tamen non infertur neceſſitas actus Contritionis. Tum quia poteſt voluntas vtroque actu carere voluntariè, ſaltem indirectè. Tum etiam quia in eo caſu poteſt homo directè velle non elicere Contritionis actum pro eo tempore, pro quo nondum obligat. Probatur, quia licèt Contritio ſit intrinſecè bona, tamen carentia eius non eſt intrinſecè mala, niſi quando debita eſt; quod commune eſt cuilibet actui virtutis; ſed pro illo tempore ille actus Contritionis non eſt debitus, quia vt ſupponitur, nondum obligat præceptum Contritionis: ergo pro tunc carentia illius actus non eſt mala, quamuis nec per ſe bona ſit; erit itaque indifferens.

6 Ad argumenta oppoſita. Ad primum dico eſſe quidem grauiter contra amicitiæ leges, ſi homo velit ſtatum inimicitiæ conſeruare, nimirùm conſeruando vel habendo affectum, quo à Deo ſemel diſceſſit; nam hoc eſſet permanere in eodem affectu malo, vel committere nouum actuale peccatum ſimile præcedēti. Qui verò nō conteritur ſtatim, licet nō diligat Deū vt amicus, nec procuret efficaciter quod diligatur vt amicus ab ipſo Deo; non vult ex parte ſua pro aliquo breuiori tempore diligere Deū, vel de ſuo peccato conteri; quod non videtur eſſe contra Charitatem: nam ſicut Charitas non obligat ad poſitiuè diligendum Deum ſtatim, vbi primùm cognoſcitur, ſed ſuo tempore, & ſemper ad non habendum Deum odio formali, vel virtuali, ſic nec videtur obligare eadem Charitas ad diligendum Deum quamprimùm poſt peccatum, ſed ad tollendum affectum contrarium imbibitum in omni peccato mortali, & ad repetendum poſitiuè affectum dilectionis debito tempore.

Ad ſecundum, Dico ad Antecedens, ſi Pater, vel Dominus ſciret filium, aut ſeruum ceſſaſſe omninò ab interno affectu ipſum offendendi, imò & habere animum petendi veniam, & ſatisfaciendi, licèt nunc id differat ex pigritia, non haberet indignationem nouam grauem propter illam dilationem ſatisfactionis. Sic igitur non tenetur homo ſtatim amare Deum, vel ipſi ſatisfacere, dummodò non habeat actuale, aut virtuale odium Dei, aut propoſitum peccādi. Inuitatio Dei ad pœnitentiam non arguit peccatum graue in dilatione pœnitentiæ per aliquod tempus; ſicut nec peccat grauiter, qui Deo ipſum vocanti ad religioſam vitam non conſentit: quia non vocat Deus præcipiens, ſed conſulens, & inuitans; neque enim reſpuere vocationem Dei inuitantis abſque præcepto, continet grauem contra ipſum irreuerentiam.

7 Ad tertium conſtat inprimis maiorem eſſe obligationem reuertendi ſtatim ad fidem, quàm ad dilectionem, quando contra alteram ex illis peccatur; nam ſi quis per peccatum mortale diſceſſit à dilectione erga Deum, non obligatur ad diligendum quamprimùm Deum, cùm in omnium ſententia ſatis ſit quòd cum vera Attritione recipiat Sacramentum Pœnitentiæ, & iuſtificetur; quo caſu licèt recipiat cum gratia ſanctificante habitum Charitatis, non tamen diligit adhuc Deum. At ille, qui reliquit fidem, debet redire ſtatim per verum actum Fidei, vt credat actu id quod priùs negauerat. Ratio eſt, quia aliàs committeret grauem

irreueren

irreuerentiam Deo. Nam ſicut Deo immediatè loquenti non poteſt abſque graui irreuerentia fides non exhiberi ſtatim ab illo, cui Deus loquitur; ſic ſimiliter quando ſemel credidit, & poſtea fidem reliquit, redit eadem obligatio exhibendi ſtatim illam reuerentiam, & cultum intellectualem diuinæ Auctoritati, cuius locutio ſemper perſeuerat, cùm ſemper Deus loquatur nobis per Scripturas, & Miniſtros Eccleſiæ, & ideò perſeuerat eadem obligatio exhibendi cultum debitum teſtimonio, & locutioni diuinæ.

Videatur de hac re noſter Cardinalis Lugo in ſuo doctiſſimo tractatu de virtute fidei diuinæ *diſputatione* 15. *ſectione* 1. *numero* 23. vbi egregium aſſignat diſcrimen inter præceptum Fidei, & Contritionis, vel dilectionis Dei: quia fidei præceptum licèt ſit affirmatiuum, & non obliget pro ſemper, eſt tamen cultus & reuerentia, quæ debetur diuinæ Auctoritati aliquid nobis proponenti, & teſtificanti: quare ſicut ille, cui occurreret Rex, teneretur ſtatim ei exhibere reuerentiam, quam ſi non exhibeat, non ſolùm peccaret contra Regem tunc, ſed etiam quandiu Rex permaneret præſens: ſic etiam quando illi, qui peccauit contra fidem, occurrit diuina Auctoritas ſufficienter propoſita, peccat, ſi non eam debitâ reuerentiâ excipiat; & quandiu ita manet, continuatur idem peccatum, ſicut continuatur in eo qui non reſtituit ablatum; quia adhuc perſeuerat eadem obligatio reuerentiæ. At in præcepto Pœnitentiæ & Contritionis non militat hæc ratio, quia præceptum Pœnitentiæ ita eſt affirmatiuum, vt non obliget ex natura rei ſtatim: nam licèt peccatum mortale habeat aliquam malitiam irreuerentiæ in Deum, quatenùs Deus poſtponitur creaturæ per peccatum; cæterùm omiſſio vel dilatio conuerſionis non eſt grauis irreuerentia noua in Deum, nec per ipſam dilationem continuat homo irreuerentiam præteritam; idem eſt de præcepto dilectionis Dei. Videatur dictus Auctor *loco citato*, & hìc *diſputatione* 7. *de pœnitentia ſect.* 11. *numero* 130. *& ſeqq.*

Ad quartum dico, eo argumento non probari obligationem pœnitendi ſtatim poſt peccatum: nam Theologi ſolùm dicunt ſequi infallibiliter aliud peccatum, de eo qui per longum tempus non pœnitet: eo pacto quo dicunt quoque non poſſe hominem longo tempore ſeruare omnia præcepta abſque auxilio gratiæ Dei. Nihilominùs poteſt aliquo breui tempore non peccare: & ideò non ſequitur teneri ad ſtatim habendam Contritionem, quia non ſtatim eſt in periculo peccati, ſed ad ſummum ſequitur teneri non diu differre conuerſionem ſuam, de quo *ſeq. ſectione*.

Ad vltimũ patet ſolutio ex doctrina ſuprà tradita *n.* 5.

8 Dubitatur *tertiò*, an præceptum pœnitendi, vel conterendi ſtatim obliget ex charitate propria. In quo non exigua poteſt eſſe difficultas.

Primò, quia homo ex vi Charitatis ad ſeipſum tenetur ſtatim remedium adhibere omni graui malo proprio, quod vel corpori, vel animæ poteſt eſſe nociuum. Videtur autem eſſe maior ratio de ſpiritualibus, quia maior eſt obligatio liberandi ſe à miſeria, & malo ſpirituali, quàm corporali; ergo ſicut homo debet ſe liberare à corporali morte, vel membri iactura; multò magis debet ſe liberare à morte ſpirituali per veram pœnitentiam, cùm ſpiritualis mors ſit grauior miſeria, quàm mors corporalis, & ſit periculum damnationis æternæ, cum ſint non pauci qui repentina morte præoccupati Pœnitentiæ ſpacium non habent.

Secundò, magis obligatur quis ex Charitate erga ſeipſum, quàm erga proximum; ſed præceptum Charitatis obligat ad corrigendum proximum, qui eſt in peccato, & ea correptio adhiberi debet quamprimùm commodè poteſt: ergo magis obligabitur homo ad corrigendum ſe, cùm ſemper commodè poſſit abſque vlla dilatione.

Nihilominùs tamen dicendum eſt, non apparere ſpecialem obligationem ortam ex Charitate propria ad Contritionem ſtatim habendam. Probatur, quia non eſt peccatum ſpeciale contra Charitatem propriam peccare hominem mortaliter, vel inferre ſibi damnum graue quod peccatum ſecum affert, quia dum benè valet, & non timet aliunde ab inimicis, vel naufragio repentinam mortem, non eſt morale periculum damnationis æternæ vt eſt certum; ergo multò minùs ex vi propriæ Charitatis erit poſtea ſpecialis obligatio ad abiiciendum ſtatim malum illud. Et ratio à priori eſt, quia ex vi propriæ Charitatis non tenetur homo ſub mortali impedire omnia mala, & procurare omnia ſua bona, ſed ſolùm bona ſimpliciter neceſſaria ad vltimum finem & ſalutem æternam conſequendam, quale non eſt acceleratio Pœnitentiæ, vel Contritionis; cùm poſſit poſtea eodem modo diuinam gratiam recuperare. 9

Hinc patet ſolutio ad primum argumentum oppoſitum. Nam in primis illud eſt pro nobis: quia ſicut in rebus corporalibus non ſtatim committitur ſpeciale peccatum contra Charitatem propriam ſi remedium illud aliquantulùm differatur, quia obligatio ſe diligendi in illis non eſt adeò vrgens, vt ſtatim, & ſine vlla mora poſtulet executionem remedij ſeu medicinæ; eſt enim obligatio adhibendi medicinam ex præcepto affirmatiuo, quod non pro ſemper, nec ſtatim obligat, niſi quando extrema vel grauis neceſſitas vrgeret, vel timeretur imminere periculum grauioris mali, nempe mortis; ita ſimiliter idem dico in ſpiritualibus. Adde, quod benè notauit Cardinalis Lugo *ſectione* 11. *numero* 128. loquendo de obligatione graui, non teneri hominem ad diligentiam metaphyſicam etiam circa ea, quæ ſpectant ad ſalutem æternam, ſed ad diligentiam moralem, & humanam. Quamuis enim in communi certum ſit aliquos mori abſque Pœnitentiæ ſpatio, de hoc tamen homine hìc & nunc non eſt morale periculum dum benè valet, & non timet illud aliunde. Sic certum eſt paruulos ante Baptiſmum poſſe repente mori, & tamen certum eſt quoque Baptiſmum poſſe differri per aliquot dies. Certum etiam eſt in communi, quòd aliqui baptizentur inualidè, vel ex defectu intentionis, vel formæ, vel materiæ; non eſt tamen morale dubium hìc & nunc de hoc homine; & ideò non debet repeti eius Baptiſmus, etiamſi paruulus ſit in mortis articulo conſtitutus, quia ſufficit moralis illa certitudo, quæ periculum morale excludat, licèt non metaphyſicum. 10

Ad ſecundum latè Suarez, & Lugo. Breuiter dico, etiam præceptum correptionis non obligare nos ad procurandum, vt proximus quamprimùm doleat de ſuo peccato, vel iuſtificetur, quando non continuatur ipſum peccatum actuale, neque eſt periculum noui peccati: nam ſicut ipſe proximus non tenetur tunc ad pœnitentiam; ſic nec ego ad eam procurandam: fruſtra enim ipſe teneter ad monendum eum, qui licitè poteſt non acceptare monitionem meam. Quare tunc proximum ad pœnitentiam corripere tenemur, quando ipſemet vel propter mortis periculum, vel propter vrgens iam ex alia cauſa Pœnitentiæ præceptum, tenetur ad pœnitendum; nam certum debet eſſe, ſi in ipſo non eſt Pœnitentiæ obligatio, neque in nobis eſſe obligationem monendi illum ad pœnitentiam. 11

Vltimò dubitatur, an ex virtute Miſericordiæ teneamur ſtatim pœnitere, ac conteri abſque vlla dilatione. *Reſpondeo* virtutem Miſericordiæ reſpectu ſubleuationis noſtræ miſeriæ, videlicet culpæ, nihil ſpeciale habere præcepti, quod non contineatur in præcepto Charitatis propriæ: eſt enim prorſus eadem omninò ratio de vtraque virtute, propriæ Charitatis, 12

&

& Miſericordiæ: ſiue vtraque ſit vna, & eadem virtus ſpecie, ſiue multiplex ſpecie.

SECTIO VI.

An præceptum Pœnitentiæ obliget per ſe, & ratione ſui in vita, an ſolùm in articulo mortis?

TVnc obligat per ſe præceptum aliquod, quando
1 præſtare tenemur rem præceptam per ſe, & ratione ſui, & non quia eſt neceſſaria ad implendum aliud præceptum quod tunc vrget, vel propter ſuperandam aliquam tentationem. Hæc enim vocatur obligatio per accidens; de qua non eſt hic ſpecialis difficultas; ſed ſolùm cùm quis per ſe ad Contritionem obligatur. In quo duo inuoluuntur, quæ ſunt explicanda. *Primum* in hac ſectione: An aliquo tempore huius vitæ vrgeat per ſe Contritionis præceptum? ita vt omiſſio illius ſit ſpeciale peccatum contra præceptum pœnitentiæ. *Secundum*, quod in ſequenti Sectione eſt examinandum: An ſit deſignandum tempus determinatum, in quo per ſe obliget tale præceptum?

Prima itaque ſententia circa primum docet, ſolùm obligare in articulo, vel periculo mortis. Ita Vaſquez *quæſt.86. articul. 2. dub.2. numer. 6.* Gaſpar Hurtado *diſputat. 3. difficultate 4.* & alij. Quia tantùm videtur tunc eſſe contra rationem, & contra Charitatem erga Deum; ex qua ſola oritur præceptum Contritionis, ne in æternum permaneat in Dei inimicitia, & offenſa.

Secunda ſententia eſt Cardinalis Lugo *diſputat. 7.*
2 *ſect. 11. numer. 234.* & Aliorum, non ſolùm in mortis articulo præceptum Pœnitentiæ obligare, ſed etiam anteà.

Probat *primò*, quia in contemptum Dei offenſi redundare videtur, ſi quis adeò parùm curet de procuranda reconciliatione cum ipſo, vt velit per totam vitam in eius inimicitia perſeuerare. Nam ſi Princeps humanus indignaretur, ſi poſt delictum commiſſum in ſe non curaret offenſor reconciliari cum ipſo vſque ad finem vitæ; quantò magis Deus propter hoc indignabitur?

Secundò, ille qui eſt in peccato, eſt auerſus à Deo, & conuerſus ad creaturam: at homo auerſus à Deo, & conuerſus ad creaturam, non poteſt benè diſponere, & ordinare vitam ſuam erga vltimum finem, neque conformiter ad honeſtatem naturalem, ſicut facere tenetur.

Tertiò, dantur præcepta de exercendis aliquando per vitam actibus Fidei, Spei, & Charitatis, ac Religionis; ergo & Pœnitentiæ.

Tertia ſententia, quam ſequuntur multi, inter quos
3 noſter Coninck *diſputat. 3. dub. 3.* docet obligare per ſe huiuſmodi præceptum, non ſolùm in articulo, vel periculo mortis, verùm etiam aliquoties in vita, ſi diuturna ſit. Probat, quia ille qui tandiu ſponte manet alienus ab amicitia diuina, ipſo facto quodammodo oſtendit ſe eam parui facere: nec enim re, quam magni facimus, tandiu volumus carere; illud autem continet grauem iniuriam in Deum, præſertim cùm ſæpiùs peccatorem per gratias excitantes ac præuenientes ad Pœnitentiam excitando moueat, quod ipſe cum quodam interpretatiuo Dei contemptu neglexit. Et certè non minùs grauis indecentia cernitur in peccatore diuturnam vitam agente quòd diuinam amicitiam non procuret per Contritionem, quàm quòd iuſtus Deum non diligat, vel Euchariſtiam non ſumat.

Dico *primò*, certum eſſe apud omnes, in articulo, vel 4
proximo mortis periculo, teneri peccatorē pœnitere ex vi Charitatis Dei, & propriæ, ac etiam Miſericordiæ, & pœnitentiæ. Ratio eſt, quia præceptum pœnitentiæ de mortalibus peccatis non obligat pro futura vita, ſed pro præſente; nam poſt hanc vitam iam non eſt tempus pœnitendi; & ſi inſtante morte non fit, homo ſtatim in æternum damnabitur, & nullo alio tempore obligari poterit, ſi tempore quo ſe exponit manifeſto periculo æternæ damnationis, non obligat.

Dico *ſecundò*, excluſa obligatione agendi pœniten- 5
tiam quæ aliunde prouenire poteſt, præciſè conſiderando obligationem ortam ex vi ac titulo Iuſtitiæ, præceptum ſatisfaciendi Deo non obligare, donec periculum mortis inſtet. Ita Suarez *diſputat. 15. ſect. 6.* cum aliis. Ratio eſt, quia eadem ratio quæ oſtendit hoc præceptum non obligare ſtatim, probat quoque de quocumque determinato tempore vitæ præſentis, quandiu non imminet periculum mortis: neque enim imponenda ſunt præcepta, & obligationes ſine ſufficienti fundamento; nullum autem eſt ad imponendam eam obligationem extra mortis articulum, vel proximum periculum.

Dico *tertiò*, neque ex Charitate propria, ſeu clemen- 6
tia dari talem obligationem extra articulum mortis. Ita Suarez citatus. Et patet, quia tametſi Charitas propria videatur obligare ad vitandam grauiſſimam iacturam bonorum ſpiritualium, permanendo in peccato mortali vſque in finem vitæ; idque repugnet rationi, & morum honeſtati (nam includit nimiam negligentiam propriæ ſalutis;) non ideò tamen ſequitur ponendam eſſe obligationem proximo, & immediatè ex propria charitate; quia illa pericula, & incommoda nec moraliter *ita* apprehenduntur, nec proponuntur, nec talia ſunt, vt ex ſpeciali obligatione Charitatis propriæ teneatur homo illa præuidere, & vitare; nam & poterit ſemper ſperare locum pœnitentiæ, ex miſericordia Dei; & aliàs non tenetur procurare augmentum gratiæ & gloriæ, proprio, ac ſpeciali præcepto.

Dico *vltimò*, præceptum Pœnitentiæ ratione dile- 7
ctionis Dei, ante articulum mortis obligare. Hoc conſtat, ſi ſemel ſupponatur, dilectionem Dei ſuper omnia eſſe aliquando in præcepto ante mortis articulum: nam hoc poſito, idem dicendum eſt de Contritione ob neceſſitatem dilectionis Dei. Quia non poteſt ille qui eſt in peccato mortali, ſi occurrat tempus diligendi Deū ſuper omnia, ſeruare illud per ſe loquendo, niſi etiam habeat Contritionem peccatorum vt conſtat ex dictis ſuprà de neceſſitate Contritionis *diſp. 8. ſect. 3.* Verum quidē eſt, ſi ex accidenti contingat immemorem peccatorum diligere Deum ſuper omnia, in illo obligationis articulo ſine formali actu Contritionis, poſtea non obligari quamprimùm ad habendum formalem actum Contritionis; quia neceſſitas Contritionis pro eo tēpore ſolùm erat propter actum dilectionis; ergo quacumque ratione contingat actum dilectionis haberi ſine actu Contritionis, iam ſatisfactum eſt præcepto Dilectionis.

Ad ſententias relatas Prima pro nobis eſt. Ad ſecun- 8
dæ ſententiæ primum argumentum reſpondeo, certum eſſe, ſi quis ex cōtemptu offenſionis diuinæ, & recōciliationis cum Deo, differret pœnitentiam vſque ad finem vitæ, peccaturum grauiter contra virtutem pœnitentiæ; cæterum etiam non eſt dubium quin dilatio Pœnitentiæ poſſit fieri ſine huiuſmodi contemptu, ex quadam incuria, atque deſidia. Quod de humano Principe dicitur, verum eſt; ſed inde non poteſt fieri conſequentia ad Deum. Cùm enim humanus Princeps nō videat animū

ſu

Digitized by Google

ſui offenſoris, prudenter credere poſſet tantam dilationem reconciliationis cum ipſo oriri ex contemptu: at Deus cùm videat, an dilatio Pœnitentiæ proueniat ex cõtemptu, vel non; cùm viderit prouenire ex contemptu, tũc indignabitur; non verò quando viderit oriri ex deſidia.

9 Ad ſecundum dico, hominem per actum Spei poſſe ſe auertere ab actuali affectu ad peccatum, & ſe conuertere ad Deũ tanquam ad vltimum finem, vitámque ſuam ad eùm vt talem dirigere ac ordinare; & ſimiliter per actum Attritionis ex metu pœnarum inferni ſine Sacramento poſſe vitam ſuam diſponere, & ordinare conformiter ad honeſtatem naturalem, modò habeat propoſitum exeundi à peccato, tempore quo tenebitur.

10 Ad tertium, conceſſo Antecedente, negatur Conſequẽtia: nam actus Fidei eſt fundamentum vitæ ſupernaturalis; vnde irrationabile eſt, vt vitæ ſupernaturalis fundamentum, & principium, ad finem vitæ naturalis reſeruetur. Actus Spei dirigit nos ad vltimum finem, & vitam noſtram ordinat conformiter ad ſupernaturalem rationẽ. Actus Charitatis nos ſummo bono coniungit, & excellentiori modo vitam noſtram ordinat, & dirigit ad ipſum: contra rationẽ autem eſt, vt ordinatio vitæ vſque ad eius finẽ differatur. Actus Religionis eſt proteſtatio quędam de eo, quòd Deus ſit Dominus noſter, & nos ſerui ipſius; eſſet autem inordinatum, ſi quis tunc primùm ſe profiteretur ſeruum alicuius, quando iam finit tempus laborandi in eius obſequio. Nihil autem horum ſimile reperitur in Pœnitentia.

11 Ad tertiam ſententiam, dico illud eſſe opportunũ conſilium. Cæterùm nõ video in ea longa dilatione eſſe grauem indecentiam, vel contemptum diuini honoris, per ſe loquendo; quia poteſt ex multis aliis cauſis, ac ex ſola fragilitate prouenire; vel ex eo ſolũ quòd hic & nunc nõ apprehenditur pœnitentia vt neceſſaria ad cultũ & honorẽ debitum Deo, & aliunde apprehenditur vt onerosa. Neq; enim ad contemptum ſatis eſt, quòd homo non reſpondeat vocationibus diuinis, etiamſi ſint frequentes: nã totũ hoc poteſt eſſe ex fragilitate, & abſque noua irreuerentia graui reſpectu Dei. Quòd ſi per accidens in aliquibus caſibus interueniat nouus contemptus, erit illud nouũ peccatum, ſed accidentarium, & extraneum, non verò ſpeciale impœnitentiæ peccatum: de quo fuit preſens diſceptatio.

SECTIO VII.

Quodnam ſit illud tempus pro quo præceptum Contritionis obligat ratione dilectionis Dei ante mortem?

1 BReuiter dico *primò*, peccatorem non teneri præcepto Contritionis, nec Dei dilectionis diebus Dominicis, aut feſtis. Ita communiter omnes. Et probatur. Tum quia abſque fundamento ſufficiente inducitur obligatio adeò dura, & ſtricta. Tũ maximè, quia diebus Dominicis, & feſtis tantùm præcipitur cultus Dei ad Religionẽ pertinens, neque omnis, ſed ſolùm auditio Sacri, & ceſſatio ab operibus ſeruilibus, vt conſtat ex vſu, & traditione Eccleſiæ. Quòd autẽ cultus iſte, qui præcipitur, ordinetur in ſanctificationem animarum, tanquam in finem extrinſecum, non ſufficit vt eo ipſo præcipiatur Contritio, & Dei dilectio, medio quo fit ſanctificatio, quia finis extrinſecus actus præcepti non cadit ſub preceptum talis actus: ſolùm enim finis præcepti, qui eſt etiam materia præcepti, cadit ſub præceptum; talis verò finis non eſt materia huius precepti, vt eſt per ſe notum.

2 Dico *ſecundò* peccatorem qui eo tempore, quo præceptum Confeſſionis obligat, non poteſt confiteri, minimè teneri tunc conteri, vel diligere Deum ſuper omnia. Ita cõmuniter Doctores. Ratio eſt. Tũ quia ex vi legis de Confeſſione annuali ſolùm tenetur homo habere illum actũ interioris pœnitentiæ, qui neceſſarius eſt ad verum Sacramentum Pœnitentiæ ſuſcipiendum; at Sacramentum hoc non requirit perfectam Contritionem, ſed Attritionem tantùm. Tum maximè, quia in eo caſu neque ad Attritionem teneretur homo ex vi huius præcepti; quia quando Eccleſia præcipit aliquem actum externũ principaliter, & conſequenter præcipit internum ad illum neceſſarium, ceſſante obligatione exterioris actus, ceſſat etiã interioris. Sic enim Eccleſia præcipiendo orationem vocalem, præcipit attentionem internam ad Deum, vnde qui excuſatur propter impotentiam ob oratione vocali, non tenetur pro illo tempore interiùs attendere: quia Eccleſia per ſe non determinat, nec præcipit actum internum, niſi ſolùm propter externum, quia actus interior ſecundùm ſe non cadit directè ſub iuriſdictionẽ Eccleſiæ.

Dico *tertiò*, præceptum Contritionis per ſe, ratione dilectionis Dei obligare, quando eſt multorum diuturna dilatio dilectionis. Hoc dictum iudico probabile propter Doctores, qui affirmant eum, qui per multos annos non exercet actum amoris Dei, delinquere grauiter contrà preceptum Charitatis, vt inter alios docet Suar. *diſput.* 3. *de præceptis charitatis, ſect.* 3. *ad finem*; quia eſt conſentaneũ, vt Dei amor, propter quem creatus eſt homo, & qui eſt vltimus finis actionum, non ſemel tantùm, ac iterùm in tota vita habeatur.

Dico *vltimò*, non poſſe tempus hoc dilectionis Dei, 4
atque ideò nec Contritionis, in particulari, certò ac definitè deſignari. Hoc iudico verius cum Suar. *diſp.* 3. *ſect.* 6. *n.* 20. Ratio eſt, quia dum tale tempus non eſt poſitiuâ lege præſcriptum, debet prudentis arbitrio committi, vt penſatis circumſtantiis omnibus iudicet, ac determinet. Neque enim alia regula certior aſſignari poteſt tam in hoc præcepto, quàm in aliis affirmatiuis, præſertim circa actus qui ad Deum ordinantur. Vnde idem iudicium ferendum eſt de præcepto diligendi Deum ſuper omnia. Quare ſicut in præcepto reſtitutionis dicitur obligare ad non multùm differendam reſtitutionem, licet non poſſit aſſignari primum inſtans reſtitutionis; ita cum proportione in his aliis diuinis præceptis. Vnde probabile eſt dilationem trium, vel quatuor annorum ſufficere ad peccandum grauiter contra præceptum, & obligationem diligendi Deum, vt fatetur Coninck *diſp.* 24. *de charitate dub.* 3. *num.* 53. & Caſtro Palao *diſp.* 2. *de Charitate punct.* 4. *n.* 10.

SECTIO VIII.

An impœnitentia poſſit eſſe ſpeciale peccatum; & an ſit vnum, vel multiplex?

DE hac re egregiè Suar *diſp.* 15 *ſect.* 1. Breuiter iuxta 1
eius doctrinam occurram huic duplici difficultati.

Circa primum, an impœnitentia, ſeu omiſſio Pœnitentiæ tempore debito ſit ſpeciale peccatum?

Dico *primò*, certùm videri impœnitentiam eſſe ſpeciale peccatum. Ratio eſt, quia datur præceptum Pœnitentiæ ſpeciale, vt conſtat; ergo violatio illius erit ſpeciale peccatum: nam habet propriam, & peculiarem deordinationem. 2

Dico *ſecundò*, hoc ſpeciale impœnitentiæ peccatum directè committi per expreſſum actum, ſeu voluntatis propoſitum, quo quis vult non pœnitere tempore debito. Hoc etiam eſt certum, *Primò*, quia tranſgreſſio ſpecialis præcepti eſt ſpeciale peccatum, cùm eſt omiſſio illius pro eo tempore, pro quo præceptum obligat; ergo tunc maximè tranſgreſſio pœnitentiæ pro eo tempore pro quo eius præceptum obligat, eſt ſpeciale peccatum

Digitized by Google

catum, quando tranſgreſſio illa directè eſt voluntaria.

Secundò, propoſitum illud eſt ſpecialis actus tendens in obiectum, habens ſpecialem malitiam moralem: Sed per ſe non habet aliam, niſi malitiam impœnitentiæ; ergo eſt ſpeciale impœnitentiæ peccatũ. Maior euidens eſt, quia negari non poteſt, quin ſit culpabile ac moraliter malũ, omittere pœnitentiam voluntariè & directè, eo tẽpore quo præcepta eſt. Minor etiã, eſt certa, quia illa malitia moraliter non eſt alterius rationis à malitia omiſſionis pœnitentiæ directè volita, nec poteſt cogitari alia ſpecies, in qua conſtituatur: vnde periurus, & fornicarius, exempli cauſa, ſi pœnitere directè nolint, peccatum eiuſdem ſpeciei committunt, etiamſi peccata in quibus permanent, ſint ſpecie diuerſa. Igitur conſtat, eiuſmodi impœnitentiam eſſe ſpeciale peccatum.

3 Dico *tertiò*, impœnitentiam voluntariam ſolùm indirectè, ſeu interpretatiuè habere quoque ſpecialem malitiam, & eſſe ſpeciale peccatum. Voluntariũ ſolùm indirectè, ſeu interpretatiuè intelligo, quãdo nimirùm ex negligentia culpabili actus omittitur tempore debito; vel ex ignorantia vincibili, vel ex certa ſcientia, ſine voluntate directa omittendi, cum voluntate tamen agendi, vel retinendi aliquid incompoſſibile præcepto. Impœnitentiam igitur hoc modo voluntariam habere ſpecialem malitiam, cõſtituentem ſpeciale peccatum, probo, quia in omni alia omiſſione ſpecialis præcepti, illud voluntarium ſufficit ad ſpecialem malitiam contrahendam, & hic nulla aſſignari poteſt ratio faciendi exceptionẽ; ergo. Firmatur, nam quis neget culpabile, ac moraliter malum eſſe, pœnitentiã voluntariè dicto modo omittere eo tempore quo præcepta eſt? ex alio verò capite non poteſt cogitari alia ſpecies, in qua conſtituatur. Vnde ea malitia videtur eſſe eiuſdẽ rationis in eo qui pœnitentiã omittit periurij, v. g. & in eo, qui eam non agit adulterij, cum eodẽ modo voluntarij indirectè. Igitur ſignum euidens eſt. tale voluntariũ ſufficere ad hanc ſpecialẽ malitiam. Vnde infero, hanc malitiã non eſſe ſpecie diuerſã ab ea quæ eſt in actu formali, ſeu propoſito non pœnitendi: quia voluntariũ directum, vel indirectum non variat ſpeciem peccati, ſi in obiecto & ratione malitiæ ſit eadẽ diſconueniẽtia, vt eſt in præſenti.

4 Circa ſecundam, an ſit vnum, vel multiplex impœnitentiæ peccatum? Dico *primò*, in aliquo caſu contingere poſſe, vt quis in peccato mortali moriatur ſine ſpeciali peccato impœnitentiæ. Patet ex dictis, quia accidere poteſt, vt iſte nunquã habuerit voluntatem directam non pœnitendi, neque etiam indirectam, vt ſi morte præueniatur priùs, quàm de pœnitentia agenda cogitare poſſit; ergo.

5 Dico *ſecundò*, poſſe etiam contingere in aliquo caſu, vt ſimul concurrant, & vrgeant quatuor illæ obligationes conterendi *ſuprà* declaratæ, & tunc peccatum impœnitentiæ includere quadruplicem malitiam contra quadruplicem dictam obligationem. Probo id manifeſtè: Nam prædictæ quatuor obligationes contingere poſſunt in articulo mortis, ergo tunc voluntas illa non pœnitendi haberet quatuor malitias, nam patet Cõſequentia, quia includeret quatuor circumſtantias diuerſarum ſpecie rationum, & contra diuerſa præcepta propria, & ſpecifica, & per ſe, ac ſigillatim obligantia.

6 Dico *tertiò*. in quolibet peccato mortali præter malitiã propriam, inueniri quidem malitiã iniuſtitiæ, ſeu iniuriæ diuinæ, non verò alias malitias contra tres alias obligationes. Probatur hoc dictum, ſimul & explicatur. Nam inprimis de malitia iniuſtitiæ, ſeu diuinę iniuriæ. patet; quia ſi lex iuſtitiæ reſpectu Dei. obligat ad ſatisfaciendum, vt conſtat ex dictis *ſuprà*, manifeſtum eſt ſupponere iniuriam factam: ergo multò magis obligaret vt non fieret; at eiuſmodi lex eſt ſpecialis, & eiuſdem virtutis: ergo violatio eius infert ſpecialem malitiã. Vnde quamuis hæc malitia iniuſtitiæ videatur eſſe circumſtantia generalis omnis peccati mortalis, cæterùm non eſt generalis tanquam illi extrinſecùs aduenienſ, ſed tãquam conſtituens in eſſe peccati mortalis vt ſic, vt cõſtat ex dictis ſuprà *diſp. 2. ſect. 1.* vnde propriè eſt ſpecialis malitia formalis. Malitia verò contraria Charitati Dei, ſolùm eſt circumſtantia generalis incluſa in omni peccato, niſi contingat hominem peccare mortaliter eo tempore, quo aliunde ex ſpeciali titulo & obligatione Charitatis Dei tenebatur Deum ſuper omnia diligere; tunc enim peccatum illud ex circumſtantia temporis haberet ſpecialem malitiam contra Charitatem Dei; vnde tunc hæc circumſtantia non eſſet generalis, ſed valdè ſpecialis, & haberet propriam, ac ſpecificam deformitatem. Præterea idem dico cum eadem proportione de malitia contra Charitatem propriam, & Miſericordiam; nam per ſe loquendo quoties homo mortaliter peccat, non committit ſpecialem malitiã contra Charitatem propriam & Miſericordiam, ſed tantùm generali quadam ratione. At verò ſi in illo ſpeciali tempore, pro quo obligat hominem præceptum Charitatis propriæ & Miſericordiæ ad prouidendum animæ ſuæ, & cauendum periculum æternæ mortis, ipſe de nouo mortaliter peccaret, & ex circumſtantia temporis haberet peccatum illud ſpecialem malitiam; quia tunc illa iam non eſſet generalis circumſtantia, ſed ſpecialis, addens peculiarem malitiam. Neque enim ratio Charitatis proprię & Miſericordiæ obligat hominem ſemper, & pro ſemper ſpeciali obligatione, vt non ſe priuet gratia, ſicut obligat in articulo mortis ad reparandam illam: Ratio eſt, quia non ſemper eſt homini æquè neceſſarium eſſe in gratia, neque æquè periculoſum cadere ab illa. Quare ſicut ex vi Charitatis propriæ & Miſericordiæ, non obligatur peccator ad agendam ſtatim pœnitentiam, & deſerendum illum ſtatum, ſed ſolùm quando vel extrema articuli mortis, vel grauis eius periculi neceſſitas ita vrget, vt damnum fiat moraliter irreparabile: ita etiam ex hoc præciſo titulo Charitatis propriæ, & Clementię, non inducitur ſemper & in omni tempore ſpecialis obligatio non peccandi, vel non amittendi gratiam, niſi quando ratio & tempus ſpecialis neceſſitatis occurrit articuli, vel periculi mortis; atque ideò nec incurritur ſpecialis malitia, ſed tunc ſolùm imminente articulo, vel periculo mortis.

DISPVTATIO XIV.

De Contritione imperfecta, quæ Attritio dicitur.

ATTRITIONEM, de qua ſumus acturi, appellat Concilium Tridentinum *ſeſſ. 14. c. 4.* Contritionem imperfectam: & meritò, quia Attritio ſignificat dolorem peccati, non perfectum, qualis eſt Contritionis, cuius perfectionem non attingit, ſed alium omnem dolorem inferiorem, qui ad gratiam diſponendam & obtinendam deſeruire poſſit. Cognitã autem & declaratã in ſuperioribus Diſputationibus naturã & effectibus Contritionis perfectæ, facile erit in hac diſputatione ea omnia quæ ſpectant ad Attritionem explanare; Quam, eſſe actum virtutis pœnitentiæ ſaltem imperatum, nemo ambigere poteſt, cùm conſtet ex Tridentino citato, cum Sacramento diſponere ad iuſtificationis gratiam accipiendam.

SECTIO

SECTIO I.

An omnis Attritio ſit quoad ſubſtantiam ſupernaturalis?

1 NOmine Attritionis nõ intelligimus omnem & quẽ-nis dolorem peccati imperfectum, ſic enim comprehenderet dolorem naturalem peccati ex motiuo honeſto naturali, quem dari poſſe negari non poteſt, iuxta ea quæ ſupra diximus *diſp. 4. ſect. vltim.* Neque enim meretur in præſenti nomẽ Attritionis niſi illa deteſtatio peccati, quæ hominem ad gratiam ſuſcipiendam diſponit, ex ſe quidẽ, ſeu ſolitarie ſumpta remote & inſufficienter; cum Sacramento autem, ſufficienter. Vnde Tridentinũ citatum hoc totum tribuit Contritioni imperfectæ, quę dicitur Attritio; & præter hanc nullam aliam deteſtationem agnoſcit, quæ mereatur Attritionis nomẽ. Atque in hoc ſenſu nos de Attritione ſemper agemus, de omni illa nimirùm deteſtatione, quæ vna cum Sacramento præparat, & diſponit ad iuſtificationem quam ſolam appellamus Attritionem, & non de alia quauis deteſtatione, quæ per ſe non conducit, nec vllo modo diſponit ad gratiam ſanctificantem, atque ideò non attingit gradum Attritionis, nec eſt, nec dicenda eſt vera Attritio.

2 Et quidem Attritionem eſſe ſupernaturalem tantùm quoad modum defendunt nonnulli Recentiores. *Primò*, quia gratia actualis non prærequirit diſpoſitionem aliquã ſupernaturalem quoad ſubſtantiam; ergo neque habitualis ſimilem exiget diſpoſitionem.

Secundò, facienti quod in ſe eſt, Deus non denegat gratiam, vt tenet commune Theologorum proloquium, ſed hoc nequit intelligi de faciente quod in ſe eſt, viribus gratiæ, ſed naturæ: ergo actus naturales ſupernaturales tantùm quoad modum poſſunt diſponere ad dona gratiæ ſupernaturalia; & per conſequens Attritio licèt ſit naturalis in entitate, poterit nihilominùs peccatorem diſponere, Deúmque mouere, vt illi conferat gratiam habitualẽ.

Tertiò, poſſunt fieri actus Contritionis viribus diuinis & gratiæ, quin ſint intrinſecè ſupernaturales, nam Angelus exigit fieri ſolis viribus diuinis: ergo.

Vltimò, auxilia gratiæ non ſunt neceſſaria ad actus virtutum quoad ſubſtantiam, ſed quoad modum; ergo inde non deducitur, Attritionem eſſe ſupernaturalem in entitate, quin fiat ex auxilio gratiæ. Antecedens conſtat ex Tridentino, & aliis Conciliis, quæ ſtabilientia neceſſitatem gratiæ ad agendos virtutum actus, notanter adiungunt prout oportet ad ſalutem agendos gratiam neceſſariam eſſe. At hæc adiectio notat ſolùm quoad eum modum agendi, prout oportet ad ſalutem, non quoad ſubſtantiam actuum, ab eo modo ſeparabilem gratiam eſſe neceſſariam.

3 Communior Theologorum ſententia affirmat Attritionem eſſe in ſua entitate ſupernaturalem. Id certum exiſtimat Suar *in hoc 4 to. diſp. 20. ſect. 1. n. 8. & 9.* Probatur præcipuè ex Concilio Arauſicano *c 6. Mileuitano c. 4.* & maximè ex Tridentino *ſeſſ 14. c. 4* vbi imperfectam Contritionem, quæ Attritio dicitur, & diſponit hominem ad gratiam vnà cum Sacramento Pœnitentiæ impetrandam, dicit, eſſe donum Dei, & Spiritus Sancti impulſum; ergó eſt ſupernaturalis quoad ſubſtantiam. Patet Conſequentia. Tum quia eodem ferme modo loquuntur Concilia prædicta de actibus Fidei. Spei, & Charitatis, ex quibus locutionibus deducunt Theologi, eiuſmodi actus eſſe entitatiuè ſupernaturales: ergo abſque idoneo fundamento negabitur talis ſupernaturalitas Attritioni; quandoquidem in Conciliis non minùs firmum habet fundamentum. Tum quia donum Dei, & Spiritus Sancti impulſus in ordine ad iuſtificationem neceſſe eſt, vt ex principiis gratiæ proueniat. Vnde in Concilio Arauſicano *c. 2.* definitur, voluntatem efficacem, quà volumus purgari à peccatò, eſſe in nobis ex Spiritus Sancti inſpiratione: & *c. 6.* deciditur, nihil quod ad ſalutem vitæ æternæ pertineat, poſſe fieri ſine gratia; ergo prædicta Attritio eſt ſupernaturale donum Dei, & opus diuinę gratiæ, non naturæ. *Secundò*, diſpoſitio ad formam ſemper debet eſſe proportionata, & eiuſdem ordinis cum forma, à quocumque agente introducatur, vt ſic connaturaliter præparet & accommodet ſubiectum; ergo cùm Attritio diſponat in Sacramento Pœnitentiæ ad gratiam ſupernaturalem ſanctificantem, debet eſſe in ſua entitate ſupernaturalis. Quòd ſi hæc diſpoſitio conſideretur quoque vt remouens contrarium obicem peccati, etiam ex hac parte requirit vt ad ordinẽ ſupernaturalem pertineat, quia peccatum mortale, etiam à fine & ordine ſupernaturali hominem auertit. Firmatur, nam omnes alię formæ ſupernaturales prærequirentes in ſubiecto aliquam diſpoſitionem, vel quaſi diſpoſitionẽ illam poſtulant ſupernaturalem: ſic enim amor ſupernaturalis ſupponit cognitionem ſupernaturalem Fidei; & Fides ſupernaturalis, piam affectionem ſupernaturalem; & concluſio ſupernaturalis, præmiſſas eiuſdem ordinis; ergo cùm gratia ſanctificans prærequirat in adulto cum Sacramento aliquem ſaltem actum Attritionis, vti diſpoſitionem, fatendum eſt talem actum debere eſſe in entitate ſupernaturalem. *Tertiò*, Attritio meretur de congruo primã gratiam iuſtificantem, vt communiter docent Theologi in materia *de Merito*; ergo debet eſſe ſupernaturalis quoad ſubſtantiã. Patet Conſequentia quia ſi eſſet naturalis, nullam haberet proportionẽ & congruitatẽ cũ tanto præmio. Tum etiam quia meritum habet connexionem cum pręmio; res autem naturalis nequit connecti cum ſupernaturali, nam eo ipſo quòd talem habeat connexionem, iã eſt ſupernaturalis. Videatur Martinez de Ripalda qui *tota diſp. 17.* latiſſimè probat, nullum actum naturalem poſſe mereri adhuc de congruo aliquid ſupernaturale. *Vltimò*, omnis actus ſalutaris, hoc eſt diſponens ſaltem remotè ad iuſtificationem eſt intrinſecè ſupernaturalis; ergo & Attritio quæ eſt actus ſalutaris, vt conſtat. Conſequentia optima eſt: Antecedens probatur, quia in actum ſalutarem conueniunt præcipua capita, ex quibus aliorum actuum virtutum Theologicarum Fidei, Spei, & Charitatis intrinſeca ſupernaturalitas deprehẽditur; ergo eſt ſupernaturalis in intrinſeca entitate, & ſubſtãtia. Probatur Antecedens, quia inprimis adeſt connexio cũ gratia iuſtificante: nam hæc connexio in aliis actibus Theologicis inde ſolum colligitur, quòd in peccatore rationem diſpoſitionis, aut impetrationis conſequãtur. At omnis actus ſalutaris eandem impetrationis, aut diſpoſitionis moralis rationem conſequitur: nam cum actum moraliter ſalutarem cenſemus, qui aliqua morali cauſalitate, nempe diſpoſitiua, aut impetratoria hominem promouet in ſalutẽ. Prætereà adeſt neceſſitas gratiæ auxiliantis, & impotẽtia antecedens naturæ ad actum ſalutarem eliciendum, quia nequit fieri niſi ex impulſu, ſeu inſpiratione ac illuſtratione Spiritus Sancti, & ex auxilio gratiæ: ergo aut nullus actus Theologalis arguitur intrinſecè ſupernaturalis ex neceſſitate gratiæ, & impotentia naturæ; aut omnis actus ſalutaris ſimiliter arguendus eſt. Quandoquidem eadem loquendi ratione tradunt Sacræ Litteræ, Concilia, & Patres neceſſitatem gratię auxiliantis, & impotẽtiam naturę ſecundùm ſe ad actum ſalutarẽ in genere, atque ad actum Fidei, Spei, & Charitatis: ergo eadem conſecutione, aut omnis actus ſalutaris in genere aſſerendus eſt intrinſecè ſupernaturalis, aut nullus Theologicus actus intrinſecè ſupernaturalis eſt adſtruendus. Etenim Patres, & Concilia non meminerunt actuum ſupernaturalium quoad ſubſtantiam, aut quoad modum, ſub his vocibus ſed ſolummodò actuum exigentium vires gratiæ ſuperiores facultate naturæ. At cùm Patres & Concilia differunt de actibus ſupernaturalibus, loquuntur de illis

Digitized by Google

quoad neceſſitatem gratiæ, & impotentiam naturæ, eodem modo quo de actibus Fidei, Spei, & Charitatis: ergo omnes actus ſalutares & conſequenter Attritio ſine vllo diſcrimine adſtruendi ſunt intrinſecè ſupernaturales.

4 Ad argumenta oppoſita. Ad primum, negatur Conſequentia, eſt enim diuerſa ratio; nam in gratia actuali ſequeretur proceſſus in infinitum, non verò in habituali. Adde diſpoſitionem ex parte noſtri ad dona ſupernaturalia fundari in quadam congruentia prouidentiæ moralis, cui valdè conſonum eſt, vt ille qui ad dona ſupernaturalia poteſt ſe diſponere propriis actibus ad illa proportionatis, hoc præſtet. Attamen ad recipiendam primam gratiam actualem auxiliatricem, nihil ſupernaturale poteſt ante illam natura rationalis efficere, quia eſt omnium prima in ordine gratiæ ſuperno.

Ad ſecundum, vno verbo dico, Axioma illud intelligendum eſſe de agente, quod in ſe eſt viribus naturæ; non quia opera honeſta naturæ poſitiuè quidpiam conferant, ad accipiendam ſupernaturalem gratiam, ſed tantùm negatiuè, hoc eſt quia non impediunt peccatis gratiam à Deo paratam.

Ad tertium negatur Antecedens: nam actus ſalutares fiunt intrinſecè ſupernaturales, non quia fiant viribus diuinis quouis modo, ſed quia fiunt viribus diuinis indebitis exigentiæ totius naturæ. At Angelus non fit viribus diuinis indebitis exigentiæ totius naturæ: nam Angelus continetur in ambitu naturæ, & exigentiæ ipſius Angeli debitæ ſunt vires, quibus efficitur à Deo.

5 Ad vltimum dico, modum agendi actus, prout oportet ad ſalutem, eſſe modum ſubſtantialem & intrinſecum actui; atque ideò auxilia gratiæ eſſe neceſſaria ad actum virtutis quoad modum ſubſtantialem & intrinſecum actui. Concilia autem adiungunt notanter eum modum, non quia poſſit eſſe ſubſtantia actus, in quem influit gratia ſine illo modo, ſed quia opinione Theologorum ſunt alij actus virtutum naturalium circa eadem obiecta materialia, eliciti ſine gratia, qui non ſunt eiuſdem modi ſubſtantialis, ſeu eiuſdem differentiæ ſubſtantialis, atque adeò conſultum fuit notare, quonam differentiæ entitatiuæ modo eſſe debeant actus, in quos gratia requiritur, nempe ſalutares? ſicut cùm dicimus, Deum prout bonum noſtrum eſſe obiectum formale Spei, & prout in ſe bonum obiectum formale Charitatis; certè per has voces Deo adiunctas nolumus ſignificare, bonitatem conuenientem nobis vel Deo eſſe modos contingentes naturæ diuinæ, ſed ex perfectionibus ſubſtantialibus Dei declaramus quales ſint, quæ ſunt obiectum formale harum virtutum: ſimiliter igitur gratia influere dicitur in actus virtutum, prout oportet ad ſalutem, non quia per has voces, prout oportet ad ſalutem, ſignificetur modus aliquis extrinſecus ſuperueniens entitati ſpecificæ actuum virtutis, ſed quia ex duabus actuum ſpeciebus quæ circa idem obiectum materiale verſantur, aliorum ſalutariū, & aliorum non ſalutarium, exprimi opus fuit, in ſolos actus intrinſecè ſalutares, ſeu ſecundùm entitatem propriam & ſubſtantiam ſupernaturales auxilium gratiæ requiri,

SECTIO II.

Quid & quotuplex ſit Attritio?

1 Circa primum, quid ſit imperfecta Contritio, ſeu Attritio, dico, Attritionem eſſe efficacē deteſtationem proprij peccati ex aliquo motiuo ſupernaturali virtutis, quod non ſit Deus, quatenus eſt ſummum bonum. Expenduntur partes huius deſcriptionis. Dicitur efficax deteſtatio, quia ſaltem virtualiter includere debet propoſitum non peccandi in poſterum, quod neceſſarium quoque eſt ad obtinendam iuſtificationem intra Sacramentum, iuxta Tridentinum adſcribens prædictum propoſitum Contritioni perfectæ, & imperfectæ. Præterea verſari debet circa proprium peccatū perſonale commiſſum; nam ſicut de peccato committendo alieno, aut originali, non poſſumus habere Contritionem, quâ iuſtificemur extra Sacramentum; ita neque de eiſdem Attritionem habere poterimus, quâ intra Sacramentum iuſtificationem obtineamus. Rursùs quòd debeat eſſe ex motiuo ſupernaturali, conſtat ex generali principio actuum Attritionis ita ſupernaturalium, vt ad illos efficiendos gratia excitans & adiuuās ſimpliciter neceſſaria ſit, & motiuum quoque ſupernaturale. Denique additur illa vltima pars, quia non poteſt niſi per eam negationem ratio Attritionis declarari, nec aliter explicari differentia eſſentialis inter illam, & Contritionem propriè dictam, cuius formale motiuum eſt Deus. Vnde nec poteſt quoque propria conuenientia variarum Attritionum exprimi, niſi per dictam negationem, nimirùm quòd non attingat perfectiſſimum motiuum Contritionis, ſed aliud motiuum inferius.

Circa ſecundum: cùm Attritionis formale motiuum ſit ſpecie multiplex, vt patebit ex dicendis *ſect. ſequenti* 2
atque ideò neceſſariò Attritionem quoque ſpecie multiplicem eſſe, dicendum eſt cum communi ſententia, Attritionem adæquatè diſtribui in illam, quæ eſt ex metu pœnæ, cùm quis deteſtatur culpam, quatenus eſt cauſa pœnæ, & in illam, quæ eſt de peccato, quatenus in ſe malum eſt, & non eſt propter ſupremam malitiam quæ in ipſo eſt, ſeu propter Deum ipſum ſecundùm ſe: quæ dicitur eſſe Attritio de peccato propter turpitudinem, ſeu fœditatem eius. Ad hæc duo capita reducuntur omnes Attritiones, atque ideò adæquatè diſtribuitur Attritio in hæc duo membra prædicta. Id ſatis firmatur auctoritate Trid. *ſeſſ.* 14 *c.* 4. vbi conſtituit diuiſionē Contritionis imperfectæ, ſeu Attritionis, in eam quæ eſt ex turpitudinis peccati conſideratione, & in eam quæ ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur. Ex quibus verbis Concilij quoniam doctrinalia ſunt, manifeſtè infertur diuiſionem iſtam non ſolùm cōgruam eſſe, ſed etiam adæquatam. Neque enim Conciliū cùm generalem doctrinā tradat, aliam omiſiſſet, ſi daretur. Ratione etiam probatur, quia duplex tantùm eſt malum, pœnale ſcilicet, vel morale; aut ergo deteſtatio eſt propter malū pœnæ; & ſic conſtituit primū membrum, ſeu genus Attritionis: aut eſt propter malū culpæ, ſeu morale; & hoc nequit eſſe ſupremū malum culpæ, ſeu ſuprema malitia culpæ quatenùs contraria eſt ipſi bono diuino ſecundùm ſe, & amori eius; quia circa hāc verſatur vera & realis ſola Contritio perfecta; debet ergo eſſe quodlibet aliud malum, ſeu quælibet alia malitia moralis inuenta in peccato, quatenus diſcordat à regula rationis: & hæc eſt Attritio quæ generaliter dicitur eſſe propter turpitudinem, vel fœditatē peccati; & ſic conſtituit aliud membrū Attritionis, quod genericum eſt, varias ſub ſe continens Attritiones ſpecie diuerſas, iuxta varias deformitates, quæ vel in diuerſis peccatis, vel in eodem ſecundum diuerſas rationes & habitudines ineſſe poſſunt. Igitur Attritio adęquatè diſtribuitur in illam, quæ ex peccati turpitudine, & in illam quæ ex pœnarum metu concipitur.

Obiicies: poteſt dari vna & eadem Attritio, quæ ſimul 3
deteſtetur peccatum propter eius fœditatē, & quia eſt inductiuū pœnarum in hac & alia vita à Deo infligendarū; ergo partitio Attritionis adducta non eſt adæquata. *Reſp.* negando Antecedēs: nā Attritiones ſpecie multiplicantur iuxta multiplicitatem motiuorum, vt dicemus *ſectione ſequenti*; cùmque illa ſint motiua valdè ſpecie diuerſa, nequeunt ſpecificare vnum & eandē ſpecie Attritionē. Addo, etiamſi Antecedens concedatur, negandam eſſe Conſequentiam; quia illa Attritio mixta, ſi talis daretur, contineretur immediatè ſub vtroque membro adducto diuidente Attritionem in communi vt ſic. Nam Attritio ob pœnarum metū præſcinderet ab illa, quæ eſt tantùm ob pœnarum metum, & ab illa quæ eſt ſimul ob pœnarum

metum,& ob peccati turpitudinem; ac proinde in eaſdẽ Attritiones diſtribueretur. Idẽ dico de alio membro Attritionis, quæ conciperetur ob peccati turpitudinem, proportione ſeruata.

Inſtabis, inde fieri Attritionem mixtam contineri im-
4 mediatè ſub duplici genere diſparato, quod videtur abſurdum: Sequela probatur, quia membra illa quæ contrahunt Attritionem vt ſic, non ſubalternantur inter ſe. *Reſpondeo*, datâ illâ ſuppoſitione, concedendam eſſe Sequelam: nec video inde aliquod abſurdum; Imò illud eſſe neceſſariò concedendum in plerique aliis rebus docent nõ pauci, & meritò. Nã id negari nõ poteſt de actu ſimul practico & ſpeculatiuo Fidei, & viſionis beatæ. Præterea amor Dei continetur ſub genere virtutis Theologicæ, & ſub amore præſcindente ab amore Dei & creaturarum; quod eſt aliud genus diſparatum; quia hoc nec continetur ſub virtute Theologica, neque virtus Theologica ſub amore vt ſic, quia non omnis virtus Theologica eſt amor, vt videre eſt in Fide, & in viſione beata. Idem cernere licet in ipſa viſione beata, quæ continetur ſub genere viſionis, & ſub genere actus ſupernaturalis, æque immediatè ſub vtroque; quæ genera etiam ſunt diſparata & nullo modo ſubordinata, vt patet conſideranti. Neque hæc doctrina eſt contraria Ariſtoteli *in Prædicamentis, c.3.* dicenti, ſpecies, quæ ſub duplici genere diſparato, ſeu non ſubordinato continentur, eſſe diuerſas, atque adeò non poſſe vnicam eſſe ſub duplici genere immediatò. Nã Ariſtoteles ſolùm locutus eſt de generibus adæquatis, de quibus certum eſt nõ poſſe eſſe duo adæquata reſpectu vnius ſpeciei, ſicut hinnibile v.g. tantùm eſt ſub vnico genere infimo, ſcilicet animali. At genera, ſub quibus continetur vnica ſpecies in exemplis allatis, non ſunt adæquata, quodlibet ſeorſim, reſpectu ſpeciei, ſed ex vtroque reſultat vnum genus integrum: ex genere v.g. practici, & genere ſpeculatiui reſultat vnicum adæquatum genus reſpectu actus practici ſimul & ſpeculatiui: ex genere etiam viſionis & ex genere ſupernaturalis reſultat vnicum adæquatum genus reſpectu viſionis beatæ, quæ ſimul eſt viſio ſupernaturalis: denique ex genere virtutis Theologicæ, & ex genere amoris vt ſic reſultat vnicum adæquatum genus reſpectu amoris Dei qui ſimul eſt amor Theologicus. Quare ſicut duplex differentia non adæquata, ſed inadequata cõponit vnicam ſpeciem, ita duo genera nõ adæquata, ſed inadequata componunt vnum genus integrum reſpectu ſpeciei.

Vrgebis adhuc: ſi admittatur, vnam differentiã vnius ſpeciei eſſe ſub duplici genere, eſſe quoque admittendum, illa genera eſſe mutuò differentiam, vnum reſpectu alterius: quia v.g. genus practici erit differentia reſpectu generis ſpeculatiui, & è contrario. Quod videtur abſurdum, quia nequeunt duo genera mutuò ſibi eſſe ſuperiora. *Reſpondeo*, negando illam Sequelam, quia illa duo genera non ſe inuicem contrahunt, ac proinde nequeunt eſſe mutuò differentia; ſolùm enim vtrumque contrahitur per ſuam differentiam inadæquatam, & partialem, in quo nullum eſt abſurdum.

SECTIO III.

Quæ & qualia ſint omnia Attritionis motiua?

1 CIrca primum, ad duo capita reducuntur motiua Attritionis nimirùm ad metum gehennæ & pœnarũ, & ad turpitudinem peccati: nam hæc duo expreſſit Tridentinum *ſuprà*, agens de motiuo propter quod communiter concipitur Attritio. Vnde omnia motiua meo iudicio facilè ad hæc duo reduci poſſunt: nam deſideriũ beatitudinis, vel aliorum donorum videtur comprehendi ſub timore gehennæ, & pœnarum, quia idem eſſe videtur, timere carentiam alicuius boni, ac deſiderare illud. Præterea quæcumque alia malitia, propter quam deteſtemur peccatum, (exceptâ deteſtatione peccati per Contritionem,) comprehendi etiam videtur in turpitudine peccati, vt dicetur. Igitur cùm omnis Attritio ſit vel propter metum pœnarum, vel propter peccati turpitudinem, manifeſtum eſt motiua omnia Attritionis ſub prædictis duobus comprehendi. Vnde infero horum formalium motiuorum, ac proinde Attritionum ſpecie diſtinctarum maximum eſſe numerum.

Dices, Tridentinum loquens de prædictis motiuis dixiſſe illam particulam, *Communiter*, quâ videtur exprimere regulariter eiuſmodi eſſe motiua Attritionum; quo planè ſignificatur, dari alia motiua quæ non ſunt ordinaria. Non igitur omnia motiua ad prædicta duo reducuntur. *Reſpondeo*, cùm Tridentinum generalem tradat doctrinam Attritionis, non eſſe concedendum omiſiſſe aliquod motiuum illius, ſed omnia comprehendiſſe ſub illis duobus motiuis generalibus: addens autem illam particulam *communiter*, ſolùm innuere videtur, regulariter loquendo, non concipi Attritionem ex peculiarium pœnarum metu, neque ex ſpecialibus peccatorum turpitudinibus, ac deformitatibus, ſed ex metu pœnæ, & peccati turpitudine in genere. Quod videtur manifeſto comprobari experimento.

Circa ſecundum, qualia ſint prædicta motiua, ſeu quid includatur in ſingulis illis? explicandum eſt. 2

Quod attinet ad motiuum gehennæ & pœnarum, dico *primò*, cum communi Doctorum ſententia, pœnam gehennæ, de qua explicitè loquitur Tridentinum, includere tam pœnam ſenſus inferni, quàm pœnam damni; vt per ſe eſt manifeſtum, & vtramque eſſe motiuum Attritionis. Nomen verò aliud, *pœnarum*, quæ etiam ſunt motiuum explicare alias pœnas temporales quæ ſolet Deus infligere peccatoribus vt reſipiſcant. Patet; quia de his agere planè videtur Tridentinum, quia eas diſtinguit à Gehenna, ac proinde ab alterius vitæ ſupplicio æterno. Vnde Pœnarum nomine videtur in particulari comprehendi pœna Purgatorij, cuius terrore poteſt non ſolùm de venialibus dolere homo, ſed etiam de mortalibus, quæ poſt iuſtificationem Purgatorij pœna puniuntur. Quare non placet Vaſquez *3. p. q. 92. a. 1. dub. 3.* vbi videtur exigere ſemper aliquod motiuum æternum ad veram Attritionem. Eodem modo ſentio pœnarum nomine intelligi debere peſtem, bellũ, aliudve damnum temporale, quo Deus ſolet punire peccata etiã in hac vita; id enim omne poteſt eſſe motiuũ Attritionis. Quod manifeſtè videtur eſſe iuxta mentem Tridentini: nam adducitur ibi in exemplum, pœnitentia Niniuitarum, quæ concepta fuit ob metum excidij ſuæ ciuitatis, quod Deus per Ionam comminatus fuerat, illis verbis, Ionæ *c.3. Adhuc quadraginta dies & Niniue ſubuertetur*: ſubuerſio autem vrbis pœna erat temporalis, ſicut eſt peſtis, bellum, & ſimilia. Et ratio eſt, quia ſicut Deus comminatur pœnas æternas, ſic etiam comminatur pœnas huius ſæculi, ad terrendos homines: ergo eiuſmodi motiuum bonum eſt & honeſtum ſufficiens ad veram Attritionem.

Dico *ſecundò*, prædictas pœnas temporales huius vitæ, vt moueant ad Attritionem, non eſſe conſiderandas, vt quidpiam humanum, & naturale, & virtute cauſarum naturalium effectũ, ſed vt ſunt ſuppliciũ à Deo inflictũ, indicans nobis irã eius, & quodãmodò inchoans diuinũ ſuppliciũ, niſi emẽdemur. Ita optimè notauit Suar. *diſp. 5. ſe. 2.* ad finẽ. Et ratio eſt quia ſub illa priori ratione nequeunt mouere ad ſupernaturalẽ Attritionẽ; benè verò ſub hac poſteriori cõſideratione. Vnde qui deteſtaretur 3

Digitized by Google

peccata ob ægritudines, infamiā nimiā paupertatē provt à Deo infligi ſolent propter peccata; veram Attritionem conciperet, cuius obiectum formale & motiuū non erunt prædictæ pœnæ, ſed bona illis oppoſita, nempe ſalus, honor, diuitiæ, non vtcumque cōſideratæ, ſed quatenus Deus ea elargitur in præmium virtutis, & provt ad beatitudinem conducere poſſunt, & interdum ſolent. Sic enim ſimiliter ſperare à Deo bona temporalia ſub aliqua habitudine ad vitam æternam ex ſpeciali, ac ſupernaturali Dei prouidentia, ſpectat ad virtutem Spei ſupernaturalis Theologicæ.

4 Dico *tertiò*, infamiam merè humanam, & in vniuerſum quamcumque pœnam provt à iudice humano infligendam, non eſſe motiuum Attritionis. Patet, quia Attritio cùm ſit ſupernaturalis, non debet eſſe dolor de peccato vtcumque, ſed cum aliquo reſpectu ad Deum. Quando ergo apprehenditur illa infamia, vel quæuis alia pœna provt prouenit à Deo, iam ille dolor eſt timor Dei potentis infligere illas & alias pœnas, & per conſequens retractatio peccati ex illo timore eſt quædam cōuerſio ad Deum, non ex amore, ſed ex timore. At ſi ſolus ſit dolor de peccato propter pœnam, provt ab humano Iudice inflictam, vel infligendam, ille actus nullo modo eſt Attritio, cùm non procedat ex timore Dei vllo modo, ſed ex timore humani Iudicis.

5 Dico *vltimò*, Attritionem procedentem ex timore gehennæ, & pœnarum tanquam ex motiuo, & proximo fine, eſſe honeſtam, & ſupernaturalem. Id conſtat teſtimonio Tridentini: vbi ponderanda eſt particula Ex gehennæ, & pœnarum metu, ex qua procedit Attritio: nam in rigore illa particula, *ex*, idem ſignificat, ac *propter*; & exprimit proprium, ſeu proximum motiuum, & finalem cauſam. Ratio verò eſt, quia in illo modo operandi intentio finis bona eſt ex obiecto ſuo, eſt enim voluntas fugiendi pœnam ex ſe odio dignam, medium quoque nimirùm deteſtari peccatum, etiam eſt ex obiecto honeſtum, vt per ſe conſtat; denique ordinare tale medium ad illum finem eſt intrinſecè bonum; quia illud medium eſt proportionatum: ſicut enim pœna non debetur niſi propter culpam, ita nullum mediū eſt aptius ad vitandam pœnam, quàm vitare culpam. Et quamuis culpa ſit malum altioris ordinis, quàm pœna; non ideò inordinatum eſt ordinare deteſtationem peccati ad fugam pœnæ; quia ille eſt finis proximus, & non excludit finem vltimum, qui eſt Deus, ad cuius gloriam totum hoc referibile eſt, & quamdiu non excluditur, ex ſe in illum tendit. Vnde tametſi honeſtum non ſit referre maius bonum in minus, tanquam in vltimum finem; ſecùs verò eſt, ſi totum hoc, nempe maius bonum in minus relatū ſit vlterius referibile, & virtualiter referatur in Deum tanquam in vltimum finem. Sic Chriſtus Dominus honeſtè retulit ſua merita in noſtram ſalutem, & nos offerimus ſacrificium Miſſæ, vt bonum aliquod temporale conſequamur. Quare licèt deteſtans culpam ob pœnam, cenſeatur referre carentiam culpæ, quod eſt maius bonum, in carentiam pœnæ, quod eſt minus, non propterea inhoneſtè operatur, ſed valdè honeſtè, ac ſupernaturali modo. Quod denique manifeſtè conſtat ex Tridentino aſſerente Attritionem ex pœnarum metu eſſe Dei donum, & Spiritus ſancti impulſum. Tum etiam, quia propterea Deus deſignauit præmia bonis operibus, & ſupplicia malis; quia vult illorum ſpe, & horum formidine nos impellere ad benè operandum.

6 Hinc colligo, falſum omninò eſſe habentem dolorem, & Attritionem peccati ex metu gehennę in ea eſſe animi præparatione, vt ſaltem includat hunc affectum conditionatum; Si peccato non eſſet pœna gehennæ impoſita, nunquam illud deteſtarer: nam hoc eſt malum, & culpabile; & motiuum illud gehennæ non eſt in illo actu vt finis vltimus, in quo affectus ſiſtat ſuper omne amabile, quod in illa conditionali ſignificatur, ſed eſt tantùm finis proximus. Quare ſicut in actu ſupernaturali amoris concupiſcentiæ procedente ex virtute ſupernaturali Spei, quo iuſtus vult adimplere diuina mandata propter retributionem beatitudinis æternæ, non includitur, nec virtute illa conditionalis; Si non ſperarem à Deo retributionem æternam, non adimplerem illius præcepta; ita neque ſimilis conditionalis affectus virtute includitur in deteſtatione peccati propter gehennæ pœnam.

7 Quod attinet ad aliud motiuum turpitudinis peccati: Breuiter dico *primò*, motiuum turpitudinis peccati provt opponitur regulæ rationis in ordine ad conuictum humanum, non ſufficere ad formalem rationem Attritionis. Patet, quia ſicut non ſufficit ad veram Attritionem, conſiderare peccatum vt cauſatiuum pœnæ apud humanum Iudicem, vt *ſuprà* probatum eſt, quia illud motiuum non facit hominem conuerti ad Deum, ſed ad iudicem, quem timet; ita non ſufficit conſiderare peccatū provt præcisè opponitur regulæ rationis in ordine ad conuictum humanum, quia illud motiuum non conuertit hominem ad Deum, ſed ad conuictum humanum; atque adeo per illum dolorem nullo modo tollitur auerſio à Deo poſita per peccatum.

8 Dico *ſecundò*, neque motiuum turpitudinis peccati provt oppoſitæ mero rationali naturæ, ſeu rectæ rationi naturali, ſufficere ad veram rationem Attritionis. Probatur ſimili argumento, quia cùm Attritio ſit ſupernaturalis, non ſufficit motiuum peccati naturale nempe motiuum turpitudinis provt oppoſitæ rectæ rationi naturali, quia eſt inferioris rationis, & ordinis improportionati.

9 Dico *tertiò*, motiuum Attritionis ob turpitudinem peccati, eſſe ob deformitatem illius in ordine ad regulam reuelatam, & ad rectam rationem vt eleuatam ad ordinem ſupernum. Ratio eſt, quia tunc eſt proportio inter actum ſupernaturalem Attritionis, & inter obiectum formale, ſeu motiuum fugæ, ac deteſtationis peccati. Firmatur, quia motiuum ſupernaturale in qualibet virtute infuſa, ſeu actu ſupernaturali illius ſumendum eſt per conformitatem ad regulam & rationem ſupernaturalem in propria materia; quia in vniuerſum ratio virtutis moralis, ſeu eius actus conſiſtit in hoc, vt in materia morali operetur ſecundum conformitatem ad rectam rationem; ergo ſicut quando illa conformitas ſumitur per comparationem ad meram rationem naturalem, virtus eſt adquiſita, & eius actus tam in proſecutione boni honeſti in tali materia, quàm in deteſtatione mali oppoſiti, eſt naturalis; ita quando illa conformitas ſumitur per comparationem ad regulam reuelatam, & ad rectam rationem vt eleuatam ad ſupernaturalem ordinem, tunc virtus infuſa, & eius actus tam in proſecutione boni, quàm in fuga, & deteſtatione mali eſt ſupernaturalis; & hæc eſt Attritio, cuius motiuum dicit Tridentinum eſſe ex turpitudine, ſeu fœditate peccati, provt nimirùm oppoſita eſt alicui honeſtati ſupernaturali, & ipſi rationi eleuatæ in aliqua peculiari materia alicuius virtutis ſupernaturalis.

10 Hinc colligo *primò*, deteſtationem peccati, quatenus eſt iniuria in Deum ex motiuo iuſtitiæ, ſeu ex ratione ſpecifica virtutis ſupernaturalis Pœnitentiæ, comprehendi ſub Attritione, quæ eſt ob turpitudinem, ſeu fœditatem peccati: nam inæqualitas illa, & iniuria quam conſtituit peccator in ordine ad Deum, ſeu eius diuinum ius eſt quædam eius ſpecialis turpitudo, & deformitas, ob quam peccatum eſt deteſtabile, quamuis non ſit ſuprema ratio deteſtandi illud.

11 Colligo *ſecundò*, idem dicendum eſſe de ſpeciali ratio-

tio

Digitized by Google

tione inobedientiæ, irreuerentiæ, ſeu ſacrilegij, ingratitudinis, & ſimilium, prout per illas opponitur homo ſupernaturali obedientiæ, religioni, gratitudini, & aliis ſimilibus; nimirùm has omnes fœditates eſſe, & turpitudines peccati ſpecie diuerſas; ac diuerſis ſupernaturalibus ſpecie Attritionibus odio haberi, ac deteſtari; & has omnes comprehendi ſub illo genere Attritionis, quæ eſt ex motiuo turpitudinis peccati. Patet propter eandem rationem.

13 Colligo *vltimò*, ſi quis de peccato commiſſo doleat propter peccati turpitudinem in genere, eum dolorem, ac deteſtationem non poſſe vllo modo eſſe Attritionem. Ratio eſt, quia eſt neceſſariò in entitate naturalis; nam ſupernaturalis eſſe non poteſt, cùm non habeat vllum obiectum formale, vel motiuum ſupernaturale: ſi enim aliquod haberet, haud dubiè eſſet honeſtas in genere illi turpitudini contraria, cuius honeſtatis amor, & complacentia aliqua in illo doloris actu includitur. At honeſtas in genere ſupernaturalis non eſt, cùm à ſupernaturali abſtracta ſit, ac per eam tanquam per ſpecificam differentiam contrahatur ad ſpeciem entis ſupernaturalis; ergo nequit Attritio, quæ eſt in entitate ſupernaturalis eam turpitudinem in genere ſumptam, vt oppoſitam deteſtari.

SECTIO IV.

Vtrùm Attritio includat propoſitum, ſiue formale, ſiue virtuale non peccandi de cætero?

1 Ratio dubitandi eſt *primò*, quia non apparet in Attritione quæ eſt ex motiuo pœnæ æternæ, concipi poſſe propoſitum vniuerſale non peccandi: nam ex timore pœnæ non poteſt homo velle non peccare, etiam eo caſu, quo non eſſet pœna, ſed ſolum quando eſt pœna.

Secundò, poteſt reperiri Attritio ex metu gehennæ, in qua non contineatur etiam implicitè, ſeu virtute tale propoſitum non peccandi de cætero; ergo nullo modo illud includit. Antecedens probatur, quia ſi quis cogitans ſecum acerbitatem inferni dicat: Ego mallem peccare mortaliter, quàm pati illas pœnas, peccat in hoc actu, & quidem hic homo poſtea dum habet Attritionem de ſuis peccatis ex metu inferni, non habet propoſitum etiam implicitum vitandi hoc peccatum: non enim videtur, quo pacto poſſit ex odio inferni moueri ad vitandum hoc peccatum: nam ſibi contradiceret, quia ex vna parte diceret, Volo vitare infernum omnibus modis, & ad hunc finem volo vitare omnia peccata; ex alia verò parte diceret, Volo potiùs pati infernum quàm peccare, quæ duo pugnant inter ſe; ergo ex illo motiuo inferni non poteſt proponere vitationem huius peccati.

Tertiò, qui dolet de peccato ex efficaci amore ſalutis æternæ, ſolùm habet virtualem voluntatem mediorum, quæ neceſſaria ſunt ad eandem ſalutem: ſed ad ſalutem, & ad ad vitandam damnationem non eſt medium neceſſarium vitare poſtea hoc peccatum hîc & nunc, ſufficit enim vel vitare illud, vel ſaltem poſtea delere illud per Pœnitentiam: ergo in illa deteſtatione non includitur propoſitum vitandi peccata in futurum, ſed vel vitandi, vel delendi poſtea per Pœnitentiam.

Quartò, ſi quis ſciret ſe eſſe prædeſtinatum ex reuelatione, hic ſaltem in dolore de peccatis ex metu gehennæ, non includeret virtualiter tale propoſitum. Patet, quia cùm ſciret ſe, ſi poſtea laberetur, deleturum tandem illa peccata per Pœnitentiam, non apprehendit, tanquam medium neceſſarium ad ſalutem, vitare peccatum ſubſequens, quia etiam ſi non vitet illud, non ſubit periculum damnationis.

Vltimò, Attritio non eſt deteſtatio peccati ſuper omnia; ergo non includit propoſitum vniuerſale non peccandi.

De hac re egi *ſuprà diſput.* 2. *ſect.* 7. cùm eandem difficultatem de actu Contritionis examinarem. Videantur ibi dicta. Modò circa præſentem quæſtionem, præmittendum eſt, duplicem eſſe Attritionem; alia enim eſt de peccatis ex motiuo aliquo vniuerſali comprehendente omnia peccata mortalia; vt ſi doleat homo de ſuis peccatis, propter pœnas inferni & carentiam beatitudinis, quæ correſpondet omni peccato mortali. Alia verò eſt, non ex motiuo vniuerſali, ſed ſpeciali, vt ſi doleat de Luxuria propter ſpecialem fœditatem & turpitudinem illius, quæ formaliter & expreſsè ad ſummum continet propoſitum non committendi Luxuriæ peccata. 2

Dico ergo *primò*, formale propoſitum vitandi peccata in futurum, per ſe loquendo, eſſe neceſſarium in qualibet Attritione, quæ eſt diſpoſitio ad gratiam cum Sacramento. Id eſt magis commune apud Doctores. Quod ſatis explicuit Tridentinum *ſeſſ.* 14 *cap.* 4. dicens, Attritionem ſufficere cum Sacramento, ſi voluntatem peccandi excludat. Quibus verbis ſatis innuitur propoſitum non peccandi de cætero eſſe per ſe neceſſarium. Idem dixi *loco citato*, *de Contritione*, innixus eidem Tridentino eodem citato loco dicenti de Contritione, deteſtationem eſſe de peccato commiſſo, cum propoſito nō peccandi de cætero. Rationes eædem ſunt; quia finis Pœnitentiæ eſt emendatio vitæ præteritæ, ad quod deſeruit prædictum propoſitum: debet quoque peccator ſe diſponere ad gratiam per Attritionem timore ſaltem ſeruili, obedientiali tamen ad implendam voluntatem Dei præcipientem, quod vix exerceri poteſt ſine prædicto formali propoſito: ac denique eiuſmodi propoſitum eſt valde proportiatum, ad impetrandam veniam iniuriæ in Deum commiſſæ. Nihil enim ad id videtur magis conſentaneum, quàm vt is qui intulit iniuriam, proponat omninò à ſimilibus iniuriis abſtinere. Dixi *per ſe loquendo*; nam per accidens ſufficit virtuale propoſitum quod includitur in ipſa Attritione, cum proportione; eodem modo quo idem dixi *ſuprà* de Contritione. 3

Dico *ſecundò*, in Attritione de peccato quæ eſt ex motiuo non ſpeciali, ſed vniuerſali, vt cùm quis dolet de illo propter pœnas inferni, ſæpe virtualiter includi propoſitum formale nōn peccandi de cætero, & ideò ſæpe non requiri vniuerſale propoſitum diſtinctum. Ratio eſt, quia prædicta Attritio ratione motiui vniuerſalis comprehendit omnia peccata mortalia, & ex alia parte eſt efficax deteſtatio peccati ex illo motiuo; ergo includit ſaltem virtuale propoſitum nunquam ſimile committendi: & hoc ſufficiet ſæpe per accidens; tametſi per ſe loquendo, neceſſarium ſit propoſitum formale vitandi de cætero, quia reuera tale propoſitum eſt per ſe loquendo, neceſſarium ad habendam veram pœnitentiam, & Attritionem de tali peccato. Vnde fit, vt ſi quis ſciens & videns confiteatur de huiuſmodi peccato ſine tali propoſito, & in ea diſpoſitione velit abſolutionem recipere, ſine dubio grauiter peccet, & conſequenter Sacramentum ſit nullum, quia illa Confeſſio fit cum actuali complacentia, vel commiſſione mortalis peccati, & ex hac parte eſt omninò nulla. Firmatur à poſteriori: nam qui videt ſe non habere propoſitum, & non vult illud efficere, ſignum eſt nec propoſitum virtuale habere: nam hoc habito, & poſitâ dictâ aduertentiâ facillimum eſſet habere formale. Vnde meritò nihil eſt magis vſitatum in adminiſtratione Sacramenti Pœnitentiæ, quàm exigere à fidelibus propoſitum cauendi 4

Digitized by Google

peccata,præſertim mortalia. Si tamen contingat,dum quis elicit actum Attritionis de ſuo peccato propter pœnas inferni nihil cogitet de vitandis peccatis in poſterum,& ideò nequeat habere circa ea formale & actuale propoſitum , ipſe dolor, ſeu deteſtatio ſufficiet ad valorem Sacramenti;cùm in ſe contineat virtualiter tale propoſitum vniuerſale. Impoſſibile enim eſt quòd quis doleat efficaciter de furto verbi gratia præcisè , quia eſt inductiuum pœnarum inferni , & quod ſimul velit offendere Deum grauiter alio peccato diuerſo, nẽpe Luxuriæ:quia per priorem actum odit offenſam grauem Dei ſuper omnia metu gehẽnę,per poſteriorẽ verò vult offenſã grauẽ Dei ſine metu gehẽnæ,quæ eſſet cõtradictio;ergo ille prior actus implicitè extẽditur ad vitanda omnia peccata mortalia,quæ ſunt etiam inductiua pœnarum inferni.

Dices , Tridentinum opponi huic dicto , nam expreſsè requirens dolorem, qui voluntatem peccandi excludat,expreſſe requirit formale propoſitum.Occurro tamen,expreſsè quidem requirere dolorem excludentem voluntatem peccandi,at prædictus dolor & Attritio excludit hanc voluntatem , cùm includat virtuale propoſitum contrarium ; ac proinde non requirit ſemper niſi iſtud.

5 Dico *tertio*,ſi Attritio ſit non ex motiuo vniuerſali, ſed ſpeciali propter ſpecialem peccati turpitudinem, tũc ſempe requiri expreſse aliud propoſitum vniuerſale non peccandi de cætero, vt ſit diſpoſitio ad iuſtificationem. Patet,quia prædictus dolor ſeu deteſtatio nec virtualiter continet propoſitum vniuerſale non peccandi de cętero; ſed ad ſummum continet propoſitum non committendi illa peccata,de quibus homo dolet;ergo requiritur propoſitum vniuerſale diſtinctum,cùm in ipſo actu doloris non contineatur.

6 Ad argumenta oppoſita.Ad primum dico, ad verum & abſolutum propoſitum non exigi , quòd fiat illa conditionalis : Etiamſi non eſſet pœna, non peccarem ; ſufficit enim voluntas vniuerſalis , quæ ſe extendat ad omnes caſus,qui poſſibiles apprehenduntur in hoc rerum ordine,quo Deus voluit pœnam æternam præſcribere pro omnibus peccatis mortalibus;dum tamen aliũde non ſit etiam voluntas conditionalis oppoſita , quá homo diceret;ſi non eſſet pœna , peccarem. Ratio eſt quia vt aliqua voluntas efficax ſit ſimpliciter & abſolutè,non eſt neceſſaria illa efficacia conditionalis in ordine ad caſus fictos , ſed ſufficit efficacia in ordine ad omnes caſus , qui apprehenduntur poſſibiles in hoc ordine rerum;atque ideò illa erit voluntas efficax vitandi peccatum , quá homo vult illud vitare, quoties propter ipſum poteſt incurrere pœnam æternam.

7 Ad ſecundum , reſpondeo nullam eſſe contradictionem,quòd quis aduertens ſe per peccatum mortale incurriſſe æternam damnationem,poſſe ex odio illius dãnationis dolere de tali peccato,per quod illud malũ incurrit : non enim vult ſimul duo contradictoria. Imò & poteſt quis velle eligere , & velle potiùs infernum, quàm peccatum , quin velit per illud propoſitum infernum ipſum : non enim idem eſt velle offerre ſe ad aliquod obiectum, & velle ipſum obiectum. Si quis enim ſciat , quòd ſi ſe offerat inimico ad mortem , euadet mortem , poteſt ex deſiderio vitandi mortem,velle ſe offerre occidendum ſuo inimico,& ſine vlla contradictione poteſt ex deſiderio vitæ offerre ſe ad mortem, quia præſcit illam oblationem eſſe medium efficax ad vitam & liberationem conſequendam.Ita ſimiliter fidelis ex deſiderio vitandi infernum, cùm ſciat vitari hoc modo, ſcilicet offerendo ſe Deo ad patiendum infernum potiùs , quàm peccandum ; poteſt ex illo deſiderio offerre ſe, & velle eligere potiùs infernum,quàm peccatum , abſque vllà repugnantia in affectu , quia illa oblatio non eſt amor inferni,ſed permiſſio illius , eo quòd ſciat illam permiſſionem & oblationem ex parte ſua eſſe medium ad vitandum infernum , & ad conſequendam æternam ſalutem. Videatur de hac re Cardinalis Lugo *diſput.* 14. *ſectione quinta*, hanc difficultatem *à n.* 58. *vſque ad* 62. doctè pertractans.

Ad tertium neganda eſt Minor, ſi ſalus æterna conſideretur in ordine ad me, nam licet Deus poſſit me ſaluare,etiamſi peccem , & poſſit mihi dare tempus pœnitentiæ,id tamen non eſt in mea poteſtate. Quare ſi volo efficaciter ſaluari,volo non peccare, quia volo non ponere tale impedimentum,quo poſito,non ſit in mea poteſtate ſaluari. Sicut ſi vis efficaciter viuere , non proiicis in mare vnicum panem quem habes ad vitam, licet ſcias,quòd Petrus dabit fortaſſe tibi dimidium ſui panis;id enim non eſt in tua poteſtate. 8

Ad quartum,negatur Antecedens,nam etiam in illo caſu in dolore & deteſtatione ex motiuo Attritionis includitur propoſitum : nam ſicut dolet homo de peccatis præteritis ex eo motiuo,non quia propter illa damnandus ſit,nam ſcit iam ſe non damnandum propter illa,ſed quia ex ſe attulerant periculum & cauſam condignam damnationis æternæ quod periculum, & quam cauſam odio efficaciter habet,ſic eodem odio proſequitur quodcumque aliud peccatum ſubſequens, quod ex ſe afferat idem periculum , & eandem cauſam damnationis æternæ. Vbi enim eſt idem motiuum , neceſſe eſt quòd actus efficaciter intendens , & abſolute in illud, tendat etiam virtualiter in omnia , quæ neceſſaria ſunt ad illud , vel ſub illo comprehenduntur. 9

Ad vltimum,communiter ſentiunt Doctores Attritionem non eſſe deteſtationem peccati ſuper omnia ; 10 nam ſi Attritio eſt ex timore pœnæ æternæ , ex vi *illius* actus non diſplicet culpa,plus quàm pœna;ſi verò *ſit* ex aliqua malitia morali,licet diſpliceat plus quàm pœna, non tamen plus quam omne malum culpę ſub quacumque ratione conſideratum.

Ego verò ad argumentum reſpondeo. Inprimis ad Antecedens dico , omne genus Attritionis , quod eſt propter turpitudinem,ſeu fœditatem peccati,qualis eſt v.g.Attritio peccati,provt eſt iniuria Dei, eſſe deteſtationem peccati ſuper omnia appretiatiuè, & ſuper omnia mala pœnæ, tametſi non ſit ex omnium ſupremo motiuo , vt oſtenſum eſt ſuprà *diſputatione tertia* , *ſectione ſexta* , *numero ſecundo* , & *tertio*.

De alio verò genere Attritionis peccati propter pœnam æternam negari non poteſt,ex vi illius deteſtationis non deteſtari peccatum ſupra ipſam æternam pœnã, quia fieri non poteſt,nec intelligi,vt actus excedat motiuum in quo fundatur,cùm ab illo habeat totam ſuam rationem, & ſpecificationem formalem. Quare Attritio , quà quis deteſtatur peccatum propter pœnam æternam ,deteſtatur quidem peccatum ſupra omne malum diſtinctum à pœna æterna , non tamen ſupra ipſam pœnam æternam;atque adeò non ſuper omnia. Ita Suarez *diſp.*3 *ſect.*9. *num.* 9. & 15. Ratio eſt quia in nullo genere rerum verificatur magis illa regulá. *Propter quod vnumquodque tale, & illud magis* , quàm de iſto ; ergo ſi peccatum deteſtor propter pœnam æternã, impoſſibile eſt vt per hunc actum peccatum deteſter magis quàm illam. Imò hanc deteſtor magis,vel certè magis præcipuè.Præterea,conceſſo illo Antecedente in prædicta deteſtatione peccati ex metu gehennæ;omninò neganda eſt Conſequentia,quia illud non impedit, quominus dicta Attritio non includat virtute propoſitũ vniuerſale non peccandi de cætero;quia motiuum pœnæ æternæ,ex quo procedit illa Attritio,eſt vniuerſale,

&

& extenditur ad omnia peccata mortalia poſſibilia vitanda; atque adeò ipſe dolor, tametſi non ſit omnium nobiliſſimus ac perfectiſſimus, cùm procedat ex motiuo minus nobili & minus perfecto, eſt vniuerſalis deteſtatio omnium peccatorum. Quare ſicut rectè concipitur dolor honeſtus, & laudabilis, & odium, & fuga cuiuſuis peccati mortalis, & omnium ſimul collectiuè, ob prædictum pœnæ gehennæ motiuum; ita ſimiliter rectè concipi poteſt, & eſt verum, vniuerſale & efficax propoſitum, nunquam mortaliter peccandi de cætero, innixum eſſe prædicto motiuo æternæ damnationis, quod ſemper implicitè ac virtute includitur in illa deteſtatione, & in omni dolore efficaci, & abſoluto, cuiuſuis ſpeciei Attritionis, quæ eſt ſufficiens diſpoſitio ad iuſtificationem: ex quo patet ſolutio ad rationem dubitandi initio ſectionis propoſitam.

SECTIO V.

Ad quam virtutem pertineant actus ſupernaturales Attritionis?

1 SVppono *primò*, id in quo omnes Doctores conueniunt, prædictos actus Attritionis debere ab aliqua virtute ſupernaturali actiuè procedere. Patet, quia ſunt actus perfecti in ſuo genere, & ſupernaturales, quippe ſunt ſufficientes diſpoſitiones ad gratiam cum Sacramento: actus autem ſupernaturalis, vt debito modo fiat ac connaturali, requirit habitum ſeu virtutem à qua eliciatur.

2 Suppono *ſecundò*, prædictum habitum ſeu virtutem non poſſe eſſe donum timoris, vt quidam putauerunt. Patet, quia dona Spiritus ſancti prout à virtutibus diſtinguuntur, non ſunt ad ordinarium modum operandi, ſed ad extraordinarium modum iuſtorum ex ſingulari motione Spiritus ſancti; at eiuſmodi actus Attritionis, qui communiter fiunt à peccatoribus, pertinent ad communem modum operandi virtutum humano modo; & in hoc ordine gratiæ ſeu ſupernaturalis gradus.

3 Suppono *tertiò*, eiuſdem virtutis etiam ſupernaturalis eſſe, malum fugere, & contrarium proſequi bonum. Quia malum cùm ſit priuatio boni, non habetur odio, niſi ratione boni; ergo omnis virtus quæ odit malum, ideò eſt, quia inclinat ad aliquod bonum. Ac ſimiliter propter eandem rationem, eiuſdem virtutis eſt, bonum proſequi, & contrarium malum odio habere, ac deteſtari.

His præmiſſis, opinio eſt Iacobi Granado, *diſput.* 8. *ſect.* 1 *num.* 9. & 10. duplicem Attritionem procedentem ex turpitudine peccati, & ex malo gehennæ, ac pœnarum inferni elici ab vno eodémque habitu ſeu virtute. Supponit enim ex materia *de Charitate*, infundi à Deo animis iuſtorum habitum quendam ſupernaturalis amicitiæ diſtinctum à virtute Charitatis, & ab aliis tum Theologicis, tum moralibus; cuius motiuum formale eſt perfecta interni hominis pulchritudo ex donis ſupernaturalibus proueniens, prout complectitur omnia bona requiſita ad conſequendum vltimum noſtrum finem ſupernaturalem, ac proinde ipſam etiam beatam viſionem cum aliis ſpectantibus ad æternam felicitatem. Ab hoc igitur habitu putat Granado elici plures actus amoris, odij, deſiderij, gaudij, &c. qui circa prædictum motiuum formale verſantur; & quatenus inclinat ad actum, quo quis deteſtatur peccata, quatenus huic internæ pulchritudini opponuntur, ait, appellari habitum Attritionis. Quod probat, quia turpitudo, ſeu fœditas peccati illi pulchritudini opponitur, cùm illam deſtruat omninò, vel maiori ex parte; aufert enim quælibet culpa lethalis gratiam, & omnes virtutes præter Fidem, & Spem; & peccator deperdit ius ad beatitudinem: gehenna etiam eſt priuatio gloriæ, & gratiæ, & virtutum, quibus damnati in inferno priuati ſunt. Pœnæ quoque temporales, quatenus inflictæ à Deo, & quatenus initia ſunt pœnæ æternæ, opponuntur prædictæ pulchritudini: nam beatitudo etiam includit carentiam omnis pœnalitatis.

Cæterùm tametſi libenter concedam, admittendam eſſe prædictam ſupernaturalem amicitiam moralem ſpecie diuerſam à virtute Theologica Charitatis, vt obiter dixit in tractatu *de Incarnatione diſp.* 37. *ſect.* 4. *num.* 11. & ex profeſſo, ac benè defendit Petrus Hurtado *tractatu de Fide, Spe, & Charitate, diſp.* 131. primis tribus ſectionibus. Nihilominùs tamen nullo pacto poſſum admittere, omnes ſpecies Attritionum, quarum numerus maximus eſt, debere prodire à ſolo prædicto habitu ſeu virtute infuſa. Fateor quidem Attritionem, quæ eſt deteſtatio peccati directè oppoſiti prædictæ virtuti, prodire ab illa, & eſſe actum illius virtutis. Nego tamen ab ea procedere alias Attritiones, quæ per ſe ſpectant ad ſingulas alias virtutes. Ratio eſt, quia peccata quæ ſunt contra alias virtutes, infidelitatis, verbi gratia, deſperationis, impœnitentiæ, ſacrilegij, luxuriæ, & reliqua, directè opponuntur aliis ſpecialibus honeſtatibus obiectiuis ſpecie diuerſis; & iſtæ ſpecificant, ſeu dant ſpeciem, & naturam aliis virtutibus terminantibus ad ipſas, ſpecie diſtinctis a virtute amicitiæ, ergo ſicut iſtæ ſingulæ virtutes feruntur in dictas honeſtates obiectiuas affectu amoris, & proſecutionis ab ipſis elicito, ita contrario odio ac deteſtatione ferri debent quoque in ipſas ſpeciales turpitudines, vel deformitates ipſis honeſtatibus obiectiuis oppoſitas: quia quæuis virtus id habet, vt quæ inclinat ad ſuum ſpeciale bonum honeſtum, odio habeat quoque illud malum turpe, & deforme, quod eſt illi oppoſitum; quia eiuſdem virtutis eſt bonum ſuum proſequi, & contrarium malum fugere. Igitur ſingulæ virtutes eliciunt ſuos actus Attritionis de peccato ſibi oppoſito, & contrario. Non igitur id poterit præſtare prædicta amicitia ſupernaturalis. Firmatur: nam iſta virtus amicitiæ nequit elicere actus proprios piæ affectionis, Spei, Pœnitentiæ, Religionis, & aliarum virtutum infuſarum, vt eſt certum, quia iſtæ virtutes ſunt ab illa ſpecie diuerſæ, & habent ſua propria motiua, & obiecta formalia ſpecie diuerſa ab obiecto formali amicitiæ; ergo circa illa ita ſuas proprias eliciunt operationes, & actus, vt nequeat illos elicere alia ſpecialis virtus, nedum illa amicitia ſupernaturalis: ergo ſimiliter nec poterit hæc virtus elicere actus Attritionis procedentes ex aliis motiuis ſpecie diuerſis dictarum virtutum. Conſequentia patet, quia iſti omnes actus ad eaſdem virtutes pertinent, & eaſdem ſupernaturalitates participant. Poterit itaque virtus amicitiæ ſupernaturalis elicere actum Attritionis ortum ex eius proprio motiuo formali, non verò alios ſpectantes ad reliquas omnes virtutes. 4

Quare dicendum eſt actus Attritionis procedentes ex timore gehennæ, & aliarum pœnarum inferni, pertinere ad virtutem Spei. Quia, vt dictum eſt, eiuſdem virtutis eſt, & eiuſdem principij, amare aliquod bonum, & odio habere ac deteſtari contrarium malum. Cúmque hoc genus Attritionis fundetur præcipuè in timore gehennæ, quæ directè opponitur vitæ æternæ; & in timore quoque aliarum pœnarum, prout ſunt ſupplicium Dei, quas omnes etiam æterna beatitudo excludit: & dictam beatitudinem 5

æternam

Digitized by Google

æternam virtus Spei intendat; fit vt huiuſmodi actus Attritionis ad eandem virtutem Spei pertineant. Vnde etiam obiter intelligitur quo pacto in peccatoribus maneat ſufficiens principium Attritionis propter gehennam,& alias pœnas;quia cum Fide in illis permanet quoque virtus Spei.

6 De alio verò genere Attritionis ob turpitudinem,ſeu fœditatem peccati, dicendum ſimiliter eſt procedere ex illo motiuo,quod in vnaquaque virtute morali per ſe infuſa reperitur.Huiuſmodi autem motiuum in vnaquaque virtute ſumendum eſt per conformitatem ad regulã, & rationem ſupernaturalem in propria materia,vt explicatum eſt *præcedenti ſectione*.

Vnde manifeſtè infertur, prædictas Attritiones pertinere ad eas virtutes morales infuſas, quarum ſunt illa motiua. Quare Attritio, verbi gratia,de peccato prout eſt iniuria Dei,quæ læſit ius diuinum,ſpectabit ad virtutem Iuſtitiæ,quæ eſt ad Deum,ſeu virtutis Pœnitentię,cuius ratio formalis eſt ſeruare ius diuinum illæſum, &,ſi fuerit læſum,reparare. Similiter Attritio de peccato ſacrilegij,ſeu inhonorationis Dei pertinebit ad virtutem Religionis,cuius proprius actus eſt exhibere Deo debitum cultum,& venerationem; & ſic de aliis virtutibus iuxta ſua propria motiua ſpecifica. Quòd ſi prædicti actus Attritionis fiant à peccatoribus.in quibus non ſunt prædictæ virtutes morales per ſe infuſæ,tunc fient ab illis ex peculiari auxilio gratiæ ſupplente principium intrinſecum, ſeu virtutem infuſam productiuam illius actus. Quo etiam pacto diximus ſuprà *diſputatione 7.ſection. tertia*,in peccatore ſe diſponente ad iuſtificationem per actum Contritionis,hunc non procedere ex virtute Theologica Charitatis,ſed ex peculiari auxilio gratiæ.

7 Ad argumentum Granado facilis eſt ſolutio. Quamuis enim verum ſit omne peccatum mortale deſtruere gratiam,quæ eſt animę pulchritudo,hoc tamen eſſe circumſtantiam generalem, & communem omni culpæ mortali; non verò eſſe ſpeciale,& proprium malum vniuſcuiuſque peccati mortalis in propria materia: nam vnumquodque habet ſuam ſpecialem malitiã, & deformitatem,cui opponitur ſpeciale motiuum virtutis alicuius,& ideò ad illam pertinet deteſtatio,ſeu Attritio peccati propter tale ſpeciale motiuum. Vnde ob ſimilẽ rationem, ſi quis doleat de peccato prout eſt deſtructiuum gratiæ,quæ eſt animæ pulchritudo, cùm eſſet ex motiuo ſpeciali honeſtatis gratiæ, ſufficiente ad condignum illius dolorem, ſpectaret dicta Attritio ad virtutem ſpecialem amicitiæ tendentem in honeſtatem obiectiuam gratiæ, quæ eſt animæ pulchritudo; quia ex hoc ſpeciali motiuo procederet tunc prædictus dolor, & Attritio. Hinc tamen non ſequitur omne genus Attritionis ex turpitudine peccati procedens,pertinere ad ſolam hanc ſpecialem virtutem amicitiæ, cùm ſint aliæ virtutes per ſe infuſæ diuerſæ ſpeciei ab illa, quæ ex ſuis propriis motiuis ſpecificis habent cauſam,& rationem ſufficientem,ac ſpecialem ad deteſtanda peccata mortalia, prout ſuis propriis ac ſpecialibus motiuis oppoſita;& ideò ad illas præcipuè pertinere ſuos ſpeciales actus Attritionis elicere.

8 Quæres, ad quam virtutem pertineat deteſtatio peccati commiſſi propter turpitudinem in genere. *Reſpondeo*, pertinere ad eam virtutem quæ reſpicit honeſtatem in genere, illi turpitudini oppoſitam. Ad cuius intelligentiam, notandum eſt, triplicem poſſe concipi abſtractionem boni honeſti vt ſic. Vel enim bonum honeſtum mente abſtrahitur,abſtractione vniuerſaliori ab omnibus bonis honeſtis,tam naturalibus, quàm ſupernaturalibus. Vel abſtrahitur bonum honeſtum naturale in cõmuni ab omnibus ſpecialibus bonis honeſtis naturalibus. Vel denique abſtrahitur tantum bonum honeſtum ſupernaturale in communi ab omnibus ſpecialibus bonis honeſtis ſupernaturalibus. Hinc autem facilè conſtare poteſt,quænam honeſtates, & dolores ſint in entitate naturales, quænam ſupernaturales;quænã item harum,& illarum ſint cauſæ efficiẽtes phyſicæ,ſeu habitus,& virtutes productiuæ.Nã imprimis ſi quis diligat bonũ honeſtatis in cõmuni,prout abſtrahit à ſupernaturali & naturali;is amor erit neceſſariò in entitate naturalis,cum non tẽdat in vllum obiectum formale ſupernaturale. Nam ſi in aliquod tenderet, illud non eſſet niſi prædicta honeſtas in genere; at hæc honeſtas in genere non eſt ſupernaturalis, cùm à ſupernaturali abſtracta ſit, & per eam tanquam per ſpecificam differentiam contrahatur. Vnde conſequenter, ſi quis doleat de peccato, prout eiuſmodi honeſtati contrario, erit quoque talis dolor naturalis;ac proinde de tali obiecto nequit dari Attritio ſupernaturalis, de qua nunc eſt ſermo tantùm.Huius autem amoris & doloris,quænam ſit cauſa effectiua, quæſtio eſt. Hanc enim quidam volunt eſſe peculiarem virtutis habitum diſtinctum à cæteris omnibus virtutibus.Alij eſſe ſolam potẽtiam voluntatis, vtpote per ſe ſatis propenſam, & determinatam ad amandum bonum honeſtum in genere; cum in eo ſic ſpectato nulla ſit difficultas, ſed omnimoda, quæ in eo reperiri poteſt, naſcatur ex particularibus, ac ſpecialibus bonis honeſtis, penes obiecta particularium virtutum, vt Temperantiæ,Fortitudinis,& ſimiliũ. Quod probabilius iudico. Cęterùm probabilius iudicaui oppoſitũ ſuprà *diſ.2.ſect.3.n.6.* nimirũ actus naturales,quos voluntas elicit circa bonum honeſtum vt ſic,habere peculiarem habitum,ſeu virtutem naturalem,habentem propriam naturam,& ſpeciem ex habitudine ad tale obiectum ſub præciſa ratione boni honeſti vt ſic conſideratum,& acceptum.

Præterea ſi comparetur bonum honeſtum naturale, vt commune omni bono ſpeciali honeſto naturali; eodem modo de eius amore, ac de odio, ſeu dolore peccati, prout illi oppoſiti, philoſophandum eſt, eſſe vtrumque naturalem ob rationem dictam, & dari etiam habitum naturalem ad huiuſmodi actus faciliùs eliciendos; nullúmque ex illis actibus poſſe eſſe, nec dici Attritionem. Denique ſi fiat comparatio boni honeſti ſupernaturalis, prout commune eſt omnibus ſpecialibus bonis honeſtis ſupernaturalibus; non dubium quin voluntas poſſit ferri in illud ſic abſtractum amore, & proſecutione ſupernaturali, diligendo eam honeſtatem ſupernaturalem in communi acceptam, & ſimiliter odio habere ac deteſtari peccatum, prout illi bono honeſto ſuperno oppoſitum; & conſequenter poſſe etiam de illo prout deformi, ac contrario tali bono habere veram, & propriam Attritionem. Non videtur hoc negari poſſe, cùm nihil deſit ad ſupernaturalitatem ipſam Attritionis. Vtrùm verò detur ſpecialis ſupernaturalis virtus diſtincta à cæteris omnibus virtutibus ſupernaturalibus, ad quam prædicti actus ſupernaturales pertineant, tametſi quidam negent; ipſe tamen partem affirmantem ſecutus ſum, & eam probaui ſuprà *diſp.2.citata, ſect. 3. n.7.*

SECTIO

SECTIO VI.

Vtrùm Attritio ſit ſufficiens diſpoſitio ſimul cum Sacramento ad conſequendam gratiam.

1 DIco *primò*, certam videri partem affirmantem. Patet, quia Tridentinum *ſeſſ.* 14. *cap.* 4. loquens de Contritione imperfecta, quæ Attritio dicitur, profert hæc verba, *Quamuis ſine Sacramento Pœnitentiæ per ſe ad iuſtificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam diſponit.* In quibus verbis videtur manifeſtum, loqui Concilium de diſpoſitione vltima per ſe ſufficiente cum Sacramento Pœnitentiæ. *Primò*, quia aliter Attritio cum Sacramento nunquam ad id diſponeret, ſed ad impetrandum actum Contritionis, cuius intuitu antecedenter ad neceſſitatem Sacramenti, gratia iuſtificationis haberetur. Sequela patet, quia vel habuit homo Contritionem poſt Attritionem, vel non habuit; ſi habuit, ergo ſtatim iuſtificatus eſt ante Sacramentum: ſi non habuit; ergo nec ſuſcepto Sacramento iuſtificabitur: ſi non ſufficiat Sacramentum cum ſola Attritione; ergo nunquam diſponit Attritio ad obtinendam iuſtificationem in Sacramento. *Secundò*, Concilium poſtquam ibi præmiſit motum Attritionis non eſſe malum, ſed bonum, & laudabilem, ac Spiritus ſancti impulſum; intulit falſum eſſe, quòd detur gratia in Sacramento Pœnitentiæ abſque bono motu ſuſcipientis. Quæ illatio nullius eſſet momenti, ſi præter Attritionem requireretur alius motus Contritionis neceſſarius ad iuſtificationẽ in Sacramento Pœnitentiæ; eſſet enim impertinens bonitas Attritionis ad id comprobandum, ſi Attritio non ſufficeret, & non concurreret cum Sacramento ad gratiam iuſtificationis. *Tertiò*, nequit Concilium intelligi de diſpoſitione remota: nam Attritio etiam extra Sacramentum ſic diſponit ad impetrandam Dei gratiam. Cúmque Concilium expreſsè dicat aliter diſponere intra Sacramentum, quàm extra, neceſſe eſt, vt intelligat reſpectu Sacramenti non eſſe ſolùm remotam, ſed verè eſſe proximam, & vltimam diſpoſitionem. Imò cùm Concilium dicat Attritionem per ſe ad iuſtificationem non ſufficere; & ſubdat in Sacramento diſponere ad impetrandam gratiam; planè intelligit per ſe ſufficere cum Sacramento.

Nec verò intelligi poteſt Concilium de Attritione, quæ putatur Contritio. Hæc enim interpretatio violenta eſt, & ridicula: ſi enim ex promiſſione Chriſti Domini, v.g. de vita æterna danda ob potum aquæ frigidæ, aliquis interpretaretur de potu aquæ, quæ putaretur vinum; quis hoc interpretandi genus ridiculũ, & violentum, ac verbi Dei illuſorium non reiiceret? Igitur eodem modo reiiciendi ſunt, qui diffinitionem Concilij aſſerentis Attritionem in Sacramento diſponere ad gratiam interpretaretur de Attritione, quæ exiſtimatur Contritio: Contritio enim ab Attritione ſpecie differt, ſicut vinum ab aqua. Si ergo Concilium docet nobis ſufficere Attritionem in Sacramento; quis non videat huic decreto illudi, dicẽdo, requirere quod Attritio putetur Contritio, ſicut illuderet promiſſioni Chriſti, qui aquam cui promiſſa eſt gloria, diceret, putandam eſſe vinum.

2 Hinc dico *ſecundò*, Attritionem ſcitam, & cognitam vt talem, eſſe ſufficientem diſpoſitionem ad iuſtificationem cum Sacramento. Ita omnes communiter, ac teſtimonio Concilij adducto manet probatum. Firmatur item, quia conſtat ex doctrina eiuſdem Concilij, ac totius Eccleſiæ, Sacramentum Pœnitentiæ eſſe per ſe inſtitutum ad remiſſionem peccatorum; ergo non eſt huic Sacramento per ſe neceſſaria diſpoſitio antecedenter tollens peccatum, qualis eſt Contritio; ergo Contritio non eſt per ſe neceſſaria ad Sacramentum Pœnitentiæ; ergo poterit quis ſciens non habere Contritionem, ſed Attritionem ſuſcipere abſolutionem ſacramentalem abſque vllo peccato. Quod enim peccatum eſt accedere ad remedium per ſe inſtitutum, ad dandam primam gratiam ſanatiuam ægritudinis peccati, tametſi quis ſciat ſe nondum ab ea ægritudine liberatum eſſe? Contritionis exiſtimatio ſolum poterat requiri ex eo, quòd detur præceptum habendi Contritionem ante ſuſceptionem Sacramenti Pœnitentiæ. At eiuſmodi præceptum non dari euidens eſt ex eo, quia hoc Sacramentum ad primam gratiam conferendam ſit per ſe inſtitutum, ac ordinatum.

Contra hoc dictum nihil vrget, niſi Contritionis neceſſitatem ad remiſſionem peccati prædicatam eſſe in Scriptura, & Patribus. Verùm id, vt notant Doctores, intelligendum eſt extra Sacramentum. Quod etiam ipſi Aduerſarij tenentur fateri: nam loca Scripturæ, & Patres de Contritione vera, & non exiſtimata loquuntur: veram autem in Sacramento Pœnitentiæ non requiri fatentur ipſi, cùm dicant ſufficere contritionem exiſtimatam.

Dico *vltimò*, certum eſſe, poſt Tridentinum, prædictam ſententiam affirmantem, Attritionem cum Sacramento ſufficere, certam eſſe. Ita rectè notauit Cardinalis Lugo *diſputat.* 5. *ſect.* 9. & *diſput.* 8. *ſect.* 13. Coninck *diſputat.* 3. *dub.* 1. *num.* 5. Salas 1. *tom. in* 1. 2. *tractat.* 8. *diſput vnica*, *ſect.* 10. *num.* 98. & alij Recentiores. Probatur, quia quamuis non ſit omninò de Fide, eſt tamen moraliter ad minùs certum, propter verba Concilij adducta, & ponderata. Quod etiam firmatur ipſa inſtitutione Sacramenti Pœnitentiæ, & poteſtate data Sacerdoti ad remittenda peccata; quæ ſtare non poteſt, niſi cum ſola Attritione iuſtificetur homo in Sacramento: alioquin Sacerdos non remitteret, nec auferret, ſed ſupponeret ſemper peccata iam remiſſa, & ablata per Contritionem antecedentem. 3

Vnde colligo, peccatorem ſuſcipientem Sacramentum Pœnitentiæ, ſatisfacere præcepto Pœnitentiæ per ſolam Attritionem. Ratio eſt, quia ideò præcisè peccator obligatur ad pœnitentiam, quia obligatur vt quacumque ratione poteſt, Deo ſatisfaciat pro iniuria illata, & eius amicitiam recuperet; ad quod extra ſuſceptionem Sacramenti neceſſaria eſt Contritio, & conſequenter ad hanc obligatur: ſecus eſt quando ſuſcipit Sacramentum Pœnitentiæ, quia hoc ipſo, quòd Deus illud inſtituit, ita vt ad eorum iuſtificationem qui illud ſuſcipiunt, non requirat aliam diſpoſitionem, quàm Attritionem; effecit vt ad amicitiam eius recuperandam, & ad ei pro culpa ſatisfaciendum, non eſſet aliud medium neceſſarium, & conſequenter, vt ceſſaret obligatio ad Contritionem propter obligationem Pœnitentiæ, quæ oritur ex eo quòd quis commiſerit peccatum mortale. 4

SECTIO

SECTIO VII.

An in articulo mortis ſufficiat ſuſcipientem Sacramentum Pœnitentiæ habere Attritionem cognitam?

1 CONſtat ex præcedenti ſectione, Attritionem cognitam cum Sacramento Pœnitentiæ ſufficere ad iuſtificationem. Eſt verò celebris ac grauis diſceptatio. An confeſſus cum Attritione cognita teneatur in articulo mortis Contritionem elicere, ne ſecuro hoc remedio neglecto, æternam ſalutem exponat periculo remedij minus certi, quale eſt Sacramentum cum ſola Attritione.

Partem affirmantem teneri, defendit Suarez *diſp.* 15. *ſect.* 4. *num.* 19. cum aliis. *Primò*, quia tametſi Attritio cognita cum Sacramento Pœnitentiæ ſufficiat ad iuſtificationem; hoc tamen non eſt ita certum, vt non ſint quamplurimi graues Theologi, qui id negent, etiam poſt Concilium Tridentinum. Vnde Charitas, quá quis debet ſeipſum diligere, & procurare ſalutem propriam æternam, obligat moribundum, vt in re tanti momenti non ſe exponat periculo, ſed quærat remediũ certum, ac ſecurum, & conſequenter Contritionem, ſine qua ſemper manet ſub opinione omne aliud remedium.

2 *Secundò*, non poteſt quis adhibere Baptiſmum cum materia, aut forma probabili, relictâ magis ſecurâ, & certâ. Vnde nunquam licet vti illa forma; *Ego te baptizo in nomine Genitoris, & Geniti, & Procedentis ab vtroq;* tametſi probabilis, ſit validam eſſe hanc formã: quia nimirùm exponeret periculo ſalutem æternam, ſi fortè illa ſententia eſſet falſa: ergo ſimiliter non poſſumus amplecti partem negantem, licèt ſpeculatiuè loquendo, ſit probabilior, omiſſâ parte affirmante, quæ probabilis eſt, certa, & ſecura.

Tertiò, in articulo mortis vrget obligatio diligendi Deum ſuper omnia; ergo eſt obligatio habendi Contritioné in eo articulo, ortam ex tali præcepto. Partem negantem defendunt Coninck, Becanus, Layman, Fagundez, Luiſius, Turrianus, Salas, Diana, & alij quos refert, & ſequitur Cardinalis Lugo *diſp.* 7. *ſect.* 13. Primò, quia ſi eſſet talis obligatio, Confeſſarius teneretur inſtruere, & admonere pœnitentem de eiuſmodi obligatione. Vnde qui exciperet Confeſſionem ægroti conſtituti in articulo mortis, non poſſet eum abſoluere, niſi conaretur habere Contritionem; quia aliàs pœnitens non eſſet ſufficienter diſpoſitus, cùm non haberet animum ſeruandi præceptum quod obligat ipſum ſub mortali: Conſequens autem eſt contra praxim fidelium, & eſſet laqueos iniicere conſcientiæ ipſorum. *Secundò*, ſi incertitudo remedij pareret obligationem illam conterendi, daretur etiam obligatio repetendi ſæpius actum contritionis in eo articulo. Probatur ſequela, quia certius eſt, Attritionem cum Sacramento Pœnitentiæ ſufficere ad iuſtificationem, quàm ſit, primum actum Contritionis, quem infirmus conatus eſt elicere, fuiſſe certum, ac verum actum Contritionis.

Tertiò, à priori, præcepta hominibus impoſita nõ obligant niſi humano modo; & iuxta hominum conditioné, nõ ad exquiſitã, hac metaphyſicam diligentiam, ſed ad humanã, & moralem: aliter enim eſſent intolerabilia, & ſupra humanas vires; & nũquam ita ſatisfactum eſſet, vt non deberet maior diligentia adhiberi, vt certius ſatisfieret. Igitur negotium ſalutis æternæ, quamuis ſit ſummi momenti, & in quo nulla diligẽtia ſuperflua videri debeat; non tamẽ obligat niſi ad humanam & moralem diligentiam, quæ ſufficiat ad excludendum morale, & humanum dubium. Sic enim Baptiſmus, tametſi ſit medium vnicum ad ſalutem æternam paruuli morientis, ſi tamen ſemel adhibitus ſit, non debet, nec poteſt repeti etiam ſub conditione, niſi dubium morale ſit de eius valore.

Hanc ſententiam iudico veriorem propter argumenta adducta, maximè propter hoc vltimum. Ampliùs eam firmo, quia ſi Contritio requireretur in articulo mortis, maxime ad euitandum periculum irreparabile damnationis æternæ. Ad id verò non requiri patet manifeſtè, quia, vt conſtat ex Tridentino, Attritio ſupernaturalis cum Sacramento Pœnitentiæ ſufficienter diſponit ad iuſtificationem; quod ſine vlla reſtrictione Conciliũ aſſeruit; ergo nõ eſt cur excipiatur articulus mortis. Vnde neq; exiſtimatio Contritionis requiritur in articulo mortis: nam ſi hęc exiſtimatio requireretur; maximè quia eſſet tunc præceptum habendi Contritionem: at iſtud præceptum per ſe non obligat niſi eum, qui non poteſt cum Attritione ad Sacramentum accedere. Igitur qui in mortis articulo cum Attritione accedit ad Sacramentum Pœnitentiæ, ſaluus eſt ab obligatione præcepti Contritionis Nam hoc præceptum non obligat peccatorem per ſe, & ex vi ſua, niſi quando non poteſt ſuſcipere Sacramentum Pœnitentię. Denique idem probo, quia, nullus Chriſtianus, neq; ex propria Charitate, neq; ex aliquo alio præcepto tenetur alia remedia adhibere ad ſalutem, quàm ea quæ Eccleſia edocta ab Spiritu ſãcto docet ad eandem ſalutem neceſſaria eſſe. At Eccleſia Spiritu Sancto edocta in Concilio Trindentino docet, ad ſalutem, & gratiam à Deo impetrandam, ſufficere Attritionem cognitam cum Sacramento Pœnitentiæ. Igitur non tenetur homo ſubmortali *ampliùs* quidquam facere ad ſalutem. Et quidem quòd *Attritio* cum Sacramento Pœnitentiæ ſufficiat, *videtur iam ita* certum, vt prudenter poſſimus nobis perſuadere, nullum iam de eo eſſe periculum damnationis, cùm Tridentinum *ſeſſ.* 14 *cap.* 4. hoc tam expreſse doceat, vt eius verba ſine aperta violentia non poſſint aliter explicari. Imò vt optimè notauit Cardinalis Lugo *diſp.* 7. *ſect.* 13. *citata, num.* 273. contraria ſententia negans Attritionem cum Sacramento Pœnitentiæ ſufficere, iam probabilis non eſt poſt Tridentinum; neque habet fundamenta quæ ad probabilitatem ſufficiant; imò à multis Doctoribus grauiori cenſura afficitur temeritatis, & erroris, maximè ab Stephano Fagundez *lib.* 2. *capit.* 4. *num.* 13. & 14. 3

Ad primum argumentum oppoſitum, iam conſtat auctoritatem paucorum contrarium aſſerentium non ſufficere, vt homo cum Attritione, & Sacramento Pœnitentiæ dicatur exponere periculo morali, & humano modo ſalutem ſuam. Nam certius id eſt, quàm quòd hic puer ſit baptizatus, vel quòd hic moribundus habuerit veram Contritionem à parte rei: in quibus tamen ac ſimilibus caſibus non eſt obligatio adhibendi aliud remedium, propter illam qualemcumque incertitudinem adhuc remanentem. Sat igitur eſt, vt ſit moraliter certum, Attritionem cum Sacramento Pœnitentiæ ſufficere ad iuſtificationem. 4

Ad ſecundum, conceſſo Antecedente, negatur Conſequentia: nam illa opinio cùm probabilis non ſit, non impedit iudicium practicum, quo quis poſſit in operando amplecti contrariam ſententiam maximè hãc noſtrã veriorẽ, ac moraliter certãm; præſertim cùm ſemper licitum ſit ſequi ſententiam verè probabilem, circa licitum vel illicitum hìc, & nunc. Exemplum autem adhibitum in Argumento eſt valde diuerſũ: nã in illo nõ eſt ſermo de probabilitate circa licitum, ſed circa valorẽ illius formæ, an ſi adhibeatur illa forma, fiat Sacramentum vali- 5

dum

lium. Et quamuis ſit probabilitas ſententiarum circa valorem: omnes tamen Doctores fatentur non licere vti illa forma, non tam propter incertitudinem, ſed præcipuè propter contrarium vſum, & praxim Eccleſiæ, quæ ſub mortali eſt omninò ſequenda. Vnde circa talem formam ſententia probabilis ſolùm dicit eſſe validam, non verò dicit eſſe licitam.

6 Ad tertiũ, dico Antecedẽs eſſe dubiũ: nã multi Doctores graues eam ſententiã negant. De quo in materia de *Charitate*. Cæterùm dato illo Antecedẽte, Cõſequentia nulla eſt, & neganda; quia infirmus in articulo mortis, ſi ſuſcepit cũ Attritione etiã cognita Sacramẽtũ Pœnitẽtię, iam gratiam iuſtificationis eſt conſecutus, vt nos defendimus tãquã certũ, atq; ideò iã non indiget ipſa Contritione, quia tunc in eo caſu Contritio neq; eſt neceſſaria neceſſitate medij, vt conſtat, neq; neceſſitate præcepti, cùm iam infirmus exercuit pœnitentiã, & per Sacramentũ mediã Attritione gratiam ſanctificantem impetrauit. Contritio enim nõ per ſe & ratione ſui, ſed ſolùm in ordine ad iuſtificationẽ neceſſaria iudicatur: ad hanc verò per Sacramẽtũ non requiritur Cõtritio ſed Attritio tãtũ.

Addo, ſi quis nõ impleuiſſet præceptũ amoris Dei, prout obligat in fine vitæ, vt ſentiũt nõnulli Doctores, teneri quidẽ ad amorem Dei etiã poſt factam Confeſſionẽ cũ Attritione; non quia ea Confeſſio non contulerit gratiã iuſtificãtem, ſed quia amoris præceptũ obligat ſuis temporibus, etiãſi homo certò ſciat ſe iuſtificatum eſſe. Nam amoris Dei obligatio non naſcitur per ſe ex peccato, vt recte notauit Suarez *diſ. 15. ſect. 4. n. 16* non enim actus amandi Deum præcipitur primò, & per ſe propter ſatisfactionem pro peccato, vel propter iuſtificationem obtinendam; ſed homini etiam iuſtificato per ſe neceſſarius eſt, propter Dei bonitatem, & propter debitã vnionem cum ſuo fine vltimo: Sicut enim actus Fidei, & Spei neceſſarij ſunt adultis, non obſtante iuſtificatione per Sacramentum: ita etiam & actus Charitatis. Quod ſecus contingit in actu doloris, ſiue Contritionis ſiue Attritionis; quia non eſt per ſe neceſſarius, ſed tantùm ratione peccati. Ex quo patet, quòd ſi quis poſt impletũ præceptum amoris Dei circa finem vitę, peccaſſet mortaliter, & poſtea per Confeſſionem, & Attritionem expiatus eſſet, non teneretur ampliùs ex vi præcepti Charitatis Dei ad eius amoris exercitium; quia tunc nullum eſſet huius obligationis fundamentum.

SECTIO VIII.

In quo differat Attritio à Contritione, & an aliquo ſenſu dici poſſit, Attritionem fieri Contritionem?

1 Circa primum, Dico *primò*, Attritionem, quæ eſt diſpoſitio ad gratiam iuſtificãtem, & quæ ſolùm meretur nomen Attritionis cõuenire cũ Cõtritione in hoc quòd ſit peccati deteſtatio ſupernaturalis, & adeò abſolutè efficax, vt vel formaliter, vel virtute includat propoſitum non peccandi de cætero. Vtrumque patet ex dictis ſuprà *ſect. 1 & 4.*

2 Dico *ſecundò*, diſtingui Attritionẽ & Contritionẽ in motiuo ſeu obiecto formali Patet, quia vt cõſtat ex precedentibus, Contritionis motiuum eſt Deus in ſe; Attritionis verò eſt bonum honeſtum ſupernaturale, quod non ſit ipſe Deus. Ex quo fit vt Contritio habeat motiuum Charitatis, & ex ſe ſit actus procedens à virtute Charitatis; Attritio verò ſemper ſit ab alia inferiori virtute. Denique Contritio ſemper deteſtatur abſolutè, & ſimpliciter peccatũ ſuper omne deteſtabile Attritio verò non ſemper, vel nunquam omninò perfectè.

Circa ſecundum omitto quamplurima quæ dicuntur & videri poſſunt apud Suarez *diſp. 5. ſect. 3.* & Vaſquez *q. 86. art. 2. dubio 3.* Breuiter quinque attingam. *Primum*, certum eſſe non poſſe Attritionem fieri Contritionem in hoc ſenſu, quod idẽ actus Attritionis entitatiuus fiat actus Contritionis Patet, quia iſti duo actus differunt eſſentialiter, ac ſpecie inter ſe. *Secundum*, certum quoque eſſe, Attritionem poſſe informari gratia ſanctificante data per Sacramentum; & tunc illa quæ antea erat Attritio informis, id eſt ſine forma gratiæ habitualis, poſtea poteſt eſſe, & eſt Attritio formata gratia adueniente. *Tertium*, certum etiam videri, Sacramentũ non habere vim faciendi, vt actus qui antea erat Attritio, poſtea fiat Cõtritio: nam hoc impoſſibile eſt propter diuerſas naturas & eſſẽtias horum actuũ: neq; etiam Sacramentum habet vim faciendi, vt ſi homo ante abſolutionem non habebat niſi Attritionẽ, incipiat habere Contritionem: hoc enim liberè fingitur. *Quartum*, Attritionem non poſſe dici fieri Contritionem in Sacramento, niſi quoad æquiualentiam: nam accedente Sacramento Attritio æquiualet Contritioni quoad hoc quòd ſit diſpoſitio ad gratiam, & diſpoſitio vltima ex parte doloris, ac deteſtationis: *Vltimum* eſt, commune illud Theologorum dictum, hominem in Sacramento fieri ex attrito contritum; intelligi debere æquiualenter, ſeu quoad effectum, quia nimirùm habenti Attritionem, & recipienti Sacramentum Pœnitentiæ non minùs peccata commiſſa remittuntur, quàm ſi Contritionem haberet. Vel etiam fieri contritum habitualiter, quatenus cum gratia ſanctificante recipit habitum Charitatis, qui eſt principium habituale Contritionis. Quare ſolùm dicitur homo fieri ex attrito contritus, ſine vlla phyſica mutatione actus, per ſolam gratiæ, & Charitatis receptionem, ac peccatorum remiſſionem.

DISPVTATIO XV.

De actibus externis Virtutis Pœnitentiæ.

Hactenùs ſatis abundè egimus de actibus elicitis internis & imperatis; quos virtus Pœnitẽtiæ immediatè cum volũtate ordinariè ſolet producere: nunc breuiter ad complementum Pœnitentiæ vt virtus eſt, dicemus in hac Diſputatione de eiuſdẽ virtutis Pœnitentiæ actibus exterioribus; ad quos producendos mouet, ac excitat potentias, & facultates externas corporis.

SECTIO PRIMA.

An virtus Pœnitentiæ habeat proprios actus exteriores per ſe honeſtos?

Dico *primò*, certum eſſe virtutem Pœnitentię, ſicut & alias virtutes morales non ſolũ habere actus internos elicitos, & imperatos, ſed etiã externos, qui per facultates corporis exercentur. Patet: Tum quia materia proxima virtutum moralium, ſunt aliqui actus humani, qui ex internis, & externis coaleſcunt. Tũ maximè, quia actus externi poſſunt eſſe accommodati ad proprium munus, & officium Pœnitentiæ, ac mediante ipſa volũtate poſſunt produci; ergo hac ratione pertinent ad illam, vt actus externi, ſeu exteriores illius 1

O Dico

Digitized by Google

2 Dico *ſecundò*, opera pœnalia, qualia ſunt, ieiunia, flagella,& aliæ corporis afflictiones, eſſe,& dici meritò proprios virtutis Pœnitentiæ actus exteriores. Patet; tum quia Pœnitentia per ſe eſt ſufficiens ad imperandos eiuſmodi actus ſine interuentu aliarum ſpecialium virtutum;& quando ſic imperantur, ſolam illius honeſtatem actualiter participant; ergo dici poſſunt, & debent actus proprij illius. Tum maximè, quia prædicta opera pœnalia dolorem,& afflictionem inferun tcorpori:ergo provt ſic affligunt corpus,ſunt actus proprij Pœnitentiæ. Patet Conſequentia, quia hæc proprietas talium actuum eſt maximè accommodata ad finem Pœnitentiæ,qui eſt, ſatisfacere pro peccatis commiſſis, quæ ſatisfactio verè fit mediis prædictis operibus.

3 Dico *tertiò*, virtutem Pœnitentiæ nullum habere proprium actum exteriorem ab ipſa ſola imperatum. Hoc etiam eſt per ſe notum:nam omnes actus exteriores, qui virtuti Pœnitentiæ poſſunt attribui, poſſunt etiam ab aliis virtutibus imperari.Sic enim motiuo Pœnitentiæ imperatur reſtitutio rei ablatæ, eleemoſyna, ieiunium,ordinata corporis caſtigatio,oratio,& ſimiles aliæ actiones, quæ reuera pertinent quoque ad alias virtutes, vt reſtitutio ad Iuſtitiam:eleemoſyna ad Charitatem,vel Miſericordiam;ieiunium ad Temperantiam; caſtigatio corporis ad Caſtitatem; oratio ad Religionem;& ſic de aliis. Et ratio à priori eſt,quia virtus Pœnitentiæ,tametſi ſit virtus ſpecialis,tamen cauſaliter eſt quodammodò vniuerſalis; & ideò habet vniuerſalem materiam, & ſe extendit ad plurima; ſicut virtus obedientiæ, quæ licèt ſit virtus moralis ac ſingularis, ſub propria & ſpeciali ratione;non ideò tamen habet propriam,& ſpecialem materiam, ſed eam habet vniuerſalem ſe extendentem ad varias virtutum materias,

4 Dico *quartò*, actus exteriores, vt ad Pœnitentiam pertinentes,eſſe per ſe honeſtos.Hoc eſt de fide:& conſtat ex frequentibus exhortationibus Scripturæ ſacræ ad huiuſmodi actus,quatenus Pœnitentiæ ſunt, vt *Ioëlis 2.Iob vltimo. Matth.11.*& alibi.Firmat idem definitio Tridentini *ſeſſ.14.can.13.* Et ratio confirmat, quia prædicti actus ex ſe habent proportionem ſufficientem cum proprio motiuo Pœnitentiæ quod eſt honeſtum; ergo hi actus ſunt per ſe honeſti. Neque inferunt graue nocumentum corpori ſi prudenter exerceantur, vt debent exerceri.

5 Dico *vltimò*, prædicta opera externa Pœnitentiæ in homine iuſto adeò eſſe honeſta, vt verè ſint condignè ſatisfactoria pro pœna temporali debita etiam in alia vita.Patet,quia hæc opera magnam habent proportionem ad compenſandam pœnam temporalem,etiam alterius vitæ,& ſunt Deo grata, & facta etiam à perſona ipſi grata;ergo nihil illis deficit vt habeant valorem,& condignitatem ad recompenſandam dictam pœnam. De quo infrà *diſp.60.& 61.*

SECTIO II.

An actus exteriores Pœnitentiæ cadant ſub præceptum ad cauenda peccata in futurum?

1 Breuiter dico *primò*, prædicta opera poſſe interdum eſſe obligatoria ad cauenda peccata in futurum. Patet, quia poſſunt eſſe remedia moraliter neceſſaria ad præſeruandum hominem ab aliqua culpa mortali:ſic ieiunium, caſtigatio corporis poteſt cadere ſub præceptum ad ſeruandam Caſtitatem. Ob eandem rationem, poteſt eſſe obligatio alicuius actus externi, ſi ita coniunctus ſit cum Contritione, vel Attritione, vt moraliter iudicetur neceſſarius ad illam habendam. Sic poteſt interdum eſſe neceſſarium peccatori indurato audire concionē,vel habere orationem, vel à externam,ſe abiicere pecunias,vel aliquam aliam externam occaſionem, quæ impedit animum, ne à peccato auertatur; vel aliqua facere pietatis vel afflictionis opera, quibus & à Deo impetret auxilium, & ſeipſum ad veram pœnitentiam emolliat. Firmo: nam hac eadem de cauſa dicunt ſæpè ſancti Patres lachrymas, vel alia ſimilia externa ſigna doloris eſſe neceſſaria peccatoribus ad placandum Deum; non quia per ſe ſumpta obligent, & ſint præcepta; ſed quia ex natura rei ſunt connexa quodammodo cum Contritione, aut Pœnitentia, quæ per ſe præcepta eſt. Atque in hoc ſenſu intelligendus eſt D. Thom. *3. part. quæſt.* 84. *art. 7. ad* 1. dicens, non ſolùm internam, ſed etiam externam pœnitentiam eſſe de lege naturali.

Dico *ſecundò*, prædictam obligationem externæ pœnitentiæ pertinere ad illam ſpecialem virtutem, cui repugnat illud peccatum, propter quod vitandum neceſſaria eſt talis operatio externa pœnalis. Vt in exemplo adducto, virtutis Caſtitatis eſt obligare ad ieiunium, vel flagellationem vt vitetur luxuria, & ſeruetur Caſtitas. Ita omnes. Ratio eſt, quia ſicut eſt officium Caſtitatis deteſtari commiſſum peccatum luxuriæ, provt eſt oppoſitum ſpeciali honeſtati caſtimoniæ, ita & cauere in futurum. Vnde ſingulæ virtutes hoc præſtant ſub propriis rationibus, & ſpecificis honeſtatibus. 2

Dico *tertiò*,virtutem Pœnitentiæ ſub ſua ſpeciali honeſtate vitandi peccatum, provt eſt offenſa Dei lædens ipſius diuinum ius,poſſe ſimiliter obligare ad actus externos doloris, vel afflictionis Patet ex præcedenti dicto,quia ſicut eſt officium virtutis Pœnitentiæ, quæ eſt iuſtitia ad Deum, deteſtari commiſſum peccatum, provt eſt iniuria Dei,animo reſarciendi,& reparandi ius diuinum læſum per actum dictæ virtutis; ita & vitare idem peccatum de cætero, ſub ſua ſpeciali ratione, & honeſtate. 3

SECTIO III.

An actus externi Pœnitentiæ cadant ex natura rei ſub præceptum, quatenus ordinantur ad tollendum reatum pœnæ temporalis?

Svppono *primò* ex dictis ſuprà *diſputatione nona, ſect.6. & 7.* remiſſâ culpâ mortali, auferri reatum totius pœnæ æternæ, non tamen auferri neceſſariò reatum totius pœnæ temporalis: nam peccatum veniale aliquando remittitur, remanente toto debito pœnæ temporalis; vt cùm ſtatim poſt mortem remittitur culpa: & regulariter in hac vita, remiſſâ culpâ per Contritionem,ſolet manere reatus pœnæ temporalis ex parte; & aliquando etiam in totum. 1

Suppono *ſecundò*, nos modò non agere de Satisfactione, quæ appellatur ſacramentalis, nec de obligatione per actus externos pœnales ſatisfaciendi ex vi præcepti poſitiui; de quibus agemus infrà *diſputatione quinquageſima*, & *quinquageſima ſexta*. Solùm ergo agimus de obligatione, ſeu præcepto naturali ſatisfaciendi per externam, & corporalem pœnitentiam ad tollendum reatum pœnæ temporalis. 2

Dico cum communi doctrina, contra Magiſtrum Cano *relectione de pœnitentia, part. 3. concl. 2.* non teneri hominem in hac vita ſatisfacere, ſeu exercere 3

actus

actus pœnales exteriores ex natura rei, ſeu ex vi alicuius præcepti naturalis præciſè. Id declarat optimè noſter Suarez *diſ. 15. ſect. 7. num. & ſequentibus.* Patet id auctoritate: nam ex Tridentino, & Patribus, ſolùm conſtat, ſatisfactionem Sacramentalem per ieiunium, eleemoſynam, & per alia pia opera eſſe neceſſariam ad perfectam animæ puritatem. De ſatisfactione autem iſta, quæ eſt omninò diſtincta à Contritione, vel dolore peccatorum, & eſt ordinata tantùm ad tollendum reatum pœnæ temporalis, nec verbum Tridentinum, nec ſancti Patres. Idem liquet ratione, quia ſi conſideretur ratio iuſtitiæ ad Deum, hæc non obligat reum, vt ipſemet in ſe puniat delictum, ſed ſolùm vt ſuſtineat patienter pœnam à iudice inflictam; ergo cùm Deus ſit iudex, & vindex peccatorum, & in Purgatorio ea puniat ad æqualitatem, quando in hac vita ſatisfactum non eſt; poteſt peccator abſque vlla iniuſtitia differre ſatisfactionem peccati ſui vſque ad Purgatorium. Firmo; nam id neque eſt contra legem Charitatis diuinæ, vel propriæ; quia licèt homo ita differat ſatisfactionem, vel caſtigationem ſuorum peccatorum vſque ad Purgatorium, non perdit diuinum amorem vel amicitiam Dei: quamuis enim beatitudinis executio differatur aliquantulum; illud tamen non eſt irreparabile damnum, neque adeò graue, vt teneatur homo ſub mortali illud vitare: aliter enim teneretur quoque ſub mortali pro venialibus peccatis ſatisfacere in hac vita, quod nemo dicet.

Nec valet obiicere, peccatum, cùm in hac vita corpore & animo ſit commiſſum, debere vi iuſtitiæ; actus exteriores pœnales ſubire, vt corpus quoque puniatur. Non, inquam, valet: Tum quia inde fieret, non poſſe hominem in hac vita ſatisfacere pro pœna temporali per ſolos actus interiores animæ, aut per intenſiſſimam Contritionem; quod eſt falſiſſimum. Tum etiam quia ſicut in hac vita nullum eſt peccatum ita internum, cui non cooperetur corpus aliquo modo; neque eſt Contritio, vel ſatisfactio ita interna: cuius non ſit particeps quodammodò ipſum corpus: quia appetitus ſenſitiuus ſemper cooperatur aliquo modo voluntati rationali, propter ſympathiam, quæ eſt inter illas potentias; ita pariter cùm homo dolet de peccato, eſt ibi aliqua ſatisfactio pro pœna temporali, cuius etiam corpus particeps eſt, & hoc ſufficit; nec inde rectè infertur obligatio vlla exercendi actus exteriores pœnales ad tollendũ reatum pœnæ temporalis. Nec denique vllum eſt inconueniẽs, vt cùm anima ſit quæ principaliter deliquit, & corpus ſit tantùm inſtrumentum, poſſit in ipſa ſufficienter puniri quidquid in corpore peccatur; præſertim cùm ipſa mors corporis, & id omne quod homo patitur in hac vita poſſit eſſe pœna peccati.

Finis huius primæ partis, de Pœnitentiæ virtute.

Digitized by Google

R·P· MARTINVS
PEREZ AB VNANOA,
E SOCIETATE IESV,
DE
POENITENTIA.

SECVNDA PARS HVIVS OPERIS; QVÆ EST, de Pœnitentia, vt eſt Sacramentum.

AGGREDIMVR *iam egregiam, ac præcipuam de Sacramento Pœnitentiæ doctrinam, inter omnes Theologiæ moralis diſputationes, fidelibus peccatoribus neceſsitate primam, & vtilitate facilè principem. Ad id declarandum, variis nominibus à Conciliis, & Patribus hoc ſacramentum appellatur. Dicitur enim Lauacrum animarum, ſecunda Purgatio, Reconciliatio, Baptiſmus iterabilis, ſecunda poſt naufragium deperditæ gratiæ Tabula. Quibus, & aliis nominibus, ſatis exprimitur eius præſtantia, & ſumma neceſsitas. Intentum noſtrum vnicum eſt, erudire Eccleſiæ Miniſtros, & Confeſſarios, ad rectam huius ſancti Sacramenti adminiſtrationem; quo omnibus Chriſtianæ Reipublicæ ſtatibus prouideatur abundè. Quare ſolùm mihi animus eſt in ſequentibus diſputationibus vſque ad finem operis, illi ita inſudare, vt fauente diuinâ gratiâ, quilibet Confeſſarius poſsit tutâ cōſcientiâ ſuum munus obire, ad Dei gloriam & animarum ſalutem.*

DISPVTATIO XVI.

De exiſtentia, & inſtitutione Sacramenti Pœnitentiæ.

INITIVM ſumo ab actuali exiſtentia Sacramenti Pœnitentiæ, quæ eſt omnium prima ſuppoſitio. Quoniam verò exiſtentia huius Sacramenti, ſicut & aliorum Sacramentorum, tota pendet ex illius inſtitutione; ideò primum omnium, ipſius inſtitutionem, ac finem, nempe ob quorum peccatorum remiſſionem diuino conſilio ſancitum fuerit, hac diſputatione complectar.

SECTI.

Digitized by Google

SECTIO PRIMA.

An Sacramentum Pœnitentiæ ſit à Chriſto Domino inſtitutum.

1 Eſſe in Eccleſia à Chriſto Domino inſtitutum Sacramentum Pœnitentiæ negarunt quamplures antiqui hæretici Montaniſtæ, & Nouatiani, quos ſecuti ſunt alij noſtri temporis, Melanchton, VVinglius, Caluinus, Kemnitius, Lutherus, eorúmque ſequaces. Quorum argumenta libens omitto; tum quia ſunt parui, aut nullius momenti; tum quia facilè videri poſſunt apud noſtrum Cardinalem Bellarminum *tomo 3. libro 1. de Pœnitentia, capit. 10.* & alios qui ex profeſſo doctè ac eruditè dimicant contra illos.

2 Ipſe breuiter dico *primò*, dogma Fidei eſſe, in Eccleſia Legis Gratiæ dari Sacramentum Pœnitentiæ. Id conſtat clariſſimè definitum in Concilio Florentino in Decreto Eugenij Quarti, & in Tridentino *ſeſſ. decimaquarta*, quæ tota occupatur in hoc Sacramento aſſeuerando, ac declarando. Præſertim verò in primo huius ſeſſionis Canone, exiſtentiam huius Sacramenti his verbis definit. *Si quis dixerit in Catholica Eccleſia Pœnitentiam non eſſe verè, & propriè Sacramentum, pro fidelibus, quoties poſt Baptiſmum in peccata labuntur, ipſi Deo reconciliandis, à Chriſto Domino inſtitutum; anathema ſit.*

3 Dico *ſecundò*, Chriſtum Dominum inſtituiſſe Sacramentum Pœnitentiæ. Eſt etiam de fide verbis Tridentini nuper relatis definitum. Colligitur clariſſimè hoc Fidei dogma ex verbis illis Chriſti Domini *Ioannis capit.* 20. Vbi hoc Sacramentum inſtituens, ſic dixit.

Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt. Quæ verba proferens Tridentinum, *ſeſſione* 14. *can.* 3. ſic decernit: *Si quis dixerit, verba illa Domini Saluatoris: Accipite Spiritum ſanctum &c. non eſſe intelligenda de poteſtate remittendi, & retinendi peccata in Sacramento Pœnitentiæ, ſicut Eccleſia Catholica ab initio ſemper intellexit; detorſerit autem, contra inſtitutionem huius Sacramenti, ad auctoritatem prædicandi Euangelium; anathema ſit.* Et prædicta eadem *ſeſſione* 14. *capit.* 1. ſenſum dictum horum verborum *Ioan.* 20. magis declarans, ſic ait: *Verbis tam perſpicuis, poteſtatem remittendi & retinendi peccata; ad reconciliandos fideles poſt Baptiſmum lapſos, Apoſtolis, & eorum legitimis ſucceſſoribus fuiſſe communicatam, vniuerſorum Patrum conſenſus ſemper intellexit. Et Nouatianos remittendi poteſtatem olim pertinaciter negantes, magna ratione Eccleſia Catholica tanquam hereticos exploſit, atque condemnauit. Quare veriſſimum hunc illorum verborum Domini ſenſum ſancta hæc Synodus probans, & recipiens, damnat eorum commentitias interpretationes; qui verba illa ad poteſtatem prædicandi Verbum Dei & Chriſti Euangelium annunciandi contra huiuſmodi Sacramenti inſtitutionem falsò detorquent.* Hæc Tridentinum. Quibus verbis nihil efficacius, ac clarius adduci poteſt ad firmandam dictam veritatem, videlicet Chriſtum Dominum inſtituiſſe Sacramentum Pœnitentiæ.

4 Ex hac Catholica veritate Concilij, colligo *primò*, prædictis verbis *Ioan.* 20. non fuiſſe datam Apoſtolis poteſtatem prædicandi, vt expreſſe definiuit Concilium. Et conſtat, quia prædicta poteſtas, quatenus eſt ſpeciale ius datum Eccleſiæ à Chriſto Domino ad prædicandum Euangelium; propriis, ac diſertis verbis data eſt ab illo poſt Reſurrectionem, *Matthei vltimo capite*, ſic dicens: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.* Et Marci vltimo: *Euntes in mundum vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ.* In his enim quæ pertinent ad fundamenta Eccleſiæ, Chriſtus Dominus hoc ſemper ſeruauit, vt propriis verbis vteretur. Similiter ad illud munus exercendum peculiaria Spiritus ſancti dona in die Pentecoſtes receperunt Apoſtoli. Igitur ad alium finem, & cum alia poteſtate, per illa verba *Ioan.* 20. Spiritus ſanctus Apoſtolis datus eſt, nempe ad remittenda peccata poſt Baptiſmum commiſſa.

5 Colligo *ſecundò*, prædictis verbis *Ioan.* 20. non fuiſſe datam Apoſtolis poteſtatem baptizandi: nam poteſtas baptizandi iam priùs data erat Apoſtolis qui in virtute Chriſti iam baptizabant: ſpeciale verò ius ad baptizãdũ vniuerſum Orbem receperunt Apoſtoli, *Matth. vltimo capite*, illis verbis iam dictis: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.* Vel etiam illis aliis, *Ioan.* 20. *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos.*

6 Colligo *vltimò*, iure optimo Chriſtum Dominum dediſſe in Eccleſia Apoſtolis ſingularem poteſtatem ad remittẽda peccata poſt Baptiſmũ cõmiſſa: quia Chriſtus reliquit in Eccleſia Dei ſpecialem poteſtatẽ ad remittẽda peccata hominũ infideliũ, qui non ſunt mẽbra eius, quæ per Baptiſmum exercetur; ergo fuit ſimiliter conueniens, vt relinqueret etiã poteſtatẽ ſpecialẽ ad remittẽda peccata membrorum eius, nempe fidelium; cum hæc poteſtas nõ ſit minùs neceſſaria hominibus baptizatis, qui fragiles ſunt, & facilè cadunt à gratia baptiſmali.

SECTIO II.

An Chriſtus inſtituerit Sacramentum Pœnitentiæ ſecundùm eſſentialem ritum, & ad modum Iudicij?

1 Dico *primò*, Chriſtum inſtituiſſe immediatè per ſe ipſum Sacramentum Pœnitentiæ, ſecundùm ſuum proprium, ac eſſentialem ritum ſenſibilem. Hæc eſt concluſio de fide in Tridentino definita. Primùm in genere, *ſeſſ.* 7. *can.* 1. ſic dicente. *Si quis dixerit ſacramenta nouæ Legis non fuiſſe omnia à Ieſu Chriſto Domino noſtro inſtituta, aut etiam aliquod horum ſeptem non eſſe verè ac propriè Sacramentum; anathema ſit.* Deinde in ſpecie, *ſeſſ.* 14. *can.* 1. definit, Pœnitentiam eſſe verè & propriè Sacramentum à Chriſto inſtitutum Idem conſtat ex verbis Chriſti *Ioan.* 20. Apoſtolis dictis: *Inſufflauit, & dixit eis: Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, &c.* Ex quibus verbis duo efficaciter inferuntur. *Primum* eſt ritũ aliquẽ externum, ſeu ſenſibile ſignum à Chriſto inſtitutum. Neque enim dubitari poteſt, voluiſſe Chriſtum Apoſtolos datam ſibi poteſtatem remittẽdi peccata exercere aliquo externo actu, ac ſigno ſenſibili, quo intelligerẽt homines ſibi peccata remitti. Vnde etiam voluit peccatores aliquo externo actu, ac ſigno ſenſibili peccata ſua manifeſtare: cùm nullus hominum ritè ac prudenter abſoluat à peccato eum, quem peccati reum eſſe neſciat: ſcire autem nequeat, niſi id ei ipſe aliquo actu externo manifeſtet; nam aliàs poſſet abſolutio & remiſſio peccatorum cuiuis obuio, & nihil minus cogitanti impendi; quod abſurdiſſimum eſſet. *Secundum* eſt ipſa promiſſio gratiæ ſanctificantis illi ritui adiuncta.

2 Quod verba illa expreſsè ſignificant, cùm ſint de remiſſione peccatorum, quæ per hanc gratiam de

facto formaliter fit, ex his autem duobus, facile infertur nullam Pœnitentiæ deeſſe conditionem ad eſſentiam Sacramenti requiſitam. Nam ille ritus externus à Chriſto inſtitutus,eo ipſo quo talis eſt,ſignum ſenſibile eſt à Chriſto inſtitutum: & quidem gratiæ formaliter ſanctificantis ſignum,propter prædictam huius gratiæ infallibilem promiſſionem. Sacrum autem eſt, cùm ſit actus virtutis Religionis; & peccatum quod in eius illicita tractatione,vel à pœnitente,vel à miniſtro abſoluente committitur, ſit peccatum ſacrilegij huic virtuti oppoſitum. Adde,ſignum etiam eſſe ſtabile; cùm ſit ritus in Eccleſia militante,quandiu duratura eſt,vſurpandus. Non enim ſolis Apoſtolis illam poteſtatem remittendi peccata dedit Chriſtus, ſed omnibus quoque eorum in Sacerdotio ſucceſſoribus, vt expreſſe docuit Tridentinum *d. ſeſſ.* 14. c. 1. Et certiſſime colligitur ex fine,ob quem poteſtas illa à Chriſto data eſt, qui procuidubio fuit bonum totius Eccleſiæ militantis,& ſingulorum hominum ad eam pertinentium: ac proinde non minùs neceſſarium fuit,hanc perpetuo reſidere poteſtatem in legitimis Apoſtolorum ſucceſſoribus in Sacerdotio,quàm in ipſis Apoſtolis.

3 Obiicies *primò*, ex illo loco *Ioan.* 20. non colligi ritum ſenſibilem eſſe neceſſarium ad remittenda peccata: nam poſſet Sacerdos auctoritate diuina in corde ſuo remittere peccata:ſicut quilibet poteſt remittere in corde ſuo offenſas ſibi illatas. *Reſpondeo*, remiſſionem illam, cùm fiat inter homines,debere fieri per ſignum ſenſibile;ſicut aliæ actiones humanæ fiunt. Quod etiam explicat exemplum in obiectione adductum: nam ſi creditor remittat debitum ſolum internè, ac intra ſe, neque id exterius vllo modo manifeſtet, certè remiſſio nondum eſſet valida; nam adhuc poſſet creditor exigere ſuum debitum.

4 Præterea obiicies: idem ritus externus Pœnitentiæ, & reconciliationis cum Deo hominum in peccatum lapſorum, fuit in antiqua Lege,vt conſtat ex *lib.* 2. *Reg. c.* 12. in quo legimus, Dauidem adulterij peccatum à ſe commiſſum confeſſum eſſe, de eo doluiſſe, iniunctam pœnam mortis filij ex adulterio nati in ſatisfactionem ſuſcepiſſe, & à Nathan Propheta verbis his abſolutum eſſe: *Tranſtulit Dominus peccatum tuum*: & tamen tunc Sacramentum Pœnitentiæ non fuit: ergo neque nunc eſt. *Reſpondeo*, defuiſſe illi Prophetæ abſoluendi poteſtatem, quæ noſtris ineſt Sacerdotibus: vnde nec verbis illis Dauidem abſoluit à peccato, aut abſoluere ſe ſignificauit, ſed declarauit tantùm peccatum illi à Deo iam eſſe remiſſum, quod per diuinam reuelationem didicerat. Et quamuis idem prorſus ritus externus olim fuiſſet, qui nunc eſt, non eſſet tamen conſequens, vt ſi olim Sacramentum non fuit, nec modò ſit: aut ſi modò eſt, olim fuerit. Ad Sacramentum enim non ſufficit ritus aliquis externus, ſed præterea requiritur, vt hic ex inſtitutione Dei gratiam ſanctificantem ſignificet: quam ſignificationem habere vno tempore poteſt,non alio,prout Deo placuerit.

5 Dico *ſecundò*, Chriſtum Dominum inſtituiſſe hoc Sacramentum pœnitentiæ ad modum iudicij,& Tribunalis. Hoc etiam eſt de Fide, vt conſtat ex Concilio Tridentino *ſeſſ.* 14. c. 1. vbi ait, Chriſtum,baptizatos, ſi ſe poſtea crimine aliquo contaminauerint, ante hoc Pœnitentiæ tribunal tanquam reos ſiſti voluiſſe, vt per Sacerdotum ſententiam, non ſemel, ſed quoties ab admiſſis peccatis, ad ipſum pœnitentes confugerint, poſſent liberari. *Canone quoque* 9. definit abſolutionem ſacramentalem Sacerdotis, eſſe actum iudicialem abſoluendi, & non nudum miniſterium pronunciandi & declarandi remiſſa eſſe peccata. Ratione idem oſtenditur, quia conueniens fuit longè aliter remitti peccata, ante Baptiſmum commiſſa,& quæ poſt illum committuntur: nam illa priora remittuntur per modum regenerationis, & ideò prorſus, ac magna facilitate delentur: at peccata commiſſa poſt Baptiſmum,& Fidei illuminationem,ex eo capite grauiora ſunt,& medicinam poſtulant acerbiorem; atque ideò remedium aduerſus hæc peccata per modum iuſti iudicij inſtitui debet. Quod etiam expediebat,ne hominibus Chriſtianis ex facilitate veniæ dari videretur peccandi occaſio. Quare Sacramentum Pœnitentiæ inſtitutum ad remittenda prædicta peccata,iudiciarium eſt. Firmatur, quia in hoc fundantur fere omnia,quæ dicemus in diſcurſu huius materiæ, & quæ ad hoc Sacramentum ritè exercendum neceſſaria ſunt,videlicet,vt Miniſter iuriſdictionem habeat, cauſam cognoſcat, & examinet, quod non poteſt facere, niſi præuiâ accuſatione peccatorum, ac tandem vt ſupplicium,& pœnam imponat, & abſoluat.

Quibus addo,pertinuiſſe ad perfectionem, & maieſtatem Reipublicæ Chriſtianæ,vt in ea eſſet Tribunal, in quo animarum cauſæ iudicarentur,& diuinæ iniuriæ vindicarentur. Ac eſt magna fidelium conſolatio,& eorum ſpes augetur,dum diuinum iudicium in humanum quodammodo commutatur, gerente homine in illo vicem Dei. Et multò facilior redditur via ad plenam & perfectam peccatorum expiationem, & vitandas non ſolùm Inferni,ſed etiam Purgatorij pœnas.

Hinc infero,rationem & cauſam,cur ad remiſſionem 6 peccatorum per Sacramentum Pœnitentiæ, tametſi oporteat ritum ſenſibilem & remiſſionem externam adhibere,non tamen requiratur,vt remiſſio ipſa ea lingua & tali voce exprimatur, quæ à pœnitente audiri & intelligi poſſit. Nam plerumque accidit eam non audiri à pœnitente,neque ab alio,quando,v.g. pœnitens poſt inceptam Confeſſionem ſacramentalem amittit vſum ſenſuum,& abſoluitur. Vel etiam quando Sacerdos profert verba tam ſubmiſſa voce,vt à pœnitente aliquantulum diſtante;vel ſurdo non audiatur,nec percipiatur. Ratio enim eſt,quia hoc Sacramentum non eſt inſtitutum à Chriſto Domino ad modum contractuum,vel donationem, in quibus requiritur, vt donatio,vel contractus ipſe intelligatur,audiatur,& acceptetur. Vnde ſi creditor ex dono remittat debitum etiam verbis externis, ſi tamẽ debitor id ignoret, nec alius eius nomine acceptet remiſſionem, adhuc remiſſio non eſt irreuocabilis, ſed firma,perinde ac ſi eſſet merè interna;non enim acquiritur ius per illam debitori,cùm ipſi nõ intimetur,neque in eius notitiam veniat. Similiter in contractu Matrimonij,poſtquam alter coniux conſenſum præſtitit,& priori iam dormiente reſponderet,& conſenſum exprimeret, Matrimonium non valeret. Itaque Sacramenti Pœnitentiæ remiſſio non eſt inſtituta à Chriſto ad modum donationis,vel contractus,in quibus procedit prædicta doctrina; ſed ad modum Iudicij, & Tribunalis,in quo pœnitens eſt accuſator & reus, Sacerdos verò eſt Iudex;qui auditâ accuſatione & probatione, ſententiam profert abſolutionis. Sententia autem Iudicis legitimi ad hoc vt ſit valida,non requiritur, quòd quando profertur,percipiatur, & intelligatur à reo,maximè ſi ſententia abſolutoria eſt;ſed ſufficit quòd proferatur in iudicio cum debita ſolemnitate,ſicut reuera profertur abſolutio ſacramentalis; vnde etiamſi pœnitens iam dormiat, vel non ſit amplius ſui compos, adhuc ſententia valet:ſicut etiam valeret in humano Tribunali ſententia abſolutoria illius,qui iam tempore ſententiæ rationis vſum amiſiſſet; & ſicut pœnitens gerit perſonam accuſatoris, & rei, ſic Confeſſarius gerit perſonam Iudicis & Notarij, qui fidem faciat de ſententia prolata.

SECTIO III.

An Sacramentum Pœnitentiæ diſtinctum ſit à Sacramento Baptiſmi?

1 HÆretici Lutherani ſecuti Lutherum, Sacramentum Pœnitentiæ cum Baptiſmi Sacramento confundunt. Præcipue id probant *primò*, ex Lucæ *capit.* 3. in quo dicitur Ioannes Baptiſta prædicaſſe Baptiſmum Pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum.

Secundò, ex Auguſtino *libro* 1. *de Nuptiis, & concupiſcentia capit.* 33. dicente eodem lauacro regenerationis omnia prorſus hominum mala, etiam illa quæ poſt Baptiſmum patrata ſunt, mundari. *Non ſic*, inquit, *vt Baptiſma, quoties peccatur, repetatur, ſed quia eo ipſo quod ſemel datur, fit vt non ſolùm antea, ſed etiam poſtea quorumlibet peccatorum venia fidelibus impetretur.*

Tertiò, Gratiani tempore nondum erat certum, Pœnitentiam eſſe Sacramentum. Nam ipſe *diſt.* 1. *de pœnitentia*, pro vtraque parte variis Auctoribus allatis tandem rem dubiam relinquit.

Quartò, Pœnitentia non fuit peculiare & diſtinctum Sacramentum ante Legem Euangelicam; ergo nec poſt eam. Quia Apoſtolus *Act.* 26. docet ſe eandem Pœnitentiam annuntiare, quam Prophetę annuntiauerunt.

Vltimò, Baptiſmus ſemper in baptizato perſeuerat, nec vnquam frangitur; ergo ſicut qui de naui integra exciderunt, non debent confugere ad aliquam tabulam, quâ enatent, ſed ad nauem redire; ſic etiam illi qui per peccata, Baptiſmi gratiā amiſerunt, non debent confugere ad Pœnitentiam, ſed Baptiſmum in memoriam reuocare, vt per eum ipſis peccata remittantur. Vnde Caluinus grauiſſimè inuehitur in Patres, qui Pœnitentiam vocant, Secundam poſt naufragium Tabulam.

2 Veritas Catholica, & Fidei dogma eſt, Pœnitentiæ Sacramentum à Baptiſmo diuerſum eſſe. Id *primùm* conſtat ex Concilio Florentino, & Eugenij decreto, in quo Septem Eccleſiæ Sacramenta recenſentur, & Pœnitentiæ Sacramentum à ſex aliis diſtinctum quarto loco numeratur. Ex Tridentino autem tum *ſeſſione* 7. *can.* 1. in quo idem ſeptenarius numerus Sacramentorum definitur, ſimiliterque Pœnitentia quarto inter ea loco reponitur. Tum *ex ſeſſ.* 14. *cap.* 2. in quo variæ Baptiſmi & Pœnitentiæ differentiæ enumerantur. Tum denique ex eiuſdem *ſeſſionis* 14. *can.* 2. cuius hæc verba ſunt: *Si quis Sacramenta confundens, ipſum Baptiſmum, Pœnitentiæ Sacramentum eſſe dixerit, quaſi hæc duo Sacramenta diſtincta non ſint; anathema ſit.*

Secundò, Patres vbique diſtinguunt hæc duo Sacramenta; & cum tota Eccleſia Catholica longè aliam pœnitentiam requirunt, vt remittantur peccata commiſſa poſt Baptiſmum, quàm vt remittantur priùs commiſſa.

Tertiò, ratione firmatur, quia finis & effectus vtriuſque Sacramenti longè diuerſus eſt; nam Baptiſmus primò, & per ſe eſt ad tollendum peccatum originale, & conſequenter actualia, ſi cum illo ſint coniuncta: Sacramentum verò Pœnitentiæ per ſe eſt ad tollenda peccata actualia, quæ poſt originale remiſſum committuntur. Præterea Baptiſmus eſt quaſi prima generatio ſpiritualis, & ad dandam primam vitam ſpiritualem animæ; at Pœnitentia eſt veluti ſpiritualis reſurrectio; nam eſt ad reparandam vitam iam habitam, & amiſſam. Denique horum Sacramentorum ritus eſt valdè diuerſus; nam vnum fit per modum regenerationis ex aqua, aliud per modum iudicij. Vnde alia eſt materia & forma vtriuſque Sacramenti; ablutio enim cum verbis ſignificantibus illam, eiúſque effectum, eſt materia & forma Baptiſmi; Sacramenti verò Pœnitentiæ, eſt accuſatio, & ſententiæ prolatio. Igitur ſunt valdè diſtincta prædicta duo Sacramenta.

Ad obiectiones propoſitas. Ad primam dico, Baptiſmum ſic appellari à Fide & Pœnitentia, quas tanquam præuias diſpoſitiones requirit, vt fructuosè ſuſcipiatur; ex quo non ſequitur, vt nulla ſit alia pœnitentia, quæ Sacramentum ſit à Baptiſmo diſtinctum. Addo Baptiſmum Ioannis, & noſtrum toto cœlo diſtare, vt patet ex *Actorum capit.* 19. Et Patres aliquando, licèt rarò, Baptiſmum Chriſti vocant Baptiſmum Pœnitentiæ, non quòd ſit idem cum Sacramento Pœnitentię, aut Baptiſmate Ioannis, ſed quia ij, qui mortaliter aliquando peccarunt, antequam baptizarentur, debent præmittere pœnitentiam, vt patet *Actorum* 2. Inde tamen nullo modo ſequitur, ipſum eſſe Sacramentum Pœnitentiæ. Sicut nec ex eo quòd peccator debeat priùs agere pœnitentiam, quàm ſumat Euchariſtiæ Sacramentum, ſequitur vtrumque Sacramentum eſſe idem. 3

Ad ſecundam, Reſpondeo, Auguſtinum eo loco non velle Baptiſmum per ſe valere ad remittenda peccata à baptizatis commiſſa; ſed ſolùm eum eſſe aliquo modo neceſſarium ad remiſſionem omnium peccatorū. Nam per eius ſuſceptionem & remittuntur peccata priùs cōmiſſa, & ſuſcipiens redditur capax Sacramenti Pœnitentiæ, quo ſequentia peccata remittantur. Vnde ſolùm vult Auguſtinus, quod eſt certiſſimum, ſuſceptum baptiſmum eatenùs valere ad conſequendam remiſſionem peccatorum poſt eius ſuſceptionem commiſſorum, quatenus eſt prima Sacramentorum omnium ianua per eúmque capaces efficimur, ſicut cæterorum, ſic ipſius Sacramenti Pœnitentiæ, per quod illorum peccatorum remiſſionem aſſequimur. Quod autem nihil aliud velit, patet ex his eiuſdem verbis proximè ſequentibus. *Quid enim prodeſſet vel ante Baptiſmum Pœnitentia, niſi ſequeretur Baptiſmus; vel poſtea, niſi præcederet?* Quia nimirùm inualidè hoc Sacramentum ſuſciperetur. 4

Ad tertiam, negandum eſt illud Aſſumptum. Nam Gratianus ibi non diſputat, an Pœnitentia ſit Sacramentum, ſed vtrùm per Contritionem ante realem Cōfeſſionem peccata verè remittantur? De quo aliquando quidam dubitarunt. Et certum iam eſt id aliquando fieri, cum obligatione tamen ea poſtea confitendi, vt docet Tridentinum *ſeſſione* 14. *capit.* 4. Illud autem longè diuerſum eſt ab hac quæſtione; Vtrùm Pœnitentia ſit peculiare & diſtinctum Sacramentum? Quod ſemper in Eccleſia Dei fuit certum. 5

Ad quartam, conceſſo Antecedente, negatur Conſequentia: & falſum eſt, Apoſtolum illud ibi dicere: ſolùm enim dicit ſe hortatum fuiſſe & gentes, & Iudæos, vt pœnitentiam agerent, & conuerterentur ad Deum ſuum; ſeque nihil de Chriſto annuntiaſſe, niſi quod Moyſes, & Prophetæ de eo prophetarunt, vt patet ex contextu. Addo, Apoſtolum ibi non loqui de Pœnitentiæ Sacramēto: nam agit de iis quos ad fidem vocabat, qui erant illius incapaces; ſed de Pœnitentia, quæ debet præcedere Baptiſmum Præterea dico, tametſi illa verba: *Nihil extra dicens, quàm ea quæ Prophetæ locuti ſunt futura eſſe, & Moyſes*; intelligerentur de Sacramento Pœnitentiæ, futura nihilominùs veriſſima: quia hoc Sacramentum in noua Lege futurum eſſe, multis ſignis & figuris fuit in veteri prophetatum. Hoc enim præfigurabant plurimæ ceremoniæ, quibus immunditia legalis expiabatur. 6

Ad vltimam probationem Hæreticorum, dico inprimis, ibi aſſumi apertè falſum. Nam ſecundùm eos Baptiſmus in peccatore neque manet ſecundùm ſuam eſſentiam; quia hæc tota conſiſtit in actione tranſeunte; 7

neque ſecundùm gratiam, quam nec ipſi putant infundi, & nos dicimus gratiam per peccatum mortale perire: neque etiam ſecundùm habitum Fidei, quia ipſi hunc negant infundi: nec etiam ſecundùm characterem, quia ipſi hunc negant. Nihil autem aliud fingi poteſt ſecundùm quod maneat. Præterea dico, tametſi ſecundùm nos Baptiſmus maneat in peccatore, ratione characteris, quem imprimit; tamen per hunc non remittere peccata, ſed per ſe, idque ſolùm quando actu ſuſcipitur. Nec enim eſt inſtitutus vt remittat peccata futura, ſed vt remittat præterita. Vnde per peccata mortalia falſum eſt nos frangere Baptiſmũ, vel eũ amittere; ſolùm enim perdimus eius effectum, nimirùm gratiam Dei, quâ excidentes peccatis immergimur, è quibus ſine Pœnitentiæ tabula enatare non poſſumus, vt contra Caluini ineptias, aut potius blaſphemas exclamationes optime docet D. Hieronymus *epiſt. 8. ad Demetriadem*, D. Ambroſius *ad Virginem lapſam, cap. 18.* aliique SS. Patres, & Eccleſiæ Doctores. Quare Tridẽtinum *ſeſſione 6. cap. 14.* & *ſeſſione 14. cap. 1.* meritò definit contra Caluinum, & eius ſequaces, Sacramentum Pœnitentiæ aptè à SS. Patribus ſecundam poſt naufragium Tabulam appellari. Quoniam per iſtam metaphoram optimè declaratur neceſſitas Sacramenti Pœnitentiæ reipſa diſtincti à Sacramento Baptiſmi. Nam per Naufragium, intelligimus lapſum totius naturæ humanæ in primo Parente, & cætera peccata actualia quæ ante Baptiſmum à nobis committuntur, à quo naufragio liberamur per Sacramentum Baptiſmi, & ideò Baptiſmus eſt prima Tabula quæ liberat nos ab eiuſmodi naufragio. Quòd ſi homo in vaſtiſſimo huius ſęculi pelago tẽpeſtatibus tentationũ agitato, iterùm incidat in naufragiũ poſt Baptiſmũ, effectũ gratiæ in Baptiſmo cõparatũ amittẽs, nõ ſupereſt illi niſi Tabula, cui vt naufragus, ſeu peccator innixus ad portũ beatitudinis perueniat, nẽpe Sacramẽtũ Pœnitentię per quod recuperatur effectus gratiæ amiſſus, & ius ad æternam gloriam, & ideò optimè dicitur Secunda Tabula. Nec tertia Tabula neceſſaria eſt; nam licèt ſæpiùs homo cadere poſſit, hæc ſecunda Tabula præſto ſemper eſt, cui poteſt peccator adhærere cum diuina gratia, Pœnitentiæ Sacramentum iterùm, atque iterùm ſuſcipiendo.

SECTIO IV.

Quando Chriſtus Dominus Sacramentum Pœnitentiæ inſtituerit?

1 DE tempore quo inſtitutum fuit hoc Sacramentum, dixit Armacanus *lib. 11. de quæſtionibus Armenorum capit. 14. & 15.* Chriſtum inſtituiſſe hoc Sacramentum *Matthei, 10. & Lucæ 6.* quando Apoſtolos miſit ad prædicandum, quia ex tunc apoſtolicam dignitatem illis contulit, ad quam pertinet poteſtas, quã in hoc Sacramento exercuerunt.

Alij putarunt, inſtitutum fuiſſe hoc Sacramentum in nocte Cœnæ, quando Apoſtoli ſacri Presbyteratus ordine initiati ſunt, dataque eſt illis poteſtas ſupra Corpus Chriſti verum, quæ fortè etiam intrinſeca eſt Sacramento Pœnitentiæ.

2 Dico *primò*, abſolutè, & ſimpliciter Chriſtum inſtituiſſe Sacramentum Pœnitentię poſt Reſurrectionem ſuam, cùm dixit Apoſtolis *Ioann. 20. Accipite Spiritum Sanctum: Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Hoc iam eſt certũ ex doctrina Concilij Tridentini tradita *ſeſſione 14. c. 1.* ſic dicentis: *Dominus autem Sacramentum Pœnitentiæ tunc præcipuè inſtituit, cùm à mortuis excitatus, inſufflauit in diſcipulos ſuos dicens: Accipite Spiritum Sanctum, Quorum remiſeritis peccata &c.* Et probatur, quia ibi dedit eis Chriſtus poteſtatem remittendi peccata, non quibuſcumque, ſiue benè, ſiue malè diſpoſitis; ſiue pœnitentibus, ſiue non pœnitentibus; ſed iis quos ſcirent ſuorum peccatorum pœnitere. Et ſimiliter dedit poteſtatem retinendi ea iis, quos viderent non eſſe ſufficienter diſpoſitos ad remiſſionem. Nam alias illa poteſtas fuiſſet contra omnem rationem, & decorem. Igitur tunc Chriſtus inſtituit omnia quæ neceſſaria ſunt ad Sacramentum Pœnitentiæ, & conſequenter etiam ipſum Sacramentum.

Dico *ſecundò*, falſum eſſe, ac improbabile aſſerere, 3
Chriſtum inſtituiſſe hoc Sacramentum *Matth. 10.* & *Lucæ, 6.* Probatur. Tum quia poteſtas in Corpus myſticum, non datur ante poteſtatem in corpus Chriſti verum: tunc autem Apoſtoli non habebant poteſtatem conſecrandi corpus Chriſti, vt eſt certum. Tum etiam quia tunc non fuerunt Diſcipuli creati Apoſtoli, quia non fuerunt miſſi in vniuerſum mundum, imò potius illis dictum fuerat. *In viam Gentium ne abieritis.* Tum denique, quia vt vidimus, Chriſtus poſtea poſt Reſurrectionem dedit poteſtatem Diſcipulis remittendi peccata, & non antea.

Dico *tertiò*, certum quoque eſſe, non fuiſſe ſaltem 4
adæquatè inſtitutum Sacramentum Pœnitentiæ in nocte Cœnæ, quando Apoſtoli ſacro Presbyteratus ordine initiati ſũt. Patet, quia inſtitutũ fuit hoc Sacramentũ à Chriſto poſt Reſurrectionem, vt ex verbis Chriſti *Ioa. 20.* manifeſtum eſt, nec non ex verbis Tridentini, vt iam vidimus. In vltima autem Cœna ſolùm inſtitutum fuit Sacramentum Euchariſtiæ, & data Apoſtolis poteſtas ſuper corpus Chriſti verum; poteſtas verò alia ſupra corpus Chriſti myſticum, quę eſt poteſtas abſoluendi, poſt Reſurrectionem data eſt; Chriſtus autem non inſtituit Sacramentum Pœnitentiæ, ſaltem adæquatè ante inſtitutionem poteſtatis abſoluendi, vt eſt per ſe notum. Dixi, *ſaltem adæquatè*, nam partialiter, vel inchoatiuè inſtituiſſe Chriſtum tunc Pœnitentiæ Sacramentum, quatenus tunc dedit Apoſtolis poteſtatem ſupra corpus Chriſti verum, quæ fortè partialiter conſtituit Sacramentum, non incongruè dici poteſt. Idque ſatis indicat Tridentinum, cùm dicta *ſeſſione 14. capit. 1.* doceat poſt Reſurrectionem præcipuè inſtitutum fuiſſe hoc Sacramentum; ergo ante Reſurrectionem inſtitutum eſt, etſi non præcipuè, ſed partialiter vel inchoatiuè, quod intelligi nequit, niſi quatenus dedit poteſtatem ſupra corpus Chriſti verum, quæ fortè etiam intrinſeca eſt Sacramẽto Pœnitentię. Vox enim illa, *præcipuè*, à Concilio eſt ſcienter addita, ad denotandum, Chriſtum Dominum inchoaſſe iam huius Sacramentũ inſtitutionẽ in nocte Cœnę, cùm Diſcipulos ordinauit in Sacerdotes: Addũt aliqui Doctores graues, idque ſatis probabiliter, Chriſtum in vltima Cœna in illa longa concione, inter alia prædixiſſe Apoſtolis, ſe inſtituturum poſtea hoc Sacramentum, ſaltem adæquatè & completiuè; & ideò eos docuiſſe quo ritu illud deberent adminiſtrare: ſicut teſte Fabiano Papa *in epiſtola ad Orientales*, eos tunc docuit conficere Chriſma. Et ideò quoque Tridentinum addidiſſe particulam illam, *præcipuè*, cùm dixit Chriſtum illud inſtituiſſe poſt Reſurrectionem; quia videlicet in Cœna eius ritum docuerat; atque ita poterat videri quodammodò inchoaſſe eius inſtitutionem.

Ex dictis colligo *primò*, Sacramentum Pœnitentiæ 5
non fuiſſe inſtitutum in ſtatu innocentiæ, neque in Lege Naturæ, quia hoc Sacramentum non fuit ante Chriſti inſtitutionem, atque adeò non fuit ante Aduentum Chriſti

Digitized by Google

Chriſti inſtituentis, vt docet Trid. *cap. 1. citato, ſeſſionis decimæ quartæ.*

6 Colligo *ſecundò*, nec in Lege veteri fuiſſe aliquod Sacramentum Pœnitentiæ ad remittenda peccata commiſſa poſt primam iuſtificationem; propter eandem rationem. Et quia Sacramentum eſt cæremonia ſacra, vel ſignum ſenſibile, & efficax gratiæ; at in ordine ad Pœnitentiam, nullum tale ſignum extitit in Lege Naturæ, ſicut nec in ſtatu innocentiæ. Quod ſi obiicias illud Apoſtoli *ad Hebræos nono*, quòd *Pontifex* ſummus introibat *ſemel in anno in* Sancta Sanctorum *non ſine ſanguinis effuſione, quem offerret pro ſua, & populi ignorantia*: nihil ad rem probat; cùm ibidem expreſsè Paulus dicat, quòd *ſanguis taurorum &c. inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis.* Non ergo ſanctificabat ad emundationem ſpiritus, quod præſtat noſtrum Pœnitentiæ Sacramentum. Firmat id optimè Cardinalis Lugo *diſputatione 12. ſectione 1. num. 10.* quia alioquin illud Sacrificium fuiſſet excellentius, & efficacius, quàm Sacrificium Miſſæ, quod quidem non delet ex opere operato peccata in eo pro quo offertur, etiamſi ſit attritus. Imò eſſet excellentius noſtris Sacramentis, cùm vnum & idem numero Sacrificium ſanctificaret offerentem, & illos pro quibus offerretur, & quidem ſine vlla difficultate, & obligatione confitendi ſigillatim omnes ſpecies, & numerum peccatorum, quam habet noſtrum Sacramentum Pœnitentiæ.

7 Colligo *tertiò*, conuenienter fuiſſe hoc Sacramentum inſtitutum in Lege Gratiæ, & non anteà. Tum quia Lex vetus fuit imperfecta, Lex autem Gratiæ eſt perfecta. Tum maximè, quia ante Aduentum Chriſti nondum debuit poteſtas clauium concedi hominibus, quia nondum erant Chriſti merita exhibita, in quorum virtute illa poteſtas operatur. In Lege autem noua congruum fuit dari illam poteſtatem propter excellentiam meritorum Chriſti, & perfectionem ſtatus Gratiæ: Sacramentum autem hoc reſpicit poteſtatem clauium, & in ea fundatur tanquam actus eius; ideóque inſtitutio huius Sacramenti meritò ad hoc tempus Legis Gratiæ reſeruatum fuit.

8 Colligo *quartò*, congruũ fuiſſe hoc Sacramentum Pœnitẽtiæ inſtitui poſt mortem & Reſurrectionem Chriſti: quia forma huius Sacramenti & efficacia eius futura erat ex voluntate & meritis ipſius Chriſti; ideò ante mortem indicauit Chriſtus illam formam, promittendo poteſtatem clauium, *Matthæi* 4. poſt mortem verò & Reſurrectionem eius efficaciam manifeſtaſſe, dicens *Lucæ vltimo*, oportere in nomine ſuo prædicari pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum in omnes gentes; quia efficacia huius Sacramenti ex morte Chriſti manauit; & ideò poteſtas clauium ad conficiendum illud, vſque ad Reſurrectionem eius, dari non debuit; tunc verò dedit poteſtatem Sacerdotibus, & conſequenter inſtituit vt eorum verba eſſent efficacia ad remittenda peccata.

9 Quæres, cur Chriſtus Dominus per ſe ipſum non dederit Sacramentum Pœnitentiæ; ſicut dedit Sacramentum Baptiſmi. *Reſpondeo*, illud non dediſſe. Tum quia illud non inſtituit in vita mortali, ſicut Baptiſmus, quem per ſeipſum contulit non communiter, ſed quoad nonnullas ſingulares perſonas, propter ſpeciales cauſas. Tum præcipuè quia maximè decuit vt poteſtatem excellentiæ, quam habebat Chriſtus ad remittenda peccata, oſtenderet, id præſtando abſque miniſterio talis Sacramenti.

SECTIO V.

An Sacramentum Pœnitentiæ fuerit per ſe inſtitutum ad remittenda peccata ante, vel poſt Baptiſmum commiſſa?

IAm explicandus eſt finis & intentio inſtitutionis Sacramenti Pœnitentiæ, quod cum ſit Sacramentum mortuorum, eſt per ſe primò inſtitutum ad remittenda peccata. Quâ verò ratione, & de quibus peccatis ſit id intelligendum, in hac & ſequentibus ſectionibus eſt declarandum.

Dico itaque *primò*, ad præſentem ſectionem, certum eſſe, hoc Sacramentum non eſſe inſtitutum ad tollendum originale peccatum. Id conſtat ex Tridentino *ſeſſ. 14. cap. 2.* Ratio à priori eſt ſola inſtitutio & voluntas Chriſti inſtituentis, qui voluit vt peccatum originale eſſet per ſe materia ſolius Baptiſmi, & ipſum eſſet depellendum per ſolum Baptiſmum. Cui adiungitur alia non contemnenda ratio, quia peccati originalis licèt poſſit dari pœnitentia per modum ſimplicis diſplicentiæ, ſed non per modum efficacis deteſtationis, ſiue Contritionis, ſiue Attritionis, nec poteſt eſſe materia propriæ accuſationis, cùm non ſit factum à ſe, aut ſua propria voluntate commiſſum; ergo poſita inſtitutione Sacramenti Pœnitentiæ, propter illud tollendum, Sacramentum hoc inſtitutum non eſt. Denique de Fide eſt, Sacramentum Baptiſmi verè & propriè delere originalem culpam & ad hoc eſſe per ſe inſtitutum, vt conſtat ex definitione Tridentini *ſeſſione 5. can. 5.* his verbis: *Si quis per Ieſu Chriſti Domini noſtri gratiam, quæ in Baptiſmate confertur, reatum originalis peccati remitti negat; &c. anathema ſit.* Et patet, quia Baptiſmus eſt inſtitutus vt ſit verum Sacramentum ad regenerandos homines in Chriſto: non eſt autem minus efficax ſpiritualis regeneratio Chriſti, quàm generatio carnalis ex Adamo: Si ergo hæc potens eſt ad transfundendum originale peccatum in filios Adæ, multò erit potentior illa ad tollendum hoc peccatum, & infundendum Chriſti gratiam. Vnde Sacramentum Pœnitentiæ ad id neceſſarium non eſt, atque adeò nec inſtitutum. 1

Dico *ſecundò*, neque Sacramentum Pœnitentiæ fuiſſe inſtitutum ad remittenda peccata actualia commiſſa ante Baptiſmum. Hoc etiam eſt certum. *Primò*, quia per ſe ac totaliter remittuntur per Baptiſmum; ergo ad ea delenda non eſt inſtitutum Sacramentum Pœnitentiæ. Antecedens eſt de Fide definitum in Concilio Florentino in decreto Eugenij *Huius* (inquit, agens de Baptiſmo) *Sacramenti effectus eſt remiſſio omnis culpæ originalis, & actualis.* Vbi Concilium æquè ponit remiſſionem peccati originalis & actualis effectum Baptiſmi ex vi ſuæ inſtitutionis. Et certè, cùm originale ſit per ſe depellendum per ſolum Baptiſmum, & aliunde de facto nequeat vnum mortale eiuſdem hominis remitti ſine aliis, ſequitur manifeſtè, quòd cætera omnia peccata actualia, ſaltem mortalia ante Baptiſmum facta, ſint pariter vnà cum peccato originali per eundem Baptiſmum abluenda. *Secundò*, quia vt optimè docet Tridentinum *ſeſſione 14. capit. 2.* Eccleſia in neminem iudicium exercet, qui non prius in ipſam per Baptiſmi ianuam fuerit ingreſſus. *Quid enim mihi,* (inquit Apoſtolus 1. *Cor.* 5.) *de iis, qui foris ſunt, iudicare?* Igitur Sacramentum Pœnitentiæ, quod inſtitutum eſt ad modum iudicij, inſtitutum eſt vt tribunal 2

pro

pro domeſticis fidei, qui ianuam Eccleſiæ, Baptiſmum ſcilicet, ingreſſi fuerint, & Chriſtiano charactere inſigniti, Chriſti iudicibus ſubiecti fiũt. Cùm igitur perſona quæuis ante Baptiſmum nullo modo ſit de iuriſdictione Eccleſiæ, & ideò eius actus & opera non ſint ſubiecta Clauibus; manifeſtum eſt, eius peccata nõ tantùm non eſſe materiam neceſſariam, verùm nec ſufficientem; nec debere illam perſonam ea Sacramentaliter confiteri, cùm ab eis non poſſit Sacramentaliter abſolui. Neque enim Iudicis ſententia valide ferri poteſt, in quos nullam habet iuriſdictionem; atque ideò Sacerdos qui in hoc foro Pœnitentiæ eſt Iudex ab Eccleſia deputatus, non poterit ferre ſententiam in eos qui in Eccleſiam per Baptiſmi ianuam ingreſſi non fuerint.

3 Dico *tertiò*, Sacramentum Pœnitentiæ eſſe inſtitutum ad remittenda quælibet peccata actualia hominis baptizati commiſſa poſt Baptiſmum. Hoc etiam eſt certum & optimè declaratum à Tridentino *ſeſſione* 14. *capite* 2. ſub finem, his verbis: *Eſt autem hoc Sacramentum Pœnitentiæ lapſis poſt Baptiſmum ad ſalutem neceſſarium, vt, nondum regeneratis, ipſe Baptiſmus.* Et paulò anteà loquens de domeſticis Fidei, quos Chriſtus Dominus lauacro Baptiſmi ſui corporis membra ſemel effecit: *Hos,* (inquit) *ſi ſe poſtea crimine aliquo contaminauerint, non iam repetito Baptiſmo ablui, cùm id in Eccleſia Catholica nulla ratione liceat, ſed ante hoc tribunal tanquam reos, ſiſti voluit: vt per Sacerdotum ſententiam, non ſemel, ſed quoties ab admiſſis peccatis ad ipſum pœnitentes confugerint, poſſint liberari.* Igitur ex Chriſti inſtitutione ſola peccata iam ſubiecta Eccleſiæ poſt Baptiſmum, ſunt clauibus, & abſolutioni Eccleſiæ ſubiicienda.

4 Obſeruandum tamen eſt, Sacramentum Pœnitentię ita eſſe inſtitutum ad remittenda omnia peccata actualia poſt Baptiſmum commiſſa, vt ſola mortalia ſint materia neceſſaria illius; venialia autem, materia libera. Dicuntur autem mortalia materia neceſſaria, non quia ſint neceſſaria ad eſſentiam Sacramenti Pœnitentiæ, quia verè non ſunt, ſed quia ſunt neceſſariò confitenda. Venialia autem ſunt materia libera, quamuis ſufficiens; libera quidem, quia non eſt obligatio confitendi illa; & ſunt materia ſufficiens; quia eſſentia Sacramenti Pœnitentiæ conſtare poteſt cum Confeſſione venialium tantùm, abſquè Confeſſione mortalium, quod etiam habent peccata mortalia ſemel legitimè confeſſa, quòd ſcilicet ſint materia libera & ſufficiens alterius Confeſſionis. Vt conſtat ex perpetuo vſu fidelium, & definit Benedictus XI. *in Extrauag. Inter cunctas, de Priuilegiis.*

Dico *vltimò*, Sacramentum Pœnitentię ex vi, & fine inſtitutionis ſuæ iterari, & repeti poſſe, imò debere ſemper, quòd poſt Sacramentum Pœnitentiæ ſuſceptum committitur peccatum mortale. Id conſtat ex traditione & praxi Eccleſiæ, & declarauit Tridentinum *loco citato, ſuprà, numer.* 3. Imò & id definiuit *ſeſſion.* 14. *canone* 1. his verbis: *Si quis dixerit, in Catholica Eccleſia Pœnitentiam non eſſe verè & propriè Sacramentum, pro fidelibus, quoties poſt Baptiſmum in peccata labuntur, ipſi Deo reconciliandis, à Chriſto Domino noſtro inſtitutum; annathema ſit.* Deducitur manifeſtè ex illo Ioann. 20. *Quorum remiſeritis &c.* quia his verbis abſque vlla limitatione conceditur Miniſtris Eccleſiæ poteſtas remittendi peccata. Deducitur tandem ex inſtitutione Sacramenti Pœnitentię, quod inſtitutum eſt inſtar iudicij, & inſtar medicinę: iudicium autem reperi poteſt ſemper, quòd iteratur cauſa aliqua iudicij; & etiam medicina ſemper, quòd infirmitas iteratur. Neque verò ex eo quòd Deus ita præſto adſit iteratâ peccatorum remiſſione per hoc Sacramentum, ſequitur Deum amare peccata, imò potiùs deducitur, Deum odio habere peccata, cum prouiderit ad ea delenda de remedio adeò efficaci & prompto. Neque etiam dicta iteratio eſt occaſio facilitans ad peccatum; nam potiùs ex ſe amorem & gratitudinem erga Deum conciliat, quibus a peccando retrahamur.

Hinc colligo, manifeſtam differentiam inter Baptiſmum, & hoc Sacramentum: nam in Baptiſmo non eſt iudicium de ſingulis peccatis, neque eſt per ſe neceſſaria Confeſſio: atque ideò quando per Baptiſmum remittitur originale peccatum, omnia quoque peccata actualia, præſertim mortalia omninò extinguuntur abſolutè, & ſine ordine ad aliud Sacramentum, ſimile vel diſſimile: at in Sacramento Pœnitentiæ, cum ſit iudicium de ſingulis mortalibus, & ſit per ſe de illis neceſſaria Confeſſio; tametſi non tollatur vnum, quin tollantur alia propter gratiæ efficaciam, & dignitatem; nihilominùs tamen ea quę in Confeſſione omittuntur, non per ſe, ſed cum ordine, & voto alterius Sacramenti ſimilis remittuntur. Vnde ob eam cauſam hoc Sacramentum eſt hoc modo iterabile, & iterandum. Quibus addo aliud diſcrimen in eiuſdem doctrinæ confirmationem. Nam Baptiſmus inſtitutus eſt per ſe primò propter originale peccatum, quod non iteratur; Pœnitentiæ verò Sacramentum propter actualia poſt Baptiſmum, quæ ſæpius committuntur: ille eſt regeneratio, quæ ſemel tantùm fit; hoc verò eſt medicina, & ſanatio, quæ ſæpe eſt neceſſaria: ille denique characterem imprimit indelebilem, qui reddit ſubiectum incapax ſimilis Sacramenti: hoc verò nec characterem imprimit, vt eſt certum, neque aliquid ſimile. 6

SECTIO VI.

An Sacramentum Pœnitentiæ per ſe & ex vi ſuæ inſtitutionis poſſit remittere peccatum formalis fictionis, quod fit ipſo inſtanti receptionis Baptiſmi?

HActenus dictum eſt, Sacramentum Pœnitentiæ eſſe inſtitutum ad remiſſionem omnium peccatorum hominis Chriſtiani poſt Baptiſmum commiſſorũ, non verò eorum quæ ante Baptiſmum ſunt commiſſa. Reſtat modò id quod difficilius eſt, explicare, de peccatis quæ fiunt ſimul cum ipſo Baptiſmo, ſeu in ipſo inſtanti Baptiſmi; An Sacramentum Pœnitentiæ ex vi ſuæ inſtitutionis poſſit ea remittere. Ad quam difficultatem diſſoluẽdam, prænotandum prius eſt, eam procedere poſſe, & de peccato fictionis formalis, quã quis aduertendo ad obligationem dignè ſuſcipiendi Sacramentum Baptiſmi, vult committere ſacrilegium indignæ ſumptionis; vel etiam de aliis peccatis odij, luxuriæ, furti, &c. ſi fiant ipſo vltimo inſtanti quo terminatur Baptiſmus. De primo dicam in hac ſectione, & de ſecundo in ſequenti. 1

Prætereà eſt obſeruandum, vtramque difficultatem, vt benè *primò* notauit Suarez *tomo* 2. *in* 3. *part. diſputatione* 28. *ſect.* 5. *dicto tertio*, & poſtea Cardinalis Lugo *diſputatione* 16. *ſect.* 1. *numer.* 2. nullo modo eſſe practicam, ſed omninò ſpeculatiuam. Nam in praxi certum eſt omnia prædicta peccata eſſe explicanda in Confeſſione ſubſequenti tanquam materiam neceſſariam & remotam Sacramenti Pœnitentiæ; atque ideò hoc ex vi ſuæ inſtitutionis illa remittere. 2

Quis

Digitized by Google

Quis enim ſcire poteſt peccata prædicta duraſſe toto tempore antecedente Baptiſmum, & ipſo etiam inſtanti vltimo terminatiuo Baptiſmi, vel ſolo illo inſtanti, & non fuiſſe continuata vllo modo per aliquid temporis, vel aliqua inſtantia temporis ſubſequentis? Hoc diſcernere moraliter impoſſibile eſt, cùm ſciri nequeat, quando terminatum fuerit Sacramentum Baptiſmi, neque etiam quando metaphyſicè deſierit voluntas illa interior mala, quæ erat peccatum actuale. Cùm ergo homo non poſſit ſcire an illa voluntas mala deſierit ſimul cum Baptiſmo, vel continuata fuerit, debet illam poſtea confiteri, ſaltem tanquam peccatum, de quo dubitat, an fuerit factum poſt Baptiſmum, atque ideò omnia eiuſmodi in praxi ſunt materia neceſſaria Confeſſionis Sacramentalis, & debent explicari ſecundùm proprias cuiuſque malitias, ſicut cætera peccata dubia, quæ, vt ſuo loco dicemus, ſunt materia neceſſaria Pœnitentiæ.

3 Hoc præmiſſo, deueniendo ad quæſtionem ſpeculatiuam de peccato fictionis formalis, indignæ ſuſceptionis Baptiſmi, prout eſt peccatum conſummatum, ſeu de peccato iſto ſacrilegij vt eſt opere conſummatum, de quo ſolo eſt ſermo in hac ſectione. Non deſunt qui affirment remitti per Sacramentum Baptiſmi, & nullo modo eſſe materiam Sacramenti Pœnitentiæ, neque ad illud pertinere.

Primò, quia illud peccatum non eſt tempore poſt ſuſceptionem Baptiſmi; ergo non eſt materia Pœnitentiæ: ad hanc enim ſolùm ſpectant peccata tempore poſt baptiſmum commiſſa.

Secundò, etiamſi peccatum prædictum formalis fictionis, vt opere completum ſubſequatur poſt Baptiſmum; voluntas tamen interior præcedit: quoniam prius eſt, velle ſuſcipere indignè Baptiſmum, quàm actu recipere Baptiſmum; ergo quòd peccatum illud vt opere conſummatum ſubſequatur Baptiſmum, non ſufficit vt ſit materia Pœnitentiæ. Conſequentia probatur, quia tota malitia illius peccati conſiſtit in illa voluntate interna; hæc autem, cùm non ſubſequatur Baptiſmum, per hunc remitti poteſt, & conſequenter non oportet, quòd opus externum tollatur per Sacramentum Pœnitentiæ quoniam ablata & condonatâ voluntate interna, eo ipſo aufertur tota culpa operis externi, quod non habet aliam libertatem à libertate interna, atque adeò non poteſt condonari culpa voluntatis internæ, quin formaliſſimè condonetur actio externa.

Tertiò, tametſi pro eo ſigno, quo completur prædictum peccatum fictionis, ſit iam ille homo ſubditus Eccleſiæ; tamen pro ſigno, in quo habetur voluntas praua interna, nondum eſt ſubditus Eccleſiæ, atqui non ſufficit eſſe ſubditum Eccleſiæ; quando ponitur opus externum, vt illud peccatum ſit confitendum; ergo. Minor probatur; ponamus aliquem dediſſe cauſam culpabilem pollutioni, & poſtea in ſomno baptizari, (petierat enim anteà Baptiſmum) & poſt Baptiſmum pati pollutionem adhuc in ſomno; tunc certè illa pollutio non eſt materia Confeſſionis, non alia de cauſa, niſi quia licèt poſitum ſit opus externum poſt Baptiſmum, voluntas tamen & libertas tota poſita fuerat ante Baptiſmum; ergo ſimiliter in noſtro caſu, licèt actio externa ponatur poſt baptiſmum, non tamen erit materia Confeſſionis, quia tota libertas & voluntas praua poſita iam fuerat ante baptiſmum.

Vltimò, Sacramentum Pœnitentiæ, vt conſtat ex Conciliis & Patribus eſt inſtitutum vt ſecunda poſt naufragium Tabula, in remedium videlicet peccatorum, quæ Baptiſmi lauacro auferri non potuerunt; atqui pro omnibus peccatis, quæ non ſubſequuntur tempore Baptiſmum, potuit ſufficere remedium Baptiſmi; ergo. Minor probatur, nam per Baptiſmum applicatur pretium ſanguinis Chriſti ad ſoluendum & extinguendum omne debitum iam contractum, & præſens. Si enim verbi gratia, remittat alicui totum quod vſque in hanc diem debet, remittit etiam debitum, quod hac die contraxit, & quod contraxit hoc ipſo momento, quo fit remiſſio: ſic Baptiſmus eſt applicatio ſanguinis pro omni debito contracto. Cùm ergo peccatum formalis fictionis, ſit debitum verè, & realiter contractum in illo inſtanti, in quo homo baptizatur; conſequens eſt, vt ad illud etiam debitum extinguendum, extendatur virtus, & efficacia Baptiſmi.

Dico *primò*, peccatum illud ſacrilegij fictæ ſuſceptionis Baptiſmi vt opere conſummatum eſſe per ſe remiſſibile per Sacramentum Pœnitentiæ. Ita communis ſententia cum S. Thoma, 3. *parte quæſtione* 69. *articul.* 10. vbi Caietanus, Scotus *in* 4. *d.* 4. *quæſt.* 5. Sotus *diſt.* 6. *quæſtione* 1. *art.* 8. Val. *diſp.* 4. *quæſt.* 4. *puncto* 2. Henriquez *lib.* 1. *de pœnitentia capit.* 9. § 6. Suarez citatus, Granado *tract.* 1. *diſputatione* 3. *n.* 4. Vaſquez *tom.* 2. *in* 3. *partem diſputatione* 160. *cap.* 2. *numero* 19. Mratius *diſputatione* 2. *ſectione* 3. & Cardinalis Lugo citatus *n.* 23. *& ſeqq.* 4

Probatur *primò*, auctoritate D. Auguſtini, qui *in tom.* 7. *lib.* 1. *de Baptiſmo contra Donatiſtas capit.* 12. *ſicut*, inquit, *in illo qui fictus acceſſerat, fit, vt non denuò baptizetur, ſed ipſâ piâ correctione; & vera Confeſſione purgetur, quod non poſſet ſine Baptiſmo, ſed vt quod antè datum eſt, tunc valere incipiat ad ſalutem, cùm illa fictio veraci Confeſſione receſſerit.* Vbi ſanctus Doctor planè docet peccatum fictionis, id eſt, illud quod committitur, indignè recipiendo Baptiſmum, purgari, ſeu recedere veraci Confeſſione; quod eſt nomen Sacramenti Pœnitentiæ.

Secundò, omnia peccata poſteriora Baptiſmo ſunt materia Sacramenti Pœnitentiæ, vt conſtat: at prædictum peccatum fictionis eſt poſterius Baptiſmo. Quod ſic oſtendo: nam licèt illud committatur in eodem inſtanti temporis, quo ſuſcipitur Baptiſmus, & conſequenter ſit ſimul tempore cum illo; eſt tamen poſterius naturâ, quia illius peccati malitia conſiſtit in indigna ſuſceptione tanti Sacramenti, vnde non intelligitur homo fictionis culpam committere, niſi habeat pro obiecto, & quaſi materia ſui delicti, indignam ſuſceptionem Baptiſmi; cùm ergo obiectum ſeu materia, circa quam verſatur actus, ſit quidpiam actu prius naturâ, ſit, Sacramentum Baptiſmi eſſe prius aliquo modo, quam fictionem, & conſequenter peccatum illud eſſe poſterius, & ad Pœnitentiæ Sacramentum pertinere. Firmatur, nam cùm actus exterior, quo conſummatur ſacrilegus affectus, ſit ipſe Baptiſmus ab illo homine ſuſceptus, ſequitur quòd ſacrilega ſuſceptio Baptiſmi vt opere conſummata ſupponatur ſaltem ex modo loquendi, & concipiendi ad noſtrum Baptiſmum; non enim poſſumus intelligere Baptiſmum ſacrilegè ſuſceptum, quin illum ſuſceptum intelligamus; at verò illum ſuſceptum intelligere poſſumus, quin illum intelligamus ſacrilegum; ergo vt ſacrilegè ſuſceptus, poſterior eſt, ſaltem ratione noſtra, ipſa ſuſceptione Baptiſmi; ergo vt ſic, erit materia Sacramenti Pœnitentiæ. Ad hoc enim ſpectant omnia peccata Baptiſmo poſteriora, ſeu quæ intelliguntur commiſſa poſt Baptiſmum. Et patet, quia eo ipſo quòd peccatum illud ſacrilegij, vt opere conſummatum, ſit poſterius modo prædicto, ipſo Baptiſmo ſuſcepto, intelligitur eſſe ab homine priùs Chriſtiano, & ſubdito Eccleſiæ: ergo ſubiiciendum eſt clauibus ipſius Eccleſiæ, vt per Sacerdotalem ſententiam remittatur: ad Eccleſiam enim pertinet iudicium exercere de domeſticis Fidei, quos Chriſtus Dominus lauacro Baptiſmi ſui corporis membra ſemel effecit, ſi ſe poſtea crimine aliquo contaminauerint, vt docet Tridentinum

Seſſione 14. capite 2. & Nos ponderauimus ſuprà *ſect. 3. numero 3.*

Idem probo *tertiò*, quia peccatum iſtud ſacrilegij vt opere conſummatum, eſt per ſe remiſſibile per aliquod Sacramentum, vt eſt certum, & omnes fatentur, ſed nō eſt per ſe remiſſibile per Baptiſmum; ergo per Sacramentum Pœnitentiæ. Minor probatur, quia nullum Sacramentum eſt per ſe inſtitutum ad delendum peccatum, cui eſſentialiter antecedat. Patet. Tum quia ſicut nullum Sacramentum eſt per ſe inſtitutum ad cauſandum effectum, quem per ſe ſupponit; ita neque peccatum eſt per ſe delebile à Sacramento, quod eſſentialiter ſupponit. Tum etiam quia Sacramenta ſunt medicinæ curatiuæ præcedentium peccatorum, & præſeruatiuę ſequentium, non verò ſunt medicinę curatiuæ ſequentium peccatorum, quoniam medicinæ curatiuæ non adhibentur, donec ægritudo inſit.

Vltimò, qui ficte accedit ad Baptiſmum, & culpabiliter, aduertendo malitiam Sacrilegij, irrogat illi grauem iniuriam, tractando nimirùm tantum Sacramentum ſine debita reuerentia: ergo ad Eccleſiam, cuius munus eſt, curam agere de cultu debito Sacramentis pertinebit de hoc peccato iudicium ferre, & debitam illi pœnam infligere, præcipuè cùm ſit commiſſum ab homine iam prius ipſi Eccleſiæ ſubdito; ergo ſubiicitur clauibus Eccleſiæ: ſed hoc iudicium, & poteſtatem clauium erga culpas exercet in hoc Sacramentali foro Pœnitentię; ergo ad hoc tribunal deferendum eſt prædictum peccatum ſacrilegæ ſuſceptionis Baptiſmi.

5 Dico *ſecundò*, non eſſe obligationem aperiendi in Confeſſione Sacramentali numerum volitionum indignæ ſuſceptionis, ſi fortè præceſſerūt moraliter, interrupto tempore ante indignam Baptiſmi ſuſceptionem; ſed ſatis eſſe, explicare peccatum iſtud opere conſummatum. Ita notauit Mæratius *ſect. 4. citata, §. Nec refert*, & Coninck *queſt. 62. de Sacramentis, num 97.* Hoc dictum iudico verum, ſiue peccata omninò Baptiſmum concomitantia ſint aperienda in Confeſſione, vt vult Coninck; ſiue ſolùm ſubſequentia ſaltem naturâ, vt ſentit Mæratius. Ratio huius eſt, quia ſolùm peccatum illud externo opere conſummatum eſt poſterius naturâ Baptiſmo; ſecùs volitiones. Ratio alterius eſt, quia in opere externo ſufficienter exprimitur voluntas interna, quæ, dum datur Baptiſmus, adhuc durat, & non niſi vna durare poteſt. Vnde infert ipſe Coninck, ſi peccatum conſummetur in actu interno, hic ſolus confitendus erit, qui adhuc tunc durat.

6 Ad argumenta oppoſita. Ad primum, conceſſo Antecedente, negatur Conſequentia. Nam ſine vllo fundamento dicitur, ſola peccata tempore poſteriora Baptiſmo, eſſe materiam Sacramenti Pœnitentiæ. Tridentinum enim ſolùm aſſeruit, quòd peccata hominis, qui priùs quàm illa committeret, non fuerit in Eccleſiam ingreſſus, nōn pertineant ad iudiciū ipſius Eccleſiæ, quod exercet in Pœnitentiæ foro: quòd domeſtici Fidei, ſi ſe poſtea crimine aliquo contaminauerint, ante hoc tribunal ſiſtant: ac denique quòd Sacramentum Pœnitentiæ ſit neceſſarium lapſis poſt Baptiſmum. At neque particula, *prius*, abſolutè ſignificat ſolam prioritatem temporis; neque particulæ *poſtea*, & *poſt*, ſolam temporis poſterioritatem. Nam ex communi vſu, & modo loquēdi indifferenter ſunt prædictæ particulæ ad ſignificandas tā prioritatem, & poſterioritatem naturæ, quàm temporis: ſic enim dicere ſolemus: Ante Solis ortum non eſt lux, poſteà verò eſt lux, Item ante vſum rationis non peccat homo, poſtea verò peccat. Vbi illud, *ante*, quod idē eſt quòd *prius*, & illud, *poſteà*, non includunt ſolùm tempus antecedens, & ſubſequens, ſed etiam ſigna prioris & poſterioris naturæ: includunt enim primū inſtans, quo Sol eſt ortus; vel quo primùm datur vſus rationis, in primo autem inſtanti nequeunt niſi ſigna prioris & poſterioris naturæ dari.

Ad ſecundum dico, quamuis tota malitia formalis conſiſteret in ſola voluntate illa interna præcedente, negari tamen non poſſe illam compleri per opus externū. Et quamuis hoc nullam aliam libertatem formalem habeat, niſi libertatem actus interni; hanc tamen virtualiter ſaltem exiſtere in ipſo ſigno operis externi, per quod protrahitur, & continuatur libertas illa actus interni. Quare ſicut peccatum commiſſum tempore ante Baptiſmum, vel in ipſo inſtanti, quo terminatur Baptiſmus, ſi tamen voluntariè continuetur poſt illud, eſt materia Sacramenti Pœnitentiæ; ſic opus illud externum, quod eſt voluntaria quædam continuatio voluntatis internæ, cùm ſit poſterius Baptiſmo, pertinere debet ad Pœnitentiæ Sacramentum. Vnde ſicut peccatum commiſſum ante Baptiſmum, ſi continuetur in ipſo inſtanti Baptiſmi, vel poſt Baptiſmum, nequit remitti per Baptiſmum: ita neque illa voluntas interna remitti poteſt per Baptiſmum, quoties completur, vel continuatur per opus externum poſt Baptiſmum completum; præcipue cùm aduertenter compleatur, & in ſtatu quo peccator illud opus externum liberè cohibere poterat. 7

Ad tertium reſpondeo, quod non ſufficeret, eſſe ſubditum Eccleſiæ, quando ponitur opus externum, ſi illa voluntas nec formaliter, nec virtualiter perſeueraret: hoc eſt certum. Cæterùm id diuerſo modo ſe habet in illo caſu pollutionis, atque in hoc alio noſtro caſu. Nam in illo caſu voluntas illa, quâ quis dedit cauſam culpabilē pollutioni, licèt dici queat in aliquo ſenſu, etſi minùs proprio, perſeuerare illam voluntatem, quia perſeuerat habitualiter, dum in ſomno patitur pollutionem, quæ eſt effectus illius voluntatis non retractatæ: tamen abſolutè moraliter non perſeuerat, quia nec perſeuerat formaliter, nec virtualiter: non formaliter, quia actu nō exercetur libertas illius voluntatis: neque virtualiter, quia tunc non intelligitur homo ille potens retractare illam voluntatem, & non retractat: quod requiritur vt propriè dicatur voluntas virtualiter perſeuerans. At in noſtro caſu non ſolùm virtualiter, ſed etiam formaliter perſeuerare dicitur illa voluntas, dum ſacrilegè ſuſcipitur Baptiſmus, cùm homo ſemper voluntariè adſit, aduertendo malitiam indignæ ſuſceptionis. 8

Ad vltimum, negatur Minor: ad eius probationem dico, tametſi verum ſit per Baptiſmum applicari pretiū ſanguinis Chriſti ad ſoluendum, & extinguendū omnia debita naturâ, vel ratione priora, vel ſimul naturâ & ratione comitantia ipſum Baptiſmum; non tamen id eſt verum, ſed omninò falſum de debitis naturâ, vel ratione ſubſequentibus ipſum Baptiſmum; quale dicimus eſſe peccatum formalis fictionis. Si enim de his debitis illud ſuaderet ratio illa pretij ſanguinis Chriſti, probaret etiam Baptiſmum habere efficaciam ad extinguendum peccata committenda tempore ſequenti poſt Baptiſmum: quia ſanguis Chriſti continebat pretium ad ſoluendum, non ſolùm pro peccatis præteritis, & tunc præſentibus, ſed etiam pro futuris Ratio autem cur Baptiſmus non habet virtutem, & efficaciam ad delenda peccata ipſa naturâ, ſeu ratione poſteriora, tametſi habeat ad alia omninò concomitantia, deſumitur ex inſtitutione Sacramenti Pœnitentię, in quo Sacerdotes conſtituti à Chriſto Domino iudices ſunt pro peccatis à fidelibus, & Eccleſiæ ſubditis commiſſis: peccatum autem formalis fictionis vt opere conſummatum, iam ſupponat prioritate naturæ, vel rationis ipſam ſuſceptionem Baptiſmi, ratione cuius ille homo iam denominatur Chriſtianus, domeſticus Fidei, & Eccleſiæ ſubditus, optimè intelligitur quo pacto ſit peccatum ab homine Chriſtiano commiſſum, atque adeò deferendum eſſe ante tribunal Chriſti in Pœnitentiæ Sacramento: 9

at

Digitized by Google

at verò peccata omninò ſimultanea cum ipſo Baptiſmo non videntur fieri ab homine Chriſtiano, cum nullo pacto ſupponant pro aliquo priori hominem eſſe Chriſtianum. Ad exemplum Regis remittentis Petro v. g. omnia debita vſque ad præſentem diem contracta: reſpondeo, ſi aliunde conſtaret de voluntate Regis nolentis per eam remiſſionem comprehendere illa debita ipſa die & momento contracta, certè illa non manerent extincta, & remiſſio intelligeretur de debitis contractis vſque ad illam diem excluſiuè. Cùm autem nobis conſtet ex inſtitutione Sacramenti Pœnitentiæ noluiſſe remittere Chriſtum per Baptiſmum, ſed per Pœnitentiæ Sacramentum, peccata Baptiſmo naturâ, vel ratione poſteriora; conſtat voluntatem extinguendi debita per Baptiſmum, non ſe extendere niſi ad peccata ante Baptiſmum; vel ad ſummum ſimul tempore, natura, & ratione cum ipſo Baptiſmo commiſſa.

SECTIO VII.

An Sacramentum Pœnitentiæ per ſe, & ex vi ſuæ inſtitutionis remittere poſsit alia peccata, quæ fiunt ſimul cum Baptiſmo.

Senſus quæſtionis eſt, an cætera omnia peccata quæ committuntur in ipſo vltimo inſtanti, quo ſuſcipitur Baptiſmus, v. g. odium, luxuria, furtum, & quæuis alia, quæ impediunt fructum ipſius Baptiſmi; non verò aduertitur inuincibiliter malitia ſacrilegij; an inquam, ea peccata pertineant ad Sacramentum Pœnitentiæ, tanquam neceſſaria illius materia, ac proinde ſint explicanda in Confeſſione Sacramentali ſecundùm proprias cuiuſque ſpecies, & numerum? Suppono autem illa peccata durare tantùm pro illo inſtanti, quo completur Baptiſmus: nam ſi vlteriùs durant, certum omninò eſt eſſe materiam neceſſariam Sacramenti Pœnitentiæ, & aperienda eſſe in Confeſſione ſecundùm proprias ſpecies, & numerum.

Partem affirmantem, prædicta videlicet peccata in ſuſceptione Baptiſmi cōmiſſa pertinere ad Pœnitentiæ Sacramentum, tanquam illius materiam neceſſariam, defendunt Layman *lib. 6. n.* 104. Coninck citatus *n.* 95. & 96. & ex profeſſo noſter Cardin. Lugo *diſp. 16. ſect.* 1. à *n.* 23. qui tametſi contrariā partem olim defendiſſe fateatur, nunc verò affirmatiuam viriliter tuetur.

Probari poteſt hæc ſententia. *Primò*, quia tam cætera peccata, quam fictio, ſunt peccata hominis Baptizati, & fidelis intra Eccleſiam exiſtentis: ergo ſi peccatū fictionis ſubditur clauibus Eccleſiæ in Sacramento Pœnitentiæ, vt vidimus *ſect. præcedenti*, cætera etiam ſubdi debent eiſdem clauibus. Firmatur: nam ideò indigna ſuſceptio Baptiſmi non poteſt poſtea per ipſum dimitti, quia directè impedit, & quaſi eneruat ipſius vim: ſed alia peccata eodē modo opponuntur virtuti Baptiſmi, eiúſque impediunt; ergo nō poſſunt per ipſum remitti, ſed per Sacramentū Pœnitentiæ. Minor probatur, quia indigna ſuſceptio Sacramēti Baptiſmi, ideò eius virtutē directè impedit, quia directè repugnat debitę diſpoſitioni: atqui quodlibet aliud peccatū mortale, dū actu durat, ſimiliter huic repugnat, quia actualis complacentia in peccato mortali directè repugnat abſolutæ eius deteſtationi, & conſequenter neceſſariæ Attritioni; ergo ſimiliter impedit eius virtutem.

Secundò, pro prædictis peccatis commiſſis in vltimo inſtanti Baptiſmi, poteſt homo ab Eccleſia excōmunicari & puniri; ergo peccata illius inſtantis pertinent ad tribunal Eccleſiæ: nam quoties cenſura pertinet ad Eccleſiam, à fortiori ad eandem pertinere debet culpa & peccatum; neque enim poteſt quis excommunicari propter aliquod peccatum, a quo non poſſit abſolui per Eccleſiam. Antecedens probatur, quia in illo inſtanti homo illi iam eſt ſubditus Eccleſiæ; ergo Eccleſia habet ſuperioritatem, & iuriſdictionem in illum; hæc enim duo ſunt correlatiua: ergo illo inſtanti ligatur Eccleſiæ legibus, & peccare poteſt contra illas, ac per conſequens poterit puniri ab eadem Eccleſia propter talia peccata. Sicut Religioſus, qui eodem inſtanti quo emittit vota Religionis, poteſt contra illa vota peccare, ſi tunc habeat intentionem aliquid accipiendi abſque licentia Prælati, &c. Item coniux eodem inſtanti, quo contrahit matrimonium, poteſt peccare contra ius coniugij, ſi habeat intentionem fornicandi, ſeu adulterium committendi; ergo etiam eodem inſtanti quo quis ſe ſubiicit Eccleſiæ, poteſt peccare contra ius Eccleſiæ, & per conſequens poteſt ab illa iam puniri, & excommunicari.

Tertiò, nullum peccatum cōmiſſum in inſtanti Baptiſmi poteſt remitti per ipſum Baptiſmum; ergo omnia debent remitti per Sacramentum Pœnitentiæ. Antecedens probatur, quia ſi aliquod peccatum illius inſtantis poſſet remittere Baptiſmus; vel illius remiſſionem cauſaret per ſe, vel per accidens: at neutro modo. Patet, quia inprimis nequit per ſe, quia Baptiſmus per ſe, & ex ſua inſtitutione exigit diſpoſitionem in adulto recipiente, & carentiam obicis; ergo non ordinatur per ſe ad illud peccatum auferendum, quod eſt obex: atqui omne peccatum commiſſum in eo inſtanti eſt obex; ergo nullum poteſt ab eo per ſe remitti. Deinde neque per accidens, quia ad hoc neceſſe eſſet vt remiſſio illius peccati includeretur aliquo modò in effectu quem ſignificat Baptiſmus; alioqui non poteſt illam cauſare, cùm ſolùm cauſet quod ſignificat, ſicut omnia alia Sacramenta quæ ſignificando cauſant: remiſſio autem illius peccati non ſignificatur vllo modo per formam Baptiſmi; nam huius verba ſignificant ablutionem, & purgationem ab illis peccatis, ad quorum expiationem ponendam exigit retractationem præcedentem tanquam diſpoſitionem: ſicut abſolutio Sacramentalis exigit dolorem, & deteſtationem peccatoris.

Quartò, indulgentia etiam pleniſſima peccatorum ſolùm extenditur ad peccata præcedentia retractata, nō verò ad illud peccatum veniale, quod fortè committeret eo inſtanti, quo homo indulgentiam lucratur, quia nimirùm indulgentia ad ſuum effectum requirit dolorem, & retractationem peccati, quam retractationem non poteſt exigere circa peccatum illius inſtantis, cùm non poſſit peccatum retractari eo inſtanti, quo fit: ergo ſimiliter indulgentia, & remiſſio pleniſſima, quam Baptiſmus ex vi ſuæ inſtitutionis adfert, non extenditur ad peccatum præſens, ſed ad præterita, quia circa hęc ſolùm præcedere potuit retractatio quam Baptiſmus præexigit circa peccata, quorum expiationem ſignificat.

Vltimò, Tridentinum *ſeſſione* 14. *cap.* 2. omnia hominum peccata diuidit in duas claſſes; alteram eorum quæ fiunt foris, hoc eſt, extra Eccleſiam; alteram eorum quæ fiunt intus, id eſt intra Eccleſiam vel poſtquam homo baptizatus eſt: ſed peccata quæ committuntur in eodem inſtanti Baptiſmi, non pertinent ad primam claſſem eorum quæ fiunt foris; ergo pertinere debent ad ſecundam eorum quæ fiunt intus: atque ideò pertinent ad Sacramentum Pœnitentiæ. Confirmatur, nam Tridentinum citatum *cap.* 5. vniuerſaliter docuit Chriſtum reliquiſſe *Sacerdotes ſuis Vicarios, & tanquam Præſides, & Iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Chriſti fideles ceciderint:* Quæ verba vniuerſalia ſunt, & comprehendunt omnia peccata mortalia in quæ quilibet fidelis ceciderit. At peccatum illud odij, vel furti, eſt peccatum in quod fidelis

fidelis cecidit; ſiquidem committitur in eodem inſtanti reali in quo ſuſcipitur Baptiſmus, ergo fundamentum eſt in Tridentino ad aſſerendum illud peccatum pertinere ad Iudices Eccleſiæ, & conſequenter ad Sacramentum Pœnitentiæ.

3 Contrariam ſententiam docentem, omnia peccata, quæ committuntur in inſtanti vltimo quo perficitur, & completur Sacramentum Baptiſmi, præter fictionem formalem, dequa iam diximus *præcedenti ſectione*, remitti per Baptiſmum, & conſequenter per ſe non ſpectare ad Sacramentum Pœnitentiæ, iudico veriorem. Quæ etiam communior eſt inter Doctores, quam ſequuntur Vaſquez *tom. 2. in 3. p. diſputat. 160. cap. 2. à numer. 18.* Suarez *tom. 3. in 3. p. diſp. 28. ſect. 5. §. ſed quæres*, Mæratius *diſp. 10. de Baptiſmo, ſect. 1.* Granado *de pœnitent. diſputat. 3. numer. 6.* & plerique Alij apud ipſos. Probatur à priori. Nam ad Sacramentum Pœnitentiæ per ſe, & ex vi ſuæ inſtitutionis, ſolùm pertinent tanquam materia illius, peccata quæ committuntur ab homine iam priùs fideli, & Eccleſiæ ſubdito: ſed peccatum odij verbi gratia vel furti, quod committitur in ipſo inſtanti Baptiſmi, quando quis inuincibiliter ignorat malitiam indignæ ſuſceptionis Baptiſmi, quod committitur in indigna ſuſceptione, non committitur ab homine fideli & Eccleſiæ ſubdito; ergo huiuſmodi peccatum non eſt materia Sacramenti Pœnitentiæ. Conſequentia optima eſt. Maior eſt Tridentini: nam ea ſolùm peccata ex Tridentino deferenda ſunt ad tribunal Pœnitentiæ, quibus domeſtici Fidei ſe, poſteaquam baptizati ſunt, contaminauerint; & conſequenter quæ fiunt ab homine iam prius baptizato. Minor probatur, quia Baptiſmus nullam habet prioritatem independentiæ, naturæ, vel rationis reſpectu odij Dei, v. g. quia ſicut poſſumus intelligere Baptiſmum ſine odio Dei, imò & ille exiſtere poteſt ſine hoc, ita intelligere poſſumus odium Dei ſine Baptiſmo, & ſine hoc illud ex natura rei exiſtere valet: ergo peccatum iſtud non fit ab homine iam priùs fideli, & Eccleſiæ ſubdito. Confirmatur; nam Eccleſia in neminem iudicium exercet, niſi prius in ipſam per Baptiſmi ianuam fuerit ingreſſus; ergo neque iudicium exercere poteſt niſi in peccata commiſſa ab eo, qui priùs in Eccleſiam fuerit ingreſſus. Patet Conſequentia; nam ideò Eccleſia non poteſt exercere iudicium in perſonam, quæ prius non fuerit in ipſã per Baptiſmi ianuã ingreſſa, quia in eam nullam obtinet iuriſdictionem; ſed etiam nullam habet iuriſdictionem circa ea, quæ fiunt ab iis, qui non fuerint prius in Eccleſiam ingreſſi: ergo circa ea non poteſt iudicium exercere. Hæc Minor probatur, quia ideò Eccleſia non habet vllam iuriſdictionem niſi in eos, qui prius in ipſam ingreſſi ſunt, quia priùs debet intelligi aliquem eſſe in Eccleſiæ territorio, quàm fieri eius ſubditum; & priùs fieri eius ſubditum, quàm eam habere in eum iuriſdictionem; ſed hæc ratio etiam militat in peccatis; nã niſi [illegible] intelligatur eſſe Eccleſiæ ſubditus, in eúmque Eccleſi[illegible] habere iuriſdictionem prius quàm peccata committa[illegible] hæc non intelliguntur fieri à ſubdito Eccleſiæ, & conſeq[illegible]enter Eccleſiam non habere circa ea iuriſdictionem, [illegible]icut nullam habet circa delicta extra Eccleſiam comm[illegible] ſiue facta ab homine extra Eccleſiam conſtituto: ſicut e[illegible] iuriſdictio in perſonis non extenditur, niſi ad eas, qu[illegible] intra Eccleſiam ſunt; ita iuriſdictio in delicta non exte[illegible]tur niſi ad ea, quæ intra Eccleſiam committuntur; erg[illegible] iuriſdictio in perſonas, vt eas comprehendat, ſuppo[illegible] eas prius in Eccleſiam ingreſſas: ita iuriſdictio in delict[illegible] ſupponere debet ea fieri ab iis, qui intra Eccleſiam prius [illegible]t: alioquin peccata ante Baptiſmum commiſſa poſſen[illegible]tiam pertinere ad Iudices Eccleſiæ poſt Baptiſmum ſu[illegible]tum quia iam tunc exercerent actum iuriſdictionis in [illegible]um qui factus fuerat ſubditus Eccleſiæ. Igitur illa pa[illegible]cula

prius, non ſolùm referri debet ad tempus in quo exercetur iudicium, ſed etiam ad tempus, in quo peccatum committitur. Quare dicendum eſt circa peccatorum omnium per Baptiſmum remiſſionem, per eum remitti poſſe omnia quæ realem eius ſuſceptionem non modò præceſſerunt, ſed etiam concomitantur, dummodò tamen eo ſuſcepto non ſint ordine naturæ poſteriora, cuiuſmodi eſt peccatum formalis fictionis, in ipſa eiuſdem Baptiſmi indigna ſuſceptione formaliter conſiſtens, cùm prius naturæ ordine ſit, Sacramentum ſuſcipi, quàm dignè, vel indignè ſuſcipi; quòd proinde *ſect. præced.* hoc fictionis peccatum diximus eſſe Confeſſionis & abſolutionis Sacramentalis materiam: cætera verò peccata Baptiſmum reali duratione, & præcedentia, & concomitãtia, cùm non ſint Baptiſmo naturę ordine poſteriora, imò priora, non per Sacramentũ Pœnitentiæ, ſed per Baptiſmũ remitti poſſe. Quod vltimũ tãdẽ cõfirmo, quia licet ea peccata ſint in eodẽ inſtãti tẽporis in quo Baptiſmus recipitur, nihilominùs tamen Baptiſmus, vt pote quid ſupernaturale extrinſecus adueniens homini, eſt poſterior, quàm facultates & operationes naturales, quæ nullam in genere moris oppoſitionem habent ad Baptiſmum; peccata autem actualia, de quibus modò eſt ſermo, ſunt naturales operationes, & aliunde qui eas efficit, inuincibiliter credit, nullatenùs opponi Baptiſmo, aut eius effectui, & conſequenter non imputatur homini, quòd cùm Baptiſmum recipit, illa committat. Sicut ergo peccatum formalis fictionis pertinet ad materiam Sacramenti Pœnitentiæ, & ad id Sacramentum, quia eſt natura poſterius quàm Baptiſmus; ita iſta alia peccata actualia non erunt materia Pœnitentiæ, quia ſunt priora ſecundùm naturam, quàm ſit Baptiſmus.

Hinc patet ſolutio ad primum argumentum ſententiæ contrariæ. Ad Confirmationem negatur Minor, *quia* illa peccata committuntur ab homine inuincibiliter ignorante malitiam indignæ ſuſceptionis *Baptiſmi*; & ideò illi formaliter non opponuntur. 4

Ad ſecundum, negatur Antecedens; non enim Eccleſia habet ſuperioritatem & iuriſdictionem, vt puniat prædicta delicta, cùm nullatenus ſint naturâ poſteriora, nec fiant ab homine iam prius Eccleſiæ ſubdito: Exẽpla illa non ſunt contra noſtram doctrinam. Nam Religioſus ideò in eo inſtanti, quo emittit vota Religionis, poteſt peccare contra illa, quia habet intentionem peccãdi contra aliquod ex illis votis ex malitia, ſciens videlicet id eſſe peccatum ſacrilegij contra votum, vel vota quæ emittit; vnde illud peccatum, vt peccatum completum ſacrilegij, eſt poſterius naturâ voto Religionis; ob eandem rationem, quâ diximus *præced. ſect.* peccatum formalis fictionis eſſe poſterius naturâ Baptiſmo. Idem eſt de alio exemplo coniugis, ſi eodẽ inſtanti, quo contrahit matrimonium, habeat intentionem adulterium committendi ex plena aduertentia.

Ad tertium negatur Antecedens. Ad probationem dico, tametſi Sacramentum Baptiſmi non poſſit per ſe remittere peccatum formalis fictionis, quia directè & per ſe includit oppoſitionẽ repugnãtem effectui Baptiſmi, quia directè & per ſe tollit neceſſariã diſpoſitionem ad illum, in quo eius malitia cõſiſtit; & ideò nõ potuit Baptiſmus directè & per ſe inſtitui ad tollendũ illud peccatũ, cùm potius ex ſua inſtitutione prærequirat ad ſuũ effectũ contrariã diſpoſitionẽ, ſine qua neque illud peccatũ, neque aliud delere poteſt. At reliqua peccata ex ſe non habent directè repugnare effectui Baptiſmi & obicẽ illi ponere, ſed hoc per accidens cõtingit ex ſola cõcomitantia; & conſequenter Baptiſmus non habet ex vi ſua, vt non tollat eiuſmodi peccata, ſed ſolùm per accidens ex ſola concomitantia temporis, & conſequenter Baptiſmus non habet ex vi ſua, vt tollat eiuſmodi peccata, ſed ſolùm per accidens ex actuali indiſpoſitione voluntatis. Præterea certum eſt, Baptiſmum non 5

no[illegible]

Digitized by Google

poſſe, neque per accidens remittere peccatum vllum commiſſum in eodem inſtanti; quia quoduis peccatum in eo inſtanti commiſſum eſt obex effectui Sacramenti; atque adeò neque peccata commiſſa in eo inſtanti, neque antecedentia remittere valet tunc; alioquin in eodem inſtanti eſſet ſimul, & non eſſet idem peccatum; eſſet quidem, quia ſupponitur; non eſſet, quia remitteretur. At poſtea remoto obice praui affectus ad furtum, verbi gratia per retractationem illius, poterit ſanè per ſe remittere peccatum furti concomitans ipſum Baptiſmum, ſicut poteſt antecedentia, in ſententia valde probabili, quam modò ſupponimus, aſſerente, dari poſſe Sacramentum Baptiſmi validum, & informe, & hoc remoto obice tribuere ſuum effectum remittendi peccata. Vnde remoueri obicem formaliter non eſt, remoueri ipſum peccatum, ſed remoueri indiſpoſitionem, ſeu carentiam diſpoſitionis requiſitæ vt remittantur peccata; carentia autem diſpoſitionis remouetur formaliter per diſpoſitionem, & diſpoſitio eſt retractatio illius praui affectus, quæ includitur in Attritione intra Sacramentum, vel Contritione extra illud. At peccatum remittitur per ipſum Sacramentum; eſt enim remiſſio peccati, operatio, & effectus Sacramenti.

10 Ad quartum, conceſſo Antecedente, negatur Conſequentia: nam indulgentia plenaria ſortitur ſuum effectum dum lucratur; cùm autem in inſtanti vltimo in quo lucratur, nequeat concipi dolor illius peccati venialis quod tunc committitur, hinc eſt, non poſſe remitti per illam indulgentiam; quia hoc ex mente Pontificis ſolùm ſe extendit ad peccata retractata. At Baptiſmus ſortiri poteſt ſuum effectum poſtquam in re ſuſceptus eſt; atque adeò ſi dolor peccati commiſſi in eo inſtanti antecedat poſteà effectum Sacramenti, ſub hoc poterit remiſſio illius peccati comprehendi.

11 Ad vltimum admitto illam diuiſionem, & dico peccata prædicta Baptiſmum omninò concomitantia, reducenda potius eſſe ad claſſem eorum, quæ fiunt extra Eccleſiam, quàm ad claſſem eorum quæ intra Eccleſiam fiunt, cùm pro priori ante ſuſceptionem Baptiſmi potiori iure extra, quàm intra Eccleſiam eſſe dici poſſit illa committens. Nam licèt ille homo pro illo inſtanti reali ſit Chriſtianus, & realiter ſit intra Eccleſiam, pro illo priori adhuc non intelligitur homo ille poſitiuè Eccleſiam ingreſſus, illiúſque ſubditus: atque adeò eo ipſo quòd peccata fiant ab homine, qui pro priori, in quo intelligitur vt cauſa illorum peccatorum, non intelligitur adhuc fidelis, & Eccleſiæ ſubditus; intelliguntur fieri ab homine non fideli, & non ſubdito Eccleſiæ, & conſequenter ab homine adhuc foris, ſeu extra Eccleſiam exiſtente. Id enim eſt, non eſſe intra Eccleſiam quoad præſens inſtitutum, ac eſſe extra illam. Et ratio à priori eſt, quia pro illo priori in quo homo intelligitur vt cauſa illorum peccatorum, adhuc non intelligitur Baptiſmus ſuſceptus, & conſequenter adhuc non intelligitur in Eccleſiam ingreſſus, domeſticus Fidei, & Eccleſiæ ſubditus; vnde neque intelliguntur peccata fieri à domeſtico Fidei, & Eccleſiæ ſubdito; atque ideò hic non tenebitur vt lapſus poſt Baptiſmum, tanquam reus ſe ſiſtere ante tribunal Eccleſiæ, quod eſt Sacramentum Pœnitentiæ. Ad Confirmationem reſpondeo, verba illa vniuerſalia Concilij Tridentini intelligenda eſſe de omnibus peccatis poſt Baptiſmum commiſſis, vt verba antecedentia ipſius capitis quinti manifeſtè declarant. Ait enim Tridentinum: *Vniuerſa Eccleſia ſemper intellexit, inſtitutam eſſe à Domino integram peccatorum Confeſſionem, & omnibus poſt Baptiſmum lapſis iure diuino neceſſariam exiſtere*, Et addit ſtatim: *quia Dominus noſter Ieſus-Chriſtus, è terris aſcenſurus ad cælos, Sacerdotes ſui ipſius vicarios reliquit tanquam præſides & iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Chriſti fideles corruerint.* Quare vt probaret integritatem Confeſſionis Sacramentalis de omnibus peccatis poſt Baptiſmum commiſſis, ſubdit verba illa vniuerſalia; *Ad quos omnia mortalia crimina deferantur.* Quæ nihil aliud probant, quàm confitenda eſſe omnia mortalia poſt Baptiſmum commiſſa, ſecundùm proprias ſpecies & numerum, quorum notitiam poſt diligentem diſcuſſionem habuerit conſcientia pœnitentium.

DISPVTATIO XVII.

Qualis ſit eſſentia Sacramenti Pœnitentiæ.

QVoniam huius Sacramenti Pœnitentiæ eſſentia duobus modis conſiderari poteſt, videlicèt Metaphyſicè, & phyſicè, vel quaſi phyſicè; ideò vt illa exactè maneat explicata, eam vtroque modo in hac diſputatione expendemus.

SECTIO PRIMA.

Quænam ſit eſſentia Metaphyſica Sacramenti Pœnitentiæ.

SIcut eſſentia & definitio phyſica cuiuſque rei conſtat ex materia & forma, ſiue ex partibus eſſentialibus phyſicis; ita etiam eſſentia & definitio metaphyſica ex ſimili ſua materia & forma conſtituitur, ſeu ex partibus eſſentialibus metaphyſicis, genere ſcilicet, ac differentia. Vnde cùm eſſentia metaphyſica Sacramenti Pœnitentiæ ex genere ac differentia coaleſcat, videndum nunc eſt, quodnam ſit genus, & differentia illius. 1

Ad quod explicandum, obſeruandum eſt, in hoc Sacramento duplicem compoſitionem poſſe & debere conſiderari. Prima eſt ex ſigno, & ſignificatione: nam in omni Sacramento inuenitur id quod aſſumitur ad ſignificandam gratiam, & ipſa ſignificatio, ſeu inſtitutio. Ipſa ſignificatio, ſeu inſtitutio eſt forma; reliqua verò omnia, & ipſa etiam abſolutio ſunt materia, quia ea omnia aſſumuntur, & inſtituuntur ad ſignificandam gratiam. Secunda compoſitio poteſt conſiderari in ipſa materia ſignificante; nam hæc etiam rurſus componitur ex materia & forma, ſcilicet ex actibus Pœnitentiæ, tanquam materia, & ex verbis Sacerdotis tanquam forma: ſicut etiam in Baptiſmo, Ablutio eſt materia, & Verbà ſunt forma; & vtraque eſt materia reſpectu alterius formæ, quæ eſt ſignificatio gratiæ. Prior compoſitio deſeruit ad præſentem quæſtionem; poſterior verò ad 2

ad ſequentes. Itaque illa prior compoſitio fit ex ipſo ſigno, quod conſiſtit in materiali Sacramenti, quia totum id aſſumitur ad ſignificandam gratiam tanquam ex parte materiali; & ex ipſa ſignificatione, ſeu inſtitutione diuina, tanquam ex parte formali: eo modo quo moneta coaleſcit ex materia, & forma æris, tanquam ex materia, & ex ſigillo Principis, quo denotatur valor, tanquam ex forma.

3 Hoc præmiſſo, dico Sacramentum Pœnitentiæ habere ſuam eſſentiam metaphyſicam. Patet, quia eſſentialiter includit rationem genericam Sacramenti, communem omnibus Sacramentis nouæ Legis, ac ſpecificam, per quam diſtinguitur ab aliis Sacramentis. Secundùm rationem genericam conſideratum, eſt ſignum ſenſibile ſignificans, & conferens gratiam ſanctificantem; ſecundùm propriam differentiam ſignificat, & confert gratiam per modum iudicij ad ſoluenda peccata poſt Baptiſmum commiſſa. In quo differt hoc Sacramentum Pœnitentiæ ab omnibus aliis Sacramentis. Ex quo fit, cùm hoc Sacramentum ſit ſignum ſenſibile ſignificans, & conferens gratiam ſub ſua dicta propria ratione, neceſſariò debet habere in ratione ſigni duplicem partem, ſeu quod idem eſt, materiale, & formale: materiale cenſetur eſſe omnis illa res externa, & ſenſibilis, cui applicatur virtus ſignificandi, & conferendi gratiam; formale verò eſt ipſamet virtus ſignificandi, & conferendi gratiam ex diuina inſtitutione.

4 Iuxta prædictam eſſentiam metaphyſicam, ſic benè definiri poteſt Sacramentum Pœnitentiæ: Signum ſenſibile, & efficax gratiæ per ſe iudicialiter remiſſiuæ peccati poſt Baptiſmum commiſſi. Vel aliter: Signum ſenſibile & efficax gratiæ, inſtitutum per modum iudicij ad ſoluenda peccata poſt Baptiſmum facta. Vel breuiùs, & fortaſſe melius: Sacramentum iudicialis reconciliationis poſt Baptiſmum. Habent locum generis illæ priores particulæ, ſeu quod idem eſt, vna illa vox, *Sacramentum*; quia in eo conuenit Pœnitentia cum reliquis Sacramentis. Aliæ verò particulæ obtinent vim differentiæ, cum per eas differat Sacramentum Pœnitentiæ, tum à reliquis Sacramentis quæ actu dantur, tum ab aliis quæ dari poſſent, vt à Sacramento quod inſtitueretur ad remiſſionem peccatorum poſt Baptiſmum per ſolam Attritionem ſine Confeſſione Sacramentali: vel per abſolutionem non iudicialem, eam videlicet, quæ non peteret exactam, & particularem cognitionem peccatorum, ſed confuſam, vel nullam.

Communior ſolet eſſe hæc definitio Sacramenti Pœnitentiæ: Sacramentum nouæ Legis, remiſſiuum per ſe omnis peccati poſt Baptiſmum commiſſi. Quæ definitio ſufficiens eſt ad diſtinguendum Sacramentum Pœnitentiæ à reliquis Sacramentis quæ actu dantur, ſed non ab aliis quæ dari poſſunt; ideò illam noſtram huic iudico præferendam.

SECTIO II.

An Sacramentum Pœnitentiæ intrinſecè, & eſſentialiter conſtet ex materia, & forma.

SVperiori ſectione explicuimus eſſentiam metaphyſicam Sacramenti Pœnitentiæ: modò incipimus explicare eſſentiam quaſi phyſicam illius, inquirentes modò, an habeat partes eſſentiales phyſicas, nempe materiam & formam?

1 Ad cuius inueſtigationem, præmitto *primò*, aliud eſſe in Sacramentis materiale, & formale, & aliud materiam & formam. Cùm enim Sacramentum ſit in genere ſigni ad placitum diuinum ſignificantis, vel producentis gratiam; formale illius eſt inſtitutio diuina, per quam determinatur ad ſignificandam, vel producendam gratiam; materiale verò eſt totum ſubiectum, cui tribuitur ſignificatio. At verò materia & forma Sacramentorum pertinent ad ipſum materiale ſuſceptiuum ſignificationis, vel productionis; itaut in illo materiali detur vna pars, quæ ſit quaſi materia, & alia quæ ſit quaſi forma. Quare materia & forma Sacramenti Pœnitentiæ pertinet ad ipſum totum materiale ſubiectum, cui ex diuino beneplacito, ac inſtitutione, tribuitur ſignificatio, ſeu ſignificare, & conferre gratiam reconciliatricem poſt peccatum. Vnde in toto illo quod aſſumitur ad ſignificandam, & conferendam dictam gratiam, debet dari vna pars quæ ſit quaſi materia, & altera quæ ſit quaſi forma.

Præmitto *ſecundò*, materiam Sacramenti non eſſe 2
talem, phyſicè loquendo, ſed moraliter, quia imitatur phyſicam materiam. Ideò enim Doctores compoſitionem reſultantem ex illa, & forma, dicunt eſſe quaſi phyſicam. Et ideò etiam à Conciliis dicitur, quaſi materia. Id verò non tollit, quin iuxta acceptionem moralem, in qua nomen materiæ propriè etiam ſumitur, verè materia ſit: eſt ergo in Sacramento materia, id quod per aliam compartem determinatur, vel deſignatur. Materia enim in compoſito naturali eſt quæ determinatur, & cum determinatione reſpicitur à forma. Forma autem in Sacramētis dicitur pars illa quæ aliam determinat, & deſignat ex vi ſuæ ſignificationis. Sic materia Baptiſmi, v. g. eſt ablutio, quia determinatur, & deſignatur ab alia comparte, nempe à verbis illis: *Ego te baptizo*, &c. Forma verò ſunt prædicta verba, quia determinant, & ex vi ſuæ ſignificationis petunt ablutionem exiſtere, & per hoc determinant illam in exercitio ad ſignificationem gratiæ, ſuppoſitâ diuinâ inſtitutione; quia ex vi huius, quoties ablutio cum verbis debitis exiſtit, habet practicè gratiam ſignificare.

Denique præmitto, materiam Sacramenti aliam eſſe 3
proximam, & intrinſecam, aliam verò remotam, & extrinſecam: prima eſt quæ intimè, & proximè, vel proximiùs ſpectat ad Sacramentum; talis eſt ablutio in ordine ad Baptiſmū; remota verò eſt, quæ remotè ſpectat ad illud, vel quia non eſt materia ex qua fit Sacramentum, vel circa quam verſatur, vel quia non ita immediatè, & proximè illud conſtituit; vt eſt aqua reſpectu Baptiſmi. De illa priori materia eſt modò ſermo; de altera verò *infrà*, ſuo loco.

His poſitis, conſiderando ſolùm generatim partes, ex 4
quibus componitur Sacramentum Pœnitentiæ;

Dico *primò*, hoc Sacramentum adæquatè ſumptum intrinſecè & eſſentialiter conſtare ex aliqua materia totali quaſi phyſica, & ex ſimili etiam forma totali ipſius. Ita communiter omnes Doctores. Probatur *primò*, quia hoc Sacramentū intrinſecè & eſſentialiter eſt ſignum; ſed omne ſignum intrinſecè & eſſentialiter conſtat ex re in eo ſignificante, tanquam ex materia, ſiue ſubiecto totali ſignificationis ipſius, & ex ipſa ſignificatione tanquam ex totali forma eiuſdem; ergo ex eiſdem conſtabit hoc Sacramentum. *Secundò*, quia hoc Sacramentum eſt quoddam artefactum, ſeu cōpoſitum, conſtans eſſentialiter, tam ex his quæ in eo aſſumuntur à Chriſto ad ſignificandā efficaciter gratiam eius, quàm etiam ex intrinſeca ſignificatione eiuſdem gratiæ: omne enim ſignum, aut ſignans vt ſic, vtrumque hoc dicit, & claudit; ſed dicta ſignificatio eſt, & dicitur forma totalis, & quaſi phyſica talis rei ſignantis vt ſic: ea verò quæ in tali re ſignante aſſumuntur ad ſignificandum, vel quæ ſubſtant ei ſignificationi vt ſubiectum ipſius, ſunt

Digitized by Google

ſunt, & dicuntur pariter materia intrinſeca, & quaſi phyſica eiuſdem ſigni, vt conſtat ex notatis *ſect. praecedenti, numero quarto*: ergo hoc Sacramentum adæquatè ſumptum, intrinſece & eſſentialiter conſtabit ex eiſdem tanquam ex materia, & forma totalibus, & quaſi phyſicis eius.

5 Dico *ſecundò*, hoc Sacramentum etiam ex parte dicti ſubiecti ſignificationis, conſtare intrinſece ex ſua materia & forma partialibus; ideſt, conſtare ex aliquibus quæ hîc aſſumuntur ad ſignificandum, quorum alia ſe habent vt materia, alia verò vt forma phyſica, ſeu quaſi phyſica eius. Ita communiter Doctores cum S. Thom. *in hac 3. part. quaſt. 84. artic. 2. & 3.* Et patet. Tum quia communiter in maiori parte aliorum Sacramentorum, etiam ex parte dicti ſubiecti ſignificationis, aſſignantur ſimiles materiæ, & formæ intrinſecæ; ergo debent etiam in iſto aſſignari. Tum præcipuè, quia hoc Sacramentum eſſentialiter eſt inſtitutum per modum cuiuſdam iudicij, & artefacti; ſed omne iudicium, & artefactum intrinſecè conſtat ex vna re minùs determinata ſe habente vt materia, & ex alia etiam re magis determinata, ſe habente vt forma: ergo & hoc Sacramentum.

6 Dico *tertiò*, Sacramentum Pœnitentiæ ex materia & forma, tanquam ex partibus conſtare. Id manifeſtè liquet ex Tridentino *ſeſſione 14. capit. 3.* Vbi priùs declarat formam huius Sacramenti, nempe verba Miniſtri. Quam eſſe partem præcipuam quis neget? nam forma eſt quę intrinſecè complet, & addit id quod eſt pręcipuum in tali ſigno ſenſibili. Præterea docet quaſi materiam huius Sacramenti eſſe ipſius pœnitentis actus nimirùm Contritionem, Confeſſionem, & Satisfactionem; & de his infert: *Pœnitentiæ partes dicuntur*, ac tandem in fine capitis, poſteà concludit: *Hæc de partibus huius Sacramenti ſancta Synodus tradens &c.* Et ratio eſt, quia ex ipſis conſurgit illud, quod eſt integrum ſignum Sacramentale, & integrum gratiæ inſtrumentum; ergo coaleſcit ex illis tanquam ex partibus, materiâ nempe & formâ componentibus illud.

Nec refert, quòd Concilium prædictos actus vocet quaſi materiam: non enim id facit, quia non eſt propria materia Sacramentalis, ſed quia hæc materia non eſt ex aliquo elemento, ſeu corpore ſenſibili; ſicut eſt in aliis Sacramentis: nam materia ſimpliciter dicta, etiam in rebus artificialibus, ſolet eſſe aliquod ſenſibile corpus: in naturalibus enim, quorum ſimilitudinem præ ſe ferunt Sacramenta, vtpote quæ tota moralia ſunt, materia abſolutè loquendo, ſolùm ſumitur pro re aliqua ſubſtantiali, ſecùs pro accidentali: cùm autem res illæ, quæ vt materia remota tribuuntur aliis Sacramentis, ſubſtantiæ ſint; illæ verò, quę Pœnitentiæ applicantur, ſint accidentia, fit, materiam Sacramenti Pœnitentiæ, non dici abſolutè talem, ſed cum addito illo diminuente, quæ analogicam ſimilitudinem ad veram materiam phyſicam denotat. In cæteris verò omnibus in hoc Sacramento ſeruatur tota ratio & munus materiæ, æquè ac in aliis Sacramentis. Nam ſicut ibi applicatio ſenſibilis elementi habet imperfectam ſignificationem, & virtutem, donec accedat forma, cui talis materia ſuo modo ſupponitur; ita etiam in præſenti Sacramento actus pœnitentis comparantur eodem modo ad verba Sacerdotis. Appellantur tamen à Tridentino abſolutè forma Pœnitentiæ verba huius Sacramenti, etiam ſi accidentia ſint; quia nomen formæ etiam phyſicæ, promiſcuè ſumitur pro accidentali, & ſubſtantiali.

7 Dico *vltimò*, Sacramentum Pœnitentiæ eſſentialiter conſtare ex materia & forma. Sequitur ex dictis, & liquet ex analogia, ſeu metaphora ad res phyſicas, ex quibus ſumpta eſt: nam compoſita, quæ conſtant ex materia & forma, eſſentialiter ex illis conſtant. Præterea negari non poteſt formam eſſe partem maximè eſſentialem huius Sacramenti, quia eſt maximè neceſſaria, & quæ complet, ac conſtituit rem ipſam; & in ea eſt præcipua ſignificatio, & efficacitas. Certum etiam eſt, Confeſſionem eſſe ita neceſſariam ad hoc Sacramentum, vt ſine illa confici non poſſit, vt expreſsè traditur à Tridentino *ſeſſ. 14. c. 5.* hic verò actus pœnitentis pars eſt materialis huius Sacramenti; nihil ergo illi deeſt vt vocetur pars eſſentialis. Et certè ex communi ratione iudicij id manifeſtè oſtenditur: cuius eſſentia non conſiſtit in ſola prolatione ſententiæ, ſed ſubſtantialiter & eſſentialiter requirit accuſationem.

SECTIO III.

Ex qua forma, & materia in ſpecie conſtet Sacramentum Pœnitentiæ.

Modò aſſignandæ ſunt ſingulæ partes quaſi ſpecificæ ex quibus tanquam ex materia & forma componatur hoc Sacramentum. In quo eſt diſſenſio apud Doctores. 1

Scotus in *4. d. 16. q. 1.* cenſuit ſolàm abſolutionem conſtituere adæquatè Sacramentum Pœnitentiæ, actus verò pœnitentis ſolùm eſſe requiſita quædam. Hanc defendit quidam Recentior, & probat. *Primò* ex Trid. *ſeſſ. 14. c. 3.* docente, vim huius Sacramenti præcipuè poſitam eſſe in verbis Abſolutionis: hoc autem non poſſet dici, ſi gratia cauſaretur ab abſolutione dependenter à Contritione, & à Contritione dependenter ab Abſolutione, vtrâque ſe habente vt comparte: ſicut quia in Baptiſmo gratia cauſatur ab ablutione dependenter à verbis, & à verbis dependenter ab ablutione, non poteſt dici præcipuam vim Baptiſmi eſſe potiùs in ablutione, quàm in verbis, aut è contra.

Secundò, tota ſignificatio propria huius Sacramenti ſufficienter intelligitur eſſe in ſolis verbis abſolutionis; ergo in ſolis illis eſt tota huius Sacramenti efficacia; ergo & tota eſſentia. Antecedens probatur, quia hoc Sacramentum inſtitutum eſt in forma iudicij: at abſolutio rei, non ſignificatur per actus ipſius rei, vel accuſatoris, ſed per actum iudicis abſoluentis: ergo verba abſolutionis ſufficienter, & adæquatè gratiam ſignificant.

Tertiò, in aliis Sacramentis actus illius qui Sacramētum recipit, non ſunt pars Sacramenti. Vt v.g. in Ordinatione, acceptio libri, quem Epiſcopus tradit, quatenùs ſe habet ex parte ordinandi, non eſt pars Sacramēti, ſed traditio, quatenus ſe habet ex parte ordinantis, & ſic de aliis; ergo nec in hoc Sacramento debent actus pœnitentis aſſignari pro materia.

Quartò, ſolus Sacerdos eſt huius Sacramēti Miniſter; ergo ſolus ipſe vtitur clauibus, & ſolus ipſe abſoluit: ergo ſolus ipſe conſtituit hoc Sacramentum.

Vltimò, ſi pœnitentis actus gratiam remiſſionis ſignificarent quoque & cauſarent; pœnitens ipſe vteretur clauibus, & ſeipſum abſolueret. Nam in hoc Sacramento non confertur gratia niſi per poteſtatem abſoluendi, & per vſum clauium; ergo ſi pœnitens confert ſibi ipſi gratiam per ſuos actus vtitur poteſtate clauium, & ſeipſū abſoluit, quod abſurdū eſt, & contra formā iudicialē.

Alij ſentiūt; vt Gab. *in 4 d. 14. q. 2. a. 1.* hoc Sacramētū non conſtare Contritione. *Primò*, Quia partes Sacramenti debent eſſe ſenſibiles: Contritio autē vel dolor nō 2

eſt ſenſibilis; cùm ſit actus internus; ergo Contritio non eſt pars intrinſeca Sacramenti, ſed aliquid extrinſecum, requiſitum tamen ex Chriſti inſtitutione ad Sacramenti valorem.

Secundò, Sacramenta conferunt gratiam ex opere operato, pro maiori, vel minori ſuſcipientis diſpoſitione; iuxta communem Theologorum ſententiam; aſſignetur ergo, quænam ſit hæc diſpoſitio cui commenſuratur gratia; certè non poteſt eſſe, aut deſignari alia, niſi Contritio, vel Attritio: ergo pro maiori vel minori perfectione Contritionis, vel Attritionis, datur gratia ex opere operato in hôc Sacramento; ergo Contritio, vel Attritio non ſunt pars huius Sacramenti, ſed diſpoſitio ad illud dignè, & cum fructu recipiendum.

3 Alij denique tribuunt Soto *in 4. d. 14. q. 1.* abſolutionem non eſſe partem huius Sacramenti. Quia hoc Sacramentum eſt Pœnitentia; abſolutio autem non eſt Pœnitentia. Firmatur ex D. Thom. *in hac 3. parte quæſtione 84. art. 5. ad 2.* dicente, Abſolutionem eſſe complementum Sacramenti; ergo non eſt Sacramentum, nec pars eius; Sicut complementum hominis nec eſt homo, nec pars eius.

Cæterùm communis ac vera ſententia docet, hoc Sacramentum conſtare ex propria materia, & forma; & formam quidem eſſe abſolutionem, ſeu verba Sacerdotis: *Ego te abſoluo*; materiam verò actus pœnitentis, qui ſunt Contritio, Confeſſio, & Satisfactio; vnde hi tres actus ſunt tres partes huius materiæ. Quam libenter amplector, & *ſequentibus dictis* declaro.

4 Dico ergo *primò*, formam huius Sacramenti, nempe verba Sacerdotis, ſeu abſolutionem eſſe partem illius intrinſecam. Id *primò* oſtenditur ex Tridentino *ſeſſione 14. c. 3.* dicente: *Docet præterea ſancta Synodus, Sacramenti Pœnitentiæ formam, in qua præcipuè ipſius vis ſita eſt, in illius Miniſtri verbis poſitam eſſe: Ego te abſoluo, &c.* Secundò, Abſolutio eſt id quod potiſſimè ſignificat, & operatur remiſſionem peccatorum, vt patet ex verbis quibus profertur, & ex poteſtate Miniſtri, à qua oritur: ergo ipſa eſt præcipua, ac potiſſima pars Sacramenti, vt Sacramentum eſt; Sacramentum enim eſt ſignũ ſenſibile, & efficax gratiæ. Idque manifeſtè ſignificauit Tridentinum *ſuprà*, cùm dixit in ipſa forma abſolutionis præcipuè Sacramenti vim ſitam eſſe. *Tertiò*, euidens eſt, iudicium intrinſecè includere ſententiam iudicis; ergo cùm Sacramentum Pœnitentiæ ſit verum & proprium iudicium, ſeu in forma iudicij inſtitutum, neceſſariò conſtare debet intrinſecè ſententia Iudicis. *Vltimò*, abſolutio eſt forma huius Sacramenti, vt dixit Tridentinum; ergo eſt pars intrinſeca illus, componens illud intrinſecè. Conſequentia probatur quia non poſſet eſſe forma Sacramenti, niſi eſſet pars illius: forma enim non concurrit niſi informando, & componendo cum materia aliquod totum reſultans ex vtraque; ergo forma Sacramenti componit intrinſecè ipſum Sacramentum.

5 Dico *ſecundò*, actus pœnitentis memoratos, nempe Contritionem, Confeſſionem, & Satisfactionem eſſe partes materiæ componentes Sacramentum Pœnitentiæ. Ita omnes communiter: Et conſtat ex bulla Leonis X. contra Lutherum in qua damnatur quintus eius articulus, quòd ſcilicet Contritio, Confeſſio, & Satisfactio non ſint partes Sacramenti Pœnitentiæ. Idem liquet ex Tridentino *ſeſſione 14. capit. 3.* ſic dicente: *Sunt quaſi materia huius Sacramenti, ipſius pœnitentis actus, nempe Contritio, Confeſſio, & Satisfactio.* vltra quas ponit ibi formam, quæ eſt abſolutio Sacerdotis Ratione probatur, quia inprimis poſitâ abſolutione, ſi deſit omnis Confeſſio dolorifera, non datur Sacramentum; ergo præter abſolutionem ſunt alij actus neceſſarij ad totum eſſe intrinſecum huius Sacramenti. Præterea iudicium humanum non comprehendit ſolam iudicis ſententiam, ſed conſtat etiam actu accuſatoris & rei ſuum delictum negantis, vel confitentis; nam ſi Iudex aliquis iubeat interfici hominem, quem ſolus ipſe ſcit eſſe homicidam, & hoc faciat ſine accuſatione rei, & ſine probatione criminis, non operabitur vt iudex; ſed hoc Sacramentum eſt inſtitutum in forma iudicij humani; ergo conſtat iſtis omnibus actibus.

Vnde Dico *tertiò*, tam Confeſſionem, quàm Contritionem eſſe partes, ſeu materiam intrinſecam & eſſentialem, ex qua conſtat hoc Sacramentum; Probatur, nam in hoc Sacramento debet eſſe aliqua materia intrinſeca, & eſſentialis, quam forma determinet, & informet; at nulla alia poteſt aſſignari commodior, quàm Confeſſio, & dolor, ſiue Contritio. Præterea Abſolutio eſt intrinſecũ & eſſentiale complementũ huius Sacramenti; ergo ſupponit aliquid aliud in eo, quod ſit etiam eſſentiale, & quod vt tale compleatur: id verò eſſe nequit, niſi duplex actus prædictus. Denique iſtis duobus actibus, & ſolis eis conuenit, neceſſariò, & pro ſemper, eſſe ſigna efficacia gratiæ huius Sacramenti: ergo eis ſolis conuenit eſſe materiam, pro ſemper neceſſariam, & eſſentialem ipſius. Antecedens patet, quia licèt eſſe tale ſignum, conueniat etiam ſatisfactioni moraliter & regulariter loquendo in hoc Sacramento, non tamen ſemper neceſſariò & eſſentialiter, cùm iſtud Sacramentum vt *ſect. ſequenti* dicam, in aliquo ſaltem indiuiduo poſſit abſolutè exiſtere ſine ſatisfactione, non verò vllo modo vnquam ſine Confeſſione & dolore ſignantibus & cauſantibus ibi eam gratiam; ergo. 6

Hinc dico *vltimò*, in hoc Sacramento, actus pœnitentis eſſe materiam, & verba Sacerdotis, nempe abſolutionem eſſe formam. Patet ex dictis, & hæc ratio vincit: nam materia vel ſubiectum eſt ratio quædam indifferens, ac indeterminata; forma verò eſt quæ determinat illam indifferentiam; at Confeſſio doloroſa, verbi gratia, peccati facta à pœnitente eſt indifferens ad ſignificandam remiſſionem, vel retentionem ipſius peccati; nam Confeſſio quantumlibet doloroſa indifferens eſt, vt iudex moueatur vel ad actum Iuſtitiæ, condemnando reum, vel ad actum Miſericordiæ, abſoluendo ipſum; vnde indifferens eſt, vt aſſumatur in ſignum condemnationis, vel abſolutionis: determinatur autem prædicta Confeſſio per verba quæ dicit Sacerdos, *Ego te abſoluo.* Igitur actus pœnitentis ſunt materia, verba verò Miniſtri ſunt forma huius Sacramenti. 7

Ad argumenta primæ ſententiæ. Ad primum reſpondeo Concilium dicere; vim huius Sacramenti præcipuè poſitam eſſe in verbis Abſolutionis, quia hoc Sacramentum eſt quoddam iudicium; in iudicio autem, quamuis humilis & doloroſa Confeſſio delicti à reo facta cauſet moraliter veniam, mouendo ſcilicet Iudicem ad miſericordiam; quod tamen præcipuè cauſat veniam, eſt ipſe Iudex per ſuam ſententiam abſolutionis. Nihil ſimile reperitur in Baptiſmo, quia id Sacramentum non eſt iudicium: eodem modo reſpondendum eſt ad Concilium Colonienſe *cap. 32.* vbi docet, Pœnitentiam pro Sacramento præcipuè ſitam eſſe in Abſolutione. Quamuis enim ex inſtitutione Chriſti vis ſignificandi & conferendi gratiam æquè cadat in actus pœnitentis & Miniſtri; magis tamen præcipuè reſidet in actu Miniſtri: quia in eo reſidet tanquam in cauſante gratiam per modum ſententiæ à iudice prolatæ; in actibus verò pœnitentis reſidet tanquam in cauſantibus gratiam per modum mouentis ad miſericordiam; reſidet tamen in actibus vtriuſque, quia neque gratia remiſſionis cauſabitur per ſolos actus pœnitentis, neque per ſolum actum iudicis, qui eſt miniſter. 8

Addo, ſi in verbis formæ ſita eſt præcipua vis, vt Concilia

Digitized by Google

Concilia aiunt; ergo in aliis ſita etiam erit aliqua vis, licèt minus præcipuè: hoc enim ſonat communiter ea comparatio; & vox *præcipuè*; vt patet in aliis exemplis: ſic enim homo dicitur conſiſtere præcipuè in anima: & quodvis aliud totum in forma; & tamen ſimul etiam conſiſtit eſſentialiter & intrinſecè in materia, vt in comparte, licèt minùs præcipuè; idque ex eo quòd materia vt pote vilior & magis communis, aut indifferens ſit, forma verò nobilior magis propria, ideóque & determinans illam. Idémque eſt in aliis compoſitis. Quòd verò iſtæ duæ partes in ea vi ſignificãdi & cauſandi gratiam, à ſe inuicem pẽdeant, non impedit quominùs vis illa dicatur præcipuè eſſe aut conſiſtere in forma: nam etiam partes hominis à ſe inuicem pendent in eo conſtituendo; & tamen adhuc dicitur homo magis præcipuè conſtitui ex forma, aut in ea conſiſtere.

9 Ad ſecundum dico, tametſi ſola verba abſolutionis potuiſſent à Chriſto aſſumi ad ſignificandam gratiam huius Sacramenti; tamen ita de facto Chriſtum voluiſſe nego. Quamuis enim condemnatio, vel abſolutio rei, non ſignificetur per actus ipſius rei, vel accuſatoris, ſed per actum iudicis, ſi condemnatio, vel abſolutio fiat à Iudice ſine attendentia vlla ad actus accuſatoris; tamen ſi fiat à Iudice intuitu actuum accuſatoris & rei, gratia remiſſionis facta à Iudice propter doloroſam accuſationem & confeſſionem quam facit reus de ſuo delicto, valdè conuenienter ſub hoc reſpectu ſignificatur per confeſſionẽ doloroſam ſimul cũ abſolutione. Ita verò contingit in præſenti, quia gratia remiſſiua peccati nõ confertur per abſolutionem quomodocumque, ſed vt datam à Iudice; intuitu Confeſſionis doloroſæ, quam facit reus de ſuo peccato; atque adeò non ſignificatur per ſolam Abſolutionem, ſed per illam ſimul cum doloroſa Confeſſione.

Ad tertium etiam in aliis Sacramentis, exceptâ Euchariſtiâ, in qua ante eius vſum datur ratio Sacramenti, actus requiſiti eſſentialiter ex parte ſuſcipientis ſunt pars & materia Sacramenti: nam in Ordine non ſolùm traditio actiua, ſed receptio paſſiua ſunt materia Sacramenti; & ſic de aliis. Vnde non eſt hoc peculiare in Sacramento Pœnitentiæ.

Ad quartum, concedo totum; ſolùm nego vltimam Conſequentiam: nam ex eo quòd pœnitens per ſuos actus ſignificet, & cauſet gratiam; non ſequitur, quòd Clauibus vtatur, & ſeipſum abſoluat, vt magis conſtabit ex ſolutione ſequenti.

10 Ad vltimum negatur ſequela. Quamuis enim pœnitens per ſuos actus gratiam cauſet, non minus quam Miniſter, licèt minùs principaliter; non tamen dicendum eſt eam ſibi conferre, neque ſe abſoluere, neque vti Clauibus. Et ratio eſt, quia licèt verum ſit, quòd eadem gratia, quâ homo liberatur, & abſoluitur à vinculis peccatorum, annexa ſit ex promiſſione Chriſti, abſolutioni, & Confeſſioni doloroſæ; huic tanquam inclinati Iudicem ad abſoluendum, illi verò tanquam ſententiæ iudiciali; & ſic vterque actus eſt moralis cauſa gratiæ: ideò tamen non debet concedi quòd pœnitens conferat ſibi gratiam, vel vtatur clauibus, vel ſe abſoluat, quia is qui moraliter cauſat aliquem effectum in ſeipſo, & cauſat illum per modum impetrantis, vel mouentis ad miſericordiam, non poteſt dici conferre, vel aſſumere ſibi illum effectum. Qui enim humiliter petendo eleemoſynam, mouet alium ad concedendum, ipſe quidem cauſa moralis eſt eleemoſynæ ſibi datæ, non tam dici poteſt, niſi valdè ineptè, dare ſibi eleemoſynam. Hæc enim quæ pertinent ad modum loquendi, non ſunt vſurpanda niſi iuxta communem vſum. Sicut enim non dicitur remittere debitum, vel offenſam, niſi creditor, vel offenſus, aut eius procurator; ſic nec dicitur pœnitens propriè dare ſibi remiſſionem, aut veniam, vel reconciliationem; alioquin ille etiam qui petit veniam ab alio, diceretur dare ſibi veniam, quia eſt cauſa, quòd alter det veniam.

Ad argumentum primum ſecundæ Sententiæ, reſpondeo Contritionem non eſſe ſenſibilem in ſe, fieri tamen ſenſibilem per aliud, ſcilicet per ſigna externa v.g. per Confeſſionem externã, quia prout hæc eſt vera accuſatio ſui, debet eſſe doloroſa, vt dixi; qua ratione cõprehendit eſſentialiter vtrumque actum; & hoc ſufficere vt poſſit vterque actus eſſe pars Sacramenti: ſicut in Euchariſtia, corpus Chriſti eſt pars principalis Sacramenti, & tamen ſecundùm ſe non eſt ſenſibile, ſed per ſpecies panis, & verba conſecrationis: in Matrimonio quoque conſenſus interni per ſigna externa manifeſtati, ſunt partes illius Sacramenti. 11

Inſtabis: Confeſſio non ſatis declarat dolorem, niſi ſit vera, & non ficta; ſed de eius veritate, aut fictione, nequit nobis ſufficienter conſtare, non ſolùm ſenſu, ſed neq; etiã mente: ergo neq, poterit conſtare de interno dolore per ipſam. *Reſpondeo*, vt aliquid internum fiat ſatis ſenſibile per externum, ſufficere vt ab iſto ſignificetur per ſe more humano, quamuis aliquando per accidens, & ex ſimulatione fingentis, non ita verè ab eo ſignificetur. Sic in naturalibus, gemitus, & lachrymæ ſatis indicant, & ſenſibilem reddunt internum dolorem, quem per ſe manifeſtant; cùm tamen poſſit contingere, vt quis aliquando gemitibus fingat dolorem, quem verè non habet; id tamen eſt per accidens. Idem dic in dicto euentu.

Ad ſecundum reſpondeo, verum eſſe ratione maioris, vel minoris diſpoſitionis, conferri maiorem vel minorem gratiam; & etiam verum eſſe, diſpoſitionem, cui commenſuratur gratia in hoc Sacramento, eſſe Contritionem, vel Attritionem; inde tamen non ſequi Contritionem, vel Attritionem non eſſe partem huius Sacramenti: quia cùm Theologi dicunt Sacramenta conferre gratiam iuxta maiorem, vel minorem diſpoſitionem ſuſcipientium; id non intelligunt formaliter de diſpoſitione ad ſuſcipiendum Sacramentum, ſed de diſpoſitione ad recipiendam gratiam medio Sacramento: Contritio autem, vel Attritio non eſt diſpoſitio ad recipiendum Sacramentum Pœnitentiæ, ſed pars illius; eſt tamen diſpoſitio ad recipiendam gratiam per illud. Quòd ſi dicas, Sacramentum non dici diſpoſitionem ad gratiam, ſed cauſam illius. Reſpondeo, rationem diſpoſitionis, & rationem cauſæ non pugnare inter ſe: nam calor qui eſt in ligno, & eſt diſpoſitio ad recipiendam formam ignis, & ſimul eſt cauſa illius. 12

Ad argumentum tertiæ ſententiæ, dico hoc Sacramentum ideò dici Pœnitentiam, vel quia includit dolorem peccatorum vt partem; vel etiam quia eſt proprium pœnitentium; non verò ex eo quòd omnes partes eius debeant eſſe formaliter pœnitentia: ſic enim homo in ſacris Litteris, dicitur terra, ex eo quòd ſola vna pars eius terra, aut ex terra ſit. Adde, hoc Sacramentum etiam appellari Sacramentum reconciliationis; quia per illud Sacerdotes reconciliant peccatorem Deo. Non igitur nouum eſt, quòd nomen Sacramenti deſumatur ab eius parte; ſic enim Confirmatio ſolet dici Chriſma; & Baptiſmus nominatur à ſola ablutione quæ eſt materia; & Extrema - Vnctio ſimiliter à ſola materia; & ſic de aliis. Ad Confirmationem reſpondeo, abſolutionem dici à D. Thoma Complementum Sacramenti, in eo ſolùm ſenſu, quo forma phyſica dici ſolet complementum rei, ſeu vltima perfectio eius. Quis autem neget ſententiam Iudicis eſſe ſimul & complementum, & etiam partem iudicij. 13

SECTIO IV.

An Satisfactio ſit pars eſſentialis, an verò integralis Sacramenti Pœnitentiæ?

1 PArtem eſſentialem appellamus illam, ſine qua impoſſibile eſt rem eſſe; ſic Corpus eſt pars eſſentialis hominis, quia impoſſibile eſt, vt aliquid quod corpus nõ habet, ſit homo: partem integralem vocamus illam, ſine qua res eſſe poteſt, non tamen erit integra; ſed manca & defectuoſa; talis dicitur manus, aut pes; quia ſine manu, aut pede poteſt eſſe homo, non tamen erit integer, ſed defectuoſus, & mancus. De confeſſione, & Contritione ſeu Attritione iam vidimus *præcedenti ſectione*, eſſe partem eſſentialem Sacramenti Pœnitentiæ; qualis verò ſit Satisfactio, eſt nunc examinandum.

2 Videtur, ab aliquibus negari, Satisfactionem non eſſe partem materiæ huius Sacramenti. *Primò*, quia pars Sacramenti debet eſſe aliquid ſenſibile; at Satisfactio poteſt eſſe aliquid ſpirituale; nam poteſt meditatio, vel oratio mentalis per horam imponi pro pœnitentia; ergo ſatisfactio non eſt pars Sacramenti Pœnitentiæ.

Secundò, materia debet antecedere formam; ſed Satisfactio non antecedit, ſed ſubſequitur formam huius Sacramenti: ergo non eſt pars materiæ Sacramenti.

Tertiò, ſi ſatisfactio eſſet pars materialis, verba quibus imponitur, eſſet quoque pars formalis, ſeu forma reſpectu huius materiæ partialis, quæ eſt ſatisfactio; nam forma illa: *Ego te abſolue*, non determinat ſufficienter hanc materiam ad effectum ſacramentalem; vnde præter verba abſolutionis requirerentur etiam verba, quibus Confeſſarius imponeret ieiunium, verbi gratia, in Pœnitentiam, quia ſine his verbis ieiunium non ſignificaret ſufficienter effectum Sacramentalem. Dicere verò prædicta verba, quibus imponitur pœnitentia, eſſe formam reſpectu huius materiæ ſatisfactionis, videtur abſurdum, quia inde fieret verba illa alia, *Ego te abſolue &c.* non eſſe formam adæquatam Sacramenti Pœnitentiæ; ſicut nec Contritio, & Confeſſio ſunt materia adæquata & integra.

Vltimò, ſi Satisfactio eſſet pars Sacramenti, maximè prout eſt impoſitio pœnitentiæ facta à Sacerdote; at iſta impoſitio potius eſt forma reſpectu Satisfactionis quia ſententia Iudicis eſt forma reſpectu executionis ſententiæ; & impoſitio pœnitentiæ eſt ſententia Iudicis; ergo.

3 Alij verò non deſunt, qui affirment Satisfactionem eſſe partem eſſentialem materiæ huius Sacramenti. Sic Paludanus *in 4. d. 10. q.* 1. Quòd ſi intelligatur de ſatisfactione non in re poſita, ſed vt habita in voto, idem affirmat Ledeſma *q. 2. a.* 1. Et dicit eſſe probabile Henriquez *lib. 4. de pœnit. c.* 10.

Probari poteſt, Satisfactionem eſſe partem eſſentialem. *Primò*, quia hoc Sacramentum includit eſſentialiter rationem iudicij, cùm ſit inſtitutum vt tale à Chriſto Domino, teſte Tridentino; ſed non includit eſſentialiter rationem iudicij iniuſti, vt eſt certum: ergo iuſti; ſed de ratione iudicij eſſentialiter iuſti circa culpam, ſicut etiam circa quoduis aliud debitum, eſt eſſe eſſentialiter compenſatiuũ eius; nequit verò eſſe compenſatiuũ culpæ vt ſic, niſi per inflictionem pœnæ vt ſic; ergo culpa non compenſatur iuſtè, niſi vindicetur per pœnam; ergo &c.

Secundò, in ipſamet Contritione, & Confeſſione, quę ſunt partes eſſentiales materiales huius Sacramenti, eſt incluſa aliqua ratio ſatisfactionis pœnalis pro iniuria facta Deo, quatenus per eas pœnitens pœnaliter triſtatur, humiliatur, & veniam petit à Deo offenſo; & multò magis prout ex vi Sacramenti cenſentur cum eis actibus pœnalibus, eſſe etiam coniunctas ipſaſmet pœnas, aut ſatisfactiones pœnales Chriſti Domini: ergo ſaltem prædicta Satisfactio erit pars eſſentialis omninò inſeparabilis ab hoc Sacramentali iudicio, vtpote eſſentialiter iuſto, & vindicatiuo.

Tertiò, pars materialis eſt eſſentialis in quocumque compoſito, vt patet diſcurrendo per ſingula, ſed Satisfactio eſt pars materialis Sacramenti Pœnitentiæ; ergo eſt pars eſſentialis illius.

Dico *primò*, Satisfactionem verè eſſe partem materię huius Sacramenti. Ita omnes, nec videtur negari poſſe, cùm conſtet id ex Decretis Eugenij, & Tridentini *præcedenti ſectione* citatis, aſſignantibus illas tres partes in materia Sacramenti, nempe Contritionem, Confeſſionem, & Satisfactionem. Probatur ratione, quia hoc Sacramentum ordinatur ad completam remiſſionem peccati; ergo non ſolùm operatur remiſſionem à culpa per abſolutionem, ſed etiam à pœna, quod fit, quando impletur ſatisfactio impoſita; ergo ipſa ſatisfactio eſt pars Sacramenti operantis illos effectus. Quòd verò ſit pars materialis ſimul cum Contritione, & Satisfactione, iam conſtat ex dictis *præcedenti ſect.* 4

Dico *ſecundò*, Satisfactionem nullo modo eſſe partem eſſentialem huius Sacramenti. Ita communiter omnes. Et ratio eſt euidens: quia nulla res eſſe poteſt, ſi aliqua pars eſſentialis ei deſit, vt eſt per ſe notum: at Sacramentum Pœnitentiæ eſſe poteſt ſine ſatisfactione, quia id ſæpe poteſt contingere, vt quando pœnitens nullam prorſus poteſt implere pœnitentiam, quia nimirum poſt Confeſſionem amiſit vſum rationis, aut ſenſum, vt dicitur *in cap. ab infirmis*, 26. *q.* 7. Vel etiam quando Cõfeſſarius obliuiſcitur eam iniungere; vel ſi conſtaret Sacerdoti, peccata dimiſſa eſſe quoad totam pœnam per feruentem Contritionem, quam pœnitens habet; tunc enim non oporteret imponere pœnitentiam, vt docent communiter Doctores: & tamen in his caſibus certum eſt dari Sacramentum Pœnitentiæ cum ſuo effectu abſque ſatisfactione; ergo hæc non eſt eſſentialis pars huius Sacramenti. 5

Dico *tertiò*, Satisfactionem, abſolutè loquendo, non eſſe de integritate Sacramenti Pœnitentiæ in commune ſumpti Hoc mihi videtur negari non poſſe, quia poteſt dari Sacramentum Pœnitentiæ integrum, & completum abſque ſatisfactione etiam in voto; ergo Satisfactio non eſt pars etiam integralis huius Sacramenti in communi ſumpti: Conſequentia euidens eſt; ob ſimilem enim rationem, nequit Satisfactio eſſe pars eſſentialis. Antecedens probatur, quia ſi Deus reuelaret alicui ſua peccata ſibi eſſe omninò remiſſa quoad culpam & pœnam, etiamſi hoc ipſum reuelaret Confeſſario, adhuc tamen poſſet illa confiteri, & poſſet abſolutio ei dari; tunc autem non eſſet imponenda pœnitentia vlla, vel ſatisfactio, nec teneretur pœnitens eam acceptare, ſi à Confeſſario imponeretur; & tamen Sacramentum illud eſſet integrũ, cùm nihil ei deeſſet. Non igitur ſatisfactio eſt de integritate Sacramenti Pœnitentiæ, abſolutè & in communi ſumpti. 6

Dico *quartò*, cùm peccata non ſunt omnino remiſſa quoad pœnam temporalem, vt regulariter ac moraliter contingit, tunc Satisfactionem eſſe partem integralem huius Sacramenti. Ita intelligo communem omnium ſententiam & veriſſimam, quæ affirmat eſſe partem integralem 7

Digitized by Google

tegralem. Ratio eſt quia in iudicio humano, in quo proceditur ſecundùm iuſtitiam vindicatiuam, manifeſtum eſt, quòd ſatisfactio ſit pars huius iudicij; eſſet enim defectuoſum iudicium, in quo non interueniret ſatisfactio pro offenſa; ergo idem habebit hoc iudicium Sacramentale: ſiquidem non ſolùm ordinatur ad remiſſionem culpæ, ſed etiam pœnæ. Similiter ad integritatem cuiuſnis iudicij humani, & forẽſis, ſpectat executio pœnæ inflictæ ipſi reo pro culpa: ergo eadem ſpectabit quoq; ad integritatẽ huius iudicij Sacramentalis, quod fit ad modum illius. Firmo; nam ſine prædicta ſatisfactione, regulariter & moraliter loquendo, nec ſignificatur, neque obtinetur finis integer, qui in hoc ſacramentali iudicio intenditur, nempe plena remiſſio peccati, & quoad culpam, & quoad pœnam aliquam ſaltem. E contra verò cum ipſa ſatisfactione ſignificatur, & obtinetur finis dictus, vt docet Tridentinum *ſeſſ*. 14. *c*. 3. ſic dicens, requiri eam ſatisfactionem in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamque & perfectam peccatorum remiſſionem ex Dei inſtitutione. Igitur dicta ſatisfactio requiritur ad integritatem huius Sacramenti.

8 Dico *quartò*, prædictam ſatisfactionem eſſe partem integralem huius Sacramenti, quatenus à Sacerdote impoſita eſt, quatenus acceptata à pœnitente, & prout exhibita eſt à parte rei. Ratio eſt, quia omnibus his modis ſpectata pertinet ad integritatem & perfectionem iudicij criminalis, in quo proceditur per iuſtitiam vindicatiuã; ergo omnibus his modis eſt pars integralis.

9 Dico *vltimò*, magis præcipuè, & à fortiori habere rationem partis integralis huius Sacramenti, ipſam ſatisfactionem, prout dicit impoſitionem & acceptationem actualem eius pœnitentiæ, quàm prout dicit adimpletionem actualem ipſius. Patet, quia talis impoſitio pœnitentiæ eſt proprius actus iudicij, & pars, ſiue complementum ſententiæ ipſius, idque potiori iure quàm impletio eius; ergo magis pertinebit ad integrandum hoc iudicium ſacramentale, quàm illa impletio. Imò nec iſta impletio pœnitentiæ ſpectat propriè ad actum huius iudicij, niſi vt ſupponit impoſitionem Confeſſarij, & acceptationem pœnitentis; ergo iſtæ potius quàm illa ad id ſpectabunt: nam *Propter quod vnum quodque tale, & illud magis.* Nec obſtat quòd Concilia non meminerint expreſsè ſatisfactionis acceptæ pro impoſitione pœnitentiæ, ſed tantùm pro executione eiuſdem. Non, inquam, obſtat; quia iam ſatis indicant eam, quatenus agunt non de quauis ſatisfactione pœnali pro libito pœnitentis aſſumpta; ſed ſolùm de ea quæ eſt ab ipſo Iudice, ſeu Confeſſario iniuncta.

10 Ad argumenta primæ ſententiæ. Ad primum, dico quòd meditatio, vel oratio mentalis imponitur pro pœnitentia, quia licèt non ſit ſenſibilis per ſe, eſt tamen ſenſibilis per aliud, ſcilicet per præceptum Confeſſarij, & acceptionem pœnitentis, ſicut dixi *præcedenti ſectione*, de Contritione de ſe inſenſibili, fieri ſenſibilem per Confeſſionem.

Ad ſecundum, reſpondeo, in moralibus ſatis eſſe, vt materia, & forma moraliter coniungantur. Vnde quamuis forma phyſicè præceſſerit, virtute tamen & moraliter remanet cum ſatisfactione. Quod duobus modis intelligi poteſt; vel *primò*, quatenus ea ſatisfactio non habet ſacramentalem ſignificationem, neque effectum ex opere operato, niſi per ordinem ad Claues; ideóque niſi per moralem quandam coniunctionem cum forma Sacramentali. Vel *ſecundò*, quatenus iſta forma, quando exiſtit, non eſt plenum ſignum ſignificans perfectam remiſſionem peccati quoad culpam, & pœnam, niſi prout eſt coniuncta cum illa ſatisfactione.

11 Ad tertium, placet mihi ſolutio Cardinalis Lugo, opera ſatisfactionis & determinari per verba, quibus imponuntur à Sacerdote, & per verba abſolutionis; diuerſo tamen modo, & potiori ratione per iſta poſteriora: nam per priora explicantur ſolùm in ratione obligationis, quia illa verba ſolùm declarant pœnitentem obligari à Confeſſario ad talia opera, non dicunt autem illa opera liberare ex opere operato à reatu pœnæ temporalis: at per poſteriora verba abſolutionis declaratur magis hæc efficacia ſatisfactionis, quià dum Sacerdos vtens poteſtate ſibi tradita, dicit, ſe abſoluere, & liberare pœnitentem; quantum poteſt; eò ipſo oſtendit ſe liberare eum, non ſolùm à reatu culpæ, ſed etiam à reatu pœnæ quantum virtute Sacramenti poteſt, mediis operibus ſatisfactoriis impoſitis. Vnde illa verba ſunt, quæ determinant opera ſatisfactoria impoſita, & explicant illorum efficaciam in ordine ad ſatisfaciendum ex opere operato. Et quoniam Sacramentum vt ſic magis denotat efficaciam, & ſignificationem gratiæ & ſanctitatis, quàm obligationis; ideò magis dicitur forma ſatisfactionis illa, quâ determinatur in ratione cauſantis & ſignificantis expiationem; quàm illa, quâ determinatur in ratione obligatoriæ.

Ex quo patet ſolutio ad vltimum, ſententiam obligantem eſſe formam executionis ſententiæ in ratione obligatoriæ; non verò in ratione aſſerentis ex opere operato aliquam ſanctificationem, vel liberationem, vel commutationem ipſius pœnæ: hanc enim ſignificationem potius habet ſatisfactio ab abſolutione, per quam liberatur pœnitens ab alio reatu pœnæ; quæ abſolutio eſt principalior ſententia, per quam iudex abſoluit reum à reatu pœnæ, commutando illam in opera impoſita.

Ad argumenta ſecundæ ſententiæ. Ad primum, 12
dico iudicium huius Sacramenti eſſe inſtitutum eſſentialiter iuſtum ſaltem negatiuè, id eſt non iniuſtum; ſed non eſſe eſſentialiter iuſtum poſitiuè, id eſt compenſatiuum aut vindicatiuum culpæ per pœnam, ſed tantùm integraliter propter dicta ſuprà *num*. 5. 6. & 7.

Quòd ſi inſtes, hoc ſacramentale iudicium eſſe etiam eſſentialiter iuſtũ poſitiuè circa culpam; ergo erit etiam eſſentialiter iuſtum circa pœnam, id eſt, eſſentialiter vindicatiuum, ſeu compenſatiuum culpæ per pœnam; *Reſpondebo*, in ipſamet Contritione & Confeſſione Sacramentali eſſe incluſam aliquam rationem ſatisfactionis pro iniuria facta à Deo, quatenus per eas pœnitens triſtatur, dolet, humiliatur, & veniam petit à Deo offenſo: hæc autem pœnalis ſatisfactio in eis actibus incluſa eſt etiam aliqualis ſuo modo vindicatio pro iudicio iſto vindicatiuo, ideóque & aliqua etiam compenſatio culpæ per pœnã. Vnde in hoc ſenſu iudicium Sacramẽtale erit etiam eſſentialiter vindicatiuum ſeu compenſatiuũ; atque adeò & iuſtum poſitiuè. Quod Nos non negamus: nam loquimur Nos de ſatisfactione prout dicit iniunctionẽ pœnitẽtiæ à Sacerdote factam, & acceptationem eiuſdem à pœnitente formaliter, & expreſsè, quæ eſt ſpecie, & reipſa diſtincta à Contritione & Confeſſione, & de ea diximus non eſſe eſſentialem partem huius Sacramenti.

Ex quo manet ſolutum ſecundum argumentum.

Ad vltimum, dico, partem materialem totius compoſiti eſſentialis eſſe quidem eſſentialem ipſi compoſito; id enim euidens eſt ex terminis ipſis: cæterùm partem materialem, quæ eſt pars integralis compoſiti, vt eſt manus reſpectu hominis, non eſſe eſſentiem toti compoſito, quia non eſt niſi tantum integralis, vt etiam ex terminis euidens eſt; & talis eſt ſatisfactio in Sacramento Pœnitentiæ.

***

SECTIO V.

An intentiones Sacramentum pœnitentiæ faciendi, & recipiendi, ſint partes materiæ ipſius.

1 PRocedit quæſtio de intentione hîc & nunc abſoluendi, ſeu conficiendi, ad hoc Sacramentum requiſitâ ex parte Miniſtri; & etiam de intentione hîc & nunc Sacramentaliter confitendi, & accipiendi abſolutionem, requiſitâ ex parte Pœnitentis.

Videtur, non eſſe enumerandas inter partes materiæ huius Sacramenti. *Primò*, quia Florentinum, & Tridentinum ſolùm enumerant tres partes materiales, nempe Contritionem, Confeſſionem, & Satisfactionem; ergo non ſunt aliæ addendæ.

Secundò, partes alicuius rei debent eſſe intrinſecæ illi; ſed intentio faciendi rem aliquam eſt ipſi extrinſeca, vt patet in intentione faciendi domum, quæ tam ipſi, quàm eius confectioni extrinſeca eſt, & ſolùm ſe tenet ex parte efficientis, determinans indifferentiam eius: ergo.

Tertiò, ſi intentio componeret intrinſecè hoc Sacramentum, poſſet Sacramentum aliquando conſtare ex actione aliqua peccaminoſa: poteſt enim aliquis ex praua intentione abſolutionem impendere; hoc autem non videtur concedendum: ergo neque illud ex quo infertur.

2 Vaſquez *de pœnitentia, q.84. art.1. dubio 2. num.11.* attingens hanc difficultatem, docet, intentionem recipiendi Sacramentum Pœnitentiæ, ex parte pœnitentis forſan, ſicut ipſam Contritionem, eſſe partem Sacramẽti, quæ per ipſam Confeſſionem ſenſibilis eſt, & in ipſa includitur; Confeſſio enim eſt coram Iudice delicti explicatio. Vnde ſicut & Contritio in ipſa includitur & per eam eſt ſenſibilis, vt ſit pars Sacramenti; ſic etiam intentio recipiendi abſolutionem; ſecus de intentione ex parte abſoluentis: hæc enim ſicut nec abſolutio non eſt pars Sacramenti, ſed forma illius, & intentio ad eam pertinet; aut forſan intentio eſt quid antecedens, requiſitum tamen eſſentialiter ad eſſentiam Sacramenti: intentio enim recipiendi veram abſolutionem non eſt ipſamet abſolutionis materia, ſed quod ex illa ſubminiſtratur, Confeſſio ſcilicet ex Contritione proueniens.

3 Cardinalis Lugo *diſp.12. ſect.2. num. 27.* agens de intentione, quâ pœnitens vult recipere abſolutionem, dicit intrare pro materia intrinſeca huius Sacramenti; quia ſine hac intentione licèt ponantur cætera omnia, non fit Sacramentum validum, vt conſtat. Addit tamen intentionem iſtam ſubintelligi nomine Confeſſionis, quia accuſatio voluntaria pœnitentis eſt volitio obtinendi ſententiam à Iudice, & per conſequens intentio recipiendi Sacramentum, quod per abſolutionem perficitur.

4 Dico *primò*, intentionem Miniſtri abſoluentis, eſſe partem intrinſecam Sacramenti Pœnitentiæ. Hoc latè tractaui, & tenui in tractatu *de Sacramentis diſp. 10. ſect. vltima*. Probo idem *primò*, quia illud eſt intrinſecũ alicui compoſito, quo ſublato, etſi reliqua maneant vel concipiantur, non manet, neque concipitur compoſitũ; at ſublatâ, vel non conceptâ rectâ Miniſtri intentione, manentibus, vel conceptis reliquis omnibus, quæ hoc Sacramentum intrinſecè conſtituunt, non manet, neque concipitur Sacramentum Pœnitentiæ; ergo intentio Miniſtri eſt de conceptu intrinſeco illius: implicat enim, dari omnia intrinſeca componentia aliquod totum, & non dari tale totum. *ſecundò*, conſenſus internus in coniuge conſtituit intrinſecè Matrimonij Sacramentum; eſt enim Matrimonium contractus quidam; nihil autem magis intrinſecum & eſſentiale contractui, quàm conſenſus contrahentium: condonatio quoque alicuius debiti, ſicut & alicuius rei promiſſio eſſentialiter includit intentionem condonandi debitum, & promittendi rem: alioquin verbo tenus eſſet condonatio, & promiſſio. Igitur debita intentio in Sacerdote proferente verba abſolutionis, conſtituet intrinſecè Sacramentum pœnitentiæ, & vera abſolutio peccatorum; qualis requiritur ad hoc Sacramentum, eſſentialiter includit intentionem abſoluentis. *Tertiò*, in Concilio Florentino Eugenius IV. abſolutè dixit omnia Sacramenta perfici rebus, verbis, & perſona Miniſtri; ergo ſicut ex hoc loco colligũt Theologi res & verba componere intrinſecè Sacramenta, ita pariter deducere debent, Sacramenta ſaltem quæ in vſu conſiſtunt, coaleſcere etiam ex Miniſtri intentione: neque enim Concilium ſumpſit perſonam Miniſtri materialiter, ſed formaliter, id eſt quatenus operatur in perſona Chriſti, habens intentionem faciendi nomine Chriſti, & vtendi poteſtate ſibi tradita; ergo niſi Miniſter intendat vti tali poteſtate, nõ operabitur nomine Chriſti; atque adeò neque producet actionem Sacramentalem, nam hæc ſolùm habet vim conferendi gratiam, quatenus reputatur moraliter actio Chriſti, quam ipſe Chiſtus per ſuum Miniſtrum exequitur. Igitur actio quatenus Sacramentalis, eſſentialiter includit debitam Miniſtri intentionem.

Dico *ſecundò*, hanc intentionem abſoluendi *non intrare* pro materia intrinſeca huius Sacramenti, *ſed pertinere* ad formam illius. Hoc videtur certum, quia prædicta intentio eſt eſſentialiter requiſita ad hoc vt actus abſoluendi ſit humanus & voluntarius, & talis qualis eſt inſtitutus à Chriſto. Quare ſicut Confeſſio Sacramentalis prout eſt accuſatio, formaliter dicit deteſtationem, ac dolorem ſecum coniunctum; & pariter Matrimonium, aliique contractus humani, vt tales, dicunt etiam, & includunt ipſos conſenſus internos; ita etiam actus abſoluẽdi, quatenus eſt formaliter humanus & voluntarius, dicit etiam intrinſecè formaliter & eſſentialiter prædictam intentionem internam, cùm eſſentialiter ſit humana & voluntaria. Quod verò ſe teneat ex parte formæ, manifeſtum eſt, quia cùm ſit de eſſentia abſolutionis, ſicut hæc non eſt pars materialis Sacramenti; ita neque illa. 5

Dico *vltimò*, intentionem hic & nunc Sacramentaliter confitendi, & accipiendi abſolutionem requiſitam, ex parte pœnitentis eſſe de eſſentia Sacramenti Pœnitentiæ, & pertinere ad partem materialem Confeſſionis. Ita Cardinalis Lugo, & communiter Recentiores. Prima pars huius Dicti probatur eiſdem rationibus, quibus probatum manet dicto primo, intẽtionem ex parte Miniſtri eſſe de eſſentia huius Sacramenti. Et ampliùs firmatur ratione communi vtrique intentioni: nam Chriſtus non quomodocumque inſtituit hoc iudicium Sacramenti Pœnitentiæ, & partes illius, ſed vt ſunt humani quidam actus humano modo peragendi: non enim Chriſtus inſtituit hoc Sacramentum, eiuſve partes eo modo, quo proferrentur ab amente, dormiente, ebrio, aut pſittaco, vt claret. At ad prædictum iudicium humanum prout formaliter tale, requiruntur etiam vt partes eſſentiales eius, intentiones prædictæ; quia neque accuſatio, neque prolatio ſententiæ, ſeu abſolutio ſunt formali 6

Digitized by Google

formaliter humanæ, aut humano modo factæ, niſi vt habent ſecum coniunctam, imò & principalius ipſam volitionem & aduertentiam internam, atque adeò & dictas etiam intentiones: ſicut enim homo vt homo, non dicit ſolùm potentias externas, ſed etiam internas, imò & iſtas magis præcipuè: ita actiones humanæ vt tales, dicent quoque vtraſque actiones, imò & principaliùs internas. Secunda pars etiam eſt manifeſta; quia intentio iſta ſubintelligitur nomine Confeſſionis Sacramentalis, quæ eſt pars materialis huius Sacramenti, eſt enim accuſatio voluntaria pœnitentis, volitio obtinendi ſententiam à Iudice abſoluente, atque adeò eſt intentio recipiendi Sacramentum, quod per abſolutionem perficitur, & completur.

7 Hinc colligo intentionem, ſeu volitionẽ imponendi pœnitentiam a Confeſſione & Contritione diſtinctam, quæ ſe tenet ex parte Miniſtri, & intentionem etiam illam acceptandi, quæ ſe tenet ex parte pœnitentis, non ſpectare ad partes eſſentiales huius Sacramenti, benè verò ad integrales.

Ratio eſt, quia dictæ intentiones ſequuntur in hoc naturam actuum, circa quos verſantur, prout iſti fiunt humano modo; ſed dicti actus impoſitionis & acceptationis pœnitentiæ, aut executionis eiuſdem, prout fiunt modo humano non ſpectant ad partes eſſentiales, ſed ſolùm ad integrales huius Sacramenti, vt conſtat ex dictis *ſect.* 4. ergo & dictæ intentiones circa ipſos id ſolùm habebunt.

8 Ad argumenta oppoſita. Ad primum dico, dictas intentiones reduci ad omnes illos actus, qui ſunt de eſſentia huius Sacramenti prout factos humano modo, qua ratione ſunt tantum à Chriſto inſtituti, & ab illis Conciliis aſſignati. Intentio ergo ſuſcipientis Sacramentum, comprehenſa fuit nomine materiæ accuſationis, ad quam reducitur: intentio autem Miniſtri, comprehenditur nomine abſolutionis; denique impoſitio pœnitentiæ, & acceptatio comprehenſa fuit nomine Satisfactionis. Addo Florentinum non meminiſſe intentionis ſuſcipientis Sacramentum, quia ibi tradebat doctrinam generalem omnibus Sacramentis; intentio autem iſta non intrat eſſentiam omnium Sacramentorum: nam pueri abſque intentione recipiunt Baptiſmum, & adulti ex quacumque intentione recipiant Euchariſtiam, verum recipiunt Sacramentum. Vel etiam dic, eam intentionem comprehenſam eſſe à Cõcilio, nomine materiæ ad quam reducitur, quia cùm hoc Sacramentum ſit per modum iudicij, ex parte materiæ, includere debet accuſationem moralem & humanam; atque adeò intentione formatam.

Ad ſecundum, reſpondeo intentionem faciendi rem aliquam, eſſe quidem extrinſecam ipſi ſecundùm ſe, & phyſicè acceptæ, non verò eſſe extrinſecam, ſed intrinſecam ipſi vt humanæ, aut humano modo factæ.

Ad tertium, conſtat illud argumentum militare contra omnes concedentes, Matrimonium intrinſecè coaleſcere ex conſenſibus contrahentium, quos conſenſus peccaminoſos eſſe poſſe nemo non videt. Omnes igitur tenemur concedere ſequelam, & negare in illa concedenda, reperiri aliquid abſurdi, maximè in Sacramento Pœnitentiæ. Nam actio illa non mouet Deum, nec cauſat gratiam ex opere operato, quatenùs prouenit à tali miniſtro, ſed prout eſt actio Chriſti bona, & laudabilis. Sicut quando famulus elargitur ſtipem inopi ex praua intentione, iuſſu tamen Domini, & eius nomine, mouet Deum ad diſpenſandam gratiam non quatenus actio famuli, ſed quatenus eſt moraliter Domini.

SECTIO VI.

Pro qua parte ſupponat in recto Sacramentum Pœnitentiæ, an pro omnibus an pro aliqua ſolùm.

QVæſtio præſens ferè de nomine eſt, & ſenſus illius eſt quid importetur in recto à Sacramento Pœnitentiæ, & quid in obliquo; ex illis omnibus quæ ad illius phyſicam conſtitutionem intrinſecè diximus pertinere; importatur ne in recto pars materialis eſſentiæ quaſi phyſicæ, & formalis in obliquo; vel vtraque in recto? in quo non conueniunt Doctores.

Nam Sotus *in* 4. *diſt.* 14. *quæſt.* 1. *artic.* 1. & Alij dicunt, ſupponere pro actibus pœnitentis, & connotare in obliquo abſolutionem. Probatur ex ipſo nomine Pœnitentiæ; nam abſolutio non eſt pœnitentia, ſed ſolùm pœnitens dicitur ponere pœnitentiam. 1

Alij verò aiunt ſupponere in recto pro ſola abſolutione, ita vt Sacramentum hoc ſit abſolutio à Sacerdote pœnitentis confeſſi. Probant, quia abſolutio ſola eſt quam Sacerdos ponit vt Chriſti Miniſter; vnde cùm efficacia Sacramenti proueniat ex eo, quòd ſit actio Chriſti, quam facit per ſuum miniſtrum; ſola abſolutio eſt quæ in recto Deum mouet, ad dandam gratiam. 2

Cardinalis Lugo *diſp.* 12. *ſect.* 3. *num.* 58. *& ſequentibus* dicit duo. *Primum* eſt, hoc Sacramentum aliquando importare ſolam abſolutionem in recto. Probat, quia hoc Sacramentum inſtitutum eſt per modum condonationis, & remiſſionis; quando autem vnus homo condonat offenſam, aut debitum alteri, tota actiuitas, & efficientia videtur eſſe in ipſa condonatione. Vnde concipiendo actiuitatem huius Sacramenti, per ſpecies illius rem ſſionis humanæ, videmur concipere totam actiuitatem tenentem ſe ex parte abſolutionis & remiſſionis atque ideò hoc Sacramentum ſignificat directè ſolam abſolutionem, connotando in obliquo cætera omnia. *Secundum* eſt, frequentiſſimè hoc Sacramentum importare in recto non ſolam abſolutionem, ſed Confeſſionem etiam. Quia hoc Sacramentum inſtitutum eſt à Chriſto per modum iudicij: at iudicium humanum intrinſecè conſtat non ſolùm ex ſententia Iudicis, ſed ex aliis actibus iudicialibus, ſcilicet, accuſatione, examine, Confeſſione &c. Cúmque hoc Sacramentum apprehendamus etiam per ſpeciem aliorum iudiciorum, in quibus hæc omnia ſignificantur in recto, non mirum ſi hoc iudicium etiam ſignificemus ad modum aliorum, importando omnes eius partes in recto.

Omiſſis aliis dicendi modis, vt meum ſenſum aperiam, præmitto, nomina hæc: Sacramentum, Signum, & ſimilia ſignificare eodem modo, quo nomina concreta accidentium, vt album, dulce, calidum, & ſimilia. Hæc autem concreta directè & in recto ſignificãt, habẽs albedinẽ, dulcedinẽ, calorẽ, aut ſimilem formã accidentalẽ. Habens autem huiuſmodi formã non eſt ſola materia prima, ſed ipſum totum phyſicũ, ex ea, & forma ſubſtãtiali compoſitũ. Vnde ſignificat in recto ſubiectũ quod proximè & immediatè denominatur ab illa forma accidẽtali, quodq; propterea Materia appellatur, quia illi accidẽtali formę ſubeſt, & ab ea informatur. Quare ſicut albũ, verbi cauſa, ſignificat directè, & in recto habẽs albedi- 4

bedinem, connotatâ formâ albedinis;ita Sacramentum directè & in recto ſignificat habens ſignificationē gratiæ ſanctificantis connotatâ hac ſignificatione: ſicut autem habens albedinem eſt quid compoſitum ex materia prima & forma ſubſtantiali: ita habens ſignificationem hanc gratiæ, eſt quid conſtatum ex rebus tanquam materia,& verbis tanquam forma. Denique cùm Sacramentum eodem modo ſignificet quod, album, ſicut album directè ſignificans compoſitum habens albedinem, directè ſignificat materiam primam,& formam ſubſtantialem ex qua componitur ſeu coniunctum ex ipſis,quod eſt ſubiectum:ita Sacramentum directe ſignificans compoſitum ex rebus, & verbis habens prædictam ſignificationem, directè neceſſariò tam hæc verba, quam illas res, ac proinde tam formam, quàm materiam Sacramenti per modum coniuncti ſignificat.

5 Hoc præmiſſo, cenſeo vocem, *Sacramentum Pœnitentiæ*, ſignificare in recto coniunctum ex omnibus illis quæ ad illius phyſicam conſtitutionem diximus pertinere. Probatur, quia Sacramentum,vt præmiſimus, ſignificat eodem modo, quo nomina concreta accidentium, vt calidum, candidum; ergo ſicut hæc directè & in recto ſignificant ſubiectum cui ineſt calor, calidúmque,ac candidum denominatur, connotatâ in obliquo formâ caloris & candoris; ita illud directè & in recto ſignificat ſubiectum, cui ineſt ſignificatio Sacramentalis, & productio gratiæ, hac ſignificationis vel collationis gratiæ, formâ in obliquo connotatâ: ſubiectum autem ſignificationis Sacramentalis, quæ Pœnitentiæ Sacramento propria eſt, non eſt ſola forma abſolutionis, quâ conſtat, nec ſola materia, ſeu tres actus ex parte materiæ Contritionis,Confeſſionis,& Satisfactoris, ſed hæc & illa coniunctim, vt conſtat ex ſuperioribus, & liquet vniuerſim de omnibus Sacramentis in vſu conſiſtentibus, propriam materiam & formam, quâ perficiantur, habentibus. Firmatur, nam in omnibus aliis concretis, quæ ſunt ſigna ad placitum, ſignificatio denotatur in obliquo; coniunctum verò illud, in quod cadit ſignificatio, dicitur in recto: ſic hæc vox *Homo*, dicit in recto omnes ſyllabas, quæ ſunt illius eſſentia quaſi phyſica, & in obliquo ſignificationem: idem licet videre in aliis ſignis. Igitur cùm Sacramentum ſit concretum quoddam ſignificatiuum, dicit in recto ſubiectum, quod eſt tota eſſentia phyſica, cui adiacet ſignificatio, & ipſam ſignificationem in obliquo.

6 Obiicies, Sacramentum Pœnitentiæ ſignificare de formali, remiſſionem & abſolutionem peccatorum (eſt enim forma illius:) ergo ea debet in recto ſignificari. *Reſpondeo*, concedendo Antecedens, & negando Conſequentiam; quia non eſt idem, ſignificari de formali, & ſignificari in recto: nam album ſignificat de formali albedinem, & eam ſignificat in obliquo; ſignificari enim de formali, eſt eſſe formam ſignificatam, à qua vox deriuatur, vt album ab albedine, dulce à dulcedine, &c. In recto verò ſignificari, eſt ſignificari in nominatiuo caſu, ſicut ſignificari in obliquo idem eſt, ac ſignificari in alio caſu. Vnde ad prædicationes ſicut & ad multiplicationes, non ſunt conſideranda quæ de formali dicuntur, ſed quæ in recto. Ex quo infero hanc propoſitionem: Petrus eſt albus, inde eſſe veram, quia nomen *albus* in recto ſolum dicit ſubiectum; nam ſi etiam diceret albedinem, eſſet idem *albus* quòd *ſubiectum*, & *albedo*; non poteſt autem dici, Petrus eſt ſubiectum, & albedo, quia Petrus nec partialiter eſt albedo; ergo *albus* ſolùm dicit ſubiectum in recto albedinem in obliquo, tanquam ſi dicerem, Albus eſt ſubiectum, vel habens albedinem, quod benè dicitur de Petro: eſtque propoſitio æquiualens illi: Petrus eſt albus. Idem eſt, quando dico, Album eſt dulce: dulcedo enim & albedo non poſſunt vllo modo in recto inuicem prædicari, Albedo eſt dulcedo, aut è contrario: benè autem dicitur, Subiectum albedinis eſt ſubiectum dulcedinis;ex quo euidenter infertur,vocem *album*, ſic explicari, eſt ſubiectum albedinis, ſeu habens albedinem. Simili modo dico, hoc nomen, *Sacramentum Pœnitentiæ*, licet verùm ſit eſſe ſignificatiuum, & productiuum gratiæ ac remiſſiuum peccati, & id per illud nomen ſignificari de formali; nihilominùs tamen per illud nomen non ſignificatur in recto ipſa forma remiſſionis, & remiſſionis, ſeu collationis gratiæ, ſed tantum in obliquo. Vnde non benè dicitur: Sacramentum Pœnitentiæ eſt ipſa remiſſio peccati, vel collatio ſeu productio gratiæ, ſed eſt ſubiectum, ſeu habens ſignificationem, & productionem gratiæ. Quare benè dicitur Sacramentum Pœnitentiæ eſſe remiſſiuum peccati, & collatiuum, ſeu productiuum gratiæ, dicens in recto ſubiectum, & remiſſionem peccati, ac collationem ſeu productionem gratiæ in obliquo: quod eſt intentum noſtræ concluſionis.

7 Quod autem dixi de hoc nomine, *Sacramentum Pœnitentiæ*, debet ſimiliter intelligi de hoc vocabulo, *Pœnitentia*, dummodò ſpectetur huius vocabuli ſignificatio non ſecundùm primariam impoſitionem, ſed ſecundariam, ſecundùm quam idem prorſus ſignificat quòd illud aliud: vnde indifferenter pro eodem vſurpatur modò Pœnitentia, modò Pœnitentiæ Sacramentum. Iuxta primariam enim impoſitionem, nomen, *Pœnitentia*, non aliud ſignificat, quàm certum quendam ac proprium pœnitentis actum; iuxta ſecundariam verò, idem *prorſus ſignificat* quòd Sacramentum Pœnitentiæ. Sicut vox iſta *Baptiſmus*, iuxta primariam impoſitionem non aliud ſignificat, quàm externam ablutionem; iuxta ſecundariam autem, idem quòd Baptiſmi Sacramentum. Vnde etiam videmus indifferenter pro eodem vſurpari, modò Baptiſmum, modò Baptiſmi Sacramentum.

8 Ex his facilè reſponderi poteſt ad ſententias *ſuprà* adductas. Ad primam iam conſtat, nomen pœnitentiæ perinde eſſe ac Sacramentum Pœnitentiæ, ac proinde ſupponere in obliquo pro actibus pœnitentis & pro abſolutione, & in recto ſolum ſupponere,vel ſignificare ſubiectum.

Ad ſecundam ſententiam,falſum eſt,ſolam abſolutionem fieri nomine Chriſti: nam etiam alias actiones audiendi peccata, & interrogandi, quas Sacerdos exhibet in iudicio Sacramentali, agit nomine Chriſti, & vt eius Miniſter ad hoc ab ipſo deputatus. Præterea dolor & Confeſſio, tametſi non ſint operationes factæ nomine Chriſti,nec ſint actiones habentes ex ſe condignitatem,& valorem ad cauſandam gratiam;nihilominùs tamen ſunt actiones, quæ mouent moraliter Deum ad dandam gratiam propter ipſas, non de condigno, ſed de congruo;& accedentibus Chriſti meritis eleuatæ ſunt, vt infallibiliter moueant Deum ad dandam gratiam; atque ideò ſunt cauſæ, ſi non condignè, infallibiliter tamen cauſantes illum effectum de congruo; ſicut Contritio ex Chriſti meritis affert extra Sacramentum infallibiliter gratiam, licèt eam non mereatur de condigno, ſed de congruo. Addo tamen, neque hos actus, neque ipſam abſolutionem nomine Sacramenti ſignificari in recto,ſed tantùm in obliquo, vt ſatis manet explicatum.

Ad tertiam ſententiam Cardinalis Lugo,quouis modo ſumatur nomen Sacramentum Pœnitentiæ,ſiue per modum condonationis, ſiue per modum iudicij, nunquam

nunquam importare, ſeu ſignificare in recto ipſam ſolam abſolutionem, vel condonationem, neque vt coniunctam cum Confeſſione, accuſatione, examine, &c. quia tametſi Sacramentum vtrumque ſignificet de formali, tanquam quid pertinens ad intrinſecum conſtitutiuum illius; nihil tamen eorum ſignificat in recto, ſeu in nominandi caſu, quod perinde, idem eſt: quia, vt dictum eſt, Sacramentum Pœnitentiæ ſignificat eodem modo, quo nomina concreta accidentium, & aliorum concretorum, quæ ſunt ſigna ad placitum; hæc autem directè & in recto ſignificant coniunctum, ſeu ſubiectum, cui ineſt forma, vel ſignificatio; & hæc nunquam in recto, ſed ſemper in obliquo denotatur.

SECTIO VII.

An aliquid aliud, præter formam Abſolutionis, & tres partes materiæ, conſtituat intrinſecè Sacramentum Pœnitentiæ?

PRima difficultas eſt de peccatis, an conſtituant intrinſecè Sacramentum Pœnitentiæ?

1 Pars affirmatiua videtur neceſſariò amplectenda. Nam Confeſſio etiam cum dolore & abſolutione non ſufficiunt ad conſtituendum Sacramentum, niſi reipſa præceſſerint illa peccata, de quibus homo ſe accuſat doloroſe. Si enim aliquis putans ſe commiſiſſe peccatum aliquod, quod reuera non commiſit, confiteatur illud ſolum cum dolore, & abſoluatur, non fit Sacramentum; ergo Confeſſio & dolor non conſtituunt hoc Sacramentum; niſi quatenùs ſunt de peccato, quod reuera extitit. Hanc autem denominationem habent Confeſſio & dolor formaliter ab ipſo peccato præterito, & non ab alia forma; neque enim eſt alia forma, à qua poſſint habere talem denominationem. Igitur ſi non componunt Sacramentum, niſi provt habent talem denominationem, oportebit quòd forma denominans, ſeu peccatum ipſum præteritum intret etiam partialiter ad componẽdum intrinſecè Sacramentum; atque ideò non erunt materia illæ ſolæ tres partes à Concilio propoſitæ, ſed etiam ipſa peccata præterita.

2 Ad hanc difficultatem à noſtro Cardinali Lugo *diſp. 12. ſect. 2.* propoſitam ipſe reſpondet *num. 23.* phyſicè loquendo, negari non poſſe, quin præteritio peccati aliquo modo intret ſaltem in obliquo ad conſtituendum hoc Sacramentum, vt omninò videtur conuincere argumentum factum. Neque id eſſe contra mentem Conciliorum aſſignantium pro materia illos tres actus pœnitentis; nam in illis includunt peccata in obliquo: quando enim aſſignatur Confeſſio & dolor de peccatis, intelligitur de peccatis veris: nam peccata ficta non ſunt ſimpliciter peccata; cum ergo materia ſit dolor de peccatis veris, hoc eſt, quæ verè extiterunt; dolor autem de peccatis veris includat in obliquo ipſa peccata, à quarum præteritione vera, denominatur nunc dolor de peccatis veris, conſequens eſt, quòd ipſa peccata præterita includantur in materia, quæ aſſignatur in Conciliis. Imò frequentiſſimè ipſa peccata appellantur materia huius Sacramenti: ſolent enim appellari materia remota, quia ſicut lignum dicitur materia remota ignis, ad cuius productionem deſtruitur lignum; ſic in Sacramento Pœnitentiæ, peccata, quorum deſtructiò intenditur per hoc Sacramentum, dicuntur eius materia remota, licèt reuera illorum exiſtentia præterita debeat intrare in obliquo ad denominandam materiam proximam in ratione talis materiæ proximæ.

3 Dico *primo*, poſſe dari Sacramentum Pœnitentiæ ſine peccatis vt exiſtentibus in re; atque adeò præteritionem peccati in re non intrare conſtitutionem & naturam intrinſecam Sacramenti. Probatur quia peccata licèt in re non extiterint, ſi tamen ſint in conſcientia, ſeu in exiſtimatione & notitia probabili pœnitentis, ſunt certa materia & neceſſaria Confeſſionis Sacramentalis. Quando enim quis probabiliter credit ſe mortale peccatum commiſiſſe, & illud confeſſum non fuiſſe, quia habet rationes probabiles ad probabiliter id credendum, tunc tenetur illud confiteri, & conſequenter illud peccatum eſt materia neceſſaria & certa; ergo peccatum ſolùm probabiliter exiſtens in conſcientia, eſt certa materia Sacramenti Pœnitentiæ, & ſufficiens, vt ipsâ poſitâ, ſi reliqua ponantur, detur reipſa Sacramentum; ergo vt detur verè Sacramentum, non opus eſt quòd peccata reipſa exiſtant. Igitur quamuis dolor, Confeſſio, & abſolutio exiſtere nequeant ſine peccato vt exiſtenti aliquo modo in conſcientia, poterunt tamen eſſe ſine ipſo vt exiſtenti in re; atque adeò Sacramentum poterit eſſe ſine peccatis in re, non verò ſine peccatis in conſcientia, ſeu in exiſtimatione probabili.

Dico *ſecundò*, neque peccata, provt ſunt in conſcientia, vel memoria ſeu notitia pœnitentis, ſicut neque etiam ipſa peccata, quæ reipſa extiterunt, conſtituere intrinſecè Sacramentum Pœnitentiæ. Ratio à priori eſt, quia tametſi Contritio & Confeſſio per ſe præſupponant peccata commiſſa præexiſtentia in re, vel ſaltem in conſcientia; ideò tamen non conſtituunt intrinſecè Sacramentum, quia non dependet Sacramentum ab illis, niſi tanquam à termino, obiecto, & materia, circa quam verſatur: at materia circa quam, & obiectum ſemper eſt extra naturam & eſſentiam actus tendentis in illud; ipſa enim peccata ſunt terminus, materia & obiectum ſcientiæ humanæ, & Angelicæ, quæ eſt de illis, imò & diuinæ quam Deus habet omnium peccatorum, quæ fiunt ab hominibus; & nihilominùs ipſa peccata non intrant naturam, & intrinſecam rationem ſcientiæ humanæ, nec Angelicæ, & multò minùs diuinæ: creaturæ quoque intrinſecum & eſſentialem habent reſpectum ad Deum creatorem; hinc tamen non deducimus, nec deducere poſſumus, Deum conſtituere intrinſecè, formaliter, & eſſentialiter creaturam. 4

Ex quo patet ſolutio ad rationem Cardinalis Lugo, nimirum, peccata præterita eſſe quidem obiecta, ſeu materiam huius Sacramenti, materiam inquam, non proximam, ex qua intrinſecè componatur Sacramentum, ſed remotam, & circa quam, eo modo quo dicitur lignum materia remota ignis; nullo tamen modo exiſtentiam præteritam peccatorum conſtituere intrinſecè Sacramentum, quia illa eſt terminus præciſè & obiectum extrinſecum, quod non ingreditur intrinſecè & formaliter naturam actus tendentis in illud.

Secunda difficultas eſt, an poteſtas ordinis & iuriſdictionis ingrediantur eſſentiam Sacramenti Pœnitentiæ. 5

Affirmant nonnulli cum Cardinali Lugo *diſput. 1. de Euchariſtia num. 91. Primò*, quia ablatâ, ſeu non intellectâ poteſtate ordinis & iuriſdictionis, quamuis cætera omnia intelligerentur; non remanet, ſeu non intelligitur Sacramentum Pœnitentiæ.

Secundò, in Extrema-Vnctione oleum benedictũ eſt materia; benedictio autem eſt forma conſtituens oleum in ratione olei benedicti, & vtrumque pertinet ad

materiam Extremæ - Vnctionis ; ergo ſimiliter cùm forma abſolutionis conſtituatur per poteſtatem Ordinis & iuriſdictionis, hæc debet intrare partialiter ſaltem reductiuè ad componendum Sacramentum validum.

Tertiò , firmatur idem ex Tridentino *ſeſſ. 14. cap. 1.* Vbi loquens de inſtitutione huius Sacramenti , ſic ait: *Dominus autem Sacramentum Pœnitentiæ tunc præcipuè inſtituit, cùm à mortuis excitatus inſufflauit in Diſcipulos ſuos &c.* Vbi notanda eſt particula illa *præcipuè*, quâ manifeſtè indicat Concilium , Chriſtum incepiſſe hoc Sacramentum inſtituere ante diem Reſurrectionis , ac per conſequens aliquam illius partem ante illam diem inſtituiſſe; nam illud , *præcipuè* , dicit relationem ad aliud , quod ſit de conceptu huius Sacramenti , alioquin ineptè adhiberetur. Si enim quis diceret humanitatem præcipuè conſiſtere in materia , & anima rationali vnitis , incongruè ſanè loqueretur , cùm illo modo loquendi ſignificaret in aliquo alio conſiſtere , quod eſt falſum. Hoc autem aliud quod indicat Concilium iam factum ante Reſurrectionem , & ad hoc Sacramentum pertinens , nihil aliud eſſe poteſt quàm poteſtas Ordinis, quam Chriſtus contulit Apoſtolis in nocte Cœnæ. Igitur talis poteſtas eſt intrinſeca, & eſſentialis huic Sacramento Pœnitentiæ.

6 Ego verò contrarium iudico verum , nempe poteſtatem Ordinis , & Iuriſdictionis non ingredi formale conſtitutiuum & eſſentiam Sacramenti Pœnitentiæ. Moueor, quia tametſi deficiente poteſtate Ordinis & iuriſdictionis ſit immediatè defectura actio abſoluendi ab ea proueniens(hæc enim per ſuam entitatem reſpicit intrinſecè, provt eſt abſolutio, talem poteſtatem vt principium, quo deficiente , ipſam actionem immediatè deficere neceſſe eſt, & conſequenter Sacramentum ipſum deficere debere , quod tali actione abſoluendi componi intrinſecè, & conſtitui iuxta noſtram doctrinam fateri neceſſe eſt ;) non ideò tamen inde ſequitur eam poteſtatem Ordinis intrinſecè componere & eſſentialiter conſtituere Sacramentum ipſum. Ratio à priori eſt , quia non omne illud , quo deficiente deficit aliud , eſt illius conſtitutiuum , ſed id quo deficiente , formaliter deficit illud : ſic enim dicimus animal ingredi naturam & eſſentiam hominis ; quia deficiente animali deſinit formaliter homo ; è contra verò obiecta in quæ reſpiciunt actus , & termini rerum reſpecti ab ipſis , excluduntur ab eorum eſſentia & formali conſtitutiuo ; qua licèt deficiente obiecto vel termino , quem eſſentialiter reſpiciunt, neceſſe ſit ipſum actum vel rem deficere , ſed non immediatè & formaliter , ſed mediatè, ac illatiuè , ac quaſi radicaliter ob defectum ſui principij. Cùm igitur abſolutio peccatorum , quæ eſt forma Sacramenti Pœnitentiæ , nõ ſit formaliter ipſa poteſtas Ordinis & Iuriſdictionis, ſed actio re diſtincta dicens eſſentialem reſpectum ad ipſam poteſtatem Ordinis , & Iuriſdictionis , tanquam ad ſuam cauſam & principium radicale , deficiente hoc principio , neceſſe eſt , vt talis actio , vel abſolutio deficiat illatiuè ac quaſi radicaliter ob defectum ſui principij , quin tale principium ingrediatur eſſentiam , & conſtitutiuum Sacramenti. Ex quo patet ſolutio ad primum argumentum quod conficit Cardinalis Lugo.

7 Ad ſecundum Dico, exemplum illud in materia Extremæ Vnctionis non eſſe ſimile : nam ibi ſermo eſt de materia remota , quæ non eſt ex qua , ſed circa quam verſatur illud Sacramentum ; & ad talem materiam remotam pertinet non ſolùm oleum , ſed etiam illius benedictio , quia materia eſt oleum in ratione benedicti ; ſicut quia aqua eſt materia remota valida ad Baptiſmum , & forma aquæ conſtituit aquam in ratione materiæ validæ; ideò forma aquę pertinet quoque ad materiam remotam Sacramenti Baptiſmi. Difficultas verò non eſt niſi de conſtitutione intrinſeca & eſſentiali Pœnitentiæ Sacramenti , quæ reſultat ex partibus proximis, & intrinſecè illud componentibus, & hanc negamus eſſe poteſtatem Ordinis, & iuriſdictionis.

Ad tertium , reſpondeo intentum Concilij ibi non fuiſſe explicare in nocte Cœnæ fuiſſe collatam Apoſtolis poteſtatem Ordinis ; de hac enim neque vnum verbum toto prædicto capite proponit , quam declarat alio in loco, nempe *ſeſſione 22. de Sacrificio Miſſæ , capite 1.* Solum ergo voluit illis verbis exprimere præclaram inſtitutionem Sacramenti Pœnitentiæ poſt Reſurrectionem factam ; & ad hunc finem apposuit particulam illam , *præcipuè* , ad illam extollendam. Nam particula illa , *præcipuè* , nullam dicit relationem ad aliud quod ſit de conceptu eſſentiali & formali Sacramenti Pœnitentiæ inſtituti ; id enim ſine vllo fundamento aſſeritur ; neque eſt vllum , vel minimum ſignum talis reſpectus vel relationis. Solùm igitur per illam particulam exponere voluit Concilium excellentiam Sacramenti inſtituti, ſignificans eſse pręcipuum opus factum à Chriſto poſt Reſurrectionem, & ideò dixit *præcipuè* illud inſtituiſse, quia fuit opus omnium præcipuum, ac præſtantiſſimum poſt Reſurrectionem in bonum Eccleſiæ, ac in ſalutem animarum inſtitutum.

8 Tertia difficultas eſt de perſona Miniſtri materialiter ſumpta , an intret compoſitionem intrinſecam Sacramenti Pœnitentię. Videtur enim affirmatiuè dicendum, quia poſitis aliis omnibus , & ablatâ perſonâ non fieret Sacramentum : Antecedens probatur, quia ſi *anima ſeparata* cum charactere impenderet abſolutionem homini contrito & confeſso , non foret reipſa tunc Sacramentum Pœnitentiæ ob defectum perſonæ. Firmatur idem , quia Florentinum docet Sacramenta nouæ Legis perfici rebus tanquam materia , & verbis tanquam forma , & perſona Miniſtri : ergo ſicut ex eo quòd perficiatur ex rebus , & verbis , inferunt Doctores conſtitui, ſeu componi ex eis tanquam ex materia & forma; ſimiliter ex eo quòd perficiatur ex perſona Miniſtri, inferri debet conſtitui, ſeu componi ex perſona.

9 Nihilominùs ſentio iuxta *ſuprà* dicta ; perſonam Miniſtri non intrare compoſitionem intrinſecam Sacramenti Pœnitentiæ. Ratio eſt , quia talis perſona eſt quid extrinſecum ipſi Sacramento ; eſt enim principium , & quaſi cauſa efficiens actionis , vel abſolutionis : Satis ergo eſt , ſi intret conſtitutionem Sacramenti intrinſecam eiuſmodi actio proueniens à tali perſona, quæ per ſuam entitatem reſpicit intrinſecè tale principium humanum completum , quo deficiente, deficit ipſa actio non formaliter & immediatè, ſed mediatè , & illatiuè, quatenus deficit reſpectus illam conſtituens.

10 Neque amplius probat argumentum oppoſitum: nam in illo caſu non fuiſset eadem actio abſoluendi, quæ nunc eſt ; nam hæc actio , vt dixi anteà , reſpicit hoc principium humanum completum ; illa autem reſpiceret ſolam animam ; non ergo manerent omnia quæ componunt Sacramentum : neque ex hoc capite neceſse eſt quod perſona ipſa intret ; ſatis eſt ſi intret actio talis humana reſpiciens perſonam. Ad confirmationem dico , Florentinum dicere perfici Sacramentum rebus, & verbis, & perſona Miniſtri conferentis Sacramentũ. Quibus verbis expreſsè cõſtat per illud verbum *perfici*, non idem ſignificari quòd componi , aut cõſtitui, neq; enim poteſt Sacramentum, nec quodlibet

aliud

Digitized by Google

aliud concretum, aut ſignum componi & conſtitui aliquo extrinſeco; eſt autem perſona Miniſtri conferentis Sacramentum, quid extrinſecum Sacramento, & ſolùm requiritur extrinſece, ſcilicet, vt cauſa, quæ ſemper eſt extra naturam rei, cuius eſt cauſa, atque ideò componere nequit: poteſt tamen perfici aliquid ab aliquo extrinſeco. Et quamuis Doctores, ex eo quòd Concilium dicat Sacramentum perfici rebus, & verbis, colligant conſtitui, ſeu componi ex illis tanquam ex materia & forma; id tamen non poſſunt colligere de perſona Miniſtri; cùm ipſummet Concilium proponat illam vt quid extrinſecum Sacramento, cùm expreſſe dicat ſolùm requiri extrinſece, ſicut cauſa conferens illud; atque ideò ſolùm dicit Sacramentum perfici perſona Miniſtri, ſeu indigere illa ad exercendum munus & officium cauſæ efficientis.

SECTIO VIII.

Quid ſit in Sacramento Pœnitentiæ, Res tantùm, Sacramentum tantùm, Res & Sacramentum ſimul?

1 COmmuniter à Theologis ſolent tria hæc in ſingulis Sacramentis diſtingui. In hoc Pœnitentiæ Sacramento videtur eſſe ſpecialis difficultas: ad quam explicandam, præmitto nomine Sacramenti tantùm, intelligi id quod in Sacramentis ſignificat, & non ſignificatur. Nomine Rei tantùm, id quod ſignificatur, & non ſignificat. Denique nomine Rei & Sacramenti ſimul, id quod ſignificat & ſignificatur. Vt in Baptiſmo, v. g. Confirmatione, & Ordine, materia, & forma ſunt Sacramentum tantùm, quia non ſignificantur, & ſignificant gratiam, characterem, & alios effectus. Gratia verò dicitur Res tantùm, ſiue Res Sacramenti, quia ſignificatur, & non ſignificat. Denique character dicitur Res & Sacramentum ſimul, quia ſignificat gratiam, & ſignificatur ab ipſo Sacramento.

Vnde nomen Sacramenti in hac quæſtione non ſignificat id ſolum, quod eſt ſignum practicum gratiæ, ſed accipitur latiùs pro ſigno pertinente ad Sacramentum, licèt reuera non ſit pars intrinſeca Sacramenti: nam character qui dicitur Res & Sacramentum ſimul, verè non eſt pars, ſed effectus Baptiſmi; eſt tamen ſignum; & ideò in latiori ſignificatione appellatur Sacramentum. Cum etiam aliquid appellatur Sacramentum tantùm, non eſt ſenſus, quod in illo ſolo conſiſtat tota ratio illius Sacramenti; ſed quòd illud ſolum ſit ſignum, vt non ſit ſimul res ſignificata.

2 Prætereà notandum eſt, in Sacramento Pœnitentiæ, circa Sacramentum tantùm, & Rem tantùm, nullam eſſe controuerſiam. Nam conſtat Sacramentum tantùm, eſſe actus externos pœnitentis & Confeſſoris, nempe Confeſſionem, & abſolutionem; quia id ſignificat gratiam & remiſſionẽ peccati, & non ſignificatur per aliquid aliud. Conſtat quoque Rem tantùm, eſſe gratiam prout remiſſiuam peccati, vel ipſam remiſſionem peccati vt cauſatam per gratiam; ſi quidem ſignificatur per Confeſſionem & abſolutionem, & ipſa nihil ſignificat, cùm Sacramentum non ſit. Dubium ergo eſt circa Rem & Sacramentum ſimul. Cardinalis Lugo *diſput. 2. de Sacramentis, ſect. octaua à numero* 147. vſque ad 165. plures refert modos explicandi hanc communem Theologorum diuiſionem: qui ideò dicunt rem, & Sacramentum ſimul eſſe dolorem internum ſeu Contritionem peccatorum; quia Contritio ſignificat, & cauſat remiſſionem peccati, & gratiam, cùm ſit pars eſſentialis huius Sacramenti ſimul cum Confeſſione, & abſolutione, vt conſtat ex *ſup.* dictis; & aliàs ſignificatur etiam per abſolutionem, & Confeſſionem doloroſam.

Contra quam ſententiam, & communis obiectio, 3 Contritionem, licèt ſit Sacramentum, quatenus vnà cum aliis partibus ſignificat, & cauſat gratiam: at non apparet quomodo ſit Res Sacramenti; quia etſi Contritio ſignificetur per Confeſſionem, non tamen cauſatur ab illa; at Res Sacramenti debet cauſari à Sacramento: ergo nequit Contritio eſſe Sacramentum ſimul & Res Sacramenti.

Verùm hæc ratio efficax non eſt: nam iure negari 4 poteſt, quod debeat ſemper id, quod eſt Res & Sacramentum ſimul, cauſari ab eo quod dicitur Sacramentum, ſufficit quippe quòd ſignificetur, vt liquet ex aliis Sacramentis: nam character eſt Res & Sacramentum in Baptiſmo, Confirmatione, & Ordine, & tamen non cauſat Rem Sacramenti, nimirùm gratiam habitualem, licèt illam ſignificet; ergo quamuis Confeſſio non cauſet Contritionem, poterit hæc eſſe res Sacramenti reſpectu illius, eò præcisè quòd ab illa ſignificetur. Deinde in Sacramento Extremæ-Vnctionis, ſanitas corporalis dicitur Res & Sacramentum ſimul; res quidem, quia ſignificatur per Sacramentum; Sacramentum autem quatenus ipſa ſignificat ſpiritualem ſanitatem, quam tamen non efficit; ergo.

Aliter Cardinalis Lugo *diſp. 2. de Sacrament. ſect. 8. n.* 164. impugnat prædictam rationem, quia vt aliquid 5 ſit res Sacramenti, non ſufficit, quòd ſignificetur quomodocumque per aliquam partem eiuſdem Sacramenti, ſed requiritur quòd ſignificetur Sacramentaliter, hoc eſt ex Chriſti inſtitutione: ſed modus ille, quo Confeſſio ſignificat Contritionem, non eſt ex inſtitutione Chriſti; ergo Contritio nequit eſſe res huius Sacramenti; & conſequenter nec Sacramentum ſimul & Res. Maior probatur, quia ſi ad id ſufficeret quiuis modus ſignificandi, multa alia deberent dici res Sacramenti, v. g. conſenſus internus contrahentium in Matrimonio, qui ſignificatur per verba externa, & intentio miniſtrandi in aliis Sacramentis, & ſuſcipiendi Sacramentum deberent dici Res Sacramenti; quia illa etiam ſignificatur per verba externa, & per actionem vel ſuſceptionem externam, & ſignificant ſimul & cauſant gratiam. Minor etiam patet. Tum quia Confeſſio independenter à Chriſti inſtitutione ſignificat ex ſe hominem dolere de iis, de quibus ſe accuſat. Tum quia ſignificatio Sacramentalis eſt illa, quâ Chriſtus aliquid occultum intendit nobis ſignificare; at Chriſtus per Confeſſionem non ſignificat nobis Contritionem, ſed ipſe pœnitens eſt qui eam Contritionem, & dolorem vult ſignificare & manifeſtare. Tum denique quia Chriſtus, niſi aliquid obſtet, tenetur ponere rem ſignificatam per ſignum Sacramentale, ne ſit falſum, vt conſtat in aliis Sacramentis, in quibus res ſignificata ſemper ponitur, niſi adſit obex: at Contritionem non tenetur Chriſtus ponere, etiam poſitâ Confeſſione, ſed ipſe pœnitens: ergo pœnitens, & non Chriſtus intendit per Confeſſionem ſignificare Contritionem internam.

Quare idem Cardinalis *n.* 166. alium affert dicendi 6 modum; aſſerit enim pacem quandam ac ſerenitatem conſcientiæ, quam experiuntur piè recipientes Sacramentum Pœnitentiæ, eſſe Rem, & Sacramentum ſimul in hoc Sacramento. Quia prædicta pax & ſignificat, & ſignificatur: ſignificat quidem pacem reſtitutam cum Deo per gratiam, & remiſſionem peccati; ſignificatur autem per partes huius Sacramenti, nempe per materiam & formam. Firmat hunc modum loquendi ex doctrina Trid. *ſeſſ.* 14. *c.* 3. vbi de re huius Sacramenti ſic dicitur. *Sanè verò res, & effectus huius Sacramenti, quantum ad eius vim, & efficaciam pertinet, reconciliatio eſt cum Deo, quam interdum in viris piis, & cum deuotione hoc Sacramẽtum ſuſcipientibus, conſcientiæ pax, ac*

ſerenitas cum vehementi ſpiritus conſolatione conſequi ſolet; ex quibus verbis conficitur argumentum: nam multi ex Theologis ideò defendunt corporis ſanitatem eſſe rem & Sacramentum in Sacramento Extremę-Vnctionis, quia idem Concilium *eadem ſeſſione* 14. paulò inferius *capite ſecundo*, dicit ſanitatem corporis eſſe rem & effectum Sacramenti, quia tale Sacramentum illa interdum ſanitas, vbi ſaluti animæ expedierit, conſequitur; ſed verbis *ſuprà* relatis, ſimili prorſus modo loquitur Concilium de tranquillitate ac pace illa quæ ſequitur remiſſionem peccatorum; ergo illa pax eſt Res & Sacramentum in pœnitentia.

7 Nec obſtat quòd hæc tranquillitas non ſemper cauſetur. Tum quia neque ſanitas corporalis cauſatur ſemper per Sacramentum Extremæ-Vnctionis, & tamen eſt res Sacramenti in Extrema-Vnctione. Tũ etiã quia gratia habitualis eſt res Sacramenti in omnibus Sacramentis, & ſæpiſſimè ratione alicuius obicis non cauſatur ab illis. Nec obſtat pacem illam non eſſe partem Sacramenti; quia hoc loco nomine Sacramenti, non ſolum intelligitur pars illius, ſed etiam res quæ coniunguntur per ſe cum Sacramentis, vt videre eſt in charactere, & ſanitate coporea.

Dico *primò*, ſi ſpectemus ſolam Conciliorum, aut Patrum authoritatem, aut ſola naturæ, vel fidei principia, nihil neceſſe eſſe prędicta tria vel in hoc, vel in vllo alio nouæ Legis Sacramento diſtinguere. Hoc eſt certũ apud omnes Doctores. Et ratio eſt quia ex nullo capitum iſtorum colligi poteſt prædicta diſtinctio. Quam etiam ſoli Theologi Scholaſtici cùm in Sacramentis characterem imprimentibus facilè aduertiſſent, in cæteris ſimiliter reperire conati ſunt. Vnde quod affertur ex D. Aug. depromptum ex libro ſententiarum Proſperi, & refertur *de conſecratione diſt. 2. c. Hoc eſt*, quo ſanctus Doctor agnoſcere videtur in Euchariſtiæ Sacramento aliquid, quod ſit Res & Sacramentum ſimul, nẽpe Corpus Chriſti: fruſtra affertur; ſolùm enim agnoſcit hoc Sacramentum conſtare duobus, nempe ſpeciebus panis & vini, & Chriſti corpore & ſanguine; quorum illud vocat Sacramentum; hoc vero rem Sacramenti.

8 Dico *ſecundò*, optimam mihi videri proportionem & congruentiam ad ſuſtinendam communem illam Theologorum diuiſionem, ſi intelligamus cum D. Th. *in 3. p. quæſt. 84. art. 1. ad 3. & in 4. d. 22. quæſt. 2. art. 1. quæſtiuncula* 1. & communi doctrina per Rem, & Sacramentum ſimul, Contritionem interiorem. Ratio conuenientiæ, hæc eſt, quia Contritio & ſignificat gratiam, cùm ſit pars Sacramenti, & ſignificatur non ſolùm per Confeſſionem, ſed etiam per abſolutionem; nã hæc vtraque illius ſignum eſt. Quòd enim ſit illius ſignum Confeſſio, manifeſtum eſt; quòd verò ſignificetur quoque per Abſolutionem, conſtat etiam, quia ſæpe diximus abſolutionem ſacramentalem dari per modum ſententiæ iudicialis; vnde neceſſe eſt ſupponat, vel ſignificet dari in pœnitente aliquam dignitatem, vel congruitatem, vt in eius fauorem ſententia dicatur; ac per conſequens ex ſe ſupponit, vel ſignificat in pœnitente dolorem delicti à quo abſoluitur; nulla enim poteſt eſſe dignitas, vel congruitas ſine dolore, vel Contritione; hæc igitur ſignificatur per abſolutionem. Nec refert quòd ipſa Contritio non cauſetur ab abſolutione; ſatis enim eſt, vt ſit res reſpectu illius, & quòd ab ea ſignificetur, vt etiam Cardinalis Lugo fatetur.

9 Ad rationem ab ipſo allatam contra iſtam communem ſententiam facile reſpondeo, concedendo Maiorẽ, & negando Minorem: nam eo ipſo quòd abſolutio ex Chriſti inſtitutione detur per modũ ſentẽtiæ iudicialis, habet ſignificare dolorem, vel Contritionem. Ad probationem, dico ad rationem ſigni Sacramentalis non requiri, quòd Chriſtus intendat per illud nobis ſignificare aliquid occultum, ſed ſufficere, quòd intendat aliquid occultum nobis ſignificare, ſiue à ſe ipſo id ſignificetur, medio ſigno, ſiue ab alio, nomine ipſius operante & ponente ſignum. Sacerdos autem nomine Chriſti abſoluens pœnitentẽ, eo ipſo quòd vt Iudex profert ſententiã abſolutionis, per eã ſignificat in reo eſſe aliquã dignitatem, vel conguitatem, & conſequenter dolorem, ſine quo ea dignitas conſiſtere nequit. Ad hoc autem, opus non eſt, vt vel Chriſtus, vel ipſe Sacerdos teneantur dolorem per abſolutionem ſignificatum ponere, neque enim ad id tenentur, ne ſignum ſit falſum. Tum quia abſolutio non ſignificat Contritionem, vel dolorem ponendum à Chriſto, vel Sacerdote. Tum etiam quia ad veritatem ſigni non eſt neceſſe, quòd res ſignificata per illud ſemper ac infallibiliter ponatur, vt patet in ſanitate corporis reſpectu Extremæ-Vnctionis. & in gratia reſpectu omnium Sacramentorum, quæ ſæpe non ponuntur, tametſi ponantur ſigna Sacramentalia, & ſignificantia, ſed ſufficit quòd ſignum ex ſe ſit ſignificatiuum illius rei, & quod aliquando ſub certis circumſtantiis & conditionibus ponatur, vel poſita ſit, ſiue ab ipſo inſtituente ſignum, ſiue ab alio. Igitur non eſt, cur, ſeu ad quid teneatur Chriſtus ponere rem ſignificatam per ſignum; ſi enim teneretur, ne ſignum eſſet falſum, ſemper & infallibiliter teneretur ponere talem rem. Firmatur hæc ſolutionis doctrina: nam ſignum ſiue naturale ſit, ſiue ad placitum, humanum, vel diuinum, dupliciter poteſt rem aliquam ſignificare, primò, vt ponendam; ſecundò, vt iam poſitam. v. g. fumus naturaliter ſignificat ignem iam exiſtentem; nubes pluuiam futuram; ramus appenſus ad placitum humanum, vinum iam exiſtẽs; tuba canẽs bellum futurum. Similiter etiam Sacramenta ad placitum diuinum ſignificant gratiam futuram, ſeu ponendam, & ſpecies Sacramentales ſignificant Corpus Chriſti iam exiſtens, & ſub illis contentum: ſicut ergo ad veritatem ſigni rei vt ponendæ, non requiritur quòd infallibiliter ſemper ponenda ſit, ſed ſufficit quòd ſignũ ex ſe ſit ſignificatiuum illius, & quòd aliquando ſub certis circumſtantiis & remoto obice ponatur; ita nec ad veritatem ſigni rei poſitæ requiri debet, quòd ſemper & infallibiliter ſit poſita, ſed quod ex ſe ſit ſignificatiuum illius rei & quòd poſita hęc ſit in certis circumſtantiis, & remoto obice; quòd conuenit abſolutioni: hęc enim ex ſe ſuppoſitâ inſtitutione diuinâ eſt ſignificatiua Contritionis vel doloris, illúmque actu ſignificat poſitum, cùm peccator remouet obicem affectus formalis, vel virtualis ad peccatum: non eſt ergo ad quid requiratur quòd Chriſtus teneatur ponere dolorem, vt hic per abſolutionem Sacramentalem ſignificetur.

Dico *tertiò*, probabile eſſe quod docet Cardinalis Lugo, pacem illam internam eſſe Rem & Sacramentum ſimul in Sacramento Pœnitentiæ; probabiliorem verò eſſe ac firmiorem, communiorem ſententiã de interiori pœnitentia, vel Contritione, eſſe Rem & Sacramentum ſimul. Prima pars dicti probatur, quia ad ſuſtinendam illam communem Theologorũ diuiſionem, ſufficit quælibet proportio, vel congruentia; at illa allata à Cardinali Lugo eſt ſatis cõgrua & proportionata ad diuiſionem illam declarandam; ergo illa ſufficiens eſt. Secunda pars dicti; ideò claret, quia Attritio vel Contritio eſt pars Sacramenti Pœnitentiæ eſſentialis: ergo efficaciori ac potiori iure ſignificat gratiam, quàm eam ſignificet pars illa interna, quæ non eſt pars Sacramenti pœnitentię, nec adhuc effectus illius infallibilis; ergo potiori ratione Contritio eſt Sacramentum ſignificãs gratiã, cùm non ſit ſignũ latius, ſed ſtrictius, nẽpe ſignũ practicũ gratiæ. Quòd etiã Contritio nobiliori ac ſtrictiori modo ſignificetur à Confeſſione, & abſolutione Sacramẽtali, quã ab eadẽ ſignificetur, illa cõſcientiæ 10

contritiæ pax, ac ſerenitas, ideò conſtat manifeſtè, quia dolor ille vel Contritio nequit non ſignificari à Confeſſione & abſolutione Sacramentali; adeò vt ſine illius ſignificatione, nec ipſa Confeſſio, nec ipſa abſolutio valida ſit, atque ideò nec ipſum conſiſtere queat Sacramentum: vnde prædictus dolor habet neceſſariam concomitantiam cum Sacramento. At illa pax & tranquillitas animi non ſemper ſentitur cum ipſo Sacramento, nec cauſatur, aut ſignificatur à Confeſſione & abſolutione; atque ideò non ſemper eſt ſimul cum Sacramento. Vnde prædicta pax quando adeſt, tametſi propriè dici poſſit effectus Sacramenti, ſed non in rigore; neque adeò propriè dici videtur Res Sacramenti, cùm non habeat infallibilem concomitantiam cum Sacramento. Quæ verò non habent infallibilem concomitantiam cum Sacramento, non videntur facere vnum cum ipſo Sacramento: & ideò non ſunt ſaltem æque bene Res Sacramenti in illa diuiſione, quà Sacramentum diuidi ſolet in illa tria.

11 Denique addo mihi non diſplicere, quod notauit Suarez *diſput.* 18. *ſect.* 3. *ad finem*, interiorem pœnitentiam, ſiue ſit Attritio, ſiue Contritio, vt informem, & ſecundùm ſe eſſe Sacramentum, vel partem Sacramenti: vt formatam verò per gratiam Sacramentalem, eſſe rem Sacramenti. Nam ſi erat Attritio, fit Contritio, non intrinſecè, ſed extrinſecè tantùm, vt explicatum eſt ſuprà, *diſput.* 14. *ſect.* 8. Si verò erat Contritio, fit moraliter dignior, & meritoria gloriæ, quod ſatis eſt, vt ſub ea ratione dicatur Res Sacramenti. Neque verò neceſſarium eſt, vt eadem res ſub eadem formalitate dicatur Sacramentum ſimul & Res; ſed ſatis eſt, vt idem actus ſecundùm diuerſas rationes, ſeu perfectiones phyſicas, vel morales accipiat illas duas denominationes.

SECTIO IX.

Quænam ſit definitio quaſi phyſica Sacramenti Pœnitentiæ, atque eius vnitas?

1 Circa primum, examinatis iam partibus quaſi phyſicis, quibus conſtat Pœnitentiæ Sacramentum, facilè erit eius naturam definitione quaſi phyſica, videlicet, per partes phyſicas traditâ comprehendere. Suppono autem quod certum eſt, hoc Sacramentum phyſicè ſumptum eſſe compoſitum quoddam morale, ſeu artificiale, conſtans humanis actibus pœnitentis, vt materiâ; & abſolutione Sacerdotis vt formâ, vt conſtat ex præcedentibus; atque adeò hoc Sacramentum non ſupponere pro Confeſſione ſola, vel pro abſolutione ſola, ſed pro artificiali, vel morali compoſito ex vtroque. Vnde hæc duo componunt vnum quid morale per modum entis artificialis, & poſſunt ſub eadem definitione comprehendi.

2 Quo poſito, Sacramentum phyſicè ſumptum ſic definiri poteſt: Compoſitum morale, ſeu artificiale, conſtans ex actibus pœnitentis, & verbis Sacerdotis inſtitutis ad ſignificandam, & conferendam gratiam remiſſiuam peccati poſt Baptiſmum commiſſi, per modum iudicij. Omnes huius Definitionis particulæ conſtant manifeſtè ex dictis in tota hac diſputatione.

3 Circa ſecundum, de Vnitate, conſtat apud omnes, Sacramentum Pœnitentiæ ex ordine ad varias partes, ex quibus coaleſcit, eſſe vnum vnitate moralis, & quaſi artificialis compoſitionis: in ordine autem ad perſonam, ſeu ſubiectum, multiplicari numero in diuerſis perſonis, & in eadem perſona ſucceſſiuè tam circa peccata diuerſa, quàm circa eadem. Prima pars patet, quia hoc Sacramentum eſt totum quoddam morale, & quaſi artificiale; & ideò non poſtulat exactam vnitatem, ſed moralem tantùm. Vnde non eſt neceſſe, vt partes omnes ſimul ſeipſa exiſtant, ſed ſatis eſt, vt exiſtant ſimul moraliter. Secunda pars etiam eſt manifeſta: nam conſtat in diuerſis perſonis, diuerſa fieri Sacramenta Pœnitentiæ; & in eadem ſucceſſiuè non ſolum circa diuerſa peccata, ſed etiam circa eadem peccata. Nam licèt noua abſolutio nequeat cadere ſupra eandem materiam proximam, nempe ſupra eandem Confeſſionem; poteſt tamen cadere ſupra eandem materiam remotam, videlicet, ſupra eadem peccata, dummodò materia proxima, nempe Confeſſio cum debitâ deteſtatione, ſeu dolore ſit diuerſa: nam Chriſtus Dominus non limitauit poteſtatem abſoluendi ad vnum actum: vnde poterit quis toties abſolui ab eiſdem peccati, quoties illa ritè ſubiecerit clauibus per nouos actus Confeſſionis, & doloris: quamuis ſeruari debeat decentia in repetitione Confeſſionis eorumdem peccatorum, vt non fiat ſine rationabili cauſa. Videatur de hac re Suarez *diſput.* 18. *ſect.* 4. *num.* 9.

DISPVTATIO XVII.

De forma Sacramenti Pœnitentiæ.

POST explicationẽ eſſentiæ Sacramenti Pœnitentiæ, & eius partium quaſi in communi, & in confuſo, diſputandum eſt de ſingulis diſtinctè, & in particulari. Ac primum de primâ, ac præcipua parte, quæ eſt Abſolutio; hæc enim cùm ſit forma aliarum partium huius Sacramenti, dat etiam illis determinationem, & perfectionem; atque ideò ſicut nobilitate, ita & prioritate eius tractationem antecedere, in hac diſputatione incongruum non erit.

SECTIO PRIMA.

An requirantur verba propriè dicta ad formam Sacramenti Pœnitentiæ?

Negant Medina *codice de Pœnitentia, tract.* 2. *q.* 15. 1
§. quartum dictum. Petrus Soto *ſect.* 11 *de Confeſſione*, & quidam Alij: *Primò*, quia hoc Sacramentum inſtitutum eſt per modum iudicij; ergo ſicut ad valorem ſententiæ in aliis iudiciis non requiruntur neceſſariò verba, ſed ſufficit ſcripto, vel nutibus eam tradere; ita & in hoc Sacramento.

Secundò, Sacramentum Matrimonij perfici poteſt abſque verbis, quia ſequitur naturam contractus; ergo & hoc Sacramentum, quia ſequitur naturam iudicij.

Tertiò, in hoc Sacramento poteſt pœnitens nutibus, vel ſcripto manifeſtare ſua peccata Sacerdoti præſenti; & etiam Sacerdos poteſt nutibus, vel ſcripto imponere pœnitentiam: ergo & poterit etiam abſoluere.

Quartò, ex Chriſti inſtitutione non videtur colligi oppoſitum: nam verba illa *Ioan.* 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*, &c. etiam verificantur, tametſi fiat remiſſio nutibus, vel ſcripto; qui enim ſic remittit offenſam, verè, & in rigore illam remittit.

Digitized by Google

Quintò, hoc Sacramentum eſt magnæ neceſſitatis; at, poteſt contingere ſæpe, vt pœnitens extremè indigeat & Sacerdos loqui non poſſit, valeat autem ſigno aliquo ſuam mentem declarare; ergo.

Vltimò, abſolutio à cenſuris poteſt nutibus fieri, tametſi illa comprehendatur ſub verbis Chriſti, cùm Petro dixit *Ioan.* 21. *Paſce oues meas*; ergo idem dicendum eſt de abſolutione à peccatis.

2 Certum tamen eſt modò apud omnes Theologos, abſolutionem Sacerdotis, nonniſi verbis prolatam validam eſſe; ac proinde formam huius Sacramenti in ſolis verbis ore prolatis eſſentialiter conſiſtere. Ratio à priori, eſt inſtitutio Chriſti Domini, vſu Eccleſiæ, ac traditione ab exordio illius naſcentis, & Conciliorum verbis declarata. Id enim ex Conciiio Florentino in Decreto Eugenij liquet. Vbi generatim dicitur Sacramenta conſtare verbis tanquam forma; & poſtea ſolùm de Matrimonio dicit regulariter perfici verbis, indicans poſſe aliquando fieri abſque illis. Vnde hæc ipſa exceptio firmat regulam in contrarium de aliis Sacramentis. Quòd verò Pontifex ibi accipiat verba propriè pro iis, quæ ore proferuntur, manifeſtè patet; quia ſi verba accepiſſet largè pro ſignis æquiualentibus, Matrimonium non ſolùm regulariter, ſed omninò eſſentialiter requireret verba de præſenti, quia nullo modo poteſt contrahi validè ſine ſignis, quæ præſentem conſenſum ſignificent pro eo tempore quo contrahitur. Idem docet Tridentinum *ſeſſione* 14. *cap.* 3. expreſsè ſic dicens, *Sacramenti Pœnitentiæ formam in illis miniſtri verbis poſitam eſſe: Ego te abſoluo, &c.* Vbi dum ait, *in verbis miniſtri*, apertè inſinuat ſe loqui de verbis à Miniſtro prolatis.

Secundò, idem deducitur ex verbis inſtitutionis, nam Chriſtus ita inſtituit hoc Sacramentum, ſicut Baptiſmum, & Euchariſtiam: nam ſicut dixit de Sacramento Pœnitentiæ: *Quorum remiſeritis peccata &c.* ita dixit de Baptiſmo: *Baptizantes eos in nomine Patris &c.* & de Euchariſtia: *Hoc facite &c.* In iis autem non dixit expreſſè Chriſtus Baptiſmum, aut Euchariſtiam conficiendæ eſſe, formaliter proferendo talia verba: *Ego do tibi poteſtatem offerendi ſacrificium*, vel, *ego te baptizo*, & nihilominus ex ſenſu, & traditione Eccleſiæ habemus hanc fuiſſe mentem Chriſti, quia voluit Sacramenta Legis nouæ, ſolo excepto Matrimonio, determinatam & expreſſam habere ſignificationem, & ideò voluit verbis conſummari. Cùm igitur hæc ratio, & forma verborum Chriſti, & traditio Eccleſiæ, ac Conciliorum doctrina eandem vim habeant in hoc Pœnitentiæ Sacramento; neceſſariò dicendum eſt, in hoc ſicut in aliis Sacramentis requiri eſſentialiter verba ex Chriſti inſtitutione.

Tertiò, Sacramenta quæ non requirunt verba propriè dicta, non requirunt etiam verba determinata, vt patet in matrimonio; ſed hoc Sacramentum requirit verba determinata, vt oſtendam *ſect. ſequenti*: ergo etiam requirit verba propriè dicta.

Ad argumenta oppoſita Ad primum. Etſi hoc iu-
3 dicium Pœnitentiæ in multis ſequatur rationem iudiciorum ſæcularium; non tamen in omnibus ſubire omnem conditionem dictorum iudiciorum; in quibus non creditur ſoli reo pro ſe, & contra ſe, ſicut in hoc Sacramento & iudicio, in quo eſt idem actor, teſtis & reus. Præterea, etſi multa iudicia communia requirant, vt ſententia ſcripto feratur; tamen communiter tam in illis ipſis, quàm in aliis neceſſarium eſt, vt ipſa propriè dictis verbis proferatur: itavt ſcriptio nullo modo ſit latio ipſius ſententiæ, ſed ſolùm conditio requiſita, vt poſſit pro dignitate ferri. Quare ſicut Iudices ſubordinati in proferenda ſententia, debent ſequi certam formam & ſolemnitatem à Legibus præſcriptam, ſine qua inualidè eam proferunt; ita cùm Sacerdotes in hoc Sacramento ſint iudices ſubordinati Chriſto, ſicut illis præſcripta eſt certa forma verborum; ita etiam præſcriptum eſſe certum modum, quo teneantur ſententiam abſolutionis proferre; qui, vt patet ex vſu, & traditione Eccleſiæ, non poteſt eſſe alius, quàm vt verbis eam pronuncient.

Ad ſecundum, manifeſtum eſt diſcrimen inter 4
Matrimonium & hoc Sacramentum. Nam inprimis Chriſtus inuenit iam Matrimonium à Deo inſtitutum, nec fecit aliud, niſi illud eleuare ad rationem Sacramenti; cùm ergo Matrimonium ex ſe poſſit priùs confici abſque verbis, ſic etiam potuit & nunc, nec oportebat mutos ab illo ſtatu excludere, ad quem ex naturæ conditione erant idonei: At Sacramentum hoc non erat inſtitutum ante Chriſtum; vnde potuit eius eſſentiam & conditionem omninò de nouo inſtituere: nec erat inconueniens, ſi muti non poſſent abſoluere; poſſent enim eſſe alij Confeſſarij abſque illo impedimento. Præterea, verba in Matrimonio, ſolùm requiruntur ad hoc, vt humano modo conſtet alteri coniugi de conſenſu alterius: quare non ſufficit prolatio verborum, niſi alter coniux ea percipiat, & intelligat; vnde ſi alter coniux per ſcripturam vel nutum intelligat meliùs, quàm per verba, non oportet proferre verba. At in omnibus aliis Sacramentis verba non requiruntur, ad hoc, vt recipiens Sacramentum, vel aliquis alius ea intelligat, & percipiat: vnde alia præter Matrimonium, miniſtrari poſſunt dormienti, vel furioſo, ſi prius explicuit ſe habere intentionem ea recipiendi; ſed illa verba ordinantur in ordine ad Deum, ad manifeſtandam Deo noſtram intentionem nomine Chriſti. Cum igitur in his Sacramentis requiratur à nobis ex eorum inſtitutione locutio cum Deo non interna, ſed externa, quia ſunt ſigna ſenſibilia, intelligi id debuit de locutione, qualis in ordine ad Deum adhibenda erat, quæ non eſt, niſi per verba propria: quia ſigna externa proportionata ad manifeſtandum Deo, magis ſunt voces, quàm nutus, & ſcriptura, quibus ſolùm vtimur in defectum vocum.

Ex quo patet ſolutio ad tertium; nam conceſſo An- 5
tecedente, ideò eſt neganda Conſequentia; quia in Confeſſione verba requiruntur, vt Sacerdos intelligat peccata pœnitentis; impoſitio etiam pœnitentiæ fit per verba, vt pœnitens ſciat quam debeat ſatisfactionem exhibere; hæc autem omnia poſſunt æquè benè fieri per nutum, aut alia ſigna quibus æquè bene res illa manifeſtetur: at verba abſolutionis, ſicut forma Baptiſmi, & aliorum Sacramentorum non ſunt vt pœnitens, vel recipiens Sacramentum intelligat, ſed potius vt cum Deo loquamur intimantes ipſi noſtram mentẽ, & intentionẽ; vnde licèt proferantur enũciatiuè, implicitè tamen, & quoad vim & efficaciam videntur eſſe preces & intimationes noſtrę voluntatis, quę Deo offeruntur; cum Deo autem per verba potius oris quàm per ſcripturam, aut nutum, loquendum nobis eſt.

Ad quartum, dico deduci noſtram doctrinam ex il- 6
lis verbis inſtitutionis, ęquiparando illa cum illis verbis Baptiſmi: *Baptizantes eos.* & cum aliis Euchariſtię: *Hoc facite &c.* vt conſtat ex *numero* 2. Et quamuis remiſſio offenſę, quę fit per nutum, vel ſcripturam ſit vera remiſſio; quando tamen ſacerdotibus data eſt poteſtas remittendi peccata per remiſſionem externam & ſenſibilem, intelligi debuit de remiſſione per ſolam vocem facienda, quia agebatur de remiſſione facien

facienda per talia ſigna, quibus, non tam ipſi peccatori, cui fit, manifeſtaretur remiſſio, quam ipſi Deo, cuius nomine fit, vt dictum eſt.

Ad quintum, reſpondeo illum caſum eſſe valdè rarum; at rariſſimi caſus non debent conſiderari. Et certè ſi in hoc non fuit diſpenſatum in Baptiſmo, qui multò magis neceſſarius eſt, cur debuit in Pœnitentiæ Sacramento diſpenſari propter rarum, & extraordinarium caſum, qui vix accidere poteſt; & in eo ſemper habet locum Contritionis remedium.

7 Ad vltimum diuerſa eſt ratio de abſolutione à cenſura, ac de abſolutione à peccatis. Nam cenſura ſicut eſt iure Eccleſiaſtico introducta, ita & eius abſolutio; & eodem iure conſtat ſeruandam eſſe formam iuris ad dictam abſolutionem concedendam. Cæterùm cùm Romanus Pontifex habeat ſupremam poteſtatem ad tollendam cenſuram independenter à iure poſitiuo, ſi velit, non tenetur ſeruare formam iuris: vnde ſi ſolis nutibus, vel vnico verbo ſatis declaret ſe velle abſoluere, factum tenet. Vt ſi interrogatus, an velit me eſſe abſolutum à cenſura, ſolo motu capitis annuat, pro abſolutione valebit. Quod tamen præſtare non poteſt in abſolutione à peccatis, quæ eſt de iure diuino, & ideò tenetur vti verbis determinatis ex vi diuinæ inſtitutionis. Ad tollendam verò ambiguitatem, obſeruandum eſt, aliud eſſe loqui de poteſtate quæ eſt in Eccleſia ferendi cenſuras, & aliud de inſtitutione cenſuræ: nam poteſtas de iure diuino eſt tradita Petro à Chriſto Domino illis verbis *Ioan.* 21. *Paſce oues meas*; quibus verbis conſtituit Petrum ſupremum Eccleſiæ Paſtorem; & illi, ac ſuo ſucceſſori Romano Pontifici dedit poteſtatem non ſolùm ad tradendum ouibus pabulum doctrinæ, ſed etiam ad regendas illas, & coërcendas, ſi neceſſe ſit. At inſtitutio cenſuræ eſt de iure humano, nullàque eſt cenſura iure diuinò inſtituta: quia inſtitutio cenſuræ non fit, niſi quando in particulari præſcribitur modus talis pœnæ; at Chriſtus Dominus nunquam per ſeipſum immediatè inſtituit, vt Eccleſia vteretur tali pœna, determinando modum eius; hæc enim omnia Eccleſia per poteſtatem ab ipſo acceptam in particulari definiit; atque ideò inſtitutio cenſuræ ſimpliciter non eſt diuina, ſed humana, etiā ſecundùm immediatam cauſam à qua trahit originem. Inſtitutio autem Sacramentorum eſt de iure diuino, quia Sacramenta omnia Legis nouæ fuerunt inſtituta immediatè à Chriſto Domino, nulla manente in Eccleſia poteſtate ad illa mutanda quoad ſubſtantiam: & & Chriſtus inſtituens Sacramenta, inſtituit, & determinauit materiam & formam eorum. Vnde in Sacramento Pœnitentiæ determinauit pro materiâ remota, peccata, & pro forma abſolutionem, cùm dixit *Ioan.* 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittentur eis &c.*

SECTIO II.

Quæ verba requirantur eſſentialiter ad formam Sacramenti Pœnitentiæ?

1 Controuerſia non modica eſt apud Doctores, vtrùm de eſſentia abſolutionis Sacramenti Pœnitentiæ, ſint omnia illa verba quibus forma abſolutionis in Eccleſia communiter profertur; quæ ſunt eiuſmodi: *Ego te abſoluo à peccatis tuis in nomine Patris, & Filij, & & Spiritus Sancti*; an aliqua tantùm; & quæ illa ſint?

Conueniunt Doctores, & eſt certum apud omnes, duo illa verba *Abſoluo te*, aut alia verba ipſi æquiualentia, eſſe de eſſentia formæ abſolutionis. Conſtat id ex Florentino in decreto Eugenij IV. & Tridentino *ſeſſione* 14. *capite* 3. dum aſſignantes formam abſolutionis, exprimunt duo prædicta verba. Et ratio eſt, quia illa verba ſunt de eſſentia formæ, & vniuerſim cuiuſcumque orationis, ſine quibus non poteſt ſtare ſenſus illius: ſed ſine iſtis verbis, *Abſoluo te*, non poteſt ſtare ſenſus formæ; ergo hæc verba ſunt de eſſentia illius. Minor probatur, quia vtrolibet deficiente, deficit ſignificatio à Chriſto intenta, & ſenſus à Chriſto intentus, quia deficiente verbo, *Abſoluo*, deficit ſignificatio actus iudicialis ſententiæ remiſſiuæ: & deficiente pronomine, *te*, deficit ſignificatio practica remiſſionis, ſeu ſententiæ remiſſiuæ, qua ratione ſignificatur à Iudice ſententia, quia non ſignificatur practicè remiſſio, quando non declaratur, cui fiat; id verò præſtat pronomen, *Te*: In hoc igitur non eſt, nec poteſt eſſe diſſenſio. Præter hæc verò, omnia alia in controuerſia poſita eſſe video apud Doctores, quorum varios dicendi modos referunt Suarez *diſputatione* 19. *ſect.* 1. Cardinalis Lugo *diſputation.* 13. *ſection.* 1. & alij recentiores.

Eſt igitur prima difficultas, an pronomen, *Ego*, ſit de eſſentia formæ? 3

Ratio dubitandi eſt *primò*, quia, eo pronomine deficiente, deficit ſignificatio practica ſententiæ remiſſiuæ, quia non ſignificatur remiſſio declarando à quo fiat.

Secundò, idem indicant Eugenius in Concilio Florentino, & Tridentinum dum aſſignant formam abſolutionis, exprimunt pronomen *Ego*.

Tertiò, abſolutio ſignificanda eſt vt facta à Sacerdote circa pœnitentem; ergo ſicut perſona pœnitentis eſt exprimenda per pronomen, *Te*, ſic perſona Miniſtri per pronomen, *Ego*.

Quartò, perſona pœnitentis ſatis ſignificatur ex circumſtantiis, ſcilicet ex Confeſſione cum intentione obtinendi abſolutionem; ſolus enim ille ſignificatur abſolui per verbum *Abſoluo*, qui ligatus venerat, vt abſolueretur, ſicut ſi ligatus eſſem manibus, & dicerem tibi, Abſolue me, & tu reſponderes, Abſoluo; ex his circumſtantiis ſatis intelligeretur pronomen *Te*; & nihilominus hoc pronomen cenſetur eſſe de eſſentia formæ; ergo ſimiliter erit pronomen *Ego*, licèt implicitè contineatur in verbo *Abſoluo*.

Certum tamen mihi videtur quod communiter docent omnes Doctores; illud pronomen *Ego*, explicitè pronunciatum non eſſe de eſſentia formæ abſolutionis. Id docet S. Thom. in forma Baptiſmi 3. *p. quæſt.* 66. *art.* 5. *ad* 1. Ratio eſt manifeſta, quia illud pronomen, *Ego*, in re nihil addit præter verbum, *Abſoluo*, nam in illo intrinſecè includitur, & ſufficienter intelligitur, etiamſi non formaliter exprimatur. Vnde ſi auferatur illud pronomen, remanet idem ſenſus; quia ex communi modò loquendi verbum primæ perſonæ iam includit pronomen *Ego*; atque ideò omnium conſenſu pronomen iſtud *Ego*, explicitè prolatum ad eſſentiam formæ non pertinet. 4

Ad argumenta oppoſita. Ad primum negandum eſt Antecedens, vt conſtat. 5

Ad ſecundum dico, Florentinum & Tridentinum ſolùm velle pronomen *Ego*, eſſe de eſſentia huius formæ, videlicet vel expreſſum in ſe, ſeu explicitè poſitum, vel contentum in verbo, *Abſoluo*, & ibi implicitè poſitum.

Ad tertium, conceſſo Antecedente, negatur Conſequentia; quia perſona pœnitentis non ſignificatur per verbum, *Abſoluo*, ſicut perſona abſoluentis atque

adeò illa debet exprimi per pronomen, *Te*, & non iſta per pronomen, *Ego*.

Ad quartum, dico illud Antecedens ita quidem eſſe, ſed id non obſtare quominus pronomen, *Te*, ſit de eſſentia formæ; quia ad valorem huius formæ non ſatis eſt ſenſum illius vtcumque ſignificari, ſed debet ſignificari adæquatè per verba à Miniſtro prolata, ſeu per verba ipſius Miniſtri; illæ verò circumſtantiæ non ſunt verba ore Miniſtri prolata; & ideò licèt per illas ſignificetur perſona pœnitentis, hoc tamen non ſufficit ad eius valorem. At non ita eſt in pronomine, *ego*, nam verbum primæ perſonæ iam includit in ſe illud *ego*; atque ideò iam perſona Miniſtri ſignificatur per vocem ore prolatam.

6 Secunda difficultas eſt, an verba iſta, *à peccatis tuis*, expreſsè prolata pertineant ad eſſentiam formæ.

Partem negantem ſequuntur communiter Doctores, quos refert & ſequitur Suarez *diſputatione 19. ſectione 1. numero 21.* Probat, quia illa verba, *Ego te abſoluo*, ſuppoſitâ Confeſſione ſuper quam cadunt, habent ſatis determinatam ſignificationem: Solet enim materia determinare formam, & forma materiam: cùm ergo hæc forma ſit veluti ſententia prolata ſuper hanc accuſationem, ſatis determinatè ſignificat abſolutionem in tali cauſa, & materia; ergo ſignificat abſolutionem à peccatis, etiamſi illud verbum, *à peccatis*, in forma non addatur: ſicut in iudicio humano non oportet in ipſa ſententia iterùm exprimi culpa, ſed eo ipſo quòd audita accuſatione, & tota cauſa, Iudex pronunciat hunc eſſe immunem, vel eſſe reum talis pœnæ, ſatis declarat mentem, & ſententiam ſuam; ergo ſimiliter in præſenti. Firmatur, nam forma Baptiſmi, ſcilicet *Ego te Baptizo*, non ſignificat ablutionem animæ per gratiam, ſed aliquam ablutionem indeterminatè, ſcilicet animæ, vel corporis; & tamen determinatè cauſat ablutionem animæ, quia ex circumſtantiis illam ſignificat; ergo ſimiliter in noſtro caſu.

7 Veriorem iudico contrariam ſententiam affirmatiuam, modo explicando *ſequentibus dictis*.

Dico itaque *primò*, verba iſta *à peccatis*, explicitè prolata eſſe etiam de eſſentia formæ Abſolutionis. Ita Paludanus, Maior, Petrus Soto, & alij, quos refert Cardinalis Lugo *ſectione 1. citata*, *numero 15.* nec eam ipſe improbat. Ratio eſt quia verba Abſolutionis illum effectum cauſant, quem ſe ſolis, & ſecluſâ omni circumſtantiâ ſignificant; ergo ſi ſolùm ſignificant effectum indeterminatum, ſolùm cauſabunt effectum indeterminatum; ſed hæc verba, *Abſoluo te*, ſe ſolis, & ſeorſim ab omni circumſtantia ſolùm ſignificant effectum indeterminatum, ſcilicet liberationem ab aliquo vinculo cum indeterminatione, & indifferentia; nam verbum illud, *Abſoluo te*, de ſe indifferens eſt, vt ſignificet abſolutionem à peccatis, vel à cenſuris, vel ab aliquo alio vinculo; debet ergo determinari per aliquid aliud, nempe per illud aliud, *à peccatis*. Firmo, nam verba illa *Abſoluo te*, non habent ſecundùm ſe vim ſignificandi abſolutionem peccatorum, vnde ſi ex circumſtantiis, vel ex interrogatione præcedenti hic & nunc eam ſignificent, tunc ſenſus & ſignificatio non tribuitur ſolis verbis formæ, ſed etiam circumſtantiis, vel interrogationi, quæ partialiter concurrent ad illam ſignificationem; Chriſtus verò voluit formam huius Sacramenti eſſe talem, vt ſecundùm ſe ipſa verba formæ ſignificent ſufficienter. Patet à ſimili in hac materia: nam verbum *Abſoluo*, ſignificat perſonam, vel rem quæ abſoluitur ad inſtar vocis indifferentis, vel æquiuocæ; ſicut verbum *Abluo*, ſignificat perſonam, vel rem quæ abluitur: per circumſtantiam autem Confeſſionis factæ ab hoc homine tollitur æquiuocatio, & indifferentia, atque adeò per verbum *Abſoluo*, & circumſtantiam Confeſſionis ſufficienter ſignificatur determinatè non abſolui alium, niſi illum qui confeſſus fuit: & tamen hoc non ſufficit ex omnium ſententia; ſed æquiuocatio verbi *Abſoluo*, debet neceſſariò tolli per verbum oris, dicendo, *Abſoluo te*: & idem eſt in Baptiſmo: ergo etiam in forma abſolutionis cùm ſolum dicitur, *Abſoluo te*, cùm ſit æquiuocatio, & indifferentia ex vi harum vocum, abſoluendi à peccato, vel à cenſura, vel ab aliquo alio vinculo, debet ea æquiuocatio tolli per verbum oris; quod fieri non poteſt niſi addendo à peccatis; ergo hæc particula, *à peccatis*, cenſenda eſt eſſe de eſſentia formæ Sacramenti Pœnitentiæ.

Dico *ſecundò*, non eſſe de eſſentia formę illam aliam 8
particulam, *tuis*. Patet, quia additâ particulâ, *à peccatis*, abſque hac alia, *tuis*, ſufficienter determinatur ſignificatio; non enim abſolui poteſt pœnitens à peccatis alienis: ergo idem eſt dicere, Abſoluo te à peccatis, ac dicere, Abſoluo te à peccatis tuis. Eſt verò notandum, licèt verbum *Abſoluo* ſine particula, *Te*, per ſe non ſufficiat vt *ſuprà* dixi, ſufficere tamen ſi Sacerdos diceret, Abſoluo à peccatis tuis, etiamſi non diceret, *Te*; quia in illo, verbo *tuis*, implicitè contineri videtur illud, *Te*, & illa particula, *Tuis*, ſufficienter determinat & eſt ſignificatio practica remiſſionis, ſeu ſententiæ remiſſiuæ ſine illa particula, *Te*.

Dico *tertiò*, non modò non eſſe eſſentiale, ſed neque 9
neceſſariũ ad illa verba, *Abſoluo te à peccatis*, addere *ab omnibus*. Ita omnes, & conſtat in Rituali Romano reformato, demptam eſſe illam particulam *omnibus*. Neque enim Sacerdos abſoluit ab omnibus peccatis, cùm de multis venialibus non doleat pœnitens; mortalia verò connexa ſunt; ita vt ſi ab vno abſoluitur pœnitens, omnia remitti debeant. Præterea, in his materiis quæ doctrinales ſunt ſeu morales appellantur, *indefinita* propoſitio æquiualet vniuerſali, atque adeò dicere, Abſoluo te à peccatis, idem eſt ac dicere: Abſoluo te ab omnibus peccatis.

Ad argumentum contrariæ ſententiæ propoſitum 10
numero ſexto, dico illa verba, *Abſoluo te*, tametſi ſuppoſitâ Confeſſione habeant ſatis determinatam ſignificationem remiſſionis peccatorum; eam tamen nec implicitè inuolui in illis verbis præcisè, ſed prouenire ac deſumi ex circumſtantia Confeſſionis præmiſſæ: id autem non ſufficere oſtenſum eſt ſuprà *numero ſeptimo*, quia ipſa verba formæ ſecundùm ſeipſa debent ex inſtitutione Chriſti ſignificare determinatè abſolutionem & remiſſionem peccatorum, quam tamen non ſignificant ſola illa verba, *Abſoluo te*, abſque alia particula, *à peccatis*. Ad Confirmationem, negatur Antecedens: nam forma Baptiſmi non ſunt hæc ſola verba, *Ego te baptizo*, ſed ſimul cum iſtis, *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*, omnia autem hæc verba iam ſignificant determinatè ablutionem animæ, quia hæc verba, ſcilicet, *in nomine Patris*, &c. auferunt indeterminationem, vel æquiuocationem verbi *abluo*, ſeu *baptizo*, quia illud determinant ad ſignificandam ablutionem animæ. Ratio eſt, quia ad materialem corporis ablutionem non eſt neceſſarius Miniſter, qui eam faciat nomine, & auctoritate Trinitatis; ergo eo ipſo quòd hæc ablutio dicitur fieri *in nomine Patris*, &c. tollitur æquiuocatio verbi *abluo*, & determinatè ſignificatur ablutio animæ. Vnde ablutio animæ non ſignificatur determinatè per circumſtantiã aliquam, ſed per verba oris ipſius formæ. Vt in hac propoſitione: Canis minatur nobis hac æſtate multos morbos: per verba illa *minatur nobis*, &c. tollitur manifeſtè æquiuocatio vocis Canis, & ſic Canis cœleſtis ſignificatur, non per circumſtantiam aliquam, ſed per verba ipſa propoſitionis.

Tertia difficultas eſt, circa vltima illa verba, *in no-* 11
mine Patris, & Filij, & Spiritus-ſancti, an ſint de eſ-
ſentia

ſentia formæ. Aliqui putant eſſe. Tum exemplo Baptiſmi & Confirmationis, in quibus ponitur inuocatio Trinitatis; imò & in Extrema-Vnctione fit Dei mentio principalis agentis. Tum quia oportet declarari, & per illa ſignificari Sacerdotem non remittere peccata authoritate propria, ſed Dei, atque adeò ipſum ſolum vt miniſtrum, Deum autem vt principalem auctorem abſoluere.

12 Ceterùm communis eſt iam omnium & veriſſima ſententia negans. Quia abſque vllo fundamento prærequiruntur illa verba ad eſſentiam Sacramenti. Patet, quia ſine illis verbis ſignificatur totus effectus formæ, videlicet remiſſio peccatorum: & neque ex verbis, quibus Chriſtus dedit Sacerdotibus poteſtatem abſoluendi, qui ſolùm dixit: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*; neque ex Eccleſiæ traditione, aut definitione habetur, quòd verba iſta ſint de eſſentia abſolutionis. Vnde patet ſolutio ad argumentum oppoſitum, ob manifeſtum diſcrimen à Baptiſmo & Confirmatione: nam quando Chriſtus inſtituit Baptiſmum, expreſsè dixit: *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, vnde eam inuocationem poſuit pro forma, & ita ſemper intellexit Eccleſia. In Confirmatione quoque ex traditione Eccleſiæ idem habemus; quia nimirùm Baptiſmus introducit ad fidem Trinitatis, & Confirmatio in eadem Fide confirmat ad eam profitendam; & ideò debuit expreſsè illa fides explicari. Nihil autem ſimile eſt in inſtitutione Sacramenti Pœnitentiæ: vnde abſque fundamento dicitur de ſolo Sacramento Pœnitentiæ debere in eius forma explicari Sacerdotem remittere peccata non authoritate propria, ſed Dei: quia in aliis Sacramentis, licèt fiant authoritate Dei, non eſt neceſſe id explicari in eorum formis, vt conſtat inductione. Solùm in Extrema-Vnctione, cùm eius forma deprecatiua ſit, fit in ea Dei mentio, quem Miniſter illud Sacramentum conferens deprecatur.

13 *Quarta* difficultas ſumitur ex Concilio Tridentino *ſeſſ.* 14. *cap.* 3. in quo pro forma huius Sacramenti non proponuntur illa ſola verba, *Ego te abſoluo*, ſed additur particula, *& cætera*, quæ indicat alia etiam verba pertinere ad eſſentiam formæ.

Ad hanc difficultatem poſſemus dicere in fauorem noſtræ ſententiæ, additam fuiſſe illam particulam, *& cætera*, videlicet ad ſignificandum, quòd illa etiam verba, *à peccatis*, pertineant ad formam huius Sacramenti, quod Nos *ſuprà* aſſeruimus. Cæterùm quia intentum Concilij non fuit, definire aliqua alia verba pertinere ad eſſentiam formæ, alioqui illa debuiſſet declarare, vt omnis tolleretur errandi occaſio. Nihil ergo amplius voluit definire quod neceſſariò pertineret ad eſſentiã formæ. Addidit verò illam particulam, *& cætera*, ad indicandum aliquid aliud de facto adiungi quod ad formam pertineat, licet non cum eodem gradu neceſſitatis, id relinquendo Theologorum ſententiis, & opinionibus.

SECTIO III.

De aliis verbis quæ apponuntur in forma Abſolutionis, an ſaltem cadant ſub præceptum?

DIximus iam de verbis pertinentibus ad eſſentiam formæ abſolutionis, quæ ſunt, *Abſoluo te à peccatis*, diſcurrendum modò eſt per alia verba quæ adduntur, & comitantur prædictam formam, & videndum an pertineant ad integritatem illius, & cadant ſub præceptum.

Atque inprimis certum eſt, non eſſe neceſſaria omnia verba antecedentia quæ de facto dicuntur, vt illa *Miſereatur tui &c. Dominus noſter Ieſus-Chriſtus te abſoluat &c.* Quæ ideò præmittuntur, vt effectus ſubſequentis abſolutionis non impediatur. Nihilominùs tamen dico ea verba laudabiliter adiungi, vt dicit Tridentinum *ſeſſione* 14. *capite* 3. ſed non cadere ſub præceptum: poſſunt enim illæ preces abſque peccato mortali omitti, vt docent communiter Doctores, quia materia leuis eſt: Et quãuis Granad. *diſp.* .. *ſect.* 1. *n.* 2. exiſtimet Sacerdotem illa omnia abſque neceſſitate omittentem, aliqualiter peccare, quia conſuetum Eccleſiæ ritum in tanti Sacramenti adminiſtratione non ſeruat; perplacet mihi quod docet Cardinalis Lugo *diſputatione* 13. *ſect.* 1. *numero* 9. poſſe eas preces abſque peccato mortali omitti, & fortaſſe abſque veniali, quia licet conſuetudine receptæ ſint, videtur tamen ea conſuetudo libera. Et certè in magna confeſſionum affluentia, aut ſimili occaſione, nullum eſſe peccatum fatetur quoque ipſe Granado. 1

Idem dico de abſolutione à cenſuris, nullam eſſe obligationem eam præmittendi, quando nulla probabili ratione creditur pœnitens eas incurriſſe, vt idem Granado notauit.

Quod attinet ad pronomen, *Ego*, quod apponitur in forma abſolutionis, iam conſtat non eſſe ſimpliciter neceſſarium ad valorem Sacramenti, atque adeò eius pronominis omiſſionem non eſſe peccatum mortale. Cenſerem tamen eſſe veniale, quia in Conciliis apponitur in forma, & eſt praxis omnium in eo pronunciando. 2

Prætereà de illa alia particula *à peccatis tuis*, licèt non cenſeatur eſſe de eſſentia formæ, nec ſit ſimpliciter neceſſaria ad valorem Sacramenti; eam iudico non eſſe omittendam ſaltem ſub veniali culpa; quia video praxim omnium in prædictis verbis *Ego*, & *à peccatis tuis*, pronunciandis, omninò conuenire in omnibus euentibus; à qua non licet diſcedere ſine aliqua animi leuitate. 3

Rurſus, de illa inuocatione Trinitatis, *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus-Sancti*, conſtat non eſſe neceſſariam. Quod docuit D. Thom. 3. *p. quæſtione* 84. *art.* 3. *ad* 3. quem cæteri Theologi ſequuntur. Imò ſignificat D. Thom. nullum eſſe de hac re præceptum, quia dicit, hoc relinqui arbitrio Sacerdotis. Vnde non probo rigorem Granado vix excuſantem à mortali eam inuocationem omittentem, quia graues Doctores putent eſſe de eſſentia Sacramenti, & non poſſint euidenter conuinci falſitatis. Non, inquam, probo, quia modò ferè omnes, vt certum putant, non eſſe de eſſentia abſolutionis, ac proinde nulli periculo exponitur pœnitens; neque Concilium Florentinum, nec Tridentinum prædictam inuocationem apponunt in forma Abſolutionis: ad ſummum itaque erit venialis culpa illam omittere, contra praxim omnium, eam in prædicta forma apponentium. 4

Denique de alia deprecatione, quæ ſubſequitur ad formam abſolutionis, *Paſſio Domini noſtri, &c. quidquid boni feceris &c.* conueniunt omnes nõ eſſe neceſſariam, & ſaltem ſine graui culpa omitti poſſe, & interdum ſine vllo prorſus peccato. 5

Quæret aliquis, quid dicendum de Indulgentiis, quæ poſt prædicta verba deprecatoria conceduntur virtute Bullæ, aut alterius diplomatis. *Reſpondeo*, laudabiliter fieri tunc eiuſmodi conceſſionem indulgentiarum. Solùm eſt obſeruandum, licèt in Bulla Cruciatæ apponantur certa verba, quibus impenditur abſolutio generalis, & conceditur indulgentia plenaria pœnitentibus, 6

Digitized by Google

bus, nullo modo teneri Confeſſarios illis verbis vti, ſed ſufficere alia, quæ prædictæ indulgentiæ conceſſionem, & abſolutionem à cenſuris ſignificent, vt rectè notauit Nauarrus *in Summa, capite 26. numero* 30.

SECTIO IV.

An illa ſola verba, Abſoluo te, *ſi ſola ſufficiant ad valorem formæ, concurrant de facto ad valorem Sacramenti?*

1 MVlti graues Doctores ſentiunt ſola illa duo verba, *Abſoluo te*, eſſe eſſentialia, & ſufficientia ad formam abſolutionis perficiendam, & nullo modo eſſe ſimpliciter neceſſaria illa alia, *à peccatis tuis*; & tamen opinantur, hæc verba, cùm apponuntur, pertinere ad ſubſtantiam & eſſentiam formæ, & concurrere, nec poni effectum donec illa perfecta ſint. Id defendit Vaſquez *tom. 4. in 3. partem quæſt.* 84. *art.* 3. *dubio* 4. *n.* 4. & 5. Probat, quia quando verba quæ adiunguntur, continebantur implicitè in verbis aliis, tunc illud idem expreſsè & explicitè additum non minus operatur, quàm ſi ſolum implicitè contineretur: ſic enim illud pronomen, *Ego*, quod implicitè continetur in verbo, *Abſoluo*, non minùs operatur quando expreſsè ponitur: ergo cùm illud, *à peccatis tuis*, implicitè etiam contineatur in verbo, *abſoluo te*, & quando implicitè ſolùm ponitur, operatur, non minùs debet operari, quando expreſsè, & explicitè ponitur. Firmatur, quia verba non habent vim ſignificandi, niſi quatenus faciũt, quòd audientes concipiant loquentem habere hoc vel illud in mente: Sic enim ille qui me audit dicentem, Dabo tibi librum accommodatum, non poteſt prudenter iudicare me velle donare librum, antequam ego abſoluam totam propoſitionem; vnde illa priora verba, quando aliquid eidem propoſitioni reſtat addendum, ſuſpendũt ex natura ſua ſenſum, atque adeò nec pariunt obligationem, nec poſſunt operari, antequam abſoluatur propoſitio. Igitur cùm illa verba, *à peccatis tuis*, quando in forma abſolutionis apponuntur, pertineant ad eandem propoſitionem formæ, faciunt, quòd priora verba, *Abſoluo te*, non ſignificent perfectè, nec operentur, donec tota propoſitio formæ abſoluatur; & conſequenter illa etiam concurrunt ad effectum gratiæ, & ad remiſſionem peccatorum, quam ſignificant.

2 Verius tamen iudico, etiam quando formæ abſolutionis de facto adduntur illa verba, *à peccatis tuis*, ſicut cùm etiam additur pronomen, *ego*, non concurrere ad valorẽ Sacramenti, neque ad eius effectũ, ſed hunc dari à ſolis illis verbis, *Te abſoluo*, Ita ſentit Suarez *diſp.* 19. *ſect.* 1. *n.* 10. & 11. Et Cardinalis Lugo *diſp.* 13. *ſect.* 1. *num.* 34. & alij. Ratio eſt, quia ante adiunctionem in forma illorum verborum, *à peccatis tuis*, iam in rigore propoſitio formæ eſt abſoluta, & perfecta per priora verba, *Abſoluo te*, quæ reddunt ſenſum perfectum, & ſignificant totum effectum: verba autem poſteriora, *à peccatis tuis*, deſeruiunt ſolùm ad idem clarius ſignificandum: ergo illa priora verba ponent ſuum effectum: nequit enim differri effectus, poſtquam poſita eſt ſufficiens cauſa illius. Vel ergo negandum eſt, illa verba, *Abſoluo te*, eſſe ſufficientia ad cauſandum effectum Sacramenti, vel negandum eſt differri effectum. Firmatur, nam in prolatione vltimæ ſyllabæ neceſſariò requiſitæ ipſius formæ, non debet ad effectum expectari totum tempus, quo durat prolatio illius ſyllabæ; hæc enim poteſt protrahi, cantando, vel alio modo, ſed ſtatim in prima prolatione illius Syllabæ fit effectus, quia iam tunc ſignificatur ſufficienter; & illa continuatio prolationis non ſignificat aliquid nouum, ſed clarius, & melius ſignificat idem obiectum: ergo ſimiliter prolatio verborum *à peccatis tuis*, non eſt expectanda propter eandem rationem, quia nimirùm ante illam habet iam ſenſum; & illa verba non ſignificant aliquid nouum, ſed idem clarius, & melius. Idem firmo, nam ſicut eſſentia, ita & ſubſtantia non pendet ex libero arbitrio Sacerdotis, nec ipſe poteſt ſuſpendere effectum formæ, ſi eius ſignificatio ſemel perfecta eſt; & illa maior ſignificatio, ſi ex ipſa inſtitutione non eſt neceſſaria, non poteſt fieri ſubſtantialis propter voluntatem Miniſtri: at prædicta verba, *à peccatis tuis*, non ſunt eſſentialia, neque etiam ſunt ſubſtantialia ad effectum cauſandum; quia licet omittantur, validum eſt adhuc Sacramentum, & effectus cauſatur. Igitur quamuis à Sacerdote addantur ad perfectiorem ſignificationem formæ, & ſub intentione cum illis perficiendi Sacramentum, & effectum eius, non ſuſpenditur illius valor, nec ipſe effectus, donec talia verba proferantur.

Hinc patet ſolutio ad argumentum Vaſquez: nam illud Antecedens verum eſſet, ſi ex ipſa inſtitutione Sacramenti conſtaret illam maiorem expreſſionem, & clariorem ſignificationem obiecti ſuperadditam per illa verba, *à peccatis tuis*, pertinere ad eſſentiam, & ſubſtantiam formæ, & non poni effectum, donec illa perfecta ſit. At id minimè conſtat, imò oppoſitum; cùm illa verba nec ſint ſubſtantialia ad exiſtentiam Sacramenti, neque ad effectum illius cauſandum, quia licet omittantur, Sacramentum ſubſiſtit, & effectus Sacramenti cauſatur; neque id pendens eſt vllo modo *ex libero arbitrio* Miniſtri. Ad Confirmationem, *conceſſo* Antecedente, negatur Conſequentia; nam illa verba *à peccatis tuis*, non pertinent ad eandem propoſitionem formæ, quia ante adiunctionem horum verborum, iam illa propoſitio formæ eſt abſoluta, & perfecta per priora verba, *Abſoluo te*, quæ reddunt ſenſum perfectum, & ſignificant totum obiectum, & adæquatè concurrunt ad effectum gratiæ, & remiſſionem peccatorum, quam ſignificant. 3

Ob hanc eandem rationem, verba alia, *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus-ſancti*; quæ adduntur de facto in abſolutione à peccatis, nullo modo concurrunt ad effectum Sacramenti: quia illa verba ſunt diuerſa propoſitio in rigore, ergo etiamſi apponantur, non concurrunt ad gratiam, & remiſſionem peccatorum: Antecedens negari non poteſt; quia illa dicuntur inuocando Perſonas Trinitatis, vt conſtat ex forma Baptiſmi, in qua eadem verba dicuntur ad inuocandam Trinitatem: inuocatio autem oratio eſt diuerſa à præcedentibus: non eſt igitur cur reddat ſuſpenſum ſenſum præcedentium verborum; maximè cùm ea inuocatio non requiratur ad valorem Sacramenti, vt in Baptiſmo. 4

Obiicies, inuocationem Trinitatis, etiamſi ſit poſt abſolutionem à peccatis in forma Sacramenti Pœnitentiæ, poſſe ſuſpendere ſenſum verborum præcedentium; nam id præſtat in Baptiſmo: ſi enim quis diceret; *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus-ſancti, & beatæ Virginis Mariæ*, hæc inuocatio beatæ Virginis, etiam poſt inuocationem neceſſariam Trinitatis, ſuſpenderet ſenſum verborum præcedentium, & vitiaret formam. *Reſpondeo* eſſe diuerſam rationem: nam in caſu illo, verba *beatæ Virginis* non ſunt noua oratio, ſed pars orationis, quia eſt pars inuocationis præcedentis, in qua affirmatur inuocatio quatuor perſonarum, contra ritum ſubſtantialem, & eſſentialem formæ Baptiſmi; quid ergo mirum ſi illa vltima 5

verba

Digitized by Google

verba ſuſpendant effectum, imò & vitient ſenſum totius orationis. At in forma Sacramenti Pœnitentiæ inuocatio Trinitatis eſt oratio noua, & nullo modo eſt pars abſolutionis præcedentis: illa enim iam habuit ſuum ſenſum, & ſignificationem perfectam, quia iam fuit propoſitio formæ abſolutionis abſoluta & perfecta.

SECTIO V.

Quem ſenſum habeant verba formæ Abſolutionis?

1 SVppono vt certum, ac definitum in Concilio Trid. *ſeſſione* 14 *canone nono*, & *capite* 6. Sacerdotem per verba formę abſolutionis verè remittere peccata. Vt manifeſtè conſtat ex proprietate verborum formæ, & etiam verborum Chriſti Domini *Ioann.* 20. *Quorum remiſeritis peccata*, &c. nam vtraque verba ſunt in proprietate intelligenda; præſertim cùm id Eccleſia doceat, & circumſtantia litteræ idem requirat. Et firmatur ex aliis verbis, *Quæcumque ſolueris ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo.* Matthæi 16. Illa enim nequeunt exponi niſi de poteſtate faciendi, non declarandi.

Hoc ita ſtatuto, grauis præſentis quæſtionis occurrit difficultas; nam verba formæ ſignificant veram, & realem peccati remiſſionem, vel quod idem eſt, abſolutionem. At non videntur ſæpe habere effectum; vel quia ſubiectum non eſt diſpoſitum; vel certè quia non indiget tali effectu, quia iam ſunt illi remiſſa peccata. Conſtat enim apud Theologos, peccata omninò remiſſa quoad culpam, & pœnam, poſſe iterùm, ac ſæpius ad Pœnitentiæ Tribunal afferri. Quando autem ſunt iam remiſſa, & condonata peccata per aliam Confeſſionem præcedentem, non videntur abſolui nunc ab illis: neque enim abſoluitur nunc ille qui vincula non habet; nec poteſt condonari debitum quod iam tale non eſt.

2 Varij ſunt dicendi modi Doctorum ad diſſoluendam præſentem difficultatem; qui videri poſſunt apud Suarez *diſp.* 19. *ſect.* 2. & Cardinalem Lugo *diſp.* 13. *ſect.* 3. Solùm ipſe tradam, & expendam tres præcipuos modos.

3 Primus eſt, ipſius Suarez *numero* 19. dicentis, ſenſum verborum formæ abſolutionis hunc eſſe: Confero tibi gratiam ſanctificantem, quantùm eſt ex ſe remiſſiua peccati. Quia verba formæ iuxta hunc ſenſum habent veritatem, quamuis peccata ſint iam omninò remiſſa quoad culpam, & omnem pœnam: quia tunc etiam confertur gratia, quæ quantum eſt ex ſe, eſt remiſſiua peccati. Quod etiam intelligi debet, niſi ſit obex; hæc enim conditio ſubintelligitur ſemper in omnibus Sacramentis.

Hæc explicatio diſplicet Cardinali Lugo; & vt eam impugnet, ſupponit verba abſolutionis habere duas ſignificationes, alteram ex impoſitione hominum, alteram ex impoſitione Chriſti: ex impoſitione hominum ſignificant id quod ſonant; ex impoſitione Chriſti ſignificant gratiam ſanctificantem. Supponit quoque hoc loco non agi de ſignificatione quam habent verba ex inſtitutione Chriſti: ſic enim certum eſt ſignificare gratiam: ſolùm igitur agi de ſignificatione, & ſenſu quem habent ex impoſitione hominum, ſecundùm quam eleuata ſunt à Chriſto ad ſignificandam, & cauſandam gratiam. Quo præmiſſo arguit Cardinalis Lugo, verba abſolutionis ex hominum inſtitutione non ſignificare gratiæ collationem, ſed remiſſionem debiti, ac ſolutionem vinculi; ergo quamuis in Sacramento Pœnitentiæ verba illa cauſent gratiam, ipſa tamen de ſe id non ſignificant, nec faciunt eum ſenſum; quia ex hominum inſtitutione non ſunt impoſita ad ſignificandam gratiam, ſed ad remiſſionem, vel ſolutionem à vinculis. Vnde etiamſi peccata tollerentur abſque infuſione gratiæ, adhuc verba eſſent vera in omni rigore: non ergo prędicta verba faciunt illum ſenſum determinatum; Ego tibi confero gratiam ſanctificantem ex ſe remiſſiuam peccati.

Secundus ſenſus, quem tradit Cardinalis Lugo *loco citato, numero* 73. eſt; in eo etiam caſu, quando peccata iam fuerunt ablata per priorem Confeſſionem precedentem vel Contritionem, verba formæ eſſe vera; quia non mentitur qui poſt dimiſſum ſemel debitum, vel offenſam, item rogatus dicit ſe dimittere. Nam ſicut qui ſemel ſe obligauit alicui ad aliquid præſtandum, poteſt ſe iterùm ei obligare ad idem: & qui ſemel vouit, vouit iterùm, & iterùm, & promittit ſæpius idem obiectum: ſic qui remittit debitum, poteſt iterùm idem remittere: nam remittere in rigore, eſt obligare ſe per ceſſionem iuris, ad non vtendum iure acquiſito ratione offenſæ in ordine ad talem, vel talem effectum. Quare ſicut poſſumus per obligationem repetitam dare idem ius, ſeu ius idem alicui; ſic per remiſſionem repetitam poſſumus renunciare eidem iuri in fauorem alicuius. Ita enim per profeſſionem religioſam renunciamus ſæculo, diuitiis, &c. & tamen repetentes profeſſionem, vel vota religioſa, repetimus abſque mendacio eandem renunciationem. Atque hunc ſolum eſſe ſenſum illius verbi, *remitto*, conſtare videtur ex vſu omnium hominum, qui eandem offenſam ſolent ſæpius remittere; nec tamen putant ſe mentiri, quando ſecunda vice remittunt. 4

Tertius modus dicendi, & explicandi ſenſum verborum formæ abſolutionis, eſt Ægidij Coninckij *diſp.* 4. *dub.* 8. aſſerentis, formam abſolutionis ſignificare vniuerſaliter omnem ſolutionem vinculorum peccati, ſiue quoad culpam, ſiue quoad pœnā, ſiue quoad indignitatem omnis gratiæ, & gloriæ, quæ conſequitur tanquam effectus moralis ad ipſam culpam. Addit tamen non ſignificare omnem iſtam ſolutionem reipſa conferri, neque hanc, vel illam determinatè, ſed indeterminatè aliquā ex iis, verificari autē pro aliqua determinata vinculi ſolutione, quoties verum Sacramentum fit. Nam aliud eſt, orationem aliquid determinatè ſignificare, aliud verò pro aliquo determinato verificari. Vt cùm dico; Aliquis homo currit, non magis ſignifico Paulum currere, quàm quemuis alium hominem; & tamen ſi ſolus Paulus currat, pro eo ſolo verificabitur oratio illa. Sic cùm Confeſſor dicit: *Ego te abſoluo*, non magis ſignificat abſolutionem peccati quoad vinculum culpæ, quàm quoad vinculum pœnæ, & quàm quoad quoduis aliud; & tamen ſi ſolùm ſit vinculū pœnæ temporalis in pœnitente, hoc determinatè tollitur. Quòd ſi quis obiiciat, fieri poſſe, vt quis confiteatur ea peccata, quæ aliàs iam explicuit in Confeſſione, & pro quibus integrè ſe per reuelationem nouit ſatisfeciſſe. Reſpondet Coninck, nunquam peccatum in hac vita remitti, quin poſſit ampliùs adhuc remitti, quoties validè recipitur Sacramentum Pœnitentiæ: quia cùm peccator maneat per peccatum minùs dignus diuinis beneficiis, quàm eſſet ſi nunquam peccaſſet, cæteris paribus; cenſetur ipſe quandiu viuit, ligari peccato, quatenus à beneficiis diuinis conſequendis aliquo pacto impeditur, quantum eſt ex parte peccati; hinc fit vt peccatum ſemper dicatur aliqua ratione verè remitti per Sacramentum Pœnitentiæ; quia per hoc Sacramentum noua gratia confertur, & ſic impedimentum illud per peccatum inductum minuitur, quatenus nouæ gratiæ acceſſione homo redditur dignior, qui maioribus beneficiis à Deo cumu- 5

letur,

letur. Quia tamen indignitas ex præterito peccato orta non minuitur in ſe (ſemper enim manet æqualiter tale peccatum aliquando ab homine commiſſum eſſe) ſed ſolùm per acceſſionem nouæ gratiæ, quâ homo redditur dignior, nunquam poteſt in hac vita omninò tolli, & ideò peccatum ſemper ampliùs remitti poteſt. Quod acutè explicat hac comparatione: ſi Deus plumbo, relinquens ei naturalem grauitatem, inderet aliquã qualitatem, quæ haberet vim illud euehendi ſurſum, hæc vis ſi in dies creſceret, minueret quidem ſemper illud impedimentum, quod grauitas plumbo affert, quo minùs celeriùs ſurſum feratur; non quidem minuendo ipſam grauitatem ſecundùm ſe, ſed efficiendo, vt minus efficaciter euectionẽ plumbi poſſit impedire; quantumcumque tamen creſceret, nunquam illud impedimentum omninò tolleret. Nam quandiu grauitas plumbo ineſt, ſemper efficit, vt cæteris paribus minus velociter feratur ſurſum, quàm ferretur alias. Eadem ſimiliter eſt ratio in dicta indignitate, quæ remiſſo peccato ſemper remanet in hac vita. Hæc noſter Coninck.

6 In hac re, dico *primò*, mihi non ſatisfacere ſenſum verborum abſolutionis, quem *ſuprà* propoſui, traditum à noſtro Cardinali Lugo. Quia ex hominum inſtitutione, verbum *remitto*, ſeu, *abſoluo*, abſolutè prolatum, abſque vllo addito, ſicut profertur in forma Sacramenti Pœnitentiæ, abſolutè non ſignificat repetitam remiſſionem, ſeu ſolutionem debiti, vel ſecunda vice remittere, aut iterùm & iterùm remittere; ſed vt verbum humanum ſignificat ſimpliciter, & abſolutè, ſeu prima vice remittere: Quia ad declarandam repetitam remiſſionem, iam ſolent homines ſe amplius explicare, ac dicere; iterùm atque iterum remitto, renouo remiſſionem, & abſolutionem. Firmo idem ſimili exemplo: nam nemo poteſt cum veritate dicere homini, qui eſt iam ſolutus à vinculis corporeis, quibus antea tenebatur: Ego te ſoluo à vinculis corporeis; quia his verbis iuxta communem vſum loquendi, non poteſt ſignificare repetitum affectum, & voluntatem, quantum eſt ex ſe ſoluendi illum ab illis: quoniam propoſitio illa ſic abſolutè prolata, humano more, & vſu, habet pro obiecto immediato ipſam primam ſolutionem vinculi corporei, quam ſolam affirmat; atque ideò ſi non ſit à parte rei hîc, & nunc ſolutio præſens, ſed fuerit iam præterita, certè propoſitio illa vera non eſt; ergo ſimiliter, quando Sacerdos affirmat per verba formæ abſolutionis; *Ego te abſoluo à peccatis tuis*, quæ ſunt vincula ſpiritualia; ſi ſumantur illa verba, prout humana ſunt, & ſenſu hominum prolata, nequeunt ſignificare ſecundam, vel tertiam remiſſionem peccatorum quoad affectum, ſed habent pro obiecto immediato ipſam primam abſolutionem vinculorum ſpiritualium, nempe peccatorum; itaut ſi non eſſet à parte rei abſolutio præſens, facta à proferente illa verba, ſanè hæc verba non eſſent vera, quia non ſignificant prout humana ſunt, niſi primam remiſſionem, vel ſolutionem à vinculis ſpiritualibus, quæ ſunt ipſa peccata. Et quamuis verum ſit debitum remiſſum iterùm atque iterùm poſſe remitti, ſicut & poteſt offenſa iterùm atque iterùm remitti: id tamen non ſignificatur per illa verba, iuxta humanum vſum, niſi apponatur iſta alia particula, *iterùm*, vel *ſecundò*, vel *repetita vice te abſoluo.* Confirmo iterùm hoc idem exemplo contractus Matrimonij clariſſimo. Cùm enim vir & fœmina dicuntur contrahere abſolutè, non ſignificatur illis verbis contractus, illos ſecundò, vel tertiò, aut repetita vice, ſe obligare vinculo Matrimonij; vt certum eſt ex communi modo humano loquendi, & contrahendi: quia illa verba, iuxta communem vſum ſignificant primam, & nouam inceptionem contractus Matrimonij, & primam corporum traditionem, non illius repetitionem, aut renouationem; ergo ſimiliter illa verba formæ, *Ego te abſoluo*, quæ dicuntur pœnitenti, qui iam confeſſus eſt peccata ſua, non ſignificant humano more primam remiſſionem peccatorum; atque adeò ſi ſint iam omnia illa iam ante remiſſa, non verificantur ea verba: quia verbum, *remittere*, abſolutè prolatum ex inſtitutione humana non ſignificat ſecundam, vel repetitam remiſſionem peccatorum, ſed nouam remiſſionem, ac ſolutionem ab illis omnium primam.

Dico *ſecundò*, nec mihi placere expoſitionem Co- 7
ninck *ſuprà* declaratam: quia ſupponit indignitatem auxiliorum, & beneficiorum Dei per peccatum mortale contractam, non tolli per gratiæ infuſionem, & remiſſionem peccatorum, ſed illam manere integram, etiam cum quauis gratiæ ſanctificantis intenſione. Quod certè omninò falſum iudico: Concedo quidem hominem per peccatum mortale quod committit, contrahere indignitatem omni gratiæ auxilio, ac beneficio Dei; nego tamen eiuſmodi indignitatem non tolli per gratiæ ſanctificantis infuſionem, quâ macula peccati mortalis omninò aufertur. Probatur *primò*, quia talis indignitas eſt pœna ex peccato mortali conſurgens: non enim eſt ipſum peccatum vel totaliter, vel partialiter, ſed eſt quaſi effectus moralis neceſſariò conſequens culpam; atque ideò eſt pœna peccati: ergò cùm ablatâ culpâ, auferatur pœna cum ipſa connexa, certè gratia habitualis quæ tollit culpam, tollit etiam prædictam indignitatem. *Secundò*, dum culpa mortalis non aufertur, prædicta indignitas perſeuerat, quæ illam neceſſariò comitatur; ergo è contrario, dum eſt & perſeuerat gratiæ habitualis, quæ tollit culpam, tollitur etiam prædicta indignitas. *Tertiò*, ablatâ omni culpa mortali, tollitur omnis ratio offenſæ grauis in Deum, nec poteſt concipi illam auferri, quin auferatur iſta: ergo tollitur omnis indignitas, quia tota radix prædictæ indignitatis eſt iniuria, & offenſa in Deum commiſſa; ergo per ablationem culpæ ablata eſt omninò totalis indignitas. *Vltimò*, dicta indignitas ſe habet quaſi effectus moralis neceſſariò conſequens culpam lethalem, non ſecus ac pœna æterna eſt effectus neceſſariò conſequens eandem culpam; ergo ſicut de facto gratia habitualis auferendo culpam grauem, conſequenter aufert æternam pœnam peccatori debitam; ita & auferre debet indignitatem illam contractam pro culpa graui commiſſam. Vnde infero falſum eſſe, hanc dignitatem non minui in ſe per infuſionem gratiæ; quia, vt probatum eſt, non ſolùm minuitur, ſed omninò deſtruitur; quamuis enim ſemper maneat peccatum præteritum aliquando ab homine fuiſſe commiſſum; ſicut & perſeuerat ſemper illa denominatio moralis, quòd ille homo fuerit peccator, & inimicus Dei; nihilominùs tamen cùm iam per gratiæ infuſionem omninò ſit extinctum peccatum, neceſſe eſt, vt cum illo ſimul extinguatur dicta indignitas. Quare exemplum illud plumbi non eſt ad rem: nam in plumbo grauitas illa eſt qualitas conſequens naturam plumbi, tanquam proprietas naturalis illius: atque ideò illa qualitas extranea ſuperueniens plumbo, qua illud euehit ſurſum, ſicut non deſtruit plumbi naturam, ſic neque eius innatam grauitatis proprietatem. At gratia ſanctificans peccatori infuſa deſtruit omninò peccatum, & aufert omnem rationem offenſæ, & iniuriæ in Deum; atque ideò conſequenter omnem & quamlibet indignitatem, quæ neceſſariò comitatur ipſum peccatum.

Ex quo etiam manifeſtè infertur, falſum omninò eſ- 8
ſe peccatum nunquam remitti in hac vita, quin non poſſit adhuc ampliùs remitti ſecundùm aliquam rationem; & conſequenter ſenſum formæ abſolutionis hunc eſſe:

eſſe: Confero tibi gratiam ſanctificantem, & de facto remittentem peccatum ſecundùm aliquam rationem. Nam ſi quis confiteatur iterùm peccata omnia iam ſemel confeſſa, & per reuelationem Dei ſciat omnia illa iam eſſe remiſſa, & pro omnibus illis integrè ſe ſatisfeciſſe, itaut nec vllum ſuperſit debitum pœnæ temporalis etiam minimæ ſoluendum; cùm iam oſtenſum ſit ab illo ablatam fuiſſe omnem dictam indignitatem; certè Sacerdos cùm illum abſoluit dicens, *Abſoluo te à peccatis tuis*, nihil de facto poteſt remittere de peccato, nec ſignificare poſſe ſolutionem alicuius vinculi peccati, neque quoad culpam, neque quoad pœnam temporalem, quæ iam ſupponitur omninò remiſſa, nec denique quoad illam indignitatem, quæ iam eſt omninò ablata.

9 Quare dico *tertiò*, mihi magis gratam eſſe explicationem ſuprà adductam noſtri Franciſci Suarez, nempe verba formæ abſolutionis per ſe primò ſignificare gratiam, & conſequenter eſſe remiſſiuam peccati, ſi aliquod fuerit. Quod manifeſtè oſtenditur; quia inprimis quòd per ſe primò ſignificent gratiam, ideò conſtat, quia cùm Sacramenta ſignificent id quod producunt, ſignificabunt quoque eo ordine quo producunt; ſed producunt per ſe primò gratiam, & conſequenter remittunt peccata, ſi quæ fuerint; ergo per ſe primò ſignificant infuſionem gratiæ, & conſequenter peccatorum remiſſionem, ſi quæ fuerint. Igitur idem dicendum eſt de Sacramento Pœnitentiæ, atque adeò de forma Abſolutionis, quæ illius pars eſt. Vnde verus ac legitimus verborum formæ ſenſus hic eſt: Confero tibi gratiam ſanctificantem, quantum eſt ex ſe remiſſiuam peccati. Quod etiam firmo, quia ſicut omnis virtus naturalis per ſe primò ordinatur ad introductionem formæ, & conſequenter ad expulſionem alterius oppoſitæ; ita in præſenti virtus formæ abſolutionis per ſe primò ordinatur ad introductionem formæ, & conſequenter ad expulſionem peccati, ſi iſtud in ſubiecto ſit. Quare verus eſt ſenſus formæ abſolutionis, etiamſi nullum peccati vinculum maneat ſoluendum.

10 Ad obiectionem Cardinalis Lugo ſuprà adductam *num.* 2. contra dictam Suarez explicationē, dico, tametſi verbum *Abſolutio*, ſolùm videatur ſignificare vinculi ſolutionem, reuera tamen quia non diſſoluitur niſi per informationem gratiæ, ideò iuxta ſubiectam materiam, ex vi eiuſdem verbi, ſignificatur gratiæ infuſio ordinata ad peccati remiſſionem; quam etiam remiſſionem per ſe ſignificat hæc forma; & ex vi huius formæ ſemper datur gratia ex ſe ſufficiens ad remiſſionē peccati; at peccatum non ſemper remittitur cum effectu, ſeu actualiter, niſi quando in homine eſt peccatum, cuius remiſſio deſideratur. Quare ad obiectionem reſpondeo, verum eſſe ex hominum inſtitutione verba Abſolutionis non habere ſignificare collationem gratiæ; ſed remiſſionem debiti abſolutè, & ſimpliciter loquēdo; ſuppoſito tamen modo, quo peccata de facto remittuntur, nimirùm per gratiæ infuſionem, ex vi eorundem verborum ſignificatur gratiæ infuſio ex ſe ſufficiens ad remiſſionem peccati: nam qui dicit ſe facere aliquid, eo ipſo dicit modum quo id facit, ſi vnicus tantùm eſt, vel ex natura rei, vel ex voluntate illius, qui ad id habet poteſtatem: cùm autem peccata ex ordinatione diuina non poſſint remitti in hac vita alio modo, niſi per collationem gratiæ, qui dicit ſe remittere peccata, eo ipſo dicit ſe conferre gratiam; ſicut quia non poſſunt expelli tenebræ, niſi introducendo lucem: qui dicit ſe expuliſſe tenebras ab aliquo loco, eo ipſo dicit ſe introduxiſſe lucem in illum locum.

11 Inſtabit aliquis, prædictam Suarez declarationem, tametſi rectè cohæreat cum veritate verborum formæ Abſolutionis, etiamſi nullo modo aliquod peccati vinculum maneat in abſoluendo; non tamen videtur cohærere cum veritate Confeſſionis: hæc enim in eo, quem nulla peccata aliquo modo ligant, videtur continere implicitum mendacium, quia confitens peccata, vt ab illis abſoluatur, hoc ipſo indicat ſe illis aliquo pacto ligari; quod in prædicto euentu falſum eſt. *Reſpondeo*, etiam prædictum ſenſum defendere veritatem Cōfeſſionis: nam confitens peccata præterita iam ſemel confeſſa, tametſi per reuelationem ſciat nullo modo eſſe illis ligatum; nihilominùs tamen intendit renouare illorum dolorem, & denuò illa confiteri ad recipiendam gratiam Sacramentalem ex ſe remiſſiuam conſequenter cuiuſcumque vinculi peccati, ſi fuerit. Vnde falſum eſt ſic confitentem fateri ſe nunc ligatum illis, ſed fuiſſe ligatum, eſt illa de nouo confiteri, ac de illis denuò conteri, ad obtinendum nouum augmentum gratiæ per abſolutionem Sacramenti Pœnitentiæ.

SECTIO VI.

An forma Abſolutionis poſſit proferri modo deprecatiuo, an ſolum indicatiuo?

Communis, & vera Theologorum ſententia cum D.Tho. 3.*p.q.*84.*a.*3.& *opuſc.*22.*c.*1. & 2. docet abſolutionem non valere modo; aut ſenſu deprecatiuo factam, nempe Abſoluat te Deus, vel Abſoluatur ſeruus Chriſti; ſed debere fieri modo enunciatiuo, vt valida ſit. Ratio à priori ſumitur ex inſtitutione huius Sacramenti: quia conſtat ex Tridentino inſtitutum fuiſſe per modum iudicij, in quo Sacerdos conſtituitur Iudex, vt tradit Tridentinum *ſeſſione* 14. *cap.*5. & *can.*9. Igitur eius forma debet proferri per modum ſententiæ; at ſententia Iudicis deciſiua cauſæ, qualis eſt abſolutio, nequit tradi modo deprecatiuo, ſed enunciatiuo: ergo Sacerdos non abſoluit validè deprecando, ſed poteſtatem ſuam oſtendendo verbis enunciatiuis. Idem conſtat ex Eugenio IV. in illo ſuo decreto formam Pœnitentiæ Sacramenti aſſignante verbis indicatiuis, nempe *Ego te abſoluo*: atque eandem formam aſſignat Tridentinum *ſeſſ.*14. *c.*3. Vnde in hoc differt à forma Sacramenti Extremæ-Vnctionis, quę adhibetur modo deprecatiuo, nempe; *Indulgeat tibi Deus*, &c. nam Sacramentum iſtud ordinatur ad obtinendum per modum indulgentiæ; atque ideò Sacerdos agit vt deprecator illis verbis: *Per ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Deus*: At Sacramentum Pœnitentiæ eſt inſtitutum per modum iudicij, in quo forma debet proferri per modum ſententiæ; atque ideò non deprecatoriè. Vnde preces quæ præmittuntur ante illa verba, *Ego te abſoluo*, ad ipſius formæ eſſentiam nequaquam ſpectant. 1

Hinc colligo *primò*, formam Abſolutionis fieri etiam poſſe modo, & ſenſu imperatiuo: quia nimirùm ſententia Iudicis deciſiua rectè, & conuenienter adhibetur modo imperatiuo. Vnde infero in genere, & abſolutè, formam Abſolutionis eſſe ſemper ſufficientem ad valorem Sacramenti quibuſcumque verbis proferatur, quoties eis ſignificatur actus Iudicis ſententiam deciſiuam abſolutionis à peccatis proferentis; nempe, Volo abſoluaris; Placet te abſolui: quia quoties talis actus verbis abſolutionis ſignificatur, ſaluatur ſenſus Sacramentalis formæ abſolutionis; quoniam eſt inſtituta à Chriſto, inſtar ſententiæ iudicis. 2

Colligo *ſecundò*, validam eſſe illam aliam formam, Abſoluatur ſeruus Chriſti; ſicut dici ſolet, de illa forma Baptiſmi, Baptizetur ſeruus Chriſti: quia ibi imperatur 3

ipſe effectus, & conſequenter ſignificatur ſufficienter actio miniſtri.

4 Colligo *tertiò*, validam etiam eſſe illam formam, Abſoluat te Deus, quatenùs Sacerdos per illam non imperat nouam prolationem ſententiæ, ſed executionem ipſius. Nam ſi iudex reum detentum in carcerem abſoluat per hęc verba, Soluat te cuſtos à vinculis, valida eſſet ſententia; cur non etiam Sacerdos validè abſoluet dicendo; Soluat, vel, Abſoluat te Deus à vinculis peccatorum quibus teneris? quoniam hæc ſolutio verè mandatur executioni à Deo per gratiam, quam producit in homine: Eſt verò notandum, non eſſe illud imperium propriè; non enim homo poteſt propriè imperare Deo, vt conſtat, ſed eſt potiùs intimatio voluntatis facta ex poteſtate iudiciaria, quam ipſe Sacerdos accipit à Deo: erit igitur illa forma in hoc ſenſu valida.

5 Quæres, an licèt forma abſolutionis dicto modo prolata ſit valida, & ſufficiens ad valorem Sacramenti; nihilominùs tamen illicitè fiat, quia non profertur modo indicatiuo iuxta vſum Eccleſiæ? Gaſpar Hurtado *diſput. 5. difficultat. 3. ad finem*, ait id fieri illicitè; quia eſt contra conſuetudinem Eccleſiæ ſolo modo indicatiuo vtentis: Addit tamen non eſſe peccatum mortale, ſed tantùm veniale, quia ea mutatio non eſt grauis, ſed leuis.

6 Cum communiori doctrina dico tria. *Primum* eſt illa duo verba formæ vſitata, *Abſoluo te*, formaliter ſumpta eſſe omninò neceſſaria. Vt conſtat ex dictis in ſuperioribus, quia vtrumque verbum eſt neceſſarium ad ſignificandum effectum Sacramenti Pœnitentiæ. Nam ſine verbo, *Abſoluo*, nec ſignificatur actus iudicialis, nec fit proportio: & ſine pronomine, *Te*, non ſignificatur illa remiſſio practicè, & in particulari, declarando cui fiat, quod neceſſarium eſt ad ſignificationem Sacramentalem. Dixi, *formaliter ſumpta*, quia illa materialia verba non ſunt eſſentialia, & omninò neceſſaria; quia ſynonyma, vel æquipollentia poſſunt ſufficere. *Secundum* eſt illa verba, *Abſoluo te*, etiam materialia, eſſe de neceſſitate præcepti, propter vniuerſalem vſum Eccleſiæ, & propter doctrinam Conciliorum maximè Florentini, & Tridentini, & propter reuerentiam Sacramentis debitam. Quare mutatio talium verborum nunquam poteſt moraliter fieri abſque peccato, quia nulla poteſt eſſe rationabilis cauſa ad illam faciendam. *Tertium eſt*, tale peccatum ex genere ſuo eſſe mortale, quia eſt ſacrilegium: in indiuiduo autem ex materię grauitate penſari debet. Tunc autem præcipuè erit peccatum mortale, quando certa ſignificatio in incertam & dubiam mutatur, vt ſi loco verbi, *Abſoluo*, quis dicat, Ego te mundo à peccatis; quia non deſunt qui affirment illud verbum non ſufficere, quia non ſignificat illam actionem per modum iudicialis ſententiæ. In verbo autem *remitto*, minùs cenſeo eſſe periculi, quia in omni proprietate ſignificare poteſt actum iudicialem, & eſt conformis verbis Chriſti: *Quorum remiſeritis peccata remittentur eis &c.* Quare in particulari ex ipſo vſu & proprietate verborum, intelligi debet qualitas mutationis, & conſequenter grauitas culpæ. Hæc reſolutio mihi videtur magis rationi conformis, & prudens, quam ſumpſi ex noſtro Suario *diſp. 19. ſect. 1. n. 24.*

7 Tandem inquires, an hæc ſit forma ſufficiens: Nos abſoluimus vos. Breuiter dico, pronomen, *Nos*, tenens ſe ex parte ſubiecti, ſignificans vnam tantùm perſonam, quæ propter auctoritatē eo termino vtatur, ſicuti vti ſolent Reges, & Epiſcopi, non obſtare veritati abſolutionis, eſſe tamen illicitum. Si verò dictum pronomen, ſignificet plures Sacerdotes ſimul concurrentes vt cauſas inadæquatas ad eundem hominem abſoluendum, tunc forma non valeret, quia de ratione huius Sacramenti eſt vt ab vno Miniſtro adæquatè conferatur. Quod attinet ad pronomen, *Vos*, ſe tenens ex parte prædicati, certum videtur non obſtare veritati formę huius Sacramenti; nā ſi vſurpetur etiā ob auctoritatē perſonę quæ abſoluitur, vt ſi quis abſoluens Epiſcopum, diceret; Ego vos abſoluo, tametſi illicitè faceret, non tamen eſſet mutatio magni momenti: ſi verò vſurpetur, eo quòd ſimul plures homines Confeſſarius abſoluat, ea etiam non eſt mutatio ſubſtantialis: imò in caſu neceſſitatis liceret id facere, vt ſi naufragium immineret, & ſimul plures confiterentur eidem Sacerdoti, & eſſet manifeſtum periculum in mora.

SECTIO VII.

Vtrùm formæ Abſolutionis poſsit apponi aliqua conditio de futuro, qua effectus abſolutionis ſuſpendatur?

Certum eſt apud Doctores, conditionem de præſenti, & de præterito additam formæ abſolutionis, validam eſſe, ſi conditio poſita ſit. Patet quia nec ſuſpendit ſenſum nec effectum, nec efficit aliud quod obſtare poſſit valori formæ Abſolutionis: Imò nec illam reddit illicitā, ſi ad eam addendam adſit aliqua rationabilis cauſa; vt contingit, quando ad valorem Sacramenti, aut vt licitè fiat, neceſſarium eſt quod ſubſiſtat id quod ponitur ſub conditione, & dubium eſt an ſubſiſtat: ſic Confeſſarius prudenter dubitans an protulerit verba Abſolutionis, poteſt validè & licitè abſoluere ſub hac conditione, (ſiue vocaliter expreſsè, ſiue mētaliter tātùm cōcepta) Si nō es abſolutus, ego te abſoluo &c. Et ſimiliter dubitās rationabiliter, an puer vel phreneticus cōfeſſus ſit cū perfecto vſu rationis poteſt validè, & licitè abſoluere ſub hac conditione: Si poſſū, aut ſi capax es, ego te abſoluo &c. Et dubitans prudenter ea quæ pœnitēs confeſſus eſt, ſint peccata, poteſt validè & licitè eum abſoluere ſub hac conditione; Si ea quæ confeſſus es, ſunt peccata, ego te abſoluo &c. Difficultas igitur eſt, an adiectio conditionis futuræ qua effectus ſuſpenditur, vt ſi dicatur; Abſoluo te, ſi cras reſtitueris, reddat inualidum Sacramentum, an verò validum ſub conditione, quâ adueniente incipiat abſolutè habere valorem? 1

2 Ratio dubitandi eſt quia Sacramentum Matrimonij validè fit ſub conditione honeſta de futuro, vt ſi pater voluerit, vel ſi dotem dederit, ſicut alij contractus. Prætereà remiſſio, & condonatio debiti vel offenſæ valida eſt ſub conditione de futuro; denique abſolutio à cenſura cenſetur valida ſub conditione data; ergo & abſolutionis Sacramentalis ſententia valida quoque erit ſub conditione prolata.

3 Veriſſima tamen eſt omnium Theologorum communiter doctrina, & noſtrorum Societatis Doctorum, negantium Sacramentum Pœnitentiæ poſſe conferri ſub conditione etiam honeſtiſſima, quâ effectus Sacramenti ſuſpendatur. Omiſſis aliorum rationibus, quæ videri poſſunt apud Cardinalem Lugo *diſputation. 13. ſection. 5.* Ratio quæ me valdè vrget, hæc ſola eſt, ſumpta ex inſtitutione Sacramenti, ſuppoſitā traditione & vſu Eccleſiæ, in qua nunquam hoc Sacramentum confertur ſub conditione de futuro, quia ad Sacramentum Pœnitentiæ ex Chriſti inſtitutione requiruntur verba formalia, & realia, nec ſufficiunt verba virtualia, quod colligimus ex vſu Eccleſiæ, & ex abſurdis, quæ ſequuntur, nimirum poſſe dari abſolutionem, per

nuntiū

nutum, per ſcripturam, per internuncium; quæ ſunt verba virtualia; ergo abſolutio data ſub conditione de futuro, non valet, etiamſi ponatur poſtea conditio: patet Conſequentia, quia in prædicta abſolutione, verba realia non fuerunt prolata abſoluta, ſed conditionalia, quæ licet poſitâ conditione tranſeant in abſoluta, hoc tamen non fit per poſitionem realem verborum abſolutorum, ſed per poſitionem virtualem; quatenus priora verba poſitâ conditione cenſentur moraliter, ſeu virtualiter manere, & proferri abſolutè abſque conditione; hoc autem totum non eſt aliud niſi prolatio virtualis verborum abſolutorum; ergo cùm in Sacramento Pœnitentiæ non ſufficiant verba virtualia, ſed requirantur realia, ſicut non ſufficiunt nutus, aut ſcriptura, vel per internuntium, conſequens eſt vt neque ſufficiant illa verba abſoluta virtualia, quæ dantur impletâ conditione, ſed requirantur verba abſoluta realia, & formalia. Neque verò ex eo quòd abſolutio Sacramentalis ſit ſententia Iudicis, colligi poteſt, quòd dari poſſit ſub conditione de futuro: nam dato, quòd aliæ ſententiæ eo modo proferri poſſent; non licet etiam arguere ab aliis ſententiis ad hanc Sacramentalem, vt conſtat, quia aliæ ſententiæ poſſunt etiam ſcripto proferri, & per Notarium ex præcepto Iudicis; quæ omnia in abſolutione Sacramentali non habent locum. Cuius rei ratio eſt, quia Chriſtus formam abſolutionis non inſtituit ſententiam vtcumque, ſed ſententiam taliter prolatam per talem ritum, & formulam verborum, non virtualium, ſed formalium, & realium vt dixi.

Hoc argumento manifeſtè manet oſtenſum, non poſſe abſolutionem illam prius præſtitam ſub conditione futura, poſtea adueniente conditione manere moraliter, & virtualiter, ſicut manent verba Matrimonij ſub conditione celebrati, & conſequenter non poſſe poſtea ſubſiſtere Sacramentum Pœnitentiæ per illam abſolutionem moraliter manentem, ſicut ſubſiſtit Matrimonium; quia videlicet non ſufficit ad Sacramentum Pœnitentiæ, forma verborum virtualium, ſicut ſufficit ad Matrimonium.

4 Cæterùm poſſet aliquis defendere contrariam ſententiam alio diuerſo fundamento, dicendo, Sacramentum Pœnitentiæ ſubſiſtere per formam non moralem, ſeu virtualem, ſed realem & formalem, & etiam non per verba virtualia, ſed realia & phyſica, quæ priùs prolata fuerunt, ſignificando remiſſionem peccatorum pro tempore ſequenti impletionis conditionis. Sic enim videmus alios contractus conditionatos ſubſiſtere præciſè per obligationem priorum verborum, quibus homo ſe obligauit ad tempus ſubſequens. Vt ſi ego hodie promittam tibi pallium dare craſtino die, obligatio eſt iam præſens hodie ad actionem craſtinam; atque adeò iam non poſſum hodie reuocare meam promiſſionem, nec ea reuocatio redderet inualidum contractum. Similiter ſi quis condonat, aut remittit debitum ſub conditione de futuro, ſi talia bona acquiram, etiamſi reuocet voluntatem ante impletionem conditionis, ipſâ tamen adueniente, obligatur, nec poteſt debitum repetere; valétque ſemper illa remiſſio, & habebit effectum poſitâ conditione, non quatenus poſtea virtualiter perſeuerat, ſed quatenus ab initio poſita fuit, & verba phyſicè & realiter extiterunt quando prolata ſunt, & tunc incepit obligatio creditoris remittentis debitum, licèt non remitteret in ordine ad illud tempus, ſed ad aliud poſt aduentum conditionis. Sicut etiam votum caſtitatis factum ſub conditione adquirendæ ſalutis, obligat conditione impleta, etiamſi anteà fuiſſet ab eo reuocatum, obligat inquam non quatenus tunc moraliter ſit & virtualiter permanens voluntas præterita, cum fuerit iam reuocata, ſed propter ipſam promiſſionem realem, & formalem, quæ prius præceſſit, & obligauit in ordine ad hoc tempus impletæ conditionis.

Nihilominùs tamen hæc doctrina accommodari non poteſt Sacramento Pœnitentiæ. Ratio eſt, quia Sacramenta nouæ Legis ex vi ſuæ inſtitutionis hoc habent, vt aſſigentur ad eandem gratiam, vel effectum pro tempore ipſo pro quo ponuntur, vel applicantur. Vnde non poteſt Miniſter ponere modò totum Sacramentum, & velle ſuſpendere eius effectum ſcilicet gratiæ ad aliud tempus, nempe ad diem craſtinum. Poteſt quidem ſuſpendere effectum, differendo aliquam partem illius Sacramenti, vt ſi poſt auditam confeſſionem differat abſolutionem; vel poſt diffuſam aquam in Baptiſmo differat prolationem verborum: poſitâ tamen materiâ & forma cum intentione faciendi Sacramentum, non poteſt ſuſpendere effectum, ſed obligatur ad facienda ſolùm Sacramenta, quæ tunc operentur, quantum eſt ex ſe, non quæ poſtea operentur tempore ſequenti, niſi propter obicem, qui per accidens impedit. Cùm ergo Sacerdos abſoluens ſub conditione, ponat tunc totam formam, & omnes partes Sacramenti, non poteſt ſuſpendere eius effectum ad tempus ſubſequens, quia Sacerdos ſolùm accepit poteſtatem ad remittendum de præſenti, ſicut & ad conferendam gratiam præſentem, ſicut alia Sacramenta. Hoc idem inuenitur in Matrimonij Sacramento, in quo quando fit ſub aliqua conditione de futuro, non ſuſpenditur effectus, ſed ponitur effectus vbi primùm ponitur Matrimonij Sacramentum; hoc autem non ponitur donec impleatur conditio, quâ impletâ iam contractus eſt abſolutus & perfectus, & fit ſtatim Matrimonium per conſenſum, & verba virtualiter & moraliter præſentia ex verbis præteritis non reuocatis, quæ verba cum præſentia virtuali ſufficiunt ad Sacramentum Matrimonij, tametſi ad alia Sacramenta, nedum ad Pœnitentiæ Sacramentum minimè ſufficiant, vt *ſuprà* iam eſt dictum.

Hinc colligo *primò*, quàm vera ſit communis Theologorum ſententia, validam eſſe abſolutionem datam ſub conditione de præterito, vt Abſoluo te ſi concubinam deſeruiſti, aut etiam de præſenti, vt, Abſoluo te ſi habes Attritionem, non verò ſi ſit ſub conditione de futuro, vt, Abſoluo te ſi cras reſtitueris. Ratio enim eſt quia conditiones de præterito, aut de præſenti, neque impediunt valorem & ſubſiſtentiam Sacramenti, nec ſuſpendunt illius effectum ſi re ipſa ſit conditio. At quando iſta eſt de futuro, neque eſt Sacramentum, neque illius effectus, quia non poteſt Miniſter ponere omnes partes Sacramenti, & ſuſpendere eius effectum pro ſuo libito, vt ſatis oſtenſum eſt. 6

Colligo *ſecundò*, ſi Sacerdos ſic abſolueret, Ego te abſoluo, ſi Deus iam ſcit te cras reſtituturum; illicitam eſſe abſolutionem, validam tamen eſſe. Primum conſtat illud eſſe illicitum propter dubium, & periculum cui Sacramentum eo modo exponitur: nam ſunt graues Doctores qui dicant eſſe inualidũ, quia non minus ſuſpéditur effectus Sacramẽti per illam formã, quia ſemper manet in poteſtate pœnitẽtis reſtituere, vel non reſtituere, atque ideò facere quòd habeat, vel non habeat effectum abſolutio. Cenſeo tamen validum eſſe cum Cardin. Lugo *diſp.13. ſect.5. n.131.* Suarez *tom.3. in 3.p. diſp.13. ſect.3. §. ſed vrgebis.* Et ratio eſt, quia in hoc caſu non manet effectus ſuſpenſus hoc eſt, nondum poſitus; eſt itaque effectus iam poſitus ſed dependenter à reſtitutione liberè poſtea ponẽda, & iam præuiſa, in quo nullum eſt abſurdum: nam idem dicendum eſt de ſciẽtia viſionis Dei, & de reuelatione diuina & prædictione facta à Prophetis, & aliis ſimilibus, quæ licet pendeant 7

pendeant ab obiecto futuro, verè tamen ſunt & exiſtunt ante ipſum obiectum.

Obiicies: nequit Sacerdos offerre hodie Miſſæ Sacrificium pro illo, quem Deus ſcit primò oblaturū cras ſtipendium; ergo neque illa abſolutio erit valida, *Abſolvo te*, ſi Deus ſcit te eſſe in craſtina die reſtituturū. *Reſpondeo*, concedendo Antecedens; meritò enim prohibitus eſt modus ille offerendi Miſſæ Sacrificium, quia eſt obnoxius pluribus inconuenientibus; nam ſæpe ſæpius occurrere poſſet, quòd neceſſitas illa, pro qua poſtea Miſſa petenda eſt, nondum ſit præſens, quando Sacerdos Miſſam applicat, & per conſequens non proſit illi qui poſtea offert ſtipendium: Vt ſi offeratur pro viuo, & cōtingat illum non eſſe capacem percipiendi fructum, vel quia eſt in peccato mortali, vel ſi habeat peccata venialia, nondum de illis doluit: valida tamen erit talis Miſſæ oblatio, ſi neceſſitas pro qua offertur, iam extat, vt ſi petenda eſt manè Miſſa pro aliquo, multis retrò diebus iā defuncto, quia hoc modo non ſuſpenditur fructus Sacrificij vſque ad ſtipendij oblationem, ſed ſtatim applicatur. Ex his autem nihil infertur contra valorem abſolutionis impenſæ ſub conditione illa ſcientiæ diuinæ de futura reſtitutione.

Ad rationem dubitandi ſuprà *n.* 2. propoſitam liquet ſolutio. Nam in primis à Matrimonio ad Sacramentum Pœnitentiæ, & ad alia Sacramenta nequit eſſe paritas; aliter enim poſſet quoque paritas ſumi ad probandum, poſſe alia Sacramenta perfici per litteras, per procuratorem &c. quæ in Matrimonio verificantur. Adde quod iam *ſup.* dixi, neque Matrimonium vt Sacramentum eſt, poſſe immediatè pendere à conditione de futuro, quia ante conditionem impletam non ponitur in eſſe; vt etiā dixi in tractatu noſtro *de Matr. diſp.* 16. *ſect.* 13. *n.* 10. Vnde etiam non valet quoad hoc paritas ſumpta à iudicio forenſi; alioqui etiam poſſet ex illo deduci abſolutionem per ſcripturam, vel tertiam perſonam valere; nam in iudicio illo poteſt ſententia ſcripto proferri, & per Notarium intimari vt iam *ſup.* dixi. Denique concedo illud quod dicitur de remiſſione offenſæ, & abſolutione cenſuræ, quæ cùm ſit de iure humano, variis formis tolli poteſt; at abſolutio peccatorum per Sacramentum Pœnitentiæ eſt ex inſtitutione Chriſti; voluntas verò Chriſti, vt conſtat nobis ex Conciliis, fuit, vt hoc Sacramentum ſolùm valeat per verba propria & formalia, vt iam eſt oſtenſum.

SECTIO VIII.

Vtrùm forma Abſolutionis poſsit ſimul proferri à duobus vel pluribus Sacerdotibus?

HAnc quæſtionem latè pertractat noſter Card. Lugo *diſp.* 13. *ſect.* 7. Nos breuiter illam expediemus
1 *ſequentibus Dictis*.

Dico itaque *primò*, ſi vterque Sacerdos ſimul perficiat prolationem formę, & pœnitens ſit diſpoſitus, abſolutionem vtriuſque validam eſſe. Ita communiter omnes. Et patet, quia vtraque eſſet forma prolata à legitimo Miniſtro ſuper materiam debitam, & non eſſet maior ratio, cur vna abſolutio haberet potiùs effectum, quàm altera; ergo. In hoc autem caſu, tametſi ſingulæ cauſæ in actu primo eſſent ſufficientes & adæquatæ, attemperaretur tamen concurſus vnius propter præſentiam alterius, & cauſalitas ſeu productio gratiæ non eſſet duplex, ſed vnica adæquata procedens ab vtraque cauſa: ſicut quando de facto in ordinatione plures Sacerdotes conſecrant eandem hoſtiam.

Obiicies, ille modus accipiendi abſolutionem à duobus, & confitendi ſimul vtrique Sacerdoti, eſt contra Eccleſiæ conſuetudinem, atque ideò illicitus; ergo cum ex hac parte deficeret ſemper diſpoſitio neceſſaria in pœnitente, nunquam abſolutio vtriuſque Sacerdotis ſimul valida eſſe poteſt. *Reſpondeo*, etiamſi id concedamus, poteſt contingere, vt in moribundo qui Confeſſionem petiit, accedant duo Sacerdotes, & vterque illum ſenſibus abſolutum ſimul abſoluat: vel ſi in naufragio, aut incendio aliquis duobus, vel pluribus Sacerdotibus præſentibus confiteatur, & ab illis abſoluatur: vel denique ſi bona fide id faciat, exiſtimans ita licere; in his & ſimilibus euentibus vtraque abſolutio concurrit ad gratiam Sacramentalem, cùm non ſit maior ratio de vna quàm de altera.

Dico *ſecundò*, in prædicto caſu poſſe eſſe aliquando 2
duo Sacramenta Pœnitentiæ, ſed non ſemper. Ita optimè Card. Lug. *loco citato*. Prima pars Dicti probatur, ſi ſupponatur pœnitentem velle confiteri vtrique Sacerdoti & ſubiici vtrique in hoc foro. Nam hoc poſito, eſſet duplex confeſſio formaliter, & realiter; at duplex confeſſio, cum duplici abſolutione ſibi correſpondente debet conſtare duplex Sacramentum diuerſum. Firmatur, nam hoc Sacramentum cùm ſit iudicium quoddam conſtans ex ſuis partibus, & ſit ex ſua inſtitutione multiplicabile ſuper eiſdem peccatis, non videtur cur non multiplicetur in hoc caſu, in quo Confeſſio eſt diuerſa, iudex eſt diuerſus, & ſententia diuerſa. Vnde licèt iure negari debeat de Baptiſmo, quòd poſſit eſſe duplex Sacramentum, quia non eſt multiplicabilis, & reiterabilis ex ſua inſtitutione; non tamen id negari poteſt de Sacramento Pœnitentiæ, quod multiplicabile eſt, ac reiterabile ex vi ſuæ inſtitutionis. Vnde infero *in eo* caſu per vtramque abſolutionem conferri maiorem gratiam, quàm per vnam ſolam, quia illis duabus abſolutionibus verè exercentur duo iudicia, & proferuntur duæ ſententiæ, quarum quælibet debet habere effectum diuerſum gratiæ. Secunda pars oſtenditur in moribundo petente Confeſſionem & abſolutionem ante aduentum Sacerdotis: is enim non petit pluries abſolui, ſed ſemel, vnde non vult inſtituere plura iudicia, ſed vnum ſecundùm conſuetum Eccleſiæ morem, & ſolùm eſt ibi vnus proceſſus, & vna accuſatio; ergo tunc per plures abſolutiones non fierent plura Sacramenta: Vnde nec vnus Sacerdos poſſet abſoluere poſt abſolutionem datam ab alio; quia iam eſſet terminatum totum illud iudicium, & ſententia prolata à legitimo Iudice, nec poſſet noua ſententia proferri. Idem dico in alio caſu, quando qui in incendio, vel naufragio publicè confitetur coram pluribus Sacerdotibus, volens abſolutionem Sacramentalem, non cenſetur formare plura iudicia, & proceſſus, ſed vnicum per vnicam accuſationem, & confeſſionem, per quam vult abſolutionem ab aliquo eorum, qui poſſunt abſoluere; nec vllo modo vult, aut explicat, ſe velle cauſam coram aliis proſequi poſt abſolutionem ab vno obtentam; ſolum enim petit vnam abſolutionem; ac proinde eâ ſemel prolatâ, non poterunt alij licitè, aut validè abſoluere abſque noua abſolutionis petitione.

Dico *tertiò*, ſi duo Sacerdotes ſimul abſoluant, dicen- 3
tes. Nos te abſoluimus à peccatis tuis, ſignificantes illis verbis voluntatem abſoluendi ſolùm partialiter cum altero, verius videtur non fore validam formam illam. Ita communiter omnes, & fauet S. Th. 3. *p. q.* 67. *a.* 6. loquēs de Baptiſmo. Ratio eſt optima, quam tradit Card. Lug. nam qui poteſt abſoluere totaliter, non vult abſoluere ſolus, ſed partialiter ſolùm, & cum alio, eo ipſo videtur velle

Digitized by Google

velle ſolùm abſoluere ſub conditione ſi alius etiam partialiter abſoluat: quare ſi alius nondum protulit formam integram, cùm nondum conditio ſubſiſtat, verba illa non habebunt effectum; nec poſſunt poſtea illum habere, quia non poteſt manere ſuſpenſa efficacia verborum, nec poſſunt proferri ſub conditione de futuro, vt conſtat ex dictis *ſectione præcedenti*. Si verò ille alius iam protulit formam integram, & conditio poſita eſt, ſi ille prior perficit verba, adhuc non poſuit effectum, quia ſolùm intendebat concurrere partialiter; nec modò ponetur, quia verba prioris non poſſunt nunc operari, poſtquam tranſacta ſunt, & verba poſterioris ſola non ſufficiunt, quia non vult concurrere totaliter,ſed partialiter. Solùm igitur poſſunt deſeruire in caſu metaphyſico, quãdo vterque proferret vltimam ſyllabam omnimodâ ſimultate mathematicâ. At non videtur credibile,quòd Chriſtus dederit de facto ſuis Miniſtris hanc poteſtatem concurrendi, & vtendi formâ, quæ ſignificaret ſolùm concurſum partialem. Probatur, quia hæc poteſtas ſolùm poſſet deſeruire ad caſum quendam metaphyſicum, & eſſet inutilis, imò & noxia, quia vix vnquam in caſu metaphyſico validè proferretur; licitè verò nunquam, quia ſine cauſa exponeretur vterque Miniſter euidenti periculo faciendi irritum Sacramentum, cùm nunquam poſſet eſſe validum, niſi quando vterque ſimul proferret vltimam Syllabam, quod fortè nunquam eueniret. Firmatur, quia tametſi poſſint de facto plures Sacerdotes concurrere ad conſecrandam eandem hoſtiam; hoc tamen non fit niſi ex graui cauſa, vt in ordinatione, & abſque periculo vllo irritandi Sacramentum, quia proferunt ſinguli formam ſufficientem, & quicumque prior perficiet formam, validè conſecrabit. At in Sacramento Pœnitentiæ ſi forma ſolùm ſignificaret concurſum partialem, neuter validè abſolueret, niſi vterque ſimul proferret vltimam ſyllabam. Quod certius adhuc periculum eſſet, & neceſſitas omnimoda, ſi tres, quatuor, vel centum ſimul proferrent illa verba, cùm eſſet impoſſibile quòd illi omnes ſimultate mathematica proferrent vltimam ſyllabam. Quod certè fieret abſque vlla neceſſitate, aut cauſa, cùm poſſent ſinguli vti forma conſueta non ſignificante concurſum partialem, ſed totalem, quantum eſt ex parte ſingulorum: Igitur credibile non eſt, Chriſtum dediſſe talem poteſtatem, quâ ſine peccato vti non poſſemus, & quæ in poteſtate abſoluendi per formam ſolitam nullo modo includitur; potuit enim dari vna poteſtas ſine alia, nec vna forma æquiualet alteri; neque verò poteſt argui hæc poteſtas in Sacerdote, quia Iudex eſt in hoc Sacramento; & iudices alij in negotiis humanis illam habeant: nam in iudicio Sacramentali Sacerdotes Iudices accipiunt poteſtatem alligatam ad hoc, vt non niſi per vocem, & verba realiter ſolùm, & phyſicè exiſtentia operentur: qua inſtitutione & alligatione poſitâ, nequit eſſe vtilis, nec licitus modus ille ſignificandi voluntatem concurrendi ſolùm partialiter, vt oſtenſum eſt.

4 Dico *quartò*, ſi duo Sacerdotes ſimul abſoluant in prædicto caſu, dicentes: Singuli nos te abſoluimus à peccatis tuis, tunc validam eſſe formam, dummodò ſenſus non ſit vtrumque concurrere vt cauſam partialem, ſed vtrumque abſolutè cauſare illum effectum, ſicut verum eſt dicere, quando duo ſimul protulerunt verba conſecrationis, Nos conſecramus hanc hoſtiam. Hanc concluſionem ſic intellectam probant communiter Doctores, loquentes de Baptiſmo, ac præcipuè D. Thomas citatus. Videtúrque eadem ratio in eo caſu de pœnitentia, nam vnuſquiſque illorum abſoluentium eſt ex ſe ſufficiens ad miniſtrandum Sacramentum Pœnitentiæ, & tam in actione, quàm in ſua intentione operatur vt integer Miniſter, & applicat verba neceſſaria ad Sacramentum conficiendum; ergo verè & validè conficit illud: patet Conſequentia, quia nihil eſt quod impediat; nam ſolus concurſus ſeu concomitantia alterius Miniſtri non poteſt impedire, quia non habet actionem contrariam, aut repugnantem,ſed omninò ſimilem. Sicut in Sacramento Euchariſtiæ conficiendo, licèt plures hoc modò concurrant, non ſe impediunt, quominùs Sacramentum factum teneat, vt ex Eccleſiæ conſuetudine conſtat in ordinatione. Veriſſimum tamen eſt in Sacramento Pœnitentiæ illicitum eſſe, per ſe loquendo hoc modo plures Sacerdotes abſoluere, non ſolùm quia ſuperfluum eſt id,& contra morem Eccleſiæ,immutando quoque formam, ſed etiam quia ſine cauſa ſe exponunt morali periculo vt alter eorum nihil efficiat, niſi vterque ſimul proferat vltimã ſyllabam ſimultate metaphyſica, quod ſatis difficile eſt, ac moraliter impoſſibile.

Contrarium defendit Card. Lugo *ſect. 7. citata numer. 181. & ſequentibus* dicens,in eo caſu nullo modo eſſe validam abſolutionem licèt vnuſquiſque ſolus poſſet abſoluere, tamen ex vi verborum formæ, Nos te abſoluimus, Sacerdotes non ſignificare abſolutè, & ſufficienter ſe abſoluere in ſolidum, & independenter ab alio,ſed ſolùm partialiter, & dependenter à concurſu & conſenſu alterius atque adeò inualidè. Probat id duobus exemplis: nam ſi dicas, Ego & Petrus emimus à te hanc domum,non ſignificas te ſolùm velle eam emere, etiam nolente Petro,ſed potiùs ſignificas conſenſum ex parte tua ad emendũ ſimul cum Petro; vnde Petro non conſentiente,ad nihil teneris, nec aliam voluntatem per eiuſmodi verba ſignificaſti. Eodem modo ſi duo tutores, vel teſtamenti executores, quorum ſinguli poſſent donare, vel condonare nomine pupilli,vel defuncti, donent, vel condonent ſimul per verba communia,dicentes, Nos Petrus & Ioannes donamus,vel condonamus tibi; eo ipſo ſinguli ſignificant concurſum partialem;atque ideò non conſentiente,vel ſubſcribente Ioanne, etiamſi Petrus protuliſſet verba, vel ſubſcripſiſſet, ſcripturæ actus non ſubſiſteret, quia nimirùm verba illa, iuxta communem ſenſum ſignificant ſolùm voluntatem concurrendi partialiter, & dependenter à concurſu, & conſenſu alterius;ergo ſimiliter in hoc noſtro præſenti caſu. Addit tamen Cardinalis Lugo, ſi iſti duo Sacerdotes vterentur hac alia forma: Nos te abſoluimus ſinguli in ſolidum, validam fore formam, quia iam ſignificaret ſufficienter voluntatem abſoluendi in ſolidum,& independenter ab alio. 5

Hoc tamen non obſtante perſiſto in doctrina *quarto dicto* tradita: exiſtimo enim in ſubiecta materia verba illa formæ, Nos te abſoluimus à peccatis tuis, non ſignificare dependentiam,& partialitatem, ſed integram, & ſufficientem voluntatem abſoluendi in ſolidum: quia proferunt ſinguli formam ex ſe ſufficientem & integram, & quicumque prior perficiet formam, validè abſoluet; neque in illis eſt alia poteſtas data à Chriſto aliter abſoluendi, vt diximus *tertio dicto*, cum eodem Cardinali Lugo. Vnde tametſi illa prædicta verba,iuxta communem hominum vſum, ſignificent coniunctionẽ in abſoluendo, ſed non inſufficientiam, ac dependentiam ſingulorum Miniſtrorum, cùm conſtet in hac materia eam poteſtatem non accepiſſe à Chriſto, ſed poteſtatem integram & totalem abſoluendi abſolutè. Quòd etiã firmari poteſt exemplo ſũpto ex Matrimonio:quia ſi Deus diſpenſaret, vt quis plures vxores ſimul acciperet,ille poſſet dicere,Ego vos in vxores accipio;& illę omnes poſſet reſpõdere;Nos te accipimus in virũ:quę verba ſufficerent ad Matrimoniũ validũ, & eſſent forma à pluribus Miniſtris prolata 6

Digitized by Google

ſignificantibus concurſum totalem ſingularum mulierum ad vnum Matrimonium validum. Cur ita? quia in Matrimonio ex ſubiecta materia, verba illa non poſſunt ſignificare concurſum partialem, ſed ſolùm totalem ad vnum Matrimonium cum proferente illa; quia ad Matrimonium cum aliis fœminis non poteſt hæc fœmina vllo modo concurrere, nec ad Matrimonium cum ipſa poſſunt aliæ concurrere etiam partialiter. Idem cum proportione dico in noſtro caſu, nimirum in Sacramento Pœnitentiæ ex ſubiecta materia, verba illa, Nos te abſoluimus à peccatis tuis, non poſſe ſignificare concurſum partialem, ſed ſolùm totalem ad abſoluendum, quia in ordine ad abſoluendum ſimul cum aliis Sacerdotibus, nulla eſt data à Chriſto Domino poteſtas partialis, ſed integra & ſufficiens; atque ideò non poteſt Sacerdos illa verba proferre niſi iuxta hunc ſenſum & ſignificationem abſoluendi integrè, & in ſolidum, & conſequenter verba illa prolata iuxta Chriſti inſtitutionem, non poſſe ſignificare niſi integram & abſolutam peccatorum abſolutionem.

SECTIO IX.

An forma Abſolutionis Sacramentalis poſſit licitè & validè proferri abſenti?

1 OPinio fuit antiqua, poſſe in caſu aliquo neceſſitatis Confeſſionem fieri Sacerdoti abſenti, & ab eodem abſente poſſe abſolutionem dari; atque adeò à fortiori verba formæ abſolutionis ſufficienter verificari poſſe circa perſonam abſentem. Affirmarunt id ex Thomiſtis, Paludanus *in 4.d.17.quæſtion. 2.articul.*1. Antoninus *3.p.tit.*14.*cap.*19.§.9.& *tit.*17.*cap.*12.& *cap.*21. §.3. Sylueſter, verbo *Confeſſor quæſtion.* 13. Summa Cōfeſſorum *quæſt.* 76. Margarita Confeſſorum *folio* 53. Armilla verbo *Confeſſio num.* 23. Tabiena, verbo *Confeſſio 2.numer.*4. Raynerius, referens Petrum de Tarantaſia *in ſua ſumma de Confeſſione*, Petrus Soto *in inſtitutione Sacerdotum lect.*11.*de confeſſione*, vbi hanc ſententiam dicit poſſe ſecurè teneri vti dicit plures ſui ordinis hanc ſententiam tenere. Idem etiam docet Ioannes Medina *codice de pœnitentia*, *tractat.* 2. *quæſtione* 15. §. *quartum dictum.* Vbi ait, ſi peccator non poteſt Confeſſorem adire, nec eum ad ſe accerſere, probabile eſt poſſe per internuntium & litteras abſenti confiteri, & ab eodem per litteras Sacramentaliter abſolui. Vbi pro hac re alios citat, eámque fusè probat Dominicus Soto *in relectione de tegendo ſecreto, membro tertio, quæſtione quarta, concluſ.* 5. *dubio quarto.* Eam etiam ſunt ſecuti Nauarrus *in Summa, cap.*21.*numer.*56.& *in cap. Quem pœnitet numer.* 4. Adrianus *in* 4. *materia de confeſſione, quæſtion.* 1. Palacios *in* 4. *d.* 17. *diſputation. vltim.* & alij. Vnde videtur hæc ſententia olim fuiſſe communis:

Quæ probari poteſt *primò*, quia in aliis iudiciis validè fertur ſententia in abſentem; ergo etiam in hoc Sacramento: quia nulla apparet ſufficiens ratio hoc negandi.

Secundò, adduci etiam ſolet in eius fauorem, factum S. Thomæ Cantuarienſis, qui miſit ad Pontificem Romanum pro abſolutione. Et D. Cyprianum *epiſt.* 14. Vbi per ſcripturam ſuam præcipit aliquibus in periculo exiſtentibus pacem dare, quam ab eo per litteras petierant. Et caput *Qualis*, 30. *quæſtione* 5. Vbi dicitur, pœnitentiam adulteræ per ſcripturam recipiendam.

Tertiò, probatur exemplo Matrimonij Sacramenti, quod fit in abſentia per procuratorem.

Vltimò, in caſu neceſſitatis valet Confeſſio in abſentia Sacerdotis facta; ergo in eodem caſu valebit abſolutio facta in abſentia pœnitentis.

2 Cæterùm hæc ſententia iam eſt iure ac meritò damnata à Clemente VIII. quam anteà vt falſam reiecerant D. Thom. Scotus, Caietanus, Victoria, Ledeſma, & alij quos referunt & ſequuntur Suarez *diſputat.* 19. *ſect.* 3. & Coninck *diſputat.* 4. *dubio* 10. & omnes Societatis Doctores: nam è noſtris, quod ipſe ſciam, vnus ſolus Emmanuel Sà, dixerat prius, illam ſententiam eſſe probabilem ſaltem in caſu neceſſitatis, quod dixerat ob ſolam authoritatē tot Thomiſtarum, poſtea verò id retractauit in ſecunda editione Sūmę facta anno 1600. quod præſtitit duobus annis antequam eam damnaret Pontifex ſuo decreto, anno 1602. edito, & promulgato. Quare appingere ipſi Suarez ſententiam iſtam damnatam, impudētiſſimum mendacium eſt, aut ex malitia, aut ex ignorantia profectum. Nam ſententiam contrariam negantem poſſe licitè & validè per litteras ſeu internuncium fieri confeſſionem Sacramentalem Confeſſario abſenti, & ab eodem abſente poſſe abſolutionem obtineri, vt veriſſimam publicè docuit Compluti anno 1588. & iterùm in primaria lectione inſignis Academiæ Conimbricenſis anno 1598. multò ante prædictum decretum Pontificium.

Huiuſmodi verò decretum Clemens VIII anni 1602. contentum in quadam Bulla, quæ eſt 87. inter Clementinas, authoritate ſua Pontificia, ſequentem cenſuram appoſuit, ſpeciali declaratione ad hoc facta die 19. Iulij, his verbis: *S. D. N. &c. Re maturè ac diligenter conſideratâ, hanc propoſitionem, ſcilicet, licere per litteras, ſeu internuncium Confeſſario abſenti peccata Sacramentaliter confiteri, & ab eodem abſente abſolutionem obtinere, ad minus vti falſam, temerariam, & ſcandaloſam damnauit, ac prohibuit; præcipitque ne deinceps iſta propoſitio publicis, priuatiſve lectionibus, concionibus, & congreſſibus doceatur, néve vnquam tanquam aliquo caſu probabilis defendatur, imprimatur, aut ad praxim quouis modo deducatur. Et adiungit excommunicationem ipſo facto incurrendam, & ſibi reſeruatam contra violantes hoc decretum, præter alias pœnas à iudicibus iniungendas.*

3 His præmiſſis, Dico *primò*, certum eſſe in nullo caſu licitam eſſe abſolutionem datā abſenti. Hoc patet ex dicto decreto Clementis, expreſsè dicente nunquam licere, & oppoſitum defendi, aut practicari prohibente. Vnde hoc dictum iam eſt certum in gradu à Pontifice definitum in prædicto Decreto.

4 Dico *ſecundò*, ex vi prædicti decreti non ſolùm haberi id quod verba ſonare videntur, nempe abſolutionem datam abſenti illicitam eſſe, ſed etiam eſſe inualidam. Ita Cardinalis Lugo *diſput.* 17. *ſect.* 4. *num.* 63. Suarez *diſput.* 19. *ſect.* 3. *ad finem illius*, & Alij. Moueor hoc præcipuo & efficaci argumento, quia in prædicto decreto manifeſtè præſcribitur à Clemente VIII. nunquam licitum eſſe abſoluere abſentem in nullo caſu, etiamſi fingatur quicumque caſus extremæ neceſſitatis; id enim certiſſimum eſt; ergo ideò eſt, quia talis abſolutio omninò inualida eſt. Patet Conſequentia, quia ſi in aliquo caſu eſſet valida talis abſolutio, non potuiſſet prohibitione Pontificis reddi illicita in vniuerſum pro omni caſu: nam ſicut leges Eccleſiaſticæ non obligant cum grauiſſimo damno temporali, aut periculo vitæ corporalis; ita multò minùs obligare poſſent cum grauiſſimo detrimento ſpirituali & periculo damnationis æternæ. Vnde ſi aliquis tentatis omnibus viis in articulo mortis indigeret Confeſſore, & non poſſet habere Confeſſarium præſentem, non poſſet prohiberi quòd ei abſenti non

daretur abſolutio, ſi eiuſmodi abſolutio valida eſſet; atque adeò falſum eſſet quòd in nullo caſu liceret talis abſolutio. Igitur vt vera ſit Pontificis ſententia nunquam in aliquo caſu licitam eſſe talem abſolutionem manifeſte præſcribēs, fatēdum eſt abſolutionem abſenti datam in nullo prorſus caſu validam eſſe, & ideo in nullo prorſus caſu eſſe licitam, vt Pontifex docet. Vnde ob hanc rationem optimè dixit Suarez mentem Pontificis fuiſſe, inualiditatem prædictæ abſolutionis declarare, & contrarium in eodem gradu damnare, atque ideò oppoſitum non licere iam opinari. Vtrùm verò idem dicendum ſit de Confeſſione facta Sacerdoti abſenti, explicabitur infra *diſp. 23. ſect. 5.*

5 Dico *tertiò*, etiam ante decretum Clementis VIII. & ſemper ab inſtitutione Sacramenti Pœnitentiæ, verius fuiſſe, non potuiſſe validè conferri abſolutionem abſenti. Id fatentur Doctores *n. 2.* relati Probatur id præcipuè ex ipſamet inſtitutione: cuius miniſter debet vt exactus iudex ante abſolutionem examinare, & cognoſcere totum ſtatum conſcientiæ pœnitentis, quantum ipſe pœnitens humano modo poteſt illam manifeſtare; ergo neceſſe eſt quòd dum abſoluitur, ſit præſens; cùm enim iudicium ſit internum & voluntarium, in quo ſola perſona pœnitentis habet vicem accuſatoris, teſtis, & rei ſe aliquo modo defendentis, & oſtendentis diſpoſitionem ſuam; per ſe & ex natura rei poſtulat præſentiam iudicis, quia in abſentia non poteſt vllo modo huiuſmodi notitiam cauſæ comparare; quòd ſi pœnitens habeat denuò aliquod peccatum de nouo commiſſum, vel in memoriam reuocatum poſt Confeſſionem, nequit illud confiteri, dum Confeſſor abſens eſt. Et quamuis in aliquo caſu metaphyſico ceſſaret hoc inconueniens, ſi nimirùm pœnitens peractâ confeſſione amitteret vſum rationis; hic tamen caſus non potuit conuenienter excipi à regula generali; neque enim inſtitutio Sacramenti debet deſcendere ad caſus adeò particulares, & extraordinarios, ſed ad ordinarios & qui moraliter ſemper contingunt, reſpectu quorum neceſſaria eſt præſentia abſoluentis ad valorem abſolutionis. Addo huic rationi non eſſe vſum Eccleſiæ abſoluendi abſentem. Nam quod vſu vel adminiſtratione alicuius Sacramenti Eccleſia non facit, neque aliquando feciſſe legimus, ſignum eſt fieri non poſſe ſecundùm eius inſtitutionem; quia ferè omnia quæ ad Sacramenta ſpectant, licet in Scriptura fundata ſint, præcipuè firmantur, & declarantur vſu, & traditione Eccleſiæ; at eiuſmodi eſt res de qua eſt ſermo; nullo enim exemplo conſtare poteſt, Sacerdotem aliquando Sacramentaliter abſoluiſſe pœnitentem abſentem, ſed vſum Eccleſiæ ſemper fuiſſe & traditionem, abſolutionem cōferri pœnitenti præſenti: in ritu autem Sacramentorum neceſſario, debemus omninò ſtare vſui Eccleſiæ, tanquā firmiſſimæ regulæ & interpreti inſtitutionis Chriſti. Vnde optima ratio cur abſolutio data abſenti inualida ſit, eſt inſtitutio Chriſti nobis manifeſtata, traditione, vſu, & praxi totius Eccleſiæ: nunc verò manet magis corroborata, prædicta declaratione pontificia Clementis VIII. Quem ad id vt certum definiendum impulit communis Eccleſiæ ſenſus, & praxis vniuerſalis ipſius, quæ nunquam vſa eſt abſolutione in abſentia, ſed tantùm in præſentia; atque ideò oppoſitam doctrinam dānauit; cui quoque perpetuo vſui Eccleſiæ Paulus V. innixus, damnationem à Clemente VIII. factam approbauit.

6 Firmatur hoc idem exemplo aliorum Sacramentorum (vnico excepto Matrimonio, de quo eſt ſpecialis ratio, vt dicemus) quæ omnia confici debent ex vi ſuæ inſtitutionis in præſentia ſubiecti cui conferuntur, iuxta vſum Eccleſiæ; omnia etiam illa Sacramenta, excepto ſēper Matrimonio, ſūt cæremoniæ ſacræ ad hoc inſtituta, vt iis homines conſecrentur Deo, & benedicantur; vnde in omnibus illis verba & actiones ſonare videntur benedictionem, vt cùm dicitur: *Ego te baptizo in nomine Patris &c. Signo te ſigno crucis, & confirmo te &c. Per iſtam Sanctam vnctionem indulgeat tibi Deus &c. Accipe Spiritum Sanctum; accipe poteſtatem offerendi Sacrificium &c.* ac in Euchariſtia quoque materia ipſa maximè, & ſolemniter conſecratur, ſuſcipiens verò conſecratur poſtea per contactum, & ſumptionem ſacratiſſimi Corporis Chriſti: conſecratio autem, aut benedictiō nunquam fit niſi in præſentia rei quæ conſecratur & benedicitur Igitur cùm in Sacramento Pœnitentię peccator Sacerdotis miniſterio quaſi benedicatur dum abſoluitur, vt qui per peccatum pollutus fuerat, per reconciliationem, & abſolutionem Sacerdotalem, quaſi reipſâ benedicatur, & iterùm ſāctificetur; Vnde hoc Sacramētū olim nō conferebatur ſine manus impoſitione Sacerdotis ſuper caput pœnitentis, quę manus impoſitio actio eſt benedicētis, & cōſecrātis; ideò etiā oportet, ac neceſſarium eſt pœnitentem nonniſi præſentem abſolui. Denique idem roboratur, quia de ratione formæ abſolutionis eſt, vt proferatur voce humana, & ordinetur ad perſonam pręſentem; id enim proprium locutionis eſt, & ſuadet etiam pronomen *Te*, quod eſt demonſtratiuum, & voce prolatum, non poteſt dirigi ad perſonam abſentem. Sicut ergo in forma conſecrationis ex pronomine, *Hoc*, quod demonſtratiuum eſt, rectè infertur non poſſe conſecrari materiam abſentem; ita efficaciter probatur ex pro nomine. *Te*, quod in forma abſolutionis proferendum eſt voce, non poſſe validè abſolui perſonam abſentem. Nec obſtat quòd loco pronominis, *Te*, poſſit poni nomen perſonæ, vt, *Abſoluo Petrum*; nam licèt hoc verum ſit, quia pronomen, *Te*, materialiter ſumptum nō eſt de eſſentia formæ, tamen nomen quod loco ipſius ſubſtituitur, debet ſaltem ex circumſtantiis, & ex intentione proferentis, & ex modo quo profertur, idem hîc & nunc ſignificare, quod ſignificat pronomen, *Te*, alioqui eſſentialiter mutaretur forma: atque adeò nec conſtitueret Sacramentum. Vnde ſicut pronomen, *Te*, indicat præſentiam pœnitentis; ita nomen loco eius ſubſtitutum debet illam ſignificare ſaltem ex circumſtantiis, vt ſignificaretur per illam formam, *Abſoluo Petrum*, ſuppoſitâ confeſſione Petri præſentis coram me factâ, & intentione mea.

7 Ex dictis manifeſtè Colligitur, abſolutionem à Confeſſario abſente collatam, ſiue verbo, ſiue ſcripto, ſiue quouis alio modo, in quocumque caſu etiam extremæ neceſſitatis ſpiritualis, eſſe omninò nullam. Similiter colligo Confeſſarium non poſſe abſoluere per aliam interpoſitam perſonam, nempe per alium Sacerdotem, committendo illi vices ſuas, quia abſolutio ſacramentalis cùm ſit actio quæ fit à miniſtro conſecrato & ſpecialiter deputato ad illam præſtandam, eſt actio merè perſonalis, & non delegabilis; ſicut nec poteſt Sacerdos conſecrare per alium, ob eandem rationem. Vnde ille alius Sacerdos cui committeret abſolutionem, ſi non audiat Confeſſionem, non poteſt abſoluere: non enim poteſt proferre verba abſolutionis etiam in præſentia pœnitentis, tanquam referens ſententiam ab alio datam, ſed tanquam iudicans; non poteſt autem iudicare inauditâ causâ: poſſet tamen ille Sacerdos abſoluere per ſe audita confeſſione.

8 Ad argumenta adducta *initio ſectionis, numero primo*. Ad primum negatur Conſequentia ob latum diſcrimen inter hoc iudicium Sacramentale, & illud aliud iudicium forenſe; in hoc enim ſententiam ferri in abſentem, eſt iure humano ſancitum; in ſententia verò abſolutionis Sacramentalis Chriſtus oppoſitum inſtituit, vt Eccleſia ſuo perpetuo vſu ac praxi vniuerſali declarauit. Vnde Sacramentum Pœnitentiæ non eſt

Digitized by Google

quoad omnia inſtitutum inſtar iudicij humani, vt eſt omnibus notum.

Et ratio huius diſparitatis ſumitur ex varietate iudicij ac ſententiæ; nam ad valorem ſententiæ Sacramentalis, vt pote dependentis à diſpoſitione pœnitentis, requiritur eſſentialiter, vt cùm iudex abſoluit, cognoſcat per ſeipſum, ipſum reum tunc eſſe rectè diſpoſitum, & ſic non exiſtentem cum affectu ad peccatum mortale; quod nequit cognoſcere, niſi ipſe reus ſit actu præſens: nam immediate poſt præſentiam poteſt mortaliter peccare pro humana fragilitate: at in cæteris iudiciis forenſibus id non requiritur eſſentialiter, neque ad id attenditur, ſed ad ſolam prolationem innocentiæ, aut culpæ tranſactæ, & ideò non requiritur per ſe in eis ipſa præſentia rei.

Ad ſecundum, negatur, Sacerdotem aliquando Sacramentaliter abſoluiſſe pœnitentem abſentem. Nam de S. Thoma Cantuarienſi, conſtat non miſiſſe ad Curiã Romanam, ſeu ad Pontificem Romanum pro abſolutione Sacramentali, ſed pro abſolutione ſuſpenſionis, ipſe enim ſe ſuſpendidit a Miſſa celebranda, propter quandam conniuentiam, quâ bona fide, & ex bono fine Regi promiſerat conſenſurum in re, ex qua periculum poterat imminere Eccleſiaſticæ libertati; poſtea verò abſolutione ſummi Pontificis habita ad cautelam, celebrauit abſque ſcrupulo. Cyprianus quoque tantùm vult, ab ipſo fuiſſe petitam publicam aliquã pœnitentiam pro reconciliatione cum Eccleſia, quam vocat Pacem, non pro reconciliatione Sacramentali. Nec denique in illo capite ſermo eſt de abſolutione danda in abſentia, ſed de ſcriptura ſeu teſtimonio dando, vt certius conſtàret de reſipiſcentia illius, & ſatisfieret ſcandalo fidelium.

9 Ad tertium, dico nihil probare Matrimonij exemplum, nec licere arguere à Matrimonio, quia aliàs inde fieret poſſe abſolutionem Sacramentalem dari abſque verbis, per ſcripturam, aut per procuratorem, vel nuncium, vel etiam nutibus, quia his omnibus modis fieri poteſt Matrimonium. Cùm enim Matrimonium ſit contractus humanus, eum Chriſtus reliquit in eodem prorſus ſtatu, nec immutauit eius materiam, quando illum ad rationem Sacramenti eleuauit; at Sacramentum Pœnitentiæ, ſicut & cætera Sacramenta Chriſtus de nouo inſtituit quoad ritus peculiares, qui eſſent materia, & forma. Vnde id ſpeciale eſt in Sacramento Matrimonij, vt in illo nullum ritum Chriſtus inſtituerit; ſolùm enim ipſam actionem profani contractus, qualis in ſe erat, eleuauit ad rationem Sacramenti in hominibus baptizatis; vnde hoc ſolum Sacramentum fit per verba, quæ ex ſe videntur profana, & nullam benedictionem ſonant, aut conſecrationem.

Ad vltimum negatur Antecedens, vt conſtabit latè ex dicendis infrà *diſput.* 23. Cæterùm adhuc dato Antecedente, Conſequentia neganda eſt: & ratio diſparitatis eſt, quia Confeſſio ſe tenet ex parte materiæ, quæ non habet tam perfectam ſignificationem Sacramentalem, nec tantam determinationem; ſolùm enim ex inſtitutione Chriſti facienda eſt Confeſſio provt moraliter potuerit fieri: at abſolutio cùm habeat rationem formæ, habet expreſſiorem ſignificationem, & eſt magis determinata, & ideò mirandum non eſt, quòd poſtulet potiori iure eſſentialem præſentiam abſoluentis, & abſoluendi, propter rationes dictas.

DISPVTATIO XIX.

De Contritione, ſeu dolore neceſſario de peccatis mortalibus, ad ſuſceptionem Sacramenti Pœnitentiæ.

EGIMVS iam de forma Sacramenti Pœnitentiæ, ſequitur vt agamus modò de eius materia proxima. Hæc autem, vt conſtat ex integra diſputatione ſecunda, tres continet partes, videlicet Contritionem, Confeſſionem, & Satisfactionem, de quibus in ſequentibus eſt ſuo ordine dicendum. Inter eiuſmodi verò materiales partes, primum obtinet locum dolor, ſiue contritio, de qua plura dicta ſunt in ſuperioribus, quæ non ſunt repetenda, ſed ſupponenda; ac ſolùm illa inueſtiganda quæ neceſſaria ſunt, vt plenè intelligamus quis dolor ſit requiſitus ad ſuſceptionem huius Sacramenti. Nomen verò Contritionis, vel doloris ſumitur hîc, provt abſtrahit à Contritione perfecta, & imperfecta, quæ vocatur Attritio; conſtat enim quamlibet ex illis ſufficientem eſſe ad valorem, & ad effectum Sacramenti.

SECTIO PRIMA.

Vtrùm Contritio ſeu dolor, ſit pars eſſentialis Sacramenti Pœnitentiæ diſtincta à Confeſſione?

CErtum eſt *primò*, requiri ad hoc Sacramentum dolorem, ſeu deteſtationem peccatorum formalem, & non ſufficere virtualem. Patet: Tum quia, vt ſtatim dicam, eſt pars intrinſeca & eſſentialis Sacramenti huius; ergo debet eſſe dolor formalis. Quare ſicut ad materiam proximam Baptiſmi non ſufficit virtualis ablutio aquæ naturalis, ſed omninò requiritur ablutio formalis & realis; ita in præſenti. Tum etiam quia memor ſuorum peccatorum, qualis eſt neceſſariò is qui vult confiteri, non poteſt habere pœnitentiam virtualem, quin ſaltem ſimul habeat formalem. Adde Concilia, maximè Tridentinum *ſeſſ. 6. c. 7. &* 14. requirere ad remiſſionem peccati proprium dolorem pœnitentis, etiam cum Sacramento. Et *ſeſſ.* 14. *cap.* 4. concludit, Eccleſiam nunquam docuiſſe, aut ſenſiſſe Sacramentum hoc dare gratiam ſine proprio motu pœnitentis: dolor autem virtualis non eſt abſolutè & propriè dolor, ſed impropriiſſimè; at locutio impropria, ſeu metaphorica non eſt attribuenda Conciliis, cùm doctrinaliter loquuntur; alioquin nihil certum ac firmum haberemus: poſſet enim quis dicere, ſufficere ad hoc Sacramentum Confeſſionem & abſolutionem virtualem, ad Euchariſtiam virtuale vinum, & id genus alia abſurdiſſima. 1

Certum eſt *ſecundò*, prædictam Contritionem, vel dolorem eſſe diſpoſitionem eſſentialiter requiſitam ad effectum huius Sacramenti: Vt conſtat ex dictis ſuprà *tractu præcedenti*. 2

Certum eſt *tertiò*, prædictam Contritionem, ſeu dolorem eſſe partem eſſentialem Sacramenti Pœnitentiæ. 3

Id

Id oſtendi *ſuprà*. Et ampliùs firmo ex ipſa natura Sacramenti, quod reconciliatiuum eſt, ſeu per quod homines à Deo per peccatum auerſi ipſi reconciliantur: nam reconciliatio vt talis eſt, neceſſariò includit reductionem duarum voluntatum, vt quæ priùs in diſcordiam abierant, iam poſtea in concordiam redeant: cùm igitur per hoc Sacramentum reconcilietur Deus cum homine, oportet quòd Deus relinquat auerſionem, quâ ab homine auerſus erat; & homo etiam relinquat auerſionem, quâ à Deo ſe per peccatum auerterat, quod fit per Contritionem, aut Attritionem, quæ eſt retractatio prioris voluntatis peccaminoſæ, & conuerſio voluntatis ad Deum, à quo voluntariè diſceſſerat. Quare ſicut in Baptiſmo apponitur pro materia aqua, & ablutio, ſic in hoc Sacramento aſſertur pro materia reconciliatio ex parte hominis, & Confeſſio, vt adueniente reconciliatione ex parte Dei, quæ ponitur per abſolutionem, fiat reconciliatio completa, & integrum Sacramentum.

Et certè cùm hoc Sacramentum inſtitutum ſit per modum iudicij, requirit accuſationem; accuſatio autem non eſt nuda narratio peccatorum; aliud enim eſt narrare, aliud accuſare: debet ergo eſſe doloroſa, & ex dolore & ex odio delicti profecta, alioquin eſſet mera hiſtorica narratio; ergo requiritur dolor ex parte materiæ tanquam id per quod conſtituitur accuſatio in ratione accuſationis, ergo dolor eſt pars Sacramenti. Vnde colligo manifeſtum diſcrimen inter dolorem, & ſatisfactionem, nam ſatisfactio ſolùm eſt neceſſaria ad quandam perfectionem huius Sacramenti, quæ eſt punitio, ſeu compenſatio delicti quoad reatum pœnæ tẽporalis; & ideò ſolùm eſt pars integralis Sacramenti: dolor verò requiritur ad ſubſtantiam ipſius Sacramenti, & ad primarium finem eius, qui eſt abſolutio à culpa, & ideò eſt pars eſſentialis Sacramenti.

Vnde non ſolùm eſt diſpoſitio eſſentialiter requiſita ad effectum Sacramenti ſicut in Baptiſmo, ſed etiam pars Sacramenti.

4 His poſitis, ſolùm ſupereſt difficultas, an Contritio faciat numerum in ratione partis cum Confeſſione; ita vt ſint duæ partes diſtinctæ in hoc Sacramento. Nam cùm Sacramentum ſit ſignum ſenſibile, & Contritio ex ſe non ſit ſenſibilis, ſolùmque fiat ſenſibilis per Confeſſionem, non videtur facere numerum in ratione partis cum Confeſſione, quia ſolùm eſt pars vt eſt ſenſibilis, ſed non eſt ſenſibilis prout condiſtinguitur ab ipſa Confeſſione, ſed prout fit ſenſibilis à Confeſſione; ergo Contritio non eſt pars Sacramenti prout condiſtinguitur à Contritione, & per conſequens Contritio & Confeſſio non erunt duæ partes diſtinctæ in hoc Sacramento: ex quo etiam ſequi videtur, Contritionem eſſe partem huius Sacramenti non per ſe, ſed ſolùm per accidens: nam eo modo eſt pars, quo eſt ſenſibilis, ſed non eſt ſenſibilis per ſe, ſed per aliud; ergo non eſt pars per ſe, ſed per aliud, ac per accidens.

5 Hanc difficultatẽ diſſoluit Cardinalis Lugo *diſp.* 14. *ſect.* 1. *num.* 9. & 10. dicens, quòd licet id, per quod conſtituitur Contritio in ratione partis actualis, ſit ſenſibilitas Confeſſionis, ipſam tamen Contritionem, quæ ſecundum ſuam entitatem recipit denominationem partis, diſtingui à Confeſſione: ſicut in compoſito humano materia & forma habent eſſe partes actuales ab vnica & eadem vnione, & tamen ſunt duæ partes condiſtinctæ inter ſe. In compoſito quoque accidentali ex ſubiecto, & vbicatione modali, ſubiectum habet eſſe partem actualem illius compoſiti, & eſſe vbicatum ab ipſa vbicatione per quam formaliter vnitur ipſi, & per quam vbicatur; & tamen ſunt duæ partes condiſtinctæ quia aliud eſt id quod eſt pars, & quod eſt vbicatum, aliud id per quod formaliter conſtituitur in ratione partis, & vbicati, ſicut etiam duæ cauſæ efficientes, cauſantes eundem effectum per eandem numero actionem, ſunt duæ cauſæ condiſtinctæ, licet cauſent per eandem cauſalitatem; ſic Contritio & Confeſſio ſunt duæ partes, ſunt duo ſenſibilia, licet conſtituatur vtraque in ratione ſenſibilis, & in ratione partis actualis per eandem ſenſibilitatem Confeſſionis. Ex quo infert, Contritionem eſſe quidem ſenſibilem per accidens, eſſe tamen partem per ſe Sacramenti. Hoc eſt, totam ſenſibilitatem Contritioni prouenire à Confeſſione, non tamen prouenire illi à Confeſſione illam entitatem, quæ formaliter & intrinſecè componit Sacramentum Pœnitentiæ; hæc enim eſt entitas intrinſeca ipſius Contritionis.

Placet doctrina propoſita. Quam ampliùs firmo, quia 6
Contritio fit ſenſibilis per Confeſſionem tanquam per ſuum effectum ſenſibilem: eſt enim Confeſſio Sacramentalis in ratione talis, effectus Contritionis, quia ratione doloris vel Contritionis, Confeſſio non eſt hiſtorica narratio, aut ſi fuit, deſinit talis eſſe, & fit vera Confeſſio & accuſatio, quæ non eſt vera, niſi habeat adiunctum dolorem, & interiorem Contritionem. Atque hoc ſufficit, vt Contritio poſſit eſſe pars diſtincta Sacramenti ſenſibilis. Præſertim quia videmus in toto phyſico materiali, & ſenſibili, id quod eſt omninò ſpirituale, & inſenſibile, poſſe eſſe partem eſſentialem diſtinctam illius, vt videre eſt in anima rationali, quæ quamuis ſit ſpiritualis, & inſẽſibilis, eſt pars eſſentialis diſtincta, & præcipua hominis, qui eſt materialis, & ſẽſibilis. Potiori ratione id concedendum eſt in Sacramẽto, tametſi materiale ſit ac ſenſibile, vt videre eſt in Sacramento Matrimonij, quod nihil ſenſibile habet, quo conſtituatur Sacramentum, niſi verbis, vel aliis ſignis per ſe ſenſibilibus contrahatur, & hoc non obſtante mutuus internus conſenſus liber & voluntarius eſt pars eſſentialis illius, quia in ipſo Matrimonij contractu, qui eleuatur ad rationem Sacramenti, eſt mutua corporum traditio; & quod eſt vnius, non traditur alteri abſque proprio & interno conſenſu libero: & huiuſmodi conſenſus fiunt ſenſibiles per expreſſionem eorum per aliquod verbum, vel ſignum externum; quæ expreſſio interni conſenſus ita pertinet intrinſecè ad contractus Matrimonij naturam, vt ſit pars eſſentialis ipſius, vt latè probaui *in tractatu de Matrimonio, diſp.* 14. *ſect.* 4. Vt enim aliquod totum ſit, & dicatur abſolutè ſẽſibile, ſufficit quòd aliqua illius pars ſentiatur, nec propterea altera pars quæ non ſentitur, deſinit eſſe pars, vt patet in pariete, qui abſolutè eſt & dicitur ſenſibilis, quamuis ſola accidentia ſentiantur, quoniam ſubſtantia ipſa non ſentitur. Et in communiſſima ſententia Corpus Chriſti eſt pars intrinſeca Sacramenti Euchariſtiæ, contradiſtincta ab ſpeciebus conſecratis, & tamen ſolùm eſt ſenſibile ratione ſpecierum, ſub quibus continetur.

SECTIO II.

Vtrùm ad valorem Sacramenti requiratur quòd dolor antecedat Confeſſionem tempore, vel naturâ?

NOſter Ægidius Coninck *diſp.* 4. *dubio*, 6. quem nonnulli Recentiores ſequuntur, exiſtimat primum dolorem ad hoc Sacramentum requiſitum debere neceſſariò 1

neceſſariò naturâ præcedere ipſam Confeſſionem. Probat id *primò*, quia Confeſſio debet eſſe ſignum illius doloris: atqui non poteſt eſſe ſignum niſi ex eo procedat; ergo debet neceſſariò dolor ſaltem naturâ præcedere ipſam Confeſſionem. Maior oſtenditur, quia vt Confeſſio ſit pars Sacramenti non ſufficit, vt habeat qualemcumque rationem accuſationis ſui ipſius, ſed neceſſe eſt vt ſit accuſatio tendens ad reconciliationem: atqui nulla eſt talis, niſi per eam ſignificetur reum ſui peccati ita pœnitere, ac dolere prout requiritur, vt poſſit ei peccatum per Sacramentum remitti; ergo vt Confeſſio poſſit eſſe pars Sacramenti, debet ſignificare, reo ineſſe eiuſmodi dolorem, qui ſufficiat ad remiſſionem peccati in Sacramento percipiendam, & conſequenter ne ſit falſum ſignum, debet pœnitenti talis dolor ineſſe. Minor patet, quia actus externi non ſunt vera ſigna internæ voluntatis, niſi ab ea procedant. Quod maximè verum eſt in iis actibus, qui non ſignificant formaliter internum dolorem, ſed tantùm quatenus ſunt eius effectus, vt fit in præſenti caſu: nam qui narrat ſe aliquod peccatum feciſſe, non dicit formaliter ſe de eo dolere, ſed hoc ſolùm implicitè ſignificat, quatenus hîc & nunc tali modo hoc confitetur, vt ea Confeſſio ex interno dolore procedere cenſeatur.

Secundò, ſi Confeſſio externa non deberet procedere ex dolore, poſſet quis abſque illo peccatorum dolore, eiúſve ſignificatione, narrare per modum hiſtoriæ ſua peccata, & poſtea interiùs atteri, & ſic abſolui, etiamſi internus dolor nullo ſigno externo proderetur. Quòd ſi ipſa Confeſſio debeat ſignificare internum dolorem peccatorum, cùm non ſignificet futurum, ſed præſentem, hic neceſſariò debet adeſſe ſaltem virtualiter, dum ipſa Confeſſio fit; aliàs hæc eſſet ſignum falſum.

Tertiò, accuſatio vera debet eſſe profecta ex odio delicti: ergo ſi Confeſſio non oritur ex dolore, non fuit accuſatio.

2 Præterea addit idem Coninck, dolorem iſtum non ſolùm natura, ſed etiam tẽpore debere præcedere ipſam Confeſſionem. Probat, quia ille dolor debet ſaltem naturâ præcedere voluntatem confitendi: quia debet eſſe cauſa Confeſſionis, quod fieri nequit, niſi ſit cauſa voluntatis confitendi; hanc autem non poteſt cauſare niſi ſit ea prior. Voluntas autem confitendi, cùm ſit tota in inſtanti, neceſſariò eſt prior tempore ipſa Confeſſione, quæ fit in tempore, & neceſſariò præſupponit motum linguæ, qui non poteſt fieri niſi in tempore.

Contraria ſententia communiſſima eſt, ac veriſſima, quam ſequuntur Nauarrus, Suarez, Henriquez, Petrus de Ochagauia, Bonacina, Vaſquez, Fagundez, & alij quos refert, & ſequitur Cardinalis Lugo *diſp.* 14. *ſect.* 2. Iuxta quam aſſerendum eſt, non requiri, quòd dolor peccatorum antecedat tempore, neque etiam natura, vel cauſalitate Confeſſionem.

Probatur id *primò*, ex praxi Fidelium. Hi enim cùm peccata abſque dolore confeſſi ſunt, poſtea exhortatione Confeſſoris moti ad dolorem habendum de peccatis confeſſis excitantur, exiſtimantes ſufficienter ſatisfacere, ſi doleant ante abſolutionem; & ad hunc finem ſolent tunc eos Confeſſarij hortari, vt ſcilicet per dolorem ſe diſponant ad abſolutionem ſuſcipiendam; nec curant de dolore antecedente Confeſſionem; neque eos obligant poſt dolorem conceptum ad aperiendam Confeſſionem, quæ abſque dolore præuio facta eſt. Reſpondet Coninck eo caſu Confeſſionem breuiſſimè repeti dum pœnitens dicit ſe [illegible] de peccatis narratis, & cupere ab his abſolui. *Sed contrà* eſt, quia hoc ipſum eſt contra praxim: nam quamuis id ita aliquando nonnullis contingat, non tamen omnibus; imò ſæpiùs non repetunt pœnitentes ea verba: Cupio ab his abſolui; nec Confeſſarij tali vſi ſunt, vt pœnitentes id dicant. Præterea ſæpe pœnitens nulla verba proferens, dolet de peccatis, dum Sacerdos illum alloquitur, nec ipſe curat ſuum nouum dolorem Confeſſario manifeſtare, nec Confeſſarius extorquere ab illo, an habuerit, vel non, dolorem ante Confeſſionem, ſed ſolùm an illum habuerit antequam abſoluatur; nec ideò vllus in dubium reuocat valorem illius Sacramenti. Id clariùs apparet in his, qui Confeſſionem generalem faciunt, qui ſolent per biduum, vel triduum reſeruare actum doloris faciendum vltima die, quando abſoluendi ſunt, quin peccata priùs confeſſa repetant poſt conceptum dolorem, neque ad id à Confeſſariis obligentur. Quæ omnia iuxta contrariam ſententiam damnanda eſſent, vtpote contra Sacramenti valorem; quod certè duriſſimum eſſet.

Cæterùm à priori probatur Concluſio, quia dolor etiam poſt Confeſſionem habitus poteſt eſſe materia ſufficiens Sacramenti Pœnitentiæ; ergo non oportet quòd dolor neceſſariò præcedat Confeſſionem tanquam cauſa Confeſsionis. Antecedens probatur, quia 4 dolor poteſt reddi ſenſibilis & ſignificari per Confeſſionem præcedentem: ergo poteſt eſſe materia ſufficiens Sacramenti. Antecedens patet, quia Confeſsio & accuſatio præcedens eſt in ordine ad abſolutionem, vt ſupponitur; ergo ſignificat deſiderium obtinendi veniam efficaciter per Sacramentum: ergo per illam Confeſsionem pœnitens vult ponere omnia requiſita ex parte ſua ad obtinendam veniam & remiſsionem in illo Sacramento; ſed vnum ex requiſitis & præcipuum, eſt dolor de peccatis; ergo ipſe pœnitens referendo ſua peccata in ordine ad abſolutionem oſtendit ſe vel doluiſſe, vel quòd dolebit de peccatis ante abſolutionem: ergo dolor poſtea elicitus fit ſenſibilis per Confeſsionem præcedentem, quæ illum vt futurum etiam ſignificabat.

Hinc facile ſoluuntur argumenta contraria. Ad primum admiſsâ Maiori, negatur Minor, quod ſcilicet non 5 poſsit dolor per Confeſsionem ſignificari, niſi vt cauſa per ſuum effectum; iam enim diximus ſignificari vt effectum illius voluntatis & deſiderij obtinendi veniam per Sacramentum, à qua oritur ipſa Confeſsio, & accuſatio; nam cùm Confeſsio procedat à voluntate ſuſcipiendi Sacramentum, & hæc voluntas inferat poſitionem doloris neceſſarij, conſequens eſt, vt Confeſſio ſignificet dolorem propter connexionem cum ipſo, tanquam cum effectu eiuſdem cauſæ, videlicet eiuſdem voluntatis ritè ſuſcipiendi Sacramentum.

Ad ſecundum, negatur ſequela: diximus enim Confeſsionem debere oriri ex voluntate ſuſcipiendi Sacramentum, & conſequenter ex firma intentione dolendi ante Abſolutionem; ab illa autem voluntate habet Confeſsio eſſe accuſationem, & non meram peccatorum narrationem, & conſequenter ab ea ſignificatur dolor vel habitus, vel habendus; nam eo ipſo quo narratio fieret per modum accuſationis, hoc eſt, deferendo illa peccata Sacerdoti ad obtinendam abſolutionem, iam eo ipſo ſignificaretur dolor, vel præſens, vel futurus, ſaltem in confuſo. Si verò narratio non oriretur ex illa voluntate, non eſſet in ordine ad abſolutionem nec per modum accuſationis, & conſequenter non ſufficeret dolor ſubſequens eo quòd deficeret vna pars Sacramenti, ſcilicet accuſatio, ſeu Confeſsio iudicialis peccatorum, quæ debet præcedere abſolutionem ſaltem prioritate naturæ, de quo *ſectione ſequenti*.

Ad tertium, dico accuſationem debere oriri ex aliquo odio delicti, & deſiderio correctionis, non tamen perfecto & abſoluto: voluntas autem ſeu deſiderium ritè ſuſcipiendi Sacramentum, eſt odium virtuale, quod ſufficit vt reddat Confeſſionem accuſationem; ac per conſequens

ſequens peccator quoties ſe accuſat, niſi omninò fictè confiteatur habet aliquod deſiderium.

Ad illud additum, manet reſponſum ex dictis, cùm conſtet falſum eſſe, voluntatem confitendi neceſſariò debere oriri ex dolore tanquam ex cauſa.

SECTIO III.

An dolor formalis debeat tempore præcedere abſolutionem vel ſatis ſit haberi ſimul in eodem inſtanti quo impenditur abſolutio?

1 CErtum eſt apud omnes prædictum dolorem ſi poſt impenſam abſolutionem & non antea exiſtat, non ſufficere ad valorem & fructum Sacramenti. Patet quia abſolutio exercetur per modum iudicij reconciliatiui, in quo pœnitens per ſententiam Sacerdotis abſoluitur a peccatis; at in iudicio reconciliatiuo ante Iudicis ſententiam requiritur cognitio cauſæ cum accuſatione rei; ergo in Sacramento Pœnitentiæ ante ſẽtentiam Sacerdotis, id eſt, ante abſolutionem, requiritur etiam cognitio cauſæ: ſed hoc habetur per confeſſionem, & accuſationem ipſiuſmet pœnitentis, qui eſt reus; ergo pœnitens antequam abſoluatur, confiteri debet peccata cum dolore, ratione cuius eius Confeſſio reddatur accuſatio abſoluta, & perfecta, & non maneat ſimplex narratio peccatorum; non ergo ſufficit quòd dolor ſubſequatur abſolutionem ad valorem & fructum Sacramenti. Quare ſicut Confeſſio peccatorum poſt abſolutionem non conducit ad Sacramentum, ita nec dolor; hic enim ſimul cum Confeſſione, ſeu accuſatione conſtituit materiam proximam ſimpliciter neceſſariam, ſuper quam cadat forma abſolutionis. Difficultas eſt an ſufficiat, vt dolor habeatur in eodem inſtanti, in quo impẽditur abſolutio, an potiùs eam debeat tempore præcedere.

2 Communis Doctorum ſententia ſupponere videtur, dolorem debere antecedere tempore abſolutionẽ. Quod probari poteſt. *Primò*, quia Confeſſio in ratione accuſationis præcedere debet abſolutionem, quæ per modum ſententiæ iudicialis exercetur; ſed Confeſſio habet rationem accuſationis à dolore: ergo hic etiam præcedere debet abſolutionem.

Secundò, Confeſſio præcedere debet tempore abſolutionem; ergo & dolor: patet Conſequentia; quia ideò Cõfeſſio debet antecedere abſolutionẽ, quia hæc impẽditur per modũ ſententiæ iudicialis; & ſẽtẽtia iudicialis nequit ferri abſque cauſæ cognitione, quæ habetur per Cõfeſſionẽ & accuſationẽ rei; atqui ad ſententiã iudicialem, quando datur per modum iudicij reconciliatiui abſoluentis reum à culpa, neceſſariò præquiritur etiam notitia alicuius dignitatis, ſeu congruitatis ſe tenentis ex parte rei, quæ ſine dolore nulla eſſe poteſt; ergo præcedere etiam debet notitia doloris, & conſequenter dolor ipſe.

Tertiò, omnis diſpoſitio neceſſaria ad formam, ipſam antecedat neceſſe eſt; atqui dolor formalis eſt diſpoſitio neceſſaria ad formam abſolutionis: ergo illam antecedere debet.

3 Contrariam ſententiam tenent Granado *tract. 3. diſ. 3. n. 7.* Mæratius *diſp. 1. ſect. 2. in fine*, quos ſequuntur multi Recentiores, dicentes dolorem habitum in vltimo inſtanti, in quo perficitur abſolutio, ſeu complentur abſolutionis verba, ſufficere quoque ad valorem & fructum Sacramenti Pœnitentię. Verba Granado hęc ſunt loco citato: *Si habeatur dolor poſt explicata peccata, ante abſolutionem, aut in ipſo abſolutionis inſtanti, ſufficiens eſt, quia tunc cadit abſolutio ſupra materiam ſufficienter diſpoſitam, nempe ſupra peccata cum dolore confeſſa.* Mæratius quoque ſic ait: *Dolor confeſſionẽ ſubſequi debebit, ſi eam non præceſſerit, nec comitatus fuerit. Satis quidem eſſet abſolutè, ſi ſimul, eodẽque tempore eliceretur, quo abſolutionis ſententia profertur; eam enim adhuc præcedere naturæ ordine inſtar diſpoſitionis ad eius & validitatem, & effectum prævia facilè intelligi poſſet.* Hęc Mæratius.

Hæc opinio probari poteſt. Tum quia iam tunc cadit abſolutio ſupra peccata cum dolore confeſſa: quamuis enim prius dicantur peccata, ſi ſequatur dolor antequam finita ſit abſolutio, quaſi retrotrahitur Confeſſio, & accuſatio peccatorum, vt ſupra illam cadat dolor: igitur ea abſolutio valida eſt, & cum fructu. Tum etiam quia ſeria narratio peccatorum cum debita intentione ſuſcipiendi abſolutionem, & eſt vera accuſatio, & ſignificat dolorem tunc exiſtentem, aut extiturum, antequam finiatur abſolutio.

Sentio probabilem eſſe hanc vltimam ſententiam. 4 Tum quia ſufficienti Doctorum auctoritate fulcitur, cùm præter Granadum, & Mæratium ſint alij recentes docti qui in Manuſcriptis eam doceãt. Tum etiam quia fauet illi praxis Confeſſariorum: ſolent enim Confeſſarij docti & prudentes; poſt impoſitam pœnitentiam, mouere pœnitentes vt eliciant actum Contritionis, dũ ipſis confertur abſolutionis forma; quod ita fieri hortantur, vt ſi fortè pœnitens non habuerit dolorem, habeãt illum antequã finita ſit abſolutio; ergo quia exiſtimant illum dolorem tunc haberi, ſatis eſſe ad valorem, & fructum Sacramenti. Tum denique quia ſufficienti, & optimo nititur fundamento: Nam idem quod probat in communiori ſententia, quam ſecuti ſumus *præcedenti ſectione*, non opus eſſe dolorem antecedere Cõfeſſionem, probat etiam non opus eſſe quod tempore antecedat abſolutionem. Patet, quia neq; opus eſt vt dolor ſit ſenſibilis per Confeſſionẽ, cùm hæc ſufficienter ſignificet dolorẽ, eo ipſo quòd proficiſcatur ex volũtate rite ſuſcipiendi Sacramentum, vt probatum eſt *ſectione præcedenti.* Nec deinde requiritur vt Confeſſio ſit vera accuſatio, quia id habet ab eadem voluntate ritè ſuſcipiendi Sacramentum, à qua oritur, & quæ eſt quidam dolor virtualis. Nec præterea præquiritur ante abſolutionem, quia hæc impenditur per modum ſententiæ iudicialis, quam anteire debent cognitio cauſæ, & accuſatio rei: nam eo ipſo quòd præcedat Confeſſio perfecta ex voluntate illa rite ſuſcipiendi Sacramentum, & abſolutionem, pręcedit etiam notitia cauſæ habita per Confeſſionem, & accuſationem ipſius rei; ergo ad nihil præquiritur antecedentia doloris formalis reſpectu abſolutionis. Neque etiam præquiritur dolor, vt ipſi Confeſſario tanquam iudicij innoteſcat, antequam ſententiam proferat: quia vt *ſuperius* diximus, & docent ferè omnes oppoſitæ ſententiæ Doctores, dolor ſufficienter innoteſcit Confeſſario per præcedentem Confeſſionem, quæ dolorem ſignificat, vel habitum, vel habendum, antequã finiatur abſolutio hoc ipſo quòd oriatur ex voluntate ritè ſuſcipiendi abſolutionem, & non ſit mera narratio hiſtorica: ergo ſicut dolor ſubſequẽs Cõfeſſionẽ, & antecedẽs abſolutionẽ, ſufficienter manifeſtatur Cõfeſſario per Cõfeſſionẽ, antecedentẽ; ita & dolor habitus in ipſo inſtãti abſolutionis. Tandem nec præquiritur dolor ante abſolutionem, quia dolor eſt diſpoſitio ad abſolutionẽ, & diſpoſitio pręcedere debet. Quia certũ eſt apud omnes ferè Doctores, ad rationem diſpoſitionis, nõ eſſe neceſſariam

præce-

præcedentiam temporis, ſed ſufficere præcedentiam naturæ. Vltima enim diſpoſitio ad formam non præcedit ipſam tempore,ſed naturâ; nam in codẽ inſtanti reali, in quo exiſtit vltima diſpoſitio, exiſtit etiam forma. Gratia enim ſanctificans exiſtit in ſubiecto in eodem inſtanti in quo exiſtit perfecta Contritio ad eam diſponens; ſufficit ergo præcedentia naturæ. Hæc autem, vt notauit Mæratius *ſuprà*, poteſt conuenire dolori, reſpectu abſolutionis, etiamſi tempore illi non præexiſtat, ſed ſit ſimul in eodem inſtanti vltimo, in quo completur forma abſolutionis. Deinde, quia exiſtente in eo inſtanti dolore, verum eſt dicere, impendi abſolutionem pœnitenti diſpoſito; ſiquidem pro eodem inſtanti, quo eſt verum dicere impendi complete abſolutionem, eſt etiam verum dicere, pœnitentem eſſe diſpoſitum. Concluditur ergo non requiri dolorem tempore præexiſtere ante abſolutionem, ſed ſufficere quòd naturâ præexiſtat. Solùm aduertit benè Mæratius *loco citato*, non expedire, quòd pœnitens conſultò expectet tempus abſolutionis ad eliciendum dolorem: nam ſe conijceret in periculum, ſaltem plerumque, ne prius eſſet illa prolata ſententia, quam dolor elicitus, & ſic faceret irritum Sacramentum; quia dolor poſt ſententiam abſolutionis non prodeſt ad validitatem, neque ad fructum Sacramenti vt conſtat. Quare tutius eſt, ac magis expediens ſequi in praxi communiorem ſententiam quæ aſſeuerat dolorem debere tempore præcedere abſolutionem.

5 Nihilominùs ad argumenta propoſita contra hanc aliam minus communem ſententiam reſpondeamus. Ad primum conceſſa Maiori, negatur Minor, nam Confeſſio habet quòd ſit vera accuſatio, non à dolore, ſed à voluntate ritè ſuſcipiendi Sacramentum, à qua oritur, vt dictum eſt. Ad ſecundum, ſimiliter Antecedens conceditur, & Conſequentia negatur: Ad eius probationem reſpondeo, verum eſſe in iudicio reconciliatiuo, quale eſt Sacramentum Pœnitentiæ, non ſolùm prærequiri ad ferendam ſententiam abſolutionis cognitionem cauſæ, hoc eſt, peccatorum, & ſtatus pœnitentis, ſed etiam dignitatis, ſeu congruitatis ex parte illius, vt abſoluatur à peccatis: cæterùm dico hanc notitiam haberi per Confeſſionem & accuſationem ipſiuſmet pœnitentis, à qua ſignificatur dolor, vel habitus, vel habendus, antequam finita iam ſit abſolutionis forma: non enim requiritur quòd Confeſſio determinatè ſignificet dolorem habitum ante ipſam, neque determinatè ſimul cùm ipſa exiſtentem, ſed diſiunctiuè ſignificet dolorem, vel vt præteritum, vel vt præſentem, vel vt futurum: ſi ergo poteſt illum ſignificare vt futurum, non eſt, cur potiùs illum ſignificare debeat vt futurum, tempore prius ante abſolutionem, quàm vt futurum naturâ prius, antequam finita ſit abſolutio; cùm quouis ex his modis poſſit eſſe ſufficiens diſpoſitio ad formam abſolutionis.

Ad tertium, iam conſtat ad rationem diſpoſitionis præcipuè vltimæ, ſufficere præcedentiam naturæ, & non requiri præcedentiam temporis.

SECTIO IV.

An in caſu quo pœnitens confitetur peccata oblita poſt acceptam abſolutionem, requiratur nouus dolor; an verò ſufficiat idem dolor?

1 CErtum eſt *primò*, ex vſu & traditione Eccleſiæ, Sacramentum Pœnitentiæ poſt ſemel receptum poſſe iterari. In quo differt à Baptiſmo, qui non repetitur, quia inſtitutus eſt propter originale peccatum, quod non iteratur; eſtque regeneratio quæ ſemel tantùm fit, ac imprimit characterem indelebilem, qui reddit ſubiectum incapax ſimilis Sacramenti: at Pœnitentiæ Sacramentum eſt propter peccata actualia, quæ ſæpiùs committuntur; eſtque medicina & ſanatio, quæ ſæpè eſt neceſſaria, nec imprimit characterem, neque aliquid ſimile.

Certum eſt *ſecundò*, ad ſingula Sacramenta, requiri eſſentialiter ſingulas Confeſſiones, & Contritiones, ſeu dolores, quia illæ ſunt partes eſſentiales, ex quibus conſtat Sacramentum Pœnitentiæ. Solum poteſt eſſe difficultas, an in aliquibus caſibus iteratâ ſolâ Confeſſione abſque nouo dolore poſſit dari noua abſolutio & nouum Sacramentum. In præſenti ſectione examinandus eſt caſus propoſitus, qui in praxi contingere poteſt, an ſi quis in Confeſſione ſuorum peccatorum oblitus eſt vnius peccati mortalis, & ſtatim poſt acceptam abſolutionem, recordatur, & confitetur peccatum oblitum, indigeat nouo actu doloris ad nouam abſolutionem illius peccati; an verò in virtute prioris actus doloris adhuc virtualiter manentis poſſit ab illo peccato abſolui?

Certum enim eſt in hoc caſu Sacramentum Pœnitentiæ iterari debere, quia tenemur omnia peccata ſubijcere Clauibus per Confeſſionem: hæc autem obligatio non fuit impleta integra quoad talia peccata oblita; ergo manet obligatio illa confitendi. Item illa non fuerunt directè remiſſa per Claues, nec de illis fuit latum iudicium Sacramentale; ergo debet illorum fieri noua Confeſſio ad quam abſolutio conſequatur, & per cõſequens nouum Sacramentum numero diſtinctum. Quæritur igitur an ſit etiam nouus dolor eliciendus. Videtur eſſe communis ſententia Doctorum, ſemper eſſe neceſſarium nouum dolorem, vt noua detur abſolutio; eo quòd materia proxima debet eſſe noua pro Sacramento nouo, vt noua ablutio pro nouo Baptiſmo, dolor autem eſt materia proxima; ergo repetendus eſt ad nouam formam abſolutionis, & ad nouum Sacramentum.

Henriquez verò *lib. 4. de pœnitent. c. 16. §. 7.* docet vnam & eandem Contritionem ad duo Sacramenta poſſe vt partem pertinere, vt cùm ſemel abſolutus, iteratâ mox nouâ Confeſſione explicet præteritum dolorem, & peccatum oblitum; hic enim nouum effectum gratiæ auctæ videtur recipere, dum abſque nouo dolore recipit abſolutionem, quia adſunt requiſita omnia, ſcilicet noua Confeſſio, vt ſignum peccati & doloris. Nam dolor prior, vt in virtute extenſus eſt ad peccata oblita, perinde valet, ac ſi eſſet nouus dolor de peccatis oblitis. Hæc Henriquez.

2 In hac re, dico mihi videri probabilius ac verius cum Henriquez citato, quando pœnitens ſtatim confitetur peccata oblita poſt acceptam abſolutionem, poſſe ſine nouo dolore formali dari nouam abſolutionem, & nouum Sacramentum. Idem ſentit Mæratius *diſp. 10. ſect. 1. ad finem*; aitque id ſatis firmari praxi eorum qui confeſſi & abſoluti ſtatim recurrunt ad Sacerdotem, vt confiteantur peccatum: cuius in priori Confeſſione obliti ſunt, nihil cogitantes de nouo peccati huius dolore eliciendo & abſoluuntur à Confeſſario non præmonente eos de noui huius doloris eliciendi obligatione: quod tamen tunc ſaltem facere deberent, cùm ij, quos abſoluit, rudes ſunt, qui hanc ignorare obligationem, ſi quæ ſit, facilè poſſunt. Eandem ſententiam tenet Cardinalis Lugo *diſp. 14. ſect. 3. n. 27. & ſequentibus.* Et in eius fauorem adducit praxim de moribundo, qui propter inſtantis mortis periculum, abſoluendus eſt, audito vno, vel altero peccato, & deinde proſequenda eſt Confeſſio de aliis ſi fieri poteſt: tunc enim non ſolet poſtea cogi ad renouandum dolorem poſt

primam

primam abſolutionem; ſed abſoluitur ſecundò ab aliis peccatis ex vi prioris doloris moraliter permanentis. Quæ praxis multùm fauet caſui præſenti, cùm eadem videatur eſſe ratio huius atque alterius. Denique hanc noſtram ſententiam expreſsè non negant Doctores, cùm de hoc caſu ferè omnes nec verbum proferant.

4 Probatur *primò*, quia primus dolor, vt ſuppono fuit non ſolùm de peccatis confeſſis, ſed etiam de peccatis oblitis, & etiã ordinatus fuit à pœnitente ad vtrorumque Confeſſionem, & abſolutionem, ſaltem per illam voluntatem confitendi omnia, & rite ſuſcipiendi Sacramentum; ergo ſufficit ad hoc vt noua oblitorum peccatorum Confeſſio ſit contrita, & ſit noua accuſatio, quia Contritio illa, vel dolor fuit virtualiter & extrinſecè multiplex pro multiplicitate Confeſſionum, & peccatorum ad quæ ſe extendit.

Secundò, in eo caſu, quo quis propter peccata reſeruata dimidiare poteſt Confeſſionem, confitendo Superiori ſola reſeruata, qui alia audire non vult, & deinde inferiori eadem cum aliis; tunc iuxta communiſſimam ſententiam, quam cum multis tenet Henriquez *lib. 6. de pœnitentia, c.* 15. §. 4. datur duplex abſolutio Sacramentalis ſupra eandem Confeſſionem, quæ partim fit cum ſuperiore, & partim cum inferiori. In quo caſu nemo dicet pœnitentem teneri ad habendos duos actus doloris, vt rectè notauit Lugo citatus *n.* 17. ſi prior dolor extendebatur ad vtraque peccata, reſeruata, & non reſeruata; ergo neque in noſtro caſu repeti debet nouus dolor, cùm prior, vt ſuppoſuimus, ſe extenderet ad peccatum oblitum in prima Confeſſione, & quod additur in ſecunda Confeſſione.

Tertiò, ſi ob aliquam rationem idem dolor non ſufficeret in prædicto caſu primæ & ſecundæ Confeſſionis & abſolutionis, maximè, quia dolor eſt materia proxima Sacramenti, & conſequenter non poteſt forma cadere ſupra eundem dolorem. At hæc ratio eſt inſufficiens, quia licèt materia proxima totalis, qualis eſt ablutio in Baptiſmo, nequeat talis eſſe reſpectu duplicis formæ Sacramenti, poteſt tamen aliqua materia proxima partialis eadem ſubiici duplici formæ Sacramenti, & per conſequens dolor, qui eſt materia proxima non totalis, ſed partialis pœnitentiæ, poterit duplici abſolutioni ſubeſſe. Aſſumptum patet, nam Corpus Chriſti eſt materia proxima partialis in Sacramento Euchariſtiæ, & tamen idem ſubſtat omnibus conſecrationibus. Deinde in hoc Sacramento Pœnitentiæ, Satisfactio eſt materia proxima partialis, licet non eſſentialis, ſed integralis, & tamen eadem ſatisfactio materialiter ſumpta, id eſt, idem ieiunium v.g. deſeruire poteſt pro materia integrali duplicis Sacramenti; vt ſi ſibi impoſitum fuerit pro pœnitentia ieiunium craſtinum, & rurſus confitearis hodie, poterit ſecundus Confeſſarius præcipere tibi in pœnitentiam idem ieiunium craſtinum, iuxta opinionem communiſſimam, quæ docet poſſe in pœnitentiam imponi opera aliunde ex præcepto debita. Denique idem clarius oſtendetur, & conſtabit ex dicendis *infra ſectione quinta ſequente*.

5 Hinc patet ſolutio ad argumentum oppoſitum, quod ſolùm probat materiam proximam totalem, qualis eſt ablutio in Baptiſmo, debere eſſe diuerſam pro diuerſitate abſolutionis & Sacramenti, poſſe tamen materiam proximam partialem, qualis eſt dolor formalis, eandem numero duplici formæ abſolutionis ſubeſſe. In quo valde differt Contritio vel dolor à Confeſſione: ideò enim hæc debet ſemper eſſe noua, quia noua ſententia abſolutionis ferri nequit in hoc Sacramentum Pœnitentiæ ſine noua ſenſibili accuſatione, & petitione ſententiæ, ac noua cauſæ cognitione per Confeſſionem habita: nam poſtquam ſententia valida prolata eſt à Iudice in aliqua cauſa, nequit iterùm ſententia proferri niſi fiat nouus proceſſus, & noua accuſatio; iam enim Iudex functus eſt ſuo munere; nouus autem proceſſus requirit nouam ipſius cognitionem per Confeſſionem habitam; at totum hoc poteſt poni abſque nouo dolore, non verò ſine noua Confeſſione, ac proinde licèt vtraque pars, nempe Confeſſio, & dolor ſit materia proxima, longè tamen diuerſo modo, quia hoc Sacramentum eſt inſtitutum per modum iudicij ſenſibilis, quod non poteſt ſecundò exerceri abſque noua Confeſſione.

SECTIO V.

An cùm quis ſecundò confitetur peccata ſemel iam confeſſa, & abſoluta, ſufficiat dolor habitus in prima illorum Confeſſione, an verò ſit neceſſarius nouus alius dolor formalis?

SVppono, peccata iam ſemel per Confeſſionem Sacramentalem remiſſa ſæpius poſſe nos confiteri, vt 1
patet ex communi fidelium praxi, tametſi nulla ſit obligatio ea iterùm confitendi. Quia vnuſquiſque reus poteſt in eadem cauſa ſæpius iudicari ſi ipſe velit, non autem poteſt iuſtè à Iudice ad huiuſmodi iudicium cogi. Quod maximè verum eſt in hoc Pœnitentiæ Sacramentali iudicio, quod omninò voluntarium eſt; in eo enim reus ipſe ſe accuſat, & iudicandum præbet; & ideò iterata Confeſſio eiuſdem peccati ſufficiens materia, & accuſatio eſt in hoc iudicio, quamuis non ſit neceſſaria. Quæritur igitur, an ſicut ad hanc ſecundam abſolutionem eſt neceſſaria iterata Confeſſio eorundem peccatorum; ſic etiam ſit neceſſarius iteratus dolor formalis eorum, vel ſufficiat dolor habitus in prima ipſorum Confeſsione.

Nonnulli iudicant probabile etiam in hoc caſu, 2
quando ſcilicet Confeſsio eſt tantùm de peccatis iam confeſsis & abſolutis, ſufficere dolorem prius habitum in prima Confeſsione, adhuc tamen perſeuerantem moraliter, & virtualiter in ſecunda confeſsione. Probat hanc probabilitatem noſter Cardinalis Lugo *dicta diſp. 4. ſect. 3. n. 31. & ſequentibus.* Quia ſi vera ſunt quæ in confirmationem caſus præcedentis ſectionis adducta ſunt, vt vera exiſtimantur à Doctoribus eam opinionem habentibus, eandem vim habere videntur ad firmandam quoque huius probabilitatem. *Primò*, quia Confeſsio ſecunda facta ex antiquo dolore eſt noua accuſatio, & noua manifeſtatio interni doloris; ergo poteſt ad nouam abſolutionem, & ad nouã ſententiã materiam præbere.

Secundò, in eo caſu, in quo ſuperior audit ſola reſeruata, & ab illis abſoluit, & deinde inferior audiens omnia iterùm abſoluit, ſecunda Confeſsio non eſt de ſolis non reſeruatis, ſed etiam de reſeruatis, à quibus iam abſoluerat ſuperior; ergo ſi in virtute eiuſdem doloris perficitur illa ſecunda Confeſsio coram inferiore, circa eadem peccata reſeruata; iam admittitur, aliquando duplex Sacramentum circa eadem peccata ſaltem partialiter poſſe ſubſiſtere abſque nouo dolore. Nec quidquam refert quòd in ea ſecunda Confeſsione addantur alia peccata diuerſa, videlicet non reſeruata: quia Sacramentum illud, prout verſatur etiam circa reſeruata, eſt verum Sacramentum, & abſolutionis forma illis etiam applicatur; ad hoc enim ſubiiciuntur in ſecunda Confeſsione, vt fiat Confeſsio integra omnium peccatorum vni, & eidem Sacerdoti; & tamen abſolutio prout verſatur circa illa peccata, non inuenit nouum dolorem; ergo licèt illa peccata ſola fuiſſent tota materia Confeſsionis, poſſet ſecunda abſolutio illis applicari abſque nouo dolore, ſi poteſt, quando ſunt materia partialis.

Addo in ſententia Henriquez *lib. 6. cap. 15. num. 4. in fine*, cõtingere poſſe, vt omnia reſeruata & non reſeruata dicantur ſuperiori in prima Confeſſione, & quòd hic à ſolis reſeruatis abſoluat remittens vt alia non reſeruata, quæ egent maiori perſcrutatione propter varios contractus, & reſtitutiones, iterùm confiteatur Parocho cum cæteris; ergo in hoc caſu nullum nouum peccatum additur in ſecunda Confeſſione; admittitur ergo duplex Sacramentum de eiſdem numero peccatis cum vnico formali dolore.

Tertiò, exempla adducta *præcedenti ſect.* ſi quid probãt in illo caſu, etiã æqualiter probant in caſu huius ſectionis: nam Corpus Chriſti idem realiter & virtualiter eſt materia proxima Euchariſtiæ ſub diuerſis ſpeciebus panis; item ſatisfactio Sacramentalis eadem ſecundùm ſuam entitatem, idem videlicet ieiunium, v. g. eſt pars integralis vtriuſque Sacramenti Pœnitentiæ, quando idem ieiunium præcipitur ab vtroque Confeſſario, ſiue addatur in ſecunda confeſſione nouum peccatum, ſiue eadem omnia repetantur: ergo idem dolor poteſt eſſe pars eſſentialis duplicis Sacramenti, etiamſi ſecunda Confeſſio fiat de eiſdem omninò peccatis confeſſis, & abſolutis.

Vltimò, in vtroque caſu tam præcedentis, quàm præſentis ſectionis datur nouus proceſſus, noua accuſatio, noua teſtificatio, & noua ſententia abſolutoria, & condemnatoria etiam per nouam impoſitionem pœnitétię, ergo datur quidquid requiritur ad nouum iudicium: Igitur nulla eſt diſcriminis ratio, cur valida ſit noua Confeſſio in vno caſu abſque nouo dolore, & non in alio.

3 His tamen non obſtantibus, hanc ſententiam nullo modo probare poſſum. *Primò*, quia contrarium eſt probabilius, ac tutius, vt dicit bene Diana *p. 3. tract. 4. reſol. 116.* ac ſequuntur communiter Doctores, & allegãt diſparitatem inter hunc caſum præſenté, & alium præcedentis ſectionis. Vnde Henriq. *lib. 4. de pœnitentia, c. 26. §. 7.* qui aſſeruit in illo caſu de peccato oblito aliquãdo vnum & eundem doloré ad duo Sacraméta Pœnitétiæ numero diſtincta pertinere poſſe; id tamé negat in præſenti caſu, in quo fuit Cõfeſſio ſecunda facta de eiſdem peccatis, à quibus directè pœnitens fuerat abſolutus. Tũc enim ait, debere habere nouum doloré formalé eorũdem peccatorum, qui ſubiiciatur nouæ abſolutioni, ſicut debet eſſe noua Cõfeſſio. Mæratius quoq; ſecutus Hériquez, ſimiliter cõcedit primũ, negat tamé hoc ſecũdũ, aitque, ſi eadé numero peccata per Sacerdotis abſolutionem iã antea remiſſa pœnitens cõfiteatur, vt rurſus ab iis abſoluatur, nõ ſufficere eundem numero doloré, cũ quo illa antè confeſſus eſt; ſed neceſſariũ eſſe aliũ de nouo elicitum, qui noui Sacramenti, & ab alio prius collato numero diuerſi abſolutione informetur; & ſicut debet eſſe noua & diſtincta numero forma, ita etiam debet eſſe noua & diſtincta numero materia proxima. *Secundò* huic præſenti caſui non fauet Fidelium vſus, ſicut alteri caſui de peccato oblito: Imò Fideliũ vſus potiùs eſt contrarius, nam experimur, quando iterantur Confeſſiones de peccatis præteritis iam cõfeſſis, & abſolutis, pœnitentes tunc ſollicitos eſſe de dolore nouiter excitãdo.

4 *Tertiò*, moueor præcipuè ob manifeſtam diſparitatem inter hunc caſum præſentem, & alium præcedentis ſectionis, quam tradit Henriq. *loco citato, in margine, littera V.* Nam in illo caſu, inquit, de peccato oblito, ideò nõ requiritur nouus dolor formalis ad ſecundam abſolutionem, quia dolor præcedens ad primam, ſecundùm quod extendebatur ad peccatum oblitũ, non fuit formatus directè per primam abſolutionem, nec per Sacramentum prius ac proinde quatenus reſpicit illud peccatum oblitum, habet ſe ſicut nouus dolor illius pecati; & ideò poteſt eſſe pars ſecundi Sacramenti. At quando ſecũda Confeſſio eſt de eiſdem peccatis, ideò indiget nouo ſecundo dolore formali, quia totus ille primus formalis dolor, prout reſpiciebat hæc omnia peccata, fuit directè informatus prima abſolutione.

Hanc diſparitatem reiicit Cardinalis Lugo *loco citato num. 33.* Tum quia in caſu illo de peccato oblito, dolor ille ſecundùm totam ſuam vniuerſalitatem fuit vera pars eſſentialis prioris Sacraméti. Tum etiã quia ille dolor numero non potuit eſſe pars prioris Sacraméti, prout terminabatur ad talia peccata, niſi etiam eſſet eius pars ſecundum totam ſuam vniuerſalitatem; conſtat enim per illum actum doluiſſe hominem de illis peccatis non propter aliquod ſpeciale motiuum, ſed ſub motiuo vniuerſali, v. g. propter gehennam, vel propter iniuriam Dei, vel propter oppoſitionem cum diuina bonitate, ac proinde dolor ille fuit pars prioris Sacramenti, nõ ſolùm prout terminatus ad obiectum materiale, ſcilicet ad talia peccata, quę explicata ſunt in priori Confeſſione, ſed multò magis, prout terminatus ad obiectum formale à quo accipit honeſtatem & moralitatem; ergo ille dolor fuit pars talis Sacramenti, ſecundũ quod reſpiciebat tale motiuum vniuerſale: ergo prout reſpiciebat, alia etiam peccata oblita, quia in tantum ea reſpiciebat, in quantum verſabatur circa motiuum vniuerſale, ſub quo omnia illa cõprehendebãtur; ergo dolor ille ſecundum totam ſuam vniuerſalitaté fuit pars prioris Sacramenti, atque adeò non ſe habet ſicut nouus dolor illius peccati obliti, qui ſit pars ſecundi Sacramenti.

Verùm meo iudicio hæc doctrina non diſſoluit diſparitatem allatam: nam eſto, verum ſit, illum formalem dolorem prioris Sacraméti fuiſſe vniuerſalem, & ſe extendiſſe ad omnia peccata, tam confeſſa, quàm etiam oblita ſub motiuo formali vniuerſali; quia ſecundùm iſtam vniuerſalitatem requirebatur ad prius Sacramentum, ad cuius valorem exigitur voluntas efficax *quæ ex ſe opponatur cum omni voluntate & affectu peccandi* nihilominùs tamen videtur quoq; certum, illum dolorem vt erat de peccatis illis oblitis, non fuiſſe partem materialem illius Sacramenti, quia non fuit talis dolor, vt erat peccatis oblitis, directè informatus per primã abſolutioné: nam hæc ſolùm fuit directè forma accuſationis, & Confeſſionis doloroſæ peccatorum, quæ expreſſa fuerunt. Vnde per illam abſolutionem ſolũ fuerunt directè abſoluta peccata manifeſtata per talem Confeſſionem, indirectè verò fuerunt etiam abſoluta peccata mortalia oblita; quatenus ſcilicet abſolui non poterant peccata mortalia confeſſa; quin etiam conſequenter abſoluerentur indirectè peccata mortalia oblita, propter neceſſariam connexionem, quæ eſt in ordine ad abſolutionem, vt nimirùm debeant ſimul omnia mortalia remitti, ita vt nequeat de facto vnum peccatum mortale remitti ſine alio mortali.

Atque hac de cauſa, eſt præciſa obligatio confitendi peccata mortalia oblita, quando illorum recordatus fuerit pœnitens, quia debent hæc peccata directè ſubiici Sacramento Pœnitentiæ media accuſatione, & Confeſſione ipſorum, & tunc accuſatio & Confeſſio illorum directè informatur abſolutione, & eſt pars materialis Sacramenti. Quare ſi ille prædictus dolor maneat virtualiter, quando fit Confeſſio dictorum peccatorum, in ſecundo Sacramento, directè informatur abſolutione ſicut & ipſa Confeſſio, & per conſequens eſt pars materialis huius Sacramenti, quia dolor iſte vt fuit de peccatis oblitis in primo Sacramento, nõ fuit pars materialis illius, ac proinde nihil impedit quominùs ille virtualiter manens huius ſecundi Sacramenti pars eſſe poſſit, nec ſit neceſſarius alius nouus dolor formalis de peccatis iſtis oblitis & omiſſis in priori Sacraméto. At in præſenti caſu, quãdo ſecunda Cõfeſſio eſt de eiſdem peccatis iam confeſſis, & abſolutis, neceſſariò debet elici nouus dolor formalis, quia ille prior

totus

totus, prout reſpiciebat prædicta peccata in priori Confeſſione, fuit directè informatus prima illa abſolutione; atque adeò ſicut eſt noua Confeſſio eorundem peccatorum in ordine ad ſecundum Sacramentum, debet etiam eſſe & nouus formalis dolor ipſorum, qui directè alia ſecunda abſolutione informetur.

Hanc eandem diſparitatem firmat Mæratius citatus, dum ait in caſu peccati obliti, dolorem illum, vt de tali peccato eſt, non fuiſſe prioris Sacramenti partem, ac proinde necquidquam impedire, quominùs huius poſterioris Sacramenti pars ſit, atque ideò nullo nouo dolore opus eſſe ad validè fructuoſéque abſolutionem percipiendam.

5 Hinc facilè ſoluuntur argumenta quæ *numero ſecundo*, propoſita ſunt in fauorem contrariæ ſententiæ. Ad primum iam conſtat circa præſentem caſum, eo ipſo quòd in ſecundo Sacramento eſt noua abſolutio & noua accuſatio & Confeſsio, debere quoque eſſe nouum dolorem formalem, quia ille prior iam fuit informatus abſolutione prima, & fuit pars materialis prioris Sacramenti.

Ad ſecundum reſpondeo, in eo caſu de reſeruatis, elici debere nouum dolorem ad ſecundam Confeſſionem; quia tunc adduntur alia peccata diuerſa, quæ directè ſubeſſe debent Sacramento Pœnitentiæ; vnde de illis fit nouum iudicium, & noua Confeſſio doloroſa, quæ directè informatur noua abſolutione.

Ad tertium dico, illa exempla apta eſſe, vt intelligamus, poſſe aliquando eundem dolorem ſub diuerſo reſpectu eſſe partem materialem duplicis Sacramenti, vt conceſſimus in caſu de peccato oblito; negamus tamen idem poſſe dici de ſecundo Sacramento, quod eſt de ſecunda Cõfeſſione, quæ eſt de eiſdẽ omninò peccatis cõfeſſis iam & abſolutis, propter diſparitatẽ *ſup.* aſſignatã.

Ad vltimum reſpondeo, Antecedens illud verum eſſe, quia datur nouum ſecundum Sacramentum, quod conſtat omnibus illis partibus; eſt tamen iam aſſignata diſcriminis ratio, cur non ſit valida in caſu præſenti noua Confeſſio abſque nouo dolore, & valida ſit in illo alio de peccato oblito.

SECTIO VI.

An actus doloris debeat elici à pœnitente ex intentione, ac relatione ad Confeſſionem, & ad Sacramentum Pœnitentiæ?

1 Communiter Doctores ſupponunt dolorem, qui eſt pars Sacramenti Pœnitentiæ debere aliquo modo referri ad Confeſſionem, & Abſolutionem, ad faciendum vnum Sacramentum; quærimus nunc, an illa relatio antecedere debeat dolorem, itavt hic à pœnitente eliciatur ex intentione & relatione ad Confeſſionem & Sacramentum: an verò ſufficiat poſt elicitum dolorem, referre illum ad Confeſſionem, & ad recipiendum Sacramentum Pœnitentiæ?

Quod itaque inquirimus, eſt iſtud; conſiderat quis ſe Deum grauiter offendiſſe, & ex hac conſideratione prorumpit in actum doloris Contritionis, vel Attritionis, immemor omninò Confeſſionis; poſtea recordatur iſte homo Confeſſionis, & confitetur, & abſoluitur. In hoc caſu ſatis euidenter cernitur talem hominem non retuliſſe dolorem illum ad Confeſſionem, hoc eſt, non feciſſe Attritionem, vel Contritionem ex intentione & deſiderio confitendi. Difficultas eſt vtrùm Confeſſio in tali caſu ſit valida, necne?

2 Non opus eſſe ad Sacramentum Pœnitentiæ, vt dolor oriatur ex intentione Confeſſionis, & abſolutionis, ſentiunt Cardinalis Lugo *diſp.* 14. *ſect.* 4. cum Valerio Reginaldo *in praxi tom.* 1. *lib.* 5. *n.* 54. & aliis. *Primò*, id probat authoritate Tridentini *ſeſſ.* 14. *c.* 4. Vbi de dolore in vniuerſum dicitur, præparare hominem poſt Baptiſmum lapſum ad obtinendam remiſſionem peccatorum; ſi cum fiducia diuinæ miſericordiæ & voto præſtandi reliqua coniunctus ſit, quæ ad ritè ſuſcipiendum hoc Sacramentum requiruntur. Quæ omnia verificantur de illo, qui ex metu gehennæ, v. g. vel ex alio ſufficienti motiuo, elicit dolorem, & poſtea ad impetrandam Dei gratiam vult confiteri vt abſoluatur: videlicet habere dolorem de peccatis, votum præſtandi omnia, quæ ad Sacramentum Pœnitentiæ requiruntur, & actum excludentem voluntatem peccandi cum ſpe veniæ, quin dolorem eliciat ex præuia intentione recipiendi Sacramentum, & quin in eodem inſtanti, quo elicit dolorem, referat illũ ad Sacramẽtum; ergo abſque præuia illa intentione, vel relatione, & etiã abſque concomitanti, habebit quidquid à Tridẽtino petitur vt ſufficiens, ad impetrandam gratiam & remiſſionem peccatorum in hoc Sacramento: ergo fruſtrà petitur illa alia relatio doloris ad Sacramentum, vel ad Confeſſionem.

Secundò, idem probant ex communi Fidelium ſenſu. Nam ſi quis dum audit concionem, vel alio quouis modo, moueatur ad intenſum dolorem, & deteſtationem ſuorum peccatorum, & poſtea ex deſiderio veniæ cogitet de Confeſsione facienda, Sacerdoti confiteatur, nemo dicet hunc non eſſe optimè diſpoſitum ad abſolutionem recipiendam; imò ille videtur eſſe modus aptiſſimus, cùm ex dolore peccatorum, & deſiderio veniæ procedat ad procurandam Confeſſionem, & abſolutionem. Atque hunc modum cupiunt frequenter Concionatores zelo animarum ardentes, earúmque ſalutem ſitientes. At tunc dolor non proceſſit ex deſiderio Confeſſionis, nec ordinatus fuit ad illum relatione aliqua antecedente, vel concomitante, vt liquet; ergo.

Tertiò idem oſtendunt ex natura ipſa, & inſtitutione Sacramenti Pœnitentiæ. Nam dupliciter cõſiderari poteſt hoc Sacramentum: primò vt eſt quoddam iudicium; & ſecundò vt eſt condonatio, & relaxatio offenſæ: ſi primo modo conſideretur, certum videtur, ſicut iudicio humano conformius eſt, quòd ex diſplicentia & odio delicti oriatur accuſatio, & deſiderium deferendi illud ad iudicium, & procurare remedium, quàm è contra; ita huic iudicio Sacramentali & diuino conformius, & connaturalius eſſe, quòd reus ex odio peccati veniat in cogitationem, ac deſiderium procurandi remedium illius, quàm è contra. Deinde ſi ſecundo modo conſideretur, non minùs certum apparet, quòd aptior & congruentior modus ad veniam conſequendam ſit, quòd quis ex odio offenſæ, & ex dolore interno moueatur ad poſtulandã veniam à Sacerdote Dei vicario, quàm ſi ex remiſſionis deſiderio excitetur ad dolorẽ de offẽſa Dei: quò enim perfectior fuerit dolor, eò aptior erit ad obtinendã veniã; eò autẽ erit perfectior, quò purior ab humano motiuo, & ſolùm propter motiuũ diuinæ offenſæ: at minus haberet de hac puritate dolor ſi à volũtate antecedente Confeſſionẽ imperaretur; quia iam tunc haberet ſaltem pro extrinſeco motiuo deſiderium Sacramenti & veniæ, quod non habetet, ſi abſque vlla memoria Confeſſionis, præcisè ob Dei offenſam doleret.

Ego certè veriorem iudico contrariam ſententiam, 3
quæ affirmat, dolorẽ, ſiue ſit Contritio, ſiue Attritio, qui eſt pars Sacramenti Pœnitẽtiæ, debere elici à pœnitente ex intentione, ac relatione ad Confeſſionẽ, vel Abſolutionẽ, vel ſaltem intentionẽ hanc & relationem comitari debere ipſum dolorẽ; & non ſufficere, poſtquã elicitus eſt dolor abſque memoria Confeſſionis, quòd poſſit pœnitens eo dolore vti ad recipiendum Sacramentum Pœnitentiæ. Ita ſentit expreſsè Bonac. *de pœnit. diſp.* 5. *queſt.* 3. *part.* 2. *num.* 17. dicens requiri, quòd dolor formaliter,

Digitized by Google

maliter, vel virtualiter referatur ad Confeſſionem, verb. grat. ſi doleat homo cum propoſito confitendi, vel recogitet peccata cum dolore, vt ea confiteatur, & virtute illius propoſiti & intentionis confiteatur. Eiuſdem ſententiæ eſt meo iudicio Suarez *diſ.20.ſect.4.num.29.* Vbi primùm docet poſſe dolorem antecedere ipſam Cõfeſſionem, quia iuxta communem vſum, Confeſſionem antecedit cogitatio peccatorum, quæ optime fit, ſi cum vero animi dolore fiat; poſteà verò fit confeſſio in virtute talis recogitationis, & doloris. Si igitur ex Suarij ſententia Confeſſio debet fieri in virtute talis doloris; ergo dolor ille relatus eſt per intentionẽ formalem, vel virtualẽ pœnitẽtis ad Confeſſionẽ: ergo dolor ille ab ea intentione procedit. Præterea idẽ magis firmatur ex doctrina quã ſtatim proponit, nimirùm, oportere aduertere ſemper eſſe neceſſarium, vt talis dolor internus ex intẽtione pœnitentis formali, vel virtuali, ad Confeſſionem referatur. Quod, inquit, fit tribus modis, *primò* quoties quis peccata recogitat, & de ijs dolet, vt ea confiteatur. *Secundò* quoties præbet ſignum ſui doloris in ordine ad Confeſſionẽ faciendã, ſeu abſolutionẽ obtinendã; ac *tertio* quoties quis dolet de peccatis cum expreſſo propoſito illa confitendi ex cuius virtute poſtea confeſſionem facit: nam quilibet ex his modis ſufficit ad veram accuſationem; aliqua verò huiuſmodi relatio neceſſaria eſt, quia intentio Sacramẽti, & partiũ eius in ordine ad cõſtitutionẽ illius, neceſſaria eſt ad Sacramẽtũ conficiẽdũ. Hæc Suarez; quibus manifeſtè oſtendit ſe eſſe noſtræ ſententię. Nec obeſt dicere cũ Cardin. Lugo, ſufficere illũ ſecundũ modũ referendi dolorẽ ad ſuã ſententiã. Nõ, inquã, obeſt, quia ex mente Suarij illud ſignum doloris præbetur ſimul cum dolore ipſo, non verò poſt ipſum dolorẽ: vt manifeſtè patet ex vltimis verbis relatis, quibus dicit neceſſariam eſſe intentionem partium Sacramenti ad Sacramentum conficiendum, dolor autem eſt pars materialis Sacramenti; ergo eius intentio in ordine ad conſtitutionem Sacramenti neceſſaria eſt; hoc autem eſt, quod nos intendimus. Mentem Suarez exenterare placuit, vt talem ac tantum pro noſtra ſententia habeamus patronum.

4 Probatur verò rationibus. *primò*, quia ſine hac relatione non videtur dolor, qui eſt pars materialis Pœnitẽtiæ, habere vnionem moralem cum Cõfeſſione ſequenti. At Sacramentum Pœnitentiæ eſt compoſitum artificiale, conſtans ex actibus pœnitentis, & abſolutione Sacerdotis, ac proinde debent vniri hæ partes vt Sacramentum hoc conſtituant, quia omne compoſitum debet non ſolùm partibus, ſed etiam vnione illarũ cõſtare. Hæc verò vnio requiſita inter illas partes, nõ eſt intrinſeca, ſed extrinſeca proueniẽs ab intentione, & relatione pœnitẽtis ordinantis ſuos actus ad abſolutionẽ, & ab intentione ac relatione abſoluentis ordinantis ſuam abſolutionem ad actus pœnitentis. Hæc itaque ordinatio, ſeu relatio facit moralem quandam partium vnionem: Igitur neceſſarium eſt, vt quis doleat de peccatis in ordine ad Confeſſionẽ faciendã. De quo plura *ſect. ſeq.*

Secundò probatur efficaciſſima ratione, præſupponendo quod certum eſt, Sacramentum Pœnitentiæ eſſe ſignum ad placitum, ſeu ex libera inſtitutione diuinę gratiæ ſanctificantis. Quo poſito eſt argumentũ. De ratione rei quæ eſt ſignum ad placitum, ſi in actione conſiſtat, eſt, vt fieri debeat ex intentione explicita vel implicita faciendi ſignum; ſed ſignum nihil aliud eſt quàm partes ipſius: ergo quælibet pars ſigni ad placitum debet fieri ex intentione ſaltem implicita faciendi ſignum; ſed Contritio vel Attritio conſiſtit in actione, & eſt pars huius ſigni, ſcilicet Sacramẽti Pœnitẽtiæ: ergo debet fieri ex intentione ſaltem implicita faciendi hoc ſignum Sacramentale; non poteſt autem ex tali intentione ſic fieri, niſi fiat ex intentione ſaltem implicita Sacramentaliter confitendi; ergo prædictus dolor qui eſt pars Sacramenti, debet fieri a pœnitente ex intentione, vel relatione ſaltem implicita ad ipſam Confeſſionem. Dixi in illa maiori, *ſi in actione conſiſtat*: nam ſi res quæ eſt ſignum, non conſiſtat in actione tranſeunte, ſed in re permanente, qualis eſt ramus ſignificans vinum, non eſt neceſſe, vt res illa, quæ eſt materia, ſignificet ex intentione faciendi ſignum; nam ramus non producitur ex intentione ſignificandi vinũ; cæterùm licet eius effectio non debeat fieri ex intentione ſignificandi; aſſumptio tamen vel vſus eius, debet ex tali intentione fieri.

Vltimò, actiones Sacramentales, etiamſi non fiant à 5 Miniſtro, exigunt fieri ex intẽtione ſuſcipiẽdi Sacramẽtũ; ergo cùm dolor ſit quoq; actio Sacramẽtalis, quãdoquidẽ eſt pars eſsẽtialis Sacramẽti Pœnitẽtię, debet etiã fieri ex intentione illius Sacramenti. Antecedens conſtat in eodem Sacramento, de ipſa Confeſſione ſeu accuſatione peccatorum quam pœnitens debet facere ex intentione Sacramenti, ſeu in ordine ad illud recipiendũ, quia nimirùm eſt pars eſſentialis illius, quatenus eſt Sacramẽtũ per modũ iudicij. Firmo, nã Cõfeſſio ſeu accuſatio peccatorũ quæ eſt pars Sacramenti Pœnitentię, ideò debet oriri ſemper ex intentione Sacramenti; quia eſt accuſatio iudiciaria peccatorum quæ manifeſtatur Confeſſario, vt Iudici vt ab illis pœnitentem abſoluat; aliter enim non eſſet actio ſacra, ſed mera narratio hiſtoriæ cum incapacitate abſolutionis; ſed etiam dolor qui eſt pars huius Sacramenti, debet eſſe iudiciarius, id eſt deſeruiens ipſi Confeſſioni faciendæ Iudici, vt ipſa Cõfeſſio manifeſtetur Confeſſario Iudici non vt mera narratio, ſed vt accuſatio doloroſa; ergo neceſſe eſt, vt quãdo talis dolor elicitur, & eſt pars Sacramenti Pœnitentiæ, fiat ex intentione manifeſtandi Confeſſario iudici idoneam accuſationem, nempe doloroſam; ergo elici debet ex intentione faciendi Confeſſionem Sacramentalem, quæ non poteſt eſſe niſi ſit doloroſa.

Ad Argumenta oppoſita. Ad primum reſpondeo, ideò Concilium in illo loco *ſeſſ.14. cap.4.* non dixiſſe, quòd Contritio, vel Attritio referri debeat ad Confeſſionem; quia cùm hoc pertineat ad generalem doctrinam de Sacramentis, Concilium de eo puncto nihil egit in doctrina de hoc particulari Sacramento. Vel vno verbo dicatur de hoc puncto nihil docuiſſe Tridentinum, vel decreuiſſe, quia circa præſens punctum non erat controuerſia inter Catholicos, & Hæreticos.

Ad ſecundum, negatur, illum eſſe communem Fide- 6 lium vſum, ſed quem ex Suario propoſuimus *ſuprà*, nimirùm fideles, quando ex concione, vel ex aliqua occaſione mouentur ad dolorem, & deteſtationem ſuorum peccatorum, illum elicere in ordine ad Sacramentum Pœnitentiæ, ad quod recurrunt tanquam ad remedium, ac medicinam neceſſariam; vnde confitentur poſtea ſua peccata in virtute talis doloris, & conſequenter dolor ille procedit ab ea intentione confitendi, & ſuſcipiendi Sacramentum Pœnitentiæ.

Ad tertium, dico in ordine ad iudicium Sacramentale Pœnitentiæ, eſſe aptiſſimum, & congruentiorem modum, quod quis ex intentione Confeſſionis, & abſolutionis Sacramentalis moueatur ad habendum dolorem internum de offenſis commiſſis; cùm ſciant Fideles hoc eſſe vnicum remedium, ac Sacramentum per ſe primò inſtitutum ad delenda peccata omnia, quæ poſt Baptiſmum committuntur. Neque id arguit minimam imperfectionem; imò nec minorem perfectionem, cùm ex prædicta intentione præcedere poſſit actus perfectiſſimus Contritionis perfectiſſimæ; non enim deſiderium Sacramenti, & veniæ, ac gratiæ obtinendæ impedit, vel minuit perfectionem Cõtritionis ex motiuo diuinę bonitatis procedentis, neque excellentiam &

Digitized by Google

& feruorem Charitatis intenſiſſimæ, vt conſideranti eſt manifeſtum.

SECTIO VII.

Quo tempore poſſit dolor præcedere Confeſſionem & abſolutionem, & exiſtere debeat in homine, vt validè, & fructuosè recipiat Sacramentum Pœnitentiæ?

1 CVm conſtet Sacramentum Pœnitentiæ eſſe artificiale compoſitum ex actibus pœnitentis & abſolutione Sacerdotis abſoluentis oportet videre quomodò vniendæ ſint inter ſe hæ partes, vt hoc Sacramentum conſtituatur: quia vt eſt certum, & notum, omne compoſitum debet non ſolùm partibus, ſed etiam vnione illarum conſtare.

Non probo ſententiam quorumdam, dicentium dolorem poſſe præcedere Cõfeſſionem, & abſolutionem per multum temporis, ac proinde ſine limitatione, dummodò poſtquam ſemel habitus eſt, non retractetur; nam ſi retractaretur, eo ipſo oporteret illum iterùm elicere. Non, inquam, probo tantam temporis diſtantiam inter dolorem & abſolutionem; quia inter materiam & formã cuiuſlibet Sacramenti, debet eſſe moralis cõiunctio: hæc autẽ non poteſt indifferenter in qualibet tẽporis intercapedine conſeruari, ergo cùm dolor ſit materia Sacramenti Pœnitentiæ, inter illum, & abſolutionem quæ eſt forma, debet eſſe ea ſolum temporis diſtantia, quæ non obſtet, quominùs inter illas ſit coniunctio moralis.

2 Communiter Doctores, quos ſequitur Granado *tract.* 3. *diſp.* 5. *ſect.* 1. *n.* 8. & Suarez *diſp.* 20. *ſect.* 4. *n.* 19. ſentiunt, tandiu ſolùm poſſe præcedere dolorem, quandiu virtualiter permanſerit. Dicitur autem virtualiter dolor perſeuerare quando ſi pœnitens interrogetur cur doluerit, poſſit ſine noua deliberatione reſpondere ſe doluiſſe, vt confiteatur, & non retractaſſe dolorem, quia vult confiteri. Sic enim intentio conficiendi Sacramentum, permanet virtualiter in Miniſtro, quando interrogatus, ſine noua deliberatione reſponderet, ſe propterea ritum illum externum adhibere, quia vult Sacramentum miniſtrare, ſicut ſimiliter intentio efficiendi opus externum propter Deum, tandiu virtualiter durat, quandiu interrogatus ſine mora reſpondebit ſe illud facere, vt Deo placeat. Quare ſi pœnitens elicuit dolorem cum intentione Confeſſionis faciendæ, & obtinendæ abſolutionis, tametſi aliquo tempore antecedat, dummodò ex tali dolore & intentione virtualiter oriatur Confeſſio validum ſit Sacramentum. Quia vi huius intentionis dolor moraliter vnitur cum Confeſſione & abſolutione modo ſufficienti ad accuſationem, & iudicium Sacramentale.

3 Hæc doctrina perplacet mihi. Iuxta quam dicendum eſt, non ſufficere ad valorem Sacramenti, quòd dolor & intentio pœnitentis ſit merè habitualis, id eſt voluntas dolorifera præterita ſuſcipiendi Sacramentum non retractata; ſed debere eſſe virtualem, influentem virtute in Sacramentum, quia voluntas præterita pœnitentis manifeſtata Confeſſario, mouet illum hîc & nunc ad dandam illi abſolutionem. In quo notandum eſt diſcrimen Sacramenti Pœnitentiæ à Baptiſmo, Confirmatione, & aliis, præter Matrimonium: nam in his non requiritur voluntas ſuſcipientis, quæ ſit cauſa Sacramenti influens in illum; quia licèt Miniſter ignoraret voluntatem internam illius, ſi tamen vellet conferre Sacramentum quantum poſſet, & reuera ille, cui confertur, habuit voluntatem ſuſcipiendi illud, Sacramentum erit validum, quia ſufficit voluntas habitualis in recipiente. At in Pœnitentia requiritur quòd Miniſter ſciat voluntatem pœnitentis, & ex illa moueatur ad dandam abſolutionem; alioquin non procedet vt Iudex ad inſtantiam partis implorantis eius officium. Quare in aliis Sacramentis ſatis eſt, quòd Sacramentum ſit volitum à ſuſcipiente; in Pœnitentia verò requiritur, quòd abſolutio ſit volita, & voluntaria, hoc eſt, quòd aliquo modo procedat à voluntate ipſius pœnitentis ſaltem mediatè, quatenus oſtendendo deſiderium abſolutionis mouet Sacerdotem ad ponendam illam. Vnde non manet tunc voluntas pœnitentis merè habitualiter, ſed virtualiter, in quantum cognita à Sacerdote mouet ad abſoluendum.

Hinc colligo diſparitatem, quæ eſt inter Baptiſmum, 4 v. g. ab adulto receptum, & Sacramentum Pœnitentiæ à pœnitente ſuſceptum; nam ad ſuſcipiendum Baptiſmum, tametſi requiratur ex parte Miniſtri intentio humana ſaltem virtualis, tamen in ſuſcipiente ſufficit intentio omninò præterita, etiamſi adultus poſtea incidat in ebrietatem, vel amentiam: quia Miniſter debet operari nõmine Chriſti, & ſignificare per ſuas veras & proprias actiones, ad quod requiritur eas eſſe humanas, & procedere humano modo a deliberatione, & intentione humana: recipiens autem non operatur vt Miniſter nomine Chriſti, nec ſignificat; & ideò non oportet, quòd agat humano modo, ſed ſolùm quòd recipiat; quæ receptio non debet procedere ab intentione, ſed ad ſummum in adultis debet ſupponere intentionem recipiendi.

Dixi *præter Matrimonium*, quia vt oſtendi *tractatu de matrimonio, diſp.* 1. *ſect.* 5. ad contrahendum Matrimonium non ſufficit habitualis intentio, quia hæc non influit, nec influere poteſt in actionem illam coniugij, quę debet eſſe moralis & humana actio. Vnde etiam ibi latè oſtendi, neque ad Matrimonium contrahendum ſufficere voluntatem ſeu intentionem interpretatiuam in cauſa, ſeu in alio etiam directè volito. Quod etiam verum eſt in Matrimonio contracto per procuratorem; nam licèt coniux ſit abſens, & dormiat, quando perficitur Sacramentum, habet tamen voluntatem præteritam non reuocatam, quæ voluntas fuit cauſa, quòd procurator conſentiret, & eius conſenſus innoteſceret alteri coniugi præſenti. Quare ſemper voluntas illa præterita non eſt merè habitualis, ſed aliquo modo virtualis & cauſa operis.

Notant verò Doctores aliqui, Henriquez *lib.* 4. *de* 5 *pœnitentia c.* 10. *n.* 4. Vaſquez *diſp.* 148. *n.* 56. & Bonacina *diſp.* 5. *q.* 5. *punct.* 2. *n.* 18. poſſe impendi abſolutionem ſupra Confeſſionem multis retrò diebus factam: quia cùm huius Sacramenti forma ſit per modum ſententiæ, poteſt proferri ſupra materiam, vel proceſſum diu anteà formatum, ſicut & aliæ ſententiæ. In quo differt hoc Sacramentum à Baptiſmo & aliis, quorum formæ indicant materiam præſentem. Hanc doctrinam iudico veram, dummodò Confeſſarius recordetur aliquo modo peccatorum, ſeu ſtatus pœnitentis iuxta dicenda *infrà*, de Confeſſionis reiteratione; & voluntas ipſius pœnitentis, quã voluit abſolutionem, innoteſcat tunc Confeſſario medio aliquo ſigno exteriori; quod eſt quaſi quædam inſtantia Confeſſionis anteactæ.

SECTIO VIII.

An propoſitum non peccandi ſit de ratione doloris neceſſarij ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ?

DE propoſito non peccandi dicam in hac & ſequenti ſectione. In hac verò tria dubia ſunt breuiter declaranda;

claranda:Eſt igitur primum dubium,vtrùm ad valorem & fructum Sacramenti requiratur præter dolorem, propoſitum formale non peccandi deinceps.

1 Dico *primò*, in actu perfectæ Contritionis (& idem eſt in actu amoris Dei) virtualiter includi eiuſmodi propoſitum. Id ibi oſtendi, *num.* 3. Quod modò extendo etiam ad dolorem, qui eſt Attritio ex motiuo vniuerſali comprehendente omnia peccata mortalia, vt ſi doleat homo propter pœnas inferni,& carentiam beatitudinis,quæ correſpondet omni peccato mortali.Nam impoſſibile videtur, vt quis doleat efficaciter de furto ver.gr.præciſe ex metu gehennæ, & quod ſimul velit offendere Deum fornicatione;quia videtur manifeſta contradictio,quòd odio habeat furtum propter pœnas inferni, & velit ſimul fornicationem, quæ eſt offenſa grauis, qua mereatur eandem gehennæ pœnam. Quare hic dolor virtualiter ſaltem continet propoſitum non peccandi mortaliter de cætero, & conſequenter ſufficiet ad valorem, & ad fructum Sacramenti.Quod ſatis roboratur auctoritate Tridentini *ſeſſion.* 14. *cap.* 4. dicentis Attritionem ex gehennæ metu, ſi voluntatem peccandi excludat cum ſpe veniæ, diſponere peccatorem ad recipiendam gratiam iuſtificationis cum Sacramento Pœnitentiæ. Vbi non requiritur alia conditio ad hunc effectum, niſi quòd Attritio ſit talis, quæ voluntatem peccandi excludat; ergo quoties hoc habuerit Attritio, diſponit ſufficienter ad valorem Sacramenti. Firmo hoc idem ampliùs, quia propoſitum formale non peccandi de cætero, haberi non poteſt ſine expreſſa cogitatione vitæ futuræ,ſed poteſt contingere, vt qui accedit ad hoc Sacramentum cum Attritione, non cogitet de vita futura, vel ob naturalem inaduertentiam, eo quòd totus ſit in flendis peccatis anteactæ vitæ; vel quia ſibi perſuadet mortem iam iam imminere; ergo tunc iuſtificabitur intra Sacramentum ſine formali propoſito nouam vitam inſtituendi, cum ſolo virtuali non peccandi deinceps, quia nimirùm Attritio,ſicut & Contritio,talis ſunt conditionis,vt impellerét voluntatem ad propoſitum formale eliciendum ſi adeſſet cogitatio vitæ futuræ.

2 Dico *ſecundò*,ſi menti pœnitentis occurrat diſponere de futura vita,neceſſarium eſſe,per ſe loquendo propoſitũ formale & expreſſum vitandi peccata mortalia in futurum.Quod firmo,quia qui videt ſe nõ habere propoſitum,& non vult illud efficere,ſignum eſt nec propoſitum virtuale habere;quia hoc habito,& poſitâ aduertentiâ dictâ facillimum eſſet habere formale.Vnde meritò in adminiſtratione huius Sacramenti exigunt Confeſſarij à pœnitentibus propoſitũ cauendi peccata mortalia.Addo modò,vt tale propoſitum efficax ſit,ac ſufficiens iudicetur,opus non eſſe,vt pœnitens ſibi perſuadeat ſe nunquam ampliùs mortaliter peccaturum,vt optimè notauit Suarez *diſp.* 4.*ſect.* 3.*n.* 5.dicens,aliud eſſe proponere non peccare in futurum, aliud ſibi perſuadere & iudicare ſe non peccaturũ.Illud prius,eſt voluntatis,pendens tantùm ex præſenti propoſito:& ideò illud ſolum neceſſarium eſt. Hoc verò poſterius, eſt intellectus, & pendet ex futuro euentu; & ideò non ſolùm non eſt neceſſarium, verùm etiam conſulendum fragilioribus hominibus, vt nihil de illo curent, aut cogitent,quia id apprehenderent vt impoſſibile, propter prauam conſuetudinem.

3 Contra primum dictum obiici poteſt, in Attritione virtute non includi propoſitum vitandi peccata in futurum Nam qui dolet de peccato ex efficaci amore ſalutis æternæ,ſolùm habet virtualem voluntatem mediorũ,quæ neceſſaria ſunt ad eandem ſalutem; ſed ad ſalutem & vitandam damnationem non eſt medium neceſſarium vitare poſtea hoc peccatum hic & nunc; quia ſufficit vel vitare illud, vel ſaltem poſtea debere delere illud per pœnitentiam: ergo in illa Attritione, vel dolore non includitur virtute propoſitum determinatum vitandi peccata in futurum, ſed vel vitandi, vel delendi poſtea illa per pœnitentiam. *Reſpondeo* negandam eſſe Minorem, ſi ſalus æterna conſideretur in ordine ad me.Quamuis enim Deus poſſit me ſaluare,etiamſi peccem,dando mihi tempus pœnitentiæ; id tamen non eſt in mea poteſtate;ac proinde ſi volo efficaciter ſaluari,volo non peccare,quia volo non ponere tale impedimentum,quo poſito non ſit in mea poteſtate ſaluari.Sicut ſi vis efficaciter viuere, non proiicis in mare vnicum panem quem habes ad vitam, licèt ſcias, quòd Petrus dabit fortaſſe tibi dimidium ſui panis;id enim non eſt in tua poteſtate.Imò,vt optimè notauit Cardinalis Lugo *ſect.* 5. *citata,n.* 64. etiamſi quis ſciret ſe eſſe prædeſtinatum ex reuelatione,in dolore ex motiuo Attritionis includeret virtualiter tale propoſitum:quia ſicut dolet homo ille de peccatis præteritis ex eo motiuo,non quia propter illa damnandus eſſet, (iam enim ſcit ſe non damnandum propter illa) ſed quia ex ſe illa peccata attulerunt periculum, & cauſam condignam damnationis æternæ, quod periculum, & quam cauſam odio habet efficaciter,ſic eodem odio proſequitur quodcumque aliud peccatum ſubſequens, quod ex ſe afferat idem periculum, & eandem cauſam damnationis æternæ. Vbi enim eſt idem motiuum neceſſe eſt quòd actus efficaciter tendens, & abſolutè in illud,tendat etiam virtualiter in omnia,quæ neceſſaria ſunt ad illud,vel ſub illo comprehenduntur.

Secundum dubium eſt,an ſufficiat ſolum propoſitum vitandi peccata in futurum,ſine Attritione, vel dolore formali diuerſo? 5

Ratio dubitandi eſt, quia videtur pars negãs amplectenda.Nã licèt deteſtatio peccati præteriti,ſeu *Attritio* includat virtute propoſitum cauendi in futurum,vt ſuprà dictum eſt *n.* 1.at propoſitum cauendi peccatum futurum,etiamſi efficax ſit, non affert ſecum neceſſariò Attritioné,ſeu dolorem peccati præteriti.Probatur,quia ille qui proponit, ex vi propoſiti ſolùm dicit hoc;Volo deinceps non peccare;poteſt autem ſtare,quod quis firmiſſimè velit nõ iterùm peccare,licèt non diſpliceat illi olim peccaſſe.Id declaratur exemplo militis, qui prælio interfuit,& ex eo ſaluus euaſit:hic enim cùm poſtea memorat apud ſe innumeras pilas ferreas ex ſclopis emiſſas circa ſuum caput horrificè rugientes, ac ſocios & collaterales ſuos illis percuſſos,& occiſos, & ſe propè miraculosè à morte ſeruatũ;quãdo,inquam, hæc omnia memorat apud ſe,firmiſſime proponit non amplius prȩliari, ſed fugere ex militia, & tamé nõ ei diſplicet interfuiſſe illi prȩlio,imò potius gaudet & gloriatur;ergo propoſitũ futuri non affert ſecum deteſtationé ac doloré præteriti.

Ex alio vero capite videtur pars affirmans veriſimilior. Quia propoſitũ abſolutũ & efficax peccati futuri vitãdi,neceſſariò ſecum affert abſolutam & efficacé deteſtationem præteriti; ergo illam ſaltem virtualiter includit.Antecedens probatur, quia propoſitum efficax ſuper omnia cauendi omnia peccata futura, quia ſunt cauſatiua pœnarũ inferni,v.g.eſt deteſtatio efficax pœnarum inferni ſuper omnia,quæ in hoc mundo ſe offerre poſſunt ad faciendum vt peccatum efficaciter odio habeatur; ergo impoſſibile eſt,vt ſtante hoc propoſito, ſtare poſſit amor alicuius rei propter quam efficaciter velim amplecti peccatum:Exemplum militis nihil videtur cõuincere;nam ille,eo ipſo quòd propter periculũ mortis efficaciter proponit non ampliùs præliari,etiam efficaciter deteſtatur prælium tranſactum vt inductiuũ periculi mortis:cæterùm propter aliud motiuum,ſcilicet gloriæ humanæ,amat ſolum inefficaciter illud. Vnde eſt diſpar ratio.

Hanc quæſtionem Doctores non tractant, ſolùm 6

Cardina

Digitized by Google

Cardinalis Lugo eam obiter attingit *diſputat. 14. ſect. 5. numero 55. & 56.* Qui dicit duo: *Primum eſt*, propoſitum & dolorem in hoc conuenire, quòd ſicut dolor ex efficaci, & vniuerſali odio peccati includit virtualiter propoſitum circa futura; ſic etiam propoſitum non peccandi ortũ ex efficaci & abſoluto odio peccati eo ipſo continet implicitè deteſtationẽ peccati præteriti. Probat, quia qui diligit Deũ ſuper omnia actu efficaci,& ex hoc motiuo proponit firmiſſimè cuſtodire eius mandata, eo ipſo dicitur communiter habere Contritionem virtualem,quia in eo actu continetur implicitè deteſtatio peccati præteriti, licet homo non recordetur, nec putet ſe peccaſſe, & offendiſſe Deum:ergo ſimiliter,qui ex metu inferni concipit odium peccati, & proponit efficaciter vitare omnia peccata,eo quòd diſpliceat illi ſuper omnia quodcumque peccatum excluſiuum a regno cælorum, & inductiuum damnationis æternæ, iam eo ipſo continet implicitam deteſtationem peccati præteriti, in quo tota illa ratio odibilitatis reperitur. *Secundum*, quod dicit,eſt,differre quoad hoc actum deteſtationis,& actum propoſiti: nam deteſtatio efficax & dolor de peccato præterito magis neceſſariò includit propoſitum implicitum, quam è contra: Probat quia qui deteſtatur ſuper omnia peccatum præteritum, eo quòd ſit v. g. inductiuum inferni; eo ipſo oſtendit, quòd quantum eſt ex ſe, vellet non eſſe poſitum peccatum, ne poneretur aliquid inductiuum inferni, hoc enim eſt dolere efficaciter de illo,ergo eo ipſo ſignificat,quòd ſi in ipſius poteſtate eſſet nunc,non permitteret poni peccatum, ne ſequeretur illud malum: ergo ſi nunc ſe offerret occaſio peccandi, non poteſt acceptare illam,niſi ceſſet ab illo priori actu; contradiceret enim ſibi dicendo, Quantum eſt ex me, vellem non eſſe poſitum tale malum, & vellem offerre illud,& aliunde volo illud de nouo ponere. At verò propoſitum non ita ſecum affert neceſſariò deteſtationem præteriti peccati. Nam qui proponit,ex vi propoſiti ſolùm dicit, Volo deinceps nullo modo peccare; poteſt autem ſtare, quòd quis firmiſſime velit non iterum peccare, licet non diſpliceat illi peccaſſe olim: poſſum enim præſcindere peccata præterita à futuris, & complacere in præteritis,vel ſaltem de illis non curare, negando tamen mihi omnia futura: ſic ſenex impeditus facilè proponit caſtam ducere vitam in futurum, licèt non diſpliceat illi laſciuia ſuæ iuuentutis. Vnde infert Cardinalis, propoſitum ſolum vitæ nouæ non ſufficere ad veram pœnitentiam, cùm poſſit etiam reperiri in non pœnitente.

7 In hac re dico *primò*,formale propoſitum abſolutum, & efficax vitandi peccata mortalia in futurum ex motiuo vniuerſali,v. g.ex metu gehennæ,includere virtualiter Attritionem ſeu dolorem ex eodem motiuo gehennæ præteritorum peccatorum: Ita ſentit Cardinalis Lugo, & probatur benè *ſuprà*, in ſecunda parte rationis dubitandi. Et efficaciter id oſtendi, quia propoſitum vitandi in futurum, quando eſt omninò abſolutum,includit ſaltem virtualiter deteſtationem præteriti ſub eodem motiuo. Patet,nam qui proponit,v.g. non furari, quia furtum eſt cauſatiuum pœnarum inferni, non fugit, nec deteſtatur furtum præcisè, quia eſt futurum, ſed quia omninò non vult pœnas inferni, vel quia propter nullam rem vult incidere in pœnas inferni; ac per conſequens non vult furtum futurum cùm ſit cauſatiuum illarum; atqui etiam furtum præteritum eſt cauſatiuum illarum; ergo etiam illud odit virtualiter, qui eo modo, & eo motiuo proponit fugere furtum futurum. Id etiam firmat egregiè Cardinalis Lug. exemplo dilectionis Dei ſuprà tradito.

8 Dico *ſecundò*, prædictum abſolutum, & efficax propoſitum vitandi peccatum futurum,ſẽper ac neceſſariò ſecum afferre virtualiter abſolutam & efficacem deteſtationem ac dolorem præteriti peccati ſub eodem motiuo. In hoc non conuenio cum doctiſſimo Cardinali Lugo, quia me vincit ratio adducta *præcedenti dicto*, quæ probat in illo propoſito cauendi futurum furtum ex metu gehennæ, neceſſariò contineri implicitam deteſtationem furti præteriti, quia eſt quoque inductiuum gehennæ. Nam qui ſic proponit,non ſolum dicit, Volo deinceps nullo modo iterum furari, vel peccare, ſed dicit hoc ex odio furti, prout eſt inductiuum pœnarum gehennæ; ſed eſt hoc idem motiuum deteſtationis,vel doloris peccati præteriti quando ſit ex metu gehennæ; ergo virtualiter includitur neceſſariò eiuſmodi deteſtatio & dolor,quando fit illud formale propoſitum;non ſecus ac in actu formali Contritionis includitur virtualiter dilectio Dei,& è contra.

Dico *tertiò*,moraliter loquendo,nunquam poſſe contingere, vt peccatori, qui vult ſe diſponere ad iuſtifica- 9
tionem per ſolum propoſitum formale vitandi peccata in futurum ſub motiuo ſupernaturali vniuerſali, ſit ſufficiens diſpoſitio ad valorem & effectum Sacramenti Pœnitentiæ. Hoc eſt magis conforme doctrinæ Tridentini *ſeſſ. 14. cap. 4.* dicentis ad Contritionem quæ eſt vltima diſpoſitio ad gratiam extra Sacramentum, requiri non ſolam mutationem vitæ, & propoſitum vitæ nouæ, ſed odium veteris: & loquens de Attritione, idem potiori iure exigit de illa, dum dicit debere excludere omnem peccandi voluntatem; atque ideò requirere non ſolum propoſitum vitæ nouæ, ſed etiam odium & deteſtationem veteris vitę, ſeu præteritorum peccatorum. Si igitur ad iuſtificationem ſimul cum Cõtritione, & Attritione, non ſufficit ſolum propoſitum formale nouæ vitæ iuxta Tridentinum, quo pacto poterit ſufficienter diſponere propoſitum ſolum ſine Attritione? Et ratio eſt manifeſta, quia moraliter non poteſt elici ſolum propoſitum formale vitandi peccata in futurum, ſub motiuo ſupernaturali generali, quale requiritur ad iuſtificationem, quin expreſſe odio habeatur, & doleatur de praua anteacta vita: ergo nunquam ſolum propoſitum eſt ſufficiens diſpoſitio ad Sacramentum: Antecedens probatur; quia nulli occurrit,nec occurrere poteſt diſponere de futura vita in melius, nec cogitare de vitandis peccatis in futurum,quin illi occurrant ſaltem in genere peccata anteactæ vitæ; hæc enim duo videntur inſeparabilia in apprehenſione; neque enim hoc ſecundum poteſt mente concipi ſine illo primo; ſed quotieſcumque peccatori occurrit memoria & cogitatio ſuorum peccatorum iam commiſſorum, ſi vult ſe diſponere ad gratiam Sacramenti tenetur elicere ipſorum peccatorum efficacem & formalem deteſtationem ſeu Attritionem; nec ſufficit in eo caſu ſolus amor Dei formalis,abſque prædicta Attritione formali; vt docent communiter omnes Theologi,& nos id etiam probauimus ſuprà *diſp. 7. ſect. 3.* ergo nequit vnquam ſolum propoſitum formale elici,quin ſimul ſit peccati præteriti formalis deteſtatio,vel Attritio atque adeò ſolum propoſitum illud nequit vnquam eſſe ſufficiens diſpoſitio ad Sacramentum.

Tertium dubium eſt,an propoſitum obediendi Con- 10
feſſario in omnibus,ſit de neceſſitate, vt eſt pars Sacramenti. Breuiter dico vno verbo,cum communi doctrina, pœnitentem debere habere animum & propoſitum obediendi Confeſſori in iis quæ præcipere poteſt. Conſtat autem Confeſſorem duo poſſe præcipere. Primum ſpectat ad ſatisfactionem pro pœna debita peccatis commiſſis: de quo dicemus plura *infrà*, cùm de Satisfactione agemus. Secundum pertinet ad debitam diſpoſitionem, vel emendationem in futurum. In quo ſolet tantùm Confeſſor proponere pœnitenti, id quod aliàs ipſe facere tenetur, vt quod reſtituat,vel occaſiones tollat.

Digitized by Google

SECTIO IX.

An propoſitum debeat ſe extendere, non ſolùm ad peccata vitanda, ſed etiam ad occaſiones peccandi?

1 SVppono, quod notant omnes Doctores, occaſionem peccati eſſe duplicem: aliam remotam, & aliam proximam. Remotam appellant, quæ ex ſe non incitat ad peccatum, & in qua poſitus homo non iudicatur prudenter ac moraliter lapſurus, niſi ex negligentia & malitia eius, qui in ea verſatur. Talis eſt militia, mercatura, & aliqui alij viuendi modi, qui ſunt in Republica. De huiuſmodi occaſionibus remotis non loquimur, quia certum eſt non eſſe obligationem ad eas vitandas. Patet quia omnis creatura dici poteſt occaſio remota peccati, iuxta illud Sapientiæ 14. *Creaturæ Dei in odium factæ ſunt, & in tentationem animabus hominum, & in muſcipulam pedibus inſipientium*; & nihilominùs non debemus omnes ex hoc mundo exire; igitur propoſitum non peccandi non eſt neceſſe, vt ſe extendat ad eiuſmodi occaſionem: neque enim obligatur mercator, aut miles ad relinquenda hæc officia, tametſi nequeant, & niſi difficillimè abſque peccato exerceri: ideò Ioannes Baptiſta, vt habetur *Lucæ* 3. non dixit militibus vt relinquerent militiam, ſed vt obſeruarent leges illius ſtatus. Vnde ſimiliter eſt certum, poſſe abſolui illum, qui eſt in occaſione remota peccati. Ex quo inferunt nonnulli Doctores, prudenter abſolui adoleſcentes, qui verſantur cum fœminis laborando, vel conuerſando, quæ in eadem domo non habitant: quia licèt ſæpe ex tali occaſione mortaliter peccauerint cogitatione, conſenſu, tactibus, & etiam copula; ea tamen non cenſetur occaſio niſi remota; neque enim ex tali occaſione ſemper, aut ferè ſemper ſolent homines peccare mortaliter, & aliunde ad tollendam illam occaſionem oporteret pœnitentem in eremum abire, vt omni commercio cum fœminis liber eſſet. Occaſio proxima dicitur illa, quæ ſecundùm ſe multùm incitat ad peccādum, & ea talis eſt ex ſuo genere, vt frequenter homines ſimilis conditionis ad peccatum mortale inducat: Vnde iſta occaſio dicitur proxima, quia inter ipſam, & certitudinem moralem peccati futuri nihil mediat; nec eſt in mea poteſtate poſitâ illâ occaſione, vitare, quod non ſit poſitum iam id, ad quod moraliter & frequenter conſequitur peccatum mortale, quia iam me conieci in periculum, hoc eſt, in laqueum certitudinis moralis de peccato futuro. Talis occaſio cenſenda eſt, habitatio viri & fœminæ, qui coniuges non ſunt, & debent frequenter ſoli, & ſine arbitris in eadem domo ſimul verſari: potiori iure eſt in occaſione proxima qui detinet concubinam domi, nam iſte raro, vel nunquam deſinet cum illa peccare oblata occaſione. Et de iſtis occaſionibus ſeu periculis eſt hic ſermo, & circa illa occurrunt variæ difficultates diſſoluendæ. Prima eſt, an ſit obligatio vitandi occaſionem proximam; adeò vt ſit neganda abſolutio propter illam?

2 Communis ſententia & vera Doctorum eſt, per ſe loquendo propoſitum formale ſeu virtuale ſe extendere ad vitandas occaſiones peccandi proximas. Ratio eſt, quia occaſio proxima peccandi per ſe loquendo, non habet niſi rationem mali, ſcilicet impulſionem ad peccatum, quæ cum ordinaria gratia non vincitur; ergo eſt obligatio fugiendi illam: ergo per ſe loquendo eſt peccatum mortale ſe conſtituere in illa; ſed propoſitum requiſitum ad Sacramentum Pœnitentiæ debet ſe extendere ad omnia mortalia vitanda: ergo & ad huiuſmodi occaſiones, per ſe loquendo. Firmatur, quia ille qui vult manere in illo periculo morali labendi, non videtur habere propoſitum efficax non peccandi; nam ex obligatione vitandi peccatū mortale, ſequitur obligatio vitandi ea, quæ tali neceſſitate ſecum trahunt peccatum, ſaltem quando moraliter poſſumus eas occaſiones vitare. Dixi *per ſe loquendo*: nam per accidens, quando occaſio relinqui non poteſt abſque ſcandalo, graui infamia, vel detrimento magno ſpirituali, vel temporali, tunc non eſt neceſſe, vt propoſitum in prædicto caſu ad huiuſmodi occaſiones ſe extendat. Ratio eſt, quia maior vel minor neceſſitas temporalis, aut ſpiritualis, propria, vel aliena, deſeruit ad hoc vt periculum peccandi ſit cenſendum proximum, vel remotum; atque adeò vitandum, vel non vitandum. Nam ſi quis ſe conſtituat in magno periculo peccandi ad impediendas plurimas Dei offenſas, vel ad ſuccurrendum proximo in maxima neceſſitate exiſtenti, & quantum in ſe eſt firmiter proponat reſiſtere tentationi, tunc prudenter ſperare poteſt adfuturam ſibi abundantiam diuinæ gratiæ, vt cum effectu non peccet: atque adeò licèt ſæpe expertus ſit, illam occaſionem eſſe ſibi proximam, quia ſæpe in ea peccauit; tunc tamen credere prudenter poteſt non fore ſibi occaſionem peccandi, eo quòd ſit à Deo adiuuandus ne peccet; ergo in eo caſu occaſio illa prudenter poteſt non timeri tanquam occaſio hìc & nunc, licèt aliàs eſſet, atque adeò non eſt obligatio euitandi illam, ac per conſequens neque proponendi eam euitare.

Ex hac doctrina, quæ communis eſt, colligitur reſolutio plurium caſuum. Sic mulier quæ habitat in aliqua domo, vbi ſæpe incitatur ad peccandum, & ſæpe peccat, ſi non poſſit relinquere illam domum ſine propria infamia, vel non inuentura eſt vbi habitet, & ſuſtentetur, dummodò firmum habeat propoſitum non peccandi, licitè manet in illa domo; quià ſperare poteſt quòd ſi ipſa faciat frequentem orationem, vel alias exteriores pœnitentias cum vero deſiderio Deo ſeruiendi, Deum ei adfuturum ne peccet; atque adeò habitationem in illa domo potiùs ei fore occaſionem meriti, quàm peccati. Sic etiam Pontifex *in cap. Conſultationi, de frigidis & maleſic.* declarauit, duos qui contraxerunt Matrimonium inualidum propter impotentiam coëundi, poſſe ſimul cohabitare in eadem domo, vt fratrem, & ſororem, propter ſcandalum, & infamiam, cùm tamen periculum ſit tactuum & aliorum peccatorum. Sic quoque filiusfamilias poteſt abſolui, quamuis maneat domi ſerua, cum qua ſolet peccare, quam tamen ipſe expellere non poteſt; & à fortiori ſi cum fratre, vel ſorore habeat occaſionem peccandi, à quorum conuictu ſeiungi non poteſt abſque graui detrimento: debent tamen admoneri iſtæ perſonæ a Confeſſario de obligatione quam habent faciendi frequentem orationem, vel pœnitentias, vt non peccent. Sic denique poteſt abſolui pœnitens, quando habet extraordinarium dolorem, & propoſitum: hæc enim faciunt iam non eſſe occaſionem proximam, quia hoc modo ſic præuentus & armatus fortior multò eſt quàm erat prius, vnde pobabiliter ac prudenter poteſt de ipſo ſperari victoria tentationum, à quibus anteà ſuperabatur. 3

Secunda difficultas eſt, de illo qui ſæpius abſolutus propter graue detrimentum, quod ſequeretur ex remotione occaſionis proximæ, eodem tamen modo ſemper relabitur, nec in eo apparet vlla emendatio, an cogendus ſit ſubire illud detrimentum, & relinquere occaſionem illam proximam? 4

Dico *primò*, perſeuerantiam in occaſione proxima, præcisè non repugnare cum propoſito vero vitandi peccatum, 5

peccatũ, niſi ſit liberè volita ſine vlla cauſa. Hoc videtur certum, quia illa perſeuerantia ſecundùm ſe non eſt peccatum, ſed periculum proximum peccandi; ergo niſi illud ſcit liberè volitum, non repugnat cum vero propoſito vitandi peccatum. Patet Conſequentia, quia obligatio non peccandi mortaliter, affert obligationem vitandi periculum proximum peccandi mortaliter: nam eodem præcepto, quo quis crimen vitare tenetur, obligatur quoque ad proximum illius periculum vitandum: at huic obligationi non ſatisfacit, qui cùm poſſit ſine vllo detrimento, non vult relinquere occaſionem proximam: ergo velle perſeuerare ſcienter in tali occaſione proxima peccati mortalis, eſt nouum peccatum mortale: ergo iſte non habet verum propoſitum non peccandi, cùm actu peccet, non vitando illam occaſionem proximam, quam ſub peccato tenetur relinquere.

6 Dico *ſecundò*, in caſu propoſito, ſi non poteſt auferri occaſio abſque graui ſcandalo, vel detrimento ſpirituali, vel etiã corporali, poſſe per ſe loquẽdo, abſolui pœnitentem. Moueor, quia adhuc poſt experientiam illam nullius profectus & manifeſti periculi, ſtare poteſt verus dolor, & propoſitum requiſitum abſque voluntate auferendi occaſionem cum tanto detrimento; ergo poteſt abſolui pœnitens. Patet Conſequentia, quia nihil aliud requiritur, niſi Confeſſio cum dolore, & propoſito. Antecedens patet, quia ſicut prima vice potuit abſolui, quia cum tanto detrimento non tenebatur auferre occaſionem illam; ſic propter idem detrimentum, quo perſeuerat, excuſatur tempore ſequenti ab auferenda occaſione; neque eſt vnde orta fuerit grauis obligatio nunc auferendi occaſionem, quæ obligatio anteà non eſſet; ergo ſi antea excuſabatur, excuſatur etiam nunc. Firmo id efficaciter, quia poteſt ille pœnitens ex omnium doctrina, ſæpius abſolui ſi aliquam emendationem oſtendat, hoc eſt, non ita frequenter lapſus ſit, ſicut anteà: ergo ſimiliter poterit abſolui, ſi nulla emendatio ſecuta fuerit: patet Conſequentia, quia ſi in priori caſu poteſt ſtare dolor & propoſitum requiſitum cum certitudine illa morali de lapſu futuro ſequenti; poterit quoque in poſteriori caſu ſtare cum certitudine morali de lapſu futuro ſequenti; quia propoſitum non peccandi, cùm ſit vniuerſale, non minùs opponitur cum certitudine de vno lapſu contra ipſum propoſitum, quàm cum certitudine de multis. Et certè ſi occaſio eſſet talis, vt nullo modo auferri poſſet, qualis eſt fragilitas fundata in propria carne, & natura pœnitentis, quis neget poſt totam illam experientiam poſſe abſolui per ſe loquendo? quia nimirùm poteſt habere dolorem & propoſitum verum cum tota illa certitudine futuri lapſus. Dixi *per ſe loquendo*, quia per accidens poteſt, & debet non abſolui, quia aliquando ex illa experientia prudenter arguitur, pœnitentem carere nunc vero dolore, & propoſito requiſito: qui enim efficaciter & ſeriò proponit rem aliquam, quam aliunde moraliter implere poteſt, non ita facilè obliuiſcitur ſtatim ſui propoſiti, ſed ſaltem per aliquod tempus perſeuerat, & difficilius vel rarius cadit.

7 Tertia difficultas eſt, an ſit occaſio proxima ad aliquod peccatum indeterminatum. Caſus eſt: ſcit pœnitens, quòd ſi conuerſetur cum Petro, ſe exponit periculo morali peccandi mortaliter indeterminatè, vel contra Caſtitatem, vel contra Religionem, vel contra Iuſtitiam, tenebitur-ne vitare illam familiaritatem, tanquam proximam occaſionem peccati mortalis in communi, ſeu indeterminatè? Affirmo cum Cardinali Lugo *diſputatione* 14. *ſect.* 10. *numer.* 162. *& ſequentibus*, quia eſt manifeſta obligatio illud periculum fugiendi ad vitandum peccatum mortale illud in communi, non ſecus ac eſt obligatio fugiendi periculum morale ad vitandum aliquod peccatũ mortale determinatũ. Ratio à priori eſt, quia huiuſmodi obligatio oritur ex propoſito, quod debemus habere non peccãdi mortaliter; cum quo propoſito non ſtat voluntas occaſionis, quam morali certitudine conſequitur peccatum mortale: at non minùs repugnat cum propoſito non peccandi, velle aliquod peccatum mortale in communi, quàm velle aliquod in particulari: ergo non minus repugnabit velle aliquam occaſionem, quam certitudine morali conſequitur aliquod peccatum mortale in communi, ſeu indeterminatè, quã velle illam, quam conſequitur aliquod peccatum mortale determinatum.

Obiicies, ſequi ex hac doctrina, frequentiorem Confeſſionem, quàm annuam, obligare omnes ſub peccato, tanquam medium moraliter neceſſarium ad vitandum peccatum mortale, quod ſaltem in communi videtur certò committendum ab iis, qui ſolùm poſt annum confitentur. *Reſpondeo*, hanc difficultatem eſſe grauiſſimam, & ex profeſſo tractatam infrà *diſp.* 23. *ſect.* 4. quare in illum locum Lectorem reiicio.

Vltima difficultas eſt, an quando occaſio proxima tolli non poteſt propter ſcandalum, vel graue detrimentum, vel nullo modo auferri poteſt, & eſt frequens reincidentia in eadem peccata poſt multas Confeſſiones, abſque vlla emendatione, poſſit ac debeat Confeſſarius differre abſolutionem per aliquod tempus? 8

Ratio dubitandi eſt, quia non obſtante conſuetudine præterita, pœnitens poteſt habere verum dolorem & firmum propoſitum non peccandi: ergo non poteſt differri abſolutio; patet Conſequentia, quia diſpoſitio ſufficiens ad Sacramentum eſt dolor, & propoſitum præſens, non emendatio futura; ergo licèt pœnitens iudicetur relapſurus, poteſt & debet abſolui.

Dico *primò*, certum eſſe apud Doctores, poſſe ex conſenſu pœnitentis differri abſolutionem. Patet, quia volenti non fit iniuria, nec prudenter timeri poteſt, quod tædio affectus non redibit. Quare iudico optimè facturum Confeſſarium, ſi pœnitentem ſuauiter alliciat ad confitendum, proponendo illi vtilitatem ſpiritualem quam ſperat ex dilatione Abſolutionis. 9

Dico *ſecundò*, certum quoque eſſe, non poſſe licitè differri abſolutionem, quando pœnitens eſt ſufficienter diſpoſitus, & Sacerdos hìc & nunc, non obſtante conſuetudine præterita, iudicat pœnitentem habere verum dolorem & efficax propoſitum non peccandi. Id probat ratio dubitandi adducta, & doctrina omnium aſſerentium non debere abſolutionem differri abſque aliqua iuſta & rationabili cauſa, quę prudenter dictet eſſe differendam. 10

Dico *tertiò*, certum eſſe, quando Sacerdos, attenta conſuetudine præterita, & propenſione, aliiſque circumſtantiis, iudicat pœnitentem non auerti ſufficienter ab illo peccato, non poſſe eum abſoluere, quantumcumque pœnitens dicat ſe dolere. Patet, quia ſi Sacerdos id non credit, non habet iudicium requiſitum ad conferendam abſolutionem; eſt enim Iudex & debet iudicare de diſpoſitione præſenti, an ſit ſufficiens. Verum quidem eſt, vt benè notauit Granado *tractat.* 10. *diſputatione* 9. *numero* 5. quandiu non conſtat Confeſſario oppoſitum illius, quòd pœnitens dicit, ſtandum eſſe iudicio, ſeu teſtimonio illius, cùm fatetur ſe habere dolorem peccatorum; quia eſt commune Doctorum pronunciatum, pœnitenti in Confeſſione credendum eſſe, tam in iis, quæ contra ſe, quàm in illis quæ pro ſe dicit. 11

Dico *quartò*, eſſe cauſam rationabilem aliquando ad differendam abſolutionem abſque conſenſu pœnitentis, licèt ipſe aliunde credatur probabiliter eſſe nunc diſpoſitus. Ita affirmat Cardinalis Lugo cum communi ſententia loco citato *numero* 169. *& ſequentibus*, con- 12

tra

tra Ioannem Sancium in *diſputationibus practicis diſputatione 9. numero 6. & ſequentibus.* Et benè probat, quia licèt pœnitens legitimè diſpoſitus, habeat ius ad ſententiam, & abſolutionem, non tamen habet ius ad hoc, vt ſtatim proferatur ſententia, ſed prout Confeſſario, vtpote Iudici, & Medico ſpirituali, viſis omnibus circumſtantiis, magis expediens viſum fuerit. Et certè, ſi Confeſſarius timeat prudenter, pœnitentem nunc abſolutum, facilè relapſurum ſtatim in eadem crimina, niſi ipſe difficultate & dilatione abſolutionis territus, melius agnoſcat grauitatem peccati, & neceſſitatem emendationis, nonne poterit differre abſolutionem, vt pœnitens efficaciter emendetur? Fauet ei, ſi prudenter fiat, experientia multorum pœnitentium debilium, qui hoc remedio adhibito breui tempore ſolent curari: & pro pueris potiſſimùm videtur magis neceſſarium qui hoc modo melius concipiunt grauitatem peccati, & neceſſitatem non reincidendi in illud.

23 Dico *vltimò*, contra eundem Ioannem Sancium, pœnitentem interrogatum à Confeſſario de conſuetudine præterita, ad cognoſcendum ſtatum ipſius, teneri reſpondere, nec poſſe licitè vti æquiuocatione, ex eo quòd nequeat obligari ad confitenda bis eadem peccata. Ita ſentiunt omnes Theologi, & praxis Eccleſiæ. Patet, quia finis Sacramenti Pœnitentiæ id exigit manifeſtè: nam Confeſſarius cùm ſit Iudex, & Medicus, habet ius ad interroganda illa, quorum notitia neceſſaria eſt ad vtilem correctionem, vel pœnitentiam imponendam; ad ſciendum quoque, quænam medicina ſit illi hîc & nunc applicanda; & an indigeat dilatione abſolutionis, vt hoc tandem modo curetur. Neque hoc eſt cogere pœnitentem ad confitendum bis eadem peccata, vt rectè obſeruat Cardinalis Lugo; nam in hac ſecunda Confeſſione, non dat pro materia Confeſſionis conſuetudinem præteritam, nec de illa ſe accuſat, ſed explicat illam indirectè ad declarandum ſtatum ſuum, & indiſpoſitionem præſentem: qua ratione non eſt nouum obligari pœnitentem aliquando ad declaranda iterùm peccata, de quibus antea confeſſus fuerat. Sic coniugatus, qui cognouit conſanguineam vxoris ſuæ, poſtea peccat, quoties petit ab vxore debitum, & debet explicare ſuum inceſtum, quem iam fuerat confeſſus, ad declarandum peccatum præſens; & ſic in aliis caſibus, in quibus indirectè oportet declarare peccatum præcedens ad Confeſſionem peccatorum præſentium in ordine ad medicinam applicandam pro peccatis præſentibus. Quid enim turpius excogitari poſſet, magiſque contra finem, & reuerentiam Sacramenti, quàm ſi quis per plures annos concubinam quotidie inuiſens, ſemper in Confeſſione diceret, ſe illa ſola vice cum ipſa peccaſſe? Debet ergo in Confeſſione explicare pœnitens ſtatum ſuum interrogatus legitimè à Confeſſario in bonum ſuum.

SECTIO X.

Vtrùm dari poſſit Sacramentum Pœnitentiæ validum, & informe ex defectu doloris?

NOmine Doloris, ſemper intelligimus Contritionem, vel Attritionem: Sacramentum verò vocatur informe, non quod caret forma propriè dicta, nempe forma Sacramenti; ſic enim non eſſet verum Sacramentum: ſed quod habet veram materiam, & formam Sacramenti; & nihilominùs caret forma, & effectu, ſeu fructu gratiæ ſanctificantis.

Celebris opinio eſt, negans dari poſſe verum Sacramentum Pœnitentiæ ſine forma, vel effectu gratiæ. 1
Quam tradunt Gabriel *in 4. d. 17. quæſtione 1. art. 3. dub. 2.* Medina *codice de pœnitentia, tract. 2. quæſt. 20.* Vaſquez *qu. 92. a. 2. dubio vnico n. 13.* Coninck *diſp. 2. dubio 11.* & Alij.

Probari poteſt *primò*, quia nulla eſt Attritio ſufficiens ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ, quæ non ſit etiam ſufficiens ad effectum gratiæ: ergo impoſſibile eſt, vt detur Sacramentum Pœnitentiæ validum, & informe. Antecedens probatur, quia nulla Attritio eſt ſufficiens ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ, quæ non ſit vniuerſalis, ſaltem implicitè; id eſt quæ non ſe extendat ſaltem virtute ad omnia peccata mortalia, quæ in pœnitente remittenda ſuperſunt, cum propoſito ſaltem virtuali nullo modo peccandi mortaliter in poſterum; ſed talis Attritio ſufficit etiam ad effectum eiuſdem Sacramenti: ergo nulla eſt Attritio ſufficiens ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ, quæ non ſufficiat quoque ad illius effectum. Maior in qua eſt tota vis argumenti, probatur ex Tridentino *ſeſſione* 14. vbi eſt ſermo de partibus huius Sacramenti; atque adeò de requiſitis ad eius valorem, & eſt etiam ſermo de ipſius effectu: loquens enim de Contritione dicit *cap.* 4. eſſe deteſtationem de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero: iſtud propoſitum manifeſtè eſt vniuerſale, quia eſt idem, ac propoſitum nunquam peccandi: & loquens de Attritione, dicit diſponere ad remiſſionem peccatorum in Sacramento, ſi voluntatem peccandi excludat. Quibus verbis ſignificat, Attritionem debere eſſe vniuerſalem, & extenſam ad omnia peccata: quia ſatis eſt notum in materia doctrinali, terminum indefinitum poni pro vniuerſali: ergo ex Concilio Tridentino requiritur Attritio vniuerſalis. Firmatur, nam Tridentinum agit de Sacramento Pœnitentiæ ſecundùm eius eſſentiam, & ſecundùm effectum; atque adeò exprimere debuit, quid requiratur ad vtramque rem: ergo cùm nunquam diſtinguat inter requiſita ad eſſentiam, & requiſita ad effectum, ſignum eſt quòd ſupponat eadem prorſus eſſe requiſita ad eſſentiam, & requiſita ad effectum.

Secundò, Sacramentum Pœnitentiæ eſt Sacramentū recōciliationis cum Deo, vt conſtat; igitur requirit Attritionē vniuerſalem: patet Conſequentia, quia ſincera voluntas reconciliandi cum Deo, neceſſariò poſtulat excludere omnia, quæ huic reconciliationi opponuntur; ſed huic reconciliationi cum Deo opponuntur omnia mortalia: ergo pœnitentia interior incluſa in hoc Sacramento, quæ eſt implicita voluntas iſtius reconciliationis, debet opponi omnibus peccatis mortalibus; ergo nulla Attritio eſt ſufficiens ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ, quæ non ſe extendat ſaltem virtute ad omnia peccata mortalia etiam oblita, atque adeò quòd non ſit ſimul pars Sacramenti, & ſufficiens diſpoſitio ad gratiam. Maior illa non videtur poſſe negari, quia omnis amor efficax alicuius boni continet implicitè deteſtationem mali contrarij; ideò enim quilibet actus perfectæ Charitatis continet virtualiter deteſtationem omnium peccatorum, quamuis eorum homo non recordetur, quia nimirùm non poteſt ſtare ille actus cum actuali affectu ad peccatum mortale, ſed neque poteſt ſtare voluntas efficax reconciliationis cum Deo, cum affectu ad peccatum: ergo hæc voluntas continet implicitè deteſtationem omnium peccatorum.

Tertiò, ſi ad valorem Sacramenti non requiritur in aliquo caſu dolor, qui virtualiter ſe extendat ad omnia peccata mortalia; ergo poſſet quis validè recipere hoc Sacramentum cum affectu actuali ad aliquod mortale peccatum: nam cum hoc actuali affectu ſtare poteſt

ieſt Attritio de aliquo peccato propter eius ſpecialem turpitudinem.

Vltimò, ad valorem Sacramenti requiritur propoſitum vniuerſale: ergo requiritur etiam dolor virtualis vniuerſalis. Cur enim magis requiretur vniuerſalitas in propoſito, quàm in dolore? Igitur nequit eſſe Sacramentum ſimul validum, & informe, quia nequit eſſe defectus ex parte doloris, ſi ſit implicitè, ſeu virtualiter vniuerſalis.

Contrariam ſententiam, nempe Sacramentum Pœ-
2 nitentiæ poſſe eſſe validè factum, & tamen eſſe informe, id eſt ſine effectu gratiæ ex defectu doloris, tenent D.Thomas *in 4. d.17. quæſt. 3. articul. 4. quæſtiuncula prima*, Suarez *diſput. 20. ſect. 5. numer. 7.* Filliucius *tract. 6. cap. 7. numer. 165.* Diana *tom. 1. tract. 3. reſolut. 31.* Cardinalis Lugo *diſput. 14 ſect. 6.* & alij docti Recentiores. Defendit Suarez hanc ſententiam, in eo caſu quo pœnitens, qui commiſit duplex peccatum mortale, v.gr. alterum furti, & alterum luxuriæ, confitetur peccatum furti, ac de ipſo dolet propter ſpecialem turpitudinem, & fœditatem furti; de peccato verò luxuriæ non dolet, nec illud confitetur, quia illius inuincibiliter eſt oblitus. In hoc caſu, probat dari Sacramentum validum, & informe ſimul. Quia iſte homo apponit materiam, videlicet Confeſſionem formalem integram, & dolorem efficacem ſupernaturalem peccati furti cum propoſito abſoluto non peccandi de cætero: ergo nihil videtur deeſſe ad hoc, vt adueniente abſolutione fiat verum, & validum Sacramentum; & tamen per illud non confertur gratia, quia datur obex peccati luxuriæ non retractati per dolorem aliquem, nec formaliter, nec virtualiter. Vt enim Sacramentum Pœnitentiæ operetur ſuum effectum conferendi gratiam, & peccata remittendi, debet Attritio ſaltem virtualiter extendi ad omnia peccata mortalia, quæ homo fecit, & ei remiſſa non ſunt, quamuis aliquorum non recordetur, quia ſine pœnitentia, & dolore interno, nullum peccatum poteſt de facto remitti, etiam per Sacramentum; at in prædicto caſu non extenditur dolor ſiue Attritio ad peccatum luxuriæ, quia cùm Attritio ſit ex ſpeciali motiuo turpitudinis propriæ furti, non poteſt extendi virtualiter ad peccatum luxuriæ, quod illam ſpecialem turpitudinem non participat, ſed aliam diuerſam; vnde remitti non poteſt etiam indirectè per tale Sacramentum, vt liquet. Igitur in hoc caſu negari non poteſt dari Sacramentum informe, & ſine fructu gratiæ, & per conſequens dari Sacramentum ſimul validum & informe.

Ego ſentio cum Cardinali Lugo, poſſibilem eſſe caſum
3 prædictum à noſtro Suario adductum, in quo poſſit dari hoc Sacramentum validum & informe propter defectum doloris. Quod manifeſtè probo, quia dolor, qui requiritur vt diſpoſitio ad effectum Sacramenti Pœnitentiæ, non requiritur ad eſſentiam & valorem illius; ergo Sacramentum Pœnitentiæ poteſt eſſe eſſentialiter perfectum, & validum, & abſque effectu gratiæ in prædicto caſu, ex defectu doloris ad effectum requiſiti, & non ad valorem: Conſequentia euidens eſt. Antecedens probatur, quia ad eſſentiam ad valorem huius Sacramenti, non ſemper requiritur dolor vt pars, ita extenſus & vniuerſalis ex parte obiecti, ac requiritur vt diſpoſitio ad effectum illius; quia ad effectum Sacramenti Pœnitentiæ requiritur tanquam diſpoſitio dolor omnium mortalium non remiſſorum, quia in Sacramento Pœnitentiæ nullum remittitur peccatum mortale propria voluntate commiſſum, abſque proprio & expreſſo actu pœnitentiæ, tendente in illud ſaltem virtualiter, ob motiuum etiam comprehendens illud: at dolor ad eſſentiam & valorem Sacramenti requiſitus tanquam pars, ſufficit quòd ſit eorum mortalium, quorum fit Confeſſio, & non requiritur quòd ſit aliorum mortalium oblitorũ, quorum non fit Confeſſio: Imò vt eſt horum, quorum non fit Confeſſio, nequit eſſe pars, quia dolor non eſt pars huius Sacramenti, nec ad eius eſſentiam pertinet, niſi quatenus fit ſenſibilis per Confeſſionem; per hanc autem tantùm fit ſenſibilis reſpectu eorum peccatorum, quorum eſt ipſa Confeſſio; ac proinde dolor qui eſt peccatorum, quorum fit Confeſſio, & etiam aliorum quorum non fit confeſſio, quamuis ſit diſpoſitio vt eſt omnium eorum, non tamen eſt pars, niſi vt eſt dolor eorum quorum fit Confeſſio. Quod etiam clariùs conſtabit ex ſolutionibus argumentorum, quæ adducta ſunt pro contraria ſententia.

Ad Argumenta oppoſita: ad primum reſpondeo, 4
negando primum Antecedens. Ad probationem negatur Maior. Ad Tridentinum facilis eſt ſolutio, loquitur enim de dolore per ſe requiſito, & ideò non diſtinguit duos dolores, vnum, qui ſit diſpoſitio, alterum, qui ſit pars Sacramenti: per accidens verò poteſt requiri alius dolor, qui ſit diſpoſitio ad remiſſionem alterius peccati diuerſi, ſine quo non poſſet remitti hoc aliud; atque adeò ſit indiſpoſitio indirecta ad remiſſionem huius. Omnes enim debemus fateri quòd aliquando per accidens aliquis dolor ſit diſpoſitio ad auferendum obicem gratiæ Sacramentalis, qui tamen non ſit pars Sacramenti; vt in eo qui Baptiſmum ſuſciperet abſque dolore de peccatis præteritis ante Baptiſmum: hic enim ſi peccaret mortaliter poſt Baptiſmum, poſſet dolere de peccatis commiſſis poſt Baptiſmum, ex ſpeciali motiuo ſpecialis grauitatis, quam habent peccata in Chriſtiano, quod motiuũ cõprehenderet omnia peccata poſt Baptiſmũ cõmiſſa, quæ ſola ſunt materia Sacramenti Pœnitentiæ; atque adeò ille dolor ex tali motiuo ſufficeret ad valorem Sacramenti, & nihilominùs non iuſtificaretur per Sacramentum Pœnitentiæ, niſi aliunde doleret etiam de peccatis ante Baptiſmum commiſſis; hæc enim non comprehendebantur ſub illo motiuo doloris de peccatis hominis Chriſtiani; ergo tunc dolor quem ex alio motiuo haberet de peccatis ante Baptiſmum factis, non eſſet pars Sacramenti Pœnitentiæ, & tamen eſſet diſpoſitio tollens obicem prouenientem ex peccatis ante Baptiſmum factis, quę peccata, vt conſtat, non eſſent materia Sacramenti Pœnitentiæ, ſed tollerentur virtute Baptiſmi anteà ſuſcepti: atque adeò dolor de illis non eſſet pars Sacramenti Pœnitentiæ, ſed diſpoſitio ad tollendum obicem, quatenus diſponit ad hoc, vt virtute Baptiſmi præteriti, tollantur illa priora peccata, & virtute abſolutionis præſentis cum dolore de peccatis aliis, tollantur etiam poſteriora. Simile exemplum eſt de homine religioſo, qui confitetur ſola venialia, & dolet de illis propter oppoſitionem quam habent cum ſtatu perfectionis, qualis eſt Religionis, quod motiuũ licèt nõ cõprehendat peccata mortalia facta in ſæculo, eſt tamen ſufficiens ad verum dolorem, cum quo fiet Sacramentum; & tamen ſi hic homo haberet aliquod peccatum mortale in ſæculo factum nondum remiſſum, non iuſtificaretur per hoc Sacramentum ob defectum doloris de illo peccato, de quo ſi adeſſet dolor, iuſtificaretur per hanc Confeſſionem de venialibus; & ille alius dolor de mortali non eſſet pars, nec materia huius Sacramenti, quia non ſignificaretur per hanc Confeſſionem externã, ſed eſſet ſolùm diſpoſitio ad auferendum obicem. Igitur dubitari non poteſt, contingere poſſe in aliquibus caſibus, ſicut in noſtro præſenti, requiri per accidens alium dolorem, qui ſit diſpoſitio ad effectũ Sacramenti, & non ſit pars Sacramenti: neque id Tridentinum, nec alia Concilia negarunt, quia loquuntur de dolore per ſe requiſito, quatenus eſt de peccatis in Confeſſione explicatis, qui ſolùm eſt pars Sacramenti Pœnitentiæ. Id verò quod additur in argumẽto, Attritionem debere eſſe talem, quæ excludat volun-

tatem

quæ dicta ſunt de neceſſitate Attritionis, ſeu doloris, locum habeant in Confeſſione quæ fit de ſolis venialibus peccatis. Non eſt autem quæſtio nunc de pœnitentia ſeu dolore requiſito vt remittantur peccata venialia extra Sacramentum; de quo latè diximus ſuprà *præcedent. tract at. diſp.* 10. per ſectiones octo. Solùm ergo agimus de peccatis venialibus, quatenus fiunt materia Confeſſionis Sacramentalis, & directè remittuntur per abſolutionem Sacerdotis.

SECTIO PRIMA.

An in Confeſſione, quæ fit de ſolis venialibus, requiratur Attritio, vel dolor efficax.

1 SVppono vt certum, ex infrà dicendis *ſequenti diſputatione*, peccata venialia, etiam ſola abſque mortalibus, poſſe eſſe materiam ſufficientem huius Sacramenti. Ad eius tamen valorem, vel effectum non requiri dolorem de illis, ſicut de mortalibus. Probari poteſt.

Primò, quia ad remiſſionem venialium, ſecluſa inſtitutione Sacramenti, non eſt neceſſaria formalis pœnitentia, vel dolor; ergo neque poſita dicta inſtitutione erit neceſſaria; non enim debuit coarctari per huius Sacramenti inſtitutionem.

Secundò, quia ſi deberet præcedere dolor efficax, nunquam venialia remitterentur per Sacramentum Pœnitentiæ; nam in homine iuſto ſola Attritio ſufficit ad remiſſionem venialis peccati: ſi verò non daretur illa Attritio, vel dolor efficax, abſolutio non eſſet valida de illis; ergo.

2 Communiter tamen omnes Theologi meritò affirmant, Confeſſionem etiam de venialibus peccatis requirere dolorem de illis efficacem, ac veram Attritionem. Id manifeſtè colligitur ex Tridentino *ſeſſ.* 14. *cap.* 4. aſſignante partes huius Sacramenti Contritionem, Confeſſionem, & Satisfactionem. Nomine autem Contritionis, non intelligit dolorem imperfectũ ſeu diſplicentiam ineſſicacem, quæ poteſt ſtare ſimul cum propoſito iterùm committendi illud peccatum, & cum peccato actuali; ſed intelligit formalem deteſtationem peccati commiſsi, vt definit ibi, & ſupernaturalem, quia illam appellat Donum Dei, & Spiritus Sancti impulſum; ergo quotieſcumque fit Sacramentum Pœnitentiæ, & per conſequens cùm fit de ſolis venialibus, requirit vt partem eſſentialem Contritionem imperfectam, ſeu Attritionem formalem. Firmatur, nam in ea Confeſsione, quæ eſt de ſolis venialibus peccatis, requiritur vera & formalis accuſatio; at ad veram & formalem accuſationem, quæ debet eſſe doloroſa, neceſſarius eſt dolor formalis; ſicut etiam requiritur ad integritatem Sacramenti in ſuo ordine ſatisfactio; ergo. Denique peccatum veniale etiam eſt vera offenſa Dei, vtpote ipſi diſplicẽs, in quo conſiſtit ratio offenſæ erga Deum, quamuis non grauis, ſed leuis, & inſufficiens ad diſſoluendam amicitiam cum ipſo; vnde eſt etiam aliqualis auerſio à Deo, qualis eſſe poteſt inter amicos, & eſt aliqualis macula, quà anima aliqualiter maculatur: ergo oportet pœnitere de illa, dũ accedit ad Pœnitentiæ Sacramentum, inſtitutum ad remittenda quælibet peccata etiam leuia, ſed dolorifera, de quibus habeatur vera retractatio, ac deteſtatio formalis.

3 Quod dixi de Confeſsione venialium, dicendum eſt quoque de Confeſsione peccatorum mortalium, quæ iam per aliam Confeſsionem, & Abſolutionem dimiſſa fuère; ad ſecundam enim requiritur etiam dolor abſolutus, & efficax, nec ſufficit ſimplex diſplicentia inefficax. Id patet à fortiori propter eaſdem rationes.

4 Ad argumenta oppoſita. Ad primum, Antecedens eſt falſum; nam ad remiſsionem peccati venialis extra Sacramentum, in homine iuſto de facto non ſufficit Attritio, quæ eſt vera deteſtatio ipſorum, ſed requiritur dolor perfectior, nempe perfecta Contritio; & tamen cum Sacramento eſt ſufficiens diſpoſitio imperfecta Contritio, ſeu ſola Attritio; atque adeò remiſsio venialis non coarctatur per Sacramentum.

Ad ſecundum, negatur Seqtela Antecedentis: nam peccata venialia cùm ſint materia Sacramenti Pœnitentiæ, remittuntur ſæpe per Abſolutionem huius Sacramenti. *Primò*, quando homo ſimul ea confitetur cum aliquo peccato mortali non prius dimiſſo: tunc enim licèt habuiſſet anteà Attritionẽ priùs de venialibus, non fuiſſent remiſſa, cùm eſſet in ſtatu peccati mortalis, & remittuntur per Sacramentum. *Secundò*, in homine iuſto, non remittuntur de facto extra Sacramentum venialia, etiamſi de illis habeat veram Attritionem: ſolùm enim per Contritionem perfectam, vel actum amoris Dei ſuper omnia de facto remittuntur: vt *tractat. præced. diſp.* 10. *ſect.* 6. oſtendi: quæ tamen remittuntur virtute Sacramenti per Attritionem. Vnde falſum eſt peccata venialia iuſti nunquam remitti virtute Sacramenti Pœnitentiæ.

SECTIO II.

An ſit mortale confiteri venialia abſque vllo dolore.

NOn deeſt qui partem negantem amplectitur, his adductus argumentis. *Primò*, quia non eſt culpa grauis fruſtrare Sacramentum in materia leui: ſic qui confitetur plura venialia, ſi non dolet de omnibus, ſed de aliquibus, non peccat mortaliter, & tamen fruſtrat Sacramentalẽ abſolutionem ab aliquo effectu partiali, videlicet in remiſsione illorum, de quibus non dolet; ergo licèt fruſtretur abſolutio in remiſsione omnium, cum ſit materia leuis, non erit culpa grauis. 1

Secundò, non eſt culpa grauis non implere pœnitentiam impoſitam ob venialia peccata, licèt fruſtetur effectu, quia eſt materia leuis; ergo ſimiliter.

Vltimò, eſt valde probabilis opinio licitum eſſe contrahere Matrimonium abſque intentione & conſenſu interno, ad vitandum aliquod graue damnum vitæ, vel honoris, licèt propter fictionem irritum fiat Sacramentum: ergo ſaltem non erit culpa mortalis in Confeſsione venialium fruſtrare valorem Abſolutionis.

Contraria ſententia tenenda eſt vt certa, cum communi omnium Theologorum doctrina, quam adeò veram eſſe exiſtimo, vt illam aliam improbabilem iudicẽ, ne dicam temerariam; quia eſt contra omnes Theologos, & ſine vllo fundamento. Præcipua ratio eſt, quia eſt grauis irreuerentia Sacramenti fruſtrare illud, faciendo quòd Sacerdos proferat abſolutionem Sacramentalem ſuper materia incapaci, qualis eſt Confeſsio ſine vllo dolore: ergo eſt culpa mortalis. Vnde leuitas, vel grauitas in hac re, non debet attendi ſecundùm grauitatem, vel leuitatem materiæ ſecundùm ſe, ſed in ordine ad Sacramentum, cuius irritatio, ex eo quòd applicetur abſolutio ſuper materia incapaci, ſemper eſt res grauiſsima & peccatum mortale. cuius rei ratio hæc eſt, quia 2

verba Chriſti, qualia ſunt formæ Sacramentales, quæ à Miniſtris proferuntur nomine Chriſti, applicantur fruſtra, & quaſi irriſoriè, abſque omni prorſus vtilitate, vel fructu; ergo eſt grauis culpa. Firmatur à ſimili; nam ſi Sacerdos proferret verba Conſecrationis ſuper aquam ſcienter, etiamſi haberet intentionem poſtea conſecrandi vinum ad perficiendum Sacrificium, grauiter peccaret, vt omnes fatentur; pariter etiam ſi offerretur acetum ad Conſecrationem, eſſet culpa mortalis; non alia de cauſa, niſi quia verba Chriſti, proferrentur omninò fruſtrà: ergo cùm peccata venialia abſque vllo dolore, nequeant eſſe materia debita Sacramenti, ſicut non eſt aqua, neque acetum in Sacramento Euchariſtiæ, ſi dentur pro materia formæ abſolutionis, quæ profertur nomine Chriſti, erit peccatum mortale.

3 Hinc patet ſolutio ad argumenta contraria. Ad primum, dato Antecedente negatur Conſequentia, quia in illo caſu Sacramentum non fruſtratur in ratione Sacramenti, nec redditur irritum, cùm maneat aliqua materia valida, quæ ſufficit ad hoc, vt verba Chriſti non proferantur fruſtrà, ac irriſoriè: at in noſtro caſu nulla eſt materia apta & idonea, & per conſequens redditur Sacramentum omni ex parte irritum, non ſine valdè graui irreuerentia.

Ad ſecundum, diuerſa eſt ratio, quia non implendo pœnitentiam illam leuem, non fraudatur Sacramentum ſuo valore, vt conſtat, neque etiam toto fructu, ſed aliqua leui parte fructus, in quo non reperitur grauis irreuerentia, vt per ſe conſtat.

4 Ad vltimum dico nullum argumentum fieri poſſe à Sacramento Matrimonij ad Pœnitentiæ Sacramētum; multa enim quæ in hoc Sacramento non licent, propter reuerentiam Sacramenti, licent in Matrimonio, quia eſt contractus oneroſus, quem Chriſtus voluit relinquere, qualis in ſe erat, eleuauit tamen illum ad rationem Sacramenti. Hinc fit vt Matrimonium poſſit validè, & aliquando licitè contrahi ſub conditione de futuro; at Pœnitentiæ Sacramentum non poteſt valide ſub tali conditione fieri, vt vidimus ſuprà *diſp. 5. ſect. 7.* Item Matrimonium poteſt validè & licitè contrahi per procuratorem & in abſentia; quod non licet in Sacramento Pœnitentiæ: poteſt quoque nutibus & ſignis fieri, cùm Pœnitentiæ Sacramentum requirat voces & verba; nequit etiam Sacerdos dare formam abſolutionis indigno; & in Matrimonio coniux, qui eſt miniſter, poteſt illud miniſtrare alteri coniugi, licèt ſciat, ipſum eſſe in ſtatu peccati; quia reſpicit illud per modum contractus humani, quem ſic Chriſtus reliquit, ne per eleuationem ad Sacramentum, difficilior eſſet. Denique quod eſt magis ad rem, noluit Chriſtus cogere contrahentes, adhoc vt propter reuerentiam Sacramenti curarent, ne vnquam irritum eſſet, ſed reliquit in eis facultatem, quam prius habebant fingendi conſenſum, & reddendi contractum irritum, quâ parte contractus eſt, vrgente graui cauſa. Vt notarunt benè Henriquez *lib. 11. de matrimonio, c. 9. n. 6.* & Thomas Sanchez *lib. 1. de matrimonio diſp. 11. n. 2.* & cōmuniter ſolet exemplum apponi in eo, qui eſt coactus iniuſtè ex metu cadente in conſtantem virum, ad contrahendum Matrimonium; hic enim fictè poteſt conſentire in eo contractu, æquiuocè verba proferens cum mentali reſtrictione, vt, Cōtraho tecum, intelligendo, ſi teneor: nullum enim peccatum iniuſtitiæ committit, quia tunc ex iuſta cauſa æquiuocat alterum, nec peccatum Sacrilegij facit, quia non irritat propriè Sacramentū, ſed irritat contractum. Verum poſſet quis dicere non ſatisfacere exemplum hoc, quia in eo caſu nullam iniuriam facit Sacramento Matrimonij, quia non reddit illud irritum, cùm ſit iam irritum tale Matrimonium iure Eccleſiaſtico, etiam factum ſine fictione, & cum vero conſenſu Nihilominùs inſtari poteſt, peccaturum grauiter quia nouum apponeret impedimentum, ex defectu veri conſenſus, & ideò nouo titulo & cauſa irritum redderet Sacramentum, quod non eſſet ſine graui iniuria, niſi eſſet contractus; cùm enim vltra Sacramenti rationem, contractus naturam induat, poteſt ea ratione, quâ contractus eſt, abſque Sacramenti iniuria irritum reddi, quando cauſa iuſta ad id cogit: præſertim quia non quicumque conſenſus vel contractus eſt forma & materia Sacramenti Matrimonij, ſed ſolus legitimus. Quod etiam nos docuimus in *tractatu noſtro de Matrimonio, diſp. 17. ſect. 12. n. 12. & ſequentibus, vſque ad finem ſectionis.* Vbi etiam conſtituimus in Sacramento Pœnitentiæ id locum non habere; nam ſi Sacerdos etiam metu mortis abſolueret illum, quem ſcit eſſe indiſpoſitum, vt reuera eſſet qui confiteretur venialia abſque vllo dolore, graue ſacrilegium committeret, tametſi ſciret ſe tunc non facere Sacramentum, vt eſt certum; quia Sacerdos in illo caſu verè profert verba, quæ ſunt forma Sacramenti, & ideò grauiter peccat, quia non cadunt ſupra materiam diſpoſitam, & ita proferuntur inutiliter ac irriſoriè, non ſine graui Chriſti Domini iniuria ac irreuerentia, quia ſunt verba ipſius, & à Miniſtro eius nomine proferuntur.

SECTIO III.

An ſit mortale, non habere dolorem de omnibus venialibus, quæ in Confeſſione explicantur?

SVpponit quæſtio, eſſe de aliquo veniali, vel aliquibus verum dolorem; aliter enim ſi eſſet de omnibus ſine dolore, eſſet manifeſtum ſacrilegium, vt conſtat ex præcedenti ſectione, quia nullum fieret Sacramentum: Sed difficultas eſt, quando materia illa venialium quæ ſine dolore explicantur in Confeſſione, eſt tantùm partialis. In quo ſenſu poſſet quis opinari mortale eſſe. *Primò*, quia confiteri aliquod veniale abſque dolore efficaci, eſt apponere pro materia Sacramenti id, quod non poteſt eſſe eius materia; ſic enim ſi quis ad conſecrandum apponeret plures hoſtias, quaſdā triticeas, & alias hordeaceas, proculdubio peccaret mortaliter: ergo ſimiliter grauiter peccat, qui explicat Sacerdoti pro materia abſolutionis plurima venialia, quorū aliqua ex defectu doloris nequeūt eſſe materia validæ abſolutionis. 1

Secundò, ſequeretur, non eſſe peccatum graue cum materia venialium cum dolore, peccatum mortale iam confeſſum apponere ſine dolore. Probatur Sequela, quia Sacramentum adhuc eſſet validum, cùm adeſſet venialium materia cum dolore ſufficienti, & aliunde defectus doloris de illo peccato mortali non eſt obex valori huius Sacramenti.

Tertiò, ſi non eſt grauis irreuerentia contra Sacramētum, apponere cū alia materia peccatū aliquod veniale abſq; dolore; ergo nec fieret grauis irreuerētia, apponere in Cōfeſſione aliquod peccatū mortale falſū, ſimul cum aliis veris; quia iā apponitur materia valida Sacramēti, & aliūde mendaciū illud non videtur graue, cùm poſſit homo abſque graui culpa imponere ſibi aliquod mortale peccatum, quod non fecit. Conſequens autem eſt manifeſtè falſum, quia alioquin poſſet pœnitens abſque vllo ſcrupulo excedere in numero peccatorum, & illum pro libito augere ſine peccato mortali.

Vltimò, in noſtro caſu fieret forma abſolutionis falſa: ergo eſſet grauis iniuria & irreuerentia Sacramenti. Antecedens probatur, quia formæ abſolutionis ſēſus eſt

vniuerſa

vniuerſalis reſpectu materiæ in quam cadit; ſignificat enim illud verbum, *abſoluo*, abſolutionem ab omnibus peccatis confeſſis: ergo eſt falſa, ſi aliquod peccatum reuera confeſſum eſt ſine vllo dolore, nam ab illo nullo pacto abſolui poteſt: ſicut in exemplo illo de hoſtiis adducto, cùm dicitur, *Hoc eſt corpus*, illud, *Hoc*, deſignat totam materiam præſentem, de qua falsò dicitur eſſe Corpus.

2 His tamen non obſtantibus, verius iudico ac probabilius id non eſſe peccatum mortale. Ita Suarez *diſputat.* 20. *ſect.* 6. *num.* 7. Henriquez *lib.* 1. *de Sacramento Pœnitentiæ, cap.* 16. §. 7. Fagundez *lib* 2. *de ſecundo Eccleſiæ præcepto cap.* 1. *num.* 13. Cardinalis Lugo *diſp.* 14. *ſect.* 8. *num.* 118 & alij. Ratio eſt, quia materia talis culpæ leuis eſt; nam defectus illius doloris non eſt contrarius gratiæ, qui eſt primarius effectus huius Sacramenti & per formam ſignificatus, neque etiam impedit remiſſionem aliorum venialium, de quibus vera & doloroſa ſit accuſatio capax veræ abſolutionis, non obſtante obice alicuius venialis peccati; ergo non eſt culpa mortalis.

3 Ex quo infero, quando Confeſſio eſt de ſolis venialibus peccatis, non eſſe de illius ſubſtantia, vt dolor efficax, & abſolutus ſit vniuerſalis de omnibus peccatis. Ratio eſt, quia quando Confeſſio eſt de ſolis venialibus, non eſt de neceſſitate eius, vt ſit integra: Tum quia vnum veniale remitti poteſt ſine alio: Tum quia peccatum veniale non eſt materia neceſſaria. Quo etiam à fortiori oſtenditur, non eſſe contra valorem Sacramenti, quando Confeſſio fit de multis venialibus, quòd non ſit integrè doloroſa; nam ſi peccatum tacitum non obſtat veritati Sacramenti, peccatum ſine dolore dictum non etiam obſtabit.

4 Ad argumenta contraria. Ad primum, optimè reſpondet Suarez *diſp.* 22. *ſect.* 10. *num.* 8. dans paritatem; nam eſt manifeſtum diſcrimen inter formam Euchariſtiæ & formam huius Sacramenti Pœnitentiæ: nam illa per ſe primò reſpicit materiam, & illam deſignat, & effectum circa illam ſignificat; atque ideò quacumque ratione ſupponatur materia falſa, & falſificatur forma, & ſubſtantialis effectus impeditur, ac per conſequens eſt ibi culpa mortalis. At forma Sacramenti Pœnitentiæ per ſe primò ſignificat perſonam, & effectum circa illam, vt patet ex illis verbis, *Ego te abſoluo*: & principaliter ſignificat effectum gratiæ ex ſe remiſſiuæ peccati, qui non impeditur, etiamſi aliquod veniale peccatum remiſſibile non ſit ex indiſpoſitione pœnitentis. Vnde eſt omninò vera, licèt non cadat ſupra omnia venialia peccata à pœnitente adducta; non enim dicit: Hæc omnia ſunt peccata, & condonantur tibi; ſed ſolùm ſignificatur quòd pœnitens accipiat effectum gratiæ remiſſiuæ peccati.

5 Ad ſecundum, Cardinalis Lugo concedit Sequelam: nam ſi quis confiteatur aliqua venialia, de illiſque doleat propter ſpecialia motiua, & confiteatur ſimul aliquod mortale, quod iam in alia Confeſſione directè fuit remiſſum per Confeſſionem ipſius, & abſolutionem, conſequenter dici debet non eſſe peccatum graue, etiāſi in ſecunda Confeſſione de illo non doleat propter rationem in argumento allatam: dum tamen non habeat de illo mortali complacentiam, quia hæc eſſet planè mortalis ratione obiecti.

6 Ad tertium, Syluester verbo *Confeſſio, quæſt.* 8. inſinuat hanc etiam eſſe materiam leuem, ac proinde veniale peccatum. Et firmari poteſt, quia reſpectu Sacramenti non videtur grauis iniuria, propter dicta in ſimili de peccato veniali: neque etiam eſt mendacium pernicioſum; quamuis enim pœnitens decipiat Confeſſorem, decipit tamen contra ſe, ideóque non facit illi grauem iniuriam; ſibi autem non poteſt inferre iniuriam: neque etiam infert ſibi graue nocumentum contra Charitatem propriam, quia vel eſt dominus famæ ſuæ, vel illa infamatio in Confeſſione reputatur leuis, reſpectu eius, qui poteſt cedere iuri ſuo: & ſæpe etiam eſſe poteſt leuis ex materia, quia in aliqua perſona peccatum mortale aliquod non eſt grauis infamia.

Verùm communiter Doctores affirmant id eſſe peccatum mortale, quia fit contra reuerentiam Sacramenti; Tum quia eſt deceptio in materia ex ſe neceſſaria Sacramenti: Tum quia decipitur Iudex in re graui & neceſſaria, nec enim minùs decipitur per Confeſſionem criminis falſi, quàm per negationem criminis veri, nec minor occaſio variandi iudicium, prout in hoc Sacramento requiritur. In omni autem iudicio mendacium in iis quæ pertinent ad ſubſtantialem cauſam; decipiendo iudicem in eis, eſt peccatum mortale, per ſe loquendo. Non eſt autem mortale ſe accuſare de peccato veniali falſo: nam per hoc non decipitur grauiter Iudex, ſicut per illud, quod quamuis dicatur, vt confeſſum iam in alia Confeſſione; adhuc tamen videtur ſubiici huic iudicio Sacramenti Pœnitentiæ, & variat notabiliter iudicium Confeſſario in ordine ad conceptum, & æſtimationem de conſcientia pœnitentis.

Ad vltimum negatur Antecedens; nam cùm dictum ſit, formam Sacramenti Pœnitentiæ per ſe primò ſignificare perſonam, & effectum circa illam gratiæ remiſſiuæ peccati; non obſtante illo defectu peccati venialis irremiſſibilis ex indiſpoſitione pœnitentis, poteſt forma eſſe vera: ſicut in conficiendo Baptiſmate, ſi quis miſceret aquæ naturali guttam aquæ roſaceæ, quæ eſt falſa materia, adhuc conficeret verum Sacramentum, & formam in vero ſenſu proferret. Imò & de facto in Euchariſtia, licèt in vino conſecrando apponatur immediatè ante conſecrationem pars aquæ, & hæc iuxta multorum ſententiam non conſecratur, niſi prius fuerit in vinum conuerſa; & licèt illo breuiſſimo tempore non fuerit conuerſa in vinum, adhuc tamen licitè, & verè proferuntur verba formæ Conſecrationis.

SECTIO IV.

An, & quale propoſitum requiratur in Confeſſione peccatorum venialium?

ad hanc difficultatem vnico verbo reſpondet Suarez *diſputatione* 20. *ſection.* 6. *numero* 5. dicens, in Confeſſione venialium, requiri propoſitum ea vitandi, regulariter verò ſufficere virtuale propoſitum in abſoluta deteſtatione, ac dolore peccati incluſum: addit tamen ſecurius eſſe illud adhibere, maximè quando de illo cogitatio occurrit: nam ſi quis ad illud non aduertat, & bona fide procedat, deteſtando talia peccata, non eſt cur de valore talis dubitet Sacramenti. 1

Dico *primò*, certum videri, vt communiter obſeruant Doctores, in Confeſſione venialium requiri propoſitum formale, vel ſaltem virtuale vitandi peccatum veniale in futurum. Patet, quia vt oſtenſum eſt ſuprà *ſectione prima*, ad remiſſionem venialis requiritur dolor efficax, & abſolutus: at iſte dolor includit 2

propoſitum virtuale ſaltem, vt ſæpe dictum eſt, ergo. Firmo, quia omnis pœnitentia ſufficiens ad remiſſionem peccati venialis, debet neceſſariò includere ſaltem virtuale propoſitum, illud ampliùs non committendi, ſine quo non poteſt conſiſtere vera pœnitentia. Neque enim ſeriò poſſum peccata deteſtari, à quibus in poſterum nolo abſtinere.

3 Dico *ſecundò*, eiuſmodi propoſitum debere eſſe de vitando alio veniali ſimili omninò per dolorem prius retractato. Ratio eſt, quia non poſſumus deteſtari efficaciter peccatum veniale præteritum, abſque deteſtatione, vel odio efficaci circa peccatum ſimile futurum; nam peccatum præteritum, & futurum ſimile habent eandem malitiam, vt ſupponitur; ergo non poſſum efficaciter odio habere peccatum præteritum propter talem malitiam, & retinere affectum erga eandem malitiam: hoc enim eſſet amare, & odio habere idem obiectum. Quo argumento probatur, non requiri propoſitum de vitandis aliis peccatis venialibus diuerſis, etiam virtuale: quia in illis reperiuntur diuerſæ malitiæ, quarum vnam poſſumus efficaciter deteſtari, abſque deteſtatione ſimili, imò & cum affectu erga aliam diuerſam. Dixi, *omninò ſimili*, quia poſſum habere dolorem de vno mendacio, verbi gratia, abſque dolore virtuali de alio eiuſdem ſpeciei mendacio, & abſque propoſito vitandi illud, ex eo quòd non ſit omninò ſimile, propter aliquam inæqualitatem in differentia numerica: vt doleo de mendacio cum plena aduertentia facto ex mera leuitate; qui tamen dolor non infert deteſtationem de alio mendacio facto cum ſemiplena aduertentia, vel cum aliqua vtilitate, aut cauſa, quamuis vtrumque mendacium ſit eiuſdem ſpeciei: doleo item de furto leui, quia eſt vnius regalis argentei, cum propoſito non committendi aliud ſimile in futurum; cæterùm in illo propoſito non videntur includi alia furta leuiora minoris quantitatis; tametſi omnia illa ſint eiuſdem ſpeciei.

4 Dico *tertiò*, hoc propoſitum poſſe conſiſtere cum probabili timore, quòd in poſterum in idem peccatum incidemus, modò nullus actualis affectus ſit circa illud. Id optimè notauit Coninck. *diſputatione* 2. *dubio* 14. *numero* 129. Et ratio eſt, quia propoſitum tametſi ſit efficax, & firmum, non excludit à pœnitente omnem habitualem inclinationem ad illud; hæc enim non obeſt, quandiu in actum non prorumpit; ſufficit ergo quòd excludat omnem actualem affectum. Firmatur, quia ad valorem Sacramenti ſolùm requiritur ea deteſtatio & propoſitum, quod expellat propriiſſimè voluntatem actualem peccandi; illa verò eſt talis, nam cum illa nunquam poterit coniũgi voluntas actualis illud peccatum committendi, ſed vel pœnitens non peccabit, vel deſiſtet ab illo priori propoſito, & voluntate: ergo illa ſufficiens: eſt ad valorem Sacramenti.

5 Dico *quartò*, placere mihi triplex diſcrimen traditum à P. Coninck *loco citato*, inter propoſitum requiſitum ad remiſſionem peccati venialis, & illud aliud propoſitum, quod requiritur ad remiſſionem peccati mortalis. Propono ſingula, & expendo. Primum diſcrimen eſt, quia propoſitum vitandi mortale, debet neceſſariò ſe extendere ad omnia peccata mortalia; nec vnum ſine alio remitti poteſt, nec remiſſio illius poteſt conſiſtere cum aliquo etiam virtuali erga ipſum affectu. Contrà verò, ſicut vnum veniale peccatum, poteſt remitti ſine alio; ita etiam poteſt remitti exiſtente actuali affectu erga alia venialia. Hoc diſcrimen omnibus probatur, & eſt adeò manifeſtum, & clarum, vt nulla alia indigeat confirmatione, aut declaratione. Secundum diſcrimen eſt; quòd propoſitum vitandi mortale, debet eſſe abſolutum vitandi in poſterum omnia omninò peccata mortalia; etiam collectiuè ſumpta, quia & poſſumus cum diuina gratia, & tenemur ea omnia hoc modo vitare. Vt verò obtineamus remiſſionem venialium, etiam omnium, ſi cætera adſint, ſufficit propoſitum vitandi ſingula in particulari ſeu ſpeciatim ſumpta, & vitandi omnia ſimul collectiuè ſumpta, quantum humana fert fragilitas. Prima pars huius diſcriminis certa eſt & conſtans apud omnes; nam adeſt ſemper omnibus nobis ex parte Dei, ſufficiens gratiæ auxilium ad implenda omnia præcepta, quæ obligant ſub mortali, & ideò tenemur ſub mortali ea omnia ſeruare: atque ideò cum pœnitet nos peccaſſe, accedentes ad Sacramentum Pœnitentiæ, tenemur firmiter proponere omnia peccata mortalia etiam collectiuè ſumpta in futurum omninò vitare cum Dei gratia. Secunda pars quæ difficilior eſt, fusè & doctè ponderatur à noſtro Cardinali Lugo, expendens difficultatem, quæ communiter proponitur, *diſputat.* 14. *ſect.* 9. nimirùm, circa vnum, vel aliud veniale, vel circa aliquam ſpeciem poſſe fieri illud propoſitum; circa omnia tamen collectiuè non videri poſſibile; quia ſicut eſt impoſſibile vitare omnia venialia, quia abſolutè ea vitare non poſſumus ſine ſpecialiſſima gratia, quę non datur omnibus: ita erit quoque impoſſibile proponere vitare omnia. Firmatur id, quia dolor & propoſitum quod requiritur ad valorem Sacramenti debet eſſe tale, quod non compatiatur ſecum voluntatem peccandi, vt colligitur ex Tridentino *ſeſſ.* 14. *c.* 4. Id autem cum proportione debet verificari in Confeſſione de venialibus, ad quam requiritur talis deteſtatio, cum qua non poſſit ſimul ſtare affectus, ſeu voluntas eadem peccata committendi. At ſi ſolùm requireretur propoſitum faciendi quantum moraliter poſſumus, & noſtra fragilitas patitur ad vitanda illa peccata, poſſet ſtare cum tali propoſito voluntas abſoluta faciendi aliquod ex illis peccatis quę ſunt *in illa* collectione.

6 Mihi videtur illud diſcrimen ſic eſſe intelligendum, nimirùm diſtinguendum eſſe: nam duplicia ſunt venialia peccata, quædam quæ plena libertate committuntur: & de iis omnibus vitandis, non dubium quin poſſit homo habere abſolutum propoſitum; quia eſt poſſibile cum gratia Dei, quæ ſecundùm legem ordinariam confertur dignè petentibus, ſeu præparantibus ſe ad illam. Alia verò ſunt venialia, quæ dicuntur ex ſubreptione, ſeu imperfectè deliberata, quorum collectionem totam vitare longo tempore poſſibile non eſt ſine ſpeciali priuilegio. Vnde circa tale obiectum non poteſt haberi propoſitum omninò abſolutum; ſatis ergo eſt, vt poſſit homo proponere, ſe omnem diligentiam adhibiturum ad illa vitanda, vel minuenda, quantum morali & humano modo potuerit.

Tertium diſcrimen eſt, non ita teneri nos vitare omnes occaſiones peccandi venialiter, ſicut occaſiones omnes peccandi mortaliter. Quod veriſſimum eſt, quia teneor multò maiorem operam dare, vt quæram media neceſſaria ad euitanda omnia peccata mortalia, quàm ad venialia, vt eſt manifeſtum.

Dico *vltimò*, nos faciliùs poſſe abſoluere ſæpe relabentes in eadem peccata venialia, quàm relabentes in eadem mortalia. Patet ex præcedentibus, quia hic relapſus in mortalia ſæpius eſt ſignum defectus propoſiti neceſſarij peccata in poſterum vitandi: at relapſus frequens in peccata venialia non tam facilè eſt ſignum defectus talis propoſiti ad eorum remiſſionem neceſſarij, cùm id poſſit contingere ratione frequentium occaſionum peccandi. 7

SECTIO

SECTIO V.

An ex defectu integritatis in dolore, poſſit Sacramentum Pœnitentiæ de peccatis venialibus eſſe validum, & informe?

1 BReuiter dico *primò*, non poſſe ex prædicto defectu Sacramentum Pœnitentiæ de ſolis peccatis venialibus moraliter eſſe validum, & informe ſimul, ſed neceſſariò ſemper ſi validum ſit, eſſe formatum, & non informe. Ratio eſt euidens, quia vt conſtat ex ſectione vltima Diſputationis præcedentis, nequit dari Sacramentum informe niſi ex defectu integritatis, ſeu vniuerſalitatis in dolore, quia nimirùm motiuum illius non eſt vniuerſale nec ſe extendens ad omnia peccata; ſed hic defectus in dolore de peccatis venialibus non impedit effectum gratiæ, vt conſtat ex dictis ſuprà *ſectione tertia*; ergo tale Sacramentum ſicut eſt validum, ita eſt quoque formatum: ergo nunquam poterit eſſe informe.

2 Dico *ſecundò*, poſſe contingere caſum, in quo Sacramentum Pœnitentiæ de venialibus ſit validum, & informe ſimul. Vt ſi quis habens peccatum mortale, licitè de ſolis venialibus confiteatur, vel quia mortale non occurrit memoriæ ſine culpa, vel quia licèt occurrat, non poteſt tamen illud dicere huic Confeſſori ſine graui nocumento, & non habet alterius copiam: ſi iſte pœnitens non habeat Attritionem de tali peccato mortali, ſine culpa, ex ſimili naturali obliuione, vel ex ignorantia inuincibili; habeat verò verum dolorem, & Attritionem de peccatis venialibus, quæ confitetur. In hoc caſu Sacramentum, & Confeſſio valida eſt ſimul, & informis; valida quidem, quia eſt formaliter integra, & ex ſufficienti dolore de venialibus; informis verò, quia ſine Attritione peccatum mortale remitti non poteſt; illo autem non remiſſo, nec venialia quæ cum illo coniuncta erant, poſſunt remitti, nec gratia infundi, vt conſtat. Aliter verò eſſet, ſi pœnitens Attritionem de illo peccato mortali habuiſſet; nam tunc ſaltem concomitanter remitteretur tale peccatum per abſolutionem Sacramentalem. Neque eſt inconueniens, peccatum mortale concomitanter remitti cum venialibus, quia hæc tunc non remittuntur ſine infuſione gratiæ habitualis; hæc autem neceſſariò excludit peccatum mortale.

SECTIO VI.

Quæ venialia dentur pro materia in Confeſſione Sacramentali; & an retractetur totaliter dolor, ſi fiat aliquod veniale poſt ipſum?

1 CIrca primum, frequenter contingit, quòd pœnitens habeat dolorem vniuerſalem, qui ſe extendat, vel ad omnia venialia, vel certè ad omnia venialia talis ſpeciei, vt verbi gratia, ad omnia mendacia, & ſe accuſet de mendaciis, non explicando numerum; dubitatio eſt, quid det pro materia Sacramenti, an omnia mendacia, an aliqua; & cur potius hæc, quam illa, cùm ea non determinet.

Ad hanc difficultatem breuiter dico, regulariter remitti omnia, aut ferè omnia, quia ex circumſtantiis perſonæ, & temporis percipit Confeſſarius plus, minúve, multitudinem, quam ipſe pœnitens concipit. Quòd ſi nullo modo Confeſſarius id perciperet, remitterentur nòn omnia, ſed aliqua mendacia, verbi gratia, ex illa multitudine, quæ per illum confitendi modum intelligi poſſunt, ſaltem duo vel tria; nec ad hoc oportet, vt pœnitens intendat determinatè hæc potiùs, quàm illa ſignificare, & dare pro materia; ſufficit quòd velit aliquot ex illis dare pro materia, qualiter per illa verba poſſunt ſignificari. Vnde ex illa multitudine remitterentur duo vel tria priora ex venialibus grauiora, quia pœnitens cenſetur velle liberare ſe, quantum poteſt, & à debito quo magis grauatur. Sicut cùm quis debet Petro duo millia aureorum, & ſoluit mille, cenſetur velle extinguere debitum quod magis illum grauat; vt ſi pro mille, ex illis debeat ſoluere intereſſe, & non pro aliis mille, cenſetur velle ſoluere pro illis mille, quæ magis grauant, quia vult ſe liberare quantum poteſt. Solùm notandum eſt, reliqua venialia non remitti indirectè. Quia talis modus abſolutionis indirectæ reſpectu Confeſſionis Sacramentalis, de ſolis venialibus non eſt admittendus, propter diſcrimen quod eſt inter venialia, & mortalia: nam mortalia ſunt inſeparabilia in ordine ad remiſſionem; neque enim poteſt tolli vnum mortale de facto, quin tollantur omnia, cùm quodlibet tollatur per infuſionem gratiæ, cum qua nullum poteſt manere: & ideò neceſſe eſt reliqua indirectè tolli; hoc eſt, non vt materiam directam illius Sacramenti, ſed vt aliquid quod non poteſt manere cum effectu directo Sacramenti. At venialia non habent connexionem iſtam; poteſt enim vnum remitti, & non aliud: ideò non datur hic modus remittendi venialia indirectè per Sacramentum Pœnitentiæ, ſed directè remittuntur ea quæ confitemur. 2

Circa ſecundum, difficultas eſt, quando pœnitens confitetur ſimul mortalia, & venialia, & omnia deteſtatur ex motiuo vniuerſali offenſæ diuinæ contra diuinum ius, quod ad omnia peccata extenditur; tunc ſi pœnitens poſt dolorem, & propoſitum debitum, ante abſolutionem tamen obtentam, committat aliquod veniale peccatum impatientiæ, vel gloriæ vanæ, dubitatur an accedat ad accipiendam abſolutionem abſque debita diſpoſitione. 3

Dico *primò*, adhuc in eo caſu validum eſſe Sacramentum, nec reuocari dolorem, aut propoſitum in illis caſibus per nouum veniale; itavt non maneat diſpoſitio ſufficiens ad valorem, & effectum Sacramenti. Patet id ex communi praxi Confeſſariorum, & pœnitentium, quæ eſt optima legum interpres: nam nec Confeſſarij admonent pœnitentes de obligatione, ac neceſſitate habendi dolorem ſeorſim ex ſpeciali motiuo, vel de illo renouando immediatè ante abſolutionem; neque ipſi pœnitentes habent eiuſmodi ſcrupulos circa prædictam Confeſſionem. Et ratio eſt, quia deteſtatio peccatorum licèt ſit vniuerſalis de omnibus peccatis, non tamen terminatur æqualiter ad ea omnia, ſed inæqualiter, iuxta eorum inæqualitatem, itavt magis deteſtemur mortalia, quàm venialia, magis grauiora quàm leuiora, vel minùs grauia, vt probaui ſuprà *tractatu præcedenti, diſputatione 3. ſectione 6. numero 3.* Igitur ſi pœnitens deteſtatus fuit eodem actu mortalia & venialia, ſed illa magis quàm iſta, propter maiorem eorum grauitatem, & deteſtabilitatem; 4

litatem; non ſequitur, reuocatum fuiſſe dolorem circa mortalia, ex eo quòd commiſerit aliquod veniale; quia cùm veniale minus deteſtaretur, quam mortalia, potuit retineri horum deteſtatio, etiam deficiente deteſtatione illorum. Idem de propoſito dicendum eſt: quia ſicut magis deteſtamur mortalia, quàm venialia, ſic magis proponimus circa illa, quàm circa iſta. Vnde non deficit propoſitum circa mortalia, ex eo quòd deficiat circa venialia; quia deficiente quod eſt minus, non oportet, quòd deficiat quod eſt maius. Et quamuis propoſitum illud fuerit vnus indiuiſibilis actus, eſt tamen virtualiter multiplex propter obiecta plura, ad quæ terminatur, ac proinde poteſt moraliter perſeuerare quoad aliqua, licèt videatur reuocari quoad alia.

Dico *ſecundò*, idem ſimiliter cum proportione aſ-
5 ſerendum, quando pœnitens confeſſus eſt ſola venialia, & omnia illa deteſtatur ex motiuo vniuerſali, etiamſi pœnitens ante abſolutionem committat aliquod veniale gloriæ vanæ, vel impatientiæ. Ratio eſt eadem, quia licèt ante abſolutionem peccet venialiter, non ideò cenſetur reuocari totus dolor, & propoſitum præcedens: quia inter ipſa venialia datur inæqualitas: atque ideò per deteſtationem magis deteſtamur venialia grauiora, quàm leuiora, & magis proponere videmur circa illa, quàm circa iſta: ergo non cenſetur reuocata totaliter deteſtatio, vel propoſitum, prout verſatur circa omnia; ſed ad ſummum, prout verſatur circa æqualia illi nouo veniali ſuperuenienti. Vnde cùm pœnitens det pro materia illa ſola, circa quæ manet diſpoſitio debita doloris, & propoſiti non reuocati, certè non redditur Sacramentum irritum ob defectum debitæ diſpoſitionis. Vnde infero manifeſtum diſcrimen inter propoſitum circa venialia, & circa mortalia: nam propoſitum circa aliqua venialia, quod remanet, ſufficit ad abſolutionem accipiendam à grauioribus venialibus; quia poteſt pœnitens illa ſola dare pro materia, & aliunde non requiritur propoſitum vniuerſale non peccandi venialiter ad hoc Sacramentum Pœnitentiæ. Attamen ad propoſitum circa peccata mortalia requiritur, quoties homo ſe accuſat de mortali, propoſitum vniuerſale non peccandi mortaliter, quod propoſitũ non remanet nouo peccato mortali.

6 Dico *tertiò*, nihilominùs eſſe optimum conſilium ad maiorem ſecuritatem, quòd pœnitens doleat ſeorſim de mortalibus. Nam tunc eſt dolor de illis propter grauitatem offenſæ mortalis; hic verò dolor ex tali motiuo, nullo modo reuocatur per peccatum veniale ſubſequens. Similiter affirmo conſulendum eſſe, vt ſeorſim deteſtetur, ac doleat de peccatis venialibus, quę confitetur, vel de aliquibus eorum, propter ſpecialem eorum deformitatem, & ſpecialem offenſam diuinam quam continent. Nam tunc huic deteſtationi non opponitur aliud peccatum veniale nouum, quod non participat illam ſpecialem deformitatem, quam per priorem deteſtationem pœnitens iam deteſtatus eſt.

DISPVTATIO XXI.

De materia remota, hoc eſt de peccatis quæ debent, vel poſſunt eſſe materia Confeſſionis Sacramentalis.

Accedimus iam poſt tractationem Contritionis, ad aliam partem eſſentialem Sacramenti Pœnitentiæ, quæ eſt Confeſſio explicanda. Priùs tamen de eius obiecto ſeu materia, hoc eſt de peccatis, quæ debent vel poſſunt eſſe materia illius, eſt agendum. Dicuntur autem peccata, materia Confeſſionis, non quia ſint materia *ex qua*, ſicut lignum eſt materia ſtatuę, ſed quia ſunt materia circa quam Confeſſio Sacramentalis verſatur, quæ eſt proprie accuſatio peccati; ſicut cauſa de qua in aliquo iudicio agitur, dicitur materia eius. Peccata remota materia dicuntur reſpectu Sacramenti; quòd proximè componitur ex ipſa Confeſſione, ſicut & Contritione, quæ ſunt partes eſſentiales ipſius, vt oſtenſum eſt *ſuprà*.

SECTIO PRIMA.

Quænam ſit materia remota Sacramenti Pœnitentiæ?

SVppono *primò*, materiam remotam non eſſe ipſum 1
peccatorem qui abſoluitur. Nam peccator potius eſt ſubiectum, quod commune eſt omnibus Sacramentis; & ad hoc Sacramentum Pœnitentiæ, ſicut & ad cætera, præter Baptiſmum, ſupponi debet baptizatus.

Suppono *ſecundò*, Doctores omnes ex D. Aug. *lib.* 50. 2
homil. vlt. c. 4 diſtinguere materiam remotam Pœnitentiæ in neceſſariam, & ſufficientem. Neceſſaria dicitur, nõ illa ſine qua perfici nequit hoc Sacramentum, ſed illa, quæ ſi exiſtat in conſcientia pœnitentis, debet neceſſariò neceſſitate præcepti & medij, exiſtere in Sacramento Pœnitentiæ. Sufficiens verò dicitur, non quæ ſufficere poteſt, ſed quæ tantùm habet eſſe ſufficientem & idoneam, quin vllam habeat neceſſitatem.

His præmiſſis. Dico *primò*, originale peccatum ad hãc 3
materiam non pertinere. Hoc certum eſt vt ſuprà oſtendi *diſp.* 1. *ſect.* 5. *n.* 1. Et breuiter liquet, quia nec propter illud, Sacramentum Pœnitentiæ eſt inſtitutum; nec illud eſt materia propriæ accuſationis, cùm non ſit propria voluntate commiſſum.

Dico *ſecundò*, certum quoque eſſe, peccata actualia 4
ante Baptiſmum commiſſa minimè ad hanc materiam pertinere: vt loco citato oſtendi *n.* 2. Et patet, quia per ſe, ac totaliter remittuntur per Baptiſmum: & perſona illa pro illo ſtatu non eſt de iuriſdictione Eccleſiæ; & ideò eius actus non ſunt ſubiecti Clauibus.

Dico *tertiò*, peccata omnia actualia commiſſa poſt 5
Baptiſmum, eſſe materiam remotam huius Sacramenti. Hoc etiam eſt certum, vt probaui *ſup. dict. ſect.* 5. *n.* 3. Hæc enim omnia ſunt ſubiecta Eccleſiæ; atque ideò Clauibus, & abſolutioni Sacramenti Pœnitentiæ ex Chriſti inſtitutione ſubiicienda.

Dico *quartò*, peccatum ſacrilegij fictæ ſuſceptionis 6
Baptiſmi vt opere conſummatum, eſſe per ſe materiam Sacramenti Pœnitentiæ. Hoc latè oſtendi ſuprà *diſp.* 1. *ſect.* 6. Videantur ibi dicta.

Dico *quintò*, cætera peccata quæ committuntur in 7
inſtanti vltimo, quo perficitur Sacramentum Baptiſmi, præter peccatum formalis fictionis, non eſſe materiam remotam Sacramenti Pœnitentiæ. Id ex profeſſo oſtendi diſput. 1. citata ſectione 7. & vltima. Recolantur, quæ ibi dicuntur.

Dico *ſextò*, omnia peccata mortalia poſt Baptiſmum 8
commiſſa, quę ſunt in conſcientia pœnitentis, eſſe neceſſariam materiam in Confeſſione Sacramentali declarandam. Hoc eſt certum de fide, definitum in Trid. *ſeſſ.* 14. *canone ſeptimo*. Et ratio eſt deſumpta ex Tridentino, quia Sacramentũ Pœnitentiæ eſt quoddam iudicium, in quo Sacerdos eſt iudex; ergo vt omninò iuſtã ſententiã ferat, oportet habeat plenam notitiam cauſæ, ac proinde pec-

catorum

catorum omnium mortalium; alioquin nec medicinam competentem iniungere poterit, nec perfectè de ſtatu pœnitentis iudicare. Igitur peccata omnia mortalia ſunt neceſſaria materia in Confeſſione explicanda.

Dixi, *quæ ſunt in conſcientia pœnitentis*: nam illa peccata mortalia dicuntur eſſe in conſcientia pœnitentis, quæ per aliam Confeſſionem non fuerunt ritè Clauibus, & abſolutioni Sacramentali ſubiecta: illa enim quæ in alia Confeſſione explicata ſunt, & per illam remiſſa creduntur, licet ſint in memoria pœnitentis, non tamen propriè ſunt in conſcientia; quia iam vt omninò extincta, ac remiſſa conſiderantur: alia verò peccata mortalia, quæ nondum ſunt explicata in Confeſſione, licèt contingat apud Deum eſſe iam remiſſa per veram Contritionem; cenſentur adhuc eſſe in conſcientia pœnitentis, quia nondum ſunt per Claues Eccleſiæ remiſſa.

9 Dico *vltimò*, peccata mortalia certa, vt certa eſſe confitenda. Hoc etiam eſt, indubitatum: & manifeſtè colligitur ex deciſione Tridentini *ſeſſ.* 14. *can.* 7. *& cap.* 5. Et ratio eſt, quia ſi peccata mortalia certa omninò omittamus, aliquid tacemus quod ad integritatem formalem Confeſſionis neceſſariò ſit explicandum. De dubiis verò peccatis mortalibus dicam *ſectione ſequenti*.

10 Supereſt autem difficultas, an peccata mortalia commiſſa ante diem Pentecoſtes à baptizatis fuerint materia neceſſaria Confeſſionis? *Reſpondeo*, iuxta veriorem ſententiam, quam late defendit Suarez *lib.* 10. *de legibus cap.* 4. Eccleſiam Chriſti, & legem nouam non incepiſſe a puncto mortis Chriſti, vel ab eius Reſurrectione, ſed à die Pentecoſtes, obligare: quia tunc in illo die facta eſt ſufficiens promulgatio publica prædictæ legis Hieroſolymis.

Quo poſito, dico peccata mortalia commiſſa ante illum diem poſt Baptiſmum non fuiſſe materiam neceſſariam Confeſſionis. Ratio eſt, quia materia Confeſſionis Sacramentalis debent eſſe peccata commiſſa ab homine exiſtente iam intra Eccleſiam. Quod docet Tridentinum *ſeſſ.* 14. *cap.* 2. illis verbis: *Eccleſia in neminem iudicium exercet, qui non prius in ipſam per Baptiſmi ianuam fuerit ingreſſus.* Quod probat ex illo Pauli. 1. *Cor.* 1. *Quid enim mihi de iis qui foris ſunt, iudicare?* Dum enim homo non eſt intra Eccleſiam, delictum illius non pertinet ad iudicium Eccleſiæ, neque ad ipſius iudices, in quorum territorio non deliquit. Cùm ergo ante diem Pentecoſtes nondum eſſet Eccleſia, non fiebant peccata illa intra Eccleſiam; atque ideò non pertinebant ad iudicium Eccleſiæ. Vnde nec tunc erat materia ſufficiens propter eandem rationem: nam Sacramentum Pœnitentiæ inſtitutum fuit per modum iudicij, vt conſtat ex Tridentino, & ita non poteſt exerceri, aut miniſtrari; niſi à Iudice, & ſuperiore: quamdiu ergo non erat Eccleſia, non poterant eſſe adhuc Iudices, aut Prælati Eccleſiæ, per quos miniſtraretur tanquam per Iudices ad hoc conſtitutos. Quare illo tempore intermedio Apoſtoli, tametſi habebant iam poteſtatem Ordinis, qualem habet Sacerdos poſt ſuam Ordinationem, deerant tamen illis ſubditi, in quos exercerent talem poteſtatem; quia nondum conſtitutâ Eccleſiâ, nondum fideles erant ſubditi Apoſtolorum; atque adeò nec vllum iuriſdictionis vſum habebant.

SECTIO II.

An peccata mortalia non certa, ſed dubia opinatiue ſint materia neceſſaria Confeſſionis Sacramentalis, abſque vlla limitatione?

PRæmittendum eſt, duplex eſſe dubium, aliud poſitiuum, ſeu opinatiuum, quando videlicet quis iudicat aliquid, non tamen omninò certò, ſed opinatiue, cum formidine partis oppoſitæ; vel quia habet rationes & motiua ad credendum ſe feciſſe aliquid, & ad credendum etiam oppoſitum: vel certè habet ſaltem rationes probabiles ad credendam vnam partem, licèt ad aliam non habeat. Aliud dubium eſt negatiuum, vel ſuſpenſionis, quando nimirum de neutra cōtradictionis parte iudicium etiam opinatiuum ferri poteſt, ſed ſuſpēſus manet intellectus, vel quia pro nulla parte eſt ratio ſufficiens ad prudenter iudicandum; vel quia oblatas pro quauis parte ita eneruant rationes oppoſitæ, vt de neutra probabilis, vel prudens aſſenſus haberi poſſit. In priori ſenſu procedit præſens difficultas; in poſteriori *ſeq. ſect.* diſcutienda eſt. 1

Circa primum igitur Coninck *diſp.* 7. *dub.* 8. *num.* 68. docet eum qui certò ſcit, ſe mortaliter peccaſſe, & ſolùm probabiliter exiſtimat fuiſſe dictum in Confeſſione, teneri confiteri. Probat, quia is qui ſcit ſe debuiſſe homini centum, & ita dubitat opinatiue an ſoluerit, non eſt liber à ſolutione, quia per ſolutionem incertam, non poteſt ſatisfacere certo debito. Firmatur, nam ſi debes ex contractu centum, non liberaris ab obligatione totali, niſi per ſolutionem certam; ergo idem dicendum in noſtro caſu. 2

Dico *primò*, quando dubium eſt poſitiuum, ſeu opinionis, & iudico probabile eſſe, me peccaſſe lethaliter, & non eſſe confeſſum; itavt oppoſitum probabiliter iudicare non valeam, peccatum ſic dubium eſſe materiam neceſſariam Confeſſionis. Sic Suarez *diſp.* 21. *ſect.* 9. *n.* 5. & eſt cōmune inter Doctores. Ratio eſt, quia ex Trid. *ſeſſ.* 14. *c.* 5. omnia peccata mortalia quæ ſunt in conſcientia pœnitentis, ſunt materia neceſſaria Confeſſionis; atqui peccata quæ probabiliter iudicantur commiſſa, ſunt in conſcientia pœnitentis, quia illorum ſibi conſcius eſt, nec habet iudicium probabile quod ſequatur ad omittendam Confeſſionem illorum; ergo ſunt materia neceſſaria Confeſſionis. Et ratio à priori ſumitur ex materia de Cōſcientia opinatiua: nam quādo homo probabiliter iudicat teneri ad vnā partē, & de alia oppoſita non habet iudiciū probabile, ſed ſuſpicionē aliquā vel timorē, certū eſt, hominē debere ſequi tale iudicium; quia tale iudicium eſt ſufficiens ad regulandam humanam actionem: nam ex illo, quamuis ſpeculatiuè incertum ſit, colligitur iudicium certum practicè de rectitudine actionis, ſufficiens eſſe ad actiones humanas, quia maior rectitudo regulariter excedit hominis vires. Igitur ſi quis iudicet probabiliter ſe peccaſſe mortaliter, & nunquam eſſe confeſſum tale peccatum, & de altera parte contraria non habet iudicium probabile, tenetur illud in Confeſſione explicare. Vnde potiori iure conueniunt omnes Doctores, eum qui ſcit ſe peccaſſe mortaliter, nec probabiliter iudicat illud peccatum fuiſſe confeſſum, debere illud confiteri. Tum propter rationem dictam. Tum quia tunc poſſeſſio eſt clarior contra pœnitentem: conſtat enim certò de peccato, & de obligatione confiten- 3

di; non autem conſtat adhuc probabiliter de Confeſſione facta.

4 Dico *ſecundò*, quando non certò, ſed tantùm probabiliter iudicat quis ſe non peccaſſe mortaliter, aut probabiliter exiſtimat ſe confeſſum eſſe, tametſi oppoſitum, videlicet ſe peccaſſe, & non eſſe confeſſum, æquè, imò & magis probabile eſſe putet non teneri tale peccatum amplius confiteri. Ita Suarez citatus *num. 6.* Thomas Sanchez *lib. 1. ſummæ, cap. 10. num. 76.* Nauarrus *c. ſi quis, num. 77.* Henriquez *lib. 5. de pœnitentia, cap. 4. in fine.* Mæratius *diſput. 26. de pœnitentia, ſect. 3. num. 4.* Cardinalis de Lugo *diſput. 16. ſect. 2. num. 59.* & alij. Ratio eſt, quia opinionis probabilitas, etſi minor ſit, ſufficit ad declinandam obligationem præcepti: illud enim iudicium pro capacitate hominis, qui rarò poteſt plenam certitudinem de rebus aſſequi, cenſetur ſufficiens ad inferendam practicam certitudinem. Et certè ſi pœnitens diceret Confeſſori ſe habere tale iudicium probabile, & velle ſequi illud, Confeſſor deberet conformari illi in hoc, ſicut in aliis rebus probabilibus; ergo à fortiori poterit pœnitens illud omittere. Hæc concluſio intelligenda eſt, non ſolùm quando quis probabiliter iudicat, non feciſſe actionem, quæ de ſe eſt peccatum mortale, ſed etiam quando ſciens ſe illam actionem feciſſe, iudicat tamen probabiliter illam hîc & nunc non fuiſſe peccatum mortale, vel ex defectu aduertentiæ, vel aliis de cauſis: ob eandem rationem, nimirùm, quia poteſt ille ſequi opinionem probabilem. Addit meritò Sanchez, idem prorſus dicendum eſſe, quando ſunt probabiles opiniones, an aliquæ circumſtantiæ ſint confitendæ? poteſt enim pœnitens opinioni probabili dicenti non neceſſariò fatendas, conformari. Tandem idem prorſus dicendum eſt, vbi ſunt opiniones probabiles an peccatum ſit reſeruatum.

5 Dico *tertiò*, etiamſi quis certus ſit ſe peccaſſe mortaliter, ſi tamen probabiliter iudicat confeſſum eſſe, tametſi oppoſitum, ſcilicet non eſſe confeſſum, æquè, imò & magis probabile exiſtimet, non teneri confiteri. Ita Doctores citati contra Coninck. Id firmatur quoque ratione præcedentis concluſionis, & amplius confirmat Lugo, quia in aliis etiam præceptis obligatio eſt certa audiendi Sacrum, v. g. ieiunandi, recitandi officium diuinum, &c. & tamen ſatisfacit homo, qui iuxta probabilem ſententiam ieiunat, audit Sacrum, & recitat officium; ergo obligationi confitendi, quamuis certa ſit, ſatisfacit homo per opinionem probabilem. Adde, qui confitetur Confeſſario habenti probabilem iuriſdictionem, hoc eſt iuxta probabilem ſententiam de eius valore, nihil frequentius apud Theologos, quàm excuſare illum à reiteranda Confeſſione. Item qui dicunt probabile eſſe, quòd detur Sacramentum Pœnitentiæ validum informe; conſequenter dicunt illa peccata non eſſe iterum confitenda, licèt reuera valor præcedentis Confeſſionis ſolùm ſit probabilis. Tandẽ probatur concluſio: nam cùm quis probabiliter exiſtimat ſe peccaſſe mortaliter, quin oppoſitum probabiliter iudicare valeat, tunc eſt certa obligatio confitendi, vt dixi *dicto primo*, & fatetur Coninck; & tamen ſi probabiliter etiam iudicaret ſe eſſe confeſſum, excuſaretur ab obligatione iterùm confitendi: ergo iam per ſolutionem probabilem ſatisfieri poteſt obligationi certæ.

6 Ad argumentum Coninck reſpondet benè Cardinalis Lugo citatus *n. 60.* diſtinguendo; ſi illa centum debeantur ex promiſſione liberali, ſatisfieri etiam ſolutione probabili: ſicut qui ex voto debet ieiunium, ſatisfacit voto, ſi ieiunet obſeruando ieiunium iuxta probabilem opinionem, licèt non iuxta certam. Si vero illa centum debeantur ex contractu oneroſo, vt ex Emptione, Permutatione, &c. tunc non ſatisfacit ſolutione probabili, quia non ſeruatur æqualitas reddendo pro re certa aliam incertam, quæ eo ipſo minùs valet. Cuius rei ratio hæc eſſe videtur, quia intentio contrahentium eſt, vt detur ſibi pecunia certa pro mercibus certis. At cùm in aliis præceptis non habeant vim eiuſmodi rationes, non eſt cur illam habeant in noſtro caſu: credendum enim eſt in omnibus his fieri ſatis intentioni diuinæ per ſolutionem probabilem; vt conſcientiarum anxietatibus, & ſcrupulis via præcludatur.

Circa ſecundum, an ſit adhibenda noſtræ doctrinæ traditæ *numero quinto* aliqua limitatiò, eſt non parua difficultas. Nam Henriquez *lib. 5. de pœnitentia cap. 4. in fine*, tametſi ſentiat nobiſcum quando quis certus eſt de actione; probabiliter tamen iudicat non fuiſſe peccatum mortale, non teneri illam confiteri, limitat hoc, dicens, niſi pœnitens ſit in mortis articulo; tunc enim ait teneri illum conteri de illo peccato, quamuis probabiliter credat non eſſe mortale, quia probabilis opinio eum excuſat à culpa; non ſupplet tamen neceſſarium remiſſioni peccatorum medium, ſi forte hoc coram Deo fuit mortale. Hanc limitationem approbat Sanchez, Cardinalis Lugo *loco citato num. 69.* loquens de illo, qui probabiliter iudicat ſe non peccaſſe, & conſequenter iudicat probabiliter ſe retinere gratiam, & amicitiam Dei; nihilominùs docet in mortis articulo debere procurare remedium pœnitentiæ, ne ſe exponat periculo damnationis æternæ ſi forte peccauerit. 7

Aſſentior meritò prædictis Doctoribus, & communiori omnium doctrinæ. Iuxta quam duo breuiter dico. *Primum*, in prædicto caſu, ratione articuli mortis eſſe obligationem ex charitate ortam, vti remedio certo, ne quis ſe exponat periculo damnationis æternæ. Ratio eſt, quia charitas, quâ quis debet ſeipſum diligere & procurare ſalutẽ propriam æternã, obligat vt in re tanti momenti non ſe exponat periculo damnationis æternæ; ſed quærat cùm poſſit, remedium certum, atque adeò non ſufficit remedium dubium & in opinione poſitum. Et certè quis non videat in noſtro caſu eſſe profundam temeritatem, ſalutem æternam ſine cauſa exponere probabili periculo? eſt autem probabile periculum, quoties probabile putas te mortaliter peccaſſe, & nullo certo remedio te expiatum eſſe, maximè Sacramento Pœnitentiæ: ergo teneris vti remedio certo, vel Sacramento Pœnitentiæ, vel Contritionis. 8

Secundum eſt, in prædicto caſu articuli mortis, non teneri iſtum conteri, nec confiteri, ſi certus ſit poſt peccatum illud, probabiliter commiſſum, feciſſe Confeſſionem de aliis. Sic benè Sanchez citatus. Ratio eſt, quia virtute illius Confeſſionis, certum eſt, illud peccatum fuiſſe iam indirectè remiſſum inſtar peccatorum mortalium oblitorum, & verè ratione probabilis opinionis excuſatur, ne teneatur hoc peccatum fateri; ſicut tenetur peccata oblita, quando illorum memor fuerit. Quòd ſi homo in hoc caſu certus non ſit de Confeſsione aliorum facta poſt illud peccatum probabiliter commiſſum, conſequenter dicendum eſt teneri conteri de illo peccato, quamuis probabiliter credat non eſſe mortale, quia etiam in eo caſu ſe exponere videtur periculo damnationis, niſi id præſtet. Quòd ſi nequeat facilè conteri, tenebitur illud fateri in eo mortis articulo, ne ſe exponat periculo. Nec ſufficiet, ſi aliud ſuſcipiat Sacramentum. Nam licèt ſit valdè probabile, omnia Sacramenta aliquando conferre primam gratiam, accedente bona fide; id tamen non eſt certum, niſi de duobus Sacramentis, nempe Baptiſmo, & Pœnitentia; quare receptis ſolis aliis Sacramentis abſque Contritione, non eſt adhuc certum

Digitized by Google

certum remedium remiſſionis illius,ſi forte fuit peccatum mortale. Quod totum rectè notauit Sanchez citatus.

9 Obiicies contra Cardinalem de Lugo, non fuiſſe in hoc caſu cònſequenter locutum, cùm dixit de prædicto homine in mortis articulo debere procurare remedium Pœnitentiæ, ne ſe exponat periculo damnationis æternæ,ſi forte peccauerit. Nam ipſe *diſp. 7. ſect. 13. num. 265. & ſequentibus*,agens de Attritione cognita à moribundo in articulo mortis, docet eam ſufficere cum Sacramento, nec teneri quærere remedium certum Contritionis: Quia præcepta hominibus impoſita non obligant niſi humano modo, & ad humanam ſolùm, ac moralem diligentiam, quæ ſufficiat ad excludendum morale & humanum dubium. Quæ doctrina etiam videtur valere in prædicto caſu, cùm homo iſte ſequatur opinionem probabilem, iuxta quam exiſtimat ſe non peccaſſe mortaliter:ergo non tenetur etiã in articulo mortis procurare remedium Pœnitentiæ. *Reſpondeo*,pro noſtro Cardinali, doctè, & conſequenter fuiſſe locutum: Nam illud de Attritione cognita, eſt valdè diuerſum à præſenti caſu: ipſe enim contrariam ſententiam dicentem, non ſufficere Attritionem ſcitam ad valorem Sacramenti,iure,ac meritò exiſtimat iam non eſſe probabilẽ poſt Tridentinum,neque habere fundamenta, quæ ad probabilitatem ſufficiant, imò à multis cenſura affici; atque adeò quòd Attritio ſcita ſufficiat cum Sacramento, iam videtur illi ita certum, vt prudenter iudicari debeat, nullum iam ſupereſſe periculum damnationis; ac per conſequens pœnitens ille adhibet iam remedium certum: at in noſtro caſu non ita ſe habet,cùm ſit probabile, moribundum peccaſſe mortaliter, nec vult adhibere remedium certum pœnitentiæ,cùm poſſit.

SECTIO III.

An peccata mortalia dubia negatiuè, ſeu ſuſpenſionis, ſint materia neceſſaria Confeſſionis?

1 PRocedit quæſtio de peccato mortali dubio ſuſpenſionis,habente firmum, & prudens fundamentum ſic rationabiliter dubitandi;nam ſi imprudens ſit, & à ſcrupuloſa animi anxietate ortum,nullam inducit confitendi obligationem.

2 Communis Doctorum ſententia eſt, peccata dubia ſuſpenſionis, mortalia, declaranda eſſe ſub dubio in Confeſſione Sacramentali, declaratis etiam ſub dubio circumſtantiis, & numero, eodem prorſus modo, quo mortalia certa: quam Thomas Sanchez *lib. 1. operis moralis, cap. 10. num. 66.* omninò certam reputat, & refert quamplurimos Doctores eam ſuſtinentes, & ipſe quoque eam vt veriſſimam amplector. Ratio efficax eſt,quia potuit Chriſtus congruentiſſimè ita inſtituere hoc Sacramentum, vt peccata etiam dubia eſſent materia neceſſaria illius; cùm eorum cognitio valdè referat ad ſtatum pœnitentis diiudicandum, & ad remedium opportunum illi prouidendum.

Quòd verò ſic de facto inſtitutum fuerit,oſtenditur *primò* ex vſu,& praxi totius Eccleſiæ,cuius initium non agnoſcitur,& creditur ab ipſis Apoſtolis emanaſſe, qui vim & obligationem incluſam in huius Sacramenti inſtitutione melius percipere potuerunt.

Secundò, hoc Sacramentum inſtitutum neceſſariò eſt ad ea omnia peccata, quæ ante Legem Gratiæ,& ante eius inſtitutionem pertinebant ex neceſſitate ad Contritionem,ad hanc verò etiam pertinebant ex neceſſitate peccata dubia,vt certum eſt apud omnes: nam qui ea peccata dubia habebant, tenebantur ad Contritionem habendam de illis, non ſolùm in mortis articulo, ne ſe exponerent periculo damnationis æternæ,ſed etiam in vita;eo modo quo alij, qui peccata mortalia certa habebant,debebant etiam aliquando in vita de illis conteri, vt redirent in gratiam,& amicitiam Dei.

Tertiò,ita de facto inſtitutum eſſe hoc Sacramentum, deducitur quoque ex Tridentino *ſeſſ. 14. cap. 5.* Vbi in principio capitis declarat neceſſitatem Sacramenti Pœnitentiæ,ex eo quòd *Chriſtus Dominus, è terris aſcenſurus ad cœlos, Sacerdotes ſui ipſius Vicarios reliquit, tanquam Præſides,& Iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Chriſti fideles ceciderint.* Hæc ſunt verba Concilij, ex quibus ſic conficitur argumentum: Chriſtus Dominus reliquit Sacerdotes ſui Vicarios tanquam Prẹſides,& Iudices ad quos deferantur omnia mortalia crimina, quę deferrentur ad Chriſti tribunal ſi ipſe immediatè in illo ſederet; nam ad eaſdem cauſas extendi debet tribunal Vicarij Dei & Chriſti, ad quas ſe extenderet tribunal ipſius Chriſti, ſi ipſe immediatè, & viſibiliter huic tribunali præeſſet. Atqui ad tribunal Chriſti & Dei, deferri deberent peccata mortalia etiam dubia;Igitur ad Sacerdotes Chriſti Vicarios, qui in hoc Sacramentali foro Præſides, & Iudices ſunt, peccata mortalia dubia ſunt ex neceſſitate deferenda. Conſequentia euidens eſt, Maior certa, Minor probatur: nam ea omnia peccata ad tribunal viſibile Chriſti, & Dei deferri deberent,de quibus ante Legem Gratiæ tenebantur homines conteri ad petendam veniam ante tribunal inuiſibile Dei;ſed de peccatis dubiis tenebantur homines conteri, non ſolùm in articulo mortis,ne ſe exponerent periculo damnationis, ſed etiam in vita, eo modo quo de peccatis mortalibus certis tenebantur conteri, vt redirent in gratiam, & amicitiam Dei: ergo cùm hoc tribunal Pœnitentiæ ſuccedat loco diuini, conſequens eſt, vt ad illud neceſſariò pertineant peccata mortalia etiam dubia.

Vltimò,idem firmatur ex doctrina eiuſdem Tridentini tradita dicta *ſeſſ. 14. c. 5.* Vbi explicans materiam neceſſariam huius Sacramenti, aſſerit eſſe omnia peccata mortalia, quorum poſt diligentem ſui excuſſionem, conſcientiam habent pœnitentes; & ab hac regula vniuerſali ſolùm excipit ibi peccata venialia: at de peccatis dubiis conſcientiam habent pœnitentes, cùm habeant de illis notitiam, & remorſum; vnde conſcientia à Theologis diuidi ſolet in conſcientiam certam, dubiam, probabilem, & erroneam; atque adeò conſcientia dubia conſcientia eſt; ac per conſequens, qui habet dubium de peccato commiſſo, dicitur habere conſcientiam, & remorſum illius Hoc igitur erit ex mente Tridentini materia neceſſaria Confeſſionis;quia ex peccatis quæ ſunt in conſcientia, ſolùm excipit,ſeu excludit,vt materiam non neceſſariam, venialia peccata;Exceptio autem firmat regulam in contrarium: Non ergo ſunt excipienda peccata, de quibus dubitatur an ſint mortalia. Cùm enim omnia peccata mortalia, quæ memoriæ occurrunt,ſint ex Tridentino detegenda in Confeſſione, eo modo quo ſunt in conſcientia;cùm in illa ſint tanquam dubia an ſint mortalia, ſic ſunt neceſſariò aperienda.

Eſt verò notandum, me iure dixiſſe in concluſione 3
peccata dubia eſſe confitẽda vt dubia,& nõ vt certa.Tũ quia confiteri dubium, vt certum,eſt mentiri; & cùm ſit circa materiam Confeſſionis neceſſariam, nequit à mortali

mortali excuſari. Tum etiam quia ſi hic dubitans affirmaret ſe reum eſſe peccati mortalis, magnopere iudicium Confeſſoris variaret; nam valde diuerſum iudicium ferendum eſt de peccato dubio, ac de certo. Tum denique, quia non minor veritas requiritur in foro Confeſſionis interno, quàm in externo: In hoc autem damnaretur ac teſtis falſus, & moraliter delinquēs qui rem ſibi dubiam deponeret tanquam certam. Similiter etiam rectè dictum eſt, fatendas quoque eſſe circumſtantias eius peccati dubij. Vt ſi quis dubitet, an deſiderio fœminæ conſenſerit, tenetur explicare ſuū, ac illius ſtatum. Nam eæ ſimiliter ei dubio ſubiiciuntur, atque ideò illis tacitis non explicaretur plenè peccatum dubium. Quòd ſi nō meminerit pœnitens ſpeciei illius peccati, ſed ſolum dubius ſit, an aliquod mortale admiſerit, tunc tenetur in genere fateri ſe dubium eſſe, an quoddam mortale admiſerit, ſicut qui ſcit ſe mortale admiſiſſe, nec ſpeciei meminit, tenetur in genere fateri, ſe mortalis culpę reum: quia eadem eſt ratio de peccato mortali certo confitendo tanquam certo, & de dubio tanquam dubio.

4 Contra prædictam Concluſionem obiiciuntur nonnulla argumenta, quæ diſſoluere oportet, vt veritas illius magis innoteſcat. Obiicitur itaque *primò*: Ille de quo dubitatur, an lapſus ſit in peccatum mortale, non poteſt ſimpliciter lapſus dici, nec præſumi: quia factum in dubio non debet præſumi, ſed probari: neque enim præſumitur factum, quod de iure faciendum non erat, vt notatur *ex l. in bello. §. facti, ff. de captiuis*; & pręcipuè quando factum eiuſmodi eſt delictum: ſed Chriſtus Dominus inſtituit Sacramentum hoc vt neceſſarium tantummodò lapſis: ergo nō illud inſtituit pro illis, de quibus dubitatur an lapſi ſint. *Reſpondeo*, conceſſa Maiore, diſtinguendo Minorem: eſt inſtitutum Sacramentum hoc pro his tantùm qui lapſi ſunt ſimpliciter & in re, nego, qui lapſi ſunt vel in re, vel in dubio, concedo. Ratio eſt, quia dubitantibus de lapſo eſt valdè vtile, & ſæpe neceſſarium Sacramentum Pœnitentiæ; inſtitutionémque illius hoc ſenſu intelligendam eſſe probat vſus & praxis Eccleſiæ. Et certè id ſignificat non obſcurè caput 13. *Leuitici*, vbi exortum dubium de lepra, an vera, vel falſa eſſet, præcepit Deus Sacerdoti deferendum eſſe, & eius iudicio ſtandum. Hoc autem iudicium erat figura fori pœnitentialis, vt videre eſt apud Lorinum ad caput citatum. Negari autem non poteſt ad hoc iudicium Sacramentale valde conferre notitiam peccati mortalis dubij: nam longè diuerſum iudicium fert Sacerdos de pœnitente, de quo dubitat an peccauerit lethaliter, diuerſámque pœnitentiam iniunget, quàm ferret, ac iniungeret, ſi ſciret ſolùm peccaſſe venialiter; ac proinde peccata mortalia dubia neceſſariò ſpectant ad hoc Sacramentum.

5 Obiicitur *ſecundò*, in dubiis melior eſt conditio poſſidentis: Vnde quando dubitatur de emiſſo iuramento, aut voto, aut de impoſito præcepto, vel de caſus reſeruatione, vel an lata ſit excommunicatio, vel an cōmiſſum ſit delictū ob quod excommunicatio eſt lata; & adhibita diligentia ſufficiente remanet adhuc dubium, nulla eſt in dubitante obligatio iuramenti, voti, &c. ergo pœnitens qui poſſidet famam, & libertatem, non eſt illis ſpoliandus ob ſuperueniens peccatum dubium; atque adeò in eo non erit obligatio ad Confeſſionem dubiorum; nam eo ipſo quod dubitat de peccato, iure dubitat an ipſi præceptum confitendi impoſitum ſit. *Reſpondeo*, concedendo Antecedens, & negando Conſequentiam ob manifeſtum diſcrimen: nam in omnibus illis caſibus in Antecedente numeratis, eſt dubium de obligatione, ac propterea poſſeſſor non eſt exſpoliandus quia melior eſt conditio illius. At verò vbi eſt certitudo obligationis, etiamſi res, vel materia, ſupra quam cadit, dubia in ſe ſit, non iuuat poſſeſſio libertatis; quia hæc reſiſtere non poteſt certitudini obligationis: obligatio autem confitendi materiam dubiam non eſt dubia, ſed certa, id teſtante vſu, & praxi Eccleſiæ, vt probauimus: In tali ergo dubio, & ipſi ſimili alio, alia regula Iuris viget, nempe in dubio tutiorē partem eſſe eligendam, quia non ſunt dubia reddentia obligationem incertam. Quare dubium de peccato, non eſt dubium de præcepto Confeſſionis, quia ſupra illud dubium cadit certa & practica certitudo obligationis, & pręcepti propter rationes dictas *ſuprà num.* 2. Addit Sanchez ſuprà *n.* 66. dictum illud; In dubio melior eſt conditio poſſidentis procedere, quoties dubitans obligatur ad aliquid excedens dubij limites, nempe ad faciendum id quod faceret, ſi non dubius, ſed certus eſſet, vt verbi gratia dubius an vouerit ieiunium, nō tenetur ad ieiunandum, quia hoc eſt totum quod facere deberet, ſi certus de voto eſſet: vnde obligaretur vltra dubium, & ſic conditio eius eſſet deterior, cùm tamē deberet ratione dubij eſſe melior, cùm poſſideat. In noſtro autem caſu non obligatur quis ad aliquid excedens conditionem dubij, quia ſolùm tenetur peccata dubia confiteri vt dubia, & non vt certa: Verum hæc ſolutio non ſatisfacit: nam vt rectè notauit Cardinalis Lugo *diſp.* 16. *ſect.* 2. *num.* 65 hæc ipſa obligatio confitendi peccata dubia eſt obligatio ad aliquid certum, quia Cōfeſſio peccati dubij eſt aliquod onus certum, & nōn ita leue, quamuis minus quam quod deberetur, & ſolueretur pro peccato certo. Sicut ergo pro debito dubio Iuſtitiæ non ſolùm non obligatur quis ad ſolutionem integram centum aureorum, v.g. ſicut pro debito certo, ſed neque ad partialem, quæ parum non excederet etiam debitum dubium: ita nec pro peccato dubio obligandus eſſet ad Confeſſionem certam, quæ cùm ſit etiam onus, excedere videtur omninò limites dubij: Quare ſiſtendum eſt priori ſolutioni, obligationem confitendi peccata dubia ſolùm vt dubia, eſſe obligationem certam, & ideò non obligatur quis vltra limites dubij, quia obligatio, tametſi certa ſit, ſolùm ſe extendit ad confitendum peccatum vt dubium, non vt certum.

Obiicitur *quartò*: præceptum ſeruandi æqualitatem 6
cum proximis in materia Iuſtitiæ non obligat nos ad ſatisfaciendum illis, aut ad petendam veniam, quando dubitamus de iniuria, & offenſa illis à nobis illata: ergo nec præceptum procurandi gratiam, & amicitiam cum Deo, obligat nos ad petendam veniam, & agendam pœnitentiam, quando dubitamus de offenſa à nobis Deo illata. *Reſpondeo*, negando Conſequentiam: diſparitas enim ſumitur ex ipſis præceptis, vt notat Cardinalis Lugo *n.* 68. nam præceptum reſtituendi, & ſatisfaciendi proximis, licèt appareat affirmatiuum, eſt tamen in re negatiuum; eſt enim idem præceptum non lædendi proximum, cui præcepto opponitur læſio poſitiua. Vnde quandiu vel non conſtat de læſione facta, non eſt obligatio reſarciendi; non enim oſtendit mihi aduerſarius aliquod ius læſum, contra quod ego operer non reſtituendo. At præceptum Pœnitentiæ eſt affirmatiuum, ſcilicet, præceptum, & obligatio procurandi gratiam, & amicitiam diuinam; ad quod non ſufficit, quòd non ſciā me violaſſe eius præceptum, aut Deum offendiſſe, ſed oportet agere, vt ſciam, vel ſaltem probabiliter iudicare poſſim me eius gratiam, & amicitiam retinere. In quo differt Deus à proximis: nam erga proximos ſatis eſt, ſi neſciam me illos læſiſſe vel offendiſſe; non enim teneor poſitiuè ad procurandam æqualitatem cum illis, ſed negatiuè ad non ponendam inæqualitatem. At erga Deum propter ipſius dignitatem infinitam non ſufficit, ſi neſciam me illum offendiſſe, ſed oportet procurare poſitiuè illius gratiam, & amicitiam: atque adeò facere, vt ſcire poſſim aliquo modo me in eius amicitia conſer

conſeruari. Quare ſi dubitem de offenſa graui in Deum à me poſita, teneor poſitiuè ad petendam veniam; atque adeò ad oſtendendam pœnitentiam ſaltem ſub conditione. In quo eſt magnum diſcrimen inter dubium probabile, & dubium negatiuum, ſeu merum dubium: nam qui habet dubium probabile, ſeu iudicat probabiliter ſe non peccaſſe, probabiliter etiam iudicat ſe retinere gratiam, & amicitiam Dei: atque adeò non tenetur confiteri, quia probabiliter obſeruat præceptum de procuranda amicitia diuina, ſicut obſeruantur alia præcepta diuina cum ſimili iudicio probabili; deberet tamen ex præcepto Charitatis procurare remedium pœnitentiæ in mortis articulo, ne ſe exponeret periculo damnationis, ſi fortè peccaſſet. At qui non habet iudicium probabile, ſed merum dubium negatiuum, non poteſt probabiliter iudicare ſe retinere gratiam Dei: atque ideò tenetur ad id faciendum, quod requiritur, vt poſſit tale iudicium probabile habere.

7 Obiicitur *quintò*, qui dubitat de præcepto, non obligatur, vt communiter admittitur: ergo qui dubitat de peccato commiſſo, non debet obligari præcepto Confeſſionis. *Reſpondeo*, negando Conſequentiam, quia in præſenti caſu non dubitatur de præcepto: nam præceptum eſt, confitendi peccata certa, & dubia. Vnde qui ſcit ſe habere peccata dubia, non dubitat de præcepto, licèt dubitet de peccatis.

8 Obiicitur *vltimò*, videri prædictam obligationem inutilem, cùm peccatorum dubiorum Confeſſio non variet notabiliter iudicium fori interni: maximè quia obligatio hæc affert ſcrupulos, & anxietates innumeras: atque ex altera parte incredibile eſt, ſi hoc præceptum eſt in Eccleſia, defuiſſe Concilia in re tanti momenti non explicanda. Et maximè Tridentinum *ſeſſ.* 14. *c.* 5. *& canone* 7. vbi ex profeſſo agit de confitendis ex præcepto, & ſolùm meminit mortalium, ac circumſtantiarum ſpeciem mutantium. *Reſpondeo*, peccati mortalis dubij Confeſſionem eſſe valdè neceſſariam. Tum quia, vt *ſuprà* dixi, notabiliter eſt aliud iudicium de peccato, veniali certo, ac de dubio, an ſit mortale. Tum etiam quia medicina id ſanans eſt præſeruans à lapſu in ſimilia peccata dubia. Neque hæc obligatio parit anxietatem, cùm ea non conſurgat ex dubiis vanis, quos ſcrupulos vocant: ſed ex dubio rationabili, ſeu rationi conſono. Ad illud Concilij, iam ſatis eam obligationem expreſſit *ſeſſ.* 14. *cap.* 5. vt diximus *ſuprà num.* 2. præſertim cùm ſola venialia exceperit à Confeſſionis præcepto. Addo, non fuiſſe omninò neceſſarium, vt omnia pertinentia ad diuinum Confeſſionis ius, ibi explicentur. Non enim declaratur ibi, an circumſtantiæ notabiliter aggrauantes, aut minuentes ſint neceſſariò fatendæ: nec in quo tempore diuinum obliget Confeſſionis præceptum.

SECTIO IV.

Ex doctrina tradita præcedenti ſectione, varij caſus reſoluuntur.

1 EX dictis *ſectione præcedenti*, ſequitur primò à fortiori, eum qui certus eſt ſe peccaſſe mortaliter, ſed dubius eſt an confeſſus ſit, teneri ad Confeſſionem: ſicut qui certus eſt ſe vouiſſe, & dubitat an impleuerit votum, tenetur implere. In hoc omnes conueniunt. Et patet; Tum quia tunc poſſeſſio ſtat pro præcepto, contra pœnitentem; conſtat enim de peccato, & de obligatione confitendi; non autem conſtat de Confeſſione. Idem dic de voto propter eandem rationem. Tum etiam quia certi debiti ſolutio debet probari à debitore, vt eximatur ab obligatione: non enim præſumitur niſi probetur, ex *Lege quinquaginta* 12. *ff. de probat.* At pœnitens probare non poteſt ſe ſoluiſſe debitum Confeſſionis dum dubius eſt; ergo obligatus manet.

Sunt verò tria obſeruanda. *Primum*, multos decipi in eo, quòd putent ſe dubios eſſe, ſi non recordentur in particulari Confeſſionis factæ de peccato; quod ſciunt commiſſum eſſe: Nam ſi præſumere valeant, etiam generali aliqua ratione ducti, ſe ſufficientem diligentiam adhibuiſſe ad Confeſſionem ritè faciendam, præſumere debent eam eſſe ritè factam, niſi ſpecialis, & grauis ratio dubitandi obſtet. Vnde ſi recorderis te confeſſum eſſe duo peccata, de tertio autem non recordaris, an illud confeſſus ſis, non teneris, ſi ſpecialis alia cauſa non ſubſit, illud confiteri; imò nec nouam diligentiam adhibere, vt certior fias, an illud in Confeſſione aperueris. Præſumptio enim pro te, & pro Confeſſione ſtat: cùm actus præſumatur factus ſecundùm Iuris diſpoſitionem, *Lege Quero* §. *inter locatorem, ff. locati.* Secũdum: idem dicendum eſſe, ſi quis recordetur ſe confeſſum eſſe peccatum, & non recordetur an ſit confeſſus numerum, aut ſpecies, quas tamen confiteri ſolebat, vel ſuâ, vel Confeſſariorum, quos frequentabat, induſtriâ. Hæc enim obliuio particularis, non eſt dubium, cùm ex generali ratione formari poſſit iudicium prudens de numeri, & ſpecierum Confeſſione, aut de ſufficienti diligentia ad illam faciendam exhibita. Etenim, vt docet Maſcardus *de probationibus*, *concluſione* 145. actus in dubio præſumi debet expeditus legitimo tempore, & circumſtantiis, ad fugiendam eius nullitatem, aut vitium. Præterea, quia quod plerumque fieri ſolet, præſumendus eſt quis feciſſe, niſi oppoſitæ coniecturæ ſpeciales aliud perſuadeant. *Tertium* denique, non eſſe ſufficientem ad hoc coniecturam, te recordari de Confeſſione vnius, aut aliquorum peccatorum, non tamen aliorum. Ratio eſt, quia etiamſi omnia æque confeſſus ſis, poteſt eſſe aliqua ſpecialis cauſa, vel præterita in ipſo modo confitendi, vel præſens in aliquo obiecto, aut ſpecie, quæ vnius memoriam excitet, non tamen alterius. Quare obliuio vnius; non probat illud non eſſe confeſſum. Id præcipuè præſtandum eſt circa ſcrupuloſos præſertim; nam hi ſi Confeſſionem generalem ſemel, & bona fide, ac diligentia fecerint, non tenentur confiteri iterùm, quòd certò ſibi non conſtiterit fuiſſe confeſſos: Imò ſi multùm ſcrupulis vexentur, non debere fateri, niſi quæ poſſint iurare eſſe mortalia, & nunquam confeſſa. Quod eſt conforme rationi, & maximè neceſſarium ad obuiandum ſcrupulis, pacandámque conſcientiam, vt optimè animaduertit Sanchez *lib.* 1. *c.* 10. *num.* 85. Et adhibet rationem, quia credulitas alicuius rei, & ſic Confeſſionis præmiſſæ, eſt in ſcrupuloſis, quaſi certitudo in homine pacatæ conſcientiæ, & ipſa Confeſſio non eſt vt laquei iniiciantur, ſed vt bona fide, & mediocri diligentiâ præmiſſâ, aperiantur crimina, & ſemel aperta ſepeliantur. Igitur qui ſemel hanc diligentiam adhibuit, poteſt probabiliter credere, ſe huic obligationi ſatisfeciſſe, dum contrarium non certò ſibi conſtiterit. Quod etiam extendit Sanchez *num.* 86. *in fine*, ad alios ſcrupuloſos deperditæ vitæ, in aliis materiis culpas lethales deglutientes, poſſe nimirùm circa illos vti prædicta regula in iis, circa quæ ſcrupulis anguntur; quorum dubia interpretari debent in mitiorem partem: quia in his ſimiliter ſe habent ac alij ſcrupuloſi benè morigerati.

Sequitur *ſecundò*, eum qui certus eſt ſe commiſiſſe peccatum aliquod, quæ certitudo eſt facti, & dubitat de iure, an videlicet ſit mortale, vel veniale, teneri ad Confeſſionem. Conſtat id ex præcedentis ſectionis concluſione, vbi probauimus, peccata mortalia dubia eſſe neceſſariò confitenda, ſiue dubium ſit de ſubſtantia 2

actionis,

actionis, an fuerit facta, ſiue an fuerit mortalis, ſiue an fuerit iam illud peccatum in Confeſſione dictum, & in ſpecie idem bene probat Coninck *diſp*. 7. *dub*. 8. *n*. 69. quia qui ſcit ſe aliquid feciſse, negatiuè tamen dubitat, an ſit peccatum mortale, ſcit ſe aliquid commiſiſſe, quod eſt accuſabile in illo foro, & nequit vllum ferre iudicium quale ſit; ergo nullo modo poteſt probabiliter iudicare non eſse peccatum mortale, aut non eſse materiam neceſsariam Confeſſionis: ergo hic tenetur confiteri. Scut etiam qui ſcit ſe peccaſse mortaliter, & dubitat rationabiliter an ſit confeſsus, tenetur illud confiteri; quia conſtat eum habuiſse debitum confitendi, & ne probabiliter quidem poteſt iudicare ſe ſatisfeciſse.

3 Sequitur *tertiò*, quando quis eſt certus de peccato mortali, & dubius an illud confeſſus ſit, neceſſarium nō eſſe, quod explicet in Confeſſione ſe dubium eſſe an id peccatum ſit iterùm confeſſus. Ita Suarez *diſp*. 22. *ſect*. 9. *num*. 2. & Sanchez *lib*. 1. *cap*. 10. *num*. 71. Ratio eſt quia cùm peccatum ſit certum, & ad eius certitudinem, ſpeciem, ac circumſtantiam, atque adeò ad aliquid ſubſtantiale, nihil referat quòd confeſſum ſit vel non, non eſt cur id Confeſſione explicetur. Referre tamen poſſet ad hoc vt maior vel minor pœnitentia detur, & ideò conſultum eſt id explicare, non tamen eſt obligatorium.

4 Sequitur *quartò*, tametſi in dubio an caſus ſit reſeruatus non teneatur pœnitens adire Superiorem reſeruantem, vt cum multis tenet Sanchez *cap*. 10. *citato num*. 74 nihilominùs tamen, qui dubitat an ſit peccatum mortale, tenetur adire Confeſſarium pro abſolutione, itaque dubitans, an peccatum commiſſum ſit mortale, eſt certus de obligatione confitendi illud, quia obligatio eſt certa; at non eſt certa obligatio adeundi Superiorem, quando dubium eſt de reſeruatione peccati. Ratio eſt, quia reſeruatio peccati, cùm ſit lex pœnalis, & ſit ablatio poteſtatis, intelligenda eſt ſtrictè de his ſolis delictis, quæ ſimpliciter ſunt talia; periurium autem dubium, verbi gratia, vel percuſſio grauis dubia, non eſt ſimpliciter periurium, aut percuſſio, ſed ſecundùm quid. At lex Confeſſionis non eſt reſeruatio, vel ablatio poteſtatis, ſed potiùs communicatio poteſtatis, quam Chriſtus habebat, & communicauit Apoſtolis tanquam ſuis Vicariis, vt loco ipſius in eius tribunali ſederent: conceſſio autem iuriſdictionis, & poteſtatis, cùm ſit res fauorabilis, eſt latè interpretanda, vt probat Sanchez *lib*. 8. *de Matrimonio, diſp*. 2. Quare Chriſtus communicans ſuam poteſtatem Apoſtolis circa peccata, intelligitur communicaſſe illam plenè, etiam circa peccata dubia, ſicut erat in Chriſto: per hoc enim nulli auferebatur poteſtas, ſicut aufertur per reſeruationem; ſed potiùs communicabat ſuam de nouo.

Et quamuis quis dicat hanc legem eſſe quidem fauorabilem Sacerdotibus, eſſe verò odioſam ſubditis, & ideò reſtringendam ad peccata non dubia, quæ ſola ſunt ſimpliciter, & abſolutè peccata: occurrendum eſt, eā legem, etiam quatenus obligat ſubditos ad Confeſſionem peccatorum dubiorum, eſſe fauorabilem; quia in illa datur certum, & ſæpe neceſſarium remedium ſalutis æternæ: nam vt conſtat lapſis poſt Baptiſmum in peccatum moortale, & non habentibus Contritionem, Sacramentum Confeſſionis eſt medium neceſſarium ad ſalutem. Vnde ſi quis reipſa commiſit peccatum mortale, de quo dubitat, & non habeat Contritionem, nec illud cōfiteatur, damnabitur. Addo quoque, tametſi ea lex odioſa eſset, adhuc eſse extendendam ad peccata mortalia dubia, quia non eſt dubium, ſed certum fundamentum, vt vidimus *præcedenti ſectione*, huius extenſionis; quale non eſt in dubio reſeruationis peccati; atque ideò non eſt cenſenda propriè extenſio, ſed maior illius Legis explicatio.

SECTIO V.

An peccatum mortale dictum vt dubium, debeat iterum ceſſante dubio, aperiri vt certum in Confeſſione?

HÆc eſt difficultas grauiſſima, practica omninò, an nimirum ille qui confeſsus eſt peccatum aliquod dubium, vt dubium, & poſtea facta maiori diligentia recordetur certò illius peccati, debeat iterùm illud confiteri vt certum, an verò ſufficiat Confeſſio præterita. 1

Communis Doctorum ſententia ſupponit vt certum; peccatum confeſsum vt dubium, ſi poſtea inueniatur eſſe certum, iterùm confitendum; quia peccatum declaratum vt dubium antea, non fuerat tunc plenè expreſsum: ergo poſtea tenetur illud vt certum exprimere; ſicut ob eandem rationem qui confeſſus eſt, ſe dubium eſsede conſenſu in peccatum mortale, ſi poſtea certus ſit ſe conſenſiſse, tenetur fateri illum conſenſum vt certum. 2

Cardinalis Lugo *diſp*. 16. *ſect*. 2. §. 4. *à num*. 78. varia proponit argumenta contra hanc communem doctrinam. Arguit *primò* alia communi doctrina, quæ ab omnibus communiter recipitur, qui de numero peccatorum dubius eſt, quia certò ſcit ſe feciſse *multa periuria v. g.* ſed dubitat an ſint viginti, vel decem & octo, vel viginti duo, & ideò confitetur numerum ſub dubio, dicens, accuſo me de viginti periuriis, paulò pluribus vel paucioribus; ſi iſte poſtea certò recordetur fuiſse determinatè viginti duo, verbi gratia, non tenetur confiteri hunc numerum tanquam certum, quem antea erat confeſsus vt dubium, quia iam abſolutus fuit pro hoc ipſo caſu, ſcilicet, quòd eſsent viginti: ergo cùm etiā ille qui confeſsus eſt peccatum dubium inter mortale, & veniale, abſolutus fuerit in euentum quo eſſet mortale, non tenebitur confiteri illud poſtea vt mortale certum, quamuis certò comperiat fuiſse mortale. 3

Secundò, tunc eſt obligatio iterùm confitendi aliquod peccatum, quando vel non eſt confeſsum ſecundùm propriam ſpeciem, vel circumſtantias, quæ dici nequeunt niſi explicetur peccatum; vel quando peccatum ſolùm indirectè deletum eſt; ſed peccatum dubium apertum eſt in Confeſſione ſecundùm propriam ſpeciem, & omnes circumſtantias neceſſarias, vt ſupponimus; deinde etiam directè abſolutum eſt; ergo. Maior certa eſt, & prima pars Minoris. Secunda minoris pars probatur: nam ſenſus abſolutionis reſpectu peccati dubij, ſiue ſolum illud cōfitearis, quādo aliam materiā nō habes, ſiue ſimul cum aliis eſt hic: Libero te in hoc foro à peccato, ſi verè illud commiſiſti; ergo ſi reuera illud commiſsum eſt, manet directè ab illo abſolutum. Igitur licèt poſtea certò conſtet fuiſſe commiſſum, non eſt obligatio illud iterùm ad iudicium Confeſſoris deferre. Firmatur, nam duplicata Confeſſio eiuſdem peccati eſt grauiſſimum onus, ad quod ſine manifeſta ratione non ſunt fideles obligandi. Præterea non eſt cur ad id quis teneatur, non ad abſolutionem directam obtinendam, quia iam pœnitens directè abſolutus eſt ab illo peccato; neque vt detur notitia certa illius peccati Confeſſario

Digitized by Google

feſſario: nam eiuſmodi notitia tota eſſe debet in ordine ad abſolutionem; ſi ergo iam directè eſt abſolutus, non indiget abſolutione, atque adeò nulla eſt obligatio dandi notitiam certam Confeſſario: repugnat enim abſolutionem directam obtinere totius peccati, & adhuc obligari ad iterùm illud idem peccatum declarandum pro obtinenda abſolutione.

Tertiò, ſi quis dubius de irregularitate, vel etiam de excommunicatione petat ad cautelam diſpenſationem, vel abſolutionem; & eâ obtentâ, poſtea comperiat cenſuram, aut vinculum fuiſſe certò contractum, non indiget noua abſolutione; vel diſpenſatione; quia ad hoc ipſum data fuit prior abſolutio, vel diſpenſatio, vt ſi fortè vinculum fuerit verè contractum, diſſoluatur. Igitur hoc idem dicendum eſt de peccato confeſſo vt dubio, videlicèt non indigere noua abſolutione, quia abſolutum eſt ſub conditione quòd verum fuerit. Firmatur hoc idem: nam noſter Thomas Sanchez *libro* 4. *in Decalogum capite* 44. *numero* 10. apertè docet, ſi quis in dubio de voto Caſtitatis emiſſo petat eius diſpenſationem ab Epiſcopo; (nam in eius ſententia votum dubium caſtitatis non eſt reſeruatum;) diſpenſationem eſſe validam; itavt licèt poſtea conſtet votum fuiſſe certum, non indigeat alia diſpenſatione, & tamen Epiſcopus non habet poteſtatem diſpenſandi in voto Caſtitatis certo. Igitur à fortiori peccata abſoluta ab eo qui iuriſdictionem, & poteſtatem habet, etiamſi ſint abſoluta ſub conditione; & ſub dubio quòd ſint commiſſa, non indigebunt noua abſolutione, etiamſi poſteà comperiatur certò fuiſſe commiſſa. Hæc ſunt præcipua fundamenta, & argumenta, quibus nonnulli Recentiores conuicti recedunt à communiori, & ab omnibus ferè recepta ſententia. Laudo valdè in hac re iudicium graue, & prudens noſtri Cardinalis de Lugo; qui *ſectione* 2. *citata*, *numero* 91. poſtquam exactè propoſuit pondus prædictarum rationum contra communiſſimam ſententiam ab omnibus Doctoribus hactenus receptam; tandem concludit in re morali non eſſe recedendum à communi ſenſu; neque in hoc puncto ſe nolle aliquid definire, ſed ſecuriorem partem conſulere. Id ipſum imitari conabor, ſequar opinionem communiſſimam. Quod vt clariùs præſtem, illam ſequentibus dictis proponam, & oſtendam, & poſtea argumenta adducta contra illam diſſoluam.

4 Dico itaque *primò*, quando pœnitens confitetur peccatum certum integrè, de quo tamen dubitat an ſit mortale, vel veniale, etiamſi Confeſſarius ſimile habeat dubium, non eſſe iterùm confitendum, quando poſtea pœnitens, vel Confeſſarius ſcit id eſſe peccatum mortale. In hoc omnes conueniunt. Ratio eſt, quia iam reuera in hoc caſu pœnitens confeſſus eſt integrè ſuum peccatum; neque ad Confeſſionis valorem opus eſt, quòd pœnitens, imò neque quòd Confeſſarius ſciat illud eſſe peccatum mortale: quippe in omnibus id ſcire, eſt moraliter impoſſibile; vt benè notauit Sanchez *libro* 1. *Decalogi*, *capite* 10. *numero* 69.

5 Dico *ſecundò*, quando quis confeſſus eſt peccatum mortale dubium, itavt illud commiſiſſe ſit illi ferè certum, tametſi aliqua formido ſit de oppoſito; tunc etiamſi poſtea habeat de illo omnimodam certitudinem, non tenetur illud iterùm in confeſſione aperire. Hoc à nullo ex Doctoribus improbatur, & patet manifeſtè, quia vt benè notauit Coninck *diſputatione* 7. *dubio* 8. *numero* 67. quando quis ſic dubitat, vt altera pars ſit ferè certa, tunc hæc vt certa eſt ſequenda, tametſi aliqua formido ſit de oppoſito; quia in rebus humanis raró haberi poteſt omnimoda certitudo; ergo tale peccatum vt ferè certum declaratum in Confeſſione, iam eſt declaratum vt certum humano modo: ergo non eſt cur iterum ſit in Confeſſione aperiendum, etiamſi poſtea habeatur de illo omnimoda certitudo.

Dico *tertiò*, quando quis confeſſus eſt peccatum mortale dubium in hoc ſenſu, quòd ex vna parte habet rationes probabiles ſe illud peccatum commiſiſſe, pro altera verò parte nullam; tunc etiam non tenetur illud iterùm aperire in Confeſſione, etiamſi poſtea habeat certitudinem ſe peccaſſe. Hoc etiam mihi videtur à Doctoribus admitti, cùm nullus expreſsè oppoſitum dicat. Et ratio eſt, talis proprie loquendo non dubitat; nam hoc de illo propriè dicitur, qui nullum probabile iudicium formare poteſt: iſte autem adeò probabiliter opinatur ſe peccaſſe, vt nequeat probabile formare iudicium ſe non peccaſſe, factâ humanâ diligentiâ, atque ideò confeſſus eſt, vt tenetur, tale peccatum abſolutè; ergo licèt poſtea id quod probabile iudicauit, ſciat vt certum, non tenetur illud in Confeſſione aperire: quia iam illud integrè confeſſus eſt morali iudicio decernens ſe illud commiſiſſe, & fecit quod moraliter eſt poſſibile. Idem firmo aliâ ſententiâ communi ferè omnium dicentium de illo, qui dicit in Confeſſione ſe peieraſſe decies, plus minúſve, & non dicit vt certum vndecimum; vel duodecimum periurium, ſed vt dubium probabile; & tamen ſi poſtea recordatur, quòd vndecim, vel duodecim vicibus peierauerit; non tenetur iterùm dicere in Confeſſione tanquam certum illud vndecimum, vel duodecimum periurium, quod priùs ſub dubio probabili dixerat; ergo neque etiam in noſtro caſu, etiamſi vnicum periurium in dubio probabili confeſſus fuerit, debet poſtea certior factus illud vt certum confiteri. Cur enim magis vnum, quàm vndecimum, vel duodecimum debet confiteri, quando vtrumque cum æquali dubio probabili dixit, & poſtea de vtroque habet æqualem certitudinem? Antecedens declarat optimè Suarez *diſputatione* 22. *ſectione* 5. *numero* 38. his verbis: *Quando factâ morali diligentiâ, tempori, & capacitati pœnitentis accommodata; non occurrerit numerus omninò certus, offert ſe tamen aliquis numerus, qui plus minúſve, parùm creditur à certo diſtare, eodem modo declarandum eſſe, idque ſufficere; tum quia ſit quod moraliter eſt poſſibile: tum etiam quia id ſatis eſt ad morale iudicium humano modo ferendum. Et poſt confeſſionem licèt aliqua in particulari, & diſtinctè occurrant; quæ non videntur ita explicata, non eſt neceſſarium ea iterùm confiteri, nec de illis eſſe ſollicitos, quia in prædicto numero ſufficienter incluſa fuêre; niſi fortaſſe ſpecialis circumſtantia neceſſariò occurrat, quæ nullo modo declarata fuerit: vel niſi poſteà occurrat tanta multitudo peccatorum, vt notabiliter excedat numerum priùs expreſſum, quia illa reuera non fuiſſet ſatis explicata per priorem Confeſſionem: hoc verò vix poteſt morali-*

ter contingere, ſi prior diligentia mediocris fuit. Hæc Suarez: Ex cuius doctrina duo clariſſimè inferuntur. *Primum*, loqui hunc grauiſſimum Doctorem de illo caſu, in quo factâ diligentiâ probabiliter creditur, & exiſtimatur, numerum illum confeſſum, v.g. decem periuriorum plus minúſve, parùm à certo numero diſtare. *Secundum*, poſt Confeſſionem dictam, licèt aliqua, vt periurium vndecimum, vel duodecimum, in particulari, & diſtinctè, id eſt, certò & clarè occurrant, non eſſe neceſſarium ea iterùm confiteri, quia in prædicto numero ſufficienter includuntur, ac comprehenduntur. Et hoc eſt quod nos intendimus, & dicunt communiter Doctores, quia iam tale peccatum morali iudicio decernitur fuiſſe commiſſum, & eſt integrè, & abſolutè confeſſum. Idem manifeſtè docet Coninck *diſp. 7. dub. 7. n. 62.* dicens: *Quando non poteſt numerus peccatorum in Confeſſione omninò certò explicari, ſed proximè poteſt coniici, hoc faciendum eſt. Vt v. g. ſi dicas, ego commiſi illud peccatum vigeſies, plus, minuſue: & tunc ſi poſtea occurrat te aliquot vicibus ampliùs hoc commiſiſſe, quarum tunc non eras memor in particulari, non eſt neceſſe eas iterùm confiteri, quia cenſentur ſub priori numero comprehenſa.* Vbi notanda ſunt illa verba, *proximè poteſt coniici numerus*: quia vult dicere, probabiliter, & ex coniecturis coniiciendum eſſe numerum illum vigeſimum, plus, minúſve, ad certum numerum accedere; quâ poſitâ coniecturâ, ac probabilitate, ſi ſemel confiteatur illo modo, non eſſe iterùm confitendum, tametſi occurrat poſtea aliquibus vicibus illud peccatum commiſiſſe, quia cenſentur eſſe ſub priori numero incluſa; vnde tunc præualet prædictum iudicium probabile, & deobligat ad iterùm illud peccatum quod occurrit vt certum confitendum. Hoc idem dicimus de alio peccato mortali, quod occurrit vt probabile me illud commiſiſſe, & aperui in Confeſſione, non eſſe iterùm aperiendum, tametſi occurrat vt certum. In hoc enim ſenſu valdè vrget argumentum adductum, & communis Doctorum doctrina.

7 Dico *quartò*, quando quis confeſſus eſt peccatum vt propriè dubium, quia ſub dubio omninò negatiuo, ac ſuſpenſionis erat illius conſcius, ſi poſtea comperiat eſſe certum, teneri illud iterùm explicare in Confeſſione vt certum. Hanc communem ſententiam probo *primò*, quia per ſe loquendo, præciſa eſt obligatio confitendi quodlibet peccatum mortale, vt eſt certum: ergo ſi ab initio conſtaret peccatum illud vt certum, deberet illud vt certum explicari. At obligatio iſta tunc per accidens ceſſauit propter ignorantiam, & dubium quod erat: Igitur ceſſante poſtea illo dubio, & ignorantia, reddit obligatio confitendi peccatum certum, vt certum, quod prius per accidens fuit declaratum vt dubium. *Reſpondebis*, concedendo, debuiſſe à principio dici vt certum ſi vt certum fuiſſet in conſcientia; fuiſſe item impeditam illam obligationem per accidens propter ignorantiam, vel dubium; poſteà verò non reſurgere illam obligationem ceſſante impedimento; quia iam ceſſat etiam finis obligationis illius, qui erat obtinere abſolutionem directam illius peccati, quod cùm iam ſupponatur directè abſolutum per Claues, non eſt cur iterùm Clauibus ſubiiciatur. *Sed contrà eſt*, primò quia, quamuis certum videatur iuxta communem, & veriorem ſententiam, non eſſe obligationem iterùm deferendi ad iudicium Sacramentale, illud peccatum, à quo iam directè in eo iudicio fuit pœnitens abſolutus; quia non eſt præceptum Confeſſionis à Chriſto latum, niſi ſemel tantum peccata confitendi; falſum tamen eſt peccatum dubium fuiſſe directè abſolutum, niſi vt dubium: atque adeò illud peccatum vt certum non fuit directè Clauibus ſubiectum: ergo debet de nouo ſubiici, quando conſtat eſſe certum. Patet id aliis exemplis. Nam in primis ex omnium ſententia, qui ob periculum imminens facit Confeſſionem materialiter incompletam, vt ſi dixit vnum peccatum, & alia omiſit, certum eſt manere obligationem confitendi ſuo tempore illa quæ omiſit, quia illa non fuerunt directè Clauibus ſubiecta, nec ab eis directè Sacerdos abſoluit. Item quando propter idem periculum, aliqua peccata non fuerunt explicata ſecundùm ſpeciem; vt ſi quis dicat, Habeo multa peccata grauia, nõ verò dicit eorum ſpecies; quia tunc illa abſolutio directè non cadit ſuper illa peccata ſecũdùm rationes ſpecificas ſed ſolùm ſecũdùm rationem cõmunem; ideò ſecundùm illas rationes ſpecificas debet poſtea ſubiici, vt directè remittantur à Sacerdote. Prætereà ruſticus qui groſſo, & cõfuſo modo aperuit ſua peccata Confeſſario, ignorans numerũ certum, & determinatum illorum, ſi poſtea habeat illorum magis diſtinctam notitiam, quâ poſſit explicare numerum certum, tenetur id facere, & ſupplere defectum illum anteà commiſſum: quia ſicut eſt obligatio declarandi ſpecies peccatorum: ita etiam & exprimendi numerum eorum, quando poteſt, & habet eorum notitiam certam. Igitur ſimili modo eſt obligatio iterùm confitendi peccatum, quod prius vt dubium dictum fuerat, quando poſtea conſtat fuiſſe certum; quia vt ſic nunquam fuit directè ſubiectum Sacramento Pœnitentiæ. Hoc enim vltimum exemplum valdè vrget in fauorem noſtræ communis ſententiæ. Nam ruſticum dicere groſſo modo ſua peccata, eſt in confuſo, & quaſi ſub dubio ea aperire; ſi igitur iſte tenetur iterùm ſubiicere Clauibus ea peccata, propter eorum certitudinem poſtea *ab ipſo* cognitam; cur non tenebitur quoque peccatum, quod declaratum eſt vt dubium, ſi conſtet poſtea vt certum, iterùm illud vt certum in Confeſſione explicare. Nam obligatio explicandi numerum peccatorum, extenditur ad declarandum illorum numerum certum & determinatum ſi ſcit in conſcientia; tametſi antea in confuſo, & ſub dubio fuerit in Confeſſione prædictum. Demum, ſi quis confiteatur peccatum fornicationis, verbi gratia, dubitans tamen, an fuerit commiſſum cum coniugata, vel cum ligata voto Caſtitatis, vel cum ſoluta; ſi poſteà certò ſciat fuiſſe coniugatam, vel voto Caſtitatis ligatam, tenetur illius peccati ſpeciem iterum aperire in Confeſſione, ſi poſtea ſciat certò eius ſpecificam malitiam. Cur ita? quia ſpecies peccatorum ſunt declarandæ vt expreſsè docuit Tridentinum *ſeſſ. 14. cap. 5.* ergo ſimiliter, ſi peccatum mortale quoad numerum, vel eius exiſtentiam fuerit confeſſum vt dubium, ſi poſtea vt certum ſciatur, eſt iterùm vt certum in Confeſſione aperiendũ.

Eandem concluſionem probo *ſecundò*, alia ratione: 8
nam diuerſum longè eſt iudicium peccati mortalis certi, ac peccati dubij: variatur enim iudicium Confeſſoris, dum quod erat dubium, iam declaratur vt certum, nam cùm eſt certum, & à pœnitente ſic exponitur, de grauitate illius rectè cenſere poteſt Confeſſarius, & pœnam, vel ſatisfactionem quam oportet pro illo, pœnitenti imponere, quod moraliter ita non præſtat, ſi peccatum vt dubium proponatur. Firmo hoc idem; nam certum eſt nunc, per ſe loquendo, neceſſarium eſſe peccatorum numerum diſtinctè ac ſigillatim in Confeſſione explicare, ſi talis numerus ſit in conſcientia: quia ex multitudine peccatorum mortalium in eadem ſpecie variatur iudicium Confeſſarij; adeò vt interdum illud magis variet multitudo peccatorũ in eadem ſpecie, quàm diuerſitas ſpecifica, vt obiter & benè notauit Suarez *diſp. 22. ſect. 5. n. 2.* ergo cùm ex peccato mortali cõfeſſo vt certo, varie-

tur

tur quoque iudicium Confeſſarij, quod eſt longè diuerſum de eodem peccato dicto vt dubio, cùm Confeſſarius in benigniorem partem inclinans, concipiat forte non eſſe tale peccatum à pœnitente commiſſum, ſequitur illud, cùm ſcitur vt certum, eſſe in Confeſſione aperiendum. Tandem certum eſt apud omnes Doctores, eũ, qui decies vnum aureum furatus eſt, non ſatisfacere præcepto Confeſſionis, dicendo ſe decem aureos furatum eſſe; quia longè grauius eſt id decem actibus feciſſe quàm vno ſolo, & hæc multum morale iudicium mutant; ergo ſimiliter non ſatisfacit qui confeſſus eſt peccata decem, vt dubia negatiua, ſi poſtea ea vt certa in conſcientia habeat, niſi ea vt certa iterùm proponat, quia longè grauius eſt ea certa confiteri, quàm vt omninò dubia negatiuè; & hæc etiam multùm morale iudicium mutant: videtur enim cum proportione non diſſimilis ratio.

Ad argumenta oppoſita. Ad primum argumentum,
9 quod eſt tanti ponderis apud Cardinalem de Lugo, iuxta dicta facilis eſt ſolutio, nam illa communis doctrina ſolùm eſt intelligenda de eo, qui de numero peccatorũ dubius eſt probabiliter, de quo admittimus libenter, non teneri confiteri illũ numerũ tanquam certũ, modo quo id explicuimus *dicto tertio*, iuxta ſenſũ Suarij, & Coninck. De iis enim conſtat loqui de dubio probabili; & qui idẽ fatetur, ſimili modo intelligendi ſũt de prædicto dubio. Quòd ſi aliquis id extendat ad dubiũ negatiuũ, vel ſuſpenſionis, diſſentio ab illo iuxta dicta *dicto quarto*, Quare ſicut diximus, peccata dicta vt dubia negatiuè in Cõfeſſione, poſtea cõfitẽda vt certa, vt ſatisfiat Chriſti præcepto; ita cõſequenter aſſerimus quodcumq; peccatum, quod ſolũ vt negatiuè dubiũ explicatũ eſt, debere poſtea explicari vt certũ, quãdo certò poſteà cognoſcitur: atq; adeò eũ, qui dicit cũ tali dubio ſe feciſſe viginti periuria, plus, minúſve, ſi poſtea recordetur certò fuiſſe viginti vnum, vel viginti duo, debere id vt certum cõfiteri: & ratio eſt iã dicta ſupra *n.6.* quia peccatum explicandũ eſt in Cõfeſſione, prout eſt in conſcientia pœnitentis; prædictum autẽ peccatũ iã eſt in conſcientia pœnitentis vt certum, qua ratione non fuerat ſubiectũ Clauibus, ſed ſolùm vt negatiuè ac propriè dubium, atque ideò adeſt obligatio manifeſtandi in Confeſſione illud vt certum.

Ad ſecundum, ſimiliter reſpondeo, peccatum illud
10 quod vt dubium fuit confeſſum; ſi poſtea ſciatur eſſe certum, ideò iterùm eſſe confitendum, quia tametſi in priori Confeſſione, ſpecies, & circumſtantiæ aggrauantes illius peccati fuerint dictæ; non fuit tamen ipſum peccatum plenè expreſſum, cùm ſub propriè dubio omnia illa dicta fuerint; & variatur quoque morale iudicium Confeſſarij, dum quod erat dictum prius vt dubium, poſtea in ſecunda Confeſſione explicatur vt certum. Neque inde ſequitur, vnum & idem peccatum eodem modo acceptum eſſe bis directè abſolutum; nã in priori Confeſſione abſolutum eſt directè, vt dubiũ tamẽ, & prolata fuit abſolutio ſub cõditione ſi tale peccatũ fuerit cõmiſſũ: at in poſteriori Confeſſione cùm ſit expreſſum vt certũ, directè vt ſic abſoluitur abſolutè, & abſq; vlla cõditione. Vnde ſicut idem peccatũ, quia eſt diuerſo modo dictũ & cõfeſſũ, valdè mutat iudiciũ morale Cõfeſſarij; ita ſimiliter petit iteratam illius cõfeſſionem; & abſolutionem: ex quo patet ad confirmationem, duplicatam Confeſſionem & abſolutionem, licèt ſit aliquod onus, eſſe tamen neceſſariũ, & obligatoriũ, quia tenetur pœnitẽs illud peccatũ clarè aperire vt certum, & quãuis fuerit abſolutus directè per priorem abſolutionem à peccato dubio; tamen per ſecũdam abſolutionem abſoluitur directè & per ſe ab illo peccato, pout eſt certum ac indubitatum.

11 Ad tertiũ in primis dico, illud argumẽtũ nimis probare; nã ex illis excẽplis manifeſtè ſequitur, ſi quis dicat in Confeſſione peccatum, non vt dubium, ſed vt poſſibile, & petat eius abſolutionem ad cautelã, poſtea ſciẽs ſe illud peccatũ reuera commiſiſſe, non teneri illud cõfiteri; quod dici non poteſt. Sequela probatur quia ſi quis petat à Papa diſpenſationem cuiuſcumq; irregularitatis, ſi fortè contraxerit, licèt nec dubium habeat de aliqua; obtentã hac diſpenſatione non indiget poſtea noua petitione, etiamſi poſtea comperiat, quòd aliquam irregularitatem reuera contraxerit. Idem etiam, dici poteſt de cenſura: ergo vel iſta exempla non ſunt ad rem, vel idem dici deberet in peccatis, & per conſequens, ſi quis ſe accuſat ſolùm ſub conditione de peccatis ſi illa contraxerit, non debet poſtea illa confiteri, licèt prius nec vt dubiè dixerit. Quare ad argumentum dicendum eſt, eſſe manifeſtum diſcrimen: nam Pontifex poteſt ſub conditione tollere irregularitatem, & cenſuram, quia eiuſmodi vincula poſſunt tolli, etiam non præcedente accuſatione ipſius peccatoris illis ligati: at Sacerdos in Sacramento non poteſt tollere directè vincula peccatorum, etiam ſub conditione, niſi vt Iudex, & præcedente accuſatione rei, qui debet ſua peccata ſubiicere, & proponere Confeſſario, prout ſunt in conſcientia ipſius: ſi igitur proponat ea vt dubia, quia vt dubia ſunt in cõſcientia, tenetur poſtea iterùm ea ſubiicere vt certa, ſi inueniatur illa eſſe certa, ac indubitata. Ad cõfirmationem, diuerſa eſt ratio: nam in illo priori dubio illud affirmat, vt optime Sanchez, quia vt ibi dicit, cum in eo dubio illud votum non ſit reſeruatum, potuit Superior ille nempe Epiſcopus diſpenſare; nec diſpenſatio conditionalis tunc cenſetur conceſſa, ſed abſoluta: atque ideò à nullo futuro euentu pendet, nec corruit detectã poſtea veritate & certitudine voti in contrarium; quia cùm in eo dubio poteſtas diſpenſandi ſit legitimè conceſſa, ſuperior legitimè ea vſus eſt: atque ideò valor actus non pendet ex futuro euentu. Nec recta Eccleſiæ adminiſtratio aliud petit, quoniam aliter non vitarentur innumeri ſcrupuli, qui aliàs ſuboriri poſſent. At in noſtro caſu, vrget obligatio confitendi peccatum mortale certum, quando eſt in conſcientia pœnitentis, & iudicium morale Confeſſarij variatur notabiliter, cum illi aperitur peccatum mortale certum, vt latè probatum eſt; ac proinde eſt iterùm aperiendum in Confeſſione.

SECTIO VI.

An qui confitetur peccata propriè dubia; teneatur addere ſaltem aliquod veniale peccatum certum?

1 SVarez *diſp. 22. ſect. 9. num. 3.* docet, quando materia eſt propriè dubia; adiungendam eſſe materiam certam, ne ſub conditione tantùm, perficiendum ſit Sacramentum; hoc enim, inquit, vitandum eſſe, quoties fieri potuerit. Hanc doctrinam ſequitur Sanchez *lib. 1. operis moralis, cap. 10. numero 70.* Intelligúntque illam de dubio facti, quando quis confitetur peccatum dubium dubio facti, quo videlicet dubitatur; an facta ſit actio peccaminoſa, iungendum eſſe peccatum certum, ſaltem veniale, vt detur materia certa, ne abſolutio ſub conditione, vt in dubio dari debet, concedatur. Atque de hoc dubio facti procedit quæſtio; nam de dubio Iuris, cùm quis videlicet fatetur peccatum, quod ſe admiſiſſe eſt certus, & ſolùm dubitat an ſit mortale; tunc non opus eſt,

aliam materiam præbere, quia iam datur materia certa. Vt diximus *præcedenti ſectione, num.* 3.

2 Hanc quæſtionem non tractant communiter Doctores Scriptores, præter duos relatos. Recentiores verò graues in Manuſcriptis video eſſe diuiſos. Nam quidam putant, adhibendam eſſe materiam ſeu peccatum certum, ſolùm quando ſine notabili difficultate, aut incommodo poteſt talis materia addi. Quia aliquando contingit, vt non habeat quis materiam mortalem certam, nec poſſit ſine magna difficultate præbere materiam venialem, ob difficultatem quam experitur excitandi in ſe dolorem de venialibus. In hac difficultate, inquiunt, non teneri addere materiam ſeu peccatum certum, nec abſtinere à Confeſſione, cuius neceſſitas inſtare poteſt ob Euchariſtiam ſumendam, vel magna vtilitas ob alias cauſas. Igitur tunc licebit cum ſolis peccatis dubiis ad Confeſſionem accedere. Probant id, quia ſi in materia dubia agnoſcimus onus neceſſitatis illa confitendi, quo pacto negare poſſumus leuamen ſufficientiæ ad conſequendam gratiam media ſola eius Confeſſione, quando aliam materiam neceſſariam non habemus, & voluntariam ſine incommodo aut periculo præbere non poſſumus. Non enim tanti momenti putandum eſt abſolutionem non conferre ſub conditione, vt hominem dubium, an exiſtat in peccato mortali, certo hoc rememedio priuare liceat. Alij verò Recentiores negant extra caſum neceſſitatis poſſe conferri abſolutionem de peccatis dubiis abſque vlla alia materia certa. Probant, quia non poſſunt extra caſum neceſſitatis confici alia Sacramenta in materia dubia: ergo neque Sacramentum Pœnitentiæ. Firmant, nam de peccato dubio non datur abſolutio, niſi ſub conditione quòd fuerit commiſſum; ergo hac conditione non poſita, nihil magis præſtat abſolutio, quàm conſecratio liquoris dubij, quod reipſa vinum non eſt. Vnde ſicut quando liquor reipſa non eſt vinum, nulla eſt conſecratio, nullúmque Euchariſtiæ Sacramentum; ita quando reipſa nullum eſt peccatum, nulla erit abſolutio, nullúmque Sacramentum Pœnitentiæ: ergo ſicut ea de cauſa extra caſum vrgentis neceſſitatis, nequit eſſe materia conſecrationis liquor dubius, de quo dubitatur an reipſa vinum ſit, ita ſimiliter extra vrgentem neceſſitatem nequit peccatum mortale dubium eſſe materia ſufficiens abſolutionis.

3 In hac re, dico *primò*, optimum conſilium eſſe, quod proponunt Suarez, & Sanchez, eum nimirùm qui confitetur materiam grauem dubij facti, oportere vt illi adiungat materiam certam, ſaltem veniale aliquod peccatum. Ratio eſt, quia ſi tota materia Confeſſionis eſt dubia, nequit dari abſolutio abſolutè, ſed ſub conditione: ergo magis conueniens eſt, cùm quis fatetur materiam grauem dubij facti, iungere cum illa aliquod ſaltem veniale peccatum, vt ſic abſolutio detur abſolutè, & ſine vlla conditione, iuxta communem praxim, & vſum Eccleſiæ.

4 Dico *ſecundò*, quando quis experitur difficultatem excitandi in ſe dolorem de veniali peccato, nec habet materiam certam mortalem, ſed ſolùm dubiam, non teneri addere materiam certam, ſed poſſe ſolùm dubia confiteri. Vnde iſta eſt ſufficientiſſima cauſa, vt cùm ſola dubia materia ad Confeſſionem accedat, nec illi neget Confeſſarius abſolutionem de dubiis, ſed eam concedat ſub conditione, mentaliter tamen ſubintellecta, vt ſic maneat abſolutus à peccatis, quæ ſub dubio confeſſa ſunt, ſi reipſa ſint commiſſa. Sic ſentio cum prioribus Recentioribus, inter quos vnus eſt Lucas Guadin *in ſuo tractatu manuſcripto, de Sacramento Pœnitentiæ.* Et probatur, *primò*, quia eo ipſo quòd Chriſtus voluerit dubiam materiam eſſe neceſſariam, obligat ad illam confitendam; ergo non petit, vt qui aliam neceſſariam non habet, apponat voluntariam vt abſoluatur: omni enim neceſſaria materia ſufficere debet eo ipſo quòd neceſſaria ſit, etſi nulla alia habeatur. Firmatur; nam conſtat ex *ſectione quarta*, vt certum, teneri quem confiteri peccata ſola mortalia dubia, quando vrget præceptum Confeſſionis, & Chriſtus Dominus fecit neceſſariam materiam Confeſſionis peccata dubia: ergo inſtituit quoque abſolutionem dandam ſub conditione, ac proinde ſola dari poteſt, quando alia materia abſolutè remiſſibilis, & neceſſaria non eſt, præſertim ſi materia voluntaria commodè, & ſine difficultate præberi non poteſt. *Secundò*, nullum eſt periculum in hoc caſu irritum faciendi Sacramentum Pœnitentiæ: ergo poteſt confici in materia graui dubia. Antecedens patet, quia materia grauis dubia eſt materia certa huius Sacramenti, vt liquet; neque etiam fruſtratur Sacramentum primario effectu, quia primarius illius effectus eſt, conferre gratiam ex ſe remiſſiuam peccatorum, ſi reipſa commiſſa fuerint; ergo licèt in illo caſu peccata non deleantur, quia à parte rei non fuerunt commiſſa, nec præſupponuntur in ſubiecto; confertur tamen gratia ſanctificans. *Tertiò*, Quis concipiet tanti momenti putandum eſſe, abſolutionem non conferre ſub conditione, vt hominem dubium an exiſtat in peccato mortali, certo hoc remedio priuare liceat? Ego ſane nihil tale credam; maximè cùm ſemper abſolutio peccati dubij, etiam quando materia certa præſtatur, ſit reſpectu talis peccati, non abſolutè, ſed ſub conditione data.

Hinc patet ſolutio ad argumentum oppoſitum alio- 5
rum poſteriorum Recentiorum, concedendo Antecedens, & negando Conſequentiam; nam eſt ratio diſparitatis manifeſta: quippe in aliis Sacramentis exponitur quis periculo non faciendi Sacramentum, eo quòd illud facere attentet in materia dubia; ſi enim liquor, de quo dubito an ſit vinum, verè tale non ſit, non ſit conſecratio. At non ita eſt in Sacramento Pœnitentiæ: etſi enim peccatum, de quo dubito an ſit commiſſum, verè commiſſum non ſit, efficitur in eius abſolutione Sacramentum. Et ratio huius eſt, quia Chriſtus inſtituit Sacramentum hoc vt iudicium; in hoc autem fertur de dubiis etiam vera & efficax ſententia. Quare peccata dubia talia vocantur, & ſunt, non in ordine ad Sacramentum, quia in ordine ad hoc ſunt certa materia Confeſſionis, ſed in ordine ad notitiam pœnitentis. Sicut enim cùm quis probabiliter tantùm iudicat, ſe commiſiſſe aliquod peccatum, quin oppoſitum ſcilicet non commiſiſſe probabiliter iudicare poſſit; tale peccatũ licèt probabile tãtùm ſit reſpectu notitiæ pœnitentis; eſt tamẽ certa materia reſpectu Sacramẽti Pœnitẽtiæ, quia eſt certa obligatio illud confitendi. Cùm igitur certa ſit obligatio confitendi peccatum mortale dubium, hoc erit materia certa Confeſſionis, & Sacramenti, quantumuis ſit dubium reſpectu notitiæ pœnitentis. Ad Confirmationem, neganda eſt Conſequentia, nam abſolutio in Sacramento Pœnitentiæ vnum habet effectum abſolutum, nempe gratiam de ſe remiſſiuam peccati; alium verò conditionatum, nempe peccati remiſſionem: hic ſecundus effectus non datur in dubiis niſi ſub conditione quòd ſint commiſſa; ſicut neque datur in peccatis certis niſi ſub conditione, quòd non ſint priùs remiſſa: primus verò effectus independenter ab his conditionibus datur; & in ordine ad illum vis, & eſſentia Sacramenti Pœnitentiæ ſumenda eſt. Quare ſicut quando Confeſſio fit de peccatis tantùm iam confeſſis, & remiſſis, tametſi abſolutè non operetur abſolutio effectum illum ſecundarium remittendi, quia non ponitur conditio, nempe quòd non fuerint peccata priùs remiſſa; operatur tamen effectum primarium, in ordine ad quem datur verum & reale Sacramentum: ita quando Confeſſio fieret de

ſolis

ſolis peccatis dubiis,daretur verum Sacramentum,& integrum quoad primum illum effectum abſolutum gratiæ remiſſiuæ de ſe peccatorum,quantumuis reipſa non eſſent peccata quæ actu remitterentur.

6 Quæret aliquis,an etiam abſque vlla cauſa difficultatis & repugnantiæ,liceat ſola peccata dubia mortalia in Confeſſione manifeſtare,etiamſi nulla ſit difficultas addẽdi materiã certã alicuius peccati venialis. Videtur dicẽdum,nõ licere,quia forma Abſolutionis debet,quoad fieri poteſt,abſolute proferri etiã quoad effectũ ſecũdariũ remittẽdi ſcilicet peccata;nõ verò ſic mente proferri poteſt,quãdo ſunt ſola peccata dubia cõfeſſa; quia ſi à parte rei nõ ſũt cõmiſſa,talis effectus omninò fruſtratur.

7 Ego verò ſentio poſſe libere & licitè aperiri in Cõfeſſione ſola peccata grauia dubia, nulla vrgente cauſa. Moueor argumentis iã propoſitis *n.praeced.* in probationem Dicti tertij.Nam ſola mortalia dubia ſunt materia certa,& neceſſaria Confeſſionis,ex inſtitutione Chriſti qui inſtituit Sacramentum per modum iudicij, & ſententiæ:ergo ferri debet de dubiis , ſicut de dubiis fertur etiam in iudicio humano vera & efficax ſententia.Nec obſtat,quod dictum eſt de abſolutione,quòd non debeat ſine cauſa vrgenti impendi ſub conditione mentaliter ſubintellecta.Non,inquam,obeſt;quia cùm certum ſit, peccata mortalia dubia eſſe materiam certam & neceſſariam Confeſſionis Sacramentalis,nec teneri pœnitentem addere illis materiam aliam certam , vel voluntariam , & inde agnoſcimus omnes,onus neceſſitatis illa confitendi,quo pacto negare poſſumus leuamen abſolutionis ſub conditione mentaliter ſubintellectæ , vt ſi fortè à parte rei ea peccata commiſſa fuerint , verè remittantur. Quæ enim maior cauſa magis vrgens , ac quaſi magis intrinſeca , quàm iſta deſumpta ab ipſa inſtitutione Sacramenti ad dandam abſolutionem ſub conditione mentali ? Non igitur alia cauſa extrinſeca difficultatis , vel repugnantiæ adhibenda eſt. Præterea in eo caſu talis abſolutio impenderetur abſolutè quoad effectum primarium,conferendi ſcilicet gratiam ex ſe remiſſiuam. Quoad alium verò effectum ſecundarium, nempe actualis remiſſionis,eadem eſt ratio de peccatis iam confeſſis , & remiſſis,ac de peccatis dubiis:quia ſicut peccata iam confeſſa,& remiſſa per primam abſolutionem , non remittuntur per ſecundam abſolutionem niſi ſub conditione , quòd fortè non fuerint remiſſa per primam ; ita peccata dubia non remittuntur niſi ſub conditione,quòd reuera ſint commiſſa.Vnde ſi de abſolutione conditionata , quaſi obiectiuè , vel terminatiuè loquamur quoad ſecundum effectum , eadem prorſus eſt ratio in vtriſque peccatis confeſſis , & dubiis.Deinde,ſi ſermo ſit de abſolutione formaliter & expreſſè conditionata , ideſt conditionata ex modo expreſſo tendendi, ſeu exprimendi ipſius abſolutionis , etiam eadem eſt ratio in vtriſque peccatis;nam in neutro caſu illorum , exprimitur conditio vlla in abſolutione. Solùm igitur ex parte intentionis mentalis abſoluẽtis eſt diuerſum diſcrimen:nam illa conditio adhibetur peccatis dubiis,non verò aliis peccatis iam confeſſis adhiberi poteſt:cuius rei ratio hæc optima eſt;quia conditionem etiã mentalẽ ipſi abſolutioni Sacramẽtali apponere nõ licet,niſi quãdo prudẽter dubitatur dubio ſuſpẽſionis,de exiſtentia illius cõditionis:de exiſtentia autẽ peccati dubij prudenter dubitatur,dubio ſuſpenſionis,& per cõſequẽs poteſt licitè mentaliter apponi tãquã cõditio. At de non remiſſione peccati iam confeſſi & abſoluti,nullũ eſt prudens dubium;atque ideò non licet mẽtaliter apponere eam conditionẽ,videlicet , ſi nõ eſt remiſſũ. Quare in abſolutione à peccatis cõfeſſis , nõ ſubintelligitur conditio illa mentalis,ſicut in abſolutione à dubiis,ac per conſequens hæc meritò habet aliquid abſolutionis conditionatæ,quod non habet illa alia.

SECTIO VII.

An peccata iam validè confeſſa, & abſoluta ſint materia ſufficiens Sacramenti Pœnitentiæ.

Svppono *primò*, quod certum eſt apud omnes , ſi Confeſſio inualida fuit,eſſe de neceſſitate Sacramẽti peccata mortalia iterùm confiteri Ratio eſt , quia ea peccata non fuerunt per Claues remiſſa:ergo iterùm ſũt ſubiicienda Clauibus, vt remittantur;quia hoc eſt medium per ſe neceſſarium ad talem remiſſionem. 1

Secundò,ſuppono etiam vt certum,peccata ritè confeſſa,& remiſſa,non eſſe iterùm neceſſario confitenda. Id cõſtat ex Benedicto XI.in extrauaganti *Inter cũctas, de Priuil. Ne ſequatur*,inquit,*abſurdũ,vt peccata ſemel per pœnitentiam dimiſſa , debeat quis iterùm confiteri.* Idem habet Ioannes XXII.in extrauaganti *Vas electionis,de hæreticis.* Vbi oppoſitum dicit erroneum, ſumitur etiam ex Tridentino *ſeſſ.*14.*c.*5 dicente,ea peccata eſſe confitenda quorum aliquis conſcientiam habeat poſtquam peccata ſunt ritè confeſſa & remiſſa , non manẽt in conſcientia.Denique ratione firmatur,quia circa talia peccata iã ſunt Chriſti verba impleta, *Quorũ remiſeritis peccata,remittuntur eis* : ergo ſatisfactum eſt diuino præcepto,& medio ad ſalutem neceſſario;ergo nulla ſupereſt neceſſitas. 2

His præmiſſis,ſupereſt difficultas,an peccata mortalia iam validè confeſſa & abſoluta,poſſint eſſe materia ſufficiens Sacramenti Pœnitentiæ.Sumimus hìc materiam ſufficientem , non prout diſtinguitur ab inſufficienti, ſed prout diſtinguitur à neceſſaria , & prout ſignificat materiam,quæ tantum habet eſſe ſufficientem, abſque neceſſitate illam ponendi.

Olim viſum fuit aliquibus,peccata ſemel validè confeſſa,& abſoluta,non eſſe materiam ſufficientẽ Cõfeſſionis.Poteſt id probari *primò*,quia forma noua non poteſt ſupra eãdẽ materiã repeti, præcipuè forma abſolutionis,quæ ſupponit hominem ligatum,& non abſolutum;ſolus enim ligatus abſoluitur. *Secundò*, non poteſt Sacerdos talia peccata retinere,etiamſi velit,quia iã nõ ſunt;nec remittere , quia iam ſunt remiſſa:vnde prædicta peccata non continentur ſub illis verbis, Ioan. 20. *Quorum retinueritis , retenta ſunt*;neque etiam continentur ſub illis aliis : *Quorum remiſeritis peccata , remittuntur eis* ; quia tam latè patet vnum , ſicut aliud. 3

Tertiò , prima abſolutio peccatorum mortalium eſt ſententia definitiua;poſt hanc autem non datur alia.

Sed iam pro comperto ab omnibus traditur , & docetur oppoſitum ; idque decreuit Benedictus II. in extrauaganti prima, *de priuilegiis.* Et patet *primò* quia Chriſtus Dominus non limitauit poteſtatem abſoluendi ad vnum actum. *Secundò*,quia in repetita eorundem peccatorum Confeſſione , & dolore , iam datur noua materia proxima. Hæc autem ſufficit ad nouam formam , etſi remota materia eadem ſit , vt patet in Baptiſmo , quæ per nouas ablutiones in eadem aqua poteſt de nouo dari. *Tertiò* , quia iudicium reconciliatiuum ſæpiùs iterari poteſt per modum approbationis ſententiæ datæ , præcipuè vbi non conſtat certò , an ritè peractum ſit ; nobis autem non poteſt ſine reuelatione conſtare , quod ritè confeſſi , & reconciliati ſimus. *Quartò* ; vnuſquiſque reus poteſt in eadem cauſa ſæpius iudicari ſi ipſe velit ; non autem poteſt iuſtè à Iudice ad 4

V 3 huius

huiuſmodi iudicium cogi: quod maximè verum habet in hoc Sacramentali iudicio, quod omninò voluntarium eſt: in eo enim reus ipſe ſe accuſat & iudicium præbet; & ideò iterata Confeſſio eiuſdem grauis peccati ſufficiens materia, & accuſatio eſt in hoc iudicio, quamuis non ſit neceſſaria.

Vltimò, in prædicto caſu verum quoque eſse ſenſum verborum formæ, *Ego te abſoluo*, conſtat ex vſu omnium hominum, qui eandem offenſam ſolent ſæpius remittere, nec tamen putant ſe mentiri, quando ſecunda vice remittunt; non enim mentitur, qui poſt dimiſſum ſemel debitum, vel offenſam, iterùm rogatus, dicit ſe remittere: nam ſicut qui ſemel ſe obligauit alicui ad aliquid præſtandum, poteſt iterùm ſe ei obligare ad idem; & qui ſemel vouit, vouet iterum, & iterùm, & promittit ſæpius idem obiectum, & qui per Profeſſionem religioſam renunciamus ſæculo, diuitiis, &c. repetentes profeſſionem, vel vota religioſa repetimus abſque mendacio eandem renunciationem; ſic ſimiliter qui remiſit debitum, poteſt iterùm idem remittere.

5 Sunt verò quatuor obſeruanda pro praxi iteratæ Confeſſionis eorundem peccatorum. *Primum eſt*, quando quis peccata mortalia, aliàs ritè confeſſa, & abſoluta, repetit, non eſſe neceſſarium illorum circumſtantias, aut numerum explicare; imò neque dicere peccatorum ſpeciem; ſufficit enim in genere confiteri ſe peccaſſe mortaliter. Hócque ſufficit ad veram Confeſſionem, etiamſi nihil aliud dicatur dummodò pœnitens non habeat conſcientiam alicuius peccati mortalis non confeſſi. Ratio eſt, quia circumſtantiæ illæ, numerus, & ſpecies peccatorum confeſſorum, eſt materia voluntaria, non neceſſaria. Ita expreſsè Granado *tract. 9. diſp. 3. num. 7.* Addit tamen quod etiam mihi placet, multò melius eſſe, ſemper declarare aliquod determinatum peccatum; & ita conſulendum eſſe.

6 *Secundum eſt*, peccatum ritè confeſſum, & directè abſolutum, poſſe eſſe materiam neceſſariæ Confeſſionis, ex voto pœnitentis, vel ex ſtatuto, cui ſe voluntariè ſubiecit. Id rectè notauit Suarez *diſp. 22. ſect. 7. n. 10.* & Fagundez *precepto ſecundo, lib. 2. cap. 2. num. 4.* quia talis vſus Sacramenti eſt bonus, & poteſt eſſe in conſilio: ergo poteſt eſſe materia voti. Deinde etiam ratione ſtatuti, cui voluntariè ſe ſubiecit, vt cùm quis voluntariè aſſumit ſtatum Religionis, ſub conditione faciendi ſingulis annis generalem Confeſſionem omn um peccatorum illius anni, quod quidem ita ſtatutũ eſſe in Religione Ciſtercienſi, dicunt nonnulli; quia etiam proponitur vt quid conferens ad perfectionem, & obſeruantiam regularem. Addit benè Suarez *loco citato*, ſecluſo conſenſu, & voluntate pœnitentis, non poſſe eam obligationem abſoluto præcepto imponi. Tum quia hæc eſt propria materia conſilij, & ideò per ſe non cadit ſub præceptum humanum. Tum quia eſt res valdè difficilis, & illa cauſa iam eſt terminata; & nullus videtur eſſe finis, vel nulla neceſſitas, propter quam expediat tale præceptum imponere.

7 *Tertium eſt*, pœnitentem interrogatum à Confeſſario de aliquo mortali iam ritè confeſſo, poſſe abſque vllo peccato etiam veniali, vti æquiuocatione, & non aperire veritatem Confeſſario, Vt benè notauit Suarez *diſp. 22. citata ſect. 10. n. 5.* & Granado *tract. 9. diſp. 13. n. 3.* Ratio eſt quia cùm Iudex non interrogat iuridicè non mentitur aliquis negando factum, etiamſi illud fecerit; quia non cenſetur ſimpliciter ſe negare feciſſe, ſed negare ita feciſſe, vt teneatur in illo foro illud reuelare: cùm autem Confeſſor in hoc Sacramento interroget vt iudex, ſi interroget de re non neceſſaria, & quam pœnitens non tenetur reuelare, poteſt pœnitens illam negare abſque mendacio: non enim tunc Confeſſarius habet ius interrogandi, ac proinde nec pœnitens tenetur ad eius mentem reſpondere. Hoc autem intelligendum eſt iuxta communem Doctorum opinionem, quando noticia mortalis iam ritè confeſſi, & expiati, non eſt neceſſaria Confeſſario ad pœnitentem in poſterùm dirigendum; nam accedente hac neceſſitate, habet ius Confeſſarius interrogandi; & per conſequens pœnitens obligationem reſpondendi.

Quartum eſt, peccata iam validè confeſſa, tametſi 8 contingat Confeſſionem fuiſſe informem, non manere deinceps materiam neceſſariam. Ita omnes: Ratio eſt, quia iam in ea data fuit valida, & directa ſententia. Imò, vt notauit Suarez *diſp. 22. ſect. 7. n. 2.* qui admittunt Sacramentum validum, & informe, ob id maximè admittunt, vt excuſent homines ab iterandis Confeſſionibus; quia obligatio ſolùm eſt ad recipiendum verum Sacramentum Pœnitentiæ circa talia peccata: ſi ergo datur verum Sacramentum etſi informe, nulla remanebit obligatio Confeſſionis. Vnde hac de cauſa talis abſolutio habet ſuum effectum, recedente fictione, quia eſt vera, & ideò quantum eſt ex ſe, dat effectum; quòd ſi inuenit obſtaculum, manet in acceptatione diuina, vt ablato impedimento conferat effectum.

Ex his facilè ſoluuntur argumenta contraria, adducta ſuprà *num* 3. Ad primum enim, iam dixi repetitâ nouâ materiâ proximâ, id eſt nouâ Confeſſione, ac dolore, poſſe etiam repeti nouam abſolutionis formam; neque huic opponitur forma abſolutionis. *Abſoluo te*: nam ſenſus hic verus eſt, Confero tibi gratiam abſolutiuam; id eſt, quæ te ſoluat, ſi ligatus ſis, vel ſolueret ſi ligatus eſſes. Cum enim eſſentialis verborum abſolutionis ſignificatio ſemper vera ſit, non denotat actualiter ſolui vincula peccatorum abſolutè, ſed abſolutè conferri gratiam abſolutiuam, & ſolui vincula ſub conditione quòd dentur. Et ideò prædicta verba non petunt actu ſupponere ligatum, ſed poſſe ſupponere.

Ad ſecundum, certum eſt non poſſe Sacerdotem 9 illa peccata retinere, ſi ſemel remiſſa fuere: nam verbum *retinendi*, ſeu *alligandi*, non poteſt de illis intelligi, ſi ſemel deleta ſunt, quia iam non eſt in illis aptitudo, & capacitâs vt retineantur: nam hæc retentio ſeu alligatio, quæ à Sacerdote fit in terris, rata habetur etiam in cœlis; cùm alligatus ſit in cœlis, qui alligatur in terra; peccata autem iam remiſſa non poſſunt in cœlis, ſeu extra hanc vitam alligare, aut excludere à regno cœlorum, vt conſtat: atque ideò ratione illorum non potuit intelligi data poteſtas Sacerdotibus retinendi, quia hæc ſignificatur per Clauem cœlorum, quæ eſt ad claudendum, non poteſt autem claudi cœlum homini propter peccata mortalia commiſsa, ſi ſint iam ritè confeſſa, & per tale Sacramentum verè remiſsa. Igitur poteſtas claudendi, quæ eadem eſt cum hac poteſtate retinendi, ſeu alligandi, non poteſt intelligi de illis, quæ verè nequeunt retineri. Similiter dico de poteſtate remittendi, ratione illorum peccatorum, non poſse eam abſolutè intelligi de illis, cùm iam ſupponantur verè remiſsa; nec formam abſolutionis aliud ſignificare, vt dictum eſt.

Ad tertium dico, ſententiam definitiuam, quando eſt ſupremi Iudicis, repeti non poſſe, reuocando illam in dubium: attamen approbando illam, ſi ſpeciales aliquæ rationes adſint, & reus ipſe id petat, nihil prohibere eius repetitionem: ſic autem contingit in repetita Confeſſione Sacramentali peccatorum, quæ iam ſunt validè confeſſa, & remiſſa.

SECTIO

SECTIO VIII.

An omnia peccata mortalia ſint materia neceſſaria Confeſſionis generalis?

1 Difficultas eſt, an qui facit Confeſſionem generalem peccatorum, quæ ritè confeſſus eſt, teneatur omnia mortalia vitæ præteritæ aperire; an verò poſſit aliqua præſertim grauiora omittere, cùm iam iterùm illa eadem ritè confeſſus ſit.

Victoria *in ſumma*, 9. 153. alias 166. & Ledeſma 2. *p. quarti, qu.* 8. *art.* 2. *dub.* 15. negant, poſſe, ſi dicat Confeſſori ſe velle generaliter confiteri. Fundamentum eſt, quia deciperet grauiter Confeſſorem in re graui, qui iudicaret eum caſtè & piè vixiſſe, tacitis grauioribus, & turpioribus peccatis.

2 Cæterùm affirmant Henriquez *lib.* 2. *de pœnitentia cap.* 12. §. 2. *in gloſſa lit. D.* Suarez *diſp.* 22. *ſect.* 7. *numéro* 7. Cardinalis Lugo *diſput.* 16. *ſect.* 2. *numer.* 57. & alij, quos iſti referunt. Ratio eſt, quia peccata ritè confeſſa, & abſoluta per Confeſſiones præteritas, deſierunt eſſe materia neceſſaria: & pœnitens non decipit Confeſſarium in materia iudicij Sacramentalis; ſolùm enim dat pro materia ea peccata, quæ confitetur, illa autem alia, quæ tacet, non dat, nec tenetur dare, cùm iam illa confeſſus fuerit. Quod verò præmiſerit ſe velle facere Confeſſionem generalem totius vitæ, eſt quidem mendacium, ſed non circa materiam Sacramenti, ſed circa aliquid extrinſecum; non ergo damnandus eſt peccati mortalis, qui ex propoſito taceret magnam partem peccatorum in Cõfeſſione generali, multò minus qui tacet aliqua, vel ex negligentia, vel etiam ex tædio, vel ex verecundia, vel alia de cauſa; quia ſicut tota Confeſſio generalis eſt libera, & ex ſuperogatione, ſic liberum eſt illam magis vel minus facere generalem. Firmo hoc idem, & probo, deceptionem illam, licèt ſit propria deceptio, non eſſe grauem, & ideò non eſſe peccatum mortale. Patet, quia mendacium illud non eſt contra Sacramentum ipſum Pœnitentiæ, cùm nihil omittat, quod ſimpliciter ſit de neceſſitate Sacramenti; neque efficit, vt illud iudicium Sacramentale iniuſtè fiat, & ſine debita æquitate; quia Confeſſor tantùm debet iudicare de his quæ pœnitens confitetur, & ſi in illis ſeruet æquitatem, ſeruat in omnibus, quæ ſimpliciter neceſſaria ſunt. Nec denique aliunde mendacium illud eſt perniciosũ, quia neque ipſi Confeſſori, neque alteri graue nocumentum infert. Denique idem probatur doctrina Caietani, verbo *Confeſſio*, & Aliorum, ſi quis dicat Confeſſori, ſe velle confiteri omnia venialia peccata, quæ poſt vltimam Confeſſionem cõmiſit, licèt aliquod taceat, non peccare mortaliter, quia nihil omittit quod ſit ſimpliciter de neceſſitate Sacramenti; at peccata mortalia ſemel ritè confeſſa in ordine ad iterandam Confeſſionem perinde ferè ſe habent ac peccata venialia, quia ſimiliter non ſunt materia neceſſaria Confeſſionis: igitur per ſe loquendo, nullum in hoc eſt peccatum mortale, ſed ſolùm veniale.

3 Hinc colligo cum Cardinali Lugo, non eſſe contra valorem Sacramenti, ſi aliquis habeat duos Confeſſores, quorum alteri prius confiteatur mortalia, alteri poſtea ſolùm venialia. Quia licèt tunc etiam ſecundus Confeſſarius decipiatur, putans pœnitentem illa ſola peccata feciſſe ab vltima Confeſſione; pœnitens tamen non mentitur, ſed ſolùm proponit illa, in quo nullum eſt mendacium. Hoc intelligo verum eſſe, per ſe loquendo, quia hoc non eſt contra integritatem Sacramenti: vtraque enim Confeſſio eſt integra: neque item eſt vera & formalis hypochriſis quia velle conſeruare bonam famam apud Confeſſarium ordinarium, vel nulla, vel ſaltem inordinatio grauis non eſt; imò id ſæpe oportere, præcipue in fœminis etiam religioſis, docent Villalobos, Conninck, Enriquez & alij quos refert & ſequitur Diana *tom.* 2. *tract.* 4. *reſolut.* 86. & Fagundez *præcepto* 2. *lib* 2. *c.* 2. *num.* 3. Quare malè agunt Confeſſarij, ſi reprehendant pœnitentes ſuos, qui aliquando confeſſionale eorum declinant; cùm potiùs id diſſimulare, imò & aliquando hortari deberent.

Dixi *per ſe loquendo*; nam per accidens, ſi hoc eſſet cauſa, vt non ſemel eſſe ſolet, relabendi ſæpius in eadem mortalia, poſſet eſſe mortale: Vt ſi quis confiteretur peccata grauiora alicui, qui ea parum ponderaret, & ſine vlla obiurgatione, impoſitâ leui pœnitentiâ, ſtatim daret abſolutionem: aut ſi quis ſæpiùs in eadem incidens, ſemper diuerſis Confeſſoribus ea confiteretur; quia ea ratione non poſſet facilè ab his per Confeſſionem emendari, cùm ſponte quæreret medicos, qui eum, aut nollent, aut ob ignorantiam ipſius ſtatus non poſſent efficaciter ægrotum ſanare. Vnde in talibus magno cum fundamento timendum eſt, ne careant dolore ſufficienti de peccatis. 4

Hinc facilè ſoluitur alterum dubium, quod latè tractat Cardinalis Lugo *diſputatione* 16. *ſectione* 2. *numero* 46. *& ſequentibus*, an qui facit Confeſſionem generalem & confitetur ſimul aliqua peccata commiſſa poſt vltimam confeſſionem, quę nunquam priùs confeſſus erat, debeat explicare, illa peccata eſſe commiſſa poſt Confeſſionem vltimam, vt Confeſſarius ea excipiat, tanquam materiam neceſſariam. Cui dubio reſpondet Cardinalis cum aliis Doctoribus quos ipſe refert, non teneri pœnitentem explicare ea peccata non fuiſſe anteà ſe confeſſum. Probat, quia peccatum idem eſt, ſiue illud antea confeſſus fuerit, ſiue non: niſi fortè mutatio temporis afferat ſecum circumſtantiam ſpecie diuerſam, vt ſi ſe accuſet coniugatus de peccato contra caſtitatem commiſſo quando erat ſolutus; niſi enim explicetur tempus, Confeſſarius apprehendet ſpeciem adulterij: quando verò peccatum idem eſt, non eſt cur debeat neceſſariò explicari. 5

Ego verò, tametſi ſpeculatiuè prædictam ſententiam non improbem, nihilominùs tamen in praxi, & moraliter iudico oppoſitum eſſe tenendum, quia vtplurimum, ac ferè ſemper neceſſe eſt in Confeſſione generali, peccata quæ poſt vltimam Confeſſionem commiſſa ſunt, ea ſic explicare, declarando tempus. Moueor *primò*, quia ſi pœnitens habeat conſuetudinem præſentem peccati, etiamſi à Confeſſario non interrogetur, debet eam explicare, vt videat, an ſit diſpoſitus ad abſolutionem, & quam applicare poſſit medicinam. Vnde id tacere pœnitentem, ſignum eſt defectus doloris, ac propoſiti ſufficiẽtis de peccatis, niſi per accidens ipſa ignorantia excuſet. *Secundò* & maximè, quia notabiliter variatur, & mutatur iudicium Confeſſarij, ſi ſciat circumſtantiam temporis: nam diuerſum valdè iudicium format de peccatis iam ritè confeſſis, & abſolutis; ac de aliis, nec anteà confeſſis, nec abſolutis, tum ad cognoſcendam pœnitentis diſpoſitionẽ, tum ad applicandum illi remedium neceſſarium, ac medicinam ſalutarem. Quæ autem notabiliter variant, ac mutant iudicium Confeſſoris, ſunt manifeſtè in Confeſſione aperienda. Quibus adde prædictam notitiam temporis deſeruire quoque ad hoc vt Confeſſarius poſſit prudenter imponere pœnitentiam: nam leuiorem debet adiungere pro peccatis iam iterùm dictis in alia Confeſſione, & in ea punitis, quam pro aliis peccatis nunquam confeſſis, nec in Sacramento Pœnitentiæ punitis. Quare in praxi veriorem iudico, ac ſecuriorem hanc ſententiam, quam 6

Digitized by Google

defendit Luiſius Turrianus *in opuſc. Theol. cenſ. Theol. 4. dubio 2.* Et vix puto dari caſum; in quo non ſit neceſſarium explicare, an peccatum quod pœnitens confitetur, ſit vitæ præſentis vel præteritæ: propter rationes dictas. Diſſentio tamen in cenſura, quâ contrariam ſententiam afficit Turrianus, dicens illam non eſſe probabilem, nec tutam in praxi, ac eſſe bonis moribus pernicioſam: exceſſit enim prædictus auctor in ea cenſura adhibenda, cùm habeat fundamentum ſatis probabile, eámque defendant viri valdè graues, & docti, præcipuè noſter Cardinalis de Lugo.

SECTIO IX.

Vtrùm peccata venialia ſint materia ſufficiens Pœnitentiæ?

1 Dico *primò*, certum eſſe peccata venialia eſſe materiam idoneam, ac ſufficientem Confeſsionis, non tamen neceſſariam. Vtrumque definiuit Concilium Tridentinum *ſeſſ. 14. cap. 5. & canone 7.* Et ratio à priori, eſt Chriſti inſtitutio, de qua nobis per traditionem, & Eccleſiæ declarationem conſtat. Atque in primis quòd venialia non ſint materia neceſſaria, liquet etiam, quia hæc peccata ſunt leuiora, & non cauſant naufragium animæ; Pœnitentiæ verò Sacramentum ſolùm eſt ſimpliciter neceſſarium poſt naufragium. Quòd verò ex vi dicti Sacramenti, ſint venialia materia ſufficiens, ac idonea, expreſsè definiuit Tridentinum *canone 7.* dicens anathema eſſe, qui dixerit, non licere confiteri peccata venialia. Quod denique ex vi inſtitutionis dicti Sacramenti, venialia ſint materia ſufficiens, ac idonea, & data ſit ibi poteſtas ad illa remittenda; præterquam quòd manifeſtè ſequatur ex verbis Tridentini relati, Patet etiam, quia ſi ex vi inſtitutionis dictæ, non ſunt materia, non poſſunt eſſe ex vi alterius, quia nulla alia poſtea facta eſt, vnde fieret, vt venialia peccata non eſſent materia ſufficiens huius Sacramenti: ſimiliter quoque, ſi in eo loco non eſt data poteſtas circa venialia, cùm in nullo alio data fuerit; ſequeretur Sacerdotes non poſſe de illis, præſertim ſolis abſoluere, quod eſt contra vniuerſalem ſenſum, & praxim Eccleſiæ. Vnde manifeſtum eſt id, quod Chriſtus inſtituens Sacramentum Pœnitentiæ, dixit, *Ioan. 20. Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*, commune eſſe & peccatis mortalibus, & venialibus. Quare verbum *remittendi* debet intelligi proprie de vtriſque peccatis; vtraque enim capacia ſunt remiſſionis; atque ideò remittendi poteſtas debuit ad vtraque peccata referri: cumhoc tamen diſcrimine, vt remittendi poteſtas per ſe primò data ſit propter peccata mortalia; extenditur verò ad venialiâ veluti conſequenter; & vtriſque accommodatur modo illis proportionato. Nam peccatum mortale cùm ſit ſimpliciter Dei iniuria, claudit homini ianuam regni, ad quod aperiendum Claues datæ ſunt; quod maximè fit tollendo peccatum mortale: Quia verò venialia peccata, quamuis non claudant, impediunt introitum regni ad tempus; ideò Clauis illa quatenus eſt poteſtas remittendi peccata, extenditur ad peccata venialia; quia poteſtas ſufficiens ad tollendum impedimentum perpetuum, & ad remittendam iniuriam ſimpliciter, à fortiori ſufficiet ad tollendum impedimentum temporale eiuſdem ordinis, & ad remittendam iniuriam ſecundùm quid; cuius venia eſt longe facilior.

2 Obiicies, cùm dixit Chriſtus Dominus in inſtitutione Sacramenti Pœnitentiæ: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*, ſtatim addidit; *quorum retinueritis, retenta ſunt*, atque adeò ex vi inſtitutionis tam latè patet vnum ſicut aliud: at certum videtur illis verbis, ſolùm fuiſſe datam poteſtatem ad retinenda peccata mortalia, non verò venialia: ergo ibi ſolùm data fuit poteſtas ad remittenda mortalia, & nullo modo venialia. *Reſpondeo*, verba prædicta Chriſti Domini, cùm habeant pro materia peccata, nam hæc ſunt quæ remitti, vel retineri poſſunt, ex ſe poſtulare, vt cum debita proportione applicentur ad ipſa, iuxta capacitatem materiæ, ſeu ipſorum peccatorum. Vnde in mortalibus omnia illa verba ſimpliciter verificantur non ſolùm quoad remiſſionem, ſed etiam quoad retentionem; nam mortalia ſunt quæ vere retinentur, cùm nequeant vnquam auferri ſine Sacramento Pœnitentiæ, vel conſenſu Sacerdotis in re, vel in voto. In venialibus verò tametſi verificentur quoad remiſſionem, quatenus ſunt materia ſufficiens Sacramenti Pœnitentiæ, & capacia ſunt remiſſionis: Cæterùm quoad retentionem, vel facultatem retinendi illa, vel alligandi, nullo modo verificari poſſunt, quia non eſt in illis capacitas, & aptitudo vt retineantur. Nam retentio ſeu alligatio, quæ à Sacerdote fit in terris, rata habetur etiam in cælis, cùm alligatus ſit in cælis, qui alligatur in terra: peccata autem venialia non poſſunt hominem in cælis, ſeu extra hanc vitam alligare, aut excludere à regno cælorum, vt conſtat; cùm non auferant gratiam, quæ eſt ſemen gloriæ, & dat ius ad ipſam. Vnde quantumcumque homo maneat cum vinculis peccati venialis, non poteſt manere ligatus in perpetuum, & per conſequens ratione illius non potuit Sacerdotibus intelligi data poteſtas retinendi; quia hæc ſignificatur per Clauem cælorum, quæ eſt ad claudendum; non poteſt autem claudi cælum homini propter peccata venialia, cùm hoc ſit contra naturam gratiæ *habitualis*. Igitur poteſtas claudendi, quæ eadem eſt cum hac poteſtate retinendi, ſeu alligandi, non potuit intelligi de peccatis venialibus.

Nec eſt abſurdum, quando Chriſtus dedit poteſtatem remittendi peccata, eáque retinendi, nomen *peccata*, latius accipi in primo membro, itavt complectatur etiam venialia, quàm in ſecundo, vbi complectitur ſola mortalia: quia fauor abſolutionis ampliandus eſt; nec decuit eo priuari eos qui parùm peccarunt: decuit tamen eos non comprehendi odioſa retentione, quæ reſtringenga eſt ad ea quæ habent completam, & perfectam rationem peccati; itavt tollant diuinam amicitiam, qualia ſunt ſola mortalia.

Dico *ſecundò*, non ſolùm non eſſe culpam mortalem, 3 ſed neque venialem omittere in Confeſsione peccata venialia. Hoc etiam eſt certum, ab eodem Tridentino definitum *in dict. c. 5.* ſic dicente: *Venialia, quanquam rectè, & vtiliter in Confeſsione dicantur, quod piorum hominum vſus demonſtrat, taceri tamen citra culpam poſſunt*; ergo ea omittere in Confeſsione neque eſt culpa mortalis, neque venialis. Ex quo ſequitur confitentem aliqua venialia non peccare, tametſi omittat alia venialia æqualia, vel etiam maiora; neque ſi omittat omnia venialia, dummodo aliquod mortale, vel iam confeſſum, vel non confeſſum aperiat.

SECTIO X.

An peccatum veniale in generali, nullo veniali determinato explicato, ſufficiens materia ſit Sacramenti Pœnitentiæ.

Procedit quæſtio de Confeſsione Sacramentali vo- 1 luntaria, & non obligatoria, qualis eſt ea quæ eſt

de

de ſolis peccatis venialibus: An videlicet validè ac licitè fieri poſſit Confeſſio venialium ſolùm in generali, dicendo, ſe accuſare de peccatis venialibus, nullo explicato in particulari veniali determinato peccato.

Videtur enim pars negatiua vera. *Primò*, quia hoc modo ſe accuſandi, Confeſſarius nihil de nouo ſcit ex pœnitentis confeſſione, cùm certò ſciat omnes nos aliquando venialiter deliquiſſe.

Secundò, Confeſſarius in Sacramento Pœnitentiæ eſt Iudex: ergo non poteſt ferre ſententiam, niſi ſuper cauſam in particulari detectam; & inde Tridentinum probat neceſſitatem explicandi ſpecies peccatorum, quia Confeſſarius eſt iudex.

Tertiò, peccata in genere confeſſa non ſunt determinata materia Sacramenti, quia non ſunt materia, niſi qua ratione ſunt perpetrata; certum eſt autem commiſſa eſſe non in genere, ſed determinatè in particulari; ergo peccata venialia nequeunt abſolui niſi in particulari explicata.

Vltimò, qui in genere confitetur ſe venialiter deliquiſſe, non dat Confeſſario materiam determinatam determinatione ſingulari, id eſt, hanc potius quàm illam: at hoc neceſſe eſt in Sacramentis; qui enim in altari poneret plures formas vt aliqua ex illis conſecraretur, nullam in ſingulari determinando, non ponit materiam, quæ ſufficiat conſecrationi; ergo neceſſe eſt, dare materiam ſingularem: ergo dicere ſolùm ſe venialiter peccaſſe in genere, non ponit materiam ſufficientem abſolutioni.

2 Hanc quæſtionem ex profeſſo non tractant Doctores, ſolùm eam attingunt Recentiores. In partem affirmantem dicunt nonnulli Suarez inclinare *diſputatione 23. ſectione 1. numero 10.* vbi cùm ſibi obieciſſet, qui non haberet conſcientiam peccati mortalis, ſi in articulo mortis diceret ſe peccaſſe venialiter, ſine dubio abſoluendus eſſet, quandoquidem in venialibus explicare numerum, vel ſpecies non eſt de neceſsitate confeſsionis: reſpondet, fortaſſe ſpeculatiuè tantùm loquendo poſſe hoc defendi, tum propter rationem dictam, tum etiam quia qui confitetur verba otioſa, cenſetur dare ſufficientem materiam; & tamen non plus declarat conſcientiam ſuam, quàm qui dicit ſe peccaſſe venialiter, nec magis variat iudicium Confeſſoris. Nihilominùs tamen pro hac parte affirmante non eſt abſolutè Suarez referendus, qui, poſt prædictam doctrinam ab ipſo traditam, ſtatim addit hæc verba. Nihilominùs tamen practicè negandum hoc eſt, propter incertitudinem materiæ. Addítque, licet homo abſolutè non teneatur ſpecies peccatorum venialium confiteri, tamen ſuppoſito, quòd vult confiteri, teneri ad exhibendam materiam omninò certam, ſi poteſt; & ideò debere aliquod peccatum veniale in particulari ſuo arbitrio confiteri; adiunctâ verò neceſſitate, ſeu impotentia aliud dicendi, ſine dubio illa materia erit ſufficiens. Hæc Suarez. Quibus verbis ſatis declarat, peccatum veniale in genere, non eſſe materiam omninò certam, ſed ſolùm probabilem ac ſufficientem in articulo mortis, quando eſt impotentia dicendi aliquod veniale peccatum in particulari.

Solet etiam pro parte affirmante adferri Iacobus Granado *controuerſ. 7. de Pœnitentia, tract. 9. diſp. 3. numer. 7.* Verùm ſi rectè eius verba conſiderentur, non ſunt in fauorem prædictæ partis affirmatiuæ: Nam hæc ſolùm verba proponit *citato loco: Licet peccatum in generali declaratum, ſi poſt Baptiſmum fuerit commiſſum, ſit materia Sacramenti Pœnitentiæ; praxis tamen Eccleſiæ declarauit ſimul cum Doctorum auctoritate, declarandum eſſe peccatum in particulari, quando id fieri potuerit: & id quidem in Confeſſione obligatoria, qualis eſt mortalium nondum in alia Confeſſione explicatorum, eſt certiſſimum, dicendum eſſe peccatum quoad numerum & ſpeciem. In Confeſſione verò voluntaria, oportet aliqua ratione particulare peccatum declarare. Qui verò in generali ſe accuſaret, quòd aliquod peccatum mortale commiſiſſet, etiamſi nihil ampliùs declararet, nullam irreuerentiam committeret, & licitè poſſet abſolui, quia ea eſt aliqua declaratio particularis: & ſicut non tenetur in Confeſſione voluntaria, declarare, an tale peccatum mortale ſit, verbi gratia, deſiderium furandi res Eccleſiæ, ſed ſat eſſet declarare voluntatem furandi: ita nec tenebitur declarare furtum, ſed ſat erit explicare ſe peccaſſe lethaliter. Multò tamen melius eſt ſemper declarare aliquod determinatum peccatum, & ita eſt conſulendum.* Hæc Granado: Quibus, nihil dicit de peccato veniali in genere, ſed de peccato mortali in generali, & in Confeſſione voluntaria, & nullo modo obligatoria.

Solet quoque pro parte affirmante adduci Stephanus Fagundez qui *in ſuo tractatu, præcepto 2. lib. 2. cap. 2. num. 20.* referens ſententiam, quam probabiliorem exiſtimat, eorum Doctorum aſſerentium, eos qui volunt Iubilæum comparare, teneri venialia peccata confiteri, quantumlibet mortalibus careant, & aliter illud non comparare, nempe Soti, Sanchez, Viualdi, & Cordubæ, ait hos omnes dicere, tutius eſſe Confeſſionem præmittere, ſaltem alicuius venialis, licèt non omnium, aut ſaltem omnium in generali, nullum in particulari explicando, dicendo ſcilicet Confeſſario; Conſcientiam mortalis non habeo, In multis tamen venialibus deliqui: & ideò peto abſolutionem, quia illorum me pœnitet. Hæc dumtaxat Fagundez. Quibus verbis non docet expreſsè quid ipſe ſentiat circa Confeſſionem venialium in generali, ſed quid dicant prædicti Doctores. Quos etiam vidi, & nullus eorum expreſsè docet eſſe præmittendam Confeſſionem venialium in generali, ſolùm, nullum in particulari explicando, ad comparandum Iubilæum.

In hac re placet mihi ſententia, & iudicium iam dictum Suarez, Iuxta quod; 3

Dico *primò*, ſpeculatiuè tantùm loquendo probabile eſſe peccatum veniale in genere, nullo in particulari explicato, eſſe ſufficientem materiam Confeſſionis Sacramentalis. Probatur *primò*, quia ad venialia, ſicut ad mortalia iam confeſſa nunquam obligat præceptum materialis integritatis: at Confeſſio generalis ſufficit ac licet quando non obligat præceptum materialis integritatis; ergo veniale in genere eſt ſufficiens materia. *Secundo*, notitia in Confeſſore minimi quidem venialis peccati in particulari capta ex pœnitentis Confeſsione ſufficit ad validam & licitam abſolutionem, vt omnes Doctores concedunt; atqui ex Confeſsione generali pœnitentis, fatentis ſe venialiter deliquiſſe, ad minus habet Confeſſarius notitiam illam; ergo. *Tertiò*, ſicut peccatum mortale eſt materia neceſſaria, ita & veniale eſt materia ſufficiens, & idonea Confeſsionis Sacramentalis, vt conſtat ex præcedenti ſectione, ſed non ſolùm peccatum mortale in ſpecie, & in particulari, verùm etiam in genere eſt materia neceſſaria; vt cum quis verbi gratia, certò ſcit ſe peccaſſe mortaliter, & nullo modo recordatur ſpeciei peccati; tenetur enim tunc aperire peccatum mortale in genere: ergo non ſolùm eſt materia idonea, & ſufficiens peccatum veniale in particulari, ſeu in ſpecie, ſed etiam in generali. *Quartò*, in Confeſsione voluntaria & non obligatoria, eſt ſufficiens & idonea materia peccatum mortale in genere, vt eſt certum apud omnes: ergo ſimiliter in Confeſsione voluntaria ſufficiet veniale; patet Conſequentia, quiá reſpectu Confeſsionis voluntariæ, & non obligatoriæ æquè ſe habent venialia peccata,

peccata, & mortalia iam ſemel confeſſa, & abſoluta. *Vltimò*, peccata venialia in genere confeſſa, ſunt determinata materia, determinatione excludente indifferentiam ad materiam, & non materiam; non enim dubitamus an ſint vel non ſint materia Confeſſionis, ſed determinatè iudicamus ea eſſe idoneam materiam; ſicut peccata mortalia dubia, ſunt materia certa certitudine excludente dubium, an ſint vel non ſint materia; ergo veniale in genere eſt ſufficiens materia confeſſionis.

4 Dico *ſecundò*, practicè, veniale peccatum in genere non eſſe ſufficientem & idoneam materiam Confeſſionis Sacramentalis. Ita ſentio cum communi Doctorum ſententia, dicentium eſſe aliquod veniale peccatum determinatè, & in ſingulari aperiendum, ſi pœnitens poſſit. Ratio eſt quia nulla eſt rationabilis cauſa abſtinendi à dicta Confeſſione particulari, quæ eſt iuxta vſum, & praxim Eccleſiæ: ex alio capite nequit contrarium fieri propter incertitudinem materiæ: nam quoduis ſingulare peccatum veniale, licèt non ſit materia neceſſaria, eſt tamen materia certa, & vt ſic definita à Trid. vt vidimus *ſect. præc.* at veniale peccatum in genere, eſt tantùm materia probabilis, & dubia ſpeculatiuè, & obſtat illi communis vſus Eccleſiæ. Vt enim dixi *in tract. de Sacramentis in genere, diſputatione* 8. *ſect.* 8. materia & forma Sacramentorum, quæ ſunt in communi vſu Eccleſiæ, ſemper ſunt certæ; vnde mutationem in hoc facere, ex ſuo genere graue peccatum eſt, etiamſi ſit varietas opinionum, circa formam & materiam Sacramenti: non quia licitum non ſit ſequi opinionem probabilem, ſed quia Eccleſia praxi, ac conſuetudine communi ac vniuerſali præſcripſit modum adminiſtrandi Sacramenta; contra cuius legem efficeret qui omiſsâ materiâ certâ venialis peccati ſingularis applicaret materiam venialis peccati in genere, quæ incerta eſt, & ſub opinione poſita. Obſtat itaque Eccleſiæ vſus, & conſuetudo recepta habens vim legis.

5 Dico *tertiò*, poſſe interdum adhiberi tanquam materiam ſolum peccatum veniale in genere, quando eſt impotentia dicendi aliquod veniale in particulari. Hoc etiam admittunt Doctores, in aliis Sacramentis poſſe interdum adhiberi materiam probabilem, tametſi incertam, quando certa adhiberi non poteſt. Sic enim docent in Sacramento Confirmationis, in quo Chriſma confectum ex balſamo, & oleo, & conſecratum ab Epiſcopo, eſt materia certa; oleum verò ſimplex ab Epiſcopo benedictum eſt materia tantùm probabilis, poſſe Epiſcopum vti ſimplici oleo benedicto, vbi non haberetur balſami copia; quia fit certiori modo, quo tunc poteſt moraliter fieri. Ita ſimiliter dicendum in noſtro caſu: tunc enim adiuncta neceſsitate ſeu impotentia aperiendi aliquod ſingulare veniale peccatum, illud in genere erit materia ſufficiens, & idonea.

6 Ad argumenta *ſuprà* adducta pro parte negante, quatenus probant id non poſſe fieri etiam in caſu neceſsitatis, reſpondendum eſt. Ad primum dico, licèt Cõfeſſarius iam habuerit illam notitiam, denuò tamen illam capere ex Confeſsione pœnitentis; quod ſufficit, vt patet in eo, qui antequam Confeſsionem audiat, nouit omnia peccata, quæ in Confeſsione poſtea aperiuntur: & ratio eſt quia illa eſt vera Confeſsio, de cuius ratione eſt ſolùm quòd ſit accuſatio; non eſt autem de ratione accuſantis, quòd det notitiam nouam Iudici, poſſumus enim accuſare id, quod iam Iudex ſciebat: eſt ergo de ratione accuſationis, quòd ex ſe deferat aliquam notitiam delicti, ſiue eam iam haberet iudex, ſiue non haberet, & petat remedium, implorando Iudicis officium.

Ad ſecundum, dico, illo argumento probari, non eſſe validàm abſolutionem, etiamſi dicatur vnum peccatum mortale ſolum in particulari, & alia propter impotentiam non dicantur; quia in Tridentino ex eadem ratione iudicij colligitur neceſſitas confitendi omnia, & ſingula peccata: omnes ergo debemus dicere, hoc iudicium per ſe loquendo, & vt debito, & exacto modo fiat, exigere notitiam de ſpeciebus, & de numero omnium peccatorum: quando verò ea notitia haberi non poteſt, ſufficere notitiam vnius tantùm, & tunc Sacerdos iudicat de illo ſolo peccato quod audit, non de aliis, & ab illo ſolo directè abſoluit; & in caſu noſtro iudicat ſolùm de peccato veniali in genere, & ab illo ſub ea ratione abſoluit: ad iudicandum autem de hoc ſolo peccato, & ſub hac ſolùm ratione, ſufficit hæc ſola notitia, vt conſtat.

Ad tertium, reſpondeo, certum eſſe, peccata non poſſe abſolui niſi in particulari; hac enim ratione ſunt perpetrata; tamen ad hanc abſolutionem in particulari ſufficere Confeſsionem in genere. Patet hoc manifeſto exemplo, quod omnes admittere debent, in caſu illo in quo pœnitens eſt omninò oblitus peccatorum in particulari, ſciens ſolùm ſe mortaliter peccaſſe. Cuius rei ratio iam *ſuprà* dicta eſt, quia peccata in genere confeſſa ſunt determinata materia, determinatione excludente indifferentiam ad materiam, vel non materiam; non enim dubitamus an peccatum mortale in genere ſit, vel non ſit materia Confeſsionis, ſed determinatè iudicamus illud eſſe materiam certam; eſt ergo materia determinata determinatione excludente indifferentiam vt ſit, vel non ſit materia; ſicut peccata mortalia dubia ſunt materia certa, certitudine excludente dubium, an ſint vel non ſint materia.

Ad vltimum, diſtinguenda eſt Maior; Non dat materiam in ſingulari, determinatam in ſe, & determinabilem ab intentione abſoluentis, negatur; non dat materiam in ſingulari, determinatam in abſoluentis cognitione, conceditur: licèt enim in illo caſu neceſſitatis, in quo id eſt licitum, ignoret Confeſſarius, quod peccatum commiſerit pœnitens; ad id tamen quod commiſit feretur intentio abſoluendi; quia tunc cùm tale peccatum reuera ſit materia ſingularis, ad illam fertur intentio abſoluendi: determinatio autem hæc ſufficiens eſt. Vnde qui diceret, Volo conſecrare vnam ex his tribus hoſtiis, illam ſcilicet quæ habet impreſſum Ieſu nomen, (Suppono enim illas alias hoſtias non illo diuino nomine, ſed ſigno crucis ornari) hic, etſi non cognoſceret in particulari, quænam ex tribus ſit quæ nomen Ieſu habet, conſecraret illam, quia licèt non haberet materiam determinatam in cognitione ſingulari, quia non haberet cognitionem determinatam, & diſtinguentem vnam hoſtiam ab aliis, cùm tantùm ſciat aliquam ex tribus habere nomen IESV, & alias ſignum crucis; haberet tamen intentionem determinatam vnius, & non alterius: ſimilem ergo intentionem haberet Sacerdos, cui pœnitens confitetur ſe commiſiſſe aliquod peccatum in genere, cum impotentia dicendi aliquod in particulari; intentio autem abſoluentis ferretur ad id, quod reuera commiſſum eſt, licèt neſciat quale fuerit; & ſic ſemper fertur ad determinatum in re vel in intentione, licet non in cognitione. Et quamuis nihil eſſe poſsit intentum, aut volitum, niſi cognitum ſit; nihilominùs tamen poteſt aliquid determinatè eſſe intentum, etſi non ſit determinatè cognitum: nam modus volitionis non ſequitur in omnibus modum cognitionis; vnde licet cognitio proponat duo obiecta cum indeterminatione, & indifferentia; voluntas poteſt eligere liberè vnum determinatè. Idem ergo erit in caſu noſtro.

Quæret aliquis, an imperfectiones, qualis eſt, non correſpondere diuinis inſpirationibus, ſit materia Confeſsionis. Breuiter dico eſſe valdè laudabile, vt prædictæ 7

impef

imperfectiones in Confeſſione aperiantur, quia plurà ex iis quæ videntur meræ imperfectiones, non ſiunt ſine aliqua culpa veniali, & ita ſunt materia Confeſſionis, vt ſi quid culpæ, vel peccati in illis fuerit, id totum per Confeſſionem deleatur. Adde illas etiam aperire, valde conducere, ſicut & beneficia Dei narrare, vt notitiam ſui magis plenam pœnitens Confeſſario tribuat, vt melius ab ipſo dirigatur.

DISPVTATIO XXII.

De neceſsitate Confeſsionis Sacramentalis, vt medium eſt neceſſarium ad ſalutem.

AGGREDIMVR iam tractationem de Confeſſione peccatorum; quæ eſt ſecunda pars materiæ Sacramenti Pœnitentiæ. Antequam verò eius naturam & conditiones explicemus, agendum eſt de eius omnimoda neceſſitate. Duplex autem eſt neceſſita, ſcilicet Medij, & Præcepti; de vtraque neceſſitate dicendum eſt, & prius de priori in hac diſputatione, & poſterius de poſteriori in ſequentibus. Loquimur autem ſemper de neceſſitate Confeſſionis Sacramentalis, & eo ipſo ipſius Sacramenti Pœnitentiæ, quia de ipſa Confeſſione ſeorſim ab aliis partibus nulla eſt neceſſitas, nec præceptum, ſed de ipſa vt coniuncta dolori, & vt ſubiecta abſolutioni, id eſt facta ad obtinendam abſolutionem, & ideò dicitur Sacramentalis.

SECTIO PRIMA.

Quid ſit neceſſitas medij, quid præcepti?

EXpedit priùs hìc breuiter explicare, quid ſit neceſſitas Medij, quid Præcepti; vt videamus poſtea in hac diſputatione quo pacto Confeſſio ſit neceſſaria ad ſalutem neceſſitate medij; & etiam in ſequentibus, quo pacto ſit quoque neceſſaria neceſsitate præcepti. Sermo autem hoc loco eſt non de neceſsitate, quæ ad melius eſſe nuncupatur, ſed de ea quæ ſimpliciter.

1 Omiſsis autem variis ſententiis, ac dicendi modis, qui videri poſſunt apud Cardinalem Lugo *tractatu de Sacramento Euchariſtiæ, diſp. 3. sect. 1.* & Gabrielem Vaſquez *de Euchariſtia diſp. 169. cap. 1. & tom. 4. in 3. partem quaſt. 84. art. 5. dubio vnico.* Suppono *primò*, cum communi Doctorum ſententia: neceſsitate Medij dici neceſſarium illud, ſine quo ſalus obtineri non poteſt: Sic puero eſt ſimpliciter neceſſarius neceſſitate Medij Baptiſmus in re, ſine quo ſalus gratiæ ſanctificantis haberi non poteſt. Sic etiam adulto peccatori ante ipſam iuſtificationem, eſt ſimpliciter neceſſarius neceſsitate Medij actus fidei ſupernaturalis, qui eſt initium ſalutis, fundamentum & radix omnis iuſtificationis, vt docuit Tridentinum *ſeſſione 6. cap. 8.* ſine quo de facto nemo adultus iuſtificari poteſt, & ſalutem gratiæ obtinere. Illud verò dicitur ad ſalutem neceſſarium neceſsitate Præcepti, ad quod vel faciendum, vel fugiendum ſub mortali peccato obligatio eſt, vt vitetur illud, quod eſſet obex ad ſalutem: ſic reſtitutio rei alienæ ſolùm eſt neceſſaria neceſsitate præcepti, quia ſolùm requiritur, ne ponatur ad ſalutem obex peccati mortalis retinendo alienum.

2 Suppono *ſecundò*, rectè conſtituere Doctores neceſsitatis Medij, & Præcepti duplex diſcrimen. Primum eſt, quòd quæ neceſſaria ſunt ex ſolo præcepto, excuſationem ab inuincibili ignorantia recipiunt; vnde qui inuincibiliter ignoraret præceptum aliquod ſub mortali obligans, ac propterea non obſeruaret, ſalutem nihilominus conſequeretur, ſi nihil aliud impedimento ſit. Quare ſi quis inuincibiliter ignoret obligationem reſtituendi, non ideò damnabitur. At quæ neceſſaria ſunt ex Medio, nullam huiuſmodi excuſationem admittunt. Vnde infans moriens tempore infantiæ, ſine Baptiſmo, ex inuincibili ignorantia illi non applicato, damnabitur, ſicut & adultus peccator, ſeu exiſtens in peccato mortali, qui moritur antequam ſe diſponat per actum Fidei ad iuſtificationem, etiamſi ex ignorantia inuincibili, aut ex impotentia, non ſic ſe diſpoſuerit. Alterum vtriuſque diſcrimen eſt, quòd quæ neceſſaria ex ſolo præcepto ſunt, negatiuè ſolummodò ad ſalutem noſtram concurrunt; quatenus nimirùm eorum obſeruatio facit, ne in mortale peccatum labamur, quod conſecutionem noſtræ ſalutis impediret: quæ verò neceſſaria ex Medio ſunt, poſitiuè ad eandem concurrunt, quia neceſſaria ſunt ad habendam in nobis gratiam ſanctificantem, ſine qua habita ſalui eſſe non poſſumus. Eſt verò notandum, tametſi multa ſint, quæ ſolius præcepti neceſſitatem habent, & alia quæ ſolius medij; contingere tamen, vt reipſa contingit, vnam, eandémque rem neceſſariam eſſe tam ex medio quàm ex præcepto, vt de Confeſſione Sacramentali dicemus; & tunc in illa vna re diſtingui quoque debere duplicem prædictam neceſſitatem, & concurrere ad ſalutem noſtram tam negatiuè, quàm poſitiuè; negatiuè quidem, quia eius obſeruatio neceſſaria erit, ne in peccatum mortale labamur, per quod noſtræ ſaluti impedimentum obiiciatur; poſitiuè verò, quia eiuſdem obſeruatio cauſa neceſſaria eſt in nobis diſpoſitiua vel moralis gratiæ ſanctificantis, ſine qua ſalutem conſequi minime poſſemus.

3 Suppono *tertiò*, quod etiam certū eſt, id quod ex medio neceſſarium ad ſalutem eſt, vel abſolutè eſſe neceſſarium in re, vel neceſſarium eſſe vel in re, vel in voto. Patet, quia Sacramentum Baptiſmi ipſis infantibus tempore infantiæ morientibus, eſt omninò in re neceſſarium ad ſalutem conſequendam; idem verò Baptiſmi Sacramentum adultis, nec in re determinatè, nec in voto determinatè neceſſarius eſt, ſed vel in re, vel in voto; quod quidem in voto haberi dicitur, cùm reipſa aliquid habetur, in quo votum eius aliquod ſaltem implicitum contineri dicitur; eiuſmodi eſt actus perfectæ Contritionis, qui nec eſt ipſum Baptiſmi Sacramentum, vt patet, nec votum eius explicitum in ſe continet, vt conſtat, ſed implicitum, quatenus qui hunc actum Contritionis exercet, virtute ſaltem, & implicitè Baptiſmum velle cenſetur.

4 His poſitis, contra hoc vltimum oritur difficultas: nam ſi hac ſola ratione Baptiſmus eſt neceſſarius neceſſitate Medij in re, vel in voto, quia Contritio includit implicitum votum Baptiſmi; ergo in eodem ſenſu reſtitutio poteſt dici neceſſaria neceſſitate Medij ad ſalutem, quia ſaltem in voto ſemper requiritur. Probatur, quia ſicut qui ignorat inuincibiliter neceſſitatem Baptiſmi, habet tamen in ipſa Contritione votum implicitum Baptiſmi, quia habet votum implicitum ſeruandi mandata; & ideò Baptiſmus dicitur neceſſarius neceſſitate Medij in re, vel in voto; ſic etiam qui ignorat inuincibiliter obligationem reſtitutionis, habet in Contritione votum implicitum illius: ergo etiam reſtitutio in re vel in voto erit neceſſaria neceſsitate Medij

Medij poſt futurum, non ſecus ac eſt Baptiſmus neceſſarius neceſsitate Medij in re, vel in voto. Hæc difficultas petit, vt explicemus, cur magis dicatur neceſſarius Baptiſmus v. g. in re, vel in voto, quàm reſtitutio, vel alia præcepta; quia ſicut iuſtificatio haberi non poteſt ſine Baptiſmo, vel eius voto incluſo in Contritione; ſic neque haberi poteſt abſque reſtitutione in re, vel eius voto incluſo in eadem Contritione.

5 Variis modis ad hanc difficultatem reſpondent Theologi. Communiter dicunt Recentiores ſecuti noſtrum Coninck, Contritionem ita eſſe votum implicitum Sacramenti Baptiſmi, vt non afferat iuſtificationem, niſi cum directa obligatione ad ipſum Sacramentum ſuo tempore ſuſcipiendum; itaut iuſtificatio, vt hic & nunc confertur, dicat intrinſecè quandam obligationem ad illud ſuo tempore ponendum. Vnde ſicut ſolutio pretij eſt medium neceſſarium ad aliquid emptione comparandum, quia emptio ex intrinſeca ſua ratione inducit obligationem ad ſoluendum pretium; ſic Sacramentum Baptiſmi, vel Pœnitentiæ dicitur medium neceſſarium ad iuſtificationem, quia ipſa iuſtificatio, virtute Contritionis habita affert directam obligationem accipiendi Sacramentum.

6 Hæc reſponſio non ſatisfacit Cardinali Lugo. *Primò* quia Contritio nullam affert obligationem directam, vel indirectam ſuſcipiendi Sacramentum; nam ille qui Sacramenti non habet notitiam, non poteſt in Contritione aliter illud intendere, quàm alia præcepta; ideò enim implicitè dicitur velle Sacramentum, quia habet voluntatem generalem ſeruandi omnia præcepta, quorum vnum eſt de ſuſcipiendo Sacramento; ad alia autem præcepta non ſe obligat de nouo per actum Contritionis, ſed ſolùm proponit ea ſeruare, vt conſtat; ergo nec ad ſuſcipiendum Sacramentum ſe magis obligat per Contritionem.

Secundò, in ipſa Confeſſione pœnitens habet etiam dolorem de peccatis, & propoſitum vniuerſale ſeruandi præcepta; non tamen ſe obligat vllo modo ad ea ſeruanda, ſed ſolùm proponit, vt eſt certum: ergo neque in Contritione præcedenti ſe obligauit aliquo modo ad ſuſcipiendum Sacramentum per illam voluntatem, & propoſitum vniuerſale ſeruandi omnia præcepta; imò nec ſe obligaret, licèt haberet propoſitum ſpeciale ſuſcipiendi Sacramentum.

Tertiò, exemplum illud de Emptione non ſatisfacit; tum quia emptio obligat de nouo ad pretium ſoluendum; at Contritio nullam talem obligationem affert ſuſcipiendi Sacramentum: tum etiam quia pretium quod poſtea ſoluitur, datur pro re empta; at Sacramentum quod poſtea ſuſcipitur, nullo modo eſt pretium gratiæ antea acceptæ, quia illa non fuit data intuitu Sacramenti, ſed Contritionis. Vnde Sacramentum poſteà ſuſceptum, non eſt ſolutio completa gratiæ priùs acceptæ; nam ſi eſt ſolutio, eſt pretium; pretium autem eſt cauſa moralis venditionis, & translationis dominij: Sacramentum autem non cauſat moraliter gratiam illam antecedentem quæ datur ex opere operantis: ergo non eſt pretium illius gratiæ, ſed alterius, quæ poſteà datur.

Vltimò, neque in genere cauſæ finalis poteſt mouere Sacramentum poſteà ſuſcipiendum ad conferendam illam gratiam, quæ datur intuitu Contritionis; tum quia gratia illa collata intuitu Contritionis, non videtur medium ad Sacramentum: Tum quia Sacramentum aliquando non ſolum non eſt futurum, ſed nec poſſibile, quando verbi gratia, homo conteritur moribundus in deſerto, vbi nec poteſt baptizari, nec Sacramentaliter abſolui.

7 Suarez *de Pœnitentia diſputatione* 17. *ſectione* 3. *numero* 7. partim conſentiens cum Coninck, docet per Contritionem dari remiſſionem peccati, in ordine ad Sacramentum poſtea futurum, quaſi ad futuram ſolutionem: quia ſicut in emptione alicuius rei, quando confertur dominium & poſſeſſio eius ante ſolutum integrum pretium, tametſi tunc abſolutè detur dominium, tamen id fit cum ordine ad futuram ſolutionem, ac propterea quando hæc poſtea fit, licèt non acquiratur nouum aut maius dominium talis rei, ſoluitur tamen, & prior contractus in ſuo ordine completur; ſic etiam datur per Contritionem remiſſio peccati in ordine ad futurum Sacramentum, quaſi ad futuram ſolutionem; vnde cùm poſtea ſuſcipitur Sacramentum, completur contractus prior; quantum eſt ex parte noſtra, & debitum eſt. Vnde per Sacramentum ſuſceptum completur quodammodo iuſtificatio, & gratia prior.

Inſurgit ſimiliter contra hoc Cardinalis Lugo, dicens ſe non videre, quo ſenſu velit Suarez Sacramentum poſteà ſuſceptum eſſe ſolutionem completam gratiæ priùs acceptæ per Contritionem: quia ſi eſt ſolutio, eſt pretium; pretium autem eſt cauſa moralis venditionis, & translationis dominij: at Sacramentum non cauſat moraliter gratiam illam antecedentem; quæ datur, non quidem ex opere operato, ſed ex opere operantis: ergo non eſt pretium illius gratiæ, ſed alterius, quæ poſteà datur.

Tandem Vaſquez *tom.* 4. *in* 3. *partem quæſt.* 84. *art.* 5. *dubio vnico*, inter alia multa, duo præcipue ad præſentem difficultatem defendit. *Primum eſt*, Contritionem eodem modo eſſe votum Sacramenti, ſiue Pœnitentiæ, ſiue Baptiſmi, ſicut eſt votum aliorum præceptorum. Quod probat, quia ideò in Contritione continetur votum Sacramenti, quia *in ea continetur* votum cauendi omnia peccata in futurum, & obſeruandi omnia præcepta, quorum vnum eſt, præceptum ſuſcipiendi Sacramentum. Ex quo infert votum aliorum præceptorum incluſum in contritione concurrere eodem modo ad iuſtificationem, ſicut votum Sacramenti ibi incluſum, & ita eſſe medium neceſſarium, quando quis ſola Contritione iuſtificatur, & in hoc non eſſe differentiam inter votum Sacramenti, & votum aliorum præceptorum. *Secundum eſt*, in Sacramento, ſiue Baptiſmi, ſiue Pœnitentiæ eſſe ſpecialem rationem, ob quam dicitur eſſe Sacramentum neceſſitatis, hoc eſt tanquam medium; quia licet aliquando remittantur peccata per Contritionem, in qua eſt votum implicitum v. g. Confeſſionis, ſicut cuiuſcumque alterius præcepti, & cùm hoc modo iuſtificatur homo, fit de neceſſitate medij votum hoc Confeſſionis, ſicut & cuiuſcumque alterius præcepti obſeruandi; tamen cùm poſſit iuſtificatio fieri alio modo quàm per Contritionem, ſcilicet recipiendo reipſa hoc Sacramentum, hinc fit, non eſſe de neceſsitate medij præcisè votum huius Sacramenti in Contritione, niſi in eo tantùm caſu, quo quis iuſtificatur Contritione ipſa, antequam Sacramentum recipiat; & quia cùm inſtat tempus neceſsitatis præcepti recipiendi hoc Sacramentum, & adeſt opportunitas, non poteſt ſuppleri per Contritionem, nec aliâ viâ iuſtificabitur homo, niſi reipſa velit ſuſcipere; hinc fit in eo caſu non tantùm eſſe neceſſarium ex Præcepto, ſicut reſtitutionem, & multa alia, ſed etiam neceſsitate Medij; quia recipiendo Sacramentum, non tantùm obſeruamus præceptum, ſed etiam vtimur vnico, & ſingulari medio ad ſalutem, hoc eſt, ad remiſsionem peccatorum, quæ ſimpliciter neceſſaria eſt ad æternam vitam. Vnde qui in eo caſu negligit Confeſsionem, non tantùm eſt præcepti tranſgreſſor, ſed etiam ſe priuat vnico medio iuſtificationis: ſecus autem, qui non reſtituit, tranſgreſſor eſt præcepti, veruntamen non ſe priuat remedio iuſtificationis, quia reſtitutio

reſtitutio non ſtatim iuſtificat, ſicut Confeſſio. Ex quo infert Vaſquez, duo Sacramenta, Baptiſmum, & Pœnitentiam eſſe neceſſaria vt media, & non tantùm vt præceptum, quia effectus illorum eſt iuſtificatio, quæ eſt neceſſaria omninò ad ſalutem: & quia nec præcisè hæc Sacramenta in re ſunt neceſſaria, quia ſuppleri poteſt eorum effectus Contritione; nec aliquando Contritione ſuppleri poteſt, niſi reipſa ſuſcipiantur, cum tempus inſtat, & adeſt opportunitas; ideò dicuntur neceſſaria neceſſitate Medij, vel remedij ad ſalutem, hoc eſt ad iuſtificationem, vel in re ſuſcepta, vel in voto. Hæc doctrina placet Card. Lugo *loco citato*.

9 In hac re dicam quid ſentiam *ſequentibus dictis*. Dico itaque *primò* votum Sacramenti in Contritione incluſum, (quod nihil eſt aliud quàm deſiderium, ſeu propoſitum efficax Sacramenti in Contritione virtute incluſum) diuerſo modo concurrere ad iuſtificationē, & remiſsionem peccatorum quàm votum reſtitutionis, & aliorum pręceptorū. Hoc mihi videtur negari non poſſe, quia ſatis apertè firmatur auctoritate Concil. Trid. *ſeſſ.* 14. *c.* 4. Vbi cùm prius docuiſſet, Contritionem Deo hominem reconciliare, ſeu quod idem eſt, iuſtificare, prius quam Sacramentum actu ſuſcipiatur; addidit ſtatim, & docuit; ipſam nihilominus reconciliationem ipſi Contritioni, ſine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non eſſe adſcribendam: hæc ſunt verba formalia Tridentini. Quibus manifeſtè oſtendit, Contritioni non adſcribi iuſtificationem, abſque voto Sacramenti; cùm tamen id non dicat de voto aliorum præceptorum in eadem Contritione incluſo: igitur hoc dixit Tridentinum propter peculiarem rationem, quæ inuenitur in voto Sacramenti, & non reperitur in voto aliorum præceptorum: ergo diuerſo ac peculiari modo votum Sacramenti in Contritione incluſum concurrit ad iuſtificationem, & remiſsionem peccatorum, quo non concurrit votum reſtitutionis, & aliorum præceptorum.

Contrarium docet Vaſquez, vt vidimus, ideò huic argumento reſpondet, Concilium ea de cauſa dixiſſe, votum Sacramenti contineri in Contritione, & de voto adimplendi cætera præcepta non meminit; quia fuit in hac re peculiaris error, quem docuit Petrus quidam Oxomenſis, Doctor Salmantinus, vt videre eſt in Summa Conciliorum, ſub decretis Sixti IV. Qui inter alias propoſitiones, docuit hanc, mortalia quantum ad culpam, & pœnam alterius ſæculi deleri per ſolam cordis Contritionem ſine ordine ad Claues: qua propoſitione dicere voluit, ita per Contritionem deleri mortalia, vt nulla deinceps maneret obligatio Confeſsionis: Concilium verò contra illum dixit, ac definiuit, mortalia ita deleri per Contritionem, vt non ſine ordine ad Claues deleantur: quod nihil aliud eſt, quàm manere obligationem ſubiiciendi eadem peccata Clauibus, ſeu Confeſsioni Sacramentali, quantumuis remiſſa ſint. *Sed contrà eſt*, quia tametſi verum ſit, illis verbis ſignificaſſe Concilium nō auferri per Contritionem obligationem confitendi mortalia; tamen expreſsè docuit Contritionem non iuſtificare abſque voto Sacramenti; & id non docuit de voto reſtitutionis, & aliorum præceptorum. Vnde iuſtificationem Contritioni tribuit, prout habet votum Sacramenti Pœnitentiæ; quod non dixit de voto aliorum præceptorum in ea contento: neque etiam dicitur, nec dici ſolet quòd Contritioni non adſcribitur iuſtificatio ſine voto ieiunandi, vel reſtituendi, v.g. quod in ipſa includitur: ergo ſignum euidens eſt, diuerſo aliquo modo concurrere ad iuſtificationem, & remiſsionem peccatorum votum Sacramenti in Contritione incluſum, quàm votum reſtitutionis & aliorum præceptorum.

10 Dico *ſecundò*, hunc diuerſum modum conſiſtere in hoc, quòd votum Sacramenti incluſum in Contritione, reſpicit Sacramentum, quod eſt medium aliquando ad ſalutē neceſſariū, influens ſe ipſo directè ad iuſtificationem ac remiſsionem peccatorum; at votum reſtitutionis & aliarum rerum præceptarum in eadem Contritione incluſum nō reſpicit rem, quæ ſit vnquā medium ad ſalutem neceſſarium, influens in ipſam iuſtificationē.

Probatur, ac ſimul explicatur Dictū. Nam inprimis Sacramentum aliquando in ſeipſo reipſa ſuſceptum, eſt medium vnicum ad iuſtificationem, in illam influens poſitiuè, & directè. Vt quando pœnitens facta Confeſsione cū Attritione, fit amens, quo caſu abſolutio Sacramentalis eſt neceſſarium, & vnicum mediū ad ſalutē, ſicut reſpectu infantis morientis, Baptiſmus reipſa ſuſceptus, eſt vnicū mediū neceſſariū. Aliquando etiam Sacramentum Pœnitentiæ in ſeipſo eſt medium vnicum, & neceſſarium ad ſalutem, quando ſcilicet adeſt opportunitas, & vrget præceptū Confeſsionis, & non pœnitens eſt ſolùm attritus, nec poteſt moraliter conari ad Cōtritionē: ex hoc autē oritur, quod prædictū Sacramentū in re dici poſsit, & verè ſit mediū ſimpliciter & vnicè neceſſariū ad ſalutē. Hoc autē non poteſt dici de reſtitutione, ac de aliis rebus præceptis; nā ipſa reſtitutio v. g in re poſita, nūquā eſt mediū neceſſariū, quia ipſa ſecūdùm ſe nunquam influit poſitiuè, & directè, ſed ſolùm negatiuè remouendo prohibens, hoc eſt peccatum iniuſtitiæ quod poſſet impedire ſalutem vnde non conducit poſitiuè ad primam gratiam, ſed impedit eius ablationem.

Obiicies, etiam in re eſſe neceſſariā reſtitutionem, & obſeruantiā omnium pręceptorum ad conſequendā vitā æternā, quando adeſt opportunitas, & tempus obligationis, quia niſi obſeruentur, condemnabitur homo. *Reſpōdeo*, negādo eſſe neceſſaria, vt media poſitiuè, quaſi tribuant primā gratiā, vel concurrant ad illā, quæ omninò neceſſaria eſt ad vitā æternā: ſolùm enim negatiuè ſunt neceſſaria, quia tollunt impedimenta ne perdamus gratiam: & hæc neceſsitas eſt, ſed eſt tantùm Præcepti, quia eſt neceſsitas ne denuò peccemus, neque eſt remedium poſitiuum conſequendi ſalutem.

11 Hinc colligo *primò*, reſtitutionem in re, vel aliud præceptum quando vrget, nunquam in eo caſu eſſe mediū neceſſarium omninò ad ſalutem; tum quia licèt tunc nō fieret reſtitutio, atque ideò committeretur peccatum nouum; poſſet tamen homo poſtea dolere, & iuſtificari abſque reſtitutione, ſi poſtea non poſſet reſtituere; ac propterea reſtitutio non erat medium neceſſarium ad ſalutem; nā illud ſolùm dicitur mediū neceſſarium, ſine quo nullo modo ſalus de facto haberi poteſt, qualis eſt Gratia, Fides, Baptiſmus in re, vel in voto. &c. Tum etiā quia adhuc reſtitutio tunc poſita non concurreret vt medium poſitiuè, & directè, ſed ſolum negatiuè, ac indirectè ad ſalutem, remouendo prohibens, vt dictum eſt; qui modus concurrendi non ſufficit, vt dicatur ſimpliciter medium neceſſarium ad ſalutem.

12 Colligo *ſecundò*, quam verum ſit duplex diſcrimen ſuprà adductum *num.* 2. neceſsitatis Medij, ac neceſsitatis Præcepti: id enim ſatis manet explicatum ex doctrina tradita.

13 Colligo *tertiò*, bono ſenſu intelligi debere quod dixit Coninck, videlicet Contritionem ita eſſe votum implicitū Sacramenti Baptiſmi v g. vt nō afferat iuſtificationem niſi cum directa obligatione ad ipſum Sacramentum ſuo tempore ſuſcipiendum. Non enim hoc modo dicendi voluit dicere, votum illud eſſe nouam, ac ſtrictam obligationem, quaſi ſit noua quædam promiſsio ſuſcipiendi Sacramentum; conſtat enim apud ipſum, quod eſt commune apud omnes Doctores, prædictum votum, non eſſe niſi propoſitum, ſeu deſiderium efficax virtuale ſaltem ac implicitum ſuſcipiendi Sacramentum: ſolùm enim voluit explicare id quod certum eſt; ex voluntate, & inſtitutione Chriſti Domini, quando præcedit Contritio ſuſceptionem Baptiſmi

v. g. per hoc Sacramentum in voto peccata tunc remitti in ordine ad Baptiſmum,& cum onere ac obligatione Baptiſmum ſuſcipiendi: vnde non vult Contritionem afferre nouam obligationem ex natura rei, ſed ſolùm ipſam Contritionem, quæ ante inſtitutionem Sacramenti non includebat votum Sacramenti,ſed gratis à Deo acceptabatur ad remiſſionem peccatorum,attendendo ſolùm ad meritum congruum ipſius Contritionis;poſteà poſt inſtitutionem Sacramẽti,attendendo etiam ad Sacramentum inſtitutum tanquam mediũ neceſſarium ad ſalutem, acceptari à Deo ad remiſſionem peccatorum,provt eſt votum, ſeu voluntas Sacramenti,& conſequenter cum onere,& obligat ione illud ſuſcipiendi. Atque hæc eſt ratio, cur Theologi dicant per Sacramentum in voto peccata tunc remitti; quia nimirùm Sacramentum ita eſt de facto inſtitutum, vt eius ſuſceptio pertineat ad integram quaſi diſpoſitionem ex parte contriti,neceſſariam ad remiſſionem peccatorum;ita nimirùm.vt quamuis abſolutè remittantur peccata,& gratia conferatur,exiſtente ſolaContritione; ſemper id fiat in ordine ad Baptiſmum,& cum onere & obligatione illum ſuſcipiendi. Atque ad id explicandum eſt ſatis accommodatum exemplum illud ſolutionis, vt benè explicat Suarez. Neque ineptè dicitur, per Sacramentum ſuſceptum, quantum eſt ex parte noſtra, compleri quodammodo iuſtificationem,& gratiam collatam per Contritionem; dicitur enim compleri, non in ratione remiſſionis peccatorum, quæ iam abſolutè præceſſit, neque in ratione collationis gratiæ,quæ etiam abſolute collata eſt,ſed in ratione adimplendi obligationem, & onus quod conterens habet ex inſtitutione Chriſti ſuſcipiẽdi Sacramentum. Vnde argumenta Cardinalis Lugo *ſuprà* adducta contra Coninck, & Suarez,non videntur obſtare. Quia cùm detur per Contritionem, iuſtificatio,in ordine ad futurum Sacramentum,quaſi in ordine ad futuram ſolutionem;cùm poſtea ſuſcipitur Sacramentum, completur debitum ex parte noſtra; & ideò completur quodammodo iuſtificatio noſtra: atque hoc pacto cenſetur eſſe ſuſceptio Sacramenti,ſolutio completa iuſtificationis; non quia Sacramentum ſit in rigore pretium, & multò minùs cauſa moralis iuſtificationis antecedentis collatæ per Contritionem,ſed quia per illud ſoluitur quod debebatur, & completur contractus, quantum eſt ex parte noſtra.

SECTIO II.

An Confeſsio Sacramentalis ſit medium neceſſarium ad remiſſionem peccati mortalis poſt Baptiſmum commiſsi?

PRocedit quæſtio de neceſſitate ſimpliciter,ſuppoſitâ inſtitutione:nã conſtat,ante inſtitutionẽ non potuiſſe eſſe neceſſariã ſimpliciter;cũ ante illius inſtitutionẽ potuerint homines non baptizati conſequi remiſſionem peccatorum,& ſaluari,ſicut ante Legem Gratiæ fiebat per Contritionem.

1 Omiſſis Hæreticorũ erroribus,qui videri poſsũt apud Cõtrouerſiſtas,dubitari poteſt,vnde colligatur,Cõfeſſionem eſſe mediũ neceſſarium;quia nullus videtur eſſe in Scriptura locus,vnde hoc ſufficienter inferatur: & illa quæ ſolẽt adduci *Luc.* 13.cũ ſimilibus,tametſi probent neceſſitatẽ pœnitẽtiæ in genere,nõ verò neceſſitatem ſimpliciter Cõfeſſionis. Et quãuis cõſtet,etiã Chriſtum Dñum eam inſtituiſſe;non inde colligitur,eſſe neceſſariã,ſed vtilem ad remiſſionẽ peccatorum. Sic enim licèt inſtituerit quoque Confirmationem,& Extremam-Vnctionem ad proprios fines,& effectus:non ideò hæc Sacramenta inſtituit vt neceſſaria ſimpliciter, ſed vt vtilia tantùm ad tales fines,& effectus.

Dico *primò*,de Fide eſſe,Confeſſionem Sacramentalẽ inſtitutam eſſe à Chriſto Domino,tanquã neceſſariam ad remiſſionem obtinendam peccatorum,quæ poſt Baptiſmum commiſſa ſunt. Id expreſſe definiuit Tridentinum *ſeſſ.* 14.*can.*6.7.8.*&* 9. *& c.*1.*&* 5. Atque inprimis fuiſse inſtitutam à Chriſto verbis illis *Ioan.* 20. *Accipite Spiritũ ſanctũ: Quorũ remiſeritis peccata remittuntur eis,& quorũ retinueritis, retenta ſũt*:conſtat ex ipſo Tridentino *ſeſſ.dicta* 14.*c.* 1. De quo latè diximus ſuprà *diſp.* 1.*ſect.* 1.vbi oſtendimus tanquã de Fide, Sacramentũ Pœnitẽtię fuiſse àChriſto Domino inſtitutũ. Præterea ipſius Confeſſionis neceſſitatem declarat optimè Tridentinum *prædicta ſeſſ.* 14.*c.* 5.his verbis. *Ex inſtitutione Sacramenti Pœnitentiæ, vniuerſa Eccleſia ſemper intellexit,inſtitutam etiam eſſe à Domino integrã peccatorum Cõfeſſionem,& omnibus poſt Baptiſmũ lapſis iure diuino neceſſariã exiſtere:quia Dominus noſter Ieſus Chriſtus,è terris aſcenſurus ad cœlos,Sacerdotes ſui ipſius Vicarios reliquit tãquã Præſides,& iudices ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Chriſti fideles ceciderint:quo,pro poteſtate Clauiũ,remiſſionis,aut retentionis peccatorũ,ſententiã pronunciẽt. Cõſtat enim,Sacerdotes iudiciũ hoc,incognitâ cauſâ, exercere non potuiſſe,neq;æquitatẽ quidẽ illos in pœnis iniũgẽdis ſeruare potuiſſe,ſi in genere dũtaxat,& nõ potiùs in ſpecie,ac ſigillatim,ſua ipſi peccata declaraſſẽt.* Hactenùs Tridẽtinũ:ex quibus verbis manifeſtè colligitur neceſsitas Confeſsionis:nã Chriſtus cõſtituit Sacerdotes, nõ ſolũ Iudices arbitrarios,ſeu quos pro ſuo arbitrio poſſẽt pœnitẽtes adire pro venia peccatorũ:ſed Iudices neceſsarios, ſine quibus venia obtineri nõ poſsit;ergo eſt neceſsaria Cõfeſſio corã Sacerdote,tanquã corã Iudice, ad obtinendam veniam peccatorum. Antecedens clarè docet Tridentinum verbis relatis vltimis,dicens, *Sacerdotes pro poteſtate Clauium,remiſſionis,aut retentionis peccatorum ſententiam pronunciare*: qui enim poteſtatem habet retinendi peccatorem, ſeu excludendi illum à regno cælorum,non eſt Iudex arbitrarius, ſed neceſſarius;quippe qui per negationem veniæ,relinquit peccatorem excluſum à regno cœleſti,& ideò dicitur retinere peccata per negationem remiſſionis: cum poteſtate autem retinẽdi ſimul etiam data eſt poteſtas remittendi; atque adeò Sacerdotes pro poteſtate Clauium,remiſſionis,& retentionis peccatorum, ſententiam pronunciant vt Iudices neceſſarij. Firmatur ampliùs neceſſitas Confeſſionis,ex eiſdem verbis Tridentini dicentis,non poſſe Sacerdotes eſſe Iudices incognitâ cauſâ;at cauſa quę in occulta hominis cogitatione, & conſenſu conſiſtit, nonniſi per ipſius Confeſſionem Iudici certo innoteſcere poteſt. 2

Dico *ſecundò*, neceſſitatem prædictam Confeſſionis 3
non eſſe in Re,ſed vel in Re,vel in Voto, ſeu propoſito confitendi incluſo in Contritione. Sic Trid. *ſeſſ.* 14.*c.*4. & cum illo omnes Theologi. Et ratio eſt, quia Contritione, quæ per Charitatis affectum perfecta eſt,ante ipſam Confeſſionẽ, obtinetur gratia,& remiſſio peccatorũ;non ergo neceſſaria eſt Confeſſio reipſa facta, ſed ipſa vel in re,vel in voto Contritionis incluſa.

Hinc dico *tertiò*, Confeſſionem Sacramentalem in 4
Re,vel in Voto ſub diſiunctione,eſſe neceſſariam lapſis in mortale,poſt Baptiſmum,neceſſitate medij ad iuſtificationẽ,& conſequenter ad gloriã Hoc ſequitur ex præcedenti Dicto. Et patet, quia nequit vllo modo ab iſtis Salus obtineri,niſi vel media Confeſſione in Re facta, vel media Contritione perfecta, in qua votum ſeu deſiderium efficax confitendi contineatur; & vtrouis eorũ poteſt:ergo Cõfeſſio in Re, vel in Voto, eſt mediũ ſimpliciter neceſſa-

neceſſarium ad ſalutem. Verum quidem eſt in aliquibus caſibus vnum, & alterum modum eſſe determinatè medium neceſſarium: nam ſi contingat, vt quis poſt elicitã Attritionem, & factam Confeſſionem, incidat in amentiam ante Abſolutionem, huic ad iuſtificationem eſt determinatè neceſſaria Confeſſio facta ſimul cum abſolutione, quia in amentia nequit Contritionem perfectam elicere. Similiter etiam peccatori poſt Baptiſmum lapſo, & non habenti perfectam Contritionem, vel amorem Dei ſuper omnia, eſt medium per ſe neceſſarium ad ſalutem Confeſſio Sacramentalis in re. Quia hâc omiſsâ, nullum aliud ſupereſt ſalutis remedium. Quare etſi inculpabiliter Confeſſio omittatur, non poterit ſalus obtineri: nam inculpabilis omiſſio ſolùm facit, vt nõ peccet quis de nouo in omiſſione medij neceſſarij; non tamen quòd eo omiſſo, obtineatur ſalus. Dixi *per ſe*, nam per accidens contingere poteſt, vt aliter ſalutem conſequatur peccator, videlicet per quodcumque ex aliis Sacramentis: eſt enim valdè probabile, Sacramenta etiam viuorum, ſi, obice peccaminoſi affectus per Attritionẽ ſublato, inculpatè recipiantur, conferre primam gratiam. Præterea, ſi quis exiſtat in articulo mortis, & careat copia Confeſſarij, & nequeat illi applicari vllum aliud Sacramentum; tunc huic ad iuſtificationem eſt determinatè neceſſaria perfecta Contritio formalis, vel virtualis, quia non poteſt aliter iuſtificari.

5 Ex his colligo *primò*, peccatori ſic lapſo, & non contrito neceſſariam eſſe Confeſſionem in Re, poſita eius inſtitutione, etiam independenter ab omni eius præcepto. Nam etiamſi Deus nec Confeſſionem, nec conſecutionem æternæ gloriæ præcepiſſet, adhuc firmum ſtaret decretum, quo ſtatuit, peccatorem non contritum non eſſe admittendum ad gratiam, nec ad gloriam, niſi media Confeſsione in Re facta.

6 Colligo *ſecundò*, Confeſsionem Sacramentalem peccatori lapſo poſt Baptiſmum, & habenti perfectã Contritionem, non eſse neceſsariam neceſsitate medij, ſed ſolùm neceſsitate præcepti. Ratio eſt, quia vt dictum eſt, Confeſsio ſolùm habet neceſsitatem medij, vel in Re, vel in Voto Contritionis; ergo hoc voto habito, ceſsat neceſsitas medij, & manet tantùm neceſsitas præcepti confeſsionis; quia diuino iure quantumcumque ſint remiſsa peccata quoad culpam, imò etiamſi quoad pœnã ſimul, peccata tamen omnia poſt Baptiſmum commiſsa ſubiicienda ſunt Eccleſiæ Clauibus ex præcepto Confeſsionis, vt dicemus *diſp. ſeq.* Hæc autẽ præcepti neceſſitas, ſicut & quæuis alia neceſſitas ad quæuis alia præcepta implenda, non eſt neceſsitas Medij; quia impletione Confeſsionis iuſtis de cauſis omiſsa poteſt obtineri ſalus virtute Contritionis.

7 Ad rationem dubitandi initio traditam, iam liquet ſolutio ex Dicto primo, quo oſtendimus, Sacerdotes eſse Iudices non arbitrarios, ſed neceſsarios, adeò vt ad illos pertineat remiſsionis, aut retentionis peccatorum ſententiam pronunciare; & in hoc eſt poſita vis neceſsitatis Confeſsionis. Nam licèt Sacerdotes poſsent remittere peccata confitentium, etiamſi vſus Confeſsionis non eſset neceſsarius, ſed voluntarius; tamen retinere peccata non poſsent, ſi Confeſsio non eſset neceſsitatis; quia Sacerdos ſolùm poteſt retinere peccata non remittendo illa: at ſi Confeſsio non eſset neceſsarium medium ad remiſsionem peccatorum, quantumcũque Sacerdotes ea non remitterent, illa non poſsent retinere; quia per ſolam Contritionem plenè ac perfectè poſsent peccatores illorum conſequi remiſsionem. Vt igitur Sacerdotes poſsint exercere illam poteſtatem quoad vtrumque actũ ſuum, oportet, vt fideles non ſolùm poſsint, ſed etiam teneantur vti Confeſſione vt medio neceſſario ad peccatorum remiſſionem, modo *ſuprà* dicto.

SECTIO III.

Quid ſit, peccatores iuſtificari per Confeſſionem Sacramentalem in voto?

Commune Dictum eſt omnium Theologorum deſumptum ex Trid. *ſeſſ.* 14. *cap.* 4. lapſos in mortale poſt Baptiſmum, per Confeſſionem Sacramentalem in Voto, vel quod idem eſt, per Sacramentũ Pœnitentiæ in voto, iuſtificari quando iuſtificantur per Contritionem perfectam ante Confeſſionem in Re, ſeu ante realem ſuſceptionem Sacramenti Pœnitentiæ. Operæ pretium eſt, vt videamus quid hoc ſit, quia veræ conuerſioni in Deum per Contritionem promiſſa eſt remiſſio peccati; & cùm Confeſsio peccatorum non poſſit ſæpè ſtatim adhiberi; eius votum ſeu propoſitum ſufficit; quia volũtas pro facto reputatur apud Deũ. Idque etiam conſtat ex præcedenti ſectione. Quid verò ſit, peccata remitti per Confeſſionem in voto, oportet hîc magis explicitè declarare in particulari. 1

Dico itaque *primò*, nullo modo dici poſſe, per Confeſſionem in Voto manere hominem in peccatis, quandiu ea non aperiat in Confeſsione, & ab eis abſoluatur. Hoc eſt certum, quia per Contritionẽ cum voto Confeſsionis perfectè tollitur culpa, & reatus pœnæ æternæ, & ſolùm manere poſſunt reliquiæ peccati, vel reatus pœnæ temporalis, quæ nullo modo habent rationem culpæ: ergo nullo modo dici poteſt, hominem ſic iuſtificatum manere aliquo modo in peccatis, magis quàm illũ, qui iuſtificatus eſt per verã & realem Confeſsionem; in quo etiam manere poſsunt reliquiæ peccati, & reatus pœnæ temporalis. 2

Dico *ſecundò*, nec dici remitti peccata per Confeſsionem in Voto, quia ex ipſa, ſeu quod idem eſt, ex Sacramento Pœnitentiæ in Voto deriuatur virtus aliqua in Contritionem, vt iuſtificare poſſet. Hoc etiã eſt certũ, & docent omnes: Quia Cõtritio perfecta ex ſe, abſque vlla dependentia à Confeſsione, vel à Sacramento Pœnitẽtiæ, eſt potens iuſtificare tanquam proxima, & vltima diſpoſitio, non minùs quàm in lege Naturæ, & Scripta, ante inſtitutionem Confeſsionis, vel Sacramenti Pœnitentiæ, quia ſemper eſt, & fuit eiuſdem naturæ, & virtutis, atque adeò & eiuſdem efficacitatis, ſeu actiuitatis. Nec verò explicari poteſt, quænam virtus deriuari poſſit ex Cõfeſsione, quæ adhuc nõ eſt, nec habet vllũ eſſe. 3

Dico *tertiò*, per votũ Confeſsionis, non iuſtificari peccatores ſub conditione realis Confeſsionis. Hoc etiam admittunt omnes tanquam certum. Ratio eſt, quia quãdo peccatum remittitur per Contritionem, verè & abſolutè remittitur, quia ſtatim homo verè ac propriè iuſtificatur: ergo in homine ſic contrito, nulla manet peccati macula; ergo abſolutè remittitur: ſi enim ſolùm eſſet remiſsio ſub conditione, non haberet effectum, donec impleretur conditio, quia conditionalis nihil ponit in eſſe, donec conditio impleatur. Quare, tametſi iuſtificatio fiat ſub onere, ſeu cum obligatione poſtea confitendi talia peccata, non tamen fit cum dependentia à Confeſsione, tanquam à conditione; itavt illã non impletã, reuocetur facta remiſsio. 4

Dico *vltimò*, peccatores dici iuſtificari per Confeſſionem in Voto, quando iuſtificantur per Contritionem perfectam, quia Confeſsio ita eſt nunc inſtituta, vt eius ſuſceptio pertineat ad integram diſpoſitionem, vel ſatisfactionem ex parte noſtra neceſſariam ad remiſsionem peccati: atque adeò licèt remittatur peccatum, exiſtente ſola Contritione, ſemper id fit in ordine ad Confeſſionem. Quibus verbis non ſignificatur iuſtificationem dari ex efficacia Confeſsionis; nam reuera tunc Confeſsio non concurrit, nec operatur; ſed 5

Digitized by Google

Contritio per ordinem ad Confeſſionem, hoc eſt, quia Contritio in ſe eſt votum Confeſſionis, acceptatur à Deo ad ipſam iuſtificationem. Videantur dicta ſuprà *ſect.1.num.12.* Addo etiam quòd tunc per Confeſsionem complentur quodammodo iuſtificatio prior per Contritionem; hæc enim minùs perfecta fuit ob defectum Confeſſionis, & Sacramenti, poſteà verò perficitur, & infunditur gratia Sacramentalis, per ſe ſufficiens ad remiſſionem talium peccatorum; quæ gratia Sacramentalis, per ſe etiam loquendo, erat neceſſaria, & cum ordine etiam ad illam data fuerat prior remiſsio. Vnde licèt quoad ablationem peccati in re, nihil ei addatur, tamen quoad poſitiuam formam expulſiuam peccati aliquid ei additur perficiens Contritionem, & effectum eius. Id rectè notauit Suarez *diſp.17.ſect.3.n.7.*

SECTIO IV.

An votum Confeſsionis in Contritione incluſum; debeat eſſe explicitum, an ſufficiat implicitum?

1 CAnus *in relectione de Pœnitentia part.5. concl.3. & ſeq.* docet, ea, quæ ſunt neceſſaria neceſsitate medij, requiri, vel in ſeipſis, vel certè quando ipſa non ponuntur, requiri eorum votum explicitum; atque ideò Contritionem non ſupplere vicem Sacramenti vel Cõfeſsionis, niſi habeat quis explicitum votum, ſeu propoſitum, & deſiderium confitendi, ſeu ſuſcipiendi Sacramentum.

Probari poteſt hæc ſententia. *Primò*, quia Trident. *ſeſſ.6.c.14.* & *ſeſſ.14.c.4.* dum remiſsionem peccatorum attribuit Sacramento Pœnitentiæ, vel voto ipſius; ſi per Votum non intelligeret votum explicitum, ſed tantùm implicitum in Contritione, non attribueret peculiariter eam remiſsionem voto Sacramenti Pœnitentiæ, quia in Contritione, per quam fit ea remiſsio, etiam continetur votum Euchariſtiæ, & aliarum rerum, quæ ſunt ſub præcepto graui.

Secundò, Confeſſio Sacramentalis non minùs neceſſaria eſt lapſis poſt Baptiſmum ad iuſtificationem, quàm Baptiſmus his qui veniunt ad Eccleſiam; ſed ei qui nequit Baptiſmum ſuſcipere, eſt neceſſarium ad iuſtificationem votum explicitum Baptiſmi: ergo ei qui non confitetur, nec ſuſcipit Sacramentum Pœnitentiæ, vel quia non poteſt, vel quia nondum eſt obligatio illud ſuſcipiendi, neceſſarium eſt ad iuſtificationem votum explicitum ſuſcipientis illud.

Tertiò, hæreticus, vel ſchiſmaticus non poteſt conſequi remiſſionem peccati, niſi explicitè proponat reconciliari Eccleſiæ reiiciendo errorem; ergo peccator qui expreſsè non proponit ſe ſubiicere Clauibus Eccleſiæ, nequit à peccatis iuſtificari.

2 Cõmunis iam omnium ſententia, vt videri poteſt apud Suar. *diſp.17.ſect.3.n.9.* affirmat votum in quo ipſa Cõfeſſio Sacramentalis dicitur eſſe neceſſaria ad iuſtificationem, quando in re non fit, non eſſe explicitum propoſitum confitendi, ſed ſufficere implicitum in ipſa perfecta Contritione incluſum. Et meritò, quia ex *ſeſſ.14.c.4.* Concil. Trid. Contritio perfecta habet vim iuſtificandi ante ipſam Confeſſionem in re factam; ſed poteſt eſſe perfecta Contritio ſine expreſſo propoſito confitendi, etſi quis nihil cogitet de Confeſſione, nec de Sacramẽto Pœnitentiæ: ergo votum ad iuſtificationem ſufficiẽs eſt implicitum, quod in ipſa Contritione includitur; quod nihil eſt aliud quàm propoſitum virtuale exequẽdi omnia, quæ Deus præcipit; præcipit autem ſuſcipi Sacramentum Pœnitentiæ, & confiteri etiam à contritis; ergo. Firmatur, nam votum explicitum non eſt neceſſarium ex natura rei; quippe Contritio perfecta abſque dicto voto explicito, coniuncta cum Dei amore ſuper omnia, ſufficiens eſt ad iuſtificationem, vt vltima illius diſpoſitio: deinde neque eſt neceſſarium ex Dei inſtitutione, quâ decreuerit non iuſtificare habentem Contritionem abſque dicto voto, vel propoſito expreſſo, quia de hac inſtitutione nullatenus conſtat. Verum enim eſt eum, qui conteritur, & aduertit eſſe præceptum Confeſſionis, vix poſſe contineri à dicto voto, & propoſito explicito.

Ad argumenta oppoſita. Ad primum, iam conſtat ex *ſect.2.* non tribui effectum remiſſionis peccatorum ſpecialiter voto Sacramenti, quia ex parte hominis requiratur ad illud votum propoſitum, vel deſiderium expreſſum, ſed quia tale Sacramentum vel Confeſsio Sacramentalis, non ſolùm eſt præcepta, ſicut alia, ſed eſt per ſe inſtituta ad remiſsionem illorum peccatorum tanquã medium neceſſarium ad illum effectum. Vnde quando talis effectus datur ſine Confeſsione per Contritionem, hæc dicitur habere ordinem ad illam, quia ſemper illa peccata manent ſubiicienda Clauibus ex vi illius voti, ac propoſiti. 3

Ad ſecundum, conſtat ex D.Th. *3.p.q.69.a.4. ad 2.* in Baptiſmo ſufficere quoque votum implicitum; atque adeò ſicut poteſt quis cum ignorantia inuincibili Baptiſmi, credere myſteria neceſſaria, & concipere affectum compunctionis, & Contritionis, eaque viâ iuſtificari abſque voto explicito Baptiſmi: ita & poterit baptizatus habere fidem, & Contritionem cum obliuione inuincibili Confeſsionis, vel etiam cum ignorantia inuincibili; cui actui infallibiliter coniungatur gratia iuſtificationis. 4

Ad tertium, negandum eſt, de hæretico poſſe conſequi remiſsionem peccati niſi explicitè proponat reconciliari Eccleſiæ; neque enim ille iuſtificari poteſt, niſi incipiat habere veram, & formalem fidem, & conſequenter neceſſe eſt, vt habeat voluntatem credendi, ſeu piam affectionem erga res Fidei, & ſic redeundi ad Eccleſiam. De ſchiſmatico verò non hæretico, ac retinente veram fidem, admitto iuſtificari poſſe cum dolore ac perfecta Contritione, & propoſito ſeruandi omnia mandata, quin habeat votum explicitum confeſsionis.

DISPVTATIO XXIII.

De Præcepto diuino Confeſsionis Sacramentalis obligante ad illam.

EXplicuimus Confeſsionem Sacramentalem eſſe medium ſimpliciter neceſſarium ad ſalutem in Re, vel in Voto. Iam in ſpeciali explicanda eſt neceſsitas illius, & vnde proueniat. Cùm autem omnis neceſsitas obligans oriri debeat ex præcepto obligante; & ad ipſam Confeſsionem ſit duplex præceptum obligans, alterum diuinum ex Chriſti Domini inſtitutione, ac præcepto ortum, alterum humanum, ſeu Eccleſiaſticum ab Eccleſia præſcriptum: conſideranda quoque eſt duplex illius neceſsitas, & de vtraque agendum; de priori in hac diſputatione, & de poſteriori in ſequenti.

SECTIO

Digitized by Google

SECTIO PRIMA.

Vtrùm Confeſsio Sacramentalis peccatorum mortalium ſit iure diuino præcepta?

1 HÆretici negantes Confeſſionem fuiſſe à Chriſto inſtitutam in partem Sacramenti Pœnitentiæ, cõſequenter negant fuiſſe ab illo præceptam. Probant id *primò*, quòd Nectarius Epiſcopus Conſtantinopolitanus in ſua Eccleſia Confeſſionem abrogauerit, quod non feciſſet, ſi iure diuino fuiſſet præcepta.

Secundò, obiiciunt Chryſoſtomum *homil. 2. in pſal. 50. & homil. 4. de Lazaro, tom. 2.* dicentem peccata confitenda eſſe Deo, non hominibus, quaſi ea ſola Confeſſio ſufficiat.

Tertiò, obiicitur dictum Theodori Cantuarienſis Archiepiſcopi relati *in cap. vlt. de pœnit. diſt. 1.* tribuentis Græcis, quòd de Confeſſione externa non curent, ſed Deo ſolummodò confiteri debere peccata, dicant; ergo Confeſsio non eſt iure diuino præcepta.

2 Vera tamen, & Catholica doctrina eſt, Confeſſionem non ſolùm fuiſſe à Chriſto inſtitutam, ſed etiam Confeſſionem mortalium fuiſſe ab ipſo præceptam, atque ideò obligare iure diuino. Ita definitum eſt, & oppoſitũ damnatum in Concilio Conſtantienſ. *ſeſſ. 8.* & in Bulla Martini V. quam adducit Caſtro verbo *confeſſio*, & in Concilio Complutenſi, habito ſub Alfonſo Carrillo Archiepiſcopo Toletano, ex mandato Sixti IV. contra Petrum Oxomenſem; in quo non ſolùm damnatur, quòd Contritio iuſtificet à mortalibus ſine ordine ad Claues, ſed etiam quòd eorum Confeſſio non ſit iuris diuini. Nouiſsimè verò id definitum eſt in Concil. Trid. *ſeſſ. 14.* præcipuè *can. 6. & 7.* Nam *can. 6.* ſic dicitur: *Si quis negauerit Confeſſionem Sacramentalem, vel inſtitutam, vel ad ſalutem neceſſariam eſſe iure diuino: &c. anathema ſit.* &c. *can. 7. Si quis dixerit, in Sacramento Pœnitentiæ, ad remiſſionem peccatorum neceſſarium non eſſe iure diuino confiteri omnia & ſingula peccata mortalia, &c. anathema ſit* Videantur quæ ſuprà *diſp. præced. ſect. 2. n. 2.* dicta ſunt de neceſsitate Confeſsionis. Ex quo manifeſtè liquet, non ſolùm inſtitutionem Confeſsionis Sacramentalis, vtpote factam à Chriſto, ſed etiam obligationem Confeſsionis mortalium ſub præcepto, vtpote ab eodem impoſitam eſſe, ac præceptam. Quod etiam traditione à Chriſto per Apoſtolos in nos deriuata manifeſtè conſtat.

3 Ex his colligo *primò*, Confeſsionem Sacramentalem nõ eſſe de iure diuino naturali: nam conſtat Sacramentum Pœnitentiæ non eſſe de iure Naturæ, ſed ex ſola diuina inſtitutione: neque vlla ratione probari poteſt de Confeſsione Sacramentali latum eſſe naturale præceptum, quia ex nullo principio naturali inferri poteſt.

4 Colligo *ſecundò*, Confeſsionem non fuiſſe de iure diuino veteris Legis, ſeu de iure diuino poſitiuo veteri, lato à Deo, & non à Chriſto. Patet, quia quamuis in veteri Teſtamento fuerit lex offerendi Sacrificium pro peccato, quo denotabatur, eum, pro quo offerebatur, eſſe peccatorem; & quamuis etiam fuerit lex cõfitendi aliqua peccata, quibus annexæ erant aliquæ irregularitates, ad eas auferendas; Confeſsio tamen omnium mortalium minutim, etiam purè interiorum, & in ordine ad remiſsionem eorum quoad culpas, vt fit modò in Eccleſia Legis nouæ, nullatenùs fuit in veteri Teſtamento inſtituta, nec præcepta.

5 Colligo *vltimò*, non ſolùm inſtitutionem Confeſsionis Sacramentalis vtpote factam à Chriſto, ſed etiam obligationem Confeſsionis mortalium ſub præcepto, vtpote ab eodem impoſitam, antiquiorem eſſe Innocentio III. ac proinde non fuiſſe primò ab ipſo inuentam, & ſub præcepto poſitam, vt falsò aſſirmant Hæretici.

6 Ad argumenta oppoſita. Ad primum, omiſsis aliorum ſolutionibus, placet dicere, Nectarium non abrogaſſe Confeſsionem Sacramentalem, ſed Confeſsionem quãdam publicam, & coram teſtibus quorundam peccatorum publicorum, de quibus agenda erat publica pœnitentia, quæ fiebat cuidam Presbytero ad id conſtituto, cuius conſilio pœnitentia illa erat agenda: eam verò Nectarius abrogauit occaſione cõcubitus habiti in Eccleſia cuiuſdam Diaconi cum matrona quadam publicam pœnitentiam agente; ob cuius impletionem fuit per aliquot dies in Eccleſia commorata.

7 Ad ſecundum, conſtat Chryſoſtomum nunquam negaſſe Confeſsionem Sacramentalem, cùm neceſsitatem illius variis in locis teſtetur: præſertim *hom. 22. in 2. ad Corint.* vbi acriter terret eos, qui differunt diu Cõfeſsionem cum ſpe longioris vitæ. Quare in locis adductis tantùm intendit exhortari fideles ad examen quotidianum conſcientiæ, & ad Confeſsionem quotidianam peccatorum coram Deo, ſeu ad Contritionem eorum, vt ab eis ſtatim liberentur: per hoc autem nullo modo negauit obligationem Confeſsionis faciendæ debito tempore.

Hoc etiam modo intelligendus eſt Caſſ. *col. 20. c. 8.* vbi hortatur ad Confeſsionem, & pœnitentiam coram Deo faciendam per veram Contritionem, non quia excludat Confeſsionem Sacramentalem ſuo tempore faciendam, ſed quia hoc etiam ſit medium ad obtinendam veniam peccatorum: ſic etiam intelligendi ſunt alij Patres, cùm dicunt internam Confeſsionem ſufficere, videlicet ſi fiat cum perfecta Contritione, ad iuſtificationem; non verò excludunt Confeſsionem Sacramentalem ſuo tempore faciendam.

8 Ad tertium, conſtat certiſsimè ex Sanctis Patribus Græcis Confeſsionis neceſsitas. Theodorus verò ſolùm retulit defectum aliquorum Græcorum; qui cùm celebrare debebant, vſum Confeſsionis Sacramentalis non habebant; apud quos ille abuſus fuerat introductus, propter rigorem Canonum pœnitentialium, in quibus grauiſsimæ pœnitentiæ deſignabantur Epiſcopo, vel Sacerdoti aliqua certa peccata committenti. Verùm de hoc abuſu fuerunt illi Græci grauiter reprehenſi ab Eugen. IV. ad finem Concilij Florentini.

SECTIO II.

Quas perſonas obliget præceptum diuinum Confeſsionis Sacramentalis?

1 CErtum eſt *primò*, beatiſſimam Virginem, licèt eſſet baptizata, nec poſſe, nec debuiſſe confiteri; quia nõ habuit peccata actualia, quæ ſunt materia Confeſſionis, vt eſt certum.

2 *Secundò*, etiam conſtat, infantes ante vſum rationis non eſſe capaces huius obligationis, quia non habent peccatum actuale, quod eſt materia Confeſsionis.

3 *Tertiò*, certum eſt, hoc præceptum obligare fideles omnes qui poſt Baptiſmum mortaliter peccauerunt; etiã pueros cuiuſcumque ætatis, dummodò capaces ſint peccati mortalis, & illud commiſerint. Patet, quia mortale peccatum poſt Baptiſmum commiſſum, eſt materia neceſſaria Confeſsionis vt conſtat; & ipſa Confeſsio eſt medium neceſſarium ad tollendum tale peccatum, modo ſuprà dicto *præced. diſputat. ſect. 2.* quia iam tale peccatum non poteſt deleri per Baptiſmum. Intellige hoc, de peccato mortali, quod nunquam fuit directè ſubiectum Clauibus; nam ſi ſemel ritè fuerit confeſſum,

illud per ſe loquendo ſufficit; neque enim ex vi iuris diuini obligatur quis ad confitendum iterùm illud; vnde niſi iterum mortaliter peccet, non ligatur præcepto diuino Confeſſionis.

4 *Quartò*, certum eſt quoque, fidelem baptizatum, qui ſola venialia commiſit, non obligari ad Confeſſionem diuino præcepto. Id conſtat ex communi vſu, & conſenſu totius Eccleſiæ. Et ratio eſt, quia venialia non ſunt materia neceſſaria; & hoc præceptum non obligat, niſi eum, qui talem habet materiam: neque ipſa Confeſſio eſt medium neceſſarium ad illa tollenda, quæ aliis mediis deleri poſſunt.

5 *Vltimò*, certum eſt, fidelem, qui habet dubiam conſcientiam peccati mortalis, obligari hoc præcepto diuino Confeſſionis, etiamſi nullum aliud peccatum mortale habeat: Ratio eſt, quia vt conſtat ex *diſp. ſexta, ſect.* 3. peccata mortalia dubia negatiuè, ſeu ſuſpenſionis, ſunt per ſe materia certa & neceſſaria Confeſſionis, etiamſi ſola adſint.

6 His poſitis, reſtant adhuc nonnullæ difficultates examinandæ: Prima eſt, an infideles non baptizati eo præcepto teneantur; ac proinde teneantur baptizari, non tantùm ex vi præcepti Baptiſmi, ſed etiam ex vi præcepti diuini confitendi. Ratio dubitandi eſt, quia præceptum Chriſti diuinum de Euchariſtia ſumenda, obligat infideles non baptizatos, non quidem pro tempore quo baptizati non ſunt, ſed quia tenentur recipere fidem & Baptiſmum, vt poſſint ſumere Euchariſtiam: ergo idem dicendum eſt de præcepto diuino Confeſſionis.

7 Communis tamen ſententia meritò affirmat oppoſitum, infideles non baptizatos non ligari præcepto diuino Confeſſionis. Ratio eſt, quia infideles non baptizati nulla peccata confiteri tenentur: ergo non tenentur confiteri. Conſequentia clara eſt: Antecedens patet, quia nulla peccata confiteri tenentur: non illa quæ faciunt dum baptizati non ſunt, quia non ſunt materia Confeſſionis peccata ante Baptiſmum facta: neque tenentur confiteri peccata facienda poſt Baptiſmum; quia ſæpe contingit vt nullum mortale poſt Baptiſmum fiat, vt cùm adulti baptizantur in articulo mortis. Iſti ergo qui poſt Baptiſmum non committunt aliquod mortale, quodnam peccatum tenebantur confiteri interim dum baptizati non erant? Sanè nullum: ſi autem nullum peccatum tenebantur confiteri; ergo non ligabantur aliquo præcepto, nedum diuino, obligãte ad confitendum. Idem oſtenditur eodem argumento de aliis infidelibus, quos ſcit Deus eos poſt Baptiſmum in peccata lapſuros; quia præceptum Confeſſionis per ſe, & abſolute non obligat, ſed ex ſuppoſitione, videlicet ſuppoſitâ materiâ neceſſariâ talis Sacramenti; hæc autem in nullo infideli eſſe poteſt, antequam baptizetur: ergo nullus eſt capax talis obligationis pro eo ſtatu. Firmatur, quia nullus infidelis obligatur ad Baptiſmum propter obligationem Confeſſionis; ergo nullus ligatur præcepto diuino Confeſſionis. Antecedens patet, quia nullus infidelis, non baptizatus, licèt baptizetur, poteſt dare pro materia peccata commiſſa ante Baptiſmum, vt dictum eſt: ſed nec poteſt obligari ad peccandum poſt Baptiſmum vt Sacramentaliter confiteatur, vt liquet; ergo non obligatur ad Baptiſmum propter obligationem Confeſſionis: nullam enim talem obligationem habet pro illo ſtatu.

8 Hinc apparet manifeſtum diſcrimen inter præceptum diuinum Confeſſionis, & præceptum diuinum Communionis: nam iſtud abſolutè fertur pro omnibus, iuxta illa verba Chriſti Domini *Ioan.* 6. *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis*: & non tantùm ex ſuppoſitione Baptiſmi, quia Chriſtus prædictis verbis loquebatur omnibus, etiam non baptizatis: ex alio capite, ſumptio Euchariſtiæ non præſupponit peccatum faciendum poſt Baptiſmum, vt liquet, vnde homo non baptizatus poteſt honeſte facere id quod requiritur ad ſumendam Euchariſtiam, ſcilicet recipere Baptiſmum, & petere Euchariſtiam: igitur non baptizatus non tantum ex vi præcepti Baptiſmi, ſed etiam ex vi præcepti Communionis, baptizari tenetur, quamuis ex vi huius poſterioris ſolùm teneatur, vt fiat habilis ad validam, & licitam Communionem. At præceptum diuinum Confeſſionis, non obligat abſolutè, ſed tantùm ex ſuppoſitione, quòd quis habeat peccatum mortale poſt Baptiſmum commiſſum: quia ſola peccata mortalia poſt Baptiſmum commiſſa, ex inſtitutione Chriſti facta, ſunt materia Confeſſionis; vnde cùm ipſa Confeſſio præſupponat peccatũ faciẽdũ poſt Baptiſmum, non poteſt non baptizatus obligari ad illam, dum non eſt baptizatus; quia non poteſt obligari ad peccandum poſt Baptiſmum: quod neceſſarium eſt, vt quis obligatus ſit ad confitendum, vnde obligare hominem ante Baptiſmum ad confitendum, eſſet obligare illum ad peccandum poſt Baptiſmum.

Ex prædicta doctrina colligo, Confeſſionem non eſſe his infidelibus neceſſariam ad ſalutem. Patet, quia ſi iſti infideles baptizentur, & poſteà nullum peccatum mortale committant, ſaluabuntur ſine Confeſſione. Ideò enim hoc Sacramentum dicitur ſecunda Tabula poſt naufragium, quia illis ſolis eſt neceſſarium, qui poſt Baptiſmum mortaliter peccauerunt. Ex quo etiam fit, ſi infidelis ante Baptiſmum per Contritionem iuſtificetur, illam Contritionem non includere votum Confeſſionis, ſed Baptiſmi, quia ſolus Baptiſmus eſt neceſſarius ex vi talis ſtatus, per quem plenè delentur omnia peccata antè commiſſa ſine vllo ordine ad Confeſſionem.

9 Secunda difficultas eſt de infidelibus baptizatis, videlicet Hæreticis, Apoſtatis, &c. an teneantur confiteri ex præcepto diuino?

Ratio dubitandi eſt, quia Tridentinum *ſeſſ.* 14. *c.* 5. docet, Chriſtum Dominum reliquiſſe Sacerdotes tanquam Præſides, & Iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Chriſti fideles ceciderint: Ex quibus verbis colligi videtur, Sacerdotes in tribunali Pœnitentiæ, non poſſe iudicare niſi de peccatis, quæ committuntur à Chriſti fidelibus; ſed Hæretici, & Apoſtatæ non ſunt Chriſti fideles, ſed infideles: ergo illorum peccata non ſunt ad Sacerdotes tanquam ad iudices deferenda.

Eſt tamen de fide prædictos Hæreticos, & Apoſtatas comprehendi quoque præcepto diuino Confeſsionis; vt expreſsè definiuit Tridentinum citatum, dicens, integram peccatorum Confeſsionem omnibus poſt Baptiſmum lapſis iure diuino neceſſariam exiſtere. Vnde cùm ibidem paulò pòſt Concilium verba illa *ſuprà* adducta protulit; nomine Fidelium, non intellexit eos qui fidem habent, ſed omnes baptizatos. Cùm enim Baptiſmus ſit tacita quædam fidei profeſsio, ideóque appellari ſoleat Sacramentum fidei; ideò baptizati dicuntur fideles, tanquam fidem profeſsi, licèt eam non habeant. Et ratio concluſionis euidens eſt ex ſupradictis, nam mortale peccatum poſt Baptiſmum commiſſum eſt materia neceſſaria Sacramenti Confeſsionis; & ipſa eſt medium neceſſarium ad tollendum tale peccatum, quia iam tale peccatum non poteſt tolli per Baptiſmum.

10 Tertia difficultas eſt, an præceptum diuinum Confeſsionis obliget eos, qui iam per actum Contritionis iuſtificati ſunt. *Reſpondeo*, affirmatiuè: quod eſt de Fide definitum à Concilio Tridentino, vt dixi *præcedenti ſectione num.* 2. Vnde notanda ſunt Tridentini verba *ſeſſ.* 14. *cap.* 5. dicentis, Chriſtum reliquiſſe Sacerdotes ſui ipſius Vicarios, tanquam Præſides, & Iudices,

Digitized by Google

dices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Chriſti fideles ceciderint. Vbi non dixit Concilium, in quibus ſunt, vel, in quibus iacent, ſed, *in quæ ceciderint*. Vt ſignificaret, quòd ſi quis cecidit in mortale, quamuis iam in illo non iaceat, eo quòd per Contritionem ab illo ſurrexerit, teneatur tamen confiteri illud: Et ratio eſt, quia Confeſſio non ſolùm eſt neceſſaria neceſſitate medij, ad finem ſcilicet iuſtificationis conſequendum, ſed etiam eſt neceſſaria neceſſitate præcepti: quod enim ſolùm requiritur vt medium, quo perueniatur ad finem, ſi caſu contingat vt ſine illo ad finem perueniatur, iam nullo modo neceſſarium eſt. Vnde quamuis per Contritionem remittantur peccata, non tamen ſine ordine ad Claues; quia adhuc manet obligatio ex præcepto diuino ſubiiciendi illa Clauibus. Conſtat igitur ex dictis, in hac ſectione, omnes, & ſolos baptizatos rationis vſum habentes, qui poſt Baptiſmum lapſi ſunt in mortale, & illud legitimè non ſunt confeſſi, comprehendi hoc diuino præcepto.

SECTIO III.

Quo tempore obliget præceptum diuinum Confeſſionis, præcisè vt diuinum eſt?

1 PRæmitto duo: *Primum*, ius, ſeu præceptum diuinum Confeſſionis mortalium peccatorum, ſemper obligare quaſi in actu primo, aut quod idem eſt, ſemper habere vim obligandi pro ſuo tempore; hoc enim generale eſt omnibus præceptis, etiam affirmatiuis: non tamen obligare ſemper quaſi in actu ſecūdo, aut quod idem eſt, nō obligare pro ſemper. Et hoc eſt, quod quærimus, pro quo tempore præceptum diuinum Confeſſionis obliget, ſeu quando obliget quaſi in actu ſecundo. *Secundum eſt*, quæſtionem non procedere de præcepto habendi Contritionem, vel pœnitentiam de peccatis commiſſis: de hoc enim latè egimus ſuprà *diſputatione decimatertia, ſect. 5. 6. & 7* ſed de præcepto peculiari diuino Confeſſionis Sacramentalis.

2 Qua in re, conueniunt *primò*, communiter Doctores contra Guillelmum Pariſienſem, dictum præceptum non obligare ſtatim ac commiſſum eſt mortale, etiamſi aliàs peccator non iuſtificetur media Contritione. Ratio eſt, quia obligationes non ſunt imponendæ ſine ſufficienti fundamento, quod non eſt ad hanc obligationem imponendam; quia natura præcepti affirmatiui non eſt ſtatim obligare, ſed determinatis, ſeu neceſſariis temporibus. Præſertim quia nec præceptum Contritionis obligat ſtatim poſt peccatum, vt oſtendimus ſuprà loco citato *diſput. 13. ſect. 5.* ergo multò minùs præceptum Confeſſionis, ſine qua poteſt homo alia via iuſtificari. Et certè cùm Eccleſia determinauerit iam tempus annuæ Confeſſionis, non videtur probabile eſſe de iure diuino ſtatim confiteri: nam expoſuiſſet Eccleſia grauiſſimo periculo peccandi omnes fideles præcipiens illis Confeſſionem annuam, ſi ipſi haberent obligationem ſæpiùs confitendi: ſicut ſi Epiſcopus aliquis conderet ſtatutum, vt omnes audirent Sacrum ſemel in menſe; certè daret ſubditis occaſionem cogitandi ſe liberos eſſe à frequentiori auditione Sacri. Vnde nec probo, Religioſis ſaltem illam obligationem eſſe imponendam; quia vt benè notauit Gaſpar Hurtado *diſp. 7. difficultate 2.* Religioſi ratione ſui ſtatus tantùm obligantur peculiariter ſuis votis, & peculiaribus præceptis ſuæ religionis.

Obiicies, præceptum diuinum Baptiſmi, etſi affirmatiuum ſit, ita obligat, vt cùm primùm quis commode poſſit debeat baptizari: ergo idem dicendum de præcepto diuino Confeſſionis. *Reſpondeo*, eſſe diuerſam rationem Confeſſionis, & Baptiſmi; quia Confeſſio ſolùm inſtituta eſt in remedium peccatorum; nemo autem tenetur ſtatim emundari à peccatis, vt liquet: Baptiſmus autem eſt ianua Eccleſiæ, & non ſolùm pro peccati originalis, & aliorum remiſſione inſtitutus eſt, ſed etiam in profeſſionem Fidei, quam quiſque tenetur quamprimum recipere: ſicut enim quiſque ex præcepto Fidei, tenetur ſtatim credere myſteria Fidei ſufficienter propoſita; ita ſtatim tenebitur ad eam fidei profeſſionem, per quam in numerum Fidelium Eccleſiæ recipiatur, & fiat ſubditus capiti illius, & capax reliquorum Sacramentorum.

Conueniunt *ſecundò*, dictum præceptum obligare pro articulo phyſico mortis, & pro tempore periculi mortis, quod moraliter eſt articulus mortis. Ratio eſt, tum quia, articulus mortis phyſicus, ſiue moralis, vtpote articulus extremæ neceſſitatis, eſt accommodatiſſimus, vt pro eo fuerit latum; aliàs ſi hoc præceptum tunc nō obligaret, nunquam obligaret; atque adeo præceptum nō eſſet. Igitur hoc præceptū impleri debet in hac vita: ergo ante mortem, ergo vt minimùm, in articulo mortis. Tum etiam quia hoc præceptum cùm ſit affirmatiuum, obligare debet ſaltem in extrema neceſſitate, qualis maximè eſt articulus mortis. Hinc infertur, quòd quamuis aliquis non ſit in articulo, vel periculo mortis; præuidet tamen quòd ſi tunc non confiteatur, non habiturus ſit poſtea occaſionem confitendi ampliùs in tota vita, neque etiam in articulo mortis, vt accidere poteſt in India, vel in aliqua captiuitate; tenetur tunc confiteri ex præcepto diuino ſi ſit in mortali. Atque idem eſt, ſi quis habeat reſeruata peccata, à quibus adeſt nunc qui eum abſoluat, poſteà verò non habebit à quo poſſit abſolui: nam præceptum confitendi ea peccata, obligat ad Confeſſionem nunc faciendam; quia iſti iam eſt articulus mortis, non phyſice, ſed reſpectiuè ad Confeſſionem. 3

4 Occaſione prædictæ doctrinæ tractant hic Suarez *diſp. 35. ſect. 3. n. 4.* & Cardinalis Lugo *diſp. 15. ſect. 3. n. 38.* ad quid teneatur medicus viſitans ægrotum, cui imminet periculum mortis, vt ſatisfacere poſſit præcepto diuino Confeſſionis. Quod etiam tractat benè Thomas Sanchez *in Decalogo lib. 3. c. 16.* Qui auctores videndi ſunt: Ipſe verò attento ſolo iure, ac præcepto diuino, de quo modò eſt ſermo, dico cum prædictis Doctoribus, ſi medicus probabile mortis futuræ periculum præuideat, teneri per ſemetipſum, aut per parochum, aut per alios monere infirmum, vt ſe muniat Sacramento Confeſſionis: & culpa medici dictam admonitionem prætermittentis, caſu quo teneretur, eſſet mortalis; quia eſt in re graui, & in magnum proximi detrimentum ſpirituale: At eiuſmodi peccatum eſſet contra Charitatem tantùm; quia non tenetur medicus ex officio triſtia infirmo nunciare, quale eſt mortis periculum, ſed potiùs læta, vt eſt ſpes ſalutis. Vnde medicus hanc monitionem culpâ ſuâ prætermittens, nihil tenetur reſtituere damni patientibus, ex eius omiſſione; quia ſolius præcepti Charitatis tranſgreſſor eſt. Ab hac autem obligatione ægrum admonendi, non eximitur medicus, quando alij admonere nolunt: ſicut non eximitur quiſquam ab obligatione corrigendi proximum, ſiue ſubueniendi, quando alij corrigere, aut ſubuenire nolunt. Notandum verò, medicum non teneri admonere, quando infirmum ita malè affectum videt, vt moraliter credat ea admonitione eum in peius iturum; quia admonitionis ratio tunc ceſſat. Nec tenetur deſerere ægrotum, etſi pertinax ſit in tenuenda

nuenda Confeſſione, ſi ex tali deſertione conſtituatur æger in periculo mortis, eo quòd ſit contra Charitatem; peruertitur enim Charitatis ordo poſtulans, vt etiã obſtinatis ſubueniatur: Nec motus proprius Pij V. contrarium præſcribit in hoc caſu: nam ſi ea deſertio eſt contra Charitatem; nihil Charitati aduerſum intendit Pontifex ſtatuere.

5 His præmiſſis, reſtat difficultas, an dictum præceptum etiam extra articulũ mortis, tam phyſicum, quã morale, quaſi in actu ſecundo per ſe, & vi ſua obliget.

Scotus *in 4. d. 17. q. 3. art. 3.* & Gabriel *q. 1. art. 3.* & Alij docent, non obligare niſi in articulo mortis. Probant quia maioris obligationis nullum eſt idoneum fũdamentum: nam præceptum affirmatiuum non obligat niſi in articulo neceſſitatis; at per ſe loquendo, ante mortem nullus eſt articulus neceſſitatis Confeſſionis faciendæ.

6 Alij verò, vt Ioannes Medina *C. de pœnitent. tract. 2. q. 14. §. 2.* ſentiunt, eſſe obligationem confitendi propter periculum obliuionis, cùm quis præuidet, ſe obliturum fore peccatorum, ſi diu differat Confeſſionem. Ex quo inferunt, quandocumque eſt periculum morale tradendi obliuioni peccata, priùs quàm ea quis confiteatur, teneri hominem ſtatim confiteri: cumque moraliter ſit impoſſibile integrè confiteri omnia peccata, ſi Confeſſio in articulum mortis differatur, ideò ea obligatio ſæpius anteà vrgere debet. Vnde illum dicunt eſſe articulum neceſſitatis, non propter mortem inſtantem, ſed propter periculum obliuionis, ſeu propter neceſſitatem integrè confitendi. Probari id poteſt, quia ille qui poſtea careret Confeſſario, obligaretur ad confitendũ nunc, ne ſe exponeret periculo non confitendi peccata ſua: ergo qui poſtea non recordaretur peccatorum, deberet nunc ea confiteri, ne redderetur impotens poſtea implendi præceptum ſua peccata confitendi.

7 Dico *primò*, præceptum diuinum Confeſſionis obligare extra articulum mortis. Ita communiter Doctores. Quod efficaciter probatur *primò*, ex Tridentino *ſeſſ. 14. c. 5* ſic dicentis. *Vnde cum à ſanctiſſimis & antiquiſſimis Patribus, magno vnanimique conſenſu, ſecreta Confeſſio Sacramentalis, qua ab initio Eccleſia ſancta vſa eſt, & modò etiam vtitur, fuerit ſemper commendata; manifeſtè refellitur inanis eorum calumnia, qui eam à diuino mandato alienam, & inuentum humanum eſſe, atque à Patribus in Concilio Lateranenſi congregatis initium habuiſſe docere non verentur. Neque enim per Lateranenſe Concilium Eccleſia ſtatuit, vt Chriſti fideles confiterentur, quod iure diuino neceſſarium, & inſtitutum eſſe intellexerat, ſed vt præceptum Confeſſionis, ſaltem ſemel in anno, ab omnibus, & ſingulis, cùm ad annos diſcretionis perueniſſent, impleretur*; Hæc Tridentinum: vbi expreſſè docet primò, Confeſſionem Sacramentalem fuiſſe diuino mandato, ſeu præcepto præſcriptam, & iure diuino neceſſariam, ac inſtitutam eſſe. *Secundò*, præceptũ Eccleſiaſticum annuæ Cõfeſſionis fuiſſe quaſi modificationem, ac determinationem præcepti diuini Confeſſionis. *Tertiò*, ex dictis verbis manifeſtè deduci videtur, non fuiſſe modificationem, ſeu determinationẽ præcepti diuini Confeſſionis præciſè quoad articulum mortis. Tum quia præceptum diuinum quoad hoc tempus eſt determinatum à Deo. Tum etiam, quia præceptum Eccleſiaſticum eſt annuæ confeſſionis, quod nequit eſſe modificatio quoad articulum mortis. Tum deniq; quia aliàs, qui in anno ſemel confeſſus eſſet, non teneretur intra eundem annum iterùm confiteri in articulo mortis. Conſtat igitur, præceptum Eccleſiaſticum annuæ Confeſſionis eſſe modificationem præcepti diuini quoad tempus, extra articulũ mortis. Firmatur hoc idẽ, quia Concilium clarè dicit fideles ſemel in anno confitendo iuxta ſtatutum Eccleſiæ, implere præceptum Chriſti: hoc autem fieri nullo modo poſſet, ſi Chriſtus præcepto ſuo ſolùm voluiſſet obligare exiſtentes in articulo, vel periculo mortis: Igitur certum videtur Chriſtum obligaſſe fideles in mortale lapſos ad confitendũ ante mortis articulum. Ratione quoque probatur Concluſio ſumpta ex vi inſtitutionis: nam Sacramentum Pœnitentiæ inſtitutum eſt præcipuè ad curandos ſpirituales morbos & præueniendum, ne homo incidat in ſimiles; ſicut Euchariſtiæ Sacramentum præcipuè eſt inſtitutum vt ſit ſpirituale alimentum; ergo ſicut hac de cauſa hoc præceptũ de illo ſumendo non tantùm obligat vt viaticum in articulo mortis, ſed etiam vt alimentum ante articulum mortis ſæpe; ita & idem dicendum de præcepto diuino Confeſſionis.

Dico *Secundò*, Chriſtum Dominum præcepto diuino, immediatè & per ſe non obligaſſe fideles in mortale lapſos ad confitendum in vita ante articulum mortis aliquo determinato tempore. Id ſupponunt etiam Doctores, vt certum. Et ratio eſt, quia non conſtat, quòd tempus deſignauerit ad huius præcepti impletionem: nec credibile eſt, quòd ſi Chriſtus aliquod tempus ſub rigoroſo præcepto determinaſſet, Eccleſia illud obliuioni tradidiſſet. 8

Dico *tertiò*, Chriſtum Dominum dediſſe poteſtatem Eccleſiæ, vt ipſa determinet tẽpus, pro quo obliget tale præceptum ante articulum mortis. Patet, quia ſicut Eccleſia per Chriſtum, habet poteſtatem iudicãdi de peccatis; ita & definiendi tempus, in quo fieri debeat tale iudicium. Vnde dici poteſt, Chriſtum obligaſſe fideles ad confitendum determinato tempore; non quidem proximè, ac immediatè, ſed radicaliter; quatenus voluit obligare pro tempore ab Eccleſia determinando. Quare commendatiſſimum illi reliquit, vt *ipſa attentis temporum* circumſtantiis determinaret tempus, quo *iſtud præ*ceptum deberet à fidelibus impleri. Vnde Chriſtus præcepit fieri Confeſſionem non ſolùm determinatè in articulo mortis, ſed etiam extra articulum mortis vagè, ac indeterminatè, non determinando quando, nec quoties; ſed id reliquit determinationi Eccleſiæ. 9

Dico *quartò* Eccleſiam feciſſe hanc determinationem prudenter. Patet quia in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. determinatum fuit tempus annuæ Confeſſionis. Ante Concilium autem Lateranenſe, Eccleſia vel aliquo præcepto ſuo, conſuetudine ſaltem, & moribus introducto, ſæculis ante dictum Concilium præcedentibus, ſemper aliquod tempus determinauit, tameſi præcepti huius apud Auctores nulla ſit mentio; vel certè cùm diuini præcepti ad Confeſſionem extra mortis articulum obligantis finis ſit frequens Confeſſionis vſus, húncque ſatis ſæculis illis frequentem eſſe Eccleſia animaduerteret, tunc non determinauit tempus vllum, quo fieri deberet, quia tunc id minimè eſſe neceſſarium prudenter iudicauit. 10

Dico *vltimò*, fieri non poſſe, vt Eccleſia attentis temporum, ac motum circumſtantiis, non faciat prædictam determinationem. Id rectè notauit Suarez *diſp. 35. ſect. 3. num. 9.* quia eſſet intolerabilis error, & in magnum animarum damnum; & ideò non permittet illum Deus. Nam ſi per impoſſibile non determinaſſet Eccleſia tẽpus; nullum poſſet deſignari tempus vſque ad articulum mortis, quia nullus eſſet modus faciendi eam determinationem, quod in magnam Fidelium perniciem & animarum detrimentum cederet manifeſtè. 11

Queres, ſi per impoſſibile non determinaſſet Eccleſia tempus, peccarét-ne ille, qui totâ vitâ ſuâ ſemel tantum in mortis articulo confiteretur? *Reſpondeo*, non peccaturum: quia ſicut illâ determinatione ſublatâ, nullum deſignari determinatè tempus poſſet, quo diuinum illud Confeſſionis præceptum obligaret; ita nec vllũ, quo per omiſſionem contra ipſum peccaretur. Id

bene

Digitized by Google

benè notauit noſter Ludouicus Maratius *tract. de pænitentia, diſp. 24 ſect. 8.*

Obiicies, remota omni huiuſmodi determinatione, futurum tamen, vt quilibet ſemel ſaltem in vita ante mortis articulum obligaretur vi diuini præcepti ad faciendam Confeſſionem; ſicut is cui præciperetur quidpiam quotidie facere non determinando, vel quoties faceret, vel certam diei horam quâ faceret, obligaretur ad eam ſaltem ſemel ante finem diei faciendam. *Reſpondeo*, quod exemplum concluderet, ſi vitæ tempus determinatum eſſet, & mortis articulus æquè certus notúſque nobis, ac diei finis: at cùm ignotus, incertúſque ſit, nullus obligari poteſt ad ſemel in vita confitendum ante mortis articulum, niſi tempus faciendæ confeſſionis determinetur.

Addo mihi etiam probabile videri, in caſu poſito obligare præceptum diuinum confitendi aliquoties in vita, iuxta prudentis arbitrium. Ratio eſt, quia conſtat ex dictis ſuprà *num. 7.* præceptum diuinum confitendi per ſe obligare vagè extra neceſſitatem extremam, & extra mortis periculum; ergo ſecluſa Eccleſiæ determinatione, aliquoties in vita obligaret, prudentis arbitrio; contrarium enim repugnaret inſtitutioni talis præcepti: ſicut ſi Eccleſia non deſignaſſet aliquos dies feſtos ad colendum Deum, adhuc teneremur iure naturali illum colere in aliquo tempore.

12 Ad argumentum pro Scoto; iam conſtat eſſe maximum fundamentum, ad conſtituendam obligationem Confeſſionis in vita ante mortis articulum, etiam ex diuino iure, & præcepto: quia ipſa præcipuè inſtituta eſt ad curandos ſpirituales animi morbos, & ad eos etiam præueniendos. Vnde licèt præceptum affirmatiuum non obliget niſi in articulo neceſſitatis; adeſt tamen Confeſſionis per ſe loquendo ad prædictum finem manifeſta neceſſitas in vita ante mortem.

13 Ad illam Medinæ ſententiam dico meritò à Doctoribus illam refelli: quia inde fieret, quamplurimos fideles obligari iure diuino ad ſæpius quàm ſemel in anno confitendum; quia eorum quamplurimi ob peccatorum mortalium, in quæ labuntur, multitudinem, ſunt ſingulis annis non ſemel, ſed longè ſæpiùs in periculo obliuiſcendi vnum aliquod ex iis, imò multa: Quinimò pauci videntur, qui non ſe exponant tali periculo, quoad aliqua peccata, differendo confeſſionem vſque ad finem anni. Illam autem obligationem ponere certiſſimè falſum eſt, quia Confeſſionis integritas ex iure diuino neceſſaria, non eſt poſita in enumeratione omnium mortalium peccatorum, quæ reipſa commiſſa ſunt, ſed tantùm in eorum omnium, quorum recordatur pœnitens, poſt diligentem Conſcientiæ ſuæ examinationem faciendam circa illud tempus, quo confitendi obligatio eſt, vt docet Tridentinum *ſeſſ. 14. cap. 5.* & nos *infrà* ſuo loco dicemus. Vnde hac de cauſa, nulla eſt obligatio ſcribendi nunc peccata, vt vitetur periculum obliuionis ſequentis, quia præceptum eſt ſolùm confitendi peccata quæ tunc occurrunt memoriæ, præmiſſo examine, humano modo; non eſt autem humanus modus illa exquiſita, ac metaphyſica diligentia obſeruandi, & notandi omnia peccata, & circumſtantias, provt ſucceſſiuè fiunt, & ſcribendi eas, ne memoriâ decidant: id enim eſſet grauiſſimum onus, & inutile; imò eſſet laqueus valdè noxius conſcientiæ ſuperadditus. Nec ratio illa adducta in fauorem Ioannis Medinæ eſt alicuius momenti: quia vt conſtat ex dictis, ideò ille, qui poſteà ita careret Confeſſario, vt nunquam poſteà illum haberet, teneretur ad confitendum nunc, quia ſe exponeret periculo nunquam confitendi ſua peccata in tota vita, neque etiam in articulo mortis, & ita nunquam adimpleret præceptum diuinum Confeſſionis: at ille alius, qui ſe exponit periculo obliuionis aliquorum peccatorum, cùm recordetur aliorum, quæ ipſi occurrunt, & ſolùm obligetur ad confitendum ea omnia, quæ illi occurrunt, præmiſſo debito examine, adimplet præceptum Confeſſionis tam diuinum, quàm Eccleſiaſticum, ſi ea ritè confiteatur.

SECTIO IV.

An per accidens propter aliquos caſus obliget præceptum diuinum Confeſſionis?

Dvplicem communiter diſtinguunt Doctores modum, quo poteſt homo obligari ad actum ſub præceptum aliquod affirmatiuum cadentem. Primus eſt per ſe, & ratione ſui, ſeu ex vi talis præcepti in propria natura, & virtute conſiderati. Secundus eſt per accidens, ſeu propter aliud, ſeu ratione alterius virtutis. Diximus in præcedenti ſectione, ad quid per ſe obliget primo modo præceptum diuinum Confeſſionis; modò videndum eſt an per accidens ſint aliqui caſus, in quibus ex præcepto diuino ſit obligatio etiam confitendi. 1

Secundò nota, duos communiter proponi caſus à Doctoribus. Primus eſt, quando ſumenda eſt Euchariſtia. Secundus eſt, quando Confeſſio eſt medium neceſſarium moraliter ad ſuperandam tentationem aliquam, quæ aliàs non ſuperabitur; ſeu quod idem eſt ad vitandum periculum reincidendi in noua peccata. 2

Circa primum, ſuppono duo ex materia de Euchariſtia. *Primum*, eſſe præceptum diuinum ſumendæ Euchariſtiæ: quia hoc Sacramentum inſtitutum eſt per modum cibi, & potus; quia ſicut cibus neceſſarius eſt ad conſeruandam vitam naturalem, quia medio cibo reparamus id quod continua caloris actione deperdimus; ſic cibus Sacramentalis neceſſarius eſt ad reparandum id quod continua fomitis operatione debilitatur. *Secundum*, conſtare ex Tridentino *ſeſſ. 13. cap. 7.* & *can. 11.* neceſſariam eſſe ex præcepto Confeſſionem Sacramentalem iis, qui conſcientiam habent peccati mortalis, vt dignè accedant ad Euchariſtiam; & hoc præceptum eſſe diuinum, in quo quia diuinum eſt, nunquam vſque adhuc Eccleſia aut ſummus Pontifex diſpenſauit, nec vnquam diſpenſatio petita, aut intentata fuit: ſicut diſpenſatum eſt aliquando in aliis præceptis, quæ eccleſiaſtica ſunt, vt in præcepto ieiunij naturalis ad communionem prærequiſiti. Quibus præmiſſis, quæſtio eſt, an hæc obligatio Confeſſionis ſit per ſe reſpectu præcepti Confeſſionis, an ſolùm per accidens propter dignam Euchariſtiæ ſumptionem. Hinc enim pendet reſolutio illius quæſtionis, an qui ſumeret Euchariſtiam non præmiſſa Confeſſione duo peccata committeret, alterum omiſſionis ex carentia Confeſſionis, & alterum commiſſionis propter indignam Euchariſtiæ ſumptionem. 3

Cano in dicta quæſtione exiſtimat hæc eſſe duo peccata. Quod ideò probari poteſt, quia obligatio præmittendi Confeſſionem, non oritur veluti ex ſola natura rei, propter dignitatem Sacramenti Euchariſtiæ, ſed oritur ex ſpeciali præcepto Chriſti: ergo erit ſpecialis obligatio, & ſpeciale præceptum.

Dico tamen cum Suarez *diſp. 35. ſect. 3. num. 12.* in dicto caſu ſolùm eſſe vnum peccatum contra præceptum Religionis, de Euchariſtia dignè, & ſanctè ſumenda. Quod intelligo, niſi fortè tunc etiam per ſe, & ratione ſui obliget præceptum confitendi, vt in articulo mortis: tunc enim duplex peccatum committeretur, 4

retur. Probatur illud, quia vt Euchariſtia dignè ſumatur præcipitur peccatori Confeſſio, tanquam diſpoſitio neceſſaria ad dignam eius ſumptionem: quemadmodùm ſi ad hunc finem præciperentur inſtar diſpoſitionis prævię, certæ quædam orationes recitandæ: ergo ſicut illas orationes omittere, & nihilominùs Euchariſtiam ſumere, non eſſet niſi vnicum numero peccatum commiſſionis, cõſiſtens in indigna eius ſũptione, contra præceptum negatiuum, vetans eam indignè ſumere: ita Confeſſionis tunc temporis omiſſio eſt vnicum numero peccatum commiſſionis, quod contra præceptum hoc conſiſtit in indigna Euchariſtiæ ſumptione: tota enim illa obligatio Confeſſionis eſt propter Euchariſtiam, & illa non præcipitur, niſi vt circumſtantia Euchariſtiæ. Firmo, nam in vniuerſùm, facere actum ſine debitis circumſtantiis, vnum peccatum eſt, per ſe loquendo, vt orare ſine attentione, & in præſenti materia, Euchariſtiam ſumere poſt ſumptionem cibi, & potus, eſt vnum peccatum, tametſi ſpeciali præcepto Eccleſiaſtico teneamur ieiuni ad Euchariſtiã accedere; quia nimirùm omnia eiuſmodi præcepta ordinantur ad vnum actum virtutis perfectè conſtituendum; & ideò vnum peccatum eſt, talem actum ſine debitis circumſtantiis efficere: ergo idem dicendum eſt de Confeſsione Sacramentali, quæ fit tanquam diſpoſitio ad Euchariſtiam.

Notandum verò, non eſſe hanc obligationem per accidens, confitendi in ordine ad alia Sacramenta præter Euchariſtiam; ſed ſufficere Attritionem. Tum quia cùm Tridentinum citatum tanquam aliquid ſingulare requirat Confeſſionem ad Euchariſtiam recipiendam, hoc ipſo indicat eam non requiri ad alia Sacramenta recipienda. Tum etiam quia fideles non arcentur à receptione aliorum Sacramentoru m, licèt conſtet eos accedere ſine præmiſſa Confeſſio ne. Ita Sotus *in 4. d. 18. q. 1. art. 4. concl. 6.* Victoria *in ſumma quæſt.* 135. Henriquez *lib. 1. de pœnitentia cap. 3. num.* 4. Suarez citatus *num.* 13.

5 Circa ſecundum, videtur in eo caſu Confeſſionem frequentiorem, eſſe medium moraliter neceſſarium ad vitanda noua illa peccata omnibus Chriſtianis, moraliter loquendo, quia experientia docet, eos, qui per totum annum Confeſſionem differunt, nunquam, aut ferè nũquam tranſigere illud tempus, abſque nouis aliis peccatis mortalibus; & è contra videmus, eos, qui abſque mortali peccato reperiũtur, frequentiùs confiteri, quàm ſemel in anno: ergo ſeclusâ inuincibili mortaliter peccabunt, non vtendo hoc medio, quod aſſumere tenentur.

6 In hac re, omiſsis aliorũ dicendi modis, dicã ipſe quid ſentiã. Dico igitur *primò*, præceptũ diuinũ Confeſsionis obligare quando Cõfeſsio iudicatur omninò neceſſaria hîc & nũc, ad vitandũ ſpeciale aliquod peccatũ, eo quòd iudicatur nullo alio modo peccatorem frænandum eſſe. Ratio eſt, quia qui tenetur ad finem, tenetur conſequenter ad executionem medij ad illum omninò neceſſarij; cùm ergo homo teneatur omninò ad vitandum peccatum mortale, tenebitur conſequenter ad Confeſſionem, quando illa cẽſeretur medium omninò neceſſarium. Aduerte tamen, id non ita facilè iudicari poſse; cùm tot ſint alia media ſufficientia ad animæ ſalutem, & ad vitandum peccatum mortale, quibus occurri poteſt huic malo intra annum, & dum expectatur tempus Quadrageſimæ, in quo omnes confitentur. Itaque licèt optimum conſilium ſit, conſulere omnibus peccatoribus Confeſsionem frequentem propter ingentem vtilitatem, quam affert; & aliquando etiam vtile ſit, eam in pœnitentiam imponere alicui tanquam medicinam vtiliſsimam pro peccatis poſteà vitandis: tamen non ita facilè cenſeri debet eſse vnicum medium, itavt caſus iſte ſit frequens & communis. Quòd ſi alicui ſpecialiter cenſeatur Confeſsio omninò neceſſaria, quia alia ſpecialia media etiam vtiliſsima ad illum finem illi diſpliceant, & illis vti nolit; atque ideò ipſum nonniſi hoc medio Confeſsionis frequentis, poſse moraliter vitare illud certum periculum reincidentiæ; tunc reſpectu illius admittenda eſt talis obligatio per accidens ad frequentem Confeſsionem.

Dico *ſecundò*, non obligari Fideles ad confitendum plus quàm ſemel in anno, ex eo quòd iudicetur, illos in genere, vel indeterminatè peccaturos mortaliter, niſi aliquoties in anno confiteantur. Ita communiter Doctores, inter quos Suarez *diſp. 35. ſect. 3. n.* 11. Layman. *lib. 5. tract. 6. cap. 5. num.* 5. Granado *controu. 7 de pœnitentia, tract. 1. diſp. 8. num. 9.* Fagundez *præcepto 2. lib. 1. c. 1. n. 16.* & alij. Et rationem, ob quam etiamſi credantur peccata in communi vitanda per frequentem Confeſſionem, adhuc diuinum præceptum Confeſsionis ad illam non obligare, eiuſmodi aſſignant; quia, quando in communi loquimur, nulla cenſetur proxima, & moralis occaſio, aut proximum, & morale periculum alicuius peccati ſpecialis: & ideò non cenſetur tunc Confeſsio ita medium neceſsarium ad illud vitandum, vt illius præcep ti ſpecialis obligatio inducatur. 7

Mihi ratio hæc difficilis videtur. Nam inprimis, ex illa ſequitur id, quod vitare intendunt Doctores, ſcilicet Fideles teneri ad confitendum plus quàm ſemel in anno: quia periculum, quod homines communiter apprehendunt in non confitendo niſi ſemel in anno, ſemper eſſe ſolet de peccato, vel de peccatis aliquibus in ſpecie, ad quæ ſe propenſos ſentiunt. *Secundò*, quia ad peccatum in genere poteſt quoque eſse periculum proximum; cùm hoc ſit occaſio ad quam morali certitudine conſequitur peccare. Vt oſtendi ſuprà *diſp. 4 ſect. 9. n. 6.* Vnde ſi ſemel admittatur quòd frequens Confeſsio ſit medium moraliter neceſsarium ad vitandum aliquod peccatum mortale in communi, non apparet cur nõ ſit eadem obligatio apponendi tale medium frequẽtis Confeſsionis, quæ eſt, quando cognoſcitur eſse neceſsarium ad vitandum aliquod mortale determinatum in ſpecie, quia ratio eſt eadem, fundans ſimilem obligationem in vtroque caſu. Si enim hæc obligatio oriatur ex propoſito, quod debemus habere non peccandi mortaliter, cum quo propoſito non ſtat volũtas occaſionis, quam morali certitudine conſequitur peccatum mortale; hoc ipſum procedit ſimiliter in vtroque caſu: non enim minùs repugnat cum propoſito non peccandi, velle aliquod peccatum mortale in communi, quàm velle aliquod mortale in particulari; atque adeò non minùs repugnabit, velle aliquam occaſionẽ, quam certitudine morali conſequitur aliquod peccatum mortale in communi, quàm velle illam, quam conſequitur aliquod peccatum determinatum. 8

Reſpondebis, eam occaſionem, eo ipſo quòd ſit ad peccatum mortale in communi, non eſse proximam, ſed remotam, quia inter illam & peccatum debet mediare tẽtatio proxima ad tale peccatũ in particulari; nulla enim tẽtatio proxima eſt ad peccatum in communi. *Sed contra eſt*, quia inde ſequeretur, eum, qui experitur ſe in ludo frequẽter blaſphemare, & peierare, non teneri vitare ludum, quia inter ludum & periurium adhuc mediare debet tentatio proxima ad periurium, aut blaſphemiam, ex aliqua occaſione orta in ludo: ille etiam qui tranſiens per talem viam concupiſcit talem fœminam non teneretur vitare illam occaſionem; quia inter tranſitum, & peccatum debet mediare aliud, nempe aſpectus fœminæ, ex quo oritur tentatio proxima.

Quare occaſio aliqua non ideò dicitur proxima, quia inter illam, & peccatum actuale nihil mediet, ſed quia inter ipſam & certitudinem moralem peccati futuri, nihil mediat, vt dixi ſuprà, *diſ. 4 citata, ſect. 9. n.* 1. ſic enim docent

Digitized by Google

docent Theologi, aliquando teneri hominem ſuæ fragilitatis conſcium ad ieiunandum, vel domandam carnem, quando id medium indicat neceſſarium ad vitandam tentationem; nam licet inter carentiam ieiunij, & peccatum mediet tentatio carnis, quæ nondum eſt præſens; ſi tamen hodie, verbi gratia, non ieiunat, eſt certum moraliter, quòd orietur tentatio, & ſequetur conſenſus; vnde hodie tenetur ieiunare, ne ſequatur illa certitudo peccati futuri.

9 Quare ratio Concluſionis, ſeu Dicti propoſiti, non videtur eſſe illa ob peccatum in genere, aut in ſpecie determinata; ſed vnica hæc eſt, ob temporis diuturnitatem. Quæ dupliciter deobligare videtur à frequentanda Confeſſione, etiamſi ad illam dicatur obligare aliquando grauis tentatio hìc, & nunc vrgens. *Primò*, quia eſt medium extraordinarium grauis difficultatis frequens Confeſſio: nam eſt integra vitæ, & morum mutatio; non eſt autem obligatio ob vitanda peccata, vtendi ſimilibus mediis extraordinariis; vt communiter dicitur de ingreſſu Religionis, & acceſſu in ſolitudinem, vel eremum. *Secundò*, & præcipuè, quia non ita facilè apprehenditur, vt ſimpliciter neceſſarium pro diuturno tempore, medium illud frequentis Confeſſionis; cùm longo tempore multa alia occurrant media tam naturalia, quàm ſupernaturalia, quæ hominem mutant, & peccandi licentiam frænant. Quis enim neget eſſe media ſufficientia, & etiam de ſe efficacia ad animæ ſalutem, orationem frequentem, lectionem librorum ſpiritualium, macerationem carnis flagellis, ciliciis, ac ieiuniis, dolorem, ac deteſtationem peccatorum, propoſitum firmum non peccandi, quibus vitari poſſit peccatum mortale intra annum? non igitur frequens Confeſſio, licet ſit optimum medium, deſignandum eſt tanquam vnicum, ac ſimpliciter neceſſarium ad vitandum mortale peccatum.

Quare ad argumentum ſuprà adductum *numero quinto* neganda eſt illa experientia, nempe dilationem Confeſſionis afferre ſecum illud periculum: nam ex certa ſcientia ſcimus, quamplures homines religioſos, & pios, qui per annum integrum, imò per multos annos apud infideles verſantur, euangelizantes, & prædicantes, transigere totum illud tempus abſque lapſu graui ſine Confeſſione, quia nimirùm frequenter renouant propoſitum firmum non peccandi, & vacant orationi, lectioni ſpirituali, & aliis piis operibus. Sicut è contrà videmus alios: qui frequenter confitentur, & paſſim relabuntur in peccata mortalia. Quod certè oritur ex infirmitate humana.

SECTIO V.

An per Confeſſionem informem impleatur præceptum confitendi, vt eſt diuinum?

1 Certum eſt *primò*, non impleri præceptum per Confeſſionem inualidam, ſeu nullam: Patet, quia tunc non ſolùm finis præcepti non obtinetur, verùm etiam neque actus præceptus perficitur: nam obligatur ex vi præcepti diuini ad recipiendum Sacramentum Pœnitentiæ; tunc autem non recipitur. Quare quoties Confeſſio fuerit nulla, ſiue ex culpa, & defectu pœnitentis, ſiue ex parte Sacerdotis Miniſtri, reipſa non impletur præceptum diuinum.

2 *Secundò*, etiam eſt certum, per Confeſſionem validam, & formatam Sacramentali gratia, præceptum diuinum impleri. Patet, quia tunc nihil amplius deſiderari poteſt; cùm & actus præceptus perficiatur, & finis quoque præcepti habeatur. Difficultas ergo eſt de Confeſſione valida, informi tamen quoad effectum gratiæ Sacramentalem, an illâ impleatur diuinum præceptum: eam verò poſſibilem eſſe oſtendi iam ſupra *diſput. 4. ſect. decima*.

Mihi certum videtur quoque, Confeſſionem informem ſufficere ad implendum præceptum diuinum affirmatiuum: Ita ſentiunt communiter Doctores, inter quos Durandus, Dominicus Soto, Ledeſma, & Petrus Soto, quos refert & ſequitur Suarez *diſp. 35. ſect. 4. num. 3. & ſequentibus*. Ratio eſt, quia præceptum diuinum ſolùm obligat ad recipiendum Sacramentum Pœnitentiæ; ſed qui Confeſſione informi ſua peccata confitetur, recipit verum, & validum Sacramentum: ergo ſatisfacit obligationi. Firmo, nam licèt finis diuini præcepti obligantis ad receptionem huius Sacramenti ſit conſecutio gratiæ, & remiſſio peccatorum, quam tunc homo non conſequitur; at hic finis extrinſecus præcepto non cadit ſub præceptum Confeſſionis: ſolùm enim obligat Chriſtus Dominus, vt hunc finem conſequi curemus vera, & valida Confeſſione. Quòd ſi contingat hanc ſine culpa noſtra informem fuiſſe, ad Confeſſionem ampliùs non tenebimur obligatione per ſe orta ex præcepto illius. Nam cùm tunc pœnitens non conſequatur finem præcepti, ſeu effectum Sacramenti propter ſpecialem culpam illius, ſed ob defectum alicuius requiſiti; cùm illud poſtea poſitum fuerit, conſequetur prædictum effectum virtute Sacramenti, quod prius receperat, & ideò non eſt cur obligetur ad iterandam Confeſſionem. 3

Dixi in concluſione ſatisfieri præcepto diuino affirmatiuo: nam Sacramento valido informi non ſatisfit præcepto negatiuo diuino, non indignè recipiendi ipſum Sacramentum Pœnitentiæ: nam receptione Sacramenti informis, quod ſuo effectu priuatur, irrogatur iniuria ipſi Sacramento recepto; & ideò peccatur peccato mortali commiſſionis ſacrilegij indignæ ſuſceptionis Sacramenti, niſi quis ab eo peccato ignorantia inuincibili excuſetur, & hoc eſt neceſſarium, vt dictum Sacramentum ſit validum, & eſſentialiter perfectum, & conſequenter vt eo ſatisfiat præcepto affirmatiuo Confeſſionis, quia ſi non excuſaretur ab eo peccato mortali, Confeſſio non eſſet integra, quia peccatum illud non explicaretur in Confeſſione, nec de illo eſſet dolor.

Obiicies: præceptum Contritionis ſeu virtutis pœnitentiæ non impletur niſi per actum pœnitentiæ, qui gratia formetur, vt conſtat ex dictis ſuprà *diſput. 13.* ſed præceptum Confeſſionis eſt quædam determinatio illius generalis præcepti Pœnitentiæ, vt conſtat; ergo non poteſt hoc præceptum impleri niſi per Confeſſionem formatam. Probatur hæc Conſequentia, quia quando vnum præceptum eſt determinatio alterius, includit ſubſtantiam illius, & addit aliquam circumſtantiam, atque ideò nequit impleri præceptum determinans aliud, niſi per actum ſufficientem ad implendum præceptum quod determinatur: ſic enim præceptum de ſoluendis decimis, eſt determinatio naturalis præcepti obligans ad alendum Miniſtrum laborantem, & ideò nequit illud impleri, quin huic ſatisfiat. Et in hac materia, præceptum annuæ Confeſſionis impleri nequit, niſi per actum ſufficientem ad implendum hoc diuinum præceptum, cuius determinatio eſt præceptum annuæ Confeſſionis. *Reſpondeo*, hoc argumento ſolùm probari, per ſe loquendo, præceptum diuinum confitendi, non impleri niſi per Confeſſionem formatam: per accidens tamen, quando Confeſſio eſt informis abſque culpa, & ex naturali obliuione, ac inaduertentia, non eſt integra, nec quoad externam Confeſſionem omnium 4

nium peccatorum, nec quoad internam Attritionem; quia fuerunt nonnulla peccata penitùs oblita, ſufficienter impletur præceptum per prædictam Confeſsionem informem; quia reſpectu peccatorum quæ ſunt confeſſa, ſufficienter eſt acta pœnitentia, vt per hanc Sacramenti inſtitutionem determinetur; nec tenetur huiuſmodi pœnitens ea peccata ampliùs confiteri, nec conteri: At verò reſpectu aliorum peccatorum, quorum fuit oblitus, non fuit integrè impletum præceptum diuinum; nam reuera tenetur poſtea ex vi præcepti diuini, confiteri ea peccata oblita quando illorum recordabitur, & conteri; vnde ſignum eſt, non impleuiſſe integrè tale præceptum, tametſi ob inaduertentiam, vel obliuionem naturalem fuerit excuſatus ab illius tranſgreſſione.

SECTIO VI.

An ſummus Pontifex poſſit abrogare præceptum diuinum confitendi, vel in eo diſpenſare?

1 CErtum eſt *primò*, Deum poſſe in prædicta Lege & præcepto diſpenſare pro ſuo arbitrio, etiam ſine cauſa. Si enim hoc poteſt legiſlator humanus in ſua lege; potiori iure poterit Deus: imò licèt humanus legiſlator in ſua Lege nòn rectè aut licitè id faciat ſine cauſa, Deus tamen ſi id faceret, honeſtiſſimè, & rectiſſimè faceret; quia eſt ſupremus Dominus, & eius voluntas eſt ſuprema regula bonitatis. De facto tamen non eſt admittenda talis diſpenſatio, niſi Eccleſiæ de illa conſtare poſſit, & per illam approbetur, iuxta regulam Innocent. III. *in cap. Cum ex iniuſto, de haret.* & *in cap. niſi cùm pridem, de renunciat.*

2 *Secundò*, etiam eſt certum, nullum temporalem Principem ſupremum poſſe in prædicto præcepto diſpenſare: quia poteſtas illius ſupernaturalis non eſt, nec ſpiritualis à Chriſto conceſſa, ſed eſt merè temporalis, & humana, ad ordinem tantum naturæ ſpectans.

3 *Tertiò*, eſt quoque certum, nullum Epiſcopum infra Pontificem, poſſe in eo præcepto diſpenſare. Patet; Tum quia communis Doctorum ſenſus eſt, nullum Epiſcoporum poſſe infra Papam, diſpenſare in iure diuino Euangelico. Tum etiam quia tametſi ea poteſtas eſſet neceſſaria Eccleſiæ, non eſſet neceſſaria inferioribus Epiſcopis, quia exiſtens in ſummo Pontifice ſufficeret, cùm vſus talis poteſtatis poſſit eſſe rariſſimus. Tum denique, quia regula Iuris generalis eſt, maiores Eccleſiæ cauſas ad Petri ſedem eſſe referendas, *cap. Maiores, de Baptiſmo*: at diſpenſatio in iure Euangelico, & tali confitendi præcepto, inter grauiſſimas cauſas meritò eſt computanda. Tota igitur difficultas eſt de ſummo Pontifice.

4 *Quartò*, præmitto diſpenſationem Legis propriè eſſe ablationem, ſeu relaxationem Legis cum aliquo particulari, lege ipſa in ſua vi circa reliquos perſeuerante: abrogationem verò legis, eſſe ablationem vel relaxationem illius in totum; itavt facta abrogatione Legis, nullus ea Lege amplius teneatur.

5 Cum communiori ergo Doctorum ſententia dico, Pontificem non poſſe diſpenſare in præcepto diuino Confeſſionis, & multò minùs illud abrogare. Conſtat id *primò*, generali ratione, quia præcepta, & iura ſuperiorum nequeunt ab inferioribus auferri, nec in totum, vt fit abrogatione; nec in partem, vt fit diſpenſatione, abſque peculiari commiſſione: hanc autem non agnoſcimus in Pontifice ad auferendum præceptum diuinum Confeſſionis, neque ad diſpenſandum. *Secundò*, idem patet ſpeciali ratione: quia non poteſt Eccleſia mutare media neceſſaria ad ſalutem, vel illa abrogare, ac diſpenſare; nec poteſt ſupplere remedium neceſſarium ad ſalutem, ſi omninò deſit, vt patet in paruulo qui baptizari non poteſt. Quare ſicut in præcepto Fidei, quatenus diuinum eſt, nequit Eccleſia diſpenſare; quia tale præceptum ſolùm eſt de illa Fide, quæ eſt neceſſaria ad ſalutem: cum nemine autem poteſt Eccleſia diſpenſare, vt non teneatur habere talem fidem, vel vt ſine tali fide ſaluetur, vt eſt per ſe notum; ita neque in præcepto diuino Confeſſionis, quod eſt etiam medium neceſſarium ad ſalutem, nullo modo poteſt cadere diſpenſatio, quia eſſet contra omnem rationem, & contra diuinam voluntatem.

6 Hinc colligo *primò*, tametſi Pontifex poſſit in præcepto annuæ Confeſſionis diſpenſare, imò & illud abrogare, itavt non maneat obligatio confitendi determinatè in quolibet anno, quia præceptum annuæ Confeſſionis eſt purè Eccleſiaſticum quoad temporis determinationem ad ſingulos annos, quod poteſt Papa in partem, ſeu in totum auferre, aut diſpenſare; temporis enim determinationem addit Eccleſia, & in illa certum eſt poſſe eandem Eccleſiam diſpenſare; attamen in Lege, ſeu præcepto diuino Confeſsionis, vt diuino, nullo modo poteſt, nedum derogare; leges enim diuinæ de fide, ac de vſu Sacramentorum, quæ ſunt media neceſſaria ad ſalutem, ſunt quaſi fundamenta *Eccleſiæ viſibilis* Chriſti, quibus mutatis, fieret in ea magna mutatio ſubſtantialis contra manifeſtam intentionem Chriſti inſtituentis.

7 Colligo *ſecundò*, ſi Pontifex annuam obligationem Confeſsionis in partem, vel in totum auferret, eſſet illi ſub obligatione tempus aliquod pro præceptò diuino Confeſsionis lato extra articulum mortis determinare, attentis circumſtantiis temporum, & perſonarum; præſertim ſi ipſa Confeſsio fuiſſet parum in vſu, & ob id mores eſſent valde perditi.

8 Colligo *vltimò*, Pontificem, qui etiam tenetur præcepto annuæ Confeſsionis, etiam vt Eccleſiaſtico, poſſe cauſa rationabili ſubſiſtente, ſecum licitè, & etiam abſque cauſa, validè in eo diſpenſare, non minus quàm cum aliis; non verò in præcepto diuino confitendi, ſicut nec cum aliis.

9 Obiicies, attenta humana conditione, videtur poteſtas diſpenſandi in præceptis diuinis; neceſſaria eſſe in Eccleſia; quia accidere poteſt caſus, in quo obſeruatio alicuius Legis diuinæ ſit magis nociua, vel impediat maius bonum, & propterea diſpenſatio in illa ſit maximè conſentanea rationi: ergo non eſt veriſimile Chriſtum reliquiſſe Eccleſiam ſine hac poteſtate; quia ſecundùm Legem ordinariam, non poſſunt homines à Deo ipſo immediatè petere diſpenſationem, nec debent neceſſariò illa carere in tali neceſsitate, neque obligari per poſitiuam legem diuinam cum tanto rigore, cùm id non ſit conſentaneum ſapientiæ, ac ſuauitati diuinæ Prouidentiæ. Firmatur, nam ex illa generali conceſsione facta Peuo illis verbis Matth. 16. *Quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis*, colligunt Doctores poteſtatem in Eccleſia diſpenſandi in Iuramentis, & Votis, & in Matrimonio rato: igitur ex eiſdem verbis colligi etiam poteſt poteſtas

in

Digitized by Google

in Pontifice ad diſpenſandum in præcepto diuino Confeſſionis.

10 Ad argumentum reſpondeo, præcepta diuina poſitiua legis Gratiæ eſſe pauciſſima, & per ſe, & directè non eſſe negatiua, ſed affirmatiua, quæ ex eodem iure diuino poſitiuo non habent certi temporis determinationem; & ideò ad occurrendum caſibus occurrentibas, quantum pro explicanda obligatione neceſſarium eſt, ſufficit explicatio doctrinalis, quæ in Eccleſia pertinet ad Clauem ſcientiæ, & non nocet legi, nec relaxat illam. Quod verò ſpectat ad præceptum diuinum Confeſſionis, cùm ſit neceſſarium neceſſitate Medij, non eſt neceſſaria, nec vtilis talis poteſtas nec oportet admittere diſpenſationem, vel exceptionem, propter vitanda incommoda priuata; quia non poterat illud fieri ſine maiori incommodo boni communis; & eſſet contra naturam inſtitutionis, & voluntatem inſtituentis, ſi tale præceptum alteraretur, ac mutaretur, vt *ſuprà* dixi. Ad confirmationem, dico, illa verba generalia. *Quodcunque ligaueris, &c.* non ſufficere, vt per illa intelligamus datam poteſtatem ad ſoluendum ius diuinum: nam ſub conceſſione generali non ſolent venire ea, quæ magnam ſpecialitatem habent, & quæ veriſimiliter non eſſet Superior in particulari conceſſurus; talis autem eſſet ea poteſtas, quæ potiùs eſſet in deſtructionem, quam in ædificationem. Prætereà in Matrimonio rato, in Votis, & Iuramentis Pontifex propriè non diſpenſat, ſed ſolùm tollit materiam obligationis, quà ſublatâ, non obligat Lex diuina: nam diſpenſatio propriè dicitur, quando manente aliquo modo lege, tollitur eius obligatio: ſic diſpenſatur à Papa in ieiunio cum homine ligato tali lege, auferendo ab illo eius obligationem: At in caſu diſſolutionis Matrimonij rati, non tollitur immediatè obligatio vinculi Matrimonij, ſed ipſum vinculum, ſeu dominium, quod coniuges ſibi mutuò dederant in ſua corpora: Quod Pontifex Dei authoritate tanquam ſupremi Domini vtrique reſtituit, remittendo illis mutuas obligationes: & ſimiliter nomine Dei, remittit obligationem voti, & iuramenti. Quod videtur facere eodem omninò modo, quo Prorex poteſtate accepta, nomine Regis, alteri remittit obligationem promiſſionis factæ Regi: quo caſu in nullo iure propriè diſpenſat. Verum qidem eſt, eiuſmodi remiſſiones larga ſignificatione dici ſolere diſpenſationes, communi ac vulgari vſu, & modo loquendi.

SECTIO VII.

Vtrùm Confeſſio ſemel inſtituta à Chriſto, ſi non fuiſſet iure diuino præcepta, ſed arbitrio fidelium relicta, Eccleſia potuiſſet eius vſum præcipere?

1 CErtum mihi videtur *primò*, ſi Chriſtus non inſtituiſſet Confeſſionem Sacramentalem, quòd Eccleſia non potuiſſet illam præcipere. Nam tunc Confeſſio non haberet vim remittendi peccata, & conferendi gratiam ex opere operato; & ideò nihil mirum quòd præcipi non poſſet ab Eccleſia res adeò difficilis & grauis ſine vlla vtilitate Prætereà, Confeſſio omnium peccatorum cùm grauiſſima ſit, videtur excedere poteſtatem Eccleſiæ, ſicut nec poteſt Eccleſia præcipere paupertatem, Religionem, & alia ſimilia. Denique illud præceptum non obſeruaretur communiter, cùm ex vno capite Confeſſio ex ſe eſſet inutilis, & aliunde homines ſcientes eſſe præceptum humanum reſiſterent, quantum poſſent, vt per ipſum non vſum, compellerent ipſam Eccleſiam ad illud præceptum abrogandum. Quare dubitatio ſolum eſt, an ſi Chriſtus inſtituiſſet Confeſſionem Sacramentalem, ſed non impoſuiſſet præceptum ea vtendi, fuiſſétque cuiuis liberum eam efficere, aut non efficere, poſſet adhuc Eccleſia præcipere Confeſſionem, & eius vſum.

Secundò, certum eſt, potuiſſe Chriſtum alio modo inſtituere Sacramentum Pœnitentiæ, & Confeſſionis, vt nimirùm eſſet medium ad ſalutem, ſed non neceſſarium, ſed tantùm conueniens, ſufficiens, ac vtile ad illam. Patet, quia id totum pendens fuit ex libera eius voluntate, ac diſpoſitione. In quo caſu, ſi Confeſſio non fuiſſet ſub præcepto, iuſtificatio per Contritionem facta, adſcribenda fuiſſet ipſi Contritioni abſquè voto Sacramenti Pœnitentiæ, vel Confeſſionis: quia tunc votum Confeſſionis non contineretur in Contritione, vt liquet cùm non eſſet Confeſſio præcepta, neque ipſa eſſet neceſſaria in re, vel in voto. 2

Tertio, mihi dubium non eſt, ſi Chriſtus inſtituiſſet Confeſſionem Sacramentalem liberam, eodem plane modo, ſicut iam inſtituit liberam Confeſſionem peccatorum venialium; itavt potuiſſemus & nunquam confiteri, & confiteri ſola venialia relictis mortalibus, vel aliqua pro libito confiteri, vel alia omittere; in eo euentu potuiſſe Eccleſiam Confeſſionis vſum præcipere. Ratio eſt, quia tunc Confeſſio habuiſſet multas vtilitates: non potuiſſet quis per ſolam Attritionem ſimul cum ea Confeſſione iuſtificari, & nullam habuiſſet difficultatem, vt euidens eſt; quare ergo non poſſèt eius vſum præcipere. Sòlum ergo ſupereſt difficultas, an ſi tunc, tametſi non fuiſſet à Chriſto præcepta, eſſet tamen neceſſariá Confeſſio exacta omnium peccatorum ad valorem Sacramenti, ſicut modò, & non ſufficeret aliquorum Confeſſio, potuiſſet ab Eccleſia præcipi propter magnam vtilitatem illius. 3

Partem affirmantem tenet Suarez *diſput.* 35. *ſect.* 1. *num.* 18. cum Adriano, Medina, Viguerio, & Scoto, quos ipſe citat: Eandem defendit Vaſquez *quæſt.* 90. *artic.* 1. *dub.* 4. & Gaſpar Hurtado *diſput.* 7. *difficultate* 4. 4

Probari poteſt *primò*, quia ſuppoſita inſtitutione Confeſſionis in Sacramentum, Confeſſio eſt maximè conueniens Reipublicæ Chriſtianæ, & ſuo fructu, & ſua maxima vtilitate fit aliquo modo ſuauis & tolerabilis: ergo potuit ab Eccleſia præcipi; quia ſi non potuiſſet, maximè ob nimiam aſperitatem, & difficultatem, quæ eſſet in Confeſſione.

Secundò, Eccleſia poteſt præcipere, quòd ſuſcipiatur Sacramentum Confirmationis, vel Extremæ-Vnctionis, licèt non fuerint à Chriſto præcepta: ergo potuiſſet præcipere ſuſceptionem Sacramenti Pœnitentiæ, licet non fuiſſet à Chriſto præceptum.

Tertiò, materia præcepti Confeſſionis non ſuperaret facultatem Eccleſiæ: ergo cùm eius vſus eſſet valdè conueniens, non eſt cur Eccleſia nequeat illam præcipere. Antecedens probatur, quia ſi excederet, vel id eſſet, quia Confeſſio complectitur actum internum doloris, & verſatur circa peccata cordis, quæ ſunt mere interna: id tamen non obſtat, tum quia etiam poteſt Eccleſia indirectè præcipere actus internos, quatenus neceſſarij ſunt, vt externi qui cadunt directè ſub præceptum humanum, legitimè fiant. Tum etiam quia licèt Eccleſia præcipere poſſit ſolùm actus externos, ſimul tamẽ ius diuinũ pręcipit dolorem, & Confeſſionem peccatorum internorum, vt Confeſsio ſit integra, & non fiat iniuria Sacramento,

Vnde cùm Chriſtus, etſi ſupponatur non imperare Confeſſionem, prohiberet tamen fieri aliter quàm integrè, conſequens eſt, vt Eccleſia directè imperans Confeſſionem peccatorum exteriorum, ad eámque obligans, indirectè quoque ac conſequenter, ſuppoſita illa Chriſti prohibitione, ad interiorum, ſi quæ illis exterioribus iuncta eſſent, Confeſſionem obligaret. Præterea nec obſtare poteſt difficultas Confeſſionis Sacramentalis; nam hæc compenſatur fructu magno, qui ex Confeſſione percipitur; qualis eſt Gratia ex opere operato, virtus ad vincendas tentationes, conſilium, ac directio Confeſſarij. Et ſanè ſi ob rei difficultatem, non poſſet tunc præcipere Eccleſia vſum huius Sacramenti; nec poſſet nunc præcipere Confeſſionem faciendam ſingulis annis; cùm præceptum diuinum non obliget tam frequenter. Nec item obſtat, quòd Eccleſia non poſſit inſtituere Sacramenta; nam inde non ſequitur, non poſſe eorum vſum præcipere, poſtquam inſtituta ſunt: quia inſtituere eſt diſtinctum, & altius, quàm præcipere vſum eius, quod iam inſtitutum ſupponitur. Nec denique refert, quòd Eccleſia non potuiſſet præcipere Confeſſionem, ſi Chriſtus illam non inſtituiſſet: nam tunc Confeſſio non haberet vim remittendi peccata, & conferendi gratiam ex opere operato: & ideò nihil mirum, quòd præcipi non poſſet ab Eccleſia res adeò difficilis abſque vlla vtilitate; nunc verò cùm illam, & multas alias afferat vtilitates, nihil mirum quòd præcipi potuiſſet ab Eccleſia, etiamſi à Chriſto præcepta non fuiſſet.

5 Partem negantem defendunt Cardinalis Lugo *diſputatione* 15. *ſectione* 6. *num.* 91. Coninck *diſp.* 5. *dubio* 3. & Alij. *Primò*, quia Confeſſio integra eſt in pluribus caſibus valdè difficilis multis, itavt plurimi eam horreant tanquam mortem, & mallent ferè mori, quàm quædam peccata confiteri, atque vix vlla arte, ac timore inferni propoſito poſſunt ad Confeſſionem induci, & inter confitendum ſentiunt tales anguſtias, quales experiuntur capitis ſupplicio damnati. At, niſi ſit maxima quædam, ac fere extrema neceſſitas, non poteſt humana poteſtas rem adeò difficilem præcipere: ergo cùm eo caſu non eſſet hîc talis neceſſitas, cùm tunc non eſſet ſimpliciter neceſſaria ad ſalutem, non poſſet Eccleſia eam Confeſſionem præcipere.

Secundò, plurimi Doctores ideò probant, Confeſſionem de facto eſſe iure diuino præceptam; quia aliàs videtur incredibile omnes fideles etiam Reges, & Imperatores paſſuros fuiſſe tam difficile præceptum ſibi ab Eccleſia imponi: quod argumentum eſſet nullum, ſi Eccleſia habuiſſet verum ius eam præcipiendi.

Tertiò, tametſi ſit magna ſtatus religioſi vtilitas, & magnopere ad ſalutem conducat, adhuc tamen Eccleſia non poteſt illum præcipere: ergo licèt tunc etiam eſſet magna vtilitas Confeſsionis, propter maximam difficultatem, quam ſecum affert, non poterit ab Eccleſia præcipi.

6 Propendeo magis in hanc ſecundam partem negantem propter rationes, dictas, præſertim propter primam & tertiam. Quam magis firmo communiſsima Doctorum doctrina, dicentium ex Iſidoro *lib.* 5. *etymolog. cap.* 2. de ratione legis humanæ eſſe, quòd ſit poſsibilis ſecundùm naturam, id eſt conſiderata fragilitate, & conditione naturæ. Vnde hac de cauſa lex canonica non præcipit omnibus feſtis communicare, quia eſſet id valdè difficile, nimis durum & graue, ac oneroſum, & tale communiter à populo, ſeu Republica iudicaretur: neque etiam id poſſet dignè fieri ab omnibus, ſecundùm conditionem, ac fragilitatem naturæ. Idem ergo dicendum videtur de Confeſsione exacta omnium peccatorum mortalium, ſi à Chriſto non fuiſſet præcepta. Vnde maximè notanda eſt differentia magna quæ eſt inter Deum, & hominem: nam Deus aliqua poteſt præcipere impoſsibilia naturæ, vt Abrahæ ſacrificium filij, v. g. quia poteſt Deus illa facere poſsibilia per gratiam, quam non negat, quantum in ſe eſt, quatenus ad præceptorum obligationem neceſſaria eſt; & ideò ſemper eſt præceptum Dei de re poſsibili. At homines nequeunt dare vires ad præcepta implenda, & ideò illas ſupponere neceſſariò debent, vel ex natura, vel ex gratia, iuxta præcepti conditionem, conſiderata quoque fragilitate, & conditione naturæ.

Hinc conſtat ſolutio ad argumenta alterius partis aſfirmatiuæ. Nam ad primum iam liquet non potuiſſe ab Eccleſia præcipi dictam Confeſsionem propter maximam illius difficultatem, quæ videtur excedere poteſtatem Eccleſiæ ad præceptum vniuerſale ferendum de re, ad quam Chriſtus noluiſſet obligare homines, & quæ ipſis non eſſet tunc ſimpliciter neceſſaria ad ſalutem, nec medium neceſſarium ad illam: nec ad id ſufficeret magna Confeſsionis vtilitas, quia magna etiam eſt vtilitas ſtatus religioſi, & virginitatis, & tamen illum Eccleſia non poteſt præcipere. 7

Ad ſecundum, conceſſo Antecedente, negatur Conſequentia, ob maiorem difficultatem iam explicatam Sacramenti Pœnitentiæ.

Ad tertium ſimiliter dico, quòd illud Confeſsionis præceptum excederet facultatem Eccleſiæ, non propter alias rationes, niſi ſolùm propter grauiſsimam illius difficultatem. Neque obſtat quòd Eccleſia de facto præceperit Confeſsionem annuam; atque adeò vt ſæpius confiteamur, quàm iure diuino teneamur: quia determinatio temporis circa Confeſsionem ab *Eccleſia* facta eſt iam aliquo modo neceſſaria, vt *præceptum diuinum* obſeruetur; quia niſi illa eſſet poſita, multi ſæpe nunquam confiterentur. Præterea, ac præcipuè, quia poſito quòd aliquando teneamur omnia peccata mortalia confiteri; quòd hoc paulò citius vel ſerius fiat, non eſt adeò graue onus, cùm ſolùm verſetur circa circumſtantiam temporis, & non circa ſubſtantiam illius oneris: nam difficultas præcipuè conſiſtit in eo quòd aliquando teneamur confiteri omnia peccata, non autem quòd id fiat hoc vel illo tempore.

DISPVTATIO XXIV.

De præcepto Eccleſiaſtico annuæ Confeſsionis.

CVM conſtet ex *præcedenti diſputatione, ſectione tertia*, præceptum diuinum Confeſsionis fuiſſe traditum non tantùm pro articulo mortis, ſed etiam pro tempore extra eum articulum, vagè tamen, ac indeterminatè; & ad Eccleſiæ prouidentiam pertinuerit tale tempus determinare, vt reuera determinauit lege, ac præcepto ab ipſa lato, de Confeſsione ſingulis annis facienda; congruum eſt, vt de huiuſmodi præcepto in hac diſputatione agamus, & videamus quando, & quomodo obliget omnes Chriſti fideles.

SECTIO

SECTIO PRIMA.

An Eccleſia poſſit præcipere annuam Confeſsionem Sacramentalem?

1 COmmuniter tribuitur Durando *in 4. d. 17. quæſt. 4.* ſenſiſſe, vel ſaltem dubitaſſe, an Eccleſia potuerit ſua auctoritate, ſicut res alias, præcipere annuam Confeſſionem. Fundamentum eſſe poteſt, quia nullus Superior poteſt condere legem, cuius tranſgreſſionem nequit cognoſcere, nec punire, vt per ſe notum eſt. At Eccleſia non poteſt cognoſcere tranſgreſſionem legis præcipientis Confeſſionem, atque adeò nec punire. Patet, quia ſi aliquis commiſit multa peccata mortalia mere interna, & nullum externum, & non confiteatur intra tempus ab Eccleſia ſtatutum; & Prælatus eum interroget, cur non confiteatur; ipſéque reſpondeat, legem Confeſſionis ſolùm obligare eos qui mortaliter peccauerunt, ſe autem non peccauiſſe mortaliter, ideóque non confiteri, quomodo Prælatus Eccleſiæ poterit cognoſcere, vtrùm dicat verum vel falſum? Prætereà, ſola narratio peccatorum non eſt Confeſſio, ſed vt ſignum eſt doloris interni: at Eccleſia licèt poſſit cognoſcere externam narrationem peccatorum, non tamen poteſt cognoſcere, an ſit ſignum doloris interni, vel non; ergo non poteſt cognoſcere, an illa externa narratio peccatorum ſit narratio purè hiſtorica, an verò Sacramentalis Confeſſio: ergo neque poteſt eam præcipere quatenus talem. Firmatur idem; nam licèt verum ſit, quòd quando homo habet peccata quædã merè interna, & alia externa, obligetur indirectè per Eccleſiæ præceptũ, ad confitenda interna, eo ipſo quòd directè obligatur ad externa; ſi tamen homo ſolùm habeat aliqua mortalia purè interna, non poterit Eccleſia obligare ipſum ad confitẽda illa: non enim poterit directè, vt per ſe liquet; neque etiam indirectè, quia nullum habet mortale externum, cuius Confeſſione directè præcepta maneat indirectè præcepta Confeſſio peccatorum internorum.

2 Dico cum omnium ſententia, certum eſſe, nec poſſe negari, poſita inſtitutione Sacramenti Pœnitentiæ, eiúſque neceſſitate iure diuino inducta, Eccleſiam poteſtate ordinaria potuiſſe præcipere annuam Confeſsionẽ.

Probo id *primò*, quia Confeſſio eſt vtiliſsimum medium, vt peccata in poſterum vitentur, & vita rectè, & digna Chriſtiano homine inſtituatur, itavt per eam plurimi à peccatis ad honeſtam vitam reuocentur, qui aliàs totam vitam in grauiſsimis ſceleribus conſumerent; cùmque homines, vt experientia docet, per ſe ſint negligentes in illius frequentatione, debuit Eccleſia ex officio certum tempus determinare ei ſuſcipiendæ, quod ad prædictos fines, provt commodè fieri poterat, obtinendos iudicabat eſſe neceſſarium. Cùm enim iſtorum aſſecutio, & omnibus in particulari vtiliſsima, & toti Cõmunitati ſit quodammodò neceſſaria, Eccleſia tenetur ex officio, eam per media moraliter ad illam neceſſaria procurare: talis autem eſt præſcriptio, ſeu determinatio illius temporis: ergo ipſa fuit ad hoc præcipiendum obligata.

Secundò, Chriſtus Dominus inducendo neceſsitatem Confeſsionis, conſtituit Paſtores Eccleſiæ ordinarios, ac neceſſarios Iudices omnium peccatorum mortalium, obligando omnes peccatores, vt omnia ſua peccata illorum iudicio ſubiicerent; ergo conſequenter dedit poteſtatem Eccleſiæ, vt eos poſſet ad ſuum tribunal cogere, & obligare, vt omnia peccata etiam interna certo tempore confiterentur, quatenus hoc eſt neceſſarium ad abſolutionem. Neque exiſtimo, Durandum hoc voluiſſe negare, ſed ſolùm aſſerere, quòd ſi Chriſtus inſtituiſſet Confeſsionem liberam; ita vt liberũ fuiſſet cuius eam efficere, futurum, vt Eccleſia nõ poſſet omnibus præcipere Confeſsionẽ, quod vt verum oſtendi *præcedenti diſputatione ſect. vltima, n. 5. & 6.* Vnde conſultò dixi in Concluſione eam procedere, poſita inſtitutione Sacramenti Pœnitentiæ, eiúſque neceſsitate iure diuino introducta; quia aliter non potuiſſet Eccleſia illam præcipere propter illius maximam difficultatem.

Tertiò, tametſi peccata fuerint interna, Confeſſio tamen eſt actus externus: ergo ex hoc capite eam præcipere Eccleſiam, non excedit poteſtatem Eccleſiæ; iam enim eſt aliquid pertinens ad viſibilem, & externam gubernationem Eccleſiæ, ad quam extenditur eius poteſtas Legiſlatiua; hæc enim per ſe primò ordinatur ad externum, & commune Eccleſiæ regimen, vt in ea omnia conuenienter, & ordinatè fiant.

Vltimò, lex Eccleſiæ canonica poteſt concomitanter præcipere actum internum ſimul cùm externo, quando ille eſt neceſſarius ad eſſe morale externi actus quod præcipitur; quia ad rectam Eccleſiæ gubernationem neceſſaria eſt illi poteſtas ad præcipiendum vſum & exercitium actus externi, ſecundùm illud eſſe morale, quod accipit ab actu interno; at non poteſt ita præcipi, quin præcipiatur actus internus, ſine quo illud eſſe morale conſiſtere non poteſt: ergo illo modo præcipi poteſt, ſiue per actus externos ſufficienter manifeſtetur, ſiue non; quia vt præcipiatur, ſatis eſt illa neceſſaria connexio, quia non præcipitur per ſe, ſed cõpræcipitur; neque enim aliter poſſet præcipi efficaciter talis actus externus. Sic ad verè contrahendum per exteriora verba neceſſarius eſt internus conſenſus, licèt per exteriora verba contractûs non euidenter appareat talis conſenſus, quia non eſt neceſſarius ad ſubſtantiam verborum; & tamen Eccleſia, imò & Reſpublica poteſt ſubditis ſuis præcipere in multis caſibus, vt verè contrahant, & pro illis poſſet leges ferre: ergo ex vi talis præcepti Eccleſiaſtici, obligatur homo ad contrahendum cum vero conſenſu; aliàs inutilis eſſet talis lex. Sic etiam Eccleſia præcipit omnibus recipientibus Sacrum Ordinem, vt Caſtitatem voueant, quod facere non poſſunt ſine interna intentione vouendi, aut ſe obligandi ad Caſtitatem, quæ per exteriorem Ordinationem non innoteſcit. Similiter ergo poteſt Eccleſia præcipere Confeſsionem annuam externam peccatorum etiam merè internorum, quia licèt peccatum omiſſum in Confeſsione ſit internum, tamen omiſsio ipſa eſt de actu externo, eſt enim omiſſio partialis Confeſsionis exterioris; poteſt autem Eccleſia præcipere illum actum externum, etiamſi materia eius remota ſit actus merè internus; nam licèt hoc excedat poteſtatem humanam in ordine ad forum externum, non tamen excedit poteſtatem Eccleſiaſticam in ordine ad forum internum, & ſalutem animæ. Poteſt quoque Eccleſia præcipere Confeſsionem cum neceſſario dolore, etſi interno; quia Eccleſia præcipit ita confiteri, vt poſſit quis abſolui, & Sacramentum Pœnitentiæ ſemel recipere in anno, quod Chriſtus ſimpliciter præcepit aliquando recipere. Quare ſicut cùm Eccleſia præcipit auditionem Sacri liberam, ſimul præcipit cum illa actione materiali externa voluntatem audiendi Sacrum, quia illa actio eſt honeſta, & expediens communi bono Reipublicæ, & non poteſt humano modo præcipi, non præceptâ voluntate; ita ſimiliter cùm præcipitur ab Eccleſia contractus Matrimonij, votum Caſtitatis, Confeſſio peccatorum, & ſimilia, cùm iſti actus ſint neceſſarij Communitati humanæ ſecundùm ſuas proprias rationes morales vt ſint Sacramentum, contractus, votum, vel aliquid ſimile,

& ſecundùm illas nequeant ſubſiſtere ſine internis actibus; ideò hi etiam compræcipi poſſunt ab Eccleſia.

3 Ex his facilè diſſoluitur argumentum contrarium ſuprà adductum *numero primo*, nempe Eccleſiam poſſe etiam præcipere Confeſſionem peccatorũ internorum, quia præcipit integram Confeſſionem externam peccatorum, quatenus id neceſſarium eſt ad abſolutionem, & obligat Eccleſia ad expectandam abſolutionem Sacramentalem, vnde conſequenter obligat ad Confeſſionem integram omnium peccatorum etiam internorum, & ad habendum de illis dolorem, vt ſit Confeſſio, non nuda, & hiſtorica narratio, ſed verè Sacramentalis. Vnde infero, poſſe peccari grauiter contra Legem Eccleſiaſticam, ex defectu aliquo interiori, etiamſi in exteriori actione non appareat, nec cognoſcatur defectus; quia Eccleſia præcipit illum actum externum, non tantùm, vt talis eſt materialiter, & phyſicè, ſed etiam vt eſt talis moraliter, vnde vt *infrà* dicemus, tranſgreditur præceptum annuæ Confeſſionis qui in Quadrageſima ita confitetur exteriùs, vt Sacramentum Pœnitentiæ non percipiat, etiamſi hoc tantùm contingat ex ſolo defectu interiori. Quare abſolutè falſa eſt illa propoſitio argumenti: Nullus Superior poteſt condere legem, cuius tranſgreſſionem nequit cognoſcere; nam lata eſt ab Eccleſia grauis cenſura contra Hæreticos interius deſerentes fidem, tametſi iſte defectus internus non appareat; ſicut è contra, qui ex timore humano hæreſim exteriùs profitetur, interiùs fidem ſeruans, non incurrit cenſuras contra Hæreticos latas. Non igitur neceſſe eſt, vt Eccleſia poſſit cognoſcere, an verè id quod ab ipſa præcipitur, verè fiat, vel ſolùm ſimulatoriè: nam alioqui non poſſet Eccleſiâ pręcipere alicui Sacerdoti vt faciat Sacrum; neque alicui vt contrahat Matrimonium, quia nequit dignoſcere an vere id faciant; quod abſurdum eſt. Quare licèt ea cognitio conſenſus interni neceſſaria ſit in ordine ad forum externum, non tamen in ordine ad ſalutem animę, & internum forum; & pœna impoſita talis eſt, vt ſine ſtrepitu exterioris iudicij, poſſit in conſcientia incurri ex vi ipſius Legis, ideóque ſatis eſt, quòd illa peculiaris malitia actus interioris, & reſpectus actus exterioris ad illum interiorem, poſſit eſſe in conſcientia notus ipſi delinquenti.

SECTIO II.

An, & quale ſit præceptum de facto impoſitum annuæ Confeſſionis?

1 NOn deſunt qui dicant de facto eſſe præceptum annuę Confeſſionis, non per ſe, ſeu ratione ſui, ſed per accidens, nempe ratione Euchariſtię; quia videlicet eſt Eccleſiæ pręceptum vt ſingulis annis ſumatur Euchariſtia, & ipſa Euchariſtia ſumi licitè nequit ab eo, qui mortaliter peccauit, niſi Confeſſione præmiſſa.

2 Adrianus verò *in 4. queſt. 1. de Confeſſione*, dixit dictum præceptum annuę Confeſſionis eſſe purè humanum quoad ſubſtantiam, & quoad tempus, & non modificatiuum præcepti diuini, quia exiſtimat diuinum tantùm obligare pro articulo mortis tam phyſico, quàm morali.

3 Dico *primò*, dari de facto pręceptum Eccleſiaſticum confitendi ſemel ſingulis annis. Patet id manifeſtè ex Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. *in cap. omnis vtriuſque ſexus, de Pœnitentiis, & remiſſionibus*, vbi ſic habetur; *Omnis vtriuſq; ſexus fidelis, poſtquã ad annos diſcretionis peruenerit, omnia ſua peccata, ſaltem ſemel in anno fideliter cõfiteatur proprio Sacerdoti; alioquin & viuens ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur, & moriens Chriſtiana careat ſepultura.* Subditque: *Vnde hoc ſalutare ſtatutum frequenter in Eccleſia publicetur*, &c. Quibus verbis, meritò Doctores intellexerunt Confeſſionem annuam ibi pręcipi: Et quòd ibi feratur Confeſſionis verum præceptum, patet, tum ex pœnis in omittentes illam ibi decretis; tum quia expreſse dicitur ſtatutum; tum denique quia hoc apertè docet Tridentinum *ſeſſ. 14. c. 5. ſub finem*, & *can. 8.* Præcipuè attendenda ſunt ad illa verba dicti Canonis anathematizãtis eum, qui dixerit ad Confeſſionem non teneri omnes, & ſingulos vtriuſque ſexus, Chriſti fideles; iuxta magni Concilij Lateranenſis conſtitutionem, ſemel in anno. Quo, quid clarius ad declarandum præſcriptam annualem Confeſſionem, non eſſe conſilium, ſed præceptum, cùm decernat Tridentinum teneri ad illam omnes iuxta Concilij Lateranenſis conſtitutionem?

Dico *ſecundò*, hoc præceptum annuæ Confeſſionis obligare per ſe ad Confeſſionem, & non tantùm per accidens, ratione Euchariſtiæ ſemel in anno ſumendæ. Conſtat id manifeſte ex eodem capite iuxta Lateranenſis Concilij conſtitutionem: Vbi licèt præcipiatur etiam annua Communio, nullo tamen modo ibi ſignificatur, ex his duobus præceptis vnum obliget ſolùm ratione alterius; nam eadem ratione ibi Confeſſio, & Communio præcipiuntur, atque ideò quodlibet per ſe obligat. Firmatur id de Confeſſionis annuæ præcepto, ex Tridentino citato *cap. 5. & canone 8.* vbi abſolutè definit, nulla facta Euchariſtiæ mentione, obligationem eſſe Confeſſionis ſemel in anno faciendæ: & *dicto capit. 5.* ſubditur præceptum Confeſſionis ab omnibus, & ſingulis eſſe implendum, ſaltem ſemel in anno, cùm ad annos diſcretionis peruenerint. Quibus verbis ſatis manifeſtè oſtendit, obligari fideles ad Confeſſionem, non ſolùm eos, qui ſumpturi ſunt Euchariſtiam, ſed etiam omnes qui ad annos diſcretionis peruenerint; atque adeò eos quoque, qui vel ad Euchariſtiam ſumendam non obligantur, vel eam ſumere ex accidenti aliquo non poſſunt. 4

Denique nihil magis vulgare, quàm eſſe quinque Eccleſiæ præcepta, ex quibus duo ſpecialia ſunt Confeſſionis, & Communionis. Quod vſus ipſe demonſtrat, quia non ſolùm conſtringuntur confiteri Euchariſtiam ſumpturi, ſed etiam alij diſcretione pollentes, qui vel ratione ætatis, vel ratione alterius impedimenti rectè communicare non poſſunt.

Dico *tertiò*, præceptum iſtud annuæ Confeſſionis, non eſſe purè diuinum, ſed ex parte ſaltem Eccleſiaſticum eſſe. Ita communiter Doctores, & cum illis Vaſquez *qu. 90. art. 1. dub. 4. num. 21. Suarez diſp. 36. ſect. 1. num. 5.* & alij. Probatur primum, nempe non eſſe purè diuinum: Tum quia obligat determinatè etiã extra mortis articulum, vt patet; diuinum autem Confeſſionis præceptum in articulo quidem mortis determinatè obligat; at extra hunc articulum, etſi obliget, nullo tamen certo, ac determinato tempore, vt docuimus *diſp. præcedenti*, ac proinde non obligat determinatè ſemel in anno. Tum quia diuinum aliud de Confeſione pręceptum non habemus, quàm quod tulit Chriſtus, dum Sacerdotibus poteſtatem retinendi, ac remittendi peccata conceſsit; ex hac autem licèt rectè colligatur obligatio ex diuino præcepto confitendi extra mortis articulum, colligi certè non poteſt obligatio ſemel in anno confitendi. *Secundum*, videlicet eſſe ex parte ſaltem Eccleſiaſticum, negari non poteſt, qua nimirùm parte præſcribit determi- 5

Digitized by Google

determinatè tempus, annum ſcilicet, quo ſemel Confeſſio eſt procul dubio facienda.

6 Hinc dico *quartò*, prædictum præceptum annuæ Confeſſionis non poſſe eſſe purè, ſeu totaliter Eccleſiaſticum, ea parte quâ iam dixi eſſe, ac proinde ipſum non aliud eſſe quàm modificationem, determinatio namque diuini præcepti ad Confeſſionem extra mortis articulum, obligantis vagè nullo determinato tempore, quod vt Eccleſiæ Deus determinandum reliquit, ita hæc iſto ſuo præcepto determinat. Probatur manifeſtè ex dictis ſupra *præcedenti diſputatione*; nam præceptum diuinum obligat ad Confeſſionem, non ſolùm in mortis articulo, ſed etiam extra illum vagè aliquando in vita: poteſtas autem aſſignandi tempus huius obligationis, commiſſa eſt à Chriſto, Eccleſiæ; ergo Eccleſia aſſignans hoc tempus, & præcipiens Confeſſionem ſemel in anno ſolùm, determinat obligationem præcepti diuini: nam tota ſubſtantia præcepti eſt diuini iuris, & ſola circumſtantia in quo tempore debet impleri, eſt iuris Eccleſiaſtici. Firmatur id apertè ex Trident. *ſeſſ.* 14. *citat.* c. 5. ſic dicente. *Neque enim per Lateranenſe Concilium Eccleſia ſtatuit, vt Chriſti fideles confiterentur, quod iure diuino neceſſarium, & inſtitum eſſe intellexerat, ſed, vt præceptum Confeſſionis, ſaltem ſemel in anno, ab omnibus, & ſingulis, cùm ad annos diſcretionis perueniſſent, impleretur.* His enim Tridentinum verbis *primò* apertè pronunciat, Eccleſiam per Lateranenſe Concilium, non tuliſſe præceptum abſolutè de Confeſſione facienda, ſed ſolùm effeciſſe, vt diuinum ea de re iam latum obſeruaretur ſemel ſaltem ſingulis annis, ac proinde ipſum modificaſſe tantùm, ac determinaſſe, quoad tempus certum, quod ſeruari deberet. Præterea manifeſtum eſt, non loqui Tridentinum de præcepto diuino ad Confeſſionem in articulo mortis obligante, quod ſingulis annis Eccleſia obſeruari præcepit: Tum quia non potuit hoc Eccleſia præcipere omnibus, & ſingulis Chriſti fidelibus, cùm hi omnes, & ſinguli non verſentur ſingulis annis in mortis articulo: Tum quia, cùm ſæpiùs vno in anno articulus mortis poſſit alicui fidelium contingere, ſi is ſemel in anno in eo poſitus confeſſus eſſet, non obligaretur iterùm eodem anno confiteri, ſi rurſum peccaret mortaliter, & iterùm in articulum mortis incideret, quod falſum eſſe manifeſtè conſtat. Igitur loquitur manifeſtè Tridentinum de diuino præcepto ad Confeſſionem extra mortis articulum obligante, quod obſeruari ſemel ſaltem ſingulis annis Eccleſia per Lateranenſe Concilium præcepit, & ſic illud præcepto ſuo modificauit quoad tempus, ac determinauit. Ex quo patet obiter verum eſſe, quod *ſuperiori diſputatione ſect.* 1. docuimus, nempe diuinum Confeſſionis præceptum obligare extra etiam mortis articulum.

7 Ex dictis colligo *primò*, cauſam prædicti præcepti Eccleſiaſtici de annua Confeſſione, fuiſſe præceptum illud diuinum ad eam vagè extra mortis articulum obligans, cùm ex vi iſtius præcepti diuini Eccleſia intellexerit voluntatem Chriſti eſſe, vt Confeſſionis vſus ſatis frequens eſſet inter fideles, ac ſatis frequentem fore iudicauit, ſi ſinguli ſemel ſaltem in anno confiteantur, & vt ita frequens ſit, id præcipit. Quare dicendum nullo modo eſt, cauſam illius præcepti eccleſiaſtici diuinum determinantis ad annuam Confeſſionem, eſſe periculum obliuionis peccatorum: quia ſi cauſa illa fuiſſet, videretur imprudenter Eccleſia diuinum Confeſſionis præceptũ ad anni ſpatium determinaſſe: cùm vix fieri poſſit, quin quamplurimi ſemel tantùm in anno confitentes, multorum peccatorum, cogitationis præſertim obliuiſcantur, quantumuis præmiſſo diligenti ante tempus faciendæ Confeſſionis conſcientiæ examine.

8 Colligo *ſecundò*, prædicto Confeſſionis annuæ præcepto æque directè præcipi Confeſſionem peccatorum merè internorum, atque externorum, cum Eccleſia hoc ſuo præcepto modificet tantùm, ac determinet quoad tempus diuinum de peccatorum Confeſſione præceptum, quod æqualiter, & æquè directè peccata omnia mortalia comprehendit, tam interna, quàm externa: quia Deus æqualem, & æquè directam habet in creaturæ rationalis actus ſiue internos, ſiue externos poteſtatem. Vnde qui non alia peccata mortalia haberet quàm purè interna nihilominus ad Confeſſionem annuam obligaretur; quod tamen non eueniret, ſi præceptum Confeſſionis annuæ eſſet purè, ac totaliter Eccleſiaſticum, nec proinde modificans, & determinans diuinum de ea præceptum.

Colligo *tertiò*, Eccleſiam non potuiſſe præcipere Confeſſionem aliter, quàm modificando, ac determinando diuinum aliquod de ea facienda præceptum: loquor de Confeſſione exacta omnium peccatorum: cuius ratio eſt maxima prædictæ Confeſſionis difficultas, nec poteſt humana poteſtas rem adeò difficilem præcipere, vt latè oſtendimus ſuprà *diſputatione præcedenti*, *ſect. vltima*, *n.* 5. & 6. 9

Colligo *quartò*, præceptum Confeſſionis, quatenus præcisè ſtatuit, vt Confeſſionem omnium peccatorum mortalium, quam iure diuino aliquando facere tenemur, faciamus ſingulis annis, eſſe merè humanum, & Eccleſiaſticum. Quia Eccleſia ex officio debuit certum tempus Confeſſioni faciendæ præſcribere, propter magnam illius vtilitatem, ac toti Communitati illius quodammodo neceſſitatem; & ideò ex officio tale tempus præſcripſit, & fuit obligata tale præceptum inducere. 10

Colligo *quintò*, hoc præceptum Confeſsionis quatenus humanum, & Eccleſiaſticum eſt, poſſe mutari, & abrogari, vel in eo diſpenſari à Pontifice, ſaltem validè: Ita communis ſententia. Et ratio eſt, quia præceptum humanum ſemper pendet in conſeruari à voluntate Legiſlatoris, vel ſucceſſoris eius, habentis æqualem poteſtatem, qualem habet ſummus Pontifex. Vnde poſſet obligare fideles ad frequentiùs confitendum, vel indulgere illis, vt non confiteantur ſemel in anno, ſed tantùm ſemel in biennio, vel triennio. Poſſet etiam abrogare omninò præceptum Eccleſiaſticum determinans diuinum, itavt ſolùm maneret diuinum obligans etiam extra articulum mortis, iuxta prudentis arbitrium. Poſſet etiam diſpenſare in hoc præcepto cum aliqua particulari perſona, vel cum aliqua Prouincia. Dixi *ſaltem validè*; quia vt licitè fiat mutatio, abrogatio, vel diſpenſatio, debet interuenire iuſta cauſa: hæc enim poteſtas collata eſt in ædificationem, & non in deſtructionem. Iuſta autem cauſa contingere poſſet contrahendi tempus obligationis confitendi, vel prorogandi illud: & faciliùs fortaſſe inueniri poſſet cauſa iuſta ad contrahendum prædictum tempus, quàm ad prorogandum. At non video, quænam cauſa iuſta excogitari poſſit ad abrogandum omninò præceptum illud, præſertim cùm Pontifex teneatur determinare tempus, in quo adimpleri debet præceptum diuinum confitendi; & ideò Eccleſia fuerit obligata illud præceptum inducere. Adde non poſſe facilè inueniri cauſam iuſtam diſpenſandi in prædicto præcepto cum aliqua particulari perſona, vt rectè expendit Vaſquez *quaſt.* 90. *artic.* 1. *dub.* 5. *num.* 11. 11

Colligo *vltimò*, ſummum Pontificem teneri prædicto præcepto annuæ Confeſsionis, ſed non incurrere pœnam ſtatutam ob tranſgreſsionem illius. Ratio eſt, quia certum eſt apud omnes, in tractatu de Legibus, omnem Legiſlatorem ſua lege teneri quoad vim directiuam, id eſt tenetur ſub peccato obſeruare 12

 legem,

legem,quam tulit, vt conſonet ipſe cum toto corpore; nec ſe poſſe eximere ab eius obligatione niſi rationabili de cauſa, ſicut cum aliis diſpenſat: ergo Pontifex tenebitur lege illa annuæ Confeſſionis, non vero incurrere pœnam ſtatutam ab ea lege ob tranſgreſſionem illius; quia legiſlator non ſubditur legi quoad vim coactiuam.

SECTIO III.

An, & quale ſit præceptum confitendi impoſitum Sacerdoti à Concilio Tridentino?

1 OCcaſione præcepti Eccleſiaſtici annuæ Confeſſionis,de quo egi *præcedenti ſectione*, viſum eſt mihi exponere duo alia Eccleſiaſtica præcepta quæ ſunt in iure, per ſe obligantia ad Confeſſionem extra mortis articulum certo aliquo tempore faciendam. Vnum eſt Concilij Trident. *ſeſſ.* 13.*c.*7. quo præcipitur Sacerdotibus, qui conſcientiam habentes peccati mortalis, vrgente neceſſitate, non præmiſſa Sacramentali Confeſſione, ſed ſola Contritione, eo quòd Confeſſarij copiam non haberent, celebrauerint, vt poſtea quãprimùm confiteantur. Alterum Clementis V. ſummi Pontificis auctoritate conſtitutum, quod habetur in Clementina, *Ne in agro dominico* §. *Sanè, de ſtatu Monachorum*, eòque præcipitur S. Benedicti monachis, vt ſingulis menſibus ſemel ſaltem confiteantur. De priori dicam *in hac ſectione*: de poſteriori, *in ſequenti*.

De priori itaque, hæc verba proponit Tridentinum loco citato; *Nullus ſibi conſcius peccati mortalis, quantumuis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa Sacramentali Confeſſione ad ſacram Euchariſtiam accedere debeat: quod à Chriſtianis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc ſancta Synodus perpetuò ſeruandum eſſe decreuit, modò non deſit illis copia Confeſſoris; quòd ſi, neceſſitate vrgente, Sacerdos abſque præuia Confeſſione celebrauerit, quamprimùm confiteatur.* Hæc Tridentinum: Quo præmiſſo;

2 Dico *primò*, hoc præceptum obligare per ſe ad Confeſſionem. Patet quia non obligat ratione præcepti vetantis Euchariſtiam ſumi indignè,ac proinde non præmiſſa Confeſſione ab eo, qui conſcientiam habet peccati mortalis; quia obligat Sacerdotem ad ſtatim confitendum poſt celebratum Sacrum, tametſi poſtea celebraturus non ſit;ergo obligari non poteſt ad Confeſſionem ratione prædicti præcepti vetantis indignè Euchariſtiam ſumi: alioqui omiſſio eſſet peccatum commiſſionis in huius Sacramenti indigna ſumptione conſiſtens;quale tamen eſſe non poteſt,cùm vrgente neceſſitate cum præuia Cõtritione celebrans dignè illud ſumpſerit,poſteà verò non ſit indignè celebrando ſumpturus,cùm non ſit poſtea celebraturus,vt ſupponitur. Vnde fit,quòd ſi poſtea, non præmiſſa Confeſſione, cùm præmittere poſſet,celebraret,duplex peccatum committeret, vnum omiſſionis, contra præceptũ affirmatiuum ad Confeſſionem obligans ſtatim poſt præcedens ſacrum factum; & alterum commiſsionis,contra præceptum negatiuum vetans indignè ſum Euchariſtiam, Sacrùmque proinde celebrari non præmiſſa Confeſsione, ab eo Sacerdote, qui ſibi peccati mortalis conſcius eſt.

3 Dico *ſecundò*, prædictum Tridentini præceptum non eſſe pure Eccleſiaſticum, ſed eſſe tantum modificationem,ac determinationem diuini præcepei ad Confeſsionem, per ſe obligantis extra mortis articulum. Ratio eſt, quia nequit eſſe purè Eccleſiaſticum. Tum quia Eccleſia cùm non poſsit directè imperare Confeſsionem peccatorum purè internorum, Sacerdos ille, qui cum vnico peccato mortali pure interno celebraſſet,vrgente neceſsitate, non præmiſſa Confeſſione defectu Confeſſarij, non teneretur hoc vnicum peccatum ſuum ſtatim poſt celebrationem confiteri, quod omnium conſenſu falſum eſt. Tum maximè, quia vt conſtat ex *diſput. præcedenti ſect. vltima*, Eccleſia non poteſt præcipere Confeſsionem quoad ſubſtantiam omnibus fidelibus, quia excedit illius facultatem,ſed ſolùm eam modificare,ac certo tempore determinare. Quare eiuſmodi præceptum eſt ex parte diuinũ, & ex parte humanum. Nec refert,quòd iſtud præceptum ſolos Sacerdotes obliget: nam ſicut poteſt Eccleſia iuſtas ob cauſas diuinum præceptum generale & commune omnibus modificare,vt fecit in Confeſsione annua;ita poteſt ſimiliter præceptum diuinum Confeſsionis in prædicto caſu determinare pro certis quibuſdam perſonis,aliter quàm pro aliis.

Dico *tertiò*, eo præcepto confitendi quamprimùm 4 non obligari Laicos, nec Sacerdotes Laicorũ more cõmunicantes. Ita communiter Doctores,quia Concilium ſolùm loquitur de Sacerdote celebrante; & in præceptis odioſis non debet fieri extenſio propter rationis paritatem. Et reuera non eſt æqualis ratio; maius enim erat periculum in Sacerdotibus, qui ratione officij ſæpius habent illam neceſsitatem celebrandi abſq; Confeſsione, quia non eſt alius Sacerdos in illo oppido; Laicus verò rarò habet talem neceſsitatem;præſertim cùm regulariter poſsit confiteri illi Sacerdoti, à quo Communionem eſt accepturus. De Sacerdote verò celebrante in die Paraſceues, exiſtimo eo præcepto comprehendi; quia licèt Sacerdos illa die non dicat propriè Miſſam; dicitur tamẽ ſimpliciter celebrare, vt paſsim habetur in Rubricis illius diei in Miſſali Romano; non enim communicat Communione laica,ſed Sacerdotali. Idem dico, quando deficiente Sacerdote, poſt Conſecrationem aſſumitur alius Sacerdos ad complendum illud Sacrificium; nam tunc etiam dicitur verè celebrare, & non accipere Communionem more laicorum.

Dico *quartò*, eo præcepto non obligari eos Sacer- 5 dotes,qui ſine neceſsitate celebrant non præmiſsâ Confeſsione, Confeſſarij copiam ſiue habentes, ſiue non habentes;nec eos qui neceſsitate quidem vrgente,celebrant ſine præuia Confeſsione,& non defectu Confeſſarij,cui confiteri tunc poſſunt,ſed ſponte,neglectâ Cõfeſsionis opportunitate; neque etiam eos qui peccati mortalis,in quo celebrauerunt,memoriam nonniſi poſt celebrationem habuerunt; nec deniq; eos qui inter celebrandum ante Communionem eius recordati ſunt. Ratio eſt,tum deſumpta ex Miſſali Romano *capite, de defectibus animæ*, in quo de his ipſis Sacerdotibus agitur;& tantùm ſtatuitur,vt ante Cõmunionem conterãtur. Cùm verò agitur de illis,qui antequã in neceſsitate celebrent,conſcij ſibi ſunt peccati mortalis,nec tũc habent copiam Confeſſarij, cui confiteantur,iſtis non ſolùm præſcribitur vt conterantur,ſed etiam vt quamprimùm poſteà confiteantur. Tum quia Tridentinum ideò permotum eſt, vt illud præceptum ferret, ne videlicet Sacerdotes in eodem oppido Confeſſarium non habentes, negligentiores fierent in eo quærendo, prætextu neceſsitatis celebrandi coram populo, quæ ratio locum tantùm habet vt conſtat, quando ante inchoatum Sacrum recurrit peccati memoria; quia tunc quærendus eſt Confeſſarius; non verò poſtquam inchoatum eſt, quia tunc quæri ſine ſcandalo, & infamiæ nota non poteſt.

Quæres,quid intelligatur in verbis Conc. per illud, 6 *quãprimùm*;quæ nimirùm,& qualis dilatio Cõfeſsionis

poſt

Digitized by Google

poſt Miſſam ſit materia ſufficiens ad peccandum grauiter contra iſtud præceptum? Breuiter dico quatuor.

Primum eſt, obſeruandam eſſe intentionem Concilij in hac lege, quæ fuit, Sacerdotum conſcientiæ, & puritati conſulere, qui propter neceſſitatem celebrandi, faciliùs poſſent Confeſſionis remedium negligere; ideo voluit prouidere ita permittendo in caſu veræ neceſſitatis celebrare cum Contritione, vt maneret obligatio confitendi data occaſione, vt tollatur periculum ſæpiùs celebrandi abſque Confeſſione.

Secundum, illam particulam, *quamprimùm*, idem eſſe ac datâ primâ opportunitate, ſeu vt explicatur in regulis Miſſalis Romani, cùm primùm poterit. Vnde poteſt obligare hoc præceptum ſub mortali ad confitendum eodem die, quando ſcilicet hodie habet Confeſſarium, & non eſt certum, an cras illum ſit habiturus, cùm tamen inſtet eadem neceſſitas celebrandi cras: tunc enim etiamſi tertia die habiturus ſit certò Confeſſarium, debet hodie confiteri; quia dilatio illa licèt ſit parua quoad tempus, eſt magna in qualitate, cum ſit cauſa celebrandi iterum abſque Confeſſione; quod eſt directè contra finem præcepti.

Tertium, ſi dilatio non afferat hoc periculum celebrandi abſque Confeſſione, ſed ſiſtat tantùm intra terminos meræ dilationis Confeſſionis, ſi nihilominùs afferat periculum, non quidem communicandi poſtea abſque Confeſſione, ſed non confitendi per plures dies, quia videlicet nunc hodie eſt copia Confeſſarij, & poſtea non erit; in hoc euentu, dilatio hodierna eſſet peccatum graue, quia manifeſtè aduerſatur grauiter præcepto Concilij, quo præcipitur Confeſſio, cùm primùm poterit fieri, hoc eſt primâ occaſione, & opportunitate habitâ; cui præcepto grauiter obſtat, qui vult dilationem illam notabilem poſt primam occaſionem, & opportunitatem confitendi.

Quartum, & vltimum; ceſſante prædicto periculo, videtur mihi, totum hoc relinqui debere prudentis arbitrio, qui ex materia huius præcepti, & aliis circumſtantiis iudicare debet, quæ dilatio opponatur, vel non opponatur illi. Non diſplicet, quod graues Doctores dicunt, non fore dilationem grauem, quando intra triduũ Sacerdos confiteretur. Nam eodem modo præcipitur *in cap. eos qui, de ſententia excommunicationis in 6.* quòd illi, qui in articulo mortis abſoluuntur ab excommunicatione reſeruata, poſteà ſi conualuerint, debeant, cùm primùm commode poſſint, recurrere ad Superiorẽ, alioquin reincidant in cenſuram: & tamen non iudicabuntur reincidere, qui intra triduum datæ commoditatis recurrerint. Et ratio eſt in noſtro caſu, quia non videtur magis ſtrictè explicanda illa dictio, *quamprimùm*; quia non videtur illa breuis dilatio grauiter opponi fini, aut præcepto Tridentini.

SECTIO IV.

An, & quale ſit præceptum impoſitum Monachis Sancti Benedicti, vt ſingulis menſibus ſemel ſaltem confiteantur.

1 DE hoc præcepto variæ ſunt opiniones, de quibus Suarez *diſp. 36. ſect. 5. num. 7.* Nam aliqui exiſtimant, illud intelligi, ſicut præceptum annuæ Confeſſionis, nempe, vt qui habet materiam neceſſariam peccati grauis; confiteatur ſemel in menſe. Et probari poteſt, quia ibi ſit determinatio menſtrua pro illis Religioſis, ſicut facta eſt annua pro omnibus Fidelibus. Et hoc ſequitur Soto *diſ. 18. q. 1. a. 3.* ſubditque ſe neſcire, an poſſit Papa venialium Confeſſionem præcipere, ſaltem faciendo illa neceſſariam materiam Confeſſionis, ſi de iure diuino non eſt neceſſaria.

Alij dicunt, illam quidem eſſe regulam, qualem habent etiam alij Religioſi confitendi ſemel in hebdomada, non tamen eſſe præceptum ſub peccato mortali, nec poſſe ſub mortali obligare, quando non ſunt mortalia confitenda: Ita Canus *relectione de pænitentia, parte 5. §. Poſtrem.* Quod probari poteſt, *Primò*, quia cùm præcepti materia leuis eſt, obligatio ſub leui peccato eſt: at præcepti venialis peccati Confeſſionem obligantis materia leuis eſt: ergo non poteſt illius præcepti obligatio grauis eſſe. *Secundò*, quia pœna quæ imponitur in ea Clementina, in illius præcepti tranſgreſſores leuis eſt, nempe vt regulari diſciplinæ ſubiaceant. 2

Alij denique dicunt, obligare ſub peccato mortali. 3 Nec mirum quòd per accidens aliquãdo obliget ad Cõfeſſionem venialium; hoc enim non excedit poteſtatem Eccleſiæ, cùm non ſit graue onus, quòd aliquis confiteatur aliquod veniale peccatum, quod ipſe voluerit, quando non habet mortale: præſertim cùm poſſet, ſi vellet, confiteri ſolùm aliquod mortale, quod iam ſæpè confeſſus ſit, vel aliquod etiam veniale antiquum, de quo iam ſæpe doluit, & faciliùs dolet. Quodlibet enim ex his ſufficeret ad implendum hoc præceptum, ſi quod eſt, menſtruæ Confeſſionis.

Dico *primò*, prædictum præceptum obligare per ſe ad Confeſſionem menſtruam, non verò per accidens, ratione præcepti ad Communionem menſtruam pariter obligantis. Probatur manifeſtè ex dicta Clementina *Ne in agro dominico*: Nam licèt eodem capite, quo dictis Monachis præcipitur Confeſſio menſtrua, præcipiatur quoque Communio menſtrua, primâ Dominicâ vniuſcuiuſque menſis; nullo tamẽ modo ibi ſignificatur ex his duobus præceptis, illud Confeſſionis obligare ſolùm ratione alterius, nempe Communionis: imò oppoſitum euidenter colligitur; nam de Confeſſione abſolutè ſic dicit: *Singulis menſibus ad Confeſſionem ſaltem ſemel accedant omnes, & ſinguli Monachi*: de Communione autem ſic ait ſtatim. *In prima Dominica menſis cuiuſlibet in Monaſterio ſemper communicent, niſi ex cauſa, iudicio Abbatis, &c. abſtineant*; Ex quo euidens eſt ad Confeſſionem dictos Monachos non obligari ſolùm ratione Communionis; nam eâ poſſunt abſtinere ex cauſa; nullo verò modo Confeſſionis, ad quam abſolutè præcipit, vt omnes, & ſinguli Monachi accedant ſaltem ſemel ſingulis menſibus: ergo ipſa Confeſſio per ſe obligat illos, etiam impeditos ſacra Communione; non igitur Confeſſio obligat ſolùm ratione Communionis per accidens, ſed obligat per ſe, ac ratione ſui. 4

Dico *ſecundò*, præceptum iſtud non eſſe modificationem diuini præcepti vagè obligantis ad Confeſſionem extra mortis articulum, ſed eſſe purè Eccleſiaſticum. Ita rectè notauit Vaſquez *q. 90. art. 1. dub. 3.* Ratio eſt, quia ſi tantùm eſſet illius diuini præcepti modificatio, non obligaret ad Confeſſionem eum, qui ſola habet venialia peccata; cùm diuinum illud eos ſolos ad eam obliget, qui ſunt infecti mortalibus. Atqui obligat, vt patet tum ex præcepti verbis: non enim Clemens V. præcipiens prædictis Religioſis Confeſſionem menſtruam, ait vt confiteantur omnia peccata ſua; quod quia dicitur in alio præcepto annuæ Confeſſionis; ſatis intelligitur obligare tantùm ad Confeſſionem 5

eum, qui habet mortale peccatum; cùm certiſſimum ſit neminem ad ſuorum omnium venialium peccatorum Confeſſionem obligari: ſed abſolutè præcipit vt confiteantur: quod ęque facilè poſſunt, dum ſola habent venialia, atque dum mortalia. Tum etiam ex fine, quo permotus eſt prefatus Pontifex ad illud præceptum ferendum, qui fuit ad maiorem Ordinis S. Benedicti obſeruantiam, ad quam haud dubiè plurimùm conducit frequens vſus Sacramenti Pœnitentiæ per ſe ſpectatus, ſiue de ſolis venialibus fiat Confeſſio, ſiue de aliis.

6 Dico *tertiò*, non obligare hoc præceptum abſolutè ad Confeſsionem venialium. Patet, nam ſi quis habeat mortale quod confiteatur, omiſſis omnibus venialibus, toti, quam habet ex hoc præcepto, obligationi ſatisfaciet; & ſimiliter ille, qui ſola habens in præſenti venialia, nullum ex iis confitetur, ſed aliquod mortale, à quo iam alias abſolutus fuit. Quod ſi quis ex iis ſupponatur nunquam peccaſſe mortaliter, obligatur conſequenter vi præcepti huius ad Confeſsionem alicuius venialis. Nec mirum quòd aliquando per accidens obliget ad Confeſsionem venialium: nam vt dicam *ſectione ſequenti*, non excedit facultatem Eccleſiæ præcipere Confeſsionem venialium indirectè, & per accidens.

7 Dico *vltimò*, prædictum Clementinæ præceptum ex genere ſuo obligare grauiter Benedictinos, etiam ad Confeſsionem alicuius venialis, ſi non ſit mortale vllū. Moueor ad id aſſerendum, quia iſtud præceptum verſatur circa materiam ſufficientem ad mortale, etiamſi ſola venialia eſſent confitenda: nam materia immediata huius præcepti non ſunt venialia, ſed Confeſsio Sacramētalis, ſiue ſit mortalium, ſiue venialium dumtaxat; Confeſsio autem etiam venialium tantùm, materia grauis eſt tam reſpectu voti, quam reſpectu pręcepti, cùm ſit actus principalis virtutis, & ſuſceptio Sacramenti, ſeu vſus Sacramenti ad vitam religioſam valde expediens: ob quā etiā cauſā Communio mēſtrua videtur eſſe materia grauis. Igitur hæc ratio ſatis ſuadet obligationem prædicti præcepti eſſe grauem ex genere ſuo: vtrùm verò modò de facto, prædicti Monachi ſub graui culpa obligentur ad prædictam menſtruam Confeſſionem, eſt maximè attendendum ad vſum, & conſulenda eſt conſuetudo, ac declaratio prædictæ Religionis; eſt enim Conſuetudo, optima legum interpres. Quare ſi ex conſuetudine tale ſtatutum non obligat niſi per modum Regulæ, quæ ex ſe non obliget ſub mortali; non obligabuntur Monachi ſub mortali ad eam Confeſſionem menſtruam; ſi verò nulla ſit conſuetudo in contrarium, vel declaratio; & dicta lex, ſeu præceptum ſit explicandum iuxta qualitatem materiæ, in quam cadit, cenſendum eſt ex ſuo genere inducere grauem obligationem propter materiæ qualitatem, & grauitatem, ac proinde Monachos Sancti Benedicti eo pręcepto grauiter obligari.

8 Hinc patet ſolutio ad duo illa argumenta ſecundæ Sententiæ ſuprà adducta *numero* 2. Ad primum enim, conſtat materiam prædicti pręcepti non eſſe peccatum veniale, (quod quidem per ſe quidpiam leue eſt) ſed vſum Sacramenti gratiam conferentis, qui per ſe ſpectatus, tanti momenti res eſt, vt ad eum ſub mortali obligatio eſſe poſſit: vt conſtat ex voto quo quis ad Confeſſionem menſtruam ſe obligaret, etiamſi ſola haberet venialia, quæ obligatio manifeſtè eſſet ſub mortali. Quod benè explicatur exemplo Cōmunionis ſub mortali prohibitæ poſt ſumptum tantillum cibi, aut potus, quia quod eo prohibetur, non eſt tantillus cibus, aut potus, qui per ſe res leuis eſt, ſed Communio poſt cibum, aut potum, quæ res grauis eſt, & in quam proinde cadere obligatio ſub mortali poteſt.

Ad ſecundum, tametſi ex grauitate infligendæ pœnæ pro culpa, rectè colligatur culpę grauitas, quia culpam leuem graui pœna punire contra rationem eſt; tamen ex leuitate pœnæ præciſè non poteſt colligi culpæ leuitas; alioqui ex eo quòd nulla apponatur pœna, colligeretur nullam committi culpam in trāgreſſione, cùm tamen ſæpe ſit mortalis: nam multæ ſunt leges obligantes ſub mortali, quæ nullam aſſignant pœnam tranſgreſſoribus. Ratio à priori, eſt libera voluntas præcipientis, quā præceptorum ſuorum etiam ſub mortali obligantium violatoribus, ſicut poteſt nullam pœnam decernere, ſic poteſt ſolùm leuem. 9

Quæres, quid dicendum de altero iure poſitiuo quod eſt in Concilio Tridentino *ſeſſ.* 25. *cap.* 10. *de Regularibus*. Vbi ſic dicitur: *Attendant diligenter Epiſcopi, & cæteri Superiores Monaſteriorum Sanctimonialium, vt in conſtitutionibus earum admoneantur Sanctimoniales, vt ſaltem ſemel ſingulis menſibus Confeſſionem peccatorum faciant, & Sacroſanctam Euchariſtiam ſuſcipiant; vt eo ſe ſalutari præſidio muniant, ad omnes oppugnationes dæmonis fortiter ſuperandas.* Quibus verbis videtur apponi Monialibus idem præceptum menſtruæ Confeſſionis, quod appoſitum fuit Monachis nigris, ſeu Benedictinis, *in hac ſectione* explicatum. Nihilominùs ſentio cum Suarez *diſput.* 36. *ſect.* 5. *num.* 9. ex verbis prædicti decreti Tridentini conſtare, non eſſe rigoroſam legem, præcepti obligationem inducentem; quia verbum, *admoneo*, quod Concilium ponit, non eſt præceptiuum, ſed conſultiuum. 10

Quæres item, an prædictum Clementinæ præceptum, ligans Benedictinos, extēdatur ad alios Monachos? *Reſpondeo* cum Fagundez *præcepto* 2. *lib.* 2. *cap.* 1. *numero* 18. non extendi, nec alios Religioſos ligare. Tum quia in dicta Clementina ſolùm ſit mentio Monachorum nigrorum, id eſt S. Benedicti. Tum etiam quia Tridentinum citatum habens præ oculis prædictam Clementinam, Monialibus dicit id tantùm conſulendum & mouendum eſſe; nullo tamen modo præcipit. 11

SECTIO V.

An Eccleſia præcipere poſſit Confeſsionem peccatorum venialium?

1 NEgant poſſe, Paludanus, Syluester, & Sotus, apud Suarez *diſputatione* 22. *ſect.* 8. *numer.* 2. Probarique poteſt. *Primò*, quia non poteſt Eccleſia materias Sacramentorum mutare: ergo non poteſt facere, vt materia non neceſſaria Sacramenti Pœnitentiæ, cuiuſmodi eſt veniale peccatum, ſit materia neceſſaria: id autem faceret; ſi præciperet Confeſſionem venialium; tunc enim neceſſarium eſſet illa confiteri, itavt vno prætermiſſo Sacramentum fieret irritum.

Secundò, non poteſt Eccleſia obligare ad faciendam Confeſſionem de peccatis ritè confeſſis; ergo nec de venialibus, quæ non ſunt materia neceſſaria Confeſſionis.

Tertiò, non poteſt præcipi Confeſsio alicuius peccati, niſi ob remiſſionem eius, ad id enim ſolùm eſt inſtitutum Sacramentum Pœnitentiæ; ſed Eccleſia non poteſt facere, vt Confeſsio venialis peccati ſit neceſſaria ad remiſsionem eius: non enim poteſt tollere alia media ſufficientia ex opere operantis ad hunc effectum: ergo non poteſt præcipere peccati venialis Confeſsionem.

Vltimò,

Vltimò ex contraria ſententia ſequeretur, poſſe Eccleſiam præcipere quoque Confeſſionem omnium venialium.

2 Noſter Suarez *diſp.22.ſect.*8.dicit duo. *Primum eſt*, non poſſe Eccleſiam obligare fideles ſuo Eccleſiaſtico præcepto, vt confiteantur venialia peccata, ſi habeant mortalia,de quibus confiteri poſſint. Probat id *primò*, quia Eccleſia non poteſt mutare materiam Sacramenti Pœnitentiæ:ergo nec poteſt facere materiam neceſſariã quæ iuxta Chriſti inſtitutionem neceſſaria non eſt;ergo cùm ex Chriſti inſtitutione, venialia peccata non ſint materia neceſſaria Confeſſionis Sacramentalis,non poteſt Eccleſia obligare fideles ad confitenda illa, ſi habeant mortalia non confeſſa,quæ ſunt materia neceſſaria, de quibus confiteri poſſint. *Secundò*, peccatum mortale non confeſſum eſt materia ſimpliciter neceſſaria de iure diuino ad Confeſsionem : ergo quando talis materia reperitur,non poteſt Eccleſia aliam addere vt neceſſariam, cùm iam habeat materiam requiſitã ad integritatem Cõfeſsionis & Sacramenti.*Tertio*,non poteſt Eccleſia præcipere aliquid ad integritatẽ Sacramẽti Pœnitẽtiæ,quod per ſe neceſſarium non eſt;ſed Cõfeſſio venialiũ nõ eſt per ſe neceſſaria,vt Sacramẽtalis Cõfeſsio integrè & perfectè fiat,vt conſtat:ergo nequit Eccleſia præcipere Confeſsionem venialium vt neceſsariã ad integritatem Confeſſionis,ac proinde nequit obligare fideles ad venialium Confeſſionem, ſi ſint peccata mortalia, quæ poſſint confiteri,& debeant quoque ſuo tempore confiteri.

Secundum eſt,poſse Eccleſiam abſolutè præcipere vſum Confeſſionis, itavt indifferenter omnes obliget ad illum ſiue habeant conſcientiã peccatorum mortalium, ſiue tantùm venialium Probat,quia in hoc præcepto nihil eſt alienum ab inſtitutione huius Sacramenti Confeſsionis,nec continet aliquid adeò difficile, vt excedat materiam præcepti;nam eſt quoddam opus Religionis quod à fidelibus frequenter,& facilè exercetur,& in aliqua occaſione poteſt prudenter iudicari valdè conueniens : ergo ſicut poteſt Eccleſia præcipere, vt omnes communicent extra tempus aliàs preſcriptum,occurrente aliqua extraordinaria, & rationabili cauſa;ſicut præcipit ieiunium,ita poterit etiam extra tempus deſignatum præcipere exercitium actus confitendi, ſcilicet tali die,ſiue habeant mortalia peccata, ſiue venialia tantum. Tunc enim per id præceptum non fit veniale peccatum neceſsaria materia,quia nemo tunc obligabitur ad confitenda omnia venialia,imò neque aliquod eorum,ſi habeat aliud peccatum etiam iterùm confeſsum;ſed ſolùm imponitur neceſsitas in exercitio, & vſu Sacramentalis Confeſsionis : & hæc per Eccleſiam poteſt aliquando adiungi,etiamſi de iure diuino non ſit.

3 Cardinalis Lugo *diſp.15.ſect.6.n.*130.exiſtimat non ſolùm poſse Eccleſiam Confeſsionem venialium præcipere indirectè,quatenus præciperet vniuerſaliter Confeſsionem annuam, ac proinde ille, qui ſolùm haberet venialia,teneretur ex hoc præcepto confiteri venialia; ſed etiam directè.Quod probat, quia ſi id non poſset, maximè propter rei difficultatem;hæc autem eadem eſt, quando præciperetur indirectè, neque eſt magna difficultas confiteri aliqua,hæc,vel illa:& multùm conducere poteſt ad profectum ſpiritualem, & ad corrigendos defectus ordinarios,& leuia peccata.

Pro explicatione notandum *primò* quid ſit,Eccleſiam præcipere Confeſſionem venialium indirectè, & quid ſit eam præcipere directè.Præcipere igitur indirectè;eſt quando videlicet præcipiens Eccleſiæ vſum vel exercitium Confeſſionis, obligat neceſſariò ad exhibendam materiam,& ſi non ſit alia materia niſi venialis, obligat conſequenter vt ea exhibeatur; & hoc eſt indirectè præcipere Confeſſionem venialium, vt ſic Confeſſionis Sacramentum recipiatur,cuius vſum per ſe,& directè intendit. Præcipere autem venialium Confeſſionem directè & per ſe,eſt obligare ad venialia confitenda, etiam quando exiſtit alia materia Confeſſionis, & pœnitens habet peccata mortalia de quibus confiteri poteſt.

Præterea eſt obſeruandum, dupliciter poſſe concipi Eccleſiam præcipere venialium Confeſſionem, vno modo determinãdo ſolùm tẽpus,in quo ad eam obliget Confeſſionem;ſicut de facto determinauit præceptum diuinum Confeſſionis, & Communionis. Alio modo nempe præcipiendo ſubſtantiam Confeſſionis, & non tantum tempus,idque propria auctoritate, ac ſub purè humano, ac Eccleſiaſtico præcepto; eo modo quo de facto præcepit ieiunium Quadrageſimæ. Quibus præmiſsis;

Dico *primò*, certum eſſe, & ab omnibus admitti debere non poſſe Eccleſiam Confeſsionem venialium præcipere, determinando tempus in quo debeat obligare; eo modo, quo id de facto fecit in receptione Euchariſtiæ, & Confeſsione fidelium annuali. Patet quia hoc præcipiendi modo, ſubſtantia præcepti eſt ipſum præceptum diuinum; determinatio verò ad tempus, eſt præceptum humanum ſupponens illud,vt conſtat ex dictis ſuprà *ſect.*2.At hoc modo non poteſt Eccleſia Confeſsionem venialium præcipere : nam cùm Chriſtus Dominus non dederit præceptum de confitẽdis venialibus,non poteſt Eccleſia pręceptũ Chriſti de venialibus confitendis determinare; cùm præceptum quod determinari valeat,non detur reipſa; igitur hoc modo determinationis nequit Eccleſia præcipere Confeſsionem venialium. 4

Dico *ſecundò*,non excedit poteſtatem Eccleſiæ abſolutè,pręcipere ſuo purè humano & Eccleſiaſtico pręcepto exercitium Confeſsionis, extra tempus iam deſignatum,obligans omnes altero die vel tempore,ſiue habeant mortalia peccata,ſiue tantùm venialia:Ita ſentio cum Suarez,eo modo quo explicat ipſe,iam ſuprà *num.* 2.relato.Et tenet Vaſquez,*q.*90 *art.*2.*dub.*3.*num.*15. Et ampliùs firmo,quia in Pontifice non deeſt poteſtas toti Eccleſiæ præcipiendi Confeſsionem, ſi ita rationabilis res iudicetur; quia ex parte eius quod præcipitur, non repugnat,quia eſt materia ſubdita poteſtati Eccleſiæ leges condendi, & eſt materia ſeu actus principalis virtutis Religionis, & ſuſceptio Sacramenti conferens gratiam ex opere operato. Et certè ſi vnuſquiſque poteſt propria voluntate per votum ſe obligare abſolutè ad confitendum altero die vel tempore, extra tempus iam deſignatum, in quo caſu teneretur ad confitendum venialia, ſi mortalia non haberet; cur Eccleſia non poterit ſimiliter obligare ad confeſsionem venialium ſuo præcepto? Quamuis enim Eccleſia non poſsit facere materiam Sacramenti id, quod ex inſtitutione Chriſti materia nullo modo eſt;poteſt tamen facere præcepto ſuo,vt id quod iure diuino non erat materia neceſſaria, ſed ſolùm ſufficiens, ſit materia neceſſaria ratione præcepti; ſicut etiam vnuſquiſque poteſt id facere ſua voluntate per votum.In quo euentu,qui nunquam peccaſſent mortaliter,tenerentur confiteri aliqua venialia,vel aliquod ſaltem veniale,vt præceptum poſſent obſeruare. 5

Hinc dico *tertiò*, Eccleſiam poſſe præcipere in directè Confeſſionem alicuius venialis,vel aliquorum venialium; ſequitur ex præcedenti Dicto; Nam ſi Eccleſia poteſt præcipere exercitium Confeſſionis altero die, præter tempus iam deſignatum, vt probatum eſt: ergo poteſt ſuo præcepto obligare ad Confeſsionem,cuius aliqua materia Sacerdoti exhibenda eſt;ergo ſi alia materia non eſt,niſi venialis,conſequenter obligare poteſt vt ea exhibeatur: ſed hoc eſt indirectè præcipere Confeſsionem 6

feſsionem venialium, vt nimirùm Confeſsionis Sacramentum recipiatur, quod eſt directè intentum, & præceptum: ergo poteſt præcipere indirectè Confeſſionem aliquorum venialium, vel ſaltem vnius tantùm.

7 Ex his infero, poſſe Eccleſiam generatim omnes adultos, præter tempus iam deſignatum, obligare ad Confeſsionem annuam altero tempore, vel die, etiam eos qui ſola peccata venialia haberent: Quia & tale præceptum reſpectu horum eſſet ſatis facile: & ipſa Sacramenti ſuſceptio haberet ſufficientem vtilitatem, vt pro ea aſſequenda illud poſſet ſtatui. Quo euentu, ſaltem illis, qui nunquam peccaſſent mortaliter, indirectè præciperetur Confeſsio venialium; quia ſine hac præceptum implere non poſſent.

Dico *quartò*, Eccleſiam non poſſe directè præcipere omnibus fidelibus, Confeſsionem omnium venialium quæ fiunt cum plena deliberatione, exiſtente alia materia Confeſsionis. Ratio eſt, quia tametſi hæc peccata ſint materia poteſtati Eccleſiæ ſubiecta; ideò tamen per legem non poteſt ab Eccleſia præcipi eorum Confeſsio; quia lex debet eſſe rationi contentanea, qualis non eſſet iſta, quia eſſet nimis oneroſa, & magna ſcrupulorum occaſio, & plus nocumenti quàm vtilitatis afferret, & moraliter ferè impoſsibilis, reſpectu omnium fidelium; & exiſtente alia materia, non ergo per legem præcipi id poteſt.

8 Obiicies, poteſt quis vouere Confeſsionem omnium venialium; ergo & Eccleſia illam præcipere: patet Cõſequẽtia, quia id omne, ad quod vnuſquiſque poteſt propria voluntate ſe obligare per votum, poteſt Eccleſia ſimiliter obligare per legem. *Reſpondeo*, inprimis admittendo Antecedens, ſi illud votum intelligatur de cõfitendis omnibus venialibus, quæ mediocri adhibita diligentia memoriæ occurrunt; id enim votum hoc modo intellectum valet, vtpote quod de re moraliter poſsibili eſt: eſt verò notandum, quod rectè obſeruat Thomas Sanchez *lib. 4. Decalog. cap. 13. numer. 17. & 18.* tale votum non obligare ſub mortali: cuius rei rationem reddit, quia id votum ad nullam Confeſsionem obligat, ſed ſolum ad fatenda venialia, quando vouens falſus fuerit: At fateri tunc venialia, non eſt ita graue, vt obliget ad mortale; eo vel maximè quòd ſi de venialibus fatendis præceptum induci poſſet, obligaret ſub ſolo veniali; ſecus autem eſſet de voto Confeſsionis faciendæ, obligaret enim ſub mortali, etiamſi vouens ſola venialia haberet; Quia Confeſsio illa cedit id magnum Dei honorem, & maximam confitentis vtilitatem, cùm illi conferat gratiam ex opere operato: Quare admiſſo Antecedente, neganda eſt Conſequentia ob manifeſtam diſparitatem; quia plura poſſunt cadere ſub votum, quàm ſub præceptum: nam actus honeſti omninò interni, opera etiam conſilij, & perfectionis, vt virginitas, vita religioſa, ieiunium perpetuum, & ſimilia, ſunt materia voti, non verò præcepti humani Eccleſiaſtici. Ratio eſt, quia ad votum ſufficit, quod ſit de meliori bono; ad præceptum verò, vel legem requiritur, vt non ſit nimis difficile ac oneroſum, & afferat magnam vtilitatem Reipublicæ, vel Communitati: at nihil horum haberet præceptum, vel lex obligans omnes fideles ad fatendum omnia venialia, quæ memoriæ occurrunt, cùm id neque ad vllam Confeſsionem obligaret exiſtente alia materia, vt ſupponimus; neque eſset alicuius vtilitatis reſpectu omnium fidelium, qui id renuerent adimplere; nec ſub graui culpa ſaltem ad id poſsent conſtringi.

9 Dico *quintò*, excedere poteſtatem Eccleſiæ, directè præcipere ſub graui culpa Confeſsionem aliquorum determinatè venialium, omnibus fidelibus, vel etiam alicui religioſæ Communitati. Ita noſter Coninck *diſputat. 5. dubio 4. numer. 51.* Ratio eſt, quia materia leuis eſt, atque ideò nequit ſub graui culpa præcipi. Quamuis enim præceptum Confeſsionis faciendæ tali die, vel tempore, poſsit obligare ſub mortali, etiamſi fidelis aliquis ſola venialia haberet, vt *ſuprà* dixi; tamen præceptum directè fatendi venialia, ad nullam Confeſſionem obligat, ſed ſolùm ad fatenda venialia, quando quis velit confiteri: at fateri tunc venialia, non eſt materia grauis, nec tantæ vtilitatis, vt poſsit omnibus præcipi ſub graui culpa. Vnde ob eandem rationem exiſtimo non poſſe tale præceptum imponi religioſæ alicui Communitati ſub peccato mortali.

Dico *vltimò* probabile eſſe poſſe Eccleſiam præcipere directè alicui Communitati regularium valdè religioſæ ad aliqua determinata venialia in Confeſsione manifeſtanda, ſub leui culpa; probabilius tamen mihi videri oppoſitum. Primum illud defendunt Coninck citatus Granado *tractat. 1. diſputat. 9. numero 11.* & alij: quia in aliqua Religione valdè obſeruanti, videretur eſſe valdè vtilis obligatio ad confitenda aliqua venialia, vt furta leuia ex rebus Monaſterij, verba turpia, & inhoneſta, mendacium deliberatum, luſus chartarum ſub veniali prohibitus, & alia huiuſmodi. Nec mirum quòd poſsit Eccleſia ad horum Confeſsionem obligare directè, id eſt ad confitenda illa, etiamſi cum aliis peccatis coniuncta ſint; nam interdum fert aliquam cenſuram pro veniali peccato, ſcilicet minorem excommunicationem, ad cuius cenſuræ abſolutionem neceſſaria videtur manifeſtatio talis peccati. 10

Secundum verò nihilominùs mihi videtur verius; quia nullam video iuſtam cauſam ad id præcipiendum, etiam ſub veniali culpa. Nam illud præcipi non poteſt per ſe, propter Sacramentalem Confeſsionem; quia neque ad eius integritatem neceſſaria eſt, vt liquet, cùm ſit alia materia, & iſta venialium non ſit neceſſaria; nec talium venialium Confeſsio ad remiſsionem eorum neceſſaria eſt, cùm aliis modis ſufficienter tolli poſsint; neque etiam poteſt id præcipi, propter correptionem, vel emendationem talium peccatorum venialium, quia etiam aliis modis corrigi, ac emendari poſſunt, nempe eorum dolore, ac Contritione, præſcindendo occaſiones, & pericula illorum defectuum, ac Dei præſentiâ, & oratione. Vnde cùm ſint tot adminicula ad remedium ipſorum, & materia ſit leuis, non videtur proportionata medicina adeò rigoroſa illorum Confeſsio, ſaltem vt ponatur ſub præcepto. Nec denique ad decentiam, vel reuerentiam Sacramenti poteſt hoc eſſe neceſſarium, vt per ſe eſt manifeſtum. Quare licèt ſit optimum conſilium, ſimilia peccata fateri à viris religioſis in Cõfeſsione, propter maiorem confuſionem, & mortificationem propriam, & efficaciorem emendationem; ſed non ideò illis debet, nec poteſt imponi præceptum, etiam ſub culpa leui. Nec obſtat illud de cenſura, qu a etiam ad tollendam cenſuram, non eſt neceſſaria Sacramentalis Confeſsio culpæ; quòd ſi quis ea vti velit propter maius ſecretum, vel ob aliam cauſam; id eſt accidentarium.

Ad argumenta primæ ſententiæ, prout opponuntur noſtro Dicto ſecundo, & tertio. Ad primum conceſſo Antecedente, Conſequens eſt diſtinguendum, quantum ad illud quòd peccata venialia non ſint materia neceſſaria Sacramenti Pœnitentiæ: non ſunt materia neceſſaria in hoc ſenſu, quòd ſcilicet Chriſtus Dominus non præcepit vt ea confiteamur, concedo; non ſunt materia neceſſaria in hoc ſenſu, ſcilicet, quòd Chriſtus præcepit, vt in nullo caſu ſint neceſſariò confitenda, nego: hoc enim Chriſtus non præcepit, ſed libertati vniuſcuiuſque reliquit, ſi ſe per votum obligare velit ad venialia confitenda; reliquit etiam libertati Eccleſiæ, prout ipſa expedire iudicauerit: vnde poteſt obligare omnes fideles 11

les ad confeſſionem peccatorum modo dicto *in ſecundo, & tertio dicto*, & conſequenter obligare indirectè ad Confeſſionem venialium quando non eſſet alia materia; & tunc ipſa venialia eſſent materia neceſſaria.

12 Ad ſecundum reſpondeo, inter peccata venialia ſecundum ſe, & alia ritè confeſſa, hoc eſſe diſcrimen, quòd ſemper homo habet aliam materiam huius Sacramenti, præter illa peccata confeſſa, nimirùm aliqua venialia; & ideò regulariter loquendo, tametſi vſus Sacramentalis Confeſsionis ſimpliciter ab Eccleſia præcipiatur, non eſt neceſſaria Confeſsio talium peccatorum, ſicut poſſet eſſe Confeſsio venialium in eo, qui haberet tantùm venialia peccata.

13 Ad tertium, tametſi verum ſit, primarium finem Sacramenti Pœnitentiæ eſſe remiſſionem peccati; negari tamen non poſſe, eſſe quoque alios fines, propter quos præcipi poteſt vſus huius Sacramenti, v.g. ad maiorem conſcientię ſecuritatem, ac puritatem, ad cultum Dei, ad placandum ipſum, ac impetrandum aliquid à Deo; vel denique propter aliquod bonum commune Eccleſiæ, pacis, ſalutis, & ſimilium. Vnde argumentum nihil concludit.

Ad vltimum, iam conſtat, quid ſit dicendum, ex Dicto quarto, quinto, & vltimo.

Ad ſententiam Suarez, iam liquet ex Dicto ſecundo, & tertio, nobis placere.

14 Ad opinionem Cardinalis Lugo dico, conſtare ex tribus poſtremis Dictis, excedere poteſtatem Eccleſiæ Confeſſionem venialium directè præcipere, quia non eſt materia grauis, nec tantæ vtilitatis, vt poſſit præcipi etiam ſub leui culpa.

SECTIO VI.

Quas perſonas obliget præceptum annuæ Confeſsionis Sacramentalis?

1 IN hac re, *primò* certum eſt, infideles non baptizatos non obligari prædicto præcepto, Quia non ſunt intra Eccleſiam; & ideò non ſunt ſubditi Eccleſiæ.

2 *Secundò* certum eſt, obligari omnes baptizatos, qui habent conſcientiam peccati mortalis nondum confeſſi, quamuis habuerint Contritionem de illo, & quamuis fuerint ab illo indirectè abſoluti. Prima pars conſtat manifeſtè; quia hoc pręceptum Eccleſiæ ſecundùm ſuam ſubſtantiam eſt ipſum pręceptum diuinum; at præceptum diuinum obligat eos, qui mortaliter peccauerunt. Vnde ob eandem rationem, illi qui non habent alia mortalia niſi legitimè confeſſa, non obligantur hoc præcepto. Secunda pars, nempe obligari ad id præceptum, tametſi habuerint Contritionem de peccato mortali, & ab illo fuerint indirectè abſoluti, patet, quia hoc præceptum Eccleſiæ determinatione ſublata, eſt ipſum præceptum diuinum; ſed præceptum diuinum obligat ad confitenda peccata, non obſtante quòd homo habuerit Contritionem de ipſis, vel fuerit ab ipſis indirectè abſolutus: ſiquidem Contritio, & Abſolutio indirecta non remittunt peccata, niſi in voto confitendi illa, vt conſtat ex ſuperioribus: ergo obligatio confitendi ſemel in anno, interpretanda eſt, ſi ſint mortalia nondum confeſſa, & directa abſolutione expiata.

3 *Tertiò*, certum eſt, eos qui habent ſolùm peccata venialia non obligari hoc præcepto. Conſtat id tum ex *cap. Omnis vtriuſque ſexus*, dicente fideles debere omnia ſua peccata confiteri: quibus verbis manifeſtè declarat, loqui de habentibus peccata mortalia, quia certum eſt non teneri confiteri omnia venialia. Tum maximè, quia Tridentinum *ſeſsione* 14. *cap.* 5. docet illo præcepto ſolùm præſcribi tempus, quo tenemur Confeſſionem iure diuino præceptam implere: ergo ſolùm obligat illos, qui iure diuino ad Confeſſionem tenentur; quales ſunt ſoli illi, qui habent peccata mortalia; Eccleſiam autem ſuo peculiari præcepto Eccleſiaſtico, non poſſe præcipere Fidelibus Confeſſionem venialium, idque excedere eius poteſtatem, iam eſt oſtenſum *præcedenti ſectione*. Notant benè Doctores eum, qui haberet ſola peccata venialia, poſſe cogi, vt ſiſtat ſe Paſtori, eique declaret ſe non eſſe ſibi conſcium vllius peccati mortalis: quia debet huic aliquo modo, prout fieri poteſt, conſtare talem non teneri præcepto Confeſſionis, eúmque ad Communionem poſſe admitti. Id enim neceſſarium exiſtimo propter notam, & ſcandalum, quod ex oppoſito oriretur; eſt enim mos referendi in album omnes qui confitentur, & excommunicandi eos qui Confeſsionem omittunt. Verum etiam eſt Paſtorem teneri illud de ſe affirmanti credere, niſi haberet iuſtas rationes contrarium ſuſpicandi: quia in hoc iudicio non eſt alius actor, vel accuſator, præter ipſum pœnitentem: ſed vt ipſe opinor, non tenetur credere ſine ſufficienti examine; priùs enim interrogandus eſt, an conſcientiam ſufficienter examinauerit, deinde de communibus peccatis, quæ homines talis ſtatus committere ſolent; & iuxta reſponſionem eius, procedendum.

Quartò certum quoque videtur, illum qui ſolùm habet peccata mortalia purè interna, etiam obſtringi prædicto præcepto. Patet, quia cùm ſit determinatio præcepti diuini, & iſtud obliget eos qui ſolùm habent mortalia purè interna, etiam hoc præceptum Eccleſiæ obligat illos. 4

His poſitis, reſtant quatuor dubia diſſoluenda. *Primum eſt* de Hæreticis: quia præcepti verba illos videntur excipere, cum dicant; *Omnis vtriuſque ſexus fidelis*; Et in Tridentino, quoties de hac obligatione ſermo habetur, ſemper repetitur illa particula, *fideles*: cum autem hæretici nec ſint, nec dicantur abſolutè fideles, ſed infideles, non videntur comprehendi iſto præcepto. 5

Omnes tamen Theologi communiter contrarium ſupponunt, cùm vniuerſaliter affirment, omnes baptizatos, qui poſt Baptiſmum peccatum mortale commiſerunt, prædicto præcepto comprehendi: nam Hæretici ſunt ſubditi Eccleſiæ; ergo illius legibus adſtringuntur, ac proinde hoc præcepto quoque de annua Confeſſione. Et ratio à priori eſt, quia vt conſtat ex ſuperioribus, hoc præceptum non fuit de re noua, ſeu non iam debita ex iure diuino, ſed de Confeſſione à Chriſto præcepta, determinando tempus illius, quæ determinatio Eccleſiæ fuerat commiſſa, ſi homines eſſent negligentes in ſuſceptione huius Sacramenti. Cùm igitur diuinum præceptum omnes comprehenderet baptizatos, debuit etiam Eccleſia his omnibus tempus præſcribere Confeſſionis faciendæ, aliter enim non ſatisfeciſſet Eccleſia officio, ac debito ſuo determinandi tempus omnibus. Et certè ſi hæretici non comprehenderentur, ſequeretur magnum abſurdum quod nemo admittet, nempe nec comprehendi eum, qui incidit in aliquod peccatum graue contra fidem. Nec verò obſtat illa particula *Fideles*, quæ habetur in illo textu: quia nomen iſtud non ſumitur illic pro habente veram fidem, ſed pro baptizato; eſt enim Baptiſmus Sacramentum Fidei, ſicut è contrà nomine Fideliũ non

non intelliguntur qui fidem Christi habent, ſi baptizati non ſunt; nam eos Eccleſia obligare non poteſt. Quod etiam firmatur auctoritate Tridentini *ſeſſ.* 14. *eodem c.* 5. vbi declarans inſtitutionem Confeſſionis, cùm dixit Chriſtum aſcenſurum ad Cœlos, Sacerdotes ſui ipſius Vicarios reliquiſſe, tanquam Præſides, & Iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Chriſti fideles ceciderant; non excluſit peccata hæreticorum à poteſtate Sacerdotis, ſed nomine Chriſti fidelium, omnes baptizatos comprehendit.

6 Secundum dubium eſt de publicis meretricibus, an obligentur hoc præcepto. Aliqui dubitant, quia reſpectu illarum potiùs videtur fore in deſtructionem, quàm in ædificationem. Et quidem cùm certum ſit, ipſas illud præceptum non obſeruaturas, videtur eſſe prudens ac rationabilis cauſa, vt eas talis lex quæ eſt prudens ac rationabilis, non comprehendat; quia ſolùm deſeruiret ad dandam materiam noui peccati in eius tranſgreſſione.

Alij verò, vt Viualdus *in Candelabro aureo, de Confeſſione, num.* 60. & Emanuel Rodriguez, *in additionibus ad Bullam Cruciatæ*, §. 11. *aliàs* 9. *num.* 133. docent, huiuſmodi meretrices peccare mortaliter non implendo præceptum hoc, non tamen incurrere pœnã excommunicationis; quia nolunt Epiſcopi eas illius vinculo innodare. Nam cùm huiuſmodi meretrices non ſoleant denuntiari, ſignum eſt illas non incurrere has cenſuras; & ſignum eſt etiam noluiſſe Epiſcopos eas illis comprehendere.

7 Dico *primò*, cum communi ſententia, ſub prædicto præcepto cõprehẽdi publicas meretrices, ſicut & publicos alios peccatores. Ratio eſt, quia cùm verba præcepti generalia ſint, non eſt cur meretrices excipi debeant: ſi enim quia publicæ peccatrices ſunt, exciperentur, ſanè ex ſuo delicto commodum reportarent; quod rationi & æquitati manifeſtè repugnat. Vnde negandum eſt hoc præceptum eſſe reſpectu illarum in deſtructionem: ſi enim quia aliquis non vult implere præcepta, iam illa cenſenda eſſent in deſtructionem reſpectiuè ad illum; omnia præcepta abolenda eſſent reſpectiuè ad plurimos; quia plurimi ſunt, qui ea implere nolunt: quod abſurdiſſimum eſt. Neque inde ſequitur, quòd illa lex ſit iniuſta, & nociua. Nam ad hoc, vt lex aliqua vniuerſalis ſit prudens & iuſta, non debet attendi, an ſit futura vtilis huic perſonę, vel illi, ſed toti Communitati; cui ſi vtilis ſit, lex eſt rationabilis, nec debet reſtringi ad ſolas illas perſonas, quæ eam probabiliter obſeruabunt: nam per hoc daretur anſa, vt multi malitioſè ſe ſubtraherent à legum obligatione, ponendo ſe in tali ſtatu, in quo propter ipſorum peruerſitatem non crederentur obſeruaturi legem, & ſic non intelligerentur obligati.

8 Dico *ſecundò*, meretrices publicas non ſolùm peccare mortaliter, non implendo præceptum Confeſſionis, ſed etiam incurrere excommunicationem ſynodalem, & cæteras iuris pœnas. Ita Fagundez 2. *præcepto, lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 11. quem ſequitur Cardinalis Lugo *diſp.* 15. *ſect.* 7. *num.* 148. Et ratio eſt, quia lex illa eſt generalis, & pœna etiam generaliter imponitur omnibus tranſgreſſoribus; non ergo eſt cur excipiantur ab ea, niſi contrariam intentionem habeant Epiſcopi, de qua minimè conſtat, cùm nullam habeant iuſtam cauſam, ob quam non comprehendantur, imò habent iuſtiſſimam vt excommunicentur. Addit Fagundez, nullibi in Conſtitutionibus aliquarum Diœceſum, quas ipſe legit, excipi huiuſmodi meretrices. Certè nobis non conſtat de contraria voluntate Prælatorum: quamuis enim non ſoleant declarare, vel publicare, quod fortè omittunt, propter permiſſionem Reipublicæ circa illas meretrices; id tamen parum refert, quia tametſi id fauor ſit: at huiuſmodi fauor magis reſpicit perſonas, quæ cum iſtis meretricibus communicant, quam ipſas meretrices.

Tertium dubium eſt de pueris, quando incipiant 9 obligari ad Confeſſionem. Non deſunt qui affirment, pueros etiamſi habeant vſum rationis non obligari hoc præcepto, ſi impuberes ſint. Quod probant ex illo *cap. omnis*, vbi præcipitur æqualiter Confeſſio, & Communio; & tamen Communio annua non obligat pueros omnes habentes vſum rationis niſi communiter vſque ad annum 10. vel 12. ergo nec Confeſſio.

Alij verò, inter quos noſter Gaſpard. Sanchez *diſ.* 7. *de pœnitentia, difficultate nona*, ſentiunt pueros non implentes præceptum annuæ Confeſſionis, incurrere pœnas impoſitas non implentibus illud; quia nullo iure eximuntur à pœnis; ac proinde poſſe puniri priuatione Eccleſiaſticæ ſepulturæ, & ingreſſus Eccleſiæ: aſſignata in capitulo *Omnis vtriuſque ſexus*, & incurrere excommunicationem maiorem quæ in aliquibus Diœceſibus ipſo facto imponitur. Et probari poteſt, quia pueri impuberes, ratione vtẽtes poſſunt ſimpliciter ligari quacumque cenſura à iure lata: vt conſtat *ex cap.* 1. & *ex vltimo de ſententia excommunicationis*. quia ex vna parte poſſunt peccare mortaliter, & ex altera, nullo iure cenſura contra eos lata irritatur; Imò & poſſunt validè ligari cenſuris ab homine ob eandem rationem, quia & poſſunt mortaliter peccare, nec prohibetur contra eos ferri cenſura ab homine. Quòd ſi impuberes ratione vtentes poſſunt cenſuris ligari, etiam de facto ligantur, quando in eis eſt cauſa ſufficiens, qualis eſt tranſgreſsio præcepti annuæ Confeſsionis.

Dico *primò*, cum vera, & communi ſententia, pueros cùm primum incipiunt diſcernere inter bonum, & malum, & mortaliter peccare poſſunt, ſi mortaliter peccent, etiamſi impuberes ſint, teneri ad annuam Cõfeſsionem. Id conſtat *primùm*, ex verbis ipſius præcepti ſic dicentis; *Omnis vtriuſque ſexus fidelis, cùm ad annos diſcretionis peruenerit*, &c. Vbi apertè dicitur obligari ad Confeſsionẽ annuã omnes, qui ad diſcretionis annos peruenerũt; manifeſtè enim ibi determinatur tẽpus obligationis ab ipſo principio vſus rationis. Ad annos autẽ diſcretionis multò ante pubertatem peruenitur: maſculi enim cenſentur puberes anno decimoquarto; fœminæ autem duodecimo; anni verò diſcretionis tam in iſtis quàm in illis communiter incipiunt anno ſeptimo. Præterea eſt optima ratio ad probandum dictum, quia vt conſtat ex ſuperioribus præcepto annuæ Confeſſionis tenentur omnes, pro quibus latum eſt præceptum diuinum pro tempore extra articulum mortis, quia eſt modificatiuum illius quoad tempus, & nihil ſupra illud addit, niſi temporis determinationem; ſed dictum præceptum diuinum latum eſt pro omnibus habentibus peccatum mortale commiſſum poſt Baptiſmum, vt liquet, nemine excepto; ergo. Quare pro obligatione præcepti annuæ Confeſſionis, non eſt conſiderandum tempus pubertatis, ſed tempus perfecti vſus rationis, ſeu diſcretionis, ſufficientis ad peccandum mortaliter, qui in aliis tardiùs, & in aliis citiùs contingit. Vnde firmatur à ſimili, quia pueri ſtatim poſt vſum rationis obligantur pręcepto abſtinendi à carnibus in diebus prohibitis, & colendi feſtos dies: ergo à fortiori obligabuntur quoque præcepto annuæ Confeſsionis, ſi mortaliter peccauerunt; hoc enim ſtrictiùs obligat, nempe iure diuino.

Dico *ſecundò*, cùm dubitatur an pueri habeant ra- 11 tionis vſum, ſi ſeptennes iam ſint, obligari ad Confeſsionem. Ita Petrus de Ledeſma *de Sacramentis*, vbi de pœnitentia *cap.* 8. *fol.* 480. & Sanchez *lib.* 1. *operis moralis, cap.* 12. *numer.* 13. Ratio eſt, quia cùm vſus rationis communiter incipiat ſeptennio completo, non præſumitur

ſumitur in dubio ante id tempus; ſecus poſt illud & ideò pueri in dubio vſus rationis, non obligantur hoc præcepto, ſicut nec aliis Eccleſiæ præceptis, ante ſeptennium, benè tamen poſt illud. Addit meritò idem Sanchez, pueros ante ſeptennium, in prædicto dubio vſus rationis, teneri ad confitendũ iure diuino, ſi ſint in articulo mortis, propter æternæ damnationis periculum, ſi fortè rationis vſum habeant, & lethaliter peccauerint. Quia licèt poſſent ſibi conſulere per Contriti onem, dato quòd in mortali prolapſi ſint; Contritio tamen valdè difficilè elicitur, maximè in illa tam tenera ętate: ne ergo ſe exponãt damno irreparabili mortis æternæ, cogendi ſunt in praxi ad Confeſſionem.

12 Dico *tertio*, pueros quibus illuxit vſus rationis ante ſeptennium expletum, adſtringi præcepto annuæ Confeſſionis; quãuis in foro externo nõ præſumatur in illis vſus rationis: ita Vaſquez *q.90.art.2.dub.4.n.1.* ex Sylueſtro, & Antonino. Atque hoc mihi videtur probabilius. Tum quia lex clariſſimè loquitur, dicens, omnes qui ad annos diſcretionis peruenerint, teneri confiteri, nulla ætate deſignata. Tum etiam quia omnes deobligant pueros ſeptennes ab huius præcepti adimpletione, ſi certò conſtet eos non perueniſſe ad vſum rationis: ergo obligandi ſunt ante ſeptennium, ſi ad vſum rationis peruenerint. Firmo hoc dictum doctrina alia communiter à Theologis recepta in contractu ſponſalium, nimirùm, malitiam, id eſt diſcretionem, ſeu vſum rationis perfectum ſupplere ætatem: nam ad contrahenda ſponſalia, tametſi in iure exigatur ſeptennium completum; validè tamen contrahuntur in pueris adhuc non ſeptennibus, ſi lumen rationis antè effulſerit illis, vt latè oſtendi in tractatu *de Matrimonio, diſputatione quinta, ſectione ſexta*; quia videlicet iura nõ determinãt in contrahendis ſponſalibus ſeptimum ætatis annum cómpletum, niſi quia requirunt vt pleno rationis vſu illa contrahantur, & plenus rationis vſus tunc incipere ſolet, nec citiùs, nec tardiùs vt plurimùm; ac proinde ſi plenus rationis vſus, quem ius requirit ad ſponſalia, ſoleat aliquando in pueris anticipari ante ętatẽ ſeptennij à iure præſcriptã, malitia ſupplebit ætatem, & valida erunt ſponſalia. Igitur à fortiori malitia ſupplebit ætatem, quocumque tempore plenus rationis vſus ante ſeptimum ætatis annum præuenerit pueros, ad contrahendam obligationem annuæ Confeſſionis: maximè cùm lex Confeſſionẽ pręcipiens, nõ determinet tempus, ſed tantùm exigat ad omnes fideles, ac proinde etiam pueros obligandos, vt ad annos diſcretionis peruenerint.

Et his manifeſtè colligitur, infantes ante vſum rationis, ſicut nec amentes non obligari præcepto Confeſſionis, non ſolùm quia non ſunt capaces præcepti, ſed etiam quia non habent peccatum actuale, quod eſt materia Confeſſionis. Quod ſi aliquis eſſet rationis expers in aliqua materia, qui tamen haberet vſum rationis in alia, & eſſet capax Confeſſionis, hic etiam obligaretur hoc præcepto, cùm circa eius materiam haberet rationis vſum.

13 Dico *vltimò*, pueros, tametſi obligentur præcepto Confeſsionis modo explicato, non tamen incurrere ante annos Pubertatis, pœnas excommunicationis, quas ſtatuta ſynodalia ſolẽt imponere in trãſgreſſores huius pręcepti, nec prohibitionis ſepulturæ, & ingreſſus Eccleſię: ſic meritò ſentiunt Vaſq. citatus *n.2.* Sanch *lib.1. operis moralis, c.12 n.7.* Cardin Lugo *loco ſuprà citato n.150.* & Alij. Ratio eſt, quia Greg. IX. *c. Pueris, de delictis puerorũ*, loquens de illis ante annos quatuordecim, in quibus pubeſcunt, inquit eos peccare poſſe: ſubdit tamẽ in fine capitis, in hæc verba. *Quamuis in eis non ita, vt in maioribus punienda videantur.* Ex qua vniuerſali indulgentia legis, intelligitur Eccleſiam nolle, cùm poſſet, ad excommunicationem ante annos pubertatis obligare pueros, & in materia de Confeſsione ita dicendum eſt; quia vniuerſaliter, quoties in iure pro peccatis ſtatuitur excommunicationis pœna, non vult Eccleſia impuberes ita acriter punire; non quia non velit ſuæ legi ſubditos eſſe, quia reuera vult, ſed quia nõ vult trãſgreſſionem eorum ita acriter punire. Quare vniuerſaliter tenentur omni lege, ſed non incurrunt rigidas pœnas adultorum, niſi ipſa lex eos comprehendat expreſsè; tunc enim illa vniuerſalis indulgentia illius legis omninò ceſſaret. Dixi *niſi ipſa lex eos comprehendat expreſsè*: Nam hac de cauſa notant meritò aliqui Doctores, illa lege Concilij Trid. *ſeſſ.25. de regularibus, c.5.* nõ tãtùm obligari pueros, ne ingrediantur ſepta Monaſterij Monialiũ quãdo ſunt doli capaces, etiã ante pubertatẽ, ſed incurrere in ſententiã excommunicationis, Quia ibi expreſsè ſic dicitur: *Ingredi intra ſepta monaſterij nemini liceat, cuiuſcũq; generis, aut conditionis, ſexus, vel ætatis fuerint, ſine Epiſcopi vel ſuperioris licẽtia in ſcriptis obtenta, ſub excõmunicationis pœna, ipſo facto incurrenda.* Vbi videntur etiam pueri ad eam pœnam obligari. Nam Eccleſia poteſt etiam pueros obligare ad eam; & vniuerſalis illa indulgentia in hac lege ceſſare videtur. At verò excommunicatio, & aliæ pœnæ impoſitæ maioribus, qui non confitentur, non ligant pueros ante annos quatuordecim pubertatis, quia non eſt expreſſum in illa lege, & illa vniuerſalis indulgentia pueris conceſſa, fauet illis manifeſtè. Idem cenſet meritò Vaſquez dicendum de puellis, quamuis de illis nihil ius ſtatuat; obſeruato tamen tempore pubertatis earum, qui eſt annus duodecimus. Quod tempus in fœminis aſsignatur non ſolùm quia illæ citius ſunt potentes ad generandum; ſic enim tantum aſſignaretur ad Matrimonium, ſed propter vſum rationis; quia etiam iudicantur citiùs ad vſum rationis, quàm viros peruenire. Vnde non ſolùm in Matrimonio, ſed etiam in aliis contractibus, & in ſubiectione ad tutorem, huius ętatis anni duodecimi tantùm habetur ratio. Quare illæ licet peccent tranſgrediendo præceptum annuæ Confeſſionis, non ligantur pœna excommunicationis, nec aliis pœnis ante annos pubertatis, vt idem dictum eſt de pueris.

Ad primam illam ſententiam ſuprà *numero nono* adductam, 14
conſtat, quàm falſa ſit ex primo Dicto. Ad illius argumentum, conſtat apud Theologos diuerſam eſſe rationem de Confeſſione, ac de Euchariſtia; nam ad hanc requiritur, vt communicantes diſtinguere ſciant cibum Euchariſticum ab aliis cibis, & Dominum in eo deliteſcentem venerari, ac plenè cognoſcere dignitatem huius Sacramenti, ad quod maior diſcretio requiritur, quàm ad Confeſsionem. Vnde etiam ex ipſis verbis præcepti, colligi videtur diuerſitas: Nam Communio præcipitur cum illa limitatione: *ſuſcipiens reuerenter, niſi fortè de proprij Sacerdotis conſilio ob aliquam rationabilem cauſam ad tempus ab huiuſmodi perceptione duxerit abſtinendum.* Quæ verba, neque alia æquiualentia adduntur in ordine ad Confeſſionem.

Ad aliam Gaſparis Sanchez ſententiam, iam liquet 15
ex Dicto vltimo, eſſe ius latum in fauorem puerorum, vt non puniantur ante pubertatem illis pœnis, niſi quando expreſsè, ac in particulari in aliquo Canone illi exprimantur. Vnde tametſi pueri impuberes ratione vtentes poſsint cenſura excommunicationis, & aliis Eccleſiaſticis pœnis puniri, tam à iure, quàm ab homine; tamen ex benignitate Eccleſia non vult communiter ita acriter eos punire.

Quartum, & vltimum dubiũ eſt, an ſũmus Pontifex 16
comprehendatur præcepto annuę Confeſsionis. Et certè res iſta pertinet ad tractatũ de legibus, vbi diſputatur an

Digitized by Google

Princeps teneatur legibus ſuis, de qua difficultate videatur Suarez *lib. 3. de legibus c. 39.* Quare breuiter dico cum communi ſententia; Papam non obligari eo præcepto per vim coactiuam, nec teneri ſubire pœnas impoſitas illius legis tranſgreſſoribus, quia legiſlatores non tenentur vi coactiua ſuas leges ſeruare, ſed directiua tantùm ex vi legis naturalis, quâ tenetur caput ad bonum regimen, & directionem membrorum eiſdem ſe conformare. Nam obligatio, qua Princeps tenetur ſeruare legem ſuam, non oritur immediatè à voluntate, & poteſtate Principis volentis ſe obligare, ſicut ea obligatio quæ eſt in ſubdito: nam Princeps non eſt ſibi ſuperior, vt ſeipſum poſſit immediatè ſuo præcepto obſtringere; ſed oritur ex ipſa rei natura, id eſt ex conditione Principis, ex quo prouenit vt ius naturale dictet, Principem debere pati legem, quam ipſe ſubditis ſuis imponit *L. 1. ff. Quòd quiſque iuris*, & *cap. Cùm omnes, de constitutionibus.* Quod intelligendum eſt, ſi ratio legis æquè in vtriſque locum habeat. Quare Princeps non poteſt ſeipſum pro arbitrio, lege ſua eximere; cùm iure naturali teneatur ſe ſuis ſubditis conformare. Vnde ſi contrà fecerit, peccabit pro conditione materiæ, & virtutis præceptæ. Quod ſi iuſta cauſa ſubſit, non peccabit; quia poſitâ cauſâ, ceſſat illa obligatio per ſe; eo quòd deſinat illa ratio, ob quam ſe ſubditis
17 debeat conformare.

Notāt verò Doctores graues, inter quos Leſſius *lib. 2. de iuſtitia, c. 35. n. 34.* Si Princeps abſque iuſta cauſa, in vno, vel altero actu fecerit contra ſuam legem, non peccaturum mortiferè, modò ſcandalum abſit; quia non tenetur illam ſeruare, niſi in illo iure, quo ſe tenetur conformare ſubditis: & non videtur grauis deordinatio, quòd legiſlator, vel Princeps, in vno, vel altero actu non conformetur ſubditis ſecluſo ſcandalo: Vt etiam id notauit Caſt. Palao *d. 1. punct. 4. §. 1. n. 5.* ex quo poſſet quis inferre, Papam non peccaturum mortaliter ſecluſo ſcandalo, vel alia ratione extrinſeca, quamuis vno vel altero anno non obſeruaret legem dictam de annua Confeſſione Sacramentali; quia licèt omiſſio Confeſſionis vna aut altera vice ſit in ſe res grauis, & ideò obliget omnes fideles ſub culpa mortali; in ordine tamen ad pacem, & bonum Eccleſiæ regimen, poſſet videri leuis, ſi vna, vel altera vice non ſe conformaret ſubditis in ea lege.

Ipſe ſentio, prædictum caſum non eſſe moralem, ſed metaphyſicum: ſi tamen quod Deus auertat, contingeret, Pontificum lapſum fuiſſe in mortale peccatum, & in eo permanere; idque fidelibus publicè cõſtaret, lethaliter peccaturum, ſi vna ſolùm vice tranſgrederetur præceptum annuæ Confeſſionis Sacramentalis, ratione certiſſimi, ac euidentiſſimi ſcandali, quod eſſet in Eccleſia vniuerſali, pro conditione materiæ, & virtutis præceptæ, quæ eſt expiatio peccatorum per Sacramentum Cõfeſſionis; quod ſemel in anno omittere ſupremum Eccleſię Principem, præberet occaſionem fidelibus ſuſpicandi contra illum, non bene ſentire de eo Sacramento ac remedio, cùm eo non vtatur, iuxta communem, ac neceſſarium vſum fidelium exiſtentium in ſtatu peccati mortalis, ad impetrandam gratiam per illud Sacramentum, ac remiſſionem ſuorum peccatorum: In ordine quoque ad bonum Eccleſię regimen, & omnium fidelium bonum exemplum, teneretur Pontifex in eo caſu confiteri; ne in re tam graui deficiens, ab omnibus deſpiceretur, ac contemneretur: quod manifeſtè cederet in graue totius Eccleſię nocumentum, ac perniciem manifeſtam, vt videtur eſſe per ſe notum.

SECTIO VII.

Qua ratione debeat computari annus; intra quem conſcius ſibi peccati mortalis teneatur confiteri?

Conſtat *primò* apud omnes, tempus neceſſarium, in quo omnes confiteri debeant, eſſe iam aſſignatum in illo *c. Omnis vtriuſq; ſexus, &c.* videlicet vt ſemel in anno, quiſque fidelis conſcius peccati mortalis confiteatur. Dubium tamen eſt, quo tempore anni obliget, an neceſſariò in Quadrageſima, ſeu in Paſchate, ita vt hic annus computandus ſit à Paſchate in Paſcha, vel à Quadrageſima in Quadrageſimam, comprehenſis paucis illis diebus poſt Quadrageſimam, in quibus impleri poteſt præceptum ſumendi Euchariſtiam: an potiùs obliget toto anno; quocumque menſe à menſe Ianuarij, vſque ad menſem Decembris; itavt annus deſignatus impletioni huius præcepti, initium ſumat à prima die Ianuarij, & finiatur vltima die Decembris: quem modum ſeruat annus communis, & vſualis. 1

Præterea obſeruandum eſt, quæſtionem procedere de præcepto annuæ Confeſſionis ratione ſui, quatenus ſpeciale committitur peccatum omiſſionis contra præceptum affirmatiuum confitendi ſemel in anno; non verò de præcepto Confeſſionis, ratione ſuſcipiendi Euchariſtiam: ſic enim licèt ſemel eſſet confeſſus in anno adueniente tempore Communionis, teneretur ſub mortali confiteri de mortali, quod poſt aliam Confeſſionem commiſiſſet, aut antea, ſi nondum illud fuiſſet confeſſus. 2

His præmiſsis, duplex occurrit difficultas explicanda. *Prima eſt*, quomodo computetur annus in ordine ad ipſius Confeſsionis præcepti impletionem. *Secunda*, vtrùm, vt quis ſatisfaciat præcepto Confeſsionis præciſè, ſufficiat eum quauis parte anni confiteri. Primam difficultatem hîc explicabo; ſecundam verò *ſectione ſequenti.*

Modus computandi ſatis communis eſt, vt annus cõputetur à Quadrageſima in Quadrageſimam, comprehenſis etiam illis paucis diebus poſt Quadrageſimam, in quibus impleri poteſt præceptum aliud ſumendi Euchariſtiam. Hunc modum ſequitur Suar. *diſp. 36. ſect. 3.* Henriq. *lib. 1. de Sacram. Pœnit. c. 4. n. 1.* Coninc. *diſp. 5. dub. 6.* & Alij. Poteſtque probari.

Primò, quia hic modus videtur magis conſentaneus conſuetudini Eccleſiæ; cùm videamus tempore Quadrageſimę omnes fideles confiteri; & Trid. *ſeſſ. 14. c. 5. in fin.* dictam conſuetudinem approbare, & laudare.

Secundò, Prælati eo tempore exigunt Confeſsionem tanquam debitum, & cogunt fideles, etiam eos qui communicaturi non ſunt, ad impletionem huius præcepti, & excommunicant tranſgreſſores: quod non facerent, niſi eo tempore annus finiretur. Prouincialibus etiam legibus id tempus Quadrageſimæ ſtatuunt ad confitendum.

Tertiò, in Concilio Agathenſi relato in *c. Quadrageſimæ diſt. 50.* præcipitur, vt initiò Quadrageſimæ confitentibus pœnitentia detur.

Quartò, prædictum modum computandi annum in ordine ad pręceptum Confeſsionis ſupponit Sixtus IV. in *Extrauagante, Vices, de trega & pace.* Nam cùm Religioſi Mendicantes prædicarent in Germania. Parochianos non eſſe obligatos etiam in Paſchate confiteri proprio Sacerdoti Sixtus IV. *In prædicta Extrauagante*, ipſis pręcepit, vt deſiſterent hoc prædicare aſsignans rationem. *Quia de iure*, inquit, *tenetur Parochianus ſaltem*

Digitized by Google

ſaltem in Paſchate confiteri proprio Sacerdoti. Alludit autem ad caput, *Omnis vtriuſque.*

Vltimò, ſumitur argumentum ex prædicta particula, *ſaltem*, dictæ Extrauagantis: Nam hæc appoſita tempori obligationis, habet vim deſignandi vltimum temporis terminum, qui præteriri non poteſt ſine præcepti violatione Nam qui tenetur verbi gratia recitare officium, in nulla hora diei determinatè tenetur recitare, ſed in hora noctis vndecima tenetur recitare, non abſolutè, ſed cum addito particulæ, *ſaltem.* Non enim eſt verum dicere: ſacris initiatus tenetur recitare officium hora noctis vndecima; ſed verum eſt dicere; ſacris initiatus tenetur recitare officium hora ſaltem noctis vndecima. Vnde illa particula, *ſaltem*, deſignat horam vndecimam tanquam vltimũ terminum, qui præteriri non poteſt ſine peccato; atque adeò ſupponit diem computari ab initio horæ duodecimæ noctis vſque ad finem horæ vndecimæ, in ordine ad præceptum recitandi. Cùm igitur Pontifex dicat teneri fideles confiteri ſaltem in Paſchate, apertè ſupponit tunc finiri tempus deſignatum ad huius præcepti impletionem, ac per conſequens ſupponit annum computari ab vno Paſchate ad aliud, vel, quod idem eſt, ab vna Quadrageſima in aliam.

4 Mihi magis placet alter modus computandi annum, vt intelligatur annus iuxta communem ſignificationem, ſcilicet, à prima die Ianuarij vſque ad vltimam Decembris. Ita Vaſquez *quæſt. 90. artic. 3, dubio 1.* Ludouicus Mæratius *diſp. 25. ſect. 4.* Gaſpard. Hurtado *diſputat. 7. difficultate 10.* Diana *tomo 1. tractat. 3. Miſcellaneor. reſolutione 53.* Syluius, & Nugno, quos ipſe refert. Ratio à priori eſt, quia ex vna parte, annus abſolutè dictus ſic communiter & ordinariè computatur; ergo cùm lex in *capite, omnis vtriuſq; ſexus*, non diſtinguat, ſed abſolutè pronunciet omnẽ fidelem teneri ſingulis annis cõfiteri; nec nos diſtinguere debemus, ſed illũ annũ abſolutè accipere iuxta cõmunẽ & vulgarẽ ſignificationẽ illius. Ex altera parte nullũ eſt ſufficiens fundamentum, vt pro impletione dicti præcepti ad aliã extraordinariã anni cõputationẽ recurramus, vt conſtabit ex ſolutione eorũ quæ obiecta ſunt; ergo.

5 Ad primum itaque argumentum de conſuetudine, dicendum eſt nullius eſſe roboris. Nam ſi quid probaret, æque conuinceret quoque non ſolùm eſſe computandum annum à Quadrageſima ad Quadrageſimam, verùm nec in alio tempore extra Quadrageſimam poſſe adimpleri eiuſmodi præceptum; quod aduerſarij negant, vt videbimus *ſectione ſequenti.* Quod verò id ſequatur, patet quia æqualis eſt conſuetudo de computando anno à Quadrageſima ad Quadrageſimam, ac de adimplendo præcepto in Quadrageſima. Quare ſicut ipſimet non obſtante ea conſuetudine, dicunt poſſe adimpleri præceptum quouis anni die; ita & nos quoque dicimus eſſe computandum annum, vt abſolutè, & communiter computatur, nihil obſtante prædicta conſuetudine. Et ratio vtriuſq; eſt, quia conſuetudo confitendi tempore Quadrageſimæ neque fuit introducta, neque recepta in populo cum approbatione Superioris vt obligatoria, ad ſatisfaciendum præcepto Confeſſionis per ſe, quod erat neceſſarium, vt haberet vim legis, ſed fuit introducta ratione Cõmunionis ad quam tempore Paſchæ tenentur omnes, & per accidens quoque fuit introducta eo tempore Confeſſio: nam cùm omnes habentes conſcientiam peccati mortalis, debeant præmittere Confeſſionem Communioni; viſum eſt illis hoc tempus aptiſſimum eſſe ad ſatisfaciendum ſimul vtrique præcepto Confeſſionis, & Communionis; quos imitati sũt alij, qui non ſunt communicaturi. Quare illa conſuetudo orta eſt ratione Euchariſtiæ, quæ tunc ſumitur, & quam debet præcedere Confeſſio, non verò propter obligationem Confeſſionis. Vnde nec talis conſuetudo eſt inducta animo ſe obligandi, ſed faciendi Confeſſionem ex præcepto debitam intra annum, ſine impoſitione noui præcepti. Tridentinum autem probat, & laudat hunc morem, vt pium, & meritò retinendum contra Hæreticos illum irridentes, nullam tamen poſuit obligationem obſeruandi illum, vt conſtat ex eius verbis.

Ad ſecundum dico Epiſcopos, & Prælatos ideò poſt 6
Quadrageſimam iniungere pœnas, ac excommunicant tunc non confitentes, non quia exiſtiment non poſſe alio tempore adimplere præceptum Confeſsionis, ſed cùm ſciant fidelium morem; confitendi nimirùm eo tempore, prudenter præſumunt omittentes tunc Confeſsionem, differre illam vltra annum. Quare ſi per ſchedulam Confeſſarij, vel alio modo conſtaret Epiſcopis, Petrum verbi gratia, eſſe confeſſum menſe Ianuario, non illum obligarent ad iterùm confitendum eo anno, vt rectè obſeruat Granado citatus, *numero 10.* niſi ratione Communionis, ad quam accedere debet tempore Paſchatis, Vnde ſi à Communione eſſet deobligatus ratione infirmitatis, vel alterius impedimenti, non poſſet eo tempore cogi ad Confeſsionem. Decreta autem ſynodalia, aut leges Prouinciales non determinant tempus Confeſsionis aliter, quàm in capite *omnis vtriuſque ſexus*, determinatum eſt; quia poſtquam ab Eccleſia facta eſt talis determinatio, ipſæ id non intendunt, ſed ſolùm procurant, vt præceptum Confeſsionis impleatur, vt benè notauit Suarez *diſputatione trigeſimaſexta ſectione tertia numero quarto.* Imò meritò exiſtimat Vaſquez citatus *num. 11.* illud non poſſe leges prouinciales determinare; quia determinare ius diuinum Confeſsionis ad hoc, aut illud tempus, ad vniuerſalem Eccleſiam, aut ſummum Pontificem pertinet; non ad particularem Eccleſiam vel Epiſcopum, præſertim quando iam Eccleſia vniuerſalis modificata eſt præceptum Confeſsionis.

In aliquibus autem Diœceſibus particularibus; vt 7
in Toletana, Valentina, & aliis, tantùm præcipitur vt in Quadrageſima incipiat fieri catalogus eorum qui confeſſi ſunt, vt perferatur ad Archiepiſcopum, vel Epiſcopum; non verò vt omnes confiteantur eo tempore: fieri enim poteſt catalogus eo tempore, eorum etiam qui alio tempore intra annum confeſſi ſunt, & ad hoc illi deferant teſtimonium Confeſſarij.

Ad tertium, communis ſolutio eſt, ibi ſermonem eſ- 8
ſe de publicis pœnitentibus, qui cogebantur agere publicam pœnitentiam vſque ad tempus Quadrageſimæ, quia eis ſuſpendebatur abſolutio vſque ad illud tempus, & conferebatur eo tempore, arbitrio Sacerdotis imponentis pœnitentiam. Vnde id non eſt ad rem, quia modò tantùm eſt ſermo de vniuerſali Confeſſionis præcepto, quod omnibus imponitur.

Ad quartum, breuiter dico, ibi non determinari tem- 9
pus Confeſſionis excluſiuè, ita vt tunc, & non aliàs debeat obſeruari præceptum, ſed ſaltem tunc ratione Communionis debere fieri, quia tunc fideles ſi habeant peccatum mortale, debent confiteri ad Communionem. Et fortè tempore Sixti IV. Confeſſio, quæ tunc fiebat, debebat fieri cum proprio Parocho; quod iam modo reuocatum eſt: inde autem non ſequitur, præceptum Confeſſionis ſecundùm ſe obligare ad illam tunc faciendam.

Ad vltimum dico ex illa particula, *ſaltem*, nihil inferri contra noſtram doctrinam: nam cùm Pontifex dicit teneri fideles, qui habent conſcientiam pecca-

peccati mortalis, confiteri ſaltem in Paſchate, apertè ſupponit tunc finiri tempus deſignatum ad implendum præceptum Communionis; & conſequenter ad Confeſſionem faciendam, non ratione ſui, ſed ratione Communionis: quod nos libenter concedimus, nec vllus id negare poteſt.

SECTIO VIII.

An vt quis ſatisfaciat præcepto annuæ Confeſsionis præcisè, ſufficiat eum quauis parte anni confiteri?

1 CErtum eſt *primò*, præceptum annuæ Confeſſionis per ſe, & ratione ſui obligare ad confitendum, quamuis non ſit recipienda Euchariſtia; & obligare ad confitendum ſaltem ſemel in anno, vt conſtat ex *c. Omnis vtriuſque ſexus*. Vnde conueniunt Doctores, puerum habentem conſcientiam peccati mortalis, etſi nondum teneatur præcepto Communionis, peccare mortaliter, non confitendo ſemel in anno. Difficultas eſt, quo anni tempore adimplendum ſit Confeſſionis præceptum?

2 Certum eſt etiam *Secundò*, eum qui initio anni integrè confeſſus eſt, non teneri ampliùs toto anno confiteri, ſi nullum amplius committat peccatum mortale: quia ſoli illi ad Confeſſionem obligantur, qui ſunt ſibi conſcij peccati mortalis.

3 *Tertiò*, denique certum eſt, eum qui ante Paſcha confeſſus eſt, ſi antequam communicet, ſit ſibi adhuc conſcius alicuius peccati mortalis, teneri iterùm confiteri, vt poſſit communicare. Quæſtio ſolùm eſt, an ſi quis confiteatur menſe Ianuarij, & paulò poſt peccet iterùm mortaliter, teneatur in Quadrageſima iterùm confiteri ex vi præcepti Confeſſionis, itavt eam omittendo peccet, tametſi ob iuſtam cauſam non communicet.

4 Duæ ſunt de hac re ſententiæ. Prima aſſerit, talem iterùm ad eam obligari tempore Quadrageſimæ. Ita Petrus de Soto *lect. 5. de confeſſione*, Fagundez *2. præcepto, lib. 1. c. 3. n. 5.* & alij. Quę probari poteſt *primò*, quia in *cap. Omnis vtriuſque ſexus*, dicuntur fideles ſingulis annis teneri confiteri omnia ſua peccata mortalia, ſcilicet hoc anno commiſſa. At talis ſi non confiteatur in Quadrageſima, vel Paſchate, non confitetur omnia peccata mortalia, quæ eo anno commiſit: ergo non ſatisfacit præcepto.

Secundò, quia aliàs qui fuiſſet confeſſus, ſtatim poſt Dominicam in Albis, poſſet ſine violatione illius præcepti differre Confeſſionem ferè per duos annos integros, ſcilicet toto illo anno, & vſque ad finem ſequentis.

Tertiò, quia etiam ſequeretur eum, qui confitetur mortalia, quorum nunc recordatur, & poſt Confeſſionẽ recordatur alterius, non debere illud hoc eodem anno confiteri, vt compleat Confeſſionem præcedentem; quod non videtur concedendum.

Quartò, fieret eum, qui in prima Confeſſione, dictis aliis peccatis mortalibus, tacuit ſcienter aliquod mortale propter iuſtam cauſam, non teneri illud peccatum intra eundem annum confiteri alteri Confeſſario, vel eidem, quando iam commodè poteſt illud confiteri. Quod videtur negandum, quia quiſque tenetur confiteri omnia mortalia, quę illius memoriæ occurrebant; ergo ſi ex illis vnum non potuit tunc dicere in prima Confeſsione ob iuſtam cauſam, tenetur poſteà illud fateri, quando iam commododè poteſt.

Quintò, ſequeretur ſi quis hoc anno confeſſus fuiſſet ſæpè venialia, & etiam aliquod mortale dubium, & poſtea incideret in aliquod mortale certum, non obligari hunc ad confitendum hoc peccatum nouum ante finem anni. Quod videtur manifeſtè falſum. Tum quia ſi quis ſolùm confeſſus fuiſſet venialia, non deberet quoque iterùm confiteri eodem anno, ſi incideret in peccatum graue, quod dici non poteſt. Tum maximè, quia poteſt contingere, quòd illud peccatum dubium, reuera non fuerit peccatum; atque ideò nec fuerit verè ab illo abſolutus: imò nec quòd receperit verum Sacramentum, ſi ſupponatur non dediſſe aliam materiam, vel non dixiſſe venialia cum dolore de illis; ergo tenebitur ad iterùm confitendum peccatum nouum certum, quia adhuc non impleuit præceptum Chriſti hoc anno de Confeſsione Sacramentali peccati grauis. Imò idem dicendum videtur, licèt dederit ſimul pro materia alia venialia peccata: nam etiam tunc non fuit abſolutus verè ab vllo peccato mortali, ſed à ſolis venialibus: ergo vt præceptum Chriſti impleat, debet confiteri hoc peccatum graue nouum, vt recipiat à peccato mortali abſolutionem Sacramentalem.

Vltimò, ex contraria ſententia ſequeretur, eum qui ſola venialia confitetur, mortalis alicuius peccati quod habet immemor, non teneri, cùm recordatur, illud eodem anno confiteri. Patet Sequela, quia per primam illam Confeſsionem venialium, cùm fuerit formaliter integra, iam ſatisfecit reipſa pręcepto confitendi quod reuera habebat.

Secunda ſententia defendit, ſatisfieri huic præcepto confitendi, quocumque anni tempore confitendo. Ita Vaſquez hic *q. 90. a. 3. dub. 1. n 5. & 15.* Victoria *in ſumma, num. 157.* Soto *in 4. d. 18. quæſt. 1. articul. 4. concl. 1.* Henriquez *lib. 4. de Sacramentis, cap. 4. n. 7.* Coninck. *diſp. 5. dub. 6. n. 58.* & Alij. Probatur hæc opinio ſatis efficaciter ex cap. *Omnis vtriuſque*. Vbi præcipitur & annua Confeſsio, & annua Communio; & hæc dicitur debere fieri in Paſchate; de illa verò ſolùm, quòd debeat fieri ſemel ſaltem in anno: quæ verba reuerà non ſignant tempus determinatum anni, atque adeò obſeruatio illius præcepti nulli certo tempori alligatur: ergo qui initio anni confeſſus eſt, etiamſi peccatum mortale in Quadrageſima commiſiſſet, non tenetur iterùm confiteri, nec in Quadrageſima, nec alio tempore anni. 5

Suarez verò *diſput. 36. ſect. 3. num. 10.* ſibi videtur has duas ſententias conciliare, dicens, illam quæ dicit, hoc præceptum Confeſsionis obligare determinatè pro tempore Quadrageſimæ, intelligendam eſſe, ſi homo habeat conſcientiam peccati mortalis non confeſſi: aliam verò, quæ negat, hoc præceptum obligare in determinata parte anni, eſſe intelligendam per ſe; quia in quacumque parte anni homo confiteatur, implet hoc præceptum quoad ea quæ tunc confiteri poteſt. 6

Cæterùm meo iudicio, nullo modo videtur ſic conciliatas manere iſtas ſententias: nam huius ſecundæ ſententiæ Doctores, vt videre eſt apud Vaſquez citatum, expreſsè dicunt, ſe non loqui de eo qui confeſſus ante Quadrageſimam non iterùm peccauit; quia indubitatum eſt nullam ineſſe obligationem huic homini iterùm confitendi: ſed loqui de illo, qui iam confeſſus fuerat menſe Ianuarij, verbi gratia, & poſtea eſt in noua crimina mortalia lapſus; & de hoc affirmant, hominem iſtum, ſi ob iuſtam cauſam à Communione excuſatur tempore Paſchatis, non teneri tpõere Quadrageſimæ confiteri: quod ſi culpabiliter omitteret Cõmunionem, & non confiteretur, ſolùm perpetra 7

petraret vnicum peccatum contra præceptum Communionis.

8 Dico *primò*, iuxta ſecundam ſententiam, quæ mihi videtur probabilior, adimpleri præceptum Confeſſionis quouis anni die. Probatur ratione dicta, quia in capite *Omnis*, nullum anni tempus determinatur ad præcepti Confeſſionis adimpletionem, ſicut aſſignatur Communionis; ergo quamuis præceptum Communionis debeat certo anni tempore adimpleri, non verò Confeſſionis; ideò huiuſmodi præceptum poteſt quouis anni die adimpleri, dummodò tunc aperiantur peccata mortalia nondum in Confeſſione manifeſtata quæ facta ſufficienti conſcientiæ diſcuſſione memoriæ tunc occurrunt. Neque ex conſuetudine fidelium, aliquid contrarium colligitur, vt dixi *præcedenti ſectione numero quinto*, (neque enim eſt vlla conſuetudo obligatoria.) Vnde qui confeſſus eſt hoc anno peccata mortalia, ſi ante finem anni peccet iterùm mortaliter, non tenetur illo anno iterùm confiteri, ſed poteſt illud nouum peccatum ſeruare ad Confeſſionem anni ſequentis; quia præceptum capit. *Omnis*, confitendi, non eſt intra annum confitendi omnia peccata mortalia illo anno commiſſa, ſed ſolùm cõfitendi ſemel peccata mortalia vſque ad Confeſſionem facta: aliter enim qui vltimo die legitimè confeſſus communicaſſet, & ſtatim poſtea peccaret mortaliter, teneretur eodem die iterùm confiteri; quia aliàs hoc anno non eſſet confeſſus omnia peccata, quæ in eo commiſiſſet. Illud autem eſt apertè abſurdum: Quare ſolùm iubemur confiteri omnia peccata, quatenus hoc eſt neceſſarium ad integritatem Sacramenti, quod tenemur ſuſcipere; itavt quando confitemur, nullum peccatum mortale culpabiliter omittamus.

De puero autem ſimiliter dicendum eſt, illum non obligari lege Confeſſionis ante rationis vſum, vt conſtat; à primo verò puncto quo illum habet, incipere obligari. Vnde ſi mortaliter peccet, non poteſt ſine violatione præcepti differre Confeſſionem vltra annum; ac proinde ſi elabi ſinat annum & non confiteatur, erit huius præcepti transgreſſor; ſecus verò non.

9 Dico *ſecundò*, quantum eſt ex præcepto præciſo Confeſſionis, poſſe quem ferè per duos annos integros licitè abſtinere à confeſſione peccati mortalis ſine violatione illius præcepti. Sequitur hoc dictum ex præcedenti; neque eſt in hoc maius abſurdum, quàm ſit abſurdum, eum qui vouiſſet ſingulis menſibus confiteri, ſatisfacere ſuæ obligationi confitendo primo die Martij, verbi gratia, & vltimo die Aprilis. Quo caſu certum eſt, eum ſine vlla voti violatione ferè per duos menſes Confeſſionem differre. Quod idem fit ſæpe in recitatione Officij, ſi aliquis recitet totum Officium hodiernum, ſtatim poſt mediam noctem, & totum craſtinum, recitet cras proximè ante mediam noctem; hic enim per biduum ferè nihil recitauit. Fateor dilationem tam Confeſſionis, quàm Officij & voti in prædictis caſibus non eſſe ſatis conformem, nec omninò ſatisfacere finibus, qui per talia ſiue præcepta, ſiue vota intenduntur, qui ſunt ne diu Confeſſio, nec Officij recitatio differantur: inde tamen nihil concluditur contra noſtrum Dictum; quia vt conſtat, poteſt ſatisfieri præcepto, etſi non omninò ſatisfiat fini illius: nam aliud eſt, aliquid requiri ex decentia, & vt omninò ſatisfiat fini per præceptum ſeu votum intento; aliud verò eſt, hæc ad illud obligare: eſt enim ſatis communis ſententia, ſatisfacere præcepto Communionis, eum qui in Paſchate communicat in peccato mortali, nullo tamen modo ſatisfacit fini ab Eccleſia intento.

Dico *tertiò*, eum qui confitetur mortalia, quorum nunc recordatur, & poſt Confeſſionem recordatur alterius, non teneri illud hoc eodem anno confiteri. Hoc ſemper intelligendum eſt niſi occurrat periculum mortis, aut neceſsitas communicandi. Ita cum communi ſententia noſter Cardinalis Lugo *diſp.* 15. *ſectione* 7. *numero* 165. Et bene probat, quia Eccleſia ſolùm præcipit, quòd ſemel in anno ſatisfiat Chriſti præcepto, ſed per illam priorem Confeſsionem, ſatisfactum eſt ſemel Chriſti præcepto, quod ſolùm eſt confitendi omnia mortalia quæ tunc memoriæ occurrunt, præmiſſo diligenti examine, vt explicuit Tridentinum *ſeſſ.* 14. *cap.* 5. circa initium: ergo per illam primam Confeſsionem ſatisfactum eſt Eccleſiæ præcepto; nam certè per ſecundam Confeſsionem; non ſolùm impleretur ſemel, ſed bis præceptum Chriſti, ad quod tamen Eccleſia non obligat. Quare verus ſenſus præcepti Eccleſiaſtici hic eſt, vt obliget ad confitenda omnia peccata mortalia eo anno commiſſa, quantum memoriæ occurrunt factâ diligentiâ, & neceſſe eſt ad integritatem Sacramenti: quia hæc eſt obligatio iuris diuini, cui in hac parte nihil addit Eccleſiaſticum præceptum, ſed ſolùm in temporis determinatione, vt ſæpe diximus. Qui ergo nullam Confeſsionem facit, nullo modo implet hoc præceptum, & ideò obligatus manet; at verò qui facit, vt poteſt, adhibitâ diligentiâ Confeſsionem, abſolutè implet præceptum Eccleſiaſticum; & ideò etiamſi ex accidenti poſt Confeſsionem recordetur aliorum peccatorum mortalium, non manet obligatus vſque ad ſequentem annum. 10

Addo placere mihi quoque quod addit Cardinalis Lugo nec teneri ad confitendum eodem anno, peccatum quod quis in prima Confeſsione propter iuſtam cauſam ſcienter omiſit. Et meritò, quia iam præſentauit ſe ſuo Confeſſario, & dixit illi omnia mortalia, quæ illius memoriæ occurrebant, & quæ tunc poterat dicere; quod videtur ſatis ad implendum Chriſti præceptum, & ad obſeruandum præceptum Eccleſiæ. Idem dic de illo, qui in mortis periculo confeſſus eſt, & propter impedimentum ſuperueniens, non potuit dicere omnia peccata, ſed aliqua; hic enim elapſo periculo, non videtur obligatus ad confitenda alia eodem anno, quia iam fecit obligatoriam Confeſsionem formaliter integram hoc anno coram ſuo Confeſſario. Non verò eſt eadem ratio de illo, qui in caſu neceſsitatis propter ſcandalum, vel Communionem vrgentem confeſſus eſt alicui non habenti facultatem abſoluendi à reſeruatis: quia hic tenetur eodem anno confiteri reſeruata Prælato: ratio eſt, quia hic non confeſſus eſt ſemel coram Sacerdote proprio; præceptum autem Eccleſiæ non ſolùm eſt confitendi ſemel, ſed confitendi ſemel proprio Sacerdoti; hæc enim ſunt verba expreſſa Canonis in *capite, Omnis*; at per illam priorem Confeſsionem nondum eſt impletum præceptum Eccleſiæ: nam proprius Sacerdos eſt ille, qui habet poteſtatem ordinariam, vel delegatam ad abſoluendum pœnitentem à ſuis peccatis; in illo autem caſu ſolus Prælatus potens abſoluere à reſeruatis habet eam poteſtatem.

Dico *quartò*, cum eodem Cardinali Lugo, eum qui hoc anno confeſſus eſt venialia, & etiam aliquod mortale dubium, poſteà verò incidit in aliquod mortale certum, non teneri ad confitendum hoc 11

Digitized by

peccatum mortale certum ante finem anni. Ratio eſt, quia hic verè impleuit iam præceptum Eccleſię & Chriſti ſemel in hoc eodem anno, quoniam præceptum Chriſti licèt non ſit confitendi venialia; eſt tamen confitendi non ſolùm peccata mortalia certa, ſed etiam dubia, vt vidimus ſuprà *diſputatione vigeſimaprima, ſectione tertia*; atque ideò illud præceptum impletum eſt, confitendo peccata dubia, quæ tunc habebat. Vnde apparet manifeſtum diſcrimen huius, ab eo qui ſolùm confeſſus fuiſſet venialia; quia per Confeſsionem venialium non impleuerat Chriſti præceptum; atque ideò debet iterùm confiteri eodem anno, ſi habet peccatum mortale. Præceptum autem Chriſti non eſt ſolùm de Confeſſione veri & certi peccati mortalis, quod ſit capax veræ abſolutionis, ſed etiam de Confeſſione peccati dubij, quod fortaſſe aliquando non eſt capax veræ abſolutionis. Quare vtraque Confeſſione obſeruatur præceptum Chriſti, atque adeò & præceptum Eccleſiæ, quod ſolùm obligat ad Confeſſionem illam & de illis, quam fideles ex Chriſti præcepto debebant facere. Præceptum verò Chriſti obligat ad terminandam per ſententiam iudicis eam cauſam: vnde ſi non ſequatur ſententia, eo quòd non profertur, vel quia hic non eſt iudex, non impletur Chriſti præceptum; ſecus eſt, quando deferuntur ea quę Chriſtus pręcipit, vt in præſenti caſu, & iudex proprius terminat cauſam, quantum eſt de ſe: de hoc enim toto, & ſolo erat præceptum Chriſti.

12 Hinc dico *vltimò*, ſi homo habens peccatum mortale cuius non recordatur, confiteatur ſola venialia, teneri cùm recordatur, illud confiteri eodem anno. Hoc dictum ſequitur ex præcedentibus, & optima firmatur ratione, quia iſte homo non adimpleuit præceptum, nam præceptum Chriſti non eſt confitendi venialia, ſed confitendi peccata mortalia certa, vel dubia proprio Sacerdoti; at hic homo, licèt confeſſus fuerit, ſed non peccatum mortale; vnde non fecit id quod præcipiebatur, ſed aliquid aliud quod non præcipiebatur: ergo licèt habuerit præceptum, non tamen impleuit illud. In quo eſt diſcrimen à caſu, in quo quis v.g. audit Sacrum die feſto, ignorans eſſe feſtum, & abſque animo implendi præceptum, nam verè ſatisfacit præcepto. Cur ita? quia ille audiens Sacrum, verè facit totum id quod præcipitur: At qui confitetur ſolùm venialia, non facit id quod præcipitur à Chriſto, ſed aliquid quod non præcipitur.

Similiter iudico dicendum in illo alio caſu, in quo quis habet vnum ſolum peccatum mortale, quod propter iuſtam cauſam dicere non poteſt ſuo Confeſſario, cui alia venialia confitetur, teneri illud mortale intra annum confiteri alteri Confeſſario vel eidem, ſi poſſit, ceſſante iuſta cauſa illud reticendi. Quia tametſi fecerit Confeſſionem formaliter integram, ſed non fecit id quod præcipitur per præceptum Confeſsionis annuæ; atque ideò iure dicitur non ſatisfeciſſe illi præcepto, quia Confeſſio illa venialium non fuit ex obligatione orta præcisè ex præcepto diuino, vel Eccleſiaſtico Confeſſionis vt ſic.

13 Ex Dictis prædictis manifeſtè colligitur per quamcumque Confeſſionem integram, non ſatisfieri præcepto annuæ Confeſſionis. Nam inprimis per Confeſſionem, in qua ſola peccata venialia declarantur, non ſatisfit; quia non poteſt ſatisfieri præcepto per actum non præceptum: venialium autem peccatorum Confeſſio præcepta non eſt, ſed tantum mortalium. Quapropter qui ſæpius in anno ſola confeſſus fuerit venialia, ſi poſtea mortale committat, illud confiteri ante finem anni obligabitur. Prętereà nec ſatisfit præcepto Confeſſionis per Confeſſionem mortalium, quam non ſequitur Abſolutio: ſiue non ſequatur ob malitiam Sacerdotis, ſiue ob indiſpoſitionem pœnitentis, ſiue ob aliam cauſam. Ratio eſt quia cùm pręceptum Confeſsionis annuę ſit modificatio diuini præcepti, ea ſola Confeſsione illi ſatisfit, quæ à Chriſto præcepta fuit; ea autem ſola pręcepta fuit, quæ pars eſt Sacramenti Pœnitentiæ, & quâ proinde Sacramentum hoc reipſa ſuſcipitur; at eâ Confeſsione Sacramentum hoc non ſuſcipitur, quam Abſolutio non ſequitur.

Ad argumenta primæ ſententiæ ſuprà *numer.* 4. propoſita, dico, omnia illa manere plenè ſoluta doctrinâ traditâ quinque ſuperioribus Dictis.

SECTIO IX.

Vtrùm is qui vno anno hoc præceptum Confeſsionis non impleuit, teneatur ſtatim initio ſequentis anni confiteri?

OPinio eſt Antonini *3. p. tit. 9. cap. 9. §. 3.* Syluestri 1
verbo *Euchariſtia 3. q. 15. dubio 3.* Tabienæ verbo *communicare n.* 10. & aliorum docentium, eum qui in toto anno non eſt confeſſus, non teneri ampliùs præcepto anni elapſi, ſed eo elapſo eius obligationem extingui, ac proinde illum poſſe differre Confeſsionem vſque in finem anni ſequentis. Probari id poteſt *primò*, exemplo aliorum præceptorum, nempe recitandi Officium, ieiunandi, & audiendi Miſſam, quę, quia obligant intra determinatam diem, eo elapſo, obligatio illorum extinguitur, itavt non obligent pro die ſequenti, quia ſunt onus & pondus illius diei; ſed præceptum annuæ Confeſsionis etiam obligat intra determinatum annum fixis terminis clauſum (eſt enim Confeſsio annua pondus cuiuſque anni, ſicut officium diuinum eſt pondus diei:) ergo ſicut omittens Officium hodie, non tenetur recitare cras duplex officium, nec recitare ſtatim, ſed poteſt recitare qualibet hora diei craſtinæ; ſic qui omittit Confeſsionem hoc anno, non debet confiteri initio anni ſequentis, ſed qualibet die ipſius.

Secundò, quia aliàs talis, ſi ſtatim initio ſequentis anni non confiteretur, continuò peccaret; quod videtur durum.

Tertiò, præceptum Communionis Paſchalis ita eſt affixum Paſchati, vt qui tunc non communicauit, non obligetur ampliùs ad communicandum illo anno: ergo idem eſt dicendum de præcepto annuæ Confeſsionis.

Vltimò, qui in articulo mortis non eſt confeſſus, eo articulo elapſo, non tenetur confiteri ex vi præcepti pro articulo mortis; ergo ſimiliter in caſu præſenti, anno tranſacto, nulla manet obligatio confitendi poſteà anno ſequenti. 2

Alij verò vt Sotus *in 4 d. 18. quæſt. 1. art. 4.* Nauarrus *c. 21. n. 45.* Victoria *n. 147* Medina Cod. *de Confeſſione, quæſt. 14.* Vaſquez *q. 90. art. 3. dub. 2.* & communiter Recentiores affirmant, eum qui in toto anno non confitetur, teneri pręcepto illius anni elapſi, & obligationem illius non extingui adhuc eo elapſo. Probant, quia præceptum annuæ Confeſsionis non fuit latum in honorem anni, pro quo præcipitur fieri Confeſsio, ſed tantùm ne Confeſsio nimium differatur: ergo eo anno elapſo, non extinguitur obligatio talis præcepti. In quo hoc præceptum diſtinguitur à præceptis audiendi Miſſam, ieiunandi, & recitandi Horas, quia

quia hæc imponuntur in honorem illius diei determinati,& ei tantùm alligantur,ob quod eo die elapſo, extinguitur obligatio illorum. Firmatur,nam tempus annuum in hoc præcepto annuæ Confeſſionis ponitur quaſi meta, vltra quam non poſſit Confeſſio differri;vt ex illis verbis, *ſemel ſaltem in anno*, planè colligitur; nam dicere quòd ſemel ſaltem in anno obſeruetur, eſt dicere, quòd non differatur plus: ergo à fortiori tenebitur confiteri qui tranſgreſſus eſt terminum præfixum. Sicut tenetur comparere coram Iudice ille, cui intimatum eſt, vt compareat intra decem dies, etiamſi dies finiti ſint. Et ſicut tenetur ſoluere penſionem annuam, etiamſi annus tranſactus ſit; & Miſſam dicere die Veneris,aut alio,ſi die Iouis dicere tenebatur ratione Beneficij,& nõ dixit.Vnde ex fine & forma præcepti annuæ Confeſſionis manifeſtè colligitur, determinationem temporis, quæ in illo fit, non eſſe, vt in illo terminetur,& extinguatur obligatio, ſi non impleatur; ſed ſolùm vt toto illo tempore differri poſſit, non verò vltra illud.

3 Hanc ſententiam iudico veriorem. Ad cuius maiorem explicationem notandum eſt,dupliciter poſſe tempus adiici alicui præcepto,ſicut & voto implendo.Priori modo,quando eſt in honorem,& deuotionem temporis illius; ſic præcipitur Sacrum in die feſto;& promittitur ieiunium, deuotione alicuius Sancti, eius vigilia. Poſteriori modo,quando non temporis,aut diei intuitu, & deuotione, ſed adiicitur tempus vt executionis præcepti aut voti terminus,intra quem implendum eſt,nec vltrà differre liceat: vt cùm quis ex præcepto Superioris,debeat ſoluere debitum intra decem dies; vel ſi voueat quis ſe intra annum ingreſſurum Religionem.

4 Hoc præmiſſo. Dico *primò*, quando priori modo apponitur tempus, peccatur quidem præcepto,vel vòto tunc non impleto, ſed eo tranſacto extinguitur prorſus præcepti, aut voti obligatio: quando autem poſteriori modo, peccatur quoque tunc non implendo, ſed manet præcepti, vel voti obligatio: ita Caiet.Armilla, Sotus, Nauarrus, Arragon, Angles, Petrus de Ledeſma, Manuel, Azor, Valquez, Valentia, & alij, quos refert & ſequitur noſter Thomas Sanchez *operis moralis lib.* 4. *cap.*14. *num.*25. Prima pars dicti probatur, quia tunc tempus eſt intrinſeca rei,per illud præceptum, vel votum præceptæ, vel promiſſæ,circumſtantia, ac per modum vnius vtrumque ſub præcepto vel voto includitur; quandoquidem in temporis vel diei honorem illud fuit præfixum: Ergo cùm eo tranſacto, ſit impoſſibile rem præceptam,vel promiſſam cum ea circumſtantia implere,neceſſe eſt.vt ceſſet præcepti vel voti obligatio. Secunda pars oſtenditur ex *cap. Cum dilecti, verſu præterea cum mandatur,de dolo, & contumacia*, vbi deciditur, iuſſum ſoluere certa die, teneri ea elapſa: & ex *l. Celſus* §.1. *ff. de recept. arbit.* Vbi dicitur iuſſum dare decem certo tempore, duo præcepta habere, alterum dandi, & alterum eo tempore quo res promiſſa eſt; ac proinde tranſgreſſorem poſterioris teneri ad prius:tunc enim circumſtantia temporis non præcipitur, nec vouetur per modum vnius cum re promiſſa, ſed virtute ſunt duo vota.

5 Dico *ſecundò*, præcepti annuæ Confeſſionis obligationem manere tranſacto anno, atque ideò tranſacto anni tempore adhuc debere fieri Confeſſionem. Probatur,quia in prædicto præcepto terminus anni non eſt poſitus vt terminus, in quo extinguatur obligatio, ſed vt terminus executionis, intra quem differri poſſit executio, non verò vltra illum differatur; ergo manet obligatio tranſacto anno. Antecedens probatur, quia tametſi tam in præceptis, quàm etiam in votis ſoleat tempus vtroque modo deſignari; cæterùm quando vno, vel altero modo ſit intelligendum, ex communi omnium doctrina colligi debet, potiſſimùm ex materia & circumſtantiis præcepti; at ex prædicto capite, clarè colligitur in noſtro caſu tempus annuæ Confeſſionis non deſignari vt terminum in quo extinguatur obligatio, ſed vt terminum executionis, extra quem differri nequeat executio. Quod manifeſtè oſtendo ex verbis Tridentini *ſeſſ.* 14. *cap.* 5. prope finem dicentis, Eccleſiam voluiſſe, & ſtatuiſſe, vt ſaltem ſemel in anno præceptum Confeſſionis ab omnibus impleretur. Quibus apertè liquet, terminum anni fuiſſe poſitum, vt terminum executionis, hoc eſt, vltra quem non differatur, non verò vt terminum, in quo ſi non fiat, non ſit poſtea obligatio faciendi. Quia præceptum Eccleſiæ fuit ad hoc, vt fideles non differrent nimium obſeruationem præcepti diuini,vt ſignificãt prædicta Tridentini verba: nam dicere, quòd ſemel ſaltem in anno obſeruetur; eſt dicere quòd non differatur plus: ergo ita obligat, vt intra annum fiat Confeſſio, vt ſi tunc non impleatur, ſemper ac continuè obliget, ne ampliùs differatur. Igitur qui elapſo anno, adhuc non confitetur, tranſgreditur adhuc præceptum:nam facit quòd dilatio ſit maior. Firmo idem,nam ſi nulla eſſet Eccleſiæ determinatio confitendi, ſtando in ſolo iure diuino, ſi tunc prudenter iudicari poſſet hoc præceptum confitendi obligare, v. g. intra quinquennium, tranſacto illo non extingueretur obligatio, ſed magis ſemper vrgeret; quia tam forma præcepti mandantis, vt ſaltem intra quinquennium ſemel fieret Confeſſio, quàm intentio præcepti, vt Confeſſio nimiùm & per magis longum tempus non differatur, ita obligat, vt intra quinquennium fiat Confeſſio, adeò vt ſi tunc non impleatur,ſemper ac continuè obliget, ne vlteriùs differatur: ſicut ſi quis teneatur intra quinque menſes ſoluere cenſum,aut debitum, tranſacto eo tempore multò magis continuè tenetur. Igitur cùm fidelis de facto, ex Eccleſiæ præcepto obligetur intra tempus annuum ad Confeſſionem, tenebitur confiteri anno elapſo, ſi intra illum confeſſus non fuerit. Denique accedit vſus, & praxis totius Eccleſiæ excommunicantis fideles, qui præceptum Confeſſionis intra annum non ſeruant,nec poſſunt ab excommunicatione abſolui, donec confiteantur; quod eſt ſignum manifeſtum, teneri ſtatim, ac continuè ad Confeſſionem: nam ſi ſolùm excommunicarentur propter peccatum præcedens, facile abſolui poſſent, cùm illa excommunicatio reſeruata non ſit a quocumque Confeſſario; neque eſſet, cur forent in illa perſeueraturi donec confiterentur, niſi quia excommunicantur non tantùm propter commiſſam culpam,ſed vt impleant obligationem, quam ſemper retinent, ortam ex ipſo præcepto annuæ Confeſſionis.

Dico *tertiò*,eum qui hoc anno ſiue culpabiliter, ſiue ex iuſta cauſa non fuit confeſſus, teneri ſequenti anno, ſtatim data commoditate confiteri. Ita Doctores ſecundæ ſententiæ,& eſt fere communis omnium. Ratio eſt, quia dum nobis præſcribitur, vt intra annum confiteamur, terminus anni non ponitur,vt vis & obligatio præcepti in eo finiatur, ſed vt ſine peccato nemo poſſit eius impletionem vlteriùs differre, vt probatum eſt *præcedenti Dicto*; ergo ita præceptum Confeſſionis includit obligationem ad non differendum diutiùs Confeſſionem, ſicut votum intrandi intra annum Religionem:ergo in vtroque caſu,quò lapſo eo termino impletio diutiùs differtur, eò grauiùs peccatur;atque adeò talis homo,qui anno integro nõn fuit confeſſus, tenetur ſequenti anno ſtatim data commoditate confiteri. Firmo, quia huiuſmodi præceptum Eccleſiaſticum annuæ Confeſſionis, eſt præceptum affirmatiuũ,non negatiuũ,quia præcipitur actus poſitiuus Confeſſionis;in negatiuo enim ſolùm præcipitur abſtinentia ab aliquo 6

opere poſitiuo: At præceptum affirmatiuum non obligat pro omni tempore, ſed ſolùm quando eſt opportunitas exercendi actum poſitiuum. Vnde qui præcedenti anno peccauit, non adimplendo præceptum Confeſſionis, ſi ſtatim initio ſequentis anni habens opportunitatem, non confiteretur, continuò peccaret; non ſecus ac ille qui iniuſtè differt reſtitutionem, ſed non peccaret committendo ſemper nouum peccatum, ſed continuando, & aggrauando peccatum priùs commiſſum per omiſſionem Confeſſionis præcedenti anno: ſicut fur, & omnis iniquus detentor rei alienæ, vel alteri debitæ, continuè actu peccat toto eo tempore, quo cùm poſſit, non reſtituit: qui certè non primo die actu mortaliter peccat, ſed tunc cùm dilatio incipit habere notabilem deformitatem contra finem præcepti, aut ius creditoris. Quare in vtroque caſu ex facilitate ſatiſfaciendi obligationi, & cauſis eam differendi, atque aliis circumſtantiis id ſpectandum videtur. Aduerto tamen in noſtro caſu, toto tempore anni ſequentis, quo commodè poteſt fieri Confeſſio, non fieri nouum peccatum, moraliter loquendo, per illam voluntariam Confeſſionis omiſſionem, ſed continuari antiquum anni præcedentis; nam illa omiſſio informatur a prima voluntate omittendi anni præcedentis, quæ interpretatiuè cenſetur actu manere. Et quamuis interim ille haberet aliquoties voluntatem expreſſam toto eo tempore, non confitendi, non cenſeretur tamen moraliter nouum peccatum, neque plura numero peccata, niſi phyſica ratione, ſed vnum peccatum grauius; quia omnes illæ internæ voluntates referuntur ad vnum, idémque opus externum non confitendi, & cum eo vnum numero peccatum efficiunt: ſicut cùm quis verſatur in conatu occidendi inimicum, omnes actus præuij occiſioni, ſunt vnum numero peccatum morale, quia omnia interna deſideria tendunt ad eundem conatum.

7 Obiicies: ſi dilatio Confeſſionis eſt vnum continuum peccatum; ergo talis homo ſingulis momentis actu peccat, imò etiam cùm dormit; nam tunc etiam differt Confeſſionem. *Reſpondeo*, actu non peccare nouum peccatum addendo, ſed prius actu continuando: ſicut ſi mala voluntas occidendi per integrum diem duret, eſt vnum continuum peccatum: quod quò plus liberè durat, eò cæteris paribus grauius eſſe cenſetur. Negandum verò eſt, dum dormit, propriè loquendo, actu peccare vero & formali peccato; quia neque ſomnus, neque id quod fit in ſomno, dependet ab aliqua voluntate libera tanquam actio, quæ aſſiduè liberè fit, & continuatur; ſed tanquam effectus voluntatis præteritæ, & à qua ita pendet, vt cùm cœperit, non ſit in noſtra poteſtate continuare, vel abrumpere. Quare peccatum dilationis in ſomno, non continuatur formaliter, ſed effectiuè, quia effectus eius anteà præuiſus, & præuolitus continuatur. Vt enim formaliter continuetur, requiritur, vt aſſiduè dependeat ab hominis libertate, itavt vt quouis momento poſſit, & debeat tollere. De quo latè diximus in materia *de peccatis*.

8 Ad argumenta primæ opinionis *ſuprà num.* 1. propoſita. Ad primum, iam conſtat ex doctrina tradita *num.* 2. & ex noſtris Dictis ſolutio, & magna diuerſitas inter illa vtraque præcepta.

Ad ſecundum, iam dictum eſt ſuprà *num.* 6. *&* 7. quomodo continuetur, & aggrauetur peccatum prius commiſſum per omiſſionem Confeſſionis in anno; & etiam quomodo eam differens vltra annum, incipiat peccare ſtatim, ac commodè poſſit confiteri.

Ad tertium, dico hac in parte, eodem modo eſſe philoſophandum de præcepto annuæ Communionis, ac diximus de præcepto annuæ Confeſſionis.

9 Quare dico cum Suarez 3. *part. diſput.* 70. *ſect.* 2. & aliis, elapſo termino Paſchatis non extingui obligationem præcepti, ſed adhuc durare: quia præceptum communicandi non eſt ſicut præceptum ieiunandi, vel audiendi Miſſam tali die, ſed continet virtualiter duo præcepta, alterum communicandi ſemel ſaltem in anno, & alterum communicandi in Paſchate; hoc ſecundum alligatur tali termino, quia reſpicit honorem ac venerationem illius feſtiuitatis: alterum adhuc perſeuerat. Et ratio eſt, quia Eccleſia debuit, exigente Fidelium negligentia, determinare tempus implendi diuinum præceptum, in quo non fuerat tempus determinatum; in hoc autem defeciſſet Eccleſia, ſi eum, qui in Paſchate non communicaret, liberum reliquiſſet: multi enim tunc ob impotentiam excuſarentur: Cùm ergo diuinum præceptum non reſpiceret ſolùm venerationem & cultum Paſchatis, ſed debitam frequentiam Euchariſtiæ, hanc debuit Eccleſia primo loco, & principaliter præcipere, ac infrequentiam prohibere, licèt obiter præciperet Paſchalis feſtiuitatis venerationem. Eſt verò notandum, quòd ex doctrina tradita manifeſtè ſequitur, ex his duobus præceptis, alterum communicandi in Paſchate, ampliùs non obligare, nec poſſe obſeruari; manere tamen obligationem alterius præcepti communicandi ſaltem ſemel in anno; quod latum non eſt in honorem Paſchatis, ſed ne nimiùm differatur Communio. Vnde nō manet obligatio communicandi ſtatim poſt Paſcha, ſed ſolùm communicandi ante finem anni; qui annus computatur à principio Ianuarij vſque ad finem Decembris, qui eſt annus Eccleſiaſticus, & profanus; ſicut hebdomada computatur à die Dominica vſque ad Sabbathum. Quare ſicut qui habet obligationem communicandi ſingulis hebdomadis, ſufficit ſi intra illos ſeptem dies communicet, quocumque die id faciat; ſic qui debet intra annum ſemel communicare, ſufficit, quocumque menſe id faciat, quantum eſt ex vi illius præcepti Communionis annuæ. In quo diſſentio à Suarez citato. De quo plura in tractatu *de Euchariſtia*.

Ad vltimum, reſpondeo, eſſe manifeſtam diſparitatem; nam tranſacto mortis periculo, in quo aliquis culpabiliter, vel inculpabiliter præceptum Communionis non obſeruauit, non manet amplius obligatio; quia obligatio ſolùm erat pro articulo illo neceſsitatis: qua ceſſante, ceſſat præceptum; hoc enim tantùm latum eſt, ne quis decedat ex hac vita abſque Confeſsione mortalis, & abſque Viatico; elapſo autem articulo mortis, iam non decedet pro ea occaſione abſque Confeſsione mortalis, nec decedet abſque Viatico. 10

SECTIO X.

Vtrùm qui elapſo toto anno abſque Confeſſione, poſteà confitetur inchoato iam anno ſequenti, debeat iterùm confiteri eodem anno.

PRima ſententia docet non teneri, ſed per illam Confeſsionem ſatisfieri obligationi vtriuſque anni. Ita Reginaldus *libr.* 6. *num.* 41. Cardinalis Lugo *diſput.* 15. *ſect.* 7. *num.* 180. Mæratius *diſput.* 25. *ſect.* 4. *num.* 111. & alij nobiles Recentiores. *Primò*, quia de tali homine qui eſt eo anno confeſſus, etiamſi hoc fecerit initio anni, verum eſt dicere, eſſe hoc anno ſemel confeſſum; ad quod tantùm Confeſſionis annuæ præcepto obligabatur; ergo non eſt obligandus ad iterùm confitendum intra eundem annum. 1

Secundò,

Digitized by Google

Secundò, quamuis illa Confeſſio fiat ex obligatione anni præcedentis, hoc non tollit, quominùs per ipſam ſatisfiat etiam obligationi anni præſentis. Patet quia per eandem actionem ſatisfieri poteſt duplici præcepto: ſi enim duo feſta concurrant in eundem diem, auditione vnius Sacri ſatisfit obligationi vtriuſque feſti.

Tertiò, arguit Cardinalis Lugo, quia cùm præceptum ſolùm ſit de Confeſſione ſemel in anno facienda, hoc eodem anno non tenebitur ad aliam: alioquin ſi deberet Confeſſiones etiam præteritas recompenſare, obligaretur aliquis ad confitendum quater in anno, pro tribus annis præteritis, quibus non eſt confeſſus.

2 Secunda ſententia, quæ eſt Coninck *diſputation.* 5. *dubio* 8. *numero* 65. Filliucij *tract.* 7. *cap.* 3. *numer.* 56. & aliorum affirmat, qui omiſit hoc anno confiteri; & circa initium ſequentis confitetur, non ſatisfacere pro obligatione confitendi ſecundo anno. Probant, quia etſi hæc Confeſſio verè fiat in ſecundo anno præſenti, tamen non fit ad exigentiam huius anni, ſed anni præteriti, quæ adhuc perſeuerat; vnde ſecundùm æſtimationem moralem, non ad hunc, ſed ad præcedentem annum ſpectat, cùm fiat vt obligationi illius anni ſatisfiat; ergo per hanc Confeſſionem, non ſatisfit exigentiæ & obligationi anni præſentis: ſicut ſi quis tenebatur ſoluere annuam penſionem anno præterito, & non ſoluit, eámque ſoluat in initio huius anni, adhuc tamen tenetur ſoluere penſionem huius anni; quia ſolutio facta pro anno præterito, quamuis phyſicè fiat in hoc anno, moraliter tamen ſeu ſecundùm æſtimationem moralem, non fit niſi anno præterito, quia cùm pro illo fiat, retrotrahitur ad illum, ac proinde non extinguit obligationem ſoluendi penſionem huius anni.

Idem ſentit Gaſpar Hurtado *diſputatione* 7. *difficultate* 12. qui addit, eum qui anno præcedenti omiſit Confeſſionem peccatorum mortalium, & ob id tenetur à principio anni ſequentis ad Confeſſionem illorum, Confeſſione tantùm eorum facta eo anno, non ſatisfacere præcepto confitendi anno ſequenti, etiamſi fiat ad finem anni ſequentis; quia ea Confeſſio tantùm pertinet ad annum antecedentem. Subdit tamen, ſi ea Confeſſione etiam confiteatur aliquod mortale peccatum illius anni ſequentis, eâ etiam ſatisfacit præcepto illius anni ſequentis; quia tunc illa Confeſſio pertinet ad vtrumque annum, quia confitetur peccata mortalia in vtroque anno commiſſa, quorum habuit conſcientiam, quando confeſſus eſt; ſicut etiam ſatisfaceret præceptis vtriuſque anni, ſi mortalia, quæ ea vna Confeſſione confitetur, confiteretur duabus Confeſſionibus, vnâ, mortalia anni antecedentis, & alterâ Confeſſione peccata mortalia anni ſequentis iam præſentis.

Præſens difficultas procedit in ſententia computante annum à Ianuario ad Decembrem, quam nos amplexi ſumus ſuprà *ſectione* 7. Quo poſito nobis perplacet prima ſententia. Ad cuius maiorem explicationem.

3 Dico *primò*, ſi quis diſtulit Confeſſionem præteriti anni in principium anni præſentis, ſi ea Confeſſione fateatur quoque aliquod mortale anni præſentis, cuius habet conſcientiam, poſſe vna, & eadem Confeſsione, præcepto vtriuſque anni ſatisfacere; itavt in ipſo anno præſenti ampliùs confiteri non teneatur. Hoc tenet expreſsè Gaſpar Hurtado citatus, & Suarez *diſputatione* 36. *ſectione* 4. *numero* 5. præter Doctores primæ ſententiæ, qui id potiori iure defendunt, ac defendere debent. Ratio eſt manifeſta, quia per dictam Confeſſionem ſatisfacit talis homo obligationi vtriuſque anni: ergo in illo anno ampliùs confiteri non tenetur. Antecedens probatur, quia eâ Confeſsione, ſicut eſt confeſſus peccata anni præcedentis, ita etiam eſt confeſſus peccatum mortale in præſenti anno commiſſum: ergo ſicut Confeſsio peccatorum anni præcedentis pertinet ad præceptum, & obligationem anni præcedentis; ita etiam Confeſsio peccati mortalis commiſſi anno præſenti, pertinet ad præceptum, & obligationem anni præſentis: ergo per eam Confeſsionem ſatisfacit homo obligationi vtriuſque anni. Firmo hoc idem, nam ſi ſola fieret Confeſsio peccati mortalis commiſsi in præſenti anno, ab eo qui iam confeſſus fuerat anno præcedente, ſufficeret ad implendum præceptum anni præſentis, itavt ampliùs non maneret obligatus ad confitẽdum eo anno, tametſi poſteà mortaliter peccaret, & haberet conſcientiam illius, vt admittunt communiter Doctores, & nos ſuprà oſtendimus *ſectione* 8. *numero* 8. ergo ſimiliter tametſi ſimul eâ Confeſsione confiteatur peccata mortalia anni præcedentis, idem dici debet: nam tunc illa Confeſsio pertinet ad vtrumque annum, cùm fateatur omnia mortalia in vtroque anno commiſſa, quorum habuit conſcientiam, quando confeſſus eſt, vt notauit benè Gaſpar Hurtado.

Dico *ſecundò*, ſi ad finem anni præſentis, vel medio anno iam elapſo fieret mortalium præcedentis anni, & præſentis vnica Confeſsio, ea ſufficeret quoque pro anno præſenti. Probatur ratione propoſita *præcedenti Dicto*, quæ hoc idem manifeſtè demonſtrat. Firmatur ampliùs, quia ſi quis per quinque, vel ſex annos non eſt confeſſus, aut eſt inualidè confeſſus culpâ ſuâ, per vnicam Confeſsionem bonam præſentis anni, in qua etiam confiteatur peccata commiſſa in eodem præſenti anno, ſatisfacit omnibus præceptis Confeſsionis omniũ prædictorum annorum; ſiquidem per illam reconciliatur cum Deo, quod ſolùm intendebatur per illa omnia præcepta, quæ non impleuerat: ergo potiori iure in noſtro caſu. Quare non video in vtroque caſu rationem, vel cauſam, ob quam poſsit de Eccleſia rationabiliter præſumi, quòd velit obligare illum ad iterùm intra eundem annum confitendum. 4

Dico *tertiò*, qui ſiue iuſtè, ſiue iniuſtè omiſit anno præterito confiteri, & initio huius anni præſentis confitetur, tametſi nullum teneat peccatũ mortale in præſenti anno commiſſum, cuius conſcientiam habeat, quod fateri debeat, ſatisfacit impletioni præcepti, itavt non teneatur in hoc anno præſenti ampliùs confiteri. Ita ſentio cum Doctoribus primæ ſententiæ, & cum Suario citato. Ratio quæ me magis mouet, hæc eſt, quia per hanc Confeſsionem, ſatisfacit obligationi relictæ in anno præterito, & prætereà iam ſemel confitetur in præſenti anno, nec tenetur in eodem anno bis confiteri, quantum eſt ex vi præcepti Confeſsionis vt ſic, ex alio verò capite rectè fieri poteſt, vt quis ſatisfaciat vno & eodem actu duplici obligationi in eodem tempore concurrenti, vt eſt certum in præſenti materia, ſi huiuſmodi homo differat Confeſsionem ſecundi anni vſque ad finem eius: quamuis enim malè faciat, poſteà tamen vnica Confeſſione ſatisfaciet vtrique obligationi. *Dices* Confeſſionem iſtam, quamuis materialiter fiat in hoc anno præſenti, attamen non fit ad exigentiam huius anni, ſed anni præteriti quæ adhuc perſeuerat; & conſequenter per hanc Confeſſionem non ſatisfacit exigentiæ, & obligationi anni præſentis. *Sed contra eſt*, quia Cõfeſſio illa ſiue fiat in initio anni præſentis, ſiue in medio anno, ſiue etiã ſub finem anni præſentis, non facit, vt ita pertineat ad annum præcedentem, vt non ſufficiat etiam pro anno præſenti, in quo reipſa fit. Tum quia non tenetur fidelis vno & eodẽ anno bis confiteri. Tum etiã, quia vna Cõfeſsio ſufficit ad ſatisfaciendũ obligationi vtriuſq; anni, vt iam oſtẽſum eſt: ergo & ſufficiet pro vtraq; obligatione, etiamſi Cõfeſsio fiat initio anni præſẽtis. Quòd enim Cõfeſsio facta initio anni prẽſẽtis parùm diſtet ab anno precedẽti, 5

non facit, vt ita pertineat ad annum præcedentem, vt non ſufficiat etiam pro eo anno in quo reipſa fit, præſertim cùm iuxta dicta *ſect.* 8. *num.* 8. præceptum annuæ Confeſſionis impleri poſſit per quamcumque Confeſſionem peccati mortalis in principio anni factam, itavt ampliùs non obliget, etiamſi homo poſteà nouum peccatum committat. Vnde hâc ſententiâ poſitâ, rectè docuit Suarez *loco citato*, conſequenter dicendum eſſe in caſu præſenti per vnam Confeſſionem initio præſentis anni factam, poſſe ſatisfieri obligationi vtriuſque anni. Nec obeſt quòd dicitur Confeſſionem iſtam non fieri ad exigentiam huius anni præſentis, ſed ad exigentiam anni præteriti, quæ adhuc perſeuerat. Nam etſi verum ſit obligationem anni præteriti inſtare, & vrgere ne ampliùs Confeſſio differatur, & pro obligatione anni præſentis ſuperſit tempus anni præſentis, (nam in quolibet die huius anni poteſt ſatisfacere huic obligationi, & adimplere præceptum confitendi pro hoc anno) nihilominùs tamen quia Confeſſio illa pro anno præterito, reipſa fit in præſenti anno, & in hoc iam ſemel confitetur, nec tenetur bis in eodem anno confiteri; ideò rectè poteſt ſatisfacere vtrique obligationi vnica Confeſſione, quæ ſit ſimul expiatio peccatorum vtriuſque anni. Cui doctrinæ exemplum illud penſionis annuæ non parùm fauere videtur: nam ſicut quis vnica ſolutione facta anno præſenti poteſt ſoluere penſionem anni præteriti, ſeu penſiones multas præteritorum annorum, & ſimul quoque penſionem præſentis anni; ita & vnica Confeſſione facta in præſenti anno, poterit quis ſatisfacere vtrique obligationi anni, vel etiam annorum præteritorum, & ſimul præſentis.

Hinc patet ſolutio ad argumentum ſecundæ ſententiæ: & negandum eſt, eam Confeſſionem tantùm pertinere ad annum antecedentem; nam cùm fiat intra annum præſentem, ſufficiens quoque eſt pro hoc anno, in quo reipſa fit, ſiue habeat peccatum mortale commiſſum hoc anno, ſiue non habeat conſcientiam illius.

SECTIO XI.

Vtrùm fideles teneantur interdum præuenire, ſeu anticipare Confeſſionem, antequam tempus præcepti impleatur?

1 IN duplici ſenſu hæc poteſt difficultas exagitari. Prior eſt, an ille qui in initio anni, eſt in peccato mortali, & præuidet quòd ſi tunc non confiteatur, non habebit ampliùs in toto anno occaſionem confitendi, vel propter aliquam nauigationem, vel longam peregrinationem per terras infidelium, vbi non habeat copiam Confeſſionis, vel propter quoduis aliud impedimentum, teneatur ex vi præcepti Confeſſionis tunc confiteri, ſi habeat occaſionem, ſeu opportunitatem. Poſterior eſt, an ſi quis poſtquam hoc anno impleuit præceptum Confeſſionis incidat in peccatum mortale, & prudenter timeat ſe non habiturum occaſionem Confeſſionis anno ſequenti, teneatur ex vi præcepti annuæ Confeſſionis anticipare, ac confiteri ante annum illum.

2 Circa priorem ſenſum. Ratio dubitandi eſt, quia ille, qui præuidet ſibi defuturam Paſchali tempore Communionem, ſeu communicandi commoditatem, non obligatur præuenire tempus hoc ante illud communicando; vt ſentit Suarez in materia *de Euchariſtia diſput.* 70. *ſect.* 2. §. *Tertium dubium*, & probat quia nemo obligatur ad anticipandum actum præceptum, niſi per talem actum poſſit ſatisfacere obligationi præcepti; ſed per Communionem illam anticipatam non ſatisfacit homo obligationi præcepti; (nam ſi poſtea tempore Paſchatis ceſſaret impedimentum, quod timebatur, adhuc homo deberet ſeruare legem communicandi in Paſchate, cùm poſſet, & lex abſolutè præciat id fieri:) ergo non obligatur ex vi illius legis ad præueniendam, & anticipandam Communionem: ſicut nec tenetur ad recitandum hodie Officium craſtinum, eo quòd cras habiturus ſit impedimentum. Igitur nec ex vi præcepti Confeſſionis, obligabitur extremum anni menſem, vel diem præuenire antè confitendô, qui prouidebit, vel prudenter timebit ſibi defuturam tunc temporis confitendi opportunitatem.

Firmatur, nam probabile eſt non teneri hominem præuenire manè in recitatione totius Officij, quando præuidet futurum impedimentum veſpere; præſertim cùm impedimentum non eſt voluntarium, ſed neceſſarium, nempe morbus, vel captiuitas: ergo idem dicendum in noſtro caſu.

Reſponſio communis Theologorum, & vera eſt affirmans. Ita Durandus, Gabriel, Bonau. Syluester, Nauarrus, Maior, Petrus Soto, Adrianus, & alij quos refert & ſequitur Suarez *diſput.* 36. *ſect.* 2. *num.* 2. quem etiam ſequuntur graues Recentiores. Ratio eſt, quia præceptum confitendi eſt vniuerſale pro toto anno, & ideò obligatio confitendi ſemel in anno directè cadit in totum annum, nec determinatur ad vltimum tantum eius diem, aut menſem; quem proinde niſi quis in prædicto caſu præueniret confitendo toto anno ne ſemel quidem confiteretur, ac proinde manifeſtè Confeſſionis annuæ præceptum violaret. *Firmo*, quia in eo caſu iam adeſt tempus, in quo eſt *obligatio* confitendi; nam obligatur ad Confeſſionem intra latitudinem anni, ac proinde ſi non poteſt in reſiduo anni, in quo etiam perſeueratura eſt obligatio, tenetur in principio: Sicut in aliis præceptis, ſimilibus, quia diuini Officij recitandi obligatio cadit in totum diem naturalem, & Miſſæ diebus feſtis audiendæ in totum antemeridianum tempus, qui præuideret ſub finem, aut huius temporis, aut illius diei, defuturam ſibi commoditatem, vel audiendæ Miſſæ, vel Officij recitandi, teneretur præuenire tempus illud audiendo, & recitando. Hoc intelligo, ſiue impedimentum quod præuidetur, ſit violentum, ſiue naturale, ſiue voluntariè aſſumptum. Nam cùm hæc obligatio ſemel in anno confitendi, in quacumque parte anni locum habeat, ſi in illa non poteſt impleri ex impotentia ſuperuenienti, ex quacumque cauſa hæc impotentia proueniat, ſi anteà pro aliqua parte anni habetur copia Confeſſoris, iam ſufficienter prouidetur de Confeſſore, prout fieri poteſt, atque ita intra illud tempus impleri debet obligatio confitendi. Hoc argumento ducti omnes Doctores, conſequenter colligunt, ſi quis habeat peccata reſeruata, & nunc poſſit illa confiteri habenti iuriſdictionem in illa, timeátque prudenter non habiturum ampliùs in illo anno copiam talis Confeſſoris, teneri confiteri ſtatim: quia eſt eadem omninò proportionalis ratio. 3

Ad rationem dubitandi; dico inprimis ad Antecedens, in præcepto Eccleſiaſtico Communionis, contineri virtualiter duo præcepta, vt dixi ſuprà *in hac diſputatione ſect.* 9. *num.* 9. alterum communicandi ſemel ſaltem in anno, & alterum communicandi in Paſchate. Vt igitur huic ſecundo ſatisfiat, non eſt obligatio anticipandi; ſicut qui cras non poteſt recitare Officium, vel audire Miſſam, non tenetur anticipare hodie; illa enim anticipatio non deſeruiret ad ſatisfaciendum præcepto, ſed adhuc cras obligaretur, ſi ceſſaret impedimentum, 4

mentum, ſicut nec deſeruiret anticipatio Communionis ad ſatisfaciendum præcepto Communionis Paſchalis. Alterum verò præceptum Communionis annuæ obligat ad præueniendum, quando non poteſt impleri præceptum, eo tempore, quo deberet ex vi alterius præcept. de Communione Paſchali. Vnde quamuis non ſufficiat, futurum eſſe impedimentum in Paſchate, ad hoc vt ſit obligatio anticipandi Communionem, quia cùm hæc obligatio oriatur ſolùm ex præcepto Communicandi intra annum, & huic obligationi poſſit fieri ſatis communicando duobus menſibus vel tribus poſt Paſcha, dummodò ſit ante finem illius anni, nulla poteſt eſſe obligatio anticipandi, vel præueniendi; ſi autem præuideatur impedimentum duraturum per totum annum, tunc deberet in principio anni obſeruari: ſicut qui præuidet ſe non auditurum Miſſam horis ſequentibus, debet eam audire prima hora ad obſeruandum præceptum. Addo ad præceptum confitendi, quòd ſicut Paſchale tempus, quo communicandi obligatio dies, verbi gratia, quindecim complectitur, ita annus, quo eſt confitendi obligatio, menſes duodecim; ſicut ergo qui vltimo dierum illorum præuideret ſibi defuturam communicandi occaſionem, obligaretur vi præcepti ad communicandum Paſchali tempore obligantis, præuenire diem illum vltimum, aliquo præcedentium communicando; ita qui vltimo anni menſe ſibi defuturam Confeſſionis commoditatem præuidebit, obligabitur præuenire ante menſem hunc confitendo. Ad Confirmationem, negatur Antecedens; Adhuc tamen eo admiſſo, neganda eſt Conſequentia; quia anticipatio in officio diuino videtur eſſe licita ex priuilegio, quo poſſet aliquis nolle vti: At in noſtro caſu non datur talis anticipatio, quia præceptum confitendi non obligat peculiariter pro aliqua anni parte, ſed pro toto anno, ſicut præceptum audiendi Sacrum die feſto non obligat peculiariter pro aliqua parte temporis antemeridiani, ſed cadit obligatio in totum antemeridianum tempus. Quare ſicut præceptum audiendi Sacrum in die feſto, quia impleri poteſt à primo diluculo vſque ad meridiem, qui prudenter timet futurum impedimentum naturale, aut violentum in meridie, tenetur anticipare Sacrum; ita pariter qui rationabiliter timet, fore vt in reliqua parte anni confiteri non poſſit, tenetur Confeſſionem præuenire.

5 Circa poſteriorem ſenſum, & caſum ſentit Gaſpar Hurtado *diſp. 7. difficultate 13.* teneri ex vi præcepti annuæ Confeſſionis confiteri ante annum illum: ne ſcilicet nimiùm, ſeu vltra annum ſequentem differatur Confeſſio, quod proximè, & quaſi intrinſecè intendit Eccleſia, præcipiendo annuam Confeſſionem. In quo valdè differt ab eo, qui timet ſe in die Feſto ſequenti non poſſe audire Sacrum; hic enim non tenetur anticipare die antecedente auditionem Sacri, quia ad id nullus adeſt titulus; quia nec die antecedenti eſt obligatio illa; nec præceptum audiendi Sacrum latum eſt ne nimium differatur auditio Sacri, ſed tantùm in honorem, & ſolemnitatem illius diei determinati.

6 Verius tamen exiſtimo oppoſitum, non teneri. Ratio eſt quia præceptum certo tempori annexum non poteſt impleri niſi in illo; ergo confiteri hoc anno; non eſſet implere præceptum impoſitum pro anno ſequenti: ergo non teneor confiteri hoc anno pro ſequenti. Nam inuoluere videtur manifeſtam contradictionem, quod teneatur quis facere id, per quod non poteſt impleri præceptum quo illud facere tenetur. Vnde à poſteriori idem firmatur: nam ſi impedimentum illud, quod ille homo præuidebat, non eueniat, quamuis confeſſus fuerit anno antecedenti pro præſenti, ſi tamen hoc anno præſenti mortaliter peccauerit, tenebitur nihilominus confiteri: Ergo ſignum eſt, quòd per illam Confeſſionem anni præteriti minimè impleuerit præceptum anni ſequentis.

Ad rationem oppoſitam dico, tametſi verum ſit, intentum Eccleſiæ in adimpletione præcepti annuæ Cõfeſſionis eſſe, ne nimium, ſeu vltra annum differatur Confeſſio; in quo differt à præcepto audiendi Sacrum, quod eſt tantùm in honorem feſti; non tamen id poteſt intendi in eo euentu per Cõfeſſionem factam hoc anno pro ſequenti; quia eo modo non adimpletur præceptum pro anno ſequenti, & nemo tenetur facere id per quod non poteſt impleri præceptum, quo illud facere teneatur. Vnde vltra annum non differri Confeſſionem, eſt, vt intra annum confiteatur ſeruando præceptum; hoc autem non poteſt obtineri quando non vrget præceptum; non verò vrgere poteſt anno præſenti pro ſequenti, vt dictum eſt. 7

SECTIO XII.

An poſſit eſſe præceptum Eccleſiaſticum confitendi eadem peccata bis?

Quæſtio procedit, vtrùm poſſit præcipi validam Confeſſionem iterari, quando quis iam legitimè confeſſus eſt, & iam ſemel ab iis peccatis fuit directè abſolutus. Hic enim eſt caſus noſtræ quæſtionis. Nunc enim negamus poſſe, & debere aliquem ſecundò eadem peccata confiteri, quando ab eis non fuit directè abſolutus, hoc eſt à proprio Sacerdote habente poteſtatem ſuper illa peccata. 1

Ratio dubitandi eſt *primò*, quia dicitur eſſe ſtatutum Ordinis Ciſtercienſis, quo præcipitur, vt Religioſi qui intra annum Confeſſario ordinario confeſſi fuerint, debeant peccata eadem in fine anni ſuo Abbati confiteri. 2

Secundò, eſt decretum Martini V. in Extrauaganti, quæ incipit, *Ad vberiores fructus*; in quo Pontifex ſtatuit, quòd illi qui Fratribus cõfitentur, teneantur in anno ſuis Parochis confiteri. Quod etiã confirmauit Sixtus IV. in extrauaganti *Vices*, ſub titulo *de treuga, & pace*, vbi præcipit, quòd Mendicantes deſiſtant prædicare, quòd ſubditi non teneantur ſaltem in Paſchate proprio Sacerdoti confiteri: obligabantur igitur ad confitenda iterùm peccata eadem Parrocho, à quibus ſemel iam fuerant abſoluti.

Dico *primò*, iuxta veram & communem doctrinam, ſpectatã præciſè inſtitutione huius Sacramenti, non poſſe Eccleſiam præcipere, vt ſecundo confiteamur ea peccata à quibus ſumus ſemel directè abſoluti. Ita D. Thomas, Almain, Durandus, Paludanus, & Alij, quos refert & ſequitur Suarez *diſputatione 22. ſectione 7. numero 8. & 9.* Probatur ratione efficaci, quia reſpectu illorum peccatorum, iam non eſt præceptum Confeſſionis à Chriſto latum, vt conſtat: ergo Eccleſia reſpectu eorum, non magis poterit præcipere Confeſſionem, quàm poſſet eam præcipere, ſi à Chriſto non fuiſſet præcepta; at tunc Eccleſia non poſſet Confeſſionem præcipere propter difficultatem, & grauitatem rei, vt ſuprà manet probatum *diſp. præcedenti, ſect. ſeptima*; & quia materia non pertinens neceſſariò ad eſſentiam Sacramenti ex Chriſti inſtitutione, non poteſt per Eccleſiæ voluntatem fieri de ſubſtantia, vel perfectione Sacramenti: ergo neque in hoc caſu poſſet ſecundam Confeſſionem eorundem peccatorum imponere ac præcipere. Firmatur, quia hoc expreſsè docet Benedictus XI. *extrauag. 1. de priuileg.* Et quidem cùm ſemel de iis peccatis ſit legitimè 3

Digitized by Google

tuè iudicatum, omninò huic tribunali eſt ſatisfactum, quod non aliter exigit ea ſibi ſubiici, quàm vt poſſit de iis legitimè iudicare. Nam ſi pœnitens verè iam manet abſolutus ab illis peccatis in ordine ad Claues, non tenetur iterùm ea iam ſubiicere Clauibus; cùm iam illi applicatum ſit ſufficienter remedium illud neceſſarium ad remiſſionem peccatorum, quod Chriſtus *Ioan.* 20. inſtituit illis verbis. *Quorum remiſeritis peccata*, &c.

4 Dixi *inſpecta præcisè inſtitutione huius Sacramenti*; quia poteſt aliunde occurrere neceſſitas talia peccata confitendi ſecundò. Vt ſi quis hoc vouerit. Poteſt enim quis voto ſe obligare, verbi gratia, ad generalem Confeſsionem faciendam, vel totius vitæ, vel vnius anni; etiamſi ſæpiùs ritè confeſſus ſit, quia talis vſus Sacramenti eſt bonus, & poteſt eſſe in conſilio: actus autem huiuſmodi poteſt eſſe materia voti. Aut etiam, ſi ex quodam quaſi pacto obligetur ad hoc: vt fit, quando Superior ſuis ſubditis peregrinantibus dat facultatem aliis confitendi caſus reſeruatos, ea tamen conditione, vt poſtea domum reuerſi teneantur ea ipſi ſecundò confiteri: aut ſi Sacerdos non ſatis percepit aliquod mortale confeſſum, tenetur enim pœnitens illud iterùm confiteri, quia materia proxima Sacramenti Pœnitentiæ non eſt Confeſſio dicta ſolùm à pœnitente, ſed audita, & percepta à Confeſſore; nam hoc totum eſt de neceſſitate iudicij, & abſolutionis. Omitto varios alios caſus, quos adferunt nonnulli, ſed illi non habent ſufficientem rationem, vt videri poteſt apud Suarez *diſput.* 22. *ſect.* 7. id benè oſtendentem.

5 Dico *ſecundò*, bene poſſe ab Eccleſia imponi præceptum de iteranda in aliquo caſu valida Confeſſione alicui Religioſo ſtatui voluntariè aſſumpto quaſi ſub hac conditione. Ita Suarez citatus. Non enim videtur in hoc vlla repugnantia, maximè in Religione aliqua obſeruante, vt id poſſet ſtatui, tanquam quid ſpectans ad perfectionem, quam finis illius Religionis intendit. Addo tamen cum Suarez citato, & cum noſtro Cardinali Lugo *diſput.* 15. *ſect.* 6. §. 2. *num.* 98. poſſe habere aliquid periculi id ſub peccato graui ſtatuere, & non eſſe conſulendum, quia videtur eſſe plus periculoſum quàm vtile; & ideò ſatis eſſe, ſi proponeretur illud non vt præceptum, ſed vt regula conferens ad perfectionem.

6 Ad primum argumentum oppoſitum reſpondeo cum Hieronymo Llamas Ciſtercienſi, 1. *p. Methodi cap.* 5. §. 20. in Ordine Ciſtercienſi ſtatutum modò ſolùm eſſe, vt ter ſolùm in anno Prælati ſibi reſeruent Confeſſiones ſubditorum; nec tunc eos obligare ad repetendas Confeſſiones præcedentes, ſed ſolùm ad peccata confitenda quæ occurrunt ab vltima Confeſſione. Quod intelligendum eſt fieri poſſe, ſi ſint diſpenſati in conſtitutione Clementis VIII. pro Regularibus, data die 26. Maij 1594. quæ incipit, *Sanctiſſimus D. N.* Vbi ſic præcipit: *Non liceat Superioribus Regularium, Confeſſiones ſubditorum audire, niſi quando peccatum aliquod reſeruatum admiſerint; aut ipſimet ſubditi ſponte, aut proprio motu id ab eis petierint.*

Ad ſecundum reſpondeo cum Cardinali Lugo, tunc non fuiſſe obligationem confitendi iterùm eadem peccata Parocho, ſed confitendi ſemel Parocho ſaltem in Paſchate, ſicut nunc eſt obligatio accipiendi ſemel Communionem à Parocho. Addo etiam tunc Confeſſionem illam debuiſſe eſſe de peccatis, quæ occurrerent poſt vltimam Confeſſionem, propter dicta ſuprà *n.* 3. maximè propter doctrinam traditam à Benedicto XI. *Extrauag.* 1. *de priuileg.*

SECTIO XIII.

Qualis Confeſsio ſufficiat, vt ſatisfiat præcepto Eccleſiaſtico confitendi?

Certum *primò* videtur, non ſatisfieri per Confeſſionem, in qua ſola peccata venialia declarantur. 1
Patet, quia non poteſt ſatisfieri præcepto per actum non præceptum; ſed venialium peccatorum Confeſſio præcepta non eſt, ſed tantùm mortalium: ergo. Vnde qui ſæpius in anno ſola confeſſus fuerit venialia, ſi poſteà mortale committat illud ante finem anni obligabitur confiteri.

Secundò, certum eſt ſatisfieri præcepto per Confeſ- 2
ſionem cum ſuſceptione Sacramenti, & fructu illius; quia hæc eſt perfectiſſima præcepti adimpletio, cùm ſit etiam cum fructu Sacramenti intento ab inſtituente. Quæ enim maior Confeſſionis ſatisfactio, quàm illa, quæ eſt coniuncta cum valida abſolutione, ad quam ſequatur peccatoris iuſtificatio?

Tertiò, videtur verius per Sacramentum validum, 3
& informe ſine fructu præſenti, impleri ſufficienter illud præceptum. Ratio eſt, quia præceptum non eſt de fructu Sacramenti, ſed de Sacramento ſuſcipiendo. Quare ſicut per Communionem, aut auditionem Miſſæ abſque fructu poſitam, propter ſtatum peccati, aut propter malum finem, quo Miſſa auditur, adhuc implentur præcepta Communionis, vel Sacri audiendi; ſic à fortiori per Confeſſionem informem ſatisfiet, præſertim cùm hæc poſteà ablato obice poſſit habere ſuum effectum.

Certum denique videtur, eum, qui non recipit Sa- 4
cramentum ex defectu integritatis formalis, non ſatisfacere præcepto Confeſſionis. Patet, quia tunc homo nec exterius facit id quod præceptum eſt: ergo per talem Confeſſionem non implet præceptum. Supereſt ergo ſolùm difficultas, an qui integrè confitetur, ſed non abſoluitur ob defectum doloris, vel etiam ex malitia Sacerdotis, ſatisfaciat præcepto affirmatiuo Confeſſionis.

Nam Gabriel *in* 4. *d.* 17. *quæſt.* 14. Syluester V. *Con-* 5
feſſor. 4. *num.* 3. Victoria *in Summa num.* 163. affirmatiuam partem defendunt. *Primò*, quia id indicare videtur Alexander Papa in cap. *Quod quidam, de Pœnitentiis, & remiſſionibus*, dum ait, recipiendam eſſe Confeſſionem eorum, qui dicunt ſe à peccatis abſtinere non poſſe, & tamen illi non ſunt abſoluendi, vt patet: ergo Confeſſio etiam abſque abſolutione, ob defectum doloris, & propoſiti, ſufficit ad impletionem annuæ Confeſſionis.

Secundò, Eccleſia nequit præcipere actus merè internos: ergo præceptum annuæ Confeſſionis nequit obligare ad receptionem abſolutionis, quando ob defectum doloris nequit recipi, ſicut nec dolorem ipſum.

Tertiò, Eccleſia præcipit Confeſſionem, non Abſolutionem; vnde abſolutio eſt finis, non materia huius præcepti: ergo licèt quis ita confiteatur vt abſolui nequeat, adhuc tamen implet præceptum, dummodò integrè confiteatur.

Vltimò, in eo caſu homo exteriùs facit quidquid Eccleſia præcipit: ergo adimplet præceptum.

Communiter omnes Doctores partem negatiuam defendunt, & meritò, quorum plurimos refert & ſequitur Diana *tom.* 2. *tract.* 4. *reſolut.* 120. Iuxta quam;

Dico *primò*, non ſatisfieri præcepto Eccleſiæ qua- 6
cumque Confeſsione, abſolutione non ſecuta, & non ſuſcepto

ſuſcepto verò Pœnitentiæ Sacramento. Probatur manifeſtè, quia Eccleſia præcipit non aliquid nouum, ſed id quod ex Chriſti præcepto debitum erat; vnde præceptum Eccleſiaſticum eſt determinatio præcepti diuini Chriſti Domini; ſed hoc præceptum diuinum confitendi non impletur, niſi validè ſuſcipiatur Sacramentum Pœnitentiæ, quia Chriſtus non præcepit Confeſſionem vtcumque, ſed Confeſſionem, quæ per Iudicis ſententiam, quæ fit per abſolutionem, terminetur: ergo hoc ipſum præcipit Eccleſia fieri ſingulis annis. Quare quomis modo Confeſſio nulla ſit, non impletur præceptum, ſiue nullitas proueniat ex defectu integritatis, ſiue ex defectu doloris neceſſarij, ſiue ex malitia Confeſſarij non habentis iuriſdictionem, vel ſi eam habeat, non habentis intentionem abſoluendi. Vnde ſi pœnitens animaduerterit, vel reſciuerit nullitatem, tenebitur iterùm confiteri. Firmatur dictum: nam *in cap. Omnis vtriuſque ſexus*, expreſsè dicitur debere fideles omnia peccata confiteri, & iniunctam ſibi pœnitentiam implere: At non tenentur pœnitentiam implere, niſi quando perficitur Sacramentum, quod etiam ex abſolutione eſſentialiter coaleſcit; ergo huiuſmodi Confeſſio ibi præcipitur, quia eo præcepto præcipitur receptio veri Sacramenti. Denique eodem modo obligamur præcepto Eccleſiæ ad ſuſceptionem Sacramenti Pœnitentiæ, atque ad ſuſceptionem Sacramenti Euchariſtiæ: atqui is, cui volenti communicare Sacerdos occultiſſimè porrigeret hoſtiam non conſecratam, non ſatisfaceret præcepto Eccleſiæ, & ſi illud quacumque ratione ſciret, deberet ſecundò communicare: ergo idem dicendum eſt de eo, qui quacumque ratione confitetur ſine vera abſolutione Sacramentali.

7 Hinc dico *ſecundò*, Abſolutionem non eſſe finem extrinſecum, ſed intrinſecam partem Sacramenti Pœnitentiæ præceptam. Ratio eſt, quia ſuſceptio totius Sacramenti eſt id, quod proximè hoc præcepto præcipitur, nam Eccleſia directè, & per ſe præcipit ſuſceptionem ipſius Sacramenti, quia præceptum annuæ Confeſſionis quoad rem præceptam eſt diuinum, quamuis ab Eccleſia, ſit quoad tempus modificatum; præcepto autem diuino ſuſceptio totius Sacramenti præcipitur: atqui Abſolutio eſt pars totius Sacramenti; ergo abſolutio eſt etiam id quod ea lege præcipitur.

8 Vnde dico *tertiò*, poſſe peccari grauiter contra præceptum Eccleſiaſticum annuæ Confeſſionis, ex defectu aliquo in actu mentis, etiamſi in exteriori actione non appareat defectus. Probatur, quia præceptum annuæ Confeſſionis grauiter tranſgreditur qui ita confitetur exteriùs, vt Sacramentum Pœnitentiæ non percipiat ex defectu interioris doloris, qui eſt neceſſariò ac eſſentialiter requiſitus ad ſuſcipiendum verum, & validum Sacramentum, vt oſtenſum eſt.

9 Ad argumenta oppoſita. Ad primum dico in eo capite non aſſeri, Confeſſionem illam admittendam eſſe vt ſufficientem ad obſeruationem præcepti, ſed quatenus vtilem, vt illi peccatores poſſint à Confeſſariis paulatim iuuari, & induci ad verum dolorem peccatorum, & emendationis propoſitum.

Ad ſecundum, dico, tametſi Eccleſia non poſſit præcipere, aut punire actum ſolum internum, poſſe tamen præcipere actum internum, à quo aliquis actus externus, quem Eccleſia poteſt præcipere, habet eſſe talem actum humanum, qualis eſt materia præcepti; ſic ergo præcipiens Eccleſia vſum, ſeu ſuſceptionem Sacramenti Pœnitentiæ, cùm iſta ſuſceptio Sacramenti nequeat eſſe abſque dolore interno, conſequenter præcipere poteſt illum, & omnia alia ad illius ſuſceptionem neceſſaria. Addo, Eccleſiam, licèt ex ſe nequeat præcipere actus internos nullo modo neceſſarios ad actus externos ritè faciendos; poſſe tamen, cum non tam nouum præceptum imponit, quam declarat legem diuinam, quæ verè poteſt obligare, & ſæpe obligat ad actus internos. Cùm igitur Eccleſia in cap. *Omnis vtriuſque ſexus*, non tam impoſuit nouum præceptum Confeſſionis, quàm ſtatuit, vt ſaltem ſemel in anno impleretur præceptum diuinum, vt teſtatur Tridentinum *ſeſſ.* 14. *c.* 5. & certum ſit præceptum diuinum Confeſſionis non impleri ſine actibus internis doloris, poterit Eccleſia obligare ad illos, & proinde qui inualidè confeſſus fuerit defectu diſpoſitionis internæ, nempe doloris, non implebit præceptum annuæ Confeſſionis.

Ad tertium, falſum eſt Antecedens, vt conſtat iam *ex Dicto ſecundo*.

Ad vltimũ negatur Antecedens & etiam Conſequentia, quia vt dictum eſt, nequit quis facere quod præcipit Eccleſia, niſi ſuſcipiendo verum ac validum Sacramentum, quod nequit conſiſtere ſine dolore interno neceſſario.

SECTIO XIV.

De cauſis excuſantibus ab impletione præcepti Confeſſionis.

PRocedit quæſtio de cauſa excuſante abſolutè, vt nullo modo teneamur confiteri: non verò de alia cauſa quæ excuſat ab integritate Confeſſionis, quâ nimirùm tenemur confiteri, non tamen integrè: de hac enim *infrà*, cùm agemus de integritate Confeſſionis. 1

Præterea notandum eſt, in præceptis diuinis non facile cadere excuſationis iuſtam cauſam, cùm ſint de neceſſariis ad ſalutem, vt liquet in præcepto Fidei, Baptiſmi, Euchariſtiæ, & Pœnitentiæ: in aliis verò præceptis humanis & Eccleſiaſticis etiam determinantibus diuina præcepta, plures cauſas incidere poſſe ob quas ceſſet obligatio. Quis enim neget faciliùs nos excuſari à præcepto Eccleſiaſtico, quàm à Diuino, præſertim in hora mortis, vel in periculo vitæ? Tunc enim ad hoc grauior cauſa requiritur. 2

His præmiſſis, Dico *primò*, certum eſſe impotentiam phyſicam confitendi, excuſare omninò à dicta impletione præcepti tam Eccleſiaſtici, quàm etiam Diuini. Patet, quia impotentia phyſica eſt impotentia abſolutè, & ſimpliciter, qualis eſt quando omninò haberi non poteſt copia Confeſſoris: at tunc per ſe notum eſt, ac manifeſtum, hominem excuſari à culpa, etiamſi Confeſſionem ex hac cauſa differat per plurimos annos, quia nemo tenetur ad impoſſibile. 3

Dico *ſecundò*, excuſare ab obſeruatione Eccleſiaſtici præcepti impoſſibilitatem confitendi moralem. Concluſio eſt communis Doctorum: quia præceptum iſtud non obligat, quando impleri non poteſt ſine notabili incommodo extrinſeco ipſi Confeſſioni, & præter inſtitutionem huius Sacramenti, prudenter timetur: Sic non eſt obligatio confitendi, ſi ſit periculum reuelationis peccati, aut ſi confitens incurrat in graue odium ipſius Sacerdotis, ſi adiri nequeat Sacerdos ſine notabili periculo vitæ, aut fortunarum, aut infamationis diſpendio, aut quando conficiendum eſt longum, ac laborioſum iter ad confitendum; quod ex diuerſis circumſtantiis temporis, & perſonarum ſpectandum eſt, & prudentis viri iudicio eſt exiſtimandum. Quare ſicut

Digitized by Google

ſicut quando eſt morale periculum infamationis, vel alterius grauis nocumenti, excuſat interdùm ab integritate Confeſſionis, vt infrà dicemus; ita ſi totam Confeſſionem comprehendat, à tota illa excuſabit: nam eſt eadem proportionalis ratio. Dixi non obligare hoc præceptum quando impleri non poteſt, ſine notabili incommodo extrinſeco ipſi Confeſſioni: Nam incommoda, quæ oriuntur præciſè ex ipſa Confeſſione; & ſunt intrinſeca Cõfeſſioni; vt quòd Confeſſor, qui antè credebat aliquem eſſe ſanctum, ſciet eum eſſe magnum peccatorem, aut quòd pœnitens valdè erubeſcat confiteri, &c. non ſunt curanda ſed contemnenda, ac ſuperanda; quia aliàs vix vlli niſi publici, & impudentes peccatores tenerentur confiteri.

4 Dico *tertiò*, etiamſi ſit cauſa ſufficiens ad excuſandum à Confeſſione vnius, vel alterius peccati, non propterea excuſari ab obſeruatione præcepti annuæ Confeſſionis. Patet, quia poteſt iſte talis habere etiam conſcientiam aliorum peccatorum mortalium, in quorum Confeſſione nullum ſubeſt periculum infamationis, vel alterius grauis nocumenti: ergo tunc in eo caſu poteſt, & debet illa confiteri, confeſſione formaliter integra; igitur non eſt cur excuſetur à Confeſſione. Quòd ſi non haberet alia peccata mortalia, præter ea, quæ ſine tali incommodo confiteri non poteſt, poteſt iuſtè excuſari ab obligatione annuæ Confeſſionis: quia tametſi poſſet in eo caſu recipere Sacramentum Pœnitentiæ ſine vllo incommodo, confitendo tantùm venialia, non tamen tenetur, quia non ſunt materia neceſſaria, vt *ſuprà* dictum eſt: atque ideò præceptum non obligat ad talem Confeſſionem.

5 Dico *vltimò*, idem eſſe dicendum de præcepto diuino Confeſſionis in articulo mortis, excuſari poſſe in aliquo caſu ab eius impletione, quantum eſt ex vi præcepti Confeſſionis; ſi aliàs non immineat articulus mortis, & morale periculum damnationis. Ratio eſt eadem, quia præceptum diuinum, per ſe loquendo, ſolùm obligat ad confitenda peccata mortalia, quæ poſſunt confiteri ſine damno notabili; vnde ſi nullum mortale poſſit fateri ſine grauiſſimo incommodo, non tenebitur confiteri; nam præcepta poſitiua adhuc diuina, non obligant cum notabili diſpendio. Quòd ſi poſſit aliqua mortalia, non tamen omnia, ſine eo incommodo confiteri; conſequenter tenebitur aliqua fateri, etſi non omnia; & ſic diuinum præceptum Confeſſionis in articulo mortis adimplebit Confeſſione formaliter integra. Dixi, *ſi non immineat articulus mortis, & morale periculum damnationis*. Nam in eo grauior cauſa ad excuſationem neceſſaria eſt: vnde ex obligatione ſaltem Charitatis, & curandi ſalutem propriam, ne ſe exponat periculo æternæ damnationis, tenetur homo, ſi timeat, vel dubius ſit de Contritione ſua, confiteri in huiuſmodi caſu ea peccata mortalia, quæ cum minori infamia explicare poſſet; nec teneretur ad Confeſſionem materialiter integram, cùm eſſet cauſa ſufficiens ad excuſandam illam, & Confeſſio formalis integra eſſet ſufficiens ad recipiendum verum, ac validum & cum fructu Sacramentũ; atq; ideò ad ſubueniendum ſaluti ſuæ æternæ; poſſet enim tunc ex attrito fieri cõtritus. Addo, ſi nullũ habeat peccatum mortale, quod ſine grauiſſimo incommodo nequeat confiteri, & in eo articulo mortis dubius ſit de ſua Contritione, cùm ſaltem ſit obligatus ex Charitate, vt quantum commodè poteſt, omninò tutam viam eligat ſalutis æternæ, ſentio cum noſtro Coninck *diſp. 5. dub. 10. n. 76* eum teneri ad confitenda venialia: quia hoc commodè facere poteſt, & aliàs exponit ſe periculo æternæ damnationis, ſi fortè non ſit contritus. Quod facile fieri poſſet; præſertim quando alia Sacramenta nequit ſuſcipere. Quòd ſi homo firmiter iudicet ſe habere, aut habuiſſe Contritionem perfectam peccatorum, & ſit periculum grauiſſimi damni, excuſabitur à præcepto Confeſſionis, quamuis purè diuino.

Hæc dicta ſint in genere. Vtrùm verò in particulari quis teneatur confiteri per interpretem, vel per ſcripturam, quando aliter non poteſt, *ſequenti diſputatione* examinabitur.

SECTIO XV.

De pœnis, quæ infliguntur tranſgreſſoribus præceptum annuæ Confeſſionis.

1 CONſtat apud omnes Doctores, iure communi nullam pœnam eſſe ſtatutam tranſgreſſori præcepti Eccleſiaſtici annuæ Confeſſionis, ſeu non confitenti, quæ de facto incurratur ante ſentẽtiam Iudicis, & probationem culpæ in iudicio. Solùm in capite *omnis vtriuſque ſexus*, duæ pœnæ ſtatuuntur contra omittentem Confeſſionem, aut Communionem in Paſchate, nempe quòd in vita arceatur ab ingreſſu Eccleſiæ, & quòd in morte priuetur Eccleſiaſtica ſepultura; illâ ſcilicet, qua ſolent reliqui fideles non priuari, cùm ſub obedientia Eccleſiæ moriuntur. Patet autem ex tenore prædicti capitis, non incurri has pœnas ipſo facto, ſed infligi debere a Iudice Eccleſiaſtico, vt ex ipſis verbis, *arceantur, & priuentur*, & ex natura talis pœnæ conſtat, vt rectè notauit Suarez *diſp. 36. ſect. 8. n. 2.* & debet talis omiſſio Confeſſionis eſſe manifeſta, & probata in iudicio.

2 Solùm dubitari poteſt, an prædicta pœna imponatur illis tantùm qui vtrumque præceptum Confeſſionis, & Cõmunionis in Paſchate tranſgrediuntur, vel etiam illis, qui hoc ſolum Confeſſionis præceptum omittunt, etiamſi exterius communicent indignè. Nam in dicto cap. *Omnis*. Innocentius vtrumque proponit præceptum, & poſtea ſubiungit pœnas prædictas tranſgreſſoribus: ergo ad eas incurrendas requiri videtur vtriuſque præcepti tranſgreſſio.

Verius tamen iudico, & iuxta mentem Pontificis, quod docent Suarez citatus *n. 3.* Granado *tract. 1. diſp. 9. ſect. vltim. n. 36.* & alij communiter, incurri ob ſolam omiſſionẽ Confeſſionis, aut Cõmunionis in Paſchate. Quia licèt prædicta lex vtrumq; præcipiat; mens tamen Pontif. proculdubio fuit, obligare fideles, vt neutrũ horum omitterent; & ideò omittentibus alterum, iniungit pœnas, quibus ab omiſſione deterreãtur. Quod ampliùs firmatur, quia in *dicto capite* pœnæ illæ imponuntur iis, qui vtrumque præceptum non ſeruauerint; ſed quicumque omittit alterum illorum, non ſeruat vtrumque: ergo.

3 Præter has pœnas iuris communis, ſolent Epiſcopi ex conſuetudine, ſeu per Conſtitutiones Synodales, iniungere pœnam excommunicationis maioris ipſo facto incurrendæ. Circa quam ſunt nonnullæ difficultates diſſoluendæ.

Prima eſt, an prædicta pœna incurratur ipſo facto, etiamſi delictum omiſſionis ſit occultiſſimum. Nam Durandus *diſtinct. 17. quæſtione 14* probabile exiſtimat, non poſſe Eccleſiam punire hoc delictum, quia eſt ita occultum vt in Eccleſiaſtico foro probari non poſſit.

Verùm hæc ſentẽtia falſa omninò eſt, & aliena à ſenſu omnium aliorum Doctorũ, vt rectè aduertit Suar. *loc. cit. n. 1.* Et ratio eſt, quia cenſura quæ fertur ipſo facto abſque

Digitized by Google

abſque Iudicis condemnatione, imponi poteſt propter huius præcepti tranſgreſſionem, etiamſi ſit occultiſſima; quia ad hanc pœnam ſatis eſt, quòd peccatum ſit externum, etiamſi per accidens non poſſit probari, vt conſtat in hæreſi externa quantumuis occulta; tale enim peccatum per ſe ſubeſt iuriſdictioni Eccleſiæ: at peccatum non confitendi externum eſt, cùm in omiſſione externi actus conſiſtat.

Quòd ſi in aliquibus Diœceſibus Epiſcopi non ferant cenſuram excommunicationis ipſo facto, ſed ſolùm comminatoriam, & per Iudicem ferendam; poterit iure ac meritò imponi propter hoc delictum; quia licet requirat delicti probationem, tamen hoc etiam peccatum facilè probari poteſt, ac conuinci. Tum quia poteſt euidenter conſtare, peccatorem ad nullum Sacerdotem ex approbatis acceſſiſſe, vt ſua peccata confiteretur. Tum quia poteſt & ſolet exigi à fidelibus teſtimonium Confeſſoris de Confeſſione facta, & illum punire qui eo caret. Tum deniq; quia id ipſo facto conſtare poteſt, ſi nimirùm homo publicè ac continuò permaneat in peccato mortali cum publico ſcandalo, & proxima eius occaſione. Quòd ſi interdum probari non poſſet hoc delictũ, in quod eſſet ferenda excommunicatio per iudicem, puniri non poſſet per accidens huiuſmodi pœnâ, non ex defectu Iuriſdictionis, ſed probationis.

4 Quæres, quid dicendum, ſi imponatur aliqua pœna pecuniaria, vt ſolet fieri in aliquibus Epiſcopatibus: Vt in ſynodo Hiſpalenſi imponitur pœna vnius nummi aurei. *Reſpondeo* quoad pœnam pecuniariam, neminem teneri illam ſoluere, donec à competente Iudice exigatur. Id quod commune eſt ſimilibus pœnis, quarum nemo tenetur eſſe executor, cùm ob aliquod delictum illi infliguntur, vt communiter docent Theologi.

5 Secunda difficultas eſt, an Excommunicatio, quæ de facto imponitur, incurratur ab illis, qui licèt exteriùs confiteantur, verè tamen non implent præceptum, eo quòd Confeſsio inualida ſit.

Noſter Granado *diſp. 9. cit. ſect. vltima, n. 34.* ſentit cum Nauarro, & Henriquez, ſi Confeſſio fuit inualida propter defectum internum, quia nimirùm caruit dolore interno neceſſario, vel mentitus eſt in Confeſſione, tacendo peccatum merè internum, non incurri excommunicationem. Probat *primò*, quia excommunicatio fertur ab Eccleſia in contumaces, & illius iudicio inobedientes; ſed qui nihil exteriùs facit, quod nulla ratione conſtare poſſit eſſe contra præceptum Eccleſiæ, non eſt propriè contumax, nec ab Eccleſia iudicari poteſt inobediens; ergo excommunicatio non fertur ab Eccleſia aduerſus illum, qui ita confitetur exteriùs, vt nulla ratione conſtare poſſit ab eo violari præceptum Confeſſionis, ſiue quoad ſubſtantiam, ſiue quoad circumſtantiam.

Secundò, Eccleſia non iudicat de occultis: ergo non punit fideles ob peccata, quorum malitia eſt omninò occulta; ita vt nulla ratione ſciri poſſit, niſi ipſe delinquens eam manifeſtet: ſed Confeſſio quæ eſt inualida ob defectum omninò occultum, nihil omninò malitiæ habet, quod ſciri poſſit, niſi pœnitens manifeſtet: ergo Eccleſia nullam pœnam, nedum excommunicationem infligit iis, qui modo dicto inualidè confitentur.

Tertiò, Beneficiarius recitans horas abſque interna attentione, non implet præceptum recitandi, & tamen non amittit fructus Beneficij, quia ea pœna infligitur ab Eccleſia propter defectum externæ recitationis; ergo idem, proportione ſeruata dicendum eſt in re propoſita, videlicet pœnam non infligi ab Eccleſia ob Confeſſionem, quæ ob ſolum defectum internum inualida eſt.

6 Suarez verò *loco citato, num.* 4. cenſet oppoſitum & etiam Fagundez *2. præcepto lib. 1. cap. 4. num. 12.* Quia ſæpe Eccleſia punit exteriorem actionem propter interiorem defectum, quatenus malitia redundat in exteriorem actum; & ille exterior actus eſt abſolutè malus; at in præſenti materia, Confeſſio illa, & abſolutio eſt abſolutè mala, at talis eſt, vt exteriùs non impleant præceptum Sacramenti: ergo ille homo ſic confitens exteriùs non implet hoc præceptum. Firmat; nam ſi Eccleſia, verbi gratia, præciperet Sacerdoti ſub pœna excommunicationis ipſo facto, vt aliquem baptizaret, conferendo Sacramentum, etiamſi exteriùs faceret neceſſaria, ſine intentione tamen baptizandi, incurreret pœnam excommunicationis: ergo ſimiliter ſi in eo caſu ille homo ſciens & videns, illo modo malè confiteatur, & abſoluatur, reuera incurret quoque excommunicationem, ſi ea de facto lata fuerit.

Eandem ſententiam defendit Corduba in *ſumma Hiſpanica, quæſt.* 15. *caſu* 18. & noſter Facundez *2. præcepto lib. 1. cap. 14. numer. 12.* Qui ex Corduba optimè docet per Confeſſionem inualidam ex parte pœnitentis, ob defectum doloris requiſiti, aut malitioſam occultationem peccati, non incurri pœnas priuationis ingreſſus Eccleſiæ, & Eccleſiaſticæ ſepulturę, iniunctas *in cap. Omnis vtriuſque ſexus*, quia hæc, vt incurrantur, requirunt probationem in iudicio, & ſententiam latam à Iudice, quæ probari moraliter erit impoſſibile ob delicti occultationem; incurri verò pœnam excommunicationis impoſitam ab Epiſcopis in ſuis Conſtitutionibus Synodalibus, ipſo facto, quia Eccleſia præcipit actum externum Confeſſionis validæ, & Epiſcopi puniunt excommunicatione illos, qui hunc actum externum validè non conficiunt. Vnde licet pœna excommunicationis ſit publica & actus inualidæ Confeſſionis ſit omninò occultus, parùm refert; ſatis enim eſt ad dictam excommunicationem imponendam, quòd actus ille malæ Confeſſionis, & peccatum illud de ſe ſit externum, etiamſi per accidens probari non poſſit in iudicio.

Hanc doctrinam iudico veriorem. Nam exiſtimo
ad pœnam excommunicationis incurrendam ipſo fa- 7
cto in foro conſcientiæ, requiri actum externum malum, non verò talem, qui in foro externo probari poſſit malus. Primum patet, quia Eccleſia viſibilis non poteſt præcipere, aut prohibere, niſi honeſtatem, & inhoneſtatem viſibilem, quam ponere, & vitare intendit: ergo neceſſariò requirit actum externum malum. Secundum verò, nempe non requiri quòd bonitas vel malitia actus externi probari poſſit in foro externo per teſtes, conſtat in aliis materiis legum Eccleſiaſticarum; Nam præceptum ieiunij, verbi gratia, prohibet comedere bis ſine cauſa: comeſtio autem ſola externa non probat violationem legis, quia poteſt comedens dicere, ſe habere defectum virium talem, vt ieiunare non debeat, quæ cauſa, vel eius falſitas exteriùs probari non poteſt; & tamen ſi cauſa ſit ficta, ille proculdubio incurreret excommunicationem, ſi impoſita eſſet violantibus ieiunium, quamuis malitia violationis in eo caſu probari, vel iudicari abſque temeritate non poſſit.

Præterea ſi eſſet impoſita excommunicatio procuranti pollutionem, pollutio externa non poſſet abſque temeritate iudicari procurata, maximè ſi in ſomno contingeret, & tamen ſi verè procurata fuit cogitationibus turpibus præcedentibus, vel cibo ad eum finem ſumpto, nemo dicet excuſari à cenſura, eo quòd procuratio ipſa exteriùs probari non poſſit. Idem videre eſt in omnibus actibus externis, quorum malitia pendet ab aliquo actu interno, cuius exiſtentia per actum externum probari non poſſit. Exemplum etiam ſit de peccato periurij, cui ſi eſſet excommunicatio impoſita, non excuſaretur ab ea incurrenda, qui falſum iuraret verbis æquiuocis, intendens

Digitized by Google

tamen ſignificare ſenſum falſum. Certè tunc verba externa non probant malitiam periurij, cùm potuiſſent proferri in ſenſu vero; & tamen ſi homo non cogitat de ſenſu vero, ſed ſolùm de falſo, eſt vere periurus externus, nec excuſatetur ab excommunicatione periuris impoſita. Idem dico de illo, qui animo hæretico vtitur verbis æquiuocis, vel amphibologicè eis vtitur, ſi proferantur ab illo ad ſignificandam hæreſim internam, ſufficere ad hæreſim externam, & ad cenſuram incurrendam, quia verborum ambiguitas ſolùm poteſt deſeruire ad hæreſim per accidens occultandam. Ita benè notauit Sanchez *in opere Decalogi lib. 2. cap. 8. numer. 26.* ſic dicens: *Si quis animò hæretico ita verba componat, vel amphibologicè eis vtatur, vt poſſit ſubterfugere, eſt verus hæreticus exterior: quia illa fictio non minuit culpam, ſed per accidens occultat.* A fortiori ergo in caſu noſtro, qui inualidè confitetur ex defectu doloris neceſſarij, vel quia ex verecundia, vel malitia tacet peccatum aliquod internum, cùm verè faciat Confeſſionem externam malam, cui annexa eſt excommunicatio de facto, verè incurrit illam, tametſi per accidens occultetur, nec probari poſſit, quare aliud eſt quòd in foro externo non poſſit ea Confeſſio inualida ab Eccleſia publicè puniri; quia non poteſt cognoſci & probari & iudicari, quod certè probant argumenta Granado, & non ampliùs: Aliud verò, quod iſte violet præceptum Eccleſiæ, cui annexa eſt in foro interno ſeu conſcientiæ excommunicatio, atque ideò incurrat illam cenſuram; quod veriſſimum eſt, & variis caſibus ſatis efficaciter probatum.

8 Tertia difficultas eſt de pueris, an ſubeant prædictas pœnas, præſertim cenſuram excommunicationis ante pubertatem, qui nec validè, nec intra annum confitentur. Verùm hanc quæſtionem iam latè tractaui in *hac diſputatione ſectione ſexta* à numero nono, vſque ad decimum quintum.

DISPVTATIO XXV.

De quidditate, ac qualitate Confeſſionis Sacramentalis.

HACTENVS in ſuperioribus tribus diſputationibus præcedentibus dictum eſt de præceptis pertinentibus ad Confeſſionem Sacramentalem, ac de ipſius neceſſitate; oportet iam vt eius naturam, & qualitatem explicemus, quænam nimirùm, & qualis debeat fieri ab homine baptizato, poſt Baptiſmum in peccatum mortale lapſo: quod præſtabimus in hac & ſequentibus diſputationibus. Omiſſa autem Confeſſione laudis diuinæ, quæ propriè eſt actus Religionis, de qua modò non agimus, nobis ſermo eſt de Confeſſione peccatorum exteriori, quæ fit homini Sacerdoti, & eſt pars Sacramenti Pœnitentiæ.

SECTIO PRIMA.

An, & quid ſit Sacramentalis Confeſſio?

1 DOgma fidei eſt in Eccleſia Catholica eſſe in vſu veram Confeſſionem Sacramentalem ex inſtitutione diuina neceſſariam. Quod iam ſuprà oſtenſum eſt *diſp. 1. ſect. 1. & 2.* Vbi cùm iam probatum fuerit, Sacramentum Pœnitentiæ exiſtere vt neceſſarium, ex diuina inſtitutione in Lege Gratiæ, idque eſſe certum de fide; & cùm vna ex partibus illius præcipuis ſit Confeſſio, manifeſtum eſt eam quoque exiſtere, ac neceſſariam eſſe. Vnde Trid. *ſeſſ. 14. c. 5.* de Confeſſione, ſic meritò dixit. *Ex inſtitutione Sacramenti Pœnitentiæ iam explicata, vniuerſa Eccleſia ſemper intellexit, inſtitutam etiam eſſe à Domino integram peccatorum Confeſſionem, & omnibus poſt Baptiſmum lapſis iure diuino neceſſariam exiſtere.* Et *can. 6.* ſic definit: *ſi quis negauerit Confeſſionem Sacramentalem vel inſtitutam, vel ad ſalutem neceſſariam eſſe iure diuino; &c. anathema ſit.* Quod etiam manifeſtè colligitur ex nouo Teſtamento, *Iacob. 5. Confitemini alterutrum peccata veſtra.* Vbi, vt rectè S. Thom. ait *in Additionibus qu. 8. art. 1.* proponit Apoſtolus, quod à Domino erat præceptum, vt ſcilicet Sacramentaliter confiteremur: de hoc enim agi in prædicto loco, & Salmeron *in ſuis Commentariis*, cum ſancto Auguſtino quem refert, & Carthuſianus cum Beda, & Card. Bellarmin. *lib. 3. c. 4.* notarunt. *Actorum* quoque 19. dicitur: *Multi credentium veniebant confitentes & annunciantes actus ſuos.* Vbi ſermonem eſſe de Confeſſione Sacramentali, quæ iam in ipſo Eccleſiæ naſcentis exordio erat in vſu, docent quamplurimi, quos refert noſter Lorin. in eum locum. Videantur quoque grauiſſima teſtimonia Patrum à primo Eccleſiæ ſæculo, allata à Cardin. Bellarmin. *dict. lib. 3. à c. 6.* Ex quo manifeſta colligitur ratio prædictæ veritatis: Nam illud eſt neceſſarium ad ſalutē ex Chriſti Domini inſtitutione, quod ex Scriptura, Conciliis, & Patribus conſtat eſſe à Chriſto Domino inſtitutum, vt mediante illo obtineatur remiſſio peccatorum mortalium, quæ poſt Baptiſmum commiſſa ſunt; ſed eiuſmodi eſt Confeſſio Sacramentalis, ſeu Sacramentum Pœnitentiæ, quod Confeſſionem includit; eſt ergo Confeſſio Sacramentalis ad ſalutem neceſſaria ex Chriſti Domini inſtitutione.

Quid ſit Confeſſio Sacramētalis, ſumitur ex D. Th. 2
in 4. d. 17. q. 3. a. 2. & ex aliis Theologis; Legitima, & Sacramētalis accuſatio de propriis peccatis corā Sacerdote facta, ad eorū veniam virtute Clauium obtinēdam per Abſolutionem. Alij ſic breuiter definiunt: Confeſſio eſt accuſatio peccatorū facta Sacerdoti ad obtinendā illorum remiſſionem beneficio Clauiū per abſolutionem. Dicitur *Accuſatio*, quia debet eſſe ritus externus, & ſēſibilis dolor. Dicitur, *peccatorum*, quia peccata ſola ſunt Confeſſionis materia. Dicitur, *facta Sacerdoti*, quia vt *infrà* ſuo loco videbimus, ſolus Sacerdos eſt legitimus Miniſter. Dicitur *ad obtinendam remiſſionē*; quia is eſt finis intrinſecus Chriſtianæ ac Religioſæ Confeſſionis, cui proinde debent media proportionari. Dicitur *beneficio Clauium*, vt denotetur à Chriſto Domino collatam eſſe Miniſtris poteſtatem remittendi peccata, ea videlicet, quæ poſt Baptiſmum committūntur; nam ea ſunt materia Cōfeſſionis & quæ ſub Clauibus Eccleſiæ cōtinentur. Tandem additur Pœnitentiæ Sacramento, *per Abſolutionē*, vt denotetur neceſſitas formæ, qua Sacerdos vti debet in adminiſtrādo. Alij breuius tradunt Cōfeſſionis definitionem: Doloroſa propriorū peccatorum manifeſtatio legitimo Miniſtro ad illorū abſolutionem obtinendam. Quæ omnes particulæ ex dictis ſunt ſatis notæ. Sentio tamen his modis prædictis Confeſſionem potiùs definiri deſcriptiuè, quàm eſſentialiter & quidditatiuè. Breuis illius definitio eſſentialis hæc ſola eſt: Accuſatio peccati proprij: Prædicta definitione vera eſſentia Confeſſionis exprimitur; cùm per eam explicetur genus immediatum illius, & differentia; nam particula illa *accuſatio*, habet locum generis in quo conuenit cum aliis accuſationi

ſationibus aliarum rerum , quæ non ſunt peccata : alia verò particula , *proprij peccati* , præſtat locum differentiæ,per quam differt à reliquis accuſationibus. Omnes verò aliæ particulæ , quæ in aliis definitionibus apponuntur , ideò non deſiderantur ; quia includuntur illâ noſtræ definitionis duplici particulâ.

SECTIO II.

Quas qualitates,vel conditiones habere debeat Sacramentalis Confeſsio?

1 CVm Confeſſionis eſſentia moralis ſit, & ex inſtitutione procedens , tota conſiſtere debet in poſitione eorum prædicatorum, quæ neceſſaria ſunt ad eius conſtitutionem , vt verum Sacramentum ex ea confici poſſit. Ad quod explicandum, quamplurimæ numerari ſolent qualitates Confeſſionis, quæ ſunt breuiter explicandæ ; & quæ neceſſariæ ſunt , in duabus particulis definitionis eſſentialis adductæ ad finem præcedentis ſectionis ſubintelligendæ ſunt.

2 Communiter igitur Doctores ſolent ſexdecim qualitates , ſeu conditiones Confeſſionis ſub his verſibus aſſignare.

Sit ſimplex,humilis Confeſſio,pura, fidelis,
Atque frequens,nuda & diſcreta,libens,verecunda,
Integra, ſecreta,& lachrymabilis,accelerata,
Fortis,& accuſans, quæ ſit parere parata.

Hæ qualitates & conditiones vulgari modo poſitæ , tametſi non omnes neceſſariæ ſint ad Confeſſionem , vt conſtabit ; tamen quia poſſunt eſſe valdè vtiles, ſingulas breui attingam.

3 In primis,Confeſſio debet eſſe *ſimplex* , id eſt , non verboſa, ſed quæ manifeſtet quod ad declarationem peccati ſufficiat , & requiratur,omnibus aliis reſecatis. Quæ conditio non eſt ſimpliciter neceſſaria, ſed ſolùm conueniens ; neque enim qui prolixiores faciunt Confeſſiones , facta ſuorum peccatorum nimis exacta narratione , ideò inualidè confitentur.

4 Secunda conditio eſt vt debeat eſſe *humilis* Confeſſio , id eſt , ſine affectu vllo ſuperbiæ , & iactantiæ ſui peccati : quæ eſt neceſſaria conditio , ſine qua inualida eſt Confeſſio ; tum defectu doloris ; nequit enim quis debitum habere dolorem de ſuis peccatis ,in quibus per iactantiam gloriatur:tum defectu integritatis,cùm tunc nouum committat peccatum mortale , quòd non cenſetur in Confeſſione expreſſum. Ad hanc humilitatis conditionem reducitur debita confitentis compoſitio, vt fateatur genibus flexis , & aperto capite , niſi aliud ſuadeat neceſſitas. Verùm ſi aliter fieret abſque neceſſitate , & etiam ſine contemptu ; non committeretur peccatum plus quàm veniale ; cùm fieri non videretur grauis iniuria Sacramento.Vnde hæc cōditio quantùm ad hoc , non eſt de neceſſitate Confeſſionis , cùm validè fieri queat Confeſſio , non ſeruatâ prædictâ conditione quoad dictam corporis compoſitionem.

5 Tertia conditio , vt ſit *pura*,id eſt ex intentione recta proficiſcens , itavt non fiat ob prauum finem , ſed potius ſpe remiſſionis obtinendæ. Vnde ſi Confeſſio fiat ob prauum aliquem , & mortaliter peccaminoſum finem , Confeſſio redditur nulla ex defectu doloris. Si verò Confeſſio fiat ob finem venialiter malum , v.g.ob vanam gloriam , Confeſſio valida eſt,nec caret ſuo fructu , quia gratia Sacramentalis reperiri poteſt in homine affecto veniali culpa,vt conſtat apud omnes.

6 Quarta conditio , vt ſit *fidelis* , id eſt non admixta mendaciis, quia nec dici debet quod factum non eſt, nec negari quod commiſſum eſt;ſeu occultans,& tacens peccatum mortale , aut eius circumſtantias neceſſariò confitendas ad integritatem Confeſſionis.

7 Quinta, vt ſit *frequens* : opus autem conſilij eſt,ſæpius confiteri ob magnas vtilitates, & vberes fructus , qui ex frequenti Confeſſionis Sacramento percipiuntur.

8 Sexta conditio eſt,vt ſit *nuda*,id eſt aperta, clara, & non palliata,neque verborum obſcuritate velata : ſicut enim peccata ſunt nuda oculis Dei, ita debent eſſe manifeſta Sacerdoti, qui vices Dei ſuſtinet in adminiſtratione Sacramenti. Vnde peccata ita ſunt manifeſtanda illi , vt naturam, & qualitates peccatorum valeat cognoſcere,& diiudicare an ſint mortalia,vel venialia.

9 Septima,vt ſit *diſcreta*, ſeu prudens in modo , & in omnibus circumſtantiis:ac pœnitens cautè confiteatur peccata ſua præſertim impudica,& carnalia, adhibendo quantum fieri poteſt verba pudica,& honeſta.

10 Octaua,vt ſit *libens*,non coacta, neque ſine libertate. Quod ſic intellige, vt Confeſſio voluntariè fiat ; debet enim adeſſe voluntas , & intentio confitendi ; quod neceſſarium eſt ad validitatem Sacramenti, cùm nullus ſuſcipere illud valeat abſque intentione illius ſuſcipiendi. Verum namque eſt,non eſſe neceſſarium ad Pœnitentiæ Sacramentum ſuſcipiendum , vt Confeſſio fiat cum omni voluntario excludente quodlibet inuoluntarium : nam ſi quis trahatur ad confitenda peccata timore excommunicationis,infamiæ, &c. validè confitetur, modo confiteatur omnia ſua peccata , cum debito, & ſufficienti dolore.

11 Nona,vt ſit *Verecunda*;non enim debet iactare peccata,qui rubore ſuffundi debet quòd illa commiſerit.

12 Decima, vt ſit *integra*,itavt omnia peccata mortalia nunquam aliàs confeſſa ſigillatim exprimantur,& nihil omittatur,quod debeat declarari.

13 Vndecima,vt ſit *ſecreta* , de qua dicemus infrà *ſect. ſequenti* non eſſe contra Chriſti inſtitutionem , quòd pœnitens publicè confiteatur;id tamen regulariter non expedire,nec eſſe ſub præcepto.

14 Duodecima conditio eſt , vt ſit *lachrymabilis* ; non quia ad Confeſſionem requirantur exteriores lachrymæ,ſed quia neceſſarius eſt internus animi dolor, vt ex *ſup.* dictis de Cōtritione,& Attritione manifeſtè cōſtat.

15 Decimatertia,vt ſit *accelerata*, id eſt vt non differatur Confeſſio,vt homo non maneat in ſtatu peccati , & damnationis;& bona ipſius opera ſint meritoria. Nulla tamen eſt obligatio , vt peccator ſtatim poſt peccatum confiteatur , vt conſtat ex dictis.

16 Decimaquarta , vt ſit *fortis* ; ne ſcilicet quidpiam quod neceſſarium ſit , præ pudore , vel timore prætermittatur.

17 Decimaquinta,vt ſit *accuſans* , ſibi ſcilicet , & non aliis imputans peccata , nec excuſationes prætexens.

18 Decimaſexta,vt vltima conditio eſt,vt ſit *parere parata*:id eſt vt ſit paratus pœnitens ad obediendum Confeſſario in his,in quibus tenetur obedientiam præſtare,vt in vitandis occaſionibus , in exequenda reſtitutione , in acceptanda graui pœnitentia,&c.

19 Circa prædictas qualitates,& conditiones,tria occurrunt notāda. *Primum*,partim de illis in ſuperioribus dictum eſſe,partim in propriis locis dicendum,cùm de integritate Confeſſionis,ac Miniſtro agemus. *Secundum*, plures ex illis eſſe neceſſarias,ac ſubſtantiales ad ipſam Confeſſionem Sacramentalem; vt quòd ipſa *humilis* ſit, ſeu ex recognitione , ac dolore propriorum peccatorum procedens ; ſit etiam *pura* , quæ fiat cum ſpe ac intentione remiſſionis ipſorum obtinendæ ; ſit *fidelis* , nullum peccatum graue occultans ; ſit *verecunda* abſque vllius peccati mortalis iactantia ; ſit *integra*, Reliquas verò , vt quòd ſit ſecreta, frequens , minimè verboſa,

diſcreta, & accelerata, non pertinere ad ſubſtantiam Confeſsionis, ſed ad conuenientiam, & maiorem vtilitatem ipſius. *Tertium eſt*, illas qualitates vel conditiones quas diximus eſſe ſubſtantiales, ac ſimpliciter neceſſarias ad validitatem Confeſſionis Sacramentalis, ſi rectè conſiderentur, ſubintelligi ac includi in definitione eſſentiali Confeſſionis à nobis tradita ad finem præcedentis ſectionis: ea enim eſt, Accuſatio propriorum peccatorum; at iſta propriè talis non eſt, niſi ſit accuſatio voluntaria, ac dolorifera, abſque vlla iactantia, obediens, integra, & cum intentione ac ſpe obtinendæ remiſſionis per Abſolutionem, coram legitimo Iudice, ſeu Confeſſore facta.

SECTIO III.

Vtrùm Conſeſsio Sacramentalis debeat eſſe ſecreta, vel poſsit quoque publica eſſe.

1 NOmine Secretæ Confeſſionis intelligimus auricularem, quæ ita ſecretè ſit, vt ſine vllo teſte, & abſque vllo interprete fiat à pœnitente coram ſolo Sacerdote; & ad hunc modum ſecreti explicandum, Auricularis Confeſſio appellata eſt. Quam improbant Hæretici noſtri temporis, quia neque in ſacra Scriptura continetur, neque in primitiua Eccleſia vſitatam fuiſſe dicunt, in qua erat conſuetudo agendi publicas pœnitentias pro peccatis. *Contrà verò*, quidam olim Catholici putarunt eſſe de eſſentia Confeſſionis Sacramentalis, vt fieret ſecretò. Et hoc probabile putat Richardus *diſt.* 17. *art.* 3. *qu.* 8. Qui è conuerſo fundantur in perpetua Eccleſiæ traditione, quæ Chriſti Domini inſtitutionem declarat; vbi ſemper ab initio fuit in vſu priuata Confeſſio.

2 Ad dilucidè hanc rem explicandam, præmitto verba Concilij Tridentini *ſeſſ.* 14. *c.* 5. de Confeſſione, ſic dicentis: *Cæterùm, quoad modum confitendi ſecretò apud ſolum Sacerdotem, etſi Chriſtus non vetuerit, quin aliquis in vindictam ſuorum ſcelerum, & ſui humiliationem, cùm ob aliorum exemplum, tum ob Eccleſiæ offenſæ ædificationem, delicta ſua publicè confiteri poſſit: non eſt tamen hoc diuino præcepto mandatum, nec ſatis conſultè humana aliqua lege præciperetur, vt delicta, præſertim ſecreta, publica eſſent Confeſſione aperienda. Vnde cùm à ſanctiſſimis, & antiquiſſimis Patribus, magno vnanimique conſenſu ſecreta Confeſſio Sacramentalis, qua ab initio Eccleſia ſancta vſa eſt, & modò etiã vtitur, fuerit ſemper commendata; manifeſtè refellitur inanis eorum calumnia, qui eam à diuino mandato alienam, & inuentum humanum eſſe, atque à Patribus in Concilio Lateranenſi congregatis initium habuiſſe docere non verentur.* Hactenùs Tridentinum.

Ex hac egregia ſacri Concilij Doctrina deducenda eſt vera reſolutio præſentis quæſtionis, quam *ſeqq. dictis* declaro.

3 Dico ergo *primò*, ad eſſentiam Sacramenti Pœnitentiæ, nihil referre, an Confeſſio ſecretè, an publicè fiat. Ita manifeſtè colligitur ex verbis Trident. relatis, vbi apertè dicit, non eſſe à Chriſto prohibitum illum modum publicè confitendi, & laudat vſum ſecretæ Cõfeſſionis: ergo quolibet ex his modis fieri poteſt validè Confeſſio. Et ratio eſt aperta, quia ad neceſſitatem, & valorem Sacramenti ſolùm requiritur, quòd peccata manifeſtentur Sacerdoti, vt Iudici; & Confeſſio ideò requiritur, vt Confeſſarius poſſit cognoſcere ſtatum pœnitentis: at prædictum ſtatum per vtramque Confeſſionem æqualiter poteſt cognoſcere; ergo quòd hoc vel illo modo id fiat; parùm refert ad eſſentiam, & valorem Sacramenti.

Dico *ſecundò*, ab exordio naſcentis Eccleſiæ, fuiſſe 4
in vſu auricularem, ſeu ſecretam Confeſſionem, atque adeò modum ſecretæ Confeſſionis honeſtum, & ſanctum eſſe, & ad Sacramentum conficiendum ſufficientem. Ita Tridentinum relatum, vbi contrarium errorem expreſsè condemnat. Et *in cap. Omnis vtriuſque ſexus*, ſoli Sacerdoti dicitur Confeſſio facienda: & ipſa conſuetudo Eccleſiæ vniuerſalis ab initio hoc ſatis firmat; neque enim errare potuit in re tanti momenti. Et ratio eſt manifeſta, quia ex inſtitutione Chriſti non poteſt colligi neceſſitas alterius modi publicè confitendi, neq; ex natura rerum; imò ſuppoſita inſtitutione, hic modus eſt magis conſentaneus. Patet, quia in inſtitutione ſolùm legimus dixiſſe Chriſtum Apoſtolis, *Ioan.* 20. *Accipite Spiritum ſanctum: Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* Ex quibus verbis rectè colligit Eccleſia, neceſſarium eſſe, vt Sacerdos, qui iudicaturus eſt de his peccatis, & ea remiſſurus, notitiam illorum accipiat; hanc autem ſufficienter accipit per ſecretam Confeſſionem: ergo ex vi verborum inſtitutionis nihil aliud colligi poteſt. Aliunde verò, cùm in ipſa Cõfeſsione dicenda ſint non tantùm peccata publica, ſed etiam occulta, nec ſolùm externa, ſed etiam merè interna; eſſet valdè difficilè, ac durum, & præter humanam conditionem, obligare hominem ad hæc omnia publicè manifeſtanda: ergo ſuauior modus ac magis accommodatus humanæ conditioni eſt, ipſius Confeſsionis auricularis.

Dico *tertiò*, non ita præſcriptum eſſe, vt Confeſſio 5
Sacramentalis ſecretò fiat, vt non poſſit aliquando validè, & licitè fieri publicè. Id expreſsè docet Tridentinum, proponens aliquos caſus, in quibus id non eſſe prohibitum decernit. Et ratio eſt, quia non eſt contra inſtitutionem, aut valorem Sacramenti, quòd Confeſſio publicè fiat, vt probatum eſt *Dicto primo*: & conſtat; quia licèt Confeſſio fiat ſine ſecreto, poteſt eſſe vera accuſatio ex dolore cordis profecta, & per illam datur Sacerdoti ſufficiens notitia, vt poſſit de peccatis iudicare, & ab illis abſoluere. Præterea liquet ex vſu, eum qui in naufragio, vel incendio non poteſt ſecretò confiteri, publicè fateri ſua peccata, & abſolutionem petere. Quis etiam neget, quando multi moribundi iacent ſimul in eodem lecto, nec poſſunt vllo modo ſecretò confiteri, poſſe confiteri etiam aliis audientibus. Denique ex Tridentino relato, docent communiter omnes Doctores ex rationabili cauſa, quandoque laudabiliter fieri publicam Confeſſionem, aut ob aliorum ædificationem, aut quia ſecretò fieri nequit; vel etiam in humiliationem ipſius pœnitentis, vt ſupponitur in Tridentino.

Dico *quartò*, neminem ex præcepto Confeſſionis 6
præcisè obligari ad publicam Confeſſionem ſuorum delictorum neque extra articulum mortis, quamuis nequeat confiteri; imò neque in articulo mortis ex vi talis præcepti: ita omnes. Probatur, quia publica Confeſſio nullo iure & præcepto obligat: non iure naturali, quia ex natura rei, nulla eſt obligatio confitendi, nec publicè nec ſecretò: non iure diuino poſitiuo Chriſti, quia Chriſtus non præcepit Confeſſionem publicam, vt expreſsè docet Tridentinum, dicens non eſſe hoc diuino præcepto mandatum: non denique iure aliquo Eccleſiaſtico, quia ſi aliquod eſt Confeſſionis, tantùm eſt modificatiuum iuris poſitiui Chriſti quoad tempus; iure autem Chriſti non obligat Confeſſio publica; ergo nullo iure, nec præcepto obligatur fidelis ad publicam Confeſſionem, quamuis non poſſit aliter confiteri, quia nimis oneroſum, ac durum eſt, extra articulum extremæ neceſſitatis, obligari ad Confeſſionem publicam; quod

quod Eccleſia expreſsè dicit in Tridentino, non fuiſſe à Chriſto mandatum,quamuis potuerit. Vnde id in Eccleſia quaſi traditione receptum eſt. Ob eandem rationem neque etiam in articulo mortis Confeſsio publica vllo iure, & præcepto obligat, vnde ſi tunc non poteſt ſecretò confiteri,non tenetur publicè. Dixi *ex vi præcepti Confeſſionis*; nam in articulo mortis ex obligatione Charitatis, & curandi ſalutem propriam,ſi peccator videat ſe moraliter impotentem ad Contritionẽ perfectã, vel rationabiliter dubius ſit de Contritione ſua,tunc teneretur confiteri etiam publicè; quia cùm abſolutè teneatur Deo ſatisfacere,meritò non ſolum in caſu certo, ſed etiam in dubio obligatur, vt alio modo iuſtificetur, & ſatisfaciat Deo per Confeſſionem etiam publicam, ſi nequeat ſecretò confiteri, ne ſe exponat periculo æternæ damnationis, quæ præ omnibus aliis incommodis vitanda eſt.In hoc tamen caſu & dubio ſufficeret vt pœnitens confiteretur ea peccata quæ cum minori infamia explicare poſſet, omiſſis aliis quamuis grauioribus quorum Confeſſione grauiter infamandus eſſet apud alios; nam hęc infamatio eſt ſufficiens ad excuſandum ab integritate materiali Confeſſionis à Chriſto præcepta: idque ſatis eſſet ad recipiendum validum, & cum fructu Sacramentum,atque adeò & ad ſubueniendum ſuæ ſaluti æternæ; quia poſſet tunc fieri ex attrito contritus.

7 Dico *quintò*, nullam poſſe ferri legem Eccleſiaſticam,quæ abſolutè obliget fideles ad publicam Confeſſionem ſuorum peccatorum mortalium, præſertim eorum quæ eſſent omninò occulta. Hoc ſatis clarè docet Tridentinum,cùm expreſſe dicat,non ſatis conſultè eã legem condi poſſe;vnde nec rationi,nec prudentiæ conſentanea videretur,cum tamen id ad rationem legis omninò requiratur. Quod magis firmatur, quia cùm præceptum Confeſsionis ſit vnum ex difficillimis, & nullum fortaſſe grauius humanæ imbecillitati,non videtur rectæ rationi conforme, ab Eccleſia reddi poſſe multò difficilius,ac grauius, quàm ab eius legiſlatore Chriſto Domino manauit,qui nunquam obligauit ad publicam Confeſſionem: ex alio capite ea lex non eſſet neceſſaria,nec per ſe valde vtilis;ſed ſæpe foret illicitum,declarare coram aliis peccata, eo quòd gignerent ſcandalum, & infamarent pœnitentem,quando ſuæ famæ ob aliorum vtilitatem proſpicere teneretur. Imò neque poteſt lex humana cogere hominem vt in rebus, & peccatis omninò occultis ſeſe infamet.

Ex quo patet ſolutio ad argumentum Hæreticorum. Nunquam enim in Eccleſia primitiua facta fuit publica Confeſſio ex præcepto Eccleſiæ,aut Confeſſoris; niſi in aliquo raro caſu id fuiſſet neceſſarium ad publicam ſatisfactionem, & ad tollendum ſcandalum de publico peccato quod etiam non conſtat. Imò, vt ipſe opinor, illa publica pœnitentia non oriebatur ex ipſo Sacramento Confeſsionis, ſed ex alia denunciatione, vel accuſatione Eccleſiaſtica; atque ideò eſſe poterat magis coacta, & oneroſa; vnde illa non pertinebat vllo modo ad forum Pœnitentiæ, ſed ad forum contentioſum.

Ad illud Richardi, in oſtenſum eſt nullo modo eſſe probabile, eſſe de eſſentia Confeſſionis Sacramentalis, vt ſecretò fiat.

8 Supereſt verò explicandum ſit-ne ſecreta Confeſſio de neceſſitate præcepti.

Ex parte Sacerdotis videtur certum, eſſe præceptum diuinum;tum quantum ad ſecreti obſeruationem iuxta voluntatem pœnitentis; tum quantum ad hoc, vt non poſſit cogere pœnitentem, vt aliter confiteatur. Vnde meritò Suarez *diſputatione 25.ſect. 2.numero 11.* cenſet cum Nauarro grauiter peccare Sacerdotem vel Parochum qui plures pueros incitaret,vt ſimul ipſi cõfiterentur, ſéque mutuò audirent, ſi alioqui ſint doli,& Confeſſionis capaces,itavt Sacramentaliter abſolui meritò poſsint. Addo nec debere Parochos adhuc pueros doli non capaces,ſimul plures audire, nec publicè interrogare, præſertim de iis rebus,quæ ad eorum ignominiam poſſunt ab aliis memoria retineri, & adultis poſtea exprobrari.

Difficultas verò eſt ex parte pœnitentis:Nam Suarez *diſputatione 21. ſection. 2. ad finem*, docet non carere culpa, qui ſine vlla occaſione, vel cauſa rationabili,alio modo, quam per ſecretam Confeſsionem vult Sacramentaliter confiteri;probat,quia tametſi non detur præceptum diuinum Confeſsionis ſecretæ, neque etiam humanum ſcriptum,cum nullibi reperiatur; fieri tamen debet propter Eccleſiæ conſuetudinem inceptam ab initio ipſius,quæ obligare videtur.Gaſpar Sanchez *diſputatione 8. ſection. 1. ad finem*, exiſtimat non eſſe conſuetudinem confitendi ſecretò quaſi ex obligatione:Iacobus denique Granado *tractat.9. diſputatione 4. numero 8.* docet pœnitentem obligare diuino præcepto ad Confeſsionemſecretam:& probat. *Primò*, quia id ſatis innuit Tridentinum dicens non eſſe alienum,& negans hunc modum confitendi fuiſſe inuentum humanum, ſeu illum homines induxiſse. *Secundò*, quia modum ſecretæ Confeſsionis ſemper Eccleſia commendauit;ergo credidit à Chriſto Domino fuiſse aliqua ſaltem ratione præceptum:non enim in re tam graui quidquam ſtatuiſset, & ſemper obſeruaſset, niſi a Chriſto Domino didiciſset. *Tertiò* ſunt varij caſus in quibus lex diuina obligat ad ſecretam Confeſsionem. Primum,cùm ex publica Confeſsione ſequeretur ſcandalum, aut iniuſta infamatio,quod ſæpe accideret;nec aliter incommodum iſtud euitari poſset, quàm ſecretò confitendo:Cùm ergo Chriſtus Dominus præceperit Confeſsionem, conſequenter iuſsit eam fieri ſine prædicto incommodo; ergo cùm Confeſsio publica ſæpe illud allatura eſset, præcepit Confeſsionem ſecretam.Deinde, non videtur negari poſse, peccaturum pœnitentem, publicè confitendo ſine rationabili cauſa: ergo violaret aliquod præceptum,quia omne peccatum contra præceptũ eſt; non eſt autem Eccleſiaſticum,quia nullam ſpecialem legem tulit Eccleſia ſecretæ Confeſsionis: & conſuetudo perpetua,in qua fundamentum habere videtur iſta obligatio,non fuit humanum inuentum:ergo videtur inducta, vt ChriſtiDomini inſtitutio obſeruaretur;ergo Chriſtus Dominus eam obligationem impoſuit, quam declarat Eccleſię conſuetudo.

9 In hac re quatuor iudico vt veriora dicenda. *Primum eſt*, certum eſse, non eſse vllum præceptum diuinum obligans ad ſecretam Confeſsionem. Patet, quia vt oſtendi *ſuprà* ex Tridentino, aliquando licet publicè confiteri; quia rationabili ex cauſa poteſt quis laudabiliter confiteri publicè,aut ob aliorum ædificationem, & ſui humiliationem, aut quia ſecretò Confeſsio fieri nequeat.Et ratio à priori eſt,quia nequit ex inſtitutione Chriſti colligi neceſsitas ſecretò confitendi, cùm oſtenſum ſit ſupra *Dicto tertio*, poſse eſse veram accuſationem peccatorum ex dolore cordis profectam,etiãſi Confeſsio publica ſit; neque enim Chriſtus Dominus poſuit in inſtitutione modum ſecretæ Confeſsionis tanquam ſimpliciter & abſolutè neceſsarium; aliàs enim conſequenter prohibuiſset illum alium modum publicè confitendi,cuius oppoſitum docet Tridentinum;ergo.

10 *Secundum eſt*, in nullo caſu teneri pœnitentem, vel obligari præcepto diuino purè poſitiuo ad ſolam ſecretam Confeſsionem. Probatur, quia id ex ipſa inſtitutione Confeſsionis Sacramentalis non infertur, vt oſtenſum eſt, & ſecluſa inſtitutione, non eſt vnde colligatur talis obligatio. Firmatur id ampliùs, nam licèt

Digitized by Google

ſint nonnulli caſus, in quibus neceſſe eſt publicè confiteri, vt cùm Confeſſio fit per interpretem;& in articulo mortis,quando non poteſt niſi alta voce confiteri,ita vt alij audiāt vt in naufragio,vel in incendio; in iis tamen caſibus nulla eſt obligatio præcepti diuini Confeſſionis ex vi præcepti Confeſſionis; quia nec tenetur homo confiteri per interpretem, vt dicemus *ſect. ſequenti*; neque in articulo mortis alta voce; niſi tantùm per accidens,ex eo quòd peccator rationabiliter dubius ſit de ſua Contritione;tunc enim ex præcepto Charitatis propriæ,teneretur confiteri publicè,vt dixi ſuprà *n.6*.

11 *Tertium eſt*,nullum eſſe præceptum Eccleſiaſticum, quod in ſpecie obliget ad ſecretam Confeſſionem. Patet, quia nullum inuenitur Eccleſiaſticum præceptum de hac re ſcriptum. Nam quod dicitur in capite *Omnis vtriuſque ſexus*,vt ſoli Sacerdoti ſit Cófeſſio facienda: non eſt,vt ille modus præſcribatur, vel præcipiatur, ſed vt alius modus publicè confitendi non exigatur.

12 *Quartum* denique eſt per ſe, & ex genere ſuo eſſe peccatum graue,abſque vlla neceſſitate, vel rationabili cauſa Sacramentaliter confiteri alio modo, quàm per ſecretam ſeu auricularem Confeſſionem. Id docent communiter Doctores, quia ab initio Eccleſiæ fuit & eſt ſemper conſuetudo confitendi ſecretò; & eſt grauis culpa opponere ſe contra id, quod eſt iam tam antiqua conſuetudine introductum, & ab vniuerſali Eccleſia receptum. Cæterùm non video rationem hanc eſſe conuincentem ad ponendam culpam mortalem; quia non facilè apparet conſuetudinem prædictam inductam eſſe quaſi ex obligatione, quâ ſolâ introducitur obligatio grauis habens vim legis, & præcepti. Quare alio nitor fundamento;quia nimirùm velle abſque vlla cauſa, ac temerè propria auctoritate morem nouum, & minùs aptum, qualis eſt Confeſſionis publicæ, introducere in vſu Sacramenti Pœnitentiæ,non caret ſpecie contemptus, ac irreuerentiæ, committendo grauem inordinationem: nam in re graui, qualis eſt vſus Sacramentorum, introducere nouum vſum temerè propria auctoritate contra vſum omnium, & in tota Eccleſia receptum,non poteſt non eſſe grauis culpa

13 Ad argumenta Granado, quibus probat pœnitentem obligari diuino præcepto ad ſecretam Confeſſionem, reſpondendum eſt. Ad primum dico, cùm dixit Tridentinum, modum ſecretò confitendi non eſſe alienum, ſolùm velle dicere, non eſſe contrarium, nec repugnare diuino præcepto, imò eſſe illi magis conſentaneum:quia ſuppoſita inſtitutione Sacramenti,ille modus Confeſsionis ſecretæ per ſe loquendo conuenientior eſt,& aptior ad tollendas omnes difficultates, & ſcandala.

Vnde ob eandem rationem dicitur non eſſe inuentū humanum,quia aliquo modo ducit originem ab inſtitutione diuina,quatenus ab initio illius introductus fuit hic modus confitendi,& ab Eccleſia acceptus, & ſemper in ea obſeruatus.

Ad ſecundum,tametſi ſecreta Confeſsio fuerit regulariter in Eccleſia ſeruata, ſed non conſtat an ex obligatione graui; & multò minùs an ex Chriſti Domini præſcripto.

Ad tertium, dico Confeſsionem publicam,ſicut poteſt ſcandalum præbere, ſi temerè fiat, & abſque vlla cauſa; ita & poſſe aliquando eſſe vtilem, & ad ædificationem fidelium, ſi fiat prudenter, & ex cauſa rationabili. Prætereà iam dictum eſt, per ſe loquendo, non occurrere caſus,in quibus lex diuina obliget ad ſecretam Confeſsionem faciendam,præcisè ex vi præcepti Confeſsionis. Denique iam dixi peccaturum pœnitentem, qui temerè & abſque vlla cauſa rationabili publicè confiteretur; ſed non quia tranſgrederetur Chriſti Domini inſtitutionem, vel præceptum, ſed quia, per ſe loquendo, committeret grauem inordinationem, ac irreuerentiam, inducendo nouum vſum propria auctoritate in vſu & exercitio Sacramenti Pœnitentiæ contra obſeruantiam,& vſum totius Eccleſiæ.

SECTIO IV.

Vtrùm quis poſſit, imò & teneatur aliquando ex vi præcepti Confeſsionis per Interpretem confiteri?

Circa primum, an poſſit fieri Confeſſio per interpretem? 1
conueniunt Doctores fieri poſſe, idque teſtatur vſus Eccleſiæ ſeu fidelium quando Confeſſarius, & pœnitens ſunt diſtincti idiomatis. Ratio eſt, quia Confeſſio ex vi ſuæ inſtitutionis non habet eſſentialiter ſignum ſenſibile determinatum, ſed quacumque ratione reus declaret Iudici Confeſſario conſcientiam ſuam, id ſatis eſt; at per interpretem iam pœnitens manifeſtat ſua peccata Confeſſario quantum ſufficit; ergo. Firmatur, quia in Sacramento Matrimonij ſufficit, ſi Parochus & teſtes percipiant ſolùm conſenſus contrahentium per interpretem,vt cum communi omnium doctrina oſtendi in tractatu de *Matrimonio diſp.40.ſect.10.n.2.*ergo & in Sacramento Pœnitentiæ ſufficiet Confeſſario,quòd habeat notitiā peccatorū per interpretē. Circa quam confirmationem ait Cardinalis Lugo *diſput.* 15. *ſect.* 5. *num.* 60. ſe exiſtimare, maiorem notitiam requiri in Parocho,vt validè 2
aſſiſtat Matrimonio, quàm in Confeſſario vt abſoluat:quia in Matrimonio ideò requiritur præſentia Parochi & teſtium, vt poſſit legitimè conſtare Eccleſiæ de Matrimonio celebrato, ſi fortè poſtea coniux id negaret; vel vt coniuges id poſsint apud Eccleſiam probare;ad hoc autem poſſet apparere inſufficiens conſenſus præſtitus per interpretem: quia Parochus non poteſt teſtificari de conſenſu, cùm ipſe non intelligat idioma contrahentium, ſed ſolùm poſſet dicere, interpretem dixiſſe, illos conſentire. Vnde ſi coniuges negarent poſteà conſenſum, & dicerent,interpretem fuiſſe mentitum;non poſſet aliquid plenè contra ipſos probari,cùm totum reduci deberet ad teſtimonium vnius interpretis: ſi ergo conceditur ſufficiens illa notitia per interpretem data, vt Parochus validè aſsiſtat; faciliùs concedi debet ſufficiens ſimilis notitia ad Confeſsionem Sacramentalem,in qua non requiritur notitia,qua poſtea poſsit apud Eccleſiam probari peccati Confeſsio, ſed qua Confeſſarius in foro interno poſsit pœnitenti contra ſe loquenti credere.

Cæterùm,licèt hæc ita ſint,non video cur maior notitia requiratur in Parocho, vt validè aſsiſtat Matrimonio, quàm in Confeſſario, vt abſoluat pœnitentem. Nam ſicut Parochus non intelligit idioma contrahentium; ita nec Confeſſarius idioma pœnitentis: ergo vterque eodem modo intelliget interprete ad ſuum munus ritè obeundum; ergo æqualis notitia ſufficit in vtroque: vnde ſicut conceditur ſufficiens notitia Confeſſario per interpretem data ad Confeſsionem, & abſolutionem pœnitentis, ita & datur ſimilis notitia ſufficiens per interpretem vt Parochus validè aſsiſtat,quia ſicut notitia,quam habet per interpretem Confeſſarius,

ſufficit

Digitized by Google

ſufficit ad credendum pœnitenti contra ſe loquenti, ita & notitia quam habet Parochus per interpretem, ſufficit vt illi plenè conſtet de mutuo conſenſu contrahentium; quia in aliis contractibus eſt ſatis interpres ad eorum probationem. Imò cùm ſit magis eſſentiale, vt ipſi contrahentes conſenſum mutuum intelligant, cùm hoc ſit de iure naturali, & diuino ab initio requiſitum in Matrimonio, & ſufficiat vt alter alteri explicet conſenſum per interpretem; ſimiliter ſufficiet per interpretem, vt conſtet plenè Parocho de mutuo conſenſu: neque enim exigi poteſt maior notitia conſenſus in Parocho aſſiſtente, quàm in ipſis contrahentibus.

Maior difficultas eſt circa ſecundum, an pœnitens teneatur ita confiteri per interpretem, quando alio modo non poteſt.

3 Noſter Cardinalis de Lugo *diſputatione* 15. *ſect.* 5. *num* 65. *& ſequentibus*, in hac re diſtinguit cum nonnullis Doctoribus, inter præceptum Eccleſiæ, & diuinũ, atque illo priori nos non obligari ad talem Confeſſionem per interpretem, benè verò hoc poſteriori modo. Quia præceptum diuinum licèt non obliget ad confitendum peccatum cum graui detrimento extrinſeco; non tamen apparet, eiuſmodi detrimentum ſequi ex Confeſsione facta per interpretem fidelem, & prudentem, cui non minus quàm ipſi Confeſſario fidere poſsit pœnitens: nam totum detrimentum eſt, quòd peccata, quæ aliàs nota eſſe deberent vni, manifeſtentur duobus. Hoc autem non eſse tanti ponderis, vt excuſet ab obligatione diuini præcepti: Id probat ex aliis caſibus Cardinalis Lugo.

Primò, quia ille, qui habet aliquod peccatum reſeruatum, & ſcit, quòd Prælatus dabit ei facilè licentiam confitendi inferiori, non poteſt eiuſmodi licentiam petere, quin peccatum ſuum innoteſcat duobus, videlicet Prælato & Confeſſario inferiori, & tamen nemo excuſabit illum ob eam cauſam à præcepto Confeſſionis, præſertim in mortis articulo; ergo.

Secundò, quia ſæpe habens peccatum reſeruatum poteſt in caſibus ſibi permiſſis abſolui directè à Confeſſario inferiori, cum onere tamen comparendi poſtea coram Superiore, in quo caſu cogitur illud duobus manifeſtare, & tamen non propterea excuſatur à præcepto diuino confitendi, ſi debeat celebrare, vel accipere Euchariſtiam, & poſſit ab inferiori directè abſolui. Quod maximè vrget in articulo mortis, in quo omnes Sacerdotes poſſunt abſoluere ab omnibus peccatis, reſeruatis etiam Summo Pontifici, ſed cum onere comparendi poſteà; at nemo dicet moribundum excuſari tunc à præcepto diuino Confeſſionis propter illud onus, quod ſubit manifeſtandi duobus idem peccatum.

Tertiò à priori, quia illud incommodum notitiæ dandæ duobus, nõ videtur eſſe graue ſimpliciter; multi enim affirmant non eſſe peccatum mortale reuelare crimen proximi occultum vni viro prudenti, qui illud non eſt reuelaturus, niſi ſit ſpecialis ratio occultandi apud illum: ergo potiori iure in noſtro caſu, cùm notitia quæ datur interpreti, detur ſub tali ſigillo, vt ſi ille prudens ſit, certiſſimum ſit, quòd apud ipſum ſolum manebit. Præterea etiamſi demus notitiam dandam duobus, eſſe graue incommodum, non eſt tamen tantum ex mente Cardinalis, vt propter illud excuſemur omninò ab obligatione præcepti diuini de Confeſſione facienda, ſaltem in articulo mortis: Nam hoc præceptum licèt non obliget cum grauiſſimo detrimento, & incommodo extrinſeco, obligat tamen aliquando cum incommodo tali, quod ſit ſufficiens ad differendam Confeſſionem, ſed non ad illam omninò amittendam. Adhibet exemplum de Confeſſario, qui ſit abſens per ſex milliaria; poteſt enim Sacerdos in eo caſu, vrgente neceſſitate celebrare ſaltem ſemel abſque Confeſsione, quia illud incommodum itineris, vel accerſendi Confeſſarium excuſat à præcepto diuino præmittendi Confeſsionem ante Cõmunionem, & tamen illud incommodum non excuſaret à Confeſsione facienda in mortis articulo, ſed deberet infirmus accerſere Confeſſarium vt ſatisfaceret præcepto, quia minùs ſufficit ad licitè differendum, quàm ad ſimpliciter omittendum quod præcipitur: ergo ſimiliter dicendum eſt de incommodo confitendi per interpretem, eſſe quidem tale, vt ratione illius excuſetur Sacerdos vel Laicus vrgente neceſſitate communicans ſemel, vel iterùm, non præmiſſa Confeſsione, quando non poteſt niſi per interpretem confiteri; non tamen ſufficiet illud ſolum incommodum ad omittendam Confeſsionem in mortis articulo.

Vltimò, confiteri bis, vel apud duos idem peccatum, paſsim & abſque difficultate faciunt plures, qui ſæpiſſimè ſe accuſant de aliquo peccato mortali olim à ſe commiſſo, vt dent materiam certam abſolutioni: ergo non eſt adeò graue hoc onus dandi notitiam eiuſdem peccati duobus, vt ratione illius excuſetur homo à Confeſsione facienda ſaltem in mortis articulo.

Communis ſententia eſt Doctorum, Scoti, Caietani, Medinæ, Petri Soto, Maioris, Paludani, & aliorum, quos referunt, & ſequuntur Coninck, *diſp.* 5. *dub* 10. *num.* 77. & Suarez *diſput.* 36. *ſect.* 6. *num.* 3. *& ſequentibus*, nunquam ex vi præcepti Confeſſionis teneri pœnitentem confiteri per interpretem. Cuius præcipuũ fundamentum eſt; quia manifeſtè præſcribitur in cap. *Omnis vtriuſque ſexus*, vt pœnitens debeat ſingulis annis, ſolus omnia ſua peccata confiteri. Quâ particulâ, *ſolus*, apertè oſtenditur nos non teneri confiteri niſi ſecretò apud ſolum Sacerdotem; ita vt aliquis nos non audiat præter ſolum Confeſſarium, & conſequenter nec per interpretem: exprimit etiam hoc idem Tridentinum *ſeſſ.* 14. *cap.* 5. dicens, modum confitendi ab Eccleſia commendatum, quo ab initio ipſa vſa eſt & modò etiam vtitur eſſe modum confitendi ſecretò apud ſolum Sacerdotem; ergo ex nullo præcepto obligamur ad confitendum alio audiente, præter Confeſsarium. Nec plenè ſatisfacit Lugo, dicens Concilium ſolum loqui de Cõfeſsione ſecreta, prout cõdiſtinguitur à publica: qualis non eſt quæ fit per interpretem; neque enim eſt publicum, quod per interpretem fideliſſimum, & ſtricto præcepto obſtrictum, dico Confeſsario. *Sed contra eſt*, quia Concilium non quouis modo ſecretam præſcribit Confeſsionem, ſed expreſsè ait, *Secretò apud ſolum Sacerdotem*, vbi illa particula excluſiua, *ſolum*, excludit omnem alium qui non ſit Sacerdos, vel Confeſsarius: ergo non obligat præceptum Confeſsionis, vt alius nos audiat præter ſolum Sacerdotem, ergo non obligat vt fiat Confeſsio per alium præter Sacerdotem, & conſequenter nec per interpretem.

Hæc ſententia mihi videtur abſolutè vera, & firmiori fundamento innixa. Iuxta quam.

Dico *primò*, nunquam ex vi præcepti Eccleſiaſtici Confeſsionis, obligari pœnitentem ad confitendum per interpretem Hoc fatentur quoque Doctores primæ ſententiæ. Id manifeſtè conſtat *ex capite citato, Omnis vtriuſque ſexus*, vbi expreſsis verbis præceptum Confeſsionis imponitur, vt omnis fidelis teneatur ſolus confiteri ſua peccata proprio Sacerdoti. Vbi particula, *Solus*, excludit apertè, vt *ſuprà* dixi, obligationem confitendi coram quouis alio nempe interprete. Et ratio eſt efficax, quia præcepta Eccleſiaſtica non obligant cum tanto onere: & præceptum Confeſsionis eſt ex ſe valdè 5

4

dè difficile, cùm obliget ad manifeſtanda peccata quã-tumuis grauia, & occulta, etiam ſolo interno conſenſu patrata; non ergo eſt extendenda illius obligatio Eccleſiaſtica ad aliud, quàm ad id quod præciſe neceſſarium eſt, vt Confeſſarius ea nouerit; quippequi abſolutionem tanquam Iudex impenſurus eſt: ergo nunquam obligandus eſt pœnitens, vt alteri, quàm Confeſſario peccata manifeſtet; ergo qui ſine interprete confiteri non poteſt, non obligatur ab Eccleſia præcepto Confeſsionis.

Ex quo infertur ad ſatisfaciendum præcepto Confeſſionis annuæ, non obligari pœnitentem, vt confiteatur per interpretem: quia noluit Eccleſia præcepto annuæ confeſſionis obligare illum, qui non omninò ſolus, ſed coram alio poſſet confiteri; nam vt vidimus, verba quibus Eccleſia impoſuit illam obligationem, declarant, vt pœnitens debeat ſingulis annis ſolus, proprio Sacerdoti confiteri: vnde nõ vult, vt neque etiam ius diuinum obliget, quando pœnitens non poteſt ſolus cõfiteri, ſed coram alio, ſcilicet interprete; cùm expreſsè excludat à ſua obligatione, vel modificatione, caſum illum interpretis.

6 Dico *ſecundò*, neminem teneri ad Confeſſionem per interpretem faciendam iure ac præcepto diuino extra mortis articulum Hoc mihi videtur certum, *Primò*, quia iure ac præcepto diuino nullus obligatur ad publicam Confeſſionem, vt expreſsè decernit Tridentinum *ſeſſ.* 14. *cap.* 5. dicens, id non eſſe diuino præcepto mandatum; ſed eo ipſo quòd per interpretem quis confiteatur, eſt publica Confeſſio, provt diſtinguitur à ſecreta, ſeu auriculari, quæ ſoli Sacerdoti fit, vnde quæ fit per interpretem, cenſetur publica in hoc foro: ergo nunquam obligandus eſt pœnitens iure diuino, vt alteri, quàm Confeſſario peccata manifeſtet, quando benè valet, nec periculum mortis imminet. *Secundò*, conſtat ex dictis *ſupra* præceptum diuinum Confeſſionis immediatè, & per ſe non obligare aliquo determinato tempore extra articulum mortis; ſolùm enim præceptum Eccleſiaſticum eſt quaſi modificatio, ac determinatio præcepti diuini Confeſſionis, quoad tempus extra articulum mortis, nempe ſingulis annis. Hoc autem iam probatum eſt apertè, nunquam obligare ad Confeſſionem per interpretem. *Tertiò*, etiamſi daremus præceptum diuinum per ſe obligare extra articulum mortis, adhuc non poſſet obligare ad Confeſſionem per interpretem; quia cùm hoc præceptum eſſet affirmatiuum, non obligaret pro ſemper, vt liquet, ſed temporibus opportunis; at moraliter, & prudenter non cenſetur opportunum tempus, quando homo nequit ordinariè, & ſub ſecreto ad aurem confiteri, & alias non vrget neceſsitas articuli mortis.

7 Dico *Tertiò*, etiam in articulo mortis neminem ex vi præcepti diuini Confeſsionis, teneri confiteri per interpretem. Ita ſentio cum Doctoribus communis ſententiæ relatis *n.* 4. Idque probat manifeſtè auctoritas Tridentini, & capitis, *Omnis vtriuſque ſexus*, ſuprà ponderata. Vnde infertur ratio: nam licèt potuiſſet Deus obligare ex vi Confeſsionis, vt medio interprete quis confiteretur in articulo mortis: (idque probant argumenta adducta à Cardinali Lugo;) tum quia abſolutè poteſt præceptum diuinum ſtrictius obligare, etiam cum grauiſsimo detrimento honoris, & famæ, quia Deus ipſe dominus eſt vitæ, famæ, & honoris noſtri: tum quia illud incommodum notitiæ dandæ duobus, nempe Confeſſario, & interpreti, non videtur aliquibus eſſe graue ſimpliciter. Nihilominus tamen de facto id non ſtatuit Deus, vt declarauit Tridentinum: noluit enim vtens ſua admirabili ſuauitate, ac congrua prouidentia, Confeſsionem præſcribere cum eo onere; atque ideò de facto non tenemur ex vi præcepti Confeſsionis confiteri per interpretem, nam præcepta diuina minimè ſolent cum eo grauamine ligare. Idem quod dixi de Confeſsione per interpretem, dicendum iudico quando Confeſsio nequit fieri niſi aliis audientibus.

Dico *vltimò*, ſi quis in articulo mortis exiſtens, 8
prudenter ac probabiliter timeret de Contritione ſuorum peccatorum practicè habens dubium negatiuum, ſeu ſuſpenſiuum aſſenſum de illa, teneretur ex præcepto propriæ Charitatis confiteri per interpretem. Id rectè notauit Suarez cit. *num.* 5. Fagundez *in* 2. *Eccleſiæ præcepto*, *lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 5. & Aliĳ. Ratio eſt, quia cùm iſte abſolutè teneatur Deo ſatisfacere pro peccatis quæ commiſit, nec ſatisfaciat per ſolam Attritionem extra Sacramentum, neque per illam ipſi Deo reconcilietur, meritò in caſu dubio Contritionis obligatur vt iuſtificetur per Confeſsionem, eo modo per interpretem, vel etiam publicè, ne ſe exponat periculo æternæ damnationis, quæ præ omnibus aliis incommodis vitanda eſt; ſic enim ſecuriùs procurat ſuam ſaluationem æternam.

Eſt verò notandum, Suarez, & Facundez *ſuprà* ci- 9
tatos, & alios exiſtimare, quando quis dubitet de ſua Contritione, & ideò debeat confiteri per interpretem in mortis articulo, propter obligationem procurandæ ſuæ ſalutis æternæ, non obligari ad confitenda tunc omnia peccata mortalia, ſed quæ cum minori infamia explicare poſſet, neque enim tunc obligaret præceptum Confeſsionis ad integritatem materialem, ſeu ad Confeſsionem materialiter integram, quia ad hanc non obligat tale præceptum, quando aliquod peccatum non poteſt ſine periculo infamiæ explicari, provt neceſſe eſt tunc ſe infamare apud interpretem: ad iuſtificationem autem ſufficit Confeſsio formaliter integra cum Attritione, per quam cætera peccata indirectè remittuntur. Mihi tamen hæc doctrina difficilis eſt, quia neceſsitas illius articuli ſolùm petit, fieri veram Confeſsionem, per quam iuſtificatio obtineatur: ad hoc autem ſufficit Confeſsio alicuius venialis peccati in ſpecie; ergo tantum erit obligatio faciendi hanc, vt benè notauit Coninck *ſuprà* relatus, per interpretem; Nam ſemper eſt graue incommodum in confitendo quouis peccato mortali in ſpecie, ita vt alteri præter Sacerdotem innoteſcat. Patet, quia tanta eſt difficultas in confitendo quouis peccato mortali per interpretem, vt ob illam ceſſet obligatio præcepti annuæ Confeſsionis, & etiam Confeſsionis faciendæ in articulo mortis, quando quis moraliter ſecurus eſt de ſua Contritione. Hæc ergo difficultas magna, & grauis eſt; ergo ſufficiens eſt, vt ceſſet obligatio legis faciendi Confeſsionem ſpecificam, & integram; & ſolùm maneat obligatio, quæ oritur ex neceſsitate Confeſsionis ad æternam ſalutem. Huic autem neceſsitati occurritur ſufficienter per Confeſsionem alicuius peccati venialis medio interprete factam. Idem dicendum eſt, quando Confeſsio in eo articulo nequiret fieri niſi aliis audientibus ob eandem rationem, & etiam tempore peſtis & belli, ac naufragĳ, quando quis confiteri nequit niſi aliis audientibus.

Placet etiam quod addit Coninck, ſe omnino ſuadere ei qui eſſet in articulo mortis, vt quando aliquod non timeretur notabile incommodum ex Confeſsione per interpretem, ſimpliciter omnia peccata ſua confiteretur; quia hoc vtiliſsimum eſt, vt poſsit in ſpiritu iuuari, quod in illo articulo maximè quærendum eſt.

Placet

Digitized by Google

10 Placet quoque quod benè obſeruauit noſter Vaſquez *quæſt.91.artic.4.dub.3.num.6.*& mihi valdè placet, videlicet eum,qui poſt vltimam Confeſſionem recordatur alicuius peccati mortalis, cuius in Confeſſione fuit oblitus,& à quo indirectè fuit abſolutus, & cuius dolorem generalem habuit, non debere etiam in mortis articulo illud confiteri per interpretem, nec debere ſimpliciter confiteri, ſi non eſt ſibi conſcius noui peccati mortalis poſt vltimam Confeſſionem. Ratio eſt manifeſta,quia vt conſtat ex *ſup.*dictis,ad ſatisfaciendũ præcepto Confeſſionis ſiue Eccleſiaſtico, ſiue Diuino, id non requiritur, cùm hoc præceptum non obliget ad Confeſſionem per interpretem; nec ad reconciliationem cum Deo opus eſt, cùm iam per Confeſſionem vltimam fuerit reconciliatus.

11 Quæres,an ex obligatione propriæ Charitatis,& ſalutis ęternę,teneatur quoque homo ad Confeſſionem per interpretem in mortis articulo,quando probabiliter exiſtimat ſe habere Contritionem.

Affirmat Card.Lug.*diſp.15.ſect.5.num.62.* Probat, quia ſi quis probabilem ſolùm exiſtimationem habet de ſua Contritione: ergo probabiliter poteſt de illa timere;ergo non excuſabitur à Confeſſione facienda per interpretem: patet Conſequentia, quia ratio, propter quam debet per ſe in articulo mortis ita confiteri, ea eſt, ne exponat periculo ſuam ſalutem, ſi fortè non habeat Contritionem: eadem autem ratio vrget, quando probabiliter exiſtimat ſe eſſe contritum; poteſt enim decipi, nec ſufficit iudicium probabile ad iuſtificationem obtinendam, quia ſi reuera non habet Contritionem, non iuſtificabitur per ſolam Contritionem exiſtimatam extra Sacramentum; ſicut nec per Baptiſmum ſolùm exiſtimatum etiam cum Attritione vera. Igitur lex Charitatis, & cura propriæ ſalutis ad Confeſſionẽ, obligabit,per quam ſecurius iuſtificetur,quoties in articulo mortis ſolum probabilem exiſtimationem habet de ſua Contritione.

Suarez verò,Fagundez,& alij ſentiunt, ſi homo habeat probabilem exiſtimationem de ſua vera Contritione,non teneri ex præcepto propriæ Charitatis, & ſalutis in articulo mortis confiteri per fidelem interpretem. Probant,quia tunc non videtur ea Confeſſio moraliter neceſſaria ad ſalutem, nec videtur Deus obligare cum tanto onere; & quia ille modus Confeſſionis de ſe eſt publicus.

12 Adhæreo firmiter doctrinæ Cardinalis de Lugo, quam ſolam exiſtimo veram in hoc euentu. Quia præceptum propriç Charitatis, & ſalutis æternæ obtinendæ obligat, vt in articulo mortis omni modo poſſibili illam procurem,& conet ſecuriorem viam, ac medium quo ipſe iuſtificer, vt eſt certum: at ſi tunc non habeo Contritionem, ſed ſolùm Attritionem, accedendo ad Sacramentum Confeſſionis,verè iuſtificor,& ſaluo animam meam: ergo teneor vti hoc medio, per quod obtineam iuſtificationem;quia ſi reuera non habeo Contritionem, condemnabor, quia per ſolam Contritionem exiſtimatam, nequit peccator reconciliari Deo extra Sacramentum, atque adeò nec ſaluari: cum Attritione verò ſimul cum Confeſſione verè iuſtificatur. Igitur teneor vti hoc medio,non ſecus ac cùm practicè dubito de vera Contritione. Quare in hoc euentu Confeſſio videtur moraliter neceſſaria ad ſalutem,quia non extat aliud medium,quo ſecurius iuſtificer. Vnde propter meam iuſtificationem, & æternæ ſalutis conſecutionem teneor,in eo euentu, ſi non poſſum recipere Extremam-Vnctionem, confiteri per interpretem, imò etiam & publicè, ne me exponam alicui periculo æternæ damnationis, quæ præ omnibus aliis incommodis, ac grauiſſimis malis eſt omninò vitanda. Sufficiet autem vt tunc confitear modo ſupradicto *numero nono.*

Vnde colligo *primò*, Cardinalem de Lugo rectè dixiſſe,Doctores contrariæ ſententię minùs conſequenter locutos fuiſſe; quia eadem ratio vrget quando probabiliter quis exiſtimat ſe eſſe contritum;nam poteſt decipi; nec ſufficit iudicium probabile,quo putet ſe eſſe contritum,ad iuſtificationem obtinendam, ſi reuera non habeat Contritionem,vt conſtat.

Colligo *ſecundò*,in articulo mortis ſemper neceſſariam eſſe moraliter Confeſſionẽ etiam per interpretem peccatori,qui anteà per illam non expiauit ſua peccata. Ratio eſt, quia ſemper poteſt quis formidare de Contritione,quam exiſtimat habere;nam huius cognitio nõ poteſt eſſe tam certa,extra diuinam reuelationem, quin poſſit ei ſubeſſe falſum: neque enim cognoſcere poſſumus actum Contritionis provt in ſe eſt,ex euidentia rei, ſed ſolùm per coniecturas; atque ideò formidare poſſumus,ne aliter ſit quàm ipſi credimus. At cum Sacramento Confeſſionis, ſi peccator ſit verè attritus,fit contritus,& iuſtificatur.

Ad argumentum Suarez, & Fagundez iam conſtat, 13 eam Confeſſionem in articulo mortis eſſe moraliter neceſſariam ad ſalutem. Et quamuis Deus non obliget ad Confeſſionem per interpretem,cum tanto onere, ſi præcisè attendatur ad præceptum diuinum Confeſſionis; obligat tamen ius & præceptum naturale ſalutis propriæ æternę,etiamſi publice deberet Confeſſionem facere,vt manifeſtè oſtenſum eſt.

Ad argumenta Cardinalis Lugo, provt opponuntur 14 doctrinæ à nobis traditæ ſuprà *numero ſeptimo*, facilis eſt ſolutio. Ad primum diuerſa eſt ratio; nam illa difficultas communicandi idem peccatum duobus, nempe Superiori,& inferiori Confeſſario eſt intrinſeca,& quę tota naſcitur ex Confeſſione ipſa cum reſeruatione: at difficultas adhibendi interpretem eſt magis extrinſeca, & ideò cenſetur odioſa,& omninò excuſat.

Eodem modo reſpondendum eſt ad ſecundum.

Ad tertium, iam dictum eſt confiteri per interpretem,eſſe graue onus,ac detrimentum honoris,& famæ; & ideò præceptum diuinum Confeſſionis nolle obligare de facto.

Ad vltimum, tametſi quis liberè poſſit ſubire illud onus, non tamen poteſt de facto ad illud obligari, quia præcepta diuina purè poſitiua non obligant cum tanto grauamine, ſed ſuauiter ac benignè.

SECTIO V.

An teneatur quis per ſcriptum confiteri, quando non poteſt ſe aliter explicare?

SEnſus quæſtionis eſt, an excuſetur pœnitens ab obligatione Confeſſionis Quadrageſimæ,quando non 1 poteſt niſi per ſcriptum confiteri,præſente tamen Confeſſario;quia vel pœnitens eſt mutus,nec poteſt ſe aliis nutibus explicare, vel Confeſſor ſurdus, nec aliter peccata mortalia explicari poſſunt.

Certum eſt autem in hac re apud omnes, ad Sacramenti valorem ſufficere illum modum Confeſſionis per ſcriptum, quando aliter non poteſt pœnitens ſe explicare. Ratio eſt,quia Chriſtus Dominus ſolùm præcepit Confeſſionem, qua pœnitens manifeſtet ſua peccata

Digitized by Google

cata Confeſſario; quod quidem ſufficienter fieri poteſt per ſcripturam.

Nec obeſt Florentinum, dicens materiam huius Sacramenti eſſe oris Confeſſionem: ibi enim oris Confeſsio largiùs ſumitur, prout explicatur ibi, ſtatim declarans, quid intelligatur illo nomine, ſic dicens, ad Confeſsionem pertinere, vt peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, ſuo Sacerdoti confiteatur integraliter; ergo intelligitur per oris Confeſsionem, id quod ſufficit, vt homo ſua peccata Sacerdoti manifeſtet. Vnde meritò Tridentinum *ſeſſ.* 14. *c.* 3. inter partes huius Sacramenti, non aſsignauit oris Confeſſionem, ſed Confeſsionem ſimpliciter, vt omnem comprehenderet Confeſsionem: ſolùm igitur eſt quæſtio, an præceptum Confeſsionis obliget ad Confeſsionem ſcripto faciendam, quando aliter fieri nequit.

2 Partem affirmantem, cum Sylueſtro, Paludano, Maiore, Caietano, Petro Soto, & aliis ſequitur Suarez *diſp.* 36 *ſect.* 6. *num* 7. Quia præceptum Confeſsionis obligat, quando ſine notabili detrimento impleri poteſt; ſed non poteſt timeri maius detrimentum ex Confeſsione ſcripta, quàm ore facta: ergo ſicut obligat præceptum ad Confeſsionem ore faciendam, ſic ad faciendam illam ſcripto, quando aliter fieri nequit. Minor probatur, quia ſi ob nequitiam Confeſſoris, timeri poteſt non reſtitutio chartæ, in qua ſcripta ſunt peccata; pariter timeri poſſet reuelatio Confeſsionis ore tantùm factæ. Addo, etiam poſſe non tradi chartam Confeſſori, in qua peccata ſcripta continentur, ſed ſolùm oſtendi à pœnitente. Quòd ſi periculum eſſet, ne Confeſſor raperet chartam ex manibus pœnitentis, quod vix eſt credibile; tunc nulla eſſet obligatio confitendi peccata tali Sacerdoti ſcripto, vel ore; quia etiam iure timenda eſſet reuelatio Confeſsionis, vt rectè notauit Coninck *diſ.* 5. *dubio* 10. ad finem.

3 Partem negantem defendunt Nauarrus *in Man. Lat. cap.* 12. *num.* 36. Medina *Cod. de confeſſ. q.* 19. Richard. *in* 4. *d.* 17. *quæſt.* 5. *art.* 2. Victoria *in ſum. de Sacramentis num.* 137. Sotus *in* 4. *d.* 18. *q.* 2. *art.* 6. Ledeſma 2. *p.* 4. *q.* 8. *art.* 3. Toletus *lib.* 3. *cap.* 6. Henriquez *lib.* 2. *de Pœnitentia, cap.* 2. Valentia *diſp.* 7. *q.* 11. *pun.* 1. & alij.

Probant *primò*, quia Confeſſio facta per ſcripturam non eſt ſecreta, ſed publica, quia ſcriptura de ſe vtpote permanens; eſt inſtrumentum publicum: ergo ille modus Confeſſionis de ſe eſt publicus; ergo excuſatur pœnitens ab obligatione Confeſſionis Quadrageſimæ, quando non poteſt confiteri niſi per ſcriptum.

Secundò, ſcriptura de ſe eſt valdè expoſita periculo, quia perdi poteſt, & etiam poteſt à Sacerdote aliis oſtendi, & publicari peccatum: at nemo tenetur ſic publicè confiteri, ne periculo infamiæ ſe exponat: non enim præcepta huiuſmodi cum tanto rigore obligant.

Tertiò, non tenemur, vt dixi *precedenti ſect.* ex vi præcepti Confeſſionis, confiteri per interpretem, quamuis fidelis ſit, valdè honeſtus, & prudens, & quamuis ad ſigillum teneatur; quia ille modus Confeſſionis ex ſe eſt publicus: ergo neque etiam ex vi eiuſdem præcepti Confeſſionis annualis, tenebimur confiteri per ſcriptum, cùm æquè publicus ſit hic modus Confeſſionis, atque ille.

4 Ego certè magis adhæreo primæ opinioni: Quia ille modus confitendi per ſcriptum, non eſt expoſitus morali periculo publicationis; quia ſcriptura rumpi poteſt vel comburi ſtatim ac fit Confeſſio; & paulò ante Confeſſionem ſcribi, & ita cautè cuſtodiri, vt moraliter nequeat perdi: ex eo verò quòd poſſit à Sacerdote aliis oſtendi, non eſt expoſita morali periculo publicationis, ſicut nec Confeſſio per vocem facta, quamuis vtraque poſſit à Sacerdote publicari.

Hinc patet ſolutio ad argumenta ſecundæ ſententiæ. Ad primum negatur, modum confitendi per ſcriptum præſente Sacerdote abſolutè eſſe de ſe publicum, ſed tantùm per accidens, quia licèt ſcriptura de ſe permanens; non ideò per ſe, pœnitens periculo manifeſtationis ſe exponit, ſi ſtatim rumpat ſcripturam vel comburat, & paulò ante Confeſsionem ſcripta ita facilè cuſtodiri poteſt, vt moraliter nequeat perdi: ex quo patet ad ſecundum.

Ad tertium, euidens eſt magis publicum eſſe modũ confitendi per interpretem etiã fidelem, honeſtum, & prudentem, quàm confitendi per ſcriptum: nam periculum manifeſtationis in ſcripto facilè caueri poteſt, rumpendo ſtatim, vel comburendo ſcripturam; at interpres cùm poſt Confeſsionem extet; & qui eſt bonus, facilè reddi poteſt malus; ſemper maiori cum ratione, & fundamento, aliquid timeri poteſt, quàm ex ſcripto rupto ac dilacerato, aut etiam combuſto propriis manibus pœnitentis.

SECTIO VI.

An ex præcepto vel ex alio capite, teneatur pœnitens propria voce confiteri?

Certum eſt *primò*, in quo conueniunt communiter Doctores ad eſſentiam, & valorem Confeſſionis Sacramentalis non eſſe neceſſarium, vt ipſa Confeſsio voce fiat, ſed ſufficere in neceſsitate, quòd ſenſibilis ſit, & exterior, & per nutus, & ſigna ſenſibilia, & externa fiat. Id probat fidelium vſus in mutis, & infirmis non valentibus aliter confiteri. Et firmat Tridentinum *ſeſſ.* 14 *canone* 8. Vbi damnat eos qui dicunt Confeſſionem, quam Eccleſia requirit, eſſe impoſſibilem: at impoſſibilis eſſet ſi per nutus, & ſigna ſenſibilia non fieret, quando pœnitens loqui non poteſt, nec Eccleſia poſſet mutos ad Confeſſionem obligare, qui loqui non poſſunt niſi per ſigna externa, & ſenſibilia. Et ratio à priori ſumitur ex inſtitutione Chriſti: nam cùm hoc Sacramentum ſit maximè neceſſarium ad ſalutem hominum, voluit Chriſtus Dominus hoc Sacramẽtum ita inſtituere, vt eſſet illius vſus omnibus poſſibilis; impoſſibilis autẽ eſſet, moraliter loquẽdo, omnibus hominibus, ſi ſola voce propria fieri poſſet: vnde muti, & infirmi, qui loqui non poſſunt, debuiſſent hoc Sacramento carere, cum magno ſuarum conſcientiarum damno, & periculo. Ex alio verò capite nutibus, aut aliis ſignis diſtinctis à vocibus, poteſt peccator peccata ſua ſufficienter exprimere Confeſſario: ergo abſque fundamento negabitur, Confeſsionem mediis talibus ſignis factam eſſe Sacramentalem, nam Chriſtus ſolum præcepit Confeſsionem, qua pœnitens manifeſtet ſua peccata ſufficienter Confeſſario. Eugenius verò IV. dum in ſuo decreto Fidei habito in Concilio Florentino, poſt vltimam Seſsionem dixit materiam Sacramenti Pœnitentiæ eſſe oris confeſsionem; nomine Confeſsionis oris largiùs accepto, intellexit quamcumque externam Confeſsionem, prout explicat ipſemet Eugenius ſic ſubiungens: *Ad quam pertinet vt peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, ſuo ſacerdoti confiteatur integraliter.* Id ergo quod ſufficit vt homo ſua peccata Sacerdoti manifeſtet, intelligit per oris Confeſsionem. Vnde Trident. *ſeſſ.* 14. *c.* 3. vt omnẽ tolleret ambiguitatem, inter partes huius Sacramenti non aſſignauit oris Confeſſionem, ſed Confeſſionem ſimpliciter, vt omnem comprehenderet Confeſsionem. 1

Obiicies,

Digitized by Google

Obiicies, forma debet reſpondere materiæ; ſed Sacerdos nec licitè, nec validè, etiam in quacumque neceſſitate extrema poteſt abſoluere per ſigna aut nutus; ergo nec etiam pœnitens poterit per eadem ſigna confiteri, & ſeſe accuſare. *Reſpondeo*, formam debere reſpondere materiæ quoad certitudinem, itavt ſit forma certa, ſicut materia eſt certa, non autem quoad omnia: nam moraliter loquendo, nunquam contingere poteſt neceſſitas abſoluendi ſine voce, poteſt tamen ſæpiſſimè contingere neceſſitas confitendi ſine voce, & ſolùm per ſigna ſenſibilia, & nutus externos, ac ſenſibiles: & ideò Chriſtus Dominus ita inſtituit hoc Sacramentum, vt ſpectata hominum fragilitate, & conſiderata neceſſitate, & indigentia huius Sacramenti, Confeſſio fieri poſſit ſignis, & nutibus ſufficientibus ad exprimenda peccata, non autem abſolutio dari. Quod manifeſtè conſtat ex vſu, & conſuetudine Eccleſiæ, quæ ſæpe vſa eſt Confeſſione facta per huiuſmodi ſigna externa, & ſenſibilia, nunquam verò vſa fuit abſolutione per ſigna, & nutus. Vnde non eſt ſimilis ratio de forma: Addo, ſi inſpiciamus inſtitutionem, non eſt ita declarata in materia, ſicut in forma: nam materia Sacramenti non ſemper continet expreſſam ſignificationem, ſed hanc perficit, & conſummat forma; & ideò magis eſt neceſſarium verbum ex parte formæ, quàm ex parte materiæ. Conſtat igitur ex vi inſtitutionis huius Sacramenti, eiuſque neceſſitate non requiri, vt confeſſio Sacramentalis propriis verbis fiat.

2 Certum eſt *ſecundò*, non eſſe ſpeciale præceptum diuinum ab ipſa inſtitutione diſtinctum, quòd fiat Confeſſio propriis verbis, cùm poteſt. Patet, quia nullibi reperitur; neque illud ex Scriptura diuina, neque ex traditione conſtat; nec denique ex ſola inſtitutione illud ſatis colligi poteſt; nam ex vi inſtitutionis ſolùm poſtulatur, vt peccata manifeſtentur Confeſſario præſentialiter licèt faciliùs & clariùs manifeſtentur proprio ore; tamen per nutus, & alia ſigna poteſt dari ſufficiens notitia Confeſſori, quod ſolum poſtulatur ex vi inſtitutionis.

3 *Tertiò* etiam videtur certum, non dari de Confeſſione faciẽda ore proprio præceptum aliquod humanũ, ſeu Eccleſiaſticum ſcriptum, aut decretum aliquod. Patet, quia nullum poteſt oſtendi, neque à Doctoribus fuit repertum.

His præmiſſis adhuc nihilominus eſt difficultas; an qui benè poteſt proprio ore confiteri, ſi confiteretur per ſigna, & nutus, & ſcripturam, ac interpretem, peccaret mortaliter?

4 Communiter Doctores affirmant. *Primò*, quia mutaret conſuetudinem Eccleſiæ; quæ mutatio eſt grauis, & in re graui; ergo non fit ſine culpa, & graui ex ſuo genere.

Secundò, modus confitendi proprio ore eſt per ſe aptiſſimus, & conuenientiſſimus, vt faciliùs, & clariùs peccata manifeſtentur: ergo voluntaria tranſgreſſio illius per ſe ſatis indicat eſſe peccatum mortale.

Tertiò, ſub peccato mortali obligat communis abſoluendi conſuetudo per hæc verba, *Ego te abſoluo*: & peccaret mortaliter qui illam mutaret, & diceret, ego tibi remitto peccata tua; ergo peccabit mortaliter ille, qui abſque vlla neceſſitate, voluntariè tamen, mutaret communem modum confitendi voce propria, & loco illius vteretur Confeſſione per nutus, & ſigna externa.

5 Dico *primò*, nulla exiſtente cauſa abſque vllis verbis confiteri, eſſe peccatum mortale. Id probant rationes adductæ *numer. præcedenti*, & communis Doctorum auctoritas. Et firmatur magis, quia velle abſque cauſa contra Eccleſiæ conſuetudinem, more nouo, & ex ſe minus apto ad ſe declarandum, confiteri, eſt ſpecies quædam contemptus, & irreuerentiæ debitæ ipſi Eccleſiæ, ac Sacramento.

Addit Suarez *diſputatione* 21. *ſectione* 3. *numero* 6. quòd talis culpa poſſet fieri venialis ex leuitate materiæ; vt ſi non in tota Confeſſione, ſed in vno, vel alio peccato id fieret.

Dico *ſecundò*, aliquibus verbis, vel vno verbo 6 confiteri, non eſſe peccatum. Conſtat id variis caſibus, quos admittunt Doctores. Primus ſit, ſi pœnitens det prius Sacerdoti præſenti ſcripturam quam legat, in qua continentur omnia peccata, & poſt illam lectam, ſubiungat per voces; de his omnibus me accuſo ſufficienter ſatisfacit ſuo debito; nam in prædicto caſu per illud verbum, quo pœnitens fatetur illa peccata eſſe ſua, ſufficienter ſe accuſat de illis, ſupponendo eorum explicitam notitiam habitam à Confeſſario per ſcripturam quam legerat. Id rectè notauit Cardinalis Lugo *diſputatione* 15. *ſectione ſexta numero* 80. ſecundus caſus eſt, ſi Sacerdos aliunde extra Confeſſionem nouerat peccata, pœnitens ſatisfacit, ſi vno verbo dicat: Accuſo me de omnibus peccatis illis, quæ tu ſcis, vt docet Suarez *diſputatione* 22. *ſectione ſexta, numero quinto*: quia ſuppoſita priori notitia, illud vnicum verbum æquiualet diſtinctæ Confeſſioni Sacramẽtali, quia ſufficienter facit præſentia peccata omnia in notitia Confeſſoris. Tertius caſus eſt, quem etiam tradit ibi Suarez, de eo, qui per Confeſſiones inualidas dixit ſua peccata: nam iſte poſteà cognito defectu ſatisfacit, ſi eiſdem Confeſſario dicat, Accuſo me de omnibus peccatis, quæ in præcedentibus Confeſſionibus dixi. Quod intellige, ſi Confeſſarius memoriam retineat illorum peccatorum. Omitto alios caſus ſimiles his.

Dico *tertiò*, ceſſare obligationem confitendi per 7 verba, ſi adſit rationabilis cauſa, vt nimia verecundia, vel etiam magna difficultas proferendi verba ex morbo, vel alio impedimento accidentario: vel non poſſe loqui quin ab aliis Sacerdoti adſtantibus audiatur. Id rectè notauit Cano *de Relectione*, *p.* 5. Suarez *diſ.* 21. *ſect.* 3. *num.* 6. Gaſpar Hurtado *diſp.* 8. *difficultate* 3. Coninck *diſp.* 6. *dubio* 1. Et ratio eſt quia conſuetudo voce confitendi, non eſt cum tanto rigore introducta; atque ideò in eo caſu non videtur tam grauiter obligare. Cæterùm vt benè dicit Cardinalis Lugo *loco citato, num.* 85. ferè impoſsibile videtur quod verecundia impediat illa duo verba: Accuſo me de his quæ legiſti: quæ verba dixi ſuprà *numero ſexto* ſufficere ad ſatisfaciendum obligationi Confeſſionis Sacramentalis.

SECTIO VII.

An confeſſio per litteras, aut per internuntium Sacerdoti abſenti facta, ſit idonea ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ?

Opinio eſt Paludani *in quarto diſt. decimaſeptima quæſt.* 2. Adriani *in* 4 *quæſt.* 1. *de, Confeſſione*, 1 Petri Soto *lect.* 11. *de Confeſſione*, Medinæ, *Codice de Pœnitentia, qu.* 15. Nauarri *cap.* 21. *numero* 36. & aliorum aſſerentium, Confeſſionem per litteras, aut per internuntium Sacerdoti abſenti factam, eſſe ſufficientem ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ, ac proinde

etiam eſſe licitam in caſu neceſſitatis. Probant *primò*, quia id ſupponere videtur Leo I. *in Can. Qualis*, 30. *q.5.* dum ait, pœnitentiam adulteræ per ſcripturam eſſe recipiendam.

2 *Secundò* id firmant exemplo Matrimonij, quod poteſt fieri inter abſentes per litteras, & per internuncium: & exemplo iudicij humani, inſtar cuius Sacramentum Pœnitentiæ eſt inſtitutum, quod poteſt per litteras, ſeu ſcripturas inter iudicem, & reum abſentes valide fieri.

Cæterùm oppoſita ſententia cum communi doctrina tenenda eſt neceſſariò. Quia meo iudicio, nam illa alia contraria eſt damnata à Clemente VIII. in decreto illo, cuius mentionem feci ſuprà *diſp. 9. ſect. 9.* Iuxta quod tam abſolutio abſenti pœnitenti facta, quàm etiam Confeſſio pœnitentis Sacerdoti abſenti facta iure, ac meritò damnata fuit. De qua re plura dicam infrà *diſp. 38. ſect. 5.* Modò ſolùm dico rationem à priori noſtrę doctrinæ dicentis, Confeſſionem per litteras, aut per internuncium Sacerdoti abſenti factam non eſſe idoneam, & ſufficientem ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ, ſumi ex inſtitutione Chriſti: nam Chriſtus inſtituit pro parte materiali Sacramenti Pœnitentiæ, Confeſſionem Sacerdoti præſenti factam. Conſtat hęc inſtitutio ex praxi, & vſu Eccleſię, quæ nunquam vſa eſt Confeſſione niſi præſenti facta ab ipſo pœnitente, ſiue per ſeipſum, ſiue per interpretem, quamuis tantùm referentem quòd pœnitens in abſentia Sacerdotis confeſſus eſt. Cui vſui Clemens VIII. innixus, oppoſitam doctrinam damnauit: & eidem Paulus V. innixus, damnationem à Clemente VIII. factam declarauit, & approbauit.

3 Reliqua quæ circa hanc rem deſiderari poſſunt, videantur infrà *diſp. 38. ſect. 5.* Vtrùm etiam qui abſente Confeſſario, petiit Confeſſionem, & oſtendit pœnitentiæ ſigna, & in præſentia pœnitentis conſtat teſtimonio adſtantium, ſigna illa ante aduentum Sacerdotis præbuiſſe, poſſit à Sacerdote ſuperueniente quando iam eſt ſenſibus deſtitutus, abſolui teſtimonio adſtantium, dicam affirmatiuè infrà *dict. diſp. 38. ſect. 6.* Quia vt ibi latè oſtendam, hic caſus non contrariatur dicto decreto Pontificis; quia eiuſmodi Cōfeſſio quæ fit Sacerdoti ab adſtantibus, non fit Sacerdoti abſenti, & diſtanti à pœnitente, ſed iam præſenti illi, mediis adſtantibus tanquam interpretibus, & non quaſi internuntiis.

4 Ad illud Leonis I. conſtat ex Canone, tantùm eſſe ſermonem de Confeſſione publica in ordine ad pœnitentiam Canonicam, non de Confeſſione Sacramentali. Neque eſt ad rem hoc teſtimonium, quia ibi eſt ſermo de Confeſſione facienda in pręſentia, & ſcriptura ibi tantùm requiritur propter maiorem certitudinem.

Ad rationem fatemur Sacramentum Matrimonij poſſe inter abſentes celebrari, & etiam iudicium humanum, non tamen Sacramentum Pœnitentiæ, quod Chriſtus inſtituit inſtar iudicij humani, quoad alia, & non quoad hoc. Neque inſtituit illud inſtar Sacramenti Matrimonij, quia hoc inſtituit in ipſo contractu ciuili, qui verè poteſt inter abſentes celebrari, non minùs quàm alij contractus.

5 Ex dictis in tota hac diſputatione, manifeſtè colligitur, Confeſſionem ſiue fiat ſecretò ſiue humana voce, ſiue per nutus, & ſigna ſenſibilia & externa, ſiue per ſcriptum, ſemper debere fieri Confeſſario præſenti, vt Sacramentalis ſit; non ſecus ac diximus ſuprà *diſp. 9 ſect. 9.* de forma abſolutionis Sacramentalis, quæ vt licita ſit & valida, non poteſt proferri abſenti ſed præſenti pœnitenti.

DISPVTATIO XXVI.

De integritate Confeſsionis ex parte materiæ remotæ, ſeu peccatorum quæ in Confeſsione dici debent.

DVPLEX diſtinguitur à Theologis integritas Confeſſionis, materialis ſcilicet, & formalis. Materialis vocatur illa, quæ eſt de omnibus peccatis prout in reipſa fuêre commiſſa: formalis verò dicitur illa quæ eſt de omnibus peccatis, de quibus nulla intercedit iuſta excuſatio: ſolet enim aliquando Sacramentum Pœnitentiæ perfici ſine reali, ſeu materiali integritate Confeſſionis, quando nimirùm intercedit excuſatio ſufficiens confitendi aliquod peccatum a pœnitente commiſſum. Vnde ad integritatem materialem requiritur, vt tota materia neceſſaria, ſcilicet, omnia mortalia non confeſſa, quæ reipſa commiſit pœnitens, aperiantur in Confeſſione itavt nullum nec culpabiliter, nec inculpabiliter omittatur. Ad integritatem verò formalem ſolùm requiritur, vt nullum in ea peccatum omittatur culpabiliter. De priori integritate reali, quæ eſt per ſe neceſſaria, agemus primo loco in hac diſputatione, & aliis ſubſequentibus, de poſteriori integritate formali, dicemus poſteriori loco.

SECTIO PRIMA.

Quæ præparatio examinis ſeu diligentia neceſſaria ſit ad integritatem Confeſſionis Sacramentalis?

CVm certum ſit, vt *infrà* dicemus, & conſtet ex Tridentino *ſeſſione* 14. *capite* 5. ad integritatem Confeſſionis oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum poſt diligentem ſui diſcuſſionem, conſcientiam habent, in Confeſſione recenſeri; præmittendum eſt primum in hac ſectione, quanta, & qualis debeat eſſe hæc diligentia, & præparatio. 1

Dico *primò*, certum eſſe apud Doctores, ad integritatem Confeſſionis mortalium iure diuino pręſupponendum eſſe prudens & diligens examen. Patet id ex Tridentino citato *cap. 5.* dicente prærequiri diligentem diſcuſſionem peccatorum, & *eadem ſeſſ. can. 7.* exigente debitam & diligentem præmeditationem. Et ratio eſt, quia eo ipſo quòd præcipitur aliquis actus, etiam ſunt ſub obligatione illius pręcepti omnia media neceſſaria ad eum actum: ad Confeſſionem autem integram omnium mortalium, quæ neceſſaria eſt, & ſub præcepto, neceſſaria eſt diſcuſſio, & præmeditatio, & examen, vt conſtat: & non ſufficit quodcumque examen, ſed prudens & diligens ad Confeſsionem ſaltem moraliter integram; quę nequit fieri niſi diſcuſſio præſuppoſita ſit prudens & diligens. 2

Vnde

Digitized by Google

Vnde manet probatum, id prærequiri iure diuino. Quia quo iure quis obligatur ad aliquod opus, eodem obligatur ad media neceſſaria ad tale opus, ſed fideles ex iure diuino obligantur ad omnia, & ſingula peccata mortalia confitenda vt patet ex Tridentino: ergo etiam ex iure diuino obligantur ad examen Conſcientiæ, quod eſt medium prærequiſitum ad omnia, & ſingula mortalia confitenda.

3 Dico *Secundò*, non poſſe certam regulam tradi pro prudenti ac diligente peccatorum examine, & diſcuſſione. Id rectè notauit Vaſquez *quæſt.91. art.1. dub. 6.* Suarez *diſputatione 22. ſectione* 10. & alij communiter. Et patet, quia ad prudens, & diligens examen habenda eſt ratio temporis, à quo pœnitens non eſt confeſſus, & modi viuendi ipſius, & perſonæ eiuſdem; quia rudiores non ſunt ad tam exactum examen obligandi, ac ingenioſiores. Imò contingere poteſt, pœnitentem eſſe adeò rudem, vt ad nullum examen obligetur; cuius defectus tunc ſuppleri debet à Confeſſario ſuis interrogationibus: Non ergo idem examen, neque eadem diligentia requiritur in omnibus, nec poteſt id certâ aliquâ regulâ definiri, aut præſcribi; ſed tantùm eam prudenter adhibendam eſſe, quæ moraliter ſufficiat, conſiderata capacitate pœnitentis, conſuetudine peccandi, diuturnitate temporis, aliiſque circumſtantiis.

4 Dico *tertiò*, non requiri diligentiam extraordinariam ac ſummam, qualis eſſet, ſcribere peccata poſtquam commiſſa ſunt, ne obliuioni tradantur. Sic Suarez citatus, Henriquez *lib.4. cap.4. num.*8. Vaſquez, Reginaldus, Coninck, Vel ? & alij, quos refert & ſequitur Bonacina *diſputatione 5. de pœnitentia quæſt.5. ſect.2. puncto 2. §.1.* Granado *controuerſia 7. de pœnitentia, tractatu 9. diſput. 11.* & Alij communiter contra Caietanum, & Medinam. Ratio eſt, quia nulla ratione, vel auctoritate hoc probari poteſt; & poſſet interdum inquietas reddere conſcientias, quod eſt contra finem huius Sacramenti. Neque enim præceptum integrè confitendi, eſt de aliquo ſpectante ad eſſentiam, & ſubſtantiam Sacramenti; & ideò non eſt cur credamus illud æquè obligare, ac ipſam ſubſtantiam confitendi, Mitiùs ergo de illo loquendum eſt, vt ſic tolerabile fiat onus Confeſſionis, quod omnes Patres prædicant ſuaue eſſe. His addo exemplum, quod tradit Cardinalis de Lugo *diſp.16. ſect 14. num. 591.* vbi poſtquam dixerat, ex parte pœnitentis requiri prudentiam, ne ſe examine conſcientiæ nimiùm vexet, refert de quodam nobili, & quoad reliqua prudenti, ſed in hac parte nimis ſcrupuloſo; qui cùm Confeſſionem generalem totius vitæ facere vellet, per quindecim dies ſe ad illam præparauit, & plurima folia de ſuis peccatis ſcripſit, quibus legendis multi dies non ſufficerent; ſed neque his contentus, nouum adhuc examen inſtituit: quo facto, cùm iam per dies aliquot confiteri cæpiſſet Valliſoleti, vbi ipſe cum Regia curia morabatur, in eas tandem anguſtias Confeſſionis occaſione redactus eſt, vt ipſemet pugione ſe lethaliter percuſſerit, Deo tamen prouidente, vt ante mortem poſſet iterùm confiteri. Conſtat itaque prædictum iuuenem erraſſe in prædicto extraordinario examine, cùm non teneretur ad tãtum ſtudium adhibendum circa illud, licèt ſumma illa, & aſſidua cogitatio noua peccata, vel maiorem illorum diſtinctionem in memoriam reuocaret.

5 Dico *vltimò*, communiter requiri, & ſufficere quòd examen ſit mediocriter diligens, quale fieri ſolet à viris prudentibus, & mediocriter timoratis, aut quale fieri ſolet à viris prudentibus in negotio arduo, & graui. Ita DD. citati, & communiter omnes Recentiores. Ratio eſt, quia ſolùm voluit Chriſtus Cõfeſſionem fieri vt actionem ſeriam, & grauem; & conſequenter quando de illa inſtituenda agitur, eſſe præmeditanda quæ dicenda ſunt, non anxia, & ſumma, quam adhibere poſſint pœnitentes, exhibita diligentia, ſed mediocri tantùm; aliter enim intolerabile fieret onus confitendi, & Confeſſio cõſcientiarum quieti ac fini Sacramenti aduerſaretur. Mediocris autem diligentia videtur eſſe media quædam inter eam, quam negligentes, & eam quam valde ſolliciti in re graui adhibere ſolent: eſt autem huiuſmodi mediocris diligentia Confeſſioni neceſſaria maior vel minor, pro tempore, ſtatu, negotiis, & circumſtantiis pœnitentis. Notat benè Gaſpar Sanchez, *de pœnitentia diſp. 9. difficult.* 8. cùm ſufficiat, quòd examen Confeſſionis ſit mediocriter diligens, non requiri quale fieri ſolet in re graui honoris, vel diuitiarum: quia naturalis propenſio ad honorem & ad diuitias, excitat ad maiorem diligentiam quàm prudentia dictat; ſed ſufficit examen, quale ſolet fieri in re graui, cuius diſcuſſio, & executio moleſtiam affert, qualis eſt diſcuſſio, & confeſſio peccatorum; quia examen ad ſimiles actus non fit cõmuniter adhuc à prudentibus nimis exactè, retardante ac reuocãte ab eo propenſione naturali excutiendi moleſtiam.

6 Ex dictis colligo *primò*, eum qui mediocrem præſtitit diligentiam in indagandis, & inquirendis propriis peccatis, non teneri maiorem inquiſitionem adhibere, etiamſi probabiliter coniiciat, fore vt, facta maiori inquiſitione, occurrerent aliqua mortalia, quæ modò non occurrunt. Ratio eſt; Tum quia non tenetur maximam, ſed mediocrem diligentiam adhibere: Tum quia ſi maiorem diligentiam adhibere teneretur, ſemper angeretur, ac ſemper dubitaret, an ſufficientem diligentiam adhibuerit, multiſque ſcrupulis vexaretur. Tum denique, quia nemo tenetur totum omninò facere quod poteſt; cùm ad hoc faciendum nulla ſufficiens ratio, vel auctoritas conuincat; nullus enim tantam diligentiam adhibet, quin adhuc abſolutè valeat maiorem exhibere, ſed tenetur tantùm efficere, quantùm decet pro rei qualitate, & conditione Legis Chriſti, cuius iugum ſuaue eſt, & onus leue. Quare qui diutiùs Confeſſionem differre conſueuit, & negotia exercet periculoſa, tametſi maiorem diligentiam adhibere teneatur in inquirẽdis peccatis, quàm qui ſæpius confitetur, nec negotia exercet pernicioſa; nihilominùs tamen non tenetur maximam diligentiam adhibere, vt rectè notauit Nauarr. *diſtinct.5. n.71.* Reginaldus *lib.4. n.9. & 10* & Alij Doctores *ſuprà* citati.

7 Colligo *ſecundò*, eum, qui debilem habet memoriam, non teneri ſcribere peccata, vt illa confiteatur; nec teneri ſtatim confiteri, ſi præuideat, fore vt, niſi ſtatim confiteatur, peccatorum obliuiſcatur. Ratio eſt, quia non tenemur maximam diligentiam adhibere, ſed mediocrem; neque extat præceptum diuinum retinendi memoria peccata, ſed dum adeſt tempus Confeſſionis, tenemur ea confiteri, quorum recordamur facto debito examine.

8 Colligo *tertiò*, rectè notaſſe Suarez *diſp.22. ſect. 10. n.5.* quando pœnitens non adhibuit ſufficientem diligẽtiam mediocrem, poſſe ſuppleri à Confeſſore interrogãte; quando nimirùm ſperatur interrogationibus Confeſſoris iuuandum eſſe pœnitentem. Vnde ſi pœnitens non eſt tantæ capacitatis, vt ſolus per ſe poſſit ſuam conſcientiam ſufficienter diſcutere, non eſt cogendus, vt inutiliter in eo laboret, ac defatigetur, ſed poteſt iuuari induſtria Confeſſoris.

9 Colligo *quartò*, non debere remitti pœnitentem ruſticum, non præparatum, vt ſe præpararet ac diligenti examine facto redeat. Quia experientiâ conſtat, eiuſmodi homines rudes, & ignaros, quantumcumque millies remittantur, nunquam meliùs ſe examinare, nec poſſe ita benè dicere ſua peccata,

ſicut nunc,ſi ab ipſo Confeſſario mediocri intelligentia interrogentur. Ita tenent Vaſq.*q.93. art.3. dub.7. n.5.* Card.de Lug.*ſect.14.n.593.* Granad.*tr.9. diſp.11.n.4.* & Alij.

10 Colligo *vltimò*, examinis præuij,ac diligentiæ mediocris obligationem ceſſare in aliquibus euentibus. *Primò*, quando pœnitens ſcit ſe non habere mortalia, & iudicat prudenter ſe ſolis venialibus inquinatum eſſe. Patet manifeſtè, quia obligatio examinis ſolùm eſt proptèr obligationem confitendi peccata: ergo quando prudenter iudicatur nullum eſſe in anima peccatum huic obligationi obnoxium, ceſſat obligatio examinis. *Secundò*, quando ſine examine pœnitens ſcit, quæ & quot mortalia commiſerit. *Tertiò*, quando nullus ſperatur fructus,ſcilicet,reuocationis peccatorũ in memoriã. *Quartò*, quando vrget neceſſitas mortis, vel alia cauſa petens Confeſſionem ſtatim fieri; vel ſi graue ſalutis, aut alicuius boni ſimilis detrimentum ob prẹparationem immineret;in his enim caſibus ſi neceſſitas, vel magna vtilitas vrgeat, fieri poteſt Confeſſio, abſque præmiſſo examine.

SECTIO II.

Vtrùm omnia peccata mortalia ſint neceſſariò explicanda ad integritatem Sacramentalis Confeſſionis ex vi inſtitutionis Sacramenti?

1 Obſeruandũ eſt,aliud eſſe Confeſſionem peccatorum mortalium eſſe neceſſariam ad ſalutem;aliud verò,quòd ad valorem Sacramenti neceſſarium ſit,omnia illa aperire quæ ſunt in conſcientia pœnitentis in eadem Confeſſione. De priori neceſſitate iam dictum eſt ſuprà *integra diſputatione vigeſima ſecunda*: nunc verò in hac & ſequentibus diſputationibus agemus de alia obligatione ſpectante ad integritatem Confeſſionis, fatendi nimirùm omnia mortalia ſimul in eadem Confeſſione.

2 Non defuerunt ex Catholicis nonnulli, vt Durandus *diſt.17.q.15.*& Medin.*Cod.de Confeſſ.q.8.* qui opinati ſunt, hanc neceſſitatem integritatis nõ colligi ex vi inſtitutionis Sacramenti,quia ex inſtitutione ſolùm colligitur, nullum peccatum mortale poſt Baptiſmum commiſſum dimitti poſſe abſque abſolutione Sacerdotis; hinc autem non ſequitur neceſſitas huius integritatis. Vnde inferunt prædicti Doctores integritatem non poſſe ſufficienti ratione oſtendi ex inſtitutione,ſed ſola Eccleſiæ traditione haberi.

3 Dico *primò*,certum eſſe, ac de Fide neceſſariam eſſe Confeſſionem omnium mortalium, iure diuino.Ita expreſſè definiuit Concil.Trid.*ſeſſ.14. canon.7.*his verbis: *Si quis dixerit, in Sacramento Pœnitentiæ ad remiſſionem peccatorum neceſſariũ non eſſe iure diuino,confiteri omnia & ſingula peccata mortalia, quorum memoria cũ debita ac diligenti præmeditatione habeatur &c. anathema ſit.* Videantur dicta ſup.*diſp.7.ſect.2. n.2.& diſputatione octaua,ſect.1.n.2.* Quod etiam firmatur perpetua Eccleſiæ traditione,& conſuetudine.

4 Dico *ſecundò*, integritatem omnium peccatorum mortalium eſſe neceſſariam ex inſtitutione Chriſti ad valorem Sacramenti. Hoc etiam videtur certum ex ipſomet Trid.*ſeſſ.14.c.5.* ſic dicente: *Ex inſtitutione Sacramenti Pœnitentiæ vniuerſa Eccleſia ſemper intellexit, inſtitutam etiam eſſe à Domino integram peccatorum Confeſſionem, & omnibus poſt Baptiſmum lapſis iure diuino neceſſariam exiſtere.* Vbi prioribus verbis clarè ſignificat integram peccatorum mortalium Confeſſionem inſtitutam eſſe à Chriſto partem eſſentialem Sacramenti Pœnitentiæ, ac proinde eſſe eſſentialem ad valorem illius. Idem probatur ratione ſatis efficaci: nam pœnitens confitetur peccatum mortale Sacerdoti, vt illud remittat,vt conſtat ex ipſa inſtitutione Sacramenti, quæ ad remiſſionem culpæ per ſe primò ordinatur; ſed Sacerdos non poteſt illud remittere, niſi remittat cætera omnia,& ſi intenderet remiſſionem,vel abſolutionẽ diuidere,nihil faceret,quia ſicut Deus nunquam remittit vnum peccatum mortale ſine alio ita inſtituit hoc Sacramentum vt per ipſum ſimul Sacerdos ab omnibus abſolueret peccatis mortalibus; ergo & pœnitens debet, quando vnum confitetur, confiteri omnia, & ſi intendit Confeſſionem diuidere,nihil faciet;quia Confeſſio debet eſſe adæquata Abſolutioni; atque adeò ſicut peccata mortalia ſunt quoad remiſſionem connexa, ita etiam quoad Confeſſionem & Abſolutionem. Quare ſicut Contritio neceſſariò debet eſſe de omnibus peccatis mortalibus, quia vnum ſine alio remitti non poteſt,ita & Confeſſio.

Hinc colligo *primò*, Confeſſionem omnium morta- 5
lium integram non ſolùm eſſe neceſſariam neceſſitate Præcepti diuini,ſeu quia præcepta eſt à Chriſto,ſed etiã eſt neceſſaria neceſſitate Sacramenti, ſeu ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ.

Colligo *ſecundò*, eum qui confitetur tempore pro 6
quo præciſè obligat præceptum diuinum, vt in articulo mortis, vel etiam quando obligat præceptum diuinum Eccleſiaſticum Confeſſionis annuæ,& non confitetur integrè omnia ſua mortalia, quæ ſunt in conſcientia, duplex mortale peccatum committere, alterum Omiſſionis contra præceptum diuinum affirmatiuum confitendi integrè;& alterum Commiſſionis contra præceptum diuinum negatiuum non inualidandi Sacramentum Confeſſionis: eum verò qui confitetur tempore pro quo non obligatur,& non confitetur omnia mortalia,peccare tantum dicto poſteriori peccato commiſſionis,& non priori omiſſionis.

SECTIO III.

Vtrùm ad integritatem Confeſſionis ſit neceſſarium,omnes malitias peccatorum mortalium ſpecie diſtinctas, diſtinctè confiteri?

PRænotandum eſt, duplicem eſſe alicuius actus ſpe- 1
ciem malam,videlicet phyſicam,& moralem.Phyſica,eſt ipſa entitas rei in eſſe ſuo entitatiuo ſumpta;Moralis cenſetur illa, quæ conſtituitur in ratione talis vitij,quæ variari poteſt,manente priore inuariata:Sic comeſtio carnium facta feria quinta, & feria ſexta, eſt eiuſdem ſpeciei phyſicæ; vna tamen differt ab alia in ſpecie morali. Similiter occiſio hominis facta gladio,& altera facta ſclopeto ſunt eiuſdẽ ſpeciei moralis,in phyſica tamen elapſo, differunt. Vnde non omnia quę ſpeciem diuerſam phyſicam habent,habent quoque diuerſam ſpeciem moralem, & è contrà. Nam ſi Petrus ſe pręparet ad occidendum ſuum inimicum, & hac de cauſa gladium emat, illúmque lateri accommodet, aſcen

Digitized by Google

aſcendat equum, ſuſcipiat iter, &c. dicitur plures actiones ſpecie phyſica diuerſas exercere, non verò diuerſas ſpecie morali, cùm emere gladium, & cæteræ aliæ actiones eandem cum recta ratione oppoſitionem habeant. Et ex oppoſito fieri poteſt, vt aliquis aliquam actionem vnam ſpecie phyſica exerceat, ſed diuerſam ſpecie morali: vt qui percutit Sacerdotem, exercet actionem vnam ſpecie phyſica, ſed multiplicem ſpecie morali, habentem plures deformitates in genere moris: nam huiuſmodi percuſſio non ſolùm aduerſatur iuſtitiæ, ſed etiam Religioni. Hoc præmiſſo;

2 Dico *Primò*, certum eſſe apud Doctores, non eſſe neceſſarium per ſe loquendo, confiteri omnes ſpecies peccatorum, phyſice diſtinctas; nempe quòd occiſio facta ſit gladio, aut quòd facta ſit veneno. Id patet tū experientia, & communi vſu, tum manifeſta ratione quia Confeſſor non debet ferre iudicium de ſpeciebus entis, ſed de moribus; & ideò ad illud iudicium impertinens eſt, naturales ſpecies diſtinguere, niſi fortè id neceſſarium ſit ad morales explicandas. Vnde cùm Concilia & Patres in hac materia de peccatis loquuntur, formaliter de eis loquuntur vt peccata, atque adeò vt ad mores pertinent, ac deſeruiunt ad variandum iudicium Confeſſarij; ideò enim dicuntur morales, quia in ordine ad conſiderationē Philoſophi, aut Theologi moralis, id eſt, qui mores conſiderat, habent diuerſitatem notabilem.

Dixi per *ſe loquendo*, quia per accidens contingere poteſt, vt actus phyſicus interruptus ſit, & habeat adiūctam aliam malitiam numero, vel etiam aliam ſpeciem moraliter diuerſam. Vt qui confecit venenum, illúdque miſcuit vino, & propinauit inimico, ſi tanta inter vnum & alium actum interceſſit mora, vt efficiat peccata ſaltē numero diſtincta, tenetur has omnes actiones explicare. Idem dicendum eſt de eo, qui dum iter ſuſciperet ad occidendum inimicum, conculcauit ſegetes; vel furtum commiſit, tenetur id in Confeſſione explicare; quia conculcatio ſegetum, vel furtum habet malitiam ſpecie diſtinctam ab homicidio.

3 Dico *ſecundò*, ad integritatem Confeſſionis debere neceſſariò explicari diſtinctè ſpecies peccatorum morales: atque adeò ſpecies moralis, quâ actus conſtituitur in tali, aut tali ſpecie peccati, quantum fieri poteſt, diſtinctè explicanda eſt. Ita vniuerſalis Eccleſiæ ſenſus; ac videtur definitum in Tridentino *ſeſſione 14. capite 5. & can. 7.* dum abſolute, nulla adhibita exceptione, nec limitatione, decernitur, omnes ſpecies peccatorum, & omnes circumſtantias ſpeciem mutantes eſſe confitendas. Ratio verò redditur ab eodem Tridentino, quia ad Iuſtitiam ſeruandam in hoc iudicio, & ad ſatisfactionem, & curationem proportionatam adhibendam, neceſſarium eſt, vt Confeſſor diſtinctè intelligat ſpecies criminum; quia negari non poteſt, omnia peccata, quæ ſpecie morali diſtinguuntur, ſiue eorum ſpecifica diſtinctio ſit communiter nota mediocriter doctis, ſiue non, ſed tantùm doctioribus, diuerſum iudicium in ordine ad curationē, & ad abſolutionē cauſare in Confeſſario. Neque his obſtat quòd multi non modò pœnitentes, verùm etiam Confeſſarij neſciant diſtinguere inter diuerſas ſpecies peccatorum; quia non eſt neceſſariū, vt pœnitētes dicant peccatum, quod commiſerunt, eſſe talis aut talis ſpeciei, ſed ſufficit quòd actum, prout factus eſt, clarè enarrent, quod facile poſſunt efficere.

4 Hanc doctrinam limitat Caietanus *tom. 1. opuſculorum tractat. 5 q. 3.* vt intelligendam eſſe velit, non de omnibus ſpeciebus peccatorum, ſed de illis ſolis quæ variant iudicium Confeſſarij, quales ſunt periurium, blaſphemia, homicidium, & ſimiles; nam alias, quæ non cauſant diuerſum iudicium in Confeſſario, ſentit non eſſe neceſſariò explicandas; quales cenſet eſſe in peccato diuinationis Necromantiam, hydromantiam, aëromantiam, & alias ſpecies diuinationis, quarum meminit D. Thom. *2. 2. quaſt. 95. articul. 3.* Caietanum ſequitur Nauar. *in c. conſideret, de Pœnitentia, d. 5. n. 17. & 18.*

Hæc tamen limitatio Caietani mihi videtur apertè opponi Tridentino citato, definienti omnem ſpeciē peccati, & omnem circumſtantiam mutantem ſpeciem eſſe in Confeſſione explicandam, & reuera fieri nullo modo poteſt, vt malitiæ ſpecie diſtinctæ non varient iudicium Confeſſarij. Vnde illæ omnes explicandæ ſunt; 5
Nec ſatisfacit, ſi dicatur eas tantùm ſpecies peccatorum explicandas eſſe in Confeſſione, quæ communiter notæ ſunt mediocriter doctis; nam etiam, & quæ paucis notæ ſunt, cùm nouam inducant malitiam, ac peccatum, ex inſtitutione Sacramenti Pœnitentiæ explicari debent: quia poſtulant diuerſum in Confeſſario iudicium. Nam ſi verè ſpecie differunt, diuerſum ſui in Confeſſione iudicium gignunt; aut ſi hæ non gignunt, neque aliæ ſpecies morales gignent: non enim iudicium idem poteſt eſſe peccatorum diuerſæ ſpeciei, ſi verè ea differunt ſpecie. Quòd ſi dicas non omnes ſpecies peccatorum in genere moris exprimendas eſſe, quia non ſunt omnibus notæ, & ita non debemus omnes obligare ad ea, quæ communiter nota non ſunt; eſſet enim intolerabile iugum Confeſſionis. Occurram, hanc rationem non probare: nam cùm dicimus debere explicari omnes malitias morales ſpecie diuerſas, intelligendum eſt, neminem ab hoc excuſari niſi quis ignorantia excuſetur: neque enim rudis tenetur ad hanc exquiſitam ſpeculationem inquirendi ſubtiles ſpecies peccatorum, imò & aliquæ erunt ita ſubtiles, vt nec Confeſſores teneantur. Quare cùm aſſerimus, vt neceſſariò aſſerendum eſt, ſpecies omnes diuerſas in genere moris explicandas eſſe, intelligendum eſt neminem ab hoc excuſari, qui nouerit earum differentiam; quòd ſi ignorauerit, non imputabitur pœnitenti, quando non ſunt communiter notæ. Neque enim neceſſarium eſt, vt pœnitentes dicant peccatum quod commiſerunt eſſe talis, aut talis ſpeciei; vt dixi *ſuprà num. 3.* Confeſſarij verò eſt iudicare, quale peccatum ſit. Quòd ſi ipſe nequiuerit hoc diſcernere, ipſi ſoli imputabitur ad culpam, ſi eius ignorantia ſit craſſa: aut ſi hoc acciderit ob rei perplexitatem, poterit eſſe error inculpabilis. Vt rectè notauit Coninck *diſp. 7. dub. 2. ad finem.*

Ad exemplum illud Caietani, probabilius iudico, in peccato diuinationis, Necromantiam, hydromantiam, aëromantiam, & ſimiles, non eſſe ſpecies diuinationis in genere moris diuerſas, ſed tantùm eſſe vnam, & eandem ſpeciem diuinationis conſiſtentem in eo, quòd fiat cum pacto dæmonis tacito, aut expreſſo; quod verò exerceatur in hoc vel illo genere rerum, ſcilicet aqua, vel terra &c. hoc non variat rationem malitiæ ſpecificam. 6

SECTIO IV.

An non ſolùm actus peccaminoſus interior, ſed etiam exterior, neceſſariò aperiendus ſit in Confeſſione ad huius integritatem?

Videtur pars negans verior, & amplectenda. *Primò*, quia in actu externo intemperantiæ verbi gratia, vel conſideratur malitia obiectiua, quæ eſt in illo tanquam in obiecto diſſono rectæ rationi, vel conſideratur malitia formalis ſeu moralis actus humani vt 1

ſic: ſi ſumatur primo modo, non cenſetur materia, quæ ſeorſim in Confeſsione ſit explicanda; quia malitia obiectiua exterioris actus ſatis explicatur, explicato actu interiori, vt terminato ad obiectum tale: ſi verò ſumatur poſteriori modo, non eſt neceſſarium per ſe illum exprimere, ſed ſolùm voluntatem, ſeu affectum internum, quia actus externus non auget, nec minuit malitiam.

Secundò, de actibus externis, qui non pendent immediatè à libero exercitio volũtatis, ſed poſt tale exercitium tranſactum, & ſępe retractatum eueniunt, quando iam non eſt in poteſtate operantis quòd non eueniant; qualis eſt mors, cui in veneno propinato data eſt cauſa; pollutio contingens in ſomnis ex cauſa priùs voluntariè data; omiſſio Sacri neceſſariò ſecuta ex aliquo priùs liberè volito; de eiuſmodi inquam externis actibus, nulla poteſt eſſe obligatio aperiendi in Confeſſione, quia non tam peccata formalia, quàm peccati effectus reputantur.

2 Dico *primò*, actus externos malos provt coniuncti ſunt cum actu interno malo, quo informantur, & à quo immediatè procedunt, eſſe neceſſariò aperiendos in Cõfeſsione ob huius integritatem. Eſt communis ſententia Doctorum, & praxis Eccleſię. Ratio à priori eſt, quia tametſi actus exterior non ſit formaliter malus per ſeipſum, ſed ſolùm denominatiuè ab interiori, in quo ſita eſt tota formalis malitia; attamen ab interiori actu à quo oritur, denominatur actus exterior verè peccatum, & Deo diſplicens; itavt non ſolùm ipſe actus interior, ſed propter ipſum exterior diſpliceat Deo; ergo ſub pręcepto integritatis, quo iubetur omne quod verè eſt peccatum mortale in Confeſsione aperiri, externi peccatorum actus comprehenduntur. Vnde non ſufficit, ſi occiſor hominis dicat, Volui hominem occidere, ſed neceſſe eſt quòd dicat, occidi. Firmo, nam actus internus & externus malus, ſunt vnum formale peccatum, & cẽſetur eſſe vna actio in genere moris: nam vt actus externus pertineat ad genus moris, debet ab interiori pendere, & cum eo connecti, vt ab eo accipiat libertatem, quæ eſt fundamentum totius generis moris. Vnde actus externus malus nihil addit malitiæ actui interno malo, ſi cætera ſint paria, id eſt niſi affectus voluntatis propter ipſum opus externum, cui coniungitur, fiat intenſior, vel magis duret; quia eadem eſt malitia actus interni, & externi; atque ideò cæteris paribus tanta eſt malitia actionis interioris ſine exteriori, quanta cum exteriori. Igitur actus exterior non eſt deteſtabilis niſi ratione interioris, & provt connectitur cum illo: ergo hoc pacto ſub obligatione illum confitendi ob integritatem Confeſsionis continetur. Probatur quoque, actum externum malum eſſe confitendum, quia ferè ſemper mutat notabiliter ſtatum ipſius peccati, ac peccatoris; & conſequenter rationem huius iudicij. Nam in prædicto exemplo per internum actum peccat quis ſolus; per externum autem alium trahit ſecum ad peccandum, aut ſaltem ipſius peccato cooperatur. Item in omnibus ferè peccatis efficit, vt interior complacentia in peccatum ſit intenſior, diuturnior, & efficacior. Item vt peccatis ſit in poſterum in eundem actum procliuior; nam ipſa externa peccati experientia, & horrorem peccati minuit, & audaciam ad ſæpius peccandum addit. Denique actus externus malus, vt in furto, & in homicidio reddit furem, & homicidam obnoxium reſtitutioni Igitur huius cognitio omninò neceſſaria eſt in Confeſſario, vt in foro Pœnitentiæ, quod ad medelam animarum eſt inſtitutum, poſsit rectum iudicium ferre. Adde, explicato ſufficienter actu externo, communiter ſatis cognoſci actum internum: Vnde ſolùm actum externum tenemur confiteri, niſi internus ratione intentionis, vel ratione alterius circumſtantiæ, habeat ſingularem aliquam deformitatem, vt ſi quis furetur, vt fornicetur.

Dico *ſecundò*, actus externos, qui non pendent immediatè à libero exercitio voluntatis, non eſſe neceſſariò in Confeſsione aperiendos. Ita Vaſq. *tom. 1. in 1. 2. diſp. 94. c. 3.* quem ſequuntur communiter Recentiores. 3
Ratio eſt, quia prædicti actus non ſunt formaliter peccata, ſed peccatorum effectus: vt enim aliquod opus exterius in ſe ſit peccatum, non ſatis eſt liberam ſui cauſam dediſſe, ſed opus eſt, vt ſemper maneat ſub libera poteſtate operantis. Vnde hac de cauſa pollutio in ſomnis, v. g. vel homicidium in ebrietate, non eſt in ſe formaliter peccatum, quia ſemel poſita cauſa, & ſomno vel ebrietate incepta, cætera ſequuntur vi ſola facultatis nutrientis, quæ ex ſe non poteſt noſtræ voluntati directè parere; atque ideò non poteſt ampliùs pro peccato imputari; ideóque non eſt neceſſariò in Confeſsione aperienda: niſi fortè ad decernendum de obligatione reſtituendi, aut alia ſimili, egeret Confeſſarius notitia effectus ſubſecuti.

Obiicies; ratione homicidij Clerici in ebrietate, & ſomno ſecuti, ſi aliquis ſcienter ſe tali periculo expoſuit ebrietate ipſa, vel ſomno, incurrit excommunicationem, irregularitatem. & tenetur reſtituere damna: ergo illud opus exterioris homicidij erit peccatum. *Reſpondeo*, cõceſſo Antecedente, negando Conſequentiam; quia vt aliquis incurrat excommunicationem, vel irregularitatem, non requiritur opus ipſum exterius homicidij eſſe peccatum, ſed ſufficit eſſe effectum peccati: nam lex ſolùm punit tali pœna peccatum homicidij cum effectu. Similiter reſtitutio obligat, ſi reipſa ſequatur effectus, etiamſi ipſa actio nocendi in ſe peccatum non ſit; quia Iuſtitia ſolùm reſpicit damnum culpabili cauſa illatum, vt ad æqualitatem reducat.

Ex dictis *primò* colligo manere ſoluta duo argumenta 4
oppoſita. Ad primũ enim conſtat *ex Dicto primo*, actus externos malos, provt coniuncti ſunt cum actu interiori malo, eſſe in ſe formaliter peccata, & Deo diſplicere, atque ideò eſſe in Confeſſione aperiendos.

Ad ſecundum iam conſtat *ex dicto ſecundo*, illos actus externos non eſſe neceſſariò in Confeſſione explicandos, niſi per accidens ad decernendum de obligatione reſtituendi, & de procuranda abſolutione excommunicationis, vel diſpenſatione irregularitatis, egeret Confeſſarius notitia effectus ſubſecuti.

Colligo *ſecundò*, actus externos malos, ſicut non ſunt 5
intrinſecè, ſed extrinſecè, ac denominatiuè mali malitia formali, quatenus videlicet denominantur à voluntate mala à qua procedunt, & cum qua coniuncti ſunt; ita intercedere magnum diſcrimen inter vtrumque actum: nam actus voluntatis interior malus, cum ſit per ſe, & ratione ſui, ac ſine informatione alterius actus, actus omninò liber, & humanus, poteſt per ſe eſſe integra materia remota Sacramenti Pœnitentiæ: At exterior actus cùm ſolùm ſit liber & humanus, vt actui interno malo coniunctus, nequit alio modo ſubiacere obligationi Confeſſionis, niſi provt illi coniunctus. & vt ſic poteſt eſſe immediatè, ac directè quaſi partialis materia remota Sacramenti Pœnitentiæ.

SECTIO V.

An meræ imperfectiones ſint in Confeſsione explicandæ ad illius integritatem.

IOannes Sanctius *in ſelectis, diſputation. 6. numer. 4.* 1
contendit non eſſe permittendum pœnitentibus in Confeſsione Sacramentali ſe accuſare, quòd non

Digitized by Google

non conſenſerint inſpirationibus diuinis quibus à Deo mouebantur, ad non habendam nimiam ſollicitudinem de corporis ſalute, ad non appetendas dignitates, & ſimilia. Quia cùm iſta peccata non ſint, non debent afferri ad Confeſſionem.

2 Cardinalis Toletus *lib. 3. capit. 2. numero 6.* inter peccata omiſſionis numerat diuinis inſpirationibus non reſpondere, nec operari aliquod bonum, cùm poſſit quis operari, licèt non obligetur ex præcepto.

Procedit quæſtio de meris imperfectionibus, prout diſtinguuntur ab omni culpa & peccato, vt cùm quis, v. g. omittit actum perfectiorem, & conſilij, ad quem ſub culpa non tenetur.

3 Dico *primò*, certum eſſe has meras imperfectiones non eſſe materiam Sacramenti Pœnitentiæ, atque adeò non eſſe explicandas in Confeſſione ob illius integritatem. Patet, quia vbi nulla eſt Dei offenſa, ſeu iniuria, nec Dei auerſio, vel indignatio, vt in his imperfectionibus; nulla eſt culpa: vbi autem nulla eſt culpa, nulla poteſt eſſe materia Sacramenti Pœnitentiæ; nam forma huius Sacramenti eſt abſolutio à ſolis peccatis. Firmatur, quia venialia peccata, licèt ſint materia idonea, ac ſufficiens Confeſſionis, cùm non ſint materia neceſſaria, non ſpectant ad integritatem illius; vnde pœnitens poteſt ſine peccato in Confeſſione fateri aliqua venialia, & omittere alia æqualia, vel etiam maiora, vt dixi ſuprà *diſp. 6. ſect. 9.* ergo multò magis meræ imperfectiones, quæ non ſunt materia Sacramenti Pœnitentiæ, non ſunt explicandæ in Confeſſione ob integritatem illius.

4 Dico *ſecundò*, congruum eſſe vt explicentur in Confeſſione non ad integritatem ipſius, ſed ad maiorem inſtructionem, vt notitiam ſui magis plenam pœnitens tribuat Confeſſario. Ratio eſt, quia prædictæ meræ imperfectiones ſunt tanquam diſpoſitio remota indirectè inducens culpam, & offenſam Dei; nam ob iſtas imperfectiones, ſeu omiſſiones deobligatur Deus ad ſpecialia beneficia conferenda, nempe ad danda auxilia efficacia & vberiora, quæ alioquin benignè conferret; ex negatione autem auxilij efficacis conſequitur culpa; oportet igitur vt inſtruatur pœnitens de eiuſmodi imperfectionibus quæ indirectè diſponunt ad culpam, vt ſic reſpondeat diuinis inſpirationibus. Firmo hoc idem; nam eiuſmodi imperfectiones ſunt quaſi remouens prohibens: remouent enim auxilia efficacia, quibus infallibiliter prohibetur peccatum: & quamuis propter iſtas imperfectiones Deus non auertatur poſitiuè ab homine, nec conſtituatur poſitiuè iratus, ſicut auertitur, & iraſcitur propter culpam mortalem, nihilominùs tamen auertitur quaſi negatiuè, & manet deobligatus, ac minus conuerſus ad ipſum in ordine ad beneficia gratiæ, & in ordine ad auxilia efficacia illi conferẽda, cum infallibilitate peccati futuri. Vnde eiuſmodi imperfectiones conſtituunt hominem in eo ſtatu, in quo ſe gerens in obſequio Dei non perfectè, ſed negligenter, ſolet aliquando manere deſtitutus ad vincendas tentationes, & adimplenda præcepta auxiliis gratiæ non ſufficientibus, ſed efficacibus, quæ benignè Deus concedere dignatur viris perfectis, ſeu ſpiritu feruentibus, atque adeò in ſtatu infallibiliter peccandi. Igitur penes hanc conſiderationem, debet inſtrui pœnitens à Confeſſario, vt caueat à peccato; & ob hanc cauſam oportet vt pœnitens etiam in Confeſſione ſignificet ſtatum animæ ſuæ, ac renitentiam erga diuinas inſpirationes, vt excitetur ad Deo feruidè ſeruiendum.

5 Hinc dico *tertiò*, rectè ac laudabiliter Confeſſarios non impedire pœnitentes, vt explicent in Confeſſione iſtas meras imperfectiones. Id prudenter notauit Cardinalis de Lugo *diſp. 16. ſect. 2. n. 103.* Tum quia plura ex iis, quæ videntur meræ imperfectiones, non ſiunt ſine aliqua culpa veniali; atque ideò rectè dicuntur in Cõfeſſione, vt ſi quid culpæ, vel peccati in illis fuerit, id totum per Sacramentum, & abſolutionẽ deleatur. Tum etiam quia non eſt neceſſe, quòd omnia quæ pœnitens in Confeſſione dicit, ſint determinatè, & abſolutè materia abſolutionis: nam etiam beneficia à Deo accepta narrantur, & exercitia ſpiritualia in quibus occupatur, vt à Confeſſario dirigatur. Quare ſicut infirmus omnia medico narrat, vt ſi quid inuenerit curatione dignum, remedium adhibeat; ita pœnitens Confeſſario, qui ſimul medicus eſt, poteſt abſque vitio, imò & cum laude omnia narrare etiam imperfectiones, vt magis perſpectam habeat pœnitentis conſcientiam, & illum iuuare ad vitam perfectè tranſigendam.

SECTIO VI.

An peccet grauiter qui contra integritatem Confeſſionis mentitur in ea; & omne mendacium in illa admiſſum, ſit peccatum mortale.

AD integritatem Confeſſionis ſuo modo pertinet quoque, vt ea peccata quæ nullo modo ſunt in conſcientia pœnitentis, neque vnquam fuerunt commiſſa, non fingantur in Confeſſione, ſeu falsò dicantur. Id igitur modò videndum eſt, quale peccatum ſit admiſcere mendacium. Non procedit quæſtio de mendacio nihil ad Confeſſionem faciente, ſed in aliis materiis; de quo certum eſt non accipere grauitatem mortalem ex illa circumſtantia temporis, & loci; quæſtio ergo eſt de mendacio in re, ſeu materia ſpectante ad Confeſſionem. 1

Omiſſis aliorum dicendi modis, communem Doctorum ſententiam aperiam *ſequentibus dictis.* Dico ergo *primò*, ſi quis negauit in Confeſſione ſe feciſſe aliquod peccatum veniale, quod tamen fecit, tantùm peccare venialiter, ſed non contra integritatem Confeſſionis. Probatur, quia tale mendacium non eſt pernicioſum alicui, vt ſupponitur, & per ſe patet: nec eſt contra ius ipſius Iudicis, quia pœnitens non tenetur peccata venialia ipſi fateri, vt conſtat; nec falſificat formam aut Sacramentum; nam non ſubiicit illi falſam materiam, vt liquet, cùm det alia peccata vera pro materia Sacramenti, vt ſupponimus; vnde nihil peccat contra integritatem Confeſſionis. Imò nec venialiter peccaret, ſi vteretur aliqua reſtrictione mentali, & reſponderet in ſenſu debito, vt notauit Suarez *diſp. 22. ſect. 10. num. 5.* quia nimirùm quando reus non iuridicè interrogatur, negando delictum, ſignificat ſolùm ſe non feciſſe ita, vt teneatur in illo foro id fateri. 2

Dico *ſecundò*, ſi quis neget ſe feciſſe aliquod peccatum mortale, quod non tenetur hîc & nunc confiteri, quia vel eſt illud ſemel confeſſus in alia Confeſſione, nec habet connexionem cum peccatis quæ nunc confitetur; vel quia non poteſt hîc, & nunc confiteri ſine graui incommodo; non peccare contra integritatem Confeſſionis. Imò nec venialiter, ſi vtatur debita reſtrictione mentali. Patet vtrumque propter rationem dictam *præcedenti dicto.* 3

Dico *tertiò*, confitentem aliquod peccatum veniale quod non fecit, ſi confiteatur ſimul alia peccata quæ verè fecit, ſiue venialia, ſiue mortalia, tantùm peccare venialiter. Ita contra Caietanum Nauarrus, Syluester, Angelus, Petrus Soto, & alij quos referunt, & ſequuntur Suarez citatus, Vaſquez *quæſt. 91. art. 1. dub. 7.* Cardinalis Lugo *diſp. 16. ſect. 2. num. 99.* & alij. Ra- 4

tio eſt, quia eſt materia leuis, & non neceſſaria huic iudicio, & non excludit materiam neceſſariam, quia non obſtante illo mendacio, poteſt quis integre, & cum vero dolore confiteri omnia peccata mortalia, & etiam alia venialia; nec fit grauis iniuria ipſi Confeſſario ſeu Iudici, quia decipitur in re leui, & in materia non neceſſaria: Denique non omninò repugnat veritati formæ. In quo notandum eſt diſcrimen inter formam Euchariſtiæ, & huius Sacramenti Pœnitentiæ; nam illa fertur per ſe primò, ac immediatè circa hoſtias conſecratas, & immediatè ſignificat ſub ſingulis facta conſecratione, eſſe Corpus Chriſti; vnde quacumque ratione ſupponatur materia falſa; falſificatur forma, & ſubſtantialis effectus impeditur. Vnde hac de cauſa, qui inter alias hoſtias triticeas miſceret vnam hordeaceam, & ſimul omnes offerret Sacerdoti conſecrandas peccaret mortaliter, quia efficeret formam ex parte falſam. At in Sacramento Pœnitentiæ, forma per ſe primò reſpicit perſonam, & ſignificat illam, & effectum circa illam, vt patet ex illis verbis, *Ego te abſoluo*; & principaliùs ſignificat effectum gratiæ remiſſiuæ peccati, qui non impeditur tametſi aliquod peccatum veniale remiſſibile non ſit ex falſitate, vel indiſpoſitione pœnitentis; vnde non obſtante illo defectu, poteſt forma eſſe vera, & remittere omnia mortalia, & alia venialia. Quod ſatis eſt vt homo ſimpliciter abſolui dicatur: ſicut dicitur ſimpliciter iuſtus, qui habet gratiam, etiamſi habeat venialia peccata.

5 Inſtabis; integrum Sacramentum Pœnitentiæ ſignificare abſolutè hîc & nunc omnia peccata quæ pœnitens confitetur, ei remitti: ergo in eo caſu pœnitentis, qui confitetur peccatum veniale quod non fecit, eius ſignificatio falſificabitur, quod videtur fieri cum graui iniuria Sacramenti. *Reſpondeo*, etiamſi concedamus reddi aliqua ex parte falſam ſignificationem Sacramenti; ſed cùm non reddatur falſa in eſſentialibus, nec etiam ſecundùm integrum ſuum effectum, ſed tantùm ſecundùm aliquam particulam ſui effectus, hanc irreuerentiam eſſe leuem, & venialem culpam. Ita reſpondet Coninck *diſput. 6. dubio 3. num. 10.* Quod firmat aliis exemplis. Nam ſi quis inter alia confiteretur aliquod veniale peccatum, cum aliqua adhuc complacentia circa illud, eodem modo ſignificationem Sacramenti redderet ex parte irritam, ſiue falſam: & tamen duriſſimum eſſet dicere, talem mortaliter peccare. Similiter conſtat Baptiſmum, cùm detur per modum perfectæ regenerationis, ſicut habet abſolutam vim remittendi omnia peccata etiam venialia ſignificare quoque eorum perfectam remiſſionem; & conſequenter qui illum ſuſciperet cum affectu aliquo erga aliquod veniale peccatum, ex parte eius ſignificationem falſificaret; ſicut eam totaliter falſificat, qui cum obice gratiæ ipſum ſuſcipit: Et tamen certum videtur priorem non peccare mortaliter: ergo idem dicendum eſt in caſu noſtri tertij Dicti. Quare ſicut ſi quis in conficiendo Baptiſmate ex indiſcreta deuotione miſceret aquæ naturali guttam aquæ roſaceæ, quæ eſt falſa materia, adhuc conficeret verum Sacramentum, & formam in vero ſenſu proferret; vnde non peccaret mortaliter: ita ſimiliter in præſenti.

6 Dico *quartò*, certum eſſe, eum qui ſciens negat ſe feciſſe aliquod peccatum mortale, quod hîc & nunc tenetur confiteri, peccare mortaliter. Hoc manifeſtè oſtenditur, quia talis mortaliter peccaret, tametſi ſolùm omitteret illud confiteri, vt eſt certum apud omnes; ergo multò magis cùm negat ſe id feciſſe abſque ſufficienti ratione fieret. Si enim haberet aliquis cauſam ſufficientem tacendi illud peccatum, poſſet etiam abſque peccato illud negare.

7 Dico *quintò*, illum qui confitetur vnum peccatum mortale, quod ſcit non feciſſe, peccare mortaliter. Ita communiter Doctores. Ratio eſt quia in materia graui, & neceſſaria Confeſſarium Iudicem decipit, eiúſque iudicium peruertit: vnde variatur in re graui iudicium Confeſſarij per illam additionem; atque ideò mortaliter peccat. Notat benè Suarez *diſput. 22. ſect. 10. ad finem*; id intelligendum eſſe per ſe: nam interueniente ignorantia, & bona fide, videtur manifeſtum poſſe pœnitentem non peccare in hoc, & conſequenter facere Confeſſionem validam. Hoc enim modo excuſari poſſunt multi ſimplices, qui putant non malè facere dicendo plura quam fecerint.

Dico *vltimò*, eſſe etiam peccatum graue, mentiri circa peccatum graue iam antea confeſſum, addendo aliquam circumſtantiam grauem. Patet, tum quia illud quod falsò additur, non reputatur peccatum iam confeſſum; quia cùm ſit falſum, non eſt vnquam Sacramentaliter confeſſum; ac proinde mentiri circa illud, perinde eſt ac ſi eſſet circa peccatum nunquam confeſſum: Tum etiam, quia ſiue peccatum illud mortale fuerit anteà confeſſum, ſiue non, parum refert, vt rectè notauit Cardinalis Lugo *diſp. 16. ſect. 2. n. 101.* Quia in hac Confeſſione datur pro materia huius iudicij, perinde ac ſi non fuiſſet antea Confeſſum; atque ideò de eo debet fieri nunc iudicium independenter ab aliis Confeſſionibus. Si ergo mentitur pœnitens in eo, iam facit variare iudicium Confeſſarij in re graui pertinente ad materiam huius Iudicij. Et quamuis non ſit materia neceſſaria, datur tamen pro materia huius iudicij, vt Iudex de illo iudicet, perinde ac ſi non eſſet res iudicata. 8

DISPVTATIO XXVII.

De integritate Confeßionis ex parte circumſtantiarum peccatorum in genere.

AD integritatem realem, ſeu materialem Confeſſionis Sacramentalis, ſpectant etiam circumſtantiæ. Harum autem quædam ſunt mutantes ſpeciem peccati, quædam verò ſunt ipſum peccatum intra eandem ſpeciem aggrauantes, aliæ denique minuentes. Cum prædictis circumſtantiis coincidunt circumſtantiæ pertinentes ad Confeſſionem; nam vel coincidunt cum mutantibus ſpeciem peccati, vel cum aggrauantibus, vel cum minuentibus; & ideò quod de illis dixerimus, de pertinentibus etiam dictum manebit. Quæ verò nihil conferunt ad Confeſſionem, reſpectu illius Impertinentes dicuntur, & ſunt. De his omnibus circumſtantiis in genere agemus nunc in hac diſputatione; dicturi poſtea in ſequentibus de omnibus circumſtantiis in particulari neceſſariò confitendis.

SECTIO PRIMA.

An Circumſtantiæ mutantes ſpeciem ſint neceſſariò confitendæ?

CIrcumſtantia id dicitur, & eſt, quod accidentaliter circumſtat actum humanum principalem habentem iam ſpeciem ex obiecto bono, vel malo? Nos 1

hîc ſolùm agimus de circumſtantiis moralibus in ordine ad Confeſſionem, quæ modo aliquo vel mutant ſpeciem peccati, vel augent, vel minuunt notabiliter.

2 Ad præſentem quæſtionem dico *primò*, omnes circumſtantias peccatorum mutantes ſpeciem eſſe exprimendas in Confeſſione quantum fieri poteſt. Hæc concluſio eſt de fide certa, definita in Concilio Tridentino *ſeſſ.* 14. *canone* 7. ſic definiente: *Si quis dixerit, in Sacramento Pœnitentiæ neceſſarium non eſſe iure diuino, confiteri omnia & ſingula peccata mortalia, & circumſtantias, quæ peccati ſpeciem mutant; anathema ſit*. Et *eadem ſeſſ.* 14. *cap.* 5. idem magis declaratur, cùm dicitur, eas circunſtantias in Confeſſione eſſe explicandas, quæ ſpeciem peccati mutant; ſine quibus peccata ipſa, neque à pœnitentibus integrè exponuntur, nec Iudicibus innoteſcunt; & fieri nequeat vt de grauitate criminum rectè cenſere poſſint, & pœnam quam oportet, pro illis pœnitētibus imponere. Ex quibus verbis. Probatur *primò* Concluſio, quia Confeſſarius eſt Medicus, & Iudex pœnitentis, & tanquam Medicus neceſſe eſt vt cognoſcat vulnera peccatorum; & tanquam Iudex opus eſt vt ſubſtantiam ac naturam cauſæ agnoſcat: neque enim Medicina curat vulnus quod ignorat; nec Iudex ferre poteſt ſententiam ignoratâ cauſâ. *Secundò*, quia diuerſæ ſpecie circumſtantiæ efficiunt, ac trahunt peccatum ad diuerſam ſpeciem; diuerſa autem ſpecie peccata ſunt neceſſariò confitenda. *Tertiò*, quia peccata multiplicantur non ſolùm ratione actuū, ſed etiam ratione circumſtantiarum diuerſarum ſpecie. Quis enim neget peccantem cum coniugata, quæ votum Caſtitatis coniugalis emiſit, ratione circumſtantiarum duo mortalia committere neceſſariò confitenda, alterum adulterij ratione circumſtantiæ Matrimonij, alterum ſacrilegij ratione circumſtantiæ voti.

3 Dico *ſecundò*, doctrinam traditam eſſe quoque intelligendam de circumſtantiis internis mutantibus ſpeciem reſpectu peccatorum, quæ ſolo conſenſu conſummantur ſine executione operis. Id fatentur omnes Doctores, quatenus abſolutè affirmant, omnes circumſtantias mutantes ſpeciem peccati, eſſe de neceſſitate Confeſſionis; & non diſtinguunt de circumſtantiis internis, aut externis. Idem firmatur, quia ſi conſideremus mentem Concilij Tridentini, manifeſtè voluit definire non ſolùm circumſtantias externas, ſed etiam internas diuerſas ſpecie neceſſariò eſſe in Confeſſione explicandas; nam *dicta ſeſſione* 14. *capit.* 5. ita ait: *Verum cùm omnia mortalia, etiam cogitationis, homines iræ filios, & Dei inimicos reddant, confitenda ſunt, &c.* Et quamuis *in Canone ſeptimo*, vbi rem de Fide definiuit, loquatur abſolutè de mortalibus, & de circumſtantiis mutantibus ſpeciem peccati, & non addat illud verbum, *etiam cogitationis*, tamen doctrina Canonis tota deſumpta eſt ex hoc capite; vnde ſatis colligitur mens Concilij. Præterea ratio, ob quam Concilium definiuit, has circumſtantias eſſe de neceſſitate Confeſſionis, æquè militat de circumſtantiis internis, atque de externis: ratio enim quæ ad hoc definiendum Concilium mouit, eſt, quia Confeſſarius eſt Iudex, vt exprimitur *capite* 5. *ſeſſione* 14. qui in cauſa pœnitentis non poteſt æquam ferre ſententiam abſque manifeſtatione circumſtantiæ, quæ mutat ſpeciem peccati. Hæc autem ratio æquè militat in omnibus circumſtantiis internis, & externis. Denique quis neget peccatum externum & internum habere eandem malitiam acceptam ab eodem obiecto: ergo eadem ratione videtur de vno, atque de alio, neceſſariò eſſe confitendum.

4 Dico *tertiò*, omnes etiam circumſtantias, quæ ex veniali faciunt mortale ex grauitate obiecti intra eandem materiam, neceſſariò eſſe confitendas. Id quoque certum eſt, & à nemine negatur. Imò exiſtimo eſſe etiam de Fide definitum à Tridentino *loco citato*; Nam *ſeſſione* 14. *can.* 7. expreſsè habetur neceſſarium eſſe iure diuino, confiteri omnia, & ſingula peccata mortalia, etiam occulta, & circumſtantias, quæ peccati ſpeciem mutant. Ex quibus verbis patet de Fide eſſe, omnia mortalia neceſſariò eſſe confitenda: ergo ſi ex veniali fiat mortale, iam de Fide eſt, eſſe confitendum. Quod etiam firmatur illis aliis verbis *capitis quinti, dictæ ſeſſionis*, ſic dicentibus: *Cùm vniuerſa mortalia peccata, etiam cogitationis, homines iræ filios, & Dei inimicos reddant, neceſſum eſt, omnium etiam veniam cum aperta, & verecunda Confeſſione, à Deo quærere*. Et ratio eſt, quia peccatum primariò pertinet ad Confeſſionem, quatenus offenſio Dei eſt; at quando de veniali culpa fit mortalis, grauatur peccatum infinitè ratione offenſionis diuinæ: ergo neceſſariò eſt confitendum.

5 Ex his colligo *primò*, circumſtantiam furti, verbi gratia, magni, & mortalis, eſſe neceſſariò confitendam. Et fundamentum eſt, non quia circumſtantia furti magni mutet ſpeciem peccati venialis in mortale (non enim furtum magnum, & paruum, diuerſæ ſunt ſpeciei in ratione malitiæ, quæ ex obiecto ſumitur, nam in ratione mali moralis ſpecie conueniunt; & ſemper manent huiuſmodi furta intra eādem ſpeciem furti;) ſed quia talia peccata in ratione propria peccati, id eſt, offenſionis diuinæ plus quàm ſpecie differunt, imò & analogicè.

6 Colligo *ſecundò*, ſi quis obliuiſcitur in Confeſſione alicuius circumſtantiæ mutantis ſpeciem, teneri poſteà illam confiteri ſi recordetur; quia ſpecialis malitia ſumpta ex illa circumſtantia, non fuit per ſe remiſſa per illam abſolutionem, ſed tantùm per accidens, & ideò ſubiici debet Clauibus, vt per ſe remittatur. Hoc enim eſt in hac materia certum, quoties aliquid per ſe eſt de neceſſitate, vel integritate Confeſſionis, ſi ex obliuione, vel alia legitima cauſa omittitur, in alia Confeſſione explicandum eſſe, ſi poſſit.

SECTIO II.

An repetenda ſit Confeſſio peccati integri, quando ex obliuione fuit omiſſa circumſtantia ſpecie diuerſa; vel ſufficiat confiteri ſolam circumſtantiam omiſſam?

1 Exemplum ſit de eo, qui habens votum caſtitatis, fornicatur, & confeſſus eſt fornicationem, ſed propter obliuionem omiſit circumſtantiam voti violati; an ſufficiat, ſi poſteà ſe accuſet de violatione voti in re graui; an verò neceſſarium ſit ſe accuſare de fornicatione contra votum.

2 Opinio eſt ſatis communis affirmans ſufficere ſi explicet circumſtantiam omiſſam, non explicato iterùm peccato, quod iam eſt confeſſus. Quam tenent multi, inter quos Nauarrus *in Summa, capit.* 6. *ad finem*, & *in cap. Conſideret, numero* 104. *de pœnitentia, diſt.* 5. & noſter Thomas Sanchez *lib.* 4. *in Decalogum, capit.* 11. *numero* 14. Probant, quia malitia prioris peccati eſt plenè intra propriam ſpeciem declarata in Confeſſione; malitia autem circumſtantiæ, nempe fractionis voti eſt in quacumque materia eiuſdem ſpeciei: cùm ergo hæc ſola fatenda ſuperſit, ſatis erit illam tacita materia explicare. Firmant, quia in illo peccato propter aduentum circumſtantiæ ſacrilegij v. g. contra votum, non deſinit eſſe malitia propria, & ſpecifica contra caſtitatem; ſed habet ille actus duplicem malitiam

ſpecifi

Digitized by Google

ſpecificam, alteram contra Religionem, alteram contra Caſtitatem: ergo cùm priùs explicuerit pœnitens alteram malitiam contra Caſtitatem: & nunc alteram explicet contra Religionem, iam ſufficienter explicuit totum peccatum, quoad vtramque malitiam ſpecie diuerſam.

3 Huic communi doctrinæ opponitur Syluester verbo *Confeſſio* 1. *queſt.* 10. quem ſequitur etiam Nunnus in præſenti *q.* 9. *art.* 2. *dub.* 2. *verſ. Sed ad hoc dubium*, & *dub.* 3. & Alij. Quòd ſi ſufficeret poſteà confiteri ſolam circumſtantiam omiſſam, ſequerentur plura abſurda.

Primò, ſi quis confeſſus eſt decem peccata copulæ illicitæ partim cum nuptis, partim cum Moniali, & oblitus ſit circumſtantiæ violentiæ, poſteà ſatisfaceret explicando ſolam circumſtantiam violentiæ: quod videtur abſurdum; nam violentia illata Moniali quæ eſt propter oppoſitionem cum virtute Religionis eſt ſpecie diuerſa in ratione violentiæ ab illata coniugatæ propter iniuriam, quæ fit marito. Igitur niſi iterùm explicentur eadem peccata, nequit ſufficienter explicari malitia circumſtantiæ prætermiſſæ.

Secundò, ſi quis ſe accuſauit de odio, de percuſſione, de contumelia, & non dixit ex obliuione, ea fuiſſe contra proprium parentem; ſufficeret poſteà dicere ſe ter peccaſſe in parentem non explicando ſpecies, quas iam fuerat ſigillatim confeſſus. Quod dici non poteſt, quia non explicatur grauitas propria percuſſionis paternæ, quæ eſt ſpecie diuerſa ab illis explicatis.

Tertiò, circumſtantia offenſæ Dei non explicatur ſufficienter, niſi explicetur, materia, cui aduenit illa circumſtantia; aliàs enim non eſſet obligatio explicandi obiectum proprium furti, vel homicidij: ergo nequit circumſtantia ſecundùm ſe, ſola ſufficienter explicari.

Quartò obiicitur, non ſolùm in ſequenti Confeſſione, ſed in eadem poſſe pœnitentem diuidere circumſtantiam, eámque ſeorſim confiteri. Vt ſi priùs ſe accuſet, verbi gratia de decem fornicationibus, poſteà verò ſe accuſet, quòd decies violauit votum in re graui, non explicando peccata illa fornicationis, fuiſſe contra votum Caſtitatis. Quod non videtur concedendum; Quia in prædicto caſu ex modo ipſo confitendi, & ſeparandi peccata, videtur pœnitens ſignificare illa peccata fuiſſe diſtincta, & peccata illa contra Caſtitatem non fuiſſe contra votum. Vnde non confiteretur peccatum quod fecit, ſed aliud quod non fecit, ſcilicet peccatum luxuriæ quod non eſſet contra votum.

Vltimò, ex prædicta communi doctrina ſequitur, pœnitentem, qui ſe accuſauit de furto, verbi gratia, decem nummorum, ſi poſtea recordetur fuiſſe viginti, poſſe in Confeſſione ſequenti confiteri, quòd furatus fuerit decem; nam hoc ſolum reſtabat confitendum, & iam in vtraque Confeſſione explicata manet tota malitia illius peccati. Quod videtur admitti non poſſe.

4 Huic quæſtioni breuiter occurrit noſter Suarez *diſp.* 22. *ſect.* 2. *num.* 8. ſic dicens: *Si poſſit circumſtantia declarari, nulla facta mentione talis peccati, non erit obligatio repetendi Confeſſionem illius; ſi verò aliter explicari non poſſit circumſtantia, concedendum eſt conſequens, videlicet eſſe obligationem confitendi iterum illud peccatum, cuius circumſtantia omiſſa eſt: Neque eſſe inconueniens, quòd ex accidenti aliquis cogatur confiteri bis idem peccatum.*

Verùm hæc doctrina ſic in genere dicta, tametſi vera ſit; oportet tamen in ſpecie magis in particulari propoſitam difficultatem explanare, vt ſatisfiat vtrique parti propoſitæ. Ad cuius explicationem rectè obſeruant aliqui Recentiores, ex circumſtantiis quæ afferunt malitiam ſpecie diuerſam, quaſdam eſſe quæ afferunt malitiam omninò diſparatam, quæ optime intelligi poteſt ſine malitia deſumpta ex obiecto principali: talis eſt circumſtantia voti, quæ addit fornicationi malitiam omninò diſparatam, quia malitia fornicationis tota poteſt eſſe ſine violatione voti, & etiam malitia violationis voti prout aduerſatur Religioni, poteſt eſſe abſque peccato fornicationis, vt conſtat in coniugato petente debitum contra votum Caſtitatis: quaſdam verò eſſe, quæ afferunt malitiam ſpecie diuerſam, non diſparatam, ſed quæ intelligi non poteſt ſine malitia deſumpta ex obiecto, quam in ſuo conceptu includit. Sic in homicidio, v. g. non poteſt explicari circumſtantia perſonæ ſacræ occiſæ, niſi explicetur homicidium, quia peccatum ſacrilegij eſt ratio generica continens ſub ſe varias ſpecies, quæ non poſſunt explicari, niſi explicetur peccatum cui aduenit talis circumſtantia. Idem eſt in peccato violentiæ, qua violatur nupta, v. g. nam violentia ſecundùm ſe conſiderata non habet ſpeciem atomam, ſed eſt ratio generica indifferens ad hanc vel illam ſpeciem violentiæ; nam violentia accipit ſpeciem ſuam ex illo damno, quod per violentiam infertur: eſt enim peccatum contra Iuſtitiam, quòd ſpecificatur à iure illo quod læditur; cúmque diuerſa ſint ſpecie iura quæ quis habet ad vitam, ad honorem, ad pecuniam, &c. & hæc iura poſſint terminare iniurias ſpecie diuerſas, non poteſt explicari ſpecies illius iniuriæ, aut violentiæ, etiam in ratione iniuriæ, niſi explicetur damnum quod infertur, & quod certè diuerſum eſt in nupta, & in ſoluta.

Hoc præmiſſo. Dico *primò*, circumſtantias, quæ afferunt malitiam ſpecie diuerſam omninò diſparatam, poſſe ſufficienter explicari poſteà non explicatâ malitiâ obiecti principalis; atque ideò malitiam voti violati poſſe ſufficienter explicari poſteà non explicatâ malitiâ contra Caſtitatem. Hoc eſt quod volunt communiter Doctores, præſertim noſter Thomas Sanchez, ſequentes communem ſententiam Antiquorum, quæ in hoc ſenſu eſt intelligenda. Ratio eſt, quia violatio voti ſecūdùm ſe, habet ſuam malitiam vltimò completam & in ſpecie atoma independentem à malitia contra Caſtitatem: ergo poteſt ſufficienter explicari poſteà non repetitâ malitiâ obiecti contra caſtitatem. Idque probat argumentum, & confirmatio ſuprà adducta *numero ſecundo*. 5

Dico *ſecundò*, circumſtantias quæ non afferunt malitiam diſparatam, ſed ita incluſam in obiecto, vt nequeat intelligi non intellectâ malitia obiecti, non poſſe poſtea in Confeſsione ſeorſim explicari. Ratio eſt, quia vt conſtat in exemplis adductis, eſt in illis peculiaris ratio ob quam non poſſunt aliter explicari. Neque enim poteſt explicari violentia, vt dixi, ſecundùm propriam ſpeciem vltimam, niſi explicetur peccatum cui aduenit, ſeu cuius eſt illa circumſtantia. Similiter, non poteſt explicari circumſtantia perſonę Sacræ occiſæ, niſi explicetur homicidium, quia peccatum ſacrilegij eſt ratio generica continens ſub ſe varias ſpecies, quæ non poſſunt explicari, niſi explicetur materia, vel obiectum cui adhæret. 6

Hinc patet ſolutio ad argumenta oppoſita contra communem ſententiam. Ad primum, & ſecundum, iam dictum eſt in illo exemplo primo, non poſſe explicari violentiam, niſi explicetur peccatum cui aduenit. Idem eſt de peccato odij, vel impietatis contra Patrem, niſi explicetur materia; nam vt conſtat in ipſo genere impietatis, non eſt eadem materia parricidij, ac contumeliæ in patrem, propter diuerſum valde ius, quod pater habet, ne à filio contumelia afficiatur, vel occidatur. 7

Ad tertium reſpondet Cardinalis Lugo *diſputatione* 16. *ſectione* 10. *numero* 651. malitiam grauem offenſæ

ſenſæ

Digitized by Google

ſenſæ Dei non explicari ſufficienter non explicatâ materiâ, in qua offenditur: quia cùm omne peccatum mortale ſit inobedientia grauis in Deum, & inobedientia accipiat ſpeciem ſuam ex materia quæ præcipitur, eo quòd lex, & præceptum ſpecificatur a virtute quam præcipit; conſequens eſt, vt etiam prout reſpicit Deum, ſit diuerſa ſpecies peccati contra Caſtitatem, & peccati contra Iuſtitiam propter diuerſas leges Dei, quæ grauiter violantur; & ideò debet omninò explicari materia in qua peccatur, vt explicetur offenſa grauis Dei ſecundùm ſuam ſpeciem vltimam. Verùm hæc doctrina & ſolutio diſplicet mihi. Quare dico tria: *primum* eſt, ideò nos dicere, omne peccatum per ſe loquendo includere eſſe offenſam, & iniuſtitiam in Deũ; quia exiſtimamus omne peccatum ex ſe, eſſe contrarium diuinæ dominationi, & voluntati; & ſemper peccatorem, cùm peccat, abuti re propria Dei, contra voluntatem ſupremi Domini; & hunc abuſum eſſe propriè contra Iuſtitiam, non aliter quàm ſi quis contra voluntatem Domini vteretur ad equitandũ eius equo. Vt latè oſtendi in tractatu *de Incarnatione, diſputatione 4. ſectione* 8. à *numero* 4. vſque ad 14. & etiam ſuprà *diſput.* 1. *ſect.* 1. Secundum eſt quod ſequitur ex præcedenti, luxuriam, v. g. eſſe eſſentialiter iniuſtitiam, & ſpecialem læſionem diuini iuris, ac dominij; quia hæc ratio malitiæ imbibitur eſſentialiter in omni peccato vt dixi locis nuper citatis. *Tertium* eſt, hanc malitiam iniuſtitiæ, tametſi in omni peccato reperiatur, non eſſe neceſſariò in ſpecie exprimendam in Cõfeſſione Sacramentali; quia eſt generalis circumſtantia in omni peccato inuenta; atque ideò ſufficienter explicatur, quando dicitur ipſum peccatum.

9 Ad quartum, reſpondeo in illo caſu illas duas malitias ſimplicis fornicationis, & ſacrilegij contra votum, ſufficienter explicari poſſe in eadem Confeſſione, non explicando connexionem in vno actu, ſatiſque eſſe illas dicere per modum plurium peccatorum, quia multi valdè probabiliter ſentiunt illa reuera eſſe plura peccata. Vnde illa coniunctio quæ reticetur, non variat iudicium, neque addit ſpecialem grauitatem, vt benè notauit Suarez loco ſuprà citato *numero nono*. Vnde negandum eſt in prædicto caſu eo modo confitendi, & ſeparandi peccata, ſequi pœnitentem non confiteri peccatum quod fecit, ſed aliud quod non fecit, videlicet peccatum luxuriæ quod non eſſet contra votum: nam cùm verè confiteatur malitias omnes ſacrilegij, confeſſus eſt integrè peccata quæ fecit, tametſi abſtrahat, ſeu non explicet coniunctionem; cùm iſta non addat ſpecialem grauitatem, nec variet iudicium Confeſſarij.

10 Ad vltimum, admitto ſequelam illam per ſe loquendo, ob rationem dictam: per accidens tamen id ſufficere non poſſe ratione reſtitutionis integræ viginti nummorum, ad quam tenetur, & quam vrgere deberet & Confeſſarius, vt pœnitens illi obligationi integrè ſatisfaceret.

SECTIO III.

An circumſtantiæ notabiliter aggrauantes intra eandem ſpeciem, ſint neceſſariò confitendæ?

1 PRocedit quæſtio de circumſtantiis, quæ non dant nouam ſpeciem, ſed aggrauant notabiliter intra eandem. Vt verbi gratia, ſi furatus es centum, grauius peccaſti, quàm qui furatur triginta, ſed tamen intra eandem ſpeciem. Iam certum eſt circumſtantiam, quæ de peccato quod aliàs eſſet tantùm veniale, facit quòd ſit mortale, quamuis intra eandem ſpeciem peccati, eſſe neceſſariò confitendam. Duæ ſunt præcipuæ ſententiæ inter ſe diſcrepantes. Prima affirmat circumſtantias notabiliter aggrauantes intra eandem ſpeciem, eſſe neceſſariò in Confeſſione explicandas, & aliter nec licitam, nec validam fieri Confeſſionem. Ita Suarius *diſp.* 22. *ſectione* 3. *numero* 5. cum Caietano, Victoria, vtroque Soto, & multis aliis quos ipſe refert, Coninck etiam *diſput.* 7. *dub.* 3. Enriquez *libr.* 5. *de Sacramentis, cap.*7. *numero* 5. Filliucius *tractatione* 7. *de Confeſſione, cap.*4. *numero* 88. Fagundez *lib.* 4. *de ſecundo Eccleſiæ præcepto numer.* 10. Thomas Sanchez *lib.* 2. *decalog. cap.*32. *numero* 39. & *lib.*4. *capit.*11. *num.* 24. & alij communiter. Suadetur *primò*, quia Tridentinum *ſeſſione* 14. *cap.* 5. ideò probat ſpecies peccatorum & numerum eſſe explicanda, quia Sacerdos Iudex eſt, & non poteſt iudicium incognitâ cauſâ exercere, nec æquitatem in pœnis pro peccatis iniungendis ſeruare. Quæ ratio videtur æquè procedere in his circumſtantiis aggrauantibus, quæ niſi explicentur, non videtur peccatum integrè exponi, ſed ſecundùm partem: nec Sacerdos poteſt de eius grauitate iudicium ferre; nec pro eo poterit debitam, ac proportionatam pœnitẽtiam imponere: non enim eſt iniungenda æqualis pœnitentia pro furto decem aureorum, & pro furto decem millium aureorum, vt per ſe patet. Vnde etiam Iudex in foro externo ad perficiendam, & ferendam ſententiam, perpendit circumſtantias aggrauantes cauſam notabiliter; aliter enim iniuſtus eſſet, & contra rationem, & obligationem Officij ſui faceret.

Secundò, circumſtantiæ notabiliter aggrauantes ſæpè adæquant, imò ſuperant in ſua malitia plura peccata numero diſtincta; nam vnum furtum mille aureorum notabiliter grauius eſt quinque furtis decem aureorum; & vnum peccatum durans continuè per integram horam, notabiliter grauius eſt quinque peccatis numero diſtinctis commiſſis in vno quadrante cum interruptione; ergo.

Tertiò, iuxta oppoſitam ſententiam, qui furatus eſſet mille aureos, rogatus à Confeſſario, an furatus eſſet plus quàm vnum aureum, poſſet negare cum reſtrictione mentali, quia non teneretur reſpondere, cùm circumſtantia eiuſmodi non ſit ex neceſſitate confitenda.

Quartò qui vno ictu occidit decem homines, debet explicare illam circumſtantiam, nec ſufficit dicere feci homicidium, ſed debet dicere, occidi decem homines; licet illa ſit ſolùm circumſtantia aggrauans intra eandem ſpeciem; & idem eſt de voluntate, aut deſiderio interno occidendi decem homines.

Quintò, in inceſtu explicari debet gradus conſanguinitatis, & affinitatis, licèt non afferant ij gradus diuerſitatem ſpecificam: Ergo ſolùm debent explicari propter maiorem grauitatem intra eandem ſpeciem.

Vltimò, antiquitùs imponebantur pœnitentibus multæ ſatisfactiones diuerſæ ex diuerſitate ſola circumſtantiarum intra eandem ſpeciem, etiam in foro Conſcientiæ, vt videre eſt apud Burcardum Epiſcopum Vvermatienſem *in ſuo decreto lib.* 19. & apud Gratianum *in fine Decreti*.

Secunda ſententia negat eiuſmodi circumſtantias notabiliter aggrauantes confitendas eſſe neceſſariò. 2
Hanc tenent D. Thom. Durandus, Gabriel, Scotus, Almaïnus, Bonauentura, & alij quamplures quos referunt, & ſequuntur Vaſquez *quæſt.* 91. *art.* 1. *dub.* 2. Reginaldus *in praxi tom.*1. *lib.*6. *cap.*5. *num.*135. Valentia in præſenti *diſp.* 7. *quæſt.*11. *puncto* 1. Granado *tract.*9. *diſp.* 9. *ſect.* 1. & nouiſſimè Cardinalis Lugo *diſp.*16. *ſect.*3. *n.*105. Alios etiam refert Diana *tract.* 7. *de circumſtantiis aggrauantibus, reſolut.*1.

Probatur *primò*, quia iure diuino non tenetur quis confiteri

Digitized by Google

confiteri niſi omnia peccata mortalia: At reticendo circumſtantias, quæ non prohibentur peculiari præcepto, confitetur quis omnia peccata mortalia; quia ſi aliqua circumſtantia non prohibetur peculiari præcepto, non eſt ſpeciale peccatum: Vt verbi gratia, eodem præcepto prohibetur furtum mediocris quantitatis, & magnæ quantitatis. Igitur quamuis non exprimatur quantitas rei ablatæ, ſufficit ſic confiteri: Fateor me commiſiſſe furtum quod eſt peccatum mortale. *Secundò*, magna eſt differentia inter circumſtantias aggrauantes, & mutantes ſpeciem peccati: nam cùm vnum peccatum mortale nunquam remittatur ſine aliis, & circumſtantiæ mutantes ſpeciem peccati, neceſſariò efficiant noua numero peccata; inde eſt quòd neceſſariò ſint confitendæ: At circumſtantiæ aggrauantes non nouum numero peccatum efficiunt, ſed augent vnum & idem; quod totum dicitur, ſi abſolutè dicatur: quia explicatur circumſtantia illius aggrauans notabiliter. *Vltimò*, hæc ſententia benignior eſt, & adimit occaſionem ſcrupulorum tam ex parte pœnitentis, quàm ex parte Confeſſarij, & faciliorem reddit obſeruationem præcepti Confeſſionis. Nam ex contraria ſententia ſequitur, declarandas eſſe quoque circumſtantias durationis, intentionis, & alias ſimiles; hæ enim aggrauant etiam notabiliter: nam ſicut magna quantitas furti aggrauat furtum notabiliter, ita pariter odium intenſum vt octo, & odium durans per quadrantem horæ, vel per integram horam; & tamen hæ circumſtantiæ à nemine declarantur.

3 Aliqui Recentiores mediâ viâ incedunt: Dicunt enim duo. *Primum eſt*, circumſtantias non mutantes ſpeciem, neque in æſtimatione morali numerum augentes, non eſſe neceſſariò confitendas, quamuis notabiliter aggrauent. Præcipuum fundamentum eſt, praxis & conſuetudo tum pœnitentium, tum Confeſſorũ: quia cùm quis confitetur peccatũ aliquod nunquã dicit quòd peccauerit actu intenſo, vel parũ intenſo, vel quòd peccauerit poſitus in magna occaſione, vel cũ parua, aut quòd impulſus fuerit magna tentatione, vel exigua, neque Confeſſarij de his rebus interrogant; cùm tamen iſtæ circumſtantiæ notabiliter aggrauent peccata, vel diminuant. *Secundum eſt*, circumſtantias, quæ non mutant ſpeciem, ſed in æſtimatione morali numerum augent, eſſe neceſſariò confitendas. Probant, quia conſtat ex Tridentino, peccata non ſolùm quoad ſpeciem, ſed etiam quod numerum eſſe neceſſariò confitenda: ergo non minùs neceſſariò confitendæ ſunt illæ circumſtantiæ, quæ in eadem entitate phyſica actus mali augent numerum, quàm illæ quæ augent ſpeciem. Rationem autem adhibent, quia vna volitio occidendi decem homines, quantum ad mores attinet, ſunt decem peccata, quia eſt contra decem diſtincta præcepta. Præceptum enim non occidendi Petrum diſtinctum numero eſt à præcepto non occidendi Paulum, omninò impertinens ad præceptum non occidendi Paulum. Vnde præceptum illud, *Non occides*, licèt videatur vnicum, multiplex reuerà eſt virtualiter, tot nempe quot ſunt homines, hoc eſt, non occides Petrum, non occides Paulum, &c. ergo ſi vno phyſico actu vis occidere decem homines, decem præcepta non occidendi franges. Firmant, quia Confeſſarij tenentur huiuſmodi circumſtantias interrogare, tum ad rectè iudicandum de grauitate numerica delicti; tum etiam ad imponendam pœnitentiam proportionatam, quia maior imponenda eſt pro volitione occidendi decem homines, quàm pro volitione occidendi vnum: Si ergo Confeſſarij tenentur interrogare iſtas circumſtantias, & pœnitentes interrogati tenentur ipſas fateri, etiam tenebuntur fateri, quamuis non interrogentur: Et quamuis in iudiciis aliis, in quibus proceditur ad reum damno afficiendum, multa poſſit Iudex interrogare, quæ reus non interrogatus non tenetur fateri, quia nemo tenetur ſponte ſua dicere id propter quod eſt damno afficiendus: at verò in hoc iudicio Pœnitentiæ non proceditur ad reum damno afficiendum, ſed potiùs agitur de reo à peccatis abſoluendo, & præſeruando, quæ eſt magna vtilitas rei. Quare Iudex in vtilitatem rei tenebitur interrogare ea, quæ reus ipſe in vtilitatem ſuam tenetur per ſe loquendo, ſponte ſua dicere. Oppoſitum enim eſſet valdè à ratione alienum.

Ex hac doctrina inferunt, quantitatem rei furto ſublatæ eſſe declarandam; quia actio furandi tot furtis mortalibus, æquiualet quot vicibus multiplicatur illa quantitas, quæ præciſè ſufficit ad peccatum mortale. Vnde ſi ponamus decem regales ſufficere ad peccatum mortale furti, qui centum regales vnica actione furatur, committit peccatum, quod licèt phyſicè ſit vnum numero, eſt in morali æſtimatione decem peccata furti numero diſtincta.

Secundam ſententiam iudico veriorem, ac probabi- 4
liorem, nempe circumſtantias notabiliter aggrauantes intra eandem ſpeciem per ſe non eſſe neceſſariò confitendas. Moueor hoc vnico argumento: quia neceſſitas integritatis Confeſſionis ſolum eſt ex inſtitutione, & iure Chriſti, vt liquet; & eſt certum apud omnes; ſed non conſtat, Chriſtum inſtituiſſe Confeſſionem dictarum circumſtatiarum, vt neceſſariam ad valorem Sacramenti, nec eam præcepiſſet: ergo minimè neceſſarium eſt illas confiteri. Conſequentia euidens eſt, quia abſque fundamento, & magno, non eſt admittenda neceſſitas Confeſſionis tam duræ, & tam difficilis, & tam rigoroſæ, cùm potuerit Chriſtus Sacramentum Confeſſionis inſtituere, & præcipere inſtar iudicij non adeò exacti, & rigoroſi, vt neceſſarium ſit in eo de dictis circumſtantiis iudicare, & eis attentis pœnitentiam imponere, ſed inſtar iudicij ita ſuauis, vt in eo ſufficiat ſpecies, & numerum mortalium confiteri, & eis attentis pœnitentiam imponere. Minor, in qua eſt tota vis argumenti, ſic oſtenditur. quia illud non conſtat, ex Sacra Scriptura, quia in ea nihil tale habetur; neque ex traditione aliqua, quia nulla eſt talis rei traditio: neque ex Patribus, nam Patres nihil in hac parte definiunt: nec ab vllo Concilio ſtatuitur, vel Eccleſiæ definitione: Imò Eccleſia in Tridentino *ſeſſ.14.can.7. & cap.5.* ex Ioan. *cap.20.* Vbi Chriſtus Sacramentum Confeſſionis, inſtituit, ſolùm colligit, & definit neceſſitatem confitendi ſpecies, & numerum mortalium, & circumſtantias ſpeciem mutantes, nulla facta mentione circumſtantiarum aggrauantium intra eandem ſpeciem. Quo ſatis declaratur Tridentinum non fuiſſe perſuaſum neceſſarium eſſe ex ordinatione Chriſti illas *confiteri*; aliàs in re doctrinali, & adeo graui diminutè proceſſiſſet. Imò, cùm Tridentinum agens de neceſſitate confitendi peccata mortalia, & circumſtantias eorum, limitet ſemper poſitiuè ſermonem ad circumſtantias quæ ſpeciem mutant; certè manifeſtè excludit alias, quæ non mutant ſpeciem. Sicut ſi tradens Tridentinum obligationem confitendi peccata, ſemper adderet limitationem, videlicet eſſe obligationem confitendi omnia mortalia, quæ in actum externum prodeunt, poſitiuè excluderet obligationem confitendi peccata interna. Nam conſtat in aliis exemplis, limitationem doctrinæ ad vnam partem, tacitè excludere aliam partem ab illa doctrina, Vt verbi gratia, dicendo neminem poſſe ſine ſpeciali priuilegio vitare omnia peccata venialia, eo ipſo ſignificatur cum ſpeciali priuilegio poſſe. Similiter, ſi quis dicat nullum poſſe ſine ſpeciali reuelatione certò ſcire ſe eſſe in gratia, ſignificat cum

Digitized by Google

cum reuelatione poſſe id ſcire. Sicut etiam, ſi quis diceret neminem ſine lumine Dei eleuante poſſe Deum clarè videre, ſignificaret, poſſe cum lumine eleuante. Cùm ergo Tridentinum ex verbis Chriſti, colligat illam limitationem obligationis confitendi mortalia, & circũſtantias quæ mutant ſpeciem, ſanè excludit à tali obligatione alias circumſtantias quæ non mutant ſpeciem. Non igitur eſt lex clarè prolata circa Confeſſionem circumſtantiarum intra eandem ſpeciem: At lex in dubio legis latæ non obligat vt ritè oſtendit cum aliis noſter Thomas Sãchez *lib. 1. in Decalogum, c. 10. n. 32.* & Suarez *tom. 5. in 3. p. diſp. 40 ſect. 5. n. 15.* Firmatur ampliùs Dictum, quia nullum præceptum, præſertim in re difficili obligat, quandiu ſufficienter non conſtat latum eſſe à Legiſlatore, aut ſaltem non eſſe ſufficienter promulgatum: nàm homo poſſidet libertatem, & eo iure priuandus non eſt, quandiu ſufficienter non conſtat; Superiorem cui obedire tenetur, determinare illum ad hanc vel illam partem media ſua lege, aut quandiu illa non eſt ſufficienter promulgata; cùm lex ante promulgationem non obliget: At præceptum confitendi circumſtantias notabiliter aggrauantes intra ſpeciem eandem, non conſtat ſufficienter eſſe latum à Chriſto, vel ab Eccleſia, aut ſaltem non eſſe ſufficienter promulgatum, vt oſtenſum eſt: Igitur non obligat.

5 Dixi in Concluſione illam eſſe veram, *per ſe loquendo*, nam per accidens, grauis poteſt eſſe obligatio declarandi in Confeſſione circumſtantias notabiliter aggrauantes. Vt v.g. ſi furtum eſſet reſeruatum in aliqua determinata quantitate, itavt non niſi Superior; aut alius de expreſſa eius licentia furem eiuſmodi abſoluere poſſet, teneretur pœnitens declarare, an in ea quantitate furtum commiſiſſet; inde enim penderet, an Confeſſarius poſſet illum abſoluere, vel potiùs deberet ad Superiorem recurrere. Pariter etiam ſi furtum eſſet adeò magnum, vt meritò timeri poſſet pœnitentem non habere animum reſtituendi, vel neceſſarium eſſet à Confeſſario ſpecialem aliquam diligentiam adhiberi, vt pœnitens reſtitueret, ſiue differendo abſolutionem, ſiue quidpiam aliud præſtando: tunc enim teneretur pœnitens furti quantitatem explicare: Idem iudico, quando circumſtantia durationis, aut intentionis peccati adeò ingens eſſet vt ſpeciale aliquod remedium foret neceſſarium, nec niſi à Confeſſario adhiberi poſſet, aut deberet Addo, Eccleſiam poſſe reſeruare peccata mortalia ratione circumſtãtiæ alicuius, quæ non aggrauat notabiliter intra eandem ſpeciem. Imò de facto id præſtitit, quia furtum de bonis naufragorum habet excommunicationem reſeruatam; cùm tamen circumſtantia illa naufragij præcedentis non aggrauet notabiliter, nec eſſet exprimenda ſi non acceſſiſſet reſeruatio Eccleſiæ.

6 Ex prædicta concluſione colligo *primò*, manifeſtũ diſcrimẽ inter circumſtantias mutãtes ſpeciem, & circumſtantias intra eandẽ ſpeciem: nam circumſtantia mutans ſpeciem, conſtituit aliud genus peccati, quod declarari non poteſt, ſolùm declarato primo, & ideò ex obligatione, quam pœnitens habet declarandi omnia peccata mortalia, euidenter infertur teneri ad declarandas circumſtantias, quæ mutant ſpeciem. At circumſtantia ſolùm aggrauans intra eandẽ ſpeciem, licèt addat maiorem malitiam, ea declaratur abſolutè quoad ſuam rationem eſſentialem declarato, & ideò non eſt obligatio illam in particulari declarandi. Vnde qui voto paupertatis obſtrictus furatus eſt graue furtum, tenetur vtrumque explicare, vt inde conſtet Confeſſario non ſolùm peccatum iniuſtitiæ, ſed etiam culpa ſacrilegij, quæ eſt ſpecie diuerſa. At qui furatus eſſet mille, ſi confiteatur ſe commiſiſſe graue furtum, reuera declarat peccatum quoad eſſentialem, & indiuidualem aliquam rationem, nec conſtituit peccatum numero diſtinctum.

Colligo *ſecundò*, ex inſtitutione Chriſti rectè colligi obligationem explicandi numerum peccatorum, ob quam etiam id præcipit Tridentinum *c. 5. cit.* non verò explicandi circumſtantias notabiliter aggrauantes. Ratio eſt, quia ex inſtitutione huius Sacramenti colligitur non ſolùm, quod debeat explicari peccatum commiſſum, ſed etiam quòd debeat dici vt certum quod certum eſt, & vt dubium quod eſt dubium, vt conſtat ex dictis ſuprà in hoc tractatu, *diſp. 6.* Quòd ſi non explicetur numerus peccatorum, non explicantur vt certa aliqua ex illis: nam qui dicit, Ego commiſi furta, ſolùm declarat certò ſe commiſiſſe duo, vel tria, reliqua verò non explicat certò, nec Confeſſarius facit iudicium certum de illis, ſed dubium; nam ſolùm iudicat fuiſſe duo vel tria; Vnde quartum furtum, & alia vlteriora non proponuntur certò, quod eſt contra rationem huius iudicij, in quo ſingula peccata debent dici certò, ſi ſunt certa. At verò non explicatâ quantitate furti, nullum peccatum manet, quod non explicetur certò; nam totum illud furtum mille aureorum, v.g. eſt vnum & idem peccatum, quod licèt non explicetur quoad totam ſuam indiuiduationem; illud tamen reuera explicatur quoad ſuam ſpeciem, & quidditatem, atque ideò pœnitens dicit certò ſe commiſiſſe illud peccatum graue, nec celat aliquod peccatum à ſe commiſſum. Vnde ſatisfacit toti præcepto confitendi omnia peccata, cui præcepto non ſatisfacit, quando non explicat numerum peccatorum. 7

Colligo *tertiò*, Confeſſarium non poſſe iudicare de grauitate criminis confeſſi, niſi explicentur ſpecies criminis; benè tamen etſi non explicentur circumſtantiæ aggrauantes. Patet, quia ſine harum explicatione, cognita ſpecie peccati mortalis, iam cognoſcitur grauitas eius ſpecifica, & eſſentialis, licèt non cognoſcatur diſtinctè tota grauitas indiuidualis, ſi autem ſpecies non explicetur, iam ignorabitur eius peccati grauitas; quia ſicut ignorata ſpecie ignoratur ſimpliciter peccatum, ſic ignoratur ſimpliciter eius grauitas. 8

Colligo *quartò*, eſſe neceſſitatem confitendi, & explicandi ſpecies peccatorum, vt poſſit ſeruari æquitas moralis à Confeſſario in pœnitentiis imponendis pro peccatis; non verò ad id eſſe neceſſitatem explicandi ex ſe alias circumſtantias aggrauantes. Ratio eſt, quia ſi ſpecies peccati ignoratur, nulla poteſt æquitas ſeruari in pœnitentia imponenda; ſi enim quis dicat ſolùm ſe peccaſſe mortaliter, non poteſt niſi cæco modo pœnitentia imponi. Si autem dicat ſe habuiſſe ter vel quater odium proximi, iam poteſt ei pœnitentia proportionata imponi, licèt non explicet intentionem odij. Vnde cognitio malitiæ ſpecificæ neceſſariò deſeruit ad variandum iudicium circa pœnitentiam imponendam, non verò circumſtantiæ aggrauantis cognitio: nam raro variatur iudicium propter maiorem intenſionem, aut durationem actus: niſi per accidens in eo caſu in quo duratio fuiſſet diuturna; tunc enim erit explicanda propter numerum peccatorum quæ in illa diuturna duratione ſolent euenire. 9

Ad argumenta primæ ſententiæ. Ad primum, dico rationes illas non æque probare de vtriſque circumſtantiis: nam ſi æquè probarent, Concilium non limitaſſet illam doctrinam ad circumſtantias quæ mutant ſpeciem. Oritur autem hæc inæqualitas ex eo, quòd abſque explicatione circumſtantiæ non mutantis ſpeciem, verè & propriè declaratur peccatum; nam quidditas peccati ſumitur ex ratione ſpecifica ipſius, quæ declaratur, explicando ſpeciem Alia verò quæ in illo argumento dicuntur, iã manent ſoluta ex dictis ſup. *n. 6. 7. 8. & 9.* 10

Ad ſecundum, dico obligationem explicandi numerum non eſſe præciſè vt explicetur maior grauitas, ſed vt manifeſtentur omnia peccata certò, & non in dubio, prout heret, ſi ſolùm proferretur aliquis numerus in confuſo; 11

confuſo: quæ non militat in circumſtantiis intra eandem ſpeciem, niſi per accidens in illis exemplis diuturnæ durationis, & intenſionis, vt dixi ſuprà *num.* 5.

12 Ad tertium, reſpondeo nunquam eſſe licitum mentiri in Confeſſione, & interdum, vt iam ſuprà dixi, accidere poſſe vt pœnitens eas circunſtantias confiteri teneatur. Vnde ſi Confeſſarius interroget ex cauſa rationabili, & ad Confeſſionem neceſſaria, non dubium eſt, quin pœnitens omninò teneatur veritatem aperire. Si verò ſupponamus, vt accidere poteſt, non eſſe ſpecialem neceſſitatem declarandi circunſtantias aggrauantes, etiamſi Confeſſarius eas interroget, non ideò pœnitens declarare tenebitur; quia Confeſſarius non poteſt illum obligare ad id, quod non eſt neceſſarium ad Confeſſionem. Vnde reſpondere poterit; vt optimè notat Henriquez *lib.* 2. *de pœnitentia*, *cap.* 7. *§.* 6. ſe iam declaraſſe quod ſufficit, nec opus eſſe quid ampliùs interrogare, quia ex Doctoribus, & ratione nouit ſe ad nihil ampliùs teneri: tunc verò Confeſſarius ei ſe debet accommodare.

13 Ad quartum, multa proponit Cardinalis Lugo, quæ ſunt indaganda, ſed ea omitto, quia ſunt alterius loci. Itaque ſolùm dico velle occidere plures homines, in genere moris, eſſe multiplex numero peccatum; quia cùm occiſio ex ſua ratione non tendat ad multos, ſed ad vnum; pro multiplicitate hominum quos quis vult occidere multiplicatur moraliter peccatum, & ideò neceſſe eſt id declarare in Confeſſione; non quia circumſtantia eſt, ſed quia ad numerum peccatorum pertinet. Vt rectè docet Vaſquez *quæſt.* 91. *articul.* 1. *dubio* 4. cum Adriano, & Nauarro. Et placet mihi cum illo concedere in eodem numero actu plura numero diſtincta peccata, nec neceſſariò continuari malitiam vt fiat vna numero, ſi actus ille ex multiplici reſpectu malus eſt, vt cùm coniugatus cum coniugata ex duplici capite peccat; & cùm aliquis vno ictu plures occidit, & in vno actu pluries peccare decernit.

Ratio eſt, quia malitia actus conſiſtit in contrarietate ad virtutem, & cùm actus dicat ordinem ad plura obiecta, ex quorum vnoquoque per ſe prouenit contrarietas ad virtutem, concedendũ eſt eſſe plures malitias numero diſtinctas, & ita plura peccata. Hoc autem inuenitur tantùm, quoties circumſtantia talis eſt, vt ipſa per ſe nullo alio ſuppoſito faceret peccatum, vt in exemplis dictis conſtat: in illis verò circumſtãtiis, quæ vt augeant malitiam, neceſſariò ſupponunt actum iam conſtitutum in eſſe mali, id non contingit, vt ſunt intenſio in actu, duratio, magnitudo in obiecto. Vnde in furto hoc non reperitur, etiamſi furtum fuerit idem alicuius rei, quæ eſſet duorum, vel trium hominum; eſt enim vna numero malitia, quia vnitas malitiæ eſt in vno reſpectu contra rationem, vnus verò reſpectus malitiæ ex vno damno conſideratur: quod enim plures illud patiantur non multiplicat reſpectum, vt ſit duplex furtum. At reſpectus malitiæ duplex eſt, ſi quis eodem verbo læderet famam, & honorem duorum, veluti ſi occideret vno actu duos homines, quia reuera detrimentum honoris eſt duplex, & non eſt vnum; ſicut in furto rei alterius eſt vnum tantùm damnum. Quare diffamatio duarum perſonarum cauſat duas læſiones famæ, quæ non continuantur inter ſe ad componendam vnam læſionem, ſicut componuntur, vel cõtinuantur inter ſe plura partialia damna ad componendum vnũ integrum damnum.

14 Hanc doctrinam impugnat Cardinalis Lugo loco ſuprà citato, *num.* 117. Quia non facilè explicatur, cur ſingulæ partes pecuniæ furtiuæ non multiplicent malitias in peccato furti; ſicut diſtincti homines, quos aliquis vult occidere, refundunt diuerſas malitias in volitionem. Nec ratio adducta à Vaſquez id probat, quia illa voluntas, & actio furandi centum aureos, etiam dicit ordinem ad plura obiecta, ex quorum vnoquoque per ſe prouenit contrarietas ad virtutem Iuſtitiæ: quilibet enim aureus, & eius ablatio opponitur virtuti Iuſtitiæ per ſe: ergo debent etiam multiplicari malitiæ. Præterea quod dicit Vaſquez in furto rei magnæ, circumſtantiam magnitudinis ſupponere iam conſtitutam actionem in eſſe mali, ſolúmque augere eandem malitiam, impugnat Cardinalis Lugo dicens, hanc rationem procedere quoque in exemplo homicidij, nam multitudo interfectorum ſupponit etiam actionem conſtitutam in genere homicidij, atque ideò illam circumſtantiam ſolum augere, non multiplicare malitiam. Firmat, nam ſicut mors vnius eſt diuerſa ſecundùm ſe à morte alterius; ſic ablatio, vel carentia vnius aurei, quæ cauſatur per illud furtum, eſt diuerſa à carentia alterius, & independens ab illa: nec vna ſupponit aliã poſſunt enim omnes aurei ſimul in eadem burſa ſurripi ſine prioritate vlla: ergo nulla ex illis malitiis ſupponit aliam, nec actum conſtitutum in eſſe mali. Vltimò idẽ vrget, quia ſi iuxta multitudinem perſonarum quæ læduntur, multiplicantur peccata in actione eadem, ſequitur in eo qui haberet velleitatem peccaminoſam occidendi infinitos homines, debere multiplicari infinitas malitias in eo actu, & per conſequens ille homo committeret infinita peccata, quod admitti non poteſt.

His tamen non obſtantibus, perſiſto ſemper in do- 15
ctrina tradita P. Vaſquez, quæ mihi videtur vera. Nam inprimis, quis non videat in occiſione duorum hominũ, v. g. peccari contra plura iura diuerſa: nam ſinguli homines habent ius ad ſuam vitam, & ſicut mors vnius eſt diuerſa ſecundùm ſe à morte alterius, ſic vita vnius diuerſa eſt à vita alterius: ergo & iura ad illas vitas diuerſa ſunt, ergo in vno & eodem ictu, vel volitione occidendi duos homines, ſunt plures malitiæ numero diſtinctæ & peccata; nec poteſt continuari ex illis vna numero malitia, vel culpa; Si enim volitio occidendi vnum hominem eſt vnicum homicidium, cur vna volitio occidendi duos non erit in morali æſtimatione homicidium duplex? Nam in ordine ad mores, quod per ſe conſideratur, eſt, quot homines volueris occidere, an ſcilicet duos, vel tres; tametſi eos volueris occidere vnico actu interno. Hoc autem non reperitur in furto duorum, vel trium aureorum, in quo eſt vna numero malitia ratione reſpectus ad vnum damnum. Et quamuis hoc damnum componatur ex multis partialibus damnis, facit vnum integrum damnum; ſicut tria vulnera eidem perſonæ vna voluntate, vel vno ictu illata, faciunt vnum & integrum damnum vitæ, nempe homicidium reſultans ex tribus vulneribus; atque ideò eſt vna, & indiuidua malitia homicidij. Falſum verò eſt, multitudinem interfectorum ſupponere actionem conſtitutam in genere homicidij, ac proinde multitudinem illam ſolùm augere vt circumſtantiam, non verò multiplicare malitiam. Quia vnitas malitiæ vel multiplicitas ſumitur ex vno, vel multiplici reſpectu contra rationem; at in multitudine interfectorum reſpectus malitiæ multiplex eſt, quia eſt occiſio vitarum multiplicium: Igitur multitudo interfectorum non ſupponit actionem conſtitutam in genere homicidij, ſed illa malitia in eſſe moris multiplicatur iuxta numerum interfectorum. Neque inde ſequitur, in eo qui haberet voluntatem peccaminoſam occidendi infinitos homines, debere multiplicari infinitas malitias in eo actu. Nam ſimile argumentum ſoluendum eſt ab omnibus in Chriſti Domini cognitione beata, qua videt in Verbo infinitas creaturas; non enim inde ſequitur eſſe infinitam viſionem; ſicut neque hæc requiritur ad diuinam eſſentiam clarè videndam, cuius infinitas maior eſt, & ſuperior infinitè ipſa multitudine infinita creaturarum;

ſed

Digitized by Google

ſed ſolùm eſſe perfectiſſimam cognitionem: ſicut etiam qui odio habet Deum infinitum bonũ, non habet infinitam malitiam, quamuis reſpiciat obiectũ infinitè bonum, & ab eo malitiam ſumat: ita pariter illa volitio occidendi infinitos homines non haberet infinitas malitias, nec eſſent infinita peccata, ſed in morali æſtimatione æquiualeret, imò & in eſſe moris excederet in malitia voluntatem occidendi multitudinem finitam hominum.

6 Ad quartum de inceſtu, breuiter dico, probabile quod docet Diana *tract. de circumſtantiis aggrauantibus reſolut.* 31. diuerſitatem graduum non facere diuerſitatem ſpecificam in inceſtu, atque adeò eſſe circumſtantiam aggrauantem & conſequenter non eſſe in Confeſſione neceſſariò explicandam, ſed ſolam malitiam inceſtus, etiamſi ſit cum filia, vel ſorore. Alij verò ſentiunt, gradus conſanguinitatis & affinitatis afferre diuerſitatem ſpecificam; vnde ſecundum hanc ſententiam neceſſariò debent in Confeſſione explicari. De qua re infrà latè *diſputatione ſequenti, ſect. quinta, & ſexta.*

7 Ad vltimum, admitto eam antiquitus fuiſſe in Eccleſia conſuetudinem, vt Confeſſarij ſummo rigore iniungerent pœnitentibus ſatisfactiones, habita ratione circumſtantiarum aggrauantium, non tamen id factum fuiſſe ex præcepto Eccleſiæ iudicantis id eſſe de neceſſitate huius Sacramenti; hoc enim falſum eſt: nam huiuſmodi ſatisfactiones imponi ſolebant feruente adhuc primitiua Charitate, vt perfectiùs fieret pœnitentia.

Ad ſecundam ſententiam iam dixi, & iudicaui eſſe veriorem, quam ingenuè amplexi ſumus.

Ad ſententiam mediam, dico eius doctrinam nobis quoque fauere, vt conſtat præcipuè ex *num.* 13. vbi oſtendi velle occidere plures homines vnica volitione, eſſe in genere moris multiplex peccatum æquiualenter. Solùm diſplicet quod addit; ſcilicet quando grauitas peccati augetur ex quantitate materiæ, vt cùm quis vnica volitione furatur centum regales, teneri totam hanc quantitatem in Confeſſione declarare; nam oppoſitum ſuprà oſtenſum eſt *num.* 7. & 13.

SECTIO IV.

An Circumſtantiæ notabiliter minuentes ſint neceſſariò confitendæ?

1 Certum eſt *primò*, apud omnes Doctores, circumſtantias minuentes, quæ ita minuunt peccatum, vt ſpeciem illius mutent, vel de mortali faciant veniale, neceſſariò eſſe confitendas. Patet ex ſuperioribus, & Tridentino dicente omnes circumſtantias mutantes ſpeciem, eſſe in Confeſſione aperiendas, & circumſtantias quæ de veniali faciunt mortale, quia eſt etiam de Fide omnia mortalia eſſe neceſſariò confitenda: erga circumſtantiæ, quæ ita minuunt peccatum, vt tollant omnem malitiam, aut ſpeciem malitiæ, aut quòd ſint culpæ mortales, neceſſariò erunt in Confeſſione aperiendæ. Et ratio eſt, quia ſi tales circumſtantiæ taceantur, grauiter decipitur Iudex in hac cauſa Confeſſionis, & ei falſum dicitur in re graui; tenetúrque pœnitens ex diuino præcepto integritatis Confeſſionis, ita clarè, & diſtinctè loqui, vt non det Confeſſario occaſionem deceptionis in re tam graui. Exemplis res ipſa declaratur: Nam quatuor modis poteſt contingere mutatio prædicta ſpeciei ex circumſtantiis minuentibus. *Primò,* ſi quis occidat hominem in ſuam iuſtam defenſionem ſeruato moderamine inculpatæ tutelæ; tunc enim tametſi poſſit facere pœnitens huiuſmodi homicidium, certus ſit, ſe prædictum moderamen non exceſſiſſe; ſi tamen illud voluerit confiteri, tenetur dicere in Confeſſione hanc circumſtantiam minuentem; quia ita minuit, vt mutet ſpeciem actus in actum bonum: nam ſi hanc circumſtantiam iuſtæ defenſionis in Confeſſione non declarauerit, poterit Confeſſarius exiſtimare, illum commiſiſſe peccatum mortale, cùm tamen reuera commiſſum non ſit. *Secundò,* ſi ea circumſtantia talis eſt, vt ex mortali faciat veniale, etiam neceſſariò declaranda eſt: verbi gratia, ſi peccatum fuit commiſſum ex motu primò primo, & ex ſurreptione animi abſque plena deliberatione, aut ſi cui inter dormiendum ſemiſomno, & nulla præcedente, nec ſubſequente mala cogitatione; pollutio contingat. *Tertiò,* ſi circumſtantia mortalis tollat vnam malitiam mortalem, & aliam relinquat, neceſſariò explicanda erit pœnitenti illa circumſtantia tollens prædictam malitiam, ſi illam voluerit confiteri; poterit tamen tacere, ſi illam in Confeſſione explicare noluerit, Vt verbi gratia, ſi quis occidat Clericum, aut parentem, ignorans eſſe Clericum, aut parentem, aut cognouit fœminam coniugatam, putans eſſe ſolutam, aut conſanguineam, vel affinem, ignorans eſſe cognatam, vel affinem; ſatis eſt confiteri quòd hominem occiderit, aut cognouerit ſolutam: nam ſi voluerit explicare circumſtantiam ſacrilegij, adulterij, inceſtus, aut affinitatis, tenetur explicare circumſtantiam ignorantiæ, quia huiuſmodi circumſtantia tollit vnam malitiam, & relinquit aliam; tollit enim malitiam ſacrilegij, adulterij, inceſtus, & affinitatis, & relinquit malitiam intemperantiæ. *Quartò,* ſi homo intendat occidere bouem alicuius hominis, & per ignorantiam inculpabilem occidat dominum illius, tenetur explicare iſtam circumſtantiam minuentem, quia tunc non eſt homicidium formale, ſed furtum, aut damnum. Quia vnuſquiſque tenetur confiteri, quod fecit, non autem quod non fecit; ille autem vere & coram Deo fuit fur, & non homicida; id ergo explicare tenetur.

Secundò, videtur certum, quod ab omnibus ferè Doctoribus defenditur, illas circumſtantias quæ non ita notabiliter minuunt peccatum intra eandem ſpeciem, nec tollunt culpam mortalem non eſſe neceſſariò confitendas. Vnde non tenetur pœnitens dicere, ſe peccaſſe, quia fuit prouocatus à fœmina, aut acceptaſſe duellum ob eandem prouocationem, & ſimilia. Ratio eſt, quia prædicta diminutio tanta non eſt, nec tollit rationem peccati mortalis, & malitiam illius, vnde non eſt ſufficiens ad multùm variandum morale iudicium Confeſſarij: nam actus peccati ſimpliciter dictus in Confeſſione indicat quendam ordinarium modum peccandi, in quo poteſt eſſe aliqua latitudo, in qua includitur omnis modus peccandi cum quacumque ex his circumſtantiis, & ideò licitum eſt Confeſſario totum illum modum appehendere, & ſecundùm illum iudicare. 2

Quæſtio igitur ſolùm eſt, an teneantur pœnitentes dicere in Confeſſione circumſtantias notabiliter minuentes peccatum mortale. 3

Affirmant multi, ſecuti Sotum *in* 4. *d.* 18. *quæſt.* 2. *artic.* 4. *concluſ.* 5. maximè qui tenent debere explicari circumſtantias notabiliter aggrauantes intra eandem ſpeciem. Probant *primò,* ob paritatem rationis: Nam in hoc iudicio Confeſſionis Sacramentalis, ſicut non poſſumus minuere delictum, ita nec augere ſupra veritatem: ergo ſicut illud obligat ad non tacendam circumſtantiam notabiliter aggrauantem, ne peccatum appareat minus, ſic hoc obligabit ad non tacendam circumſtantiam alleuiantem, vel minuentem, ne peccatum appareat grauius.

Secundò, quia aliàs pœnitens ſuam famam prodigeret apud Confeſſarium.

4 Dico *primò*, verius mihi videri non inueniri circumſtantias notabiliter minuentes, quæ nimirùm peccatum mortale notabiliter minuant intra eandem materiam mortalem. Ita Fagundez in 2. *Eccleſiæ precepto lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 15. Moueor cum illo ad id aſſerendum, quia circumſtantiæ notabiliter minuentes, vel ita minuunt vt tollant omninò omnem malitiam peccati, vel de mortali faciunt veniale, vel tollunt vnam malitiam & relinquunt aliam, vt vidimus in exemplis allatis *numero primo*, & has omnes iam diximus eſſe neceſſariò confitendas, quia propriè loquendo non ſunt circunſtantiæ notabiliter minuentes intra eandem ſpeciem; ſed ſunt circunſtantiæ quæ minuunt variando ſpeciem. Præter dictas autem circunſtantias, quæ minuunt variando ſpeciem, non dantur aliæ minuentes notabiliter peccatum mortale intra eandem materiam mortalem: ergo.

Dices, dari alias circunſtantias quæ efficiunt, vt peccatum circa talem materiam commiſſum minus ſit aliis quæ circa talem materiam committuntur, vt quando quis peccatum commiſit magna tentatione victus, vel aliquo timore pœnæ impulſus, aut ex aliqua ignorantia, quæ tamen non excuſent à peccato. *Sed contra eſt*, quia tametſi dentur prædictæ circunſtantiæ minuentes intra eandem ſpeciem; cæterùm non ſunt notabiliter minuentes. Ratio eſt, quia malitiam peccati non ita minuunt, vt notabiliter mutent morale iudicium Confeſſoris, ſicut faciunt circunſtantiæ notabiliter aggrauantes. Vnde rectè docuit Suarez *diſp.* 22. *ſect.* 3. *num.* 16. agens de circumſtantiis minuentibus; quando diminutio tanta non eſt, vt impediat malitiam moralem in tali ſpecie, non eſſe circunſtantiam notabiliter minuentem, aut ſufficientem ad multum variandum iudicium morale Confeſſoris: reddit rationem, quia actus peccati ſimpliciter dictus, indicat quendam ordinarium modum peccandi, in quo poteſt eſſe aliqua latitudo, in qua includitur omnis modus peccandi cum quacumque ex his circunſtantiis minuentibus; & ideò licitum eſt Confeſſori totum illum modum apprehendere, & ſecundùm illum iudicare. Ex quo infero magnam differentiam inter circumſtantias minuentes, & aggrauantes; quia aggrauantes extrahunt actum ab ordinario modo peccandi, & ideò dicuntur notabiliter aggrauantes: minuentes autem non extrahunt, & poſſunt licitè à Confeſſario cogitari; prout ex aliis coniecturis potuerit prudenter ſuſpicari, ac proinde non ſunt, nec dicuntur notabiliter minuentes.

5 Hinc dico *ſecundò*, nullas circumſtantias minuentes intra eandem ſpeciem, eſſe neceſſariò in Confeſſione declarandas. Id communiter docent Doctores, & probat vſus Fidelium, qui non iudicant teneri eas circunſtantias aperire; atque ideò eas non declarant, neque etiam eſt in vſu de illis interrogare. Et patet quia oſtenſum eſt, nullas dari circunſtantias notabiliter minuentes intra eandem ſpeciem. Prætereà etiamſi tales admitterentur, cùm in noſtra ſententia circumſtantiæ etiam notabiliter aggrauantes non ſint neceſſariò in Confeſſione aperiendæ, conſequenter nec notabiliter minuentes, cùm par ſit vtrobique ratio. Et rationes quas *precedenti ſectione* fecimus de circumſtantiis aggrauantibus, hîc potiori iure applicandæ ſunt.

6 Ex quo liquet ſolutio ad primum argumentum contrariæ ſententiæ affirmantis.

Ad ſecundum reſpondeo, illam infamationem nullius eſſe momenti, nec pœnitentem teneri eam curare. Nam ſi aliquod incommodum inde ſequeretur in iudicio Confeſſionis, totum cederet in grauamen ipſius pœnitentis; ipſe autem poteſt cedere iuri ſuo, & id præſtare vt vtile ad maiorem ſatisfactionem.

DISPVTATIO XXVIII.

De prima Circumſtantia, Quis, neceſſariò in Confeſſione aperienda ad illius integritatem.

EXplicatis in genere peccatorũ circumſtantiis in Confeſſione aperiendis, operæ pretium duximus de Circumſtantiis in particulari declarandis copiosè diſſerere, vt facillimè diſſoluantur quamplurima dubia practica, quæ circa illas ſolent occurrere, & ipſa integritas Confeſſionis maneat exactè tractata. Solent communiter à Doctoribus numerari ſeptem Circunſtantiæ, ad quas aliæ reducuntur, hoc verſu comprehenſæ.

Quis, Quid, Vbi, Quibus auxiliis, Cur, Quomodo, Quando.

Prima omnium circumſtantia, eſt, *Quis*, hoc eſt, qualis ſit perſona pœnitentis, non quando confitetur, ſed quando peccatum commiſit. De qua ſolùm in hac diſputatione agemus. Et circa illam multa dubitari ſolent, tractabo præcipua, & magis difficilia.

SECTIO PRIMA.

An Religioſus peccans contra votum Caſtitatis, ſtatum religioſum debeat explicare præter circumſtantiam voti.

CErtum eſt *primò*, debere explicare circumſtantiam 1
voti Caſtitatis, quia hoc votum Caſtitatis transfert ad aliam ſpeciem peccati contra Religionem; atque ideò vltra peccatum contra Caſtitatem, virtuti Temperantiæ aduerſam, delinquit in Religionem violans Caſtitatis votum.

Certum eſt *ſecundo*. Religioſum qui ſemel factum à 2
ſe votum Caſtitatis repetit millies, non teneri in Confeſſione voti ſæpius repetiti mentionem facere. Ratio eſt, quia omnia illa vota eodem prorſus modo ad vnam Religionis ſpeciem pertinent: ſicut qui multa conficit inſtrumenta eiuſdem obligationis, cum eiſdem hypothecis, non plus aſtringitur quàm vnico confecto inſtrumento.

Tertiò certum mihi videtur, ſi Religioſus habens vo- 3
tum caſtitatis, iureiurando ſe aſtringat ad illam, teneri non ſolùm explicare votum, ſed etiam iuramentũ. Quia ſunt iſta duo vincula diuerſæ rationis, & diuerſa ratione pertinent ad Religionis virtutem, nimirùm, votum ob fidem datam Deo ſeruandam; iuramentum autem, ne Deus adducatur in teſtem falsò.

Difficultas præcipua eſt, an Religioſus fornicans de- 4
beat ſtatũ religioſum explicare. Noſter Card. Lugo *diſp.* 16. *ſect.* 4. *n.* 147. & 148. ſtando in ratione verius putat, quòd Religioſus non ſatisfacit niſi explicet ſtatum religioſum quem habet. Probat, quia ibi eſt diuerſitas ſpecifica declaranda à Religioſo. Probat quia Religioſus per vota non ſolùm ſe obligauit Deo, ſed etiam ipſi Religioni, cui ſe dicauit, & donauit: ergo ſicut coniux fornicarius peccat non ſolùm contra caſtitatem, ſed etiam contra coniugem, cui per Matrimonium dedit dominium ſui corporis, quæ eſt malitia ſpecifica adulterij

Digitized by Google

adulterij neceſſariò explicanda; ſic Religioſus, qui dedit dominium, non ſolùm ſuæ voluntatis per obedientiam, & fortunarum per paupertatem; ſed etiam corporis per caſtitatem Religioni, cui ſe per vota mancipauit, peccat non ſolùm contra votum caſtitatis, ſed etiam contra Religionem, cui ſui corporis dominium tradiderat; vnde videtur aliqualem adulterij maculam contrahere, violando fidem datam Religioni: ergo debet hanc Religioſi ſtatus circumſtantiam explicare. Addit Cardinalis hoc eſſe verum, ſiue in ſtatu religioſo vota ſolemnia emiſerit, ſiue ſolùm ſimplicia, vt in Religione Societatis Ieſu plures emittunt, quia per vtraque vota conſtituitur in ſtatu religioſo, & ſe Religioni mancipat, & conſecrat: ergo quolibet voto ligatus violat Religionis ius. Firmatur hæc ſententia, nam res vni tradita nequit alteri validè donari, vel ſaltem ſine iniuria domini cui res donata eſt: ergo Religioſus donatus Deo per votum caſtitatis, habens traditionem annexam Religioni cui ſe dicauit, iniuriam illi facit fornicando: ergo non ſatisfacit in Confeſſione niſi explicet circumſtantiam ſtatus religioſi.

5 Contrariam ſententiam, quam modò omnes iudicant probabilem eſſe, & ipſe Cardinalis Lugo affirmat eſſe probabiliſſimam, ac tutam, tenent graues Doctores, inter quos Thomas Sanchez *libr. 7. de matrimonio diſput. 17. num. 17.* Atque eam vt veriorem defendo, etiam in ratione ſtando. Iuxta quam;

Dico Religioſum fornicantem non obligari ad explicandum in Confeſſione ſtatum religioſum, ſed ſatisfacere, ſi dicat, ſe emiſiſſe votum caſtitatis. Ita Caietanus, Nauarrus, & Henriquez infrà, *num. ſequenti* citandi. Moueor, quia ſtatus religioſus nullam aliam peculiarem obligationem affert ad caſtitatem ſeruandam, quàm eam quæ conſurgit ex voto emiſſo caſtitatis: ergo nulla peculiaris malitia inuenitur quàm contra votum; ergo id ſolùm eſt ſpecialiter exprimendum, & non Religioſus ſtatus. Vtraque Conſequentia optima eſt. Antecedens probatur ſimul, ac explicatur. Nam in ſtatus religioſi vinculo duo ſolùm interueniunt: *Primum* tria vota, eaque perpetua Caſtitatis, Paupertatis, & Obedientiæ, vt conſtat. *Secundum* præter hæc tria vota, traditio ſeu donatio, quam Religioſus de ſe ipſo facit, cum acceptatione Prælati nomine Religionis, vt etiam eſt certum. Hæc autem duo, tametſi moraliter coniungantur ad ipſum ſtatum religioſum componendum, reuera tamen ſunt reipſa diſtincta; quia votum, v. g. caſtitatis, (idem eſt de aliis,) non eſt in ſe donatio, ſed promiſſio pura abſque vlla traditione; nam vouens ſimpliciter caſtitatem, nihil aliud intendit quam promittere; & actus, & effectus non excedit intentionem agentis: donatio autem ſui quam Religioni religioſus facit, nec eſt materia voti caſtitatis, neque habet pro obiecto & materia corpus proprium in ordine ad caſtitatem ſeruandam, ſed in ordine ad obſequium & ſubiectionem Religionis & ad varia eius munia, ac officia, vt liquet. Igitur ſtatus religioſus nullam aliam peculiarem obligationem affert ad ſeruandam caſtitatem, quàm eam quæ conſurgit ex voto emiſſo caſtitatis: ergo id ſolum exprimendum eſt in Confeſſione, & non ſtatus religioſus. Vnde falſum eſt, aliqualem adulterij maculam contrahi, violando fidem datam Religioni, cùm Religioſus fornicatur; opponitur quidem ea fornicatio promiſſioni Deo exhibitæ per votum caſtitatis, ſed non traditioni, quæ non eſt niſi in ordine ad ſubiectionem, & obſequium Religionis: ſicut ſeruus fornicans non peccat contra ſeruitutem, & ſubiectionem debitam domino ſuo, ſed contra caſtitatem, vel temperantiam, & ſi emiſerit votum caſtitatis, peccat quoque contra Religionem, & debet hanc circumſtantiam in Confeſſione declarare, non verò ſuam ſeruitutem, vt eſt per ſe votum.

Verum eſt, ſtatum religioſum eſſe longè perfectiorem ſtatu ſeculari: ergo ratione ſtatus augetur malitia. 6
Sed contrà eſt, quia tametſi ea circumſtantia aliquantùm culpam augeat, ſicut auget, fornicantem eſſe ſanctiorem, aut doctiorem, aut maximis Dei beneficiis affectum, at id augmentum non eſt adeò notabile vt circumſtantiam neceſſariò fatendam conſtituat. Vt docet Caietanus 1. 2. q. 7. a. 1. paulò poſt principium: Nauarrus *c. Conſideret, in principio, n. 50. de pœnit. diſt. 5.* & *in ſumma c. 6.* Hiſpanè *n. 11.* Latinè *n. 13.* & Henriquez *lib. 3. de pœnit. c. 5. n. 6. in commento, litera G.* Et ratio eſt, quia ſtatus religioſus nullam aliam obligationem ad caſtitatem habet, quàm ratione voti annexi Ordini ſacro, neque etiam eſt circumſtantia notabilis aggrauans; & licet eſſet, in noſtra ſententia, quæ eſt etiã Cardinalis Lugo, circũſtantiæ notabiliter aggrauãtes, ſi non variant ſpeciem, non ſunt neceſſariò in Confeſſione aperiendæ. Quare quiuis Religioſus, ſiue profeſſus, ſiue ſolis votis ſimplicibus ligatus in Religione Societatis Ieſu, ſi fornicetur, non tenetur ſe Religioſum eſſe explicare, ſed ſatis eſt ſi votum caſtitatis explicet.

Ex his conſtat ſolutio ad rationem Cardinalis Lugo. Ad confirmationem, verum eſt rem vni traditam non poſſe alteri validè donari, vel ſaltem abſque iniuria domini, cui res donata eſt: falſum tamen eſt, Religioſum donari Deo per votum caſtitatis, præciſè loquendo: quia vt *ſupra* dictum eſt, tametſi ſtatus religioſus includat donationem, vel traditionem ſuæ perſonæ ad ſubiectionem, & ad præſtanda varia munia, & officia in Religione, id tamen formaliter loquendo, non præſtat per votum caſtitatis præciſe; nam per tale votum non ſe tradit, ſed promittit Deo ſeruare caſtitatem, quia tale votum non eſt in ſe donatio, ſed promiſſio pura abſque vlla donatione, vel traditione: traditio verò Religioſi eſt per aliam ſpecialem obligationem re diſtinctam à voto. Vnde egregiè noſter Franciſcus Suarez *tom. 2. de religione, lib. 2. cap. 4.* oſtendit ad proprium vinculum religioſi ſtatus, quando in Communitate religioſa aſſumitur, præter tria vota Caſtitatis, Paupertatis, & Obedientiæ immediatè Deo facta, neceſſariam eſſe peculiarem obligationem humanam per modum pacti reciproci, quo & ipſe Religioni ſe donat, & obligatur Religioni, & Religio eius traditionem acceptat, eique viciſſim obligatur ad illum tanquam membrum ſuum alendum, conſeruandum, & iuxta ſuum inſtitutum gubernandum. Et ratio eſt, quia in religioſo ſtatu Religioſus fit membrum vnius corporis myſtici, quod eſt ipſa Religio; id autem fieri non poteſt niſi per mutuam vnitionem inter totum & partem; cùm verò illa vnitio moralis ſit, neceſſariò debet fieri per mutuam obligationem; & quia eſt actualis ac realis vnio, ideò per traditionem actualem, & acceptationem fieri debet. Prætereà ſtatus religioſus petit immobilitatem; ergo & obligationem operum ad illum ſtatum pertinentium, ſicut inter homines, vt quiſpiam ſerui ſtatum adipiſcatur, deſideratur vera obligatio. 7

SECTIO II.

An Sacerdos, qui ſimul profeſſus eſt, fornicans, teneatur vtramque circumſtantiam fateri; an verò ſatisfaciat explicans tantum ſe voto caſtitatis ligatum eſſe?

FAgũdez 2. *Eccleſiæ præcepto lib. 4. c. 3. n. 5.* exiſtimat votũ ſolemne Profeſſionis addere circũſtantiã notabiliter 1

biliter aggrauantem ſupra votum ſolemne,ex ſacris Ordinibus neceſſariò confitendam, ac proinde Sacerdotem profeſſum,ſi fornicetur,non ſatisfacere, dicendo ſe eſſe profeſſum,ſed teneri inſuper explicare ſe habere ſacros Ordines. Vnde infert *primò*, Monialem profeſſam, quæ peccat contra votum caſtitatis, non ſatisfacere,dicendo ſe peccaſſe contra votum caſtitatis,ſed teneri explicare circumſtantiam Profeſſionis; quia ſolemnitas Profeſſionis facit,vt ſit religioſa, & ex ſtatu Religionis reſultat circumſtantia notabiliter aggrauans: nam Religioſus eſt inhabilis ad Matrimonium, & irreuocabiliter ſe Deo per Profeſſionem tradit. Infert *ſecundò*, Sacerdotem ſæcularem, vel quemcumque alium habentem ſacros Ordines,non ſatisfacere in Confeſſione,dicendo, ſe habere votum caſtitatis,ſed teneri declarare, ſe habere ſacros Ordines; quia votum caſtitatis ſacrorum Ordinum, etiamſi non diſtinguatur ſpecie à voto ſimplici caſtitatis,addit tamen circumſtantiam notabiliter aggrauantem ratione diuinorum miniſteriorum,ad quę huiuſmodi perſonę per ſacros Ordines conſecrãtur.

2 In hac re, dico *primò*, profeſſum fornicantem ſatisfacere, ſi dicat ſe votum caſtitatis emiſiſſe. Ita cum aliis Sanchez citatus *præcedenti ſectione*. Ratio eſt, quia vt ſuppono *ex materia de Voto*, votum ſolemne, & ſimplex eiuſdem materiæ non differt per ſe, & eſſentialiter ex ipſius voti natura, & eſſentia, nec iure diuino, ſed ſolùm accidentaliter & extrinſecè,ex ſola Eccleſiæ conſtitutione, decernentis per votum ſolemne dirimi Matrimonium ſubſequens, non autem per votum ſimplex in ſæculo emiſſum. Neque verò Eccleſiam irritaſſe Matrimonium poſteà initum,conſtituit ſemper nouam circumſtantiam neceſſariò fatendam, vt docet Henriquez citatus *ſectione præcedenti*, & Sanchez *libr. 7. de Matrim. diſp. 5. num. 7. & ſequentibus*. Ratio eſt,quia dupliciter interdicit Eccleſia Matrimonium inter aliquos. Primo modo, ob ſpeciale motiuum alicuius virtutis quod ſpectat, idque inuenitur etiam in copula illicita; & tunc cenſetur quoque prohibita ſpecialiter copula illicita, & ita eſt ſpecialis malitia in ea diuerſa ſpecie à ſimplici fornicatione, & neceſſariò in Confeſſione declaranda. Vt ſi quis habeat copulam carnalem cum conſanguinea, vel affine, cum qua nequit Matrimonium contrahere ob impedimentum conſanguinitatis,vel affinitatis,eſt circumſtantia inceſtus,diuerſa ſpecie à ſimplici fornicatione, neceſſariò fatenda in Confeſſione; quia Eccleſia dirimens Matrimonium inter conſanguineos, & affines, ſpectauit obſeruantiam debitam inter illos; atque ideò prohibito Matrimonio inter illos,cenſetur ſubinde prohibita copula, & tranſlata in aliam deformitatis ſpeciem. Secundo modo, Eccleſia interdicit Matrimonium inter aliquos, non ob ſpeciale motiuum, quod reperiatur in copula illicita, ſed in delicti amiſſi pœnam, & ad aliquod præcauendum damnum; & tunc non cenſetur prohibita ſpecialiter copula illicita, & ideò non eſt ſpecialis malitia in ea diuerſa ſpecie à ſimplici fornicatione, nec in Confeſſione neceſſariò fatenda. Vt ſi quis acceſſum habeat cum rapta, liberè tamen conſentiente antequam ad locum tutum reſtituatur, tametſi Matrimonium validum inter illos conſiſtere nequeat, non eſt circunſtantia mutans ſpeciem,neque notabiliter aggrauans,& ideò nec in Confeſſione exprimenda: quia ratio quæ Concilium Tridentinum mouit *ſeſſione 24. de matrimonio, capit. 6*: ad iſtud Matrimonium irritandum, fuit plena libertas raptæ in loco tuto & libero conſtituta, ad præcauenda damna,& in pœnam delicti raptoris commiſſi;quæ tamen libertas in copula illa libera non deſideratur;ideóque ex hac parte, nulla eſt ſpecialis prohibitio copulæ conſtituens diuerſam fornicationis ſpeciem; qualis eſſet ſi copula illa vi extorqueretur. Similiter igitur dicendum eſt de voto ſolemni caſtitatis, tametſi dirimat Matrimonium ſubſequens, quod meritò ab Eccleſia ſtatutum eſt in delicti amiſſi pœnam, & ad præcauenda mala, & illud non dirimat votum ſimplex in ſæculo,non ideò violatio illius affert nouam circunſtantiam fatendam in Confeſſione, quam non afferat violatio ſimplicis voti; quia nimirùm prohibitio vtriuſque violationis tam voti ſolemnis, quam ſimplicis, eſt ſub vno eodémque motiuo ſpecifico virtutis Religionis; idque omninò independenter ex Matrimonij ſubſequentis nullitate. Quare vtriuſque voti eadem eſt natura,& eſſentia,& conſequenter profeſſus fornicans ſatisfacit, ſi dicat in Confeſſione ſe votum caſtitatis emiſiſſe.

Dico *ſecundò*, ſi fornicans ſit Sacerdos, & profeſſus, ſatis fatetur dicens ſe ſacerdotem eſſe, tacita profeſſione; vel eſſe profeſſum tacito Sacerdotio. Ita Sanchez citatus *diſputatione 27. numero 28. 29. & 30*. Ratio eſt,quia vota Ordinis Sacri ſeu Sacerdotij,& Profeſſionis non ſunt diſtinctæ ſpeciei, vnde non variant ſpeciem moralem: ergo non inuenitur in violatione ipſorum diuerſa ſpecie malitia, quia vtraque malitia eſt quòd ſit contra votum: ergo ſatis eſt ſi dicat ſolùm ſe Sacerdotem eſſe, vel profeſſum. Firmatur,nam caſtitas non eſt ex natura rei annexa conſecrationi Sacerdotis, ſed ea ſpeciali ratione obligat ratione voti Ordini ſacro annexi, vt latè oſtendit Sanchez *diſputatione 27. citata, numero 5*. & eſt communis omnium ſenſus: at tota malitia voti Ordinis ſacri violati incluſa eſt in voto ſolemni Profeſſionis violato. Neque enim in ſacro Ordine inſignitis eſt duplex obligatio ad caſtitatem, altera ex voto,altera ex Eccleſiæ præcepto. Nam præceptum Eccleſiæ non eſt immediatè de caſtitate ab initiatis Ordine ſacro vel à Sacerdotibus ſeruanda, ſed de voto caſtitatis emittendo in ſuſceptione Ordinis ſacri, quod vbi emiſſum fuerit, obligat,& ab illo conſurgit ea caſtitatis lex, quæ dicitur mediatè procedere ex Eccleſiæ conſtitutione; non quaſi Eccleſia nouum caſtitatis præceptum ſtatuat, ſed quia Eccleſia præcipit id votum emitti. Vnde ea obligatio non conſurgit immediatè ex conſtitutione Eccleſiæ,ſed ex voto caſtitatis,quod Eccleſia ſuo præcepto annexuit Ordinibus ſacris;cogitque eos, qui Ordinem ſacrum aſſumunt, vt votum caſtitatis emittãt,non expreſsè, ſeu voce,ſed facto ipſo, & tacitè. Nam quamuis Eccleſia neminem poſſit abſolutè cogere ad caſtitatem, quia eſt res meri conſilij *c. integritas, 32. qu. 1*. At in Ordine ſacro,quem confert,poteſt apponere conditiones,& leges iuſtas illi ſtatui conuenientes,qualis eſt,vt ad illum promotus caſtitatem voueat. Sicut quilibet in rei ſuæ traditione poteſt legem appponere, *L. in traditionibus, ff. de pactis*. Et ſuppoſita ea lege,eo ipſo quòd quis vult Sacris initiari,vult conſequenter vouere;ſicut vult obligari ad recitandum Officium Canonicum; quod ſimiliter eſt onus Ordini ſacro annexum.

Obiicies, Eccleſiam annexuiſſe votum caſtitatis Ordini ſacro ob miniſterij ſacri reuerentiam; & votum obligare propter fidem Deo præſtandam: ergo ſunt diuerſi fines,& diuerſa motiua virtutis Religionis; atque ideò conſtituunt diuerſam ſpecie malitiam. *Reſpondeo*, licèt verum ſit, Eccleſiam præcipientem, vt initiati Ordine ſacro emittant votum continentiæ,illum finem intendere; votum tamen continentiæ emiſſum tantùm obligat ex vi fidelitatis Deo debitæ. Quare ſi quis non non voueret in Ordinis ſacri aſſumptione, delinqueret contra præceptum Eccleſiæ iubentis,vt voueat ob reuerentiam Ordinis ſacri; hoc tamen votum emittens ſatisfaceret huic præcepto, & fini Eccleſiæ, & ſola ſupereſt obligatio voti ad caſtitatem, vt ſtetur promiſſo facto, in Dei cultum.

Dico *tertiò*, Sacerdotem non profeſſum fornicantem, 4

non

non teneri Sacerdotij circumſtantiam fateri, nec ſe eſſe Sacri Ordinis, ſed ſatisfacere, ſi dicat ſe voto caſtitatis ligatum eſſe. Ita Sanchez citatus *numer. 31. & 32.* Idem docet Henriquez citatus, & Stunica *de voto quæſtion. 4. numer. 28.* Prima pars probatur, quia Sacerdotium nullam aliam obligationem ad caſtitatem affert, quàm eam quæ conſurgit ex voto emiſſo in Subdiaconatu: nec reperitur vbi Eccleſia nouam iniunxerit obligationem; non ergo diuerſa malitia reperitur, quàm contra votum. Secunda pars conſtat quoque ex eo, quia tota malitia ſpecifica ſuperaddita conſurgit ex voti fractione, vt dictum eſt *ſuprà*. Quod verò votum Ordinibus Sacris annexum ſit ſolemne, non obeſt; nam illud non differt à ſimplici per ſe, & eſſentialiter, ſed ſolùm accidentaliter ex ſola Eccleſiæ conſtitutione, atque ideò nulla alia malitia ſpecifica eſt, quàm in voti ſimplicis fractione. De Epiſcopo verò fornicante, an teneatur Epiſcopatus circumſtantiam fateri, dicam infrà *ſect. duodecima*.

Ex dictis conſtat ſolutio ad doctrinam Fagundez noſtræ oppoſitam.

SECTIO III.

Quotuplex ſit malitia in tranſgreſſione Obedientiæ Religioſi in Confeſſione explicanda?

1 Ratio dubitandi eſt, *primò* quia certum eſt tunc multiplicari deformitates, ſeu malitias in Confeſſione aperiendas, quando tituli obligationum ſecundum diuerſas rationes ſpecificas multiplicantur; ſed in tranſgreſſione Obedientiæ religioſæ ſunt ſaltem quatuor malitiæ ſpecie diuerſæ: ergo iſtæ ſunt in Confeſſione declarandæ. Minor probatur, quia inprimis negari non poteſt inobedientiam in Religioſo habere malitiam ſacrilegij, ratione voti Obedientiæ, vt conſtat. *Secundò*, ibi eſt malitia contra traditionem Religioni factam, quę eſt contra Iuſtitiam, ſpecie diſtinctam à præcedenti, quia eſt contra ius Religioni acquiſitum: ſicut ſeruus, vel famulus ex Iuſtitia tenetur obedire hero, vel domino, ratione dominij, vel pretij, aut ſtipendij. Quod ſi vlteriùs ſpeciali promiſſione ſe aſtrinxerit ad ſeruandam fidelitatem Domino, tenetur noua obligatione: ita ergo dicendum videtur de Religioſo. *Tertiò*, Prælati Religionum cùm habeant veram ſpiritualem iuriſdictionem, quam recipiunt à ſummo Pontifice, poſſunt per eam imponere propria præcepta, vel leges, iuxta varias materias, & motiua virtutum; dando actibus neceſſitatem illarum: ergo ſi opus præceptum ſit ieiunium v.g. & Religioſus illud frangat, præter dictas malitias, adiungetur illis noua ſpecies malitiæ contra Temperantiam.

Quartò denique, præter has omnes poteſt reperiri malitia inobedientiæ diſtincta ab illis, quando eſt formaliter intenta ex contemptu Prælati vt talis eſt, ſeu poteſtatis eius. Igitur in tranſgreſſione obedientię religioſę ſunt ſaltem quatuor malitiæ ſpecie diuerſę; atque ideò in Confeſſione dicendæ.

2 Duæ ſunt præcipuæ opiniones. Prima eſt Vaſquez *1.2. quæſtion. 72. articul. 6. diſputation. 98. capite 4. numero 7.* quem plures ſequuntur, aſſerentis dupliciter peccare Religioſum, cùm tranſgreditur mandatum Superioris, tum ratione voti Obedientiæ, quia peccat contra Obedientiæ votum, quod ſemper vnius ſpeciei eſt: tum ratione præcepti impoſiti; quod poſterius peccatum pertinet ad diuerſas ſpecies iuxta diuerſas materias, & diuerſa motiua Superioris imponentis tale præceptum. Probat, quia in Religione, præter Obedientiam, voto debitam Superioribus, eſt in illis, eo ipſo quòd iuxta conſtitutiones eliguntur, communicata poteſtas à Pontifice ad præcipiendum; atque ideò poſſunt obligare ſubditos ex pręcepto illius virtutis, ad quam actus præceptus pertinet. Quod à poſteriori liquet, nam Superior Religionis poteſt ſub excommunicationis pœna præcipere; quam ratione ſolius voti imponere nequit.

Secunda ſententia eſt Sanchez *lib. 4. Decalog. capite 11. numero 25.* ſub diſtinctione ad hanc difficultatem reſpondentis: Ait enim, ſi Superior aliquid præciperet in virtute Obedientiæ, & ſub pœna excommunicationis; tunc per virtutem Obedientiæ exigit Obedientiam ſibi voto debitam; per pœnam autem, quam vt Prælatus Eccleſiaſticus imponere poteſt, exigit Obedientiam vt Pręlatis talibus debitam. Vnde cùm Superior vtraque poteſtate vtens, vellet obligare, tunc tranſgreſſio eſſet duplex culpa. Si autem ſolùm præcipiat in virtute Obedientiæ, vel abſolute præceptum imponat, tranſgreſſio erit vnicum peccatum contra votum; Quia cum exigat in virtute Obedientiæ, denotat clarè Obedientiam ex voto debitam ſe exigere. Idemque ait eſſe dicendum, quando Superior præcipit abſolutè. Si denique ſolùm præcipiat ſub pœna excommunicationis, credit ſimiliter tranſgreſſionem eſſe vnicam culpam, non contra votum, ſed contra poteſtatem Eccleſiaſticam: quia cùm ex ea pœna conſtet, præceptum oriri ex poteſtate Eccleſiaſtica, & nihil addatur, vnde conſtet procedere quoque ex Obedientia voto debita, dicendum eſt à ſola poteſtate Eccleſiaſtica illud præceptum conſurgere, vt benignior interpretatio capiatur. Vnde infert, ſi Superior vtroque modo præcipiat, teneri Religioſum tranſgredientem explicare in Confeſſione præceptum ſimul cum materia præcepta, cùm ſit duplex culpa ſpecie diuerſa. Si autem Superior ſolùm præcipiat poſteriori modo, cùm ſit vnica culpa, illa ſolum fatenda eſt. 3

Contra hanc Sanchez doctrinam Cardinalis Lugo *diſputation. 16. ſection. 4. § 4. numer. 171. & ſequentibus*, veriorem iudicat priorem ſententiam, ſcilicet in eiuſmodi tranſgreſsionibus de facto reperiri ſemper vtramque duplicem malitiam. *Primò*, quia verba illa præcepti, *In virtute Sanctæ Obedientiæ*, non reſtringunt obligationem ad ſolum debitum ex voto Obedientiæ. Patet ex vſu ſummorum Pontificum, qui paſsim in ſuis Bullis præcipiunt omnibus fidelibus *in virtute Sanctæ Obedientiæ*; quibus verbis, exigitur Obedientia debita non ſolùm ex voto, ſed etiam ex mera ſubiectione ad præcepta legitimi Superioris; nam Obedientia ſemper reſpicit Superiorem potentem præcipere. 4

Secundò, etiamſi Prælatus Religioſorum vellet, non videtur poſſe velle obligare grauiter præcepto Obedientiæ ſubditum, & ſimul velle, quòd non violet votũ Obedientiæ tranſgrediendo illud pręceptum; ſicut non poteſt velle obligare obligatione Iuſtitiæ Religioſum ſubditum ad non accipienda bona Communitatis, & ſimul nolle quòd peccet contra votum Paupertatis ſi illa accipiat: eſt enim eadem ratio in vtroque caſu, quia ſicut per votum Paupertatis, promiſit Deo non peccare contra Iuſtitiam, accipiendo ex rebus Conuentus abſque conſenſu Prælati, & ideò non poteſt eas accipere inuito Prælato, quin eo ipſo violet votum Paupertatis; ſic per votum Obedientiæ promiſit Deo, non violare præcepta Prælati, nec peccare contra Obedientiam ei debitam: ergo repugnat, quòd violet verum præceptum Prælati, & peccet grauiter peccato inobedientiæ, & quòd non violet votum Obedientiæ, quo omnem inobedientiam

Digitized by Google

obedientiam ſibi prohibuit. Non eſt igitur in poteſtate Prælati, quòd inobedientia ſubditi Religioſi non ſit contra votum, ſi vult, quòd ſit inobedientia grauis.

Vltimò, Religioſus, qui violat Præceptum Regulæ obligans ſub mortali, contrahit duplicem malitiam; alteram, contra votum Obedientiæ, quo vouit Regulam; alteram contra virtutem ſpecialem, in qua materia illius præcepti verſatur, vt ipſe Sanchez concedit; quia Regula obligat vtroque modo: ergo ſimiliter cùm Prælatus ſit regula viua, quando aliquid præcipit, cenſebitur velle obligare eodem vtroque modo, & conſequenter violans illius præceptum, contrahit duplicem malitiam, & tenetur in Confeſſione dicere, Violaui præceptum Prælati graue in tali materia: nam his verbis ſufficienter explicatur malitia contra votum Obedientiæ,&altera malitia contra præceptum pertinens ad talem virtutem.

5 Præmitto, ad maiorem huius rei declarationem, quod communiter docent Theologi, Prælatos Religionum poſſe ſubditis præcepta imponere dupluci titulo, videlicet Dominationis, & Iuriſdictionis: titulus Dominationis oritur ex traditione Religioſi facta Prælato, ac Religioni per modum pacti, quæ eſt actus Iuſtitiæ: titulus Iuriſdictionis procedit ex vera ſpirituali iuriſdictione, quam recipiunt à ſummo Pontifice, per quam poſſunt inducere obligationem per propria præcepta, quæ communiter dicuntur Obedientiæ Eccleſiaſticæ iuriſdictionis.

6 Hoc præmiſſo. Dico *primò*, in tranſgreſſione Obedientiæ religioſæ poſſe interuenire abſolutè quatuor malitias ſpecie diuerſas, & ſi in aliquo caſu interueniant, eas omnes eſſe in Confeſſione aperiendas. Hoc efficaciter probat argumentum *ſuprà* adductum in ratione dubitandi. Nam illo clarè oſtenditur reperiri poſſe quatuor titulos obligationum ſecundùm diuerſas rationes ſpecificas; & conſequenter in tranſgreſſione poſſe interuenire quatuor malitias, nempe malitiam Sacrilegij, ratione voti, malitiam Iniuſtitiæ ratione traditionis, malitiam ratione præcepti iuxta materiam ad quam neceſſitat, ac denique malitiam Inobedientiæ formalis, prout directè opponitur virtuti Obedientiæ, eiúſque poteſtati vt ſic.

7 Dico *ſecundò*, in tranſgreſſione Obedientiæ religioſæ, communiter ac regulariter loquendo, non inueniri de facto malitiam inobedientiæ formalis. Ita Doctores cum D. Thoma 2. 2. *quæſt.* 105. *articul.* 1. *ad* 1. Quia inobedientia ſolet ſolùm eſſe circumſtantia generalis, quæ non ſpecificat, nec addit ſpecialem malitiam, niſi ſit formaliter intenta; quod rarò contingit.

8 Dico *tertiò*, ſi Prælatus præcipiens exprimat intentionem præcipiendi, & obligandi triplici titulo, ſcilicet, Voti, Dominationis, & Iuriſdictionis, manifeſtum videtur in transgreſſione Religioſi, interuenire tres malitias ſpecie diuerſas in Confeſſione aperiendas. Patet, quia tunc eſt obligatio Religionis, quæ ex Voto naſcitur; & obligatio Iuſtitiæ, quæ oritur ex traditione, ac poteſtate dominatiua; & ſpecifica obligatio illius virtutis, ad quam pertinet actus ratione ſuæ materiæ,& in qua fit neceſſarius ratione præcepti: ergo in tranſgreſſione multiplicari debent quoque tres deformitates ſpecie diuerſæ; nam hæ neceſſariò multiplicantur, quando tituli obligationum ſecundùm diuerſas rationes ſpecificas multiplicantur.

9 Dico *quartò*, ſi ordinarium gubernandi modum inſpiciamus Prelatorum regularium, quoad vim directiuam in præcipiendo, vt cùm aliquid præcipiunt in virtute Obedientiæ, vel abſolutè præceptum imponunt, regulariter loquendo, in tranſgreſſione illius non eſſe niſi vnicum peccatum mortale contra votum. Ita benè notauit Sanchez citatus *num.* 3. Et ratio quæ magis mouet, eſt, quam ipſe attingit. Nam Prælati Religioſorum, cùm ſint paſtores ipſorum ſuaues, ac patres, cùm præcipiunt, non ſic adeò rigidè, ac ſeuere procedunt, vt videantur habere intentionem præcipiendi, & obligandi illos triplici prædicto titulo, ſed altero tantùm; id enim expoſcere videtur ſuauis, ac conueniens prouidentia, & gubernatio ipſorum: ergo cùm in virtute Obedientiæ ſolùm præcipiunt, vel abſolutè præceptum imponunt, implicitè ſaltem Obedientiam denotantes, manifeſtum videtur ſolùm exigere Obedientiam vno titulo tantùm Religionis, ratione voti, vel ſibi voto debitam, & non debitam ſibi titulo Iuſtitiæ ratione traditionis, nec titulo iuriſdictionis, igitur ſolùm erit vnica culpa contra votum Obedientiæ in ipſa tranſgreſſione.

Firmo idem; nam ad minus certum eſt, non conſtare intentionem Superioris eſſe, triplici illo modo tam rigidè præcipere: ergo in dubio non ſtrictiùs, ſed fauorabiliùs iudicandum eſt. Cùm verò in præceptis directiuis exigant ordinario vſu, in virtute Obedientiæ; manifeſtè declarant Obedientiam ex voto ſe exigere. Idémque dicendum eſt, quando abſolutè præcipiunt. Quia cùm Obedientia potiſſimè ipſis debita conſurgat ex voto, dum abſolutè præcipiunt, eam cenſentur exigere.

Ex quo clarè infertur, cùm ſit vnica culpa contra Religionem ratione voti, illam ſolam fatendam eſſe in Confeſſione. Huic doctrinæ fauet Suarez *tom.* 3. *de Religione, lib.* 10. *cap.* 6. *num.* 6. dicens Prælatum Religionis, tametſi habeat iuriſdictionem Eccleſiaſticam, poſſe præcipere, non ex illa, ſed ſolùm *exigendo* Obedientiæ votum. Imò, addit, *regulariter loquendo*, hic videtur eſſe ordinarius modus præcipiendi Prælatorum religionum, quia materia circa quam verſatur, ordinariè talis non eſt, vt ex vi ſolius iuriſdictionis Eccleſiaſticæ præcipi poſſit, quia eſt materia ſupererogationis, vel conſilij; & ita ſolùm præcipi poteſt quantùm ex vi Profeſſionis facta eſt neceſſaria.

Dico *quintò*, ſi Prælatus præcipiat ſolùm ſub excommunicationis pœna, vi coactiua vtens, in tranſgreſſione eſſe quoque vnicam culpam, non contra votum, ſed contra præceptum Eccleſiaſticum. Ita Sanchez relatus. Ratio eſt, quia illa cenſura excommunicationis, oritur à ſola poteſtate, & iuriſdictione Eccleſiaſtica; hęc enim eſt omninò neceſſaria ad inferendam vim coactiuam excommunicationis; vnde Abbatiſſa Monialium, quę poteſt pręcipere in virtute Sanctę Obedientiæ, non poteſt præcipere ſub excommunicatione, quia nimirùm non habet iuriſdictionem Eccleſiaſticam: ergo cùm ex ſola poteſtate Eccleſiaſtica, & non ex voto conſurgat illud præceptum, vnica eſt culpa in tranſgreſſione. Dixi, *Si Prælatus præcipiat ſolùm ſub excommunicationis pœna*: nam ſi Prælatus regularis præciperet in virtute Obedientiæ, & ſub pœna excommunicationis, vt ſolet ſępe contingere, tunc cùm exigeret per virtutem Obedientiæ, Obedientiam ſibi voto debitam, & per excommunicationem exigat Obedientiam vt Prælato Eccleſiaſtico debitam; cùm vtraque poteſtate vteretur, tranſgreſſio eſſet duplex culpa, & vtraque fatenda. 10

Ex dictis colligo *primò*, eſſe in poteſtate Prælatorum, pręcipere ſubditis exigendo Obedientiam vt ſibi voto debitam, & eam quoque præcipere ſimul ſub excommunicatione, vt per ſe patet ipsâ experientiâ; poſſe quoque ſi velint, ſolùm imponere pręceptum Eccleſiaſticum ſub pœna excommunicationis, & non exigere obedientiam prout ſibi voto debitam: non ſecus ac poſſunt pręcipere, & exigere Obedientiam ſibi 11

Digitized by Google

bi titulo dominationis debitam, & non titulo iuriſdictionis, ſicut hoc vltimum notauit etiam Suarez citatus. Id enim totum pendet ex Prelatorum voluntate, ac diſpoſitione.

Vnde colligo *ſecundò*, poſſe Prælatos Religioſorum, ſi velint obligare grauiter ſubditos præcepto Eccleſiaſticæ Obedientiæ, & quòd tranſgrediendo illud præceptum, non violent Obedientiæ votum, ſi nimirùm nolint exigere ab illis obedientiam vt ipſis voto debitam; quia videlicet poſſunt vno titulo obligare, & non alio.

12 Ad argumenta ſententiarum propoſitarum, prout aduerſantur doctrinæ à nobis traditæ reſpondendum eſt. Ad primam ſententiam Vaſquez, eiúſque rationem dico, ſolùm probare, Prælatos poſſe in rigore duplici titulo Voti, & Iuriſdictionis vti præcipiendo; & tunc dupliciter peccare Religioſum, cùm tranſgreditur mandatum Superioris. Verùm regulariter loquendo, inſpecto ordinario modo obligandi, quoad vim directiuam, quæ eſt in præcipiendo, ſolent vti poteſtate exigendi ſibi Obedientiam ratione Voti, & non ſimul alio titulo; non enim videntur habere intentionem præcipiendi, & obligandi duplici titulo quoad vim directiuam. Quando verò neceſſarium eſt vti quoque vi coactiua, ad ferendam excommunicationem, ver.gr. vtuntur poteſtate Iuriſdictionis. Idque probat confirmatio.

Ad ſecundam ſententiam Sanchez conſtat, eam nobis placere, quam vt veriorem amplexi ſumus in noſtris Dictis.

Ad argumenta Cardinalis de Lugo quæ illam impugnant, ſatisfaciendum eſt. Ad primum, reſpondeo ſummos Pontifices in Bullis vti vi coactiua, ferendo cenſuras, & obligare ratione precepti Eccleſiaſtici, in quibus regulariter ſolùm exigitur obedientia ex mera ſubiectione, & non ratione alicuius Voti.

Ad ſecundum, negatur Antecedens: nam vt dictum eſt, poteſt Prælatus Religionis, velle tantùm obligare vno titulo, & non alio; atque ideò ſi nolit exigere à ſubditis obedientiam debitam ſibi ſub ratione voti, quando illam eo titulo exigit, ſed alio diuerſo titulo, ratione iuriſdictionis Eccleſiaſticæ; tranſgreſſor præcepti violabit preceptum Eccleſiaſticum, ſed non violabit votum Obedientiæ. Neque eſt eadem ratio de voto Paupertatis; quia cùm votum Paupertatis obliget eſſentialiter ad non accipiendas res Conuentus abſque conſenſu Prælati, vel ipſo inuito; implicat eas accipere inuito Prælato, quin eo ipſo violet votum Paupertatis: At votum Obedientiæ, quod etiam obligat ad non violanda precepta Prælati, non obligat niſi quando Prelatus declarat, ac petit vt ſibi exhibeatur Obedientia ratione Voti debita; tunc enim cùm obedientiam petat titulo Voti, ac Religionis, nequit peccare contra Obedientiam, quin peccet contra Religionem propter violationem Voti. Si verò Prælatus ſolùm intendat, vt ſubditus illi obedientiam præſtet ratione ſubiectionis & iuriſdictionis, quam habet erga illum, tunc violans ſuum proprium præceptum, non violat ſimul Obedientiæ votum, quod tunc non exigitur.

Ad vltimum, concеſſo Antecedente, negatur Conſequentia: eſt enim diſpar ratio, nam ſi Religioſus violet præceptum Regulæ obligantis ſub mortali; ideò committit duplex mortale, vnum contra votum Obedientiæ quo vouit regulam, aliud contra virtutem in qua materia illa conſtituitur; quia cùm regula ſit quędam lex fixa & permanens, ſemper conſtituit materiam præceptam in ea virtute, ad quam ſpectat, inſtar aliarum legum. At Prælatus, licèt ſit quaſi regula habens vim obligandi, eſt tamen regula viua, quę poteſt mutari, ac variari, pro eius nutu, ac voluntate; vnde poteſt declarare ſuum intentum, quando aliquod preceptum iniungit, ac dicere, ſe exigere Obedientiam talis præcepti, non non vt ſibi ratione Voti, ſed vt ſibi tanquam Prælato Eccleſiaſtico debitam; ac propterea dicimus, ſi id ſolùm intendat, ceſſare tunc obligationem Voti; & obligare præceptum alio titulo nempe ſubiectionis Eccleſiaſticæ, ratione iuriſdictionis quam habet Prælatus.

SECTIO IV.

An in peccatis contra Caſtitatem, ſit explicanda circumſtantia Virginitatis?

IN hac re dicam practicè hanc quæſtionem definiens, quid ſentiam tam in viro, quam in fœmina. Circa primum de viro, ſentiunt Nunnus *in additione ad 3. p. quæſtion. 9. articul. 2. dub. 3. concluſ. 5.* & alij Thomiſtæ, eſſe etiam in viro talem circumſtantiam virginitatis in Confeſſione exprimendam, quia etiam in viro primum peccatum contra caſtitatem affert damnum irreparabile, nempe iacturam virginitatis, & aureolæ. 1

Communior tamen Doctorum ſententia eſt, ac veriſſima, circumſtantiam virginitatis non eſſe neceſſariò explicandam in viro in vllo peccato contra caſtitatem. Ratio à priori eſt, quia in viro amiſiſſe prima vice virginitatem, non eſt ſtuprum, ſed ſimplex fornicatio, ſi fiat cum ſoluta, & corrupta; & ideò non tenetur vir in Confeſſione hanc ſui floris explicare circumſtantiam. Firmo idem, nam in viro illa circumſtantia non addit malitiam ſpecie diuerſam contra virtutem Temperantiæ; neque enim prima tranſgreſſio habet oppoſitionem ſpecie diuerſam contra Temperantiam, ſicut nec contra Iuſtitiam primum furtum, aut primum homicidium, præcisè quia primum eſt. Neque etiam addit malitiam contra Iuſtitiam, quia in viro non ſequuntur ea damna, quæ ſequuntur in fœmina. Quare in primo peccato viri contra caſtitatem, nulla habetur ſpecies ſtupri, nec opponitur virginitati communiter acceptæ, licèt opponatur virginitati, cui annexa eſt aureola. Hęc tamen aureolę iactura non eſt tanti ponderis, vt transferat peccatum ad aliam ſpeciem, vel debeat explicari; quia ſine peccato poteſt quis eam aureolam perdere, nempe per Matrimonium. Et certè, quis neget maius bonum eſſe, aliquod magnum augmentum gratię, & gloriæ eſſentialis, quàm aureolam? & tamen non eſt peccatum mortale incurrere iacturam illius augmenti gratiæ, & glorię, quod potuiſſet facilè comparari per aliqua bona opera facta in ſtatu gratię. Ex quo patet ſolutio ad argumentum oppoſitum. Adde nullum dixiſſe primum peccatum commiſſum à ſuſceptione Baptiſmi, addere malitiam ſpecie diuerſam propter circumſtantiam innocentię Baptiſmalis per illud amiſſę; & ideò explicandum id eſſe in Confeſſione: ergo neque idem dicendum propter circumſtantiam virginitatis in viro. 2

Maior difficultas eſt circa ſecundum, de Virgine fœmina, quando prima vice virginitatem amittit, teneatúr-ne ſub mortali explicare circumſtantiam virginitatis?

Affirmant multi, quos refert Sanchez *lib. 7. de Matrimonio, diſp. 14. num. 3. & 4.* circumſtantiam virginitatis & ſtupri, eſſe neceſſariò confitendam, etiamſi Virgo ſponte conſentiat in ſui deſlorationе, & ſiue 3

illa

illa ſit ſui iuris, ſiue ſit in poteſtate parentis, aut tutorum, aut curatorum. Probant *primò*, quia Virginitas eſt circumſtantia mutans ſpeciem, conſtituens peccatum,& ſpeciem ſtupri, quod eſt vitium contrarium non caſtitati ſecundùm ſe,ſed Virginitati,quæ eſt diuerſa virtus, & quidquid opponitur ſpeciali virtuti, affert ſpecialem deformitatem.

Secundò,ibi reperitur ſpecialis iniuria contra naturalem finem, ad quem ipſa natura conceſſit ſigillum virginitatis, nempe bonam famam, cui ſigillo etiamſi puella velit,non poteſt renuntiare, cùm non ſit domina ipſius ſigili,ſed cuſtos.

Tertiò, natura conceſſit ſignaculum Virginitatis,vt Virgines ſeruentur aptiores Matrimonio, & ſolum ad actus licitos Matrimonij,non illicitos,& vt abſtineāt ab illicitis;ergo tametſi ipſę velint ſponte ſtuprari,ſemper committunt ſpecialem iniuriam contra ipſam naturam,& finem illius.

Quartò, prædicta circumſtantia virginitatis ſaltem addit malitiam ſpecificam contrà Iuſtitiam. Patet;quia continet iniuriam contra parentes, in quorum poteſtate eſt puella,qui & magnam infamiam ſubeunt,& graue etiam onus augendi dotem, vel innuptam retinendi filiam.

Quintò, videtur ea circumſtantia explicari, quia eſt culpa grauis contra obedientiam patri debitam;nam eſt communis doctrina plurium,peccare grauiter filium contrahendo Matrimonium inuitis parentibus:at magis videntur inuiti eſſe parentes in caſu noſtro, quando filia defloratur extra Matrimonium, quàm ſi Matrimonium contraheret.

Sextò, negari non poteſt, quòd ſit contra Charitatem,& pietatem parentibus debitam, nam illis affert grauiſſimam, & iuſtiſſimam mæſtitiæ cauſam, quam filia impedire poterat:ergo tenebatur.

Vltimò,quando Virgo præ timore conſentit ſuæ deflorationi, ad minus tunc cooperatur ſtupro viri:ergo ratione ſaltem cooperationis contrāhit malitiām ſpecialem ſtupri cui cooperatur. Quamuis enim nullus poſſit iniuriam propriam pati à ſeipſo; poſſum tamen ipſe contrahere malitiam ſpecialem ex cooperatione illicita ad peccatum alterius, qui iniuriam in me committit. Vt verbi gratia, ſi abſque rationabili cauſa petam mutuum cum vſura ab vſurario, & inducam illum ad peccatum vſuræ committendum, ex hac inductione ſpecialem contraho malitiam per ordinem ad peccatum iniuſtæ vſuræ, quod illi perſuadeo. Igitur ex hoc capite quando Virgo confitetur ſuum peccatum, debet explicare in Confeſſione circumſtantiam virginitatis,vt explicet ſpeciem peccati,cui cooperata eſſe videtur.

4 Probabiliorem iudico contrariam ſententiam, quam tenent Cardinalis de Lugo *diſputatione* 16. *ſection*. 4. *numero* 218.*& ſequentibus*, Sanchez *diſputatione* 14. *citata*, Suarez *diſputatione* 22. *ſection*.4. *numer*.6. & alij multi quos refert, & ſequitur Diana 1. *tomo tract. de circumſtantiis reſolut*.11.*&* 2.*tom.tract*.4.*de Sacramentis,reſol*.67.Eam *ſequentibus Dictis*, magis in particulari firmo,ac declaro.

5 Dico itaque *Primò*,circumſtantiam virginitatis,non addere malitiam grauem ſpecie diuerſam contra virtutem Temperantiæ vel Caſtitatis;atque adeò ex hoc capite non teneri fœminam in Confeſſione eam explicare. Ratio à priori eſt, quia in nulla alia virtute prima tranſgreſſio habet oppoſitionem ſpecie diuerſam contra illam,quam non habeat ſecunda tranſgreſſio intra ſpeciem illius virtutis, neque enim contra Iuſtitiam id habet primum furtum,aut cōntra Fidem prima hæreſis,& ſic de aliis.

Firmo quia ferè vniuerſi Doctores fatentur primum concubitum viri, primam eius pollutionem carere ea circumſtantia neceſſariò fatenda; cùm tamen opponatur ſimiliter virtuti virginitatis, quæ tunc amittitur.

Dices ſpecialem turpitudinem ac circumſtantiam prouenire ex iactura, ſeu ruptione ſignaculi; nam ea ruptio opponitur ſpeciali modo virtuti Virginitatis; atque ideò eſt ſpeciale vitium ſpecie diſtinctum à ſimplici fornicatione, quia quidquid opponitur ſpeciali virtuti, affert ſpecialem deformitatem. *Sed contra eſt*, quia certum eſt, Virginitatem eſſe virtutem rationæ propriæ honeſtatis,& pulchritudinis ſui obiecti;eſt enim per ſe dignitas quædam,& ornamentum naturæ rationalis, per quod & longiùs recedit à conditione brutorum, & propiùs accedit ad ſimilitudinem Angelorum. Cæterum veriùs iudico, virtutem Virginitatis non diſtingui à Caſtitate, niſi ratione connotati, ſed eſſe ipſam virtutem caſtitatis in ſubiecto incorrupto, Vtriuſque enim officium eſt vitare omnem libidinis contagionem, & ſubiectum ſeruare immune in poſterum à tali libidine: Virginitas verò vlteriùs connotat, hoc ſubiectum nunquam antea fuiſſe libidine contaminatum, quod non includit ratio Caſtitatis. vnde Virginitatis virtus nihil eſt aliud quàm Caſtitas perfectæ integritati, & puritati carnis coniuncta; perfecta autem dicitur, quia conſiſtit in propoſito abſtinendi perpetuò ab omni voluptate carnali tam licita quàm illicita. Quare ſicut innocentia, quæ conſiſtit in nunquam peccaſſe mortiferè, eſt res laudabilis, & magnum ornamentum hominis, non tamen requirit aliquam peculiarem virtutem, ſed ſufficiunt illæ virtutes, quæ impediunt peccata, quibus amittitur innocentia: ita ſimiliter Virginitas *non requirit aliquam* virtutem ſpecialem, præter eam quæ impedit omnes actus carnales,quibus illa amittitur,quę eſt caſtitas perfecta. Abſciſſio autem ſignaculi præciſe, res videtur leuis, quia vt notauit Sanchez *lib*. 7. *diſp*.14.*num*.1. ex peritiſſimorum Medicorum iudicio, non eſt ruptio alicuius membranæ,ſed mera dilatatio partium orificij, quæ priùs complicatæ erant. Et licèt eſſet ruptio alicuius tenerrimæ membranæ,eſſet materia adeò leuis,vt non poſſet habere malitiam grauem contra obligationé conſeruandi proprium corpus, vt obſeruat Cardinalis Lugo citatus *num*.222.Conſtat igitur in defloratione Virginis, non reperiri circumſtantiam nouam ſpecificam aduerſus caſtitatem, ſeu Temperantiam, præter ſimplicem fornicationem.

Quod ampliùs firmo,nam Virginitas, & Caſtitas nequeunt eſſe diſtinctæ virtutes quoad formale; nam formale Virginitatis conſiſtit in abſtinentia omnis carnalis delectationis,etiam coniugalis:Caſtitas verò, in abſtinentia ab omni carnali delectatione illicita & venerea. Vnde ſe habent ſicut magis & minus circa eandem formalitatem; atque ideò nequit habere Virginitas ſpeciale peccatum oppoſitum ſpecie diſtinctum à peccato oppoſito virtuti Caſtitatis; quia ſpeciale peccatum dicitur quod ſpecialiter opponitur formalitati ſpeciali alicuius virtutis. Vnde ſolùm differunt materialiter; quia materiale virtutis virginitatis eſt integritas carnis:hæc tamen abſolutè etiam per accidens ſe habet ad virtutem Virginitatis: nam fœmina non deſinit eſſe Virgo, ſi caſu, aut cauſa medendi morbo, aperiatur clauſtrum ali quo inſtrumento.

Dico *ſecundò*,circumſtantiam Virginitatis in fœmina liberè conſentiente ex parte ipſius non addere malitiam ſpecificam contra Iuſtitiam. Hoc manifeſtè oſtenditur,quia fœmina eſt domina illius vſus membri,ſicut dominium habet vſus aliorum membrorum: ergo non peccat contra Iuſtitiam ob talem vſum. Quamuis enim peccet contra caſtitatem propter indebitum vſum, ſed 6

non

non contra Iuſtitiam, quia eſt domina vſus ſui corporis, & integritatis, nec tenetur ex Iuſtitia illam vſque ad Matrimonium ſeruare, poteſt enim ipſa innupta perpetuò manere. In quo differt ab abſciſſione membri v.gr. manus, vel brachij; hæc enim fit contra Iuſtitiam, quia puella non eſt domina ſuorum membrorum, & ideò conſenſus illius, vt abſcindantur, non aufert rationem iniuſtitiæ. Dixi, *in fœmina liberè conſentiente*: nam ſi interueniat violentia viri, & per dolum, aut fraudem, aut alio iniuſtitiæ genere Virgo defloretur, committitur ſtuprum, quod eſt ſpeciale vitium iniuſtitiæ addens ſpecialem malitiam iniuſtæ deflorationis.

7 Dico *tertiò*, in Virginis conſentientis defloratione, nullam eſſe iniuſtitiam ex parte damni prolis in Confeſſione explicandam. Ita communiter Doctores. Ratio eſt, quia tametſi ſimplex fornicatio bonæ prolis educationi aduerſetur, & ideò faciat illam eſſe iniquam, & iuri naturæ repugnantem aduerſùs caſtitatem; non tamen facit eam contra Iuſtitiam; quia proles nondum exiſtens nullum ius habere poteſt quòd violetur, vnde iniuſtitia conſurgat; præſertim quia illi melius eſt ſic eſſe, quàm nunquam eſſe, quod eo concubitu non habito, accideret. Igitur id damnum prolis benè educandæ ortum ex amiſſione clauſtri virginei, non efficit concubitum cum Virgine, eſſe contra Iuſtitiam.

8 Dico *quartò*, neque vllam eſſe iniuſtitiam in ordine ad parentes in Virginis conſentientis defloratione. Ratio eſt, quia cùm puella ſit domina vſus ſui corporis ad illum actum, ſi non vt licitè fiat extra Matrimonium, quia eſt contra Temperantiam, at non erit contra ius alicuius: neque etiam manere minùs aptam Matrimonio, ipſa conſentiente, lædit ius alicuius, cùm poſſit ſua ſponte innupta perpetuò manere, & ad hoc ius habet inuitis parentibus. Firmatur, nam pater non habet maius dominium filiæ Virginis, quàm filiæ ſolutę: ergo cùm non ſit ſpeciale peccatum præter ſimplicem fornicationem, cognoſcere ſolutam ſub patria poteſtate exiſtentem, ac conſentientem; neque etiam erit, cognoſcere Virginem eidem poteſtati ſubditam volentem ſtuprari. Nec refert, quòd ex hoc ſequatur ignominia Patris, conſequitur enim tantum indirectè: at non tenetur quis ex Iuſtitia impedire ignominiam, quæ alijs indirectè, & conſequenter ex ſuo dedecore proueniet, ver.gr. quia amici illius ſunt, vel cognati, vel ſocij Addo ingentem mœrorem, qui inde ſolet obuenire parentibus ob dedecoratam familiam, per accidens coniungi violationi Virginitatis, nempe ratione euulgationis; ſi enim occulta maneret, nihil tale ſequeretur. Quare ſi fœmina bona fide putet, peccatum non fore manifeſtandum, cùm tunc ceſſaret periculum illius offenſionis ac mœroris, non eſſet malitia grauis contra Iuſtitiam, ſed nec etiam contra pietatem, & amorem parentibus debitum: ſicut Religioſus qui ſua turpitudine, infamiam affert Religioni ſuæ, tametſi grauiter peccet contra pietatem & amorem, quem ſuo Ordini debebat; excuſatur tamen ab ea malitia contrahenda, ſi bona fide putet ſuum peccatum non fore manifeſtandum.

9 Dico *vltimò*, nec circumſtantiam Virginitatis eſſe neceſſariò fatendam, quando Virgo rapta eſt, & præ timore mortis conſentit ſuæ deflorationi, adeò ſolius ſimplicis fornicationis ream eſſe. Ratio eſt, quia vt dictum eſt, ſtupri ratio conſiſtit in violenta ablatione Virginitatis; at Virgo nullam virginitatem violenter aufert, ſed patitur violenter ſibi auferri Virginitatem: non igitur contrahit malitiam ſtupri. Neque etiam contrahit ratione conſenſus, vel cooperationis malitiam ſpecialẽ illius peccati, cui cooperatur, nã Virgo excuſatur à malitia cooperationis, quia volenti eam occidere, vel violare, offert violationem, ne occidat, quod eſt cooperari ad minus malum. Patet id manifeſto exemplo offerentis manum abſcindendam, ne occidatur. Nam hic non cooperatur formaliter peccato abſciſſionis; ſed habet ſe, ſicut qui parato ad maius peccatum conſulit minus: hic enim non cooperatur peccato alterius, cùm ſolùm intendat impedire peccatum grauius. Vnde hic in rigore non conſulit abſolutè peccatum, ſed conditionatè, videlicet, Si peccandum tibi eſt, conſulo vt fureris potius verbi gratia & non occidas. In hoc enim euentu non ſolùm conſilium, ſed etiam cooperatio licita eſt. Quia tametſi conſilium quædam inductio ſit, tamen in eo euentu non eſt verè inductio ad malum, ſed ad electionem illam minoris mali, quæ bona eſt. Vnde in hoc caſu inducens ad minus damnum alicui inferendum, quo maius eiuſdem caueat, ad nullam tenetur reſtitutionem; quia non tenetur ratione rei acceptæ, cùm nihil commodi ſibi reportet; nec ratione iniuſtæ acceptionis; quia non delinquit in eo conſilio dando, nec inducendo, imò valdè vtiliter agat negotium domini. Quare ferens opem latroni, ac rem furto ablatam conuehens, quo minus damnum inferat, nec peccato, nec ſubinde reſtitutioni obnoxius eſt; quia non ad furtum, ſed ad minus damnum cooperatur, & vtiliter rem domini gerit.

Ex dictis manent ſoluta argumenta oppoſita. Ad primum conſtat ex doctrina tradita *Dicto primo*. 10

Ad ſecundum, negatur Antecedens, ibi reperiri ſpecialem iniuriam: nam vt dictum eſt, puella ipſa ſicut eſt domina vſus corporis ſui, tametſi illiciti, ita eſt quoque ſigilli Virginitatis, cuius ruptio non eſt niſi mera dilatatio partium orificij, quæ priùs complicatæ erant. Et quamuis eſſet ruptio alicuius teneriimæ membranæ, eſſet materia adeò leuis, vt non poſſet habere malitiam grauem contra obligationem conſeruandi proprium corpus; ſicut non eſt peccatum mortale, ſibi abſcindere aliquam exiguam carnis particulam.

Ad tertium, verum eſt naturam conceſſiſſe clauſtrum virgineum ad illos fines, ita tamen vt eſſet ſub dominio & poteſtate fœminæ, aliter eo vti, non quidem licitè, ſed abſque iniuſtitia: vt conceſſit oculos ad videndum, & cæteras corporis partes ad deſtinatos vſus, itavt homo maneret dominus talis vſus, quamuis peccet, ſi iis abutatur. Nec eſt idem de abſciſſione manûs; ea enim eſt contra naturam, quæ nullo modo manum ad eum vſum conceſſit.

Ad quartum, fusè conſtat ex *Dicto quarto*, ex cuius doctrina manifeſtè infertur, ſtupratorem, fœmina conſentiente, non directè & verè contra Iuſtitiam lædere honorem, & parentum facultates, quia intercedit voluntas filiæ, quę tanquam ſui corporis, & nuptiarum domina, ius habet, vt abſque iniuſtitia id damnum indirectè inferat, vtendo iure ſuo, à quo non tenetur ſe abſtinere ex Iuſtitiæ præcepto, vt id damnum caueat, vt *ſup.* dictum eſt.

Ad quintum, admiſſo Antecedente, negatur Conſequentia: nam Matrimonium eſt ſtatus perpetuus, eſtque magni momenti in eo non errare; & ideò eſt maior impietas aduerſùs reuerentiam patri debitam eo inconſulto illum ſtatum eligere: at fœmina tanquam domina poteſt liberè abſque iniuſtitia vti ſuo corpore.

Ad ſextum iam conſtat ſolutio ex *Dicto quarto*.

Ad vltimum dico fœminam præ timore mortis conſentientem ſuæ deflorationi, ne occidatur, conſiderando illam actionem provt eſt cooperatio ad peccatum alterius, nullam habere malitiam, vt liquet ex *Dicto vltimo*, & rectè notauit noſter Cardinalis Lug. *loco citato, num.* 235. quia provt ſic, eſt cooperatio ad minus malum

malum alterius, cui non abſolutè, ſed conditionatè exhibet ſe violandam, ac ſi diceret, ſi vis vel occidere, vel violare, me viola potius, quàm occidas. Quod certè neque in ratione conſilij, neque in ratione cooperationis contrahit malitiam à peccato illius, cui cooperari videtur. Cæterum ex alio capite ipſa fœmina conſentiens ſuæ deflorationi ne occidatur, grauiter peccat ſimplici fornicatione; quia ille conſenſus in copulā illicitam eſt intrinſecè malus, & reſpectu ipſius fœminæ non eſt minus malum, ſed maius, quàm mors tolerata ob defenſionem pudicitiæ. In quo valdè differt ab illo alio exemplo conſentientis, & offerentis manum abſcindendam, ne occidatur: nam ille offerens licitè id facit, nec cooperatur ad peccatum, ſed ad minus malum; nam illa abſciſſio reſpectu abſcindentis eſt minus peccatum, cùm minus peccatum ſit mutilatio, quàm homicidium; & reſpectu patientis nullum eſt peccatum.

SECTIO V.

In quo gradu circumſtantia inceſtus conſanguinitatis, explicanda ſit?

1 INceſtus eſt copula illicita habita cum conſanguineis vel affinibus: Inceſtus ex copula licita, & matrimoniali committitur intra quartum gradum tantùm conſanguinitatis, vel affinitatis; inceſtus ex copula illicita, & fornicaria committitur intra ſecundum tantum gradum incluſiuè, itavt excludatur tertius gradus. Certum eſt autem, copulam cum conſanguineis afferre malitiam inceſtus ſpecie diuerſam à ſimplici fornicatione in Confeſſione explicandam: quo modo verò gradus conſanguinitatis ſpecie differant, & ſint in Confeſſione declarandi, *ſequentibus dubiis* examinabitur.

2 Dubitatur igitur *primò*, an primus gradus lineæ rectæ debeat explicari, ſi committatur copula cum conſanguinea in primo gradu lineæ rectæ, & an ſufficiat dicere, Peccaui cum conſanguinea in primo gradu lineæ rectæ; an potius debeat explicari fuiſſe cū matre, vel cū filia, vel cum ſorore. Hoc ſecundū affirmandum eſt, quia malitia diuerſa eſt ſpecie in filio, quatenus peccat contra reuerentiam matri debitam, quæ maxima eſt. Et in patre quando peccat cum filia, non eſt hæc eadem malitia, ſed alia diuerſa ſpecie: ergo explicanda eſt vtraque circumſtantia in particulari, cùm ſit vtraque ſpecie diuerſa. Similiter ſi frater peccet cum ſorore, non eſt eadem ſpecie turpitudo, quæ eſt inter patrem & filiam, vel inter filium & matrem, ſed alterius ſpeciei. Quod à poſteriori liquet, quia in multorum, & grauium Doctorum ſententia, quam ipſe ſecutus ſum *in tract. de matrimonio, diſp. 28. ſect. 2. num. 10. & 11.* tametſi ſolus pater & filia, vel mater & filius ex omni hominum genere ſupereſſent, non fuiſſet licitum in eo caſu Matrimonium contrahere; quia id eſt adeò intrinſecè malum, & ita à ratione abhorrens, non ſecus ac mendacium, vt nulla decenti cauſa cohoneſtari poſſit. At ea vrgente neceſſitate non eſſet inhoneſtum neque illicitum Matrimonium inter fratrem, & ſororem ne totus mundus interiret. Quare copula cum parentibus differt ſpecie à copula cum fratre, aut ſorore.

3 *Secundò*, dubitatur de auo, an differat ſpecie peccaſſe filiam cum patre, vel peccaſſe neptem cum auo; atque ideò eam circumſtantiam eſſe in particulari explicandam.

Noſter Card. Lugo *diſ. 16. ſect. 6. n.* 315. putat vtrāq; indecētiā pertinere ad eandē ſpeciē, quia fūdatur in eadē ratione, & motiuo irreuerentiæ. Quod cōfirmari poteſt, quia auo aſcendenti proximo debita eſt iure naturali reuerentia, vtpote principio naturali, & per ſe, quia eſt principium proximum & per ſe deſcēdentis patris. Vnde auus, & auia dicuntur verè parentes, & debetur illis naturaliter idem honor, qui patri, & matri; imò ſecundùm receptiſſimam conſuetudinem maior auo & auiæ, tanquā veris & anterioribus proximis principiis: ergo vtraque indecentia pertinet ad eandem ſpeciem.

Oppoſitum iudico verius, differre ſpecie peccaſſe filiam cum patre, vel peccaſſe neptem cum auo, & conſequenter eam circumſtantiam in particulari eſſe in Confeſſione declarandam. Moueor, quia indecentia eſt ſpecie diuerſa. Patet, quia indecentia copulæ filiæ cum patre, fundatur in grauiſſima irreuerentia, & omnium maxima; nam filij habent quaſi intrinſecam & immediatam coniunctionem, & obſeruantiam, ac reuerentiam cum patribus, eſtque illis debita immediatè, & per ſe neceſſariò: at reſpectu aui, & aliorum Aſcendentium non eſt immediata coniunctio; nec obſeruantia, ſeu reuerentia eſt debita per ſe, ſed per accidens ratione parentum: Nam auus & cæteri Aſcendentes non ſunt genitores, nec ſunt principium per ſe nepotis, ſed per accidens; ad rationem enim filij vt filius eſt, ſolum deſideratur vt à parentibus originem ducat; vnde per accidens eſt, vt ſuus pater alium *habuerit patrem*, nempe auum: filij enim Adam *carentes auo*, ita *veri filij* fuerunt, ac ſi illum habuiſſent. Quare reuerentia debita auis à nepotibus non eſt debita neceſſariò, & per ſe, ſed per accidens, vtpote quæ in ſola ratione cauſæ per accidens quaſi applicantis genitorem fundatur. Vt enim conſtat ex Philoſophia, cauſa applicans aliam cauſam ſuo effectui, non eſt per ſe, ſed per accidens cauſa illius effectus.

Hinc patet ſolutio ad argumentum oppoſitum; tametſi verum ſit in vtraque irreuerentia eſſe aliquam vniuerſaliorem conuenientiam irreuerentiæ in communi, ſeu in genere; hoc non impedire quominus ſit differentia ſpecifica irreuerentiæ in ſpecie, propter rationem iam dictam. Ad confirmationem reſpondeo, ſi ſermo ſit de reuerentia naturali, negatur debere exhiberi maior auo, quàm patri: nam vt dictum eſt, reuerentia naturalis reſpectu aui eſt per accidens; at reſpectu patris eſt per ſe, auus enim reſpectu nepotis non habet rationem genitoris, ſed ſolam rationem cauſæ quaſi applicantis genitorem. 5

Si autem ſermo ſit de reuerentia politica, iuxta varias humanas leges, aut conſuetudines, ſolet eſſe maior; quia auum vt primum dominum reuerentur. Ob hanc verò reuerentiam, & ſuperioritatem, ſolent aui lata ſignificatione vocari patres, & nepotes quoq; filij, non quia ſint propriè principiū per ſe nepotum, nedum illorum progenitores, niſi tantùm per accidens, & per modum cauſæ quaſi applicantis filiorum genitores.

Tertiò, dubitatur de Auo, & Proauo: an differat ſpecie peccaſſe neptem cum auo, vel proauo. Breuiter dico, non eſſe differentiam ſpecificam inter copulam cum auo, & cum proauo. Patet, quia prohibitio inceſtuoſa vtriuſque copulæ fundatur in ratione, & motiuo reuerentiæ eis debitæ, quę videtur eſſe eadem ſpecie; nam debita illis eſt non tanquam cauſę per ſe, ſed tantùm 6

prout

Digitized by Google

prout ſunt cauſa per accidens filiorum, in quo æquè conueniunt auus, & proauus. Quòd vero auus in ratione cauſæ per accidens ſit proximior, & proauus magis remotus, eſt ſolùm differentia quædam accidentaria, quæ non ſolùm non mutat ſpeciem, verùm etiam nec eſt circumſtantia aggrauans notabiliter.

7 *Quartò* dubitatur, an in peccato cum ſorore, explicari debeat, eſſe ſororem ex vtroque parente. *Reſpondeo* cum Cardinali Lugo *loco citato num.* 325. non eſſe obligationem id explicandi in Confeſſione. Ratio eſt, quia tametſi ſit duplex impedimentum ortum ex quaſi duplici fraternitate; eſt tamen vtrumque eiuſdem rationis. Vnde tametſi eorum multiplicatio aggrauet malitiam, non tamen tráſfert peccatum ad aliam ſpeciem. Vnde infero, neque eſſe obligationem explicandi conſanguinitatem, aut affinitatem prouenientem ex duplici capite, dum neutra ſit in gradu ſpecie diuerſo. Quia mera multiplicatio titulorum non addit circumſtantiam ſpecie diuerſam neceſſariò in Confeſſione declarandam.

8 *Quintò* dubitatur, an qui peccauit cum propria filia, & etiam cum nepte ſua, filia eiuſdem filiæ, debeat id in particulari explicare in Confeſſione; an potiùs ſatis ſit dicere, Peccaui bis cum deſcendenti in linea recta.

Cardinalis Lugo *loco citato num.* 326. conſequenter negat eiuſmodi obligationem, nam ſentit non differre ſpecie peccatum cum filia à peccato cum nepte. Et quamuis ſibi obiiciat, in hoc caſu eſſe explicandum; quia poſt copulam patris cum filia iam contraxerat cum nepte affinitatem, quaſi cum filia ſuæ concubinæ, & ſua filiaſtra, vnde peccat iam propter duo impedimenta diuerſa, quæ violat, peccando cum illa, quę eſt eius neptis ſecundùm conſanguinitatem, & eius filiaſtra per affinitatem; atque ideò debet explicare illam circumſtantiam. *Reſpondet*, illos duos titulos in nepte non eſſe ſpecie diuerſos; quia ſi filia quoad hoc non differt ſpecie à nepte, & aliunde filiaſtra non differt ſpecie à filia, conſequens eſt, quòd nec circunſtantia noua filiaſtræ addat aliquid ſpecie diuerſum ſupra neptem; atque ideò ſicut neptis non erat priùs explicanda, ita nec poſteà.

Ipſe verò conſequenter oppoſitum debeo dicere, nempe explicandam eſſe filiam, & neptem diſtinctè; quia exiſtimo differre ſpecie peccatum cum filia à peccato cum nepte, vt conſtat ex *ſecundo dubio n.* 4. eſt enim in vtroque peccato indecentia ſpecie diuerſa. Addo, illos duos titulos conſanguinitatis & affinitatis eſſe quoque in mea ſententia ſpecie diuerſos, vt dicemus *ſequenti ſectione, dubio primo.*

9 Ex dictis in *hac ſectione* conſtat, quo pacto differant gradus conſanguinitatis inter ſe in ordine ad copulam inceſtuoſam. Nàm iam liquet in primo gradu conſanguinitatis in linea recta, copulam patris cum filia, vel filij cum matre, differre ſpecie à copula cum fratre, vel ſorore. Item peccatum neptis cum auo eſſe ſpecie diuerſum à peccato filiæ cum patre: peccatum neptis cum auo non diſtingui ſpecie à peccato eiuſdem cum proauo. Præterea de conſanguinitate in primo gradu lineæ tranſuerſæ, vt inter fratres, copulam afferre ſecum malitiam inceſtus ſpecie diuerſam. Denique cum cæteris conſanguineis lineæ rectæ, vltra fratres, malitiam inceſtus non eſſe diuerſæ, ſed eiuſdem ſpeciei. Ratio eſt, quia conſanguinitas, quæ eſt quædam ſanguinis participatio, valdè minuitur in vlterioribus gradibus, præter primum, & in remotioribus tandem euaneſcit: & quamuis in ſecundo præſertim gradu nonnulla appareat indecentia; non ſit tamen irreuerentia adeò notabilis, vt ſufficiat ad conſtituendam malitiam ſpecie diſtinctam.

Vtrùm verò in ſodomia detur inceſtus inter conſanguineos in Confeſſione explicandus. Affirmandum eſt, cum Cardinali Lugo *diſputatione decima ſexta ſectione ſexta numero* 345. *& ſequentibus.* Nam ſi Sodomia cum conſanguinea habet ſpecialem malitiam ratione ſanguinis; cur non habebit ſpecialem etiam malitiam inter duos conſanguineos, cùm ſit eadem coniunctio ſanguinis, & debitum obſeruantiæ inter illos. Quare illa circumſtantia explicanda omninò eſt in hoc peccato, ſiue ſit cum conſanguineo, ſiue cum affine, aut cognato ſpirituali, vel legali: de omnibus enim eadem procedit ratio: & certè ſi in gradibus iure naturæ prohibitis Sodomia habet ſpecialem malitiam; etiam in gradibus iure humano prohibitis propter eandem rationem.

SECTIO VI.

In quo gradu circumſtantia inceſtus procedentis ex affinitate ſit in Confeſſione explicanda?

PRo intelligentia dicendorum *in hac ſect.* ſuppono *Primò* quod certum eſt apud Theologos, & Iuriſperitos, affinitatem dici propinquitatem quandam, ſeu ſanguinum commixtionem aut confinitatem ex copula carnali prouenientem, omni carentem parentela. In hoc quòd ſit propinquitas conuenit cum cognatione carnali; in eo verò, quòd proueniat ex carnali copula, diſtinguitur ab illa: omni verò caret parentela per ſe, & ex parte affinitatis, cui per accidens eſt, vt aliquando affinitas & conſanguinitas ſimul in eodem caſu reperiantur. 1

Suppono *ſecundò*, ex quacumque copula, ſiue coniugali, ſiue illicita oriri affinitatem tanquam vinculum naturale inſtar conſanguinitatis. Patet de copula coniugali; quia per illam vir & fœmina fiunt vna caro, & ſanguis, vt liquet: at eo ipſo quòd fiunt vna caro, conſanguinei vnius coniunguntur alteri, & ſic fiũt affines, itavt ratione illius, quilibet cõiux naturaliter, ac neceſſariò fiat affinis conſanguineis alterius coniugis, vtpote accedens ad eorum ſanguinem. Et ad ſignificandam huiuſmodi coniunctionem dicuntur, Socer, Socrus Priuignus, Priuigna, Nurus, Gener, Nouerca De copula fornicaria idem dico, quia etiam per dictam copulam fornicariam vir & fœmina fiunt vna caro, & vnus ſanguis, non minusquàm per coniugalem, vt per ſe patet: ergo quilibet ex illis naturaliter, & neceſſariò manet affinis conſanguineis alterius, vtpote accedens ad eorũ ſanguinem; nam tota ratio ob quam aliqua copula naturaliter aliquos reddat affines, eſt, quia efficit eos vnã carnem. Videantur dicta à nobis *in tract. de Matrim. diſp.* 31. *ſect.* 2. 2

Suppono *tertiò*, ſicut in cognatione naturali ſunt lineæ, & gradus, ita & in affinitate. Vnde ex numero graduum conſanguinitatis, & eius lineis, computantur quoque gradus affinitatis, & aſſignantur lineæ illius. Quare in affinitate duplex quoq; eſt linea recta, & curua, ſeu tranſuerſalis, & in vnaque plures gradus, ſicut in conſanguinitate. Vnde fit, vt Petrus v. g. ſi copuletur Mariæ, 3

Mariæ, eo ipſo fiat affinis cum omnibus conſanguineis ipſius Mariæ; & hęc etiam è contra fiat eodem modo affinis cum omnibus conſanguineis Petri in ſimili gradu. Erit itaque Maria affinis cum patre,& cum filio Petri in primo gradu lineę rectæ, cum auo, & nepotibus Petri in ſecundo gradu eiuſdem lineæ,& ſic de reliquis. At cum fratre eiuſdem Petri fiet affinis dicta Maria in primo gradu lineæ tranſuerſæ,ſeu obliquæ;& cum conſobrinis in ſecundo gradu,& ſic de reliquis. Cum eadem proportione,fiet etiam Petrus affinis ipſorum cognatorum Mariæ pro variis gradibus,& lineis. Obſeruandum eſt etiam,virum,& vxorem,vel concubinum & concubinam non eſſe inter ſe affines, ſed eſſe ſtipitem, truncum,ac principium affinitatis.

4 His præmiſſis,dubitatur *primò*,an conſanguinitas & affinitas ſint circumſtantiæ ſpecie diuerſæ. Non differre ſpecie docet Cardinalis Lugo *diſp.* 16 *ſect.*6.*num.*313. Quia ratio prohibitionis eadem eſt in vtraque, nempe reuerentia debita propter coniunctionem ſanguinis,vel affinitatis: quòd enim ſit vel ſanguinis, vel affinitatis, materialiter ſe habet. Vndę conſequenter docet in ipſa affinitate,eandem eſſe ſpeciem culpæ inceſtus,ſiue oriatur ex Matrimonio,ſiue ex copula illicita, dummodò ſit ex copula, quæ talem prohibitionem inducit: nam copula illicita poſt Concilium Tridentinum non inducit affinitatem vltra ſecundum gradum; vt ipſe etiam docuit *tract. de Matrimonio diſp.*31.*ſect.*6. *num.*9. atque ideò illa nec erit circumſtantia afferens malitiam inceſtus,nec in Confeſſione declaranda. Firmatur idem; nam vt ſuprà dixi,*numer.*2. ex quacumque copula, ſiue coniugali,ſiue illicita, oritur affinitas, tanquam vinculum naturale non ſecus ac oritur ex conſanguinitate: ergo eſt in affinitate, & conſanguinitate eadem ſpecie reuerentia,& eadem ratio prohibitionis.

5 Magis inclino in oppoſitam ſententiam: vnde verius iudico eſſe in cognatione,& affinitate reuerentiam ſpecie diuerſam. Ratio eſt,quia inter affines nulla reperitur ſuperioritas,contra cuius reuerentiam ſit inceſtus etiam in primo gradu,vt inter Vitricum,& Priuignam;& inter Priuignum & Nouercam; ſicut reperitur inter patres & filios. Nam naturalis relatio ſuperioritatis,ex qua oritur maior, imò & maxima naturalis reuerentia debita ſuperiori,ſolùm fundatur inter eas perſonas, quæ dant, & accipiunt eſſe naturale per naturalem generationem, quales ſunt parentes, non autem affines: ſuperioritas enim tantùm eſt in eo qui eſt principium naturale alterius, & non in eo qui eſt affinis, qui propriè non fit vna caro cum illo, quia tametſi fiat principium vnius carnis,non tamen eſt principium alterius. Vt in acceſſu filij v.g. ad nouercam ideò non eſt illa reuerentia ex natura rei, ſeu impietas, quæ eſt inter filium & matrem, quia tametſi nouerca ſit vna caro cum patre, non eſt tamen principium naturale filij; & ideò non eſt ibi illa irreuerentia quæ eſt inter filium,& matrem. Ex quo infero arctius eſſe vinculum inter conſanguineos, quàm inter affines: illi enim ab intrinſeco per eiuſdem ſanguinis participationem coniuncti ſunt; hi verò quaſi ab extrinſeco & per ſimilitudinem quandam, prout nimirùm accedunt ad eorum ſanguinem.

6 Hinc patet ſolutio ad argumentum oppoſitum. Ad confirmationem,dico,eſto verum ſit, affinitatem ortam ex quacumque copula eſſe vinculum naturale inſtar conſanguinitatis, quia fiunt principium vnius carnis, atque ideò in inceſtu illius eſſe ex natura rei non paruam indecentiam, ſed non maximam irreuerentiam, & ſummam impietatem, qualis eſt in inceſtu ex cognatione orto ſaltem in primo gradu lineæ rectæ; quia nulla affinitas eſt principium naturale alterius qui eſt affinis, nec eſt vna caro cum illo; ſicut eſt inceſtus patris cum filia, vel matris cum filio.

Secundò dubitatur, an differat ſpecie peccare cum matre, aut cum nouerca: item peccare cum filia, aut cum priuigna ſeu filiaſtra; & ideò id ſit in particulari explicandum in ipſa Confeſſione.

Noſter Cardinalis Lugo *loco citato, numero* 316. & 317. tametſi concedat grauius eſſe peccatum cum matre, quam cum nouerca, & in vniuerſum in eodem gradu, grauius eſſe cum conſanguinea quàm cum affine; exiſtimat tamen eam maiorem grauitatem non addere differentiam ſpecificam. Probat, quia tametſi admittatur Matrimonium cum affine, quęcumque illa ſit, non eſſe iure naturæ irritum, ſed ſolùm præcepto Eccleſiaſtico, hoc non obeſt, quominus accedente tali præcepto, poſſit iam eius violatio pertinere ad eandem peccati ſpeciem, ad quam pertineat copula cum conſanguinea. Probat à ſimili in peccato Simoniæ: ſunt enim aliquæ Simoniæ iure naturæ, aliæ verò iure Eccleſiaſtico, & tamen iſtæ pertinent ad eandem ſpeciem cum illis, vt cum communi defendit Suarez *tomo* 1. *de relig. libro* 4. *de Simonia*, *capite* 7. *numero* 15. Quia diuerſitas præceptorum quod efficientes cauſas, non variat ſpeciem peccati, quando in materia eiuſdem rationis verſantur, & eandem virtutis honeſtatem reſpiciunt: quia ſpecies tam præcepti, quàm virtutis ex obiecto,& motiuo ſumitur, & conſequenter ſpecies peccati ſumenda eſt per receſſum ab his, ſeu per carentiam honeſtatis debitæ,quæ eadem eſt,etiamſi ex diuerſis pręceptis debeatur. Ex hac doctrina ſumit argumentum Cardinalis Lugo; nam ſicut *iure naturę* prohibetur venditio Sacramenti, propter intrinſecam *turpitudinem*, quam habet venditio *rei ſacræ*; ſic iure naturæ prohibetur copula ſeu Matrimonium cum propria matre propter turpitudinem ſpecialem contra reuerentiam matri debitam, & ſicut iure Naturę non eſt prohibita venditio Beneficij Eccleſiaſtici, ſed tamen honeſtum eſt, illud non vendere propter connexionem,quam habet cum re ſpirituali & ſacra; ita dato quòd iure naturæ non ſit prohibitum Matrimonium cum nouerca, eſt tamen honeſtum quòd non fiat, propter reuerentiam etiam,quæ debetur nouercę, ſicut matri: ergo ſicut Eccleſia prohibens venditionem Beneficij Eccleſiaſtici propter illud motiuum,ponit illud peccatum in eadem ſpecie, cum venditione Sacramenti; ſic prohibens Matrimonium cum nouerca propter illud motiuum, & propter ſimilitudinem quam habet cum matre,ponet illud peccatum in eadem ſpecie, in qua eſt coitus cum vera matre. Hæc Cardinalis Lugo. 7

Conſequenter mihi dicendum videtur, copulam cum matre, & copulam cum nouerca, ſimiliter copulam cum filia, & cum priuigna, ſeu filiaſtra, eſſe peccata inceſtus ſpecie diuerſa, in particulari expreſsè declaranda in Confeſſione. Moueor, quia indecentia vtriuſque peccati eſt ſpecie diuerſa contra diuerſam virtutis honeſtatem. Patet, quia indecentia filij cum matre eſt grauiſſima irreuerentia, & omnium maxima in eo genere, contra intrinſecam & maximam coniunctionem, & in illo genere obſeruantiam, ac pietatem, quæ matri debetur immediatè, & per ſe neceſſariò, prout eſt principium illius: at reſpectu nouercæ nulla eſt immediata coniunctio, & obſeruantia tanquam principij ipſius, vt liquet, vnde nouerca reſpectu matris ſolùm habet quaſi quandam analogiam, & proportionem, ac ſimilitudinem extrinſecam cum matre: ergo diuerſa eſt ſpecie turpitudo,& illa maior, & grauior. Firmo, nam *præcedenti ſectione* probaui *dubio ſecundo*, propter

Digitized by Google

propter hanc eandem rationem, peccatum filiæ cum matre,& peccatum neptis cum auo differre ſpecie ; & conſequenter etiam peccaſſe eundem Patrem cum filia, & etiam cum nepte ſua,filia eiuſdem filiæ, commiſiſse duo grauiſſima peccata ſpecie diuerſa , vt dixi *dubio quinto*:Igitur in præſenti conſequenter quoque eſt dicendum , circa peccata filij cum ſuà matre,& cum ſua nouerca. Quibus adde,meam ſententiam eſſe, vt conſtat ex *primo dubio huius ſectionis*,conſanguinitatem,& affinitatem eſſe circumſtantias ſpecie diuerſas ; atque adeò inceſtus ex illis procedentes eſſe ſpecie diuerſos: conſtat autem coitum cum matre eſſe inceſtum procedentem ex conſanguinitate, & coitum cum nouerca ex affinitate.

Ad argumentum oppoſitum , admitto doctrinam Suarez dicentis, diuerſitatem præceptorum quoad efficientes cauſas non variare ſpeciem peccati , quando eandem virtutis honeſtatem ; quia natura & eſſentia ſpecifica virtutis ex obiecto , & motiuo ſumitur ; atque ideò ſpecies peccati ſumenda eſt ex carentia honeſtatis debitæ.Verumtamen in præſenti dubio , negandum eſt , ſpeciem peccati coitus filij cum matre non eſſe diuerſæ ſpeciei à peccato filij cum nouerca:nam turpitudo ſpecialis contra reuerentiam matri vt principio eius debitam,eſt valdè diſtincta ſpecie ab alia inferioris rationis turpitudine contra inferiorem reuerentiam debitam nouercæ , quæ non ſolùm vera mater non eſt,ſed etiam ſolùm extrinſecè, & per quandam analogiam metaphoricā aſſimilatur verę matri. At in alio exemplo,quia non ſolùm venditio Sacramenti , ſed etiam beneficij Eccleſiaſtici,quod verè eſt propter Officium ſpirituale,eſt vera,& propria venditio rei ſpiritualis,& ſacræ,& vtraque venditio habet eandem ſpecie intrinſecam turpitudinem,tametſi ſit diuerſitas præceptorum illas prohibentium,poſſunt eſſe illæ ſimoniæ eiuſdem omninò ſpeciei.

8 *Tertiò*,dubitatur,quid ſit dicendum de nouerca, ſupeſtite adhuc patre?eſt-ne peccatum inceſtùs,ſpecie diuerſum,peccare cum tua nouerca , viuente eius marito patre tuo,& peccare cum ipſa,mortuo iam patre tuo?

Dico cum Cardinali Lugo *loco citato num.* 321. eſſe ibi differentiam ſpecificam. Ratio eſt,quia licèt mortuo etiam patre , fiat irreuerentia contra ipſum , accipiendo eam , quæ fuit vxor ipſius ; irrogatur tamen maior irreuerentia viuente patre in ratione inceſtus, & illi irrogatur ſpecialis impietas,lædendo patrem in re ſua & tanti momenti ; quæ iniuria , & læſio contra pietatem non reperitur,mortuo iam patre,cùm iam illa non ſit eius vxor. Quare filius habens coitum cum nouerca,viuente patre,debet in Confeſſione explicare nō ſolùm adulterium,ſed etiam inceſtū,ac ſpecialē impietatē quam cōmiſit. Vnde ſicut qui vulnerauit patrem, nō ſatisfacit dicendo , intuli graue damnum patri , ſed debet explicare genus mali quod intulit vulnere ipſo ; ſic qui aufert patri vxorem per copulam illicitā,debet explicare ſe læſiſſe patrem in ſua vxore per coitum cū illa.

Hinc colligo , copulam cum vxore patris viuentis differre ſpecie à copula cum concubina eiuſdem patris viuentis. Patet , quia in illo primo peccato vltra malitiam inceſtus , eſt iniuria patri illata , in tali bonorum genere,vſurpando eius vxorem,quæ iniuria continet ſpecialem malitiam contra pietatem:hęc autē malitia non eſt in ſecundo peccato;nam cognoſcens concubinam patris viuentis , tametſi aliquam inferat irreuerentiam patri , ſed non iniuriam , cùm non vſurpet aliquid patris , quia ad concubinam nullum habet ius, vt liquet.

9 *Quartò* dubitatur , an affinitas ex Matrimonio , & affinitas ex copula illicita in æquali gradu prohibito, refundant malitiam ſpecie diuerſam in Confeſſione explicandam. Cardinalis Lugo *citato loco num.* 324. ſentit regulariter eam non eſſe differentiam ſpecificam. Probat,quia licèt affinitas orta ex copula fornicaria,ſit affinitas imperfecta,atque ideò facilè diſpenſetur etiam in primo gradu lineæ rectæ , quod in affinitate orta ex Matrimonio nunquam fit:tamen prohibitio, & lex videtur illam malitiam poſuiſſe in eadem ſpecie , cùm habuerit idem motiuū prohibendi Matrimonium inter eiuſmodi affines. Quæ doctrina mihi valdè probatur : nam affinitas ex copula coniugali in primo gradu tametſi ſit affinitas ſtrictior ; nihilominùs tamen inter affines lineæ tranſuerſæ nulla reperitur ſuperioritas ex natura rei ; fornicatio cum affine habet ſpecialem malitiam irreuerentiæ ex natura rei , ſeu iure naturali ; atque ideò non affert ſecum ſpecialem grauitatem ac turpitudinem ſpecie diſtinctam à malitia inceſtus procedente ex copula illicita. Addidit rectè Cardinalis illam particulam , *regulariter* ; quia in aliquo caſu , iure concedit differentiam ſpecificam , nempe , inter copulam cum vxore patris viuentis , & copulam cum concubina eiuſdem patris viuentis. Quod etiam nos docuimus *præcedenti dubio*.

Quintò,& vltimò dubitatur,an aliqui gradus affinitatis inter ſe afferant diuerſitatem ſpecificam ? 10

Certum eſt apud Doctores , inter affines in ſecundo , & tertio gradu , ac in aliis vlterioribus gradibus nullum eſſe inceſtum ſpecie diſtinctum. Quia conſtat , inter dictos affines nullam reperiri ſuperioritatem , contra cuius ſpecialem reuerentiam ſit ponenda propria ſpecies inceſtus ſpecie diſtincta ab aliis. Solùm igitur id inquiri poteſt de inceſtu , quando eſt in primo gradu,cùm peccatur cum ſorore,ver. gr. vxoris,vel cum fratre proprij viri , an ea copula differat ſpecie à copula cum affine in ſecundo,vel tertio gradu.

Ratio dubitandi eſt , quia ex vna parte videtur ad vnam , & eandem ſpeciem pertinere , ad quam pertinet copula cum fratre , aut ſorore ; nam ſolet eſſe regula generalis , vt affinis copula pertineat ad eandem ſpeciem , ad quam copula cum conſanguinea eiuſdem gradus : At copula cum fratre , aut ſorore eſt ſpecie diuerſa à copula cùm aliis conſanguineis. Igitur & copula cum ſorore vxoris , vel cum fratre proprij mariti , erit etiam ſpecie diuerſa à copula cum aliis affinibus. Ex alia verò parte oppoſitum videtur dicendum , non differre ſpecie , quia motiuum ſpeciale , quo de iure naturali prohibetur copula inter fratrem , & ſororem , eſt coniunctio illa ſpecialis , quâ ab infantia conuiuunt , & in omnibus ſociantur : quæ cohabitatio , & ſocietas fraterna incenderet nimiùm luxuriæ faces , niſi natura ipſa ſpecialis prohibitionis fræno coërceret. Hæc autem ratio non procedit inter affines etiam in primo gradu tranſuerſo:hi enim non conuiuunt, nec educantur ſimul,nec habent diuerſam,aut maiorem ferè coniunctionem inter ſe,quàm affines in ſecundo vel tertio gradu.Igitur non eſt ratio,aut motiuum ſpeciale prohibitionis inter illos ; ſed commune,& generale ad alios affines ; atque ideò nequit ponere actum in diuerſa ſpecie.

Dico *primò* , negari non poſſe in affinitate in primo gradu poni in linea recta actus inceſſûs ſpecie diuerſos ; atque ideò illos eſſe in particulari exprimendos in Confeſſione Probatur, quia debitum reuerentiæ , quod eſt motiuum ſpeciale prohibendi copulam cum patre , vel cum filia , eſt etiam motiuum prohibendi inter nouercam ver.grat.& priuignum propter reuerentiam ſimiliter debitam ; ſicut & 11

inter ſocerum, & ſocrum; nam ſocer, & ſocrus reputantur pro parentibus. Et quamuis dicant nonnulli, multò grauius eſſe, peccare cum nouerca, vel vitrico, quàm cum ſocru, vel ſocero; ſi tamen reſponderetur, non videtur facere diſtinctionem ſpecificam, vt benè notauit Cardinalis Lugò *diſputatione 16. ſection. 6. numer. 320.* quia vtrique tam ſocer, & ſocrus, quàm vitricus, & nouerca, ſunt aliquo modo parentes, quatenus videlicèt, vel ſunt parentes tui coniugis, vel ſunt coniuges tui parentis. Quare malitia horum peccatorum oritur ſemper ex irreuerentia parentibus debita.

12 Dico *ſecundò*, inter affines lineæ tranſuerſæ, ſiue ſint in ſecundo gradu, ſiue etiam in primo, non eſſe inceſtus ſpecie diuerſos, ratione affinitatis præcisè; atque adeò non eſſe obligationem in Confeſſione, eos declarandi in particulari. Id communiter docent Doctores, quos refert, & ſequitur Diana *tractat. de Circumſtantiis, reſolutione 31.* Quod verius iudico inter omnes fines lineæ tranſuerſæ. Et probat manifeſtè ſecunda pars rationis dubitandi adducta, quæ in praxi optima eſt. Et ampliùs firmatur, quia nulla inter affines lineæ tranſuerſæ reperitur ſuperioritas, contra cuius reuerentiam inceſtus committatur, aut etiam cum manifeſta naturali turpitudine. Vnde negandum eſt, quod dicitur in prima parte dictæ rationis dubitandi, nimirùm pertinere copulam dictæ affinitatis ad eandem ſpeciem, ad quam pertinet copula cum fratre, vel ſorore: eſt enim iam aſſignata manifeſta diſparitatis ratio.

SECTIO VII.

An cognatio legalis debeat explicari ni copula illicita?

1 PRo explicatione notandum *primò*, quid ſit legalis cognatio? cùm autem hæc ſit effectus adoptionis, præmitti debet quid Adoptio ſit: quam ſic definiunt Iuriſperiti: Extraneæ perſonæ in filium, vel nepotem legitima aſſumptio. Extranea perſona hoc loco intelligitur, perſona adoptata extranea adoptanti, iuxta eum gradum coniunctionis cum adoptante, ad quem adoptatur, ſiue filij, ſiue nepotis. Vnde ſi quis adoptatur in filium vel nepotem, neceſſe eſt, vt non ſit filius, aut nepos. Quo præmiſſo, cognatio legalis definitur, Propinquitas ex adoptione proueniens. Dicitur *propinquitas*, vt declaretur ſimilitudo & conuenientia, quam habet cum cognatione carnali; additur, *ex adoptione proueniens*, vt eius propria differentia ſignificetur, per quam diſtinguitur à cognatione carnali.

2 Suppono *ſecundò*, adoptionem duplicem eſſe: alia enim eſt perfecta, quæ Arrogatio dicitur, qua adoptatus tranſit in poteſtatem adoptantis, ideóque arrogari non poteſt, qui ſui iuris non eſt; ſitque hæres neceſſarius adoptantis etiam ex teſtamento, & tantùm fit auctoritate ſupremi Principis: altera verò eſt imperfecta, ſeu ſimplex, qua adoptatus non tranſit in poteſtatem adoptantis; quia per eam aſſumitur in filium ille qui eſt ſub poteſtate ſui patris carnalis, & non eſt eius hæres neceſſarius ex teſtamento, ſed tantùm ab inteſtato, & fieri poteſt authoritate Magiſtratus inferioris Principe.

3 Suppono *tertiò*, quod cum grauibus Doctoribus docui *in tractatu de Matrimonio, diſputatione 30. ſectione 1. numero 6.* cognationem legalem ortam ex adoptione imperfecta non dirimere Matrimonium, ſed ſolam cognationem legalem, quæ oritur ex adoptione perfecta, & ſolet Arrogatio appellari, dirimere illud. Ratio eſt quia cognatio legalis dirimens Matrimonium eſt introducta legibus ciuilibus, Iure Canonico approbante, vt vitetur fornicatio, quæ facilè eſſe poteſt inter perſonas in eadem domo commorantes, & communicantes. At hęc ratio ceſſat in cognatione legali orta ex adoptione imperfecta, quâ adoptatus non tranſit in poteſtatem adoptantis, quia per eam aſſumitur filium ille qui eſt ſub poteſtate ſui patris carnalis, vnde talis adoptatus non traducitur in domum adoptantis.

Suppono *quartò*, cognationis legalis, quæ oritur ex 4
adoptione perfecta, triplicem eſſe ſpeciem. Prima eſt in linea recta inter adoptantem, & adoptatum, ac adoptati deſcendentes, ſaltem qui erant in eius poteſtate quando adoptatus eſt. Secunda eſt tranſuerſalis inter adoptatum, & filios naturales legitimos adoptantis, qui ſunt in eius poteſtate. Tertia eſt per modum cuiuſdam legalis affinitatis, ad ſimilitudinem affinitatis naturalis; quæ eſt inter adoptantem, & vxorem adoptati; & inter vxorem adoptantis, & adoptatum. Hæc triplex cognatio impedit, ad dirimit Matrimonium. Cum hoc tamen diſcrimine, quòd prima, & tertia inducunt impedimentum perpetuum dirimens, etiam diſſoluta poſtea adoptione. Vt conſtat ex *L. Quinetiam*, & *ex L. adoptiuus, ff. de ritu nuptiarum*, quæ approbatæ ſunt ab Eccleſia. Quod quidem ſtatutum eſt, ob reuerentiam & honorem, quem debet exhibere adoptatus cum ſua vxore adoptanti, & vxori eius; cúmque hęc reuerentia ſit perpetua, ſimiliter eſt perpetua vtraque illa prohibitio. At ſecunda cognatio durat vſque ad quartum gradum, & inducit impedimentum temporale; quòd intelligi debet, quandiu filij naturales & adoptatus ſunt ſub eiuſdem patris poteſtate. Vnde ſi pater moriatur, vel filius naturalis per emancipationem, aut alio modo egrediatur à poteſtate patris, vel adoptio diſſoluatur vt adoptiuus emancipetur, ceſſat impedimentum inter illos. Videantur dicta à nobis *diſput. 30. citata, ſect. 4.*

His poſitis, ad præſentem quæſtionem dico, copulam illicitam inter eiuſmodi cognatos legales, quan- 5
diu cognatio illa, & impedimentum durat, addere malitiam ſpecificam inceſtus, neceſſariò explicandam in Confeſſione. Ita Thomas Sanchez *lib. 7. de Matrimonio, diſput. 5. num. 10.* vbi affert Martinum de Magiſtris *tractat. de temperantia, quæſt. 9. concluſ. 7.* Et probat, quia ſicut per adoptionem quis efficitur cognatus, ita obligatur legibus cognatorum naturalium, nimirùm, reuerentia debita parenti adoptanti cui non ſolùm Matrimonium, ſed copula illa aduerſatur.

Addit Cardinalis de Lugo *dicta ſectione 6.* duo. *Primum*, in iis peccatis cum cognatis legalibus, tametſi oporteat explicare circumſtantiam inceſtus, non tamen neceſſe eſſe explicare differentiam cognationis legalis à naturali. *Secundum*, non eſſe ſemper eiuſmodi peccata eiuſdem ſpeciei. Quia cùm hæc cognatio legalis ſit conſanguinitas, & affinitas legalis, & ſimilitudo, debet ſubire eaſdem conditiones, & diuerſitates. Quare ſicut in vera conſanguinitate naturali, differt ſpecie peccatum patris cum filia, à peccato eiuſdem filiæ cum patre, & vtrumque à peccato fratris cum ſorore: ſic differet ſpecie peccatum adoptantis cum adoptata, à peccato eiuſdem adoptatæ cum adoptante, & vtrumque à peccato filij naturalis legitimi cum ſorore adoptata à ſuo patre. Additque

pecca

Digitized by Google

peccatum filij cum matre ſicut non differt ſpecie à peccato filij cum nouerca; ſic nec differre ſpecie peccatum filij adoptati cum vxore adoptantis, à peccato filij adoptatæ cum patre adoptante.

6 Ego verò aliter ſentiendum iudico. Quare inprimis iudico neceſſe eſſe explicare differẽtiã cognationis legalis: nam ſentio verius, inceſtum inter cognatos legales diſtingui ſpecie ab inceſtu inter conſanguineos, & affines. Ratio eſt, quia iſte inceſtus conſanguineorũ & affinium eſt verè, & propriè inceſtus ex natura rei: nam eſt ibi vera & naturalis conſanguinitas, & affinitas; eſt enim vera ſanguinis coniunctio; eſt quoque vera affinitas fundata in iure ſanguinis vero. At cognatio legalis, neque eſt vera ſanguinis coniunctio, nec eſt fundata in iure ſanguinis vero, nam nequit eſſe niſi inter perſonas omninò extraneas. Vnde ſolum eſt quędam metaphorica propinquitas, vel ſimilitudo, fundata in quadam conuenientia, & congruitate, vt vitetur fornicatio, quæ facilè eſſe poteſt inter perſonas extraneas in eadem domo commorantes.

7 Præterea dico, non oportere, vt prædicta cognatio legalis habeat eaſdem conditiones & diuerſitates ſpecificas, quas affert conſanguinitas & affinitas. Nam eſt illic illa varietas, & diuerſitas ſpecifica propter varias & multiplices rationes ſpecificas, propoſitas in duabus præcedentibus ſectionibus; quæ tamen non militant in cognatione legali, vbi non eſt ſpeciale motiuum coniunctionis, nec ſtricta pietas, ac reuerentia.

8 Denique aſſero, tametſi verius ſentiam, peccatum filij adoptati cum vxore adoptantis non diſtingui ſpecie in ratione adoptionis, vel cognationis legalis à peccato filiæ adoptatæ cum patre adoptante; quia non viget aliqua ſpecialis deformitas in ratione cognationis legalis in vno peccato, quæ non ſit in alio: falſum tamen eſſe peccatum filij cum matre non diſtingui ſpecie à peccato filij cum nouerca, vt oſtendi *præcedente ſect. num. 7.*

SECTIO VIII.

An circumſtantiam ſponſaliorum debeant in Confeſsione explicare ſponſi de futuro, dum confitentur copulam fornicariam cum aliis perſonis.

1 HAnc quæſtionem ex profeſſo tractaui *in tractatu de Matrimonio, diſputatione ſexta, ſectione quarta.* Vbi ſeptem probaui, quæ etiam nunc iudico veriora. *Primum eſt*, Sponſalia præcisè non addere fornicationi diſtinctam ſpecie malitiam iniuſtitiæ. Ratio eſt, quia ſponſalia mutuò contrahentes, nihil aliud ſibi mutuò promittunt, quàm futurum Matrimonium; vnde nihil aliud ſua promiſſione ſe obligant, aut obligare poſſunt, quam ad illud re ipſa futuro tempore contrahendum: at hoc ius ad rem, quod nihil eſt aliud quàm ius in vno habendi alterum aliquando in coniugem, & adquirendi dominium corporis eius non violatur fornicatione ſponſi vel ſponſæ de futuro, quia plenè ei ſatisfit à ſponſo, & ſponſa, dum retinent voluntatem contrahendi, & ſunt omninò parati ad Matrimonium ſuo tempore contrahendum. Igitur nulla committitur iniuſtitia. Quare fornicatio tam ſponſi, quàm etiam ſponſæ, ſi eſt occulta, & ignota, vt regulariter contingit, nullam addit malitiam iniuſtitiæ. Quia talis fornicatio cùm ignoretur, nullo modo impedit Matrimonium contrahendo: ſicut etiam ſimilis fornicatio, quia non impedit ingreſſum Religionis in eo, qui in ſæculo vouit ſe facturum profeſſionem in ipſa Religione, nullam noui peccati ſpeciem, præter eam, quæ eſt contra caſtitatem, contrahit.

Secundum eſt, ratione iuris quod habent ſponſi ad traditionem mutuam corporum, non poſſe eſſe, nec dici, peccatum ſponſi fornicantis eſſe veniale peccatum iniuſtitiæ, ratione leuis iniuriæ, quæ ſponſæ infertur; & idem ſpecie peccatum ſponſæ fornicantis, eſſe mortale, ratione grauis iniuriæ, quæ ſponſo infertur; ſed vtrũque, aut mortale eſſe, aut veniale, ratione prædicti iuris, aut certè nullam eſſe iniuſtitiam, vt ipſe exiſtimo. Ratio eſt, quia æqualis iuris violatio, æquale ex ſe peccatum eſt iniuſtitiæ, vt conſtat: ſed ius ſponſi & ſponſæ, in vtroque eſt omninò æquale: ergo illius violatio in vtroque vel eſt mortale, vel veniale, vel nullum. Minor probatur, quia per contractum ſponſalium, æquale ius adquirit ſponſa in viri corpus, ei iuri quod adquirit ſponſus in corpus ipſius ſponſæ; & vice verſa ſicut per Matrimonij contractum æquale ius adquirit vxor in mariti corpus ei, quod hic adquirit in corpus illius, & è conuerſo. 2

Dices, ex ſponſi fornicatione non redundare in ſponſam æquale dedecus apud homines, ei, quod ex fornicatione ſponſæ redundat in ſponſum. *Sed contra eſt*, quia ſi id valeret, concluderetur quoque vxoris adulterium eſſe quidem mortale iniuſtitiæ peccatum, quia ex eo redundat in maritum graue apud homines dedecus, & adulterium mariti leue, ſeu veniale, in hoc iniuſtitiæ genere peccatum eſſe, quia ex eo nonniſi leue redundat in vxorem dedecus. Quare ſicut hoc peccatum, cùm in vxore adulterante mortale ſit, eſt etiam in viro; quia æquale eſt vxoris ius in viri corpus ei, quod habet vir in corpus vxoris, fitque proinde æqualis ab adultero coniuge alteri coniugi iniuria; ita ſi in ſponſa de futuro fornicante dicatur hæc fornicatio eſſe peccatum mortale iniuſtitiæ, erit & in ſponſo; quia ſponſi ex ſponſaliũm contractu, ius habet in ſponſi corpus, æquale ei, quod hic habet in corpus illius; atque adeò fit iniuria ſponſæ innocenti à ſponſo fornicante, æqualis ei, quæ fit à ſponſa fornicante ſponſo innocenti.

Tertium eſt, ratione iuris ſponſorum adquiſiti ad corpora mutuò tradenda, teneri ſponſos ex Iuſtitia non reddi ineptos ad Matrimonium contrahendum. Patet, quia cum ſponſi ſolùm promittant contrahere Matrimonium, & per ſponſalia ſolùm adquiſitum ſit ius ad corpora mutuo tradenda, quoties ſponſi ad hoc parati erunt, & apti, non faciunt contra fidem datam, nec contra ius adquiſitum; & ſi redderentur inepti ad contrahendum Matrimonium, facerent contra tale ius; tenentur enim ſponſi ratione contractûs ſponſalium, ita ſeruare ſuum corpus ad Matrimonium contrahendum, vt propter aliquod ſuperueniens damnum non impediatur, vel retardetur iniuſtè ſponſus, vel ſponſa ad contrahendum: nam ſi impediatur, fit alteri iniuria eò magis, vel minus grauis, quò maius eſt impedimentum: ſicut ſi res aliqua, exempli cauſa, equus ſit debitus alicui ex contractu, grauiter peccat contra Iuſtitiam, qui illum reddit grauiter minus aptum eruendo oculum, & leuiter peccat, ſi illud tantùm leuiter minus aptum reddit. 3

Quartum eſt, ſi fornicatio tam ſponſæ, quàm etiam ſponſi eſſet nota aliis, præter ſpeciem peccati contra Caſtitatem, contrahere nouam ſpeciem iniuſtitiæ, quatenus per fornicationem redderentur inepti ad Matrimonium contrahendum. Probatur, quia inprimis negari non poteſt, ſponſam per fornicationem aliis notam, apud hominum æſtimationem 4

ſe reddere viliorem ad Matrimonium contrahendum, itavt nullus honeſtus,& prudens vir eam poſteà habere velit: ergo verè impedit executionem Matrimonij promiſſi: præſertim quia ſeſe exponit periculo concipiendi cum dedecore ſponſi, & damno etiam temporali, ne alienam prolem alat. Idem cum propoſitione dico de ſponſo, ſi fornicatio eius nota ſit ſponſæ:nam licèt apud hominum æſtimationem,non ideò ille reddatur notabiliter vilior; dat tamen ſufficientem cauſam ſponſæ ſoluendi ſponſalia,quod in leuem iniuriam non debet conuenire:nam culpa leuis,quæ viro cordato non ſufficeret ad repudiandam alterius amicitiam,non poteſt ſufficere ad ſoluenda ſponſalia. Prętertum quia talis fornicatio, meritò mouet ſuſpicionem ſponſæ,ſe minùs præ altera amari, & facilè etiam poſt contractum Matrimonium minùs amandam, cùm videat ſponſum in feruore ſui primi amoris alienis amoribus implicatum,& fortè magis quàm ſuo,quod ſponſę proculdubio duriſſimum eſt. Adde, ſæpe eſſe periculum,ne naſcatur proles, quæ poſtea communibus ſumptibus debeat ali, & futura ſit exoſa oculis vxoris, quam omnem aleam ſponſa debet ſubire,aut ſponſalia deſerere,atque adeò hinc etiam per fornicationem ſponſi impeditur executio Matrimonij promiſſi,vel ſaltem redditur ille ineptus ad illud contrahendum.

5 *Quintum eſt* apud Doctores certiſſimum,fornicationem ſponſi vel ſponſæ de futuro cum alijs commiſſam, non eſſe propriè adulterium. Tum quia adulterium ex omnium doctrina,eſt alieni tori violatio;accedens verò ad ſponſam de futuro, non violat alienum torum; quia ſponſis de futuro ante Matrimonium de pręſenti nondum cōceditur torus. Tū etiam,quia propriè adulterium in nuptam committitur,vt conſtat *ex leg. Inter,ff.ad legem Iuliam de adulteriis*; at ſponſa de futuro non eſt nupta: ergo acceſſus ad illam non eſt adulterium. Ex quo rectè inferunt Doctores, filios natos ex fornicatione ſponſi,aut ſponſæ de futuro cum alia perſona,quamuis non ſint legitimi, eſſe tamen naturales, & non ſpurios:ſicut etiam ſunt filij naturales nati ab habente votum ſimplex caſtitatis in ſæculo; quia ſolùm impedimentum dirimens Matrimonium, facit filios ſpurios, neque enim ſponſalia inducunt impedimentum dirimens,ſed impediens tantùm.

6 *Sextum eſt*,circumſtantiam ſponſalium non eſſe neceſſariò fatendam in Confeſſione tam ex parte ſponſæ de futuro,ſi cum alio fornicetur,quàm ex parte ſponſi, ſi ad aliam accedat, ratione iuris pręcisè, quod habent ſponſi ad traditionem mutuam corporum;quia nulla eſt iniuſtitia in fornicatione ipſorum,cùm ſit vſus corporis, quod adhuc non eſt alienum. Cùm verò ſponſi ratione ſponſalium, adquiſierint ius ad corpora poſteà mutuò tradenda, tenentur ratione huius iuris,ſeruare corpora apta ad contractionem Matrimonij. Quòd ſi impediatur,fit alteri iniuria: iuxta prudentis verò & docti viri arbitrium,inſpectis omnibus circumſtantiis, tam perſonarum,quàm earum conditionibus,cenſenda eſt grauis, vel minùs grauis iniuria;& ſi ea fuerit mortalis ex parte ſponſę, vel etiam ex parte ſponſi, ibi erit noua ratio, & ſpecies grauis iniuſtitię in Confeſſione neceſſariò aperienda. Quoniam verò ſponſus per ſponſalia ius ſolùm habet,vt nō impediatur iniuſtè ad illam ducendam in vxorem; & hoc ius non impediat, qui cum alia rem habet occultè, ſequitur, fornicationem ſponſi,& etiam ſponſæ,ſi eſt occulta,& ignota,nullam addere malitiam iniuſtitiæ.

7 *Vltimum eſt*,diuerſam eſſe ſpecie à ſimplici fornicatione circumſtantiam, in Confeſſione aperiendam, ſi quis acceſſum habeat cum conſanguinea in primo gradu ſponſę de futuro,contra publicæ honeſtatis impedimentum,dirimens in eo gradu Matrimonium. Vt rectè notauit Sanchez *lib 7.de Matrim.diſp 5.n.11*. Quia id etiam eſt coniunctionis genus, & affinitatis, ortum ex conſanguinitate. Idem dicendum de copula illicita cum conſanguinea coniugis in Matrimonio rato,non ſolùm in primo gradu,ſed vſque ad quartum.

SECTIO IX.

An cognatio ſpiritualis explicanda ſit in copula illicita?

SVppono *primò*, cognationem ſpiritualem eſſe propinquitatem perſonarum ex Eccleſiæ ſtatuto, ortum habentem ex Baptiſmo,& Confirmatione, dirimentem Matrimonium,inter Baptizantem,& baptizatum;& in patrino, & matrina reſpectu ipſius baptizati; & rurſus in parentibus baptizati reſpectu baptizantis,& patrini, ac matrinę.Quod idem dicendum eſt quoque reſpectiuè in Confirmatione. 1

Suppono *ſecundò*,ex aliis Sacramentis,præter Baptiſmum, & Confirmationem, nullam oriri cognationem ſpiritualem, quæ Matrimonium dirimat, aut impediat. Sic expreſsè definitur *c.finali, in fine,de cognatione ſpirituali, in 6.* his verbis: *Ex datione vero aliorum Sacramentorum.* (nempe Baptiſmi,& Confirmationis) *cognatio ſpiritualis nequaquam oritur,quæ Matrimonium impediat, vel diſſoluat.* Cuius rationem reddemus *ſect. ſequenti n.5*. 2

Suppono *tertiò*, cognationem hanc ſpiritualem ex Baptiſmo, & Confirmatione ortam ex ſolo iure Eccleſiaſtico eſſe inſtitutam. Atque hoc impedimentum cognationis ſpiritualis eſſe perpetuum; quia Iura & Decreta canonica abſolutè hoc impedimentum ſtatuunt; nec inuenitur textus illud limitans:non ergo extinguitur impedimentum prædictę cognationis ſpiritualis morte perſonæ,quâ mediante contracta eſt. 3

His poſitis,ad præſentem quæſtionem, certum videtur *primò*,eſſe circumſtantiam luxuriæ diuerſam ſpecie, ac neceſſariò fatendam,ſi quis rem habeat cum cognata ſpirituali,in eo gradu,in quo hæc cognatio Matrimoniū dirimit.Ita communiter Doctores.Ratio eſt,quia reuerentia Sacramenti, ex quo cognatio hæc ſpiritualis originem duxit; & obſeruantia quoque debita cognationi huic,quæ aſſimilatur conſanguinitati;quę duo ſunt ſpectata ab Eccleſia, vt hæc Matrimonia irritaret cum his impedimentis inita, habent etiam locum in copula fornicaria inter ſpiritualiter coniunctos.Nam violatur obſeruantia debita coniunctioni illi, & violatur quoque reuerentia debita Sacramento. Quare ob Sacramenti reuerentiam,ea copula interdicta,ſacrilegium eſt;& ob violationem obſeruantiæ, quæ aſſimilatur violationi conſanguinitatis,habet rationem inceſtus. Quare vtraque malitia ſpecifica declaranda eſt. 4

Prætereà mihi videtur verius, debere explicari cognationem ſpiritualem in ſpecie, vt conſtet de vtraque malitia ſpecifica.Ratio eſt,quia eſt ſpecies diuerſa ab inceſtu copulæ illicitæ in cognatione carnali vel legali.Nā licèt contineat malitiam aliquam inceſtus,vt dixi,quatenus videlicet eſt copula inter perſonas adeò coniunctas, cuius coniunctionis intuitu Eccleſia prohibuit inter illas Matrimonia: addit tamen vltra hoc malitiam ſacrilegij, eo quòd prohibitio iſta oriatur etiam ex reuerentia debita Sacramento, quæ reuerentia violatur 5

Digitized by Google

latur in eiuſmodi copula; atque ideò ex hoc capite pertinet ad ſacrilegium, vt cum aliis docet Thomas Sanchez *lib. 7. de mat. diſp. 9. num. 9.* & ſequitur Cardin. Lugo *diſp. 16. ſect. 6. num. 333.* Igitur neceſſe eſt, vt explicetur cognatio ſpiritualis in ſpecie, vt conſtet Confeſſori de vtraque malitia ſpecifica.

6 Difficultas verò ſolum eſſe poteſt, an hæc ſit ſpecies infima, an verò generica continens ſub ſe alias ſpecies contra cognationem ſpiritualem. Nam Cardinalis Lugo *loco citato numero 334. & 335.* duo dicit. *Primum eſt*, genericam eſſe: quia peccatum baptizantis, ſeu patrini, cum puella baptizata, differt ſpecie à peccato baptizantis cum matrina, vel patrini cum matre baptizati. Reddit rationem quia licet vtrumque peccatum ſit contra reuerentiam Sacramenti; non tamen participat eodem modo malitiam inceſtûs: nam peccatum baptizantis, vel patrini cum baptizata habet ſe, ſicut peccatum patris cum filia: & è contra peccatum baptizatæ cum baptizante, vel cum patrino, habet ſe ſicut peccatum filiæ cum patre: denique peccatum baptizantis cum matrina, vel patrini cum matre baptizati, aut matrinæ cum patre baptizati, habet ſe, ſicut peccatum Soceri cum matre ſui Generi; inter quos non datur titulus reuerentiæ, aut ſubiectionis, ſicut inter parentes & filios, ſed coniunctio ſpecialis in ordine ad eundem filium, quatenùs vterque eſt parens, vel per conſanguinitatem, vel per affinitatem eiuſdem filij. Sic baptizans, vel patrini, & parentes baptizati habent inter ſe ſimilem coniunctionem, quatenùs ij omnes ſunt patres, vel per naturam, vel per Sacramentum eiuſdem filij. Qui verò baptizat tametſi perfectiori modo participet hanc paternitatem, quàm patrinus, id non facit differentiam ſpecificam; quia etiam pater naturalis eſt perfectiori modo pater, quam vitricus, & tamen copula cum filio, aut cum priuigno eſt eiuſdem ſpeciei.

Secundum, quod dicit, eſt, non debere explicari diuerſitatem Sacramenti, nempe radicem cognationis ſpiritualis ortam vel ex Baptiſmo, vel ex Confirmatione; quia exiſtimat ex hoc capite non argui differentiam ſpecificam. Neque enim eſt differentia ſpecifica in ratione inceſtûs, cùm per vtrumque Sacramentum, patrini, vel baptizans, aut confirmans contrahant paternitatem reſpectu baptizati, aut confirmati, & compaternitatem inter ſe, & cum parentibus baptizati, vel confirmati. Neque etiam eſt differentia ſpecifica in ratione ſacrilegij, cùm vtrumque peccatum ſit contra reuerentiam Sacramentis debitam, & eodem genere irreuerentiæ: ſicut qui conferret Baptiſmum, vel Confirmationem in ſtatu peccati mortalis, non videtur committere peccata ſpecie diuerſa, nec debere explicare, quale Sacramentum contulerit in ſtatu peccati, cùm ad illam irreuerentiam materialiter ſe habeat, quòd ſit Baptiſmus, vel Confirmatio. Hæc Card. Lugo.

7 Ipſe verò, primum ex his duobus capitibus iudico eſſe verum; præter id quod dicitur de Baptizante, & Patrino, non facere differentiam ſpecificam in ratione paternitatis ſpiritualis: Ego enim ſentio oppoſitum, iuxta ea quæ dixi ſuprà *ſectione 6. numero 7.* de patre naturali, ac vitrico eſſe diuerſæ ſpeciei in ratione paternitatis naturalis. Secundum etiam caput non admitto: nam etiam puto debere explicari diuerſitatem Sacramenti, nempe Baptiſmi, vel Confirmationis. Cùm enim eiuſmodi Sacramenta ſint ſpecie diuerſa, paternitas quoque, & compaternitas ab ipſis procedentia debent eſſe diuerſæ ſpeciei. Hinc enim arguitur differentia ſpecifica tam in ratione inceſtus, quàm in ratione ſacrilegij. In ratione quidem inceſtûs, quia tametſi per vtrumque Sacramentum contrahatur paternitas, & compaternitas, ſed non ſub eadem ratione ſpecifica; cùm ſit radix vtriuſque diuerſa ſpecie. Ob eandem rationem, eſt differentia ſpecifica in ratione ſacrilegij; & conſequenter conferens Baptiſmum, & Confirmationem in ſtatu peccati mortalis, committit peccata ſpecie diuerſa. Nam licèt præceptum non miniſtrandi Sacramentum indigno, neque indignè, ſit omnibus Sacramentis nouæ Legis commune, quia omnibus illis debetur ex natura rei eiuſmodi cultus, ac reuerentia, tamen vnumquodque Sacramentum in ſpecie propter eius ſpecificam ac præſtantiorem dignitatem, exigit ex natura ſua ſtrictiori iure talem debitam diſpoſitionem in ſubiecto, & etiam in Miniſtro, ne reddatur inualidum, neque eius effectus fruſtretur; ac proinde eiuſmodi debitum eſt magis ſtrictum in collatione Baptiſmi Sacramenti; quod eſt ſimpliciter ac magis neceſſarium, ac præſtantius Sacramentum, quàm ſit Sacramentum Cõfirmationis. Quare ad hanc irreuerentiam non ſe habet materialiter, quòd ſit Baptiſmus vel Confirmatio. Firmatur à ſimili, nam in Sacramento Pœnitentiæ; quis neget in hoc Sacramento, quod eſt ſimpliciter neceſſarium ad remittenda peccata poſt Baptiſmum commiſſa, eſſe prædictum debitum magis ſtrictum, quàm in Sacramento Confirmationis, vel Extremæ-Vnctionis; quia illud eſt magis neceſſarium; & diſpoſitio requiſita ad dignè illud recipiendum, eſt pars quoque eſſentialis ad validitatem ipſius, vnde grauiùs peccat qui indignè illud miniſtrat, dans ipſum ſubiecto indigno, quo redditur ipſum omninò inualidum. Conſtat igitur, poſſe eſſe differentiam ſpecificam in ratione ſacrilegij in ſuſcipientibus indignè Sacramenta ſpecie diuerſa; & etiam in ea conferentibus ſeu miniſtrantibus; atque ideò hos debere explicare in Confeſſione, quale Sacramentum contulerint in ſtatu peccati, conferentes illud homini indigno, vt ſic tota malitia ſpecifica peccati exactè declaretur.

SECTIO X.

An ſit circumſtantia neceſſariò declaranda, ſi aliquis peccauit cum filio, vel filia Confeſſionis?

Certum eſt in hac quæſtione eſſe ingens ſacrilegiũ, & neceſſariò fatendum, quando Sacramentum Confeſſionis accipitur vt medium ad hoc peccatum committendum. Vt ſi Sacerdos in ipſa Confeſſione ſollicitauit pœnitentem, vel cùm proximè accederet, aut proximè poſt Confeſſionem: tunc enim interuenit grauiſſima iniuria Sacramenti; atque ideò illud peccatum ſpecialem continet malitiam mutantem ſpeciem peccati, & idcircò neceſſariò confitendam: quam meritò grauiſſimis pœnis punit Eccleſia, & de eo crimine iure optimo cognoſcunt Fidei Inquiſitores Apoſtolici. Quæſtio ergo eſt, quando non accipitur Confeſſio vt medium ad ſollicitandum, ſed ſi multo peracto tempore, Sacerdos rem habeat cum fœmina, cuius aliquando Confeſſionem excepit, quam appellamus Filiam ſpiritualem Confeſſionis, ſit iſta circumſtantia filiæ Confeſſionis neceſſariò fatenda, itavt aliter non fiat Confeſſio valida. 1

Tres præcipuas referam ſententias circa hanc rem. 2
Prima negat eſſe ibi ſpecialem malitiam ſpecie diuerſam, atque adeò non eſſe circumſtantiam neceſſariò explicandam in Confeſſione. Quam tenent Baſilius Ponce *de impedimentis matrimonij, cauſa 30. c. 24. §. 1.* Bonacina *q. 4. de matrimonio, punct. 16. n. 7.* & *diſp. 5. de Sacramentis, quæſt. 5. ſect. 2. punct. 2. §. 3. num. 9.* Ioannes Sanctius *in ſelectis, diſput. 11. num. 5.* Quibus

Digitized by Google

conſentit Vaſquez *tom.4.in 3. part. quæſt. 91. artic. 1. dub. 2. num. 20.* dum ait hanc circumſtantiam non mutare ſpeciem,ſed notabiliter tantum aggrauare peccatum. Tenet eandem vt probabiliorem Diana cum aliis quos ipſe refert *tom.1.tractatu de circumſtantiis, reſolutione 12.*

Probatur *primò*, quia per Confeſſionem non contrahitur cognatio ſpiritualis,ſicut per Baptiſmum contrahitur, & Confirmationem: non enim Sacramentum Pœnitentiæ inducit propriè cognationem ſpiritualem: cùm in nullo iure expreſſa reperiatur: at ſublatâ hac cognatione ſpirituali, nec videtur circumſtantia Filiæ Confeſſionis notabiliter aggrauare peccatum: ergo non eſt, cur accedere ad Filiam Confeſſionis ſit circumſtantia neceſſariò fatenda.

Secundò, ſi Confeſſor poſt Confeſſionem, Filiam Confeſſionis hortetur ad furtum, vel vindictam, aut periurium, nemo dicet, iſtam circumſtantiam neceſſariò eſſe confitendam, ex eo quòd eius Confeſſionem aliquando audierit, & Filia Confeſſionis ſit: ergo ſimiliter in præſenti.

Tertiò, hoc peccatum non eſt inceſtus, vt conſtat, quia non eſt acceſſio ad cognatam ſpiritualem, vel affinem; nec eſt ſacrilegium, quia non fit iniuria Sacramento, cùm iam tranſactum ſit; nec Sacramentum Confeſſionis ibi aſſumitur tanquam medium ad peccatum, cùm Sacramentum iam tranſierit; ergo.

Vltimò, ſi non daretur cognatio ſpiritualis,quæ iure Eccleſiaſtico oritur ex Baptiſmo, & Confirmatione, non eſſet ſpecialis circumſtantia neceſſariò confitenda, acceſſio ad baptizatam, vel confirmatam: ergo ſimiliter,cùm talis cognatio ſpiritualis non naſcatur ex Confeſſione, non dabitur ibi ſpecialis circumſtantia neceſſariò confitenda.

3 Secunda ſententia affirmat, circumſtantiam hanc Filiæ Confeſſionis eſſe neceſſariò confitendam, non ſolùm quia eſt notabiliter aggrauans, ſed quia mutat ſpeciem peccati, & eſt ſpeciale ſacrilegium ratione ſpecialis prohibitionis Eccleſiæ.Hanc tenent Sotus,Paludanus, Viguerius, Nauarrus, Tabiena, Armilla, Viualdus, & alij quos refert, & ſequitur Thomas Sanchez *lib. 7. de Matrimonio diſput. 55.* Coninck *diſput. 32. num. 23.* Fagundez *lib. 4. cap. 3. num. 32.* & Alij.

Probatur *primò*, ex cap. *Omnes*, 30. *quæſt.* 1. Vbi ſic ait Symmachus Papa: *Omnes, quos in pœnitentia ſuſcipimus, ita noſtri ſunt ſpirituales filij, vt & ipſi, quos vel nobis ſuſcipientibus, vel trina merſionis vocabulo mergentibus, vnda ſacri Baptiſmatis regenerauit.* ex quo textu, & aliis, colligi videtur ſaltem ex prohibitione Eccleſiæ malitia ſpecialis ſacrilegij,neceſſariò confitenda.

Secundò, ſacrilegium eſt, furari rem aliquam de loco ſacro, quia Eccleſia id ſpeciali prohibitione interdicit: ergo ſacrilegium erit fornicari cum Filia ſpirituali Confeſſionis; quia id etiam in textu adducto Eccleſia interdicit.

Tertiò, copula cum filia Confeſſionis eſt peccatum contra reuerentiam Sacramento debitam:per illud enim tollitur reuerentia,quam Filiæ ſpirituales habere debent ſuis Confeſſariis, & eſt cauſa, ob quam illæ à Confeſſione arceantur, & ſic iniuria fit Sacramento, reddendo illud pœnitentibus odioſum:ergo eſt neceſſariò confitendum.

4 Tertiam ſententiam mediam ſequitur noſter Cardinalis Lugo *diſput. 16. ſect. 6. num. 355. & ſequentibus*, diſtinguens, vel ſermonem eſſe de malitia, quam illud peccatum habet peculiarem iure naturæ, vel de malitia ſpeciali proueniente ex mera prohibitione humana. Si ſermo ſit de priori malitia, putat ibi eſſe ſpecialem malitiam, non inceſtûs, ſed ſacrilegij, & irreuerentiæ ſpecialis contra Sacramentum, & ideò in Confeſſione fatendam. Probat, quia ex tali peccato redundat irreuerentia,aut detrimentum in ipſum Sacramentum. Si enim Confeſſarius occaſione, & prætextu, quòd habeat curam filiam ſpiritualem gubernandi, vt pœnitentem ſuam, frequenter eam inuiſat, & peccet, aut ſi occaſione Confeſſionis præteritæ, eam poſteà alloquatur, nónne hæc omnia reddunt ex iure naturæ odioſum Sacramentum Pœnitentiæ,& ſuſpectum apud maritos, & cognatos, timentes, ne ſuis vxoribus, vel filiabus à Confeſſariis quid mali proueniat: ergo ex tali peccato iam redundat iure ipſo naturali irreuerentia aut detrimentum in Sacramentum ipſum, atque adeò & ſacrilegium. Si ſermo ſit de poſteriori malitia ſpeciali proueniente ex mera prohibitione humana, exiſtimat non eſſe ibi ſpecialem malitiam ſpecie diuerſam. Probat ex textu *in cap. finali, in fine, de cognatione ſpirituali, in 6.* Vbi Bonifacius VIII. expreſſe decernit ex aliis Sacramentis, præter Baptiſmum, & Confirmationem, nequaquam oriri cognationem ſpiritualem. Vnde in toto iure Canonico non reperitur deciſum, cognationem aliquam ſpiritualem, aut vinculum aliquod ſpeciale ex Confeſſione oriri, vnde conſurgat ſpecialis hæc luxuriæ circumſtantia. Igitur oppoſitum ſine ſufficienti fundamento aſſeritur.

Vt ipſe meum ſenſum aperiam,prænoto *primò*,quid ſit inceſtus. Inceſtus propriè eſt congreſſus cum conſanguinea, vel affine intra gradus prohibitos; quales ſunt omnes gradus conſanguinitatis, & affinitatis ex Matrimonio contracti vſque ad quartum gradũ:ex fornicatione verò vſque ad ſecundum,vt Conſtat ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 24. c. 4.* Vnde propriè Inceſtus eſt contra reuerentiam, & honorem debitum in eo genere actuum iuri ſanguinis vel conſanguinitati: extenſâ verò hac voce Inceſtus paulò latius, violatio cognationis legalis dicitur quoque inceſtus, quia fit cum perſona, cui ratione iſtius coniunctionis legalis, ſpecialis debebatur reuerentia in iſta materia: neque eſt aliud nomen quod ei meliùs conueniat. 5

Præterea obſeruo, quid ſit ſacrilegium in materia luxuriæ. Illud certè nihil aliud eſt quàm violatio rei ſacræ per actum venereum. Vnde congreſſus cum filia ſpirituali, quæ talis dicitur, propter cognationem ortam ex Baptiſmo, & Confirmatione,propriè non eſt inceſtus, ſed rectius refertur ad ſacrilegium; quia ſunt vincula magis ſpiritualia, nec faciunt coniunctionem carnis, & ſanguinis, ſicut conſanguinitas, & affinitas, & etiam ſuo lato modo cognatio legalis.

His præmiſſis, Dico *primò*, peccatum Confeſſoris cum Filia Confeſſionis, propriè loquendo, non eſſe inceſtum. Ita rectè notauit Sotus *in 4. d. 42. quæſt. 1. art. 2. columna tertia, verſu Quod ſi Canones.* Ratio eſt, quia non eſt acceſſio ad cognatam, vel affinem; aliud enim eſt inter ipſos vinculum magis ſpirituale ortum ex Sacramento Pœnitentiæ, quod non facit coniunctionem carnis, & ſanguinis, nec coniunctionem cognationis legalis, quæ etiam eſt carnalis ſimilis alteri; ſed coniunctionem ſpiritualem patris ſpiritualis cum filia ſpirituali: ergo nequit eſſe propriè inceſtus. 6

Dico *ſecundò*, prædictum peccatum eſſe ſpeciale ſacrilegium iure Naturæ in Confeſſione neceſſariò explicandum. Probatur, quia eſt peccatum contra reuerentiam Sacramento Pœnitentiæ debitam; per illud enim tollitur reuerentia, quam filiæ ſpirituales habere debent ſuis Confeſſariis, & eſt cauſa, ob quam illæ à Confeſſione arceantur, quia fit contra ſecuritatem, quæ debet eſſe in illo arcano iudicio, & ſic iniuria fit Sacramento Pœnitentiæ, reddendo illud pœnitentibus odioſum: 7

odioſum: ergo in eiuſmodi peccato iure Naturæ eſt malitia grauiſſimi ſacrilegij in Confeſſione neceſſariò aperiendi.

8 Dico *tertiò*, eſſe quoque ſpeciale ſacrilegium ratione ſpecialis prohibitionis Eccleſiæ ob ſpecialem Sacramenti reuerentiam neceſſariò in Confeſſione aperiendam. Ita ſentio cum Doctoribus ſecundæ ſententiæ. Moueor, quia ſunt varij textus canonici, in quibus eſt ſpecialis prohibitio talis peccati & præcipitur, vt illud grauiſſimis pœnitentiis puniatur, non ob aliam cauſam, niſi ob ſpecialem Sacramenti pœnitentiæ reuerentiam: ergo eiuſmodi peccatum habet iure Eccleſiaſtico ſpecificam ſacrilegij malitiam neceſſariò fatendam. Antecedens probatur. Nam inprimis, cap. *Omnes*, 30. qu. 1. Vbi cùm dixiſſet Pontifex, & præcipiendo admonuiſſet *vnumquemque Sacerdotem, vt nullus cauſa fornicationis ad ſuam filiam pœnitentialem accedat*. Quibus verbis ponit præceptum. Deinde dat rationem, *quia*, inquit, *ſcriptum eſt*: *Omnes, quos in pœnitentia accipimus, ita filij noſtri ſunt, vt in Baptiſmate ſuſcepti.* Quibus exprimit præcepti causâ, nempe reuerentiam; quia per illud peccatum tollitur reuerentia, quam Filiæ ſpirituales habere debent ſuis Confeſſariis. Tandem ſubdit pœnitentiam peccanti, ſic dicens: *Qua propter hoc ſcelus ſi quis perpetrauit, non ſolum dignitatis honorem amittat, verum etiam vſque ad exitum vitæ ſuæ iugi pœnitentiæ ſe ſubdat.* Secundò, Cæleſtinus Papa *in cap. ſi quis Sacerdos*, 30. *quæſt.* 1. ita ait; Si quis Sacerdos cum filia ſpirituali fornicatus fuerit ſecus ſe graue adulterium commiſiſſe. Idcircò fœmina ſi laica eſt, omnia derelinquat, & res ſuas pauperibus tradat, & conuerſa in Monaſterio Deo vſque ad mortem ſeruiat. Sacerdos autem qui malum exemplum dedit hominibus ab omni officio deponatur, & peregrinando, duodecim annis pœniteat; poſteà verò ad Monaſterium vadat ibique cunctis diebus vitæ ſuæ Deo ſeruiat. Tandem Idem Pontifex Cæleſtinus *cap. finali* 30. *quæſt.* 1. ſic ait: *Non debet Epiſcopus, aut Presbyter commiſceri cum mulieribus, quæ ei ſua fuerint confeſſa peccata. Si fortè (quod abſit,) hoc contigerit, ſic pœniteat, quomodo de filia ſpirituali*: *Epiſcopus quindecim annos, Presbyter duodecim, & deponatur.* Vbi gloſſa ponderans Presbyteri pœnitentiam duodecim annorum ſic ait: *Magis enim peccat Sacerdos cognoſcendo filiam ſpiritualem, quàm vxorem alterius, quia pro hac imponitur pœnitentia duodecim annorum, pro illa verò decem.* Ex quibus textibus manifeſtè conſtat prohibitio Eccleſiæ peccandi cum filia ſpirituali Confeſſionis, eiúſque peccati grauiſſima punitio. Ratione etiam probatur Dictum: quia ex eo quòd Eccleſia ſpecialiter interdixerit vinctum de loco ſacro extrahi, aut ibi peccata carnis committi, habent ſpecialem hæc peccata ſacrilegij malitiam neceſſariò fatendam. Furari quoque rem aliquam de loco ſacro, ſacrilegium eſt, quia id Eccleſia ſpeciali prohibitione interdixit: ergo ſacrilegium quoque erit, fornicari cum filia ſpirituali Confeſſionis; quia id etiam in textibus præcedentibus Eccleſia interdixit, & ſub grauiſſimis pœnis prohibuit. Præſertim *in cap. finali*, 30. qu. 1. vbi taxatur pœna; & ea eſt perpetua depoſitio, & quindecim annos pœnitentiæ in Epiſcopo; & in Presbytero, duodecim irrogat: hodie tamen non eſt in vſu, ſed tota pœna arbitrio Iudicis imponitur.

9 Dico *quartò*, ex Sacramento Pœnitentiæ oriri quandam cognationem ſpiritualem, non adeò propriam ac rigoroſam, qualis eſt illa, quæ oritur ex Baptiſmo, & Confirmatione inducente aliquod impedimentum Matrimonij, ſed aliam ſimilem inducentem rationem filiæ ſpiritualis. Ita Doctores ſecundæ ſententiæ. Prima pars Dicti certa eſt ex Decreto adducto Bonifacij VIII. Vbi notandum eſt, non dici ſimpliciter ex Sacramento Pœnitentiæ non oriri cognationem ſpiritualem, ſed cum addito, nimirùm, ad effectum impediendi Matrimonium. Nam poſtquam ibi explicuit induci impedimentum Matrimonij, ex datione Baptiſmi, & Confirmationis, ſtatim ſubdidit. *Ex datione vero aliorum Sacramentorum cognatio ſpiritualis nequaquam oritur, quæ Matrimonium impediat, vel diſſoluat.* Vnde conſtat ex Sacramento Pœnitentiæ nunquam fuiſſe ortam cognationem ſpiritualem, ſicut in Baptiſmo, & Confirmatione; quæ eiuſmodi effectum impediendi vel diſſoluendi Matrimonij cauſaret. Secunda pars, videlicet aliam cognationem ſpiritualem oriri ex Sacramento Pœnitentiæ ſimilem cognationi ortæ ex Baptiſmo, & Confirmatione, per quam Confeſſarius quodammodò pater, & fœmina pœnitens cenſetur eſſe filia ſpiritualis conſtare videtur ex textibus adductis *præcedenti Dicto*: in quibus appellatur fœmina reſpectu ſui Confeſſarij Filia ſpiritualis: & dicitur, quòd ille peccans cum ipſa ſic pœniteat, quo modo de filia ſpirituali. Dicitur quoque illa propoſitio generalis, in *cap. Omnes*, 30. *qu.* 1. *Omnes, quos in pœnitentia accipimus, ita filij noſtri ſunt, vt in Baptiſmate ſuſcepti.* Igitur indicant prædicti textus aliquam ſimilitudinem in ratione filiationis. Nequeunt autem prædicti textus omnimodam ſimilitudinem Sacramenti Pœnitentiæ ſignificare cum Sacramentis Baptiſmi, & Confirmationis in cauſanda cognatione: nam liquet iam ex Bonifacij VIII. decreto, non ſignificare ſimilitudinem in hoc, quod eſt parere impedimentum Matrimonij: nec dare eſſe gratiæ per modum generationis ſpiritualis, ſicut illud dant duo illa Sacramenta.

Vnde ſolùm ſignificant ſimilitudinem aliquam in ratione paternitatis & filiationis ſpiritualis, quatenùs per Pœnitentiæ Sacramentum datur idem eſſe ſpirituale, atque eſt inter Confeſſarium & pœnitentem, in manifeſtandis peccatis, & aperiendo corde, debita quædam reuerentia & ſubiectio, ob ſpecialem Sacramenti reuerentiam; atque ideò ſignificant quoque magnam ſacrilegij grauitatem in concubitu Confeſſoris cum fœmina pœnitente, quam voluerunt grauiſſimis pœnitentiis punire. Firmatur denique hoc Dictum auctoritate D. Thom. *in* 4. *diſt.* 42. *quæſt.* 1. *art.* 2. *ad octauum*, ſic dicentis: *Per Sacramentum Pœnitentiæ non contrahitur propriè loquendo ſpiritualis cognatio: vnde filius Sacerdotis poteſt contrahere cum illa, quam Sacerdos in Confeſſione audit: alias filius Sacerdotis non inueniret in tota vna parochia mulierem cum qua contraheret. Nec obſtat, quòd per pœnitentiam tollitur peccatum actuale, quia hoc non eſt per modum generationis, ſed magis per modum ſanationis, ſed tamen per pœnitentiam contrahitur quoddam fœdus, inter Sacerdotem, & mulierem confitentem ſimile cognationi ſpirituali; vt tantùm peccet eam carnaliter cognoſcens, ac ſi eſſet ſua ſpiritualis filia*, intellige per Baptiſmum; Hæc D. Thom. egregiè.

Obiicies, Confeſſarium non poſſe dici patrem pœnitentis, quia pater nomen generationis eſt; vnde pater corporalis, ſeu carnalis dat eſſe per generationem carnalem: at Confeſſarius, tametſi per Sacramentum Pœnitentiæ, remittat peccata, & det eſſe gratiæ, ſed non per modum generationis ſpiritualis, ſed per modum curationis, & ſanationis ſpiritualis: non ergo eſt, nec dicitur pater. *Reſpondeo*, verum eſſe patrem ſtrictè & propriè ſumptum, nomen eſſe generationis, atque ideò ſpiritualem cognationem ſtrictè ac propriè ſumptam ex ſola generatione contrahi ſpirituali, ad ſimilitudinem cognationis naturalis, ſeu carnalis. Cumque hæc duplex ſit, vna quaſi natiuitas in vtero, in qua adhuc id quod natum eſt, adeò debile eſt, vt non poſſit extrà

poni

Digitized by Google

poni ſine periculo, & alia quaſi natiuitas ex vtero, quando iam quod natum eſt, in vtero tantum roboratum eſt, quod poteſt ſine periculo exponi exterioribus quæ nata ſunt corrumpere; priori aſſimilatur regeneratio per Baptiſmum, in quo quis regeneratur quaſi fouendus intra vterum Eccleſiæ; poſteriori aſſimilatur Confirmatio, per quam homo corrobatur, & quaſi proles, quaſi extra ſpiritualem vterum exponitur foris. Vnde ex his duobus Sacramentis tantùm oritur propria, & ſtricta cognatio ſpiritualis, ex Baptiſmo per modum generationis, ſeu conceptionis in vtero Eccleſiæ; & ex Confirmatione per modum natiuitatis quaſi ex vtero Eccleſiæ vt foris exponatur. Sacramentum autem Pœnitentiæ habet aliquam ſimilitudinem cum Baptiſmo, & Confirmatione in refundenda prima gratia, reddens hominem filium Dei. Vnde ex illo oritur quædam ſpiritualis cognatio valdè ſimilis rigoroſæ ac ſtrictæ cognationi, quatenus dat eſſe ſpirituale gratiæ, ratione cuius Confeſſor dicatur Pater lato modo, & mulier pœnitens dicatur Filia ſpiritualis. Et hoc ſolùm eſt quod nos intendimus.

10 Dico *quintò*, quod dictum eſt de peccato Confeſſarij cum fœmina pœnitente, dici etiam debere in peccato eiuſdem cum maſculo pœnitente. Probatur, quia tota malitia ſpecialis ſacrilegij, quæ eſt in peccato Confeſſarij cum fœmina pœnitente, vt dixi, oritur ex ipſo iure naturæ, & ex prohibitione Eccleſiæ ob magnam irreuerentiam Sacramenti: hæc autem maior eſt in Confeſſario maſculi, propter maiorem peccati grauitatem, ex qua redundat maior irreuerentia in Sacramentum; & ipſe Confeſſarius tenebatur magis ad procurandum bonum pœnitenti in ordine ad vitandum illud grauius peccatum.

11 Dico *ſextò*, non ſolùm in Confeſſario ex officio, ſeu ex ipſa muliere pœnitente electo, & aſſumpto in patrem ſpiritualem, dum in eo officio durat, habere illud peccatum iure Naturæ, & ex prohibitione Eccleſiæ peculiarem malitiam ſacrilegij in Confeſſione declarandam, verùm etiam in quouis alio Confeſſario, qui olim audierit Confeſſionem ipſius mulieris. Contrarium docet Cardinalis Lugo citatus. Ratio quæ me mouet, hæc eſt, quia ad hoc in eo caſu fit magna irreuerentia Sacramento Confeſſionis tranſacto, & grauis iniuria: quia quamuis illud fuerit tranſactum, adhuc tamen iniuria illi moraliter infertur. Firmo, nam etiam peccatum tranſactum ſemper eſt in cauſa, ob quam filiæ ſpirituales à Confeſſione deterreantur, & ad illud non ita ſecurè accedant, in quo magna iniuria Sacramento infertur. Ita rectè notauit Fagundez ſuprà relatus, *num.* 33.

12 Dico *vltimò*, non ſolùm copulam, ſed tactus etiam turpes, aut pollutiones inter pœnitentis femora afferre ſpecialem malitiam ſacrilegij iure naturæ, & ex prohibitione eccleſiaſtica in Confeſſione declarandam. Ita ſentio cum Cardinali Lugo contra Dianam ſuprà relatum, *reſol.* 56. *ad finem*, ſic dicentem. *Stando in opinione, quod Confeſſarius tenetur confiteri circumſtantiam copulæ cum filia ſpirituali, non tenetur confiteri circumſtantiam tactus, aut pollutionis habitæ inter fœmina femora: quia Ius Canonicum ſolùm commixtionem numerat in ordine ad irrogandam iniuriam Sacramento.* Verum hanc ſententiam falſam omninò exiſtimo. Nam ſi ſermo ſit de ſpeciali malitia quæ oritur ex ipſo iure naturæ, euidens eſt, inueniri quoque in tactibus, & in pollutionibus magnam irreuerentiam contra Sacramentum, & grauiſſimam illi iniuriam irrogari, & conſequenter inueniri in illis ſpecialem malitiam ſacrilegij in Confeſſione aperiendā. Si verò ſermo ſit de malitia, quæ oritur ex prohibitione Eccleſiaſtica, eodē modo militat ratio: quia Ius Canonicum prohibens copulam cum filia ſpirituali propter irreuerentiam Sacramenti, ne illi talis iniuria irrogetur, conſequenter ob eandem irreuerentiā, & iniuriam vitandā prohibet tactus, & alia peccata turpia. Quare ſicut prohibita copula inter cognatos cognatione ſpirituali orta ex Baptiſmo, tactus etiam, & alia peccata turpia inter illos, contrahunt ſpecialem malitiam neceſſariò fatendam: ſic poſita prohibitione Eccleſiæ de copula Confeſſarij cum pœnitente, conſequenter tactus, & cætera peccata turpia contrahunt eandem ſpecialem malitiam in Confeſſione neceſſariò explicandam.

Ex his conſtat, quid dicendum ſit ad alias ſententias. 13
Ad primam ſententiam, illiúſq; primum argumentum, iam liquet *ex Dicto quarto*, qualis cognatio ſpiritualis contrahatur per Sacramentum Pœnitentiæ in Iure expreſſa.

Ad ſecundum dico, eſſe in Iure ſpecialem prohibitionem de peccato luxuriæ contra Confeſſarios qui ad carnalia, & actus impudicos inducunt pœnitentes, vt tollatur peccandi occaſio, quæ conſurgeret ex nimia familiaritate, quæ ſolet eſſe inter Confeſſarium & pœnitentem, in manifeſtandis peccatis, & corde aperiendo. Si quis verò ſumeret vt medium ipſam Sacramentalem Confeſſionem, vt hortaretur pœnitentem ad alia peccata periurij, homicidij, vel furti, etiam committeret ſpecialem malitiam ſacrilegij in Confeſſione neceſſariò explicandam.

Ad tertium, iam conſtat *ex Dicto ſexto*, eſſe quoque grauiſſimum ſacrilegium contra reuerentiam debitam Sacramento, tametſi iſtud tranſactum ſit.

Ad vltimum conceſſo Antecedente negatur Conſequentia: quia etiam naſcitur ex Confeſſione cognatio ſpiritualis ſuo modo, & grauiſſima iniuria, vt latè explicatum eſt.

Secunda ſententia pro nobis eſt; illiúſque argumenta rectè firmant noſtrùm tertium Dictum.

Tertia ſententia placet quoad primam partem de ſpeciali malitia, quam habet peccatum Confeſſoris cum filia pœnitente ex iure Naturæ; non verò placet quoad aliam ſecundam partem, in qua negat habere eandem ſpecialem malitiam ex prohibitione quoque humana Eccleſiæ: contrarium enim oſtenſum eſt ſuprà *Dicto tertio, & quarto*.

Quæres, an poſſit, vel liceat fœminæ quæ peccatum commiſit cum ſuo Confeſſario, illud apud eundem Confeſſarium expiare. 14 *Reſpondeo* breuiter, negari non poſſe talem Confeſſionem validam eſſe, ſi fœmina ſit ritè ac rectè diſpoſita. Vnde ſi peccatum iam omninò tranſiit, & vterque, Confeſſarius & mulier pœnitens ex corde pœnitent, & dolent, nec eſt periculum reincidentiæ, licet Confeſſori Sacramentum Pœnitentiæ miniſtrare. Moraliter verò expediens eſt, ac magis conueniens vt abſtineat, & ſic liberetur ab omni affectu, & periculo: nam ex ipſa Confeſſione criminis remouetur memoria in Confeſſario, & ex ipſa Confeſſione Sacramentali cognoſcit iterum affectum mulieris pœnitentis erga ipſum, & poteſt eſſe aliquod periculum reincidentiæ ſaltem in affectu cordis.

SECTIO XI.

An copula fornicaria inter affectos aliquo impedimento dirimente Matrimonium, vel ſolùm impediente, habeat ſpecialem malitiam in Confeſſione explicandam?

Dicam priùs de copula habita inter eos, qui aliquo impedimento dirimente laborant: poſteà verò de copula in habentibus impedimentum ſolum impediens. 1

Circa

Circa primum, ratio dubitandi eſt, quia nulla ſpecialis ratio malitiæ apparet, eo quòd ſit impedimentum dirimens inter fornicantes; cùm iura ſolam coniunctionem Matrimonij illis interdicant. Ex alio verò capite videtur oppoſitum affirmandum, quia nulla alia ratione acceſſus ad conſanguineam in ſecūdo, & vlterioribus gradibus vſque ad quartum, eſt inceſtus, & ſpecies diſtincta luxuriæ, niſi quia Eccleſia in ijs gradibus Matrimonium diremit: nulla enim extat ſpecialis prohibitio copulæ inter Conſanguineos, ſed ſola prohibitio Matrimonij facta ab Eccleſia inter illos: & ratio eſſe poteſt, quia cùm Matrimonium tendat ad efficiendam vnitatem carnis inter coniuges per copulam, interdicto Matrimonio, cenſetur etiam ſpecialiter interdicta copula fornicaria, per quam ſimiliter vnitas carnis efficitur: ergo talis copula habebit ſpecie diſtinctam deformitatem neceſſariò in Confeſſione detegendam.

2 Omiſſis aliorum ſententiis, placet mihi diſtinctio, quam circa hanc difficultatem adhibet noſter Sanchez *lib. 7. de matrimonio, diſput. 5. numero 7.* de qua mentionem fecimus ſuprà, *ſectione ſecunda num. 2.* dicens duplici modo Eccleſiam interdicere Matrimonium inter aliquos: *Primò* ob ſpeciale motiuum alicuius virtutis quod reſpicit, & idem motiuum inuenitur quoque in copula illicita. *Secundò*, non ob idem motiuum quod reperiatur etiam in copula illicita, ſed in delicti admiſſi pœnam, & ad aliquod damnum præcauendum. Priori modo cenſeri debet prohibita ſpecialiter copula illicita; & tunc in illa eſt ſpecialis malitia diuerſa ſpecie à ſimplici fornicatione, & neceſſariò fatenda; quia militat eadem ratio, & idem formale motiuum prohibitionis. Poſteriori verò modo id dicendum non eſt, quia non militat eadem ratio, nec idem motiuum.

3 Hæc doctrina vera eſt, vt conſtat diſcurrendo per varios caſus iuxta communiſſimam Doctorum ſententiam. Inprimis conſtat, ſi quis habeat carnalem copulam cum ea, cum qua nequit contrahere Matrimonium ob impedimentum conſanguinitatis, vel affinitatis, cōmittere inceſtum diuerſum ſpecie à ſimplici fornicatione, & neceſſariò in Confeſſione explicandam. Vt omnes Doctores fatentur. De quo late diximus ſuprà *ſectione 5. & 6.* Et ratio eſt, quia Eccleſia dirimens Matrimonium inter conſanguineos, & affines, ſpectauit, & reſpexit obſeruantiam debitam inter illos. Quod motiuum inuenitur etiam in copula inter illos fornicaria; atque ideò prohibito Matrimonio inter illos, cenſetur quoque prohibita copula habens quoque ſpeciem deformitatis inceſtum.

4 *Secundò*, ſi quis copulam habeat cum cognata ſpirituali in eo gradu, in quo hæc cognatio dirimit Matrimonium, committit peccatum luxuriæ cum circumſtantia diuerſa ſpecie, ac neceſſariò fatenda. Vt conſtat ex dictis ſuprà *ſect. nona*. Et ratio eſt, quia reuerentia Sacramenti, ex quo hæc cognatio originem duxit, & obſeruantia debita huic cognationi, quæ ſunt ſpectata ab Eccleſia, ratione cuius hæc matrimonia cum his impedimentis inita Eccleſia irritat, habet etiam locum in copula fornicaria inter ſpiritualiter coniunctos; nam etiam per hanc violatur reuerentia debita Sacramento, & obſeruantia illi coniunctioni.

5 *Tertiò*, ſimiliter copulam cum cognatis legalibus addere malitiam ſpecificam neceſſariò in Confeſſione declarandam. Vt oſtendi ſuprà *ſect. ſeptima*.

6 *Quartò*, ſi quis acceſſum habeat cum conſanguinea in primo gradu ſponſæ propriæ de futuro, contra publicæ honeſtatis impedimentum, dirimēs in eo gradu Matrimonium, committit diuerſam ſpecie à ſimplici fornicatione circumſtantiam, in Confeſſione explicandam. vt ſuprà demonſtraui *ſect. octaua*.

7 *Quintò*, circumſtantia luxuriæ eſt mutans ſpeciem, ac neceſſariò in Confeſſione declaranda, acceſſus fidelis cum infideli, aduerſus impedimentum irritans Matrimonium ob cultûs diſparitatem. Ratio eſt, quia Eccleſia dirimens, ac prohibens coniugium fidelis cum infideli, id facit ex motiuo turpitudinis, quæ apparet in coniunctione cum infideli, quam coniunctionem vult vitare. Hæc autem turpitudo æquè verſatur in copula extra matrimonium; in qua etiam eſt idem periculum malæ educationis, infidelitatis videlicet in prole, & peruerſionis coniugis fidelis ob nimiam familiaritatem cum infideli. Illud autem peccatum non pertinere ad inceſtum, ſed ad irreligioſitatem, ſeu ſacrilegium, docet benè Sanchez citatus *numero duodecimo*, quatenus per illud fieri videtur contra reuerentiam noſtræ Religionis, in cuius honorem prohibita eſt illa coniunctio cum infideli. Idem dico de copula fidelis cum hæretica: Nam licèt matrimonium inter hos validum ſit, prohibetur tamen ſub mortali ob dedecus, & iniuriam Chriſtianæ Religionis, & periculum peruerſionis Catholici, & educationis prolis in hæreſi. Quæ rationes ſuo modo militant quoque in copula illicita cum hæretico, ſicut cum infideli, ac proinde videtur ea copula etiam prohibita, & eſſe ſacrilegium.

Sextò, coïtus cum impedimento dirimente impotentiæ, vt ſi frigidus, vel Eunuchus coëat, habet circumſtātiam diuerſæ ſpeciei neceſſariò explicandam. Ratio eſt, quia ratio prohibitionis matrimonij inter hos, eſt impotentia generandi, & fruſtratio finis, ad quem natura coïtum deſtinauit; quæ ratio militat quoque in copula illicita. Eiuſmodi autem copula reducitur ad peccatum contra naturam, quia fruſtratur fine, ad quem à natura deſtinatur. Notat benè Cardinalis Lugo *diſputat. 16. ſectione 6. numero 338.* in eiuſmodi perſonis, etiamſi confiteantur peccata interna, debere in iis explicare talem circumſtantiam: niſi fortè fuerint deſideria, quæ ab illa malitia præſcinderent, vt ſi Eunuchus, aut naturaliter impotens ex amore alicuius fœminæ deſideraret potentiam, quæ illi deeſt, vt poſſet cum illa peccare, & non contra naturam: nam tunc iſte actus internus non haberet pro obiecto copulam contra naturam, & conſequenter careret malitia ſpeciali proueniente ex tali circumſtantia. Conſtat igitur ex prædictis ſex caſibus, quoniam idem motiuum, propter quod Eccleſia inter aliquos diremit matrimonium, reperitur quoque in copula illicita; eſſe quoque in hac ſpecialem malitiam in Confeſſione neceſſariò aperiendam; atque adeò prima pars diſtinctionis *ſuprà* poſitæ manet ſufficienter probata. 8

Secunda pars diſtinctionis, quæ continet; Si Eccleſia interdicat matrimonium inter aliquos, non ob idem motiuum, quod reperiatur quoque in copula illicita, ſed ob aliud diuerſum, ſæpe in delicti admiſſi pœnam, tunc in ea copula illicita non eſſe ſpecialem malitiam ex vi impedimenti in Confeſſione neceſſariò explicandam, manifeſtè liquet; *primò* in copula illicita cum fœmina, cum qua nequit validè matrimoniū inire ratione impedimenti criminis, vt adulterij cum promiſſione matrimonij, vel contractu de præſenti, vel homicidio coniugis. Quia in copula illicita deficit ratio & motiuum prohibitionis, & irritationis matrimonij, nempe delicti admiſſi pœna, & ne detur anſa captandi mortem coniugis, ad contrahendum cum adultera; atque ideò talis copula non habet nouam circumſtantiam ſpecie diuerſam ratione impedimenti criminis. 9

Secundò, ſi quis acceſſum habeat cum rapta conſentiente, antequam ad locum tutū reſtituatur, quamuis matrimonium validum inter eos eſſe nequeat, in ea copula non eſt circumſtantia mutans ſpeciem in Confeſſione neceſſariò exprimenda. Ratio eſt quia ratio, 10

quæ

quæ Tridentinum *ſeſſ.* 24. *de matrimonio cap.* 6. induxit ad id matrimonium irritandum, fuit plena libertas in ſtatu perpetuo matrimonij deſiderata, conſulens libertati ipſius: quæ ratio in illa copula non militat; atque ideò raptus non affert ſpecialem malitiam copulæ, quatenus præciſe impedit matrimonium. Aliunde tamen certum eſt apud Doctores, quòd ſi copula vi extorqueatur, habeat ſpecialem malitiam raptus neceſſariò explicandam. Hoc tamen non prouenit ex eo quòd impediat, ac dirimat matrimonium; nam etiam durante illo impedimento, eo quòd nondum fœmina ad locum tutum ſit reſtituta, ſi tamen fœmina liberè conſentiat in copulam, non habebit circumſtantiam raptus: & è contra, licèt fœmina non extrahatur de domo, quo caſu non contrahitur impedimentum, adhuc ſi vi extorqueatur copula, habebit circumſtantiam raptus in Confeſſione explicandam.

11 *Tertiò*, ex vi præciſa impedimenti conditionis ſeruilis, appoſiti ab Eccleſia, copula interim habita non habet ſpecialem malitiam. Ita optimè id defendit Cardinalis Lugo *diſput.* 16. *ſect.* 6. *n.* 34. Ratio eſt, quia motiuum quod induxit Eccleſiam ad hoc impedimentum ſtatuendum, fuit, vt reſarciret iniuriam vel damnum irreparabiliter illatum libero ignoranti conditionem ſeruilem alterius, ob grauem contractus inæqualitatem; at inæqualitas contractus non inducit ad prohibendam copulam illicitam, in qua non fit vllus contractus. Vnde voluit Eccleſia irritare matrimonium ab initio, vt poſteà ablatâ ignorantiâ, poſſit perſona libera ſibi conſulere. Quod non procedit in copula illicita; nam poſteà vbi primum ceſſauerit ignorantia, poteſt deceptus recedere, & ſibi conſulere, quod non potuiſſet poſt matrimonium, ſi non fuiſſet ab initio irritum.

12 Circa ſecundum, de copula illicita in habentibus impedimentum ſolum impediens, ſimiliter dicendum eſt, quoties ratio & motiuum prohibitionis æquè militat in ordine ad copulam, ac in ordine ad matrimonium, copulam intelligi prohibitam, & ideò neceſſariò in Confeſſione illam circumſtantiam explicandam. Patet hoc manifeſtè in impedimento diſparis cultûs inter Catholicum & hæreticam, quod non eſt irritans, ſed ſolum impediens: nam Catholicus peccans cum hæretica, vel è contra, debet explicare illam circumſtantiam propter impedimentum quod erat ad matrimonium contrahendum. Ratio eſt, quia motiuum prohibitionis idem eſt reſpectu matrimonij, & reſpectu copulæ fornicariæ: nam tale matrimonium prohibetur ſub mortali, ob dedecus, & iniuriam Chriſtianæ Religionis, & periculum peruerſionis Catholici, & educationis prolis in hæreſi. Quod motiuum militat ſuo modo in copula illicita cum hæretico, atque ideò cenſetur ſpecialiter etiam ea copula prohibita, & pertinebit ad ſacrilegium. Quare ſicut de impedimento irritante diſparitatis cultus dictum eſt ſuprà *numero ſexto*, refundere etiam ſpecialem malitiam in copulam illicitam; idem dicendum eſt de hæreſi, propter eandem rationem. Ita ſentio cum Sanchez citato *n.* 13. & Cardinali Lugo *loco citato, n.* 343.

Adde, quod circa impedimenta ſolùm impedientia eſt obſeruandum, ex illis multa eſſe iam abrogata, vt explicui *in tractatu, de matrimonio, diſputatione* 23. de quibus non eſt controuerſia, an copula habeat ſpecialem malitiam in Confeſſione explicandam: alia verò ſunt impertinentia ad præſens inſtitutum, vt eſt, verbi gratia, excommunicatio maior, vel minor, cum qua non poteſt licitè ſuſcipi Sacramentum Matrimonij; nam de illa conſtat non addere circumſtantiam explicandam in peccato fornicationis. Alia denique ſunt, de quibus certò conſtat addere circumſtantiam ſpecificam in peccato fornicationis, vt eſt votum ſimplex caſtitatis, quod impedit matrimonium, ne licitè fiat. Idem dicendum de alio impedimento ſolùm impediente, nempe de interdicto, ſeu prohibitione, qua quis ab Eccleſiæ Prælato prohibetur, ne contrahat matrimonium cum tali fœmina, quia dubium eſt, an inter eos ſit aliquod impedimentum, donec id liquidò cognoſcatur. Hic enim, ſi tunc peccaret cum illa fœmina, contraheret malitiam ſpecialem propter periculum, cui ſe exponeret committendi inceſtum, vel aliud peccatum, quod oriretur ex tali impedimento ſi eſſet verum, niſi fortè ipſe certò ſciret non dari tale impedimentum quod indagatur.

SECTIO XII.

An dignitas perſonæ, & etiam Officij, ſit in Confeſſione explicanda?

Circa primum de dignitate perſonæ, verbi gratia, ſi pœnitens eſt Epiſcopus, Generalis, Prælatus, an in peccato fornicationis, & in vniuerſum in omni peccato mortali, etiam interno, vel occulto, debeat id explicare in Confeſſione. 1

Fagundez, *precepto* 2. *lib.* 4 *cap.* 3. *num.* 8. affirmat, ſi Epiſcopus ſit iam conſecratus non ſatisfacere dicendo in Confeſſione ſe peccaſſe contra ſtatum, ſed teneri declarare circumſtantiam conſecrationis; quia ſtatus Epiſcopalis eſt multò perfectior, & ſanctior, quàm ſtatus Religioſi; vnde ſi ſtatus Religioſi eſt circumſtantia notabiliter augens peccatum, multò magis erit ſtatus Epiſcopalis. Nunnus verò *in addit. ad* 3. *part. quæſt* 9. *art.* 2. *dub.* 3. *concluſ.* 2. & 3. addit teneri Epiſcopum iſtam circumſtantiam explicare in quocumque peccato mortali: quia Epiſcopi ratione proprij ſtatus, tenentur ad perfectionem vitæ Chriſtianæ habendam: at huic perfectioni ex æquo repugnat quodcumque peccatum mortale. Et hoc etiam ait procedere in Generalibus Ordinum, eo quòd Generales Ordinum ſunt quaſi Epiſcopi, & tenentur alios monere ad perfectionem.

Oppoſitam ſententiam iudico veriorem, quam ſequuntur Sanchez *lib.* 7. *de matrimonio diſputat.* 27. *num.* 33. Coninck *de pœnitentia diſput.* 7. *dub.* 4. *num.* 18. Henriquez *lib.* 5. *cap.* 5. *num.* 6. & alij quos refert, & ſequitur Diana *tom.* 1. *tractatu de circumſtantiis reſolutione* 6. 2

Iuxta quam dico *primò*, certum eſſe, fornicationem Epiſcopi nondum conſecrati, ſed tantùm electi, & confirmati, nec ſacro Ordine initiati, ſecluſo ſcandalo, non excedere maliciâ ſimplicis fornicationis. Ratio eſt, quia nulli obligationi ſpeciali ad caſtitatem, præter communem omnibus aliis aduerſatur, & ſolo iure Eccleſiaſtico, ſtatui Epiſcopali annectitur ſpecialis caſtitas ratione Ordinis ſacri. Quare ſicut non obſtante maiori perfectione ſtatus Epiſcopalis in ordine ad alios perficiendos, nullo iure eſt ei annexa paupertas, quæ tamen eſt de eſſentia ſtatus Religioſi, etſi minus perfecti; ita nec caſtitas niſi ex iure Eccleſiaſtico, ratione Ordinis ſacri, qui neceſſariò præmittitur conſecrationi Epiſcopali: ergo ſi Epiſcopus eſt tantùm electus, & confirmatus, & nondum in Sacris conſtitutus, non tenetur ratione ſtatûs ad Caſtitatem ſpecialem.

Dico *ſecundò*, neque Epiſcopum conſecratum, ſi fornicetur, teneri Epiſcopatus circumſtantiam fateri. 3

Ratio

Ratio eſt quia nullam aliam obligationem ad caſtitatē habet, quàm ratione voti annexi Ordini Sacro: ergo eiuſdem rationis eſt fornicatio Epiſcopi, ac fornicatio cuiuſcumque in Ordine ſacro conſtituti. Quod intellige niſi fornicatio illa ab Epiſcopo commiſſa ita publica eſſet, vt ſcandalū cauſaret: tunc enim ſpecialis malitia ex ſtatus, ac officij circumſtantia contraheretur, eaque eſſet neceſſariò in Confeſſione explicanda; quia delinqueret aduerſus ſpecialem officij obligationem, quâ tenetur ſubditos paſcere verbo, & exemplo.

4 Hinc dico *tertiò*, non eſſe iure Naturæ, nec iure diuino annexam caſtitatem ſtatui Epiſcopali. Primum probatur, quia nulla eſt ratio cogens affirmare id iure Naturæ inductum eſſe: nam ſtatus coniugalis non habet ſuapte natura repugnantiam cum miniſteriis Epiſcopalibus, nec Ordo Epiſcopalis expellit ex natura rei coniugalem ſtatum, vt manifeſtè conſtat; nam etiam ſeruitus, & matrimonium ſimul conſiſtunt; cùm tamen ſeruus, ſit priùs domino traditus, & ſub eius poſſeſſione. Secundum etiam liquet, quia tale præceptum diuinum nullibi reperitur. Et Paulus expreſse dixit 1. *Timot.* 3. Epiſcopum vnius vxoris eſſe virum: & ipſe elegit in Epiſcopum Athenienſium Dionyſium Areopagitam; quem tamen coniugatum fuiſſe cum Damare, conſtat ex *c.* 17. *Actuum Apoſtolorum*. Et quamuis ab Apoſtolorum tempore Eccleſia Latina, & Græca hactenus ſeruauerit, ne Epiſcopi, ſicut nec ad Sacros Ordines promoti, matrimoniū ineant; ex ea tamen antiquitate non colligitur præceptum eſſe iuris diuini, ſed eſſe Eccleſiaſticum ab Apoſtolis originem ducens. Et quamuis ſit conforme rationi naturali, & ipſi tam ſpirituali, ac nobili ſtatui annectatur caſtitas, tanquam res illa decentiſſima, & congruentiſſima, non tamen inde concluditur eſſe omninò neceſſariam; nec ex ſe parit virtutem præcepti, vt eo ipſo quòd Chriſtus Sacramentum Epiſcopatûs, & alterius Ordinis ſacri inſtituerit, ſit Epiſcopis, & aliis ſacro Ordine initiatis matrimonium iure, ac præcepto diuino interdictum.

5 Dico *vltimò*, ſine vllo fundamento dici à Nuño, neceſſe eſſe, Epiſcopum in omni peccato mortali, etiā interno, vel occulto circumſtantiam ſui ſtatus explicare. Patet, quia vt conſtat ex dictis, ſecluſo ſcandalo, circumſtantia huiuſmodi ſtatus non transfert peccatum ad aliam ſpeciē, licèt illum aggrauet ratione maioris obligationis, quā Epiſcopus debet procurare perfectionem. Quod etiā reperitur in Religioſo; qui ratione ſui ſtatus, magis debet aſpirare ad perfectionē; & non tamen ideò debet in quolibet peccato mortali explicare circumſtantiam ſtatûs Religioſi, vt conſtat apud omnes. Idem dicendum puta de Generalibus Ordinum, aliiſque Prælatis. Quare perſona in dignitate conſtituta, non tenetur dignitatem in Confeſſione explicare, niſi fortè quis ideò fuiſſet occaſio magni ſcandali: vt quandoque accidit, quando conſtituti in dignitate, præſertim Eccleſiaſtica, publicè peccant.

6 Circa ſecundum de Gubernatore aut publicum Magiſtratum tenente, an ſi ipſe furetur, vel adulteretur, explicare debeat hanc circunſtantiam Officij ſui.

Sentio cum Henriquez *lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 3. *in gloſſa littera O*, Cardinali Lugo *diſp.* 16. *ſect.* 4. *num.* 180. & 181. Diana *tractatu de circunſtantiis, reſolutione* 36. & aliis Recentioribus non debere. Fundamentum eſt, quia furtum illud, vel adulterium quod à Gubernatore patraretur, non acciperet ex eo capite ſpeciem nouam malitiæ. Ratio eſt, quia licèt gubernator conſtituatur ad hoc, vt impediat furta, adulteria, & alia delicta aliorum propter bonum commune, non tamen vt impediat ſua: ſicut Fiſcalis debet ex munere ſuo, denuntiare delicta aliorum contra bonum publicum, non tamen ſua: & cuſtos vineæ debet manifeſtare fures, non tamen ſe ipſum; quia iſti omnes conſtituuntur in ordine ad alios in officio continendos, non in ordine ad impedienda ipſorummet delicta. Addo tametſi Gubernator ex Iuſtitia teneretur quoque ad impediendum furtum ſuum pro debito ſui muneris; adhuc illa circumſtantia non adderet nouam ſpeciem, nam illa deberet eſſe ſpecies iniuſtitiæ, hæc autem eſſe nequit, quia ipſum peccatum furti conſtitutum eſſet in ſpecie iniuſtitiæ: eſſet igitur tunc circunſtantia aggrauans; & tunc etiam dato, & non conceſſo quòd circunſtantiæ notabiliter aggrauantes ſint neceſſariò confitendæ, non eſſet ea circunſtantia confitenda, quia non multùm aggrauat peccatum furti intra eandem ſpeciem.

DISPVTATIO XXIX.

De ſecunda Circumſtantia Quid *in Confeſſione neceſſariò explicanda.*

SVB hac circumſtantia *Quid*, multa ſunt, quæ continentur dubia in ordine ad praxim Confeſſionis valdè neceſſaria. Illa verò præcipue denotat rem volitam, ſeu materiā, circa quam peccatur, vt verbi gratia, rem furto ablatam; & conditiones eius, vt quantitatem, ſi res ablata magna ſit; & qualitatem, ſi res furto ablata ſit res ſacra. Ad hanc circunſtantiam *Quid*, accedit alia circumſtantia, quæ ſolet vocari, *Circa quid*, & propriè indicat perſonam, ad quam terminatur peccatum vt v. g. ſi percuſſiſti hominem clericum, vel patrem. Quæ meritò reducitur ad illam circunſtantiam *Quid*, quia talis perſona eſt quædam pars materiæ illius peccati. Nonnulla verò quæ pertinere videntur ad hanc circumſtantiam, iam in ſuperioribus tractata ſunt; vt quantitas obiecti, ſeu circumſtantia magni furti; de quo egimus ſuprà *diſputatione* 12. *ſect.* 1. Virginitas, Conſanguinitas, affinitas, cognatio ſpiritualis, & filia Confeſſionis in copula; de quibus dictum eſt *variis ſectionibus præcedentis diſputationis decimæ tertiæ*. Nunc in hac Diſputatione ad alias circunſtantias obiectiuas deſcendemus, & videbimus an ſint neceſſariò in Confeſſione declarandæ. Et etiam vltimo loco dicemus de effectu ſecuto ex peccato, quod etiam eſt aliquo modo obiectum peccati volitum.

SECTIO PRIMA.

An in peccato odij proximi ſit declarandum malum proximo deſideratum; an ſufficiat dicere, Ex odio deſideraui ei malum graue, non declarando, an mortem, infamiam, vel paupertatem, &c.

SVppono *primò*, pœnitentem qui peccatum odij cōmiſit, teneri exprimere in Confeſſione, an odiū fuerit in Deum, vel in proximum, quia ſicut alius eſt ſpecie amor Dei, vt eſt in Deum, & alius amor proximi, vt eſt in proximum; ita odium Dei ſpecie differt ab odio proximi: ergo in Confeſſione aperiendum eſt, an odium fuerit in Deum, vel in proximum. 1

Suppono 2. ex materia *de Charitate* odiū proximi eſſe ſpeciale, & grauiſſimū peccatum diſtinctū à cæteris, ſicut 2

ſicut eſt odium Dei; quia opponitur ſingulari virtuti, nempe Charitati. Vnde eſt genere ſuo peccatum maximum eorum, quæ ſunt contra proximum, vt rectè docuit D.Tho. 2. 2. *qu.* 34. *art.* 4. quia auertit omninò, & directè voluntatem à proximo. Quare ita ſe habet ad cætera peccata in proximum, ſicut odium Dei ad cætera peccata in Deum, atque ideò vtriuſque eſt eadem ratio cum proportione.

3 Suppono *tertiò*, non videri negari poſſe odium proximi continere ſub ſe multas peccatorum ſpecies, tam ex parte motiui, ſub quo proximus odio habetur, quàm ex parte mali, quod illi volumus. Vnde velle proximo æternam mortem, aut temporalẽ, per ſe videntur habere deformitates ſpecie diſtinctas: & ſicut afficere proximum iniuriâ in vita, vel in fama, vel in bonis fortunæ, ſunt peccata ſpecie diſtincta contra Iuſtitiam propter materiæ diuerſitatem; ita pari modo efficiunt diuerſitatem in odio ipſo ex quo tale illi volumus malum.

4 Suppono *quartò*, quod etiam videtur certum, quando eſt deſiderium efficax auferendi vitam, vel diuitias, vel bona fortunæ, debere declarari in Confeſſione illud malum, quod ex odio ſic deſideratur. Patet, quia tunc illa mala quæ deſiderantur, & volumus, ſpecificant actum: nam odiũ non ſolum ſpecificatur à perſona, cui malum volumus, quæ eſt quaſi finis *Cui*, ſed etiam à malo quod deſideramus, quod eſt quaſi finis *Qui* illius odij: ſicut quando deſidero amico honorẽ, quia bonũ eius eſt, honor amatur vt finis *Qui*, amicus verò vt finis *Cui*; vnde vterq; amatur vt obiectũ formale, & per conſequens vterque ſpecificat actum. Igitur prædicta mala, cùm ſint ſpecie diuerſa, diuerſificant actũ, debent igitur declarari illa mala; quia voluntas occidendi inimicum efficax differt ſpecie à voluntate diffamandi illum, vel lædendi in bonis fortunæ; debet igitur id in Confeſſione declarari.

His poſitis, ſupereſt ſolùm quæſtio de odio, quando ſiſtit in ſolo deſiderio, quo vellem proximo ea mala aliunde euenire, quia mala eius ſunt.

5 Opinio eſt multorum, Valentiæ, Turriani, Lorcę, Bonacinæ, Dianæ & aliorũ, quos refert, & ſequitur Card. Lug. *diſp.* 16 *ſect.* 5. § 3. aſſerentiũ, non opus eſſe in Cõfeſſione aperire mala ipſa, quæ quis proximo concupiuit, ſed ſatisfacere, dicendo ſe toties graui odio proſecutum fuiſſe proximũ, optando illi graue malum. Probant, quia diuerſitas malorũ in actu odij, materialiter ſe habet, & in actu odij comprehendũtur ſub eadem ratione formali, id eſt vt ſunt malũ proximi. Vnde inferunt, non eſſe eandem rationẽ odij, & aliorum peccatorũ quorum obiectum materiale explicandũ eſt in Cõfeſſione; quia odium in ſuo eſſe non ſolùm ſpecifico, verùm etiam indiuiduali cõſtituitur potiùs ex motiuo, quàm ex obiecto materiali; cùm idcirco velimus alicui graue malũ, quia nobis diſplicet. Idem firmat Card. Lugo dicens, illos affectus, quibus deſideratur proximo infamia, vel mors, vel paupertas, quatenus talia mala ſunt, differre quidem ſpecie phyſica inter ſe, propter diuerſitatem obiecti formalis partialis, nempe mali voliti; cum hoc tamen ſtare poſſe, quòd de facto affectus odij, quibus deſiderantur ea mala, non differant ſpecie morali, quia licèt mala illa ſint valdè diuerſa, & ſufficerent ad ſpecificandas diuerſas virtutes, & vitia, ſi deſiderarentur vt talia ſunt; tamẽ in præſenti caſu non ſufficiunt, quia non deſiderantur, nec attenduntur, quatenus talia ſunt, ſed quatenus ſunt malum proximi, cui deſideratur paupertas, ex odio, quia malum eius eſt, ſub qua etiam ratione deſideratur infamia, ægritudo, mors &c. Quare differentia talis mali, materialiter ſe habet in ordine ad odium; & ideò in ratione peccati non ſpecificatur à differẽtia ſpecifica talis mali, ſed à ratione cõmuni mali, quam formaliter intendit. Vnde infert differentiam inter affectum efficacẽ, & inefficacem: nam voluntas efficax accipit malitiã ſpecificam ex obiecto etiam materialiter volito, quia ratione illius opponitur ſufficienter virtuti ſpeciali præcipienti, vel prohibenti talem actum; v.g. Iuſtitia prohibet lædere ius proximi in fama, huic virtuti aduerſatur qui vult lædere famam, licèt id ſolùm materialiter velit; non autem aduerſatur, qui deſiderat famam lædi, ipſe verò non vult illam lædere, peccat tamen contra Charitatem, quę prohibet velle malum proximo. Probabilis eſt in praxi prædicta ſententia.

Oppoſita ſententia, quæ eſt Suar. *diſp.* 6. *de Charitate ſect.* 2. Siluerij *ibi. q.* 34. *quæſito* 2. Coninck *de charitate diſp.* 19. *dubio* 3. *n.* 61. & aliorum mihi verior, ac probabilior videtur. Quam *ſeqq. Dictis* magis declaro. 6

Dico itaque *primò*, negari non poſſe, dari vnũ odium proximi diſtinctum ſpecie ab alio proximi odio, & tunc eſſe explicandum in Confeſſione. Patet, quia poteſt dari diuerſa ratio formalis vtriuſque odij vt ſi vnus oderit proximũ, quia creatura, aut imago Dei eſt, vel quia eſt quid Dei; in quo aſſimilaretur odio, quod Dæmones habent contra homines: alter verò oderit ob iniuriam ab eo acceptam: tunc enim negari non poteſt, hæc duo odia habere deformitates ſpecie diuerſas, atque adeò eſſe in Confeſſione declarandas. 7

Dico *ſecundò*, ratione diuerſi mali quod proximo actu deſideratur, poſſe eſſe odia ſpecie diuerſa, & in Confeſſione neceſſariò explicãda. Probatur, quia ſi vnus deſideret proximo æternam damnationem, alter mortem, præſertim valdè crudelem, ac ignominioſam, alter ſolam amiſſionem ſtatus &c. prout talia mala ſunt, quis neget, pro varietate mali illa odia eſſe ſpecie diuerſa, & neceſſariò in Confeſſione aperienda? Quandoquidem deſiderantur illa mala vt talia ſunt inter ſe adeò diuerſa; & vt ſic ſunt quaſi finis deſiderij, vel odij; atque ideò odia illa differunt ſpecie propter diuerſitatem *obiecti* formalis, nempe mali voliti. 8

Dices, tametſi illa mala diuerſa ſint ſpecie phyſica, non tamen ſpecie morali, quia omnia illa tendunt ad eundem finem, videlicet, prout ſunt malum illius perſonæ, quam odio proſequimur. *Sed contrà eſt*, quia odium non ſolùm ſpecificatur à perſona, cui malum volumus, ſed etiam à malo quod illi deſideramus: non enim prædicta mala tendunt vel aſſumuntur vt media ad alium finem, ſed potiùs ipſa ſunt quaſi finis; deſideratur enim inimico mors, quia malum eius eſt, ſiſtendo ibi, nec referendo ad alium finem: ſicut quando deſidero amico gloriam æternam, quia bonum eius eſt, gloria non refertur in alium finem diſtinctum ab ipſa gloria, ſed amatur vt finis *Qui*, amicus verò vt finis *Cui*. Vnde vterque amatur vt obiectum formale, & vterque ſpecificat actum. Et certè ſi propter illam rationem, quia omnia illa mala, tametſi inter ſe ſpecie diuerſa, tendunt ad eundem finem nocendi proximo, deſideria illa minimè ſpecie differrent; ſequeretur *inde*, neque etiam voluntates efficaces inferendi malum proximo, pro varietate mali differre ſpecie; atque adeò voluntatem occidendi proximum non diſtingui ſpecie à voluntate diffamandi illum, vel à voluntate lædendi ipſum in bonis fortunæ, quia nimirùm omnia illa mala, & voluntates tendunt ad eundem finem nocendi perſonæ inimicæ. Quod certè falſiſſimum eſt, nec poteſt dici, neque ab vllo conceditur Doctore.

Dico *tertiò*, ratione diuerſi mali, quod proximo 9 deſideratur, tametſi ſub eadem ratione formali, quia quà proximo malum eſt optetur, vnum odium proximi ſpecie diſtingui ab alio proximi odio; & eiuſmodi odia eſſe diſtinctè in Confeſſione explicanda. Moueor ad id aſſerendum, quia velle proximo æternam mortem, aut temporalem, vel amiſſionem honoris, per ſe videntur habere difformitates diuerſæ rationis, propter materiæ diuerſitatem; nam per ſe primò priuant bonitate diuerſæ

rationis.

rationis. Vnde voluntas efficax nocendi proximo in pecuniis, differt ſpecie morali à voluntate nocendi in vita, vel in fama, licèt non terminentur ad illa mala, quatenus talia mala ſunt, ſed ſolùm quatenus ſunt malum proximi, vt concedunt Doctores oppoſitæ ſententiæ, quia nimirùm priuant ſbonitatibus diuerſarum rationum: ergo etiam ſimiliter odium, ſeu deſiderium inefficax diuerſarum rerum, erit multiplex ſpecie, propter materiæ diuerſitatem, in Confeſſione explicandum, tametſi habeant eandem rationem formalem, & non terminentur ad illa, quatenus talia mala ſunt, ſed quatenus ſunt malum proximi; cui deſideratur mors, quia malum eius eſt; ſub qua etiam ratione deſideratur infamia, & paupertas.

10 Cardinalis Lugo *loco citato, numero* 262. negat conſequentiam, & aſſignat differentiam inter affectum efficacem, & inefficacem; nam voluntas efficax, inquit, accipit malitiam ſpecificam ex obiecto etiam materialiter volito, quia ratione illius, opponitur ſufficienter virtuti ſpeciali præcipienti, vel prohibenti talem actum; ſic enim Iuſtitia verbi gratia prohibet lædere ius proximi in fama, licèt id ſolùm materialiter velit; non verò illi aduerſatur, qui deſiderat famam lædi, ſed ipſe non vult efficaciter illam lædere. Cur autem non detur ſpecialis virtus prohibens inefficax deſiderium infamiæ alienę, detur autem voluntatis efficacis eam lædendi, reddit rationem, quia ex parte proximi eſt ſpecialis indigentia ſuæ famæ, & ſpeciale ius ad illam, & ex parte noſtra eſt ſpecialis difficultas conſeruandi, & non lædendi famam alienam; ideò oportuit ſpecialem virtutem conſtitui, cui aduerſatur qui famam lædit: ſic enim eſt quoque ſpecialis virtus, pręcipiens eleemoſynam temporalem in extrema, vel graui neceſſitate proximi, quia ex parte illius eſt ſpecialis neceſſitas, cui debebat ſubuenire ſpecialis virtus, & ex parte noſtra eſt ſpecialis difficultas, quam debet etiam ſpecalis virtus ſuperare. At verò, vt non deſideremus inefficaciter infamiam, vel paupertatem proximi, non eſt in ipſo neceſſitas ſpecialis, nec in nobis ſpecialis difficultas, ſed oritur ex titulo generali coniunctionis, quam proximus habet nobiſcum, ex quo naſcitur obligatio generalis non deſiderandi illi malum.

11 Cæterùm, vt verum fatear, prædicta differentia mihi nullo modo probatur. Nã inprimis, ſicut ſpecialis virtus Iuſtitiæ prohibet lędere ius proximi, v.g. in fama, ita in eadẽ virtus prohibet deſiderium etiam inefficax, vt ille lædatur in fama ab alio: quia quiuis habet ius, non ſolùm vt ſibi non irrogetur infamia, ſed neque ea ipſi optetur; vtrumque enim poſtulat Iuſtitia, vt ſic proximi ius omninò integrum, ac illæſum ſeruetur. Igitur contra ſpecialem virtutem Iuſtitiæ peccatur, ſi velit quis efficaciter prędictum ius famæ proximi reipſa efficaciter lædere, vel deſiderare vt alius illud lædat, quia vtrumque eſt proximo iniurioſum, & contra ius ipſius. Vnde cùm quis prędictum infamiæ malum alteri, tametſi inefficaciter, deſiderat, quia malum illi eſt: ſi nomine Mali, intelligatur malum, provt eſt contra illius ius, ſeu provt eſt ipſi iniurioſum, eſt manifeſtè peccatum iniuſtitiæ, ſeu contra virtutem ſpecialem Iuſtitiæ: nam hæc non ſolùm poſtulat, vt nemo lædatur in fama exteriùs, & in re ipſa, ſed etiam nc interius quidem in animo, vt eſt manifeſtum. Si verò nomine Mali intelligatur, vt ſit deſiderium mali ex odio, quia proximus eſt, contra titulum generalem coniunctionis quam proximus habet nobiſcum; iam habet ſpecialem virtutem, nempe Charitatem, cui opponatur, quia ex ea naſcitur obligatio generalis non deſiderandi illi malum, quia proximus eſt. Præterea verius mihi videtur in ratione conſtituendi, & multiplicandi particulares, ac ſpeciales virtutes, quod oſtendi ſuprà *diſput.* 2. *ſect.* 3. nimirùm vbi aſſignari poteſt ſpecialis honeſtas, quę poſſit ab actibus honeſtis reſpici, eſſe conſtituendam ſpecialem virtutem, quæ ad illam inclinet. Vndè ob hanc rationem ibi probaui, circa bonum honeſtum in communi, vt ſic, eſſe conſtituendum ſpecialem habitum, ſeu virtutem tendentem ad illud obiectum, ſub præciſa ratione boni honeſti vt ſic; & eſſe quoque illud obiectum ſuo modo difficile: quia nimirùm in voluntate, quæ eſt appetitus vniuerſalis, licèt ſit magna propenſio naturalis ad bonum honeſtum in communi, eſt etiam in illa propenſio naturalis ad bonum delectabile in communi, oppoſitum bono honeſto in genere; nam ipſa anima rationalis cùm ſit forma corporis, ad ipſius commodum eſt propenſa. Ex hac autem inclinationum diuerſitate oriri ſolet difficultas, & repugnantia in operando, ac neceſſitas virtutum moralium ad eam vincendam. Vnde ſicut ex obiectis ſpecialibus honeſtis oritur difficultas circa obiecta ſpecialia honeſta, ita ex obiecto honeſto vt ſic, in genere, oritur quoque difficultas propter repugnantiam cum inferiori inclinatione appetitus ſenſitiui ad bonum ſenſibile delectabile.

Et quamuis hæc difficultas minui poſſit per alias ſpeciales ac particulares virtutes, tendentes ad ſpecialia bona honeſta; non tamen prædictæ virtutes ita omninò tollunt difficultatem illam, quin multùm iuuari poſsint per propriam ac ſpecialem virtutem commenſuratam actibus honeſtis tendentibus in bonum honeſtum in communi. Ex qua doctrina infero, in nobis eſſe quoque ſpecialem difficultatem amandi proximum, & vt id bonum honeſtum eſt in genere, & vt id iuri ſuo conſonum eſt, ac debitum, ac etiam vt id exigit, ac poſtulat coniunctio quam proximus habet nobiſcum, quia proximus eſt; atque ideò eſſe conſtituendas ſpeciales virtutes, commenſuratas actibus honeſtis, tendentibus ſub ſuis ſpecialibus motiuis, & rationibus formalibus; & conſequenter has virtutes opponi obiecto malo, quod ipſis aduerſatur, & opponitur; & prohibere actus omnes malos tendentes in ea obiecta mala, ſiue illa ſint ab illis efficaciter volita, ſiue ſolum inefficaciter.

Ex dictis conſtat contra primam ſententiam, opus eſſe in Confeſſione aperire in ſpecie mala ipſa, quæ quis proximo concupiuit, nec ſatisfacere dicendo, ſe toties graui odio proſecutum fuiſſe proximum, optando illi graue damnum, ſed pro diuerſitate ſpecifica malorum materiali, ſicut ea velle inferre proximo, continet diuerſa ſpecie peccata, ita etiam ea proximo optare; ac propterea ea omnia eſſe explicanda in Confeſſione: ſic enim optimè natura ipſius odij explicatur.

Quæres, an circumſtantiæ perſonæ coniunctæ, contra quam peccatur ex odio, ſit explicanda in Confeſſione. 12 De hac re benè Cardinalis Lugo *diſputatione* 16. *ſectione* 6. *paragraph.* 1. Breuiter dico, in peccatis odij eſſe explicandam circumſtantiam, quòd ſint contra Parentes, Auum, Proauum reſpectu Nepotis, & Pronepotis, hi enim omnes conſiderantur quaſi patres, & filij; vnde ea circumſtantia habet ſpecialem malitiam contra pietatem, & reuerentiam parentibus debitam, quæ grauiter læduntur per eiuſmodi peccata.

Idem dico cum proportione in peccatis parentum contra filios.

* * *

SECTIO II.

Vtrùm in peccato contumeliæ debeant explicari contumeliæ in particulari?

1 SEnſus quæſtionis eſt, an cùm quis cum plena libertate, profert in alterum multa verba iniurioſa & contumelioſa, ſignificantia diuerſas ſpecie iniurias, & contumelias, vt quòd ſit fur, homicida, ebrius, ſacrilegus, Patriæ proditor, hæreticus, falſarius, &c. tot diuerſa ſpecie peccata mortalia committat, quot ſunt verba quæ profert, & teneatur in Confeſſione id totum explicare ſigillatim.

2 Partem negantem ſequuntur multi graues Doctores, Molina *tom. 5. de iuſtitia, tract. 4. diſput. 19. num. 3.* Azor. *tom. 3. lib. 13. cap. 5. dubio primo.* Reginaldus *lib. 24. n. 102.* Fagundez *2. præcept. lib. 3. cap. 5. n. 3.* Rebellus *1. p. de obligatione iuſtitiæ, lib. 2. qu. 17. ſect. 2. n. 10.* Sà verbo *Contumelia, numero primo*, Cardinalis Lugo *diſp. 16. ſect. 5. §. 3. n. 265.* Diana *1. tomo, tract. de circumſtantiis aggrauantibus, reſolutione* 18. & Alij. Rationem aſſignant, quia contumelia proximi eſt ſpecies infima nullas inferiores ſpecies ſub ſe continens. Quod probat Molina, quia omnes contumeliæ accipiunt malitiam ex eo, quòd lædant honorem, ſicut furta lædunt fortunas: ergo ſicut furta ſunt eiuſdem ſpeciei in ratione furti, ſiue hoc modo fiant, ſiue illo, ſic dicendum eſt de ablatione honoris, qui eſt vnus ſpecie infima. Firmatur, nam obiectum vitij contumeliæ eſt honor, quoad præiudicium, quod iniuſtè homini infertur; at præiudicium ipſum iniuſtè illatum, ſemper eſt eiuſdem rationis in ratione præiudicij honoris iniuſtè illati, quocumque medio id præiudicium inferatur; ſolúmque differat ſecundùm magis, & minus: at hoc ſatis non eſt ad efficiendam diuerſitatem ſpecificam; ergo contumelia proximi ſpecies infima eſt.

Hinc colligunt prædicti Doctores, idem dicendum eſſe de detractione non variari ſpecie pro diuerſitate materiæ, in qua aufertur fama; quia fama ſemper eſt eiuſdem ſpeciei in génere moris. Idem aſſeuerant de iudicio temerario, non oportere explicare materiam, in qua iudicatur; ſed ſufficere dicere, Toties in materia graui temerè iudicaui de aliquibus, quia ipſa bona exiſtimatio, quæ per iudicium temerarium aufertur, eſt eiuſdem ſpeciei in genere moris.

3 Contrariam ſententiam de contumelia docent Salas, *1. 2. tom. 2. tract. 13. diſp. 5. ſect. 8. num. 90.* Tannerus *2. 2. diſp. 4. quæſt. 2. dubit. 4. n. 55.* Ioannes Sancius *in ſelectis diſp. 6. n. 2.* & id referens ex Nauarro, Vaſquez approbat, *de pœnitentia, quæſt. 91. art. 1. dubio 5. num. 31.* & alij ſequentes Nauarrum *in ſumma, cap. ſexto, num. 18.* dicentes multiplicari ſpecie peccata contumeliæ, quando ſermo dirigitur ad obiecta ſpecie diuerſa, vt ſi quis alium contumelioſè vocet hæreticum, latronem, adulterum, ſodomitam, ebrium &c. atque adeò debere qualitatem contumeliæ in Confeſſione explicare; quando nimirùm iniurioſa verba ſunt diuerſæ rationis, ac ſpeciei.

4 Dico *primò*, certum videri, contumeliam latè ſumptam non eſſe ſpeciem infimam, ſed ſub ſe continere varias ſpecies inferiores. Probatur; quia contumelia latè accepta, prout ſignificat dictum, quo præiudicatur reipſa honori alterius, comprehendit contumelias in Sanctos, in parentes, & in alios proximos; at contumelia in Sanctos eſt ſpecie diuerſa à contumelia in alios proximos; quia contumelia, quæ profertur contra Sanctos, blaſphemia eſt, & opponitur iuri peculiari, quod habet Sanctus ad cultum proprium, & venerationē illi debitam, vt eius propriam, propter ipſius excellentiam ſpecialem; vnde eſt contra virtutem illam Duliæ, quæ inclinat ad colendum Sanctum, propter illius excellentiam creatam. Præterea, contumelia grauis filij in ſuum parentem, eſt contra virtutem pietatis, quia grauiter lædit bonum honoris, ac bonæ exiſtimationis, quam filius procurare debet ac deſiderare ſuis parentibus ex virtute Pietatis, vnde peccat contra virtutem Pietatis: ergo eiuſmodi contumeliæ ſunt ſpecie diſtinctæ inter ſe, ac ſpecie differunt à contumelia, quæ eſt contra alios proximos, quæ ſolùm eſt contra Iuſtitiam.

Dico *ſecundò*, contumeliam ſtrictè ſumptam, prout ſolùm eſt contra Iuſtitiam humanam, non eſſe ſpeciem infimam, ſed pro qualitate verborum, quæ homini obiiciuntur, eſſe ſpecie multiplicem; atque ideò neceſſarium eſſe in Confeſſione exprimere qualitatem contumeliæ. Ita ſentio cum Doctoribus ſecundæ ſententiæ ſuprà relatis *numero tertio.* Probo id, quia contumelia eſt iniuria, quâ verbis obiicitur alteri malum eius ſiue culpæ, ſiue pœnæ, ſiue naturæ in præſentia ipſius, vt ſi quis compellat alium, furem, homicidam, ebrium, ſacrilegum, ſodomitam, Patriæ proditorem, hæreticum, falſarium, ſtultum, ignarum, gibboſum, malè natum, aut aliquid huiuſmodi. At eiuſmodi verbales iniurias quis non videat in hominum æſtimatione diſtingui ſpecie morali? Patet; quia huiuſmodi verba iniurioſa, tametſi in genere conueniant in hoc, quòd in verbo conſiſtant contra honorem debitum proximi, tamen in ſpecie valde inæqualiter ignominia, ac dedecore afficiunt apud hominum prudentum æſtimationem; maior enim eſt apud homines ignominia, grauior, & acerbior, compellare aliquem hæreticum, vel falſarium, vel ſodomitam, vel Patriæ proditorem, vel etiam ebrium, quàm ignarum, vel ſtultum, vel gibboſum, vel etiam malè natum: ergo ſecum afferunt prædicta verba iniurioſa iniurias, & ignominias ſpecie diuerſas, atque adeò & contumelias ſpecie diſtinctas, ob qualitatem verborum quæ obiiciuntur. Firmo, nam omnes Doctores communiter docent, & meritò contumeliam ob qualitatem perſonæ, cui contumelia obiicitur, poſſe eſſe ſpecie multiplicem: ſic enim contumeliam in Patrem, Regem, vel Prælatum, dicunt diſtingui ſpecie ab aliis contumeliis in alios homines; quia videlicet huiuſmodi contumeliæ propter qualitatem perſonæ, cui obiiciuntur verba iniurioſa, ſunt ſpecialiter contra venerationem, ac pietatem Patri debitam, Regi, Principi, vel Prælato; vnde ob qualitatem perſonarum, quibus verba iniurioſa obiiciuntur, ſunt, & dicuntur contumeliæ ſpecie diuerſæ: ergo ſimiliter propter magnitudinem, & grauitatem verborum, quæ acerbè alicui dicuntur, qualia ſunt verba ignominioſa prædicta, apud homines prudentes habita vt valdè abominabilia, huiuſmodi contumeliæ in ratione contumeliæ, ſunt ſpecie diſtinguendæ, & in Confeſſione tales qualitates contumeliæ exprimendæ: non enim eſt maior ratio, cur qualitas perſonæ, & non qualitas rei multiplicet ſpecie contumelias ipſas.

Dices, diſparem eſſe rationem, quia contumeliæ ob qualitatem perſonæ, cui iniuriæ obiiciuntur, ſunt contra alias virtutes, nempe contra virtutem Pietatis; nam illis verbis violatur veneratio, & pietas debita parentibus, Regibus, & Prælatis: at verba illa contumelioſa, etſi ſint valdè diuerſa, ſolùm ſunt iniuriæ contra Iuſtitiam, & non contra alias virtutes, & omnes illæ in verbo conſiſtunt contra honorem debitum proximo; honor autem proximi non diſtinguitur in ſpecies. *Sed contrà eſt* primò, quia tametſi quamplures contumeliæ ſint intra genus Iuſtitiæ, & non alterius virtutis, adhuc poſſunt eſſe ſpecie diuerſæ ob diuerſam qualitatem ipſarum:

Digitized by Google

ipſarum: nam conſtat intra idem genus Iuſtitiæ, eſſe quamplurimas iniuſtitias in ſpecie, diſtinctas ſpecificè, quia ſpeciali deformitate lædunt ius ſpeciale proximi. eiuſmodi ſunt homicidium, furtum, ſtuprum, & ſimilia, quæ tamen non ſunt contra aliam virtutem, niſi ipſius Iuſtitiæ, cuius ſunt variæ ſpecies, oppoſitæ variis ſpeciebus deformitatum diuerſarum. Igitur idem dico de contumelia in verbis conſiſtente: nam ſicut hæc quæ obiiciuntur, ſunt ſpecie morali apud homines prudentes valdè ac ſpecie diſtincta, ita & contumeliæ. Præterea, verum eſt, verba contumelioſa in verbo conſiſtentia, eſſe contra honorem debitum proximi: dum enim quis alium contumelia afficit, veluti labem quandam ſuo honori, ac dignitati irrogat, eámque, quantum eſt in ipſo, viliorem reddit. Vnde contumelia affecti dicunt honorem, & dignitatem ſuam læſam, & imminutam. Falſum tamen eſt, eiuſmodi honorem eſſe ſpeciem infimam, & non diſtingui in ſpecies. Nam honor nihil eſt aliud, quàm teſtificatio quædam noſtræ opinionis de excellentia alterius cum quadam noſtri ſubmiſſione, quæ fit per verba, vel ſigna: verbis quidem, vt quando quis alterum honorificè compellat, ſapientem, ſtudio virtutis deditum, eximium virum, illuſtrem, clariſſimum, &c. Signis, videlicet genuflexione, corporis inclinatione, ceſſione primi loci, & aliis ſimilibus: quæ omnia ſunt inter ſe valdè diuerſa. Excellentia autem, quam reſpicit honor, multiplex eſt ſpecie; nam potiſſimum conſiſtit in ſapientia, & virtute, & in aliis perfectionibus, & dignitatibus, vel moralibus, vel realibus, quæ ſunt inter ſe diuerſæ ſpecie. Igitur honor nequit eſſe ſpecies infima, cùm ſub ſe contineat varia ſigna & verba ſignificantia diuerſo modo ſpecifico excellentiam alterius, ac dignitatem ſpecie diſtinctam; & conſequenter contumelia inde non habet quòd ſit ſpecies infima, ſed potiùs inde participat, quòd ſit multiplex ſpecie.

6 Ex his colligo *primò*, idem dicendum eſſe de detractione, variari ſpecie pro diuerſitate materiæ; eſſéque id in Confeſſione explicandum. Nam detractio eſt, quâ fama alterius læditur. Fama autem eſt bona exiſtimatio communis, voce manifeſtata de laudabili, & honeſta vita alicuius. Fama autem proximi læditur vel dicendo falſum crimen, vel dicendo crimen verum, ſed omninò occultum. Ex quo fit, vt detractio in materia graui, ſit peccatum mortale contra Iuſtitiam, non ſecus ac contumelia, quia eſt peccatum, & iniuria quâ violatur ius, quod proximus habet in ſua fama. Vnde ſequitur, vt ex obiecto, & natura ſua, detractio ſit peccatum grauius furto; quia fama eſt bonum maius bonis temporalibus, quæ furto auferuntur. Imò non deſunt, qui ſentiant, detractionem eſſe peccatum contumeliâ grauius; quia detractio eſt peccatum contra famam, contumelia verò eſt contra honorem; fama autem eſt bonum honore præſtantius.

Dico igitur detractionem poſſe eſſe ſpecie multiplicem, non ſecus ac calumniam, quia detractio ſicut & calumnia, poteſt eſſe, vel dicendo vnum graue crimen, vel plura crimina grauiſſima. Ex quo fit, vt infamia ſimiliter poſſit eſſe multiplex ſpecie, iuxta varietatem, ac qualitatum criminum, quæ falsò dicuntur, vel ſi ſunt omninò occulta deteguntur. Vnde prudentum æſtimatione, poteſt quis infamari ob vnum ſolum crimen graue quod de eo dicitur; & turpiùs infamari ob varia crimina grauiſſima, ſeu grauiora ſpecie diſtincta, quæ illi imponuntur: atque ideò neceſſarium eſt vt in Confeſſione exprimatur qualitas detractionis.

7 Colligo *ſecundò*, idem quoque eſſe dicendum de iudicio temerario, quod eſt peccatum mortiferum, in Confeſſione explicandam eſſe in ſpecie materiam grauem in qua iudicatur; nec ſufficere dicere, Toties in genere iudicaui de aliquo, vel de aliquibus in materiam graui, quia ipſa bona exiſtimatio, quæ per iudicium temerarium auferatur poteſt eſſe diuerſæ ſpeciei in genere moris. Ad quod magis declarandum, breuiter ſuppono tria. *Primum*, iudicium temerarium dici; quod de alicuius peccato, alióve infami malo ex leuibus indiciis concipitur. *Secundum*, ex communi ſententia, iudicium temerarium, quod cum plena animaduerſione de graui malo proximi concipitur ex leuibus indiciis, eſſe peccatum mortiferum contra Iuſtitiam. Quia grauis iniuria irrogatur proximo, dum ſine cauſa habetur improbus: hoc enim perinde eſt, ac ſi falſum crimen ei impingeretur, longè enim acerbior, & grauior eſt falſa infamia, quàm vera. Vnde licèt vera infamia apud vnum contracta, quorundam ſententiâ, non ſit tantum malum, vt peccet mortiferè, qui eam infert, tamen infamia falſa, omnium ſententiâ, cenſetur graue malum, etſi apud vnum tantùm reſideat: cuius ſignum eſt, quòd homines moleſtiſſimè ferant talem de ſe haberi exiſtimationem, quâ extinguitur bona opinio, & bonum nomen, & infertur praua opinio, & magnus contemptus. *Tertium*, iudicium temerarium internum in animo tuo reſidens, de re graui, eſſe quoque peccatum mortale contra Iuſtitiam. Ratio eſt, quia temerarium iudicium non eſt peccatum mortale præcisè propter damnum quod infert, ſed propter grauem iniuriam, dum ex leuibus indiciis proximo graue crimen impingit, & in corde ſuo contemnit: hoc enim perinde eſt ac ſi falſum crimen graue imponeret; quod eſt peccatum mortale. Ex his autem tribus manifeſte infertur, iudicium temerarium graue, quod eſt peccatum mortale, poſſe eſſe multiplex ſpecie, & in Confeſſione explicandum, quia nimirum propter vnum graue malum, quod ei impingitur, mala de illo exiſtimatio habetur; quòd ſi ei temere imponantur duo vel tria grauia peccata ſpecie diuerſa, iam de illo peior exiſtimatio habetur, & ſi de eo plura alia grauiora mala concipiantur, peſſima de illo exiſtimatio comparatur; tenetur igitur pœnitens in Confeſſione omnia illa crimina, ſeu mala grauia ſpecie diuerſa aperire, quæ contra proximum temerarie concepit, non ſecus ac ille qui mentitur crimina grauia ſpecie diſtincta proximo imponens, tenetur in Confeſſione exprimere ea omnia crimina ſpecie diuerſa ex mendacio compoſita contra proximum.

Colligo *vltimò*, ſolutionem argumenti ſuprà propoſiti *numero ſecundo*, pro prima ſententia. Admitto enim, 8
contumeliam accipere malitiam ex eo quòd lædat honorem proximi debitum, nego tamen eiuſmodi honorem eſſe in ſpecie infima, vt oſtendi ſuprà *numero quinto*. Diuerſa eſt autem ratio de furto, ac de contumelia, nam furtum ſolùm eſt occulta rei alienæ acceptio inuito domino; quòd verò res aliena quæ accipitur, ſit paruæ, vel magnæ, ſeu notabilis quantitatis, non facit furtum ſpecie diuerſum in ratione furti, ſed intra eandem rationem formalem furti facit paruum, vel magnum furtum, penes magis, & minus intra eandem ſpeciem. Verum eſt ex parte rei quæ ſubripitur, ſi ſit, verbi gratia, res ſacra, committi diſtinctum peccatum, non in ratione furti, ſed in ratione ſacrilegij, ratione qualitatis materiæ, quia peccatur contra immunitatem & ſanctitatem debitam illi rei quæ ſubripitur. At contumelia non aliunde, ſed ex ſe, & ab intrinſeco, in ratione contumeliæ, pro

qualitate, ac diuerſitate verborum, quæ homini obiiciuntur,& prudentum iudicio habentur tanquam iniurioſa verba,diuerſa in ſpecie morali, cenſetur multiplex ſpecie, vt ſuprà probatum eſt *Dicto ſecundo*. Ad confirmationem negatur, præiudicium honoris iniuſtè illatum per contumeliam, ſemper eſſe eiuſdem rationis ſpecificæ, vt etiam *ſuprà* eſt oſtenſum.

SECTIO III.

An in peccato iactantiæ debeat explicari ſpecies peccati, de quo aliquis ſe iactauit?

SI iactantia, & vana gloria ſit de aliquo peccato mortali, de quo aliquis ſe laudauit, quæſtio eſt, an ſufficiat explicare in Confeſſione, Laudaui me de peccato mortali; an verò ſit neceſſarium explicare ſpeciem peccati, & non ſolùm illam, ſed etiam omnes circumſtantias,quibus peccatum illud, de quo quis ſe laudat,& iactat,affectum eſt.

1 Circa primum de ſpecie peccati, ſuppono *primò* quod communiter notant Doctores, non eſſe peccatum mortale, laudare ſe,vel alium,non de facinore,vel opere malo, quod eſt peccatum lethale, ſed tantùm de ipſa dexteritate, aut viribus, arte, aut induſtria in eo reperta,modò abſit complacentia peccati, ſcandalum, & anſa faciendi quid ſimile. Vt ſi quis ſe, vel alium laudet, quòd cum quatuor pugnauerit, vel rixatus fuerit, ſi ſolùm laudet eas corporis vires, ac in pugna,vel rixa dexteritatem,non eſt lethale,niſi ſit periculum in ſe,vel in alio quem laudat,iactantiæ, aut gaudij de mortali admiſſo. Ratio eſt, quia in hoc euentu non eſt iactantia de peccato mortali, ſed de quodam bono naturali, vt benè notauit Sanchez *lib.1. operis moralis, c.3. num.13.*

2 Suppono *ſecundò*, ſolere communiter, quando aliquis ſe laudat de peccato mortali commiſſo, habere complacentiam internam illius; & tunc certum eſſe debere explicare in Confeſſione ſpeciem peccati commiſſi. Patet,quia complacentia,& gaudium de homicidio,ſpecificatur à malitia homicidij,& ſic de alijs.

His poſitis,procedit quæſtio de mero peccato iactantiæ,quando non eſt gaudium, nec complacentia illius, an ſufficiat dicere in Confeſſione, Laudaui me per iactantiam de peccato mortali, an etiam debeam tunc explicare ſpeciem peccati. Mera autem iactantia de peccato ſecluſâ omni complacētiâ nihil eſt aliud quàm extollentia praua, & elatio inordinata per laudem, captans gloriam,& honorem ex malè factis,|ſeu peccatis. Vnde difficultas eſt, an ſi fuit iactantia de fornicatione, vel de homicidio, ſit obligatio dicendi in Confeſſione peccatum ipſum,de quo fuit iactantia.

3 Affirmat Sanchez *prædicto capite tertio,n.13.* Probari poteſt *primò*,quia iactantia de peccato contra Caſtitatem, v.g. opponitur ipſi virtuti Caſtitatis:nam Caſtitas non ſolùm prohibet copulam illicitam, ſed etiam gloriationem, & iactantiam, quâ turpitudo contraria videtur probari.

Secundò,quælibet virtus ſpecialis non ſolùm obligat ad actum,quem directè præcipit,ſed etiam ſaltem indirectè obligat, ne contemnatur, aut irreuerenter tractetur;ſed virtus Caſtitatis contemni videtur,quando quis gloriatur quòd ipſam violauerit: ergo verè peccat in ſpeciali contra ipſam virtutem caſtitatis.

Tertiò, iactantia de fornicatione commiſſa,ideò habet malitiam mortalem in ratione iactantiæ, quia continet irreuerentiam contra legem Dei, de cuius tranſgreſſione malè gloriatur homo; ſed continet in ſpecie irreuerentiam contra legem caſtitatis:ergo ex ea habet ſpecialem malitiam in Confeſſione explicandam.

Secunda ſententia docet in mero peccato iactantiæ 4
non eſſe explicandam circumſtantiam ſpecificam, ſed ſufficere, ſi dicat, Gloriatus ſum de peccato mortali. Quam tenet Nauarr. *in ſumma, præludio nono, num.4.* & defendit Caſtro Palao *tom.1. operis moralis tract.2. diſp.2. puncto 11.n.5.* Probat,quia tota iactantiæ malitia conſiſtit in captanda gloria & honore ex malè factis: quòd autem malè facta ſint fornicationes,latrocinia,vel homicidia,materiale quid eſt,& per accidens ad iactantiæ malitiam; ſicut ad violationem voti, & iuramenti,materiale quid eſt, quòd violatio ſit in Caſtitate, vel in Paupertate;atque ideò qui fregit votum Caſtitatis, ſufficienter voti tranſgreſſionem fatetur, dicens ſe fregiſſe votum, non explicando, quale votum. Firmat, quia iactantia de peccato, quodcumque ſit per ſe prohibetur à virtute humilitatis;eſt enim iactantia filia ſuperbiæ,ſeu inanis gloriæ,vt docet D. Tho. *2.2. q.132. art.4.* ac proinde Humilitati contraria.

Noſter Cardinalis Lugo in hanc inclinat ſententiam, & confirmat hoc argumento, quia nimirùm 5
malitia grauis, quæ inuenitur in peccato iactantiæ, potiſſimùm conſiſtit in irreuerentia, quæ videtur irrogari Deo, dum peccator gloriatur de eius offenſa: ſicut ſi ſubditus gloriaretur de proditione, vel de contumelia Principi illata; quo pacto videretur Principi inſultare, & eandem contumeliam iterùm inferre. At eiuſmodi irreuerentiæ genus committitur contra Deum, vel contra naturam aliam intellectualem, quæ eſt capax reuerentiæ, & cultus abſoluti, non verò contra Caſtitatem, vel alias virtutes, quæ neque ſunt veræ perſonæ, neque ſunt capaces veræ reuerentiæ, aut irreuerentiæ abſolutæ. Igitur malitia grauis quæ reperitur in iactantia, vt iactantia eſt, non deſumitur per ordinem ad talem virtutem, ſed ad Deum,cui peccator inſultare videtur.

Primam opinionem iudico veriorem. Quam amplius firmo, quia iactātia præciſè,& ſecundùm ſe, prout 6
eſt extollentia, & inordinata elatio per laudem in genere ſumpta,non eſt culpa mortalis. Nam conſtat apud omnes,iactantiam,ſi ſit de aliquo bono honeſto, quādo non eſt in tertij damnum, non excedere culpam venialem;quia tametſi ſit inordinatio,virtutē, quæ excellentior eſt,ad humanos honores dirigere;ea tamen inordinatio non tanti momēti eſt, nec adeò grauis iniuria rebus ſpiritualibus infertur, vt ea pœnâ æternâ digna ſit. Igitur ex parte materiæ,quando eſt culpa mortalis, & de illa iactantia eſt, ſumenda eſt malitia mortalis iactantiæ: ergo ſi materia, de qua eſt iactantia, fornicatio ſit, ex ipſa fornicatione ſumenda eſt tota malitia mortalis: ergo iſta iactantia ſpecie diſtincta eſt ab altera iactantia, quæ eſt de alia materia ſpecie diſtincta,nempe de furto, vel homicidio; ergo in Confeſſione explicari debet ſpecies peccati, de quo eſt iactantia. Firmo manifeſto exemplo: nam in tranſgreſſione voti, tametſi ſit vna tantùm, & eiuſdem rationis ſpecificæ in omnibus violationibus votorum, nempe perfidiæ in Deum contra virtutem Religionis; tamen ſi vota ipſa ſint de materia neceſſaria ex aliis præceptis naturalibus,vt ſunt vota Caſtitatis, non furandi, non homicidium committendi, certum eſt apud omnes Doctores, duas malitias eſſe in illorum tranſgreſſione ſpecie diuerſas, in Confeſſione explicandas, vnam contra rationem voti,ſeu contra Religionem, & aliam contra ſpecialem virtutem, ad quā pertinet materia,

teria, & præceptum eius, ſcilicet contra Caſtitatem, vel Iuſtitiam. Similiter ergo in iactantia luxuriæ, verbi gratia, erit duplex culpa; alia inordinatæ elationis, & gloriæ, animo captandi gloriam, & honorem ex hominibus, & alia ex parte materiæ, nempe luxuriæ, quæ aſſumitur vt medium ad illum finem, & opponitur virtuti Caſtitatis; illaque iactantia erit venialis culpa ex parte motiui, & mortalis ex parte materiæ. Cùm igitur iactantia ſit ex parte materiæ culpa grauis, hæc variatur ſpecie iuxta diuerſitatem ſpecificam materiæ; atque ideò quæuis iactantia de peccato mortali eſt in ſpecie explicanda in Confeſſione, & non tantùm in genere, ſeu in communi.

7 Hinc patet ſolutio ad argumentum ſecundæ ſententiæ; falſum enim eſt, totam malitiam mortalem iactantiæ conſiſtere in captanda gloria, & honore in peccatis in genere, ſed etiam in ſpecie in peccato Caſtitatis, vel homicidij; & quamuis iſta peccata ſint materia ad ipſam iactantiam, eſt tamen materia grauis per ſe conducens ad malitiam mortalem ipſius, nam ſola iactantia præciſè non eſt culpa mortalis, ſed prout applicatur tali obiecto materiali fornicationis, vel iniuſtitiæ; inde enim ſumit malitiam ſpecificam mortalem. Exemplum autem fractionis voti, quod in Argumento adducitur, pro nobis potius eſt. Nam ſi votum ſit de materia neceſſaria ex aliis præceptis, vt eſt votum Caſtitatis, ibi eſt duplex honeſtas ſpecie diſtincta, altera Religionis, & altera Caſtitatis, ſeu virtutis Temperantiæ; & ideò in tráſgreſſione voti caſtitatis eſt duplex malitia mortalis contra duplicem prædictam honeſtatem, ac virtutem: conſequenter quoque iactantia de luxuria continet duplicem malitiam, aliam venialem, prout præciſè induit rationem genericam elationis inordinatæ laudis humanæ, & aliam mortalem, prout eſt ſpecialis deordinatio, & gloriatio de peccato mortali, & applicatur materiæ luxuriæ, quæ mortalis eſt; & ex iſta materia ſumit iactantia ſpecialem malitiam grauem, & mortalem. Quare ſicut in Confeſſione oportet explicare non ſolùm tranſgreſſionem voti, ſed etiam in ſpecie materiam tranſgreſſionis voti Caſtitatis; ita potiori iure de iactantia luxuriæ dicendum eſt, cùm ibi malitia mortalis proueniat ex eo quòd ſit elatio, vel gloriatio inordinata de materia luxuriæ, quæ mortalis eſt, ideò hæc materia in ſpecie explicanda eſt. Verum eſt, tranſgreſſionem voti eſſe eiuſdem ſpeciei, reſpectu cuiuſlibet voti, etiamſi materiæ votorum ſint ſpecie diſtinctæ, vt Temperantiæ, Iuſtitiæ, &c. quia formalis ratio huius malitiæ eſt perfidiæ ad Deum, hæc autem eiuſdem rationis eſt in quacumque materia; ſicut enim honeſtas voti in omnibus eadem eſt, ita & è contrario idem eſt de malitia, quæ in priuatione illius honeſtatis conſiſtit. Vnde ſi quis confeſſus eſt peccatum fornicationis, & ex obliuione non eſt confeſſus circumſtantiam voti Caſtitatis quod habet, cùm poſteà confitetur de tranſgreſſione voti, non tenetur explicare in ſpecie materiam tranſgreſſionis voti, ſed ſatis erit dicere, Violaui quoddam votum graue, ſeu grauiter: niſi per accidens id exigeret neceſſitas medicinæ, ſeu remedij adhibendi in peccati curatione.

Ad confirmationem liquet, iactantiam in communi prout præciſè prohibetur à virtute Humilitatis, non ſemper eſſe peccatum mortale, ſed poſſe eſſe veniale ob leuitatem materiæ: qui enim ſe iactat de veniali peccato, facit contra virtutem Humilitatis, & tamen non committit niſi venialem culpam. At ſi iactantia ſit de culpa mortali in ſpecie, nempe de luxuria commiſſa, eſt peccatum mortale ratione talis materiæ, & ideò eſt ipſa in ſpecie explicanda in Confeſſione.

8 Ad argumentum Card. Lug. dico quatuor. *Primum*, admitto peccatum mortale iactantiæ includere malitiam irreuerentiæ, & iniuriæ in Deum; maximè in mea ſententia, quam ſupra defendi *tract. praced. diſp.* 2. *ſect.* 1. & in *tract. de Incarnat. diſp.* 4. *ſect.* 8. *à n.* 5. nimirùm omne peccatum mortale includere malitiam iniuriæ in Deũ, quæ eſt maxima tantæ Maieſtatis irreuerentia, eſſéque malitiam offenſæ, ſeu iniuſtitiæ, & iniuriæ in Deum in omni peccato mortali circumſtantiam generalem. *Secundum*, eam malitiam grauem de iniuria Dei, quando non eſt in peccato mortali iactantiæ, niſi circumſtantia generalis, ſicut eſt in omni mortali culpa, non eſſe in ſpecie explicandam in Confeſſione; quia cùm ſit circumſtantia generalis, ſicut eſt inobedientia incluſa eodem modo in omni culpa mortali, ſufficienter explicatur, quando dicitur in Confeſſione ipſum peccatum iactantiæ. *Tertium*, concedo, dari poſſe iactantiam de peccato luxuriæ quatenus eſt Dei offenſa, ſeu iniuria in Deum, quam aſſumit homo vt motiuum propriæ laudis & gloriæ: in eo tamen caſu eſſet duplex malitia mortalis, altera ex parte motiui, quia tunc in ſpecie eſſet iactantia de peccato mortali, prout eſt iniuria Dei, & altera ex parte materiæ, quia eſt iactantia luxuriæ, quæ eſt alia ſpecies malitiæ; ſicut ſi quis ſe iactaret de peccato luxuriæ, non quatenus tale peccatum eſt, ſed vt eſt peccatum in genere, duplicem etiam contraheret culpam mortalem in Confeſſione explicandam. *Quartum*, & vltimum, grauitatem malitiæ iactantiæ de luxuria in ſpecie ſumi per ordinem ad virtutem Caſtitatis, quatenus opponitur ſpeciali honeſtati talis virtutis, cuius eſt, prohibere id omne quod eſt contra illius excellentiam. Quare ſicut luxuria habet ſpecialem malitiam peccati, quia eſt contra Caſtitatem; ita & iactantia de luxuria vt ſic, cùm ſit etiam contra eandem virtutem.

Circa ſecundum, de circumſtantiis, an in prædicto iactantiæ peccato fatendæ ſint omnes circumſtantiæ, quibus peccatum illud, de quo quis ſe laudat, affectum eſt. Vt ſi iactantia ſit de peccato luxuriæ cum coniugata vel Moniali, ſit fatenda coniugij vel Monialis circumſtantia, vel ſi ſit de percuſſione Clerici, fatenda ſit Ordinis circumſtantia. 9

Affirmat Thomas Sanchez citatus; & meritò; quia iactantiam de illis circumſtantiis vetant quoque ipſa coniugij fides, vel Religio: nam virtus contraria non tantùm peccatum contrarium, ſed etiam iactantiam, quâ id peccatum tanquam bonum & laudabile approbatur, cohibet. Igitur ſi quis ſe iactet de concubitu cum coniugata, vel Moniali, vel conſanguinea, tenetur has circumſtantias in Confeſſione declarare. Quia tunc plenam & integram operis externi malitiam, & ſpeciem ſortitur; ac proinde ſicut in opere externo ſunt fatendæ circumſtantiæ, ita & in ipſa iactantia de illo opere.

Dubitatio verò eſſe poteſt, quando iactantia non fertur in obiectum, ſeu opus externum ſecundùm totam ſuam malitiam apprehenſum, ſed ſecundùm partem, vt eſt iactantia de concubitu cum fœmina apprehenſa vt non ſua; non tamen vt eſt alij nupta, vel vt eſt Monialis, vel conſanguinea. 10

Verius mihi videtur, tunc cùm illa iactantia non habeat, nec participet integram operis externi, ſeu concubitus malitiam, ſed ſolùm apprehenſam, eam ſolùm fatendam eſſe in Confeſſione, vt conſtabit magis ex dicendis *ſequenti ſectione*, de ipſa delectatione in ſimili caſu.

Ee 4 SECTIO

Digitized by Google

SECTIO IV.

An in delectatione moroſa de concubitu cum fœmina, qui delectatur, teneatur in Confeſſione explicare omnes illius circumſtantias ſpecie diuerſas.

1 CErtum eſt apud omnes Doctores, deſiderantem fornicari cum ſoluta, peccare contra Temperantiam vel Caſtitatem; ſi cum Moniali, vel voto caſtitatis aſtricta, peccare contra Religionem quoque; ſi cum nupta, addere iniuſtitiam propter adulterium; ſi cum conſanguinea, contra Pietatem; quantumuis vellet non eſſe coniugatam, nec voto ligatam, nec conſanguineam. Quia deſiderium peccati præſertim efficax tendit ad exequendum peccatum illud, & opus; & cùm ab eo nequeant ſeparari illæ circumſtantiæ, neceſſariò illarum malitiam habere debet; ac proinde illæ circumſtantiæ, cùm ſint ſpecie diuerſæ, ſunt neceſſariò in Confeſſione aperiendæ. Difficultas ergo eſt, an illas quoque malitias participet delectatio moroſa de tali concubitu, & conſequenter debeant explicari in Confeſſione de prædicta delectatione concubitus cum tali fœmina.

Videtur enim id non eſſe aſſerendum: nam illa delectatio non tendit ad executionem operis, ſicut deſiderium efficax; imò potiùs ipſum opus quaſi exercitum ſupponit, & in illo delectatur.

Omitto in hac re aliorum opiniones, & varios dicēdi modos, qui videri poſſunt apud Cardinalem de Lugo *diſ.16.ſect.6.§.4.* & Sanchez *lib.1.operis moralis, c.2.* & apud Alios.

2 Ipſe verò ad ipſius difficultatis maiorem explanationem, prænoto, poſſe nos loqui in hac materia, tum de prædicta delectatione turpi, ſeu de malitia ipſius, quæ prouenit ex parte obiecti; vt ſi ſit delectatio de copula cum coniugata, vel Moniali, ſeu voto caſtitatis ligata, vel cum conſanguinea; tum etiam de malitia alia ſpeciali, quam poteſt habere delectatio turpis ex parte ſubiecti, nempe ipſius perſonæ delectantis, vt ſi ſit Religioſus, vel coniugatus, qui de tali copula delectatur. Vtrumque diſtinctè exponam.

3 Circa primum igitur, Dico *primò*, delectationem moroſam de copula cum fœmina, ex parte obiecti præſcindere poſſe a prędictis circumſtantiis, ſi nimirùm fœmina ſit coniugata, vel Monialis, ſeu voto Caſtitatis aſtricta. Hoc videtur manifeſtum, & ab omnibus admitti debere. Patet, quia fœmina illa poterat reipſa eſſe ſine coniugio, vel ſine voto: ergo benè poteſt ipſa mente concipi, & apprehendi, quin apprehendatur affecta coniugio, vel voto Caſtitatis, tametſi alia cognitione diſtincta cognoſcatur eſſe affecta coniugio, vel Caſtitatis voto: ergo apprehendi poteſt copula cum illa, vt ſic apprehenſa, & præciſa ab illis aliis circūſtantiis; ergo delectatio in tali copula vt ſic præciſa & apprehēſa, nō eſt delectatio de copula ipſa provt eſt adulterina, vel ſacrilega, ſed eſt mera delectatio de copula provt apprehenſa, & concepta ſoluta vt ſic præciſè: nam copula illa provt eſt in apprehenſione, ab omnibus illis malis præſcindit, & conſequenter hoc modo delectatio cum coniugata, vel Religioſa, ſeu voto Caſtitatis ligata, poteſt eſſe eiuſdem ſpeciei, quia delectatio non accipit malitiam ad obiecto, niſi quatenus ab intellectu voluntati repræſentatur, & ipſa amplectitur: ergo cùm à circumſtantiis coniugij, vel Caſtitatis, &c. intellectus præſcindat, non videtur has circumſtantias poſſe malitiam prædictæ delectationi tribuere.

Dico *Secundò*, ſi delectatio ſit de copula cum fœmina, quatenus coniugata eſt, vel voto Caſtitatis ligata, vel vt conſanguinea, certum videri, talem delectationem non ſolum eſſe contra virtutem Temperantiæ, vel Caſtitatis, ſed etiam contra Iuſtitiam, vel Religionem, vel Pietatem; & in eo caſu teneri eum, qui ſic delectatur, eas circumſtantias in Confeſſione fateri. Id eſt, quod docent communiter Doctores, & meritò, quia tunc delectatio fertur in obiectum, ſeu opus externum ſecundùm totam ſuam malitiam apprehenſum: ergo plenam & integram obiecti, ſeu operis externi malitiam, & ſpeciem ſortitur; ac proinde ſicut in actu ſeu opere externo malo ſunt fatendæ illæ circumſtantiæ, ita & in prædicta delectatione. 4

Dico *Tertiò*, ſi delectatio non feratur in obiectum turpe, ſecundùm totam ſuam malitiam obiectiuam quam habet, apprehenſum, ſed ſecundùm partem, vt in fœminam apprehenſam vt non ſuam, non tamen vt eſt alij nupta, nec vt eſt Monialis, ſeu voto caſtitatis aſtricta, nec vt eſt conſanguinea; eam ſolam malitiam fatendam eſſe in Confeſſione. Id docent Cardinalis Lugo *loco citato num.383.* & *384.* Sanchez citatus *num.11.* Caſtro Palao *tom.1. tract.2. diſp.11. puncto 10. §.4. num.2.* & alij quos ipſi referunt. Ratio eſt, quia delectatio de obiecto malo, quando non excluditur malitia ab obiecto, participat ab obiecto malitiam ſpecie diuerſam: vnde qui delectatur de copula cum nupta, vel cum conſanguinea, vel cum voto Caſtitatis ligata, non excludendo mente circumſtatiam conſanguinitatis, vel Matrimonij, vel voti caſtitatis, habet malitiam ſpecie diuerſam propter obiectiuam circumſtantiam adulterij, vel ſacrilegij, vel inceſtus, vt dictum eſt: ergo ſi mente præſcindatur, & excludatur obiectum à talibus circumſtantiis, tunc delectatio non habebit malitiam ex illis, ſed erit ſicut delectatio de copula cum ſoluta; quia illam ſolùm malitiam participat ex parte obiecti. Exemplis firmatur hoc idem, nam ſi in loco ſacro malè tractetur tuus inimicus, & de illius calamitate delecteris abſque conſideratione loci ſacri, talis delectatio malitiam ſacrilegij non habet, etiamſi opus externum ſacrilegum fuerit. Prætereà audis verba façetiæ, ſed contumelioſa; vel etiam audis verba impura detractoria, potes de illis delectari, non quatenus contumeliam cauſant, ſed quatenus riſum excitant; & non quatenus detractoria, ſed quatenus impura. Igitur neceſſarium non eſt, delectationem integrè obiecto conformari, & omnem eius malitiam in ſe recipere, ſed poteris ſolùm ex parte turpitudinem ab illo accipere. Conſtat ergo optimè, non poſſe ab aliquo opere ſeparari plures malitias, & in delectatione illius operis omninò ſeparari.

Hinc manifeſtè apparet diſcrimen inter conſenſum in executionem operis verbi gratia, copulæ adulterinæ, ſiue efficax ſit, ſiue inefficax per modum deſiderij, & ipſam delectationem de eadem copula; nam ille conſenſus ideò contrahit duplicem operis malitiam, quia in executione neutra poteſt ab altero ſeparari; vnde qui vult executionem, conſentit in vtramque executioni neceſſariò coniunctam. At hæc ratio non habet locum, quando quis delectatur: facilè enim mens poteſt diuerſas illas rationes, verbi gratia, luxuriæ, & iniuſtitiæ delectabilis ſecundùm tactum, & iniurioſæ in proximum, 6

rnum , in opere diſtinguere , & alteram ſine altera ſibi proponere, & circa eam abſque vllo affectu ad alteram per delectationem verſari.

7 Solùm eſt aduertendum , vt benè notant Doctores, in delectatione de copula Sodomitica, vel beſtiali , aut etiam de peccatis contra naturam, ſemper eſſe in Confeſſione explicandam circumſtantiam ſpecificam ipſius obiecti : quia turpitudo illa habet fœditatem adeò intrinſecam , vt non poſſit non refundere ex parte obiecti malitiam in quemlibet affectum , etiam ſimplicis complacentiæ , & delectationis.

8 Dico *vltimò*, moraliter , & vt inplurimum , nunquam contingere , vt delectatio de copula habita cum coniugata, vel conſanguinea , vel Religioſa , ſit de illa quatenus eſt coniugata , vel conſanguinea , vel Religioſa. Notat id benè Caſtro Palao citatus , & patet, quia fœminam eſſe coniugatam , vel Religioſam , vel conſanguineam, parùm aut nihil delectationi deſeruit, imò potiùs temperat delectationem, non illam excitat. Quod igitur ſolet ad delectationem excitare , eſt quòd fœmina ſit pulchra, vel cæco amore à viro dilecta. Quare prædicta delectatio de copula habita cum illa, eſt de illa vt apprehenſa non ſua , & ſic ſolùm fatenda eſt, non verò vt eſt coniugata , vel Religioſa , vel conſanguinea. Firmo hanc ſententiam doctrina tradita à noſtro Vaſquez *tom.1. in 1.2. diſp.112.c.2.n.6. & ſequentibus*, dicente in prædictis delectationibus moroſis nullam eſſe malitiam mortalem contra aliam virtutem, quàm contra Caſtitatem. Primum quidem de delectatione moroſa cum conſanguinea patet , quia qui delectatur in tali cogitatione , ſolùm affectus à delectabili, quod eſt in ea, non conſiderata ratione irreuerentiæ, non facit iniuriam contra virtutem Pietatis , ſed luxurioſus tantùm eſt: ſicut ille qui delectatur de furto vel homicidio , ratione nouitatis, vel dexteritatis, vel vtilitatis tantùm , non quia iniuria eſt, nec in vindictam illius, non peccat contra Iuſtitiam , cùm non gaudeat de inæqualitate facta alterius , ſed de nouitate illius , dexteritate, aut vtilitate. Præterea eadem ratione, delectatio moroſa cum vxore aliena, non eſt contra Iuſtitiam, ſed contra Caſtitatem tantùm , quando quis ſolùm ducitur venerea delectatione , quæ eſt in opere : non enim virtus Iuſtitiæ prohibet delectationes de opere iniuſto, quando illæ non oriuntur ex opere , quatenus iniuſtum eſt, ſed ex illo ſub ratione delectabilis contra Caſtitatem apprehenſo : ergo ille qui ſic delectatur , non eſt iniuſtus , ſed intemperans, & luxurioſus. Denique ob eandem rationem delectatio moroſa cum virgine Deo dicata, non eſt contra votum Caſtitatis , quod illa emiſit : quia ſicut ille , qui delectaretur, ſi videret aliquem extrahi à loco ſacro etiam contra Iuſtitiam , & Religionem loco debitam , & delectaretur non de illo opere , quatenus eſſet in iniuriam loci ſacri, ſed quatenus ipſi vtile , aut commodum eſſet , vel ratione nouitatis, vel dexteritatis adiunctæ , non eſſet ſacrilegus contra virtutem Religionis, nec iniuſtus contra Iuſtitiam ; ita etiã qui delectatur de fornicatione cum virgine, non in iniuriam voti , ſed ſolùm ad veneream delectationem attendens , non peccat contra Religionem , quia Religio non moderatur veneream delectationem , ſed ſolam delectationem de iniuria facta perſonæ rei , aut loco ſacro. Cùm igitur in his moroſis delectationibus ſolùm reperiatur oppoſitio cum virtute Caſtitatis & non cum alia , manifeſtè ſequitur , vt ſint in ſola ſpecie luxuriæ , quæ eſt ſimplex fornicatio.

9 Hactenùs dictum eſt de delectatione turpi , ſeu de malitia ipſius , quæ prouenit ex parte obiecti : dicamus nunc circa ſecundum punctum de altera malitia, quam poteſt habere delectatio turpis ex parte ſubiecti , nempe perſonæ quæ delectatur , quando iſta eſt Religioſa habens votum Caſtitatis , vel eſt coniugata.

Qua in re , ſi ſermo ſit de delectatione venerea Religioſi , vel alterius ſoluti habentis ſimplex votum Caſtitatis, ex parte ipſius conueniunt Doctores , eſſe non ſolùm contra Temperantiam , ſed etiam contra Religionem : quia votum Caſtitatis omnes delectationes carnales excludit : nam per votum Caſtitatis Religioſus , vel voto Caſtitatis aſtrictus peculiariter interdixit ſibi omnem delectationem veneream , atque adeò ſuo voto comprehendit etiam interiores delectationes , atque ideò illæ eſſent quoque contra virtutem Religionis. Quòd ſi ea delectatio eſſet de copula habita cum coniugata , vel conſanguinea , non haberet malitiam adulterij , vel inceſtus , quia has circumſtantias per mentem ſeparare poteſt. Imò licet delectaretur de copula cum moniali , haberet illa delectatio malitiam ſacrilegij , ex parte ſubiecti, nempe illius qui delectatur, non tamen ex parte obiecti , ſi illam circumſtantiam ſepararet per mentem , vt dictum eſt.

Obiicies, cur Religioſus , vel habens votum Caſtitatis , ſicut poteſt ſeparare per mentem illam circumſtantiam voti , quatenus ſe tenet ex parte obiecti, non poſſit etiam ſeparare ex parte ſubiecti , ſi ſe apprehendat in ſtatu ſæculari , & ſine voto. *Reſpondeo* , benè poſſe eam circumſtantiam quoque mente præſcindere: adhuc tamen illam delectationem manere illicitam in eo , & contra Religionem , & peccaret contra votum; quia eo voto ſe obligauit ad non habendas eiuſmodi delectationes venereas : nam prædicta delectatio venerea affert ſecum præſentem commotionem corporis, & vehementem carnis ardorem , ac concitationem ſpirituum deſeruientium ad generationem, vnde videtur eſſe principium copulæ præſentis , quod in eo ſtatu illicitum eſt, & prohibitum etiam per virtutem Religionis.

Hinc colligo manifeſtũ diſcrimen , quod notant cõmuniter Doctores inter prædictam venereã delectationẽ, & alias delectationes moroſas in aliis materiis: nã illa ſemper eſt illicita in ſoluto ratione Temperantiæ; & in habente votũ Caſtitatis, eſt etiam illicita non ſolùm ratione Temperantiæ, ſed etiã ratione Religionis per votum, nimirùm propter dictam commotionem corporis, ac vehementem concitationem ſpirituum, quam ſecum affert. Vnde prædicta delectatio eſt mala ob cauſalitatem, quam habet ad libidinem explendam; nam delectatio carnalis vndequaque acceſſit , & conuocat materiam libidinis , & ex ſua natura diſponit ad conſummationem actus. At in aliis materiis , in quibus talem commotionem non experimur, poteſt delectatio moroſa non eſſe illicita, ſi mente excludatur malum ab obiecto ſeu opere externo , & fiat propter bonum finem: ſic enim de pollutione facta in ſomno , & de homicidio commiſſo licet delectari propter bonum finem, vt de pollutione , ob moleſtiam tentationis vitandam; & de homicidio , quia iam ille qui mortuus fuit , non verſabitur in periculo vitæ ſuæ ſpiritualis , ſi exiſtimetur in gratia Dei deceſſiſſe. Eodem modo licet gaudere de furto alicui facto , quia iam ſit illi ablata occaſio auaritiæ , & aliorum peccatorum ad quæ eum pecunia mouebat : & ſic ſimiliter in aliis caſibus.

Solùm igitur eſt difficultas , de delectatione coniugis venerea ; an videlicet ſi coniugatus , tametſi mente 10
præſcindat ex parte ſui circumſtantiam coniugij , ſi tamen delectetur de copula cum alia fœmina præter propriam vxorem , adhuc contrahat ſpecialem malitiam contra Iuſtitiam.

Affirmat communis ſententia, circumſtantiam coniugij eſſe in Confeſſione explicandam , quia coniuges non ſolùm corpus , verùm etiam internum affectum videntur coniugi obligaſſe , atque ideò coniugatus habens delectationem veneream, peccat non ſolùm contra Caſtitatem;

Caſtitatem, ſed etiam contra Fidem in Matrimonio datam, ac proinde contra Iuſtitiam, quia iniuriam irrogat alteri coniugi.

11 Vaſquez *diſp.* 112. *citata, num.* 10. id ſibi non eſſe admodum certum dicit. Caſtro Palao ſuprà citatus *n.* 4. dubitando dicit prædictam rationem non carere difficultate, quia cùm à circumſtantia coniugij poſſit intellectus præſcindere, & ſeipſum quaſi ſolutum conſiderare, non videtur circumſtantiam coniugij poſſe malitiam tali delectationi tribuere. Quòd autem per coniugium non ſe coniuges obligauerint ab his delectationibus abſtinere, ſicut obligantur vouentes Caſtitatem, inde probari videtur; quia hæ delectationes ſunt per ſe incognitæ alteri coniugi: ergo non poteſt ratione illarum iniuriam pati, neque ob illas priuatur copula ſibi debita; ergo non ſunt contra Iuſtitiam, ſed ſolùm contra Temperantiam.

Adhæreo communiori opinioni affirmanti cum noſtro Cardinali Lugo; cuius ratio & fundamentum perplacet mihi; quia etiamſi demus, coniuges ſeſe mutuo non obligare ad actus merè internos; at delectatio venerea non eſt actus merè internus, cùm eius malitia ſumatur ex effectu, quem in corpore cauſat, nam ſecum affert actum externum prohibitum, nempe turpem corporis commotionem, & excitationem vehementem ſpirituum. Quare ſicut coniux peccat contra fidem matrimonij, polluendo ſe, quia interdixit ſibi vſum corporis ſui, ita peccat contra eandem fidem, delectatione dicta propter effectum, quem in corpore cauſat ſibi prohibitum, niſi ad finem eiuſdem Matrimonij.

SECTIO V.

An ſi quis fornicetur, teneatur in Confeſſione explicare copulam, & tactus impudicos præcedentes, & ſubſequentes illam?

1 SVb hoc titulo plurimæ inuoluuntur difficultates, quas oportet ad praxim ſigillatim explanare.

Prima difficultas eſt, an ſi quis fornicatus eſt, teneatur explicare copulam conſummatam; an verò ſufficiat dicere, Commiſi peccatum graue contra Caſtitatem cum ſoluta, habens cum illa tactus impudicos. Ratio dubitandi eſt, quia non videtur, tactus iſtos ſpecie diſtingui à copula, cùm ſint contra eandem virtutem, & pertineant ad ſimplicem fornicationem: ergo pœnitens ſatisfacit confitendo tactus impudicos, etiamſi non explicet ipſam copulam. Recentiores aliqui cenſent id probabile, vt teſtatur noſter Ludouicus de Torres *de pœnitentia, q.* 9 *art.* 2. *diſp.* 29. *dub.* 2. *ad* 5. *argumentum.*

2 Communiſſima tamen Doctorum omnium ſententia eſt dicentium, copulam explicandã eſſe. *Primò*, quia nomine tactus libidinoſi, iuxta communem ſenſum omnium, non comprehenditur fornicatio cõſummata, ſed alius tactus impudicus in ea materia. Vnde etiã eſt cõtra communem vſum Fidelium, qui ſe accuſant ſemper de fornicatione commiſſa. *Secundò*, copula fornicaria diuerſo modo ſpecifico opponitur virtuti Caſtitatis, atque tactus libidinoſi: nam copula opponitur tanquam actus conſummatus, per quem reipſa infertur nocumẽtum educationi prolis; tactus verò libidinoſi opponũtur vt diſpoſitiones in ordine ad illam, ad quam ex ſe proxima ordinantur: ergo copula conſummata explicanda eſt in Confeſſione. *Tertiò*, copula conſummata habet in ſe peculiarem voluptatem veneream diſtinctam ſpecie a voluptate turpi, quam habent tactus impudici: ergo differt ſpecie ab illis; & ideò explicãda. *Vltimò*, copula cõſũmata differt ſpecie a delectatione turpi moroſa, vt conſtat apud omnes: ergo & ab ipſis tactibus impudicis.

Dices, eiuſmodi tactus impudicos habere ſuam malitiam in ordine ad copulam, ad quam proximè ordinantur, & ideò reduci ad copulam, & ab illa ſpecie non diſtingui. *Sed contra eſt*, quia tametſi tactus libidinoſi ordinentur ad copulam, habent tamen in ſe ſuã peculiarẽ delectationẽ turpem oppoſitã virtuti Caſtitatis: ergo ſpecie differunt ab ipſa copula conſũmata. Hac enim de cauſa delectatio turpis moroſa, tametſi ordinetur, & accipiat ſuam malitiam per ordinem ad pollutionẽ, vel ad actum conſummatum, quia tamen habet ſuam peculiarem delectationem turpem prohibitã, diſtinguitur ſpecie ab actu impudico conſummato, ſeu copula fornicaria, ex omnium ſententia: ergo idem dicendum eſt de tactibus impudicis. Atque hinc conſtat ſolutio ad rationem dubitandi *ſuprà* adductam.

Addo, eſſe frequenter plures cauſas, ob quas debeat explicari actus fornicationis nam interdum hoc erit neceſſarium, vt doceatur pœnitens de affinitate contracta, quæ non contrahitur per ſolum tactum libidinoſum; vera enim affinitas dirimens matrimonium, ſolùm contrahitur per copulam inceſtuoſam, nec ſolum per quãcumq; copulam, ſed per copulam ſeminante viro intra vas naturale fœminæ, vt explicui *in tract. de Matrim. diſp.* 31. *ſect.* 1. Præterea neceſſarium eſt cognoſcere, an fuerit copula, & fornicatio, vel ſolùm tactus libidinoſus quia quando eſt ſolùm tactus libidinoſus, moraliter loquendo, in multis perſonis ſolet eſſe frequens periculũ pollutionis, quæ eſt circumſtantia ſpecie diuerſa; & ideò Confeſſor poteſt obligare pœnitentem, vt explicet an commiſerit fornicationem, vel tantum libidinoſum tactum cum periculo imminente pollutionis. Tandẽ poteſt etiam eſſe obligatio explicandi fornicationem, quando eſſet reſeruatio, vel excommunicatio lata propter fornicationem ſub hoc nomine: nam tunc iuxta omnium ſententiam, non cenſeretur reſeruatum peccatum ſolum tactus libidinoſi, neque propter illud contraheretur pœna excommunicationis; ſecus tamen ſi eſſet reſeruatum quodlibet peccatum externum contra Caſtitatem.

Secunda difficultas eſt, an tactus impudici, qui præcedunt copulam, & ordinantur ad ipſam, debeant explicari in Confeſſione, præter copulam: videtur enim pars affirmatiua tenenda, quia malitia ſpecifica tactus impudici eſt diuerſa per nos, à malitia ſpecifica copulæ: ergo eſt illa quoq; in Cõfeſſione explicanda, aliter enim pœnitens explicando ſolùm copulam, non explicaret totam ſpeciem illius peccati. Nec valet dicere, explicato peccato principali, cætera quæ ad illud ordinantur, eſſe intelligenda. Non, inquã, valet, quia explicata fornicatione, non ſtatim conſtat, an præceſſerint alij tactus impudici, quia forſan ſine aliis fieri potuit, & facta fuit: ſicut neque etiam explicata copulâ conſummatâ, manet explicata delectatio moroſa de re turpi. 3

Contraria ſententia vtpote communior, ſequenda eſt; quam tenent Nauarrus, Zanardus, Sancius, 4 Zerola, Azorius, & alij quos refert & ſequitur Diana *tom.* 1. *tractat. de circumſtantiis aggrauantibus reſolut.* 42. eiuſdem ſententiæ eſt Suarius *diſputatione* 22. *ſection.* 5. *num.* 24. Vaſquez *de Sacramento Pœnitentiæ, q.* 91. *art.* 1. *dub.* 5. *num.* 33. Coninck *de pœnitentia, diſ.* 7. *dub.* 7. *n.* 58. Cardin. Lugo *diſ.* 16. *ſect.* 5. præſertim *n.* 242, & alij.

Varias

Digitized by Google

Varias rationes aſſignant Doctores huius veritatis. Quæ communiter circumfertur, hæc eſt, quia tactus, oſcula, & verba turpia enim actu conſummato, & effectu principali coniunguntur, & cum eo conficiunt vnum numero peccatum; vnde explicato actu principali etiam cenſentur huiuſmodi actiones explicatæ: nam tactus præſertim cùm tam intentione agentis, quam natura ſua ordinentur ad actum principalem copulæ, conſtituunt quaſi moraliter vnum peccatum cum illa.

5 Hæc ratio optima eſt, ſi nimirum ſic intelligatur, vt tactus qui antecedunt, ita ordinantur ad ipſam fornicationem, verbi gratia, vt ſint quaſi partes copulæ conſummandæ; & ideò vnum peccatum componant, & xplicato actu conſummato in illo intelligantur. Quare prædicti tactus ideò ſunt vnum numero peccatum vnitate morali cum fornicatione, non quia ordinantur ad illam quouis modo, ſed quia ſunt veluti partes annexæ illi peccato. Vnde hac de cauſa, tactus impudici dicuntur fornicatio inchoata, vt notauit Vaſquez citatus *numero trigeſimo tertio*; eſt igitur in illis malitia copulæ conſummatæ, quâ explicatâ, iam ſufficienter explicatur tota malitia illius peccati propter vnitatem moralem numericam. Quocirca ſicut in actionibus, vel qualitatibus phyſicis, vt conſtat ex Metaphyſica, non ſemper vnitas numerica eſt eiuſdem rationis, nam aliquando reſultat ex ſimplici entitate, aliquando ex collectione plurium cum aliqua artificioſa compoſitione; ita in moralibus, aliquando reſultat vnum numero peccatum ex ſimplici quodam affectu prauo, aliquando etiam ex collectione plurium: ſic ex tactibus impudicis præcedentibus, & ex ipſa copula conſummata quæ ſubſequitur, componitur moraliter vnum peccatum, quia omnes illi ordinantur ad vnum integrum & conſummatum opus, tanquam partes illius. Ex quo fit, vt cùm quis poſt primum actum fornicationis iterùm alium committit, etiamſi ſtatim, & incontinenter fiat poſt primam fornicationem, non vnum, ſed duo peccata committat; quia vna fornicatio nec eſt quaſi præuia ad aliam, nec eſt veluti appendix alterius, nec eſt pars illius, ſed vnaquæque per ſe conſummatur. Hinc patet ſolutio ad argumentum partis affirmatiuæ, nullam ſpeciem malitiæ reſtare in illo peccato, quæ non explicetur: quia licet illi tactus impudici habeant ſuam malitiam ſpecificam; ea tamen explicatur ſatis explicatâ copulâ; quia copula etiam habet illam malitiam, & tactus antecedentes, qui ſolent ſemper adhiberi, ſunt quaſi partes ipſius. Vnde malitia tactus impudici dupliciter poteſt conſiderari, vel prout eſt delectatio turpis ſiſtens in illo mero tactu, & non progrediendo ad copulam, vel prout eſt delectatio turpis ordinata, ac tendens ad ipſam copulam: primo modo cùm non habeat malitiam copulæ, non explicatur eius malitia explicata copula, & ideò debet illa ſeorſim explicari; at ſecundo modo, de quo nunc loquimur, malitia tactus eſt quaſi pars copulæ, & facit vnum peccatum cum ipſa copula; & ideò malitiâ copulæ explicatâ, ſatis explicatur malitia tactus. Neque eſt eadem ratio de ipſa delectatione moroſa de re turpi; nam hæc licèt ex parte fornicantis ordinetur ad copulam, non ideò facit vnum numero peccatum cum copula, quia non omnia quæ ordinantur ad copulam, conſtituunt cum illa vnum numero peccatum, ſed illa tantùm quæ ordinantur ad ipſam, veluti partes annexæ ipſi, qualis non eſt delectatio moroſa, vel laudare ſe de illo peccato; hæc enim non ſemper ſolent adhiberi, nec intelliguntur explicato principali, atque ideò debent ſeorſim explicari. Adde etiam veluti ex natura rei eſſe, vt illi tactus antecedant, & ideò & vt vnum peccatum componant, & explicato conſummato actu, in illo intelligantur.

6 Tertia difficultas eſt de tactibus impudicis, qui ſubſequuntur copulam, an debeant explicari in Confeſſione præter copulam. Prima opinio tenet non magis debere explicari, quàm præcedentes copulam. Ita Henriquez, Nauarrus, Zerola, Azor, Granado, Salas, & Fagundez, quos refert, & ſequitur Cardinalis de Lugo *diſput.* 17. *ſect.* 4. *num.* 554.

Probant *primò*, quia tactus illi, & oſcula, licèt ſeorſim à copula habeant aliquam malitiam ſpecie diuerſam, ſupra malitiam quæ fuerat in peccato præcedenti, habent tamen connexionem talem, & tantam cum illo peccato, vt poſſint facere vnum actum completum; quia ſunt quaſi complementum copulæ, & delectationis præcedentis: ergo ſicut tactus ſimiles in ſpecie, qui ante copulam præceſſerunt, tametſi afferant malitiam ſpecie diuerſam, non ſunt explicandi, quia ſunt quaſi partes, & inchoatio copulæ conſummandæ, ita nec ſubſequentes, quia ſunt quaſi complementum copulæ, & delectationis.

Secundò, tactus illi conſequentes neque ex intentione agentis, neque ex natura ſua ordinantur ſemper ad copulam ſequentem, ſed ſunt mali, & turpes, quatenus in ſe continent approbationem, & delectationem de copula præcedenti; eſt enim naturale, quòd bonum deſideratum afferat gaudium, & delectationem quando habitum eſt: ergo faciunt idem peccatum cum copula præcedenti; ergo non ſunt neceſſariò declarandi in Confeſſione ſeorſim.

Tertiò, delectatio de fornicatione habita, quæ ſtatim poſt copulam habetur, non eſt neceſſariò declaranda in Confeſſione, ſed facit idem peccatum cum copula præcedente: ergo nec tactus impudici, qui ſtatim poſt copulam habentur, ſunt neceſſariò declarandi in Confeſſione, ſed facient idem numero peccatum cum copula præcedente.

Vltimò, nullus eſt Confeſſarius, qui declaratâ copulâ, interroget de tactibus qui ſtatim ſubſequuntur, nec fideles ſe accuſant de illis, ſed ſolùm de copula habita, vt conſtat experientiâ, & ſimiliter nullus Confeſſarius explicatâ copulâ interrogat de delectatione, quæ ſtatim habetur poſt ipſam copulam; cùm tamen certum ſit, plurimos delectari poſt copulam; nec de tali delectatione fideles ſeorſim ſe accuſant: ergo ſignum eſt prædictos tactus, & delectationes facere vnum peccatum cum copula, nec debere ſeorſim in Confeſſione explicari.

7 Oppoſita ſententia affirmans, tactus impudicos, qui ipſam copulam conſequuntur, debere explicari, tanquam diuerſa peccata a copula præcedenti, nec ſufficere confiteri copulam, mihi verior videtur: quæ eſt Suarij *diſput.* 22. *ſect.* 5. *num.* 26. Vaſquez citati *dubio* 5. *num.* 31. Coninck *dubio* 7. *num.* 59. & aliorum. Ratio eſt, quia prædicti tactus non ordinantur ex ſe ad copulam præcedentem, nec ſunt partes illius, ſed ordinantur ad ſequentem: ergo non poſſunt cũ copula præcedente eundem actum moralem conſtituere; non magis quàm ipſa copula ſecunda, quæ particulatim explicanda eſt, tametſi immediatè primam ſequatur. Firmat hanc rationem optimè Suarez, nam tactus ſubſequentes non ſolùm non ſunt partes prioris copulæ conſummatæ, verùm etiam neque ex natura rei ex illa ſequuntur, vt proptereà cenſeri poſſint quaſi proprietates conſequentes, & in illa virtute incluſæ, ſed reuerà adiunguntur ex malitia operantis: ergo neque ſufficienter explicantur confitendo ſimpliciter vnam fornicationem, nec reuerà ſunt vna, & eadem fornicatio cum præcedenti, ſed potiùs ſunt noua fornicatio inchoata. Cuius rei ſignum videtur manifeſtum: nam ſi illi tactus procederent vſque ad conſummationem ſecundæ copulæ, vnirentur cum illa, & cum ea conſtituerent vnum peccatum; non ergo

ergo ita vniuntur cùm præcedenti, aliter enim illæ duæ fornicationes vnirentur inter ſe, & vnum peccatum numero conſtituerent; quod falſiſſimum eſt, vt omnes fatentur.

Quare dicendum eſt, tactus & verba impudica poſt fornicationem, tametſi fiant ad complementum fornicationis, & quaſi appendix illius, eſſe peccata noua, diſtincta à fornicatione antecedente; quia ex ſe, qua ratione habent propriam malitiam, tantùm ſunt inchoationes nouæ fornicationis, & non complementum præteritæ; quia peccatum carnis ſuâ naturâ conſummatur in fornicatione, quamuis operans ſua voluntate poſſit vltra fornicationem ad alios tactus procedere.

8 Ex hac doctrina colligo *primò*, actum exteriorem fornicationis habere certum terminum, in quo conſummatur, ſicut alij exteriores actus humani habent certos terminos, in quibus conſummantur: talis eſt vna fornicatio, & ideò ibi conſummatur vnum peccatum: quòd ſi vlterius ad aliud progrediatur, eſt per accidens, nihilque refert, quòd in proximo ſequenti tempore, vel poſt aliquod tempus fiat: æquè enim ſunt plura peccata, quia non vniuntur inter ſe, ſicut ſunt plures hominum natiuitates, etiamſi fieri contingat cum immediata ſucceſſione vnius poſt aliam. Vnde quod attinet ad Confeſſionem, certum eſt, hæc non ſatis explicari, niſi per modum plurium, quia in abſoluta Confeſſione vnius peccati conſummati nullo modo explicatur, vel inſinuatur aliud.

9 Colligo *ſecundò*, delectari poſteà de fornicatione conſummata, vel ſe de tali actu laudare cum noua complacentia, tametſi fiat quaſi in flagranti delicto, & ex ipſo feruore peccati, eſſe nouum peccatum neceſſariò explicandum, tametſi hoc totum fiat ſine interruptione, quia multitudo, & diſtinctio in his peccatis non eſt penſanda ex interruptione temporis, ſed ex natura, & modo talium actuum. Illi autem poſteriores actus omnino ſunt diſtincti à præcedenti peccato, neque ad illud ordinantur, nec ſunt partes eius, ſed potius circa illud verſantur, vt circa obiectum, vel materiam; de qua parum refert, quòd paulò, vel multò ante præceſſerit. Vnde per accidens adiunguntur; atque ideò non intelliguntur ſolo ipſo peccato explicato: neceſſarium ergo eſt hæc, & etiam oſcula ipſa ſubſequentia explicare tanquam diſtincta peccata.

10 Ad argumenta contraria. Ad primum negandum eſt, tactus impudicos ſubſequentes habere connexionem talem, & tantam cum copula præcedente, vt poſſint facere vnum integrum, & completum actum cum illa; quia nec ſunt quaſi complementum copulæ & delectationis præcedentis, neque ex natura rei ſequuntur ex illa quaſi proprietates conſequentes, ſed ſolùm adiunguntur per accidens ex malitia operantis, ac proinde ſunt nouum peccatum diſtinctum.

Ad ſecundum, negatur quoque prædictos tactus non ordinari quaſi ex natura ſua ad copulam ſequentem; ſunt enim quaſi ſecunda fornicatio inchoata, qui ſi procederent vſque ad conſummationem ſecundæ fornicationis, vnirentur moraliter cum illa, & cum ea vnum morale conſtituerent peccatum.

Ad tertium, conſtat ex *numero præcedenti*, Antecedens eſſe falſum.

Ad vltimum dico, ideò Confeſſarios declaratâ copulâ non interrogare de tactibus ſubſequentibus, quia iſti non ſpectant ad copulam habitam, & confeſſam; quòd ſi tales tactus ſubſequantur vſque ad conſummationem ſecundæ copulæ, cùm moraliter vniantur cum iſta, declaratâ ipſâ, manet ſecundum peccatum integrè, & ſufficienter explicatum. De ipſa verò delectatione, quando habetur poſt copulam ſucceſſiuè, & ſine interruptione, dico etiam fideles ſe accuſare de illa particulatim, quia agnoſcunt afferre ſecum nouam, & diſtinctam malitiam.

Quarta, & difficultas eſt, an quando præcedunt tactus & oſcula, non tamen ex intentione copulæ, & poſtea immediatè habetur copula, debeant explicari, vt peccatum diſtinctum, an potiùs tunc ſufficiat confiteri ſolam copulam. 11

Ad hanc difficultatem dicendum eſt cum Vaſquez *dicto dubio* 5. *numero* 27. Gaſpare Hurtado *de Pœnitentia, diſputatione* 9. *difficultate* 6. Cardinali de Lugo *diſputatione* 16. *ſectione* 14. *numero* 556. & Aliis, prædictos tactus impudicos, & oſcula, ſi non ordinarentur ad copulam, ſed ſecundùm ſe tantùm quærerentur, & poſteà immediatè accederet fornicatio ex alia voluntate, eſſe neceſſariò explicandos, vt peccatum diſtinctum à fornicatione. Ratio eſt, quia tactus impudici ſecundùm ſe habent malitiam ſpecie diuerſam, quando in ipſis ſiſtitur, à malitia fornicationis, nam habent ſuam delectationem veneream, quæ in ſe ipſa prohibita eſt; ſicut enim prohibetur delectatio pollutionis propter bonum prolis, quia ſi licita eſſet ea delectatio non curarent homines de matrimonio; ſic prohibetur à natura ipſa delectatio tactus laſciui, quia ſi ea ſaltem licita eſſet, minus curarent homines de matrimonio, & de prole generanda: quare omnem ſimilem delectationem natura, & virtus Caſtitatis prohibuit. Si ergo tactus impudici habentes ex ſe ſuam ſpecialem malitiam quando in ipſis ſiſtitur, non fiant vnum aliunde ex intentione operantis cum fornicatione; non eſt cur illud peccatum ſit potiùs vnum, quam duo ſpecie diuerſa.

Ex quo infero, eum, qui ter copulam habuit cum eadem fœmina, cùm vna copula non faciat vnum cum alia, ſed ſingulæ ſint actiones completæ, & totales, eſſe tria peccata. Quod idem dic de illo qui ſucceſſiuè occidit tres homines ſibi etiam ſucceſſiuè occurrentes, propter eandem rationem. A fortiori, autem certum debet eſſe, eum qui copulam habuit ſucceſſiuè cum tribus fœminis, committere tria peccata. 12

SECTIO VI.

An in peccato ſcandali explicanda ſit ſpecies peccati ad quod ſcandalum inducit?

SErmo eſt de peccato ſcandali actiui, quod eſt offendiculum quod fratri ponitur, vt ſpiritualiter cadat; & rectè definitur à D. Thoma 2. 2. *quæſtione* 43. *articulo* 1. Opus minus rectum, præbens proximo occaſionem ruinæ. Nomine *Operis*, intelliguntur verba, vel facta, vel eorum omiſſiones, quodlibet horum, ſi præbeat occaſionem ruinæ. Dicitur autem *minus rectum*, quia ad peccatum ſcandali actiuum neceſſariò requiritur opus ſcandalizans eſſe malum, vel mali ſpeciem habere. Quæritur igitur, an peccatum ſcandali actiui pertineat ad eandem ſpeciem, ad quam inducitur ille, qui ſcandalizatur, vt v. g. ſcandalum ad fornicationem pertineat ad ſpeciem fornicationis, atque ideò ſit in Confeſſione explicanda hæc ſpecies, ad quam ſcandalum inducit; an verò ſufficiat dicere, Meo exemplo, vel opere dedi occaſionem peccandi grauiter proximo, cùm deberem id præcauere. 1

Ad id explicandum, præmittendum eſt *primò*, triplicitér

Digitized by Google

triplicitet te poſſe ruinam ſpiritualem proximi intendere. Primò directè intendendo ruinam illius, quatenus ruina illius eſt, & damnum illius ſpirituale; quo pacto dæmones noſtros caſus, & peccata intendunt. Secundò etiam directè intendendo ad proximi ruinam ſpiritualem, non ex affectu vt ruat præciſè, ſed prout talis ruina tibi vel alteri vtilis eſt; vt cùm vis quòd proximus violet Caſtitatem, non quia malum illius eſt, & damnum ſpirituale, ſed quia inde illi, vel tibi lucrum aliquod ſperas. Tertiò intendere potes ruinam ſpiritualem proximi indirectè; hoc eſt intendendo actionem ex qua præuides proximum caſurum.

Præmitto *ſecundò*, quod omnes Doctores fatentur cum D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 43. *artic.* 1. nunquam ſcandalum contingere, niſi ruina ſpiritualis proximi probabiliter timeatur ſucceſſura. Quod intellige de ſcandalo, ſeu ruina proximi indirectè volita: Vnde ſi ſolùm intendas ruinam proximi indirectè, quatenus occaſionem aliquam intendis, ex qua proximus occaſionem ſumere poteſt cadendi, ſi de facto non ſe tibi offerat probabilis illius caſus, non committis peccatum ſcandali. Quare tunc ſcandali circumſtantia neceſſariò fatenda eſt in Confeſſione Sacramentali, quando attentis omnibus circumſtantiis, & perſonæ agentis, & perſonæ, coram qua actus fit, probabiliter putari poteſt fore, vt dictum, vel factum inordinatum vnius ſit occaſio ruinæ moralis circumſpicienti, ſecus quando id probabiliter non timetur, vt optimè notauit noſter Sanchez in Decalogo *lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 7. cum aliis Doctoribus, præſertim Nauarro *cap. conſideret*, §. *animaduertere*, *num.* 9. *de pænit.* d. 5. Ratio eſt, quia in ſolo primo caſu poteſt quis cenſeri cauſa moralis ruinæ alterius: ex quo fit, vt plures coram aliis peccantes excuſentur à peccato ſcandali, vel quia videntes ita ſunt in bono ſtabiles, vt nullo modo peccatis viſis cenſeantur ad peccatum moueri; vel ita ſunt deperditi, vt peccatum aliorum nihil illos immutet: ſunt enim nonnulli tam prauis moribus imbuti, vt de aliorum exemplo nihil curent, nec inde argumentum ſumunt ad liberius vitiis vacandum; vnde non cenſetur moralis eorum inductio.

3 Præmitto *tertiò*, ſcandalum paſſiuum eſſe ipſam ruinam proximi ſpiritualem, quæ aliquando dicitur Scandalum Phariſæorum, quando nimirùm ruit proximus, nullâ datâ occaſione legitimâ, ſed ex malitia ipſius, vt faciebant Phariſæi; aliquando eſt puſillorum, quando videlicet ex opere aliàs bono ſumit proximus occaſionem ruinæ, vel quia ignorat bonum eſſe, vel quia fragilis eſt; ſic ex ornatu fœminæ licito labi poteſt fragilis ex fragilitate, & prauus ex malitia, & etiam ex ignorantia, cùm quis ignorat licere. Vtrumque dictum ſcandalum paſſiuum, vt omnes Doctores ſentiunt, non aduerſatur ſpeciali alicui virtuti, ſed per omnia vitia vagatur. Vnde ſcandalum paſſiuum nihil eſt aliud quàm peccatum ſcandalizati, quod aliquando eſt aduerſus Temperantiam, aliquando aduersùs Iuſtitiam, aliquando aduersùs Religionem. Solùm igitur difficultas eſt de ſcandalo actiuo, an ſpeciali alicui virtuti aduerſetur, & ſit ſpeciale peccatum in Confeſſione declarandum.

Præmitto *vltimò*, ſemper eſſe explicandam in Confeſſione circumſtantiam ſcandali, quia hæc ſemper affert nouam ſpeciem peccati, cùm directè opponatur Charitati propter ſpirituale detrimentum proximi: nam diuerſa ſpecie malitia eſt inducere alium ad fornicandum, ab ea quam contrahit ipſe qui fornicatur; hæc enim eſt contra temperantiam, illa verò contra Charitatem proximi.

4 His præmiſſis, ſupereſt difficultas, non, an debeat in Confeſſione explicari circumſtantia ſcandali, ſed an debeat ſemper in Confeſſione explicari ſpecies peccati, ad quod proximus ſcandalizatus inducitur: an verò ſufficiat dicere, Meo exemplo, vel opere dedi occaſionem peccandi grauiter proximo, cui deberem ex Charitate id præcauere.

Communiter Doctores inter quos Sanchez *lib.* 1. *in Decalogo, cap.* 6. *num.* 8. ſentiunt debere ſemper ſcandalizantem explicare ſpeciem peccati, ad quod proximum induxit. Quod etiam videtur ſupponere Vaſquez 1. 2. *diſp.* 102. *cap.* 3. *num.* 5. & *cap.* 7. *num.* 21. Vbi ſupponit ipſum ſcandalum eſſe in eadem ſpecie cum peccato ad quod proximus ſcandalizatus inducitur.

Dico *primò*, conuenire omnes Doctores, eum qui primo modo inducit ad peccandum, incurrere malitiam ſcandali contra Charitatem proximi in Confeſſione explicandam. Patet, quia id eſt, ſcandalum maximum quod eſſe poteſt, ſuam peculiarem malitiam habens ex proprio obiecto & materia, ex odio proximi: ergo habet rationem ſcandali contra Charitatem. Quare ſi quis eo modo inducat ad fornicationem, verbi gratia, & incurrit malitiam fornicationis, quia eſt cauſa eius, & malitiam ſcandali contra Charitatem; & vtraque malitia eſt in Confeſſione declaranda. 5

Dico *ſecundò*, qui ſecundo modo inducit ad actum peccati, directè intendendo peccatum proximi, licèt id faciat propter vtilitatem, vel aliud ſimile, debet explicare in Confeſſione ſpeciem peccati, ad quam proximus inducitur: Ita communiter Doctores. Ratio eſt, quia qui per conſilium directè inducit ad quodlibet peccatum, apertè incurrit contra obligationem cuiuſuis virtutis; habet enim adiunctam voluntatem contrariam directè illi ſpeciali virtuti: ergo ſi inducat ad luxuriam oppoſitam Caſtitati, cùm incurrat ſpecialem difformitatẽ contrariam huic virtuti, ea declaranda eſt in Confeſſione: habet quoque aliam malitiam contra Charitatem proximi etiam in Confeſſione explicandam, quia habet ſpecialem difformitatem affectus ille, quo directè ruina proximi ſpiritualis intenditur: ergo neceſſariò eſt dicendus aduerſari alicui virtuti, cui ſpecialiter opponatur, quæ non apparet alia præter Charitatem proximi, ſeu vt alij, volunt contra beneficentiam. Igitur quando ſcandalum fit hoc ſecundo modo, præter malitiam ſcandali, explicari debet ſpecies peccati, ad quam proximus inducitur. 6

Dico *tertiò*, quando aliquis tertio modo, hoc eſt, indirectè inducit alium ad peccandum per actionem malam, vel habentem ſpeciem mali, incurrit quoque ſpecialem malitiam ſcandali. Eſt communior Doctorum ſententia & Patrum, qui ex Scriptura non minùs reprehendunt ſic operantes tanquam ſcandaloſos, quàm conſulentes, vel inducentes directè. Ratio à priori eſt, quia in hoc opere reperitur voluntarium indirectum, vt liquet: at hoc ſatis eſt ad contrahendam dictam malitiam, nam peccatum aggrauatur etiam ex noua ſpecie, ex nocumento præuiſo cum obligatione vitandi illud, etiamſi non ſit per ſe ac directè intentum. Et eſt euidens, quia in moralibus voluntarium directum, & indirectum ad eandem ſpeciem pertinent: nam modus voluntarij directi, vel indirecti, quamuis mutet phyſicam entitatem actus, tamen non ſufficit ad variandam malitiam formaliter, ſi in obiecto, vel circumſtantia ſit eadem deordinatio à recta ratione, vt conſtat in peccato omiſſionis. In quo eſt manifeſta differentia inter bonitatem, & malitiam; nam bonitas cùm in perfectione conſiſtat, requirit perfectam cauſam, & directam tendentiam ad obiectum honeſtum: At malitia committitur ex quocumque defectu, nam cùm malum contingat ex quocumque defectu, quomodocumque voluntas, illud amet, ſatis eſt vt inficiet, & maculet voluntatem: 7

voluntatem : neque poteſt intelligi, quòd voluntas quacumque ratione velit malum, quin malè faciat volendo ; conſtat autem in malis dari voluntarium indirectum, quia ſemper intercedit obligatio vitandi illa.

8 Obiicies *primò*, ex hac doctrina ſequi, in quocumque peccato eſſe plures circumſtantias, & malitias ſpecie diſtinctas, cùm ſufficiat quòd ſint indirectè voluntariæ. Vnde in fractione ieiunij, verbi gratia, erit inprimis malitia intemperantiæ, prætereà malitia inobedientiæ, cùm ſit violatio præcepti diuini, & humani ; item malitia iniuſtitiæ erga Deum; denique malitia contra Charitatem propriam, quatenus eſt mors animæ : in his enim omnibus erit propria, ac ſpecialis malitia, cùm ſint illa omnia indirectè voluntaria. *Reſpondeo*, negando ſequelam : eſt enim animaduertendum ex communi Theologorum doctrina, ex circumſtantiis, quaſdam eſſe ſpeciales, & ſpecialibus virtutibus repugnantes, ex quarum vi oritur quoque ſpecialis obligatio ad vitandum actum, qualis eſt malitia ſcandali ; & de his ſatis eſt quòd ſint voluntariæ indirectè, vt inducant plures malitias in actu ſpecie diuerſas : nam voluntarium directum, & indirectum, ſi cætera ſint paria, non variant malitiam moralem ; atque in his nullum eſt inconueniens, quòd actus habeat plures malitias, ſi habeat plures circumſtantias ſpeciali modo rationi contrarias. Aliæ verò ſunt circumſtantiæ, quæ dicuntur generales, vt ſunt inobedientia, ingratitudo, iniuſtitia erga Deum, auerſio à Deo, & ſimiles ; ex quarum vi non oritur ſpecialis obligatio, niſi ſint ſpecialiter, ac directè intentæ, atque iſtæ non conferunt malitiam, non ſolùm quia non ſunt directè intentæ, ſed etiam quia nec cenſentur indirectè voluntariæ, formaliter loquendo, ſed tantùm materialiter. Vt in illo exemplo, ſi quis teneatur in vigilia D. Petri ieiunare, & non ieiunet, ſolùm peccat contra virtutem Temperantiæ: hæc enim ſola eſt quæ obligat ad ieiunium ; non verò ad illud obligat virtus Obedientiæ: Quamuis enim Lex Eccleſiæ ponat neceſſitatem in illo die ieiunandi, illam tamen conſtituit intra virtutem Temperantiæ; & ideò hæc ſola eſt, quæ proximè obligat ad illum actum, ac per conſequens qui non ieiunat, non vult etiam indirectè formalem malitiam inobedientiæ, ſed ſolùm materialiter dicitur inobediens. Quo pacto quoque materialiter dicitur Deo ingratus, iniuſtus, Deo iniuſus, vel ab eo auerſus, quæ omnia materialiter tantùm ſe habent, & non aggrauant ex noua ſpecie.

9 Obiicies *ſecundò*, ex doctrina *ſuprà* tradita, manifeſtè inferri, eum, qui exemplo ſuo inducit alium ad furandum, peccare contra Iuſtitiam reſpectu illius tertiæ perſonæ, à qua ille alius inductus furatus eſt, quia ille eſt cauſa moralis damni alterius proximi, nempe ipſius furti ; quod certè ſaltem indirectè voluit inducens illum ſuo exemplo, ad furandum. At hoc concedi non poteſt, quia teneretur ille reſtituere, quidquid alius ſuo exemplo motus, furatus eſt. *Reſpondeo*, negando Sequelam, nam ille qui ſuo exemplo inducit alium ad furandum, non cenſetur cauſa moralis ruinæ proximi furantis, vt eſt contra Iuſtitiam, ſed vt eſt contra Charitatem; atque ideò ille actus per ſe non habet malitiam ex trãſgreſſione Iuſtitiæ. In quo valdè differt ab illo alio, qui per conſilium directè inducit ad furtum; nam hoc apertè eſt contra obligationem Iuſtitiæ, habet enim adiunctam voluntatem contrariam directè illi virtuti. Et ratio eſt, quia tunc aliquis dicitur cauſa moralis alicuius peccati, quando poteſt, & tenetur illud vitare, & non facit; vnde eo modo erit cauſa quo tenetur. At intelligi poteſt teneri ad vitandum opus, ne proximus ad peccatum inducatur ex obligatione Charitatis, non verò vt eſt contra Iuſtitiam, vt in præſenti caſu cenſetur ille cauſa moralis ruinæ proximi vt eſt contra Charitatem, non verò vt eſt contra Iuſtitiam. Vnde ille actus per ſe non habet malitiam ex tranſgreſſione Iuſtitiæ.

Dico *vltimò*, quando prædicto tertio modo inducitur proximus, præuiſo videlicet, ſed non volito directè 10
eius periculo, tunc ſatisfieri in Confeſſione, explicando malitiam ſcandali, non verò eſſe obligationem explicandi ſpeciem peccati, ad quod proximus induci poteſt. Ita Nauarrus *in ſumma capite 6. num.* 19. Suarez *diſp.* 10. *de Charitate ſect.* 2. *n.* 9. Coninck *de charitate diſputat.* 28. *dub.* 2. *num.* 11. 12. & 13. Cardinalis Lugo *de pœnitentia diſput.* 16. *ſect.* 4. §. 2. *n.* 159. *& ſequentibus*, Vaſquez 1. 2. *diſputatione* 102. *capite quarto*, & alij Doctores. Fundamentum eſt, quia ibi non eſt alia ſpecies malitiæ, niſi contra ſolam Charitatem proximi, quia licèt ille homo ſit aliquo modo cauſa moralis ruinæ ſpiritualis proximi, id ſolùm eſt, quatenus poteſt, ac tenetur vitare peccatum proximi : At non tenetur illud vitare niſi ex Charitate, & non ex alia peculiari virtute. Huius autem rei ratio eſt, quia quælibet alia virtus præter Charitatem, ſolùm obligat, vt quis eam in ſe conſeruet, nihil faciendo quod ei contrariatur, nec quicquam omittendo quod neceſſarium eſt, vt eam in ſe conſeruet; non tamen obligat ad procurandum poſitiuè quòd alij eam amplectantur. Vt v.g. Iuſtitia obligat me, ne procurem, quòd alius furetur, non tamen me obligat, vt procurem ne alij furentur, niſi fortè ex peculiari officio ad id teneat. Caſtitas quoque obligat me, ne alios inducam ad luxuriam, non tamen vt poſitiuè procurem, alios eſſe caſtos; quandiu enim caſte viuo, quãtumuis culpabiliter negligam impedire ne *alij ſcortentur*, non ideò tamen fio ſcortator, aut *incontinens.* Idem eſt de aliis ſimilibus virtutibus. Secus eſt de Charitate proximi, quæ ſicut per ſe amat bonum proximi, ita nequit in me conſeruari, niſi id procurem quoties ille in graui eſt neceſſitate, & ego eum facilè iuuare poſſum. Quare ſicut qui laſciuum non corripit, cùm tenetur, non peccat contra virtutem Caſtitatis, ſed contra Charitatem, quia qui proximi luxuriam non impedit, non peccat contra Caſtitatem; ita nec peccat quis contra Iuſtitiam ſi præuidens, præter ipſius intentionem, alium ex eius intemperantia inducendum eſſe ad furandum, id non impediat: quia Iuſtitia obligat quidem hominem, ne procuret alios furari, non tamen vt eorum furta impediat, & ad eum finem abſtineat ab intemperantia.

Hinc colligo, obligationem impediendi, & non ſcan- 11
dalizandi hoc tertio modo proximum, oriri propriè ex Charitate Dei & proximi : quia ſicut Charitas Dei, & proximi nos obligat, vt data occaſione, vtriuſque bonũ procuremus; ita nos obligat vt impediamus ea quæ ipſis grauiter aduerſantur. At peccatum præſertim mortale grauiter vtrique aduerſatur : eſt enim graue malum proximi, quod eum priuat vita ſpirituali, & æterna beatitudine, & reddit reum æterni ſupplicij. Item eſt etiam grauis iniuria Dei, cui infinitè diſplicet peccatum, eius quoque maieſtas infinitè quodammodo deprimitur, dum eius auctoritas peccata prohibentis, & amicitia rebus creatis poſtponitur. Igitur Charitas nos obligat ſub mortali, vt peccatum proximi impediamus.

Obiicies, quando malum proximi eſt ipſi voluntarium, & quod facilè per ſe poſſit auertere, ſi velit, non teneor ei ſuccurrere, vt manifeſtè liquet in eo, qui ſponte patitur paupertatem, nuditatem, & alias miſerias, quem non teneor his eripere, quia non cenſetur eſſe in neceſſitate; at omne peccatum præſertim mortale eſt peccanti voluntarium, & hic poteſt illud vitare ſi velit:

Digitized by Google

velit: ergo non teneor ipſum ab eo eripere bono exemplo. *Reſpondeo*, tametſi quis peccet omninò ſciens, & ex pura malitia, adhuc peccatum eſſe ex aliqua parte inuoluntarium, quatenus ſcilicet priuat peccantem gratia Dei, & æterna beatitudine, & cauſat ei æternum ſupplicium, quæ peccans odit, & cuperet fugere. Præterea nullus ita peccat ex malitia, quin aliqua tentatione, & inclinatione ad bonum delectabile, quam non ita facilè poteſt ſuperare, ad id incitetur, atque ita ipſum peccatum, tum ex hac parte, tum etiam quatenus dicta mala affert, eſt ei ſemper aliqua ratione inuoluntarium, & ita tenetur quis ex Charitate proximi illud impedire ſuo bono exemplo.

SECTIO VII.

An cùm quis ſuo peccato ſcandalum præbet adſtantibus, debeat in Confeſſione explicare numerum determinatum adſtantium, & qualitatem ipſorum, qui potuerunt ſcandalizari?

1 QVæſtio hæc quaſi appendix videtur præcedentis, & ad praxim valdè conueniens. Senſus igitur illius eſt, an pœnitens qui ſe accuſat, quòd ſcandalum præbuerit, loquendo, verbi gratia, de rebus turpibus, quarum auditu facilè moueri poterant adſtantes ad aliqua deſideria turpia, vel ad aliquas delectationes moroſas, teneatur explicare numerum perſonarum quæ aderant, & qualitatem ipſarum, an eſſent coniugati, an Sacerdotes, an Religioſi, an Moniales.

Iuxta dicta *præcedenti ſectione*, non procedit quæſtio, quando præter intentionem præbetur ſcandalum tertio illo modo ibi dicto *numero nono*; tunc enim conſequenter dicendum eſt, non oportere explicare nec numerum, nec ſtatum, ac conditionem perſonarum quæ aderant, & moueri potuerunt ad affectus impudicos contra Caſtitatem. Ratio eſt, quia quando præter intentionem præbetur ſcandalum, ſolùm contrahitur malitia ſpecifica contra Charitatem proximi, non verò contra illam ſpecialem virtutem, cui aduerſatur peccatum, ad quod ſcandalizatus inducitur, vt probaui *loco citato, præcedentis ſectionis*: ergo non oportet explicare numerum, nec conditionem adſtantium, vt declaretur ſpecies peccati, quam ipſi committere potuerunt, occaſione accepta ab illa impudica narratione. Quare in eo caſu ſolùm debet explicare, qui ſcandalum præbet, circumſtantiam ſcandali. Difficultas ergo ſolùm procedit quando quis ſcandalum præbet, verbis illis impudicis directè intendens adſtantes inducere ad peccatum contra Caſtitatem, verbi gratia, an tunc debeat in Confeſſione explicare numerum, & conditionem ipſorum.

2 Quod attinet inprimis ad numerum, ratio dubitandi eſt. Quia inprimis videtur pars affirmans amplectenda, quia videtur certum, multiplicari malitias propter ordinem ad plura obiecta, vel perſonas diſtinctas in eodem actu. Quis enim neget, multiplicari malitias in eodem actu propter reſpectum ad obiecta ſpecie diuerſa; nam qui vult eodem actu peccare contra Caſtitatem, & contra Religionem propter votum, duas malitias ſpecie diuerſas committit. Vnde explicato peccato fornicationis in vna Confeſſione, poteſt in alia explicare malitiam ſolam violationis voti, quæ per obliuionem fuerat omiſſa, non explicando iterùm malitiam fornicationis, quæ iam fuerat ſufficienter explicata: ergo ſimiliter dicendum eſt, multiplicari malitias indiuiduales, cùm quis vult occidere duos homines, vel duas perſonas eadem iniuria lædit: & conſequenter qui vnico actu malo ſcandalum præbet pluribus adſtantibus, committit plures malitias numero diuerſas, eáſque tenetur in Confeſſione explicare. Ex alio verò capite videtur pars negans verior eſſe, nam ſi iuxta multitudinem perſonarum, quæ ſcandalizantur, multiplicantur peccata in eadem actione, cùm peccata quæ à parte rei committuntur, debeant eſſe acta determinata, quæri poteſt cùm quis vult ſcandalizare omnes homines vnius Communitatis vel familiæ, quorum numerum ignorat, quot peccata committat? nam certum eſt, non committere multitudinem aliquam peccatorum confuſam, & indeterminatam; quia omnis multitudo, quæ datur à parte rei, eſt determinata, & certa: igitur dicendum eſt, committere vnicum peccatum cum ordine ad illam multitudinem hominum confuſam, & non plura peccata diſtincta. Vrgetur hoc ampliùs, nam ſi quis haberet velleitatem peccaminoſam ſcandalizandi infinitos homines, quis diceret in illo actu multiplicari infinitas malitias, & illum hominem committere infinita peccata? ergo fatendum eſt committi vnicum cum tanta grauitate determinata per ordinem ad illam multitudinem hominum apprehenſam.

Dico *primò*, ex eo quòd quis vno actu malo directè ſcandalum præbeat pluribus perſonis adſtantibus, non ſatis colligi diuerſitatem numericam malitiarum in eo actu. Id probabilius iudico cum noſtro Suario *diſp. 22. ſect. 5. num. 34. & ſequentibus.* Probatur à ſimili contrario; nam bona voluntas dandi eleemoſynam decem hominibus, v. g. non habet plures bonitates, ſed vnam tantùm indiuiſibilem; vnus etiam actus Charitatis tendens in decem proximos, non habet niſi vnam indiuiſibilem bonitatem reſpicientem decem illos homines per modum vnius obiecti adæquati vnica habitudine tranſcendentali: ergo ſimiliter odium decem hominum vnico actu tendens in illos, vnicam habet malitiam; ergo idem erit de actu ſcandalizandi tot homines: patet Conſequentia prima, quia priuatio eſt proportionata habitui, ſeu actui, & ideò ſi actus eſt vnus, etiam priuatio eius vna eſt; malitia autem eſt priuatio debitæ bonitatis. Quare ſicut in actu bono, tametſi vnumquodque ex illis obiectis poſſet per ſe terminare actum ſibi adæquatum, & ita poſſent eſſe ad alia obiecta plures reſpectus diſtincti; tamen vt cadunt ſub talem actum, nullum illorum obiectorum per ſe ſufficit ad terminandum aliquem reſpectum illius actus, ſed ſolùm omnia coniunctim: ita ſimiliter, tametſi ſingulæ illæ perſonæ poſſent alias dare malitiam, tamen, vt coniunguntur in illo actu malo, nulla earum per ſe illam confert, ſed omnes ſimul per modum vnius ad vnam, & eandem malitiam obiectiuè concurrunt. Igitur ex ſola multitudine perſonarum non ſatis colligitur diuerſitas numerica malitiarum. Quod ſatis firmatur argumento *ſupra* adducto, in ſecunda parte rationis dubitandi, quia ſi quis habeat deſiderium occidendi, vel ſcandalizandi multitudinem hominum cuius numerum ignorat; vel ſi tentet comburere domum cum tota ſua familia quam ignorat, quantacumque illa ſit, tale peccatum non poteſt habere plures malitias; nam quot illæ ſint, non cognoſcuntur. 3

Dico *ſecundò*, quando aliquis ſuo peccato directè ſcandalum præbet adſtantibus, non debere explicare numerum determinatum adſtantium, qui potuerunt ſcandalizari. Ita Card. Lugo cum aliis, quos ipſe refert *diſp. 16. ſect. 3. num. 135. & ſeqq.* Sequitur id ex ſingularitate numerica malitiæ probata *præcedenti Dicto*, & ex aliis exemplis. Qui enim eadem iniuriâ plures perſonas læſit, non debet explicare numerum perſonarum determinatum: pœnitens quoque qui furtum graue commiſit, 4

commiſit, ſatisfacit in Confeſſione dicens, abſtuli rem alienam grauem, licèt non dicat, quot domini eo furto læſi fuerint. Peccatum etiam maledicentiæ in vnam familiam, non petit, vt in Confeſſione explicentur determinatæ perſonæ totius familiæ; quia nec malitia, nec peccatum eſt multiplex, ſed vnicum; & ius ad famam, quod læditur, non eſt multiplex, ſed vnicum reſidens pro indiuiſo in omnibus perſonis illius familiæ.

5 Dico *tertiò*, ſcandalizantem directè plures perſonas, teneri in Confeſſione explicare numerum perſonarum, non determinatum, ſed ſub aliqua generalitate confuſa ſignificante pluralitatem.

Non me mouet ad id dicendum, multiplicitas, ſeu diuerſitas numerica malitiarum in eo actu. Nam hæc à nobis negatur; neque illud pendet ex hoc. Quare admittenda eſt hæc concluſio; quidquid ſit de numerica diſtinctione, vt rectè notauit Suarez, citatus *numero trigeſimo ſexto*. Ratio igitur huius noſtri Dicti hæc vnica eſt, quia aliter ſcandalizans non exprimeret benè ſuum peccatum indiuiduum numero quod commiſit: nam ſi ſolùm diceret, Scandalizaui directè, Confeſſarius conciperet ſcandalizaſſe vnum: ergo non intelligeret illud numero peccatum quod reuera fuit, ſcandalizandi plures ſed aliud; debet ergo explicare pluralitatem ſub aliqua generalitate confuſa eorum qui ſcandalum paſſi ſunt; vt ſic explicetur idem numero peccatum quod verè commiſit, & non aliud numero diuerſum. Firmo idem aliis caſibus ſimilibus, nam occiſio plurium, ſeu voluntas occidendi plures non explicatur benè in Confeſſione, dicendo, Feci homicidium, vel habui voluntatem homicidij; quia homicidium ex communi vſu, & acceptione ſignificat occiſionem hominis, non hominum; vnde Confeſſarius conciperet tūc occiſionem vnius hominis, atque ideò non intelligeret illud peccatum, quod reipſa fuit, ſed aliud. Item, ſi ille qui furatus eſt centum, diceret furatus ſum viginti, non benè explicaret ſuum peccatum, quia diceret vnum peccatum pro alio. Denique qui deſiderauit peccare cū tribus fœminis, non benè explicaret in Confeſſione, ſi diceret; Habui deſiderium fornicationis. Igitur idē dicēdum eſt in noſtro caſu; & per conſequens regulariter ſemper explicandus eſt in praxi numerus perſonarum ſub aliqua ſaltem generalitate confuſa ſignificante pluralitatem.

6 Ad argumentum adductum ſupra *numero ſecundo*, pro prima parte rationis dubitandi, iam conſtat ex *Dicto primo* cur præcisè ex reſpectu vnius actus ad plures perſonas non colligatur multiplicatio malitiarum numero diſtinctarum. Addo, licèt in peccato habente plures malitias ſpecie diuerſas debeant omnes explicari; inde non ſequi idem in peccato habente plures numero diſtinctas: Ratio eſt, quia in primo caſu non explicaretur diſtinctè tota ſpecies illius peccati, ſi aliqua malitia ſpecifica illius taceretur; vnde cùm debeant explicari diſtinctè omnia peccata quoad ſuā ſpeciem, conſequens eſt vt debeant quoq; explicari diſtinctè omnes illæ malitiæ ſpecie diuerſæ. De quo latè diximus ſuprà *diſp. vndecima ſect.* 3. At in ſecundo caſu, etiam non explicatâ diſtinctè totâ malitiâ indiuiduali illius peccati, explicatur illud numero peccatum quoad ſuam ſpeciem diſtinctè, & quoad differentiam numericam confusè; quod ſufficit ad ſatisfaciendum præcepto Confeſſionis, cùm nullum peccatum maneat non explicatum quoad ſuam ſpeciem, & aliunde dicatur totus numerus peccatorum, licèt non totus numerus malitiarum; de quo explicando non inuenitur aliquod peculiare præceptum, vt obiter notauit Cardinalis Lugo loco ſuprà citato, *n.* 134.

Quod attinet ad qualitatem, & conditionem perſonarum, quæ ſcandalizantur, Dico breuiter, ſi quis ſcādalum præbuit verbis impudicis verbi gratia, inducendo directè adſtantes ad peccatum contra Caſtitatem, debere in Confeſſione explicare conditionem, ac ſtatum ipſorum. Patet, quia in eo caſu debet explicare ſpeciem peccati, ad quod adſtantes inducuntur, vt oſtenſum eſt *præcedenti ſect.* nam virtus Caſtitatis, (& idem eſt de aliis virtutibus) obligat nos ad Caſtitatem, & ad non procurandum alios à Caſtitate remouere ex induſtria & directè: ergo ſi ſcandalizans ſic peccet, intendendo directè peccatum, & lapſum carnis perſonarum adſtantium, tenetur in Confeſſione explicare conditionem ipſarum, vt ſi ſint Religioſi, vel voto Caſtitatis aſtricti, vel vxorati, vt ſic declaretur ſpecies peccati, quam eiuſmodi perſonæ poterant committere, ſcandalo accepto à verbis ſcandalizantis impudicis. Quare, ſicut ſi quis vno actu deſideraret occidere plures, quorum aliquis eſſet Sacerdos, alius ſuus pater &c. teneretur explicare in Confeſſione conditionem, & ſtatum dictarum perſonarum, quia ille actus haberet plures deformitates ſacrilegij, parricidij, &c. ita ſimiliter in noſtro caſu. 7

SECTIO VIII.

Quid debeat conſulens opus illicitum, quod ſit peccatum mortale, explicare in Confeſſione?

Certum eſt *primò*, conſulentem, qui ſuo conſilio inducit alium ad graue peccatum mortale, v.g. ad fornicationem, committere peccatum graue contra Charitatem proximi in Confeſſione explicandum. Patet, quia peccat peccato ſcandali contra proximum, cuius conſcientiam grauiter lædit: ergo peccat contra Charitatem proximi. 1

Certum eſt *ſecundò*, teneri conſulentem explicare in Confeſſione materiam grauem conſilij praui. Patet, quia conſilium ex intentione directa conſulentis verbi grat. fornicationem, tendit ad procurandum, quòd proximus violet præceptum Caſtitatis: ergo contrahit malitiam ſpecialem contra virtutem Caſtitatis; nā vnaquęque virtus obligat non ſolùm ad opus, quod directè præcipit, ſed etiam ad non procurandum directè, & ex intentione, quòd alij violent præceptum talis virtutis. Igitur tenetur conſulens in Confeſſione explicare ſpeciem peccati quod conſuluit; nec ſufficiet dicere, Conſilium dedi de peccato mortali faciendo, ſed in ſpecie explicare debet materiam conſilij praui. Firmo, nam conſilium ſpecificatur à peccato quod conſulitur: ergo explicanda eſt in Confeſſione materia conſilij praui, quia iuxta diuerſitatem ſpecificam, & maiorem vel minorem grauitatem materiæ, eſt conſilium in tali ſpecie graui, vel grauiori, vel grauiſſima. 2

Certum eſt *tertiò*, quod ſequitur ex præcedentibus, conſulentem alteri peccatum luxuriæ, duplicem malitiam grauem contrahere in Confeſſione declarandam, vnam contra Charitatem proximi, quem conſulens ſuo conſilio inducit ad peccatum luxuriæ, & alteram contra Caſtitatem, cui aduerſatur luxuria quæ conſulitur. 3

Quartò mihi certum videtur, cæteris paribus, grauius peccare, qui alteri conſulit peccatū luxuriæ, quàm ſi ipſemet committeret illud peccatum. Patet quia fornicator contrahit vnicam malitiam contra Caſtitatem; 5

qui

Digitized by Google

qui verò dat conſilium, contrahit duas ſpecie diuerſas, vnam contra Charitatem proximi, & aliam contra Caſtitatem: Quare, ſicut in homicidio peccat grauius conſulens, quam ſi per ſeipſum ſolum occideret, (nam qui conſulit homicidium, homicida eſt, ſicut & ille qui imperat, & aliunde committit peccatum ſcandali grauiſſimi contra proximum) ita cum proportione in aliis peccatis luxuriæ, furti, &c quia conſilium excedit in malitia ſcandali, quam addit.

Contrarium ſentit Cardinalis Lugo *diſp. 16. ſect. 5. num. 176.* quia licèt conſilium excedat in malitia ſcandali, quam addit, fornicatio tamen excedit aliunde, eo quod magis opponatur Caſtitati, quæ magis obligat ſingulos ad ſeruandam Caſtitatem in ſeipſis, quam ad procurandam Caſtitatem in aliis; hic autem exceſſus videtur compenſare, & ſuperare illum alium exceſſum, quo conſilium excedit propter circumſtantiam ſcandali. Hoc autem meo iudicio difficultate non caret, quia ille exceſſus fornicationis eſt contra eandem virtutem Caſtitatis, quæ magis obligat ſingulos ad ſeruandam Caſtitatem in ſeipſis, quàm ad procurandam Caſtitatem in aliis: at ille alius exceſſus, quo conſilium excedit propter circumſtantiam ſcandali, eſt contra excellentiorem virtutem, videlicet contra Charitatem proximi: ergo nequit ille exceſſus, cùm ſit contra inferiorem virtutem, compenſare, ac ſuperare iſtum alium exceſſum ſcandali contra virtutem nobiliorem, ac præſtantiorem.

5 His præmiſſis, ſolùm dubitari poteſt de voto conſulentis opus illicitum, quod ſit peccatum mortale, an debeat explicari? Quod eſt quærere, an qui habet Caſtitatis votum, debeat votum explicare, quando ipſe ſuo conſilio, cauſa fuit moralis, vt alij tale votum non habentes peccarent contra Caſtitatem. Vt ſi Religioſus conſulat Franciſcæ, v.g vt conſentiat Petro fornicationem petenti, an debeat Religioſus circumſtantiam ſui voti explicare in ipſa Confeſſione.

Ratio dubitandi eſt, nam ex vno capite videtur, non debere neceſſario à Religioſo explicari votum Caſtitatis illius, qui ſcandalum dedit, quia tametſi illud peccatum ſcandali ſit graue, non tamen eſt graue contra votum propriæ Caſtitatis, per quod ipſe Religioſus ſolùm promiſit Caſtitatem ſuam, non alienam. Ita noſter Thomas Sanchez *lib. 5. de ſtatu religioſo cap. 6. num.* 10. ex quo infertur, ſi peccata contra votum Caſtitatis reſeruentur, illud non fore reſeruatum; quia non eſt verè contra votum Caſtitatis, ſed contra præceptum non ſcandalizandi.

Ex alio verò capite, videtur dicendum oppoſitum, ſi ſequamur opinionem eiuſdem Sanchez *lib.1. in Decalogum cap.6. num.* 3. & 8. aſſerentis peccatum ſcandali pertinere ad eandem ſpeciem, ad quam inducitur ille qui ſcandalizatur, atque adeò ſcandalum ad fornicationem, pertinere ad ſpeciem fornicationis. Hinc enim manifeſtè oſtenditur, debere Religioſum, qui ſcandalum dedit, explicare ſuum votum Caſtitatis. Probatur, quia ille qui abſolutè promiſit Caſtitatem, peccat contra hanc promiſſionem, quoties contra virtutem Caſtitatis ſpecificè peccat grauiter: at Religioſus ille verè contrahit malitiam eiuſdem ſpeciei, quando alium inducit ad fornicationem, ac quando ipſe fornicatur, & ſic peccat contra virtutem Caſtitatis ſpecificè, ac ſi ipſe fornicatus fuiſſet: ergo tenetur in vtroque caſu circumſtantiam proprij voti explicare.

6 Recolenda eſt doctrina ſuprà tradita, & probata à nobis *ſectione ſeptima*, eum qui directè inducit ad actum fornicationis, verbi gratia, præter malitiam ſcandali, incurrere aliam ſpecialem difformitatem oppoſitam virtuti Caſtitatis in Confeſſione explicandam. Quo præmiſſo, ad præſentem difficultatem dicendum eſt, circumſtantiam voti Caſtitatis dicti Religioſi eſſe explicandam. Quod rectè probat ſecunda pars rationis dubitandi, quia votum Caſtitatis, quod emittit Religioſus, eſt abſolutum, & integræ Caſtitatis: ergo ſe extendit prohibens id omne, quod eſt contra integram Caſtitatem: ſed eſt contra integram Caſtitatem, conſulere proximo quòd violet præceptum naturale Caſtitatis, vt conſtat; ergo etiam erit contra dictam promiſſionem & votum, directè conſulere violationem prædicti præcepti naturalis Caſtitatis, quæ fit per fornicationem. Quare ſicut dictus Religioſus id conſulens contrahit contra virtutem Caſtitatis malitiam ſpecialem neceſſariò in Confeſſione explicandam, ita & contrahit quoque ſpecialem malitiam contra virtutem Religionis in Confeſſione aperiendam.

Hinc colligo, ſi peccata contra votum Caſtitatis commiſſa à dicto Religioſo, ſint reſeruata, illud peccatum conſulendi fœminæ vt conſentiat Petro fornicationem petenti, eſſe quoque reſeruatum; quia verè eſt contra votum Caſtitatis, vt probatum eſt. Ex quo patet ſolutio ad primam partem rationis dubitandi, nam illud peccatũ ſcandali non ſolùm eſt mortale, & graue, quia eſt contra præceptum Charitatis proximi de non ſcandalizando illo, ſed etiam quia verè eſt contra Caſtitatem, & cõtra virtutem Religionis in materia Caſtitatis.

Vtrùm verò inductio ſit circumſtantia in Confeſſione declaranda infrà tractatur *diſp. 31. ſect. 3.*

SECTIO IX.

An in peccato blaſphemiæ teneatur quis confiteri qualitatem blaſphemiæ, an verò ſufficiat accuſare ſe de blaſphemia?

1 NOn procedit quæſtio de blaſphemiis hæreticalibus, quæ dicuntur cum aſſenſu interno; nam iſtæ, cùm iam contineant malitiam hæreſis, de illis dicendũ eſt quod de peccato hæreſis; quod quo pacto ſit explicandum in Confeſſione, dicemus *ſequenti ſectione*. Duplex igitur occurrit difficultas examinanda. *Prima* eſt, an blaſphemiæ in Deum, & in Sanctos differant ſpecie, atque ideò ſit neceſſariò in Confeſſione aperienda qualitas blaſphemiæ. *Secunda* eſt, an blaſphemia contra Beatam Virginem, differat ſpecie ab illis blaſphemiis, quæ proferuntur contra alios Sanctos, & ideò qualitas quoque ipſarum debeat in Confeſſione declarari.

2 Circa primam difficultatem, opinio eſt noſtri Ioannis Azor. *tom. 1. inſtitutionum moralium, libro nono, cap. 28. quaeſt.* 10 qui ſecutus Caietanum 2.2. *q.* 13. *artic.* 1. *ad* 2. & *ad* 3. defendit, omnes blaſphemias in Deum, & in Sanctos ſpecie conuenire. Quod etiam tenet Diana *parte prima, tractatu de circumſtantiis, reſolutione* 50.

Probatur *primò*, quia vna tantùm eſt Religio ſpecie, quæ Deo cultum debitum tribuit, & Sanctis propter ipſum Deum: ergo vnum etiam eſt ſpecie blaſphemiæ crimen, quâ Deo maledicitur, vel in ipſo, vel in ſuis Sanctis.

Secundò, violatio voti non variatur ſpecie, tametſi fiat irreuerentia Deo, vel Sanctis, quia omnia vota facta Deo, vel Sanctis, ſunt eiuſdem ſpeciei: ergo idem dicendum eſt de blaſphemiis.

Tertiò, iuſiurandum ſpecie non differt, eo quòd per Deum, vel per Sanctos quis iuretatque ideò periurium omne ſemper eſt eiuſdem ſpeciei: ergo & omnis

blaſphemia ſiue ſit in Sanctos,ſiue ſit in Deum;non ergo blaſphemiæ prædictæ debent in Confeſſione explicari,vt peccata ſpecie diuerſa.

3 Dico *primò*,blaſphemias, quæ proferuntur hæreticales,etiamſi dicantur ſine aſſenſu interno,vt communiter contingit, debere in Confeſſione explicari vt peccata ſpecie diuerſa ab aliis blaſphemiis non hæreticalibus. Hoc videtur negari non poſſe, quia eiuſmodi blaſphemiæ opponuntur quoque præcepto Confeſſionis Fidei; nam illi aduerſatur negatio externa Fidei,etiamſi deſit diſſenſus internus. Vnde eiuſmodi blaſphemiis accedit noua deformitas,ſeu noua, & diſtincta malitia ſpecie contra virtutem Fidei, nempe pię affectionis non ſolum inclinantem ad actum internum Fidei, & ad Confeſſionem Fidei externam, ſed etiam ſeſe opponentem ad diſſenſum internum Fidei,& ad negationem externam Fidei. Quare ſicut aperiendum eſt in Confeſſione, ſi blaſphemia procedat ex odio in Deum, vt fit in damnatis, & interdum in peſſimis hominibus;an ex iracundiæ feruore, quia hæc peccata ſunt diuerſæ rationis, & conſequenter actui externo ipſi diuerſam impertiunt malitiam; ita & neceſſariò explicandum eſt, ſi ipſi malitiæ blaſphemiæ adiungatur malitia hæreticalis oppoſita externæ Fidei Confeſſioni, quæ eſt noua & diſtincta malitia.

4 Dico *ſecundò*,blaſphemias quæ proferuntur contra ſolum Deum, eſſe ſpecie diuerſas ab illis, quæ proferuntur contra Sanctos, & ideò qualitatem ipſarum eſſe in Confeſſione explicandam. Ita Suarez *tomo 1. de religione,tract.3.libr.1.capit.6. numero* 18. *&* 19. Innuit Thomas Sanchez *libro 2.in decalog. capite* 32. *numero* 39.*poſt medium*, vbi Suarij ſententiam probat Cardinalis de Lugo *diſputatione* 16.*ſect.*5.*numero* 279.& alij. Ratio eſt,quia vt oſtendi in *tractatu de Incarnatione diſputatione* 37.*ſect.* 4. affectus Latriæ & Duliæ ſpecie inter ſe diſtinguuntur; nam affectus Latrię eſt in ordine ad reuerentiam,ſubmiſſionem,& adorationem Deo debitam ob ſuam infinitam excellentiam,& ſanctitatem; affectus verò Duliæ eſt in ordine ad colendum Sanctum propter excellentiam, & ſanctitatem creatam ipſius Sancti. At iſtæ habitudines & honeſtates ſunt inter ſe ſpecie diſtinctæ, & procedunt à diuerſis ſpecie virtutibus; quia virtus Religionis quæ inclinat ad cultum Dei ob ſanctitatem increatam, nequit inclinare ad cultum Sanctorum ob Sanctitatem creatam. Vbi enim eſt diuerſum genus ſanctitatis, & excellentiæ per ſe honorabile, & adorabile,ibi reperitur diuerſum genus cultus,& adorationis, & conſequenter requiruntur diuerſæ virtutes, quæ ſint eorum actuum principia. Igitur deformitates illæ & blaſphemiæ contra ſolum Deum, & contra Sanctum, quæ ſunt oppoſitæ diuerſis ſpecie affectibus, & virtutibus, neceſſe eſt vt differant ſpecie inter ſe, & vt tales in ſpecie explicentur in Confeſſione.

5 Dico *tertiò*, blaſphemiam in Sanctum poſſe habere duplicem ſpecie malitiam; vnam contra virtutem Duliæ,& aliam contra virtutem Religionis, & vtramque in Confeſſione aperiendam. Hæc concluſio innititur doctrinæ à nobis traditæ *prædicta ſect.4. num.*11. Vbi probaui, ſi Sancti adorentur propter reſpectum aliquem ad excellentiam increatam Dei, quatenus nimirùm ſunt imagines Dei, & templa Spiritus Sancti, hunc actum, & affectum propriè ſpectare ad virtutem Religionis. Cuius veritatis rationem reddidi hanc; quia Sancti quoque adorari poſſunt, non ſolùm præciſè propter ſe, ſiſtendo in eorum excellentia intrinſeca,& creata,ſed quatenus ſunt imagines Dei,& templa Spiritus ſancti,tranſeundo ad excellentiam Dei quam repræſentant:At iſte affectus,& adorationis actus,propriè ſpectat ad virtutem Religionis,quia reſpicit Dei excellentiam,illique tanquam in peculiari imagine, ac ſede adorationem impendit. Quare ſicut non ſolùm eſt actus Charitatis Theologicæ ille,quo diligitur Deus propter ſe,ſed etiam ille quo proximus,& omnes creaturæ diliguntur propter Deum;ita ſimiliter non ſolùm eſt actus Religionis ille, quo volumus honorare Deum propter ſuam excellentiam increatam,ſed ille etiam,quo volumus honorare Sanctos,vt ſunt imagines Dei illius excellentiam nobis repræſentantes:hoc enim nihil eſt aliud,quàm Deum in Sanctis colere. Hac verò doctrinâ poſitâ,manifeſtum eſt,blaſphemiam in Sāctum,poſſe habere duplicem malitiam contra Religionem,& Duliam. Vt ſi intendatur non ſolùm irreuerentia contra excellentiam & ſanctitatem creatam,propriâ Sancti,ſed etiam intendatur irreuerentia contra ipſum Deum, propter peculiarem coniunctionem, quam habet cum Sancto, prout eſt imago, ac templum ipſius.

Addit Cardinalis Lugo *loco citato,num.* 279. irreuerentiam,quæ fit cōtra aliquem Sanctum,ſemper habere duplicem malitiam contra illam duplicem virtutē. Quia ex illa irreuerentia quæ expreſsè intenditur,& fit contra Sanctum, redundat irreuerentia contra ipſum Deū ſaltem indirectè,propter peculiarem coniunctionē quam habet cum Sancto. Et quamuis non intendatur irreuerentia Dei,ſufficit tamen indirecta volitio ad contrahendam malitiam,licèt id non ſufficiat ad refundendam bonitatem moralem.

Probabilem iudico hanc ſententiam: ſed magis inclino in oppoſitam,vt nimirùm blaſphemia *in Sanctū*, præter malitiam quam habet contra *Duliam,non habeat* ſpecialem malitiam contra Religionem,*niſi ſimul* expreſsè & directè intendatur irreuerentia *in Deum*, propter illam peculiarem coniunctionem quam habet cum Sancto. Ratio eſt, quia cùm quis intendit alicui Sancto irreuerentiam irrogare,ſolum intendit eam irrogare propter ſuam propriam ſanctitatem,& excellentiam creatam;nec intendit directè irreuerentiam Deo irrogare ob ſuam infinitam excellentiam,& ſanctitatē, vt per ſe liquet,neque etiam indirectè,quia illi non occurrit moraliter loquendo eiuſmodi irreuerentia, vnde nec cenſetur indirectè voluntaria,formaliter loquendo, ſed tantùm materialiter. Videantur circa hanc rem quæ ſupra dicta ſunt *ſect.7.n.7.*

Ad argumenta oppoſita. Ad primum concedo,vnam eſſe ſpecie virtutem Religionis,quæ inclinat ad debitum Deo cultum exhibendum,& Sanctis propter ipſū Deum,vt dixi *Dicto tertio*;& conſequenter vnum ſpecie eſſe poſſe blaſphemiæ vitiū ac crimē,quâ Deo irrogetur irreuerentia in ipſo,& in ſuis Sanctis. Cæterùm cùm iam oſtenſum ſit,blaſphemiam in Sanctum opponi non ſolùm iuri peculiari, quod habet Deus ad ſuum cultum, ſed etiam iuri peculiari quod habet Sanctus ad cultum proprium,quæ duo iura ſunt ſpecie, imò & genere diuerſa propter diuerſitatem excellentię à qua oriuntur;ideò neceſſe eſt, vt blaſphemia in Sanctum contra Duliam,ſit ſpecie diſtincta à blaſphemia contra ſolum Deum. 6

Ad ſecundum reſpondeo, ſicut duobus modis poteſt Sanctus coli,primò propter diuinam, & increatam excellentiam,itavt in illa ſola ſit proxima ratio talis cultus, & Sanctus ſit res materialiter adorata tanquam templum Diuinitatis; qui cultus immediatè elicitur à virtute Religionis:ſecūdo,proximè,& immediatè propter excellentiam creatam gratiæ, & gloriæ, quam in ſe habet,qui cultus elicitur à virtute Duliæ;ita ſimiliter duplici modo Sanctum,etiam beatam Virginem poſſe intrare in votum. *Primò*, ſi quis promittat aliquid Deo in 7

Digitized by Google

in honorem talis Sancti. *Secundò*, ſi fiat votum ipſi Sancto, ita vt promiſſio non fiat Deo, ſed tali Sancto propter eius excellentiam propriam cum debita æſtimatione illius, vel in ſignum alicuius beneficij à Sancto ſuſcepti vt mediatore, vel etiam ex ſpe obtinendi à Sancto, vt officium Interceſſoris exerceat. Si primo modo votum fiat, tunc eſt verè & ſtrictè votum, quia verè promiſſio fit Deo in honorem Sancti; atque ideò manet ſemper intra eandem ſpeciem virtutis Religionis; vnde eius violatio pertinet ad eandem ſpeciem contra Religionẽ: ſi verò votum fiat ſecundo modo propter propriam excellentiam Sancti, cui ſoli deferimus illum cultum, & promittere volumus, tunc pertinet ad diuerſam ſpeciem, nempe Duliam. Vnde cùm Doctores communiter dicunt, vota omnia eſſe eiuſdem ſpeciei, & votorum tranſgreſſiones eſſe omninò eiuſdem ſpeciei, intelligendi ſunt de voto ſtrictè ſumpto, ac primo modo accepto. Si verò nomen *Votum* latiùs accipiatur, prout generale eſt ad promiſſionem Deo, vel Sancto factam, & ad cultum Latriæ & Duliæ, quo pacto etiam ſumitur iuxta vſum Eccleſiæ, vt cum Cardinali Bellarmino docet Suarez *tomo 2. de Religione, libr. 1. de voto, capite 16. num. 11.* tunc non eſt eiuſdem, ſed diuerſæ ſpeciei.

8 Ad tertium ſimiliter dico, duplici modo poſſe intrare Virginem vel alios Sanctos in iuramentum. *Primò*, iurando per Sanctos, non ſiſtendo in ipſis, nec adducendo illos in teſtes rei quam iurant, ſed ſolum Deum, qui in illis Sanctis magis reſplendet, eo pacto quo quis iurat per cælum, aut per Thronum Dei, quod eſt iurare per Deum ipſum, qui in tali creatura reſplendet. *Secundò* poteſt intelligi fieri iuramentum Sancto, cùm quis vult Sanctum aliquem adducere in teſtem rei, quam affirmat; non adducendo Deum in teſtem, ſed talem Sanctum, propter auctoritatem quam habet ſacram prouenientem ex ipſa gratia, & ſtatu beatitudinis. Si primo modo fiat iuramentum, vt communiter fit, nam propriũ & ſtrictum iuramentum ſemper debet fieri per Deum propter eius infinitam veracitatem, & ſapientiam, eſt cultus Latriæ. Vnde non mirum, quod iuramenta ſint eiuſdem ſpeciei. Si verò fiat iuramentum ſecundo modo, præſcindendo, & animo expreſſo adducendo non Deum, ſed Sanctum in teſtem, propter eius ſapientiam creatam, & veracitatem, quam ex ſtatu gratiæ conſummatæ, ac beatitudinis participat, ſiſtendo præciſè in eius auctoritate creata, ſic eſt actus Duliæ, & differt ſpecie à iuramento ſimpliciter dicto; vt expreſsè notauit quoque Suarez *dicto tomo 2. libr. 1. de iuramento, capite 5. numero 12.* Ex quo ſequitur, periurium omne ſtrictè ſumptum, cùm ſit contra latriam, habens ſuam ſpecialem malitiam contra auctoritatem ſolius Dei, eſſe eiuſdem ſpeciei; attamen differre ſpecie ab aliis periuriis ſic latè dictis, quæ habent ſpecialem malitiam contra auctoritatem Sancti, ſicut Latria differt à Dulia. Vbi etiam notandum eſt cum eodem Suario *capite 5. citato, numero 10. & 13.* quando iuratur per Sanctos, communiter non fieri cum prædicta præciſione, ſed eſſe principaliter per Deum, à quo Sancti ſuam rectitudinem, & auctoritatem participant. Vnde idem eſt Deus, per quem iuratur, & ſub eadem ratione primæ veritatis inuocatur; & differentia illa, quòd expreſsè in ſe nominetur, vel implicitè mediis Sanctis, in quibus eſt, vel repræſentatur, materialis eſt, & per accidens.

9 Addit Cardinalis Lugo *loco citato, num. 287.* quando quis præſcindit in ſua atteſtatione, & animo expreſſo adducit non Deum, ſed Sanctum in teſtem, ſi id faciat cum mendacio, illam falſam atteſtationem Sancti eſſe peccatũ mortale. Quod etiam ipſe iudico, quia eſt grauis dehonoratio Sancti. Subdit tamen eiuſmodi peccatum habiturum malitiam, non ſolùm contra Duliam, & cultum Sancti, ſed etiam contra Religionem, & cultum Dei. Idque probat, quia ſicut blaſphemia in Sanctum, vt ipſe putat, continet etiam malitiam contra Religionem, quia ex inhonoratione Sancti redundat inhonoratio ipſius Dei, cum quo Sanctus habet ſpecialem coniunctionem; tametſi cultus Sancti non ſemper participet honeſtatem latriæ, & cultus diuini; quia ad contrahendam malitiam non requiritur intendere illam, ſicut ad honeſtatem, ſic ſimiliter ait, tametſi vera atteſtatio alicuius Sancti non ſemper ſit cultus Dei, nec latriæ, quando ſolùm intenditur cultus ipſius Sancti propter ſuam excellentiam; nihilominùs tamen peccatum quod in illa falſa atteſtatione Sancti committitur, ſemper habet vtramque malitiam, ſcilicet, & contra Deum, in quem redundat illa dehonoratio Sancti, & in ipſum Sanctum, quem vult facere teſtem mendacij.

Cæterùm conſequenter ad id quod ſuprà dixi *numero 5.* de blaſphemia in Sanctum, dico oppoſitum, nempe falſam illam atteſtationem in Sanctum, præter malitiam grauem quam habet contra Duliam, non habere ſpecialem malitiam contra Religionem, ob eandem rationem: quia cùm quis præſcindit, & animo expreſſo adducit non Deum, ſed Sanctum in teſtem mendacij, non intendit expreſsè, & directè in ea falſa atteſtatione dehonorare Deum, faciendo illum teſtem mendacij, vt eſt certum; neque etiam implicitè, quia tametſi ea dehonoratio Sancti redundet in Deum, id tamen non cogitat, imò & ſæpe non occurrit, nec venit in mentem: atque ideò non cenſetur talis dehonoratio adhuc indirectè voluntaria, formaliter loquendo, ſed tantùm materialiter.

Circa ſecundam difficultatem, an blaſphemia contra Beatiſſimam Virginem, differat ſpecie ab illis blaſphemiis quæ proferuntur contra alios Sanctos, & ideò qualitas ipſius ſit in Confeſſione aperienda. 10 Breuiter dico cum communi doctrina, eſſe ſpecie diuerſam, & in Cõfeſſione declarandam, propter diuerſitatem ſpecificam excellentiæ in qua fundatur, nempe tituli maternitatis: hæc enim eſt dignitas & excellentia ſpecie diuerſa à dignitate, & excellentia gratiæ habitualis, vt oſtendi *tractatu de Incarnatione, diſputatione 38. ſect. 6. num. 11.* Alias verò blaſphemias in alios Sanctos, pertinere poſſe ad eandem ſpeciem, atque ideò non debere explicari, contra quem Sanctum prolatę fuerint, ſentit Card. Lug. citatus *n. 280.*

Ego verò cum diſtinctione iudico ad id reſpondendum, iuxta ea quæ dixi *diſputatione 38. citata, ſection. ſeptima*, de diuerſitate ſpecifica excellentiæ intrinſecæ Sanctorum, in qua fundatur grauis ipſorum dehonoratio, & malitia ſpecialis blaſphemiæ contra illos. Nam ibi dixi duo: *Primum*, adorationem omnium Sanctorum, etiam Beatorum, propter excellentiam gratię, eſſe eiuſdẽ ſpeciei; quia tota ratio huius adorationis eſt participatio diuinæ naturæ per gratiam iuſtificantem, ſeu ſanctificantem, quæ eiuſdem rationis ſpecificæ eſt in viatore, & in Beato; atque ideò & honor ſeu adoratio quæ illis datur hoc titulo, eiuſdem eſt rationis. *Secundum*, adorationem Sanctorum beatorum poſſe eſſe diuerſæ ſpeciei ab adoratione, quæ adhibetur homini iuſto, & Sancto adhuc viatori. Patet, quia iuſto viatori exhiberi poteſt adoratio ſolùm propter excellentiam gratiæ habitualis. At Beato non ſolùm propter excellentiam gratiæ, ſed etiam propter excellentiam viſionis beatæ, & gloriæ, quæ ſpecie differt ab illa: atque ideò adoratio Beati vt ſic, & viatoris iuſti eſt ſpecie diſtincta. Adde, dignitatem Beati etiam moraliter conſideratam multùm excellere dignitatem iuſti viatoris, in viſione beata, qua Deum clarè intuetur, & poſ-

ſidet; in Charitate, quâ illi inſeparabiliter adhæret; in impeccabilitate,ac ſecuritate,quæ ex illis promanat; in poteſtate,quâ cum Chriſto regnat; denique in gradu honoris, quia cum ipſo ſedet in throno eius,vt dicitur *Apocalypſ.* 3. ergo poſtulat perfectiorem adorationem, & ſpecie diſtinctam.

11 Hoc poſito, breuiter dico, moraliter loquendo, & vt inplurimùm, blaſphemias in Sanctos eſſe eiuſdem ſpeciei, & ideò non debere explicari, contra quem Sanctum fuerint prolatæ. Nam illa inhonoratio,& irreuerentia communiter fertur in Sanctos,attendendo ſolùm ad gratiam, & ſanctitatem quâ pollent, abſque vlla attentione ad alias ipſorum excellentias, & perfectiones. Si verò blaſphemans attendat quoque ad ſtatum illorum excellentiorem viſionis beatæ,& gloriæ, vt aliquando contingit præ ingenti iracundiæ ardore, debet hæc blaſphemia grauior, ac ſpecie diſtincta, clarè in Confeſſione explicari. Totum hoc manifeſtè colligitur ex doctrina allata, nec vlla maiori indiget probatione.

SECTIO X.

De Circumſtantia hæreſis, quo pacto ſit neceſſariò in Confeſſione explicanda?

1 Circa primum de peccato hæreſis,an ſit neceſſariò explicanda qualitas hæreſis, declarando articulum negatum, vel etiam an ſit Caluiniana, vel Lutherana, vel Arriana, procedit quæſtio poſitâ ſententiâ valdè probabili, quam ſecuti ſumus, peccata ſpecie diuerſa manifeſtanda eſſe neceſſariò in Confeſſione, & non circumſtantias intra eandem ſpeciem notabiliter aggrauantes.

Sententia eſt Gregorij de Valentia 2.2.*diſp.*1.*qu.*1. *puncto* 3. aſſerentis, qualitatem hæreſis particularis, in quam quis incidit, exponendam eſſe in Confeſſione, quia multùm refert, an quis Trinitatem negauerit, an ſolùm quod Paulus fuerit Hieroſolymæ.

2 Caſtro Palao,*p.p.tract.*4 *de infidelitate,diſp.*2.*puncto* 1.*n.*6.cum aliis duo dicit. *Primum*,ſi præciſè attendantur hæreſes,quatenus Fidei diuinæ opponuntur, ſatisfieri obligationi præcepti Confeſſionis, ſi dicatur ſe Fidem deſeruiſſe, quin in particulari hæreſis ipſa declaretur.Quia omnes hæreſes æquè virtuti Fidei opponuntur. *Secundum*, manifeſtandam eſſe ſectam hæreſis in Confeſſione pro varietate blaſphemiarum ſpecie diuerſarum. Nam quælibet Fidei negatio continet blaſphemiam aduerſus Deum,& eius Fidem;at negari non poteſt,eſſe blaſphemiam ſpecie diuerſam in plurium articulorum negationibus; negare enim Spiritus-Sancti diuinitatem, grauius eſt, & magis iniurioſum Deo, quàm negare,eſſe in Eccleſia Sacramentum Confirmationis,vel Abraham habuiſſe duos filios, vt liquet. Igitur propter diuerſitatem blaſphemiarum ſaltem manifeſtanda eſt in ſpecie ſecta hæreſis contra Fidem.

3 Dico *primò*,qui peccatum hæreſis commiſit,nullam ſectam amplectens, neque blaſphemiam, non tenetur explicare in Confeſſione qualitatem hæreſis in particulari, ſed ſufficit dicere in genere, Lapſus ſum in hæreſim.Ita Sotus *in* 4.*diſt.*18.*q.*2.*a.*4. *concl.*6. Reginaldus *in Praxi,tom.*1.*lib.*6. *c.*4. *n.*114. Card. Lugo *diſp.*16. *ſect.*5.*n.*293.& alij. Ratio eſt, quia malitia moralis in omnibus hæreſibus,ipſis intrinſeca,eſt eiuſdem ſpeciei, quia omnia peccata hæreſis ex ſe,ſecluſis aliis extrinſecis,ſunt eiuſdem ſpeciei, cùm omnia opponantur eidem obligationi credendi, ſeu non negandi doctrinam diuinam ſufficienter propoſitam. Firmo hoc idem;nam omnes hæreſes ſunt æquales in gradu falſitatis, & æquè veritati Fidei opponuntur:ergo ſunt eiuſdem ſpeciei ſecundùm ſe ſumptæ. Antecedens probatur, quia omnes propoſitiones Fidei ſunt æquales in veritate formali;nã veritas formalis eſt conformitas cum obiecto,quæ conformitas debet eſſe totalis; alioquin ſi in aliquo deficiat,non erit veritas, ſed falſitas,nec poteſt vna conformitas eſſe maior quam alia, ſi vtraque eſt conformitas omnimoda & totalis. Igitur & omnes hæreſes ſunt æquales in gradu falſitatis, cùm opponantur ſemper æquali veritati formali.

4 Obiicies *primò* contra hanc rationem,tametſi concedatur æqualitas in veritate formali, non ideò ſequitur, debere eſſe in falſitate formali, quæ eſt difformitas ab obiecto,quia poteſt vna propoſitio magis difformis eſſe ſuo obiecto quàm alia: ſi enim ſint in hoc cubiculo decem homines, magis diſtat à vero, qui dicit nullum eſſe, quàm qui dicit eſſe ſolos nouem, ſicut magis diſtant decem à nullo,quam à nouem. Sic ergo magis diſtat à vero, qui dicit in Euchariſtia eſſe ſolum panem, quàm qui dicit eſſe in hoſtia ſolùm Corpus Chriſti ſine ſanguine; atque ideò eius hæreſis erit magis falſa, & maior hæreſis: ſicut qui dicit, Deum non poſſe dicere verum,magis errat,quàm qui dicit,Deum de facto illud non dixiſſe, & ſic de aliis. Igitur inter ipſas hæreſes poteſt inæqualitas reperiri,quatenus vna magis à vero diſtat, quam alia.

Secundò, quis neget maiorem hæreſim eſſe, negare attributa Dei intrinſeca, quàm negare opus aliquod Dei extrinſecum? nam qui negat attributum Dei intrinſecum,negat etiam eius poſſibilitatem,quia in prædicatis Dei neceſſariis id quod non eſt, non poteſt eſſe; ſicut id omne quod de facto eſt in Deo, pertinens ad internam eius conſtitutionem,ſiue quoad naturam, ſiue quoad perſonas, ita neceſſarium eſt,vt non potuerit non eſſe; eſt enim Deus ſecundùm ſe Ens vndequaque neceſſarium. Prædictam verò poſſibilitatem non iugat qui ſolùm negat de facto tale,vel tale Dei opus ad extra poſitum eſſe.

Tertiò,inter hæreſes manifeſtum videtur,reperiri inæqualitatem in maiori vel minori grauitate, ac pernicie; nam pernicioſiùs errat qui negat Euchariſtiam, quàm qui negat Abrahamum habuiſſe duos filios:ergo grauior eſt illa hæreſis, quàm hæc.

Ad primum reſpondeo, quemadmodum propoſitiones Fidei, tametſi queant eſſe inæquales in veritate radicali,ſeu fundamentali,quia obiecta ipſa affirmata per illas,non ſunt æquè neceſſaria; hac enim de cauſa Trinitas,& quodlibet intrinſecum Dei attributum eſt magis radicaliter verum, quàm exiſtentia reuelationis,quæ eſt contingens, vel canis Tobiæ: & hoc non tollit æqualitatem in veritate formali inter ipſas; ita ſimiliter dicendum,tametſi hæreſes dici queant inæquales in falſitate radicali, ſeu fundamentali, propter obiecta, quæ non ſunt æquè neceſſaria, id tamen non impedit, quominùs inter illas falſitas formalis ſit omninò æqualis, cùm omnis hæreſis opponatur ſemper æquali veritati formali. Quare negandum eſt, vnam propoſitionem hæreticam in falſitate formali eſſe magis difformem ſuo obiecto quàm aliam; tametſi in falſitate radicali detur inæqualitas ex parte obiecti magis vel minùs neceſſarij.

Ex quo patet ad ſecundum,rectè dici poſſe,maiorem hæreſim eſſe,negare attributa Dei intrinſeca,quàm negare aliquod opus Dei extrinſecum,ex parte obiecti,vel rei quæ negatur,non verò ratione falſitatis formalis,ſeu difformitatis, pro vt opponitur veritati formali: illa enim æqualis eſt in omni hæreſi, cùm opponatur ſemper æquali veritati formali,vt dictum eſt.

Ad

Digitized by Google

Ad tertium ſimiliter dico, reperiri quidem inter hæreſes maiorem vel minorem inæqualitatem, prauitatem, ac perniciem ex parte obiecti, vel materiæ negatæ, atque ex aliis capitibus.

5 Vnde certum eſt, peccata hæreſis non omnia eſſe æqualis grauitatis. Tum quia poteſt creſcere malitia ex maiori libertate, maiori attentione, minoribus difficultatibus, & aliis circumſtantiis extrinſecis, quæ augeant malitiam in proprio genere, & prout formaliter opponitur contra virtutem fidei, & eius obligationem. Tum quia poteſt eſſe inęqualitas, & maior grauitas, imò & diuerſitas ſpecifica propter oppoſitionem contra alias virtutes, verbi gratia ſi hęreſis contineat blaſphemiam, quæ transfert iam illud peccatum in aliam ſpeciem explicandam etiam in Confeſſione, vt *infra* dicam. Tum denique, quia poteſt ea inæqualitas, & grauitas eſſe extenſiua, vt ſi vnus neget vnam propoſitionem de Fide, alter verò plures; hic enim cæteris paribus, grauiùs peccat, cùm plura reuelata neget. Quod igitur nos aſſerimus, eſt, loquendo formaliter de propoſitione hæretica in proprio genere, quoad gradum falſitatis formalis, non diſtingui in eo plures gradus ſecundùm magis, & minus, ſed omnem propoſitionem hæreticam eſſe æquè falſam, & hæreticam quia quælibet pertinacitas, vt optime docet Suarez *tractat. 1. de Fide, diſputatione 19. ſection. 2. numero 7.* & probat a poſteriori, quia quælibet propoſitio hętetica cum pertinacia credita, ſufficit ad corruptionem totius Fidei, vt omnes fatentur. Et à priori oſtendit, quia omnis propoſitio de Fide, quatenus talis eſt, æque certa eſt, quia innititur ſummæ veracitati Dei, quæ & in maximis, & in minimis æquè verax eſt. Et ideò æquè certum reddit hominem de omnibus quę affirmat, quæcumque illa ſint: ergo & propoſitio hæretica, quatenus deſtruit quamcumque veritatem Fidei, eiuſdem gradus falſitatis eſt, & erroris.

6 Dico *ſecundo*, qui peccatum hæreſis commiſit, aliquam ſectam in particulari amplectens hæreticorum, Caluini, vel Lutheri, vel alterius ſimilis, non ſolùm debet explicare in Confeſſione hæreſim, ſed etiam qualis ſit illa ſecta, vt explicetur ſpecies peccati quod committitur, illam ſectam amplectendo. Id optime notauit Caſtro Palao *tom. 1. tractat. 4. diſputatione 2. puncto 1. numero 6.* Et Cardinalis Lugo citatus *num. 292.* Quia ſingulæ ſectæ habent ſuas diſtinctas cæremonias vanas, & cultus ſacrilegos continentes malitiam ſpecie diuerſam ver. gr. Iudaiſmus continet Circumciſionem, quæ habet malitiam ſuperſtitionis: Paganiſmus includit idololatriam, quæ habet malitiam ſpecie diuerſam, Caluiniſmus habet vſum Sacramenti inualidi in Euchariſtitia; ſunt etiam aliæ ſectæ hæreticorum habentes errores circa impedimenta Matrimonij, ratione quorum matrimonia ſunt inualida, & illæ ſectæ eo ipſo includunt peccata fornicationis, quæ ex defectu matrimonij validi, fiunt à quolibet coniuge viuente ſecundùm ritum illius ſectæ, & ſic de aliis. Cùm ergo ille, qui amplectitur aliquam ſectam hæreticorum, præter hæreſim, amplectatur eius ritus, & mores, eo ipſo habet voluntatem, & propoſitum faciendi illa peccata ſpecie diuerſa, quæ in exercitio illius ſectæ includuntur: ergo ratione horum, debet in Confeſſione manifeſtare, qualis ſit illa ſecta.

Vnde prædictæ ſectę, tametſi non differant ſpecie, quatenus pręciſe opponuntur contra fidem, & negant diuinam auctoritatem, & Dei teſtimonium; differunt tamen quatenus opponuntur Religioni, & aliis virtutibus, cùm ſingulæ ſectæ includant aliquas cæremonias, vel ritus continentes malitiam ſpecie diuerſam, licet in ratione infidelitatis, non habeant differentiam, ſpecificam.

Hinc etiam infero, ſicut qui commiſit peccatū hæreſis, debet explicare qualitatem ſectæ; ita etiam, ſi quis in ſpecialem aliquam hæreſim incidiſſet ab obedientia Pontificis extrahentem, deberet hanc circumſtantiam in Confeſſione explicare, nec ſufficeret dicere, ſe admiſiſſe aſſenſum aliquem contra Fidem, quia per hoc non explicaretur violatio ſubiectionis debitæ Eccleſiæ, & Pontifici.

Dico *tertiò*, hæreſim externam ſi contineat blaſphemiã, debere explicari in Confeſſione non ſolùm vt hæreſim, ſed vt blaſphemiam. Hoc videtur certum, quia blaſphemia continens conuitium, aut contumeliam in Deum, includit aliud ſpeciale peccatum contra Religionem: ergo eſt neceſſariò in Confeſſione explicanda. Sunt verò duo obſeruanda. *Primum eſt*, non omnes hæreſes externas & verbo prolatas continere blaſphemiam, vt rectè notauit Lorca *1. 2. quæſtion. 13. articul. 2. numer. 6.* Patet, quia non reperitur in omni propoſitione contra Fidem, conuitium, aut contumelia in Deum, vt conſtat de eo, qui negaret, Sanctum Paulum Hieroſolymæ fuiſſe, vel Abrahamum habuiſſe duos filios, vel negaret etiam canem Tobiæ, & ſimilia quæ ſunt de Fide; in quibus non reperitur contumelia, vel conuitium in Deum. *Secundum eſt*, tametſi in aliquibus hęreſibus externis includatur blaſphemia in Deum, non ideò ſemper ex diuerſitate blaſphemiarum ac varietate contra Deum, poſſe illas ſectas accipere diuerſitatem ſpecificam. Ratio eſt, quia vt conſtat ex dictis ſuprà *praced. ſectione*, blaſphemiæ ipſæ in Deum non ſunt diuerſæ ſpeciei intra ſe, cùm omnes tendant ad tollendum honorem diuinum; & ſolùm differant ſpecie blaſphemiæ hæreticales à non hæreticalibus, & blaſphemiæ in Sanctos à blaſphemiis in ipſum Deum, & etiam blaſphemiæ in Virginem aliquando à blaſphemiis in alios Sanctos. 7

SECTIO XI.

An circumſtantia Apoſtaſiæ ſit neceſſariò exprimenda in Confeſſione.

NOmen Apoſtaſiæ hîc ſumo pro receſſu totali à Fide Chriſtiana iam ſuſcepta in Baptiſmo, ſicut Chriſtianus tranſiens ad Mahometiſmum, vel Iudaiſmum, eam totaliter deſerit. Vnde Apoſtaſia ſtrictè ſumpta, eſt totius Fidei, & ipſiuſmet Chriſti abnegatio; & propriè inuenitur in illo homine, qui ex Chriſtiano ad Iudaiſmum, vel Paganiſmum tranſiuit. In quo diſtinguitur ab hæreſi, quæ eſt receſſus à Fide ex parte: nam hæretici abiicientes Fidem catholicam, & hæreſim amplectentes recedunt à Chriſtiana Fide, non omninò, ſed ex parte: nam Chriſtum quoque confitentur. 1

Suppono *primò*, cum communiori ſententia, Apoſtaſiam non eſſe propriam ſpeciem infidelitatis, ſed eſſe circumſtantiam, quæ reperiri poteſt in qualibet alia infidelitate: nam ſi Chriſtianus Catholicus fiat Paganus, Apoſtaſia aggrauabit Paganiſmum; ſi verò fiat Iudæus, vel Hæreticus, Iudaiſmus vel hæreſis habebit circumſtantiam Apoſtaſiæ. Et ratio eſt ſumpta ex aliis virtutibus, in quarum violatione non inuenitur malitia ſpecie diuerſa contra illas virtutes, ex eo quòd aliquis anteà eas virtutes amplexus eſſet: non enim eſt Intemperantia verbi gratia ſpecie diuerſa in genere intemperantiæ, quando fit ab eo qui anteà temperans erat; nec primum furtum eſt ſpecie diuerſum in materia Iuſtitiæ, ex 2

Digitized by Google

ex eo quòd anteà Iuſtitiam obſeruaueris: ergo neque erit infidelitas ſpecie diuerſa in genere infidelitatis, ex eo quòd anteà Fidem amplexus fueris, ſed ad ſummum, erit circumſtantia aggrauans intra eandem ſpeciem, propter maius lumen quod Catholicus habebat ad non negandam Fidem; nam peccare cum maiori lumine, non refundit malitiam ſpecie diuerſam, ſed aggrauat illam.

Firmatur id totum, quia Apoſtaſia non poteſt eſſe noua ſpecies infidelitatis diſtincta à Paganiſmo, & Iudaiſmo, quia Apoſtaſia præcise ſpectata, non opponitur ſpecialiter virtuti Theologicæ, aut primæ veritati, nec conſiſtit in noua Fidei abnegatione, vel errore, nam Iudæus apoſtata non magis negat Fidem Chriſti, nec plures errores habet, quam Iudæus non apoſtata: ergo propter apoſtaſiam, præcisè non habet ſpecialem ac nouā infidelitatem; quia infidelitas directe opponitur veritati Fidei, & teſtimonio primæ veritatis. Neque etiam apoſtaſia poteſt eſſe differentia contrahens alterā infidelitatem, quia alia infidelitas eſt in ſpecie vltima Iudaiſmi, vel Paganiſmi; eſt enim eiuſdem ſpeciei cum ſimili infidelitate alterius hominis non apoſtatæ; ſpecies autem vltima ſeu infima non eſt vlterius contrahibilis. Quare ſicut in hæretico apoſtaſia, quam cōmittit, non ſpectat formaliter ad malitiam hæreſis, ſed ad aliquam grauitatem eius, quia tunc cum maiori cognitione peccatur; ita neque apoſtaſia totalis in Iudæo, vel Pagano ad hæreſim ſpectat, quia apoſtaſia vtriuſque eſt eiuſdem rationis quoad ſpeciem.

2 Suppono *ſecundò*, Apoſtaſiam non addere malitiam ſpecie diuerſam, propter violationem ſpecialis promiſſionis, aut voti retinendæ Fidei acceptæ in Baptiſmo. Nam verius exiſtimo, cum Caietano, Soto, Nauarro, & aliis quos refert, & ſequitur Azor. *libr.* 11. *inſtitut. moralium. cap.*14.*quæſt.*3. Et Thomas Sanchez *lib.*4. *de voto, cap.*1. *num. vltimo*, nullam eiuſmodi promiſſionem, ac votum fieri in Baptiſmo. Nullum enim eſt verbum in Baptiſmo importans promiſſionem, ſolùm enim interrogatur baptizandus, an renunciet Satanæ, & velit baptizari, ac credat? & reſpondet per ſe, vel per patrinum, *Abrenuntio, volo, credo.* Quæ verba non ſunt promiſſionis, & voti. Imò vt benè notauit Hurtado *diſp.* 71. *ſect.* 3. §. 12. qui eſt huius noſtræ ſententiæ, in Baptiſmo non ſolùm dicitur, baptizatum profiteri Fidem, ſed renuntiare Diabolo, & omnibus eius actibus. Vnde ſi ex hoc oriretur promiſſio ſpecialis, & votum circa Fidem retinendam, etiam eſſet ſpecialis promiſſio, & votum circa alia peccata mortalia vitanda; quod tamen nemo admittit. Vnde quando nonnulli Patres, & Doctores id votum appellant, intelligendi sūt de voto largè, vt propoſitum Fidei retinendæ includit. Addo, paruulos nullo modo facere tale votum, aut promiſſionem, atque ideò non peccare contra illam.

3 Suppono *tertio*, Apoſtaſiam ſtrictè ſumptam addere poſſe malitiam, quatenùs apoſtata recedit à ſubiectione, & obedientia, quam ex Baptiſmo ſuſcepto debet Eccleſiæ, & ſummo Pontifici; hanc tamen non eſſe propriè ſolius apoſtaſiæ. Primum probatur, quia ſubditus per Baptiſmum, contrahit ſpecialem ſubiectionem ad Eccleſiam, à qua dum ſe per apoſtaſiam ſubtrahit, & tranſit ad aliam ſectam, videtur peccare contra illud ius, & iuriſdictionē, quam Eccleſia acquiſiuit in ipſum. Secūdum liquet, quia etiamſi demus, hanc circumſtantiam addere malitiā ſpecie diuerſam, ea non eſt propriè apoſtaſiæ; quia hæreticus etiam qui nunquā ſuſcepit Fidem catholicam, ſed baptizatus eſt in hæreſi, adhuc per Baptiſmum cōtraxit illam ſubiectionem, & debitū obedientiæ reſpectu Eccleſię contra quod debitum peccat, ſubtrahēdo ſe per hæreſim à ſubiectione debita Eccleſię, & tamē ille dū perſeuerat in hęreſi, non eſt apoſtata.

His poſitis ad præſentem quæſtionem, Dico *primò*, iuxta ſententiam affirmantem, eſſe obligationem 4
explicandi in Confeſſione circumſtantias notabiliter aggrauantes intra eandem ſpeciem, atque ideò apoſtaſiam eſſe ſemper explicandam. Patet, quia iam conſtat, apoſtaſiam eſſe circumſtantiam, quæ notabiliter aggrauat ſpeciem infidelitatis, quando illi adiungitur. Tum quia cum maiori cognitione tunc peccatur. Tum propter ingratitudinem ſaltem materialem. Tum denique, quia fere ſemper adiungitur ſcandalum quoque materiale.

Dico *ſecundò*, iuxta noſtram ſententiam negan- 5
tem, ſcilicet eſſe obligationem explicandi circumſtantias notabiliter aggrauantes intra eandem ſpeciem, non eſſe neceſſariò exprimendam in Confeſſione circumſtantiam apoſtaſiæ. Ita ſentio cum noſtro Cardinali Lugo *diſputatione* 16. *ſectione* 5. *numero* 296. cum Diana 1. *p. tractatu de circumſtantiis aggrauantibus*, *reſolut.* 54. & cum aliis quos ipſe refert. Ratio eſt, quia vt conſtat ex ſuppoſitionibus *ſupra* allatis, Apoſtaſia, quæ eſt receſſus totalis à Fide Chriſtiana ſuſcepta in Baptiſmo, non eſt præcisè ſumpta ſpecialis, & propria ſpecies infidelitatis, nec addit malitiam ſpecie diuerſam; Ergo ſi ab apoſtata explicetur infidelitas, & qualitas ſectæ, quam amplexus eſt, propter ſpecialia peccata, quæ ſingulæ continent ſectæ, non tenetur explicare circunſtantiam apoſtaſiæ. Firmo id amplius, nam ſi apoſtaſia adderet aliquam malitiam, certe illam, recedendi à ſubiectione, & obedientia Eccleſiæ, & ſummi Pontificis; at manifeſtum videtur iſtam non eſſe explicandam in Confeſſione, niſi quatenus explicatur qualitas ſectæ, ad quam poſt Baptiſmum tranſiit; quâ explicatâ, iam eo ipſo Confeſſario conſtat, negatam eſſe obedientiam Pontifici debitam, quam ſectatores illius ſectæ communiter negant, cùm nulla ſit hodie ſecta, quæ non includat ſchiſma, & neget obedientiam Romano Pontifici.

Obiicies *primò*, Apoſtaſiam addere malitiam con- 6
tra Religionem, propter irreuerentiam, & iniuriam ſpecialem, quæ irrogatur Fidei per Baptiſmum ſuſceptæ, eam deſerendo. *Reſpondeo*, hac ratione non probari, circumſtantiam Apoſtaſiæ eſſe explicandam. Nam vt benè obſeruat Cardinalis Lugo *loco citato*, vel illa irreuerentia ſpecialis conſiſtit in hoc, quòd Fides ſemel ſuſcepta vt vera poſteà reiiciatur; quâ repulsâ valdè dehonoratur, ac contemnitur plus quàm ſi nunquam fuiſſet recepta. Et hoc tametſi veriſſimum ſit, ſolùm addit grauitatem in illo peccato, ſed non diuerſitatem ſpecificam, ſicut neque in aliis virtutibus: non enim differt ſpecie intemperantia illius, qui ſeriò virtutem Temperantiæ amplexus fuerat, ab intemperantia alterius qui ſemper fuit intemperans, & ſic de aliis. Vel conſiſtit illa ſpecialis irreuerentia in eo quòd Baptiſmus ipſe afferat peculiarem titulum colendi Fidem illam, cuius profeſſio implicita eſt in Baptiſmo. Et neque ex hoc capite videtur explicanda, quia etiamſi admittamus, dari talem ſpecialem obligationem, ſufficienter explicatur tota illa malitia, eo ipſo quòd homo baptizatus ſe accuſat de peccato contra Fidem, ſeu de Fide negata: nam eo ipſo ſupponit, peccatum illud fuiſſe commiſſum poſt Baptiſmum, & poſt totam obligationem ex Baptiſmo prouenientem; illa enim ſola circumſtantia neceſſariò explicanda eſt in Confeſſione, quam Confeſſarius audito peccato, non poteſt ſcire, an fuerit in illo peccato, vt conſtat; at violatio promiſſionis, vel obligationis ſpecialis ortæ ex Baptiſmo, ſi quæ ſit, non eſt circumſtantia talis, quam ignorare poſſit Confeſſarius, etiamſi non explicetur. Nam quoties pœ-

nitens

nitens ſe de aliquo peccato accuſat, eo ipſo tacitè ſignificat eſſe commiſſum poſt Baptiſmum: peccata enim ante Baptiſmum commiſſa, non poſſunt eſſe materia Confeſſionis, vt conſtat ex Tridentino, & eſt certiſſimum, vt *ſuprà* oſtendimus *diſputatione* 1. *ſection.* 5. ergo eo ipſo ſignificatur circumſtantia violatæ promiſſionis, vel obligationis ex Baptiſmo ortæ; ad quid ergo explicare debet vlteriùs circumſtantiam illam, cùm ſufficiat confiteri infidelitatem, vt intelligatur eſſe poſt Baptiſmum commiſſa? Vnde repugnat in ipſis terminis dicere, circumſtantiam illam, eſſe violationem obligationis ex ipſo Baptiſmo ortæ, & eſſe adhuc à pœnitente neceſſariò explicandam.

7 Obiicies *ſecundò*, omnis apoſtaſia eſt hæreſis; ergo eſt ſpecies quædam infidelitatis determinata in Confeſſione explicanda. Antecedens probatur, quia Catholicus deſerens Fidem, eo ipſo fit hæreticus, & incurrit pœnas hæreticorum. Alioquin ſi tranſiens ad Paganiſmum, vel Iudaiſmum, non fieret hæreticus, ſequeretur quòd ſi prius factus ſit Caluiniſta, vel Lutheranus, poſteà multiplicando hæreſes, deſineret eſſe hæreticus, quod videtur abſurdum. *Reſpondeo*, negando, tranſeuntem ex Fide ad Iudaiſmum, vel Paganiſmum, eſſe propriè hæreticum, nam hæreticus retinet profeſſionem Chriſtianitatis, & confitetur Chriſtum; punitur tamen pœnis hæreticorum; quæ non latæ ſunt contra ſolos hæreticos, ſed etiam contra omnes Apoſtatas. Vnde *in capite, contra Chriſtianos, de hæreticis, in* 6. Apoſtata non dicitur hæreticus, ſed puniendus vt hæreticus. Nec ideò eſt melioris conditionis, multiplicando hæreſes, nam licèt amittat denominationem hæretici, & nominetur Iudæus, vel Paganus, retinet tamen quidquid mali eſt in hæretico, & amittit particulam aliquam boni, quæ in hæretico erat, dum adhuc Chriſtum profitebatur. Nec hoc fit in rigore, multiplicando hæreſes; nam negare Chriſtum, non eſt hæreſis, ſed Iudaiſmus, vel Paganiſmus. Fit tamen de hæretico non hæreticus multiplicando infidelitates, quia multiplicatio illa tollit illam particulam boni, quæ remanebat in hæretico confitente adhuc Chriſtum. Sicut in Religioſo, qui fugiens ad tempus, appellatur fugitiuus; multiplicatâ autem fugâ, ſeu continuatâ, relicto animo redeundi, deſinit eſſe fugitiuus, & fit apoſtata: ita hæreticus multiplicando infidelitatem, deſinit eſſe hæreticus, quia hæreſis eſt mixtus ex fide Chriſti, licèt non diuina, ſed humana, & ex aliquo errore, vel erroribus contra Fidem; omne autem mixtum, multiplicato vno ex ſimplicibus, amittit nomen mixti, & tranſit in alium ſtatum.

SECTIO XII.

An debeat explicari in Confeſſione effectus ſubſecutus, an verò ſufficiat explicare cauſam?

1 IN peccato, quo Paulus verbi gratia, Petrum veneno occidit, vel exploſit ſclopetum, aut proiecit ſagittam vt illum occideret, tria interuenire ſolent, actus inermis voluntatis internus quo voluit dare illi venenum; vel proiicere ſagittam, vel explodere ſclopetum; deinde actio externa, qua venenum præparauit, & dedit, vel qua ſagittam proiecit, vel ſclopetum exploſit; & poſtea effectus ſecutus, videlicet mors ipſius Petri. Eſt igitur dubitatio an ſatis ſit in Confeſſione dicere Paulum, ſe lethale venenum dediſſe Petro vt moreretur, vel proieciſſe ſagittam, aut exploſiſſe ſclopetum vt illum occideret; an verò neceſſe ſit addere, quod interfecit eum veneno, vel ſagitta, vel ſclopeto proiecto.

Conueniunt *primò* Doctores, talem effectum mortis quoad pœnas iuris imputari Paulo, nempe irregularitatis, & excommunicationis, & ſuſpenſionis, ſi ſit prædictæ morti annexa talis pœna; & etiam quoad obligationem reparandi damna inde prouenientia. Ratio eſt, quia illa pœna non tam propter affectum voluntatis, quàm propter effectum ex praua voluntate ortum imponitur. Deinde reſtitutio obligat, ſi reipſa ſequatur effectus, etiamſi ipſa actio nocendi in ſe peccatum non ſit; quia Iuſtitia ſolum reſpicit damnum culpabili cauſa illatum, vt ad æqualitatem reducat. Ab hac regula generali excipiunt aliqui Doctores, vt notauit Caſtro Palao, *tom.* 1. *tractat.* 2. *puncto* 3. *numero* 2. pœnam excommunicationis, caſu quo doleas, & pœniteas cauſæ datæ, quia tunc contumax non es, neque inobediens Eccleſiæ mandatis. Quod ipſe ſaltem pro foro interno ſatis probabile indicat, & firmat, quia exiſtens in excommunicatione ſi pœniteres, ſtatim deberes abſolui, quia excommunicatio ſolùm imponitur ob contumaciam, & inobedientiam, ad illam ſcilicet reprimendam, quâ ceſſante, tollenda eſt: ſi ergo antequam contrahatur, iam non es contumax, vt quid medicinalis pœna tibi eſt applicanda, cùm medicina non indigeas? Idem dic probabiliter de ſuſpenſione & interdicto, quatenus cenſuræ ſunt, & pro foro interiori. 2

3 *Secundò* conueniunt communiter Doctores, effectum mortis ſequutum eo tempore, quo euitari non poteſt, nullam addere grauitatem, vel malitiam cauſæ prius appoſitæ. Patet, quia cùm nullam addat denuò libertatem, quæ fundamentum eſt bonitatis, & malitiæ, nullam poteſt addere malitiam.

4 *Tertiò*, certum videri debet apud Doctores, retractatâ per pœnitentiam priori voluntate, effectum mortis naturaliter ſequutum ex cauſa priùs liberè appoſita, non eſſe imputandum culpæ. Ratio eſt, quia tunc cauſa appoſita voluntaria iam non eſt, cùm ſit iam reuocata: ergo licèt effectus oriatur ex cauſa appoſita, non oritur ex illa tanquam ex cauſa voluntaria, atque ideò voluntarius non eſt.

His poſitis reſtat difficultas an effectus mortis procedens ex cauſa voluntaria, quando reuocata non eſt, neque impediri poteſt, cenſendus ſit peccatum, eo modo quo cenſetur actus exterior cum interiori idem peccatum conſtituere, & conſequenter ſit obligatio confitendi huiuſmodi effectum.

5 Affirmant Sotus, Medina, Valentia, Henriquez, Villalobos, Thomas Sanchez, & alij quos referunt, & ſequuntur Salas *tract.* 13. *diſputatione* 2. *ſect.* 9. *numero* 109. & Caſtro Palao *tom.* 1. *tractat.* 2. *diſputation.* 1. *puncto* 3. *numer.* 6.

Probant *primò*, quia vt peccare quis dicatur denominatione aliqua extrinſeca, non eſt neceſſaria actu libertas, ſufficit eſſe moraliter, & in virtute; at ille effectus eſt liber in cauſa: ergo verè eſt peccatum, non in ſe, ſed in cauſa, & per malitiam à cauſa deriuatam.

Secundò, quando Petrus moritur ex veneno, tunc Paulus qui venenum dedit, incipit denominari homicida: ergo tunc occidit; nam homicida non eſt, niſi qui aliquando occidit hominem, cúmque anteà nondum occiderat, ſequitur nunc occidere.

Vltimò, actus externus malus debet explicari in Confeſſione; ergo & effectus peccati, nam vterque habet malitiam denominatiuè ab actu interno à quo procedit, & neuter habet malitiam formaliter & immediatè.

6 Veriorem exiſtimo contrariam ſententiam, quæ eſt Vaſquez, Granado, Azor. Bonacinę, Dianæ, Suarez, & aliorum

Digitized by Google

aliorum quos refert, & ſequitur Cardinalis Lugo *diſput.16.ſect.9. numero* 440. Ratio à priori eſt, quia in Confeſſione ſolùm debent ex neceſſitate explicari peccata; ſed ille effectus peccati non eſt propriè peccatum: ergo nulla eſt obligatio explicandi illum. Maior certa eſt, Minor probatur, quia ille effectus quando conſequitur, non eſt malitia formalis, vt liquet, neque etiam eſt ſubiectum, quod ab illa poſſit recipere denominationem peccati, quia tunc homo non peccat, nec peccare poteſt, cùm actu dormiat, vel omninò diſtractus ſit. Firmatur, quia quando ponitur effectus prioris voluntatis malæ, contingere poteſt, vt iam tunc homo iuſtificatus ſit per Contritionem, aut Confeſſionem: ergo non ſufficit ille effectus ad dandam nouam denominationem peccatoris. Quod ampliùs roboratur, quia ille effectus non denominatur malus, & peccatum, niſi à voluntate; ab ea enim ſola accipit denominationem mali, & peccaminoſi, quia eſſe malum illum effectum, eſt procedere à voluntate mala, & peccaminoſa. Hæc autem voluntas non eſt alia niſi præterita; ab illa enim ſola voluntate procedit: ergo ſi malus eſt, ab illa ſola accipit malitiam a qua dependet & omnis alia volũtas ſi adeſſet, ſe haberet cõcomitanter. At voluntas præterita nequit influere malitiam in illum effectum, quando exiſtit effectus, quia talis voluntas præterita tunc actu non eſt, nec eſſe poteſt actu in eo qui dormit, dum eius inimicus veneno moritur, nihilque tunc agit, cùm ſit homo actu dormiens, & tunc non duret libertas: ergo ille effectus naturalis, & nullo modo liber, nequit eſſe ſubiectum capax malitiæ, nec verum peccatum actuale, ſed ſolùm effectus peccati. Non ergo neceſſe eſt, dicere in Confeſſione effectum conſequutum, ſed tantùm eſt obligatio dicendi cauſam.

Notat verò prudenter Vaſquez 1.2. *diſput.94. capit.4. numero* 16. regulariter expedire, quòd effectus ſecuti dicantur quoque in Confeſſione, & ideò pœnitentes, qui illos declarant, non eſſe impediendos, ſed relinquendos in eo vſu; quia cum ipſa explicatione effectus optimè explicatur, quidquid peccati in cauſa præceſſit, & intelligitur meliùs ſtatus pœnitentis, & an habeat obligationem aliquam reſtituendi, vel incurrerit cenſuram, aut caſum reſeruatum, & quæ remedia oporteat eis applicare.

7 Ad argumenta oppoſita. Ad primum reſpondeo, non ſufficere libertatem in cauſa, vt effectus ſit malus, ac peccatum, niſi talis effectus ſit actu liber, ac pendens ex libera voluntate; eſt enim capax malitiæ moralis, quandiu liber eſt, & non aliter: Mors autem cauſata ex veneno dato ante menſem, verbi gratia, quando contingit, non eſt pendens à cauſa libera, imò euenit ſæpe ipſa voluntate repugnante; vnde eſt effectus naturalis procedens ex malignitate veneni iam multò ante porrecti, & quamuis talis porrectio fuerit mala, & peccatum, nequit tamen eſſe ipſa mors poſteà ſecuta, cùm ſuccedat vt naturalis effectus incapax libertatis, & influxus liberi, & conſequenter malitiæ moralis.

Ad ſecundum, dico denominationem homicidæ duo includere, & actionem ex parte hominis, & paſſionem ex parte paſſi, ſeu poſitionem vltimi termini qui eſt mors. Vtrumque autem requiritur vt denominetur homicida, qui iam dederat venenum. Vnde homicidium licèt includat eſſentialiter peccatum, ſed non ſolum, quia homicida eſt ille ex cuius actione iniuſta aliquis moritur; atq; ideò includit peccatũ vel præſens, vel præteritum, & addit effectum mortis ſequutum; ex cuius defectu, qui dederat venenum, tametſi dicatur peccator ex actione iniuſta iam poſita, ſcilicet porrigendi venenum, ſed non dicetur homicida ante ſecutam mortem.

Ad tertium, conceſſo Antecedente, negatur Conſequentia: nam actus externus denominatur liber à libertate actuali actus interni, & ideò eſt verè & propriè peccatum, & debet explicari in Confeſſione, quia in illa explicari debent omnia, & ſola peccata; effectus verò mortis poſteà ſequutus in ſomno, verbi gratia, non eſt actu liber, atque ideò nec peccatum, quia non poteſt eſſe peccatum actuale in eo, qui actu non peccat, nec poteſt actu peccare qui actu non agit: nam ille qui dormit, dum eius inimicus veneno moritur, nihil tunc agit. Et quamuis dici poſſit impropriè, agere per venenum quod dedit; ſed non dicitur tunc actu peccare, quia denominatio peccantis eſt perſonalis, nec poteſt fieri per alium; quia peccare eſt fundare in ſe vituperabilitatem, ſicut honeſtè agere, eſt fundare in ſe laudabilitatem; repugnat autem fundare propriam laudabilitatem, aut vituperabilitatem nunc propter id quod non agit, nec eſt in ſua poteſtate ac libertate, vt ſatis conſtat.

DISPVTATIO XXX.

De tertia Circumſtantia Vbi, *ſeu de loco ſacro, in Confeſſione explicanda.*

IN quatuor caſibus circumſtantia loci Sacri poteſt mutare ſpeciem peccati, & trahere ad ſacrilegium, ratione irreuerentiæ loco ſacro illatæ. *Primò*, quando quis committit furtum in loco ſacro. *Secundò*, in effuſione peccaminoſa ſanguinis humani. *Tertiò*, in effuſione ſeminis humani publica, & peccaminoſa in eodem loco ſacro. *Quartò*, in violatione immunitatis Eccleſiæ. Per hos omnes breuiter diſcurremus, & difficultates in ſingulis caſibus occurrentes enodabimus. Solùm modò eſt notandum, aliquando *Vbi*, vel locum ſacrum non eſſe circunſtantiam, ſed totam ſubſtantiam ſpecificam peccati, vt in quarto caſu; cùm quis extrahitur per iudicem ab Eccleſia contra loci immunitatem ac Religionem, &c. Quod peccatum non habet aliam malitiam, niſi quatenus eſt contra loci reuerentiam, quæ violatur. Aliquando verò locus ſacer dat circunſtantiam neceſſariò confitendam, ſpecie diuerſam à ſpecie & ſubſtantia peccati quæ ſupponitur, vt in tribus caſibus iam dictis.

SECTIO PRIMA.

In quibus caſibus furtum ex Loco ſacro accipiat ſpecialem malitiam ſacrilegij neceſſariò in Confeſſione explicandam.

DE Iure ciuili vna ſpecies datur ſacrilegij in ordine ad furtum, quando nimirùm quis furatur rem ſacram de loco ſacro. De iure tamen Canonico ad quod nos attendimus, ſacrilegium quoad furtum comprehendit tres ſpecies: prima eſt, furari rem ſacram de loco ſacro: ſecunda rem non ſacram de loco ſacro: tertia, rem ſacram de loco non ſacro. Ita ſtatuitur à Ioanne Papa VIII. *in capit. Quiſquis inuentus*, 17. *quæſtione* 4. Verba Pontificis hæc ſunt: 1

Sacrilegium

Digitized by Google

Sacrilegium committitur auferendo ſacrum de ſacro, vel non ſacrum de ſacro, aut ſacrum de non ſacro.

2 In primis circa primam ſpeciem, furati rem ſacram de loco ſacro, vt Calicem ſacratum, aut veſtes Sacras, ſacrilegium eſt manifeſtum in Confeſſione explicandum. Ita omnes: quia eſt manifeſta irreuerentia, ac iniuria contra virtutem Religionis. Solùm dubitari poteſt, an qui furatur in loco ſacro rem ſacram; debeat explicare in Confeſſione vtramque circunſtantiam, & rei, & loci; an verò ſufficiat & ſatisfaciat fur dicens; Furatus ſum rem ſacram, non explicando de loco ſacro; vel è contrà dicens, furatus ſum rem de loco ſacro, non explicando ſacram.

Fagundez, *præcepto ſecundo lib.4.c.5.n.21.* exiſtimat, qui furatur rem ſacram de loco ſacro, ſatisfacere dicendo, ſe furatum fuiſſe rem ſacram, & non eſſe opus dicere, de loco ſacro; quia vtraque illa circumſtantia ad eandem rationem formalem virtutis Religionis ſpectat, & ille concurſus rei ſacræ, & loci ſacri nec multùm variat iudicium Confeſſarij, nec notabiliter ſacrilegium aggrauat.

Cardinalis Lugo *diſp.16 ſect.10. n.471.* cum Alcozer *in ſumm. c.21.* ſentit in eo caſu vtramque malitiam explicandam eſſe in Confeſſione. Quia peccatum ſacrilegij circa perſonam, differt ſpecie à ſacrilegio circa locum; & ſimiliter ſacrilegium circa locum ſacrum differt ſpecie à ſacrilegio circa res ſacras: at in prædicto caſu furtum eſt ſacrilegium contra locum ſacrum, & contra rem ſacram: ergo contrahit malitiam ſpecie diuerſam ab ea, quæ ſolùm eſſet contra rem ſacram. Huic ſententiæ vt veriori magis adhæreo propter rationem dictam.

3 Circa ſecundam ſpeciem furti rei non ſacræ de loco ſacro, varietas eſt ſententiarum. Nam quidam, vt Victoria, & Soto relati à noſtro Suario *tom. 1. de religione, lib.3.c.5.n.3.* ſimpliciter negant eſſe ſacrilegium furari rem laïcam de Eccleſia. Quia huiuſmodi furtũ non eſt ex natura rei iniuria loci ſacri, magis quàm alia peccata, neque etiam eſt ſpeciali iure prohibitum ſub tali ratione.

4 Alij verò, vt Cardinalis Lugo *ſect. 10. citata, numer.470.* & Diana *tractatu de circunſtantiis, reſol.27.* cum aliis quos ipſe refert, diſtinguunt duos modos quibus poteſt res non ſacra in Eccleſia eſſe. *Primò*, quia eſt ſub iure, & quaſi poteſtate Eccleſiæ, quia ſcilicet vel illi ad cuſtodiendum tradita eſt, vel in pignus data, vel alio ſimili modo in Eccleſia depoſita. *Secundò*, poteſt res aliqua profana, ac merè temporalis, per accidens & caſu eſſe in Eccleſia, vel quia ibi eſt perſona, quæ illam ſecum defert, vel quia caſu ibi relicta eſt. In priori caſu, docent ſacrilegium eſſe, furari bona in Eccleſia, in poſteriori autem negant, vt quando latro v. g. furatur crumenam diuitis in Eccleſia; vnde non tenetur illam loci circunſtantiam explicare. Hoc vltimum probant, quia tunc non fit irreuerentia grauis ipſi Eccleſiæ, cui per accidens videtur eſſe, quod ex illo loco accipiatur.

5 Denique Suarez relatus, ſecutus communem ſententiam Canoniſtarum & Theologorum ſine vlla limitatione defendit, furtum quodlibet in loco ſacro ſacrilegium eſſe mortale ex ſuo genere. Quod præcipuè probat *ex dicto cap. Quiſquis.* Vbi ſimpliciter, & ſine vlla limitatione ponitur ſpecies ſacrilegij furari non ſacrum de ſacro. At vbi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus, *lege, de pretio, ff. de Publician.* niſi vel alia lex obliget, vel ratio cogat, quòd aliàs ſequeretur abſurdum: hìc autem nihil horum interuenit. Firmat id *primò* quia illa limitatio *ſuprà* dicta quodammodo deſtruit deciſionem, &, partitionem illius Textus. Nam res, quæ ſecundùm ſe, non ſunt ſacræ, quatenus conſtitutæ ſunt ſub patrocinio Eccleſiæ, quæ in depoſitum, vel cuſtodiam illas recepit, iam ſunt aliquo modo ſacræ, quatenus conſtitutæ ſunt ſub patrocinio Eccleſiæ, quæ in depoſitum, vel cuſtodiam illas recepit. ſicut alia bona Eccleſiæ; vel ſicut promiſſio iurata, licet ſecundùm ſe temporalis ſit: at vt eſt ſub teſtimonio diuino, eſt Sacra, & pertinet ad forum Eccleſiæ; ſic ergo res depoſitæ in Eccleſia ad forum, & defenſionem Eccleſiæ pertinent, ideòque illas furari potius eſt furari ſacrum de ſacro, quàm non ſacrum: ergo in rigore, neceſſe eſt aliud membrum de aliis rebus intelligere. Idem firmat *ſecundò*, quia in illo Textu, Pontifex priùs ponit pœnas ſacrilegij, poſteà varia ſacrilegia enumerat, & inter ea ponit illa tria membra: & *infrà* loquens de Monaſteriis, & locis Deo dicatis, & Eccleſiis, ſic ait: *Si qui depoſita, vel alia qualibet exinde abſtrahunt, velut ſacrilegi Canonica ſententiæ ſubigantur.* Quibus verbis apertè ſignificatur non poſſe ad illum Textum aliam reſtrictionem accommodari. Vbi etiam, poſtquam dixit eſſe furtum ſacrilegum, ſurripere depoſita Eccleſiæ, addidit, *vel alia qualibet*; quæ verba ſunt valdè notanda, quibus diſtinctio illa poſita *n.4.* omninò eneruatur.

Dico *primò*, abſolutè, & ſimpliciter loquendo, furtum in loco ſacro, ſacrilegium eſſe mortale, & eam circumſtantiam eſſe de neceſſitate Confeſſionis. 6
Ita abſolutè loquuntur Doctores antiqui, cum Gloſſa *in dicto capite Quiſquis*, & *in capite Sacrilegium*, 17. *quæſtione* 4. vbi Turrecremata *quæſtione* 5. & communiter etiam Summiſtæ *verò Sacrilegium*, Syluester, §. *ſecundum*, Angelus *numero* 1. Caietan. *in Summa, verbo eodem*, & Armilla *numero* 1. Nauarrus in *Manuali*, *capite* 6. *n.* 4. Ratio à priori eſt, quia hæc immunitas Eccleſiæ meritò inſtituta eſt in *dicto capite Quiſquis*, in reuerentiam loci; eſtque valdè naturali rationi conſentanea, quæ dictat totam hanc reuerentiam eſſe debitam Deo, qui in templo peculiariter habitat; vel templo, quatenus Deo ſpecialiter ſanctificatum eſt, quod in idem redit. Non nego, quin hoc ſacrilegium poſſit eſſe veniale ex leuitate materiæ; nam etiam furtum rei ſacræ poteſt etiam hoc modo eſſe leue peccatum. Vnde quoties furtum in ratione iniuſtitiæ eſt veniale, etiam in loco ſacro factum veniale cenſendum eſt in ratione ſacrilegij: quoties verò furtum mortale eſt, & in loco ſacro fit, circumſtantia loci eſt in Confeſſione aperienda, vt mortiferè aggrauans in alia ſpecie.

Dico *ſecundò*, certum eſſe, eum qui furatur in ipſa Confeſſione, aſſumendo illam vt medium ad ipſum furtum, graue ſacrilegium committere, & eſſe 7
circumſtantiam de neceſſitate Confeſſionis. Patet, quia tunc iniuriam facit prædo Sacramento grauiſſimam.

Dico *tertiò*, certum quoque videri, Sacrilegium eſſe, & in Confeſſione exprimendum, furari bona 8
non ſacra, quæ ſunt poſita in Eccleſia, causâ cuſtodiæ, & ſecuritatis, vel ſunt ipſi Eccleſiæ commodata. In hoc etiam omnes conueniunt, atque eſt optima ratio, quia quod hoc modo eſt in templo, eſt ſub ſpeciali patrocinio, ac cuſtodia diuina; eſt enim templum ſpeciali modo ac titulo ſub dominio Dei, & ideò quod ibi deponitur, & per Dei miniſtros acceptatur, cenſetur veluti ſub Dei fide, & defenſione recipi: ergo tale furtum ſpecialem malitiam habet contra reuerentiam Deo, & templo eius debitam. Atque hoc ſaltem eſt neceſſariò concedendum, vt partitio ſacrilegij poſita in *c. Quiſquis*, in omnibus ſuis membris verificari poſſit.

Digitized by Google

9 Dico *quartò*, cùm communiori ſententia, ſine vlla limitatione quoduis furtum in loco Sacro ſacrilegium eſſe, atque adeò latronem qui furatur crumenam diuitis in Eccleſia, committere malitiam ſacrilegij neceſſariò in Confeſſione aperiendam. Id licet videatur latronibus odioſum, tamen ſimpliciter eſt Eccleſiæ ac Religioni fauorabile, & bene probatur à Suario ex *dicto capite, Quiſquis.* Et prætereà firmatur, quia in eo capite apertè Pontifex intendit immunitatem Eccleſiæ defendere: quis autem neget magnam eſſe, & valdè rationabilem Eccleſiæ immunitatem, vt res in ea exſtentes, quomodocumque in ea ſint, participent quandam ſecuritatem, ab omni acceptione iniurioſa, & conſequenter qui illas inde furatur, contra immunitatem Eccleſiæ agat, ac propterea contra reuerentiam illi debitam, ſacrilegium committat? Denique idem probatur à poſteriori, quia ſi negotiatio publica, nundinæ, & ſimilia in templo prohibentur Iure Canonico, quia de ſe ſunt iniuſtitiis, & rapinis obnoxia; quomodo nõ maiori ratione prohibebitur ſpecialiter quodlibet furtum in Eccleſia? Quare dicendum eſt, ex inſtitutione Canonica habere Eccleſiam peculiare ius, vt ſit veluti inuiolabilis cuſtodia rerum, quæ intra illam exiſtunt, & contra hanc immunitatem ac reuerentiam peccatur non ſolùm quando ſurripitur res in loco Sacro tanquam in aſylo depoſita, ſed etiam quando res illa non eſt illius loci cuſtodiæ, ac quaſi fidei ſpeciali commiſſa.

10 Quid verò nomine Loci Sacri intelligatur in ordine ad furtum, breuiter dicendum eſt cum Sanch. *libr. 9. de matr. diſp.* 15. *n.* 24. & aliis, intelligi ſolam Eccleſiam conſecratã aut benedictã; quia ante hanc conſecrationem, aut benedictionem, non eſt locus ſacer; & ille etiã dicitur Locus ſacer, qui eſt deputatus ad Fideliũ ſepulturam, vt Cæmeterium. Vnde nomine Loci Sacri, non comprehenduntur clauſtra, & habitatio Regularium, nec comprehenduntur Oratoria quæ domi habentur, quæ ad vſus prophanos facilè redire poſſunt ad nutum dominorum; atque ideò qui in his locis furatur, non debet explicare hanc circumſtantiam loci. Nomine autem Eccleſiæ in ordine ad furtum, intelligitur illud tantum ſpatium, quod pertinet ad corpus Eccleſiæ internum, à tecto interiori vſque ad pauimentum; & à parte interna portę Eccleſię vſque ad vltimum parietẽ Aræ maximæ. Quare capellæ ędificatæ, intra Eccleſiá comprehenduntur, quia vnum corpus cum ipſa Eccleſia conſtituunt. Similiter etiam Eccleſię Xenodochiorum, atque eremitoriorum, tametſi conſecratæ non ſint, nec benedictæ; dummodò auctoritate Epiſcopi ſint erectæ, & ad diuinum cultum deſtinatæ, & perpetuò cultui diuino emancipatæ; hæc enim emancipatio, ac deputatio auctoritate Epiſcopi facta locum benedictionis ſupplet, eſtque velut quędam conſecratio. Clauſtra denique Religioſorum, ſi benedicta ſint, Religioſiſque ſepeliendis deſtinata, comprehenduntur nomine loci Sacri.

11 Ad argumentum primæ ſententiæ, iam conſtat furtum, quamuis non ſit ex natura rei iniuria Loci Sacri; eſſe tamen ex Iure, & conſtitutione Canonica, contra loci Sacri ſanctitatem. Nam cùm locus ſit ad continẽdam, & quaſi cuſtodiendam rem in eo exiſtentem, requirit quandam decentiam & puritatem ad exercendas in eo actiones ſacras; ea peccata quæ repugnãt his loci conditionibus, quale eſt furtum, videntur eſſe directè contra illum & ideò ſunt ab Eccleſia ſpecialiter prohibita. Alia verò peccata, vt murmurare in Eccleſia, vel quid ſimile, tametſi aliquam irreuerentiam contineant, non tamen communiter mortalem, nec grauem in ſua ſpecie, & ideò reſpectu illorum, non eſt ſpecialis conſtitutio Iure Canonico, nec videntur de neceſſitate Confeſſionis. Vnde non omne peccatum, hoc ipſo quòd fit in loco Sacro, habet circumſtantiam neceſſariò explicandam in Confeſſione, ſed illa tantùm, quæ ſunt ſpecialiter ab Eccleſia prohibita, quia ita ſunt contra loci ſanctitatem, vt cedant in grauem irreuerentiam, vel iniuriam eius ex ſtatuto Eccleſiæ.

Ad ſecundam ſententiam, iam conſtat ex *quarto Dicto*, cur latro, quando furatur crumenam diuitis in loco Sacro, teneatur hanc circumſtantiam loci fateri, quia ſcilicet etiam tunc fit grauis irreuerentia illi. Quamuis enim id per accidens contingat, & quaſi materialiter reſpectu furti, prout eſt contra Iuſtitiam; non tamen reſpectu furti prout cedit in grauem irreuerentiam ſanctitatis loci.

Tertia ſententia Suarij nobis valdè placuit; nihilque continet contra doctrinam à nobis traditam.

Circa tertiam ſpeciem furti rei Sacræ de loco non Sacro, breuiter dicendum eſt, quia conſtat apud Doctores cum D. Th. 2. 2. *q. 99. a. 3.* furari calicem Sacrum de domo opificis, aut veſtes, aut ornamenta Sacra, furtum eſſe ſpectans ad ſacrilegium; cuius circumſtantia cùm mutet ſpeciem, & de furto ſimplici, materiáque Iuſtitiæ, trahat ad Religionem, & ſacrilegium conſtituat, neceſſariò eſt in Confeſſione declaranda: eſt enim tale furtum ex Iure Canonico contra reuerentiam rei ſacræ, & ideò cedit in grauem irreuerentiam illius. Vnde furari Calicem non Sacrum, & veſtes etiam, ac ornamenta nondum ſacra de domo opificis, non eſt ſacrilegium, ſed furtum tantùm ſimplex in materia Iuſtitiæ. 12

SECTIO II.

An, & quando per effuſionem peccaminoſam ſanguinis humani in loco Sacro contrahatur grauis malitia ſacrilegij in Confeſſione explicanda?

CErtum eſt apud Doctores, ea omnia quæ cauſant Eccleſiæ violationem aut pollutionem, contrahere malitiam ſacrilegij grauis ratione loci, in Confeſſione explicandã. Conſtat autem Eccleſiã pollui per iniurioſam humani ſanguinis effuſionem in Eccleſia; ſub quo neceſſe eſt vt homicidium in Eccleſia factum comprehendatur. Quia vtrumque aduerſatur directè ſanctitati loci ſacri. Oportet autem vt vnum, & aliud in particulari declaretur. 1

Vnde tria ſunt explicanda. *Primum*, quæ ſanguinis effuſio violet Eccleſiam. *Secundum*, an mors & homicidium etiam ſine ſanguinis effuſione polluat Eccleſiam. *Tertium*, an vulnus, vel contuſio abſque ſanguinis effuſione, polluat quoque Eccleſiam.

Circa primum de effuſione ſanguinis, communis omnium doctrina eſt, violari Eccleſiam per iniurioſam ſanguinis effuſionem, vt conſtat ex *capite vnico, de conſecrat. Eccleſ. in 6. & capite, ſi Eccleſia, de conſecrat. & capite, Eccleſiis, de conſecrat. d.* 1. Quæ prohibitio diſtincta eſt ab homicidio, quia poteſt eſſe homicidium ſine ſanguinis effuſione, per ſuffocationem, & poteſt eſſe ſanguinis effuſio ſine homicidio, vt conſtat. Et quamuis in prædictis Textibus non dicatur expreſsè, illam ſanguinis effuſionem oportere eſſe iniurioſam, aut voluntariam, ita tamen ab omnibus Doctoribus intelligitur. Vnde prædicta effuſio ſanguinis intelligenda eſt de effuſione non caſuali, aut naturali, aut medicinali, aut quæ eſt in propriam defenſionem 2

defenſionem licita, ſed de ea quæ per contentiones, & rixis fit cum peccato mortali: ſic enim cenſetur eſſe Eccleſiæ iniurioſa. Quare ſi pueri rixentur, & ſanguinem ſibi ex naribus eliciant, non cenſetur pollui; quia regulariter non ſunt peccata mortalia. Imò licet cauſa ſit aliunde mortalis, vt ſi recitando, vel repræſentando turpia in Eccleſia, ſequatur præter intentionem rixa cum vulnere & ſanguine, & etiam mors; non polluitur Eccleſia, quia non eſt actio mortalis in illo genere; ſicut dici ſolet de pollutione, præter intentionem ſecuta ex cauſa in alio genere peccaminoſa. Vt benè notauit Cardinalis de Lugo *de Sacramento Eucharistiæ, diſputatione* 20. *ſectione* 2. *numero* 54 Præterea ſi in Eccleſia fiat actio iniurioſa, vt eſt alapa, per illam non violatur Eccleſia, ſi nullo modo ibi interueniat ſanguinis effuſio, ſed an violetur Eccleſia propter vulnus in ea inflictum, quando ſanguis intra eam non effluit, vel ſi effluat, non cadit in terram, ſed in vaſe recipitur, quæſtio eſt? Certum eſt apud Doctores, violari, etiamſi intra eam non effundatur ſanguis; quia nimirum effuſio, quantũ eſt ex parte actionis iniurioſæ iam eſt facta. Quòd verò ſanguis effuſus non attingat parietes, vel pauimentum Eccleſiæ, ſed in vaſe recipiatur, nihil refert; quia non violatur Eccleſia propter contactum ſanguinis, ſed propter violentam actionem effundendi illum in Eccleſia factam. Non verò requiritur vt ſanguinis effuſor ſit intra Eccleſiam, neque etiam, ſi quis intra Eccleſiam exiſtens, vulnerat ſagittâ alium extra Eccleſiam exiſtentem, violaretur Eccleſia; nam licèt actio vulneratiua, & effuſiua ſanguinis in Eccleſia inchoetur, tamen ipſa vulneratio & effuſio extra Eccleſiam fit: quemadmodum licèt in Eccleſia ſententia ſanguinis detur, non violatur Eccleſia, ſi executio extra illam fiat. Ratio horum omnium petenda eſt ex verbis legis Eccleſiaſticæ, quæ ſolùm voluit pollui Eccleſiam, quando homo in ea vulneratur ad ſanguinis effuſionem; ad hoc autem non requiritur, vulnerantem eſſe intra Eccleſiam, vt conſtat. Addo, quod communiter obſeruant Doctores, ſi homo in loco ſacro à Poteſtate publica occidatur, aut ſuſpendatur, Eccleſia violatur: quia licèt Iudices, & poteſtates publicæ licitè occidant, & ſuſpendant iniquos, & malefactores; attamen illicitè, & ſacrilegè faciunt, ſi id faciunt in Eccleſiis, ſeu locis ſacris.

3 Eſt verò notandum, ad violationem Eccleſiæ non ſufficere quamcunque effuſionem iniurioſam, ac peccaminoſam ſanguinis, ſed requiri magnam, ſeu vt ait Syluester, *verbo Conſecratio* 1. *numero* 5. enormem. Noſter Cardin. Toletus magnam requirit *lib.* 1. *Summæ cap.* 31. *num.* 1. Cardin. noſter quoque Lugo *diſp.* 20. *numero* 52. ait, debere effuſionem ſanguinis eſſe in quantitate notabili. Cui fauet Textus, *Reuertimini*, 16. *quæſt.* 1. Vbi dicitur, quòd *verbum, Effuſionis, nomen largitatis oſtendit.* Quare non per quamcumque effuſionem ſanguinis modici, violatur Eccleſia, aut locus ſacer. Quia effuſio ſanguinis copioſum fluxum ſignificat, vt etiam notauit Suarez 3. *p. diſput.* 81. *ſect.* 4. Obſeruat benè noſter Fagundez 2. *præcepto, lib.* 4. *cap.* 4. *numero* 18. nec pollui Eccleſiam, ſi magna copia ſanguinis effundatur de naſo, quia eſt organum ſanguinis: Vnde quæ eſſet effuſio reſpectu alterius partis, non eſt reſpectu naſi. Pro hac ſententia refert Capuam *lib.* 2. *de ſpeciebus ſacrilegij cap.* 48. *n.* 25. & Sotum *in* 4. *d.* 13. *q.* 1. *art.* 3. *concluſ.* 8.

4 Circa ſecundum de Homicidio: per homicidium voluntarium, & iniurioſum, ſiue fiat cum ſanguinis effuſione, ſiue alio modo violari Eccleſiam. Conſtat ex *capit. Propoſuiſti, de conſecratione Eccleſiæ,* & *capit. ſi motum, de conſecratione, diſt.* 1. Vnde ſi homicidium ſit caſuale, non violatur Eccleſia; nec per homicidium factum ex amentia, quia hæc inuoluntaria ſunt: neque etiam per homicidium ſecutum ex pura defenſione, quia hoc iniurioſum non eſt. Nec ſufficit, quòd aliquis extra Eccleſiam vulneretur, & intra illam moriatur, ſed requiritur quòd vulnus, vel cauſa phyſica intra Eccleſiam fiat. Vnde neque etiam polluitur, ſi intra Eccleſiam fiat mandatum, vel detur conſilium occidendi. In omni euentu requiritur, vt homicidium fiat cum peccato mortali, tametſi fiat ſine effuſione ſanguinis per ſuffocationem, quia etiam illud eſt verum homicidium. Si quis etiam interficiat ſeipſum in Eccleſia, polluit illam, quia licèt ſibi propriè non faciat iniuriam, facit tamen Deo, & Eccleſiæ. Si denique homicidium ſit verum martyrium in Eccleſia factum, ipſa polluitur ſacrilega actione, & interfectione, quia illud eſt verum homicidium, quia iniuſtè occiditur.

Circa tertium de vulnere, vel contuſione abſque ſanguinis effuſione, an polluat Eccleſiam, & ſit ſacrilegium de neceſſitate Confeſſionis? Certum videtur, tametſi percuſſio, vel contuſio grauis ſit, ſi non ſit mortifera, nec cum ſanguinis effuſione, non violare Eccleſiam, nec afferre illam ſpeciem grauem ſacrilegij. Ratio eſt, quia cùm non inueniatur Eccleſiæ prohibitio circa hoc, niſi in ſolis duobus caſibus de homicidio, & ſanguinis effuſione, extenditur abſque fundamento ad illum tertium, de percuſſione graui ſed non lethali, nec cum ſanguinis effuſione. Cardinalis Lugo *de pœnitentia, diſputatione* 16. *ſectione* 10. *numero* 468. dicit oportere obſeruare contra Fagundez *illo capit.* 4. *numero* 14. dicentem, percuſſionem grauem etiam ſine ſanguinis effuſione afferre illam malitiam grauem ſacrilegij Ego certè non poſſum non pro ipſo Fagundez reſpondere, non oportere id obſeruare; nam expreſsè docet *numero* 16. ſi mortiferum vulnus, aut percuſſio contingat in Eccleſia, quamuis nullus ſanguis effundatur, violari Eccleſiam. Idque magis declarat *numero* 17. dicens, non ſufficere ad violandum locum ſacrum quamcumque percuſſionem attingentem peccatum mortale, etiamſi carnes contundat, aut oſſa confringat, nec quodcumque vulnus etiam magnum, ex quo non effundatur ſanguis, ſed requiri, vt hæc mortifera ſint, id eſt talia, vt mors probabiliter ſequatur. Quid clarius? Quare cùm dicit *numero* 14. iniuſtam percuſſionem, & vulnerationem, ſi fiat in loco ſacro, etiamſi ſine ſanguinis effuſione contingat, ſacrilegia eſſe, & circumſtantiam loci ſacri eſſe neceſſariò confitendam, ſic intelligendum eſt, vt loquatur de percuſſione, & vulneratione mortifera, cùm id neceſſariò requirat *prædicto num.* 17. 5

Hinc colligitur id quod etiam certum eſt apud Doctores, pollui Eccleſiam, ſi percuſſio, vel contuſio grauis ſit mortifera, ſecutâ morte; quia donec homicidium conſummatum non ſit, non incurritur violatio, ſi non ſit ſanguinis effuſio. 6

Reſtat tamen difficultas, quando in Eccleſia ſic lethaliter homo vulneratur ſine effuſione ſanguinis, & poſteà non in Eccleſia, ſed domi moritur, maneat ipſa polluta.

Nam Suarez *dicta diſput.* 81. *ſect.* 4. *in principio,* 7
exiſtimat in eo caſu, ſi contuſio lethalis ſit abſque effuſione ſanguinis, non pollui Eccleſiam, ſi homo extra illam moriatur; quia aliàs reuera non fit homicidium in Eccleſia.

Communis verò ſententia, quam veriorem putat Cardinalis Lugo *de Sacramento Eucharistiæ diſp.* 20.

ſect. 2. num. 53. docet, tunc Eccleſiam pollui ſecutâ morte, licèt ante mortem nondum polluta cenſeatur. Quia ſicut polluitur vulnere intra Eccleſiam inflicto, licèt ſanguis poſteà extra Eccleſiam effluat, ſic videtur pollui in hoc caſu, cùm iam intra Eccleſiam poſita fuerit tota actio iniurioſa, ob quam poſteà anima à corpore ſeparatur: parum enim refert ad irreuerentiam ob quam Eccleſia violata cenſetur, quod anima ibi, an extrà emittatur.

SECTIO III.

An, & quando per humani ſeminis effuſionem in loco Sacro contrahatur malitia ſacrilegij in Confeſſione explicanda?

1 Breuiter me expediam à præſenti difficultate, quam ſatis explicui *tractatu de matrimonio, diſputat. 49. ſectione 4.*

Iuxta doctrinam ibi allatam, dico tria. *Primum eſt,* ſolâ effuſione ſeminis humani ex ſe illicitâ, & quæ cum peccato mortali fiat, pollui Eccleſiam, & illam ſolam commiſſam in loco Sacro habere ſpeciem ſacrilegij in Confeſſione declarandam. Ratio eſt quia alia pollutio non eſt humana: ergo nec iniurioſa Eccleſiæ, qualis eſt pollutio nocturna, vel etiam ſi in vigilia inuoluntarie contingat. Requiritur quoque, vt pollutio illicita fiat in ſufficienti quantitate: nam vnius vel alterius guttæ effuſio, vel quæ modica ſit, ad violationem non ſufficeret, propter vim verbi Effuſionis explicatam *præcedenti ſectione, numero 3.* Vnde illa modica effuſio, quamuis ex parte interioris voluntatis, ſit peccatum mortale intemperantiæ; tamen in ratione exterioris iniuriæ loci Sacri, non eſt res adeò grauis, neque iniuria, vt ſic dicam, conſummata.

2 *Secundum eſt,* neque effuſione ſeminis illicita pollui Eccleſiam, niſi id delictum publicum ſit; requiritur enim notorietas facti, quod publicè conſtet, aliàs non cenſetur Eccleſia polluta etiam reſpectu eorum, qui quacumque notitia particulari id ſciunt, vel ipſius qui delictum patrauit, qui nullo modo obligatur ad ſe manifeſtandum. In huius probationem, varias rationes propoſui *loco citato, numer. 9.* Potiſſima eſt, quia cùm ea effuſio ſeminis humani ideò tantùm reſpectu Eccleſiæ cenſeatur ſacrilega, quia ex conſtitutione Eccleſiaſtica locus ſacer illâ profanatur, manétque eo peccato quaſi diffamata Eccleſia, & denigrata eius reuerentia; ſequitur, vt notoria tantùm effuſio ſpeciale ſacrilegij peccatum ſit, nam cùm reuerentia loco Sacro debita conſiſtat in opinione hominum, non poteſt per prędictum actum illicitum tolli, niſi hominibus innoteſcat, ſicut homines non fiunt de facto per crimina infames, niſi innoteſcant.

3 Aliqui putant requiri, quòd Eccleſia denuncietur à Iudice tanquam polluta, propter Extrauagantem, *Ad euitanda ſcandala,* vbi ſimilis denunciatio exigitur, vt obligemur ad vitandos eos, qui Cenſuras incurrerunt. Cæterùm, vt benè notauit Suarez 5. *tomo in 3. part. diſputatione 37. ſectione 1. numero 28.* hæc pollutio Eccleſiæ nullo modo poteſt intelligi nomine Interdicti, aut Cenſuræ; eſt enim alterius rationis longè diuerſæ; vnde & diuerſum modum reconciliationis requirit.

4 Notandum verò eſt, doctrinam traditam, per occultam pollutionem vel fornicationem, aut ſimilem actum, non pollui Eccleſiam, ſed crimen debere eſſe publicum, licèt ſpecialiter tradatur in hoc caſu de effuſione ſeminis humani, quia frequenter in illo accidere poteſt; non tamen limitandam eſſe ad ſolum illum, ſed extendendam etiam eſſe ad effuſionem ſanguinis, & ad omnem alium caſum, qui poſſit eſſe occultus, quia eſt eadem omninò ratio, & ita ſentiunt communiter Doctores.

Tertium, quod in loco citato, *de matrimonio,* oſtendi; 5
eſt, nullum eſſe peccatum, ſi coniuges copulentur in loco ſacro, neque Eccleſiam violari, ſiue copulentur in caſu neceſſitatis, ſiue non. Motus fui hac vnica ratione, quia actus coniugalis in loco Sacro non eſt illicitus iure Naturali, nec Diuino, vt eſt certum apud omnes, neque etiam iure Eccleſiaſtico, quia nullibi prohibetur, nec ſupponitur prohibitus, vt ibi probo: non eſt ergo dicendum, eo pollui Eccleſiam; ſicut nec polluitur ſanguinis effuſione, quando eſt iuſta, & licita.

SECTIO IV.

Quale crimen in Confeſſione aperiendum, committant Iudices in violatione immunitatis Eccleſiæ, ſeu loci Sacri?

Non eſt præſentis Inſtituti tractare de multiplici 1
immunitate Eccleſiarum, quoad tuitionem delinquentium, & quo iure introducta ſit; nec explicare, quænam Eccleſiæ & perſonæ hac gaudeant immunitate, & in quibus caſibus valeat templorum immunitas, & quos effectus habeat immunitas templi in eos, qui ad illud confugiunt. De quibus omnibus videri poteſt noſter Suar. *tom. 1. de Relig. tr. 2. lib. 3. c. 8. 9. 10. 11. & 12.* id doctè & acutè pertractans. Solùm igitur breuiter dicam, quando, & quale crimen in Confeſſione explicandum committatur in violatione immunitatis Eccleſiæ.

Dico itaque *primò*, certum eſſe, nullum committi peccatum, extrahere reum per vim confugientem ad 2
Eccleſiam, abſque vlla facultate Paſtorum, in caſibus à iure exceptis. Patet, quia tunc non agitur contra immunitatem, cùm ius ipſum talem præbeat facultatem. Nec tenetur Iudex in illis caſibus facultatem petere, per ſe loquendo, quia id nullo iure cauetur.

Dico *ſecundò*, ſi Iudex vim non inferat, ſed blandi- 3
tiis, & promiſſionibus roget reum, vt ſecum exeat, & ipſe voluntariè, ac ſine vlla coactione conſentiat, & egrediatur, nullum eſſe peccatum. Ratio eſt, quia tunc nulla fit violentia; hæc autem ſola eſt, quæ ex vi immunitatis prohibetur, atque ideò tunc non fit contra immunitatem.

Dico *tertiò*, Iudicem extrahentem reum ab Eccleſia 4
per vim, & contra immunitatem Eccleſiæ, mortale ſacrilegium committere, & ideò loci ſacri circumſtantiam neceſſariò eſſe confitendam. Hoc certiſſimum eſt, quia violatur immunitas loci Sacri, & irreuerentia atque iniuria grauis committitur in illum. Vnde Iudex Eccleſiaſticus poteſt, & debet per vim reſiſtere Iudici ſeculari volenti reum ab Eccleſia extrahere in caſu non conceſſo, cenſuris, & aliis mediis; & iſte tenetur reſtituere reum Eccleſiæ, quia ipſa paſſa eſt iniuriam, & ideò debet reſarciri.

Dico *quartò*, in eo caſu non ſolùm peccare Iu- 4
dicem ſecularem ſacrilegè, contra immunitatem Eccleſiæ, ſed etiam facere contra Iuſtitiam Commutatiuam, iniuriam ipſi reo. Ratio eſt, quia ibi

Digitized by Google

ibi non habet in eum iuriſdictionem, quia iuriſdictio extra territorium non extenditur; eſt enim quoad hoc Eccleſia locus exemptus; locus autem exemptus extra territorium eſſe cenſetur: ergo exercet tyrannidem, & meram violentiam, atque ideò facit iniuriam contra Iuſtitiam Commutatiuam.

6 Vnde colligo *primò*, omnes actus iudiciales poſteà factos circa huiuſmodi reum, eſſe ipſo iure nullos, & non eſſe actus iuriſdictionis, ſed violentiæ. Patet, quia ſi fundamentum eſt nullum, neceſſe eſt, omnia, quæ in illo fundantur, fruſtranea eſſe. Quare ſi Iudex poſteà reum ſic captum interroget, & examinet, non iuridicè interrogat, quia non habet iuriſdictionem in eum ſic captum; nec reus tenetur reſpondere veritatem, quia illi reo datur actio contra talem Iudicem, vt ſe eximat de manibus eius: ergo donec audiatur, non poteſt cogi ad reſpondendum illi.

7 Colligo *ſecundò*, teneri huiuſmodi Iudicem ad reſtituendum reo omnia nocumenta, & damna illi ſecuta ex huiuſmodi actionibus. Ratio eſt, quia ex actione iniurioſa contra Iuſtitiam Commutatiuam, oritur obligatio reſtituendi omnia damna, & nocumenta quæ reſtitui poſſunt, vt eſt per ſe notum. Verum quidem eſt, ſi Iudex à culpa excuſetur per ignorantiam inuincibilem, vel facti, vel iuris, ex aliqua opinione, vel auctoritate probabili, ex qua credidit talem eſſe caſum, vt in eo non gaudeat reus immunitate Eccleſiaſtica, tunc conſequenter excuſari à reſtitutione damnorum, quia hæc reſtitutio, vt ſupponitur, non naſcitur ex re accepta, ſed ex iniuſta damnificatione, & ideò interueniente excuſatione quoad iniuſtitiam, ceſſat obligatio reſtituendi.

DISPVTATIO XXXI.

De quarta circumſtantia, Quibus auxiliis, *an, & quando importet eam in Confeſſione explicare?*

HÆc Circumſtantia, *Quibus auxiliis*, ad varia genera auxiliorum extẽditur. Nam inprimis auxilia vocantur ipſa inſtrumenta, quibus peccatum commiſſum eſt, vt ferrum, gladius, ſclopetum, vel quid aliud ſimile inſtrumentum. *Secundò*, auxilia dicuntur homines, qui fuerunt concauſæ, vel auxiliarij peccati, præſertim illi qui fuerunt inducti ad peccandum. *Tertiò* denique Dæmon ipſe quando eſt auxiliator peccati. Quæ omnia ſunt breuiter in hac Diſputatione explicanda, vt plenè intelligatur, quando circumſtantia, *Quibus auxiliis*, ſit in Confeſſione aperienda?

SECTIO PRIMA.

An inſtrumenta quibus peccatum factum eſt, ſint in Confeſſione explicanda.

1 DIco certum eſſe, inſtrumenta, quibus peccatum committitur, regulariter non eſſe neceſſariò confitenda. Quis enim non videat, parùm referre, vtrùm hoc, vel illo inſtrumento, gladio, an enſe fuerit homo occiſus: ergo nulla eſt neceſſitas id declarandi per ſe loquendo.

2 Solùm notandum eſt, in tribus caſibus debere inſtrumentum in Confeſſione manifeſtari. *Primus eſt*, quando vſus talis inſtrumenti eſt per ſe prohibitus ſub mortali, quia tunc ex eo capite continet actus ſpecialem malitiam, aut etiam, quando hîc & nunc habet coniunctum periculum grauioris mali inferendi. Vt ſi ſclopeto aliquem traieceris cum periculo lædendi vicinos. *Secundus eſt*, quando ad explicandam grauitatem nocumenti illati, & ſingularem crudelitatem, aut cruciatum neceſſarium eſt declarare, quo inſtrumento factum fuerit, vel ſi quem incendio intetemeris. *Tertius eſt*, quando inſtrumenta illa ſeu media continent ſpecialem malitiam contra aliam virtutem, vt ſi mediis Sacramentis, aut rebus Sacris fuit factum homicidium, vel aliud peccatum graue: illa enim eſſet ſpecialis malitia contra Religionem in Confeſſione aperienda. Solent enim in hoc genere peccati ſuperſtitionis, plures ſpecies malitiæ reperiri adeò formaliter diuerſæ, vt in Confeſſione ſint neceſſariò explicandæ, præcipuè in materia Sacramentorum, & in ſacrilegiis, ac iniuriis rerum Sacrarum poteſt eſſe tanta varietas malitiarum, vt neceſſarium ſit in Confeſſione modum ſuperſtitionis aperire, quia non poſſunt aliter à Confeſſore ſecundùm ſuam neceſſariam grauitatem intelligi, nec curari, niſi ſecundùm ſuum modum peculiarem explicentur. Id præcipuè intelligendum eſt in maleficio, quæ eſt potiſſima ſpecies Magiæ ſuperſtitioſæ.

3 De hoc autem ſuperſtitioſo, & grauiſſimo delicto per occaſionem obiter monere libeat, ad inſtructionem Confeſſarij, quo pacto ſe gerere debeat circa maleficum pœnitentem quatuor breuiter proponendo.

4 *Primum eſt*, in maleficio eſſe ſigna euidentiora pacti expreſſi, & expreſſæ Dæmonis inuocationis, ac proinde ſocietatis, & beneuolentiæ erga illum. Nam cùm tota hæc actio malefica, ad deceptiones, impuritates, homicidia, & alias iniurias ordinetur, manifeſtè præ ſe fert diabolicum adiutorium.

5 *Secundum*, huic crimini, in iis quæ ei ſunt adiuncta, ordinariè alia crimina grauiſſima eſſe coniuncta, de quibus à Confeſſario ſunt interrogandi. Primum eſt, Hæreſis; multi enim ex his non credunt Diabolum eſſe damnatum, & miſerum, & ſubiturum pœnas æternas, & eos qui ipſi adhærent eſſe damnandos, aut eum nihil poſſe niſi Dei permiſſu, & ſimilia. Secundum, Apoſtaſia, abnegant enim Chriſtum, & Chriſti fidem, & ſæpe ipſum Deum; renunciant Baptiſmo, & Confirmationi, eáque conantur in ſe quibuſdam cæremoniis extirpare. Tertium, Idololatria; accipiunt enim Diabolum loco Dei, huic Fidem ſpondent, ſe totos dedunt, & mancipant, ſacrificia offerunt, & alios deferunt honores, dato etiam Chirographo, ſuo interdum ſanguine conſignato. Quartum, Blaſphemiæ in Deum, in Chriſti humanitatem, in Beatiſſimam Virginem ſemper benedictam, & Sanctos omnes. Quintum, Sacrilegium; ſæpe enim in ſuis incantationibus vtuntur rebus ſacris, & Sacramentis, & interdum ipſa Sanctiſſima Euchariſtia. Sextum, Luxuriæ, vt nefariæ cum Dæmone commixtiones, & aliæ impuritates ſceleratiſſimæ. Septimum, Iniuſtitia, Damna proximorum, vt homicidia, præſertim infantium, è quorum corpuſculis decoctis conficiunt vnguina, pulueres, & alia magica ſymbola; varios morbos hominibus irrogant, mortes

Digitized by Google

animalium, vaſtationes ſegetum, & ſimilia alia nefanda inuehunt mala: propter quę, meritò malefici, & ſagæ cenſentur eſſe digni pœna mortis.

6 *Tertium eſt*, dictos maleficos operari mira per ſigna ope Dæmonũ; vtuntur enim ſignis, quæ ſunt quaſi cauſæ morales, his enim ex pacto allicitur Dæmon, vt faciat quod magus, vel maleficus petit, & ſic ipſa ſigna facere videntur. Dæmones autem non delectantur ſignis per ſe ſpectatis, ſed quatenus illis honorantur, aut ab eorum inſtituto, ac nutu pendent. Varia autem, ac multiplicia ſunt eiuſmodi ſigna malefica, nempe ligaturæ, nodi, volumina capillorum, & alia ſexcenta ſimilia. Interdum etiam malefici nihil niſi verba Sacra, aut verſiculum aliquem Sacræ Scripturæ adhibent, non ex deuotione, neque eo ſenſu illum proferunt, quo ſacer eſt, ſed animo prauo, dirigendo illum ad Dæmonem, qui etiam in rebus Sacris ſua ſigna inſtituit, vt & homines facilius decipiat, & Deo maiorem contumeliam faciat.

7 *Quartum* denique eſt, quo pacto ſe gerere debeat Confeſſarius cum his hominibus maleficis, vt reſipiſcant. Dico breuiter, primum omnium remedium adhibendum eſſe contra deſperationem, & hæreſim: ſolent enim hi miſeri exiſtimare, nullum ſibi remedium ad æternam ſalutem ſupereſſe, eo quòd iam illi renunciarunt, & ad perpetuam ſubiectionem Dæmoni ſe obligarunt. Tenentur ergo iſti firmiter credere, non ſolùm licitè poſſe, ſed etiam teneri pactum reſcindere, & Dęmoni abrenunciare, & quantum eſt in ſe, omnia ſigna perrumpere, & omninò à prioribus maleficiis, ſeu Magiis abſtinere: nam cùm pactum illud fuerit iniquiſſimum, ac Deo iniurioſum, clarum eſt, eſſe inualidum, ac ſubinde ſeruari non poſſe, ſed omninò debere reſcindi. Deinde tenentur credere, etiam hoc peccatum per pœnitentiam poſſe deleri, ad quam proinde excitandi ſunt, nam hoc remedio omninò reſcinditur prius pactum, ſiue Dæmon Chirographum reddere cogatur, ſiue non; illud enim nihil in fine vitæ nocebit coram Deo, ſi per pœnitentiam ſufficienter deletum ſit, vt conſtat manifeſtè ex generalibus Dei promiſſionibus *Ezechielis* 18. & 33. & ſępe aliàs in Scriptura Sacra, ſine tali exceptione. Prætereà tenentur, per ſe loquendo, ſigna pacti, & ſocietatis cum Dæmone deſtruere, & ſi quis dedit chirographum Dęmoni, debet rumpere illud, ſi ad manus eius perueniat. Et quid mirum? nam ſi debet pœnitere, & reſcindere contractum, debet ergo quoque ſignum eius perrumpere. Ad id obligantur ex Iuſtitia, quia tenentur non inferre damnum proximo. Imò etiam tenentur ſtricto iure ad reſarcienda damna illata, ſi poſſint, & multò magis tenentur ad non inferendum vlterius ſimilia nocumenta: Igitur & ad reſcindendum pactum cum Dæmone, quo mediante, eſt cauſa illius damni; & auferre ſignum, nihil eſt aliud quàm pactum reſſcindere, nec poteſt illud reſcindere alio medio apto, & licito. Quare prudens Confeſſarius rectè coget ad maleficium tollendum, nec abſoluet maleficum pœnitentem, donec illud deſtruat, tum propter obligationem Religionis ad tollendam omnem ſocietatem cum Dæmone, omnéque ſignum eius, quantum in ſe eſt: tum propter obligationem Iuſtitiæ iam declaratam.

8 Eſt verò notandum in prædicta deſtructione maleficij, nullam eſſe communicationem nec ſocietatem cum Dæmone, neque vllam honorationem illius; id enim cùm ſit ab intrinſeco malum, in nullo caſu licitum eſſet. Patet, quia illa deſtructio ſigni potiùs tendit ad deſtruenda vincula impietatis, & ad diſſoluendum pactum, & conſequenter quantum eſt ex ſe, ad tollendam ſocietatem cum Dæmone. Eſt etiam illa deſtructio inuoluntaria ipſi Dæmoni, nam fit illo inuito, & independenter à voluntate eius, vnde nequit eſſe Dæmonis honoratio. Denique per illam deſtructionem, nihil per ſe poſtulatur a Dæmone, ſed ſolùm tollitur efficaciter id, vnde ſolet Dęmon moueri ad operandum malum. Vnde qui ſic deſtruit maleficium, nunquam inuocat Dæmonem, neque excitat illum per actionem, & induſtriam poſitiuam; hoc enim intrinſecè malum eſt, & illicitum: ſolùm ergo intendit negationem illam, ac deſtructionem, quæ bona eſt, & pactum non includit cum Dæmone. Quòd verò, poſtquam deſtructio facta eſt, Dæmon non ſolùm ceſſet à malo, ſed etiam operetur aliquid ad ſalutem reſtituendam maleficiato, id per accidens ſe habet; nam id faciet Dæmon malitiâ ſuâ, & quia vult fidelem ſe alteri oſtendere, non tamen facit prouocatus ab eo qui abſtulit ſignum, qui tunc ſolùm ſe habet vt permittens illam Dæmonis operationem, non vt cooperans ad illam, nec vt rogans aliquo modo, aut honorans Dæmonem, ſed ſolùm vt reſcindens pactum eius, quantum in ſe eſt. Videantur dicta à nobis de hac re in *tractatu de matrimonio diſputatione* 37. *ſectione* 8.

SECTIO II.

An ſit circumſtantia neceſſariò in Confeſſione fatenda, habuiſſe ſocios peccati, nulla tamen intercedente inductione?

AD hanc circumſtantiam, *Quibus auxiliis*, maximè pertinet explicare auxilium, & interuentum alterius hominis ad peccatum. Hoc autem contingere poteſt dupliciter, vel ſine vlla inductione, vel quando intercedit inductio alterius. De primo, dicam *in hac ſectione*; de ſecundo verò *in ſequenti*. Circa primum igitur diſtinguendum eſt duplex genus peccati; vnum eſt, quod per ſe & ex intrinſeca ratione ſui requirit conſortium alterius, vt eſt quælibet fornicatio cum muliere: aliud, cui accidentarium eſt habere conſortium, vt eſt furtum. Certum eſt de hoc ſecundo genere peccati, quando nec fuit inductio, nec petitio ſocij vt iuuaret, non eſſe neceſſarium declarare, an ſolus furatus fuerit, vel habuerit ſocium, vel ſocios, quia hoc non refert ad declarandum peccatum proprium, & per ſe non auget, ſed potiùs minuere poteſt. Difficultas ſolùm eſt de primo genere peccati, cum quis fornicatur etiam cum fœmina, ſeu meretrice in lupanari expoſita; quia pręcedit petitio, & talis mulieris inuitatio, quæ eſt peccatum peculiare, quod non ſufficienter declaratur ſola explicatione peccati proprij fornicationis cum illa. 1

Sotus loquens de meretrice *lib. 6. de iuſtitia, quæſtion. 1. articul. 5. verſic. Hac autem ſpecialis ramo*, tenet petentem corpus ab illa non teneri vltra ſuum fornicationis peccatum, circumſtantiam dictam petitionis fateri. Quia tunc reuera non datur ſcandalum, nec propria, & moralis inductio eſt, cùm ipſa ex ſe, ex ſua propria voluntate, & ſua ſponte expoſita ſit. Idem docet Suarez *diſputat. 22. ſection. 4. numero 18.* loquens de muliere ita parata, vt ſit quaſi in actuali voluntate, vel virtuali peccandi, quia tunc iam non intercedit actiuum ſcandalum, nec eſt propria inductio 2

Digitized by Google

inductio, cum talis mulier ſit etiam ex ſe, & ſua ſponte expoſita. Idem ſentiunt Henriquez *lib. 5. de pœnit. c. 6. n. 7.* Azor. *tom. 2. inſtit. moral. lib. 12. c. 16. q. 5.* & Fagúndez *2. præcepto lib. 4. c. 5. n. 1.* & 2. quia moraliter non cenſetur reſpectu illius cau à peccandi.

3 Contrariam ſententiam defendit Thomas Sanchez *lib. 1. operis moralis, c. 6. n. 14* Et probat *primo*, quia certum eſt eſſe mortalem culpam inductionis ad peccandum, petere à malefico quantumuis parato, vt maleficium maleficio ſoluat; quia maleficus id iuſtè exequi nequit: & quantumuis paratus eſſet, hoc numero peccatum, eo non petente, non perpetraret, & quamuis perpetrandi voluntatem haberet, non exequeretur, niſi ille induceret. At hæc omnia militant in caſu mulieris paratæ, cùm nec poſſet mulier licitè fornicationem a ſe petitam committere, nec exequeretur id numero peccatum, illo non petente.

Secundo, fatetur Suarez *tom. 3. in 3 p. q. 65 art. 4. diſ. 17. ſect. 1. corollario 2.* eſſe mortale peccatum, petere Sacramentum à miniſtro parato exiſtente in mortali, abſque vlla petentis neceſſitate, quia nimirùm offertur ei aliqua materia, ex qua ipſe hìc & nunc occaſionem ſumit peccandi: ſi ergo in re quam alter bene exequi poteſt, & culpâ ſuâ praue exequitur, eſt mortale abſque neceſſitate eam occaſionem peccandi hìc & nunc offerre, multò magis in alia re quam exequi iuſtè non poteſt.

Tertiò, petens à meretrice in lupanari expoſita, vt peccet cum quodam tertio, delinqueret mortaliter peccato inductionis: ergo etiam ſic peccaret, ſi peteret vt ſecum fornicaretur.

Vltimò, petens à paratiſſimo ad vindictam, vt ambo vindictam ſumant, non ſatis fateretur, dicens ſe vindictam ſumpſiſſe, ſed teneretur alterius inductionem exprimere: ergo idem dicendum in præſenti caſu.

4 Dico *primò*, petentem corpus à meretrice in lupanari expoſita, non teneri vltra ſuum fornicationis peccatum, circumſtantiam petitionis fateri in Confeſſione. Ita ſentio cum Soto, Suario, Henriquez, Azor. & Fagundez relatis *n. 2.* Moueor; Tum quia iſta ſimplex petitio non eſt propria, & formalis inductio, nam ipſa iam eſt ita parata, vt ſit quaſi in actuali voluntate, vel ſaltem virtuali intentione peccandi, nec ea petitione excitatur magis ad peccandum; vnde non cenſetur reſpectu illius, cauſa moralis peccandi, cùm ſit iam ex ſe, & ex ſua ſponte ſemper expoſita ad fornicandum: ergo nulla eſt obligatio talem circumſtantiam exprimendi in Confeſſione. Tum etiam quia licèt talis eſſet, certè cùm quis fornicationem propriam fatetur, ſatis explicat ſe eam à prædicta fœmina petiiſſe, cùm id ſemper, ac ordinariè ſic contingat.

5 Dico *ſecundò*, idem dicendum de qualibet alia fornicatione, quæ habeatur cum muliere eodem modo parata ad illam. Patet ob eandem rationem: quia etiam tunc ceſſat circumſtantia inductionis, nec ipſe homo cenſetur reſpectu illius, cauſa moralis peccandi. Atque etiam talis petitio ſufficienter exprimitur Confeſſario, cùm ipſe homo ſuam propriam fornicationem in Confeſſione declarat.

6 Dico *tertiò*, quando mulier non eſt parata, & mouetur viri petitione, teneri virum fateri petitionem. In hoc ſenſu, veram iudico ſententiam Sanchez. Ratio eſt quia eiuſmodi petitio eſt vera & formalis inductio de qua dicemus *ſectione ſequenti*, eſſe ſpecialem circumſtantiam in Confeſſione declarandam; neque ea in ſua fornicatione ſufficienter exprimitur ergo.

7 Dico *vltimò*, ſi quis ita loquatur ſcorto, vt ſolùm videatur interrogare an velit conſentire, in eo caſu teneri ſolùm ſuum fornicationis peccatum fateri, & non aliquid aliud. Id optimè notauit noſter Gregorius de Valentia, *2. 2. diſp. 5. q 21. punct. 4.* ferè in initio. Quia in eo caſu, prædicta verba viri non habent vim petendi, & inducendi: ergo vir non eſt particeps peccati alterius; non enim petit à ſcorto peccatum, ſed ſolùm exponit; quod ipſe pro ſua parte habet in animo facere, ſi mulier velit etiam ex ſua parte facere. Vnde in hoc euentu, nec datur ſcandalum actiuum, nec moralis inductio, cùm ſcortum ex ſe, & ex ſua ſponte ſine vllis precibus viri liberè velit conſentire.

Ad argumenta Sanchez prout noſtræ opponuntur 8
doctrinæ. Ad primum, conceſſo Antecedente, negatur Conſequentia, ſi ipſa meretrix ſit ita parata, vt ſit quaſi in actuali voluntate, vel ſaltem virtuali intentione peccandi; modo explicato in primo, & ſecundo dicto.

Eodem modo reſpondendum eſt ad ſecundum, nam eſt magna diſparitas; non enim ille miniſter eſt ita paratus, ſicut mulier illa, quæ eſt in actuali voluntate, vel ſaltem virtuali peccandi.

Ad tertium, conceditur totum, quando eſt vera & efficax petitio, ac formalis inductio peccandi.

Ad vltimum, dico Antecedens eſſe veriſſimum, quia ibi interuenit vera, & formalis inductio, quæ exprimi debet in Confeſſione, & non exprimitur, ſi ſolùm dicatur ſe vindictam ſumpſiſſe.

SECTIO III.

Vtrùm ſi formalis inductio intercedat, ſit ea circumſtantia in Confeſſione explicanda?

PRocedit quæſtio de inductione, v.g. vel ſollicitudine fœminæ ad turpiter peccandum cum illa. Nec 1
verò eſt quæſtio de ſollicitudine violenta copulam per vim extorquente. Nam conſtat, eiuſmodi inductionem fœminæ, ſi Virgo ſit, habere peculiarem circumſtantiam ſtupri; & ſi virgo non ſit, habere circumſtantiam raptus, & vtramque eſſe in Confeſſione neceſſariò exprimendam. Patet, quia ratio ſtupri conſiſtit in iniuſtitia admiſſa, auferendo violenter à Virgine clauſtrum virgineum. Vnde qui vi cognoſcit virginem, ſupra ſimplicem fornicationem addit ſpecialem malitiam iniuſtę deflorationis; & ideò vtrumque eſt neceſſariò explicandum. Raptus præciſè ſolùm violentiam importat, quando per dolum, aut fraudem, aut per aliud iniuſtitiæ genus fœmina cognoſcitur, non habita ratione ſtatus fœminæ; is enim nihil confert ad rationem raptus præciſè, nam hæc æquè inuenitur, ſiue fœmina ſit virgo, ſiue ſoluta, ſiue coniugata. Difficultas ergo eſt de circumſtantia inductionis, ac ſollicitudinis fœminæ abſque vlla vi, an præciſè talis circumſtantia inducendi ſit explicanda, an vero ſufficiat explicare ſolam fornicationem non explicata inductione?

Vaſquez *tom. 4. de pœnitentia, q. 91. a. 1. dub. 4. n. 7* 2
cenſet, cùm quis mulierem inuitat ad fornicandum, non eſſe hanc circumſtantiam in Confeſſione neceſſariò declarandã. Tum quia exiſtimat, non eſſe circumſtantiam ſpecialem. Tum quia inuitare ad peccãdum, etiamſi ipſa parata non eſſet, non eſt aliud quàm inuitare ad eundẽ actum, & peccatum cum illa, nec ex eo peccat quia illã ſpiritualiter occidat, ſed quia participat in ſuo peccato, in quo participaret, etiamſi illa eſſet parata, nec eam inuitaret,

inuitaret. Quod verò addit ſollicitationem, quæ de ſe eſſet peccatum eiuſdem ſpeciei, etiamſi non ſequeretur effectus, parum ait Vaſquez referre, quia in genere moris vna malitia, & vnum omninò peccatum exiſtimatur, quia ordinatur ad actum ipſum fornicationis. Vnde *dicto dubio* 4. *num.* 3. ſimiliter dixit, ſi aliquis opere ſuo incitaret alium exemplo ſuo ad ſimilem ſpeciem peccati, ſecus ſi ad diuerſam; ſic enim eſſet in diuerſa alia ſpecie. Addit, ſi aliquis non tantùm vellet fornicari, aut furari, & illud quæreret; ſed etiam alios incitaret verbo ad idem, eſſet iam duplex peccatum, quia inuitare ad illud, non ordinatur ad actum ſui peccati; ſicut cùm aliquis inuitat mulierem ad fornicationem quàm deſiderat.

Hæc ſententia Vaſquez placet noſtro Cardinali de Lugo *diſp.* 16. *ſect.* 4. *num.* 142. dicenti quoque, non eſſe explicandam illam circumſtantiam, quia illa malitia habetur, licèt non ita grauis, quando aliquis non ſollicitat; adhuc enim participat cum illa in ſuo peccato, & eſt cauſa cooperans ad eius ruinam: quare ſolùm videtur aggrauari magis hæc malitia intra eandem ſpeciem, quando aliquis poſitiuè inuitat, & ſollicitat. Vnde infert Cardinalis Lugo, idem dicendum eſſe pro illis etiam, qui in Miſſa diebus feſtis diſtrahuntur voluntariè colloquiis, & confabulationibus. Non enim interrogandi ſunt in Confeſſione, an ipſi prouocauerint ſocios ad colloquendum, vel non; cùm vtrouis modo cooperati ſint ad peccatum aliorum.

3 Ego verò verius iudico, circumſtantiam inductionis, ac ſollicitationis fœminæ ad fornicandum, quando ipſa parata non eſt, eſſe in Confeſſione explicandam. Moueor ex doctrina communi, quam etiam ſequitur Cardinalis de Lugo *diſput.* 16. *ſect.* 4. *num.* 157. & nos etiam ſecuti ſumus ſupra *diſput.* 29. *ſect.* 8. ſemper explicandam eſſe in Confeſſione circumſtantiam ſcandali actiui, quia ſemper affert nouam ſpeciem peccati contra charitatem proximi. At inductio ad fornicandum, quando fœmina parata non eſt, cauſa eſt moralis talis peccati ac ruinæ ſpiritualis ipſius, atque ideò habet rationem ſcandali actiui contra Charitatem proximi: igitur fatenda eſt. Nec videtur eſſe ſufficiens ratio, quòd non ſit fatenda, quia inuitare ipſam ad fornicandum, eſt eam inuitare ad eundem actum malum, & peccatum cum illa; atque ideò ſolùm peccat, quia participat in ſuo peccato, in quo participaret, etiamſi ipſa eſſet parata, nec eam inuitaret. Non, inquam, eſt ſufficiens ratio, nam licèt inductor inuitet fœminam ad peccatum, in quo ipſe particeps ſit, verè tamen inducit ipſam, vt fornicetur, & directè intendit illius ruinam ſpiritualem, & ipſa inducta ab ipſo verè peccat, & fornicatur cum ipſo: ergo peccat inductor peccato ſcandali contra Charitatem proximi; ergo id quoque debet fateri in Confeſſione. Firmo, nam ſi aliquis inuitaret mulierem ad fornicandum cum alio viro, verè peccaret peccato ſcandali, quia eſſet cauſa moralis ruinæ ſpiritualis mulieris, & peccaret contra Charitatem proximi: ergo ſimiliter peccat peccato ſcandali, tametſi inducat mulierem ad fornicandum cum ipſo. Patet Conſequentia, quia tametſi, provt cooperatur eidem peccato, peccet tantùm contra Caſtitatem; tamen provt inuitat, & mouet moraliter ad peccatum mortale, & ad ruinam ſpiritualem ipſius, provt eſt contra Charitatem ipſi debitam, peccat peccato ſcandali. Quare ſicut qui ex induſtria inuitat & offert filiis ſuis vel famulis occaſiones furandi, ſi id præſtat abſque iuſta cauſa, & non ob remedium ipſorum, peccat peccato ſcandali, vt cum communiori ſententia fatetur Sanchez *lib.* 10. *de matrimonio, diſputatione* 12. *numero* 52. & 53. Qui etiam abſque vlla cauſa inducit vſurarium ad mutuandum cum vſuris, peccat peccato ſcandali actiui, & contrahit malitiam ex illa circumſtantia, vt fatetur etiam idem Sanchez *lib.* 3. *Decalogi, cap.* 8. *numero* 11. & *ſequentibus*, quia, inquit, præceptum Charitatis vitandæ occaſionis illius ruinæ ſpiritualis proximi ſtrictè obligat, quando nulla vrget iuſta neceſſitas, vel vtilitas; ita a fortiori in præſenti caſu, ille qui inuitat fœminam ad fornicationem, quæ eſt intrinſecè adeò mala, vt nunquam liceat ad eam inducere, etiamſi inductor participet cum illa in eo peccato nihilominùs quatenus inductor eſt, peccat peccato ſcandali contra Charitatem proximi.

Ad doctrinam Vaſquez dicendum eſt, illam circumſtantiam eſſe ſpecialem modo explicato, loco ſuprà citato *diſputatione* 29. *ſectione* 8. & ibi reperiri, peccatum ſcandali in Confeſſione explicandum, quia ſemper inductio directa ad fornicandum, affert nouam ſpeciem peccati diuerſam à peccato fornicationis; nam hoc opponitur Temperantiæ, vel Caſtitati: illud verò immediatè opponitur Charitati proximi. 4

Ad Cardinalem Lugo ſimiliter dicendum eſt, illam malitiam inductionis eſſe grauem, & diuerſæ ſpeciei à fornicatione ipſa, quia eſt immediatè oppoſita Charitati proximi. Vnde quando aliquis poſitiuè & directè inuitat, & ſollicitat, non aggrauat magis fornicationem intra eandem ſpeciem, ſed nouam committit malitiam ſpecie diuerſam contra Charitatem proximi.

Ad illud quod infertur, de illis qui in Miſſa diebus feſtis voluntariè diſtrahuntur ſuis colloquiis, & confabulationibus, non eſſe interrogandos in Confeſſione, an ipſi prouocauerint ſocios ad colloquendum, vel non. Dico id me non negare, non ob eam rationem, quia vtrouis modo cooperantur ad peccatum aliorum; ſed quia in praxi, & moraliter loquendo, ibi non eſt formalis, & directa inductio, ſed ſimultanea quædam collocutio, & confabulatio: eſt etiam alia ratio, quia communiter ex quadam ignorantia inuincibili, & naturali inaduertentia non ſeſe illis offert, illum modum prouocationis, ſi quæ ſit, eſſe diſtinctam malitiam ab ipſa voluntaria diſtractione Miſſæ. 5

Cùm conſtet ex dictis explicari debere circumſtantiam inductionis alterius ad peccatum, inde oriri poteſt dubitatio, quid facere teneatur inductor, quando induxit plures perſonas, & vſus eſt opera ipſarum ad idem peccatum, verbi gratia, ad furtum; tenetúrne explicare diſtinctè numerum determinatum perſonarum, an verò ſufficiat, ſi dicat ſe induxiſſe plures perſonas, & earum opera vſum fuiſſe ad furandum, ſub hac generalitate? *Reſpondeo* ſufficere, ſi dicat induxiſſe, & vſum fuiſſe plurium perſonarum operâ, manifeſtando numerum non determinatum, ſed ſub aliqua generalitate confuſa ſignificante pluralitatem, eodem prorſus modo, quo idem diximus *diſput.* 29. *ſect.* 8. *num.* 4. & 5. de ſcandalizante plures perſonas ſuo peccato ſcandali actiui: eſt enim eadem prorſus ratio in vtroque caſu. Vnde ſimiliter idem dicendum eſt, etiam quoad qualitatem, & conditionem perſonarum quæ fuerunt inductæ; debet enim inductor explicare conditionem, ac ſtatum ipſarum, eo modo quo idem dixi *ſectione* 8. *citata, numero* 7. de ipſo ſcandalizante. 6

***

ECTIO

Digitized by Google

SECTIO IV.

An auxilium Dæmonis ad aliquod maleficium ſit in Confeſſione aperiendum?

1 AD ipſam circumſtantiam, *Quibus auxiliis*, pertinet quoque auxilium Dæmonis, quod aliquis ſuperſtitiosè quærit, & procurat ad aliquem turpem finem conſequendum.

Ad quod explicandum breuiter ſuppono *primò*, ſuperſtitionem ratione rei cultæ, eſſe cultum Dæmonum. Quæ diuidi ſolet in quatuor ſpecies, in Idololatriã, Diuinationem, Obſeruationem vanam, & Magiam. Vel enim colitur diabolus, vt honoretur tanquam numen, & hæc eſt Idololatria; vel vt aliquid occultum reueler, & ſic eſt Diuinatio; vel vt iuuet, & dirigat in operando, & ſic eſt ſuperſtitio vanarum obſeruationum, quæ ſic dicuntur, cùm aliqua fiunt vel adhibentur ad aliquem effectum, ad quem nec à Deo, nec à natura vim habet, in quibus ſaltem tacitè inuocatur diabolus, eique attribuitur opus. Vel denique colitur dæmon, quando ope ipſius mira quædam & inſolita fiunt ab hominibus, ad aliquã noxam alteri inferendam, & eſt magia, quæ proprie dicitur maleficium, aut veneficium. Quod vere diſtinguitur à vanis obſeruationibus, tanquam aliquid deterius.

2 Suppono *ſecundò*, in hac quarta ſpecie Magię, quam Maleficium appellauimus, certiora & euidentiora eſſe indicia ſocietatis, & pacti cum Dæmone. Cùm enim tota hæc actio malefica ad deceptiones, impuritates, & iniurias ordinetur, præſefert diabolicum adiutorium: vnde in ſignis ipſis nihil conſpicitur, quod nõ oſtendat vanitatem, irreligioſitatem, manifeſtam iniuſtitiam, & ſæpiſſimè apertam idololatriam.

3 Suppono *tertiò*, Maleficium eſſe peccatum grauiſſimum, nam præter expreſſam Dæmonis inuocationem, quam continet, ac proinde ſocietatem & beneuolentiam erga illum, illi adiunguntur alia crimina grauiſſima, quæ ſuprà enumerauimus *ſectione prima numero* 4.

4 His præmiſſis, vt certiſſimum dicendum eſt, prædictum adiutorium Dæmonis à malefico inuocatum & imploratum cum reliquis malitiis, & criminibus ſpecie diſtinctis, illi adiunctis, eſſe in Cõfeſſione aperiendum. Quia continet grauiſſima delicta, & quamplurimas malitias ſpecie diuerſas in Confeſſione neceſſariò declarandas.

5 Vnde colligo *primò* cùm in ipſis maleficiis committi ſoleant grauiſſimæ iniuſtitiæ contra ſalutem, & vitam hominum, & alia temporalia damna eis faciendo, vel occidendo animalia, ſegetes deſtruendo, & ſimilia, ipſos maleficos, qui eas committunt, & faciunt operã Dæmonis, ad reſtitutionem obligari. Ratio eſt, quia qui cauſã damni dat, damnum feciſſe cenſetur; ſed iſti malefici, ſeu venefici ſunt cauſa horum nocumentorum, tametſi operã dæmonis tanquam miniſtri vtantur: ergo tenentur reſtituere. Sicut qui per Aſſaſinos alium occidit, vel eius res dilapidat, tenetur ad reſtitutionem. Firmo nam maleficus aliquando proximè cooperatur, moraliter loquendo, ad hæc damna; nam adhibet ſigna, quibus poſitis, dæmon infert nocumentum, alias nõ illaturus. Vnde tametſi dæmon ſit, qui maleficum conducit ad maleficium faciẽdum, mediante pacto cum illo inito; ipſe tamen maleficus eſt veluti inſtrumentum dæmonis ad illud damnum perpetrandum, nam eſt veluti cauſa moralis exhibens ſignum, ſine quo dæmon non operaretur ergo proculdubio tenetur ad reſtitutionem omnium damnorum.

Hinc colligo *ſecundò*, hanc obligationem non extingui, etiamſi maleficus corporaliter puniatur: nam per illam pœnam ſatisfit Reipublicæ, & Iuſtitiæ legali, non parti læſę; nec Iuſtitiæ Cõmutatiuæ. Et ideò ſi talis maleficus bona reliquit, quæ ad hæredes tranſierunt, illi tenentur ad reſtitutionem, iuxta *c. in literis, de Raptoribus &c. & c. vlt. de ſepult.* Si verò ad fiſcum peruenerunt, fiſcus tenetur prius damna illata reſtituere, iuxta *leg. Nõ poſſum, & leg. in ſumma, ff. de iure fiſci.* Vbi optima redditur ratio, quia quæ æri alieno obnoxia ſunt, in bonis defuncti non computantur. Verum hæc aliis etiam debitis communia ſunt: ſolùm aduertere voluimus, nihil eſſe in hoc delicto ſpeciale, quod hos maleficos, vel bona eorum excuſet ab hoc debito. Solùm notandum, excuſari maleficos à reſtitutione pro damno præciſè vitæ, vel mẽbri, vel cicatricis, ſicut & alios homicidas, & percuſſores. Quia pro his nihil debetur, eo quòd naturâ ſuâ ſint ſupra omne pretium pecuniarium, & humanũ, ſicut & bona ſpiritualia, ac proinde nequeunt conferri cum iis rebus quæ in humanos contractus veniunt. Vnde nec hæredes malefici homicidæ, qui ſuccedunt in illius obligationes; ſicut in iura, nõ tenentur compenſare damnum vitæ, quia eſt damnum ſuâ naturâ irreparabile; at vbi damnum naturâ ſuâ irreparabile eſt, non debetur reſtitutio lege Iuſtitiæ. 6

Colligo *vltimo*, meritò prædictos maleficos grauiter puniri à Iudicibus. Et quamuis propter hoc crimen præciſè, maleficij nulla cenſura excommunicationis impoſita ſit, ipſo facto incurrenda; quia tamen ſæpiſſimè illud exercetur cum aperta hęreſi, ratione hęreſis, incurrit excommunicationem ipſo facto, & alias pœnas. Aduertit autem benè Suarez *tom. 1. de religione, tract. 3. lib. 2. c. 19. n. 8.* cùm pœnæ hæreticorum tunc incurrantur, quãdo interna hæreſis exteriùs manifeſtatur, etiamſi occultiſſimè id fiat; ad incurrendas illas pœnas in hoc caſu ſatis eſſe, aliquam actionem huius artis maleficæ exteriùs exercere ex falſo errore, vel circa poteſtatẽ Dæmonis, vel circa eius malitiam, & damnationem, vel aliquid ſimile Fidei dogmatibus contrarium. Nã inuocatio Dęmonis ex tali credulitate, vel alia ſimilis actio, eſt ſufficiens manifeſtatio externa interioris hæreſis, & licèt occultè, vel cum ſolo Dæmone fiat, ſufficit ad cenſurã excommunicationis incurrendam, vt ex generali doctrina de Cẽſuris, & de hæreſi manifeſtè conſtat. Omiſſa culpa hæreſis, crimẽ maleficij punitur grauiter; ſi delinquẽs ſit Clericus, ordinariè punitur aliqua ſuſpenſione, & pœna detruſionis in Monaſterio: ſi laicus ſit, ſolet mitra infami catamidiatus publicè verberari; vel etiam in ſcala nudus, & melle vnctus publicè collocari. Quãdo verò huiuſmodi rei non ſolũ cõuincuntur eſſe hæretici relapſi, ſed etiam quando crimina ſunt atrocia, & habẽt adiuncta alia morte digna, remittuntur brachio ſæculari, & pœna capitali damnantur, & puniuntur. 7

DISPVTATIO XXXII.

De Quinta Circumſtantia, Cur, *ſeu fine, quãdo debeat in Confeſſione explicari?*

CIrcumſtantia, *Cur*, id eſt ob quem finem, vel rationem pœnitens peccatum commiſerit, non ſumitur hic pro omnibus cauſis peccati,

ti, ſed ſolùm pro immediata cauſa finali, quam intellectus cognoſcit, & proponit voluntati, vt motiuum ad peccandum; éſtque illud quo immediatè reſpondere ſolemus interroganti, cur hoc fecerimus. Finis etiam ſumitur vt eſt circumſtantia; non eſt verò talis, niſi quando eſt finis extrinſecus: nam quando eſt intrinſecus, eſt potius obiectum. Includit autem huiuſmodi circumſtantia non ſolùm intentionem finis, propter quē operamur, ſed etiam electionem medij, & de vtroque videndum in hac Diſputatione, quando pœnitens teneatur vnum & aliud in Confeſſione explicare?

SECTIO PRIMA.

An quando aliquis peccat ex motiuo confidentiæ veniæ, & Iubilæi, debeat in Confeſſione explicare circumſtantiam confidentiæ?

1 CErtum eſt *primò*, debere explicari finem, qui de ſe habet malitiam grauem, tametſi medium nullam habet, vt cùm quis ſtudet propter finem fornicandi, vel furandi. Et de hoc non eſt præſens dubium, quia tunc malitia fornicationis, vel furti, non eſt circumſtantia, cùm non ſupponat obiectum malum, ſed eſt totum obiectum tribuens primam malitiam peccati. Idem eſt, ſi quis eat in agrum ad occidendum inimicum; tunc enim malitia homicidij etiam eſt prima peccati malitia.

Certum eſt *ſecundò*, hanc circumſtantiam extrinſecam finis tunc neceſſe eſſe confiteri, quando quis peccando intendit finem aliquem, qui continet malitiam mortalem diſtinctam à malitia medij, vt ſi quis furetur, vt poſſit ſe inebriare, aut occidat propter mœchiam. Vnde ſi quis præbeat eleemoſynam propter inanem gloriam; hæc circumſtantia finis, cùm non contineat malitiam mortalem, non eſt neceſſariò confitenda. Idem nunc quærimus, an ſit confitendus alius extrinſecus finis nempe confidentiæ miſericordiæ Dei, & Iubilæi, vel Bullæ Cruciatæ, ſeu alterius priuilegij, quando eius ſpe peccatur.

2 Circa primum, verius mihi videtur, quando quis peccat ex miſericordiæ Dei confidentia, confidēdo ſcilicet, quòd remittetur ſibi peccatum quod committit, non teneri hanc circumſtantiam confidentiæ, & ſpei veniæ explicare. Ita Caiet. 2.2. *q.*21.*art.*2. Nauarrus *in ſumma cap.* 6. *num* 4. Viualdus *de abſolutione num.*4. & alij. Ratio eſt, quia prædicta circumſtantia non mutat ſpeciem peccati. Imò nec aggrauare, ſed peccatum minuere docet expreſsè D. Thom. *dicta quæſt.* 21. *artic.* 2. *ad* 3. ſic dicens: *Peccare cum propoſito perſeuerandi in peccato ſub ſpe veniæ, ad præſumptionem pertinet. Et hoc non diminuit, ſed auget peccatum. Peccare autem ſub ſpe veniæ quandoque percipiendæ, cum propoſito abſtinendi à peccato & pœnitendi de peccato, hoc non eſt præſumptionis, ſed hoc peccatum diminuit; quia per hoc, videtur habere voluntatem minus firmandam ad peccandum.* Hæc D. Thomas ſuper verba dicta aduertit Caietanus ibi, eſſe vulgarem errorem putantium, quòd peccans ſub prætextu, quòd poſtea confitebitur, & faciet pœnitentiam; peius faciat. Habes enim hinc quod diminuit, non aggrauat peccatum; eſt enim voluntatis tranſitoriæ, & non pertinacis in malo.

3 Placet in hac re, quod rectè notauit Cardinalis de Lugo *diſput.*16. *ſect.* 11. *num.* 496. dicens, confidentiam hanc tripliciter poſſe contingere. *Primò*, ſi quis ſperet, quòd etiam ſine pœnitentia propria, Deus illi remittet peccata: & hæc quidem eſſet præſumptio hæretica, & neceſſariò confitenda. Verum hoc ferè nunquam, aut rariſſimè contingit in hominibus fidelibus. *Secundò*, ſi quis peccaret cum propoſito agendi pœnitentiam citò, & cū ſpe obtinendi veniam. Et de hac circumſtantia rectè dixit D. Thomas, & Caietanus non eſſe circumſtantiam aggrauantem, ſed potiùs minuentem peccatum, quia arguit voluntatem minùs firmam in malo. *Tertiò*, ſi quis peccat cum propoſito perſeuerandi in peccato, ſed cum ſpe veniæ; & hæc videtur eſſe præſumptio, aggrauans quidem, ſed non mutans ſpeciem peccati, & ideò nec circumſtantia explicanda.

Circa ſecundum, de alia confidentia, vel Iubilæi, vel 4
Bullæ Cruciatæ, ſimiliter dico non eſſe explicandam in Confeſſione, quia nec mutat ſpeciem peccati, & quia non multùm variat iudicium Confeſſoris.

Obiicies, ſi quis ex confidentia Iubilæi committit peccatum reſeruatum, quod non eſſet commiſſurus, niſi daretur Iubilæum, non poteſt abſolui ab illo per ipſum Iubilæum: & idem eſt de eo, qui ex confidentia Bullæ Cruciatæ, vel alterius priuilegij, faciliùs committit caſum reſeruatum, quia eſt doctrina Couarruuiæ *libr.* 2. *var. cap.* 20. *num.* 18. & aliorum Canoniſtarum, quòd priuilegium mereatur amittere, qui peccat ſpe illius. Vnde hac de cauſa, qui in vna Eccleſia delinquit, ſpe priuilegij immunitatis alterius, amittit ipſam immunitatem, & priuilegium illius. *Reſpondeo*, negando Antecedens, quia priuilegium tantùm valet, quantùm ſonat; & Indulgentiæ ſunt latiſſime interpretandæ: ideò enim Indulgentiæ dicuntur, quia omnibus indulgent omnia, præter reſeruatos caſus in ea Indulgentia; atque adeò cum eiuſmodi caſus confidentiæ in eo priuilegio, & Iubilæo non excipiatur, neceſſariò dicendum eſt, gaudere prædicta Indulgentia, & Iubilæo. Illud verò dictum, Quod priuilegium mereatur amittere, qui peccat ſpe illius; intelligendum eſt, quando ita exprimitur in priuilegio, in Bulla, vel indulto, aliàs non. Ad illud, quod dicitur, non gaudere immunitate eum, qui committit delictum in vna Eccleſia, ſpe immunitatis alterius, non eſt vniuerſaliter verum, quia delinquens in loco ſacro, gaudet immunitate alterius loci ſacri; in omnibus caſibus, in quibus gaudet immunitatē, ſiue delinquat ſpe immunitatis illius, ſiue non. Quia ſummus Pontifex *in cap. vltimo, de immunitate Eccleſiæ*, quando excipit aliquos delinquentes ab huiuſmodi immunitate, non fundatur in ſpe, ſed in qualitate delicti. Vnde ſiue committant illud in Eccleſia, ſiue ſpe defenſionis illius, ſiue non; ſi tamen delictum fuerit ex conditione illorum, quorum patratores gaudent hac immunitate, illâ gaudebunt; & ita in vſu, & conſuetudine receptum eſt, quia vſus etiam ita legem illam exponit, vt rectè notauit Suarez *tom.* 1. *de Religione, lib.* 3. *cap.* 11. *num.* 6. & Fagundez 2. *precepto, lib.* 4. *cap.* 4. *num.* 45.

SECTIO II.

An in peccato inobedientiæ propter contemptum, circumſtantia contemptus ſit in Confeſſione exprimenda?

SOlet aliquando peccato inobedientiæ adiungi finis 1
extrinſecus contemptus. Ratio autem dubij eſt, quia communiter Doctores cum D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 186. *art.* 9. *ad* 3 dicunt eiuſmodi contemptum eſſe peccatum mortale in Confeſſione declarandum, quia ſentiunt tranſgreſſionem legis humanæ in materia minima, quę ſolùm ex parte obiecti venialis eſt, eſſe mortalem, ſi fiat

ex

Digitized by Google

ex contemptu. Ex quo manifeſtè ſequitur, contemptum ipſum ſemper eſſe peccatũ mortale, quia, Propter quod vnũquodq; tale, & illud magis: ergo ſi tranſgreſſio præcepti leuis, ſeu in materia leui, eſt ſemper mortalis, ratione contemptus, multò magis ipſe contemptus erit ſemper crimen mortale. Ex alio verò capite, id non videtur admittendum: nam ſi quis mendacium proferat ex contemptu quodam, quia pro nihilo reputat illam inordinationem, non ideò peccat mortaliter, quia in illo contemptu non apparet tam grauis deordinatio. Si quis etiam proximo dicat leue conuicium, ex contemptu eius non ideò ſtatim peccat mortaliter, quia tota illa actio cum illa formalitate contemptus, non tranſcendit rationem iniuriæ quæ in illa materia leuis eſt; Igitur ſimili modo, ſi quis nolit obedire Prælato in re minima, ſolum vt oſtendat, ſe parui pendere illum, non videtur peccare mortaliter, quia tota illa poteſt eſſe leuis iniuria.

2 Pro explicatione obſeruandum eſt *primò*, contemptũ vitioſum, de quo modo ſolùm eſt quæſtio, eſſe poſſe in intellectu, & in affectu interno volũtatis, & in opere externo, ſeu omiſſione. Contemptus qui eſt in intellectu, conſiſtit in iudicio, quo res aliqua, vel perſona in minori æſtimatione habetur, quam par ſit, ac dignitati eius habeatur: in affectu voluntatis contemptus eſt, velle habere hanc vilem æſtimationem de alio, ac velle illam verbo, aut opere oſtẽdere, & in aliis generare: denique in opere contemptus eſt, quidquid exterius fit, intentione deſpiciendi alium, vt ab aliis parui æſtimetur, vel vt operans oſtendat ſe pro nihilo illum æſtimare.

3 *Secundò* eſt obſeruandum, Prælatum præcipientem, ſumi poſſe vel formaliter, quatenus Prælatus, vel ſuperior eſt, vel quatenus quidam homo eſt ignobilis, imprudens; ſimiliter contemptus illius duplex eſſe poteſt; aut enim eſt contemptus præcipientis, vt Prælatus eſt, aut ipſius, vt talis homo eſt.

4 His præmiſſis. Dico *primò*, certum eſſe, tranſgredi legem ex contemptu Dei legiſlatoris, ſemper eſſe peccatum mortale in Confeſſione declarandum. Patet, quia eſt magna irreuerentia directè intendere contemptum Dei, ſeu quocumque ſigno externo, oſtendere indignã de Deo æſtimationem. Vnde licet talis tranſgreſſio ſit in ſe, ex parte obiecti quid minimum; imò licet per ſe non ſit culpa, ſed alicuius cõſilij omiſſio, nihilominùs in ratione ſigni imperati ab interno contemptu, habet grauem inordinationem, ac irreuerentiam contra Religionem.

Dico *ſecundò*, tranſgredi legem humanam ex contẽptu formali legiſlatoris humani, quatenus quidã homo eſt, & habet aliquem defectum ignobilis, vel imprudẽtis, ſic poſſe eſſe veniale peccatum ex leuitate materię. Ratio eſt, quia tunc non contemnitur eius poteſtas, ſed circa perſonam eius quædam animi amaritudo oſtẽditur. Cauendum tamen eſt, ne talis contemptus, & modus reſiſtẽdi præcepto Superioris ex indignatione aliqua, vel interiori deſpectu perſonę illius, redundet in contẽptum poteſtatis illius etiam circa minima, quia tunc iam erit contemptus formalis Prælati vt ſic, & peccatum mortale, vt ſtatim dicam.

5 Dico *tertiò* tranſgredi legem etiam minimam, ac leuiſſimam ex contemptu formali Superioris, vel Prælati, quatenus Prælatus eſt, & à Deo habet authoritatem ſemper eſſe peccatum mortale, & in Confeſſione fatẽdum: Ita ſentiunt communiter omnes Doctores, & defendunt Sanchez *lib. 1. Decalogi, c. 5. n. 13.* Leſſius *de iuſtitia, c. 46 n. 45. & 46.* & Suarez *tom. 3. de religione, lib. 10. c. 6. n. 7.* Ratio eſt, quia illud eſt contemnere poteſtatem Prælati; at tunc contemnitur, quatenus repræſentat Deum, & vices eius gerit: vnde talis contemptus redundat in contemptum Dei iuxta illa verba Christi domini *Lucæ 10. Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit.* Vnde in hoc ſenſu intelligendus eſt D. Bernardus *lib. 1. de præcept. & diſpenſ.* cùm dixit, nolle obedire, eſſe intolerabilem blaſphemiam. Et etiã cùm dixit: *Siue Deus, ſiue homo mandatum quodcumque tradiderit, pari profectò obſequendum eſt cura, pari reuerentia deferendum.* Firmatur, nam per talem contemptum, verè agitur cõtra ius Pręlati vt ſic, & quantũ eſt ex parte cõtemnentis, infertur illi iniuria, vel nocumentum etiam, quoniam vnuſquiſque habet ius, vt in æſtimatione debita habeatur, vt conuenienter ad illam tractetur; nam hoc ad honorem, vel cultum vnicuique debitum neceſſarium eſt: atque inter homines magnam habet vtilitatem, ideóque huiuſmodi contemptus magna iniuria reputatur: ergo ſemper eſt peccatum mortale.

Ex his colligo *primò*, tranſgreſſionem exterioris legis in lege minima, tunc eſſe ex dicto contemptu formali, quando oritur ex imperio contemptus interioris, ita vt illa exterior tranſgreſſio ex vi talis imperij fiat quidam contemptus exterior. Nam, vt conſtat, actus exterior accipit malitiam formalem, & præſertim extrinſecam, & accidentalem ab actu interiori: ergo cùm tranſgreſſio legis in re minima, neque in actu exteriori, neque in voluntate, quæ illum reſpicit vt obiectum, habeat de ſe malitiam mortalem, ſi ex contemptu illam recipit, ideò eſt, quia imperatur ab aliquo interiori actu habente malitiam mortalem; qui actus eſt & appellatur contemptus; & ideò tranſgreſſio illa dicitur eſſe ex contemptu. 6

Colligo *ſecundò*, malitiam mortalem, quam habet leuis tranſgreſſio ex contemptu, eſſe diuerſæ ſpecie ab ab ea quæ eſt ab obiecto, vel ab ea quæ habetur ſine contemptu. Patet, quia illa circumſtantia eſt alterius ſpecie, & contra aliam virtutem, nempe contra obſeruantiam, & reuerentiam Prælato vt ſic debitam. Adde malitiam illam grauem ex contemptu addi actioni, etiamſi ex obiecto mala non ſit, vt patet in omiſſione conſilij; ſignum igitur eſt, addere malitiam ſpecie diſtinctam, & conſequenter in Confeſſione aperiendam. 7

Ex his conſtat ſolutio ad rationem dubij initio Sectionis adductam. Prima illius pars firmat benè noſtrũ tertium Dictum. Secũda verò pars, illis exemplis ſolùm probat ſecundum Dictum. Vnde ſi quis nolit obedire Prælato in re minima parui pendendo illum, quia eſt infimæ ſortis, vel imprudens; dummodò ſeruet illi obedientiam reſpectu præceptorum maioris momenti, poteſt venialiter ſolùm peccare; cæterùm, ſi illum parui pendat abſolutè vt Prælatus eſt, grauiter delinquere neceſſe eſt, quia illa malitia grauis eſt, quoniam per talem contemptum, agit contra ius Prælati, vt nimirùm in æſtimatione debita Prælati habeatur, & ei debitus honor deferatur; id autem contemnere, grauis iniuria eſt, ac proinde peccatum mortale eſt.

SECTIO III.

An circumſtantia finis mali poſſit ſeorſim explicari in Confeſſione?

Certum eſt apud omnes, ſi contingat, vt ad peccandum concurrant ſimul duo actus mali, habentes 1 diuerſas

diuerſas ſpecie malitias, ſcilicet intentio finis,& electio medij,reſpectu cuius ille finis dicitur eſſe circumſtantia, vt cùm quis furatur propter mœchiam, debere vtrumque peccatum explicari in Confeſſione,quia vtrumque eſt materia neceſſaria Confeſſionis. Solùm igitur eſt difficultas,an circumſtantia finis mali poſſit ſeorſim explicari,vt v.g. furatus es propter mœchiam,& confeſſus es furtum,oblitus deſiderij mœchandi,quæritur an poſſis in alia Confeſſione confiteri hoc deſiderium mœchiæ abſque illo furto.

2 Negant Syluester *verbo,Confeſſio* 1.*art*.10.Nugnus *in addit.ad* 3.*p.q.*9.*a*.2.*dub*.3.& alij.Probari poteſt *primò*,quia ſi quis Confeſſus eſt decem peccata copulæ illicitæ,partim cum ſolutis,partim cum nuptis,& oblitus ſit circumſtantiæ violentiæ, non ſatisfacit, poſteà explicando ſolam circumſtantiam violentiæ: ergo ſimiliter in præſenti,explicato iam furto, non ſatisfit poſteà explicando ſolam circumſtantiam mœchiæ.

Secundò, ſi id eſſet verum, ſequeretur,quòd non ſolùm in ſequenti Confeſſione, ſed in eadem, poſſe aliquem diuidere circumſtantiam mœchiæ, eámque ſeorſim confiteri,ſi v.g.priùs accuſet ſe de furto,poſteà verò ſe accuſet de mœchia.

Tertiò, niſi vtraque malitia ſimul explicetur, neutra ſufficienter explicatur. Probatur, quia licèt ſint verè duæ malitiæ ſpecie diſtinctæ,ſingulæ tamen ex conſortio alterius augentur in proprio genere. Patet, quia quò magis liber eſt actus,cæteris paribus,eò grauior eſt eius malitia, cum potuerit faciliùs relinqui; ſed quando cum furto apparet ſimul mœchia, reddit magis difficilem affectum furti, cùm ſint iam plura quæ inclinant ad illud fugiendum: ergo ipſemet affectus furti liberior eſt, & grauioris malitiæ intra proprium genus; quæ tamen maior grauitas non explicatur, dum omittitur circumſtantia mœchiæ:

Vltimò, ſi duplex illa malitia diuidi poteſt, poterit etiam pœnitens, qui ſe accuſauit de furto decem nummorum aureorum, ſi poſtea recordetur, fuiſſe viginti, poterit in Confeſſione ſequenti confiteri, quòd furatus fuerit decem: nam hoc ſolùm reſtabat confitendum; & iam in vtraque Confeſſione explicata manet tota illius malitia peccati.

Contrariam ſententiam affirmantem iudico veriorem, quam tenent Angelus *verbo Interrogatio*, §. 6. Nauarrus *in Manuali*, *cap*. 6. *num*. 2. Diana *tom*. 1. *tract. de circumſtantiis reſolut*. 23. Cardinalis Lugo *diſput*.16.*ſect*.16.*num*.661. & alij. Quam *ſequentibus Dictis* magis diſtinctè declaro.

3 Dico itaque *primò*, certum eſſe in exemplo allato de eo,qui furatur propter mœchiam, ſi in Confeſſione confeſſus eſt furtum, & oblitus eſt circumſtantiæ mœchiæ, teneri poſteà illam confiteri. Patet. Tum quia non expleuit obligationem ſuam, ſed tantùm excuſatus eſt: ergo ſemper manet eadem obligatio. Tum etiam, quia ſpecialis malitia ſumpta ex illa circumſtantia, non fuit per ſe remiſſa per illam abſolutionem, ſed tantum per accidens: ergo ſubiici debet Clauibus, vt per ſe remittatur. Tum denique, quia eſt regula generalis, & omninò vera, quoties aliquid per ſe eſt de neceſſitate, vel integritate Confeſſionis,ſi ex obliuione,vel alia legitima cauſa omittitur,in alia Confeſſione, ſi fieri poſſit,explicandum eſſe.

4 Dico *ſecundò*, poſſe ſeorſim illas duas malitias explicari accuſando ſe prius de peccato furti, & poſteà de peccato mœchiæ. Ratio eſt, quia licèt illæ malitiæ habeant aliquam ſubordinationem inter ſe medij, & finis; reipſa tamen eſt ibi duplex malitia in ſpecie infima, videlicet furti,& mœchiæ, quarum ſingulæ poſſunt ſeorſim ſufficienter explicari, & malitia quæ in furto deſumitur à mœchia,ad quam ordinatur,non eſt alia ab ea, quæ reperitur in intentione mœchiæ, & ſimiliter malitia furti,quæ reperitur in intentione mœchiæ,non eſt diuerſa à malitia ipſius furti ſecundùm ſe:ergo qui confitetur furtum,& mœchiam,etiamſi non explicet ſe ordinaſſe vnum ad aliud, ſufficienter explicat ſuum ſtatum;ergo ad aliud non tenetur.

Hinc dico *tertiò*,non ſolùm in ſequenti Confeſſione, 5 ſed in eadem poſſe eum, qui furatus eſt propter mœchiam,diuidere hanc circumſtantiam, eámque ſeorſim confiteri, vt dicendo, Commiſi furtum & mœchiam, non explicando mœchiam fuiſſe circumſtantiam furti. Probatur propter paritatem rationis,nam iſtæ duæ malitiæ ſufficienter explicari poſſunt, non explicando connexionem earum inter ſe;& illa connexio, ſeu coniunctio non variat iudicium Confeſſoris, nec addit ſpecialem grauitatem.

Ad argumenta contrariæ ſententiæ. Ad primum conceſſo Antecedente,negatur Conſequentia: nam in illo 6 exemplo, eſt peculiaris ratio, ob quam non poſſit circumſtantia ſeorſim explicari, quia non poteſt explicari violentia ſecundùm propriam ſpeciem vltimam,niſi explicetur peccatum,cui aduenit. Ratio eſt,quia violentia ſecundùm ſe conſiderata, non habet ſpeciem infimam, & completam in ratione violentiæ,ſed eſt ratio generica indifferens ad hanc & illam violentiam. Nam violentia accipit ſpeciem ſuam ex illo damno, quod per violentiam infertur; eſt enim peccatum contra Iuſtitiam,quod ſpecificatur à iure illo quod læditur. Cùm enim diuerſa ſint in ſpecie iura, quæ quis habet ad vitam,ad honorem,ad pecuniam,&c.& hæc iura poſſint terminare iniurias ſpecie diuerſas, non poteſt explicari ſpecies illius iniuriæ, & violentiæ etiam in ratione iniuriæ, niſi explicetur damnum quod infertur. Hoc autem certò conſtat diuerſum eſſe in nupta, & in ſoluta. Idem dicendum in homicidio,v.g. Sacerdotis:non enim poteſt explicari poſteà circumſtantia perſonæ ſacræ occiſæ, niſi explicetur homicidium, quia peccatum ſacrilegij eſt ratio generica,quæ continet ſub ſe diuerſas ſpecies, quæ non poſſunt explicari, niſi explicetur peccatum homicidij, cui aduenit talis circumſtantia. Hoc autem non inuenitur in alia circumſtantia mœchiæ,reſpectu furti, quæ optimè poteſt explicari, licèt non debeat explicari furtum.

Ad ſecundum, concedenda eſt Sequela, vt conſtat ex *Dicto tertio*.

Ad tertium; tametſi concedatur, ex conſortio circumſtātiæ alterius augeri malitiam obiecti;tamen cùm totum id augmentum ſit propter maiorem libertatem actus;& hæc libertas maior non ſit neceſſariò explicanda in Confeſſione,conſequens eſt,vt poſſit ſufficienter explicari malitia, quæ prouenit ex obiecto, non explicatâ circumſtantiâ, ex qua refunditur augmentum libertatis, & malitiæ in illam eandem malitiam,quæ explicatur.

Ad vltimum, dico eſſe manifeſtam diſparitatem nam qui furatus centum, dicit, ſe furatum quinquaginta, ſignificat ſe ſola quinquaginta furatum, quod cùm ſit falſum, iam non confitetur furtum quod fecit, ſed aliud quod non fecit, atque ideò vt confiteatur verum peccatum, debet dicere veram materiam illius peccati, & nullo modo debet dicere aliam materiam diuerſam falſam. Quod optimè notauit Vaſquez *quæſt*. 91. *artic*. 1. *dub*. 3. Ad hoc non reperitur in noſtro caſu præſenti, atque ideò manifeſta eſt diſparitatis ratio.

* * *

Digitized by Google

SECTIO IV.

An quando finis non eſt ex ſe malus, medium verò malum ſit, debeat explicari etiam finis in Confeſſione?

1 QVæſtio procedit de illo, qui in die feſto omiſit Miſſam propter ſtudium, ex ſe non malum, vtrum debeat explicare finem, nempe ſtudium, an ſolam omiſſionem Sacri? Item eſt, ſi ſit peccatum commiſſionis, vt ſi furatus quis eſt propter ſtudium, an ſufficiat explicare furtum, non explicato fine ſtudendi.

2 Affirmant nonnulli inter quos Cumel 1. 2. *q.* 71. *art.* 5. *diſp.* 4. Probant primò, quia qui peccat mortaliter vt ſtudeat, conſtituit in ſtudio finem vltimum: ergo tunc ſtudium eſt per ſe malum in Confeſſione explicandum.

Secundò, qui contra obedientiam Prælati hic & nunc comederet, non ſolum peccaret contra Obedientiam, ſed etiam contra Temperantiam, quia eo ipſo quod Prælatus iuſtè prohibeat talem comeſtionem, Temperantia inclinat ad illam vitandam: ergo eodem modo, quando Religio prohibet ſtudium, vt audiatur Miſſa, eo ipſo virtus ſtudioſitatis inclinat ad fugiendum illud ſtudium.

Tertiò, peccatum commiſſionis, & omiſſionis differunt ſpecie, ſed omiſſio Sacri eſt peccatum omiſſionis, & voluntas ſtudendi eſt peccatum commiſſionis: ergo illa duo differunt ſpecie; ergo vtrumque in Confeſſione explicandum.

Quartò, ponere aliquid incompoſſibile ex ſe cum re præcepta, eſt peccatum etiam ex ſuppoſitione volendi non adimplere præceptum: ergo velle ſtudere eo tempore, quo eſt incompoſſibile cum auditione Sacri, eſt peccatum fatendum. Antecedens patet exemplis, primò, quia alias ſequeretur, Sacerdotem nauigantem, qui decreuit toto nauigationis tempore, non recitare Officium, non peccare, ſi ex ſuppoſitione illius praui affectus, proiiciat Breuiarium in mare. Secundò, furem qui habet animum non reſtituendi pecunias ablatas, non peccare ſi ex illa ſuppoſitione eas expendat, & reddat impoſſibilem reſtitutionem. Tertiò, eum, qui emiſſo Caſtitatis voto, decreuit illud non ſeruare, non peccare, ſi ex ſuppoſitione illius decreti, ducat vxorem.

Vltimò, Quiſque tenetur relinquere ſtudium vt eat ad audiendum Sacrum: ergo ſtudium tali tempore eſt contra obligationem non ſtudendi; ergo eſt peccatum contra virtutem ſtudioſitatis: ergo & explicandum in Confeſſione.

3 Communis tamen ſententia Doctorum quos refert & ſequitur Diana *tom.* 1. *de circumſtantiis aggrauantibus reſol.* 62. & Cardinalis de Lugo *diſp.* 16. *ſect.* 11. docet voluntatem illam ſtudendi, tametſi mala ſit, non habere malitiam ſpecie diuerſam a malitia omiſſionis Miſſæ, & conſequenter non oportere illam voluntatem exprimere, ſed ſufficere voluntariam Miſſæ obligationem fateri. Idemque dicendum, ſi omittatur Sacrum propter ludum honeſtum, vel propter confabulationem amicorum, vel ob aliquid ſimile, dummodò illud ex ſe non ſit peccatum mortale: eadem quoque eſt ratio, ſi quis furetur propter ſtudium.

4 Hæc opinio mihi valde placet. Ad cuius maiorem declarationem, agam in particulari de ipſo ſtudio: eſt autem *primò* obſeruandum virtutem ſtudioſitatis ſecundum ſe ſolùm inclinare, ac petere ſtudium ſufficiens ad ſciendum quæ oportet ſcire, & conſequenter excludere exceſſum, quo volumus ſcire ſuperflua, & noxia. Atque hanc virtutem ſtudioſitatis D. Thom. 2. 2. *q.* 166. *art.* 2. *ad* 1. computat inter Virtutes morales, quæ affectum & ſtudium cognoſcendi iuxta rectæ rationis normam amat, & mouet. Quare officium primarium huius virtutis eſt, impellere, & incitare ad ſtudium neceſſarium ſtatui, vel etiam congruum, vt quis in eo langüide minimè ſe gerat, & congrua adminicula adhibeat. Secundarium eſt, moderari ipſum ſtudium, ac refrænare exceſſum in acquirenda ſcientia, vel ea vtenda, vt nimirum non excedamus rectæ rationis regulam in ſtudio ac diligentia, ac fine, & cæteris circumſtantiis. Et quia plures ſunt qui in rebus neceſſariis vel vtilibus addiſcendis deficiunt, quàm excedunt; ideò hæc virtus potius ab impellendo, quàm à refrænando, ſtudioſitas appellatur.

Hinc *ſecundò*, obſeruare libet, virtutem ſtudioſitatis, cùm ex ſe ſolùm petat ſtudium ſufficiens ad ſciendum, quæ ſcire oportet; & excludat exceſſum, quo quis vult ſcire ſuperflua, non habere immediatam oppoſitionem formalem cum ſtudio in die feſto impediente Sacrum. Patet; quia eiuſmodi ſtudium ſolùm formaliter opponitur rectæ rationi præcipienti Sacrum in die feſto, quæ non eſt ſpecialis ratio virtutis ſtudioſitatis, ſed virtutis Religionis. Et quamuis hæc ſufficiat oppoſitio, vt prædictum ſtudium, ſit malum, ac inhoneſtum, quia eſt immediatè contra virtutem Religionis honeſtam, & ſanctam, non tamen inde ſequitur quod formaliter opponatur virtuti ſtudioſitatis, quia non eſt contra ſpecialem rationem formalem illius. Id manifeſte oſtenditur exemplo virtutis Temperantiæ, & liberalitatis. Qui enim comedit bona non ſua, & propria, ſed aliena tametſi peccet contra Iuſtitiam; ſed non peccat contra Temperantiam, ſi temperatè comedat. Cur ita? quia Temperantia ex ſe ſolùm exigit victum neceſſarium ad ſuſtentationem corporis, cui opponitur nimia abſtinentia, vel inſenſibilitas, & excludit ſuperfluum, & noxium ipſi corpori, cui opponitur gula. Idem videre licet in virtute Liberalitatis, quæ mouet, & inclinat, ac præcipit ſumptus neceſſarios, ac moderatos, cui opponitur formaliter prodigalitas, quæ eſt exceſſus ſumptuum, & etiam auaritia, quæ prohibet ſumptus neceſſarios, ac debitos. Qui ergo facit ſumptus moderatos, ſed cum ſcandalo proximi, quod vitare tenetur, non peccat contra virtutem Liberalitatis, quæ ſolùm excludit prodigalitatem, & auaritiam, ſed contra Charitatem. Hoc ipſum dicendum eſt cum proportione de ſtudioſitate, quæ inclinat ad ſtudium neceſſarium, & congruum, & excludit ſuperfluum; non verò formaliter opponitur ſtudio impedienti Sacrum in die feſto, cui directè & formaliter opponitur virtus Religionis.

His præmiſſis. Dico *primò*, ad præſentem quæſtionem, negari non poſſe, ſtudium, propter quod omittitur Miſſa in die feſto, eſſe peccatum mortale. Patet, quia quandocumque appetitus ſciendi eſt cauſa committendi alicuius peccati mortiferi, quacumque ratione id fiat, eſt peccatum mortiferum; ſed ſtudium prædictum eſt cauſa omittendi Sacrum in die feſto contra præceptum Eccleſiæ, obligans ad illud audiendum ſub mortali: ergo eſt mortiferum. 6

Dico *ſecundò*, prædictum ſtudium, quod eſt peccatum mortiferum, nullam aliam habere malitiam ſpecie diuerſam à malitia omiſſionis Sacri, atque ideò non eſſe contra virtutem ſtudioſitatis, ſed ſolius Religionis. Hoc conſtat manifeſtè ex doctrina propoſita *numero quinto*. Quia illud ſtudium 7

vt ſupponitur eſt ad ſciendum quæ oportet ſcire: ergo nullo modo eſt contra virtutem ſtudioſitatis: ergo tota malitia illius prouenit ſolum a malitia omiſſionis Sacri: ergo ideo eſt malum, quia eſt cauſa omiſſi Sacri contra virtutem Religionis illud præcipientis, ergo hanc vnicam tantum malitiam irreligioſitatis ſortitur.

8 Dico *tertio*, ſolam malitiam omiſſionis Miſſæ eſſe explicandam in Confeſſione, & non eſſe obligationem explicandi finem extrinſecum, nempe ſtudium. Hæc ſequitur ex *præcedenti conc.* nam ſi vnica & adæquata malitia peccati, eſt ſola omiſſio Sacri: ergo ſola illa eſt exprimenda. Confirmatur, nam ſtudium in eo caſu, tametſi accipiat malitiam, eam tamen accipit ſolum ab omiſſione Sacri: hanc enim vere, & moraliter cauſat, & ideo ſolum eſt peccatum: ergo eâ malitia explicatâ, cum dicitur a pœnitente ſe omiſiſſe voluntarie Miſſam, nec finis ipſe ſtudendi extrinſecus, nec aliquid aliud reſtat amplius explicandum, quia illud peccatum non habet malitiam ex fine, ſed ex medio tantum, quandoquidem explicato obiecto electionis, explicatur tota malitia peccati. Non ergo oportet explicare illum finem, nempe amorem ſtudij. Nam eo ipſo quod pœnitens dicit ſe reliquiſſe Miſſam in die feſto, ſignificat ſe id feciſſe ex amore alicuius rei; neque enim poterat omittere Miſſam, niſi propter aliquod malum, quod in audienda Miſſa repræſentabatur, vel propter aliquod bonum quod impediebatur: quod autem illud fuerit bonum ſtudij, vel aliud, parum refert, nec eſſet explicandum, niſi illud obiectum ex ſe haberet aliunde malitiam, vt ſi omiſiſti Sacrum propter mœchiam; & tunc eſt vtrumque explicandum modo dicto *præcedenti ſect.* 3.

9 Dico *vltimò*, multò minùs explicandum eſſe ſtudium in Confeſſione, quando illud ſumitur ex ſuppoſitione, quòd non audiatur Miſſa, ne homo ſit otioſus. Hoc certum videtur, quia ex ſuppoſitione iam poſita, melius eſt ſtudere, quam otioſum eſſe: ergo licèt ſuppoſitio ſit mala; id tamen quod poſteà eligitur, non eſt malũ, nec peccatum, cum non accipiat malitiam ab omiſſione Sacri quam non cauſat; non enim poteſt eſſe cauſa id quod non eſt prius, ſed poſterius.

10 Ad argumenta primæ ſententiæ. Ad primum, negandum eſt, eum, qui omittit Sacrum in die feſto propter ſtudiũ, habere iſtud pro vltimo fine ſuo ſimpliciter, ad quem omnia ſua dirigat; quod ſine dubio eſſet per ſe grauiſſimum peccatum mortale: ſed pro vltimo fine operis, ſeu omiſſionis, quod per ſe loquendo non eſt peccatum: nam qui die non feſto omittit Sacrum audire vt ſtudeat, eodem modo habet ſtudium pro vltimo fine huius omiſſionis, & tamen non peccat. Quare intendere talem finem per tale medium, non habet in ſe malitiam diſtinctam à malitia medij; atque ideò talis circumſtantia finis non eſt explicanda in Confeſſione: præſertim quia ſiue omittam Sacrum propter ſtudium, ſiue propter honeſtum ludum, ſiue vt confabuler cum amicis, ſiue ob alium finem in ſe grauiter non malum, omiſſio eandem planè habet malitiam; eſt igitur finis omninò impertinens ad eius cognitionem.

Ad ſecundum, conceſſo Antecedente, negatur Conſequentia, ob manifeſtam diſparitatem, nam Prælatus imponens præceptum, formaliter intendit rectitudinem propriam illius virtutis, quam præcipit: ſic præcipiens ieiunium, intendit formaliter honeſtatem ac rectitudinem Temperantiæ. Vnde qui tunc non ieiunat, peccat contra Temperantiam, quæ intenditur a præcipiēte. At verò Religio quando prohibet ſtudiũ, vt audiatur Miſſa, non intendit rectitudinem, ac honeſtatem ſtudioſitatis, ſed cultum Dei: atque ideò qui tunc ſtudet non deficit formaliter à rectitudine ſtudioſitatis, ſed a rectitudine Religionis, quæ ſola intenditur, & a qua deſumitur ſpecies, & formalitas illius peccati.

Ad tertium, tametſi verum ſit voluntatem ſtudendi in genere phyſico, eſſe quid poſitiuum; in ratione tamen peccati eſſe peccatum omiſſionis, cum ſolum opponatur præcepto affirmatiuo audiendi Sacrum; vnde in ratione peccati non differt ſpecie ab omiſſione Sacri.

Ad quartum dico, Antecedens cum illis exemplis eſſe verum, quando ponitur aliquid incompoſſibile, quod non ſolum impedit obſeruationem præcepti præſentem, ſed etiam reddit illam impoſſibilem pro tempore ſequenti, quia reſpectu temporis ſequētis vere ſe habet antecedenter & vt cauſa: licet enim ſit iam poſita voluntas non obſeruandi præceptũ tempore ſequenti, tamen voluntas non affert neceſſitatem ad tempus ſequens, quia cum poſſit mutari, ſemper remanet poſſibilis obſeruatio pro tempore ſequenti. Hac de cauſa, qui proiecit Breuiarium in mare, peccauit denuò, & debet id explicare, quia appoſuit cauſam, & impotentiam recitandi poſtea. Similiter fur, qui conſumpſit pecunias furtiuas, debet explicare furtum, & tempus, quo poterat reſtituere, & non reſtituit. Denique qui poſt votum Caſtitatis ducit vxorem, debet explicare quod ſe expoſuit periculo violandi votum.

Ad vltimum, diſtinguendum eſt Antecedens: tenetur immediate relinquere ſtudium, hoc eſt ex ſuppoſitione quoque voluntatis non audiendi Sacrum, negandũ eſt; tenetur mediate, hoc eſt habere voluntatẽ audiẽdi Sacrum, quâ poſitâ ceſſet voluntas contraria, ex cuius ſuppoſitione nunc conſequitur voluntas ſtudendi, concedendum eſt: inde tamen nõ ſequitur, ſtudium ipſum eſſe peccatum, contra virtutem ſtudioſitatis, ſed ſupponere peccatum, cuius ſit auferendi occaſio.

DISPVTATIO XXXIII.

De Sexta Circumſtantia, Quomodo, *an debeat in Confeſſione explicari?*

AGENDVM eſt de hac ſexta Circũſtãtia, *Quomodo*, id eſt de varijs modis accidẽtalibus, qui aduenium ſubſtantiæ actus, & transferũt illum in nouam ſpeciem, ideóque debent in Confeſſione declarari. Vnde non erit ſermo de modo intentionis, quo quis peccat, quia intentio non adfert malitiam ſpecie diuerſam; ſolùm enim aggrauat peccatum intra eãdem ſpeciem, ac proinde non eſt per ſe in Confeſſione explicanda, iuxta ſententiam, quam ſecuti ſumus ſupra *diſp.* 27. *ſect.* 4. negantem, circumſtantias notabiliter aggrauantes intra eandem ſpeciem eſſe in Confeſſione aperiendas. Multa comprehenduntur ſub hac Circumſtantia, *Quomodo* Nos potiora ac difficiliora proponemus, & diſſoluemus.

SECTIO PRIMA.

De circumſtantiis feritatis, raptus, & rapinæ in Confeſſione aperiendis.

AD hanc circumſtantiam, *Quomodo*, ſpectat modus crudelis, quo quis occiditur, & poſtea in cadauer noua iniuria committitur. Vt ſi quis per

grauiſſi

grauiſſimo odio non contentus homicidio, vulnera multiplicet in cadauere, mortuum in fruſtula concidat, ſecur extrahat, comedat, & alia ſimilia faciat: tunc certum videtur, non ſolùm peccatum homicidij in ſe eſſe confitendum, ſed etiam huiuſmodi circumſtantiam odij; ita communiter notant Doctores: quia nimirùm addit nouam ac ſpecialem malitiam feritatis iuxta doctrinam D.Thom. 2.2 *quæſt.*159.*artic.*2. Addit etiam nouam iniuriam in cadauer, nam in cadauere quoque fieri poteſt iniuria, vt rectè obſeruat Suarez *diſput.*22. *ſect.*4. *num.*13. Sicut enim eſt capax honoris, & obſeruantiæ, ita eſt etiam capax dedecoris, & grauis iniuriæ.

Circa ſecundum de altero modo violentiæ per raptum, dico tria. *Primum eſt*, raptum quod attinet ad 2
forum Conſcientiæ, & vt conſtituit circumſtantiam ſpecificam luxuriæ, ſolam violentiam importare, vt ſuam libidinem homo expleat, non habita ratione ſtatus fœminæ: is enim nihil refert ad rationem raptus, qui æquè inuenitur, ſiue fœmina ſit virgo, ſiue ſoluta, ſiue coniugata, ſiue vim inferat fœminæ, ſiue iis ſub quorum poteſtate ac cura eſt.

Secundum eſt, raptum duplicem malitiam ſpeci-
3 ficam habere, alteram Caſtitati aduerſam in quantum copulam extra matrimonium continet; alteram Iuſtitiæ oppoſitam, ratione violentiæ quam importat. Vnde eſt duplex ſpecies, ſicut adulterium, inceſtus, & ſacrilegium duas continent ſpecies diuerſis virtutibus oppoſitas. Quomodo autem raptus ponatur ſpecies luxuriæ, cùm potius ſit ſpecies iniuſtitiæ.

Breuiter dico non eſſe propriè, ac Metaphyſicè loquendo, ſpeciem luxuriæ, quia circumſtantia illa per quam contrahitur communis ratio luxuriæ, non eſt propriè contra Caſtitatem, ſed contra Iuſtitiam; dicitur verò pertinere ad luxuriam, quia libidinis cauſâ fit; vnde ratione ſui termini, nempe concubitus, ad quem proximè tendit, pertinere videtur illud opus externum impudicum ad luxuriam, veluti quædam ſpecies eius. Eſt igitur in eo actu duplex malitia, altera contra Iuſtitiam, altera contra Caſtitatem, atque ideò ad vtrumque vitium pertinet, tametſi in ratione finis inter ſpecies luxuriæ numeretur.

Tertium eſt, quod docent communiter omnes Do-
4 ctores, circumſtantiam raptus neceſſariò confitendam eſſe; quia vltra fornicationis malitiam aduerſus Caſtitatem, adeſt malitia violentiæ illatæ contra Iuſtitiam.

Vnde colligo *primò*, idem dicendum eſſe, ſi fœmi-
5 na importunis precibus ducta, conſenſum copulæ præbeat, quando preces importunæ tales ſunt, vt violentiæ æquiparentur. Quod certè contingit, quando precibus importunis adiungitur maximus reuerentiæ timor, ita vt perſonæ ſic importunè inſtanti non audeat fœmina contradicere.

Colligo *ſecundò*, eſſe quoque raptum ſpecie di-
6 uerſum à fornicatione, ſiue fœmina ſui iuris inuita abducatur domo, & poſtmodùm copulæ conſentiat, ſiue ſolùm inuita cognoſcatur, quamuis volens abducta ſit. Quia in vtroque caſu inuenitur violentia.

Colligo *tertiò*, eſſe quoque raptum in Confeſſione explicandum, ſi fœmina ſub poteſtate pa-
7 rentum, aut tutorum conſtituta, omninò conſentiens, ipſis inuitis, abducatur domo: quia cùm ſit ſub eorum cuſtodia manifeſta iniuria illis extractioni renitentibus infertur, atque ideò eſt noua culpa Iuſtitiæ contraria.

Colligo *quartò*, eſſe raptum fœminæ cuiuſque 8
ſtatus, etiam meretricis, ſi violenter cognoſcatur; quia etiam vis illa ad iniuſtitiam pertinet. Adde etiam ad ſpeciem hanc raptus pertinere, & neceſſariò confitendam, ſiue vir rapiat fœminam, ſiue fœmina rapiat virum: quia vterque raptus violentiam iniuſtè illatam includit, & vterque diuerſam ſpecie malitiam continet ab incontinentia. Quamuis negari non poſſit maiorem eſſe iniuriam, quando vir fœminam rapit.

Circa tertium de alio modo violentiæ per rapi- 9
nam, ſeu de modo furandi cum violentia illata, quæ dicitur rapina, *primò* videndum breuiter eſt an furtum & rapina differant ſpecie in ratione peccati, & iniuriæ, vt inde colligamus, circumſtantiam rapinæ eſſe quoque fatendam. Et quidem communis ſententia, & vera, eſt affirmans. Verùm ratio non eadem ab omnibus redditur.

Communiter Doctores recentes inter quos Leſſius *de iuſtitia*, *lib.* 2. *cap.* 2. *dubit.* 2. hanc reddunt rationem; quia rapina includit violentiam, quæ fit domino ſciente; furtum verò fit neſciente illo, qui iniuriam patitur. Cùm autem iniuria ſumatur ex parte inuoluntarij, quod patitur proximus, & diuerſum ſit inuoluntarium, quod patitur neſciens, & quod patitur ſciens; conſequens eſt, vt vtraque iniuria ſit ſpecie diuerſa propter diuerſum modum, quo proximo opponitur. Hanc etiam rationem indicat Vaſquez *de reſtitutione*, *capite* 5. §. 1. *dubio ſecundo.*

Hanc rationem optimè impugnat noſter Cardinalis Lugo *tom.* 1. *de iuſtitia & iure*, *diſputatione* 16. *ſectione* 1. *numero* 10. Quia nimis materialiter ſe habet ad iniuriam ſcientia illa, vel ignorantia, cùm in vtroque caſu ſit ſimpliciter inuoluntaria ei qui iniuriam patitur. Præterea ſpecialis malitia furti, prout condiſtinguitur à rapina, non deſumitur ex ignorantia patientis iniuriam. Nam poteſt contingere acceptio rei alienæ ſine conſenſu domini, ipſo tamen id ſciente; quæ quidem non erit rapina ſed furtum, vt conſtat ex *leg. ſi quis*, *penultima*; *ff. de furtis.* Vbi dicitur, eum qui, cùm ſcit quid ſibi ſurripi, non prohibuit, etiamſi potuerit prohibere, adhuc poſſe actione furti agere. Si dominus quoque ex induſtria relinquat aliquid eo loco, quo ſcit a famulo furandum, vt poſſit eum domo eiicere, nemo dicet famulum id accipientem, non committere furtum, licet id non fiat ignorante, ſed præuidente domino. Quare ſicut in aliis materiis Iuſtitiæ, ſcientia, vel ignorantia eius, qui patitur iniuriam, non facit differentiam ſpecificam in iniuria, vt ſi detrahas famæ alicuius, ipſo ignorante, vel ſciente, te ei abſenti detrahere; ita nec circa bona fortunæ refundetur differentia ſpecifica præciſè ex ſcientia, vel ignorantia eius qui patitur iniuriam.

Ratio ergo differentiæ ſpecificæ, quam rapina ad-
dit ſupra ſimplex furtum, deſumi debet ex violentia, 10
quam rapina includit; nam Rapina, ex omnium ſententia, eſt acceptio iniuſta per vim. Quam optimè declarat noſter Molina, *diſputatione* 683. & Michaël Salon Valentinus, 2. 2. *quæſtione* 66. *articulo* 4. per diuerſam iniuriam afferentem nouam ſpeciem malitiæ. Nam per ſimplex furtum tametſi fiat iniuria, fit ſolùm circa pecunias, verbi gratia; at per rapinam, ſeu violentiam videtur fieri iniuria circa perſonam ipſam, cui vis infertur. Vnde vis illa retinet malitiam iniuriæ circa perſonam; quæ facit, quòd furtum, præter maltiam furti, contrahat aliquam aliam ſpecialem malitiam rapinæ.

animalium, vaſtationes ſegetum, & ſimilia alia nefanda inuehunt mala: propter quę, meritò malefici, & ſagæ cenſentur eſſe digni pœna mortis.

6 *Tertium eſt*, dictos maleficos operari mira per ſigna ope Dæmonũ; vtuntur enim ſignis, quæ ſunt quaſi cauſæ morales, his enim ex pacto allicitur Dæmon, vt faciat quod magus, vel maleficus petit, & ſic ipſa ſigna facere videntur. Dæmones autem non delectantur ſignis per ſe ſpectatis, ſed quatenus illis honorantur, aut ab eorum inſtituto, ac nutu pendent. Varia autem, ac multiplicia ſunt eiuſmodi ſigna malefica, nempe ligaturæ, nodi, volumina capillorum, & alia ſexcenta ſimilia. Interdum etiam malefici nihil niſi verba Sacra, aut verſiculum aliquem Sacræ Scripturæ adhibent, non ex deuotione, neque eo ſenſu illum proferunt, quo ſacer eſt, ſed animo prauo, dirigendo illum ad Dæmonem, qui etiam in rebus Sacris ſua ſigna inſtituit, vt & homines facilius decipiat, & Deo maiorem contumeliam faciat.

7 *Quartum* denique eſt, quo pacto ſe gerere debeat Confeſſarius cum his hominibus maleficis, vt reſipiſcant. Dico breuiter, primum omnium remedium adhibendum eſſe contra deſperationem, & hæreſim: ſolent enim hi miſeri exiſtimare, nullum ſibi remedium ad æternam ſalutem ſupereſſe, eo quòd iam illi renunciarunt, & ad perpetuam ſubiectionem Dæmoni ſe obligarunt. Tenentur ergo iſti firmiter credere, non ſolùm licitè poſſe, ſed etiam teneri pactum reſcindere, & Dęmoni abrenunciare, & quantum eſt in ſe, omnia ſigna perrumpere, & omninò à prioribus maleficiis, ſeu Magiis abſtinere: nam cùm pactum illud fuerit iniquiſſimum, ac Deo iniurioſum, clarum eſt, eſſe inualidum, ac ſubinde ſeruari non poſſe, ſed omninò debere reſcindi. Deinde tenentur credere, etiam hoc peccatum per pœnitentiam poſſe deleri, ad quam proinde excitandi ſunt, nam hoc remedio omninò reſcinditur prius pactum, ſiue Dæmon Chirographum reddere cogatur, ſiue non; illud enim nihil in fine vitæ nocebit coram Deo, ſi per pœnitentiam ſufficienter deletum ſit, vt conſtat manifeſtè ex generalibus Dei promiſſionibus *Ezechielis* 18. & 33. & ſępe alias in Scriptura Sacra, ſine tali exceptione. Præterea tenentur, per ſe loquendo, ſigna pacti, & ſocietatis cum Dæmone deſtruere, & ſi quis dedit chirographum Dęmoni, debet rumpere illud, ſi ad manus eius perueniat. Et quid mirum? nam ſi debet pœnitere, & reſcindere contractum, debet ergo quoque ſignum eius perrumpere. Ad id obligantur ex Iuſtitia, quia tenentur non inferre damnum proximo. Imò etiam tenentur ſtricto iure ad reſarcienda damna illata, ſi poſſint, & multò magis tenentur ad non inferendum vlterius ſimilia nocumenta: Igitur & ad reſcindendum pactum cum Dæmone, quo mediante, eſt cauſa illius damni: & auferre ſignum, nihil eſt aliud quàm pactum reſſcindere, nec poteſt illud reſcindere alio medio apto, & licito. Quare prudens Confeſſarius rectè coget ad maleficium tollendum, nec abſoluet maleficum pœnitentem, donec illud deſtruat, tum propter obligationem Religionis ad tollendam omnem ſocietatem cum Dæmone, omnéque ſignum eius, quantum in ſe eſt: tum propter obligationem Iuſtitiæ iam declaratam.

8 Eſt verò notandum in prædicta deſtructione maleficij, nullam eſſe communicationem nec ſocietatem cum Dæmone, neque vllam honorationem illius; id enim cùm ſit ab intrinſeco malum, in nullo caſu licitum eſſet. Patet, quia illa deſtructio ſigni potiùs tendit ad deſtruenda vincula impietatis, & ad diſſoluendum pactum, & conſequenter quantum eſt ex ſe, ad tollendam ſocietatem cum Dæmone. Eſt etiam illa deſtructio inuoluntaria ipſi Dæmoni, nam fit illo inuito, & independenter à voluntate eius, vnde nequit eſſe Dæmonis honoratio. Denique per illam deſtructionem, nihil per ſe poſtulatur à Dæmone, ſed ſolùm tollitur efficaciter id, vnde ſolet Dęmon moueri ad operandum malum. Vnde qui ſic deſtruit maleficium, nunquam inuocat Dæmonem, neque excitat illum per actionem, & induſtriam poſitiuam; hoc enim intrinſecè malum eſt, & illicitum: ſolùm ergo intendit negationem illam, ac deſtructionem, quæ bona eſt, & pactum non includit cum Dæmone. Quòd verò, poſtquam deſtructio facta eſt, Dæmon non ſolùm ceſſet à malo, ſed etiam operetur aliquid ad ſalutem reſtituendam maleficiato, id per accidens ſe habet; nam id facit Dæmon malitiâ ſuâ, & quia vult fidelem ſe alteri oſtendere, non tamen facit prouocatus ab eo qui abſtulit ſignum, qui tunc ſolùm ſe habet vt permittens illam Dæmonis operationem, non vt cooperans ad illam, nec vt rogans aliquo modo, aut honorans Dæmonem, ſed ſolùm vt reſcindens pactum eius, quantum in ſe eſt. Videantur dicta à nobis de hac re in *tractatu de matrimonio diſputatione* 37. *ſectione* 8.

SECTIO II.

An ſit circumſtantia neceſſariò in Confeſſione fatenda, habuiſſe ſocios peccati, nulla tamen intercedente inductione?

1 AD hanc circumſtantiam, *Quibus auxiliis*, maximè pertinet explicare auxilium, & interuentum alterius hominis ad peccatum. Hoc autem contingere poteſt dupliciter, vel ſine vlla inductione, vel quando intercedit inductio alterius. De primo, dicam *in hac ſectione*; de ſecundo verò *in ſequenti*. Circa primum igitur diſtinguendum eſt duplex genus peccati; vnum eſt, quod per ſe & ex intrinſeca ratione ſui requirit conſortium alterius, vt eſt quælibet fornicatio cum muliere: aliud, cui accidentarium eſt habere conſortium, vt eſt furtum. Certum eſt de hoc ſecundo genere peccati, quando nec fuit inductio, nec petitio ſocij vt iuuaret, non eſſe neceſſarium declarare, an ſolus furatus fuerit, vel habuerit ſocium, vel ſocios, quia hoc non refert ad declarandum peccatum proprium, & per ſe non auget, ſed potiùs minuere poteſt. Difficultas ſolùm eſt de primo genere peccati, cum quis fornicatur etiam cum fœmina, ſeu meretrice in lupanari expoſita; quia pręcedit petitio, & talis mulieris inuitatio, quæ eſt peccatum peculiare, quod non ſufficienter declaratur ſola explicatione peccati proprij fornicationis cum illa.

2 Sotus loquens de meretrice *lib. 6. de iuſtitia, quæſtion. 1. articul. 5. verſic. Hac autem ſpecialis ratio*, tenet petentem corpus ab illa non teneri vltra ſuum fornicationis peccatum, circumſtantiam dictam petitionis fateri. Quia tunc reuera non datur ſcandalum, nec propria, & moralis inductio eſt, cùm ipſa ex ſe, ex ſua propria voluntate, & ſua ſponte expoſita ſit. Idem docet Suarez *diſputat. 22. ſection. 4. numero* 18. loquens de muliere ita parata, vt ſit quaſi in actuali voluntate, vel virtuali peccandi, quia tunc iam non intercedit actiuum ſcandalum, nec eſt propria inductio

Digitized by Google

inductio, cum talis mulier ſit etiam ex ſe, & ſua ſponte expoſita. Idem ſentiunt Henriquez *lib. 5. de pœnit. c. 6. n. 7.* Azor. *tom. 2. inſtit. moral. lib. 12. c. 16. q. 5.* & Fagūdez *1. præcepto lib. 4. c. 5. n. 1. & 2.* quia moraliter non cenſetur reſpectu illius cauſa peccandi.

3 Contrariam ſententiam defendit Thomas Sanchez *lib. 1. operis moralis, c. 6. n. 14* Et probat *primò*, quia certum eſt eſſe mortalem culpam inductionis ad peccandum, petere à malefico quantumuis parato, vt maleficium maleficio ſoluat; quia maleficus id iuſtè exequi nequit: & quantumuis paratus eſſet, hoc numero peccatum, eo non petente, non perpetraret, & quamuis perpetrandi voluntatem haberet, non exequeretur, niſi ille induceret. At hæc omnia militant in caſu mulieris paratæ, cùm nec poſſet mulier licitè fornicationem a ſe petitam committere, nec exequeretur id numero peccatum, illo non petente.

Secundò, fatetur Suarez *tom. 3. in 3 p. q. 65. art. 4. diſ. 17. ſect. 1. corollario 2.* eſſe mortale peccatum, petere Sacramentum à miniſtro parato exiſtente in mortali, abſque vlla petentis neceſſitate, quia nimirùm offertur ei aliqua materia, ex qua ipſe hic & nunc occaſionem ſumit peccandi: ſi ergo in re quam alter bene exequi poteſt, & culpâ ſuâ praue exequitur, eſt mortale abſque neceſſitate eam occaſionem peccandi hîc & nunc offerre, multò magis in alia re quam exequi iuſtè non poteſt.

Tertiò, petens à meretrice in lupanari expoſita, vt peccet cum quodam tertio, delinqueret mortaliter peccato inductionis: ergo etiam ſic peccaret, ſi peteret vt ſecum fornicaretur.

Vltimò, petens à paratiſſimo ad vindictam, vt ambo vindictam ſumant, non ſatis fateretur, dicens ſe vindictam ſumpſiſſe, ſed teneretur alterius inductionem exprimere: ergo idem dicendum in præſenti caſu.

4 Dico *primò*, petentem corpus à meretrice in lupanari expoſita, non teneri vltra ſuum fornicationis peccatum, circumſtantiam petitionis fateri in Confeſſione. Ita ſentio cum Soto, Suario, Henriquez, Azor. & Fagundez relatis *n. 2.* Moueor; Tum quia iſta ſimplex petitio non eſt propria, & formalis inductio, nam ipſa iam eſt ita parata, vt ſit quaſi in actuali voluntate, vel ſaltem virtuali intentione peccandi, nec ea petitione excitatur magis ad peccandum; vnde non cenſetur reſpectu illius, cauſa moralis peccandi, cùm ſit iam ex ſe, & ex ſua ſponte ſemper expoſita ad fornicandum: ergo nulla eſt obligatio talem circumſtantiam exprimendi in Confeſſione. Tum etiam quia licèt talis eſſet, certè cùm quis fornicationem propriam fatetur, ſatis explicat ſe eam à prædicta fœmina petiiſſe, cùm id ſemper, ac ordinariè ſic contingat.

5 Dico *ſecundò*, idem dicendum de qualibet alia fornicatione, quæ habeatur cum muliere eodem modo parata ad illam. Patet ob eandem rationem: quia etiam tunc ceſſat circumſtantia inductionis, nec ipſe homo cenſetur reſpectu illius, cauſa moralis peccandi. Atque etiam talis petitio ſufficienter exprimitur Confeſſario, cùm ipſe homo ſuam propriam fornicationem in Confeſſione declarat.

6 Dico *tertiò*, quando mulier non eſt parata, & mouetur viri petitione, teneri virum fateri petitionem. In hoc ſenſu, veram iudico ſententiam Sanchez. Ratio eſt quia eiuſmodi petitio eſt vera & formalis inductio de qua dicemus *ſectione ſequenti*, eſſe ſpecialem circumſtantiam in Confeſſione declarandam; neque ea in ſua fornicatione ſufficienter exprimitur ergo.

7 Dico *vltimò*, ſi quis ita loquatur ſcorto, vt ſolùm videatur interrogare an velit conſentire, in eo caſu teneri ſolùm ſuum fornicationis peccatum fateri, & non aliquid aliud. Id optimè notauit noſter Gregorius de Valentia, *2. 2. diſp. 5. q. 21. punct. 4.* ferè in initio. Quia in eo caſu, prædicta verba viri non habent vim petendi, & inducendi: ergo vir non eſt particeps peccati alterius; non enim petit à ſcorto peccatum, ſed ſolùm exponit; quod ipſe pro ſua parte habet in animo facere, ſi mulier velit etiam ex ſua parte facere. Vnde in hoc euentu, nec datur ſcandalum actiuum, nec moralis inductio, cùm ſcortum ex ſe, & ex ſua ſponte ſine vllis precibus viri liberè velit conſentire.

Ad argumenta Sanchez prout noſtræ opponuntur doctrinæ. Ad primum, conceſſo Antecedente, negatur Conſequentia, ſi ipſa meretrix ſit ita parata, vt ſit quaſi in actuali voluntate, vel ſaltem virtuali intentione peccandi; modo explicato in primo, & ſecundo dicto. 8

Eodem modo reſpondendum eſt ad ſecundum, nam eſt magna diſparitas; non enim ille miniſter eſt ita paratus, ſicut mulier illa, quæ eſt in actuali voluntate, vel ſaltem virtuali peccandi.

Ad tertium, conceditur totum, quando eſt vera & efficax petitio, ac formalis inductio peccandi.

Ad vltimum, dico Antecedens eſſe veriſſimum, quia ibi interuenit vera, & formalis inductio, quæ exprimi debet in Confeſſione, & non exprimitur, ſi ſolùm dicatur ſe vindictam ſumpſiſſe.

SECTIO III.

Vtrùm ſi formalis inductio intercedat, ſit ea circumſtantia in Confeſſione explicanda?

PRocedit quæſtio de inductione, v. g. vel ſollicitudine fœminæ ad turpiter peccandum cum illa. Nec verò eſt quæſtio de ſollicitudine violenta copulam per vim extorquente. Nam conſtat, eiuſmodi inductionem fœminæ, ſi Virgo ſit, habere peculiarem circumſtantiam ſtupri; & ſi virgo non ſit, habere circumſtantiam raptus, & vtramque eſſe in Confeſſione neceſſariò exprimendam. Patet, quia ratio ſtupri conſiſtit in iniuſtitia admiſſa, auferendo violenter à Virgine clauſtrum virgineum. Vnde qui vi cognoſcit virginem, ſupra ſimplicem fornicationem addit ſpecialem malitiam iniuſtę deflorationis; & ideò vtrumque eſt neceſſariò explicandum. Raptus præcisè ſolùm violentiam importat, quando per dolum, aut fraudem, aut per aliud iniuſtitiæ genus fœmina cognoſcitur, non habita ratione ſtatus fœminæ; is enim nihil confert ad rationem raptus præcisè, nam hæc æque inuenitur, ſiue fœmina ſit virgo, ſiue ſoluta, ſiue coniugata. Difficultas ergo eſt de circumſtantia inductionis, ac ſollicitudinis fœminæ abſque vlla vi, an præcisè talis circumſtantia inducendi ſit explicanda, an vero ſufficiat explicare ſolam fornicationem non explicata inductione? 1

Vaſquez *tom. 4. de pœnitentia, q. 91. a. 1. dub. 4. n. 7* cenſet, cùm quis mulierem inuitat ad fornicandum, non eſſe hanc circumſtantiam in Confeſſione neceſſariò declarandā. Tum quia exiſtimat, non eſſe circumſtantiam ſpecialem. Tum quia inuitare ad peccādum, etiamſi ipſa parata non eſſet, non eſt aliud quàm inuitare ad eundē actum, & peccatum cum illa, nec ex eo peccat quia illā ſpiritualiter occidat, ſed quia participat in ſuo peccato, in quo participaret, etiamſi illa eſſet parata, nec eam 2

Digitized by Google

inuitaret. Quod verò addit ſollicitationem, quæ de ſe eſſet peccatum eiuſdem ſpeciei, etiamſi non ſequeretur effectus, parum ait Vaſquez referre, quia in genere moris vna malitia, & vnum omninò peccatum exiſtimatur, quia ordinatur ad actum ipſum fornicationis. Vnde *dicto dubio 4. num. 3.* ſimiliter dixit, ſi aliquis opere ſuo incitaret alium exemplo ſuo ad ſimilem ſpeciem peccati, ſecus ſi ad diuerſam; ſic enim eſſet in diuerſa alia ſpecie. Addit, ſi aliquis non tantùm vellet fornicari, aut furari, & illud quæreret; ſed etiam alios incitaret verbo ad idem, eſſet iam duplex peccatum, quia inuitare ad illud, non ordinatur ad actum ſui peccati; ſicut cùm aliquis inuitat mulierem ad fornicationem quàm deſiderat.

Hæc ſententia Vaſquez placet noſtro Cardinali de Lugo *diſp. 16. ſect. 4. num. 142.* dicenti quoque, non eſſe explicandam illam circumſtantiam, quia illa malitia habetur, licèt non ita grauis, quando aliquis non ſollicitat; adhuc enim participat cum illa in ſuo peccato, & eſt cauſa cooperans ad eius ruinam: quare ſolùm videtur aggrauari magis hæc malitia intra eandem ſpeciem, quando aliquis poſitiuè inuitat, & ſollicitat. Vnde infert Cardinalis Lugo, idem dicendum eſſe pro illis etiam, qui in Miſſa diebus feſtis diſtrahuntur voluntariè colloquiis, & confabulationibus. Non enim interrogandi ſunt in Confeſſione, an ipſi prouocauerint ſocios ad colloquendum, vel non; cùm vtrouis modo cooperati ſint ad peccatum aliorum.

3 Ego verò verius iudico, circumſtantiam inductionis, ac ſollicitationis fœminæ ad fornicandum, quando ipſa parata non eſt, eſſe in Confeſſione explicandam. Moueor ex doctrina communi, quam etiam ſequitur Cardinalis de Lugo *diſput. 16. ſect. 4. num. 157.* & nos etiam ſecuti ſumus ſupra *diſput. 29. ſect. 8.* ſemper explicandam eſſe in Confeſſione circumſtantiam ſcandali actiui, quia ſemper affert nouam ſpeciem peccati contra charitatem proximi. At inductio ad fornicandum, quando fœmina parata non eſt, cauſa eſt moralis talis peccati ac ruinæ ſpiritualis ipſius, atque ideò habet rationem ſcandali actiui contra Charitatem proximi: igitur fatenda eſt. Nec videtur eſſe ſufficiens ratio, quòd non ſit fatenda, quia inuitare ipſam ad fornicandum, eſt eam inuitare ad eundem actum malum, & peccatum cum illa; atque ideò ſolùm peccat, quia participat in ſuo peccato, in quo participaret, etiamſi ipſa eſſet parata, nec eam inuitaret. Non, inquam, eſt ſufficiens ratio, nam licèt inductor inuitet fœminam ad peccatum, in quo ipſe particeps ſit, verè tamen inducit ipſam, vt fornicetur, & directè intendit illius ruinam ſpiritualem, & ipſa inducta ab ipſo verè peccat, & fornicatur cum ipſo: ergo peccat inductor peccato ſcandali contra Charitatem proximi; ergo id quoque debet fateri in Confeſſione. Firmo, nam ſi aliquis inuitaret mulierem ad fornicandum cum alio viro, verè peccaret peccato ſcandali, quia eſſet cauſa moralis ruinæ ſpiritualis mulieris, & peccaret contra Charitatem proximi: ergo ſimiliter peccat peccato ſcandali, tametſi inducat mulierem ad fornicandum cum ipſo. Patet Conſequentia, quia tametſi, provt cooperatur eidem peccato, peccet tantùm contra Caſtitatem; tamen provt inuitat, & mouet moraliter ad peccatum mortale, & ad ruinam ſpiritualem ipſius, provt eſt contra Charitatem ipſi debitam, peccat peccato ſcandali. Quare ſicut qui ex induſtria inuitat & offert filiis ſuis vel famulis occaſiones furandi, ſi id præſtat abſque iuſta cauſa, & non ob remedium ipſorum, peccat peccato ſcandali, vt cum communiori ſententia fatetur Sanchez *lib. 10. de matrimonio, diſputatione 12. numero 52. & 53.* Qui etiam abſque vlla cauſa inducit vſurarium ad mutuandum cum vſuris, peccat peccato ſcandali actiui, & contrahit malitiam ex illa circumſtantia, vt fatetur etiam idem Sanchez *libr. 3. Decalogi, cap. 8. numero 11. & ſequentibus*, quia, inquit, præceptum Charitatis vitandæ occaſionis illius ruinæ ſpiritualis proximi ſtrictè obligat, quando nulla vrget iuſta neceſſitas, vel vtilitas; ita a fortiori in præſenti caſu, ille qui inuitat fœminam ad fornicationem, quæ eſt intrinſecè adeò mala, vt nunquam liceat ad eam inducere, etiamſi inductor participet cum illa in eo peccato nihilominùs quatenus inductor eſt, peccat peccato ſcandali contra Charitatem proximi.

Ad doctrinam Vaſquez dicendum eſt, illam circumſtantiam eſſe ſpecialem modo explicato, loco ſuprà citato *diſputatione 29. ſectione 8.* & ibi reperiri, peccatum ſcandali in Confeſſione explicandum, quia ſemper inductio directa ad fornicandum, affert nouam ſpeciem peccati diuerſam à peccato fornicationis; nam hoc opponitur Temperantiæ, vel Caſtitati: illud verò immediatè opponitur Charitati proximi. 4

Ad Cardinalem Lugo ſimiliter dicendum eſt, illam malitiam inductionis eſſe grauem, & diuerſæ ſpeciei à fornicatione ipſa, quia eſt immediatè oppoſita Charitati proximi. Vnde quando aliquis poſitiuè & directè inuitat, & ſollicitat, non aggrauat magis fornicationem intra eandem ſpeciem, ſed nouam committit malitiam ſpecie diuerſam contra Charitatem proximi.

Ad illud quod infertur, de illis qui in Miſſa diebus feſtis voluntariè diſtrahuntur ſuis colloquiis, & confabulationibus, non eſſe interrogandos in Confeſſione, an ipſi prouocauerint ſocios ad colloquendum, vel non. Dico id me non negare, non ob eam rationem, quia vtrouis modo cooperantur ad peccatum aliorum; ſed quia in praxi, & moraliter loquendo, ibi non eſt formalis, & directa inductio, ſed ſimultanea quædam collocutio, & confabulatio: eſt etiam alia ratio, quia communiter ex quadam ignorantia inuincibili, & naturali inaduertentia non ſeſe illis offert, illum modum prouocationis, ſi quæ ſit, eſſe diſtinctam malitiam ab ipſa voluntaria diſtractione Miſſæ. 5

Cùm conſtet ex dictis explicari debere circumſtantiam inductionis alterius ad peccatum, inde oriri poteſt dubitatio, quid facere teneatur inductor, quando induxit plures perſonas, & vſus eſt opera ipſarum ad idem peccatum, verbi gratia, ad furtum; teneturne explicare diſtinctè numerum determinatum perſonarum, an verò ſufficiat, ſi dicat ſe induxiſſe plures perſonas, & earum opera vſum fuiſſe ad furandum, ſub hac generalitate? *Reſpondeo* ſufficere, ſi dicat induxiſſe, & vſum fuiſſe plurium perſonarum operâ, manifeſtando numerum non determinatum, ſed ſub aliqua generalitate confuſa ſignificante pluralitatem, eodem prorſus modo, quo idem diximus *diſput. 29. ſect. 8. num. 4. & 5.* de ſcandalizante plures perſonas ſuo peccato ſcandali actiui: eſt enim eadem prorſus ratio in vtroque caſu. Vnde ſimiliter idem dicendum eſt, etiam quoad qualitatem, & conditionem perſonarum quæ fuerunt inductæ; debet enim inductor explicare conditionem, ac ſtatum ipſarum, eo modo quo idem dixi *ſectione 8. citata, numero 7.* de ipſo ſcandalizante. 6

***

Digitized by Google

SECTIO IV.

An auxilium Dæmonis ad aliquod maleficium ſit in Confeſſione aperiendum?

1 AD ipſam circumſtantiam, *Quibus auxiliis*, pertinet quoque auxilium Dæmonis, quod aliquis ſuperſtitioſè quærit, & procurat ad aliquem turpem finem conſequendum.

Ad quod explicandum breuiter ſuppono *primò*, ſuperſtitionem ratione rei cultæ, eſſe cultum Dæmonum. Quæ diuidi ſolet in quatuor ſpecies, in Idololatriã, Diuinationem, Obſeruationem vanam, & Magiam. Vel enim colitur diabolus, vt honoretur tanquam numen, & hæc eſt Idololatria; vel vt aliquid occultum reueler, & ſic eſt Diuinatio; vel vt iuuet, & dirigat in operando, & ſic eſt ſuperſtitio vanarum obſeruationum, quæ ſic dicuntur, cùm aliqua fiunt vel adhibentur ad aliquem effectum, ad quem nec à Deo, nec à natura vim habẽt, in quibus ſaltem tacitè inuocatur diabolus, eique attribuitur opus. Vel denique colitur dæmon, quando ope ipſius mira quædam & inſolita fiunt ab hominibus, ad aliquã noxam alteri inferendam, & eſt magia, quæ propriè dicitur maleficium, aut veneficium. Quod vere diſtinguitur à vanis obſeruationibus, tanquam aliquid deterius.

2 Suppono *ſecundò*, in hac quarta ſpecie Magię, quam Maleficium appellauimus, certiora & euidentiora eſſe indicia ſocietatis, & pacti cum Dæmone. Cùm enim tota hæc actio malefica ad deceptiones, impuritates, & iniurias ordinetur, præſefert diabolicum adiutorium: vnde in ſignis ipſis nihil conſpicitur, quod nõ oſtendat vanitatem, irreligioſitatem, manifeſtam iniuſtitiam, & ſæpiſſimè apertam idololatriam.

3 Suppono *tertiò*, Maleficium eſſe peccatum grauiſſimum, nam præter expreſſam Dæmonis inuocationem, quam continet, ac proinde ſocietatem & beneuolentiam erga illum, illi adiunguntur alia crimina grauiſſima, quæ ſuprà enumerauimus *ſectione prima numero* 4.

4 His præmiſſis, vt certiſſimum dicendum eſt, prædictum adiutorium Dæmonis à malefico inuocatum & imploratum cum reliquis malitiis, & criminibus ſpecie diſtinctis, illi adiunctis, eſſe in Cõfeſſione aperiendum. Quia continet grauiſſima delicta, & quamplurimas malitias ſpecie diuerſas in Confeſſione neceſſariò declarandas.

5 Vnde colligo *primò* cùm in ipſis maleficiis committi ſoleant grauiſſimæ iniuſtitiæ contra ſalutem, & vitam hominum, & alia temporalia damna eis faciendo, vel occidendo animalia, ſegetes deſtruendo, & ſimilia, ipſos maleficos, qui eas committunt, & faciunt operâ Dæmonis, ad reſtitutionem obligari. Ratio eſt, quia qui cauſã damni dat, damnum feciſſe cenſetur; ſed iſti malefici, ſeu venefici ſunt cauſa horum nocumentorum, tametſi operâ dæmonis tanquam miniſtri vtantur: ergo tenentur reſtituere. Sicut qui per Aſſaſinos alium occidit, vel eius res dilapidat, tenetur ad reſtitutionem. Firmo nam maleficus aliquando proximè cooperatur, moraliter loquendo, ad hæc damna; nam adhibet ſigna, quibus poſitis, dæmon infert nocumentum, alias nõ illaturus. Vnde tametſi dæmon ſit, qui maleficum conducit ad maleficium faciẽdum, mediante pacto cum illo inito; ipſe tamen maleficus eſt veluti inſtrumentum dæmonis ad illud damnum perpetrandum, nam eſt veluti cauſa moralis exhibens ſignum, ſine quo dæmon non operaretur ergo proculdubio tenetur ad reſtitutionem omnium damnorum.

Hinc colligo *ſecundò*, hanc obligationem non extingui, etiamſi maleficus corporaliter puniatur; nam per illam pœnam ſatisfit Reipublicæ, & Iuſtitiæ legali, non parti lęſę; nec Iuſtitiæ Cõmutatiuæ. Et ideò ſi talis maleficus bona reliquit, quæ ad hæredes tranſierunt, illi tenentur ad reſtitutionem, iuxta *c. in literis, de Raptoribus &c. & c. vlt. de ſepult.* Si verò ad fiſcum peruenerunt, fiſcus tenetur prius damna illata reſtituere, iuxta *leg. Nõ poſſunt, & leg. in ſumma, ff. de iure fiſci.* Vbi optima redditur ratio, quia quæ æri alieno obnoxia ſunt, in bonis defuncti non computantur. Verum hæc aliis etiam debitis communia ſunt: ſolùm aduertere voluimus, nihil eſſe in hoc delicto ſpeciale, quod hos maleficos, vel bona eorum excuſet ab hoc debito. Solùm notandum, excuſari maleficos à reſtitutione pro damno præcisè vitæ, vel mẽbri, vel cicatricis, ſicut & alios homicidas, & percuſſores. Quia pro his nihil debetur, eo quòd naturâ ſuâ ſint ſupra omne pretium pecuniarium, & humanũ, ſicut & bona ſpiritualia, ac proinde nequeunt conferri cum iis rebus quæ in humanos contractus veniunt. Vnde nec hæredes malefici homicidæ, qui ſuccedunt in illius obligationes, ſicut in iura, nõ tenentur compenſare damnum vitæ, quia eſt damnum ſuâ naturâ irreparabile; at vbi damnum naturâ ſuâ irreparabile eſt, non debetur reſtitutio lege Iuſtitiæ. 6

Colligo *vltimò*, meritò prædictos maleficos grauiter puniri à Iudicibus. Et quamuis propter hoc crimen pręcisè, maleficij nulla cenſura excommunicationis impoſita ſit, ipſo facto incurrenda; quia tamen ſæpiſſimè illud exercetur cum aperta hęreſi, ratione hęreſis, incurrit excommunicationem ipſo facto, & alias pœnas. Aduertit autem benè Suarez *tom. 1. de religione, tract. 3. lib. 2. c. 19. n.* 8. cùm pœnę hæreticorum tunc incurrantur, quãdo interna hæreſis exteriùs manifeſtatur, etiamſi occultiſſimè id fiat; ad incurrendas illas pœnas in hoc caſu ſatis eſſe, aliquam actionem huius artis maleficæ exteriùs exercere ex falſo errore, vel circa poteſtatẽ Dæmonis, vel circa eius malitiam, & damnationem, vel aliquid ſimile Fidei dogmatibus contrarium. Nã inuocatio Dęmonis ex tali credulitate, vel alia ſimilis actio, eſt ſufficiens manifeſtatio externa interioris hæreſis, & licèt occultè, vel cum ſolo Dæmone fiat, ſufficit ad cenſurã excommunicationis incurrendam, vt ex generali doctrina de Cẽſuris, & de hæreſi manifeſtè conſtat. Omiſſa culpa hæreſis, crimẽ maleficij punitur grauiter; ſi delinquẽs ſit Clericus, ordinariè punitur aliqua ſuſpenſione, & pœna detruſionis in Monaſterio: ſi laicus ſit, ſolet mitra infami catamidiatus publicè verberari; vel etiam in ſcala nudus, & melle vnctus publicè collocari. Quãdo verò huiuſmodi rei non ſolũ cõuincuntur eſſe hæretici relapſi, ſed etiam quando crimina ſunt atrocia, & habẽt adiuncta alia morte digna, remittuntur brachio ſæculari, & pœna capitali damnantur, & puniuntur. 7

DISPVTATIO XXXII.

De Quinta Circumſtantia, Cur, *ſeu fine, quándo debeat in Confeſſione explicari?*

CIrcumſtantia, *Cur*, id eſt ob quem finem, vel rationem pœnitens peccatum commiſerit, non ſumitur hic pro omnibus cauſis peccati,

Digitized by Google

ti, ſed ſolùm pro immediata cauſa finali, quam intellectus cognoſcit, & proponit voluntati, vt motiuum ad peccandum; éſtque illud quo immediatè reſpondere ſolemus interroganti, cur hoc fecerimus. Finis etiam ſumitur vt eſt circumſtantia; non eſt verò talis, niſi quando eſt finis extrinſecus: nam quando eſt intrinſecus, eſt potius obiectum. Includit autem huiuſmodi circumſtantia non ſolùm intentionem finis, propter quē operamur, ſed etiam electionem medij, & de vtroque videndum in hac Diſputatione, quando pœnitens teneatur vnum & aliud in Confeſſione explicare?

SECTIO PRIMA.

An quando aliquis peccat ex motiuo confidentiæ veniæ, & Iubilæi, debeat in Confeſſione explicare circumſtantiam confidentiæ?

1 CErtum eſt *primò*, debere explicari finem, qui de ſe habet malitiam grauem, tametſi medium nullam habet, vt cùm quis ſtudet propter finem fornicandi, vel furandi. Et de hoc non eſt præſens dubium, quia tunc malitia fornicationis, vel furti, non eſt circumſtantia, cùm non ſupponat obiectum malum, ſed eſt totum obiectum tribuens primam malitiam peccati. Idem eſt, ſi quis eat in agrum ad occidendum inimicum; tunc enim malitia homicidij etiam eſt prima peccati malitia.

Certum eſt *ſecundò*, hanc circumſtantiam extrinſecam finis tunc neceſſe eſſe confiteri, quando quis peccando intendit finem aliquem, qui continet malitiam mortalem diſtinctam à malitia medij, vt ſi quis furetur, vt poſſit ſe inebriare, aut occidat propter mœchiam. Vnde ſi quis præbeat eleemoſynam propter inanem gloriam; hæc circumſtantia finis, cùm non contineat malitiam mortalem, non eſt neceſſariò confitenda. Idem nunc quærimus, an ſit confitendus alius extrinſecus finis nempe confidentiæ miſericordiæ Dei, & Iubilæi, vel Bullæ Cruciatæ, ſeu alterius priuilegij, quando eius ſpe peccatur.

2 Circa primum, verius mihi videtur, quando quis peccat ex miſericordiæ Dei confidentia, confidẽdo ſcilicet, quòd remittetur ſibi peccatum quod committit, non teneri hanc circumſtantiam confidentiæ, & ſpei veniæ explicare. Ita Caiet. 2. 2. q. 21. art. 2. Nauarrus *in ſumma cap. 6. num* 4. Viualdus *de abſolutione num.* 4. & alij. Ratio eſt, quia prædicta circumſtantia non mutat ſpeciem peccati. Imò nec aggrauare, ſed peccatum minuere docet expreſsè D. Thom. *dicta quæſt.* 21. *artic.* 2. *ad* 3. ſic dicens: *Peccare cum propoſito perſeuerandi in peccato ſub ſpe veniæ, ad præſumptionem pertinet. Et hoc non diminuit, ſed auget peccatum. Peccare autem ſub ſpe veniæ quandoque percipiendæ, cum propoſito abſtinendi à peccato & pœnitendi de peccato, hoc non eſt præſumptionis, ſed hoc peccatum diminuit; quia per hoc, videtur habere voluntatem minùs firmandam ad peccandum.* Hæc D. Thomas ſuper verba dicta aduertit Caietanus ibi, eſſe vulgarem errorem putantium, quòd peccans ſub prætextu, quòd poſtea confitebitur, & faciet pœnitentiam; peius faciat. Habes enim hinc quod diminuit, non aggrauat peccatum; eſt enim voluntatis tranſitoriæ, & non pertinacis in malo.

3 Placet in hac re, quod rectè notauit Cardinalis de Lugo *diſput.* 16. *ſect.* 11. *num.* 496. dicens, confidentiam hanc tripliciter poſſe contingere. *Primò*, ſi quis ſperet, quòd etiam ſine pœnitentia propria, Deus illi remittet peccata: & hæc quidem eſſet præſumptio hæretica, & neceſſariò confitenda. Verum hoc ferè nunquam, aut rariſſimè contingit in hominibus fidelibus. *Secundò*, ſi quis peccaret cum propoſito agendi pœnitentiam citò, & cũ ſpe obtinendi veniam. Et de hac circumſtantia rectè dixit D. Thomas, & Caietanus non eſſe circumſtantiam aggrauantem, ſed potiùs minuentem peccatum, quia arguit voluntatem minùs firmam in malo. *Tertiò*, ſi quis peccat cum propoſito perſeuerandi in peccato, ſed cum ſpe veniæ, & hæc videtur eſſe præſumptio, aggrauans quidem, ſed non mutans ſpeciem peccati, & ideò nec circumſtantia explicanda.

Circa ſecundum, de alia confidentia, vel Iubilæi, vel Bullæ Cruciatæ, ſimiliter dico non eſſe explicandam in Confeſſione, quia nec mutat ſpeciem peccati, & quia non multùm variat iudicium Confeſſoris. 4

Obiicies, ſi quis ex confidentia Iubilæi committit peccatum reſeruatum, quod non eſſet commiſſurus, niſi daretur Iubilæum, non poteſt abſolui ab illo per ipſum Iubilæum: & idem eſt de eo, qui ex confidentia Bullæ Cruciatæ, vel alterius priuilegij, faciliùs committit caſum reſeruatum, quia eſt doctrina Couarruuiæ *libr.* 2. *var. cap.* 20. *num.* 18. & aliorum Canoniſtarum, quòd priuilegium mereatur amittere, qui peccat ſpe illius. Vnde hac de cauſa, qui in vna Eccleſia delinquit, ſpe priuilegij immunitatis alterius, amittit ipſam immunitatem, & priuilegium illius. *Reſpondeo*, negando Antecedens, quia priuilegium tantùm valet, quantùm ſonat; & Indulgentiæ ſunt latiſſimè interpretandæ: ideò enim Indulgentiæ dicuntur, quia omnibus indulgent omnia, præter reſeruatos caſus in ea Indulgentia; atque adeò cùm eiuſmodi caſus confidentiæ in eo priuilegio, & Iubilæo non excipiatur, neceſſariò dicendum eſt, gaudere prædicta Indulgentia, & Iubilæo. Illud verò dictum, Quòd priuilegium mereatur amittere, qui peccat ſpe illius; intelligendum eſt, quando ita exprimitur in priuilegio, in Bulla, vel indulto, aliàs non. Ad illud, quod dicitur, non gaudere immunitate eum, qui committit delictum in vna Eccleſia, ſpe immunitatis alterius, non eſt vniuerſaliter verum, quia delinquens in loco ſacro, gaudet immunitate alterius loci ſacri; in omnibus caſibus, in quibus gaudet immunitatē, ſiue delinquat ſpe immunitatis illius, ſiue non. Quia ſummus Pontifex *in cap. vltimo, de immunitate Eccleſiæ*, quando excipit aliquos delinquentes ab huiuſmodi immunitate, non fundatur in ſpe, ſed in qualitate delicti. Vnde ſiue committant illud in Eccleſia, ſiue ſpe defenſionis illius, ſiue non; ſi tamen delictum fuerit ex conditione illorum, quorum patratores gaudent hac immunitate, illâ gaudebunt; & ita in vſu, & conſuetudine receptum eſt, quia vſus etiam ita legem illam exponit, vt rectè notauit Suarez *tom.* 1. *de Religione, lib.* 3. *cap.* 11. *num.* 6. & Fagundez 2. *precepto, libr.* 4. *cap.* 4. *num.* 45.

SECTIO II.

An in peccato inobedientiæ propter contemptum, circumſtantia contemptus ſit in Confeſsione exprimenda?

SOlet aliquando peccato inobedientiæ adiungi finis extrinſecus contemptus. Ratio autem dubij eſt, quia communiter Doctores cum D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 186. *art.* 9. *ad* 3 dicunt eiuſmodi contemptum eſſe peccatum mortale in Confeſſione declarandum, quia ſentiunt tranſgreſſionem legis humanæ in materia minima, quę ſolùm ex parte obiecti venialis eſt, eſſe mortalem, ſi fiat 1

ex

ex contemptu. Ex quo manifeſtè ſequitur, contemptum ipſum ſemper eſſe peccatũ mortale, quia, Propter quod vnũquodq; tale, & illud magis: ergo ſi tranſgreſſio præcepti leuis, ſeu in materia leui, eſt ſemper mortalis, ratione contemptus, multò magis ipſe contemptus erit ſemper crimen mortale. Ex alio verò capite, id non videtur admittendum: nam ſi quis mendacium proferat ex contemptu quodam, quia pro nihilo reputat illam inordinationem, non ideò peccat mortaliter, quia in illo contemptu non apparet tam grauis deordinatio. Si quis etiam proximo dicat leue conuicium, ex contemptu eius non ideò ſtatim peccat mortaliter, quia tota illa actio cum illa formalitate contemptus, non tranſcendit rationem iniuriæ quæ in illa materia leuis eſt; Igitur ſimili modo, ſi quis nolit obedire Prælato in re minima, ſolum vt oſtendat, ſe parui pendere illum, non videtur peccare mortaliter, quia tota illa poteſt eſſe leuis iniuria.

2 Pro explicatione obſeruandum eſt *primò*, contemptũ vitioſum, de quo modo ſolùm eſt quæſtio, eſſe poſſe in intellectu, & in affectu interno volũtatis, & in opere externo, ſeu omiſſione. Contemptus qui eſt in intellectu, conſiſtit in iudicio, quo res aliqua, vel perſona in minori æſtimatione habetur, quam par ſit, ac dignitati eius habeatur: in affectu voluntatis contemptus eſt, velle habere hanc vilem æſtimationem de alio, ac velle illam verbo, aut opere oſtẽdere, & in aliis generare: denique in opere contemptus eſt, quidquid exterius fit, intentione deſpiciendi alium, vt ab aliis parui æſtimetur, vel vt operans oſtendat ſe pro nihilo illum æſtimare.

3 *Secundò* eſt obſeruandum, Prælatum præcipientem, ſumi poſſe vel formaliter, quatenus Prælatus, vel ſuperior eſt, vel quatenus quidam homo eſt ignobilis, imprudens; ſimiliter contemptus illius duplex eſſe poteſt; aut enim eſt contemptus præcipientis, vt Prælatus eſt, aut ipſius, vt talis homo eſt.

4 His præmiſſis Dico *primò*, certum eſſe, tranſgredi legem ex contemptu Dei legiſlatoris, ſemper eſſe peccatum mortale in Confeſſione declarandum. Patet, quia eſt magna irreuerentia directè intendere contemptum Dei, ſeu quocumque ſigno externo, oſtendere indignã de Deo æſtimationem. Vnde licèt talis tranſgreſſio ſit in ſe, ex parte obiecti quid minimum; imò licèt per ſe non ſit culpa, ſed alicuius cõſilij omiſſio, nihilominùs in ratione ſigni imperati ab interno contemptu, habet grauem inordinationem, ac irreuerentiam contra Religionem.

Dico *ſecundò*, tranſgredi legem humanam ex contẽptu formali legiſlatoris humani, quatenus quidã homo eſt, & habet aliquem defectum ignobilis, vel imprudẽtis, ſic poſſe eſſe veniale peccatum ex leuitate materię. Ratio eſt, quia tunc non contemnitur eius poteſtas, ſed circa perſonam eius quædam animi amaritudo oſtẽditur. Cauendum tamen eſt, ne talis contemptus, & modus reſiſtẽdi præcepto Superioris ex indignatione aliqua, vel interiori deſpectu perſonę illius, redundet in contẽptum poteſtatis illius etiam circa minima, quia tunc iam erit contemptus formalis Prælati vt ſic, & peccatum mortale, vt ſtatim dicam.

5 Dico *tertiò* tranſgredi legem etiam minimam, ac leuiſſimam ex contemptu formali Superioris, vel Prælati, quatenus Prælatus eſt, & à Deo habet authoritatem ſemper eſſe peccatum mortale, & in Confeſſione fatẽdum: Ita ſentiunt communiter omnes Doctores, & defendunt Sanchez *lib. 1. Decalogi, c. 5. n. 13.* Leſſius *de iuſtitia, c. 46 n. 45. & 46.* & Suarez *tom. 3. de religione, lib. 10. c. 6. n. 7.* Ratio eſt, quia illud eſt contemnere poteſtatem Prælati; at tunc contemnitur, quatenus repræſentat Deum, & vices eius gerit: vnde talis contemptus redundat in contemptum Dei iuxta illa verba Chriſti domini *Lucæ 10. Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit.* Vnde in hoc ſenſu intelligendus eſt D. Bernardus *lib. 1. de præcept. & diſpenſ.* cùm dixit, nolle obedire, eſſe intolerabilem blaſphemiam. Et etiã cum dixit: *Siue Deus, ſiue homo mandatum quodcumque tradiderit, pari proſectò obſequendum eſt cura, pari reuerentia deferendum.* Firmatur, nam per talem contemptum, verè agitur cõtra ius Pręlati vt ſic, & quantũ eſt ex parte cõtemnentis, infertur illi iniuria, vel nocumentum etiam, quoniam vnuſquiſque habet ius, vt in æſtimatione debita habeatur, vt conuenienter ad illam tractetur; nam hoc ad honorem, vel cultum vnicuique debitum neceſſarium eſt: atque inter homines magnam habet vtilitatem, ideòque huiuſmodi contemptus magna iniuria reputatur: ergo ſemper eſt peccatum mortale.

Ex his colligo *primò*, tranſgreſſionem exterioris legis 6
in lege minima, tunc eſſe ex dicto contemptu formali, quando oritur ex imperio contemptus interioris, itavt illa exterior tranſgreſſio ex vi talis imperij, fiat quidam contemptus exterior. Nam, vt conſtat, actus exterior accipit malitiam formalem, & præſertim extrinſecam, & accidentalem ab actu interiori: ergo cùm tranſgreſſio legis in re minima, neque in actu exteriori, neque in voluntate, quæ illum reſpicit vt obiectum, habeat de ſe malitiam mortalem, ſi ex contemptu illam recipit, ideò eſt, quia imperatur ab aliquo interiori actu habente malitiam mortalem; qui actus eſt & appellatur contemptus; & ideò tranſgreſſio illa dicitur eſſe ex contemptu.

Colligo *ſecundò*, malitiam mortalem, quam habet 7
leuis tranſgreſſio ex contemptu, eſſe diuerſæ ſpecie ab ab ea quæ eſt ab obiecto, vel ab ea quæ habetur ſine contemptu. Patet, quia illa circumſtantia eſt alterius ſpecie, & contra aliam virtutem, nempe contra obſeruantiam, & reuerentiam Prælato vt ſic debitam. Adde malitiam iſtam grauem ex contemptu addi actioni, etiamſi ex obiecto mala non ſit, vt patet in omiſſione conſilij; ſignum igitur eſt, addere malitiam ſpecie diſtinctam, & conſequenter in Confeſſione aperiendam.

Ex his conſtat ſolutio ad rationem dubij initio Sectionis adductam. Prima illius pars firmat benè noſtrũ tertium Dictum. Secũda verò pars, illis exemplis ſolùm probat ſecundum Dictum. Vnde ſi quis nolit obedire Prælato in re minima parui pendendo illum, quia eſt infimæ ſortis, vel imprudens; dummodò ſeruet illi obedientiam reſpectu præceptorum maioris momenti, poteſt venialiter ſolùm peccare; cæterùm, ſi illum parui pendat abſolutè vt Prælatus eſt, grauiter delinquere neceſſe eſt, quia illa malitia grauis eſt, quoniam per talem contemptum, agit contra ius Prælati, vt nimirùm in æſtimatione debita Prælati habeatur, & ei debitus honor deferatur; id autem contemnere, grauis iniuria eſt, ac proinde peccatum mortale eſt.

SECTIO III.

An circumſtantia finis mali poſſit ſeorſim explicari in Confeſſione?

CErtum eſt apud omnes, ſi contingat, vt ad peccandum concurrant ſimul duo actus mali, habentes 1
diuerſas

diuerſas ſpecie malitias, ſcilicet intentio finis,& electio medij,reſpectu cuius ille finis dicitur eſſe circumſtantia, vt cùm quis furatur propter mœchiam, debere vtrumque peccatum explicari in Confeſſione,quia vtrumque eſt materia neceſſaria Confeſſionis. Solùm igitur eſt difficultas,an circumſtantia finis mali poſſit ſeorſim explicari,vt v.g. furatus es propter mœchiam,& confeſſus es furtum,oblitus deſiderij mœchandi,quæritur an poſſis in alia Confeſſione confiteri hoc deſiderium mœchiæ abſque illo furto.

2 Negant Sylueſter *verbo,Confeſſio 1.art.10.*Nugnus *in addit.ad 3.p.q.9.a.2.dub.3.*& alij.Probari poteſt *primò*,quia ſi quis Confeſſus eſt decem peccata copulæ illicitæ,partim cum ſolutis,partim cum nuptis,& oblitus ſit circumſtantiæ violentiæ, non ſatisfacit, poſteà explicando ſolam circumſtantiam violentiæ : ergo ſimiliter in præſenti,explicato iam furto , non ſatisfit poſteà explicando ſolam circumſtantiam mœchiæ.

Secundò , ſi id eſſet verum, ſequeretur,quòd non ſolùm in ſequenti Confeſſione , ſed in eadem, poſſe aliquem diuidere circumſtantiam mœchiæ, eámque ſeorſim confiteri,ſi v.g.priùs accuſet ſe de furto,poſteà verò ſe accuſet de mœchia.

Tertiò , niſi vtraque malitia ſimul explicetur , neutra ſufficienter explicatur. Probatur , quia licèt ſint verè duæ malitiæ ſpecie diſtinctæ,ſingulæ tamen ex conſortio alterius augentur in proprio genere. Patet, quia quò magis liber eſt actus,cæteris paribus,eò grauior eſt eius malitia, cum potuerit faciliùs relinqui ; ſed quando cum furto apparet ſimul mœchia, reddit magis difficilem affectum furti , cùm ſint iam plura quæ inclinant ad illud fugiendum : ergo ipſemet affectus furti liberior eſt , & grauioris malitiæ intra proprium genus; quæ tamen maior grauitas non explicatur , dum omittitur circumſtantia mœchiæ.

Vltimò , ſi duplex illa malitia diuidi poteſt , poterit etiam pœnitens, qui ſe accuſarit de furto decem nummorum aureorum , ſi poſtea recordetur, fuiſſe viginti, poterit in Confeſſione ſequenti confiteri , quòd furatus fuerit decem : nam hoc ſolùm reſtabat confitendum ; & iam in vtraque Confeſſione explicata manet tota illius malitia peccati.

Contrariam ſententiam affirmantem iudico veriorem , quam tenent Angelus *verbo Interrogatio* , §. 6. Nauarrus *in Manuali , cap. 6. num. 2.* Diana *tom. 1. tract. de circumſtantiis reſolut. 23.* Cardinalis Lugo *diſput.16.ſect.16.num.661.* & alij. Quam *ſequentibus Dictis* magis diſtinctè declaro.

3 Dico itaque *primò* , certum eſſe in exemplo allato de eo,qui furatur propter mœchiam, ſi in Confeſſione confeſſus eſt furtum, & oblitus eſt circumſtantiæ mœchiæ, teneri poſteà illam confiteri. Patet. Tum quia non expleuit obligationem ſuam , ſed tantùm excuſatus eſt : ergo ſemper manet eadem obligatio. Tum etiam, quia ſpecialis malitia ſumpta ex illa circumſtantia, non fuit per ſe remiſſa per illam abſolutionem , ſed tantum per accidens : ergo ſubiici debet Clauibus, vt per ſe remittatur. Tum denique , quia eſt regula generalis, & omninò vera , quoties aliquid per ſe eſt de neceſſitate, vel integritate Confeſſionis,ſi ex obliuione,vel alia legitima cauſa omittitur,in alia Confeſſione, ſi fieri poſſit,explicandum eſſe.

4 Dico *ſecundò*, poſſe ſeorſim illas duas malitias explicari accuſando ſe prius de peccato furti , & poſteà de peccato mœchiæ. Ratio eſt , quia licèt illæ malitiæ habeant aliquam ſubordinationem inter ſe medij, & finis; reipſa tamen eſt ibi duplex malitia in ſpecie infima, videlicet furti,& mœchiæ, quarum ſingulæ poſſunt ſeorſim ſufficienter explicari, & malitia quæ in furto deſumitur à mœchia,ad quam ordinatur,non eſt alia ab ea, quæ reperitur in intentione mœchiæ, & ſimiliter malitia furti,quæ reperitur in intentione mœchiæ,non eſt diuerſa à malitia ipſius furti ſecundùm ſe:ergo qui confitetur furtum,& mœchiam,etiamſi non explicet ſe ordinaſſe vnum ad aliud , ſufficienter explicat ſuum ſtatum;ergo ad aliud non tenetur.

Hinc dico *tertiò*,non ſolùm in ſequenti Confeſſione, 5
ſed in eadem poſſe eum , qui furatus eſt propter mœchiam,diuidere hanc circumſtantiam , eámque ſeorſim confiteri , vt dicendo , Commiſi furtum & mœchiam, non explicando mœchiam fuiſſe circumſtantiam furti. Probatur propter paritatem rationis,nam iſtæ duæ malitiæ ſufficienter explicari poſſunt , non explicando connexionem earum inter ſe ;& illa connexio, ſeu coniunctio non variat iudicium Confeſſoris , nec addit ſpecialem grauitatem.

Ad argumenta contrariæ ſententiæ.Ad primum con- 6
ceſſo Antecedente,negatur Conſequentia :nam in illo exemplo , eſt peculiaris ratio, ob quam non poſſit circumſtantia ſeorſim explicari , quia non poteſt explicari violentia ſecundùm propriam ſpeciem vltimam,niſi explicetur peccatum,cui aduenit. Ratio eſt,quia violentia ſecundùm ſe conſiderata , non habet ſpeciem infimam, & completam in ratione violentiæ,ſed eſt ratio generica indifferens ad hanc & illam violentiam. Nam violentia accipit ſpeciem ſuam ex illo damno , quod per violentiam infertur ; eſt enim peccatum contra Iuſtitiam,quod ſpecificatur à iure illo quod læditur. Cùm enim diuerſa ſint in ſpecie iura , quæ quis habet ad vitam,ad honorem,ad pecuniam,&c.& hæc iura poſſint terminare iniurias ſpecie diuerſas , non poteſt explicari ſpecies illius iniuriæ , & violentiæ etiam in ratione iniuriæ , niſi explicetur damnum quod infertur. Hoc autem certò conſtat diuerſum eſſe in nupta, & in ſoluta. Idem dicendum in homicidio,v.g. Sacerdotis:non enim poteſt explicari poſteà circumſtantia perſonæ ſacræ occiſæ, niſi explicetur homicidium , quia peccatum ſacrilegij eſt ratio generica,quæ continet ſub ſe diuerſas ſpecies , quæ non poſſunt explicari , niſi explicetur peccatum homicidij , cui aduenit talis circumſtantia. Hoc autem non inuenitur in alia circumſtantia mœchiæ,reſpectu furti , quæ optimè poteſt explicari , licèt non debeat explicari furtum.

Ad ſecundum , concedenda eſt Sequela , vt conſtat ex *Dicto tertiò*.

Ad tertium ; tametſi concedatur , ex conſortio circumſtãtiæ alterius augeri malitiam obiecti;tamen cùm totum id augmentum ſit propter maiorem libertatem actus;& hæc libertas maior non ſit neceſſariò explicanda in Confeſſione,conſequens eſt,vt poſſit ſufficienter explicari malitia , quæ prouenit ex obiecto , non explicatâ circumſtantiâ , ex qua refunditur augmentum libertatis , & malitiæ in illam eandem malitiam,quæ explicatur.

Ad vltimum , dico eſſe manifeſtam diſparitatem nam qui furatus centum , dicit , ſe furatum quinquaginta , ſignificat ſe ſola quinquaginta furatum , quod cùm ſit falſum , iam non confitetur furtum quod fecit, ſed aliud quod non fecit, atque ideò vt confiteatur verum peccatum , debet dicere veram materiam illius peccati , & nullo modo debet dicere aliam materiam diuerſam falſam. Quod optimè notauit Vaſquez *quæſt. 91. artic. 1. dub. 3.* Ad hoc non reperitur in noſtro caſu præſenti , atque ideò manifeſta eſt diſparitatis ratio.

* *

SECTIO

Digitized by Google

SECTIO IV.

An quando finis non eſt ex ſe malus, medium verò malum ſit, debeat explicari etiam finis in Confeſſione?

1 QVæſtio procedit de illo, qui in die feſto omiſit Miſſam propter ſtudium, ex ſe non malum, vtrum debeat explicare finem, nempe ſtudium, an ſolam omiſſionem Sacri? Idem eſt, ſi ſit peccatum commiſſionis, vt ſi furatus quis eſt propter ſtudium, an ſufficiat explicare furtum, non explicato fine ſtudendi.

2 Affirmant nonnulli inter quos Cumel 1. 2. *q.* 71. *art.* 5 *diſp.* 4. Probant primò, quia qui peccat mortaliter vt ſtudeat, conſtituit in ſtudio finem vltimum: ergo tunc ſtudium eſt per ſe malum in Confeſſione explicandum.

Secundo, qui contra obedientiam Prælati hic & nunc comederet, non ſolum peccaret contra Obedientiam, ſed etiam contra Temperantiam, quia eo ipſo quod Prælatus illi prohibeat talem comeſtionem, Temperantia inclinat ad illam vitandam: ergo eodem modo, quando Religio prohibet ſtudium, vt audiatur Miſſa, eo ipſo virtus ſtudioſitatis inclinat ad fugiendum illud ſtudium.

Tertio, peccatum commiſſionis, & omiſſionis differunt ſpecie, ſed omiſſio ſacri eſt peccatum omiſſionis, & voluntas ſtudendi eſt peccatum commiſſionis: ergo illa duo differunt ſpecie; ergo vtrumque in Confeſſione explicandum.

Quartò, ponere aliquid incompoſſibile ex ſe cum præcepto, eſt peccatum etiam ex ſuppoſitione volendi non adimplere præceptum: ergo velle ſtudere eo tempore, quo eſt incompoſſibile cum auditione Sacri, eſt peccatum fatendum. Antecedens patet exemplis, primò, quia alias ſequeretur, Sacerdotem nauigantem, qui decreuit toto nauigationis tempore, non recitare Officium, non peccare, ſi ex ſuppoſitione illius praui affectus, proiiciat Breuiarium in mare. Secundò, furem qui habet animum non reſtituendi pecunias ablatas non peccare ſi ex illa ſuppoſitione eas expendat, & reddat impoſſibilem reſtitutionem. Tertiò, eum, qui emiſſo Caſtitatis voto, decreuit illud non ſeruare, non peccare, ſi ex ſuppoſitione illius decreti, ducat vxorem.

Vltimo, Quiſque tenetur relinquere ſtudium vt eat ad audiendum Sacrum: ergo ſtudium tali tempore eſt contra obligationem non ſtudendi; ergo eſt peccatum contra virtutem ſtudioſitatis: ergo & explicandum in Confeſſione.

3 Communis tamen ſententia Doctorum quos refert & ſequitur Diana *tom. 1 de circumſtantiis aggrauantibus reſolut.* 62. & Cardinalis de Lugo *diſp.* 16. *ſect.* 11. docet voluntatem illam ſtudendi, tametſi mala ſit, non habere malitiam ſpecie diuerſam a malitia omiſſionis Miſſæ, & conſequenter non oportere illam voluntatem exprimere, ſed ſufficere voluntariam Miſſæ obligationem fateri. Idemque dicendum, ſi omittatur Sacrum propter luſum honeſtum, vel propter confabulationem amicorum, vel ob aliquid ſimile, dummodò illud ex ſe non ſit peccatum mortale: eadem quoque eſt ratio, ſi quis furetur propter ſtudium.

4 Hæc opinio mihi valde placet. Ad cuius maiorem declarationem, agam in particulari de ipſo ſtudio: eſt autem *primo* obſeruandum virtutem ſtudioſitatis ſecundum ſe ſolum inclinare, ac petere ſtudium ſufficiens ad ſciendum quæ oportet ſcire; & conſequenter excludere exceſſum, quo volumus ſcire ſuperflua, & noxia. Atque hanc virtutem ſtudioſitatis D. Thom. 2. 2. *q.* 166. *art.* 2. *ad* 1. computat inter Virtutes morales, quæ affectum & ſtudium cognoſcendi intra rectæ rationis normam amat, & mouet. Quare officium primarium huius virtutis eſt, impellere, & incitare ad ſtudium neceſſarium ſtatui, vel etiam congruum, vt quis in eo langùide minimè ſe gerat, & congrua adminicula adhibeat. Secundarium eſt, moderari ipſum ſtudium, ac refrænare exceſſum in acquirenda ſcientia, vel ea vtenda, vt nimirùm non excedamus rectæ rationis regulam in ſtudio ac diligentia, ac fine, & cæteris circumſtantiis. Et quia plures ſunt qui in rebus neceſſariis vel vtilibus addiſcendis deficiunt, quam excedunt; ideò hæc virtus potius ab impellendo, quam à refrænando, ſtudioſitas appellatur.

Hinc *ſecundò*, obſeruare libet, virtutem ſtudioſitatis, cùm ex ſe ſolum petat ſtudium ſufficiens ad ſciendum, quæ ſcire oportet; & excludat exceſſum, quo quis vult ſcire ſuperflua, non habere immediatam oppoſitionem formalem cum ſtudio in die feſto impediente Sacrum. Patet, quia eiuſmodi ſtudium ſolum formaliter opponitur rectæ rationi præcipienti Sacrum in die feſto, quæ non eſt ſpecialis ratio virtutis ſtudioſitatis, ſed virtutis Religionis. Et quamuis hæc ſufficiat oppoſitio, vt prædictum ſtudium, ſit malum, ac inhoneſtum, quia eſt immediate contra virtutem Religionis honeſtam, & ſanctam, non tamen inde ſequitur quod formaliter opponatur virtuti ſtudioſitatis, quia non eſt contra ſpecialem rationem formalem illius. Id manifeſte oſtenditur exemplo virtutis Temperantiæ, & liberalitatis. Qui enim comedit bona non ſua, & propria, ſed aliena tametſi peccet contra Iuſtitiam, ſed non peccat contra Temperantiam, ſi temperatè comedat. Cur ita? quia Temperantia ex ſe ſolùm exigit victum neceſſarium ad ſuſtentationem corporis, cui opponitur nimia abſtinentia, vel inſenſibilitas, & excludit ſuperfluum, & noxium ipſi corpori, cui opponitur gula. Idem videre licet in virtute Liberalitatis, quæ mouet, & inclinat, ac præcipit ſumptus neceſſarios, ac moderatos, cui opponitur formaliter prodigalitas, quæ eſt exceſſus ſumptuum, & etiam auaritia, quæ prohibet ſumptus neceſſarios, ac debitos. Qui ergo facit ſumptus moderatos, ſed cum ſcandalo proximi, quod vitare tenetur, non peccat contra virtutem Liberalitatis, quæ ſolum excludit prodigalitatem, & auaritiam, ſed contra Charitatem. Hoc ipſum dicendum eſt cum proportione de ſtudioſitate, quæ inclinat ad ſtudium neceſſarium, & congruum, & excludit ſuperfluum; non verò formaliter opponitur ſtudio impedienti Sacrum in die feſto, cui directe & formaliter opponitur virtus Religionis.

6 His præmiſſis. Dico *primò*, ad præſentem quæſtionem, negari non poſſe, ſtudium, propter quod omittitur Miſſa in die feſto, eſſe peccatum mortale. Patet, quia quandocumque appetitus ſciendi eſt cauſa committendi alicuius peccati mortiferi, quacumque ratione id fiat, eſt peccatum mortiferum; ſed ſtudium prædictum eſt cauſa omittendi Sacrum in die feſto contra præceptum Eccleſiæ, obligans ad illud audiendum ſub mortali: ergo eſt mortiferum.

7 Dico *ſecundò*, prædictum ſtudium, quod eſt peccatum mortiferum, nullam aliam habere malitiam ſpecie diuerſam a malitia omiſſionis Sacri, atque ideò non eſſe contra virtutem ſtudioſitatis, ſed ſolius Religionis. Hoc conſtat manifeſte ex doctrina propoſita *numero quinto*. Quia illud ſtudium

vt ſupponitur, eſt ad ſciendum quæ oportet ſcire: ergo nullo modo eſt contra virtutem ſtudioſitatis; ergo tota malitia illius prouenit ſolùm à malitia omiſſionis Sacri: ergo ideò eſt malum, quia eſt cauſa omiſſi Sacri contra virtutem Religionis illud præcipientis; ergo hanc vnicam tantum malitiam irreligioſitatis ſortitur.

8 Dico *tertiò*, ſolam malitiam omiſſionis Miſſæ eſſe explicandam in Confeſſione, & non eſſe obligationem explicandi finem extrinſecum, nempe ſtudium. Hoc ſequitur ex *præcedenti Dicto*: nam ſi vnica, & adæquata malitia peccati, eſt ſola omiſſio Sacri: ergo ſola illa eſt exprimenda. Firmatur, nam ſtudium in eo caſu, tametſi accipiat malitiam, eam tamen accipit ſolùm ab omiſſione Sacri; hanc enim verè, & moraliter cauſat, & ideò ſolùm eſt peccatum: ergo eâ malitia explicatâ, cum dicitur à pœnitente ſe omiſiſſe voluntariè Miſſam, nec finis ipſe ſtudendi extrinſecus, nec aliquid aliud reſtat amplius explicandum, quia illud peccatum non habet malitiam ex fine, ſed ex medio tantum, quandoquidem explicato obiecto electionis, explicatur tota malitia peccati. Non ergo oportet explicare illum finem, nempe amorem ſtudij. Nam eo ipſo quòd pœnitens dicit ſe reliquiſſe Miſſam in die feſto, ſignificat ſe id feciſſe ex amore alicuius rei; neque enim poterat omittere Miſſam, niſi propter aliquod malum, quod in audienda Miſſa repræſentabatur, vel propter aliquod bonum quod impediebatur: quod autem illud fuerit bonum ſtudij, vel aliud, parum refert, nec eſſet explicandum, niſi illud obiectum ex ſe haberet aliunde malitiam, vt ſi omiſiſti Sacrum propter mœchiam; & tunc eſt vtrumque explicandum modo dicto *præcedenti ſect. 3*.

9 Dico *vltimò*, multò minùs explicandum eſſe ſtudium in Confeſſione, quando illud ſumitur ex ſuppoſitione, quòd non audiatur Miſſa, ne homo ſit otioſus. Hoc certum videtur, quia ex ſuppoſitione iam poſita, melius eſt ſtudere, quàm otioſum eſſe: ergo licèt ſuppoſitio ſit mala; id tamen quod poſteà eligitur, non eſt malũ, nec peccatum, cùm non accipiat malitiam ab omiſſione Sacri quam non cauſat; non enim poteſt eſſe cauſa id quod non eſt prius, ſed poſterius.

10 Ad argumenta primæ ſententiæ. Ad primum, negandum eſt, eum, qui omittit Sacrum in die feſto propter ſtudiũ, habere iſtud pro vltimo fine ſuo ſimpliciter, ad quem omnia ſua dirigat; quod ſine dubio eſſet per ſe grauiſſimum peccatum mortale: ſed pro vltimo fine operis, ſeu omiſſionis; quod per ſe loquendo non eſt peccatum: nam qui die non feſto omittit Sacrum audire vt ſtudeat, eodem modo habet ſtudium pro vltimo fine huius omiſſionis, & tamen non peccat. Quare intendere talem finem per tale medium, non habet in ſe malitiam diſtinctam à malitia medij; atque ideò talis circumſtantia finis non eſt explicanda in Confeſſione; præſertim quia ſiue omittam Sacrum propter ſtudium, ſiue propter honeſtum ludum, ſiue vt confabuler cum amicis, ſiue ob alium finem in ſe grauiter non malum, omiſſio eandem planè habet malitiam; eſt igitur finis omninò impertinens ad eius cognitionem.

Ad ſecundum, conceſſo Antecedente, negatur Conſequentia, ob manifeſtam diſparitatem, nam Prælatus imponens præceptum, formaliter intendit rectitudinem propriam illius virtutis, quam præcipit: ſic præcipiens ieiunium, intendit formaliter honeſtatem ac rectitudinem Temperantiæ. Vnde qui tunc non ieiunat, peccat contra Temperantiam, quæ intenditur à præcipiẽte. At verò Religio quando prohibet ſtudiũ, vt audiatur Miſſa, non intendit rectitudinem, ac honeſtatem ſtudioſitatis, ſed cultum Dei, atque ideò qui tunc ſtudet, non deficit formaliter à rectitudine ſtudioſitatis, ſed à rectitudine Religionis, quæ ſola intenditur, & à qua deſumitur ſpecies, & formalitas illius peccati.

Ad tertium, tametſi verum ſit, voluntatem ſtudendi in genere phyſico, eſſe quid poſitiuum; in ratione tamen peccati eſſe peccatum omiſſionis, cum ſolum opponatur præcepto affirmatiuo audiendi Sacrum; vnde in ratione peccati non differt ſpecie ab omiſſione Sacri.

Ad quartum dico, Antecedens cum illis exemplis verum eſſe, quando ponitur aliquid incompoſſibile, quod non ſolum impedit obſeruationem præcepti præſentem, ſed etiam reddit illam impoſſibilem pro tempore ſequenti, quia reſpectu temporis ſequẽtis verè ſe habet antecedẽter & vt cauſa: licet enim ſit iam poſita voluntas non obſeruandi præceptũ tempore ſequenti; hæc tamen voluntas non affert neceſsitatem ad tempus ſequens, quia cùm poſsit mutari, ſemper remanet poſsibilis obſeruatio pro tempore ſequenti. Hac de cauſa, qui proiecit Breuiarium in mare, peccauit denuò, & debet id explicare, quia appoſuit cauſam, & impotentiam nõ recitandi poſtea. Similiter fur, qui conſumpſit pecunias furtiuas, debet explicare furtum, & tempus, quo potuit reſtituere, & non reſtituit. Denique qui poſt votum Caſtitatis ducit vxorem, debet explicare quòd ſe expoſuit periculo violandi votum. 11

Ad vltimum, diſtinguendum eſt Antecedens: tenetur immediatè relinquere ſtudium, hoc eſt ex ſuppoſitione quoque voluntatis non audiendi Sacrum, negandũ eſt; tenetur mediatè, hoc eſt habere voluntatẽ audiẽdi Sacrum, quâ poſitâ ceſſet voluntas contraria, ex cuius ſuppoſitione nunc conſequitur voluntas ſtudendi, concedendum eſt: inde tamen nõ ſequitur, ſtudium ipſum eſſe peccatum, contra virtutem ſtudioſitatis, ſed ſupponere peccatum, cuius ſit auferendi obligatio.

DISPVTATIO XXXIII.

De Sexta Circumſtantia, Quomodo, *an debeat in Confeſſione explicari?*

AGENDVM eſt de hac ſexta Circũſtãtia, *Quomodo*, id eſt de variis modis accidẽtalibus, qui adueniunt ſubſtantiæ actus, & transferũt illum in nouam ſpeciem, ideóque debent in Confeſſione declarari. Vnde non erit ſermo de modo intentionis, quo quis peccat, quia intentio non adfert malitiam ſpecie diuerſam; ſolùm enim aggrauat peccatum intra eãdem ſpeciem, ac proinde non eſt per ſe in Confeſſione explicanda, iuxta ſententiam, quam ſecuti ſumus ſuprà *diſp. 27. ſect. 1.* negantem, circumſtantias notabiliter aggrauantes intra eandem ſpeciem eſſe in Confeſſione aperiendas. Multa comprehenduntur ſub hac Circumſtantia, *Quomodo*. Nos potiora ac difficiliora proponemus, & diſſoluemus.

SECTIO PRIMA.

De circumſtantiis feritatis, raptus, & rapinæ in Confeſſione aperiendis.

AD hanc circumſtantiam, *Quomodo*, ſpectat modus crudelis quo quis occiditur, & poſtea in cadauer noua iniuria committitur. Vt ſi quis præ- 1

grauiſſi

grauiſſimo odio non contentus homicidio, vulnera multiplicet in cadauere, mortuum in fruſtula concidat, iecur extrahat, comedat, & alia ſimilia faciat: tunc certum videtur, non ſolùm peccatum homicidij in ſe eſſe confitendum, ſed etiam huiuſmodi circumſtantiam odij; ita communiter notant Doctores: quia nimirùm addit nouam ac ſpecialem malitiam feritatis iuxta doctrinam D.Thom. 2.2 *quaſt.* 159 *artic.* 2. Addit etiam nouam iniuriam in cadauer, nam in cadauere quoque fieri poteſt iniuria, vt rectè obſeruat Suarez *diſput.* 22. *ſect.* 4. *num.* 13. Sicut enim eſt capax honoris, & obſeruantiæ, ita eſt etiam capax dedecoris, & grauis iniuriæ.

2 Circa ſecundum de altero modo violentiæ per raptum, dico tria. *Primum eſt*, raptum quod attinet ad forum Conſcientiæ, & vt conſtituit circumſtantiam ſpecificam luxuriæ, ſolam violentiam importare, vt ſuam libidinem homo expleat, non habita ratione ſtatus fœminæ: is enim ni hil refert ad rationem raptus, qui æquè inuenitur, ſiue fœmina ſit virgo, ſiue ſoluta, ſiue coniugata, ſiue vim inferat fœminæ, ſiue iis ſub quorum poteſtate ac cura eſt.

3 *Secundum eſt*, raptum duplicem malitiam ſpecificam habere, alteram Caſtitati aduerſam in quantum copulam extra matrimonium continet; alteram Iuſtitiæ oppoſitam, ratione violentiæ quam importat. Vnde eſt duplex ſpecies, ſicut adulterium, inceſtus, & ſacrilegium duas continent ſpecies diuerſis virtutibus oppoſitas. Quomodo autem raptus ponatur ſpecies luxuriæ, cùm potius ſit ſpecies iniuſtitiæ.

Breuiter dico non eſſe propriè, ac Metaphyſicè loquendo, ſpeciem luxuriæ, quia circumſtantia illa per quam contrahitur communis ratio luxuriæ, non eſt propriè contra Caſtitatem, ſed contra Iuſtitiam; dicitur verò pertinere ad luxuriam; quia libidinis cauſâ fit; vnde ratione ſui termini, nempe concubitus, ad quem proximè tendit, pertinere videtur illud opus externum impudicum ad luxuriam, veluti quædam ſpecies eius. Eſt igitur in eo actu duplex malitia, altera contra Iuſtitiam, altera contra Caſtitatem, atque ideò ad vtrumque vitium pertinet, tametſi in ratione finis inter ſpecies luxuriæ numeretur.

4 *Tertium eſt*, quod docent communiter omnes Doctores, circumſtantiam raptus neceſſariò confitendam eſſe; quia vltra fornicationis malitiam aduerſus Caſtitatem, adeſt malitia violentiæ illatæ contra Iuſtitiam.

5 Vnde colligo *primò*, idem dicendum eſſe, ſi fœmina importunis precibus ducta, conſenſum copulæ præbeat, quando preces importunæ tales ſunt, vt violentiæ æquiparentur. Quod certè contingit, quando precibus importunis adiungitur maximus reuerentiæ timor, ita vt perſonæ ſic importunè inſtanti non audeat fœmina contradicere.

6 Colligo *ſecundò*, eſſe quoque raptum ſpecie diuerſum à fornicatione, ſiue fœmina ſui iuris inuita abducatur domo, & poſtmodùm copulæ conſentiat, ſiue ſolùm inuita cognoſcatur, quamuis volens abducta ſit. Quia in vtroque caſu inuenitur violentia.

7 Colligo *tertiò*, eſſe quoque raptum in Confeſſione explicandum, ſi fœmina ſub poteſtate parentum, aut tutorum conſtituta, omninò conſentiens, ipſis inuitis, abducatur domo: quia cùm ſit ſub eorum cuſtodia manifeſta iniuria illis extractioni renitentibus infertur, atque ideò eſt noua culpa Iuſtitiæ contraria.

Colligo *quartò*, eſſe raptum fœminæ cuiuſque 8 ſtatus, etiam meretricis, ſi violenter cognoſcatur; quia etiam vis illa ad iniuſtitiam pertinet. Adde etiam ad ſpeciem hanc raptus pertinere, & neceſſariò confitendam, ſiue vir rapiat fœminam, ſiue fœmina rapiat virum: quia vterque raptus violentiam iniuſtè illatam includit, & vterque diuerſam ſpecie malitiam continet ab incontinentia. Quamuis negari non poſſit maiorem eſſe iniuriam, quando vir fœminam rapit.

Circa tertium de alio modo violentiæ per rapinam, ſeu de modo furandi cum violentia illata, 9 quæ dicitur rapina, *primò* videndum breuiter eſt an furtum & rapina differant ſpecie in ratione peccati, & iniuriæ, vt inde colligamus, circumſtantiam rapinæ eſſe quoque fatendam. Et quidem communis ſententia, & vera, eſt affirmans. Verùm ratio non eadem ab omnibus redditur.

Communiter Doctores recentes inter quos Leſſius *de iuſtitia*, *lib.* 2. *cap.* 2. *dubit.* 2. hanc reddunt rationem; quia rapina includit violentiam, quæ fit domino ſciente; furtum verò fit neſciente illo, qui iniuriam patitur. Cùm autem iniuria ſumatur ex parte inuoluntarij, quod patitur proximus, & diuerſum ſit inuoluntarium, quod patitur neſciens, & quod patitur ſciens; conſequens eſt, vt vtraque iniuria ſit ſpecie diuerſa propter diuerſum modum, quo proximo opponitur. Hanc etiam rationem indicat Vaſquez *de reſtitutione*, *capite* 5. §. 1. *dubio ſecundo*.

Hanc rationem optimè impugnat noſter Cardinalis Lugo *tom.* 1. *de iuſtitia & iure*, *diſputatione* 16. *ſectione* 1. *numero* 10. Quia nimis materialiter ſe habet ad iniuriam ſcientia illa, vel ignorantia, cùm in vtroque caſu ſit ſimpliciter inuoluntaria ei qui iniuriam patitur. Prætereà ſpecialis malitia furti, prout condiſtinguitur à rapina, non deſumitur ex ignorantia patientis iniuriam. Nam poteſt contingere acceptio rei alienæ ſine conſenſu domini, ipſo tamen id ſciente; quæ quidem non erit rapina ſed furtum, vt conſtat ex *leg. ſi quis*, *penultima*; *ff. de furtis*. Vbi dicitur, eum qui, cùm ſcit quid ſibi ſurripi, non prohibuit, etiamſi potuerit prohibere, adhuc poſſe actione furti agere. Si dominus quoque ex induſtria relinquat aliquid eo loco, quo ſcit à famulo furandum, vt poſſit eum domo eiicere, nemo dicet famulum id accipientem, non committere furtum, licèt id non fiat ignorante, ſed præuidente domino. Quare ſicut in aliis materiis Iuſtitiæ, ſcientia, vel ignorantia eius, qui patitur iniuriam, non facit differentiam ſpecificam in iniuria, vt ſi detrahas famæ alicuius, ipſo ignorante, vel ſciente, te ei abſenti detrahere; ita nec circa bona fortunæ refundetur differentia ſpecifica præcisè ex ſcientia, vel ignorantia eius qui patitur iniuriam.

Ratio ergo differentiæ ſpecificæ, quam rapina addit ſupra ſimplex furtum, deſumi debet ex violentia, 10 quam rapina includit; nam Rapina, ex omnium ſententia, eſt acceptio iniuſta per vim. Quam optimè declarat noſter Molina, *diſputatione* 683. & Michaël Salon Valentinus, 2. 2. *quaſtione* 66. *articulo* 4. per diuerſam Iniuriam afferentem nouam ſpeciem malitiæ. Nam per ſimplex furtum tametſi fiat iniuria, fit ſolùm circa pecunias, verbi gratia; at per rapinam, ſeu violentiam videtur fieri iniuria circa perſonam ipſam, cui vis infertur. Vnde vis illa retinet malitiam iniuriæ circa perſonam; quæ facit, quòd furtum, præter maltiam furti, contrahat aliquam aliam ſpecialem malitiam rapinæ. Firmatur;

Digitized by Google

Firmatur,nam ſi quis vt furetur veſtem, ſpoliet Clericum, non ſolùm committit furtum, ſed ſacrilegium, & incurrit excommunicationem Canonis. Imò licet ſolùm per vim eripiat è manibus Clerici rem ſuam, quam ipſe iuſtè retinet, ac defendit, eſt ſufficiens cauſa ad incurrendam eandem cenſuram, etiamſi res ipſa, quæ eripitur, parui momenti ſit, vt doctè Suarez docet *tomo quinto de cenſuris, diſputatione vigeſimaſecunda, ſectione prima, numero vigeſimoquinto & ſequentibus*; quia licèt in ratione furti, aut nocumenti in rebus fortunæ illud non ſufficeret ad peccatum mortale, tamen per vim illam, infertur grauis iniuria circa perſonam; aliunde enim non habet actio illa malitiam grauem: ergo licet non ſit Clericus, & ideò non fiat ſacrilegium, adhuc tamen vis illa, ac violentia retinet grauem malitiam iniuriæ circa perſonam, & ſpeciale peccatum rapinæ.

11 Vnde colligo *primò*, non ſolùm malitiam rapinæ reperiri, quando manus in perſonam iniiciuntur ad eam ſuis bonis ſpoliandam, ſed etiam quando, metu mortis à graſſatoribus, verbi gratia, iniecto, cogitur dare pecunias, aut alia bona ne occidatur, quia non minus infertur vis per minas, & metum, quam per corporalem contactum, vt obſeruat Molina loco citato *numero quarto*. Qui etiam meritò addit, hanc rapinæ malitiam committere eos, qui cogunt ſubditos metu iniecto, tributa iniqua ſoluere: talis enim metus iniuſtè illatus ſufficit ad iniuriam.

12 Colligo *ſecundò* non eſſe rapinam, ſi fur fores effringat, vel perforet parietem ad furandum, quando dominus abeſt, aut qui eius nomine cuſtodiat; quia tunc nulla vis infertur perſonæ.

13 Colligo *vltimò*, circumſtantiam rapinæ eſſe in Confeſſione aperiendam; quia iam eſt probatum, eſſe circumſtantiam transferentem furtum in nouam ſpeciem malitiæ, ac iniuriæ grauis, ratione violentiæ in perſonam.

SECTIO II.

An modus grauiter peccandi ex conſuetudine, debeat neceſſariò explicari in Confeſſione?

NOn pauca ſub hoc titulo comprehenduntur, quæ omnia breui *ſequent. dubiis* dilucidabuntur.

1 Primum dubium eſt, quid ſit dicta praua conſuetudo. Variè de illa loquuntur Doctores. Quidam dicunt eſſe peccatum graue. Alij, eſſe ſtatum peccati, ſeu conſtituere hominem in ſtatu peccati mortalis.

Nos verò loquimur de praua conſuetudine mortaliter peccandi. In qua duo ſunt conſideranda, nempe frequentia, & numerus actuum malorum, & habitus inde generatus.

2 Dico ergo *primò*, certum eſſe conſuetudinem, formaliter loquendo non eſſe habitum. Patet quia conſtat habitum, licèt ſit vitioſus, eo quòd ad malum inclinat, nõ eſſe peccatum; præcepta enim non dantur de habitibus, ſed de actibus; vnde potiùs eſt effectus peccati, quàm peccatum ipſum.

3 Dico *ſecundò*, conſuetudinem grauiter peccandi non eſſe per ſe vnum aliquod peccatum diſtinctum à ſingulis, ſed eſſe collectionem, & numerum omnium actuum malorum per quos talis conſuetudo facta eſt. Hoc etiam eſt certum ex ipſo Ariſtotele dicente *ſecundo Ethicorum*, conſuetudinem eſſe ipſoſmet actus frequenter repetitos. Vnde Conſuetudo fornicandi, vel falsò iurandi non eſt vnum aliquod peccatum fornicandi, vel peierandi, ſed collectio, & numerus illorum: non enim ſingulare peccatũ eſt, nec eſſe poteſt. Quare ſi talis conſuetudo per centum fornicationes, aut periuria, facta eſt, non habet maiorem malitiam, quàm ſit in aggregato tot peccatorum, nec meretur maiorem pœnam.

Dico *tertiò*, quamdiu voluntaria eſt talis conſuetudo fornicandi, vel peierandi, conſtituere hominem in ſtatu peccati mortalis. Hoc etiam negari non poteſt. 4
Tum quia ſtatus conſurgens ex illa praua conſuetudine eſt ita inordinatus, & contrarius bonis moribus, vt voluntariè illũ admittere, aut retinere per actualẽ volũtatẽ ſit peccatum mortale: ergo ſignum eſt, illud eſſe ſtatum peccati mortalis. Tum etiam quia ex vi talis prauæ conſuetudinis, ille homo eſt in morali occaſione proxima, & periculo fornicandi, vel peierandi: ergo ex vi illius eſt in ſtatu peccati mortalis; non aliter ac dicitur eſſe in ſtatu peccati cum qui tenetur reſtituere, & non reſtituit, cùm poſſit; quia ex vi illius ſtatus ſẽper actu peccat, ſolùmque interdum non peccat, quia de illo actu non cõſiderat; quoties verò conſiderat, & ita permanere vult, actu peccat. Vnde ille ſtatus, & eſt obiectum peccati mortalis, & de ſe, & quaſi continuum peccatum externum, tametſi ex defectu attentionis, & actualis voluntatis interrumpatur.

Dico *Vltimò*, ſi talis praua conſuetudo diſpliceat efficaciter, ex vi propoſiti efficacis, illam interrumpi ac retractari quantum ad effectum, nec dici poſſe ſtatum peccati. Patet, quia ille ſtatus tam prauæ conſuetudinis, per proprios actus, & affectus voluntatis comparatus eſt: ergo tandiu cenſetur voluntarius, quandiu per propoſitum efficax non retractatur; ergo ſi iam eſt ſimpliciter inuoluntarius ratione dicti propoſiti contrarij, non poteſt dici ſtatus peccati. 5

Dices, adhuc manente tali efficaci propoſito, manere habitum ex actibus adquiſitum, qui tunc durat, & facit hominem ſtare in periculo peccandi & conſequenter in ſtatu peccandi. *Reſpondeo*, tametſi ille habitus verè maneat inclinans ad iterùm peccandum; tamen propoſitum efficax multùm iuuat contra illum. Vnde licèt adhuc homo verſetur in periculo, ſed non in voluntario periculo, neque etiam in æquali, quamdiu voluntas contra conſuetudinem nititur; eſt igitur ille habitus effectus peccati, non ſtatus peccati, permanente prædicto efficaci propoſito.

Secundum dubium eſt, an conſuetudo inducens ad peccata grauia deliberata ſit explicanda neceſſariò in Confeſſione? 6

Cardinalis de Lugo *diſputatione 16. ſection. 4. num. 202. & 203.* docet rem videri claram, non eſſe neceſſariò explicandam, niſi Confeſſarius interroget. Probat, quia peccata illa grauia præterita, quibus comparata eſt conſuetudo, iam ſunt explicata in præcedentibus Confeſſionibus, neque addunt peccato præſenti aliquam circumſtantiam nouam, præſertim ſpecie diuerſam.

Dices, teneri eam confiteri propter periculum morale ſequentis Confeſſionis, quod nunquam explicatum fuit in Confeſſionibus præteritis: ergo debet pœnitens in Confeſſione ſequenti explicare periculum morale, cui ſe expoſuit. *Sed contrà* obiicit Cardinalis, adhuc regulariter non videri neceſſariò explicandam illam circumſtantiam. *Primò*, quia homines non attendunt communiter ad illud periculum morale ſequentis peccati

Digitized by Google

peccati, quando aliquod peccatum committunt; nec facilè diſcerni poteſt, quando conſuetudo perueniat ad eum gradum, vt inducat iam occaſionem proximam moralem aliorum ſubſequentium peccatorum. *Secundò*, exponere ſe periculo fornicationis, verbi gratia, non habet malitiam ſpecie diuerſam ab ipſa fornicatione: ergo cùm in Confeſſione præcedenti ſuam fornicationem explicuit, iam totam malitiam ſpecificam illius peccati explicuit; nam circumſtantia illa periculi quod ſubiit alterius fornicationis, non addit malitiam ſpecie diuerſam, licèt aggrauet intra eandem ſpeciem: non igitur regulariter videtur obligandus pœnitens ad fatendam neceſſariò conſuetudinem, niſi interrogetur.

7 Conſuetudinem peccandi eſſe circumſtantiam aperiendam in Confeſſione, ſentiunt Sylueſter *verbo, Confeſſio* 1. *numero nono*, & Henriquez *libro ſecundo, de pœnitentia, capite ſexto, numero quarto in fine*, Sotus *in quartum, diſtin. decimaſexta quæſtione prima, articulo quarto*, & alij. Quod probari poteſt de ipſa conſuetudine, quatenus includit periculum morale, & occaſionem proximam ad peccata ſequentia. Quia ponere, vel retinere occaſionem proximam peccandi mortaliter, eſt peccatum mortale, quod debet explicari in Confeſſione; ſed ille qui per plures fornicationes, vel periuria comparat conſuetudinem fornicandi, vel peierandi, eo ipſo conſtituit ſe in periculo, & occaſione proxima fornicandi, vel peierandi poſteà, & iterùm peccandi: ergo debet eam explicare; at eam non explicuit in Confeſſionibus præteritis, in quibus accuſauit ſe de ſingulis fornicationibus, vel periuriis, & nihil dixit de conſuetudine, & occaſione morali peccati ſubſequentis: ergo debet in Confeſſione ſequenti explicare prædictam circumſtantiam conſuetudinis, vt ſic declaret periculum morale, cui ſe expoſuit.

8 Dico *primò*, per ſe loquendo, conſuetudinem peccati etiam grauis, non eſſe neceſſariò in Confeſſione explicandam. Ita Suarez *diſputatione* 22. *ſectione* 4. *numero* 15. & Cardinalis Lugo. Idque probant eius argumenta, & manifeſta ratio, quia cùm huiuſmodi circumſtantia conſuetudinis non mutet ſpeciem, vt eſt certum, non poteſt afferri ratio, cur pœnitens obligetur ad eam explicandam, modo cùm debito dolore ſufficienter explicet numerum peccatorum, quæ commiſit, & quorum periculo ſe expoſuit, & modò Confeſſarius de conſuetudine non interroget pœnitentem, quia vt *infrà* dicam, Confeſſarius poteſt habere iuſtam cauſam interrogandi pœnitentem de conſuetudine peccandi.

9 Dico *ſecundò*, ſæpè teneri pœnitentem in remedium ſuæ conſcientiæ, declarare Confeſſori conſuetudinem peccandi. Id prudenter notauit Suarez *loco citato*; quia ſæpe conſuetudo conſtituit hominem ſecundùm præſentem ſtatum in quodam morali periculo, vel facilitate peccandi, & neceſſarium moraliter eſt, vt Confeſſor conſuetudinem ſciat, vt de diſpoſitione, & obligatione pœnitentis certus reddatur; vnde ipſe etiam per ſe tenebitur hoc dicere, quantum neceſſe eſt, vt declaret Confeſſori ſtatum conſcientiæ ſuæ. Vnde ſi hoc declarare non poteſt, niſi explicando conſuetudinem, vel diuturnitatem alicuius peccati, vel occaſionis eius, tunc neceſſarium erit hæc declarare. Firmo hoc præcipuè propter eos, qui peccatum mollitiei patiuntur, propriis ſeſe manibus polluentes. Quis enim neget teneri huiuſmodi conſuetudinem, & reincidentiam explicare, cùm conſtet experientiâ, aliter non poſſe ſtatum ſuæ conſcientiæ aperire, quàm huiuſmodi conſuetudinem declarando, eiſque vix aliud remedium efficacius, ac præſentius adiberi poſſit, quàm ſi frequenter Confeſſiones cum vno ac eodem Confeſſore bis, aut ter in hebdomada, ſi opus fuerit, iniungantur.

10 Ad argumentum propoſitum *numero* 7. prout aduerſatur noſtro Dicto primo, occurrendum eſt, verum eſſe pœnitentem, qui ſe expoſuit periculo peccandi, teneri fateri circumſtantiam illius peccati, cuius periculo ſe expoſuit: quia in moralibus idem eſt, exponere ſe periculo committendi aliquod peccatum, & illud committere, cùm ex eodem præcepto teneatur homo vitare peccatum, & illius periculum proximum; atque ideò ſicut exprimendum eſſet in Confeſſione peccatum completum, ſi peccatum completum commiſſum fuiſſet; ità exprimendum eſt peccatum, cuius periculo ſe pœnitens expoſuit. Eſt verò notandum, eum, qui commiſit aliquod peccatum, cuius periculo ſe expoſuit, ex praua conſuetudine, verbi gratia, & reipſa commiſit, ſatisfacere confitendo peccatum commiſſum, modo inter periculum, cui ſe pœnitens expoſuit, & inter actum completum non intercelſerit mora, quæ conſtituat peccata numero diſtincta.

11 Tertium dubium eſt, de conſuetudine inducente, vel quæ eſt cauſa faciendi poſteà ſimiles actus, ſed abſque noua aduertentia, aut deliberatione ſufficienti ad nouum peccatum, vt cùm ex deprauata conſuetudine iurandi, iurat quis falſum ſine aduertentia ad id quod facit, an ſit explicanda in Confeſſione? Ratio dubitandi eſt, quia videtur talis conſuetudo non eſſe exprimenda, quia non videtur mala, nec peccatum; nam actus ſubſequentes non ſunt peccata propter inaduertentiam: ergo nec conſuetudo, ex qua illi actus oriuntur. Firmatur, nam contumelia ab ebrio non eſt verè contumelia, & ideò non eſt peccatum, neque in ſe, neque in cauſa, quia de ratione contumeliæ prohibitæ eſt, quòd ſit verbum humanum ab homine ratione vtente prolatum: ergo iuramenta falſa abſque aduertentia prolata, non erunt iuramenta, & conſequenter neque in ſe, neque in cauſa erunt peccata, licet præuiſa fuerint. Ita ſentit Ioannes Sancius *in ſelectis, diſputatione* 20. *num.* 5.

12 Ex alio verò capite, contraria ſententia, quæ communis eſt, videtur vt verior amplectenda, nimirùm eſſe grauem obligationem auferendi illam conſuetudinem, & eam confitendi. Quia conſuetudo, quæ facit, vt fiant homicidia, & vulnerationes abſque aduertentia, eſt culpabilis, & peccatum. Vnde qui præuidet homicidium, vel vulnus in ebrietate ſecuturum peccat peccato homicidij, quia tenebatur in cauſa illud impedire: ergo & conſuetudo peierandi incautè, eſt etiam culpabilis, & in Confeſſione explicanda. Firmatur, nam ebrio imputatur homicidium in cauſa, ſcilicet, quando ſe inebriat, licet non quando committitur: ergo & iuramentum indeliberatum, licèt non imputetur quando actu fit, benè tamen in cauſa ſuæ prauæ conſuetudinis.

13 Dico *primò*, prolata periuria ſine aduertentia, non eſſe in ſe noua, ac ſpecialia peccata mortalia, propter ſolam peierandi conſuetudinem, etiam non retractatam. Id latè, & doctè oſtendit Suarez *tom.* 2. *de religione, tract.* 5. *lib.* 3. *c.* 7. Ratio à priori eſt quia illa inaduertentia per ſe ſpectata naturalis eſt, & non voluntaria: ergo illa excuſat à peccato ſaltem mortali, ſi homo non haberet conſuetudinem iurandi, quod omnes ſupponunt, &

eſt per ſe notum: At eſt eadem ratio de illa inaduertentia, non obſtante conſuetudine. Patet, quia conſuetudo non facit illam inaduertentiam magis voluntariam, quàm ſi non eſſet: ergo nec facit actum in ſe magis culpabilem. Antecedens probatur, quia non facit illam magis voluntariam directè, & formaliter, quia de facto non magis aduertit, aut vult non aduertere; neque etiam indirectè, ſeu interpretatiuè, quia propter conſuetudinem, non eſt homo magis potens ad aduertendum, ſed æquè naturaliter rapitur, & æquè deeſt illi medium, aut excitatiuum ad aduertendum. Firmo, nam inaduertentia, & defectus vſus rationis, quando prouenit ex vehementi paſſione in periurio, excuſat a nouo peccato mortali, ſicut & periurium prolatum ab ebrio: ergo & periurium ex indeliberatione factum ratione conſuetudinis præcedentis, non eſt in ſe nouum peccatum mortale. Patet Conſequentia à paritate rationis, quia ideò illi actus in ebrietate facti, vel in vehementi paſſione, non ſunt in ſe noua peccata, quia non fiunt cum proprio vſu rationis, nec cum propria libertate, ſed ad ſummum imputantur ratione actus præcedentis ſcilicet ebrietatis, vel paſſionis vehementis, in qua tanquam in cauſa fuerunt tales actus voluntarij, ſine vſu autem rationis, & ſine noua, ac propria libertate, nequit eſſe nouum demeritum culpabile: hoc idem reperitur in periurio ex conſuetudine, quia ſupponitur factum ſine actuali aduertentia, & ſine propria, ac diſtincta libertate. Quare parum, aut nihil refert, quòd hæc carentia actualis deliberationis oriatur ex ligatione ſenſuum, vt in ebrio; vel dormiente, vel quòd naſcatur ex actuali motu paſſionis vehementiſſimæ, vel quòd naſcatur ex conſuetudine iam exiſtente per modum naturæ, & præueniente moralem deliberationem, quoniam hæc differentia eſt valdè materialis.

14 Dico *ſecundò*, prædictam conſuetudinem, ex qua procedunt prædicta periuria incauta, ſeu facta ſine deliberatione, eſſe culpabilem, & debere auferri. Ita cum aliis ſentit Thomas Sanchez *libro tertio operis moralis, capite quinto numero 13. & 14.* Suarez *libro tertio citato, capite octauo, numero primo,* Cardinalis de Lugo *diſputatione 16. ſectione quarta numero 206. & ſequentibus.* Ratio eſt, quia prædicta periuria retinent in ſe malitiam, & indecentiam obiectiuam adducendi Deum in teſtem rei falſæ: ergo ſicut prohibetur homini, adducere Deum in teſtem falſitatis, ſic prohibetur velle in cauſa ponere illa periuria, per quæ adducitur Deus in teſtem falſitatis: ergo ea conſuetudo non retractata ex qua ſequuntur prædicta periuria, eſt in ſe mala & culpabilis. Hac enim de cauſa, qui præuidet homicidium in ebrietate ſecuturum, peccat peccato homicidij, quia tenebatur in cauſa illud impedire.

15 Maior difficultas eſſe poteſt de conſuetudine illa, ex qua oriuntur actus indeliberati non ſolùm circa prohibitionem, aut falſitatem, ſed etiam, circa ſubſtantiam iuramenti, quando fiunt abſque animo iurandi; vt cùm quis verbi gratia inuincibiliter ignorans contineri iuramentum illis verbis; *per Deum*: aſſuefactus eſt illa verba paſſim abſque intentione iurandi proferre; poſteà verò cognito errore, proſequitur ex cõſuetudine proferre eadem verba, ſicut prius, abſque intentione iurandi, & aduertentia, an teneatur ſub culpa mortali procurare auferre ſibi illam conſuetudinem? Quia in eo caſu illi actus indeliberati verè non ſunt iuramenta, cùm eos proferens non habeat animum iurandi, nec adducendi Deum in teſtem.

16 Dico *tertiò* etiam in eo caſu eſſe grauem obligationem auferendi illam conſuetudinem. Ita Doctores citati *præcedenti dicto.* Et eſt optima ratio, quam tradit Suarez *libro tertio citato, capite decimo ſeptimo, numero ſecundo,* quia illa ipſa fictio ſic iurandi, eſt grauis iniuria Dei, & valdè pernicioſa ſocietati humanæ, vnde eſt grauis abuſus diuini nominis, & in magnam cedit irreuerentiam Dei. Quia cùm homines non videant cor, ſed ea quæ exterius aguntur, apud illos perinde eſt, ſic fictè iurare, ac Deum in falſum adducere; vnde ſi intelligant eſſe falſum, quod ſic iuratum eſt, credent Deum fuiſſe adductum ad teſtificandum falſum. Habent ergo illa verba etiam abſque animo iurandi prolata, turpitudinem, & indecentiam obiectiuam, ratione cuius, tenetur homo ea non velle, neque in ſe neque in cauſa; atque adeò debet tollere cauſam, & conſuetudinem, poſtquam nouit indecentiam illorum verborum. Vnde quidquid ſit, an peccet peccato periurij, qui exterius iurat falſum ſine animo interno iurandi, peccat tamen grauiter contra Religionem, vſurpando ea verba quæ exteriùs ſonant, & ſignificant audientibus iuramentum rei falſæ. Quod maximè confirmatur exemplo blaſphemiæ. Conſtat enim, exteriùs dicere verba blaſphemiæ in Deum, etiamſi dicantur ſine intentione blaſphemandi, peccatum mortale eſſe; quia de ſe tendit in grauem iniuriam, & inhonorationem Dei. Vnde ſi quis conſuetudinem haberet proferendi frequenter verba blaſphemiæ, quia inuincibiliter ignorabat continere blaſphemiam contra Deum; poſtea verò cognita ſignificatione eorum verborum, ex conſuetudine proſequeretur, & proferret abſque aduertentia ad blaſphemiam eadem verba; quis dicat, huic non debere ſub graui peccato procurare auferre à ſe eiuſmodi conſuetudinem, ſed poſſe licitè in ea perſeuerare, eo quòd actus illi propter inaduertentiam, non eſſent propriæ, & veræ blaſphemiæ? Similiter ergo dicendum eſt de conſuetudine proferendi iuramenta, abſque aduertentia ad iuſiurandum.

Hinc colligo *primò*, iurantem ex prædicta conſuetudine, quam, vt dixi, ſub mortali auferre tenetur, nec curantem auferre, peccare mortali omiſſionis peccato, quia non curat corrigere tam grauem abuſum diuini nominis; & ideò peccat contra Religionem, grauiter. Idque manifeſtè probat ſecunda pars rationis dubitandi ſuprà propoſita, *numero duodecimo.* 17

Colligo *ſecundò*, teneri confiteri prædictam conſuetudinem voluntariè permiſſam; quia licèt iuramenta ſubſecuta non fuerint peccata in ſe, imò nec iuramenta; ipſa tamen conſuetudo volita, & permiſſa, fuit peccatum graue, vt dictum eſt. Ex quo patet ſolutio ad argumentum *ſuprà* propoſitum in prima parte rationis dubitandi. Ad confirmationem, conceſſo Antecedente, negatur Conſequentia, ob clariſſimam diſparitatem: nam verba contumelioſa prolata ab ebrio in ebrietate, nullam retinent turpitudinem obiectiuam, cùm non recipiantur ab audientibus tanquam veræ contumeliæ, ſed ſicut ſi proferrentur à Pſittaco: at in caſu noſtro verba periurij ſonant periurium, ſicut verba blaſphemiæ ſonant blaſphemiam, & in eo ſenſu accipiuntur ab audientibus, & ideò debent in ſe, & in ſua cauſa omninò vitari. 18

Quartum dubium eſt, an Confeſſarius habeat ius ad interrogandum pœnitentem de conſuetudine peccandi? 19

Ioannes Sancius *in ſuis practicis diſputationibus, diſputatione 9. numero 6.* abſolutè docet, Confeſſarium

ius

ius non habere ad interrogandum de conſuetudine peccandi. Probat, quia Confeſſarius non habet ius, vt bis eadem peccata quis confiteatur, nec ad afficiendum pœnitentem pudore, & dedecore, conſuetudine peccandi cognita, ſi verè dolorem habeat de præteritis, ac in poſterum vitæ emendationem firmiter proponat. Firmat, quia pœnitens quamuis ſit peſſimæ conſuetudini addictus, ſi mentem mutauerit, & occaſionem frangere propoſuerit, in nullo remanet ſtatu peccati: ergo habet ius, vt ſtatim illi abſolutio conferatur: ergo Confeſſarius non habet ius ad interrogandum de conſuetudine peccandi, animo abſolutionem differendi.

20 Veriſſima tamen eſt oppoſita ſententia; & communis Theologorum, Confeſſarium habere ius ad interrogandum de conſuetudine peccandi, ad explorandum firmum propoſitum pœnitentis, de quo non ſatis conſtat, & ad applicandam medicinam pro peccatis præſentibus. Ratio eſt, quia Confeſſarius non ſolùm eſt Iudex, ſed etiam eſt medicus, & ita exercet officium Iudicis corrigentis, ac punientis, vt debeat ſimul exercere officium medici curantis, vt eſt certum, & in confeſſo apud omnes: ergo habet ius ad interroganda illa, quorum notitia neceſſaria eſt ad vtilem correctionem, vel pœnitentiam imponendam; ergo ſicut diuerſam pœnitentiam debet imponere pro furto centum millium aureorum, quam pro furto vnius aurei, & ideò poteſt illam circumſtantiam interrogare, & etiam in ordine ad reſtitutionem faciendam, ad quam tenetur: ſicut multò magis debet cognoſcere ſtatum pœnitentis in ordine ad conſuetudinem præteritam vt ſciat, quænam medicina ſit illi hic & nunc applicanda pro peccatis præſentibus, ne per plures annos maneat in eodem peccato cum maximo periculo ſuæ damnationis. Vnde exiſtimo contrariam ſententiam in praxi eſſe valde improbabilem, & nullo modo tenendam, quia ex illa ſequuntur grauiſſima inconuenientia in maximum, & manifeſtum damnum animarum, vt *infrà* dicam.

Neque argumentum pro illa adductum eſt alicuius momenti: quia interrogare conſuetudinem, non eſt cogere pœnitentem ad confitenda bis eadem peccata; nam in hac ſecunda Confeſſione præſenti non dat pro materia Confeſſionis conſuetudinem præteritam, nec de illa ſe accuſat, ſed explicat illam indirectè ad declarandum ſtatum ſuum, & indigentiam præſentem; quâ ratione non eſt nouum, obligari aliquando pœnitentē ad declaranda iterùm peccata, de quibus anteà confeſſus fuerat. Sic coniugatus, qui cognouit conſanguineam ſuæ vxoris, poſteà peccat, quoties petit ab vxore debitum, & debet explicare ſuum inceſtum præteritum, quem iam fuerat confeſſus ad declarandum peccatum præſens. Et ſic in aliis multis caſibus, in quibus indirectè oportet declarare peccatum præcedēs ad Confeſſionem peccatorum præſentium. In quo nulla certè eſt difficultas. Ad confirmationem dicam infrà *dub. 6.* quando Confeſſarius habeat ius ad interrogandum de conſuetudine peccandi, & propter eam poſſit abſolutionem differre.

21 Hinc oritur quintum dubium, an ipſe pœnitens interrogatus à Confeſſario de conſuetudine preterita, teneatur reſpondere, & dicere, ſe in aliis Confeſſionibus ſæpius confeſſum eſſe hoc ipſum peccatum, & nullam emendationem poſteà ſecutam eſſe. Ioannes Sancius *diſputatione 9. citata, numero 7. & ſequentibus*, ſentit, pœnitentem non obligari ad reſpondendum, ſed poſſe vti æquiuocatione, & negare ſe habuiſſe anteà conſuetudinem. Vnde poteſt dicere, ſe non habuiſſe talem conſuetudinem, intelligendo ſcilicet ad confitendam illam nunc. Fundamentum eſt, quia cùm pœnitens rectam diſpoſitionem ſe adducere iudicet, & credat iam eſſe à tali conſuetudine abſolutum, nec obligari poſſe ad confitenda bis eadem peccata, & probabiliter timeat, Confeſſarium non impenſurum illi abſolutionem, ſi fateretur conſuetudinem peccandi, ideò poteſt æquiuocatione vtendo, negare conſuetudinem.

Cæterùm dicendum eſt, pœnitentem interrogatum debere dicere conſuetudinem præteritam, & contrarium eſſe contra omnes Theologos, contra praxim Eccleſiæ, & contra finem huius Sacramenti. Ratio ſumitur ex fundamento contrario, quia iam *ſuprà* oſtenſum eſt, Confeſſarium habere ius ad interrogandum de conſuetudine peccandi, quia eſt Iudex, & medicus ſimul: ergo nequit pœnitens æquiuocatione vtendo, negare ſe habuiſſe anteà conſuetudinem. patet Conſequentia, quia legitimè interrogatur à Confeſſario in ordine ad medicinam applicandam pro præſentibus peccatis. Firmo hoc idem, quia alioquin ſequerentur maxima abſurda, ac inconuenientia. Quid enim turpius excogitari poſſet, & magis contra finem, & reuerentiam Sacramenti, ſi quis per decem, vel etiam viginti annos concubinam quotidie inuiſens, ſemper in Confeſſione diceret, ſe illa ſola vice cum ipſa peccaſſe? Nec valet dicere, conſuetudinem eſſe ſolùm circumſtātiam notabiliter aggrauantem intra eandem ſpeciem, & ideò non eſſe obligationem eam confitendi. Non, inquam, valet, quia etiam Doctores qui tenent non eſſe obligationem explicandi in Confeſſione circumſtantiam notabiliter aggrauantem, quæ non mutat ſpeciem; nihilominùs tamen fatentur debere pœnitentem illam circumſtantiam explicare, ſi à Confeſſario interrogetur; vt verbi gratia, ſi accuſat ſe de furto, & Confeſſarius interroget, quam ſūmam furatus fuerit, non poteſt negare, aut dicere fuiſſe centum aureos, ſi fuerunt mille; eſſet enim hoc decipere Confeſſarium in re graui, qui vel ratione reſtitutionis, vel reſeruationis, vel etiam alicuius excommunicationis habet ius ad id interrogandum, vt benè notauit Vaſquez *quæſtione 91. articulo 1. dubio 3. numero 4.*

Ad argumentum contrarium facilis eſt ſolutio, ſi ſupponamus, Confeſſarium eſſe virum pium, prudentem, & doctum habere ius ad interrogandum, & conſequenter teneri pœnitentem ad reſpondendum abſque vlla æquiuocatione. Vnde non valet argumentum: Pœnitens ex ſe non tenetur manifeſtare conſuetudinem præteritam; ergo interrogatus etiam poterit illam negare: ſicut licèt non teneatur ex ſe ad explicandam quantitatem furti, non tamen poteſt eam negare interrogatus, quia eius notitia eſt Confeſſario neceſſaria ad vtilem correctionem, vel ad pœnitentiam imponendam, quandoquidem diuerſam pœnitentiam debet imponere pro furto mille aureorum, quàm pro furto decem aureorum, vel centum, & ideò poteſt illam circumſtantiam interrogare: multò magis debet Confeſſarius cognoſcere ſtatum pœnitentis in ordine ad conſuetudinem præteritam, vt nimirùm ſciat, quænam medicina ſit illi pœnitenti hic & nunc applicanda, & an indigeat dilatione abſolutionis, vt hoc tandem modo curetur, quando alia remedia non ſufficiunt. 23

Sextum, & vltimum dubium eſt, an Confeſſarius propter conſuetudinem peccandi poſſit differre abſolutionem. 24

In hac re certum eſt apud omnes, poſſe ex conſenſu pœnitentis differri abſolutionem, quia ſcienti, & volenti non fit iniuria; & optimè ſe gerit Confeſſarius, ſi pœnitentem ſuauiter alliciat ad conſentiendum. Prætereà eſt certum, non debere abſolutionem differri abſque aliqua iuſta, & rationabili cauſa, quæ prudenter

dictet., eſſe differendam : nam quando pœnitens eſt ſufficienter diſpoſitus, & ex dilatione timetur damnum potiùs ſpirituale, quàm vtilitas ſperetur pœnitentis, non poteſt licitè differri abſolutio. Quæſtio igitur eſt, an poſſit eſſe cauſa rationabilis aliquando ad differendam abſolutionem abſque conſenſu pœnitentis, licèt ipſe alias probabiliter exiſtimet eſſe diſpoſitus.

Singularis opinio eſt Ioannis Sancij *loco citato, numero 9. & 12.* dicentis tria. *Primum eſt*, non eſſe differendam abſolutionem pœnitenti, ſi verè dolorem habeat de peccatis, & in poſterum vitæ emendationem firmiter proponat. Probat id, quia poſito vero propoſito emendationis, habet pœnitens ius ad abſolutionem, quæ a Confeſſario ſine errore negari non poteſt, & errorem ipſum Confeſſarij fouere pœnitens non tenetur. *Secundum eſt*, pœnitentem, qui non ſolum habet conſuetudinem peccandi, ſed etiam occaſionem proximam, ineuitabilem tamen, ſine magno incommodo, & ſcandalo, poſſe negare ipſam occaſionem, licet de ea interrogetur. Et reddit rationem, quia ad hoc vt Confeſſarius rectè fungatur ſuo officio, nihil conducit ſcire, ſitne pœnitens in occaſione, vel non; dato quòd illam vitare non poteſt, eo quòd ſiue cognoſcat occaſionem, ſiue non, teneatur ſemper abſolutionis beneficium impertiri. Refert in fauorem huius doctrinæ Baſilium Ponce de Leon *lib. 5. de matrimonio, cap. 35. num. 4.* Sed reuerà hic auctor nihil horum tenet. Solùm dicit, quando non licet expellere domo fœminam illam, quæ eſt occaſio peccandi, quando videlicet ſine ſcandalo eiici non poteſt, debere abſolui pœnitentem, etſi non eiiciat, ſi alias ſit rectè diſpoſitus. Quod certè probabile eſt, ſed valdè diuerſum ab eo, quod Sancius dicit.

Tertium, quod dicit Sancius, eſt, nunquam fore rectum conſilium, abſolutionem negare, quantumuis conſentiat pœnitens, ſuppoſito quòd licitè poteſt impendi. Quia quando negatur, eo fine fieri debet, vt cautior pœnitens reddatur ad præcauenda peccata. At ipſe non intelligit, quòd maiores vires inhæſuræ ſint pœnitenti ad peccata vitanda, ſi careat gratia ſacramentali, & cæteris auxiliis à Sacramento prouenientibus, quàm ſi eâ, & illis induatur. Cúmque conſilium de meliori bono debeat eſſe, ſanè non capit, melius bonum eſſe pœnitentis, carere pro aliquo tempore gratia Sacramenti, quàm illa frui, eo modo, quo ipſe etiam fatetur, nunquam futurum eſſe rectum conſilium, Euchariſtiam pœnitenti non miniſtrare, causâ emendandi venialia peccata, aut alias imperfectiones; cùm aptius medium ſit ad fugienda peccata, gratiâ tanti Sacramenti præmuniri, quàm terror carentiæ ipſius. In cuius enim cor aſcendere poterit, quòd vberiores præſtet vires ad fugienda peccata dolor ille à pœnitente conceptus, ob negatam abſolutionem, quàm gratia, & auxilia de facto exhibita?

25 Dico *primò* cum communi Theologorum ſententia, eſſe poſſe aliquando cauſam rationabilem ad differendam abſolutionem, tametſi pœnitens ſit legitimè diſpoſitus. Id optimè probat noſter Cardinalis Lugo *diſp. 14. ſect. 10. num. 171.* ratione à priori. Nam Confeſſarius, ſicut in pœnitentia imponenda; ita & in abſolutione proferenda, non ſolum eſt iudex, ſed etiam medicus: ergo ſicut in pœnitentia imponenda ita exercet officium Iudicis punientis, vt debeat ſimul exercere officium medici curantis, & ideò procurare tenetur, vt impoſitio pœnitentiæ ſit in vtilitatem, & medicinam pœnitentis, quo reddatur magis cautus, & fortis contra tentationes; ſic in proferenda abſolutione, licet principaliter exerceat munus Iudicis abſoluentis pœnitentem diſpoſitum, debet tamen ſimul procurare vt medicus, in ipſa abſolutione curationem pœnitentis; eo nimirùm modo abſoluendo, qui magis cedat in vtilitatem & remedium ægroti. Habet enim Confeſſarius ius ad vtrúmque, nec poteſt prohiberi a pœnitente quod in ipſa abſolutione officium exerceat medici, ſicut nec poteſt ab eo prohiberi, quòd in impoſitione pœnitentiæ non ſit merus Iudex, ſed etiam exerceat officium Medici. Si ergo Confeſſarius iudicat in aliquo caſu, expedire dilationem abſolutionis, ad hoc vt pœnitens reddatur magis cautus, & confirmetur in propoſito non peccandi, nec ita facilè poſteà relabatur; poteſt, & debet vt Medicus hoc remedium pœnitenti adhibere, nec poteſt ægrotus rationabiliter conqueri aduerſus Medicum, cui ſe in hoc Sacramento Pœnitentiæ curandum tradidit. Ex quo patet ſolutio ad argumentum Ioannis Sancij propoſitum *in primo puncto*: pœnitentem, poſito vero propoſito emendationis, habere quidem ius ad abſolutionem ſtatim obtinendam, niſi aliud obſtet necesſitas pœnitentis, & iudicium Confeſſarij prudenter iudicantis expedire ipſi pœnitenti dilationem abſolutionis, vt non ita facilè relabatur, & magis firmetur in propoſito non peccandi. Vnde quando meritò timet Confeſſarius, pœnitentem nunc abſolutum facilè relapſurum ſtatim in eadem crimina; niſi ipſa difficultate, & dilatione abſolutionis territus, meliùs cognoſcat grauitatem peccati, & neceſſitatem emendationis, poterit differre abſolutionem, imò & in aliquo caſu debebit, vt pœnitens ſic ſalubriter admonitus, non maneat in tanto periculo reincidentiæ, quantum alias ſubiret certiſſimè. Experimento enim conſtat quotidiano multorum pœnitentium debilium, qui hoc remedio adhibito, ſolent breui tempore curari. Præſertim videtur hoc remedium magis neceſſarium pro pueris, de quorum propoſito non parùm dubitari ſolet, an firmum ſit, & ipſa dilatione abſolutionis melius concipiunt neceſſitatem permanendi, ac perſeuerandi in propoſito non peccandi.

26 Dico *ſecundo*, pœnitentem interrogatum à Confeſſario de occaſione proxima, tametſi ea ineuitabilis ſit propter ſcandalum, vel ratione magni incommodi, teneri eam declarare. Conſtat ex his, quæ diximus ſuprà *num. 18. & 20.* nempe habere Confeſſarium, vt Medicum, verum ius ad interrogandum de conſuetudine, & pœnitentem interrogatum debere eam manifeſtare; nam eædem rationes æquè idem probant de occaſione proxima, vt nimirùm Confeſſarius eam ſciat in ordine ad medicinam pœnitenti applicandam: hæc enim eò magis videtur, & aptior quærenda, quò eſt maior occaſio proxima, & cenſetur ineuitabilis, vt non iteretur, ac ſæpè pœnitens relabatur. Hoc enim remedium promptius, ac efficacius, adhibere poteſt faciliùs Confeſſarius, ſi ſcit conſcius occaſionis proximæ, & benè cognoſcat ſtatum fragilem, ac debilem pœnitentis, cui vt medicus ſpiritualis ſubuenire tenetur; ac proinde prædicta notitia eſt ipſi Confeſſario valdè neceſſaria, & à pœnitente manifeſtanda illi, ſi ab ipſo interrogetur.

27 Dico *tertiò*, optimum conſilium eſſe, differre abſolutionem, non ſolum quando fit conſentiente pœnitente, ſed etiam, ſi non conſentiat. Id manet probatum ex dictis duobus præcedentibus concluſionibus. Et certè, miror valdè, quod dicit Sancius, ſe hominem adeò grauem, & doctum, non intelligere melius bonum eſſe pœnitentis carere aliquo tempore abſolutione, & gratia ſacramentali, quando à Confeſſario pio, docto, & prudenti adhibetur pro medicina. Quis enim non videat id fieri pro maiori bono ſpirituali; & fortè in aliquo caſu non eſſe conſilium, ſed debitum, ac præceptum neceſſarium. Id verò quod addit: In nullius cor aſcendere poſſe, quòd vberiores præſtet vires ad fugienda peccata dolor ille à pœnitente conceptus ob negatam abſolutionem, quàm gratia Sacramenti, & auxilia de facto exhibita:

exhibita: admittitur vt certum, & omninò indubium: cæterùm intentum dilationis abſolutionis ſolùm eſt in gratiam,& reuerentiam Sacramenti, vt nimirùm pœnitens meliùs diſponatur, & ſalubriter moneatur de efficaciſſima emendatione peccati,nec maneat in tanto periculo reincidentiæ, quantum alias certiſſimè ſubiret. Vnde quamuis per ſe loquendo, melius ſit pœnitenti gratia abſolutionis, quàm dolor ob dilationem abſolutionis;tamen hic & nunc per accidens alicui pœnitenti ex conſuetudine relabenti in peccata mortalia, melius, & efficacius medium videtur, terrore concuti ad odio habenda illa,quàm non benè forte diſpoſitum abſolui. Id enim prouenit ex imperfectione ſtatus pœnitentis.

Cæterùm quod mihi magis diſplicet, eſt exemplum de Euchariſtia, quod ad ſuum inſtitutum proponit, vt verum: nunquam ſcilicet futurum rectum conſilium, Euchariſtiam aliquando pœnitenti non miniſtrare,cauſa emendandi venialia peccata, aut alias imperfectiones; neque hac in re Confeſſarij iudicium ſpectandum eſſe,nedum eius monitis,aut conſilio obtemperandum; ſed eo ipſo quemuis non habentem conſcientiam peccati mortalis debere vti iure ſuo,& inuito etiam ac diſſuadente Confeſſario ad Communionem Sacram accedere. Quod totum latè tractat Sancius *diſputatione 28.* Verùm id totum ad trutinā diſputationis Scholaſticæ libenter reuocarem;& quàm ſit falſum,& contra veram antiquorum Scholaſticorum doctrinam, & contra tanti Sacramenti reuerentiam, ac ſumentis vtilitatem, efficaciter,ac manifeſtè oſtenderem,niſi id ad hunc tractatum de Sacramento Pœnitentiæ non pertineret, ſed ad alium de Euchariſtitia tractatum;in quo noſter Cardinalis de Lugo *diſputat. integra decima ſeptima,* hoc punctum egregiè, acutè, ac grauiter pertractauit, in quem Doctorem grauiſſimum, ac doctiſſimum reiicio Theologiæ ſtudioſos.

SECTIO III.

An modus grauiter peccandi ex ignorantia vincibili, & culpabili ſit neceſſariò in Confeſſione explicandus?

1 SEnſus quæſtionis eſt, an ignorantia ſit circumſtantia neceſſariò explicanda in Confeſſione; ſeu quod idem eſt,an ſit neceſſe explicare quempiam,an ſcienter, an potiùs ignorantiâ vincibili, ſeu culpabili peccatum commiſerit.

Variæ hic inuoluuntur difficultates,quę ſeorſum claritatis gratia tractandæ ſunt. Sit ergo dubium primum, an peccata commiſſa ſcienter, & commiſſa ex ignorantia vincibili in ordine ad operandum, ſint ſpecie diuerſa?

2 Obſeruo *primò,*& ſuppono,ipſam ignorantiam vincibilem eſſe culpabilem,& peccatum,& malam formaliter denominatiuè à negligentia voluntatis, à qua procedit. Intelligendo nomine Ignorantiæ,non carentiam habitus,ſed carentiam actus,quę ipſa aliquando eſt prohibita, & mala obiectiuè, atque adeò tunc carentia ipſius notitiæ actualis erit peccaminoſa, per denominationem à voluntate mala,à qua procedit.

3 Obſeruo *ſecundò,* ignorantiam culpabilem, quæ opponitur obligationi ſciendi, duplicem eſſe poſſe. Alia eſt enim ignorantia prædicta in ordine ad operandum,quæ opponitur obligationi ſciendi, quod ſub præcepto faciendum eſt,vel omittendum,ad quod neceſſaria eſt eius cognitio;vt eſt obligatio ſciendi, verbi gratia, præceptum audiendi Sacrum, vel tali die ieiunandi. Alia eſt ignorantia ſpeculatiua quæ verſatur circa ſpeculabilia, quæ opponitur obligationi ſciendi ſine ordine ad operandum, qualis eſt ignorantia culpabilis Articulorum, & Myſteriorum Fidei,quorum notitia per ſeipſam præcipitur; atque ideò ſiſtendo in ipſa obligatione ſciendi, eſt culpabilis talis ignorantia. De priori ignorantia in ordine ad operandum,eſt nunc in hoc dubio difficultas; de poſteriori verò dicetur in ſequenti dubio.

Dico igitur cum communi doctrina,peccata commiſſa ſcienter,& commiſſa ex ignorantia culpabili in ordine ad operandum,eſſe quoad malitiam eiuſdem ſpeciei; 4
atque adeò ſi Miſſam omittas ſcienter, vel ſi id facias ignorans præceptum, cùm tamen aduerteres debitum inquirendi,peccatum habere malitiam eiuſdem ſpeciei. Ita Suarez *diſputatione 22. ſectione 4. numero 14.* Sanchez *lib. 1. operis moralis, cap. 17. num 15.* Cardinalis Lugo *diſputatione 16. ſect. 4. numer. 182.* & eſt communis doctrina. Ratio eſt, quia non differunt in malitia obiectiua, ſed ſolùm differunt in modo voluntarij.

Hinc colligo, ſi ignorantia culpabilis ſit ſolùm circa aliquod præceptum ſpeciale, verbi gratia, circa malitiam,& prohibitionem vſuræ, non eſt duplex malitia in vſura commiſſa ex tali ignorantia; quia tota obligatio ſciendi prohibitionem vſuræ, naſcitur ex prohibitione vſuræ, quæ tota eſt in ſpecie iniuſtitiæ: non ergo ſunt ibi diſtinguendæ duæ malitiæ, quia perinde ſe habet tunc obligatio ſciendi,ſicut in eo qui culpabiliter ignorat præceptum ieiunandi hac die, qui non contrahit duas malitias,ſed vnam contra præceptum ieiunij,quod ſimul obligabat ad expellendam illam ignorantiam. Vt optimè id declarat noſter Gabriel Vaſquez *tom. 1. in 1. 2. diſputatione 119. capite 2.* Et probat ab incommodo, quia alioqui ſequeretur,grauius multò peccare eum, qui ex ignorantia delinqueret,quàm qui ſcienter: nam hic vnico tantùm ſimplici peccato peccaret, verbi gratia,in materia homicidij;ille autem præter homicidium, committeret aliud peccatum ignorantiæ contra aliam virtutem, nempe contra virtutem ſtudioſitatis, eſſéntque hæc duo in Confeſſione explicanda, vt ſpecie diſtincta: nam peccatum negligentiæ ſeu ignorantiæ in ea materia graue eſſet, & ſpecie diſtinctum ab homicidio. Quæ certè manifeſta videntur abſurda.

Secundum dubium eſt, an aſſenſus erroneus contra Fidem procedens ex ignorantia grauiter culpabili, differat ſpecie quoad malitiam, ab aſsenſu erroneo contra eandem fidem habito ſcienter, & ſine tali ignorantia; 5
& per conſequens, omiſſio diligentiæ debitæ ad inquirendam veritatem, ſit peccatum diuerſæ ſpeciei à peccato commiſſionis facto,in aſſenſu hęretico contra Eccleſiæ doctrinam ſufficienter propoſitam:an potius ſint peccata eiuſdem malitię quoad ſpeciem, ſicut dixi *præced. dubio,* homicidium ex ignorantia culpabili factum non differre ſpecie morali ab homicidio ſcienter commiſſo.

Vaſquez *1. 2. diſputatione 126. cabit. 3. numero 6.* diſcrimen conſtituit inter peccatum homicidij, & infidelitatis,quoad hoc;vt ignorantia culpabilis non faciat malitiam ſpecie diuerſam in homicidio, faciat tamen differentiam ſpecificam in peccato contra Fidem.Quia ſcientia vel cognitio in peccato homicidij non eſt circumſtantia ex parte obiecti, ſed conditio requiſita vt actus ſit liber, & humanus; cùm igitur ignorantia culpabilis non tollat voluntarium, quia ad voluntarium ſufficit cognitio, quam quis poſſet ac deberet habere, etiamſi illam non habeat, ideò manente voluntario, & etiam manente ſubſtantia homicidij ex parte obiecti

exterio

Digitized by

exterioris erit peccatum eiuſdem ſpeciei, ac ſi directè volitum eſſet homicidium, & ſcienter factum. At poſita ignorantiâ etiam culpabili, non manet malitia hæreſis, vel infidelitatis, hæc enim conſiſtit in hoc quòd aliquis ſcienter aduerſetur dictis, & auctoritati Dei loquentis, quod non facit, qui ignorat Deum loqui, licèt id culpabiliter ignoret.

6 Contrarium ſentit Cardinalis Lugo *diſp.* 16. *ſect.* 4. *num.* 188. *& ſequentibus*, docens, ſe non inuenire diſcrimen quoad hoc inter peccata contra obligationem credendi, & contra alia præcepta. Probat, quia malitia, quæ in infidelitate apparet, ſumitur ex eo, quòd quis offendit auctoritatem loquentis, non credendo quod dicit: At hæc irreuerentia non ſolùm inuenitur, quando quis ſcienter diſſentit Deo loquenti, ſed etiam quando culpabiliter negligit examinare, an ſit doctrina Dei, & ob eam negligentiam reipſa diſſentit iis, quæ à Deo dicuntur. Si enim quis alicui honorem debitum non exhibeat, ſiue id faciat illum cognoſcens, ſiue ex culpabili negligentia illum ignoret, pertinet ad eandem ſpeciem irreuerentię. Vnde qui vulnerat perſonam ſacram, ſiue ſcienter id faciat, ſiue ex culpabili ignorantia, in vtroque caſu contrahit eandem malitiam ſpecie ſacrilegij, quia in vtroque caſu offendit, & violat reuerentiam debitam perſonæ ſacræ: Similiter ergo qui ex negligentia culpabili negat eſſe vera, quæ Deus nobis credenda proponit, contrahit malitiam irreuerentiæ contra diuinam auctoritatem. Firmat, nam in aliis materiis, exponens ſe culpabiliter periculo alicuius peccati, contrahit malitiam illius peccati: ergo exponens ſe periculo manifeſto incidendi in hæreſim, contrahit malitiam hæreſis, tametſi ille nondum reſiſtat ſcienter teſtimonio diuino: ergo ſimiliter qui ob negligentiam culpabilem exponit ſe periculo negandi id, quod Deus dicit, & quod tenebatur credere, contrahet malitiam eiuſdem rationis. Denique firmatur hoc idem, quia eſt regula generalis ſatis communis apud Theologos, peccatum ex ignorantia, & malitia factum, non pertinere ad diuerſas ſpecies moralis malitiæ, ſed ad eandem: Quæ regula ita eſt vniuerſalis, vt etiam in ipſo peccato omiſſionis, cum proportione habeat locum. Qui enim omittit auditionem Miſſæ in die feſto, ex ignorantia culpabili, quòd ſit dies feſtus, & qui abſque ignorantia non audit Miſſam, vterque peccat, peccato eiuſdem ſpeciei: ergo idem dicendum de ignorantia culpabili, quando ſolùm affert negationem alicuius articuli Fidei, non eſſe malitiam ſpecie diuerſam à malitia negantis eundem Fidei articulum abſque tali ignorantia.

Propter hæc argumenta, Soto, Lorca, Canus, Petrus Nauarra, Thomas Sanchez, & alij, quos refert Cardinalis Lugo *loco citato*, eodem modo loquuntur de peccatis contra Fidem, ſicut de peccatis contra alia præcepta. Et de illis dicunt penes malitiam non diſtingui ſpecie, ſed tanquam perfectum, & imperfectum in eadem ſpecie. Addunt tamen errorem reſpectu auctoritatis Eccleſiæ, per culpabilem ignorantiam eius, non eſſe hæreſim, quia hæreſis ſignificat illud peccatum, vt omninò completum, & conſummatum in illa ſpecie.

7 Mihi magis placet ſententia Vaſquez ſuprà propoſita *num.* 5. Suppono autem cum D. Thom. 2. 2. *q.* 166. dari virtutem ſtudioſitatis in materia Fidei. Nam inter alia, quæ illi tribuit Sanctus Doctor, vnum eſt, benè diſponere affectum ad rectè mouendum intellectum ad credendum, vt ſpecialiter dicit *art.* 2. *ad* 3. Vnde hæc virtus ſtudioſitatis eſt ſpecialis virtus infuſa, mouens intellectum ad exercitium inquirendi, & ſtudendi in materia Fidei, mediâ quâ eſt aliquis diligens in acquirenda cognitione rerum Fidei. Quare ad hanc ſtudioſitatem pertinet obligatio adhibendi diligentiam ad ſciendum ea quæ ad Fidem pertinent.

Hoc præſuppoſito manifeſtè oſtendo, eſſe differentiam ſpecificam quoad malitiam inter peccatum ignorantiæ in materia Fidei, & peccatum infidelitatis poſitiuæ, ſeu hæreſis: nam hoc ſecundum opponitur formaliter auctoritati diuinæ, & Eccleſiæ, atque adeò primæ veritati; primum autem non opponitur formaliter diuinæ authoritati, ſed obligationi ſciendi contra virtutem ſtudioſitatis; & ideò hic error eſt ſpecie diſtinctus ab infidelitate poſitiua, ſeu hæreſi. Vnde prædictus error non excludit Fidem, vt etiam fatentur Doctores oppoſitæ ſententiæ, quam tamen hæreſis omninò deſtruit, vtpote primæ veritati, & authoritati oppoſita: & tota illius malitia eſt ſolùm ratione ignorantiæ culpabilis. Hinc eſt maximè obſeruandum, quòd ipſa ignorantia quamuis non ſoleat efficere diuerſitatem ſpecificam in peccatis, quando nimirùm ſolùm variat modum voluntarij, vt contingit in aliis peccatis; quia hoc non pertinet ad formalitatem, & ſpeciem peccati, ſed ad modum, qui ſe tenet ex parte operantis, nihilominùs tamen, quando ignorantia occultat obiectum, à quo peccatum accipit ſuam propriam rationem, tunc poſſe mutare ſpeciem peccati. Ita autem eſt in præſenti; nam ignorantia definitionis, ſeu propoſitionis Eccleſiæ occultat proprium obiectum hæreſis, & facit, vt error non ſit authoritati Eccleſiæ contrarius formaliter, & in voluntate operantis, & ideò impedit ſpeciem hæreſis; & in ſpecie ignorantiæ peccatum relinquit cum graui deordinatione contra virtutem ſtudioſitatis ſupernaturalis.

Ex his patet ſolutio ad argumentum Cardinalis de Lugo, negando malitiam, quæ in infidelitate poſitiua apparet, reperiri in ipſa ignorantia culpabili, vel etiam illam irreuerentiam quæ eſt in infidelitate: quia ex parte obiecti deeſt turpitudo, & malitia infidelitatis, quæ conſiſtit in diſſentiendo ſcienter iis, quæ Deus dicit, opponendo ſe primæ veritati, aut authoritati diuinæ in dicendo; cui non opponitur ignorantia culpabilis, quæ formaliter ſolùm aduerſatur virtuti ſtudioſitatis. Et quamuis verum ſit, eandem malitiam, ac irreuerentiam eiuſdem ſpeciei reperiri in eo, qui vulnerat perſonam ſacram, ſiue ſcienter id faciat, ſiue ex culpabili ignorantia, quia eſt eadem obiectiua malitia vulnerationis in vtroque caſu, id tamen non contingit in noſtro caſu, vt ſatis declaratum eſt. Ad confirmationem pariter dico, eſſe ſpeciale in materia Fidei, & validè diuerſum ab aliis peccatis in aliis materiis, ob diuerſam rationem formalem iam explicatam; quia nimirùm in aliis peccatis ignorantia non pertinet ad formalitatem, & ſpeciem peccati, ſed ad circumſtantiam modi operandi. At in materia Fidei, ipſa ignorantia definitionis, ſeu propoſitionis Eccleſiæ, impedit ſpeciem hæreſis, & induit aliam malitiam ſpecie diuerſam contra virtutem ſtudioſitatis. Ex quo facilis conſtat ſolutio ad vltimam replicam, de regula illa generali, à qua meritò excipitur ignorantia culpabilis rerum Fidei ob rationem iam dictam, & repetitam.

Tertium dubium eſt, an peccatum omiſſionis, quando quis non elicit actum Fidei, quem tunc debebat ex 8
Fidei præcepto habere, differat ſpecie à peccato commiſſionis, quo hæreticus in mente ſua poſitiuè negat articulum aliquem noſtræ Fidei. Hæc difficultas ſpectat ad materiam de Fide. Breuiter dico cum Suario, *tractatu de Fide, diſputatione* 16. *ſect.* 1. *num.* 10. eſſe differentiam ſpecificam inter hæc duo peccata. Quod etiã defendit Cardinalis Lugo *in tract. de Fide, diſput.* 18. *ſect.* 1. *num.* 28. Ratio à priori eſt, quia eiuſmodi peccata diſtinctiſſimas habent deordinationes, & malitias, propter diuerſitatem præceptorum, aut virtutum, quibus

Digitized by Google

bus opponuntur, nam omiſſio ob ignorantiam culpabilem non opponitur directè formali obiecto Fidei, & veracitati Dei, ſicut opponitur infidelitas commiſſionis, quæ propterea infert maliam longe maiorem, & diuerſa rationis. Sunt igitur in hac materia illa peccata ſpecie diuerſa, ſicut ſunt in materia Charitatis, non amare Deũ tempore debito, vel odio habere illum, quæ ſunt peccata ſpecie diuerſa.

9 Quartum, & vltimum dubium eſt, an qui peccauit ex ignorantia vincibili, ac mortaliter culpabili, debeat id in Confeſſione explicare?

10 Omiſſis aliorum dicendi modis dicam quid ſentiam iuxta dicta *in hac ſectione*. Dico itaque *primo*, peccatum ignorantiæ vincibilis in materia Fidei, cum ſit ſpecie diſtinctum à peccato infidelitatis poſitiuæ, ſeu hæreſis, eſſe in Confeſſione explicandum.

11 Dico *ſecundò*, ſi ſermo ſit de ignorantia culpabili in alijs materijs, & peccatis, non eſſe per ſe loquendo explicandum, an peccatum fuerit ex ſcientia, vel ignorantia; quia, vt dictum eſt *ſuprà*, eiuſdem ſpeciei, ac malitiæ moralis eſt peccatum cum hac ignorantia, & cum ſcientia admiſſum. Per accidens autem aliquando id eſt neceſſarium, explicare in ordine ad cenſuras Eccleſiaſticas; quippe ab illis ſæpe ignorantia excuſat, quæ aliquando imponitur ſolum violanti ſcienter tale præceptum. Eſt etiam ignorantia explicanda, quando ob illam aliquis exponitur periculo peccandi in alia ſpecie. Vt ſi quis ignoret ſtatum fœminæ quam cognoſcit; tunc enim ſe exponit periculo adulterij, vel ſacrilegij, ſi nupta ſit, vel Deo Sacra per votum Caſtitatis. Aliqui addunt explicandam ignorantiam, quando eſt affectata, ad finem liberius peccandi. Quod quidem verum eſt, ſi ignorans ille exponatur periculo admittendi alia peccata, ratione illius ignorantiæ affectatæ, quia tunc mutat ſpeciem: tot enim peccata ſpecie diſtincta ille committit, quot committendi periculo ſe exponit. Vt ſi velit fœminam cognoſcere, & affectet ignorare ſtatum ipſius, vt liberius peccet, vel ne eius culpa ita grauis cenſeatur. Hic enim exponitur periculo inceſtus, & adulterij, & ſacrilegij. Cæterum quando non eſt tale periculum, ſed ignorantia affectatur, ne notitia certa præcepti habeatur, ſentio cum Cardinali Lug. *diſp.16. ſect.4. n.185.* non eſſe eam circumſtantiam explicandam, quia nec mutat ſpeciem, nec eam notabiliter aggrauat, quia peius fortaſſe eſt, violare præceptum notum, quam nolle illud cognoſcere vt ſine remorſu violetur; plus enim irreuerentiæ, & timoris videtur oſtendi in ſecundo caſu, quam in primo. Contrarium huius ſentit Sanchez, *libr.1. operis moralis, cap.17. numer.5.* dicens, ſi ignorantia ſit affectata ad liberius peccandum & abſque conſcientiæ remorſu, non minuere, ſed augere peccatum, & ita grauius eſſe quàm ſcienter commiſſum: quia ea voluntas videtur continere maiorem præcepti contemptum, & maiorem peccandi affectum; nam ſic peccans ignorare affectans, vult liberari ſcientia, quæ eſt quaſi frænum cohibens peccare. Vnde ſequitur vt reddat multò magis voluntarium peccatum, quam ſi ſcienter admiſſum eſſet; & ideò ex hac parte valdè auget peccatum. Cæterum licet id concedamus ipſi Sanchez, cum nos teneamus, circumſtantias notabiliter aggrauantes non eſſe neceſſariò confitendas, conſequenter debemus dicere, hanc circumſtantiam fatendam non eſſe, vtpote quæ ſolum notabiliter aggrauat intra eandem ſpeciem.

***

SECTIO IV.

An modus peccandi grauiter ex conſcientia erronea, ſit explicandus in Confeſſione?

AD huius quæſtionis explicationem ſupponenda ſunt nonnulla ex materia de conſcientia erronea. 1 Suppono *primo*, conſcientiam erroneam, ſiue errantem dici illam, quæ dictat eſſe bonum, quod tamen eſt malum verè, vel contrà, quæ dictat eſſe malum, id quod in ſe bonum eſt.

Suppono *ſecundò*, conſcientiam erroneam, vel eſſe 2 vincibilem, vel inuincibilem: Vincibilis ſeu culpabilis, eſt illa, quæ ſic imprudenter iudicat, vt ſi debita vteretur diligentia maiorem caueret. Inuincibilis, ſeu inculpabilis eſt illa, quæ ita errat, vt prudenter iudicet ſe non errare.

Suppono *tertiò*, vt certum apud omnes, operari contra conſcientiam erroneam inuincibilem, ſeu inculpabilem, dictantem aliquid eſſe malum, quamuis in re malè non ſit, eſſe peccatum mortale. Ratio eſt, quia cum homo per rationem obligetur, iuxta modum, & menſuram ſuæ cognitionis obligatur: ergo ſi faciendo quod in ſe eſt, prout ad inuincibilem conſcientiam requiritur, adhuc iudicat aliquid eſſe peccatum graue, quod reuera non eſt, obligatur ex vi talis iudicij, nec poteſt honeſtè agere contra talem conſcientiam, dictamen illud; ageret enim temerè, & voluntas amplecteretur id quod ſub ratione grauis mali proponitur. Vnde cum tota huius malitiæ ratio in eo conſiſtat, vt homo fiat contra Conſcientiæ erroneæ dictamen; tanta, & talis erit peccati malitia, quantam & quidem conſcientia dictauerit: vt ſi dictat eſſe veniale, veniale; ſi mortale, mortale; ſi adulterium, adulterium, & ſimilia; conſcientia enim ligat & obligat, ne fiat contra illam, niſi rationabiliter deponatur.

Suppono *quartò*, obligationem dictam ſequendi cõſcientiam erroneam inuincibilem oriri ex vi præcepti illius virtutis, ad quam pertinet talis actus. Vt ſi quis 4 ex conſcientia erronea inuincibili iudicet ſe teneri ad mentiendum, vt proximo periclitanti ſubueniat, obligatio naſcitur ex præcepto miſericordiæ, quod obligat hominem, quotieſcumque ſufficienter exiſtimat in re ſubeſſe ſufficienter neceſſitatem proximi, cui poteſt commodè ſubuenire. Nec inde ſequitur, obligari hominem contra legem Dei; nam verè obligatur ad actum virtutis, & materialiter ſolùm videtur eſſe obligatio contra quandam Dei legem, quæ tunc non obligat, quia excuſatur homo per ignorantiam inuincibilem, & per aliam fortiorem legem obediendi prudenti conſcientiæ.

Suppono *quintò*, operari quoque contra conſcientiam erroneam etiam vincibilem, dictantem aliquid eſſe malum, eſſe peccatum, & intrinſecè malum. Ratio eſt, quia licet, lex ſiue naturalis, ſiue diuina, ſiue humana, ſit prima malitiæ, aut bonitatis noſtrarum actionum regula; at proxima regula eſt iudicium conſcientiæ, proponens voluntati obiectum tanquam honeſtum, vel turpe; & ideò agens contra conſcientiam, ſiue verè, ſiue falsò dictantem aliquid eſſe peccatum, delinquit contra proximam humanæ actionis regulam. Quamuis enim per ſe ratio recta, & quæ eſt diuinæ legis participatio, ſit noſtrarum actionum regula, nihilominus tamen per accidens eſt regula conſcientia errans etiam vincibilis, non vt errans, ſed quatenus recta ab operante exiſtimatur.

Vnde

Vnde tametſi conſcientia erret, dictans id eſſe malum, voluntas illud amplectens, vult quantũ in ſe eſt, malum, atque ideo legem naturalem dictantem omne malum eſſe vitandum, tranſgreditur. Sicut qui priuatum credés eſſe Regem contemnit; non priuatum, ſed Regem contemnere cenſetur. Vnde hac in re eadem eſt ratio conſcientiæ erroneę, ſiue inuincibilis, ſiue vincibilis.

6 Suppono *ſexto* cum communi ſententia, ſi conſcientia erronea procedat ex ignorantia vincibili, peccabitur quidem venialiter contra illam, ſi conſcientia dictet eſſe veniale, niſi id reuera aliunde ſit mortale. Patet, quia cùm conſcientia erronea procedens ex ignorantia vincibili, ſeu culpabili non minuat peccatum, peccabitur tunc mortaliter, ſi aliunde ſit mortale, ignorantia enim culpabilis non excuſat à peccato, & ideò cum non excuſet, non efficit, vt id quod ex ſe erat mortale, fiat ratione huius ignorantiæ veniale. Ex quo fit, vt ſi conſcientia erronea procedat ex ignorantia inculpabili, & inuincibili, cùm ignorantia inculpabilis, ac inuincibilis excuſet à peccato mortali, ſolum erit veniale, quamuis aliunde ſit mortale, ſi conſcientia dictet eſſe veniale, aut mortale, licet aliunde ſit veniale, ſi conſcientia dictet eſſe mortale.

7 Suppono *vltimò*, peccatum contra conſcientiam errantem, non eſſe ſpeciale peccatum, ex præcepto non agendi contra conſcientiam, quia ſolùm peccatur ratione præcepti, quod violatur; habet enim illud peccatum idem obiectum in ſpecie, quod haberet, ſi eſſet vera obligatio. Vnde puer, qui falſo putat ſe teneri ad ieiunium, & non ieiunat, committit peccatum eiuſdem ſpeciei cum eo, quod committit adoleſcens obligatus ad ieiunandum. Quare ſicut dum quis non ex conſcientia erronea, ſed ſcienter contra aliquod præceptum particulare peccat, non datur duplex malitia, altera contra præceptum quod violat, & altera contra ipſam conſcientiam aliud dictantem, ſed vnica tantùm contra præceptum quod violatur: ſic etiam, quando quis ex conſcientia errante peccat, non datur duplex malitia, altera præcepti violati, altera conſcientiæ erratæ, ſed vna tantùm contra præceptum quod tranſgreditur. Et ratio eſt, quia nullum præceptum, & nulla virtus obligat, niſi præeunte conſcientiæ iudicio, quod eſt proxima operandi regula, vt dixi *ſuprà*. Quare, quando quis peccat contra conſcientiam, ſiue errantem, ſiue non errantem, non peccat contra duplicem regulam, aut contra duplicem virtutem, ſed contra eandem ſibi notam, ac propoſitum per iudicium conſcientiæ: His poſitis, ad punctum præſentis quæſtionis accedens, an videlicet qui ex conſcientia ſolùm erronea peccauit, debeat explicare illam circumſtantiam?

8 Dicendum eſt, cum communiori ſententia, quam ſequuntur Sanchez cum pluribus *lib. 1. operis moralis, cap. 11. numero* 5. Fagundez *præcepto 2. lib. 4. cap. 5. num.* 16. & alij, regulariter, & per ſe loquendo, ſat eſſe explicare in Confeſſione præcepti violationem, quam conſcientia erronea dictauit, non declarando, fuiſſe contra conſcientiam errantem. Ratio eſt, quia vt dixi *numero præcedenti*, agere contra conſcientiam errantem, non eſt ſpeciale peccatum; ergo non eſt neceſſariò fatendum. Vnde cùm ſit vnica tantùm malitia contra id præceptum, cuius iuxta veram, vel errantem conſcientiam eſt tranſgreſſio, vt dixi *ſuprà num. 4. 5. &* 6. ea ſolùm malitia eſt fatenda.

9 Dixi *regulariter*, ac *per ſe loquendo* id ſufficere: nam aliquando per accidens debebit explicari illa circumſtantia. *Primo*, propter cenſuram Eccleſiaſticam, quæ non incurritur, ſi ſolùm peccatum ex conſcientia erronea. *Secundo*, propter irregularitatem, quæ communiter tunc non incurritur. *Tertio*, quando materia ipſa eſt talis, vt niſi explicetur illa circumſtantia, non intelligitur illud peccatum, ſed aliud, vel nullum. Vt ſi puer ſe accuſet de violatione ieiunij, & non dicat conſcientiam erroneam, Confeſſarius non intelliget illud fuiſſe peccatum, vnde poſteà agnito conſcientiæ errore oportebit explicare denuò illam circumſtantiam, vt confiteatur violatio ieiunij tanquam peccatum. *Vltimo*, aliquando ea circumſtantia eſt dicenda ad cognoſcendum ſtatum pœnitentis, & an ſit in morali periculo iterum peccandi ex conſcientia erronea, ſiue inuincibili, ſiue vincibili.

Petes, qualis ſcilicet culpa ſit, venialiſ-ne, an mortalis neceſſariò explicanda in Confeſſione, peccare contra conſcientiam, quando aliquid illicitum putat, nec tamen cogitatione diſtinguit, an veniale ſit, an mortale. 10

Reſpondeo, ſi conſcientia dictet, id eſſe illicitum in aliqua ſpecie particulari; ex ea ſpecie particulari, iudicandum eſſe, an ſit mortale, an veniale. Vt ſi dictet, hodie eſſe ieiunij diem, aut diem feſtiuum, culpa mortalis iudicabitur ex violatione horum præceptorum. Quod ſi conſcientia dictet, aliquid eſſe peccatum in confuſo, ſeu in genere; non determinatâ materiâ ſpecifica in particulari, aliqui exiſtimant eſſe mortale, & fatendum in Confeſſione: quia cùm abſque ſufficienti examine qualitatis culpæ, voluntas eam in genere, & in confuſo amplectatur; exponit ſe manifeſto periculo committendi culpam mortalem.

Alij verò, vt Nauarrus *in ſumma Lat. præludio 9. num. 9.* Ludouicus Lopez *1. part. inſtruct. cap. 3. verſ. Præterea.* Manuel Rodriguez *1. tom. ſummæ, cl 2. cap. 71. in fine.* Valentia *1. 2. diſp. 2. quæſt. 14. punct. 4. q. 3. in fine.* Diana *tom. 1. tract. De circumſtantiis aggrauantibus, reſolut. 24.* & alij, exiſtimant eſſe ſolum veniale. Quod ipſe vt probabilius amplector; quia velle id, quod in genere tantùm reputatur illicitum, non videtur grauis malitia, cùm adhuc huiuſmodi voluntas ſe contineat intra limites malitiæ genericæ, nempe eius rationis, quæ eſt communis peccato mortali, & veniali: nam in eo actu, ſola malitia conſcientiæ dictantis, eſt volita. Vnde cùm conſcientia ſolam malitiam generalem dictet, quæ eſt imperfecta in genere mali, & ideò in ea venialis materia reperiatur, erit ſola culpa venialis.

SECTIO V.

De aliis modis circa circumſtantiam, Quomodo, *an debeant in Confeſſione explicari?*

Circa prædictam circumſtantiam, *Quomodo*, ſuperſunt peccandi modi breuiter explicandi, an debeant fateri in Confeſſione?

Primus modus eſt, an debeat explicari in Confeſſione non ſolum peccatum commiſſum, ſed etiam periculum antea præuiſum incidendi in tale peccatum. *Reſpondeo* cũ Cardinali Lugo *ſect. 12. citata, num. 511.* Diana *tom. 1. de circumſtantiis, reſolut. 44.* & aliis, ſi inter periculum & peccatum ſubſequens non intercedat tanta mora, quæ ſufficiat ad diſtinguendum moraliter vnũ peccatum ab alio, non eſſe neceſſe, illa ſeorſim explicare, ſed ſufficere explicare peccatũ, cuius ſe periculo exponit. Ratio eſt quia ſi illa duo nõ differunt ſpecie, & aliunde poſſunt moraliter coniungi ad faciendum vnum moraliter peccatum, non eſt, cur debeat explicari in particulari periculum, cui ſe exponit pœnitens, quia nihil aliud ſui [illegible] iſtius peccati [illegible] cum ipſo peccato ſecuto.

Vnde

Vnde infero, eum qui ob tentationem inſurgentem carnis, verbi gratiâ, deberet ſub mortali orare ad implorandum diuinum auxilium, & reſiſtendum tentationi, & omittit orationem, ac ſuccumbit tentationi, non committere duplex peccatum, alterum contra Religionem, alterũ contra Caſtitatem, quidquid dicat Ioannes Sancius *in ſelectis, diſp.* 21. *num.* 20. Sed vnum tantùm, nempe lapſum carnis, & hunc ſolum teneri in Confeſſione fateri. Ratio eſt, quia obligatio orandi tunc, non eſt alia, niſi quâ debet homo vitare peccatum carnis, cùm oratio non obliget tunc per ſe, ſed per accidens: ergo omiſſio orationis non eſt peccatum diſtinctum à peccato illo, quod per orationem vitari debebat, vt in ſimili rectè notauit Tannerus 2. 2. *diſp.* 2. *quæſt.* 4. *dub.* 4. *num.* 83. Quare nulla eſt obligatio explicandi omiſſionem orationis, ſed ſola eſt obligatio lapſum carnis explicandi.

2 Secundus modus peccandi eſt de eo qui geſtat reliquias Sanctorum collo ſuſpenſas, dum exercet actum venereum, v. g. an debeat eam circumſtantiam in Confeſſione explicare. Placet mihi reſolutio noſtri Thomæ Sanchez *lib.* 2. *operis moralis, cap.* 40. *num.* 28. dicentis, tametſi id aliquam irreuerentiam contineat contra Sanctorum reliquias, ſed non videri ita grauem, vt addat malitiam mortalem neceſſariò explicandam. Ratio eſt, quia nullo iure ſpecialiter id prohibetur, nec directè cultui Reliquiis debito opponitur; quæ certè per accidens ac concomitanter ſe habent ad actum venereum; nec agitur ſpecialiter contra rem illam ſacram vt ſacra eſt, vt rectè notauit Filliucius *tom.* 2. *tract.* 30. *cap.* 7. *dub.* 7. atque ideò non eſt ſpeciale ſacrilegium. Addit tamen, & benè, ſi Reliquiæ darentur tanquam pretium actus venerei, tunc eſſet ſpeciale ſacrilegium in Confeſſione explicandum, & etiam eſſet ſimonia; ſicut ſi quis conferret Beneficium, vel eligeret, vel præſentaret aliquem, tanquam pretium actus venerei habiti cum ſorore. Placet etiam mihi quod attingit Cardinalis Lugo *dicta ſect.* 12. *num.* 513. ſi Sacerdos portans ſecum Euchariſtiam, actum venereum committeret, peccatum graue contra Religionem efficeret. Non verò eſſet eadem ratio de quolibet alio peccato mortali, v. g. detractione, contumelia, &c. quia non omnia peccata contra præſentiam Corporis Chriſti æqualem continent irreuerentiam, & turpitudinem.

3 Tertius modus peccandi eſt, de eo qui peccat; reſiſtendo ſimul vehementiſſimæ inſpirationi diuinæ, an debeat ea circumſtantia in confeſſione explicari. Dico, cum Cardinali de Lugo *loco citato*, *num.* 514. non debere explicari in noſtra ſententia; quia tametſi notabiliter aggrauet peccatum, ſed non transfert actum ad nouam peccati ſpeciem.

4 Quartus modus eſt circa copulam coniugalem; an, & quomodo ſit circumſtantia explicanda in Confeſſione, quando ratione modi impediri poteſt generatio prolis. De hoc tamen latè dixi in *tractatu de matrimonio, diſp.* 49. *ſect.* 7.

DISPVTATIO XXXIV.

De ſeptima, & vltima circumſtantia, Quando, *an debeat in Confeſſione explicari?*

VLTIMA circumſtantia ex ſeptem propoſitis ſuprà in initio Diſputationis vigeſimęoctauę eſt, *Quando*. Ea verò denotat diem, & tempus in quo peccatur. Et quia in eodem die, & tempore poſſunt concurrere diuerſa præcepta, & diuerſæ obligationes circa vnam eandémque rem, denotat etiam conſequenter multorum præceptorum, eiuſdem, aut diuerſæ rationis occurſum. Denique ſignificat durationem temporis longioris quo peccatum durat. De his omnibus breuiter in hac diſputatione agemus; & videbimus, an ſit in illis aliquid quod debeat in Confeſſione explicari?

SECTIO PRIMA.

An circumſtantia diei Feſti, ſeu temporis Sacri ſit neceſſariò explicanda in peccato mortali?

IN triplici ſenſu poteſt tractari præſens quæſtio. *Primus* eſt communis & generalis, qui à Doctoribus tractari ſolet, an in quolibet die feſto, ſi peccatum mortale committatur, ſit ea circumſtantia neceſſario confitenda. *Secundus* eſt, an ſaltem in die Iouis, aut Veneris Sancto, & etiam in die, quâ accepta eſt Euchariſtia, quodlibet peccatum mortale commiſſum contrahat ſpecialem malitiam grauem neceſſariò explicandam? *Tertius* eſt, an poſſit aliquod peccatum ratione temporis Sacri, contrahere nouam malitiam grauem in Confeſſione aperiendam. 1

Circa primum, multorum fuit antiqua opinio, circumſtantiam diei ſacræ eſſe neceſſariò explicandam, ſi eo die lethaliter peccetur. *Primò* id probari poteſt authoritate D. Auguſtini, qui *libro de decem chordis*, dicit: *Melius faceret Iudæus in agro ſuo aliquid vtile in Sabbatho, quam in Theatro ſeditioſus exiſteret; & fœmina Iudæorum melius lanam facerent, quàm in neomeniis impudicè ſaltarent.* Et D. Thom. 2. 2. *q.* 122. *a.* 4. *ad* 3. affirmantis, eum facere contra præceptum obſeruandi feſtum, qui eodem die peccatum committit. 2

Secundò, dies feſti ſunt ſimpliciter deſtinati in honorem, ac cultum Dei & Sanctorum; at peccatum mortale aduerſatur notabiliter cultui Dei, qui ſpecialiter intenditur, & præcipitur in die ſacra; Igitur habet grauem irreuerentiam contra diem ſacrum. *Reſpondebis*, ſatisfieri diei ſacro, ponendo rem præceptam, licèt non ponatur finis præcepti, quia iſte non cadit ſub præceptum. *Sed contra eſt*, quia cultus Dei non ſolùm eſt finis præcepti in die feſto, ſed etiam eſt ipſa res præcepta.

Tertiò, videtur peccatum ratione diei feſti, addere nouam ſpeciem malitiæ, quia eo ipſo peccatum fit contra Religionem, nam peccatum eſt opus ſeruile, qui enim facit peccatum, ſeruus eſt peccati: opus autem ſeruile in die feſto eſt contra Religionem.

Vltimò, tametſi finis præcepti de die feſto colendo, qui eſt ſanctificatio, non cadat ſub præceptum, tamen ſpeciale eſt peccatum huic fini apponere impedimentum, quod fit quocumque peccato mortali in die feſto: ſicut videre eſt in correctione, quæ eſt in præcepto, & finis illius tantùm eſt ſpiritualis emendatio proximi, ſi quis hunc finem impediret corrigendo fratrem, quia inde ille fieret deterior, peccatum committeret, correctionem tali tempore adhibendo.

Vera tamen eſt oppoſita ſententia affirmans, illum qui committit aliquod peccatum mortale in die feſto, vt ſi fornicetur, vel furetur, non teneri hanc circumſtantiam exprimere. Quæ modò omnibus Doctoribus placet; & Suar. *diſp.* 22 *ſect.* 4. *n.* 11. dicit hoc ſibi certũ eſſe, & conſtat ex praxi vniuerſali omnium Confeſſario- 3

rum, ac pœnitentium, qui non curant de hac circumſtantia interroganda, vel explicanda. Ad cuius maiorem explanationem;

4 Dico *primò*, circumſtantiam diei feſti non dare peccato fornicationis vet.gr.malitiam grauem alterius ſpeciei,v.gr.ſacrilegij.Ratio potiſſima eſt,quia circumſtantia diei feſti non ſuperaddit peccato diſtinctam ſpecie malitiam, cùm ſolum in illo die ſit ſpecialiter prohibitum,opus ſeruile exercere,& Miſſæ Sacrum prætermittere; ergo. Firmo,nam fornicatio, v.gr.idem eſt de aliis peccatis, ſi eſſet ſpeciale peccatum quia committitur in die feſto, eſſet ſane prohibitum ſpeciali præcepto in die feſto: hoc autem non ita eſt; neque enim naturali iure prohibetur,vt conſtat;nec poſitiuo, quia toto titulo *de ferijs*,nihil aliud prohibetur quàm ſeruile opus; peccatum autem,ex eo quòd peccatum ſit,niſi id aliunde habeat, non eſt ſeruile opus corporale, ſcilicet mechanicum, quod ſolùm in iure intelligitur prohibitum, vt liquet:ergo,circumſtantia diei feſti non eſt circumſtantia mutans ſpeciem.

5 Dico *ſecundò*, prædictam circumſtantiam diei feſti, per ſe loquendo,non dare malitiam ſpecialem ſacrilegij etiam leuem.Contrarium docet Card.Lug.*ſect. duodecima citata,n.* 519. Quia ſicut perſona Sacra aggrauat quodlibet peccatum mortale quod committit, quia per quodlibet peccatum graue profanatur perſona Deo Sacra, ſic etiam quolibet peccato mortali profanatur dies Deo Sacra, & peculiariter deſtinata ad Dei cultum. Quod etiam firmat circumſtantiâ loci Sacri, propter quam peccata in Eccleſia commiſſa contrahunt malitiam ſaltem leuem ſacrilegij;quia indecens eſt,vt locus Orationi & cultui diuino deputatus conuertatur in locum peccandi,& offendendi eundem Deum.

Cæterùm hoc non obſtante, firmo noſtrum ſecundum Dictum, quia peccatum, verb. grat. fornicationis non eſt vllo modo violatio ſpecialis etiam leuis præcepti diei feſti, quia non continetur in materia eius; non enim eſt propriè opus ſeruile, quod ſolùm illa ſpeciali lege prohibetur; neque enim in die feſto eſt ſpecialiter prohibitum fornicari,vel furari,vel aliud peccatum committere, niſi exercitium operis ſeruilis, aut omiſſio Miſſæ. Firmo à contrario, nam circumſtantia loci Sacri, non addit ſpecialem malitiam, niſi in certis peccatis, quæ ſpecialiter ab Eccleſia prohibentur, ob reuerentiam loci Sacri: ergo eodem modo dici debet, circumſtantiam diei Sacri ſolùm addere ſpecialem malitiam in certis ac determinatis peccatis,quæ ſpecialiter ab Eccleſia prohibentur illo die, qualia ſunt opera ſeruilia, & Miſſæ omiſſio: eſt etiam manifeſta diſparitas, vt dicam infrà *numero* 11. inter locum Sacrum, & diem Sacrum. Quod verò dicitur, quolibet mortali peccato profanari perſonam Deo Sacram, veriſſimum eſt,in eo nimirùm ſenſu,quia cùm eſſet anteà per gratiam habitualem perſona Deo Sacra, & Templum Dei viuum peculiari modo, profanatur verè quolibet peccato mortali, ac deſinit eſſe templum, & habitaculum Spiritus Sancti:ſi verò per perſonam Deo Sacram intelligatur voto Caſtitatis Deo adſtricta hæc propriè non profanatur niſi per peccatum contra Caſtitatem,violans tale votum.

6 Hinc dico *tertiò*, circumſtantiam diei feſti, non eſſe neceſſariò fatendam in Confeſſione, ſi eo die lethaliter peccetur. Patet, quia vt oſtenſum eſt prædicta circumſtantia diei feſti non dat aliis peccatis malitiam ſpecialem alterius ſpeciei, etiam leuem, vt oſtenſum eſt. Neque etiam poteſt concipi, vt circumſtantia notabiliter aggrauans, quin eo ipſo det malitiam grauem alterius ſpeciei, quia grauitas illa maior, quæ proueniret fornicationi, verbi gratia, ex die feſto, non eſſet ex motiuo Temperantiæ, ſed Religionis, cui opponeretur peccatum illud contra reuerentiam debitam diei Sacro: ergo ſi adderetur grauitas notabilis ex illo capite, illa daret ſpeciem malitiæ grauis contra Religionem; at probatum eſt non dare nec leuem: ergo ex nullo capite conſtat, circumſtantiam diei feſti eſſe aperiendam in Confeſſione, ſi eo die fornicetur, vel furetur, vel aliud peccatum mortale committatur.

Ad argumenta oppoſita pro illa prima ſententia. 7
Ad primum dico, D. Auguſtinum ſolùm dicere & rectè, minùs malum eſſe, laborare in die feſto, quàm alia peccata grauiora committere: hinc tamen non benè infertur alia peccata habere duplicem malitiam mortalem ſpecificam. D. Thomas intelligendus ſic eſt, vt ille qui die feſto peccatum committit, faciat contra finem ſeruandi præceptum, & quando aliud peccatum fuerit maius,erit maius contra finem,licèt non ſit contra ſubſtantiam Præcepti.

Ad ſecundum, optimè ibi reſpondetur. Ad replicam dico, non præcipi cultum omnem Dei, ſed talem, videlicet per vacationem ab opere ſeruili, & auditionem Miſſæ: cultus autem Dei in genere eſt finis remotus, ſed non eſt res præcepta; & ideò peccata quę opponuntur huic fini, non contrahunt ex eo ſpecialem malitiam: ſicut præceptum ieiunij habet pro fine carnis macerationem; & ſi quis huic fini opponatur in die ieiunij, dummodò non opponatur rei præceptæ, quæ ſolùm eſt talis maceratio carnis per abſtinentiam à talibus cibis,& per vnicam comeſtionem, non violat ieiunium.

Ad tertium,negatur,opus peccati vt ſic,eſſe opus ſeruile in proprio,& litterali ſenſu;poteſt quidem aliquod peccatum ex parte actus materialis eſſe opus ſeruile, vt ſi quis in die feſto ſcindat ligna aliena vt furetur illa, peccat ſpecialiter contra diem feſtum, non quia illud opus erat contra Iuſtitiam, ſed quia ſeruile eſt. Vnde quantum ad hoc præceptum, idem peccaret, etiamſi ex loco publico, & communi ligna ſine iniuſtitia ſcinderet. Quare peccatum non eſt ſeruile, ex eo quòd peccatum eſt, licèt ex materia poſſit eſſe ſeruile: nam fœminam cognoſcere, non eſt opus ſeruile, aliàs etiam maritalis copula in die feſto eſſet opus ſeruile, & directè prohibita hoc præcepto, quod improbabile eſt. Sunt etiam alia quamplurima peccata, quæ non perpetrantur per actiones mechanicas, aut ſeruorum proprias, ſed per actiones liberorum,ac Dominorum, & Principum.

Ad vltimum, dico legem de obſeruatione præcepti, non prohibere omnia impedimenta cultus diuini, vt eſt certum, quia aliàs dormire nimium, eſſet contra obſeruationem feſti, quia per ſomnum redditur homo inhabilis ad cultum Dei eo tempore, quo durat. Item confabulari, ludere, ſtudere, ac ſimilia impediunt pro tunc cultum; & tamen conſtat non eſſe peccata. Solùm ergo illa lex prohibet, ne impediatur cultus neceſſarius ex illo præcepto ad ſubſtantialem obſeruationem illius, & non aliud.

Circa ſecundum ſenſum, de illis diebus Sanctis, 8
qui propter ſpecialem ſanctitatem, quam cenſentur habere per ſpecialem deputationem ad honorem Dei, & ad communem orationem, vel commemorationem beneficiorum Dei. Breuiter dico, non contrahere aliquam malitiam grauem ſpecialem in Confeſſione exprimendam peccata illa, quæ prædictis diebus committuntur. Ratio eſt, quia non habent ſpecialẽ prohibitionem in illis diebus,nec ratione peculiaris deuotionis illorum dierũ, refunditur irreuerentia ſpecialis talis

Digitized by Google

talis ac grauis, ob quam peccata mortalia accipiant ſpecialem malitiam neceſſariò explicandam. Quod magis conſtabit ex *ſequenti puncto*.

9 Circa tertium ſenſum, videtur pars affirmans amplectenda, quia eo ipſo quòd tale tempus eſt ſanctificatum, & cultui diuino dicatum, quodammodo polluitur & violatur, peccatum mortale in illo committendo. Probatur, quia eo ipſo quòd aliqua res conſecratur, vel cultui diuino dicatur, ex ipſo iure Naturæ abſque alio præcepto poſitiuo ſequitur obligatio tractandi rem illam cum debita reuerentia, & non profanando illam, vt conſtat de loco ſacro: ergo cùm dies feſti præſertim maximæ feſtiuitatis ſint peculiariter Deo dicati, eadem naturalis prohibitio in illo locum habet vltra omnem poſitiuam: ergo ratione illius, habebit omne peccatum in prædictis feſtis commiſſum, ſpecialem deformitatem contra virtutem Religionis. Firmatur, nam idem peccatum publicè factum in die feſto ſolemniori, maius ſolet ſcandalum generare, quàm ſi in alio tempore fiat: ergo ſignum eſt, iuxta communem æſtimationem, quam omnes habent ductu quodam naturæ, habere peccatum ſpecialem deformitatem ex illa circumſtantia.

10 Dico *primò*, negari non poſſe, peccatum in tempore ſacro commiſſum, factum directè ex contemptu talis diei ſacri, habere nouam malitiam mortalem grauis ſacrilegij contra Religionem, declarandum ſpecialiter in Confeſſione. Patet, quia ex intentione directa & formali opponitur diuino cultui ſic peccans, & contemnit illum: quod ſemper, & in omni materia graue crimen eſt.

11 Dico *ſecundò*, poſſe peccatum aliquod, ratione temporis ſacri, contrahere nouam malitiam grauem neceſſariò explicandam. Id benè probat Cardinalis Lugo *ſect. 11. citata, numero 524. Primò*, ſi tempore valdè ſacro, vt in die Veneris ſancto vellet quis ludos publicos, comœdias, & ludicra ſpectacula exhibere, ſicut in diebus Bacchanalium, Quis enim non animaduerteret, præter ſcandalum, eſſe grauiſſimam irreuerentiam contra ſacratiſſimum tempus, ac diem Paſſionis Chriſti Domini. *Secundò*, ſi quis ab ipſo Altari, in quo celebrauit, iret immediatè ad peccandum cum Concubina, nónne committeret grauiſſimam irreuerentiam? Si enim Eccleſia meritò iudicat interuenire irreuerentiam valdè grauem contra Sacramentum Pœnitentiæ, ratione temporis, quo Sacerdos immediatè, & proximè poſt Confeſsionem, ſollicitat pœnitentem ad turpia, vel colloquia turpia cum ea miſcet; & tali Sacerdoti deſignat grauiſſimas pœnas, & facit eum abiurare de vehementi, vel de leui, propter ſuſpicionem in Fide, quam affert grauiſsimum illud ſcelus; cur etiam ſimilis irreuerentia contra Euchariſtiæ Sacramentum, non continebit peccatum illud cum Concubina, ratione temporis quo fit immediatè poſt Communionem, & Miſſæ ſacrificium immediatè peractum?

12 Dico *tertiò*, alia peccata mortalia, verbi gratiâ, fornicationis, furti. &c. facta in tempore ſacro, non afferre difformitatem, nec irreuerentiam contra Religionem. Id rectè notauit Suarez *tom. 1. de Religione, tractatu 2. lib. 2. cap. 18. num. 16.* Ratio eſt, quia ſecluſo contemptu, non apparet in eo actu prædicta difformitas, quia tempus ſacrum, ſeu dies feſtus non eſt ita ſanctificatus, vt teneamur omnes eius partes tanquam Deo conſecratas revereri aliter, quàm in non faciendo in illis opus ſpecialiter prohibitum. Firmatur hoc idem ex manifeſto diſcrimine, quod reuera eſt inter locum ſacrum, & tempus ſacrum. Nam locus eſt res permanens, & ideò eſt capax ſpecialis conſecrationis, ac venerationis. Vnde Eccleſia, vel locus, eo ipſo quòd ad ſacra munera publicè deſtinatur, abſtrahitur, & ſeparatur ab omni vſu profano inſtar aliarum rerum ſacrarum. Vnde hac de cauſa, propter reuerentiam habendam ipſi Eccleſiæ, vel loco ſacro, prohibentur in iure aliqua peccata certa, vt conſtat ex dictis ſuprà *integra diſputatione decimaquinta*. Et ipſa prohibitio negotiandi in Eccleſia immediatè fit propter reuerentiam habendam ipſi Eccleſiæ, tametſi remotè totum ordinetur in Deum. At verò tempus extrinſecum, & commune eſt res tranſiens, & non aliter ſanctificatur, quàm determinando actiones ſacras, quæ in illo fieri debent: & ideò non cenſetur habere aliam ſanctitatem, præter ſanctitatem talium actionum. Vnde tempus non ita dedicatur, & abſtrahitur, ſed ſolùm quoad eas actiones ſacras, quæ in ipſo ſpecialiter fieri præcipiuntur, ſub actionibus comprehendendo quoque carentiam actionum. Peccata etiam quæ fiunt tempore ſacro, non fiunt contra venerationem ipſius temporis vt ſic, propriè loquendo, ſicut nec bona opera, quæ fiunt, ſunt in illius venerationem, ſed in honorem, & venerationem ſolius Dei. Ipſa enim vacatio ab operibus ſeruilibus in die feſto, non præcipitur quaſi in venerationem ipſius temporis, ſed directè in cultum Dei, ſicut & prohibitio negotiandi publicè in die feſto, non fit in reuerentiam temporis ſacri, ſed immediatè ob cultum Dei.

Ex dictis, patet ſolutio ad argumentum contrariæ ſententiæ adductum *numero octauo*. Propoſita eſt iam diſparitas manifeſta inter locum ſacrum, & tempus ſacrum, & diem feſtum. Confirmatio quæ ibi ſuperadditur, nihil probat de quolibet peccato mortali; probat verò aliquid de peccato publico, de quo iam dixi *dicto ſecundo* contrahere nouam malitiam grauem. 13

SECTIO II.

An diuerſitas præceptorum quæ violantur eodem die circa vnam rem, ſit in Confeſſione explicanda neceſſariò?

SÆpè contingit, vt quis ſuo peccato violet diuerſa præcepta occurrentia eodem die, vt cùm violat ieiunium præceptum, & debitum propter Quadrageſimam, & ſimul propter vigiliam D. Matthiæ Apoſtoli: vel omittit Miſſam die Dominica, in qua eſt feſtum Aſſumptionis Beatæ Virginis. Quæritur, an teneatur id totum in Confeſſione explicare, an verò ſufficiat fateri, ſe ieiunium violaſſe præceptum, aut omiſiſſe ſacrum in die feſto. 1

Perplacet mihi ſententia, quam tenent Vaſquez *1. 2. tom. 1. diſp. 98. cap. 2.* Sanchez *lib. 9. de matrimonio, diſp. 15.* Cardinalis Lugo *diſp. 16. ſect. 5. §. 2.* & alij dicentes, diuerſitatem ſolam materialem præcipientium non variare præceptum ſpecie, ſi ex eodem motiuo proximo omnes præcipiant; atque adeò violationem vtriuſque præcepti materialis, occurrentis eodem die, ſemper eſſe in vna, & eadem ſpecie, quia præcepta illa obligant ſub eadem ratione formali eiuſdem virtutis. Quare dum obligat præceptum audiendi ſacrum, ratione duplicis feſti occurrentis eodem die; vel præceptum ieiunij ratione vigiliæ incidentis quatuor anni temporibus, vel in Quadrageſima, vnica eſt malitia, præceptum illud tranſgredi; quæ ſufficien- 2

ſufficienter declaratur in Confeſſione, ſi dicatur ſe feſtum, non audiendo Sacrum, vel præceptum ieiunij, non ieiunando, violaſſe. Nam illa duo præcepta ſub eadem ratione formali, obligant intuitu eiuſdem virtutis, vt ſi eſt feſtum, & obligatio audiendi Sacrum, intuitu Religionis; & ſi eſt ieiunium, intuitu honeſtatis Temperantiæ. Vnde vtrumque præceptum ad eandem honeſtatem formalem, ſcilicet ad honeſtatem Religionis in auditione Sacri, & ad honeſtatem Temperantiæ, in obſeruatione ieiunij tendit. Et quamuis illo præcepto, Eccleſia intendat quoque cultum, & honorem illius Sancti; id tamen remotum eſt, & extrinſecum: nam præceptum immediatè ſolùm intendit, quòd ſubditi exerceant actum Temperantiæ, vel Religionis, & hoc ipſum ordinat Eccleſia, vt illis piis actibus fideles aptiores ſint ad colendum Sanctum: qui tamen non eſt finis intrinſecus præcepti, ſed extrinſecus præcipientis, & ideò non dat ſpeciem violationi præcepti.

3 Hinc colligo *primò*, manifeſtum diſcrimen inter illum, qui habet votum hodie ieiunandi, ac ſimul præceptum, & illum alium, qui habet obligationem ieiunandi ex duplici Eccleſiæ præcepto: nam ille ideò debet in Confeſſione vtramque obligationem explicare, quia circumſtantia voti ponit ieiunium in alia formali honeſtate, ac ſpecie, nempe Religionis, cui opponitur violatio voti; iſte verò ideò non debet obligationem ieiunãdi ex duplici præcepto diuerſo explicare, quia ſecundùm pręceptum non transfert ad aliam formalem honeſtatem, vel ſpeciem virtutis.

4 Colligo *ſecundò*, differentiam ſpecificam præceptorum, ex quibus peccata diuerſam quoque ſecundùm ſpeciem oppoſitionem habent cum natura rationali, ac malitiam penſandam non eſſe ex præcipiente, ſeu legislatore, ſed ex obiecto quod lege præcipitur, eiúſque honeſtate. Quare licet pręcepta Dei, & hominis, ex parte præcipientium ſint valdè diuerſa, quia alterum eſt actus diuini intellectus imperantis, alterum verò hominis; tamen ex parte obiecti quod pręcipitur, vel prohibetur, idem omninò præceptum ſecundùm ſpeciem, Dei, & hominis eſſe poteſt. Nam lex poſitiua habet hãc vim; vt id quod præcipit, iuſtis de cauſis, ipſo facto conſtituat in materia neceſſaria talis, ac talis virtutis, iuxta varios intrinſecos fines, & motiua, propter quæ præcipitur, ac proinde id quod prohibet, conſtituat in ſpecie peccati contra hanc, vel illam virtutem, cuius intuitu illud prohibet. Vnde ſi intuitu eiuſdem virtutis, id quod erat iure naturali malum, prohibetur iure poſitiuo diuino, vel etiam humano, idem omninò erit peccatum ſecundùm ſpeciem. Sic, quia furtum eſt iure ipſo naturali Iuſtitiæ malum, & etiam quia ratione eiuſdem virtutis Iuſtitiæ ſeruandæ, prohibitum eſt à Deo in lege Decalogi ab eo promulgata, & item quampluribus legibus humanis eadem de cauſa vetitum eſt; ideò furtum eſt in vna ſpecie tantùm peccati contra Iuſtitiam. At furari, & occidere, quia ſunt contra præcepta ſpecie diuerſa, quę prohibent violare Iuſtitiam in varia materia, ſpecie quoque differunt inter ſe. Similiter, ſi eadem materia, vel idem obiectum, quod iure Naturæ malum erat, quia oppoſitũ tali virtuti, prohibeatur iure poſitiuo intuitu alterius virtutis, duplex erit peccatum ſpecie. Sic homicidium Sacerdotis, quod eſt iure Naturæ prohibitum, prout eſt hominis occiſio contra Iuſtitiam, quia eſt etiam lege Eccleſiaſtica prohibitum in reuerentiam Sacerdotij, eſt in alia peculiari ſpecie peccati; quia intuitu quoque alterius virtutis prohibetur, ſcilicet ratione virtutis Religionis. Hac eadem de cauſa, furtum rei Sacræ vel effuſio peccaminoſa ſeminis in loco Sacro, qua violatur Eccleſia, præter ſpeciem peccati, quam habent iure naturali, primùm contra Iuſtitiam, & ſecundùm contra Caſtitatem, habent aliam ſpeciem contra Religionem debitam rei, aut loco Sacro; quia iure Eccleſiaſtico, intuitu huius virtutis, vetitum eſt furtum rei Sacræ, & lege ſtatutum eſt, vt ſi pollutione violetur locus ſacer, indigeat reconciliatione; ob quam rationem peculiaris fit irreuerentia conſecrationi, aut benedictioni Eccleſiæ.

Colligo *tertiò*, fatendam eſſe in Confeſſione circumſtantiam duplicis obligationis in tranſgreſſione voti, & 5
iuramenti de eadem re, propter duplicem malitiam ſpecificam ibi exiſtentem; quia licet prohibeantur, intuitu eiuſdem virtutis Religionis, ſub diuerſa tamen ratione formali ſpecifica pertinent ad illam: nam voti obſeruatio præcipitur vt fides debita Deo ſeruetur; iuramenti autem, ne Deus in falſum teſtem inuocetur.

Colligo *quartò*, Monachum Franciſcanum, die Ve- 6
neris, in quo incidit vigilia, non ieiunantem, duplex committere peccatum diſtinctè in Confeſſione explicandum, quia frangit duplicis virtutis præceptum, alterum Temperantiæ, ad quod ſpectat ieiunium Eccleſiaſticum, & alterum Religionis, quia ex voto Obedientiæ tenetur ſeruare regulam: quòd ſi non vouiſſet, ſed regula more alterius legis, ieiunium illud præſcriberet, vnica eſſet illius culpæ tranſgreſſio. Similiter quoque dico duplicis culpæ reum eſſe Officij diuini omiſſorem, ad quod ratione Ordinis Sacri, ac ſimul ratione Beneficij aſtringitur. Quia in illo eſt duplex obligatio ad diuerſas virtutes pertinens, altera ratione Ordinis, ſpectãs ad virtutẽ Religionis, altera Iuſtitiæ, ratione Beneficij: nam Eccleſia confert beneficij redditus eo onere, vt illud poſſidens officium recitet; ita vt aliàs eos non faciat ſuos, atque ideò in illo fatenda eſt circumſtantia duplicis obligationis.

Colligo *vltimò*, ſi contingat ob violationem præ- 7
cepti humani prohibentis furtum, verbi gratia, imponi excommunicationem maiorem, quæ non incurritur propter violationem pręcisè ſolius præcepti diuini prohibentis ipſum furtum; (nam requiritur ad eam incurrendam contumacia, & inobedientia contra Eccleſiam) debere explicari circumſtantiam illam pręcepti humani; quia niſi excuſet ignorantia, vel obliuio, debet manifeſtare excommunicationem, vt ab illa abſoluatur; debet quoque procurare abſolutionem ab excommunicatione, antequam à peccatis abſoluatur; & ideò debet manifeſtare peccatum, ob quam contraxit excommunicationem, & inobedientiam, ob quam fuit excommunicatus. Verum quidem eſt, ſi iſte iam extra Sacramentum fuiſſet abſolutus ab excommunicatione lata ob furtum, poſteà quando confiteretur, non tenebitur explicare excommunicationem contractam, à qua iam eſt legitimè abſolutus, ſed ſufficiet confiteri furtum, & dilationem reſtitutionis culpabilem. 8

Quæret aliquis, an peccatum contra duplex præceptum eiuſdem rationis, & virtutis, ſaltem notabilem habeat malitiam intra eandem ſpeciem, neceſſariò in Confeſſione exprimendam. *Reſpondeo* cum Vaſquez & Sanchez *locis citatis*, non eſſe notabile augmentum illud malitiæ, etiamſi quodlibet pręceptum per ſe ſufficeret vt peccatum fieret. Addo, in mea ſententia, tametſi eſſet illa circumſtantia de earum numero, quæ dicuntur notabiliter aggrauantes, non eſſet neceſſariò in Confeſſione explicanda, vt latè oſtenſum eſt ſuprà *diſputatione duodecima*, *ſectione tertia*.

***

SECTIO

SECTIO III.

An duratio peccati mortalis, quando eſt notabiliter exceſſiua, ſit circumſtantia neceſſariò confitenda?

1 AFfirmant Sotus *in 4. d. 18. quæſt. 2. a. 4.* Canus *relectione de Pœnitentia, part. 5.* & alij. Probant, quia qui bis peccat per vnam horam, tenetur numerum binarium confiteri; ſed qui ſemel peccat per duas horas continuas magis peccat, quàm qui bis per vnam: ergo tenetur durationem illarum duarum horarum confiteri. Firmant, nam duratio trium horarum in eodem peccato, ſæpe adæquat, imò ſuperat in ſua malitia plura peccata numero diſtincta; ergo ſicut iſta ſunt confitenda, ita & prædicta duratio Simile argumentum facit Dominicus Soto in materia furti: qui enim ſemel furatus eſſet centum, grauiùs peccaret, quam ille qui tribus furtis furatus eſſet triginta: ſed iſte tenetur tria furta confiteri; ergo ille totam quantitatem, quam ſemel furatus eſt.

2 Conſequenter ad doctrinam quam iudicauimus veriorem ſuprà *diſputatione duodecima*, *ſect. 3.* nimirùm circumſtantias notabiliter aggrauantes intra eandem ſpeciem, non eſſe per ſe neceſſariò confitendas, quam defendunt quamplurimi Doctores ibi relati, dicendum eſt, ex inſtitutione, & præcepto Chriſti Domini nos non cognoſcere neceſſitatem confitendi, niſi ſpecies, & numerum peccatorum mortalium, non circumſtantias ad ſpecies, & ad numerum impertinentes; quamuis ratione earum vnum peccatum ita notabiliter creſcat in malitia accidentali, vt pluribus mortalibus æquiualeat. Duratio autem peccati mortalis etſi ſit magna, non eſt niſi circumſtantia notabiliter aggrauans. Cuius rei præcipuum fundamentum eſt, quia ſatis conſtat, hanc obligationem Confeſſionis, & omnium quæ ad ea concurrunt iure diuino poſitiuo introductam eſſe, & potuiſſe ita inſtitui, vt quiſque teneretur confiteri, & peccatorum ſpecies, ac numerum, non verò circumſtantias augentes malitiam: ſi ergo non conſtat à Deo præceptum fuiſſe, vt & circumſtantias aggrauantes confiteremur: neque enim ex Euangelio conſtat, nec traditione, nec doctrina Patrum: vnde aliud etiam fuiſſe præceptum colligere debemus. Videantur quæ circa hanc rationem dicuntur ſuprà *ſectione tertia cit. n. 4.* Dixi *per ſe loquendo*, nam per accidens poteſt occurrere grauis obligatio declarandi in Confeſſione dictas circumſtantias notabiliter aggrauantes, vt *d. ſect. num. 5.* explicatum eſt.

3 Ex hac doctrina ſoluitur argumentum *ſuprà* propoſitum: ex quo manifeſtè ſequitur, quamlibet durationem temporis in omni peccato explicandam eſſe, quia nulla eſt duratio, quæ non poſſit pluribus peccatis adæquari: ſit enim aliqua mediocris duratio vnius quartæ partis horæ, in hac poterunt fieri eiuſdem ſpeciei plura peccata, quorum numerus eſſet explicandus. Vnde fieret, etiam in furto circa mediocrem quantitatem eſſe ad amuſſim explicandam, quia in ea fieri poſſent plura furta eiuſdem ſpeciei, quæ eſſent explicanda. Quare dicendum eſt, temporis durationem non eſſe neceſſariò explicandam, in quantum aggrauans eſt.

4 Notant verò rectè Doctores, ſi duratio fuerit valdè nimia, tunc per accidens oportere, vt ipſa explicetur, ad hoc vt illi remedium adhibeatur; & quia forſan videtur eſſe vnum peccatum, & plura ſunt, quorum numerus cùm explicari non poſſit commodè, oportet durationem explicare, vt *infrà* dicemus, cùm de numero peccatorum diſputabimus. Nam numerus peccatorum ſemper explicandus eſt, quantum fieri poteſt, quia huius extat præceptum, & obligatio: at verò circumſtantia aggrauans, qualis eſt duratio, etiamſi adæquet ſuâ malitiâ plura numero peccata, non eſt explicanda, quia huius non extat præceptum; & grauitas malitiæ, quam Confeſſarius debet attendere in Confeſſione, non eſt cuiuſcumque peccati ad amuſſim, ſed numeri, & ſpecierum peccatorum.

DISPVTATIO XXXV.

De Circumſtantia perſonæ complicis, ſeu ſociæ criminis, quæ ſpeciem variat.

DOCTRINÆ hactenus traditæ de circumſtantiis, videtur appendix eſſe, & adiunctum, præſens circumſtantia perſonæ complicis, ſeu ſociæ criminis ſpeciem mutantis, nunc declaranda. De qua agemus, conſulentes ſimul & conſcientiæ pœnitentis, & famæ complicis, quantum fieri poſſit. Procedit autem hæc diſputatio, quando ex manifeſtatione complicis, nullum aliud damnum ſequitur ipſi complici, præter illam ſimplicem notitiam quæ datur Confeſſario; & infamiam, quam apud illum incurrit ſub ſigillo Confeſſionis; quia ſi immineat aliud notabile, vt mors, vel notabilis infamatio extra Confeſſionem, tunc circumſtantia complicis tacenda eſt, cum communi omnium ſententia, quia cum graui detrimento tertiæ perſonæ non eſt neceſſaria integritas Confeſſionis, nec ſub præcepto.

SECTIO PRIMA.

An pœnitens poſſit abſque vlla neceſſitate vel cauſa, manifeſtare complicem ſui peccati in Confeſſione?

FAgundez *2 præcepto lib. 5. cap. 1. numer. 3.* ſequitur partem affirmantem: Vnde conſequenter docet non debere pœnitentem, alium Confeſſarium adire, cui complex non ſit cognitus. Id enim putat conſilium eſſe, & perfectionem, non obligationem nec præceptum, & conſequenter, non teneri ex præcepto pœnitentem, alium quærere ignotum Confeſſarium. Quod expreſſè tenet Gerſon *Alphab. 41. littera F. circa finem*, ſic dicens: *Cum quis poteſt adire alium Confeſſarium, qui non cognoſcat complicem, tantùm eſſe ſub conſilio, illum adire.* Quod etiam inſinuare videtur Medina *Cod. de Confeſſ. quæſt. de circumſtantiis loci, & temporis.* Vbi inquit, in hoc caſu ſatis eſſe, adire aliũ Cõfeſſarium: particula, *ſatis*, indicare videtur ſolùm eſſe in conſilio. Probat hanc ſententiam Fagundez, quia ſi quod aliquod præceptum daretur, eſſet præceptum diuinum de conſeruanda, ac tuenda fama complicis, ac proximi quæ tamen hîc & nunc, nullo modo periclitatur. Firmari 1

idem poteſt, quia eſt valdè probabile, quod docent Caiet. 2.2. *quæſt.* 73. *articul.* 1. *dub.* 1. Petrus Nauarr. *lib.* 2. *de reſtitut. capit.* 4 *numer.* 355. Corduba *tract. de detractione queſtion.* 2. *concl.* 5. & Alij, nempe infamare proximum circa vnam perſonam tantùm, manifeſtando defectum occultum grauem vni ſoli, qui rem ſecretò ſeruabit, non eſſe peccatum graue. Quia infamia eſt notitia multorum, ſicut & fama: ergo ex eo quòd vnus ſciat defectum Petri, non cenſetur infamis, nec infamatus, nec illa pars famæ quam perdit, poteſt cenſeri notabilis in ordine ad famam ſimpliciter, quæ eſt exiſtimatio multorum. Si ergo id probabile eſt in detractione extra Confeſſionem, minus peccatum erit in Confeſſione, quia ſecretum eſt multò maius, & ita detrimentum proximi eſt leuius, cùm non ſit morale periculum, quòd illa infamia diffundatur.

2 Contrariam ſententiam veriſſimam iudico, quæ non ſolùm communior eſt, ſed etiam eſt omnium Doctorum, in qua omnes modò conueniunt. Sic teſtatur Suarez *diſputation.* 34. *ſect.* 2. *numer.* 1. ſic dicens: *Si pœnitens poſſit vel ei confiteri, qui non cognoſcat perſonam complicis, vel ita confiteri vt ipſe non cognoſcatur, vel denique aliquam aliam diligentiam adhibere, vt ſine notitia perſonæ in particulari totum peccatum cum omnibus circumſtantiis neceſſariis dicatur, tenetur id facere, in hoc omnes conueniunt.* Ita Suarez. Coninck quoque *diſputation.* 7. *dubio nono, numer.* 88. expreſſe ait, *Ne pœnitens infamet complicem, teneri, ſi poteſt, ignoto confiteri.* Nam ponit hunc caſum, quando aliquis fecit aliquod peccatum, quod non poteſt hîc, & nunc confiteri, niſi detegendo peccatum, & perſonam complicis quæ nota eſt Confeſſario, verbi causâ, ſi quis peccauerit cum ſua ſorore, quæ Confeſſario nota eſt, & reſpondet hunc caſum non habere locum, quando talis commodè poteſt alicui confiteri, cui ignotus eſt complex: & ſtatim reddit rationem; *quia*, inquit, *omnes fatentur eum tunc teneri huic integrè confiteri, quia hoc ſine incommodo facere poteſt.* Eiuſdem noſtræ ſententiæ eſt Vaſquez *queſtion.* 91. *articul.* 2. *dubio* 3. *numer.* 1. Vbi ait, ſibi non placere Gerſonem, nec Medinam dicentes, id tantùm eſſe ſub conſilio. Denique Cardinalis de Lugo *diſputation.* 16. *ſect.* 7. *num.* 391. eandem ſententiam docet his verbis: *Conueniunt omnes in hoc, quòd pœnitens abſque aliqua neceſſitate, vel cauſa non poteſt complicem manifeſtare cum infamia graui. Quare debet, vel peccatum ita confiteri, vt in ſuſpicionem perſonæ complicis non veniat Confeſſarius; vel ſi id fieri non poteſt, debet alium Confeſſarium adire, cui complex non ſit cognitus, vel mutato habitu & voce, ſeipſum apud Confeſſarium occultare, quia quandiu hæc commodè fieri poſſunt, abſque cauſa infamatur complex.* Vt igitur hæc omnium communis doctrina meliùs intelligatur;

3 Dico *primò*, reuelare peccatum proximi in particulari, & cum infamia eius extra Confeſſionem, abſque vlla neceſſitate, vel cauſa rationabili, eſſe peccatum mortale. Ita communiter Doctores in materia de detractione, contra Caietanum. Ratio eſt, quia infamare proximum, etiam apud vnam tantùm perſonam, eſt graue damnum morale, tantóque maius, quantò illa perſona fuerit grauior. Imò ſæpe mallet aliquis ſuum defectum moralem reuelari octo, vel decem hominibus, quàm vni, cui peculiariter deſiderat placere, & apud quem exoptat benè audire: ergo illud non eſt leue, ſed graue nocumẽtum, licèt ſolùm tollat famam apud vnum. Præterea nocumentum illud non fieri leue ex eo, quòd apud vnum ſolum fama lædatur, inde patet, quia inhonoratio, quâ ſine teſtibus Petrum inhonorares, contumeliis grauibus illum afficiens, eſt negatio ſolùm honoris à te debiti, nec lædis eius honorem niſi apud te, & tamen eſt inhonoratio grauis: ergo lædere etiam famam apud vnum ſolum, poteſt eſſe detractio, ſeu infamatio grauis. Denique ex oppoſita ſententia ſequitur, eum, qui detractorem audit, quando ſolus audit, non teneri, etiamſi poſſit, impedire detractionem; poteſt enim ſeruare ſecretum, & ita facere, quòd illa non ſit grauis infamatio. Conſequens autem eſt contra omnes, qui vniuerſaliter obligant audientes ad corripiendum, & coercendum detractorem, quando poſſunt, ad quod tenentur aliquando ex Iuſtitia, aliquando ſaltem ex Charitate.

Dico *ſecundo*, multò minùs in Confeſſione poſſe pœnitentem reuelare peccatum graue complicis ſine iuſta cauſa, neque id fieri poſſe per ſe loquendo ſine peccato mortali. Ita communiter omnes. Ratio eſt, quia pœnitens tametſi poſſit in Confeſſione ac debeat reuelare complicem, quando id neceſſarium eſt ad ſuum peccatum confitendum, non quia non lædatur hoc modo fama complicis, ſed quia bonum Sacramenti hæc mala abundè compenſat, vt conſtabit ex dicendis ſectionibus ſequentibus; tamen quando poteſt proprium peccatum explicare non reuelato defectu complicis graui, & nulla alia interuenit cauſa iuſta ad illum reuelandum, non poteſt reuelare ſine graui culpa mortali. Id enim probant rationes adductæ *praeced. Dicto*, & ampliùs firmatur, quia ſi ego ſcirem, Confeſſarium meum, vel mei complicis peccatum reuelaturum vni alteri, proculdubio excuſarer à meo peccato integrè confitendo. Imò ſi ſcirem meum Confeſſarium id dicturum ſuo ſoli Confeſſario ſub ſigillo Confeſſionis, hoc ſufficeret ad me excuſandum à confitendo illi tale peccatum: ergo infamia illa apud vnum ſolum eſt magni facienda, cùm ſufficiat ad excuſandum ab integra Confeſſione. Quibus addo, pœnitentem, qui abſque rationabili cauſa manifeſtat complicem, peccare non ſolùm contra Charitatem, ſed etiam contra Iuſtitiam, & per ſe loquendo obligari ad reſtituendum damnum, ſi reſtitutio poſſibilis ſit, quia tunc eſſet detractio non ſolum materialis, ſed etiam formalis. Notandum quoque, grauem fieri irreuerentiam Sacramento, vtendo illo vt medio ad infamandum proximum, abſque vlla iuſta cauſa, ſeu neceſſitate. Dixi in Concluſione, *per ſe loquendo*; quia per accidens ex omnimoda inaduertentia, & ignorantia inuincibili, poterit id fieri abſque peccato, vel etiam ex leuitate materiæ poterit eſſe ſolùm veniale, ſicut in aliis peccatis. 4

Dico *tertiò*, ſi ſubſit iuſta, & legitima cauſa, certum eſſe apud Doctores, poſſe pœnitentem in Confeſſione reuelare graue complicis peccatum licitè, & honeſtè. Ratio eſt manifeſta, quia tunc non fit detractio formalis, quâ iniuſtè fama læditur, quæ eſt illicita, ſed ſolùm detractio materialis, quæ licita eſt; & intenditur omninò maxima vtilitas, & maximè propria, ſcilicet ſpiritualis, vt videbimus *infrà*: ergo tunc maximè licet. Et certè, ſi id etiam licet extra Confeſſionem, propter conſilium, vel auxilium ſpirituale ad cauendum peccatum, multò magis idem licebit in Confeſſione cæteris paribus. Quando autem ſit iuſta cauſa, pendet ex circumſtantiis. 5

Ad argumentum Fagundez, conſtat ex dictis, infamare complicem, ac proximum notabiliter, ſine vlla legitima cauſa, eſſe peccatum mortiferum, quia iniuſtè fama illa grauiter læditur. Vnde eſt detractio formalis, quæ eſt alienæ famæ occulta, & iniuſta denigratio, ſeu violatio. Qua de cauſa eſt peccatum grauius furto, quia lædit proximum in bono famæ, quod pecunia eſt præſtantius. Ad confirmationem, ſalua pace illorum Doctorum, ſi eam ſententiam teneant, mihi videtur improbabilis illa opinio 6

Digitized by Google

nio propter rationes dictas *dicto primo*. Vnde ad rationem, quæ ibi proponitur reſpondeo, ad peccandum grauiter per detractionem formalem, non requiri, quòd detractio reddat proximum infamem apud multos, itavt perdat exiſtimationem multorum, ſed ſatis eſt, ſi lædat notabiliter famam, hoc eſt ſi ei inferat notabile nocumentum: ſicut in furto, non requiritur ad furtum graue, reddere pauperem illum, cui res aufertur, ſed ſatis eſt lædere notabiliter illum in bonis fortunæ: ſicut etiam ad inhonorationem grauem non requiritur, quòd alius perdat magnam partem ſui honoris, ſed quòd patiatur inhonorationem notabilem, qualis eſt illa, qua ab vno ſolo contumelioſè tractatur.

Quare concludendum eſt, pœnitentem, vt faciat integram Confeſſionem, & complex non detegatur ſi poteſt commodè ignoto confiteri Confeſſori, qui nō cognoſcat perſonam complicis, teneri illum adire, ne infamet complicem. Addo, ſi quis teneat vt veram Caietani opinionem, videlicet non eſſe peccatum mortiferum, defectum proximi occultum, licet grauis ſit, manifeſtare extra Confeſſionē vni ſoli qui rem ſecretò ſeruabit, nec erit morale periculum, quòd illa infamia diffundatur, conſequenter tenere debere minus peccatum eſſe, in Confeſſione defectum grauem complicis aperire Confeſſario, qui illum cognoſcit, quia ſecretum Confeſſionis eſt multò maius; & potiori iure nullum eſt morale periculum, quod illud crimen complicis manifeſtetur cum graui ipſius inhonoratione, ac infamia.

SECTIO II.

Vtrùm liceat pœnitenti manifeſtare perſonam complicis in particulari, propter ſolam integritatem ſuæ Confeſſionis?

1 PRocedit quæſtio, vt liquet, quando non poteſt haberi commodè alius Confeſſarius, cui ignotus ſit complex, ſed neceſſariò debet accedere pœnitens ad Confeſſarium cui notus eſt, & ad declarandum integrè totum ſuum peccatum, debet complicem manifeſtare, itavt hic & nunc vnum è duobus ſit neceſſarium, aut tacere circumſtantiam ſui peccati mutantem ſpeciem, aut quòd Confeſſor intelligat perſonam complicis, an liceat manifeſtare complicem in eo caſu?

2 Prima opinio quæ eſt Viguerij, Marſilij, Bañez, Nauarri, Valentiæ *diſp. 7. quæſt. 11. puncto* 1. & aliorum quos refert Fagundez *2. præcepto lib. 5. cap. 1. num.* 4 docet, non poſſe licitè pœnitentem in caſu dicto complicem explicare. *Primò*, quia ex naturali, & diuino iure, tenemur conſeruare illæſam famam proximi; hic autem non conſeruatur fama proximi ſeu complicis, ſed potiùs infamatur apud ipſum Confeſſarium, quando Confeſſarius illum agnoſcit: nam licèt id maneat ſub ſigillo Confeſſionis, tamen negari non poteſt, id quidem intrinſecè peſſimum generare conceptum apud notum Confeſſarium de ipſo complice.

Secundò, quoties occurrunt duo præcepta, illud implendum eſt, quod ſtrictiùs obligat: at in caſu dicto occurrūt duo præcepta, nempe integritatis Cōfeſſionis, & non infamādi proximū, ex quibus hoc poſterius, vtpote naturale ſtrictiùs obligat, quàm illud prius, vtpote poſitiuum quamuis diuinum: ergo in dicto caſu tacendus eſt complex, ne infametur.

Hanc opinionem ita mordicus defendunt nonnulli, vt dicant, neque in articulo mortis licere pœnitenti circumſtantiam complicis explicare, quia nec etiam in articulo mortis licet alicui modo aliquo infamare. Alij verò exiſtimant in articulo mortis neceſſariò eſſe aperiendam prædictam circumſtantiam, quia magis viget præceptum diuinum integritatis Confeſſionis in articulo mortis, quam extra illum: nam in eo articulo oportet, vt pœnitens cum tutiori remedio diſcedat; tenetur enim quis in eo articulo ſalutem ſuam certiori, ac tutiori remedio, quo poteſt certam reddere: huiuſmodi autem explicationis, ac Confeſſionis remedium certius eſt, vt patet. Firmant, quia in articulo mortis quædam alia conceduntur, quæ extra illum nequaquam conceduntur: vt quòd liceat confiteri cum excommunicato denuntiato, deficiente alio; & quòd per interpretem, & coram aliis in procella maris, ſuccurrit enim pia mater Eccleſia ſuis fidelibus in eo articulo pleniſſima liberalitate, ne abſque tutiori remedio diſcedant.

Secunda ſententia, quæ eſt communior & probabilior hoc tempore, quamplurimorum Doctorum, quos refert & ſequitur Suarez *diſ. 34. ſect. 2. num.* 3. & Cardinalis de Lugo *diſ. 16. ſect. 7. num.* 34. & Vaſquez *q. 91. art. 2. dub. 3. num.* 13. defendit, licere pœnitentes, ob ſolam, & præciſam integritatem Confeſſionis abſque alia cauſa, non ſolùm in articulo mortis, ſed etiam extra illum, circumſtantiam complicis declarare in omni Confeſſione, tam ex deuotione, quàm ex obligatione præcepti facta. 3

Hanc ſententiam iudico veriorem. Plures rationes adducunt Doctores in eius confirmationem; mihi videtur efficacior, ratio ſumenda ex integritate Confeſſionis Sacramentalis à Chriſto inſtitutæ, in qua Chriſtus voluit fideles integrè deferre ſua peccata ad Sacerdotes tanquam ad Iudices, nihil reticendo quoad ſpeciem, vel numerum peccatorum. Nam ex hoc Chriſti præcepto non magis colligi poteſt obligatio pœnitentis ad ſeipſum infamandum, quàm ad manifeſtandum complicem. Patet, quia præceptum fuit confitendi integrè omnia peccata, & ex hac vniuerſalitate præcepti Chriſti, colligimus debere explicari peccata, etiam non ſolùm, quando poteſt Confeſſio ſæpius eſſe abſque propria infamia, ſed etiam quando id fieri non poteſt abſque propria infamia: ergo ex eadem præcepti vniuerſalitate colligere debemus quod debeat fieri Confeſsio etiam cum infamia complicis, quando id neceſſarium fuerit: ſicut enim ex vniuerſalitate præcepti vnum colligitur, ſic & alterum colligi debet. Igitur ob neceſſitatem & præceptū integritatis Confeſsionis reuelandus eſt complex, qui fuit ſocius, & cooperans ad peccatum pœnitentis, & iacturæ ſuæ famæ ſe ſponte ſubiecit; cùm tale peccatum cum pœnitente commiſit, quòd ſine tali reuelatione non poteſt integrè confiteri. Vnde reuelatio complicis in dicto caſu eſt neceſſaria vt Confeſsio habeat eam integritatem; quam ex natura ſuæ inſtitutionis requirit, ſicut eſt neceſſarium, vt pœnitens ſua peccata explicet, quia hoc ſine illo fieri nequit. Igitur ſicut non excuſat pœnitentem ab integritate Confeſsionis, quòd non poſsit eam facere niſi perdendo bonam opinionem quam Confeſſarius habebat de illo; ita etiam non excuſat, quòd non poſsit fieri niſi ſimili modo fiat iactura bonæ æſtimationis ipſius complicis. 4

Colligo ex his *primò*, prædictam doctrinam procedere in omni Confeſſione tam neceſſaria, quàm etiam voluntaria. Nam vel circumſtantia complicis eſt de inte- 5

tegritate Confeſſionis, vel non; ſi eſt: ergo in omni Confeſſione explicanda eſt, quia tametſi vſus Confeſſionis hîc & nunc voluntarius ſit; tamen ſuppoſito tali vſu integrè confiteri neceſſarium eſt: ſi verò talis circumſtantia non eſt de integritate, etiam in articulo mortis non erit, quia non eſt m[illegible]is tunc cauendum, infamare proximum quàm ant[illegible] neque integritas Confeſſionis alia eſt in articulo m[illegible]tis, quàm in quacumque alia Confeſſione.

6 Colligo *ſecundò*, hoc Sacramentum inſtitutum fuiſſe à Chriſto Domino ad formam iudicij: in iudicio autem humano, cùm primum Iudici conſtat de delicto, & de perſona illud committente, ſtatim Iudex habet ius interrogandi de complice, & circumſtantiis illius, quæ neceſſariæ ſunt ad plenam cognitionem illius criminis. Cùm ergo Confeſſarius verè ſit Iudex in foro diuino Confeſſionis, iuſtè, & licitè poteſt interrogare de complice, vt poſſit integrè cognoſcere peccatum pœnitentis, & pœnitens tenetur reſpondere, quantum ſatis eſt, ad hanc plenam cognitionem, quia eſt verè ſubditus, etiamſi ſimul & in obliquo, cognoſcat ipſe Confeſſarius perſonam complicis. Sicut etiam in foro externo, qui habet ius accuſandi aliquem, poteſt illum accuſare, etiamſi neceſſe ſit, perſonam complicis indicare, & teſtis etiam legitimè interrogatus, tenetur reſpondere; & reus ipſe poteſt delictum ſuum fateri coram Iudice legitimè interrogante, quamuis tale ſit, vt habeat pro complice aliquam perſonam. Et ratio eſt, quia hæc iuriſdictio cadit ſuper crimen tale, quale illud eſt: illud autem tale eſt, vt per ſe habeat coniunctas has perſonas, & circumſtantias, ſine quibus cognoſci plenè non poteſt, & pari ratione, qui voluntariè ſe fecit ſocium talis criminis, voluntariè etiam, quantum in ipſo eſt, ob ſocietatem, & connexionem illius, ſe ſubdidit cognitioni talis iudicij, ac proinde ex illo intrinſecè oritur cauſa iuſtiſſima manifeſtandi totum delictum, etiamſi perſona complicis à Iudice ſit cognoſcenda.

7 Ad primum primæ ſententiæ reſpondeo, pœnitentem non infamare perſonam complicem formaliter, nec illam priuare iniuſtè bona opinione, quam poſſidet erga ipſum Confeſſarium, ſed vti iure ſuo, & per accidens eſſe, ſi aliqua materialis infamia detur, præter intentionem pœnitentis. Vnde ius Naturæ in talibus circumſtantiis, deſinit obligare pœnitentem, ne aperiat alterius crimen, quia magis habenda eſt illi ratio reuerentiæ ipſius Sacramenti, & boni ſui ſpiritualis, quæ requirunt, vt integrè confiteatur, quàm tantillæ iacturæ famæ ipſius complicis cuius perdendæ periculo ſponte ſe ſubiecit, cùm tale peccatum cum illo commiſit, quod ſine tali manifeſtatione non poſſet confiteri. Quare præceptum de integritate Confeſſionis, non præcipit hîc aliquid contra ius Naturæ, ſed quod ei maximè conſentaneum eſt. Sicut nec Iudex in foro externo aliquid præcipit contra ius Naturæ, dum præcipit teſti vt accuſati crimen aperiat.

Ad ſecundum, concedo, verum eſſe, concurrentibus duobus præceptis, quę ſimul ſeruari nõ poſſunt, ſeruandum eſſe maius, & ſtrictius, relicto altero minus ſtricto; & præceptum integritatis Confeſſionis eſſe poſitiuum, & præceptum non infamandi proximum, eſſe naturale; & præceptum naturale, quamdiu perſeuerat, ſtrictiùs obligare quàm poſitiuum: nihilominus, quia præceptum naturale non infamandi proximum complicem in caſu dicto, ob occurſum præcepti poſitiui de integritate Confeſſionis non perſeuerat, ſed ceſſat, non præcisè quia poſitiuum ſit ſtrictius, ſed quia poſitio præcepti poſitiui integritatis Cõfeſſionis eſt circũſtantia, & cauſa, & ratio ſufficiens vt infametur proximus, & vt ceſſet præceptum illud naturale. Vnde propriè loquendo, in hoc caſu noſtro, non concurrunt duo præcepta Poſitiuum, & Naturale, ſeſe inuicem impedientia, vt propterea præferendum ſit naturale præceptum, quia poſita inſtitutione Sacramenti Confeſſionis, mutatur materia præcepti naturalis, quia detractio, quæ aliàs eſſet formalis, & lege Naturæ prohibita, ſit materialis ex honeſtiſſima cauſa; ideóque tunc verè non concurrit naturale præceptum, nec violatur ex tali modo confitendi.

SECTIO III.

An non ſolùm poſsit, ſed debeat pœnitens explicare circumſtantiam complicis propter ſolam integritatem ſuæ Confeſſionis?

RAtio dubitandi eſt, quia in aliis pręceptis poſitiuis videmus aliquãdo excuſari aliquem ab eorũ obligatione propter obligationẽ naturalẽ ſubueniendi, aut conſulendi proximo, & aliquando etiam excuſari ab eis propter bonũ proximi, tametſi ad illud proximi bonum procurandum non ſit obligatus. Sic enim, vt quis excuſetur ab obligatione audiendi Miſſam in die feſto, neceſſe non eſt ſemper, vt teneatur ſub peccato mortali ad aſſiſtendum ægroto, ſatis eſt ſi abſque graui ægroti incommodo non poſſit abeſſe, tametſi ex mera Charitate liberè ei miniſtret; & ſic cum proportione in aliis præceptis. Cur ergo idem dicendum non eſt de præcepto integritatis Confeſſionis, vt nimirùm non obliget aliquando propter obligationem naturalem & grauem erga proximum ſeruandi illius famam, aliquando verò obliget propter graue bonum ſpirituale ipſius proximi, tametſi non teneatur abſolutè ex præcepto ad illud procurandum. 1

Firmatur hoc idem, quia frequenter contingere poteſt, vt non teneamur hîc & nunc aliquam circumſtantiam Confeſſionis explicare, poſſimus tamen illam dicere: ergo non eſt regula omninò certa & firma in hac materia, quotieſcumque licet nobis explicare circumſtantiam aliquam, conſequenter teneri illam explicare. Antecedens probatur variis exemplis. Nam inprimis, quando ipſe prudenter mihi timeo damnum graue à Confeſſario, ſi aliquam circumſtantiam, vel aliquod peccatum ei aperiam, poſſum iuxta communem Theologorum ſententiam illam circumſtantiam tacere; & tamen poſſum, ſi velim, ſubire illud periculum, & Confeſſionem materialiter integram facere, licèt non tenear. *Secundò*, quando non facilè, ſed cum incommodo, & magno labore poſſum inuenire alium Confeſſarium, cui poſſim integrè confiteri, non teneor, poſſum tamen ſi velim integram materialem Confeſſionem facere, adhibendo illum laborem, & ſubeundo illam difficultatem. *Tertiò*, poteſt contingere vt propter damnum aliquod extrinſecum, quod complici imminet à Confeſſario ex illius peccati manifeſtatione, ego excuſer hîc & nunc ab ea circumſtantia explicanda; & tamen tunc, ſi mea multùm intereſſet, petere conſilium ab hoc Confeſſario circa illam materiam, poſſem propter hanc meam vtilitatem explicare illam circumſtantiam, non obſtante detrimento, quod cõplici imminet, non tamen tenerer, ſed poſſem cedere iuri meo, & tacere illã circũſtantiam, ne cõplex tale periculũ ſubiret. In quo caſu damnum complicis nõ me obligaret ſimpliciter, & abſolutè ad tacendam illam circumſtantiam; & tamen propter illud dãnum proximi poſſem eam tacere, & excuſarer ab obligatione

Digitized by Google

gatione faciendi Confeſſionem integram. *Vltimò*, ſi ipſe timeo ab hoc Confeſſario graue damnum mihi ex Confeſſione talis peccati, & poſſum ſine meo incommodo alium Confeſſarium adire, non tamen id poſſum ſine incommodo alicuius proximi, cui ægrotanti aſſiſto; tunc licèt Charitas non me obliget grauiter ad illi aſſiſtendum, poſſum tamen propter illud damnum proximi non quærere alium Confeſſarium, ſed facere Confeſſionem non integram apud iſtum. In hoc ergo caſu, damnum non meum, ſed ſolius proximi; licèt non me obliget ad tacendam circumſtantiam, & faciendam Confeſſionem non integram; dat tamen ius, vt poſſim id facere. Igitur non repugnat, quòd propter damnum proximi poſſim tacere aliquam circumſtantiam, etiam quando ad id non obligor: ergo id ipſum poteſt fieri propter infamiam, quæ apud Confeſſarium de complice generatur.

2 His tamen non obſtantibus, cum Doctoribus citatis Cardinali Lugo, Suario, & Vaſquez, dicendum eſt, pœnitentem non ſolùm poſſe, ſed debere explicare circumſtantiam illam etiam cum manifeſtatione complicis. Ratio eſt, quia videtur certum, ſi pœnitentes poſſunt id licitè facere, vt probatum eſt *præcedenti ſectione*, ad id ipſos teneri ſub præcepto integritatis Confeſſionis. Quia quando aliud malum proximi non imminet, niſi quod Confeſſarius præciſè eius defectum ſciat, totum illud malum non eſt tale, vt poſſit pœnitentem excuſare ab obligatione integræ Confeſſionis, quia ſicut totum illud malum quantumcunque illud ſit infamiæ pœnitentis apud Confeſſarium, nunquam illam excuſat ab obligatione explicandi integrè peccatum ſuum, quia id immediatè & quaſi per ſe ac intrinſece ſequitur ex integritate Confeſſionis, quo non obſtante, à Chriſto præcepta eſt: ita nec infamia complicis apud Confeſſarium præciſè ſumpta illũ poterit excuſare, quia Chriſtus præcipiens vniuerſaliter Confeſſionem integram, eo ipſo voluit, quòd hoc malum præciſum infamiæ apud Confeſſarium, poſtponeretur bono integritatis Confeſſionis. Neque enim poteſt eſſe ratio aliqua, cur illud malum præciſè in proximo excuſaret pœnitentem ab hoc præcepto, & non multò magis illum excuſaret idem malum in ſeipſo; cùm maius & fortius ius habeat quis ad conſulendum propriæ famæ, quàm famæ proximi.

3 Firmo hoc idem, nam licèt ſæpe aliqua cauſa ſufficiat, vt poſſim meum crimen propalare, quæ non ſufficit vt poſſim crimen alterius eo inuito propalare; tamen nulla datur cauſa, quæ ſufficiat, vt me obliget ad aperiendum alteri ſecretum meum crimen, quin eadem ſufficiat ad ſimile crimen alterius eodem modo aperiendum, ſi ea cauſa vtrumque æqualiter exigat. Nam tantùm, imò maius ius habeo ad tuendam meam famam, quàm alter habeat, vt conſeruem ipſius famam. Vnde ſi ad famam meam tuendam, ſit neceſſarium alterius crimen prodere, potero id facere. Nam vt reus poſſit aliorum contra ſe teſtimonia infirmare, licitè pandit occulta eorum crimina, vt cum aliis optimè docet noſter Leſſius *de Iuſtitia, c.* 3 1. *dub.* 1. Et ratio eſt, quia quiſque poteſt ſeipſum tueri cum iuſto moderamine, eodem genere armorum, quo oppugnatur, nec alter poteſt queri de iniuria, cùm ſit inuaſor, & ſponte ſe huic periculo exponat, hoc ipſo quo teſtatur, vel accuſat. Item in omni caſu, quo reus in iudicio ita interrogatur, vt teneatur ſuum crimen prodere, tenebitur etiam prodere crimen alterius, ſi ſimili modo circa illud interrogetur. Cùm igitur neceſſitas integrè confitendi ſufficiat, vt me obliget meum crimen alteri aperire; etiam ſufficiet, vt obliget aperire crimen alterius nempe complicis, quando ad illud eſt neceſſarium.

Vnde colligo, pœnitẽtes omninò teneri nõ aliter aperire complicis crimen, quàm quatenus ad integritatem Confeſſionis eſt neceſſarium. Vnde fœmina, quæ peccauit cum Sacerdote, tenetur hoc dicere: debet tamen quantum poteſt, cauere, ne addat aliquas circumſtãtias, ex quibus Confeſſarius colligere poſsit, quis ille ſit, niſi ad integritatem Confeſsionis eſſet neceſſarium eas explicare. 4

Hinc facilis eſt ad rationem dubitandi ſolutio, quia multùm excedit cauſa Sacramenti, nempe integritatis Confeſſionis obligans ad integrè peccatum proprium confitendum; non obſtante quauis infamia pœnitentis, & etiam complicis apud Confeſſarium. Ad confirmationem, liquet etiã de circunſtantia complicis, ſi poteſt licitè reuelari in Confeſſione, cur neceſſariò debeat manifeſtari: eſt autem manifeſta diſparitas in illis aliis exemplis. Nam quando malum quod timetur, ſequitur immediatè, & quaſi per ſe ex Confeſſione ipſa Sacramentali, vt eſt pudor, & infamia pœnitentis, & complicis apud Confeſſarium, non poſſum, nec debeo peccatum illud omittere, quia illo non obſtante incommodo, à Chriſto Domino præcepta eſt integritas Confeſſionis. At quando aliquod incommodùm graue eſt toti Confeſſioni omninò extrinſecum, nec ſequitur immediatè, & per ſe ex ipſa Confeſſione integrè ſoli Sacerdoti facta, vt conſtat in illis exemplis adhibitis, tunc poſſum illud in Confeſſione omittere. At reuelatio complicis eſt neceſſaria, vt Confeſſio habeat eam integritatem, quam ex natura ſuæ inſtitutionis requirit, ſicut eſt neceſſarium, vt mea peccata explicem, quia hoc ſine illo fieri non poteſt. 5

SECTIO IV.

An quæ dicta ſunt de manifeſtatione complicis, procedant quoque in Confeſsione venialium, & peccati mortalis iam plenè confeſsi?

Conſtat ex ſuperioribus poſſe, & teneri pœnitentem explicare complicem, ſi neceſſe ſit ad explicandum integrè ſuum peccatum; quæritur modò, an idem debeat dici in Confeſsione venialium, & etiam peccatorum mortalium, quæ iam ſunt ritè, & plenè confeſſa.

De peccato veniali ratio dubitandi eſt, quia contingere poteſt, quòd veniale peccatum pœnitentis nequeat explicari ſine peccato grauiſsimo complicis: vt ſi fœmina ſe accuſet de negligentia veniali, quã reſtitit fratri, vel patri ſuo ipſam ad turpia ſollicitanti, in eo euẽtu, tametſi non eſſet obligata ad confitendũ hoc veniale, quia Chriſtus non obligauit ad confitenda venialia, poſset tamen illud explicare ſecundùm totam ſuam malitiam, cùm ſecundùm illam totam poſsit eſse materia huius Sacramenti, & dedit Chriſtus ius pœnitenti deferendi venialia ad hoc Sacramentum Confeſsionis. Firmatur, nam ſi in eo caſu fœmina dubitaret de negligentia an fuiſset mortalis, iam ratione huius dubij eſset materia neceſsaria Confeſsionis: ergo idem dicendum eſset de illo, quod dictum eſt *ſuprà* de peccato mortali. 1

Dico breuiter *primò*, ſi peccatum non ſit purè, & clarè veniale, ſed ſit dubium negatiuè, ſeu ſuſpenſionis, an fuerit mortale, poſse, & debere explicari in Confeſsio- 2

ne

Digitized by Google

ne, cum illa circumſtantia peccati grauiſſimi complicis. Patet, quia vt oſtenſum eſt ſuprà *diſputatione vigeſima prima ſect.* 3. omnia peccata dubia ſuſpenſionis mortalia, declaranda ſunt neceſſariò in Confeſſione Sacramentali ſub dubio, declaratis quoque circumſtantiis, eodem prorſus modo, quo mortalia certa. Hoc autem intelligi debet de peccato mortali dubio, habente firmum, & prudens fundamentum, ſic rationabiliter dubitandi; nam ſi dubium fuerit imprudens, & à ſcrupuloſa animi anxietate ortum, nullam inducet confitendi obligationem; atque adeò nec explicandi circumſtantiam illam complicis grauiſſimam.

3 Dico *ſecundò*, ſi ſit peccatum purè, & clarè veniale, non licere explicare circumſtantiam illam complicis. Ita rectè notauit noſter Cardinalis Lugo *diſput.* 16. *ſect.* 7. *num.* 411. & 412. Quia iuxta omnium ſententiam, debet pœnitens, quantum commodè poſſit, conſulere famæ complicis, vel quærendo alium Confeſſorem, vel occultando ſeipſum apud Confeſſarium ordinarium, vel differendo aliquantiſper Confeſſionem, donec poſſit alteri confiteri: ergo multò magis tenebitur tacere illud veniale peccatum, vel circumſtantiam illam, cùm magis commodè poſſit in eo caſu conſulere famæ ſui complicis; in quo nec obligat integritas Confeſſionis, aut Chriſti præceptum, nec ideò tenebitur confiteri bis idem peccatum, cùm nulla ſit obligatio illud confitendi. Non ergo pœnitens poteſt licitè illud integrè explicare cum iactura honoris, vel famæ complicis, & cum graui damno, quod illi infert abſque vlla prorſus neceſſitate, aut rationabili cauſa. Hoc autem intelligi debet, regulariter loquendo: nam ſi fortè in aliquo caſu ex Confeſſione dicti venialis peccati, aliquod magnum bonum pœnitenti obueniret, vel ob petendum conſilium, aut quid ſimile, licitè poſſet id omne fateri. Quia, vt conſtat ex communi ſententia Doctorum, in materia de detractatione poteſt ſæpiùs abſque vitio detractionis manifeſtari defectus alienus, quando id fit ob cauſam iuſtam, & propter bonum aliquod, vt propter conſilium petendum, vel ob aliquid aliud ſimile.

4 Ad rationem dubitandi, tametſi verum ſit, omnia venialia ſecundùm totam ſuam materiam, poſſe eſſe materiam Sacramenti Pœnitentiæ, & habere ius pœnitentem, vt de illis ſe accuſet apud Confeſſarium, qui complicem non agnoſcit; nihilominùs tamen in noſtro caſu non poteſt licitè illud integrè explicare propter graue damnum, quod complici infert, abſque vlla prorſus neceſſitate, aut rationabili cauſa. Ad confirmationem, iam liquet rectè firmare noſtrum primum Dictum.

5 De peccato mortali iam ritè, & plenè confeſſo, breuiter dicendum conſequenter, non poſſe iterùm apud alium Confeſſarium explicari cum nouo detrimento graui bonæ exiſtimationis complicis. Quia hoc peccatum non eſt iam materia neceſſaria, nec pertinet ad integritatem in Confeſſione præceptam: ergo ſine cauſa infamaretur complex de nouo. Firmatur, nam ſi id liceret, etiam liceret pœnitenti traducere hac accuſatione complicem per omnes Confeſſarios. Quod certè iniquum videretur, quia etſi omnes ſub ſigillo Confeſſionis illud crimen accepiſſent, reipſa tamen omnes, & ſinguli illud ſcirent, & hoc abſque neceſſitate, aut cauſa rationabili. Verum namque eſt, ſi propter dubium aliquod rationabile de priori Confeſſione, repeteret illud peccatum; ſi commodè poſſet deberet repetere Confeſſionem apud eundem Confeſſarium, vt hoc modo complicis exiſtimationi meliùs conſuleret.

SECTIO V.

An teneatur pœnitens differre Confeſſionem non neceſſariam, per aliquod tempus, donec habeat alium Confeſſarium, cui complex ſit ignotus?

Certum videtur, Charitatem, & etiam Iuſtitiam exigere, vt ſi commodè poteſt ſperari Confeſſor, cui ſine notitia complicis poſſit fieri integra Confeſſio, teneri pœnitentem expectare illum, & differre Confeſſionem, quia facile, & ſine incommodo ſuo id facere poteſt; & ſic euitatur proximè damnum de infamia apud Confeſſarium, iuxta leges Charitatis, & Iuſtitiæ. Quanta verò debeat eſſe eiuſmodi dilatio, eſt in hac ſectione explicandum. 1

Dico ergo *primò*, pœnitentem non ſolùm in extrema neceſſitate, ſed etiam quoties vrget præceptum Confeſſionis, vel etiam ſuſcipiendi Euchariſtiam, non debere differre illam, ſed debere integrè confiteri, neque excuſari ſolùm propter vitandum illud nocumentum complicis. Ita Suarez *diſput.* 34. *ſect.* 1. *num.* 13. Et ratio eſt, quia in eo caſu eſt tantùm materialis detractio, & non eſt res tanti momenti, vt propter illam ſolùm ſit omittendus vſus neceſſarius huius Sacramenti. 2

Dico *ſecundò*, etiamſi Confeſſio non ſit in præcepto pro tali tempore, non eſſe obligandum peccatorem, vt multo tempore differat Confeſſionem, & fortaſſe perduret in ſtatu peccati mortalis, propter vitandum prædictum complicis incommodum. Ita Suarez citatus. Ratio eſt, quia grauis res eſt per longum tempus eſſe in ſtatu peccati, quod meritò timeri poteſt, cùm ſit difficile, habere verum actum Contritionis: ergo ſi neceſſaria eſſet dilatio longi temporis, aut nimia intermiſsio vtilis frequentiæ conſuetæ, non eſt obligandus pœnitens, vt cum tanto incommodo ſpirituali præueniat, & vitet illud incommodum complicis de ſola infamia non admodum graui. Neque enim Iuſtitia, nec Charitas, obligare poteſt cum tanto ſpirituali diſpendio, vitare illud damnum complicis temporale. 3

Hinc dico *tertiò*, ſi vno die, vel altero differendo Confeſsionem, ſperaretur Confeſſor, cui ſine notitia complicis poſſet fieri integra Confeſsio, obligari pœnitentem ad exſpectandum illum ex Charitate, & etiam ex Iuſtitia. Ita Cardinalis Lugo *diſp.* 16. *ſect.* 7. *n.* 416. Et patet, quia cùm facilè id fieri poſsit à pœnitente, & ſine notabili ipſius detrimento ſpirituali, ſeu graui incommodo, obligare illum poteſt vtraque virtus tam Charitatis, quàm etiam Iuſtitiæ, ad eam breuem dilationem, ob vitandam detractionem formalem complicis: nam hæc committitur, quoties manifeſtatur proximi defectus grauis abſque rationabili cauſa; in hoc autem caſu non eſt rationabilis cauſa ad eam tam breuem dilationem. Vnde non placet, quod aliqui dicunt, pœnitentem, qui abſque cauſa rationabili detegit complicem, peccare ſolùm contra Charitatem, & non contra Iuſtitiam, eo quòd non ſit hæc detractio formalis, ſed ſolùm materialis. Hoc, inquam, nullo modo placet, quia ex communi ſententia, quam ſecuti ſumus ſuprà *ſectione prima*, tunc eſt detractio formalis, & non ſolùm materialis, quando peccatum proximi detegitur, vel ex praua intentione, vel abſque rationabili cauſa: ergo pœnitens in præſenti caſu non ſolùm materialem, 4

Digitized by Google

materialem, ſed formalem detractionem committit, cùm manifeſtet complicis defectum grauem abſque rationabili cauſa. Nam ſi haberet cauſam rationabilem, non peccaret grauiter contra Charitatem; ſi autem contra Charitatem, grauiter peccat: ergo iam erit abſque cauſa rationabili, atque ideò erit detractio formalis, & per conſequens contra Iuſtitiam.

5 Dico *quartò*, non teneri pœnitentem differre Confeſſionem, vel quærere ignotum Confeſſarium cui ſine notitia complicis confiteri queat, etiamſi breui tempore, & facile illum habere poſſit, ſi ideò deberet priuari Iubilæo, aut indulgentia, quæ inſtat. Ita rectè notauit Fagundez *lib. 5. c. 1. n. 2.* Ratio eſt, quia non debet amittere vtilitatem tam magnam ſpiritualem, vel ſolatium ex præſenti Confeſſione, vt vitet illud complicis incommodum, quod non eſt tanti momenti. Cardinalis Lugo *loco citato*, diſtinguendum putat, quia vel poſt illud peccatum non eſt confeſſus pœnitens, vel confeſſus eſt benè, & debito modo, & propter obliuionem, vel aliam cauſam iuſtam reliquit illud peccatum. Si primo modo res ſe habeat, putat minùs obligari ad differendam Confeſſionem. Si verò res ſe habeat ſecundo modo, & iam per Confeſſionem procurauerat ſtatum gratiæ, facilius poterit obligari ad expectandum. Mihi tamen videtur, etiamſi res ſe habeat ſecundo modo, non obligari pœnitentem ad differendam Confeſſionem illo breui tempore, ſi eam teneatur præmittere ac lucrandum Iubilæum, vel plenariam Indulgentiam. Nam ſola amiſſio, vel præciſè priuatio Indulgentiæ, ſeu Iubilæi, eſt amiſſio, vel priuatio maximi boni ſpiritualis, & maximę animę conſolationis, quę plurimi ęſtimatur, & magis præfertur prudentum iudicio, quàm dãnum *illud* temporale infamiæ complicis. Quare prędicta Concluſio abſolutè, & ſine illa diſtinctione vera cenſenda eſt.

6 Dico *vltimò*, tametſi quæ diximus circa prædictam quæſtionem, vera ſint; nihilominùs tamen in his, & ſimilibus caſibus, eſſe circumſtantias particulares conſiderandas ad prudenter iudicandum de obligatione pœnitentis, vt non cogatur perſonam complicis explicare abſque iuſta, & rationabili cauſa. Patet, quia hoc prudenti arbitrio iudicandum eſt iuxta regulas Iuſtitiæ, & Charitatis, vt videtur per ſe notum. Debet enim ſemper attendi, ne pœnitens infamet complicem detegendo peccatum, & perſonam illius, quæ nota eſt Confeſſario, quando poteſt commodè alteri confiteri, cui ignotus eſt complex; quia omnes fatentur, eum tunc teneri huic integrè confiteri, quia hoc ſine incõmodo facere poteſt. Quando autem ex circumſtantiis cõſtaret, neceſſarium eſſe ad ſalutem ſpiritualem pœnitentis, vt ipſi Confeſſario, cui nota eſt perſona cõplicis, confiteretur integrè peccatũ ſuum, vel etiã id expediret, haberet iuſtam, & rationabilem cauſam detegendi complicem: quia non tenetur cum notabili ſuo incommodo præſertim ſpirituali alienam famam omninò illæſam ſeruare, nam longè illi habenda eſt ratio boni ſui ſpiritualis, quàm tantillæ iacturæ famæ ipſius complicis, cuius perdendæ periculo ſponte ſe ſubiecit, cùm tale peccatum cum illo commiſit; vt conſtat ex dictis ſectionibus præcedentibus.

7 Ex dictis colligo, reuelare peccatum complicis in particulari cum aliqua infamia notabili illius, etiam in foro Confeſſionis, ſi non ſit iuſta, & rationabilis cauſa, eſſe ex ſuo genere peccatum mortale; ex cauſa verò rationabili non eſſe, vt dixi ſuprà *ſectione prima*. Et ratio optima eſt, quia quando nulla datur rationabilis cauſa reuelandi peccatum proximi, remanet tantùm nuda, & præciſa infamia illius: at infamare aliquem ex genere ſuo, eſt peccatum mortale; poteſt tamen inaduertentia, vel leuitas materiæ ab illo excuſare. Quòd autem hoc fiat in Confeſſione, & maneat ſub ſigillo illius, non ita minuit peccatum, vt non ſit mortale, quia hæc infamia non ſolùm eſt mala propter effectus extrinſecos, quos cauſat, & ſecum affert, quando eſt nota, ſed etiam propter effectus intrinſecos, id eſt, propter peſſimum conceptum, quem format ipſe Confeſſarius de illa perſona: & etiam poteſt eſſe grauis culpa, propter iniuriam, & irreuerentiam Sacramento factam, vtendo illo vt medio ad infamandum proximum. Cauſa autem rationabilis reuelandi peccatum complicis, vel ſumi poteſt ex parte pœnitentis, vel ex parte ipſius complicis; ex parte pœnitentis cauſa rationabilis erit, quando ipſe pœnitens in Confeſſione ſuam vtilitatem procurat ſpiritualem, vtendo iure ſuo, & non ipſius complicis incommodum, nec poteſt commodè alicui confiteri, cui ignotus eſt cõplex: cauſa autem rationabilis ex parte complicis eſſe poterit, ſi Confeſſarius ſolâ ſuâ induſtriâ, ſine aliqua manifeſtatione, tollere poſſit occaſionem peccandi, vel impedire aliquod graue damnum proximi, nam propter has & ſimiles cauſas, licitum eſt, etiam extra Confeſſionem ſub naturali ſecreto occultum crimen manifeſtare; quantò ergo magis in Confeſſione. De ſecreto autem ſeruando circa perſonam complicis, ſeu ſociæ criminis, dicam inferiùs agens de ſigillo Confeſsionis.

SECTIO VI.

An poſsit pœnitens manifeſtare Confeſſori perſonam quæ non eſt complex, ſed obiectum peccati eius, quando id eſt neceſſarium ad explicandum integrè ſuum peccatum?

Senſus quæſtionis eſt, quando pœnitens non poteſt integrè, & ſpecificè explicare peccatum ſuum; niſi explicando ſimul Confeſſario circumſtantiam perſonæ, manifeſtando occultum peccatum illius, non quia illa fuerit ſocia, & complex criminis ipſius pœnitentis, ſed ſolùm quia fuit obiectum peccati eius; vt ſi filius det venenum matri grauidæ ex prauo concubitu; aut ſi infamet illam, dicens in Confeſsione oriundam eſſe ex Iudæis, ſupponendo id eſſe verum, ſed occultiſsimum, an tunc in Confeſsione, vt poſsit integrè explicare grauitatem ſui peccati, queat licitè filius perſonam obiectiuam matris explicare?

Hac de re, duplex eſt ſententia. Prima affirmat, 1 quam tenent Soto, Gabriel, Maironius, Richardus, & Alcozer, quos refert, & ſequitur noſter Cardinalis de Lugo *diſputatione decimaſexta, ſectione ſeptima, numero 410. & ſequentibus.* Idem defendit Granado *tractat. ſeptimo, de pœnitentia, diſputatione quinta, ſectione ſecunda, numero decimoſexto*, Probant id, diſcurrendo per ea, quæ in ſuperioribus dicta ſunt de facultate, & obligatione manifeſtandi complicem; nam ea locum etiam habere in manifeſtatione peccati, qui non ſit complex, quando id neceſſarium eſt ad explicandum integrè, & ſpecificè totum ſuum peccatum, firmant. *Primò* ex natura iudicij, & accuſationis, in quibus, qui ius habet accuſandi, vel iudicandi, poteſt obiter manifeſtare, vel interrogare de peccato, aut defectu alieno, quantum neceſſe eſt ad manifeſtandum vel cognoſcendum delictum huius: vnde ſicut infamia, quam complex incurrit, non deobligat pœnitentem à Confeſſione delicti; nec deobligabit etiamſi non ſit complex.

Secundò,

Digitized by Google

Secundò, idem probatur ex integritate Confeſſionis, quam Chriſtus vniuerſaliter præcepit: nam hæc integritas non minus exigit manifeſtationem non complicis, quàm complicis, quia ſine vtraque notitia peccatum æquè remanet incompletè ſolùm explicatum. Nec faciliùs eſt, obligare me ad detegendos defectus meos, quàm alienos: ergo ſi propter integritatem Confeſſionis, debeo non curare de infamia mea, & aperire mea crimina occulta, potero etiam, & debebo propter idem bonum integritatis Confeſſionis manifeſtare vitia aliena. Nec obeſt, quòd ille non fuerit complex, quia ad petendum conſilium, verbi gratia, poſſum ego aliquando etiam aperire defectus, & vitia illius qui non fuit meus complex in delicto, vt conſtat: ergo ſi hoc ipſum fiat propter bonum integritatis Sacramenti, non ſit abſque rationabili cauſa, & ideò non erit detractio formalis.

Tertiò, poteſtas, aut debitum manifeſtandi defectum in Confeſſione, non oritur ex eo, quòd defectus ille ſit culpabilis, vel inculpabilis, ſed ex eo, quòd eius manifeſtatio neceſſaria ſit ad manifeſtandum integrè peccatum. Vnde pœnitens non ſolùm debet manifeſtare ſuos defectus culpabiles, ſed etiam inculpabiles, ſi neceſſe ſit ad explicandum ſuum peccatum. Vt verbi gratia, ſi is qui occultè eſt illegitimus, abſque diſpenſatione obtinuit Beneficium, vel ordines, debet in Confeſſione, illum ſuum defectum, quantumuis inculpabilem aperire, quantum fuerit neceſſe ad explicandum integrè peccatum ſubſequens, quod habet ordinem ad talem defectum: ergo ſicut propter integritatem Confeſſionis, obligauit me Chriſtus ad manifeſtandum defectum meum inculpabilem, ſic obligauit propter eundem finem ad manifeſtandum defectum alienum, ad quem dicit ordinem peccatum meum.

2 Secunda ſententia negat, poſſe licitè pœnitentem alienum peccatum manifeſtare in Confeſſione, cum circumſtantia perſonæ obiectiuæ, etiamſi neceſſe ſit aliquam ſpeciem criminis non declarare. Eam tenet Suarius *diſputatione* 34. *ſectione* 1. *numero* 14. dicens quoque ideò Doctores antiquos non ſine cauſa locutos eſſe ſpecialiter de complice, non de alia perſona obiectiua, ac proinde quoad hanc partem, ſententiam hanc niti maiori Doctorum auctoritate. Suarium ſequitur Fagundez *libro* 5. *capite* 2. *numero* 11. Ratio eſt, quia in præſenti caſu ceſſant cauſæ illæ, quæ reddebant detractionem illam materialem, erit ergo formalis, & ſic intrinſecè mala. Antecedens probatur, quia verè ceſſat hîc ratio ſumpta ex natura iudicij: nam quando perſona non eſt ſocia criminis, nec complex, nullo modo voluntate ſua ſe immiſcuit peccato alterius, & conſequenter ex vi ſui peccati, non ſe ſubiecit iudicio, vel cognitioni alterius; & ideò ex hac parte nullum ius, nullámve iuriſdictionem directè, vel indirectè habet Iudex ad cognoſcendum tale peccatum, vel pœnitens ad accuſandum peccatum ſuum, implicando, vel potiùs explicando peccatum alterius. Non enim mater ſocia fuit, aut complex delicti filij, nec peccatum matris ſpectat ad peccatum filij in ratione culpæ, ſed in ratione obiecti: quamobrem cùm peccatum matris in ratione culpæ, nullam habeat connexionem cum peccato filij, nullum ius habet Sacerdos ad cognoſcendum de illo peccato matris, nec de perſona matris illud committentis, & conſequenter etiam nec filius pœnitens habet ius aliquod accuſando peccatum ſuum, ad explicandam circumſtantiam obiectiuam perſonæ matris: & ſic oportet, vt ipſe pœnitens ſuum peccatum explicet, ſine reuelatione perſonæ, circa quam illud commiſit, quæ non fuit ſocia ipſius, in tali crimine. Vnde ſi perſona, quam filius offendit, & circa quam peccatum commiſit, ei veneni hauſtum propinando, ſit pater, aut mater ipſius pœnitentis, ſufficit ſi in Confeſſione dicat, ſe hauſtum veneni propinaſſe, vel tali, aut tali modo peccaſſe in perſonam ſibi valdè coniunctam, atque propinquam. Nec refert, quòd aliquando ad minuendam culpam ſuam oporteat pœnitentem explicare iuſtum dolorem quem habuit, ortum ex prauo concubitu perſonæ, quæ fuit obiectum peccati illius; grauius ſine enim dubio eſſet ipſum peccatum, ſi occidiſſet filius matrem ex pura malitia, quàm ex dolore iuſto prædicto: aut ſi falsò ſororem infamaſſet, quàm ſi infamaſſet, manifeſtando crimen illius occultum. Non, inquam, id refert, quia vt notauit Suarez *loco citato num.* 15. circumſtantiæ minuentes non ita ſunt de neceſſitate Confeſſionis, ſicut aggrauantes.

3 Hanc ſecundam ſententiam iudicò veriorem, propter rationem adductam, quam amplius firmo diſparitate manifeſta, quæ eſt inter perſonam complicis, & perſonam, quæ eſt ſolum obiectum pœnitentis: nam ideò ex vi præcepti integritatis Confeſſionis, detegendus eſt complex, non obſtante iactura ſuæ famæ, quia fuit ſocius, & cooperans ad peccatum pœnitentis, & huic manifeſtationi ſe ſpontè ſubiecit, tale peccatum cum pœnitente committens, quod ſine tali manifeſtatione non poteſt integrè confiteri, & Confeſſio Sacramentalis eam integritatem requirit ex natura ſuæ inſtitutionis. Quare ſicut tenetur pœnitens ſua exprimere peccata, nec excuſatur ab integritate Confeſſionis, quòd nequeat eam facere, niſi perdendo bonam opinionem, quam Confeſſarius habebat de illo; ita ſimiliter tenetur detegere crimen complicis, quatenus ad integritatem ſuæ Confeſſionis eſt neceſſarium, tametſi ſit cum iactura ſuæ bonæ æſtimationis: At perſona obiectiua non eſt ſocia criminis pœnitentis, nec voluntate ſua ſe immiſcuit peccato illius; & ideò pœnitens non habet ius, nec rationabilem cauſam, cùm ſe accuſat, detegendi peccatum illius. Vnde animaduertere debent Confeſſarij, an ſcilicet perſona ſit verè complex, an obiectum tantùm ſui pœnitentis: nam ſi fuerit obiectum tantùm, non habent ius interrogandi circumſtantiam prædictæ perſonæ. Videant ergo, ne indiſcreto Zelo excedant, & occaſio ſint pœnitentibus detrahendi in ipſo Sacramento Pœnitentiæ, quod inſtitutum fuit ad tollenda peccata, non ad illa committenda. 4 Quod verò dictum eſt *ſuprà*, nihil referre, quòd aliquando ad minuendam culpam pœnitentis, oporteret explicare perſonam, quæ fuit obiectum peccati illius, optimè dictum eſt, & ipſe valdè probo: nam illa taciturnitas non manifeſtandi talem perſonam, ſtrictè obligat, & ſub præcepto naturali, & in mea ſententia, vt ſuprà oſtendi *in hoc tractatu, diſputatione* 27. *ſectione* 4. *num.* 5. nullæ circumſtantiæ minuentes intra eandem ſpeciem, ſunt neceſſariò in Confeſſione explicandæ. Quod ſi in aliquo caſu, circumſtantia perſonæ obiectiuæ adderet etiam nouam ſpeciem, adhuc illa non eſt detegenda; quia nequit licitè pœnitens alienum peccatum prædictæ perſonæ manifeſtare in Confeſſione, tametſi neceſſe eſſet aliquam ſpeciem criminis non explicare, vt rectè notauit Suarez *loco citato, num.* 14. *& ad finem numeri decimi quinti.*

5 Ex his facilè ſoluuntur argumenta *num.* 1. propoſita à Cardinali de Lugo in fauorem primæ ſententiæ. Ad primum, negatur, pœnitentem habere ius accuſandi, & Confeſſarium, iudicandi de peccato alieno perſonæ obiectiuæ; ſolùm enim habent prædictum ius de peccato complicis, ob diſparitatem propoſitam *n.* 3.

Ad

Ad ſecundum, iam oſtenſum eſt, integritatem Confeſſionis ſolùm exigere manifeſtationem complicis, non verò non complicis. Et quamuis verum ſit, ad petendum conſilium pro bono ſpirituali animæ, me poſſe aperire defectum, & vitium illius, qui non fuit meus ſocius, ſeu complex in delicto; non tamen id licitum eſt præcisè propter bonum integritatis Confeſſionis, quia integritas Confeſſionis ex vi ſuæ inſtitutionis ſolùm exigit, vt detegatur complex, qui fuit ſocius, & cooperans ad peccatum pœnitentis, vt ſatis dictum eſt.

Ex quo patet ad tertium, negandam eſſe Conſequentiam, quia tametſi peccatum meum dicat ordinem ad defectum alienum, ſeu alterius perſonæ, at non tanquã ad ſocium mei criminis, ſed vt purè alienum, & minimè connexum cum meo crimine.

SECTIO VII.

An liceat pœnitenti dare Confeſſario notitiam complicis in particulari ad emendandum illum, & poſſit Confeſſarius ea vti?

1 Circa primam ſectionis partem, non deſunt qui dicant, id licitum non eſſe, & eſſe iniurium Sacramento Pœnitentiæ. Quod acriter defendit Bañez 2. 2. *q.* 33. *in fine*.

Probari poteſt *primò*, quia repugnare videtur Religioni tanti Sacramenti, vti notitia Confeſſionis ad effectus adeò extrinſecos, & alienos à fine Confeſſionis.

Secundò, notitia Confeſſionis non videtur ſatis accommodata ad finem, ſeu effectum correctionis complicis: eſt enim correctio, quid pertinens ad legem Naturæ, ad quam ſolùm tenemur per media eiuſdem ordinis; quæ ante inſtitutam Confeſſionem locum habebant; Confeſſio autem Sacramentalis eſt res alterius ordinis, ordinata tantùm ad bonum pœnitentis, non verò ad correctionem complicis, vel defenſionem aliorum.

Tertiò, hic modus correctionis neq; expedit, neq; licet per ſe loquẽdo; quia correctio fieri debet ex notitia certa, aliàs non poteſt eſſe efficax; at notitia Cõfeſſionis in ordine ad prædictũ finem, non eſt certa, nã licèt pœnitentis dictũ pro illo foro, & in ordine ad ipsũ, fidẽ faciat; nõ tamẽ cõtra aliũ, quia facilè poteſt complex illud negare, & Sacerdotis correctionem contemnere. Imò ſi tũc Sacerdos corrigens complicem, maiorem fidem daret pœnitenti contra illum, quàm complici pro ſeipſo, iniuriam ei faceret, quia ſicut pœnitenti credendum eſt pro ſe, & contra ſe, ita & complici; vnde ex tali modo correctionis facilè ſequi poſſunt diſſidia, & ſcandala.

Vltimò, quia aliàs Superiores, & Prælati poſſent vti Confeſſionibus ſubditorum ſuorum, tanquam medio ad ſuam gubernationem, & aliorum emendationẽ, ac correctionem: ex Confeſſionibus aliorũ peccata cognoſcẽdo, quod certè occaſionem præberet ſcandalis, ac mendaciis; nulla enim in foro Pœnitentiæ poſtulatur probatio, & vnuſquiſque poteſt facilè, & impunè falſum teſtimonium aliis imponere.

2 Contraria ſententia communior eſt apud Theologos quos refert, & ſequitur Suarez *diſp.* 34. *ſect.* 4. *n.* 4. Idem docet Cardinalis Lugo *diſp.* 16. *ſect.* 8. & Fagundez *lib* 5. *c.* 2. Quam veriſſimam iudico, quia pœnitens ſi non confiteretur, poſſet illam notitiam dare Sacerdoti, ſiue ad petendum conſilium, ſiue ad remedium ſuum, vel complicis. Quis hoc negeret? Igitur etiamſi confeſſus fuerit, poterit finita Confeſſione dare talem notitiam cum facultate, vt poſſit Confeſſarius illa vti ad talem vel talem effectum; quid enim impedit talis Confeſſio? Potiori iure id poterit intra Confeſſionem, quia eo pacto magis conſulit famæ complicis, cùm maneat Confeſſarius magis ſtricte obligatus arctiori vinculo ſigilli Sacramentalis, ad non manifeſtandum illud complicis crimen. Firmo, nam Doctores etiam aduerſarij in hoc conueniunt, ſi pœnitens poſt finitam Confeſſionem, det notitiam Confeſſori extra Confeſſionem de peccato complicis, vt eum corrigat, & emendet, ſeruato debito ordine correctionis fraternæ, & aliis circumſtantiis debitis, id non eſſe contra Iuſtitiam, & eſſe maximè conſentaneum Charitati; imò aliquando poſſe eſſe debitum, ſi tale medium moraliter cenſeatur neceſſarium ad emendationem proximi, quia ſpiritualis ſalus eius præferri debet qualicumque infamiæ, vel pudori: ergo ſi facultas concedatur in ipſa Confeſsione, cùm conſtet minus hoc modo lædi Iuſtitiam, aut Charitatem, quia magis conſulitur famæ proximi, neceſſariò fatendum eſt, licere pœnitenti dare Confeſſario notitiam complicis.

Hinc facilè ſoluuntur argumenta oppoſita. Ad primũ negatur Antecedens, quia nulla ſit irreuerentia Sacramento, ſi ſimul ad vtrumque finem ordinetur intrinſecum, & extrinſecum; primariò quidem ad intrinſecum, nempe ad iuſtificationem pœnitentis, ſecundariò ad extrinſecum, ſcilicet ad emendationem vitæ complicis, cùm finis intrinſecus non excludat hunc extrinſecum, vt liquet. 3

Ad ſecundum dico, notitiam Confeſſionis etiã eſſe accõmodatã ad effectũ correctionis cõplicis, tametſi illa ſit ſuperioris ordinis: poteſt enim res ſuperioris ordinis ordinari ad bonum inferioris ordinis; quia per id quod ſuperius eſt in ſe nõ minuitur, & iuuat inferius, augétq; bonum ipſum ſaltem extenſiuè, & tandẽ omnia in Dei gloriam ordinãtur: ſic enim Deus gratiam vnionis hypoſtaticæ ordinauit ad gratiam noſtræ ſanctificationis; & gratiam hanc, quæ ſupernaturalis eſt, ordinat ad bonum naturæ, & obſeruationem etiam naturalis legis. 4

Addo, correctionem inter Fideles, non ſolùm eſſe legis naturalis, & ex Charitate naturali, ſed etiam ex Charitate infuſa, & ſupernaturali, quæ inclinat ad diligẽdos proximos altiori modo, quorũ pura natura obligaret, & ideò occurrente medio altioris ordinis, poteſt Charitas mouere ad vtendum illo. Dicitur ergo illa lex Naturalis, quia eſt connaturalis Charitati, non quia ſit ex ſolo, & puro lumine naturæ.

Ad tertium, reſpondeo, in rebus humanis non poſſe ſemper certitudinem euidentem poſtulari, & interdum vnius teſtimonium prudenter examinatum, cõſideratis omnibus circumſtantiis, facere ſufficientem fidem, præſertim ad eam actionem præſtandam, quâ bonum proximi procuratur abſque vllo nocumento. Nec eſt neceſſe, vt hinc ſequantur ſcandala, aut incommoda, ſi prudenter fiat correctio: Quòd enim interdum is qui corrigitur, poſsit moleſtè id ferre, & negare factum, nullum eſt inconueniens; nam Confeſſor prudentiã ſuã, & patientiã has difficultates ſuperabit, vel certè ex aliis circumſtantiis intelliget eſſe magis expediens ab ea correctione ceſſare. 5

Ad vltimum, negandum eſt, illum vſum poſſe extendi ad externam gubernationem, non enim poſſunt Superiores antecedenter ordinare Confeſsiones ſubditorum, ad cognoſcenda aliena peccata ſubditorum, & illa emẽdanda, multò minùs poterunt illas ordinare ad ipſam gubernationem externam; hæc enim requirit notitiã magis exteriorem, & publicam. Vnde Cõfeſſores omninò ſeruare debent, quod Clemẽs VIII. ſtatuit 6

in Decreto *de caſuum reſeruatione, pro regularibus*, §. 4. nimirùm, vt caueant diligentiſſimè, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in Confeſſione habuerunt, ad exteriorem gubernationem vtantur.

7 Circa ſecundam ſectionis partem, certum mihi videtur, & euidens, poſſe Confeſſarium ex licentia pœnitentis vti notitia illa ad bonum ſpirituale complicis, vel ad impediendum damnum commune. Patet, quia talis licentia non eſt iniuſta, cùm non ordinetur ad inferendum aliquod nocumentum complici, ſed ad bonum eius, tale opus charitatis pertineat, tanquam honeſta illius fraterna correctio: ergo poteſt Confeſſor ea vti honeſtè ac prudenter in bonum ſpirituale complicis. Firmo, nam certum videtur, poſſe Confeſſarium ex licentia pœnitentis, vti notitia illa ad aliquod damnum temporale impediendum. Vt verbi gratia, ſi vxor adultera ſciens virum ſuum velle interficere adulterum, moneat illum per Confeſſarium, vt ſibi conſulat. Item ſi duo fuerunt ſocij in furto, & vnus eorum vicinus morti reſtituit, poteſt per Confeſſarium monere complicem, vel vt intelligat, ſe eſſe iam liberum ab onere reſtituendi, ſi alter totum reſtituit, & partem ſocio remittit; vel certè vt intelligat partem illam ſuis hæredibus eſſe reſtituendam. Omitto alios caſus ſimiles, in quibus propter bonum temporale poteſt Confeſſarius vti ea licentia pœnitentis: cur ergo repugnabit, quòd ex licentia eiuſdem pœnitentis vtatur licitè Confeſſarius eadem notitia ad bonum ſpirituale complicis, vel ad impediendum damnum commune, quod eſt maioris conſiderationis negotium?

SECTIO VIII.

An poſſit Confeſſarius pœnitentem obligare ad manifeſtandum ſibi complicis nomen, & ſi renuat, negare Abſolutionem?

1 NOn deſunt Viri graues, qui aſſeuerant, inter quos noſter Cardinalis de Lugo *diſputatione 16. ſect. 8. num.* 432. & 433. poſſe in aliquo caſu Confeſſarium pœnitentem obligare ad manifeſtandum ſibi complicis nomen, non quaſi Confeſſarius eam obligationem imponat; ſed quia cùm pœnitens eam habeat, Confeſſarius id ex Confeſſione eius agnoſcens, admonet illum de ſua obligatione, cui ſi non vult ſatisfacere, meritò ei abſolutionem negat, quem non inuenit ad abſolutionem diſpoſitum. Probat, quia poteſt caſus contingere, in quo videat Confeſſarius ex occultatione complicis, grauiſſima damna imminere, ad quæ impedienda pœnitens omninò tenetur; & ſimul videt pœnitentem ſeipſo immediatè id non poſſe exequi, nec habere alium, per quem id poſſit, præter ipſum Confeſſarium: in hoc caſu quis neget teneri pœnitentem ad illud medium vnicum eligendum? Igitur ſi eligere nolit, iam non eſt aptus ad Abſolutionem recipiendam. Firmat hoc caſu, qui poteſt occurrere Prælato regulari: Nam iſte ſi ex Confeſſione ſubditi ſciret, latère in Conuentu Religioſum notabiliter pernicioſum, qui ſuis peſſimis moribus corrumpit alios, & inficere poteſt breui tempore magnam partem cum maximo damno Communitatis; & aliunde videt perditum illum hominem corrigendum non eſſe ſecreta correctione ipſius pœnitentis, vel aliorum, nec poſſe impediri commune damnum, niſi auferendo de medio per mutationem, vel expulſionem, illum incorrigibilem; tunc in hoc caſu cum iſtis circumſtantiis, poteſt, & debet pœnitentem admonere de obligatione quam habet, ſi abſque grauiſſimo ſuo detrimento poteſt. Quòd ſi pœnitens nolit, tametſi non debeat Prælatus aſſumere perſonam Prælati, & cenſuris, vel præcepto obedientiæ eum obligare, quia notitiam illam non accepit vt Prælatus, ſed vt Confeſſarius, & in foro illo Sacramentali; debet tamen in illo foro negare Abſolutionem, ob defectum debitæ diſpoſitionis. Quod idem poteſt, & debet cum proportione facere alius Confeſſarius, cui Religioſus ille confitetur: nam debet illum ſimiliter obligare, vt per ſe, vel per alium adeat Prælatum, & det illi notitiam complicis, quantum ſufficit ad impediendum commune damnum.

Circa hanc controuerſiam, quæ certè arbitrio prudentis, & docti, ac pij viri committenda eſt, duo iudico eſſe dicenda. *Primum eſt*, rariſſimè contingere poſſe, vt Confeſſarius obligare poſſit pœnitentem ad declarandum ſibi nomen complicis. Quod etiam docent Cardinalis de Lugo citatus *num.* 431. Suarez *diſput.* 34. *ſect.* 4. *num.* 17. Fagundez *lib.* 5. *cap.* 3. *n.* 11. & alij Recentiores. Ratio eſt, quia plures circumſtantiæ concurrere neceſſe eſt, vt talis oriatur obligatio. Nam data hypotheſi, quòd neceſſitas proximi pœnitentis, & complicis ſit tanta, & tam grauis, vt Charitas obliget ſub peccato mortali, ad opem ferendam vel per ſe, vel per alium, id quod eſt neceſſariò ſupponendum; adhuc non inde ſequitur teneri pœnitentem id facere per Confeſſarium, vel Confeſſarium teneri id facere per ſeipſum; quia vterque id præſtare poteſt per alium virum probum, & prudentem, qui poſſit prodeſſe, & non obeſſe, datâ ad id expreſſâ licentiâ pœnitentis extra Confeſſionem. Videtur enim moraliter impoſſibile, nullum alium eſſe idoneum ad hoc munus, qui id benè, & prudenter facere poſſit. Vnde moraliter loquendo, non videtur induſtria Confeſſoris ad id ſimpliciter neceſſaria; atque ideò non poteſt pœnitens iuſtè cogi à Confeſſore ad manifeſtandum ſibi complicis nomen. *Secundum eſt*, ſi in aliquo caſu neceſſitas tanta ſit, vt euidenter conſtare videatur, induſtriam Confeſſoris eſſe ad id neceſſariam, ob penuriam alterius hominis prudentis, ac idonei ad munus, adeò vt ad id præſtandum Charitas ſub peccato obliget ipſum Confeſſarium; tunc non dubium, quin pœnitens poſſit iuſtè cogi à Confeſſario, vt nomen complicis manifeſtet, nam occurrente tali caſu cum dictis circumſtantiis propoſito, ita poteſt pœnitens ad hanc obligationem implendam teneri, ſicut ad alias, vt notauit Suarez *loco citato, num.* 18. & Sotus *in* 4. *diſt.* 18. *q.* 4. *artic.* 5.

DISPVTATIO XXXVI.

De integritate Confeſſionis, quoad numerum peccatorum intra eandem ſpeciem.

PEr decem diſputationes præcedentes, egimus latè de integritate Confeſſionis, quoad ſpecies peccatorum, & circumſtantias mutantes, ſeu ſpeciem addentes. Nunc in hac diſputatione de integritate Confeſſionis quoad numerum peccatorum explicandum, oportet agamus; ac videbimus, quomodo peccata multiplicentur, vel interrumpantur, ſiquidem ex multiplicatione, vel eorum interruptione, reſultat numerus peccatorum. Res eſt ſatis difficilis, ac intricata.

SECTIO PRIMA.

An omnia, & ſingula peccata ſecundùm numerum intra eandem ſpeciem ſint in Confeſsione manifeſtanda?

1 OPinati ſunt nonnulli quos refert Suarez *diſputatione 22. ſectione 5.* ſatis eſſe confusè dicere, ſæpiùs peccaui furando, vel fornicando, &c. nec oportere diſtinctè explicare numerum, quia id eſt moraliter difficillimum, & nullum de ea re eſt expreſſum præceptum, nec ex Inſtitutione id firmatur; nec multùm poteſt variare iudicium, aut medicina ſi aliquibus verbis generalibus confusè dicatur, præſertim cùm diſtinctio numerica accidentaria ſit.

2 Dico *primò*, omnia, & ſingula peccata mortalia ſecundùm numerum, non ſolùm quando ſunt diuerſæ ſpeciei, ſed etiam ſi ſint eiuſdem ſpeciei, eſſe in Confeſſione manifeſtanda. Certum eſt hoc, & apud Catholicos extra controuerſiam, itavt Vaſquez *quæſt. 91. artic. 2. dubio 5.* dicat eſſe de fide, & Valentia *quæſtione 11. puncto 1. aſſert. 1.* affirmet eſſe ab Eccleſia definitum. Et meritò quidem, nam id ſumitur ex Concilio Lateranenſi, *in cap. Omnis vtriuſque ſexus*, & Florentino, *in Decreto Eugenij*, quatenus docent, & præcipiunt, omnia peccata eſſe confitenda: vbi illa diſtributio, non tantùm de ſpeciebus, ſed maximè de indiuiduis fit: expreſſiùs adhuc Concilium Tridentinum, nam *ſeſſ. 14. cap. 5.* clarè exprimit, omnia peccata mortalia eſſe declaranda in ſpecie, ac *ſigillatim*. Vbi addens hanc particulam, *ſigillatim*, declarat Tridentinum, Confeſſionem futuram eſſe de ſingulis, atque adeò de omnibus peccatis in indiuiduo. Vnde *in eadem ſeſſ. 14. can. 7.* definit Tridentinum: *Si quis dixerit, in Sacramento Pœnitentiæ, neceſſarium non eſſe iure diuino, confiteri omnia & ſingula peccata mortalia*, &c. *anathema ſit*. Vbi obiter notandum eſt Concilium Tridentinum, ſicut & alia Concilia, quoad hanc veritatem proponendam, non condere nouum ius, ſed explicare diuinum ius de Confeſſione facienda omnium peccatorum mortalium ſingularium, ac numero diſtinctorum. Prætereà de hac re habemus perpetuam Eccleſiæ traditionem, & conſuetudinem, ac vſum, omniúmque Fidelium conſenſum; quem fuiſſe antiquiſſimum, conſtat ex Patribus, præſertim Auguſtino *de vera & falſa pœnitentia*, *cap. 14.* apud quos idem eſt, nudè, & apertè confiteri omnia peccata, quòd, explicare totum numerum peccatorum. Ratio eſt efficax, ſumpta ex ipſa inſtitutione Sacramenti Pœnitentiæ, quæ ad remiſſionem culpæ per ſe primò ordinatur, adiuncta conditione, ſeu natura peccatorum mortalium, quæ eſt, vt vnum ſine alio non remittatur: nam pœnitens confitetur vnum peccatum mortale Sacerdoti, vt illud Sacerdos remittat; ſed Sacerdos non poteſt illud remittere, niſi remittat cætera omnia, & ſi intenderet remiſſionem, ſeu abſolutionem diuidere, nihil faceret: ergo & pœnitens debet, quando vnum confitetur, confiteri omnia, & ſingula, & ſi intendat Confeſſionem diuidere, nihil facit. Patet Conſequentia, quia Confeſſio debet eſſe adæquata Abſolutioni; ideò etiam neceſſaria eſt, quia Abſolutio, & iudicium abſoluentis incognitâ cauſâ exerceri non poteſt, vt Concilium Tridentinum dixit *cap. 5. citato*, ſubdens, *Quod ignorat medicina non curat*. Abſolutio quoque, tametſi per ſe reſpiciat peccata in Confeſſione manifeſtata, tamen etiam cadit in ipſam perſonam, eámque intendit ſimpliciter abſoluere, & iuſtificare apud Deum, & conſequenter ab omnibus, & ſingulis peccatis mortalibus liberare: quare ſicut ſingula peccata mortalia numero quoad connexionem connexa ſunt, ita etiam quoad Confeſſionem, & abſolutionem. Addo tandem in confirmationem huius veritatis, multitudinem peccatorum mortalium numericam, variare multùm iudicium Confeſſoris; imò interdum magis variat iudicium multitudo peccatorum in eadem ſpecie, quàm diuerſitas ſpecifica. Igitur neceſſe eſt explicare integrè, & diſtinctè numerum ſingulorum peccatorum mortalium, quia aliàs non poteſt Confeſſarius ſufficienter ſtatum pœnitentis cognoſcere.

Dico *ſecundò*, omnia & ſingula peccata ſecundùm 3 numerum eſſe declaranda in Confeſſione, ſi commodè id fieri poſſit. In hoc etiam conueniunt omnes: Et ratio eſt, quia præceptum Confeſſionis obligat humano modo, & ita, vt ſuauiter ſeruari poſſit; vnde non obligat ad metaphyſicam enumerationem peccatorum, ſed humanam; ſicut nec obligat in examine conſcientiæ faciendo ad metaphyſicam diligentiam. Quare ita eſt numerus peccatorum mortalium confitendus, vt ſi poſt diligentem diſcuſſionem poſſit pœnitens certò Mathematicè confiteri, debeat ſic fieri; aliàs non ſatisfaceret neceſſitati, & obligationi confitendi integrè omnia mortalia: quòd ſi non poſſit certò Mathematicè, & poſſit certò moraliter ſic faciendum eſt. Vnde infero, magis obligari pœnitentem ad dolorem efficacem, & firmum propoſitum concipiendum, ſine quibus effectus Sacramenti non habetur, quàm ad enumerationem ſingulorum peccatorum, quæ tanti non refert; cùm ſine illa detur integritas formalis, quæ ſufficit ad Confeſſionem validam, & ad effectum Sacramenti.

Dico *tertiò*, non eſſe pœnitenti neceſſarium quodlibet peccatum mortale ſeorſim in indiuiduo confiteri, 4 ſed ſufficere ei omnia illa ſimul in aliquo numero confiteri. In hoc conueniunt omnes. Quia declaratio numeri non conſiſtit in ſingulis peccatorum indiuiduis per ſe enumerandis; id enim moleſtum eſt, & nullo modo neceſſarium, ſed vno verbo dici poteſt viginti, aut centum peccata commiſi in tali, vel tali materia, declaratis circumſtantiis ſpeciem variantibus. Nam hoc modo omnia, & ſingula mortalia explicantur, & etiam ſigillatim, modo requiſito à Tridentino aperiuntur; quia eâ particulâ, *ſigillatim*, ab ipſo addita, tantùm denotatur, eſſe omnia mortalia confitenda in indiuiduo, & non ſufficere illa tantùm in genere, & in ſpecie confiteri, vt patet ex ipſo contextu.

SECTIO II.

Vnde ſumenda ſit vnitas, vel diſtinctio numerica peccatorum, circa peccata merè interna, prout ſunt in voluntate?

VT meliùs poſſimus explicare, quomodo teneatur 1 pœnitens numerum peccatorum explicare, neceſſe eſt nonnulla præmittere, vnde ſumenda ſit diſtinctio numerica peccatorum. Peccata autem dupliciter poſſunt committi, & multiplicari: *Primò*, per ſolam voluntatem internam, quæ nimirùm interiùs conſummantur, vt odium, ſuperbia, inuidia, delectatio moroſa, & ſimilia. *Secundò*, per voluntatem prodeuntem in exteriorem actum, quæ exteriùs perficiuntur, vt iuramentum falſum, homicidium, fornicatio, furtum, & alia eiuſmodi. In hac ſectione ſolum erit ſermo de peccatis quæ interiùs conſummantur.

2 Qua in re *primò* certum eſt, quandiu voluntas durat in vno actu peccaminoſo, vnum tantùm numero peccatum eſſe Ratio eſt, quia interior actus voluntatis nō durat per continuam partium ſucceſſionem, cùm ſit in entitate indiuiſibilis, ſed per perſeuerantiam eiuſdem indiuiſibilis actus: quę duratio, eſt moralis quędam circumſtantia augens peccatum intra eandem ſpeciem, ſed non multiplicans illud.

3 *Secundò*, certum eſt, hæc peccata interna in eadem perſona, & circa idem obiectum, non poſſe multiplicari, niſi per interruptionem vnius actus, & ſucceſſiuam effectionem alterius. Patet, quia certum eſt, hanc multiplicationem internorum actuum poſſe aliquando fieri; at non poteſt fieri ſimul, nec quandiu perſeuerat idem actus, vt liquet: ergo neceſſe eſt, vt fiat per interruptionem ſeu multiplicationem actuum ſucceſſiuam ſeu per interruptionem.

4 *Tertiò*, conueniunt omnes, ad multiplicationem horum internorum peccatorum circa idem materiale obiectum, neceſſariam eſſe aliquam ſucceſſiuam multiplicationem actuum, cum aliqua temporis interruptione ac ceſſatione peccandi in ea ſpecie. Ratio eſt, quia quando perſeuerat voluntas circa idē materiale obiectū ſine interruptione; vel non variantur actus, vel ſi varientur, nequit talis mutatio & variatio morali, vel humano modo percipi; atque ideò vnum peccatum eſt, & vt tale confitendum. Dixi, *circa idem materiale obiectū*: quia benè poteſt intelligi ſucceſſio actuū internorū ſolo numero diſtinctorū immediata, quādo mutātur materialia obiecta, v.g. ab vno prauo deſiderio circa vnā perſonā, in aliud numero diſtinctū circa aliā, abſq; vlla ceſſatione intermedia per aliquod tempus. Et tunc certum eſt, illam eſſe veram multitudinem numericam in Confeſſione explicandam, cùm non ſolùm phyſicè, ſed moraliter etiam poſſit experimento cognoſci.

5 *Quartò*, deniq; ſupponendum eſt, inter voluntates internas malas ſæpiùs repetitas, & poſſe eſſe ordinē, ac dependentiam inter ſe, itavt vna dependeat ab alia; vt ſi quis hodie cogitans de fœmina aliena, decernat illam procurare, & cras iterùm de illa cogitans, memor decreti hodierni, decernat iterùm eam procurare, & ſic deinceps; in quo caſu poſteriores voluntates depēdentiam habent à prima, quia abſque noua deliberatione, vel conſultatione, ex vi primæ voluntatis, ponitur iſta ſecunda, ſicut ex vi intentionis ponitur electio medij ad finē: poſſe etiam aliquando nullum habere inter ſe ordinē, nec dependentiam; vt ſi quis heri videns fœminā, turpiter illā concupiuit, & hodie eā iterùm videns, eā iterū turpiter cōcupiſcit, nō influit prior cōcupiſcentia in ſecūdā, niſi per accidēs, quatenus reliquit habitum, quo faciliùs fit ſecundus actus, quàm primus.

His præmiſſis, omiſſis aliorum ſententiis circa præſentem quæſtionem, quæ videri poſſunt apud Cardinalem de Lugo *diſ.16.ſect.4.* Suar. *diſ.22.ſect.5.* & Alios, dicam quid ſententiam ad tres difficultates quæ occurrunt circa peccata purè interna.

Prima difficultas eſt de interruptionibus prædictorum actuum internorum.

6 De quibus Dico *primò*, peccata interna eſſe diſtincta numero quæ fiūt cū interruptione. Hoc patet, quia tūc mutantur, & variātur actus interni: ergo per quācumq; interruptionem multiplicantur peccata numero.

7 Dico *ſecundò*, tunc illas interruptiones eſſe explicādas in Confeſſione, quando ſunt notabiles. Ita cōmuniter Doctores, quia tunc facilè notari, & explicari poſsūt in particulari; & per tales interruptiones iudicium morale multùm variatur: eſt autem hæc interruptio explicanda, provt commodè fieri poteſt ſine nimis ſcrupuloſa indagatione.

8 Dico *tertiò*, quando interruptiones ita breues ſunt, vt vix notari poſſint, non eſſe ſigillatim explicādas, ſed in ordine ad Confeſſionē, & morale iudicium videtur eſſe vnicus actus, nec debet explicari aliter, quàm explicando durationem totam Probatur, quia iſtæ paruæ interruptiones, cum indeliberatè, & quaſi moraliter fiāt, vix variant iudiciū morale circa illū actū. Nā ponamus eſſe duos; quorū vnus, quia nulla ei occurrit cauſa diſtractionis, per tres horas continuò turpi cogitationi, aut delectationi venereæ inhæret; alter verò tamdiu eidem æqualiter quoad cætera inhæreat, niſi quòd quinquies, vel ſexies ex occurrēte occaſione nōnihil diſtrahatur, & ſtatim iterùm quaſi naturaliter ratione prioris cōmotionis ad eandem redeat; quis ſatis explicet, vter grauius peccauerit? Et ſi quod eſt diſcrimen, videtur potius priorē grauiùs peccaſſe, quam ſecundū: ergo exigua actus interruptio, quādo nō eſt deliberata, vix variat morale iudiciū. Addo, cum ſecūdùm cōmunē modū operandi raro contingat, vt alicui cogitationi ſine vlla omninò interruptione valde inhæreamus; ille qui dicit, ſe per tres horas alicui cogitationi continuò inhæſiſſe, intelligendus eſt, id feciſſe ſecundū cōmunem modum operandi, videlicet, cum exiguis aliquot interruptionibus: has autem ſæpe Sacerdos prudenti coniectura ex diuturnitate temporis faciliùs colligit, quàm ipſe pœnitens; præſertim quando hic explicat, an valdè vehementer, an leuiter ea cogitatione fuerit abſorptus.

9 Ex his colligo, quomodo debeat confiteri, qui ex vehemēti aliqua paſſione per aliquot dies, aut hebdomadas fouit cupiditatē vindictæ, aut odij, vel aliquā cogitationē inhoneſtā. Puto enim cōmuniter ſufficere ſi dicat ſe magna parte diei aut quaſi per totū diē de illa re cogitaſſe: quia hoc intelligēdū eſt ſecūdū cōmunē modū agēdi, qui ſolet eſſe, vt eiuſmodi cogitationes ſæpius sōno, ciborū ſuptione, aliorum allocutione, & aliis negotiis interrūpantur. Verū quidē eſt, excipiēdū eſse caſum ſi ille ita illis cogitationibus exarſiſset, vt illæ magna parte noctis sōmnū impediuiſsēt, aut cū fere ab omni alio negotio, aut cogitatione auocaſsēt: eſt etiā excipiēdus, ſi ille aliquoties deliberatè, cū animo deſiſtendi ab eo peccato, eas cogitationes interrupiſſet. Hęc enim morale iudiciū valde variāt, & facilè notari poſsūt, & ideò debēt in Cōfeſſione explicari. Sicut ſi quis ita in omnibus illis cogitationibus prauis fuiſſet ſibi præſens, & ita in rebus ſuis eſset exactus, vt poſset diſtinctè omnes interruptiones explicare, cùm id innueret, eum cū magna deliberatione, ac perfecta aduertētia in iis omnibus peccaſse; quod multùm grauat ipſū peccatū in tāta tēporis duratione. Hoc tamē vltimū rariſſimè accidere ſolet. Hāc doctrinā ſūpſi ex Patre Ægidio de Coninck, *de pœnit. diſ.7. dub.7. n.51. & 52.* Quā ait cum Viris doctiſſimis communicaſse, qui eam etiam probarunt, & ego ſimiliter illam valdè probo.

10 Secunda difficultas eſt de voluntate interna mala ſæpiùs repetita ſine vllo ordine, ac dependentia vnius ab alia, quænam videlicet, & qualis temporis diſtantia ſufficiat, ad hoc vt non ſint vnum peccatum, ſed vt plura numero explicentur.

11 Dico *primò*, negari nō poſse, illas duas voluntates prauas eſse numero diſtinctas. Patet, quia habent malitias morales diſtinctas, & per diſtinctū vsū libertatis committuntur, atq; ideò corā Deo diuerſis pœnis punientur: ergo ſunt in ſe verè, & propriè numero diuerſa peccata etiam in ratione morali, quatenus peccata ſunt.

12 Dico *ſecūdò*, teneri hominē illā multitudinē voluntatū expreſsè confiteri, ſi inter ipſos actus volūtatis multū tempus intercedat. Ratio eſt, quia tunc facilè cognoſcitur multiplicitas actus, quæ ab homine declarari poteſt: ergo eſt in Confeſſione expreſse declaranda.

13 Dico *tertiò*, ſi prædictarum voluntatum interruptiones ſint imperceptibiles, quia valde breues, nō multiplicare

care

care actus numero in ordine ad Confeſſionem. Ita communiter ſentiunt Doctores. Ratio eſt, quia prædicta numerica diſtinctio voluntatum per ſe, & ex quadam intrinſeca impotentia omnibus hominibus eſt ignota, & moraliter explicatu impoſſibilis: ergo præceptum Confeſſionis non obligat illa peccata vt diſtincta confiteri: ergo non debet cenſeri diſtincta in ordine ad Confeſſionem; atque ideò ea multitudo prauarum voluntatum in Confeſſione declarari debet per modum vnius moræ in peccando, ſeu per modum vnius confuſæ multitudinis in illa mora incluſæ, quæ neque aliter ab homine fieri ſolet, neque aliter poteſt ab homine cognoſci, aut explicari.

14 Tertia difficultas eſt de prauis voluntatibus habentibus inter ſe connexionem, & quaſi concatenationem. Omiſſis aliorum ſententiis, placet mihi modus ſentiendi noſtri Cardinalis de Lugo *diſputatione* 16. *ſectione* 14. *numero* 566. *&* 567. dicentis, quando prædictæ voluntates ſe habent cum illa dependentia, & cauſalitate, niſi influxus ille interrumpatur per voluntatem contrariam, continuari moraliter idem peccatum, & non cenſeri numero diſtinctum in ordine ad Confeſſionem. Probat à poſteriori, quia ſi illa voluntas perueniſſet ad aſſecutionem ſui obiecti, & copulam cum fœmina aliena, totum illud à principio vſque ad finem, computaretur pro vno peccato, & ſatisfieret, confitendo illud tanquam vnum peccatum conſummatum, non explicando, quoties habuit voluntatem procurandi illam fœminam: ergo etiam ante conſummationem operis, illæ voluntates habebant iam connexionem inter ſe ſufficientem ad conſtituendum vnum peccatum: ſi enim ante conſummationem operis fuiſſent duo, non poſſent poſteà ad vnum reduci, per aduentum operis conſummati. Deinde à priori idem oſtendit, quia illæ duæ voluntates in caſu poſito, habent inter ſe ordinem, quatenus vtraque tendit ad idem opus ponendum, & vna dependet ab alia in ordine ad idem. Nam ſicut, verbi gratia, voluntas heſterna occidendi Petrum, excitat hoc mane poſt ſomnum, voluntatem proſequendi iter ad homicidium perpetrandum, ita excitat hoc mane ad habendam nouam voluntatem occidendi Petrum, ſine qua voluntate non proſequereris iter: ergo ſicut voluntas proſequendi iter, facit vnum peccatum in ordine ad Confeſſionem cum voluntate heſterna occidendi, propter concatenationem, & dependentiam vnius ab alia; ſic etiam voluntas hodierna homicidij, facit vnum peccatum cum voluntate heſterna, propter illam dependentiam vnius ab alia: igitur illæ voluntates, quoties interuenit talis dependentia, faciunt vnum, & idem peccatum in ordine ad Confeſſionem.

SECTIO III.

Vnde ſumenda ſit vnitas vel diſtinctio numerica peccatorum externorum, quorum eſt vnum poſt aliud.

1 Conſtat apud omnes, quando hæc peccata omninò interrumpuntur, itavt prius ceſſetur ab omni actu tam externo, quàm interno, & poſteà alius ſimilis committatur, tunc verè multiplicari, & vt talia eſſe in Confeſſione explicanda. Ratio eſt, quia tunc nihil manet, in quo moraliter continuentur, vniantur, & explicentur. Difficultas eſt, quæ, & quanta continuitas exterioris actus neceſſaria ſit ad vnitatem peccati.

Dico, non eſſe neceſſariam continuationem phyſicam, ſed ſufficere moralem diuerſarum actionum ad vnum opus conſummandum, itavt totum illud dicatur vnum peccatum vnitate morali, quod ſit confitendum. Quare ſi quis ex intentione occidendi inimicum, ſurgat è lecto, paret enſem, è domo egrediatur, iter conficiat, & ſic conſequenter alias actiones exerceat, donec illum interficiat, non committit varia peccata confitenda vt diſtincta, ſed vnum tantùm homicidij. Ita ſentiunt communiter Doctores, & meritò, quia tota illa ſeries actionum fit ex virtute vnius voluntatis virtualiter ſaltem manentis; & ex illis omnibus componitur vnum conſummatum peccatum, quia omnes illi actus ordinantur ad vnum opus conſummandum, & ex illius intentione procedunt, ordinantur, inquam, ordinatione morali, abſque oppoſita interruptione. Vnde Nauarrus *in cap. Conſideret, de pœnitentia, diſt.* 5. *num.* 48. expreſsè dixit, idem eſſe peccatum, etiamſi ille qui vadit ad occidendum inimicum, dormiat, & iterùm repetat voluntatem. Videantur plura de hac re apud Cardinalem de Lugo *diſp.* 16. *ſect.* 7. §. 2. à *n.* 538. vſque ad §. 3. excluſiuè. 2

SECTIO IV.

Quomodo numerus peccatorum ſit in Confeſſione explicandus?

Breuiter dico *primò*, ſi definitus, ac certus numerus explicari poteſt, id faciendum eſſe. Patet, quia tunc nihil eſt quod ab eo excuſet. Vbi nota cum noſtro Suario *ſectione* 5. *citata*, *numero* 17. ei qui multa commiſit peccata, nullo modo expedire ea ſigillatim ſingula enarrare, ſed ſatis eſſe vno verbo numerum dicere. Ratio eſt, quia illud eſt longiſſimi negotij, nec vllo modo neceſſarium, & valdè moleſtum, & ad morale iudicium nullo modo requiſitum. 1

Dico *ſecundò*, quando factâ morali diligentiâ, non occurrit numerus omninò certus, tamen occurrit aliquis numerus, qui plus minúſve creditur parum à certo diſtare, hoc eſſe faciendum, & eodem modo eſſe declarandum, ídque ſufficere. Patet, quia fit tunc quod moraliter poſſibile eſt, & id ſatis eſt ad iudicium morale humano modo ferendum. Quòd ſi poſteà recordetur determinati numeri, non tenebitur iterùm illum declarare, niſi multùm excederet illum, quem in alia manifeſtauerat Confeſſione. Quare ſi quis dixerit, ſe decies, plus minúſve, peieraſſe, licèt poſtea certò comperiat duodecies id crimen commiſiſſe, non eſt, cur iterum id declaret in Confeſſione; ſecùs verò ſi comperiat vicies peieraſſe. 2

Dico *tertiò*, quando factâ diligentiâ, neutro ex dictis modis poteſt affirmari certus numerus, ſufficiet declarare conſuetudinem peccandi quam habuit, & tempus quo in illa perdurauit, & modum frequentiæ per dies, hebdomadas, aut menſes. Ad quod explicandum debet quoque Confeſſor pœnitentem iuuare, prout potuerit. Ita docent omnes. Et ratio eſt, quia fit quod moraliter poteſt, & præcepta hæc non ſunt impoſſibilia, neque hæc integritas ita exigitur, vt ſemper ac neceſſariò debeat eſſe omninò conformis rebus ipſis, ſed conſcientiæ, & facultati pœnitentis, quæ etiam morali modo ſatis tunc innoteſcit Confeſſori, vt de illa poſſit moraliter iudicare. Non ergo in his caſibus debet Confeſſor vrgere pœnitentem, vt aliquem certum numerum proferat, eſt enim id ſæpe moraliter impoſſibile, vel ita incertum, vt nulla illi fides adhiberi poſſit. 3

Notant etiam Doctores, ac monent in enumerandis,

aut interrogandis in Confeſſione peccatis carnalibus, eſſe abſtinendum à nimietate, ne ſibi, & Confeſſario damnum proueniat ex Confeſſione, quæ inſtituta eſt ad medelam. Et id quoque debitum eſt reuerentiæ tanti Sacramenti.

4 Ad maiorem explicationem eorum quæ modò dicta ſunt, operę pretium duxi, nonnulla exempla proponere, vt inde prudens Confeſſarius coniiciat, quid in ſimilibus euentibus facturus ſit.

5 Primum ſit de meretricibus, ſi reſipiſcant, & ad Confeſſionem accedant.

Nauarrus *in ſumma cap.6. num.* 15. ſecutus Caietanum *tom.1. opuſc. tract.*5. *q.*3. exiſtimat in meretrice ſatis eſſe, ſi dicat, ſe per decennium verb. grat. paratam, & expoſitam fuiſſe ad fornicandum tam cum Clericis, & Religioſis, quàm cum laicis coniugatis, aut ſolutis. Fundamentum eſt, quia ad hoc iudicium non tam pertinet cognoſcere frequētiam peccatorum, quàm promptitudinem animi ad peccandū. Præterea eo modo ſufficienter declarant ſtatum ſuum; nihil autē amplius deſiderari debet in pœnitentibus. Non placet tam generalis explicatio ſtatus ſui: Nam inprimis non poteſt de omnibus illis æquale efformari iudicium; ſi enim ponamus, duas eſſe meretrices ex ſe æquè proiectas ad omnem libidinem; vnā tamē, eo quòd deeſſent occaſiones, integro anno tantū ter vel quater per hebdomadā peccaſſe, & fere cū ſolutis; alteram verò toties per dies ſingulos peccaſſe, & ferè ſemper cum coniugatis, aut ſæpe quoque cum Sacerdotibus; quis dicet, æquale de vtraque debere eſſe iudicium?

6 Quare tria mihi videntur dicenda circa meretrices. *Primū*, diuturnam conſuetudinem peccandi explicandā eſſe, & tēpus, quo in tali ſtatu, & cōſuetudine peccandi perſeuerauerint. Quod omnes DD. notāt, & neceſſariū iudicant. *Secundum*, oportere frequentiam ſolitam explicare, quia contingere poteſt, quòd vna meretrix in vno loco decies fornicetur, dum alia centies in alio, vel in eodē loco. Quare debēt eam frequentiam ſaltem in confuſo explicare, dicendo ſe peccaſſe ſæpè, bis vel ter per diem, vel hebdomadam, quod non eſt ita difficile. Præterea ſi ſtatum perſonarum cum quibus peccarunt, agnouerunt, tenentur illum proculdubio declarare, quantum adhibita ſufficienti diligentia, recordari potuerint: is enim mutat ſæpe ſpeciem peccati luxuriæ, & transfert illud ad ſacrilegium, ſi ſit cum habente votum Caſtitatis; & ad iniuſtitiam, ſi ſit cum coniugata. Rursùs, cùm Confeſſarius ignoret frequentiā accedētium ad locum tam obſcœnū, id etiā debent declarare; quia inde etiam coniici poteſt multitudo fornicationum. *Tertium* eſt circa actus internos difficile eſſe, quomodo poſſint cogitationes, & moroſæ delectationes numerari, quę innumerabiles eſſe ſolent. Quare non diſplicet quod rectè notauit Henriq. *lib.*1. *de Pœnitentia, c.*5. §.9. ſufficere, ſi dicat meretrix, ſe per decennium ver. gr. fuiſſe expoſitam, quotieſcumque, & cùm quocumque ſe occaſio peccandi obtuliſſet. Vel etiam ſufficit, ſi dicat, ſæpius per diem, aut quaſi continuò, & prout dabatur occaſio, deſideraſſe indifferenter cum quouis hominum genere peccare. Vt obſeruat noſter Coninck *diſputatione ſeptima, de pœnitentia, ad finem ſeptimæ dubitationis.* Neque enim actus interni à meretricibus aliter explicari poſſūt, quia non ita notant actus internos, ſicut externos. Quare vt rectè docuit Vaſquez *q.*91. *a.*1. *dub.*5. *n.* 2. circa numerum actuum internorum, non ſunt cogendæ meretrices, vt dicant frequentiam ſolitam, & numerum per hebdomadas aut dies, ſicut dictum eſt ſuprà de frequentia ſolita fornicationum; quia in his actibus internis videtur impoſſibile, eos ad aliquem numerum reducere ſine periculo nimiùm excedendi verum numerum aut multùm ab eo deficiendi.

Secundum exemplum ſit, quod infertur ex præcedenti, quid dicendum ſit de illis, qui longo tempore 7
in aliquo peccato vixerunt, nec poſſint vllum certum numerum, vel proximè coniicere. Dico, id quod de meretrice inueterata dictum eſt, dicendum etiam eſſe in quouis alio peccatore, in quo æqualis ſit difficultas explicandi numerum, aut illum reducendi ad aliquā multitudinem confuſam, vt rectè notauit Vaſquez citatus *numero quarto.* Quare id locum habere poteſt in eo, qui paſſim concupiſcit turpiter fœminas ſibi obuias; in quo difficilius fortaſſe eſt, numerum aliquem deſignare. Vnde ſufficere videtur, ſi explicet illam conſuetudinem, & tempus illius, item ſpecies principales, an frequenter coniugatas, an aliquando cognatas, vel perſonas ſacras concupiſcat. Quod idem in nullo genere peccatorum contingit, ſicut in moroſis cogitationibus, ſeu delectationibus. Idem etiam dicēdum videtur de hominibus ruſticis, vel plebeiis, cùm confitentur turpes cogitationes, vel colloquia de rebus turpibus cum ſociis, quæ quidem paſſim tota die, dum ſimul laborant, miſcere ſolent abſque vllo delectu circa materiam, vel ſocios, tam circa coniugatas, quàm circa ſolutas. Quod facile inducere poteſt ſimilem difficultatem explicandi numerum, ita vt ſufficiat explicare conſuetudinem, & ſpecies principales, ſicut dictum eſt de meretrice. Idem præterea eſt dicendum de illo, qui diu concubinam domi habuit, & ea vt propria vxore vſus eſt, & de numero præcisè non recordatur; ſufficiet explicare conſuetudinem, & tempus, ac ſtatum, vt concedit Henriquez *lib.*5. *cap.*5. *numero* 9. & Fagundez *libr.*3. *cap.*4. *numero* 11. Quod etiam extenditur ad peierantes, & blaſphemantes, qui de numero præcisè non recordantur. Idem denique docet Vaſquez *numero* 5. de fure, qui diu in ea conſuetudine furandi fuit, & de his peccatis numerum habere non poteſt: De quo aduertit, non tam explicari ſtatum pœnitentis explicato tempore, quantum explicatâ quantitate furtorum, & hoc neceſſarium eſſe, & ſufficere, quando non poteſt haberi numerus. *Sic enim*, ait, *melius eſt dicere, ſæpiſſimè furatus ſum cuius peccati numerum non potui computare, & ita intelligitur frequentia, & explicatâ quantitate melius quàm explicato tempore. Quod in aliis peccatis fieri non poteſt, vt conſtat, cùm materia illorum non adunetur ita in vnum, ſicut materia furti.*

Hæc doctrina Vaſquez non placet omninò noſtro 8
Cardinali de Lugo *diſp.*16. *ſect.*14. *n.*576. quia eandem quantitatem, v. g. decem aureorum potuit furari, vel per mille, vel etiam per decem millia furta; in Confeſſione autem non tam debet explicari quantitas obiecti, quàm numerus peccatorum, vt fatetur ipſe Vaſquez, dum dicit, non eſſe obligationem confitendi circumſtantiam aggrauantem intra eandem ſpeciem. Quare Cardinalis de Lugo melius ait eſſe, explicare confuſo modo frequētiam furti grauis, ſeu mortalis: vel certè ſi explicat totam quantitatem rei acceptę, deberet interrogari, quantum ſoleret communiter ſingulis furtis accipere, plus minúſve, vt ita ex vtraque notitia colligi poſſit aliqualis notitia confuſa ipſius numeri.

Mihi tamen videtur doctrina, ſeu regula tradita ab ipſo Vaſquez optima, & ſufficiens, nec benè impugnata. Nam licèt verum ſit in Confeſſione furtorum mortalium, ſeu grauium, non tam debere explicari quantitatem obiecti, quàm numerum peccatorum, quod etiā ipſe Vaſquez concedit; cæterùm quando non poteſt talis numerus adhiberi, debet explicari frequentia ſaltem in confuſo, vt idem Vaſq. fatetur dicens melius eſſe dicere

Digitized by Google

dicere, ſæpiſſimè furatus ſum, cuius peccati numerum non potui computare, & ita intelligitur frequentia. Subdit verò, & rectè, hanc frequentiam, & ſtatum pœnitentis melius coniici, explicatâ quantitate furti, quàm explicato tempore. Nam etiam multo tempore, poteſt quis furari ſingulis leuibus furtis leuem quantitatem, abſque animo congregandi ſummam grandem, & quæ non perueniat ad peccatum mortale. Et quamuis accipiat ſingulis furtis quantitatem grauem, ſi nequeat explicare in particulari, quantum ſingulis furtis acceperit, quia ſunt verè innumera; melius frequentia ipſorum in confuſo, & ſtatus pœnitentis colligitur explicatâ quantitate omnium furtorum, quam præciſe declarato tempore.

9 Tertium exemplum ſit, quod apponit Nauarrus *in Summa, cap.* 6. de eo qui per annum integrum omiſit recitare Officium diuinum: de quo dicit, ſatisfacere, ſi dicat Confeſſario; Anno integro omiſi Officium diuinum, quia talis collectio ſatis hac generali Confeſſione declaratur. Cui ſimile videtur, quod Henriquez *lib.* 2. *cap.* 5. §. 5. *littera B.* addit, videlicet eum, qui toto anno poteſt, & ſæpe aduertit obligationem reſtituendi, nec vult reſtituere, vnum numero peccatum quaſi per collectionem committere, quod proinde ſatis declarat dicendo: per annum non reſtitui, cùm poſſem. Idem docet Nauarra *lib.* 4. *de reſtitut. cap.* 4. *dub.* 1. Notant aliqui Doctores, verum eſſe quod dictum eſt: Si ille nunquam reſipuerit, & ſtatuerit recitare; nam ſi aliquoties intra annum doluiſſet de culpa, & ſtatuiſſet recitare, licèt nunquam propoſitum impleret; videtur illis, interrogandum eſſe, quoties doluiſſet: nam eo ipſo quod doleret, quaſi interrupit peccatum; vnde cùm poſtea non recitabat, aliud numero peccatum diuerſum committebat, conſtat autem, numerum peccatorum eſſe declarandum. Et idem iudicant dicendum de illo alio, qui aliquoties intra annum habuiſſet animum reſtituendi, licet non reſtituiſſet.

Cæterùm noſter Granado *diſputation.* 10. *num.* 8. cenſet, tametſi illud peccatum metaphyſicè loquendo, numero multiplicetur, adhuc non videri neceſſarium, declarare prædictam interruptionem; quia in Confeſſione non eſt ſeruandus ſtrictus rigor, & nimietas in explicando numero, quando ſufficienter conſtat de ſtatu pœnitentis. Satis autem conſtat de ſtatu, cùm quis fatetur, ſe per annum non recitaſſe, aut non reſtituiſſe, cùm poſſet, licèt non declaret, an aliquoties habuerit animum recitandi, vel reſtituendi: nam alioqui moleſtum eſſet, onerοſum, & ſcrupulis plenum, maiorem imponere obligationem. Placet mihi circa reſtitutionem dicta reſolutio: Si interruptio ſit breuis, quia tunc videtur eadem retentio moralis, ac ſi interrupta non eſſet: diſplicet verò quod dicit de illo, qui per annum non recitat; exiſtimo enim hunc committere plura peccata. Ratio eſt, quia licèt voluntas non recitandi ſit vna, opus tamen volitum non eſt vnum, nec vna omiſſio recitationis ordinatur ad aliam, nec connexionem habet cum illa, ſed ſicut ſunt de ſingulis recitationibus præcepta diuerſa, ſic omiſſiones ſingulæ ſunt peccata diuerſa Firmatur, nam qui vult exercere latrocinia, & cædes in via per totam vitam, non committit poſtea ſolùm vnum peccatum, ſed plura, neque enim vniuntur omnes illę cędes, ac furta ad faciendam vnam actionem humanam; aliter enim qui vellet violare omnia Dei præcepta quæ illi occurrerent, non faceret niſi vnicum peccatum per totam vitam: nec ſimiliter meretrix, quæ voluit ſe exponere omnibus, faceret plura peccata toto tempore quo illam turpitudinem exercet.

Obiicies hinc ſequi, eum, qui omittit totum Officium hodiernum, plura peccata committere. *Reſpondeo*, concedendo Sequelam, cum Leonardo Leſſio *lib.* 2. *capit.* 37. *dub.* 9. *numer.* 53. & Aliis. Ratio eſt, quia ſingulæ horæ ſunt diſtinctæ orationes, diſtincta Officia, ad quorum ſingula obligamur ſub peccato mortali, & ſingulorum recitatio eſt impletio præcepti, ſaltem virtute diſtincti, quia præceptũ de dicẽdis Horis Canonicis implicitè continet ſeptem præcepta, quatenus ſeptem opera diſtincta, & inter ſe minime connexa præcipiuntur, nam præcepta ex diuerſis operibus præceptis multiplicantur: ergo ſingulorum omiſſio eſt diſtinctum peccatum mortale. Scio contrarium eſſe probabile, quod tenent Suarez *tom.* 2. *de religione lib.* 4. *cap.* 25. & alij plurimi, quos refert, & ſequitur Diana *tom.* 1. *tractatu de Horis Canonicis, reſolutione quinta*: idque probabile iudico.

Quartum exemplum ſit de Ruſtico, qui groſſo modo ſuo Parocho confitetur bona fide, ſuis numero, aut diſcuſſione; an ſit cogendus vt poſteà repetat Confeſſiones ſic factas. *Reſpondeo* cum Fagundez *lib.* 5. *cap.* 4. *numer.* 10. & Aliis, ruſticos homines iſtos cogendos nõ eſſe: cùm enim bona fide confiteãtur, & habeant difficultatem, imò & impoſſibilitatem moralem, explicandi meliùs ſuum ſtatum, & ſimul habeant vniformem vitæ modum, & viuendi rationem, non eſt illis obligatio vlla ſubiiciendi iterùm eadem peccata præterita Clauibus. Quod ſanè intelligo, dum eiuſmodi ruſtici manent in eadem impotentia, vel difficultate explicandi meliùs ſtatum ſuum. Solùm ergo eſſe poteſt difficultas de ruſtico illo, caſu quo propter maiorem notitiam, quam poſteà acquiſiuit, meliùs iam poſſet explicare numerum, quem ſub illa generalitate, ac groſſo modo dixerat in Confeſſionibus bona fide anteà factis, an deberet illas repetere, & ſupplere defectum tunc commiſſum circa integritatem meliùs declarandam. *Reſpondeo*, ſuppoſitâ ſententiâ ponente obligationem iterùm confitendi peccatum, quod prius vt dubium dictum fuerat, quando poſteà conſtat fuiſſe certum, quam docui ſuprà in *hoc tractatu, diſputatione ſexta, ſectione quinta, Dicto quarto*, vt communiſſimam, & firmo fundamento, ac ratione munitam; conſequenter ponendam eſſe obligationem in caſu præſenti repetendi illas Confeſſiones pręteritas. Ratio eſt, quia in hoc caſu, ſi res attentè conſideretur per illum modum confuſum confitendi, multa peccata dicta fuerunt vt dubia, quę nunc poſſent dici vt certa: nam qui confitetur confuſè multitudinem cõfuſam quinquaginta peccatorum, plus minúſve, non dicit vt certum, peccatum quinquageſimum primum: ergo à fortiori, ruſticus dicens illum modum vitæ communem, non dicit vt certum talem numerum determinatum peccatorum, ſed plura comprehendit ſub aliquo dubio; deberet ergo nunc dicere illa vt certa, ſi poſſet, ratione maioris luminis, & inſtructionis, quam nunc habet. Quæ contra hanc rationem obiici poſſũt, manent ſoluta ſuprà, *dicta diſputatione* 6. *ſectione* 5. 10

Sextum exemplum eſt de Confeſſore, qui ſucceſſiuè audit in peccato mortali, plures Confeſſiones, vnam poſt aliam, tenetúrne fateri in Confeſſione, audiui tot Confeſſiones. Videtur enim pars affirmans amplectenda, quia eſt eadem ratio, ac de eo qui ſucceſſiuè occidit tres homines, tenetur enim explicare hæc tria homicidia. *Reſpondeo* tamen oppoſitũ, ſolùm nẽpe teneri Confeſſarium dicere, audiui in ſtatu peccati vna vice plures Confeſſiones. Ratio ſumitur ex manifeſta diſparitate in vtroque caſu, nam actio illa audiendi Confeſſiones, maiorem recipit vnitatem moralem, quàm occiſiones trium, cum enim ſingulæ eiuſmodi occiſiones reſpiciant diuerſa iura ſingulorum hominum, quæ læduntur, & aliunde nõ vniantur in vno actu, vel actione morali ad eundem finem, non videntur poſſe facilè ex ſola tem- 11

Kk 4 poris

Digitized by Google

poris propinquitate vniri ad faciendum vnum peccatum. At verò actus audiendi Confeſſiones, accipit vnitatem tum ex fine, & intentione agētis, qui ſedet ad audiendas Confeſſiones, tū maximè ex materia ipſa, quia omnes illæ actiones continent irreuerentiam contra eundem Chriſtum, cuius Sacramenta irreuerenter tractantur. Non enim ſunt in rigore irreuerentiæ, contra ius aliquod reſidēs in Sacramētis, ſed contra ius reſidēs in auctore Sacramentorum. At negari non poteſt, faciliùs vniri ad faciendum vnum peccatum, ea quæ tendūt contra idem ius eiuſdem perſonæ, quàm ea quæ tendunt contra diuerſa iura diuerſarum perſonarum.

12 Vltimum exemplum ſit de illis, qui in Confeſſione certum numerum peccatorum, plus minuſve manifeſtant.

Dico cum Soto *diſt.* 18. *q.* 2. *art.* 4. quem communiter ſequuntur Recentiores, in eo caſu, quo quis numerum peccatorum plus minuſve confitetur, ſi poſteà recordatur aliquorum peccatorum eiuſdem ſpeciei, quæ non fuerunt comprehēſa in numero certo illius ſpeciei, quem plus minúſve dixerit, teneri ſub mortali exceſſum confiteri de nouo, modò ille exceſſus ſit notabilis: vt v. g. dixiſti in Confeſſione, te plus minúſve, decies iuraſſe falsò, poſteà recordaris te duodecim vicibus id feciſſe, non teneris ſub mortali, exceſſum illum confiteri de nouo; ſecus verò ſi comperias vicies peieraſſe: nam ille paruus exceſſus ſatis fuit incluſus in illo numero, decies, plus minúſve, non verò iſte alius maior. Quando autem huiuſmodi exceſſus, vel defectus ſit nimis magnus, vel paruus, arbitrio prudentis committitur: ſumitur autē huiuſmodi maior, vel minor exceſſus per ordinem ad maiorem, vel minorem numerum peccatorum.

Ad finem huius diſputationis tractandum eſſet, quale examen, ſeu quæ præparatio debeat à pœnitente præmitti, vt poſſit ritè numerum peccatorum mortaliū in Confeſſione explicare. Verùm id à nobis iam ſuprà eſt copiosè tractatum *diſp.* 26. *ſect.* 1. in quem locum Lectorem reiicio.

DISPVTATIO XXXVII.

De cauſis legitimis excuſantibus ab integritate materiali Confeſſionis Sacramentalis.

DVPLICEM diſtinguunt Theologi integritatem Confeſſionis, Materialem ſcilicet, & Formalem. Materialis integra vocatur illa, quæ eſt de omnibus peccatis mortalibus, prout in re ipſa fuēre cōmiſſa. Formalis verò appellatur Confeſſio integra, quæ eſt de omnibus peccatis mortalibus, de quibus nulla intercedit legitima excuſatio, vel cauſa; relinquitur tamen aliquod, quod ob aliquam iuſtam ac legitimam cauſam non tenetur tunc confiteri.

Diſcurremus autem in hac diſputatione per varias cauſas, in quibus ſufficiet formalis integritas. Ad diſputationem verò ſequentem reiiciemus vnam cauſam, quæ eſt ex præcipuis, infirmi moribundi.

SECTIO PRIMA.

An propter vitandum aliquod detrimentum proprium, liceat pœnitenti mortale peccatum in Confeſſione tacere?

SVppono *primò*, quod certum eſt apud omnes, Confeſſionem abſolutè eſſe omninò neceſſariam, itavt propter nullam cauſam, vel neceſſitatem, ſine illa poſſit Sacramentum Pœnitentiæ perfici. Patet, quia ſine Confeſſione, nulla eſt accuſatio, vnde nec poteſt eſſe Iudicium; neque enim ſine Confeſsione conſtare poteſt Confeſſori de culpa, vel diſpoſitione pœnitentis in hoc Sacramento: atque ideò nulla ratione poteſt eum abſoluere; ergo Confeſſio abſolutè, & ſimpliciter dicta omninò eſſentialis eſt. 1

Suppono *ſecundò*, integram materialem Confeſſionem peccatorum omnium mortalium, quæ in re ſunt, non eſſe ſimpliciter neceſſariam in omni euentu ad perficiendum Sacramentum. Patet, quia non rarò contingit, eam non eſſe, integram ſine culpa confitentis, vt quia hîc & nunc ex iuſta ac legitima cauſa ab ea excuſatur, vt cōnſtabit ex dicendis: in his autem caſibus poteſt Confeſsio materialiter non integra, conſiſtere cum vero dolore peccatorum, ſufficiente ad Sacramenti valorem, & conſequenter ponitur vera materia Sacramenti, & vera forma, cum ſufficienti Miniſtri intentione: ergo ponitur verum Sacramentum. Firmo, quia aliàs non fuiſset hoc Sacramentum Pœnitentiæ conuenienter inſtitutum, quia frequentes caſus occurrunt, in quibus homo non habet locum, integram materialem Confeſsionem faciendi; cùm tamen extremè indigeat hoc remedio ad ſalutem neceſſario. 2

Hinc Suppono *tertiò*, quod etiam omnes Theologi vnanimi conſenſu affirmant, quoties homo ex rationabili, & iuſta cauſa excuſatur ab integritate materiali, formalem ſufficere. Ratio eſt, quia vt conſtat ex Tridentino *ſeſſione* 14. *capite* 3. nulla Confeſsio eſt ſufficiens materia huius Sacramenti quæ non procedit ex ſufficienti Attritione, requiſita ad remiſsionem peccati; hæc autem poteſt conſiſtere cum tali Confeſsione formali, vt liquet. Igitur ſicut tunc pœnitens poſſet habere veram Attritionem, ita poſſet validè abſolui. 3

His poſitis, deueniendo ad præſentem quæſtionem, concluſio certa & apud omnes communis eſt, non teneri pœnitentem ad confitendum mortale aliquod, cum morali periculo alicuius grauis nocumenti proprij. Ratio eſt aperta, quia præcepta poſitiua non obligant cum tanto diſpendio, & periculo, vt conſtat: ergo qui non poteſt aliter confiteri illud peccatum, pro tunc cenſetur moraliter impotens ad confitendum illud, & ideò excuſatur. Addo, tale poſſe eſſe detrimentum, vt obligaretur pœnitens ad non confitendum tale peccatum in illo euentu, vt ſi timeret graue ſcandalum in propria ſalute ſpirituali. Idem dico, ſi timeret probabile periculum mortis corporalis, vel etiam graue damnum corporis, quia iure naturali tenetur homo vitare eiuſmodi pericula. 4

Numerantur à Doctoribus varij caſus, quibus conſtet ex Confeſsione alicuius peccati, pœnitentem prudenter ſibi timere aliquod notabile damnum. Quale eſt, *primò*, quòd Confeſſarius præter pœnitentis conſenſum, vel vni ſit eius peccatum reuelaturus. Tunc commu 5

Digitized by Google

communiter Doctores fatentur, eum non teneri hoc confiteri. Quod tamen, vt benè notauit Coninck *diſputat. 7. dubio nono, num.* 75. & Cardinalis Lugo, *diſputat.* 16. *ſect.* 13. *numer.* 526. intelligi debet de reuelatione, ad quam ipſe pœnitens non teneatur. Poteſt enim caſus eſſe talis, vt pœnitens debeat dare licentiam Cōfeſſario manifeſtandi illum extra Confeſſionem, quam licentiam ſi dare noluerit, Confeſſarius non poſſit eum abſoluere, quo caſu pœnitens certò timet reuelationem illius peccati extra Confeſſionem, ſi velit ſuæ obligationi ſatisfacere; & tamen non ideò excuſatur ab eo peccato confitendo, quia illud damnum non eſt aliud, quam quod neceſſariò conſequitur ex obligatione ipſius pœnitentis.

6 *Secundò*, quòd Confeſſarius pœnitentem grauiter in poſterum oderit, aut male tractet, præſertim quando ab eo in aliquibus rebus pendet; vt ſi ab eo ſuſtentetur, ſiue inſeruiat, aut cohabitet: debet ergo malum, quod timetur à Confeſſario eſſe omninò extrinſecum Confeſſioni. Nec enim vt aliquod peccatum omittat pœnitens, ſufficit quòd Confeſſarius, qui illum anteà habebat pro valde pio, & caſto, eo intellecto, in mente ſua illum ſit habiturus pro graui peccatore, aut imputo, aut quod maximo pudore afficiatur, & ſimilia, modò aliud malum extrinſecum non ſequatur; quia hæc immediatè, & quaſi per ſe ex Confeſſione ſequuntur, & tamen his non obſtantibus à Chriſto præcepta eſt.

7 *Tertiò*, quando pœnitens, præſertim fœmina, metuit, ne ſi Sacerdoti peccata carnis confiteatur, eum excitet ad ſimilia deſideria, vel vt ſe ad ſimilia flagitia ſecum facienda inuitet. Notant verò Doctores, & benè, valdè cauendum eſſe pœnitenti, ne ſimilia de ſuo Confeſſario *ſuſpicetur* ſine graui admodùm fundamento. Quale eſſet, ſi ſciret eum aliquando Confeſſionem reuelaſſe, aut aliquos ob peccata in Confeſſione audita malè tractaſſe, aut ad flagitiū ſollicitaſſe, aut tam procliuem eſſe in ea vitia; vt obuias quaſque ſibi familiares facilè ad turpia ſollicitet: Aliàs grauiſſimè per ſimiles ſuſpiciones, peccaret.

8 *Quartò*, quando non poteſt confiteri, niſi aliquis tertius ſuam Confeſſionem audiat; tunc enim non tenetur peccata mortalia confiteri. Si enim, vt anteà dixi, ſcirem, quòd Confeſſarius vel vni eſſet peccatum meum reuelaturus, non tenerer ei confiteri, certè eodem modo, non tenebor illud confiteri, quando vel vnus alius præter ipſum, hoc debet audire. Excipe periculum mortis eo modo quo id declaraui ſatis diffusè, ſuprà *diſp.* 10. *ſectione* 4.

9 *Quintò*, & vltimò, quando pœnitens ob ſuam infirmitatem timet, ne ſi diutiùs hæreat in examine circa peccata carnis, ad praua deſideria excitetur. Tunc enim præſtat, ea leuiter examinare, quàm delectando peccare. Ob quam cauſam notant communiter Doctores, Confeſſarios in ſimilibus peccatis, ac eorum circumſtantiis examinandis valdè cautè debere ſe gerere.

Ratio prædictorum omnium caſuum vnica eſt, quia integritas Confeſsionis non eſt ita neceſſaria, vt cum tanto periculo nos obliget. Quamuis enim præceptum diuinum integræ Confeſsionis materialis, potuiſſet obligare etiam cum grauiſsimo detrimento honoris, & famæ, ac ipſius vitæ, quia Deus ipſe dominus eſt vitæ, famæ, & honoris noſtri; Nihilominùs tamen de facto id non ſtatuit Deus, noluit enim vtens ſua admirabili ſuauitate, ac congrua prouidentia Confeſsionem præſcribere cum eo onere, atque ideò præceptum diuinum Confeſsionis non obliget ad integram Confeſsionem materialem cum prædicto graui detrimento extrinſeco.

SECTIO II.

An poſsit aliquod peccatum taceri propter detrimentum alienum, quod pœnitens timet?

Vera eſt Theologorum ſententia, dari quoque caſus in quibus pœnitens poteſt tacere aliqua mortalia, confitendo alia propter detrimentum proximi. Ratio eſt, quia præceptum confitendi omnia peccata mortalia, quæ memoriæ occurrunt, eſt affirmatiuum, vt eſt certum: ergo non obligat in quibuſcumque circumſtantiis, vt conſtat ex generali, ſeu communi ratione præcepti affirmatiui. Dari ergo poſſunt caſus, in quibus non teneatur homo confiteri omnia peccata, quæ memoriæ occurrunt, quia aliunde ex Confeſsione talium peccatorum prouenire poſſunt detrimenta contra legem Charitatis, & Iuſtitiæ. Firmo; nam Charitas obligat ad vitandum graue damnum proximi: ergo lex integritatis Confeſsionis, cùm ſit poſitiua, non obligat cum tanto diſpendio proximi. Vnde ſi ego timeam Confeſſorem non ſeruaturum ſigillum, & ex mea Confeſsione ſumpturum occaſionem ad infamandum proximum, teneor etiam, nec licitè poſſum tale peccatum confiteri, quia eſſet contra Charitatem & Iuſtitiam. Similiter ſi dicendo aliquod peccatum, probabiliter timeo Confeſſorem eſſe ſcandalizandum, & ad aliquod graue peccatum inducendum, teneor ex Charitate, ad tacendum, dummodò tale ſcandalum ſit actiuum, ſeu ex fragilitate alterius. Oportet autem in his caſibus timorem eſſe probabilem, & cadentem in prudentem virum; quia cùm ſit omittenda executio legis grauiſsimæ, non ſine magno fundamento, & ratione fieri debet, ne detur occaſio omittendi facilè Confeſsionem integram peccatorum, propter leuem cauſam. 1

Ex quo manifeſtè colligo *primò*, tempore peſtis, ſi Confeſſarius probabiliter timeat, ſe fore inficiendum, ſi ægroti audiat integram, & longam Confeſsionem, poſſe illum abſoluere, audito vno, vel paucis peccatis, pro opportunitate temporis, & quantitate timoris infectionis: nam ſicut pœnitens cum notabili damno propriæ mortis, vel alterius damni grauis, non tenetur integrè confiteri; ſic nec Sacerdos cum notabili damno proprio illum integrè audire. Quare, ſi prudenter timeatur infectio, & non ſit alius Confeſſarius, qui integrè audiret, licebit dimidiare Confeſsionem: Idem dicendum, quando ipſi Confeſſario immineret ſimile periculum, ſi diutius Confeſsioni audiendæ immoretur. Vt ſi pœnitens laboraret morbo alio graui contagioſo, nec Confeſſarius poſſet eum audire eminus, nec eſſet alius, qui integrè illum audire vellet: Tunc enim poteſt auditis paucis peccatis eum ſubito abſoluere. 2

Colligo *ſecundò*, ſimiliter dicendum, ſi peccatum pœnitentis talis ſit conditionis, vt meritò timeatur Confeſſario fore occaſionem proximam peccandi lethaliter ob ſuam imbecillitatem, pœnitenti iam ſatis notam, tacendum eſſe tale peccatum. 3

Colligo *tertiò*, ſatis probabile eſſe, quod cum aliis docet Henriquez *libro* 2. *de Pœnitentia*, *capite* 12. *paragraph.* 3. ſi tempus præcepti Diuini, aut Eccleſiaſtici Confeſsionis inſtet, & vir ignoti idiomatis non habeat copiam Confeſſoris, qui illum ple- 4

nè

nè intelligat, poſſe abſolui, auditis illis peccatis, quæ aliquo modo ſaltem potuerint percipi à Confeſſore: quia facit in eo caſu quod poteſt, & moraliter cenſetur
5 impoſſibilis maior declaratio.

Colligo *quartò*, quid dicendum ſit in hoc caſu, cùm Parochus, v.g. defert Euchariſtiam ægroto ſtatim communicaturo, & dum audit breuem reconciliationem, aduertit pœnitentem teneri ad longam Confeſſionem, eo quòd per multum tempus, mentitus fuerit in præcedentibus Confeſſionibus Dico enim, ſi ægroto mors immineat, itavt non ſuperſit locus integræ Confeſſioni, debere Parochum audire ea peccata, quæ pro temporis opportunitate, ſecluſo ſcandalo, audire potuerit, & illum abſoluere, & ſtatim Euchariſtiam miniſtrare. Si verò mors non immineat, & nequit ægrotus breui ſpatio integrè confiteri, tunc eliciat ægrotus actum Contritionis, & ſumat Euchariſtiam, ac differat Confeſſionem in aliud tempus, quia tunc licitum erit communicare, non præmiſſa Confeſſione, vt ſcandalum adſtantium vitetur: ſiquidem Confeſſio tunc ritè, id eſt integrè fieri non poteſt, & ſupereſt tempus poſteà, quò perfectè fiat. Idem mihi videtur dicendum, ſi pœnitens ſanus accederet ad Confeſsionem in eo euentu, quo Communionem ſine graui ſcandalo prætermittere non poſſet, & aliunde eſt illi neceſſitas Confeſſionis adeò longæ, vt tunc integrè perfici non poſſet, dicendum enim ſimiliter eſt, tunc licitum eſſe communicare, præmiſſa ſolum Contritione. Quòd ſi prudenter timeatur in vtroque caſu, in quo non imminet mortis periculum, ab ipſo pœnitente eliciendam non fore Contritionem, ſed ſolam Attritionem, ſentio cum noſtro Granado *diſp. 5. ſect. 3. num. 20.* poſſe Confeſſionem dimidiari, & abſolui pœnitentem, quia tunc caſus vrget vitandi ſcandali, quod eſt notabile nocumentum, ratione cuius poteſt pœnitens dimidiare Confeſſionem, iuxta prædicta. Cùm enim nequeat vitari ſcandalum, niſi accedendo ad Communionem; & ad hanc non liceat peccatori accedere, niſi præmiſſa Confeſſione, aut certè Contritione in aliquibus caſibus, ſi pœnitens prudenter credit, ſe nonniſi Attritionem habiturum, neceſſe eſt, vt Confeſſionem præmittat eo modo quo poſſit, vt abſoluatur, ne alioqui nouum peccatum committat, accedendo ad Euchariſtiam ſine debita diſpoſi-
6 tione:

Colligo *vltimò*, ſi Sacerdos, poſtquam cœpit audire à pœnitente Confeſſionem, morbo corripiatur, & timeat ſe moriturum, ſi pœnitens nequeat commodè ad alium Sacerdotem recurrere, poſſe ab iis quæ iam audiuit abſoluere, quia eſt hæc cauſa legitima faciendi Confeſſionem non materialiter integram. Ita Cardi-
7 nalis Lugo *diſp. 17 ſect. 1. num. 4.*

Eſt verò notandum, quocumque ex prædictis caſibus, in hac, & præcedenti ſectione adductis, & in aliis ſimilibus pœnitens fecerit Confeſſionem non integram, eum teneri poſteà ſuo tempore peccata omiſſa confiteri. Ratio eſt, quia Confeſſio omnium peccatorum lethalium obligat ex iure diuino; cúmque huic obligationi pœnitens non ſatisfecerit propter legitimam cauſam, ac notabile impedimentum, tenetur eo ceſſante, implere præceptum integræ Confeſſionis.

SECTIO III.

Qualis neceſsitas, vel etiam vtilitas ſit ſufficiens, vt in prædictis caſibus poſsit dimidiari Confeſsio, tacendo aliquod graue peccatum?

MAioris claritatis, ac veritatis explicatione, oportet in ſpeciali examinare, qualis neceſsitas re- 1
quiratur, vel etiam vtilitas, ob quam in prædictis, & ſimilibus caſibus, non ſit ſatis, omittere, vel differre omninò Sacramentum Confeſsionis, donec Confeſsio poſſit integrè fieri ſine vllo incommodo; verùm etiam poſſit, vel debeat ſtatim ſuſcipi Sacramentum Pœnitentiæ, confitendo alia peccata, & tacendo illud, in quo eſt periculum morale alicuius grauis nocumenti, vel proprij, vel alieni.

Nam Viguerius *in ſumma cap. 16. §. 4. verſ. 17.* ſentit, hominem ita tunc ſe gerere debere, ac ſi non haberet copiam Confeſſoris, quod etiam docet D. Thomas *in 4. d. 17. q. 3. a. 3. q. 4. ad 5.* atque adeò tunc eſſe omninò omittendam Confeſsionem. Quod firmari poteſt ex Tridentino *ſeſſ. 14. cap. 5.* dicente, de neceſsitate huius Sacramenti eſſe, dicere omnia peccata quæ homo habet in conſcientia, ſeu quæ memoriæ occurrunt. At in prædictis caſibus, non poſſunt dici omnia: ergo non poteſt ſeruari id quod eſt de neceſsitate Sacramenti, & conſequenter ſuſcipi non poterit Sacramentum.

Dico *primò*, negari non poſſe in articulo, vel pericu- 2
lo mortis, poſſe, & debere Confeſsionem fieri, tacendo peccatum graue. Semper id intelligitur, quando non eſt commoditas integrè confitendi cum alio. Hoc eſt certum, & ab omnibus conceditur. Et patet, quia præceptum diuinum de Confeſsione tunc maximè obligat; neceſsitas quoque propriæ Charitatis omninò vrget, & vtrique obligationi poteſt ſubſtantialiter ſatisfieri, faciendo Confeſsionem formaliter integram, qualis illa erit; etiamſi aliquod peccatum graue taceatur, cùm ſolùm propter impotentiam moralem omittatur: ergo neceſsitas euidens eſt ſuſcipiendi Sacramentum in mortis articulo, non integrè confitendo. Et quamuis tunc, quia mors inſtat, nequeat ægrotus, vel moribundus habere ſpem faciendi aliam Confeſsionem; hoc tamen non obſtat, quia talis ſpes neceſſaria non eſt, ſed ſolùm votum, vel deſiderium, vt manifeſtè conſtat de moribundo, qui non poteſt in tali articulo omninò confiteri. Tunc autem moribundus, auditis aliquibus peccatis poteſt, & debet abſolui, & ſi poſteà ſuperuiuat, poſſunt, & debent, quantum fieri poteſt, reliqua audiri, & ipſe deinde ſecundò abſolui.

Dico *ſecundò*, cùm eſt neceſsitas ſeruandi præceptũ 3
annuæ Confeſsionis, poſſe, & debere fieri talem Confeſsionem, ſi non ſperatur commoditas integrè cum alio Confeſſore confitendi. Ita Suarez *diſp. 23. ſect. 2.* Granado *diſp. 5. ſect. 1. num. 22.* & Alij Ratio eſt, quia tunc impletur ſubſtantialiter illud præceptum; at poteſt fieri ſine iniuria Sacramenti, vel alio incommodo graui: ergo debet fieri. Firmo, nam licèt homo ſit certus, quòd tempore quo obligat præceptum annuæ Confeſsionis, propter obliuionem, ſit omiſſurus multa peccata in Cõfeſsione, tenetur nihilominùs alia confiteri, quia præceptum inſtat; ergo ſimiliter in præſenti: quod enim propter obliuionem licet, ac debet fieri, etiam propter moralem impotentiam licitum eſt, ac fieri debet.

Quæres, an ſi inſtante præcepto annuæ Confeſsio- 4
nis, ſolùm haberet pœnitens vnum peccatum mortale,

Digitized by Google

& illud non poſſet declarare Confeſſario ſine aliquo ex notabilibus incommodis *ſuprà* enumeratis, teneretur illud tacendo, confiteri ſola venialia. Negat Suarez citatus, & Cardinalis de Lugo *diſp.16. ſect.13. num.531.* quia non obligatur homo ad confitenda venialia, hæc enim non ſunt materia neceſſaria Confeſſionis. Granado citatus *num.23.* ait, teneri in eo caſu confiteri ſola venialia. Probat, quia tunc præceptum Confeſſionis obligat illum, cùm reuera habeat peccatum lethale, & licèt illud non confiteatur propter notabile damnum inde prouenturum, certè confitendo venialia, conſequetur etiam mortalis, quod tacet, remiſſionem qui eſt finis ob quem tale præceptum annuæ Confeſſionis imponitur: ergo.

Ego verò tria iudico dicenda. *Primum*, ſi illud peccatum mortale poſſet dici in genere, aut in ſpecie non completa, tacendo illam circumſtantiam ſolam propter incommodum graue, teneretur illud ita confiteri. Patet, quia tunc iam ſe haberet, ſicut qui recordatur ſe feciſſe aliquod mortale, & fortaſſe in tali genere, ſed non recordatur ſpeciei, qui certè teneretur illud confiteri. Igitur in noſtro caſu deberet dicere; Recordor cuiuſdam grauis peccati quod feci, & non occurrit mihi pro nunc quale fuerit.

Secundum eſt, poſſe in eo caſu ſola venialia peccata confiteri. Ratio eſt, quia illa ſola ſunt materia ſufficiens ad faciendam integram Confeſſionem formalem, quæ venialia peccata directè remittentur; & etiam peccati illius mortalis, quod ex legitima cauſa tacetur, conſequetur pœnitens remiſſionem, quod iure ab ipſo intenderetur.

Tertium eſt, non obligari ad eam agendam Confeſſionem. Ita ſentio cum ſententia negante. Probatur, quia Confeſſio illa ſolùm venialium, non eſt ex obligatione orta præcisè ex præcepto Diuino, vel Eccleſiaſtico Cõfeſſionis vt ſic: nam vtrumque ſolùm obligat ad confitenda ſola mortalia, atque ideò venialia non ſunt materia neceſſaria Confeſſionis vt ſic: ergo non teneretur prædictus pœnitens ex vi Confeſſionis, vt ſic, in eo caſu confiteri ſola venialia.

5 Dico *tertiò*, ſi vrgeat neceſſitas ſuſcipiendi Euchariſtiam, aut faciendi Sacrum, poſſe, & debere ex illa cauſa legitima præmittere Confeſſionem dimidiatam, ſi non eſt commoditas integrè cum alio confitendi. Patet ob eandem rationem, quia tunc etiam eſt præceptum diuinum præmittendi Confeſſionem, quando eſt conſcientia peccati mortalis, & poteſt impleri dicto modo; ergo. Vnde ita procedit in hoc caſu, ſicut in præcedenti, de neceſſitate ſeruandi præceptum annuæ Confeſſionis.

6 Dico *quartò*, ſi longo tempore differenda eſſet Confeſſio, etiam cùm præceptum non obligat, poſſe dimidiari Confeſſionem, ſi non adſit Confeſſarius, cui ſine notabili incommodo poſſit pœnitens integrè confiteri. Ita Suarez, & Granado citati. Et ratio eſt, quia graue eſt incommodum, diu Sacramento Confeſſionis carere, eiúſque fructu, præſertim cùm homo ſit incertus, an ſit contritus, atque ita diu carendo hoc Sacramento, maneret fortè diu in peccato mortali, quod eſt graue malum. Quare cùm Confeſſio, ſeu eius integritas ſit inſtituta in commodum noſtrum ſpirituale, non debet cum tanto noſtro incommodo ſpirituali obligare. Ex quo fit, vt peccator multò minùs teneatur eam differre, quando non poteſt id facere ſine ſcandalo, aut niſi ab aliis cum aliqua infamia notetur. Si verò exiguo tempore elapſo, ſperaretur, venturum eſſe Cõfeſſarium, cui abſque incommodo poſſint omnia peccata declarari, ille deberet expectari, quia præceptum diuinum integritatis Confeſſionis etiam materialis id ſaltem requirit, quod per ſe neceſſariũ eſt, quando moraliter fieri poteſt.

Ad oppoſitum argumentum *numero primo* adductum, iam conſtat ſolutio ex dictis. Cùm enim præceptum integrè confitendi, ſit affirmatiuum, non obligat in omnibus circumſtantiis, & ideò in variis caſibus licebit, imò & tenebitur non integrè confiteri. S. Thomas ſolùm vult, quantum ad illud peccatum, quod pœnitens iuſtis de cauſis tacet, perinde ſe habere, ac ſi non haberet copiam Confeſſoris, quod verum eſt, non verò negat poſſe, & interdum teneri tacere peccatum aliquod graue ex legitima cauſa.

SECTIO IV.

An de peccato ob legitimam cauſam omiſſo, requiratur Contritio; & an teneatur pœnitens illud fateri, cùm primum poſſit?

Circa primam ſectionis partem, ſenſus quæſtionis eſt, an qui propter damnum notabile omittit vnum peccatum graue, & alia mortalia confitetur, debeat procurare Contritionem circa illud peccatum, quod omiſit, an verò ſufficiat habere Attritionem de illo, ſicut de aliis quæ confitetur. 1

Poſſet aliquis exiſtimare, requiri de illo Contritionem; quia circa illud peccatum debet ſe habere pœnitens, ſicut qui non habet copiam Confeſſoris: cúmque illud non ſubiiciat Clauibus Eccleſiæ, debet quærere pro illo remedium Contritionis.

Cæterùm dicendum eſt, ſufficere Attritionem, vt optimè notauit Cardinalis de Lugo *ſect. 13. citata, num.533.* & ſupponere videntur omnes Doctores. Ratio manifeſta eſt, quia illud peccatum in ordine ad eam Confeſſionem, habet ſe; ſicut peccata oblita; hæc autem iuxta Tridentinum, comprehenſa intelliguntur in ea Confeſſione, hoc eſt, non in ordine ad tollendam obligationem ea poſtea confitendi, ſed in ordine ad effectum remiſſionis: nam quòd impotentia dicendi illud peccatum, oriatur ex obliuione, vel oriatur ex notabili detrimento quod timetur, materialiter ſe habet, & in vtroque caſu Confeſſio manet formaliter integra. Igitur virtus & fructus Sacramenti extenditur ad illa etiam peccata, quæ non ſubiiciuntur directè Clauibus; ſatis eſt vt illis indirectè ſubiiciantur. 2

Circa ſecundam Sectionis partem, Sotus *in 4. d. 18. q.2. a.5 ad 3.* Henriquez *lib.2. de Pœnitentia, cap.12.* & Alij, putant teneri pœnitentem, cùm primùm poſſit, ea peccata quæ tacuit, ad vitandum incommodum notabile, confiteri, ad hoc vt adimpleat præceptum annuæ Confeſſionis. Probant, quia hic pœnitens, cùm omiſerit peccatum graue, quòd in memoria habebat, reuera non impleuit præceptum illud Confeſſionis, tametſi excuſatus fuerit à tranſgreſſione, propter cauſam legitimam: ergo ceſſante hac cauſa, tenetur illud ſtatim implere, quamprimùm occurrerit opportunitas illud confitendi ſine tali detrimento, & non poteſt id differre, donec iterùm obliget præceptum Confeſſionis. Firmari poteſt, quia præceptum obligat ad Confeſſionem omnium peccatorum: ſed iſte non eſt confeſſus omnia; ergo non impleuit omnino præceptum annuæ Confeſſionis: ergo vt illud integrè impleat, tenetur ſtatim illud peccatum confiteri. 3

Mihi tamen probabilius videtur, quod docet Suarez *diſputat.23. ſect.2. num.9.* ſufficere quòd illa confiteatur, cùm iterùm accedat tempus, in quo obliget præceptum annuæ Confeſſionis. Ratio eſt, quia eiuſmodi homo iam verè confeſſus eſt, & diſpoſitus acceſ- 4

ſit

ſit, non obſtante quòd tacuerit illud graue peccatum, quia ex legitima cauſa id præſtitit, atque ideò conſecutus eſt finem præcepti Confeſſionis, ſcilicet reconciliationem cum Deo: ergo impleuit præceptum annuæ Confeſſionis; non igitur donec annus elabatur, eſt iterùm obligandus. Firmatur, nam ille qui confitetur mortalia, quorum nunc recordatur, & ex obliuione omittit aliquod graue, non tenetur illud hoc anno eodem confiteri, vt ſatis probatum eſt ſuprà *diſputatione nona, ſectione octaua, num.* 10. ergo idem dicendum de illo alio, qui ex cauſa honeſta omiſit mortale: nam de vtroque peccato tam de oblito, quàm de alio, eſt eadem ratio, & obligatio; quia præceptum Eccleſiaſticum ſolùm determinat præceptum diuinum ad tale tempus, & præceptum diuinum iam tunc impletum fuit: poterit ergo illud graue peccatum, quod ex cauſa honeſta relictum eſt, in aliud legitimum tempus annuæ Confeſſionis reſeruari.

Ex his patet ſolutio ad argumentum oppoſitum, eiúſque confirmationem: nam vt dictum eſt, ille abſolutè adimpleuit legem confitendi omnia, quæ moraliter potuit, & conſequenter adimpleuit præceptum Confeſſionis pro eo anno.

6 Quæres, an ſaltem, quando pœnitens habens ſolùm vnum peccatum mortale, quod ex cauſa legitima tacet, & confitetur ſola venialia, teneatur illud confiteri eodem anno, ceſſante nimirùm iuſta cauſa illud reticendi. *Reſpondeo*, teneri eodem anno, Quia tametſi pœnitens fecerit Confeſſionem formaliter integram, ſed non fecit id, quod præcipitur per præceptum annuæ Confeſſionis, atque ideò rectè dicitur non ſatisfeciſſe eo anno illi præcepto; quia illa Confeſſio venialium non fuit ex obligatione orta præcisè ex præcepto Diuino, vel Eccleſiaſtico Confeſſionis vt ſic. Sicut etiam, ſi pœnitens habens peccatum mortale, cuius non recordatur, confiteatur ſola venialia, tenetur cùm recordatur, illud confiteri eodem anno. Quia iſte homo non adimpleuit præceptum Confeſſionis eo anno; nam hoc præceptum non eſt confitendi venialia, ſed confitendi mortalia, certa, vel dubia: at prædictus pœnitens, tametſi fuerit confeſſus, ſed non peccatum mortale; vnde non fecit id quod præcipiebatur, ſed aliquid aliud quod non præcipiebatur, atque ideò non adimpleuit præceptum. In quo valdè differt hic caſus ab illo alio, in quo quis verb. grat. audiuit Sacrum die feſto, ignorans eſſe feſtum, & abſque animo implendi præceptum, quod ignorabat: Nam iſte non tenetur aliud Sacrum audire, quia iſte verè per illud Sacrum ſatisfecit præcepto, nam illud audiens, verè fecit totum id quod præceptum fuit. At in noſtro caſu, qui confeſſus eſt ſola venialia, non fecit id quod præcipitur à Chriſto, & Eccleſia, ſed fecit aliud quod non præcipitur.

SECTIO V.

Qualis ignorantia vel obliuio excuſet ab integritate materiali Confeſſionis?

1 CErtum eſt apud omnes Theologos, aliquam Confeſſionem poſſe eſſe validam, tametſi omittatur aliquod graue peccatum ob ignorantiam aliquam vel obliuionem. Id manifeſtè conſtat ex omnium Theologorum conſenſu, id docentium ex Concilio Florentino, & Tridentino. Ideò enim Florentinum addidit illam particulam, *Quorum memoriam habet.* Et Tridentinum, *Quorum poſt diligentem excuſſionem conſcientiam habent.* & infrà *dum omnia quæ memoriæ occurrunt.* & infrà *in eodem cap.* 5. *ſeſſionis decimæ quartæ*, damnat dicentes in Confeſsione præcipi aliquid impoſsibile.

Difficultas ergo ſolùm eſt, quanta, & qualis eſſe debeat ea obliuio, vel ignorantia vt excuſet à confeſſione materialiter integra.

Ad quod explicandum, prænoto, duplicem eſſe poſſe hanc obliuionem, ſeu ignorantiam, vnam inuincibilem ac inculpabilem; alteram, vincibilem, ſeu culpabilem.

Dico ergo *primò*, obliuionem ſeu ignorantiam inuincibilem eſſe ſufficientem ad valorem Confeſſionis, tametſi materialiter aliquod graue peccatum illi deſit. Ita omnes; & ratio eſt manifeſta, quia vt conſtat ex omnium doctrina, ignorantia antecedens, qualis eſt omnis inuincibilis, cauſat inuoluntarium: ergo omiſſio illa non eſt voluntaria, ſed eſt naturalis, ac inculpabilis; atque adeò ſufficiens ad excuſandum peccatum contra præceptum de integritate Confeſſionis. 2

Dico *ſecundò*, ignorantiam culpabilem, quæ ad peccandum mortaliter non ſufficit, ſed eſt tantùm culpabilis venialiter, nec valorem nec fructum Sacramenti impedire. Hoc etiam videtur certum. Probatur prima pars, quia quando negligentia commiſſa in examinanda conſcientia ſeu obligatione aliquid confitendi, fuit adeò leuis, vt ad ſummum ſufficiat ad veniale peccatum, ea non obſtante, ſubſtãtialiter impletur præceptum de integritate Confeſſionis: ergo tametſi aliquo modo, & ſecundùm quid violetur illud præceptum, id non obſtat, quominùs Sacramentum ſubſtantialiter validum ſit; atque adeò ea non obſtante, poteſt eſſe Confeſsio formaliter integra, & valida, quia in eo præcipuè conſiſtit hæc formalis integritas. Secunda pars de valore, etiam liquet, quia illa culpa cùm ſit venialis, non eſt ſufficiens ad impediendum effectum Sacramenti, cùm non repugnet gratiæ, nec remiſsioni peccatorum mortalium: ergo multò minùs impediet valorem Sacramenti. Firmatur vtraque pars Dicti, nam talis omiſsio eſt imperfectiſsimo modo voluntaria, & vix poteſt humano, & morali modo vitari; vnde illa non obſtante, verum eſt dicere, hominem adhibere humanam, & moralem diligentiam, & confiteri omnia peccata, quæ poſt diligentem excuſsionem memoriæ occurrunt: ergo confert materiam, quæ Concilia Florentinum, & Tridentinum requirunt; ergo quantum eſt ex hoc capite, facit Confeſsionem validam, & non informem, ſed verè formatam. 3

Dico *tertiò*, quando ignorantia eſt culpabilis mortaliter, ſiue ſit affectata, ſiue Craſſa, & ſupina, quod fit, quando pœnitens peccat mortaliter, eo quòd ob defectum examinis, eſt ſibi cauſa, cur obliuiſcatur ſui peccatis mortalis, tunc eſſe inualidum Sacramentum, ac nullum. Ita communiter Doctores. Et patet, quia omiſſio ex ignorantia culpabili, quæ ad mortaliter peccandum ſufficiat, eſt eiuſdem rationis cum omiſsione directè voluntaria: ergo ſicut hęc eſt contra ſubſtantiam Sacramenti, ita & illa propter moralem æquiualentiam. Firmatur, quia nulla Confeſsio eſt ſufficiens materia huius Sacramenti, quæ non procedit ex ſufficienti dolore Attritionis: at in eo caſu nequit intelligi ſufficiens dolor ad Sacramentum, cùm homo in ipſa Confeſsione actu mortaliter peccet: ergo inualidum, & nullum redditur Sacramentum. 4

Hinc colligo, eum, qui veriſimiliter habet plura peccata confitenda, teneri ante Confeſsionem ſe diligenter examinare; nam aliter exponit ſe periculo ne aliqua ex illis omittat. Hoc verò examen non debet in omnibus eſſe æquale, ſeu ęquè exactum, ſed pro diuerſa condi- 5

tione

Digitized by Google

tione perſonarum diuerſum. Qui enim multis valdè negotiis, in quibus facile eſt peccare, fuerunt impliciti; item qui ſciunt ſe varia peccata feciſſe, exactiùs debent ſe examinare, quàm alij, in quibus hæc non reperiuntur. Item homines rudes non ſunt cogendi ad tam exactum examen, quàm alij ingenioſiores, quia illi non ſunt illius capaces, & quantamcumque adhiberent operam, non poſſent id exactè perficere. Videantur dicta à nobis ſup. *diſp.* 11. *ſect.* 1.

6 Eſt verò notandum, ſæpe contingere, aliquem peccare committendo id, quod craſſe ignorat eſſe peccatum, qui poſteà ſine culpa, ſe circa illud non examinat ante Confeſſionem. Quia dum peccat, res ipſa cùm habeat ſpeciem mali, eum excitat, & admonet, vt conſideret an licita ſit; quod dum omittit, peccat. Dum verò ſe parat ad Confeſſionem, nihil eſt, quòd excitet memoriam ad recordationem talis facti, aut vt cogitet ſe in eo peccaſſe. Cùm enim hoc dum fieret, non ita vigeret eius conſcientiam, nullam peccati commiſſi ſpeciem in memoria reliquit. Sæpe tamen illis poſteà accidit, vt audiendo in concione, vel alibi, tale quid eſſe peccatum graue, incipiant habere ſcrupulum circa præterita facta; & tunc tenentur ea confiteri. Ita prudenter notant docti Recentiores.

SECTIO VI.

Quænam integritas ſufficiat ad valorem Confeſſionis?

AD vberiorem declarationem eorũ quæ dicta ſunt in hac diſputatione, proponitur præſens difficultas, quæ facilè diſſolui poteſt iuxta doctrinam à nobis in ſuperioribus adductam.

1 Dico *primò*, iam conſtare ex *ſuprà* dictis, materialem integritatem, tametſi per ſe loquendo, obliget iure diuino, non eſſe ita neceſſariam, vt per accidens in multis euentibus non ſit vera, valida, ac formata Confeſſio, quamuis aliqua mortalia reticeantur. Sic enim, ſi facto examine diligenti, pœnitens non recordetur aliquorum mortalium, vera erit, & legitima Confeſſio. Idem erit, ſi abſque præuio examine fiat, vel quia mors imminens non relinquit locum examini, vel quia pœnitens inuincibiliter credit, ſe maiori examine non indigere. Denique in caſibus ſuprà enumeratis *ſectione prima, & ſecunda*, iam vidimus, licitum eſſe, mortalia tacere ſubſiſtente aliqua iuſta, & legitima cauſa. Quibus addi poteſt, quod probabile iudicant multi, interdum poſſe Superiorem, auditis ſolis peccatis reſeruatis, abſolutionem Sacramentalem impendere pœnitenti, ac remittere illum ad inferiorem Sacerdotem, à quo cætera audiantur. De quo videbimus, quid dicendum ſit, cùm *infrà* agemus de miniſtro Confeſſionis.

2 Dico *ſecundò*, integritatem formalem ita eſſe iure diuino obligatoriam, vt in nullo euentu poſſit eſſe legitima, & valida Confeſſio, quæ eiuſmodi careat integritate. Id certum eſt apud omnes, & negari non poteſt. Nam de ea potiſſimùm intelligenda ſunt Concilia, & Patres, cùm dicunt in Confeſſione declaranda eſſe omnia peccata mortalia, quæ pœnitens ſcit ſe feciſſe, quia Sacramentum hoc eſt quoddam Iudicium, in quo Sacerdos eſt Iudex, atque ideò vt omninò iuſtam ſententiam ferat, oportet vt habeat plenam notitiam cauſæ, ac proinde peccatorum omnium mortalium, alioquin nec pœnitentiam competentem iniungere poterit, nec perfectè de ſtatu pœnitentis iudicare. Quæ eſt ratio deſumpta ex Tridentino *ſeſſ.* 14. *cap.* 5. Firmatur hoc idem, nam certiſſimum eſt, integritatem aliquam eſſe de eſſentia huius Sacramenti, vt conſtat ex Tridentino *loco citato*: ſed hoc dici non poteſt de integritate materiali, vt manifeſtum eſt ex *Dicto primo*: ergo integritas formalis eſt de eſſentia Sacramenti: non enim præter has duas aliam agnoſcunt Theologi, nec reperiri poteſt; nam Tridentinum ſatis deſcripſit integritatem debitam huic Sacramento: Vnde quando illa obſeruatur, eſt ſufficiens integritas, & eſt integritas formalis, quamuis materialis non ſit; quòd ſi illa non adhibeatur, iam deeſt integritas neceſſaria ad validitatem Sacramenti iuxta doctrinam Tridentini. Igitur neceſſariò dicendum eſt integritatem formalem eſſe de eſſentia, ſeu ſubſtantia Sacramenti, & non aliam.

3 Hinc dico *tertiò*, eam tantùm eſſe integritatem formalem, in qua homo nihil omittit, peccando mortaliter, ſiue ex ſcientia, ſiue ex ignorantia, & negligentia culpabili. Hoc mihi videtur certum. Nam integritas materialis licèt non ſit de ſubſtantia Confeſſionis, vt vidimus; tamen obligatio integrè confitendi pertinet ad illius ſubſtantiam, quia intrinſecè oritur ex ipſa inſtitutione Sacramenti: ergo nulla eſt Confeſſio integra formaliter, niſi per illam ſaltem ſatisfiat huic obligationi; ſed qui omittit aliquid ex ignorantia culpabili, peccando mortaliter, non implet hanc obligationem: ergo talis Confeſſio nequit eſſe formaliter integra, nec cenſeri ſufficiens ad valorem Sacramenti; atque adeò ea tantùm eſt integritas formalis, in qua homo nihil omittit peccando mortaliter. Et hoc manifeſtè ſumitur ex Tridentino *dicto cap.* 5. *ſeſſionis decima quarta*, vbi declarans ſubſtantialem integritatem Confeſſionis, ter repetit, neceſſariam eſſe diligentem examinationem conſcientiæ adhibere, & tunc peccata oblita virtute contineri in illis peccatis quæ dicuntur.

4 Ex his colligo, omnem Confeſſionem ex parte integritatis ſufficientem ad valorem Sacramenti, ſufficere quoque ad effectum eius, nempe ad collationem gratiæ, ſi aliunde ſufficiens dolor non deſit, ac proinde nullam dari Confeſſionem inualidam, & informem ob defectũ integritatis. Explico hoc, proponendo, Confeſſionem variis modis dici poſſe informem. *Primò*, illa quæ non informatur vera Sacramẽtali forma; & hoc modo nõ eſt dubium, quin poſſit dari Confeſſio informis: Vt ſi Sacerdos poſt auditam Confeſſionem, nolit abſoluere, vel non cum debita intentione; conſtat enim tunc ex tali Confeſſione non fieri Sacramentum. *Secundò* dici poteſt Confeſſio informis illa, quæ ex quocumque defectu eſſentiali eſt inſufficiens ad conficiendum Sacramentum, ſiue ex defectu integritatis, ſiue ex defectu doloris, vel etiam iuriſdictionis. Et hoc etiam modo certum eſt, Confeſſionem poſſe eſſe informem, ſed de his modis nunc non eſt ſermo. *Tertiò*, poteſt Confeſſio dici informis, quia dum fit, ſeu ante Abſolutionem nõ informatur gratia, ſeu vera Contritione perfecta, ſed ſola Attritione ſupernaturali. Et hoc modò etiã eſt per ſe notũ, dari poſſe Confeſſionẽ informẽ. De quo etiã modò nõ agimus; quia conſtat, Confeſſionẽ hanc eſſe ſufficientẽ ad conficiendũ Sacramentũ, & in fine eius formari per effectum illius, nẽpe per collationem gratię. *Quartò* Cõfeſſio informis vocatur ea, ex qua verum efficitur Sacramentum, adueniente Sacramentali forma, & tamen etiam poſt illud validum, ac receptum, informis manet, quia non eſt ſufficiens ad effectum Sacramenti, nempe ad gratiam conſequendam, ex defectu doloris. Et de hoc iam oſtendimus ſuprà *diſputatione quarta, ſect.* 10. dari poſſe Sacramentum Pœnitentiæ validum ſimul & informe ex defectu doloris. *Quintò*, & vltimò, & ad rem præſentem, Confeſſio informis dici poſſet, ſi dari poſſet Confeſſio informis ex defectu integritatis materiæ, quæ videlicet valida eſſet, ſed informis maneret, quia nõ eſſet ſufficiens ad effectum gratiæ. Et

Digitized by Google

hanc Confeſſionem informem omninò negamus, quia exiſtimamus, nullam poſſe dari Confeſſionem validam, ſi habeat defectum integritatis formalis, & Confeſſionem omnem integram formaliter, ſicut ſemper eſt ſufficiens ad validitatem Sacramenti, ex parte integritatis; ita quoque eſſe ſufficientem ex parte integritatis ad effectum illius, dummodò ſufficiens dolor Attritionis non deſit.

5 Obiicies, ſi quis ex ignorantia inculpabili, ſaltem ſine peccato mortali, exiſtimaret ſe feciſſe ſufficientem diligentiam ad integritatem Confeſſionis, cùm tamen reuera illam non feciſſet, & ideò omitteret aliquod peccatum graue, talis Confeſſio eſſet valida, ſed non integra formaliter, quia non contineret materiam, quam Concilium exigit de adhibenda diligenti conſcientiæ examinatione. Vnde eſſet informis ob defectum integritatis. *Reſpondeo*, negando, illam Confeſſionem fore nullam; quia cùm ibi interecederet ignorantia inuincibilis, iam illa obliuio eſſet naturalis, & inculpabilis. Et quamuis ille non adhibuerit totam diligentiam, quam in re ipſa adhibere poſſet, ac deberet, tamen adhibuit totam diligentiam, quam homo ſic diſpoſitus cum illa videlicet ignorantia, adhibere poteſt, & debet ſecundùm rectam rationem; & ideò illa Confeſſio formaliter integra eſt, quia in ea adhibetur moralis diligentia poſſibilis, & ſufficiens ad excuſandum peccatum graue contra præceptum de integritate. Ita reſpondet, & optimè Suarez *diſputatione* 23. *ſect*. 4. *ad finem*. Ex quo manifeſtè infertur, talem Confeſſionem non ſolùm eſſe validam, ſed etiam formatam cum collatione gratiæ, ſi procedat ex ſufficienti Attritione, ſeu dolore, quia cùm omninò à peccato mortali excuſetur, ratione ignorantiæ inuincibilis, ſi ſit cum vera, & ſufficienti Attritione, eſt Confeſſio formaliter integra, & facit Sacramentum Pœnitentiæ validum, & formatum: Quando enim ipſa tantùm eſt culpabilis venialiter, nec valor, nec fructus Sacramenti impeditur, vt oſtendi ſuprà *ſect*. 5. *num*. 3.

DISPVTATIO XXXVIII.

De integritate, ac ſufficienti Confeſſione in caſu neceſſitatis moribundi.

VARIOS caſus in præcedenti Diſputatione propoſuimus de integritate Confeſſionis formalis; nunc autem in hac diſputatione de eadem integritate Confeſſionis agemus, quæ per accidens ſufficit quoque, propter neceſſitatem infirmi moribundi, qui propter vim morbi non poteſt omnia, vel vllum etiam peccatum explicare. Diſcurremus autem per multiplicia, & varia dubia, vt præſens Diſputatio, quæ celebris eſt apud Doctores, maneat plenè, & abundè exagitata, & dilucidata.

SECTIO PRIMA.

An poſſit abſolui infirmus, qui vnum ſolum peccatum in particulari confitetur?

1 CONſtans eſt omnium Theologorum ſententia, Confeſſarium, quando periculum imminet, ne infirmus morte corripiatur, & decedat ſine abſolutione, poſſe, & debere talem infirmum abſoluere, audito vno tantùm peccato mortali in particulari, antequam perficiat integram Confeſſionem. Prima pars, quòd poſſit, videtur certa; quia illa Confeſſio, quæ tunc pro temporis opportunitate fieri poteſt, formaliter eſt integra. Patet, quia præceptum morale integritatis Confeſſionis non obligat ad impoſſibile, vel ſimpliciter, vel moraliter; at in eo caſu interuenit impoſſibilitas, vel abſoluta, vel moralis aliter confitendi, vt ſupponitur: ergo præceptũ non ampliùs obligat, & ideò talis Cõfeſſio eſt formaliter integra. Firmatur: nã integritas formalis Cõfeſſionis ſolùm exigit, vt dicantur ea peccata, quæ dici poſſunt: ergo ſicut non eſt contra integritatis præceptum, quod omittantur aliqua propter obliuionem, vel propter aliud damnum, quod ex Confeſſione eorum timetur, ſic nec erit, quòd omittantur propter impotentiam dictam moralem. Secunda pars, quòd teneatur abſoluere, liquet quoque, quia quoties poteſt Sacerdos abſque graui incommodo, ſubuenire proximo grauiter periclitanti circa æternam ſalutem, ad id tenetur ſaltem ex Charitate: ergo cùm poſſit prodeſſe huic moribundo, qui confeſſus eſt materiam certam, & ſufficientem, talis abſolutio, & abſque vllo incommodo ſuo poſſit eam impendere, ad id tenebitur proculdubio: ne fortè habens Attritionem ſolam damnetur, qui cum beneficio abſolutionis ſaluus fieret.

Dico *ſecundò*, imminente dicto periculo, conferri 2
poſſe abſolutionem, quando infirmus explicat aliquod peccatum in particulari, etiamſi nec numerum explicet, vt ſi dicat, ſe fornicatum fuiſſe, vel furatum. Ratio eſt manifeſta, quia ſicut non requiritur integritas, quando non adeſt facultas, ſic etiam nec numerus ſpecierum, & indiuiduorum; quando ſimiliter id fieri non poteſt, vt benè notauit Vaſquez *q*. 91. *a*. 2. *dub*. 1. *num*. 1. Si autem tempus ſupereſt poſt abſolutionem acceptam, vt notant communiter Doctores, tenetur pœnitens proſequi Confeſſionem, & confiteri alia peccata, donec integrè fiat Confeſſio. Nam hoc ſemper eſt per ſe neceſſarium, & ideò implendum, quantum fieri poteſt: & finita Confeſſione, iterùm danda eſt abſolutio, quia nouum Sacramentum perficitur à priori diſtinctum.

Quod dictum eſt de periculo mortis, idem dicunt Henriquez *lib*. 5. *c*. 22. *num*. 3. Bonacina *diſp*. 5. *de Pœnitentia ſacramento*, *q*. 5. *ſect*. 2. *p*. 2. §. 4. *difficultate* 4. *num*. 19. & Cardinalis de Lugo *diſp*. 17. *ſect*. 1. *num*. 1. procedere, quando infirmus nimis fatigatur in explicatione peccatorum.

Dico *tertiò*, ſi moribundus habeat materiam neceſ- 3
ſariam, quam nunquam eſt confeſſus, teneri illam potiùs confiteri, quàm non neceſſariam. Hoc à nemine negari videtur: quia nullum eſt præceptum confitendi non neceſſaria, nempe venialia; eſt verò, confitendi peccata mortalia neceſſaria: ergo debet præceptum implere in neceſſariis quantum potuerit; præſertim cùm tam breui tempore poſſit dici vnum peccatum mortale particulare, quàm veniale: ergo ſi pœnitens habeat materiam neceſſariam, illam particularem potiùs debet confiteri, quàm non neceſſariam.

Dico *quartò*, ſi pœnitens habeat multa peccata mor- 4
talia, imminente periculo mortis, non eſſe ſub præcepto, vt illud confiteatur quod ſibi grauius videtur. Ita rectè notauit Suarez *diſp*. 23. *ſect*. 1. *num*. 2. Ratio eſt, quia cùm omnia peccata mortalia ſint neceſſaria materia Confeſſionis, quodlibet eorum ſufficiet primò dicere pro eo tempore, & periculo imminente. Adde, quod in praxi eſt, perturbationem, quæ in tali articulo eſſe ſolet, non relinquere hominem ſæpe ſatis liberum ad cogitandum de huiuſmodi comparatione.

Ex

Digitized by Google

4 Ex dictis colligo ſimiliter in aliis caſibus, quando eſt periculum, ne confitens ſubitò moriatur, antequam detur abſolutio, audito vno peccato particulari, vel paucis peccatis pro opportunitate temporis, poſſe eum abſolui & ſi poſtea ſuperuiuat, poſſe quantum fieri poteſt, reliqua audiri, & ipſum deinde ſecundò abſolui. Quò etiã ſpectat caſus, quo multis ſubitò imminet periculum vitæ, vt contingit in naufragio, aut ſubita hoſtium irruptione, aut iam iam inſtante periculoſa valdè pugna; tunc enim ſinguli poſſunt breuiter dicere vnum particulare peccatum, vel pauca peccata, & ſic abſolui: imò quando imminens periculum aliud non permitteret, poſſent omnes ſimul oſtendere dolorem, & aliqua peccata confiteri, & ſic ſimul abſolui. Notant verò benè Doctores, in his omnibus caſibus, quantum fieri poteſt, ſemper conandum eſſe, vt pœnitens materiam certam, & determinatam confiteatur, vt Sacramentum ſit magis certum, ac ſecurum.

SECTIO II.

An poſsit abſolui moribundus, qui nullum peccatum in particulari confitetur, ſed ſolùm in genere dicit, ſe peccata commiſiſſe, & poſtea ſenſibus eſt deſtitutus.

1 NEgant communiter Thomiſtæ, Soto, Canus, Conradus, Medina, Nauarrus, & alij quos refert Diana *tom. 1. tract. de abſolutione moribundi, reſolutione prima.*

Primò, quia per talem Confeſſionem, non datur notitia Confeſſori, de ſtatu pœnitentis, quam anteà non haberet, cùm ſolùm manifeſtet eſſe peccatorem in genere, quod certè iam ſciebat Confeſſarius, cùm omnes ſimus peccatores: & ideò colligit Tridentinum *ſeſ. 14. c. 5.* Confeſſionem in genere dumtaxat non ſufficere, ſed debere eſſe in ſpecie, ac ſigillatim.

Secundò, per illam Confeſſionem, nihil proponitur abſoluendum, cùm actiones debeant eſſe circa particularia.

Tertiò, Sacramentum Pœnitentiæ eſt iudicium, & Confeſſarius eſt Iudex: at Iudex non poteſt prudenter iudicare, niſi cognitâ causâ in particulari.

Vltimò, non ſufficit voluntas confitendi abſque actuali Confeſſione, vt quis à peccatis abſoluatur, ſicut non ſufficit voluntas habendi verum dolorem, ſed requiritur vera ac realis Confeſsio, & actualis dolor: at in præſenti caſu ſolùm datur voluntas confitendi, vt liquet.

2 Contraria ſententia, ſcilicet abſoluendum eſſe illum, qui ſolùm in genere confitetur peccata, ſi non poſſit aliquid in particulari confiteri, vera eſt, & in praxi non ſolùm tuta, ſed etiam omninò ſequenda. Eam defendit Suarez *diſputat. 23. ſect. 1. num. 5.* Coninck *diſputat. 7. dub. 10. num. 97.* Vaſquez *quæſt. 91. a. 2. dub. 1. numer. 5.* & alij quamplurimi Recentiores, quos refert & ſequitur Diana *dicta reſolutione prima.* Iuxta quam;

3 Dico *primò*, ſi moribundus dicat in genere ſe mortaliter peccaſſe, nec poteſt aliud dicere, negari non poteſt abſolui poſſe. Hoc videtur certum, quia Confeſſio peccati mortalis in genere, eſt materia neceſſaria huius Sacramenti; ergo eſt materia ſufficiens. Conſequentia euidens eſt, quia nihil debemus in Confeſſione explicare niſi in ordine ad abſolutionem: ergo ſi moribundus debet in eo caſu confiteri peccatum illud mortale in genere, illud manifeſtè erit capax abſolutionis. Antecedẽs patet in eo, qui recordatur ſe peccaſſe mortaliter, & oblitus eſt omninò ſpeciei illius peccati; debet enim illud in genere confiteri, prout eſt in conſcientia ſua, vt eſt conſtans doctrina omnium Theologorum. Firmatur; nam poteſt ſtare valor Sacramenti, & integritas Confeſsionis formalis, non explicatis omnibus peccatis quoad ſpecies, numerum, & circumſtantias, maximè quando ob impotentiam moralem non explicantur: ergo & poteſt validum eſſe Sacramentum, etiamſi propter impotentiam, nulla explicetur ſpecies peccati in particulari. Ratio à priori eſt, quia iſte moribundus dat certam, & veram materiam abſolutionis, cum vera ſui ipſius accuſatione, ac doloris oſtenſione, quantam hic & nunc dare poteſt, & ex qua Sacerdos in hoc foro, cognoſcit pœnitentem mortaliter peccaſſe, & eum de hoc dolere, & conſequenter cognoſcit ſtatum pœnitentis, eúmque eſſe ſufficienter diſpoſitum ad abſolutionem, quantum hîc & nunc cognoſci poteſt. At hæc ſunt, quæ abſolutè ſufficiunt, vt Sacramentaliter abſolui poſſit: ergo poteſt abſolui. Id etiam magis conſtabit ex dicendis *infrà*, vbi oſtendemus ex decretis Conciliorum & Pontificum, & ex Rituali Romano Pauli V. dicentibus, abſoluendum eſſe moribundum, qui petiit Confeſſionem: ergo potiori iure eſt abſoluendus, qui dixit peccatum mortale in communi. Quibus argumentis etiam probatur poſſe abſolui, ſi in genere dixit ſolùm, ſe multa peccata commiſiſſe.

Dico *ſecundò*, moribundum abſolui etiam poſſe, ſi peccatum mortale dixit in genere ſubalterno, licèt non ſpecie infima, vt ſi confeſſus eſt fornicationem, nec potuit aliud dicere. Hoc etiam conſequenter eſt aſſerendũ, quia ea Confeſſio eſt de materia certa, ac neceſſaria; éſtque accuſatio formaliter integra, cùm non detur illi potentia ampliùs explicandi an ſit fornicatio ſimplex, vel an ſit ſimul adulterium, vel ſacrilegium: At vera Confeſſio, & accuſatio formaliter integra ſufficiens eſt ad abſolutionem, vt eſt in confeſſo apud omnes. 4

Dico *tertiò*, ſi moribundus dixit in genere, ſe peccaſſe, exprimendo dubium quod habet, an peccauerit mortaliter, an venialiter, & nihil aliud dicere potuit, certum quoque videtur, abſolui poſſe. Patet, quia ea Confeſſio etiam eſt de materia certa, & neceſſaria ad Confeſsionem: ergo & ſufficiens ad abſolutionem. Firmatur doctrina communi ab omnibus recepta, ſi quis recordetur ſe peccaſſe, & oblitus ſit ſpeciei, & grauitatis, itàvt neſciat mortaliterne, an venialiter, debet hoc ipſum dubium confiteri, vt latè oſtenſum eſt ſuprà *diſputatione 6. ſectione 3.* ergo ſi contingat, quòd moribundus non habeat aliam materiam neceſſariò confitendam, niſi peccatum in genere, cuius ſpeciei non recordatur, & eſt illi dubium, an ſit mortale, an veniale, tenetur illam confiteri: ergo illa materia eſt capax abſolutionis Sacramentalis; ad quid enim tenetur illam confiteri, niſi vt remiſsionem à Confeſsario conſequi poſsit. Igitur poterit quoque moribundus abſolui, qui non poteſt aliud fateri quàm peccatum in genere cum prædicto dubio. 5

Dico *quartò*, in prædictis caſibus moribundi non poſſe ſolùm ſed etiam teneri Confeſsarium, qui aliquam ex his confeſsionibus accepit, ſi fuerit paſtor, in eo periculo, eum abſoluere ex Iuſtitia, & illum ac quemlibet alium ex præcepto Charitatis. Ratio eſt aperta, quia moribundus in eo periculo dat materiam certam, & neceſſariam cum debito dolore, ipſi Confeſſori, ad hoc vt abſoluatur, vt conſtat: ergo tenetur illum abſoluere ex Iuſtitia cùm ſit eius paſtor, quia pœnitens 6

maximè in eo periculo, habet ius ad ipſam abſolutionem. Præterea in eo ſtatu periclitatur circa æternam vitam,ne fortè habens ſolam Attritionem, & non abſoluatur, verè damnetur; & ab hoc periculo liberatur, beneficio abſolutionis: ergo ex præcepto Charitatis manifeſtè tenetur quiuis Confeſſarius illam dare, qui audiuit Confeſſionem in eo periculo vitæ, cùm poſſit id officium Charitatis exhibere ſecurè, & abſque vllo incommodo ſuo.

Vtrùm verò,ſi moribundus confiteatur in genere ſe peccaſſe,abſtrahendo à mortali,& veniali,de quo nihil dicere potuit,nec de aliquo dubio,poſſit,& debeat abſolui, *ſequenti ſectione* examinabitur.

7 Ad argumenta oppoſita. Ad primum, dico,tametſi Confeſſarius eam habuerit notitiam, denuò tamen à moribundo eam accipere,& hoc ſufficere, vt liquet in eo,qui antequam Confeſſionem audiat, nouit omnia peccata,quæ in Confeſſione poſteà aperiuntur. Et ratio eſt, quia de ratione Confeſſionis ſolum eſt, quòd ſit accuſatio; non autem eſt de ratione accuſantis, quòd det notitiam nouam Iudici, ſed ſolùm quòd deferat notitiam delicti, ſiue eam iam habeat Iudex,ſiue non. Sic Dæmon dicitur accuſare homines apud Deum, quia tametſi non det Deo notitiam, quam iam non haberet, implorat tamen officium Dei in puniendis hominibus. Neque ea Confeſſio opponitur Tridentino,quia ex impotentia aliter fieri nequit.

Ad ſecundum,negatur Antecedens,nam proponitur abſoluenda offenſio diuina grauis, licèt non omnis, ex defectu potentiæ,vnde materia proxima, & Confeſſio illa particularis eſt,& effectus abſolutionis verſatur circa perſonam particularem.

Ad tertium,conſtat, tametſi iudicium Confeſſionis per ſe loquendo, & vt exacto modo fiat, verè exigat notitiam omnium peccatorum in ſpecie, & numero; cæterùm ſi ea notitia haberi non poteſt, ſufficere notitiam vnius peccati mortalis; & tunc Sacerdos iudicat de illo ſolo peccato quod audit,non de aliis, & ab illo ſolo directè abſoluit.

5 Ad vltimum,Dico in prædictis caſibus non dari voluntatem confitendi ſolùm,ſed vt dictum eſt,datur materia certa & neceſſaria, fundata in voluntate, quam pœnitens manifeſtauit Confeſſario, Confeſſionem, & abſolutionem poſtulando.

SECTIO III.

An ſi moribundus in articulo mortis ſolùm confiteatur in genere veniale, dicens ſe peccaſſe, nullo veniali determinato explicato,poſſit, ac debeat abſolui?

1 NOn procedit quæſtio de eo,qui faciens Confeſſionem voluntariam extra articulum, vel periculum mortis,ſolùm confitetur veniale in genere, nullo veniali particulari explicato: quia de hoc puncto latè egi ſuprà *diſput.* 21. *ſect.* 10. ſed tantùm procedit de moribundo,quando in articulo, vel periculo mortis ſolùm confitetur peccatum veniale in genere, dicens ſe peccaſſe, nullum veniale in particulari declarans ex impotentia in illo ſtatu.

2 Ad hanc difficultatem reſpondet noſter Cardinalis de Lugo *diſput.* 17. *ſect.* 1. *num.* 20. in eo caſu, quando infirmus vnum peccatum in genere dicit, non ſolùm poſſe, ſed debere ex obligatione abſolui, quia cùm poſſit Sacerdos licitè id facere, idque prodeſſe poſſit ægroto ad æternam ſalutem, tenetur ex Charitate erga proximum ſubuenire illi, eo modo quo poteſt, ne fortè habens Attritionem ſolam, damnetur,qui cum Sacramento ſaluus fieret.

Hæc ſententia mihi etiam placet, maximè cùm dixerim ſuprà *loco citato diſput.* 21. *ſect.* 10. *num.* 5. poſſe adhiberi tanquam materiam ſolum veniale peccatum in genere, quando eſt impotentia dicendi aliquod veniale in particulari. Quod etiam admittit Suarez *diſp.* 23. *ſect.* 1. *num.* 10. & multi alij Recentiores. Et ſatis firmatur doctrinâ Theologorum, & ipſius Suarij *tom.* 3. *de Sacramentis, diſp.* 10. *ſect.* 2. §. 2. in aliis Sacramentis poſſe interdum adhiberi materiam probabilem, tametſi incertam, quando certa adhiberi non poteſt. Vnde docet Suarez in Sacramento Confirmationis, in quo Chriſma confectum ex balſamo, & oleo, & conſecratum ab Epiſcopo eſt materia certa; oleum verò ſimplex ab Epiſcopo benedictum eſt materia tantùm probabilis, poſſe Epiſcopum vti ſimplici oleo benedicto, vbi non haberetur balſami copia, quia fit certiori modo, quo tunc poteſt moraliter fieri. Igitur ſimiliter dicendum eſt in noſtro caſu: quia tunc adiuncta neceſſitate, ſeu impotentia moribundi aperiendi, ſeu explicandi aliquod ſingulare veniale peccatum, illud dictum in genere erit materia ſufficiens, & idonea. 3

Ex quo infero, quouis modo intelligantur verba illa moribundi, nempe *ſe peccaſſe*, quando eſt impotentia dicendi aliud in articulo, vel periculo mortis, præbere materiam capacem abſolutionis. Nam ſi intelligat, per illa verba, *ſe peccaſſe*, rationem offenſæ diuinæ grauis, communem ad omnia peccata mortalia, quæ commiſit, & habet in conſcientia, ea verò ex impotentia non declarat, nec declarare poteſt, certum eſt, diuinam offenſam grauem, cùm ſit materia neceſſaria, eſſe materiam capacem abſolutionis, vt probatum eſt *ſectione præcedenti, numero tertio*. Si verò intelligat per illa verba, *ſe peccaſſe*, rationem venialis peccati communem ad omnia & ſola venialia peccata, quæ commiſit, quia nulla mortalia habet in conſcientia, etiam illa ratio communis, licèt non ſit neceſſaria, eſt tamen materia ſufficiens, & idonea Confeſſionis: ergo & capax abſolutionis; ergo poteſt, & debet pœnitens in eo articulo abſolui à Confeſſario. 4

Obiicies, per Confeſſionem moribundi prædictam, nihil proponitur Confeſſario Iudici directè remittendum: ergo nihil poteſt per abſolutionem directè remitti, & conſequenter Sacramentum illud inualidum eſt,ac nullum. Antecedens probatur, quia nec à moribundo proponuntur peccata particularia, nec vnum particulare proponitur, quod ſit directè remittendum; nec ratio illa communis, quam proponit, poteſt directè abſolui, quia nequit ſufficienter declarari, quid ſit, remitti directè peccatum ſolum ſecundùm rationem communem. *Reſpondeo*, negando illud Antecedens; nam vt rectè notarunt Suarez *de pœnitentia, diſputation.* 23 *ſectione* 1. *numero* 10. & Coninck *diſputatione* 7. *dubio* 10. *numer.* 98. in eo caſu directè remittitur offenſio diuina grauis ſecundùm rationem genericam, vt ſic, & ad eſſentiam Sacramenti ſufficit, vt abſolutio cadat directè ſuper peccatum in genere; atque ita pœnitens directè abſoluitur ab omnibus ſuis peccatis in genere, prout conueniunt in offenſa Dei; à nullo tamen peccato mortali ſecundùm ſuam ſpeciem directè abſoluitur, nec hoc ad eſſentiam Sacramenti requiritur: Quare ſi poſteà pœnitens poſſit, tenetur ſingula mortalia explicitè confiteri. Non ergo per illam Confeſſionem, 5

Digitized by Google

Confeſsionem explicantur ſingula peccata mortalia ſecundum ſuas eſſentias ſpecificas, & ideò non mirum, quòd abſolutio non terminetur directè ad illa in ſpecie, & per conſequens maneat obligatio confitendi poſtea differentias ſpecificas, quæ prius explicatæ non fuerant; ſed ſola ratio communis, ad hoc vt poſteà ſi pœnitens poſsit eas explicare, directè etiam abſoluatur quoad differentias ſpecificas. Nec verò refert, quòd materia remota, quæ eſt veluti obiectum illius Confeſsionis, ſit vniuerſalis, quia abſolutio immediatè verſatur circa materiam proximam, quæ eſt particularis Confeſsio, & effectus eius etiam verſatur circa hanc particularem perſonam, & ita tota hæc actio circa particularia verſatur. Quare per illam abſolutionem directè remittitur peccatum ſecundùm rationem communem & remittuntur indirectè omnia & ſingula mortalia ſecundùm proprias rationes ſpecificas, quæ ſubiici non potuerunt Clauibus. Quod idem dicendum eſt in caſu obliuionis ſpeciei alicuius mortalis: nam per abſolutionem remittuntur directè peccata confeſſa, & explicata; quæ verò omiſſa ſunt ex obliuione, ſolùm indirectè, & ea poſteà ſubiici debent Clauibus, quando pœnitens illorum recordatur.

SECTIO IV.

An qui nullum peccatum dixit, neque in genere, neque in ſpecie, ſed exhibuit ſigna doloris præſente Confeſſore, poſsit ab eo abſolui.

1 Videtur pars affirmans probabilior, ac verior, ſi doloris ſigna adhibuit in ordine ad Confeſſionem, vt ſi Confeſſario ipſi dicat, ſe dolere de peccatis, ſe velle confiteri, ea ſufficere ad abſolutionem dandam. Patet quia illa eſt Confeſſio peccati ſaltem in genere, nam qui Confeſſionem petit, & dicit ſe dolere de peccatis, & id Confeſſario manifeſtat, iam illi declarat ſe peccaſſe, & velle remedium Abſolutionis; atque adeò iam ponitur Confeſſio eo modo quo poteſt, & eſt ſufficiens, ac idonea ad Abſolutionem. Igitur poteſt, & tenetur Confeſſarius illum abſoluere.

Difficultas ſolùm eſſe poteſt, in eo caſu, in quo ſigna doloris exhibentur ſine vlla mentione Confeſsionis.

2 Nam Suarez *diſputation. 23. ſectione 1. numero 13.* ait, non ſatis eſſe, adhibere ſigna Contritionis, ſed neceſſarium eſſe illa adhibere in ordine ad Claues: quia Contritio, vel manifeſtatio Contritionis per ſe non eſt ſufficiens materia Sacramenti Pœnitentiæ, ſed quatenus informat Confeſſionem aliquam, cum qua perficit accuſationem Sacramentalem; & hoc eſt exhibere ſigna in ordine ad Claues. Vnde infert, quantumuis infirmus ſe oſtendat deuotum: & contritum, ſi nullam fecit mentionem Confeſſionis, & in eo ſtatu ſenſum amittat, non poſſe Sacramentaliter abſolui, quia illa Contritio non eſt relata ad Claues, neque ibi interuenit aliqua Confeſſio etiam generalis. Subdit verò, ſi exhibeat ea ſigna, petendo Confeſſionem, ſeu vocando Sacerdotem, iam eſt materia ſufficiens.

3 Ex alio verò capite Doctores antiqui ſolùm exigunt ſigna pœnitentiæ, abſque vlla expreſſione in ordine ad Claues. Et probari poteſt, quia in praxi, qui in eo periculo mortis ſigna Contritionis oſtendit, iam eo ipſo videtur oſtendere deſiderium remedij per abſolutionem: nam ſigna pœnitentiæ, quæ præſente mortis periculo ab infirmis eduntur, cenſeri debent ad Sacramentalem Abſolutionem directa, cùm in tali ſtatu optimum ſuæ animæ remedium deſiderare ſoleant: ergo non eſt, cur non abſoluatur, cùm in rigore deſiderium confitendi oſtendat. Et apertè in Romano Rituali Pauli V. vniuerſaliter dicitur, eſſe moribundum abſoluendum, ſi prius confitendi deſiderium oſtendit.

Hoc ſecundum amplectitur Cardinalis Lugo *diſputat. 17. ſecti. n. 2. numer. 28.* Qui optimè duo docet. *Primum*, cum Suario fatetur, debere illa ſigna doloris eſſe in ordine ad Claues, id eſt, manifeſtatiua deſiderij, quo pœnitens deſiderat prouidere animæ ſuæ de remedio ſpectante ad veniam peccatorum obtinendam; atque adeò per abſolutionem Sacramentalem. *Secundum*, in ordine ad praxim, Sacerdotem, qui videt infirmum ſigna doloris edere, percutiendo pectus, vel alio ſimili modo, poſſe prudenter præſumere, illa ſigna eſſe in ordine ad Claues, & ad manifeſtandum deſiderium abſolutionis; atque ita poſſe de facto abſolutionem impendere, tametſi explicitè non petierit Confeſsionem, aut Abſolutionem. 4

Vtrumque mihi valdè placet. Ad cuius maiorem explicationem;

Dico *primò*, certum videri, ſi moribundus in periculo mortis conſtitutus, præbeat ſigna doloris ipſi Confeſſario præſenti, manifeſtè eſſe ſigna in ordine ad Claues. Patet, quia eo ipſo quòd moribundus ſigna doloris ſuorum peccatorum præbeat Confeſſario præſenti, manifeſtat illi ſua peccata eo modo quo poteſt, atque ideò illa ſigna continent Confeſsionem, & ſunt verè ſigna in ordine ad Claues. Præſertim cùm homines fideles in illo periculo ſoleant ſtatim Confeſsionis meminiſſe, & eam deſiderare, ac petere. 5

Dico *ſecundò*, eſſe quoque ſigna in ordine ad Claues, quando exhibentur coram Sacerdote, quem moribundus adeſſe ſcit. Ratio eſt, quia etiam tunc manifeſtè præſumitur, Sacerdoti manifeſtare ſuum deſiderium confitendi: nam qui in eo periculo ſigna Contritionis vel doloris oſtendit, iam eo ipſo videtur oſtendere deſiderium remedij per abſolutionem Sacramentalem. Vnde colligo in hoc caſu, & in alio Dicti primi, poſſe Sacerdotem abſolutè abſoluere prædictum moribundum. Patet, quia talis in vtroque caſu dat veram materiam abſolutionis, cum oſtenſione doloris, quantam hìc & nunc dare poteſt, & ex qua Sacerdos in hoc foro pœnitentiæ cognoſcit pœnitentem peccaſſe, & eum de hoc dolere, & conſequenter cognoſcit ſtatum pœnitentis, eúmque eſſe ſufficienter ad abſolutionem diſpoſitum, quantum hìc & nunc cognoſci poteſt. Quæ ſanè ſufficiunt, vt abſolutè abſolui poſsit Sacramentaliter. Nam Deus à nobis non requirit aliam Confeſsionem, quàm quæ nobis hìc & nunc poſsibilis eſt. Ex quo etiam infero, in prædictis duobus caſibus, Sacerdotem non ſolùm poſſe, ſed etiam teneri talem abſoluere. Quia cùm hoc licitè poſsit facere, vel ex Charitate, vel ex Iuſtitia etiã, maximè ſi ipſius paſtor ſit, ad hoc obligatur. Quod etiam iudico veriſsimum reſpectu eorum, qui contrariam ſententiam tenent: quia cùm hanc noſtram ſententiam poſsint in praxi tutò ſequi, idque ſit ſaluti æternæ moribundi valdè expediens, aut etiam neceſſarium, ſi ſolùm ſit attritus, tenentur ad hoc vel ex Charitate, vel etiam ex Iuſtitia. 6

Dico *tertiò*, quando ſigna doloris exhibentur coram Sacerdote, ſed cum moribundus neſcit adeſſe; adhuc in eo caſu poſſe ſemper præſumi, quòd fiant in ordine ad Claues. Ita Laym. *lib. 5. tr. 6. c. 8. n. 4.* Card. Lug. *loco citato, n. 30. & 31.* Zambranus, Pharaonius, & alij quos refert, & ſequitur Diana *2. tom. tract. de abſolutione moribundi,* 7

moribundi, *reſolutione* 2. Probatur, in prædicto caſu extremæ neceſſitatis non requiritur expreſſa, ſed ſufficit tacita petitio abſolutionis. Vnde tunſio pectoris ex Auguſtino *ſermone* 44. eſt aliqua peccati manifeſtatio: ergo aliqua Confeſſio. Idem eſt de alio ſimili ſigno; hæc autem ſigna fieri ſolent in illo periculo ab homine fideli, ad quærendum remedium, & medicinam pœnitentiæ quam petit, & cuius deſiderium oſtendit eo modo quo poteſt: ergo probabiliter præſumi debent, quòd fiant in ordine ad Claues. Firmatur id ampliùs, quia dubitandum non videtur, quin Pœnitentiæ Sacramentum ſic à Chriſto potuerit inſtitui, vt illa peccatorum tacita Confeſſio, quam facit moribundus, exhibendo ſigna doloris præſente Sacerdote, ſufficeret ad percipiendam eorum abſolutionem: vnde autem conſtare poteſt, non fuiſſe ita reipſa inſtitutum? Vtrùm ex eo quòd Concilia dicunt, Confeſſionem debere eſſe diſtinctam peccatorum in ſpecie declarationem? At etiam dicunt, eſſe debere peccatorum omnium: quòd ſicut ſecundum non impedit, quominus valida ſit Confeſſio, & fructuoſa abſolutio, quando pœnitens vnicum tantùm confitetur, quia plura non poteſt; ita nec illud primum idem impediet, quando peccata ſua ſignis manifeſtat tantùm, quia aliter non poteſt, quæ probabiliter præſumuntur fieri in ordine ad Claues.

8 Hinc dico *quartò*, prædictum moribundum poſſe, & debere Sacerdotem præſentem abſoluere abſolutè, nec licitum eſſe, negare abſolutionem illi in tali periculo, vel articulo mortis. Ita egregiè Vaſquez *q.*91. *a.* 2. *dubio* 1. *num.*38. & multi Recentiores. Prima pars, quòd nequeat negari abſolutio, etiam ab eo qui oppoſitam ſententiam ſequitur, manifeſta eſt, quia noſtra ſententia eſt valdè probabilis, ac pia in gratiam, & beneficium animarum, oppoſita verò ſententia non amplius habet ſpeculatiuè quàm probabilitatem, & iudicio doctiſſimorum virorum minus probabilem: ergo etiam qui hanc ſequitur poteſt abſque peccato impendere abſolutionem: ſi ergo poteſt, quare hoc præſidio priuare debet hunc moribundum? ſicut quamuis aliquis haberet oppoſitam opinionem contra pœnitentem, ne ipſum abſolueret, & illi pœnitenti faueret contraria ſententia, cum qua abſolui poſſet in extrema neceſſitate, impium eſſet ei negare abſolutionem propter propriam opinionem. In præſenti ergo caſu, debet Sacerdos moribundum abſoluere, ſub mortali, ob materiæ grauitatem, ex virtute ſaltem Charitatis, aut Miſericordiæ erga proximum, quem niſi abſolueret, graui periculo æternæ damnationis exponeret. Secunda pars, quòd debeat abſolutè abſolui, & non ſub conditione, Si poſſum ego, te abſoluo, inde videtur vera, quia noſtræ ſententiæ probabilitas, prorſus ſecuram reddit conſcientiam Sacerdotis, eique facit liberam abſolutè abſoluendi poteſtatem. Vnde non probo, dari debere abſolutionem conditionatè: licèt enim conditio non ſit contra ritum Sacramenti; vbi tamen eſt opinio & valdè probabilis, quòd dari poſſit abſolutio, non eſt cur nequeat dari abſolutè, nullâ adhibitâ conditione. Et certè qui eam omninò negaret, tam abſolutè, quàm conditionatè, meritò illum dici poſſe reum eſſe animarum affirmat Vaſquez citatus.

9 Dico *vltimò*, ſi contingat eſſe dubium practicum, & rationabile, an exhibeantur illa ſigna in ordine ad Claues, an potiùs oriantur ex anguſtia, & mœrore mortis, poſſe adhuc in illo dubio abſolutionem impendi ſub conditione. In hoc ſenſu dixit Cardinalis Lugo, eſſe hunc moribundum ſub conditione abſoluendum, optima ratione munitus, quia in illo periculo mortis, Sacramentum ſub conditione impendi poteſt, quocumque dubio exiſtente circa ſufficientiam materiæ, & capacitatem pœnitentis: ſicut in ſimili neceſſitate baptizaretur puer, quocumque dubio exiſtente circa valorem Baptiſmi præteriti, aut circa ſufficientiam huius aquæ, quæ ſola nunc haberi poteſt; nec fit contra reuerentiam debitam Sacramentis, ſi ſub conditione ferantur in iis caſibus, cùm ſint omninò inſtituta ad bonum, & ad ſalutem præcipuè animarum æternam.

Hinc colligo, ſententiam contrariam exiſtimantem, illa ſigna non ſemper eſſe in ordine ad Claues, non obeſſe prædictæ abſolutioni conditionatæ, 10
quia quoties moribundus in eo periculo mortis poſitus, talia pœnitentiæ, vel doloris exhibet ſigna, ad minus poterit rationabiliter dubitari, an fiant in ordine ad Claues, propter rationes dictas ſuprà *Dicto ſecundo*, & *tertio*, hoc autem dubium ſufficiens eſt ad dandam Abſolutionem ſub conditione: Si autem ea dari poteſt, debet ex obligatione Charitatis impendi, vt ſuccurratur proximo periclitanti, eo modo quo fieri poteſt.

SECTIO V.

Vtrùm Decretum Clementis VIII. non ſolùm damnet Abſolutionem, abſente pœnitente, ſed etiam Confeſſionem, abſente Confeſſario?

ANtequam tractemus præcipuum huius Diſputationis punctum, qui eſt de moribundo, qui 1
abſente Confeſſario petiit Confeſſionem, oſtendens pœnitentiæ ſigna, an poſſit à ſuperueniente Confeſſario ſacramentaliter abſolui, quandò iam eſt ſenſibus deſtitutus, operæpretium duxi, eſſe præmittendum quid damnauerit Clemens VIII. in quodam ſuo Decreto edicto, & promulgato *die* 19. *Iulij anno* 1602. tenoris ſequentis: *Re maturè ac diligenter conſideratâ, Sanctiſſimus Dominus Noſter, hanc propoſitionem, ſcilicet, licere per litteras, ſeu internuncium Confeſſori abſenti peccata ſacramentaliter confiteri, & ab eodem abſente abſolutionem obtinere, ad minus vti falſam, temerariam, & ſcandaloſam damnauit ac prohibuit, &c.*

Circa quod Decretum iam oſtendi ſuprà *diſp.* 18. *ſect.* 9. ex vi huius Decreti, eſſe illicitam, & inualidam abſolutionem datam in quouis caſu abſenti: videndum eſt modò, an idem decreuerit de Confeſſione facta Sacerdoti abſenti?

Ratio dubitandi eſt, quia non videtur ſimilis ratio, 2
de Confeſſione, ac de Abſolutione. Nam forma Abſolutionis habet præſcripta verba, quæ exigunt pœnitentem præſentem, vt *loco cit.* oſtendimus: id autem non habet Confeſſio, nam ab obligatione pœnitentis non exigitur, niſi vt confiteatur quantum poſſit; ſicut etiam Sacerdos in hac parte ſolùm tenetur de diſpoſitione pœnitentis certus fieri, quantum poteſt.

Ex alio verò capite, videtur Pontifex vtrumque membrum damnare, quia vtrumque abuſum voluit de medio tollere, quod facere non poterat, niſi vtrumque abſtuliſſet. Et quidē ex ipſius Decreti verbis, & eius intentione apparet, mentē Pontificis non eſſe intelligēdam ſolùm in ſenſu copulatiuo, ſeu complexiuo, ſed etiam in ſenſu diuiſo: alioquin poſſet, ſaluo dicto Decreto, aliquis adhuc dicere, poſſe abſolutionem abſenti conferri,

Digitized by Google

conferri, dummodo Confeſſio in præſentia præceſſiſſet; quod tamen nemo concedet, quia Pontifex vtrumque abuſum volens omninò tollere, id facere non potuiſſet, ſi ſolùm ſenſum copulatiuum prohibuiſſet, quia ſingula ſeorſim fierent, modò hoc, modò illud.

3 Circa præſens Decretum, variæ ſunt Doctorum explicationes, ſeu interpretationes. Aliqui putant; inter quos Filliucius *tom.* 1. *tract.* 7. *cap.* 1. *num.* 10. & Villalobos *in ſumma, tom.* 1. *tract.* 9. *difficultate* 37. *num.* 6. explanant prædictum Decretum intelligendum eſſe in ſenſu copulatiuo, ſeu complexiuo, non verò in ſenſu diuiſo.

Probant *primò*, quia illa particula, *Et*, dicti Decreti vtrumque membrum coniungit, & parit ſenſum complexiuum; nam ſi diuiſiuè voluiſſet Pontifex, potiùs id explicaſſet per particulam, *vel*.

Secundò, hoc clarè indicare videtur ſignum illud ſingulare demonſtratiuum, quo vtitur Pontifex, dicens, *hanc propoſitionem*; nam hoc proprie denotat ſolam hypotheticam propoſitionem, per modum vnius damnari.

Tertiò, quia inter Theologos tunc quando emanauit illud Decretum, non erat quæſtio de ſenſu diuiſo, ſed de complexiuo tantùm, de ea ſolùm opinione, quæ dicit Sacramentum Pœnitentiæ poſſe perfici, ac conſummari inter abſentes: ergo ſolùm cenſendum eſt Pontificem præcipuè illud damnaſſe propter eos, qui dicebant, Abſolutionem poſſe dari in abſentia.

4 Verùm hæc interpretatio mihi non placet, ſicut nec Dianæ, & aliis quamplurimis, quos ipſe refert *tractatu tertio, de abſolutione moribundi, reſolutione* 7. exiſtimo enim cum prædictis Doctoribus, & cum noſtro Cardinali Lugo *diſputatione* 17. *ſectione* 4. *num.* 65. Clementem VIII. in illo Decreto, non ſolùm damnaſſe abſolutionem, abſente pœnitente, ſed etiam Confeſſionem abſente Confeſſario, vt probat *ſupra* ſecunda pars rationis dubitandi. Conſtat etiam prædictam interpretationem reiectam fuiſſe primùm ab ipſo Clemente, & poſtea à Paulo V. *die* 14. *Iulij, anno* 1605. declarante in Congregatione ſancti Officij, prædictam interpretationem non ſubſiſtere. Et ratio eſt, quia Confeſſio eſt actus perſonalis ex inſtitutione Chriſti, vt eſt abſolutio: ergo ſicut Confeſſarius non poteſt abſoluere in abſentia, ita & pœnitens non poteſt confiteri, niſi illo præſente. Patet Conſequentia, quia ideò abſolutio nequit dari abſenti, quia ex inſtitutione Chriſti eſt ſtatuta, vt detur ſemper pœnitenti præſenti: quæ inſtitutio eſt nobis manifeſtata traditione, vſu, & praxi totius Eccleſiæ; adeò vt nunquam fuerit exhibita abſenti; ita ſimiliter Confeſſio fuit inſtituta à Chriſto Domino pars materialis Sacramenti Pœnitentiæ, quæ nequeat exhiberi niſi Sacerdoti præſenti, quæ inſtitutio conſtat nobis ex praxi, & vſu totius Eccleſiæ, quæ nunquam vſa fuit Confeſſione, niſi Sacerdoti præſenti, facta ab ipſo pœnitente, ſiue per ſeipſum, ſiue per interpretem. Vnde hac in parte, ſimilis ratio eſt de Confeſſione, ac de Abſolutione: Quamuis enim non exigat Confeſſio præſcripta, ac determinata verba, ſicut abſolutio, quia ſolùm exigit vt confiteatur quantum poſſit; petit tamen, vt exhibeatur Confeſſario præſenti, vt Iudici in foro interno & voluntario, in quo ſola perſona pœnitentis habet vicem accuſatoris, teſtis, & rei. & oſtendentis diſpoſitionem, & ſtatum ſuum, & ideò per ſe, & quaſi ex natura rei poſtulat præſentiam Iudicis, quia in abſentia non poteſt vllo modo huiuſmodi notitiam cauſæ comparare. Vnde Confeſſio Sacramentalis ideò requirit præſentiam Confeſſarij, quia per illam ſatisfacit pœnitens obligationi, quam ex Chriſti inſtitutione, & præcepto habet ſiſtendi ſe coram legitimo Iudice, & confitendi ſua peccata. Firmo hoc idem, nam ferè omnia, quæ ad Sacramenta pertinent, licèt in Scriptura ſint fundata, præcipue firmantur, & declarantur vſu, & traditione Eccleſiæ tanquam firmiſſimâ regulâ, & interprete inſtitutionis Chriſti, at vſus Eccleſiæ, & traditio ſemper fuit, abſolutionem conferri pœnitenti præſenti, & Confeſſionem fieri Sacerdoti etiam præſenti: ergo ſimilis eſt ratio de Confeſſione, ac de Abſolutione.

Nec verò vrgent coniecturæ ſuprà propoſitæ *numero tertio*. Non prima, quia etiam particula, *&*, ſæpè facit ſenſum multiplicem ac diuiſum; & ſic ſumenda eſt in prædicto Decreto Pontificio Nec ſecunda, 5 quia falſum eſt totum illud Antecedens; Nam, vt conſtat ex ſummulis, propoſitio hypothetica eſt propoſitio conditionalis, quæ dependenter ab aliqua hypotheſi, aut ſuppoſitione iudicat de obiecto, vt eſt hæc: Si Petrus venerit, loquetur: eſt igitur illa propoſitio Decreti, cathegorica, non ſimplex, ſeu vna, ſed duplex, qualis eſt iſta; Petrus currit, & Paulus loquitur, atque adeò non eſt propoſitio per modum vnius. Nec denique vltima coniectura eſt vera, quia fuit etiam quæſtio de ſenſu diuiſo, nam fuerunt multi Doctores graues, qui opinati ſunt Confeſſionem per litteras, aut per internuntium Sacerdoti abſenti factam, eſſe ſufficientem ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ, vt vidimus ſuprà *diſputatione* 10. *ſectione* 7.

6 Aliam igitur propono interpretationem, quæ eſt noſtri Cardinalis Lugo *diſputat.* 17. *ſect.* 5. dicentis, Decretum Clementis VIII. intelligi de Confeſſione magis ſtrictè ſumpta, ſeu ſpeciali peccatorum, quæ ordinario modo fit de peccatis in particulari; hæc enim nec poteſt validè, nec licitè fieri niſi in præſentia Confeſſarij; non verò de illa Confeſſione generali moribundi, quæ fit in articulo mortis per ſigna Contritionis, & petitionem abſolutionis. Hæc enim cùm ſit Confeſſio minus propria, & quæ in defectum ſtrictæ Confeſſionis acceptatur, non debet in præſentia Sacerdotis fieri, ſed poteſt fieri in abſentia. Sic enim docet, facilè conciliari varia Decreta Pontificum, & Conciliorum, ac Romani Ritualis, cum Decreto Clementis VIII. vt illa loquantur de Confeſſione generali, ſeu in genere, hoc verò de Confeſſione ſtricta, ac ſpeciali.

7 Verùm hanc interpretationem probare non poſſum: quia meo iudicio opponitur Decreto ipſi. Quod etiam ita intelligitur ab ipſo Cardinali in ſenſu diuiſo, vt in nullo caſu poſſit exhiberi Confeſſio Sacerdoti abſenti: At Confeſſio illa generalis eſt vera & propria Confeſſio, & pars materialis Sacramenti Pœnitentiæ; hoc autem Sacramentum cùm nequeat conſiſtere ſine Confeſſione, nequit conſiſtere ſine vera, & propria Confeſſione, nam Confeſſio abſolutè dicta non ſupponit niſi pro vera, & propria: ergo iam datur caſus, nempe moribundi in periculo mortis, in quo vera, & propria Confeſſio poteſt fieri in abſentia, contra Decretum. Prætereà, cùm conſtet de omni vera & propria Confeſſione Sacramentali, ex inſtitutione Chriſti, eiúſque præcepto, debere fieri in præſentia Sacerdotis, ſicut & abſolutio, vt vtraque valida ſit; quo fundamento poteſt præſcindi & diſtingui, vt valeat Confeſſio generalis in abſentia, cùm ſit non minùs vera & propria confeſſio, ac ſufficiens ad Sacramentum Pœnitentiæ, quàm ſit Confeſſio illa ſtricta ac ſpecialis? Rurſus, cùm illa generalis Confeſſio admittatur loco ſtrictæ, & ſpecialis Confeſſionis, cur ſi hæc non valet niſi in præſentia, & id in omni caſu, cur illa alia, quæ eſt quaſi ſubſtituta, valebit in abſentia? Vnde enim colligi iure debet ex Chriſti inſtitutione, & præcepto, vt detur maius priuilegium Confeſſioni ſubſtitutæ, quàm alteri ſpeciali, perfectiori, & exactiori? Denique ad concilianda varia Decreta Pontificum, & Conciliorum, ac Ritualis

Digitized by Google

Romani cum decreto Clementis VIII. non requiritur neceſſariò illa diſtinctio Confeſſionis. Nam *ſequenti ſectione*, facilè hæc omnia conciliabimus alio modo præſtantiori, ac magis accommodato. Igitur prædicta interpretatio non eſt cur ſit Iure admittenda

8 Ex dictis infero, meam reſolutionem eſse, Decretum Clementis non ſolùm damnare abſolutionem Sacerdotis, abſente pœnitente, ſed etiam Confeſsionem pœnitentis abſente Sacerdote; & nullam imaginari poſse in vllo caſu Confeſsionem abſenti Confeſsori factam, quæ valida ſit, & licita, ac Sacramentalis; atque adeò prædictum Decretum non ſolùm intelligendum eſse in ſenſu copulatiuo, ſeu complexiuo, verùm etiam in ſenſu diuiſo. Quæ omnia ſatis probata ſunt *in hac ſectione, numero ſecundo, quarto, quinto, & ſeptimo.*

SECTIO VI.

An Confeſſarius poſsit abſoluere moribundum, qui in eius abſentia Confeſsionem petiit, vel ſigna pœnitentiæ adhibuit, aliquo hoc atteſtante, & iam eſt ſenſibus deſtitutus.

1 SVppono, Sacerdotem in eo caſu ſemper debere laborare quantum poteſt, examinando circa particularia peccata ſaltem venialia ipſum moribundum, vt aliquod peccatum particulare ſaltem nutu, ſe præſente confiteatur. Difficultas ergo ſolùm eſt, quando nihil ſimile haberi poteſt, quia eſt omninò ſenſibus priuatus.

2 Prima ſententia abſolutè negat, talem poſſe Sacramentaliter abſolui: Quam tenent communiter Thomiſtæ ſecuti Dominicum Soto *in 4. d. 18. q. 2. art. 5.* & nouiſſimè Didacum Aluarez *in 1. 2. diſp. 80. per totam.* Præcipuum fundamentum eſt, ſumptum ex Decreto Clementis VIII. *præcedenti ſectione* explicato. Ex quo manifeſtè liquet, Confeſſionem omnem nullam eſſe, & in nullo caſu fieri poſſe in abſentia Sacerdotis: at in prædicto caſu illa Confeſſio facta fuit abſente Sacerdote; ergo illa non potuit eſſe Confeſſio Sacramentalis, & conſequenter ex illa Confeſſione & abſolutione ſequenti non poteſt confici verum Pœnitentiæ Sacramentum.

3 Secunda ſententia affirmat, talem abſoluendum, tametſi ea ſigna dederit abſente Sacerdote, modò iam præſente, alij teſtentur ipſum ea dediſſe, eſtque communior apud grauiores Theologos quos refert, & ſequitur Cardinalis de Lugo *diſp. 17. ſect. 4. n. 44.* & Diana *reſolutione 4.* Quam libenter amplector, & *ſequentibus Dictis* declaro.

4 Dico ergo *primò*, quando moribundus dat præſente Sacerdote generalia ſigna, quibus oſtendit ſe peccaſſe, & de eo dolere, ſi, eo quòd ſubitò priuetur ſenſibus, non poſſit aliquid in particulari confiteri, poteſt Sacramentaliter abſolui. Hoc conſtat manifeſtè ex dictis ſuprà *ſect. 4.* Et ratio eſt, quia illa petitio Confeſſionis, eſt Confeſſio quædam in genere facta, & quidem coram ipſo Confeſſario; at Confeſſio in genere facta ſufficit, vt probatum eſt ſuprà *ſect. 2.* Firmatur, nam talis moribundus dat veram materiam abſolutionis coram ipſo Confeſſario, ſcilicet veram ſui ipſius accuſationem cũ oſtenſione doloris, quantam hic & nunc dare poteſt, & ex qua Sacerdos in hoc foro cognoſcit pœnitentem peccaſſe, & eum de hoc dolere, & conſequenter cognoſcit ſtatum pœnitentis, cúmque eſſe ſufficienter diſpoſitum ad abſolutionem, quantum hic & nunc cognoſci poteſt: ergo poteſt Sacerdos eum Sacramentaliter abſoluere.

Dico *Secundò*, poſſe conferri abſolutionem moribũdo, ſi ante aduentum Sacerdotis, oſtenderit ſigna pœnitentiæ, & petierit confiteri, & id præſentes teſtentur Confeſſario, ſi ſit periculum mortis. Id expreſsè docent Concilium Arauſicanum *cap. 11.* & Concilium Carthag III. *c. 34.* & Carthaginenſe IV. *c. 67.* & D. Leo Papa *epiſt. 91.* & nouiſſimè Paulus V. in ſuo Rituali Romano edito *anno* 1615. toti Eccleſiæ ad praxim, pontificia auctoritate propoſito. Sic dicit: *ſi inter confitendum, vel etiam, antequam incipiat confiteri, vox, & loquela ægri deficiat, nutibus, & ſignis conetur (videlicet Sacerdos) quoad eius fieri poteſt, peccata pœnitentis cognoſcere, quibus vtcumque, vel in genere, vel in ſpecie cognitis, vel etiam ſi confitendi deſiderium ſiue per ſe, ſiue per alios oſtenderit, abſoluendus eſt.* Quod Rituale expendit optimè Cardinalis de Lugo *ſect. 4. n. 45. & ſeq.* & alia teſtimonia ponderat quoque rectè Coninck; *diſp. 7. dub. 10. n. 90. & aliis ſubſequentibus.* Probatur ratione, quia Confeſſio peccatorum in genere, eſt ſufficiens in caſu neceſsitatis ad Sacramentum Pœnitentiæ, vt conſtat ex dictis *ſect. 2.* & clarè dicitur in Rituali Pauli V. ſed illa petitio Confeſſionis eſt quædam Confeſsio in genere facta: nam eo ipſo quòd quis dicat, vel ſignificet, quòd deſideret confiteri, eo ipſo ſignificat ſe peccaſſe, & illud deſiderium cum ſuo externo ſigno dirigit ad Sacerdotem, nempe, ad illum qui ad ſe veniet: ergo illa petitio in omni rigore eſt Sacramentalis Confeſsio. Firmo, nam iſte moribundus oſtendit exteriùs ſe dolere de peccatis, ac velle confiteri, & petit in hunc finem Sacerdotem acceſſiri: ergo iam incipit generatim confiteri, ſimili ferè modo ac is, qui per interpretem confitetur, dum huic ſua peccata dicit, vt Sacerdoti deinde ea explicet. Vnde adſtantes poſteà Sacerdoti præſenti pœnitentiam, & deſiderium moribundi explicant, inſtar interpretum, ipſius Confeſsionẽ Sacerdoti exponunt, atque ipſe per hos Sacerdoti iam præſenti confitetur: ergo hoc pacto ſufficientem materiam præbet abſolutionis. 5

Dico *tertiò*, hunc prædictum caſum moribundi eſſe omninò diſtinctum à caſu illo damnato à Clemente VIII. in ſuo Decreto. 6

Probatur *primò*, ex teſtimonio ipſius Clementis: nam ipſe Pontifex interrogatus, an moribundus in caſu noſtræ concluſionis, deberet Sacramentaliter abſolui, reſpondit debere abſolui, & ſe eum abſoluturum, adiiciens, eum caſum ſuo Decreto nullo modo comprehendi. Cuius Oraculi teſtes auriti fuere 16. *Aprilis anno* 1608. Eminentiſsimus Cardinalis Bellarminus, & Illuſtriſsimus Petrus Lombardus Archiepiſcopus Armacanus, Primas Regni Hiberniæ. Qui addidit, puniẽdum à ſe Parochum ſibi ſubiectum, quem ſciret tali negaſſe abſolutionem Litteras huius rei teſtes, ſignatáſque ſuo chirographo tradidit R. P. Franciſco Florentino Prouinciali in Belgio, & Patri Leonardo Leſsio, tunc Romæ exiſtentibus, & ſimile poſteà miſit ad aliquos Doctores Louanienſes, quæ teſtimonia adhuc ſeruantur. Quæ omnia diligentiſsimè refert Coninck *loco cit. n. 105.*

Secundò, ratione probatur optimè à noſtro Gabriele Vaſquez *q. 91. art. 2. dub. 1. n. 32. & 33.* Quia Confeſsio moribundi coram adſtantibus non fit abſenti ſed præſenti per interpretem, nam eo ipſo quo oſtendit ſe dolere de peccatis cum ſignis Contritionis, vel etiam petit Confeſsionem, quod eſt, petere Sacerdotem à quo abſoluatur, fatetur ſe peccaſſe, & petit vt adſtantes

tes

Digitized by Google

tes tanquam ſuæ voluntatis interpretes id Sacerdoti, cum præſens fuerit, denuncient, ab eoque abſolutionem pro ſe petant, caſu quo id per ſe facere non poſſit: ergo dum id faciunt adſtantes, ipſe moribundus per eos tanquam per ſuos interpretes Sacerdoti præſenti confitetur: ergo talis Confeſſio non fit abſenti, ſed Sacerdoti præſenti per interpretem. At prohibitio Clementis VIII. in ſuo Decreto, eſt Confeſſionis in abſentia Sacerdotis factæ. Igitur illa Confeſſio moribundi eſt caſus omninò diſtinctus à caſu illo ab huiuſmodi Pontifice damnato. Ex quo patet ſolutio ad argumentum contrariæ ſententiæ *num.* 2. propoſitum.

7 Cæterùm noſter Cardinalis Lugo opponitur doctrinæ traditæ de Confeſſione moribundi, quòd ſit Confeſſio per interpretem, & probat oppoſitum *ſect.* 4. *citata, num.* 67. 68. 69. & 70.

Primò, quia ex ea ſequitur, eſſe omninò neceſſarium in caſu moribundi, ad valorem abſolutionis, quòd Confeſſarius ſuperueniens audiat, & cognoſcat deſiderium infirmi ab iis qui adhuc ſunt in eiuſdem infirmi præſentia; atque adeò ſi id cognouiſſet Confeſſarius in itinere ab eo, qui ipſum vocauit, & qui cum eo non rediit, non potuiſſet infirmum abſoluere in virtute illius notitiæ, quia eam non acceperat in præſentia ipſius infirmi: nam iam tunc Confeſſio fieret in abſentia, quando ſcilicet Confeſſarius non eſſet præſens pœnitenti. Conſequens autem eſt falſum, & contra mentem Ritualis Romani, & antiquorum Decretorum.

Secundò, ad hoc vt Confeſſio, quæ fit per interpretem dicatur propriè & in rigore fieri in præſentia Confeſſarij, non ſufficit quòd Confeſſarius ſit præſens, quando interpres loquitur, ſed etiam quando pœnitens loquitur interpreti, & manifeſtat ei ſua peccata. Quod probat, quia Confeſſio eſt manifeſtatio, quâ pœnitens Confeſſario manifeſtat ſua peccata: ſed hæc manifeſtatio non eſt ſola locutio interpretis, ſed conflatur ex locutione pœnitentis ad interpretem, & interpretis ad Confeſſarium: nam ſola locutio interpretis ſecundùm ſe, non eſt locutio pœnitentis, ſed hæc prout procedit à pœnitente: ergo ſi Confeſſarius ſolùm eſt præſens, quando interpres narrat, quæ audiuit à pœnitente, non verò quando pœnitens committit interpreti vt ea narret, non fit Confeſſio coram Sacerdote niſi inadæquatè. Vnde licèt non fiat tota Confeſſio tunc in abſentia, fit tamen partialiter in abſentia, & conſequenter non fit tota in præſentia.

Tertiò, firmatur exemplo Matrimonij, cui debet eſſe præſens Parochus, quando coniuges exprimunt ſuum conſenſum; vnde ſi Matrimonium fiat per interpretem, eo quòd Parochus ignorat idioma contrahentium, & Parochus audiſſet ſolum interpretem, abſentibus, vel tacentibus coniugibus, qui ante Parochi aduentum dixerunt interpreti ſuum conſenſum, non eſſet validum Matrimonium, quia non explicaretur conſenſus coram Parocho, ſed debet vtrumque coram Parocho fieri, nempe locutio contrahentium, & explicatio interpretis: Igitur ſimiliter vt Confeſſio fiat per interpretem coram Sacerdote, debet pœnitens coram Sacerdote ſe accuſare, & interpres etiam illam accuſationem explicare.

8 His tamen non obſtantibus, perſiſto in mea ſententia Confeſſionem moribundi *ſuprà* explicatam, eſſe Confeſſionem per interpretem. Quia in tali caſu cùm moribundus oſtendat exteriùs ſe dolere de peccatis, ac velle confiteri, & in hunc finem petat Sacerdotem acceſſiri, generatim iam incipit confiteri, ſimili ferè modo, atque is qui per interpretem confitetur, dum huic ſua peccata dicit, vt Sacerdoti deinde ea explicet. Quare cùm adſtantes poſteà Sacerdoti præſenti pœnitentiam, & deſiderium moribundi explicant, inſtar interpretum ipſius Confeſſionem Sacerdoti exponunt; atque ipſe moribundus per hoc, Sacerdoti iam præſenti confitetur, atque ideò ſufficientem materiam præbet, & Sacramentalem Abſolutioni. Vnde vt moribundus non confiteatur per internuntium, & in abſentia, neceſſe eſt, vt debeat eſſe præſens, quando ſe coram Sacerdote Iudice accuſat per interpretem. Non enim ſatisfacit obligationi comparendi, & ſiſtendi ſe coram Sacerdote Iudice, & accuſandi ſe coram illo, ſi ipſe moribundus non eſt præſens coram Iudice tunc, quando ſe accuſat; accuſatio autem fit, quando interpres loquitur, tunc enim Confeſſarius percipit peccata: ergo etiam tunc debet eſſe præſens reus ipſe, nempe moribundus, vt ſe coram Iudice accuſet.

9 Reſpondeamus iã ad obiectiones propoſitas. Ad primã, concedo facilè ſequelam; quia vt Confeſſio non fiat in abſentia, neceſſaria eſt coram Sacerdote poſteà adueniente præſentia moribundi, & interpretis; & præſentia moribundi non ſolùm eſt phyſica, ſeu materialis, ſed etiam eſt moralis per interpretem adſtantem; ſicut & præſentia Sacerdotis eſt verè humana, & moralis, quia ipſe exauditis, & viſis humano modo quantum poteſt in tali caſu fieri, iudicat de ſtatu pœnitentis, & adhibita ſufficienti materia, Sacramentaliter abſoluit. Quòd verò prædicta ſequela nullo modo ſit contra mentem Ritualis Romani, & antiquorum Decretorum, conſtabit ex dicendis *ſectione ſequenti*.

Ad ſecundam, dico, vt Confeſſio quæ fit per interpretem, dicatur propriè fieri in præſentia Confeſſarij, ſolùm requiri, quòd Confeſſarius ſit præſens, quando interpres loquitur illi; non verò requiri, vt adſit, quando pœnitens loquitur interpreti, & manifeſtat ei ſe peccaſſe, nam ſi tunc adeſſet Confeſſarius, iam tunc non per interpretem cognoſceret peccata moribundi, ſed per ipſummet moribundum, qui loqueretur Confeſſario præſenti, & confiteretur ipſi ſua peccata in genere, eo modo quo poſſet. Vnde verum eſt, Confeſſionem Sacramentalem eſſe manifeſtationem, quâ pœnitens Confeſſario manifeſtat ſua peccata attamen quando ea manifeſtatio fit per interpretem, vt in caſu noſtro, ſufficit quòd ſit locutio interpretis prout procedit à pœnitente; procedit autem à pœnitente, tametſi Confeſſarius non ſit præſens, quando ipſe pœnitens loquitur pœnitenti, & narrat illi ſua peccata, vel deſiderium ac voluntatem, quam habet confitendi. Quare dicta Confeſſio per interpretem fit tota in præſentia Sacerdotis, & nullo modo nec partialiter, ſeu inadæquatè fit in abſentia.

Ad tertiam, manifeſta eſt diſparitas, nam cùm in Matrimonio per interpretem, ſicut & in quouis alio, vt ſit validum, debeat neceſſariò adeſſe Parochus quando contrahentes mutuum conſenſum declarant, eo fine vt ſi fuerit opus, de eo matrimonio Parochus teſtificetur; ideò non ſufficit coram Parocho explicatio interpretis, ſed requiritur neceſſariò vt ſciat, contrahentes dediſſe interpreti notitiam & facultatem explicandi ſuos conſenſus mutuos; atque adeò debet vtrumque coram Parocho fieri, locutio contrahentium, & explicatio ſeu narratio interpretis. At in Sacramento Pœnitentiæ vt miniſtretur moribundo, ſat eſt, vt per interpretem dicat Sacerdoti præſenti ſe peccaſſe, & ſic confiteatur illi per interpretem, ad hoc vt ab illo excipiat Abſolutionem, & tandem perficiatur Sacramentum.

SECTIO VII.

Quot teſtes requirantur teſtantes moribundum ſigna pœnitentiæ dediſſe, & an neceſſariò debeant eſſe teſtes immediati, vel ſufficiant mediati.

1 CIrca primum, Ratio dubitandi eſt, quia in Conciliis & Decretis ſemper teſtes ac teſtimonia in numero plurali deſignantur. Nam in Concilio Carthaginenſi IV. c. 76. dicitur: *Dent teſtimonium, qui eum audierunt*. Et in Concilio Arauſicano: *Si voluntatis præteritæ teſtimonium aliorum verbis au iiat*. Et in decreto Euſeb. *Si idonea teſtimonia habuerit*. Et denique in Rituali Romano: *ſi confitendi deſiderium, ſiue per ſe, ſiue per alios oſtenderint*.

Cenſeo ſufficere vnius teſtimonium. Sic Ioannes Sanchez *in ſelectis diſp. 44. n. 35*, qui citat alios, nempe Raymundum, & Graffium, & Felinum: & Diana *reſol. 5.* vbi etiam refert alios: Cardinalis de Lugo *dicta ſect. 5. n. 81.* & alij Recentiores. Ratio eſt, quia vbi non agitur de præiudicio alterius, creditur vni teſti: atque ideò ſicut non requiritur probatio iuridica per teſtes oculatos, ſic nec requiritur pobatio plena per duos teſtes; quemadmodum etiam non requiritur, vt teſtis iuret, quia maximè impium eſſet in caſu moribundi mentiri. Neque etiam oportet, teſtem illum eſſe fidelem; poteſt enim ſufficere infidelis, vel etiam Hæreticus, ſi credibile ſit, illum in hoc caſu non mentiri.

2 Ad argumentum propoſitum ex verbis Conciliorum ſeu Decretorum, reſpondeo illa intelligi debere in ſenſu diſtributiuo, non copulatiuo: ſicut etiam cùm in Conciliis, & Decretis dicitur, animam defuncti iuuari aliorum fidelium ſuffragiis; non eſt ſenſus, quòd non proſint ei ſuffragia vnius ſolius; ſed eſt ſenſus diſtributiuus, quòd ſingulorum ſuffragiis iuuari poſſit.

3 Circa ſecundum maior eſt difficultas, an poſſit Confeſſor abſoluere moribundum, quando ij qui teſtantur de voluntate, & petitione Confeſſionis, non audierunt hoc ab ipſo moribundo, ſed ab aliis, atque ideò non ſunt teſtes immediati, ſed mediati.

Affirmat Cardinalis Lugo *diſp. 17. ſect. 5. n. 81.* Probat *primò*, quia notitia mediata ſufficiens eſt ad alios effectus, in quibus maior certitudo requiritur. Si enim de Baptiſmo alicuius paruuli, verbi gratia, quæratur, & non adſit qui eum baptizauit, ſed alius fide dignus dicat, ſe ab ipſo audiſſe quòd eum baptizauerit; vel etiam per internuntium fide dignum id teſtatur, habebitur pro baptizato: ergo multò magis ſufficiet prædicta notitia mediata ad abſoluendum in eo periculo moribundum.

Secundò, in Rituali Romano non alligatur ad teſtimonium immediatum, ſed generaliter dicitur: *Si confitendi deſiderium per ſe, vel per alios oſtenderit, abſoluendus eſt*: At per alios oſtendit, qui per alios mediatè id manifeſtat; ſicut Deus locutus dicitur per Prophetas, licet non omnes audierint immediatè ipſos Prophetas, ſed alios, quibus Prophetæ immediatè locuti fuerant.

Tertiò, in Confeſſione quæ fit per interpretem, poteſt contingere, vt non ſufficiat vnus interpres, ſed requirantur duo, qui inter pœnitentem, & Confeſſarium intercedant. Vt ſi Græcus confiteretur cum Latino, & vteretur interprete Gallo, qui & Græcum idioma intelligeret, & Gallicè explicaret, non Confeſſario, quia nec Gallicam linquam intelligeret, ſed Italo Laico, qui rurſus Italicè idem Confeſſario explicaret; tunc Confeſſarius contentus eſſet notitia accepta, non ab eo qui immediatè à pœnitente acceperat, ſed ab alio qui mediatè acceperat à pœnitente: ergo ſimiliter in caſu noſtro poteſt ſufficere ſimilis notitia à pœnitente accepta per duos intermedios, quorum vnus, altero mediante, eam notitiam accepiſſet.

Quartò; Matrimonium etiam valeret, ſi per duos interpretes fide dignos celebraretur, quorum alter alterum interpretaretur: ergo idem dicendum in noſtro caſu.

Vltimò, in moribundo, non petitur de voluntate confitendi, quam oſtenderit teſtis omni exceptione maior, ac iuridicè legitimus, qui de viſu teſtificetur, ſed teſtimonium iuxta præſentem materiam, quæ in nullius eſt præiudicium, vt nimirum ſit adeò tale, vt poſſit probabiliter credi, rem ita eſſe, quòd Confeſſionem petierit; id autem ſufficienter præſtare poteſt teſtis mediatus fide dignus; ergo.

Hanc ſententiam tenent multi Recentiores quos refert Diana *reſol. 7.* quam dicit videri ſibi probabilem, tametſi eam non teneat.

Ego verò contrariam ſententiam amplector cum Diana, & aliis, quos ipſe refert. Ratio à priori eſt, quia per teſtes mediatos, à quibus ſolùm in itinere audit Sacerdos moribundum petiiſſe Confeſſionē, vel oſtendiſſe ſigna pœnitentiæ, fit Confeſſio in abſentia, & per internuncium, quæ damnatur à Clemente VIII. per teſtes verò immediatos fit Confeſſio Sacerdoti præſenti tanquam per interpretes. Patet, quia quando Confeſſarius inuenit moribundum ſenſibus deſtitutum, & teſtes immediati adſtantes teſtificantur illum petiiſſe Confeſſionem, tunc ipſe moribundus per illos tanquam per interpretes ſuos, Confeſſionem ſuam exponit, & ideò per illos ipſe moribundus Sacerdoti præſenti confitetur. Quod non poteſt dici in caſu, quo teſtes ſunt mediati; nam hi explicant ſigna pœnitentiæ moribundi ipſo Sacerdote abſente; atque ideò eſt Confeſſio facta in abſentia per internuncium. Hac de cauſa meritò Concilium Carthaginenſe IV. *can. 67.* loquens de moribundo dixit: *Dent teſtimonium qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam*. Ex quo manifeſtè colligitur, non eſſe idonea teſtimonia ad prædictam Confeſſionem per interpretem, quæ non ex viſu, ſed ex aliorum narratione feruntur. 4

Hinc patet ſolutio ad argumenta Cardinalis. Ad primum conceſſo Antecedente, negatur Conſequentia ob manifeſtam diſparitatem: nam in Baptiſmo, ſi ſit dubiū facti, quia ſunt ſufficientia indicia ad credendum, hominem non eſſe baptizatum, quæ verè efficiunt rem dubiam, ideò debet dari Baptiſmus ſub conditione in fauorem hominis baptizandi; quia ſalus eius eſt res maximi momenti; & alioqui nulla fit iniuria Sacramento, quia debita intentio, & conditio appoſita, vel concepta, omne periculum reiterationis excludit. Vnde hac de cauſa hoc etiam fit, tametſi non inueniantur certiſſimi teſtes, qui affirment non eſſe baptizatum; ne homo exponatur periculo damnationis, propter carentiam Baptiſmi: At in noſtro caſu, ideò requiruntur teſtes immediati, vel ſaltem vnus, ne fiat grauis iniuria Sacramento Pœnitentiæ, & ipſi moribundo grauiſſimum damnum, quia aliter eius Confeſſio fieret in abſentia per internuntium omninò nulla, & à Clemente VIII. damnata. 5

Ad ſecundum, tametſi Rituale Romanum non exigat teſtimonium immediatum explicitè, exigit tamen illud

Digitized by Google

illud implicitè, quia neceſſe eſt, vt exigat teſtimonium idoneum; conſtat verò illud non eſſe mediatum, quia non eſt ſufficiens ad Confeſſionem Sacramentalem, cùm eam faciat per internuntium, quæ eſt omninò prohibita.

Ad tertium, quamuis Antecedens admittatur, non valet Conſequentia; quia in priori caſu ſemper Sacerdos eſt præſens pœnitenti per vtrumque interpretem. At in noſtro caſu, notitia quam habet Sacerdos, eſt per duos intermedios mediatos, quæ eſt propriè per internuntios. Quòd ſi vnus teſtis ex his duobus eſſet immediatus, iſte ſufficeret ad veram Sacramentalem Confeſſionem, vt dixi ſupra *num.* 1.

Ad quartum, ſimiliter reſpondeo Matrimonium illud valiturum, ſi illi duo Interpretes adeſſent. Hoc idem peto in noſtro caſu, vt adſit teſtis, ſaltem vnus ad Sacramentalem Confeſſionem, ipſi Sacerdoti.

Ad vltimum, iam aſſignata eſt cauſa, cur non ſufficiat teſtis mediatus etiam fide dignus, quia iuxta præſentem materiam, debet eſſe talis, vt per illum Confeſſio moribundi fiat præſens Confeſſario; quod præſtare non poteſt teſtis mediatus.

SECTIO VIII.

An ſi quis non coram infirmo, ſed in eius abſentia, manifeſtauit Confeſſario illum petiiſſe Confeſſionem, poſſit Confeſſarius, ſi illum viuum adhuc inueniat, abſoluere?

1 SEnſus quæſtionis eſt ordinarius caſus, de illo qui audiuit infirmum petentem Confeſſionem, & poſteà in itinere inuenit Sacerdotem, & hoc ei manifeſtat, an ex vi huius notitiæ, poſſit Sacerdos abſoluere moribundum, quem poſteà inuenit à ſenſibus deſtitutum, licèt non repetatur coram infirmo illud teſtimonium, quia qui audierat, iam diſceſſit ad alium locum.

2 Partem affirmantem ſequuntur multi graues Doctores, Cardinalis de Lugo *loco citato*, *dubio tertio*, Bonacina *tom.* 3. *diſput.* 2. *quæſt.* 3. *punct.* 3. *num.* 4. & alij quos refert Diana. Et ipſe Bonacina affirmat id Romæ ſenſiſſe multos Doctores. Probant, quia id videtur eſſe omninò iuxta mentem, & verba Pauli V. in Rituali Romano, vbi abſque vlla limitatione, vel diſtinctione dicitur: *Si deſiderium confitendi per ſe, vel per alios oſtenderit, abſoluendus eſt.* At in præſenti caſu tota iſta conditio verificatur, cùm infirmus per alios deſiderium confitendi oſtenderit: ergo iuxta mentem Pontificis eſt abſoluendus.

3 Cæterùm, quamuis hæc opinio probabilis ſit, ipſe tamen conſequenter ad *ſuprà* dicta, negatiuam tenet partem, quæ eſt plurium, quos citat, & ſequitur Diana *reſolutione ſeptima*: Probatur, quia in hoc caſu moribundus confiteretur per nuncium abſente Sacerdote; quæ Confeſſio eſt nulla, nam eſt de neceſſitate Confeſſionis Sacramentalis, vt fiat in præſentia Sacerdotis: eſt enim Confeſſio Sacramentalis actus perſonalis, ſicut eſt abſolutio; atque adeò ſicut Confeſſarius non poteſt abſoluere in abſentia, ita nec pœnitens poteſt confiteri niſi illo præſente. Petitur itaque prædicta conditio teſtimonij in præſentia ipſius infirmi exhibendi, vt ea Confeſſio ſit Sacramentalis, & valida.

Nec oppoſitum docet Rituale Romanum: dicit enim ſine vlla diſtinctione vel limitatione: *Si deſiderium confitendi per alios oſtenderit*, quia mentionem fecit illis verbis teſtimonij circumſtantium, quia ita communiter fieri ſolet, quòd præſentes ſint, qui Confeſſario teſtantur voluntatem, & deſiderium infirmi, ſeu moribundi iam ſenſibus deſtituti.

SECTIO IX.

An non ſolùm poſſit, ſed teneatur Sacerdos abſoluere moribundum ſenſibus deſtitutum, quando circumſtantes coram illo fatentur petiiſſe Confeſſionem, vel ſigna Contritionis exhibuiſſe?

NEgant Aluarez *in* 1. 2. *diſput.* 80 *num.* 55. & communiter Thomiſtæ, poſſe prædictum moribundum abſolui. *Primò*, quia in Collatione Sacramentorum, non poſſumus vti niſi materia certa, non verò dubia, aut probabili, qualis eſt in hoc caſu Confeſſio moribundi, de qua dubitatur ſaltem, an ſit Sacramentalis: ergo abſoluendus non eſt ex defectu materiæ idoneæ. 1

Secundò, qui abſolueret in hoc caſu, poſt prohibitionem Clementis, operaretur contra obedientiam Pontifici debitam, incurreret excommunicationem, & conſequenter peccaret mortaliter; ergo non ſolùm non poteſt, imò potius tenetur non abſoluere moribundum in eo caſu.

Duo ſunt breuiter explicanda. *Primum*, an occurrente prædicto caſu, Auctores contrariæ ſententiæ poſſint, & debeant abſoluere moribundum? *Secundum*, an debeat Sacerdos in prædicto caſu ſub conditione ſolùm abſoluere. 2

Circa primum, dicendum eſt, Confeſſarium, etiamſi oppoſitam ſententiam ſequatur, poſſe, & teneri abſoluere moribundum. Ita communiter Doctores, Suarez, Vaſquez, Cardinalis Lugo, Coninck, Turrianus, & alij quamplurimi, quos congerit, & ſequitur Diana *reſolutione nona*. Ratio eſt manifeſta, quòd poſſit, quia ad minus noſtra ſententia probabilis eſt: ergo poteſt Sacerdos licitè iuxta illam operari. Antecedens non videtur negari poſſe, ſi animaduertatur, quid requiratur, vel ſufficiat ad faciendam opinionem probabilem. Nónne ad id ſufficient viginti, aut triginta Doctores, in quibus ſunt quamplures ex primis noſtri temporis Doctiſſimis, & celeberrimis, qui affirmat eſſe abſoluendum? Accedit, quod eſt maiori conſideratione dignum, nempe auctoritas Pauli V. qui noſtram ſententiam in ſuo Rituali, toti Eccleſiæ propoſuit; auctoritas quoque Eminentiſſimorum Cardinalium, & aliorum doctiſſimorum Virorum, qui diligenti ſtudio ritus illos examinarunt, vt ipſe Pontifex teſtatur. Hæc igitur omnia quis non videat ſufficere ad probabilitatem ſaltem extrinſecam huic noſtræ ſententiæ iure, ac meritò dandam. Nulla ergo poteſt in hoc rationabilis dubitatio eſſe. 3

Quod autem teneatur, manifeſtè quoque oſtenditur, nam cùm hæc noſtra ſententia ſit valdè probabilis, poteſt Sacerdos tutâ conſcientiâ eam amplecti, propter ſuam maximam probabilitatem; cúmque ex alia parte ſit ſaluti moribundi valdè expediens, aut etiam neceſſarium, ſi ſit attritus ſolùm; ad id tenetur ex Iuſtitia, vel ſaltem ex Charitate: hæc enim obligat, vt quoties poſſit quis abſque graui incommodo ſubuenire proximo grauiter periclitanti circa æternam ſalutem, ad id teneatur: ergo cùm poſſit prodeſſe moribundo talis abſolutio, & abſque graui incommodo ſuo poſſit Sacerdos 4

cerdos eam impendere, ad id ſaltem ex Charitate tenebitur. Vnde hac de cauſa Vaſquez rectè *quæſt.* 91. *art.* 2. *dub.* 1. *num.* 38. dixit eum, qui negaret abſolutionem, dici poſſe reum eſſe animarum, quia cùm oppoſita ſententia ſpeculatiuè non ampliùs habeat quam probabilitatem, & minorem, poteſt qui illam etiam ſequitur, abſque peccato impendere Abſolutionem: ſi ergo poteſt quare hoc præſidio priuare debet ægrotum? ſicut quamuis aliquis haberet oppoſitam opinionem contra pœnitentem, ne ipſum abſolueret, & illi faueret oppoſita, cum qua abſolui poſſet in extrema neceſſitate, impium eſſet ei negare abſolutionem propter propriam opinionem.

5 Hinc patet ſolutio ad argumenta oppoſita *n.* 1. Ad primum enim certum eſt, & conſtat ex dictis à nobis *tract.* 1. *diſp.* 8. *ſect.* 6. & 7. obligationem adhibendi materiam certam ob reuerentiam Sacramenti, nullo modo procedere, quando non habetur certa materia, vt in noſtro caſu, ſed probabilis, imò etiam & dubia negatiuè: tunc enim melius eſt ſubuenire proximo cum Sacramento probabili, vel etiam dubio, quàm relinquere illum ſine vllo Sacramento, & cum periculo æternæ damnationis, & ad id obligat ſtrictè præceptum Charitatis.

Ad ſecundum, illud Antecedens eſt omninò falſum: imò qui non abſolueret in illo caſu, peccaret grauiſſimè vt probatum eſt.

6 Circa ſecundum, aliqua eſt etiam varietas inter Doctores noſtræ ſententiæ. Nam Suarez *diſp.* 23. *ſect.* 1. *n.* 12. dicit, abſoluendum eſſe infirmum ſub conditione. Vaſquez verò *q.* 91. *art.* 2. *dub.* 1. *n.* 39. ſic ait: *Superuacaneum eſt vt quidam faciunt, ſub conditione de præſenti abſoluere hoc modo. Si poſſum, ego te abſoluo: licèt enim conditio non ſit contra ritum Sacramenti; potiùs tamen videtur addi propter ſcrupulum indiſcretum conſcientiæ, ſiquidem ſine illa impendi poteſt abſolutio.* Hæc Vaſquez, quem ſequitur Ioannes Sancius *in ſelectis, diſput.* 44. *num.* 32. & Cardinalis Lugo *diſp.* 17. *ſect.* 5. §. 4.

Hanc ſententiam iudico veram in noſtro caſu de abſolutione moribundi, quia cum aſſenſu probabili datur abſolutio; & ideo non ſub conditione, ſed abſolutè debet ea conferri. Qui enim operatur ex aſſenſu probabili, operatur abſolutè, abſque alia conditione appoſita, quia aſſenſus præcedens abſolutus eſt, licet ſit probabilis. Idem firmatur ex Rituali Romano, in quo nihil dicitur de tali conditione adiungenda, ſed abſolutè dicitur abſoluendus infirmus. Neque in antiquis Conciliorum Decretis vlla ſit mentio conditionis apponendæ: At ſi eſſet talis obligatio, moniti fuiſſent Confeſſarij, ne in re adeò graui errarent. Vnde, quando communiter docent Theologi, miniſtrandum eſſe Sacramentum ſub conditione, quando dubitatur de valore Sacramenti, id intelligendum eſt in dubio proprio ſeu negatiuo, non in opinionibus. Quod optimè confirmat caput, *De quibus, de Baptiſmo*, vbi decernitur, rebaptizandum eſſe illum ſub conditione, de quo dubitatur, an ſit baptizatus: agitur enim ibi de dubio proprio, in quo non poteſt miniſter iudicare, Baptiſmum nunc validè conferri. At in noſtro caſu moribundi, habet Confeſſarius aſſenſum ad minùs probabilem de valore Abſolutionis. Quòd ſi in aliquibus caſibus daretur Abſolutio cũ vero, & proprio dubio; vt ſi Sacerdos dubitaret, an ſigna ab infirmo exhibita fuerint ad ſignificandum dolorem de peccatis, & voluntatem Confeſſionis ſeu abſolutionis, an verò ex dolore & anguſtia mortis. Similiter quoque ſi dubitaret de illo, quando dixit, ſe velle confiteri, an eſſet compos, vel impos, animi, & ſine rationis vſu. In his, & ſimilibus caſibus abſolutio impendi debet ſub conditione explicita interius concepta, propter reuerentiam Sacramenti.

SECTIO X.

Vtrùm moribundus, qui nec Confeſsionem petijt, nec dedit ſignum aliquod pœnitentiæ, poſsit adhuc Sacramentaliter abſolui?

Non deſunt aliqui, quos refert Diana *tract. de abſolutione moribundi, reſol.* 8. affirmantes, poſſe abſolui ſub conditione dummodò priùs Chriſtiano more viueret, Sacramenta frequentare ſoleret, & bonus ac fidelis homo æſtimaretur. 1

Probant *primò*, auctoritate Clementis VIII. qui dicitur, ruentem quendam præcipitem ex ſancti Petri fabrica, abſoluiſſe, cùm Pontifex adeſſet, dicendo, *ſi es capax, Abſoluo te à peccatis tuis.*

Secundò, qui Chriſtianus homo, & probus in periculo conſtitutus, ac memor ſalutis æternæ poterit interiùs elicere aliquem actum Attritionis, quo diſponatur ad effectum Sacramenti, ſi abſoluatur: ergo poterit abſolui ſaltem ſub conditione.

Tertiò, poteſt dari abſolutio ſub conditione, quãdo dubitatur an pœnitens habuerit vſum rationis: ergo hoc idem fieri poterit, quando talis nullum ſignum dedit pœnitentiæ, & aliàs deuotus erat.

Quartò, cùm talis moribundus benè vixerit, præſumitur habere confitendi voluntatem, hæc autem eſt ſufficiens materia ad abſolutionem, ſaltẽ ſub cõditione; ergo.

Quintò, prædictus moribundus eſt capax Sacramenti Euchariſtiæ, & Extremæ-Vnctionis, quia præſumitur habere voluntatem generalem, quam quilibet Chriſtianus habet, dũ profitetur Religionẽ Chriſtianã, ſuſcipiẽdi remedia, quæ ſunt inſtituta pro omnibus Chriſtianis in illo articulo neceſſitatis; & in caſu neceſſitatis hæc voluntas ſufficit: ergo etiam erit capax Sacramenti Pœnitentiæ, quia præſumitur eadem voluntas in illo, in ordine ad hoc Sacramentum.

Vltimò, milites in bello repentina hoſtiũ aggreſſione ſpatiũ confitẽdi non habẽt, nec pro tẽporis anguſtia petierunt Confeſſionem, & tamen abſoluuntur: ergo.

Cæterũ omnes Doctores, præſertim noſtræ Societatis, vt certũ affirmãt, non poſſe prædicto homini cõferri abſolutionẽ Sacramentalẽ, & ita docent Vaſq. *q.* 91. *a.* 2. *dub.* 1. *n.* 1 addens, in hoc caſu nullũ dixiſſe ægrotũ abſolui poſſe, quamuis & hanc ſententiã tãquã aliquorũ impugnet Sotus *diſt.* 18. *q.* 2. *a.* 5 Coninck *diſp.* 5. *n.* 18. & *diſ.* 7. *dub.* 10. *num.* 96. dicens, contrariam non videri probabilem. Layman *lib.* 5. *tract.* 6. *c.* 12. *n.* 4 Reginald. *tom.* 1. *lib.* 3. *c.* 3. *n.* 25 Turrianus *de Pœnit. q.* 9. *a.* 2. *diſ.* 30. *dub.* 1 *ad* 3. Henriq. *lib.* 6. *c.* 10. *n.* 9. Cardinalis de Lugo *diſ.* 17. *ſect.* 3. *n.* 39. & 40. & alij multi, quos refert & ſequitur Diana *loco citato*. Neque eſt vllus ex auctoribus noſtræ Societatis qui eam docuerit. 2

Probatur id *primò*, ex perpetuo vſu Eccleſiæ, quem Decreta Conciliorum, & Pontificum clarè oſtendunt, abſoluendum quidem eſſe infirmum, qui loqui non poteſt, ſi tamen illius præcedat ſaltem petitio, ſeu deſiderium confitendi.

Secundò à priori, nam aliqua peccatorum externa Confeſſio ad eſſentiam Sacramenti Pœnitentiæ ita eſt neceſſaria, vt nullo vnquã caſu ſine ea poſſit conſiſtere ergo moribundus in tali caſu, tametſi interiùs habeat Attritionem, ſi nullum ſit externum ſignum voluntatis confiten-

Digitized by Google

confitendi, non poteſt abſolui, quia nō eſt in illo externa Confeſſio. Antecedens conſtat apud omnes; Tū quia Confeſſio externa eſt pars eſſētialis Sacramēti; nulla autē res poteſt conſiſtere ſine parte ſua eſsētiali; Tū quia caſus neceſſitatis non mutat eſſentiā Sacramēti. Quare ſi valide daretur Sacramentū ſine Confeſſione in neceſſitate, ſequeretur etiā validè id fieri extra neceſſitatem; quod tamen dici non poteſt. Vnde ſi liceat ſemel fingere, aliqua ad eſſentiam Sacramenti ſufficere in neceſſitate, quæ non ſufficiunt extra eam; etiam liceret fingere poſſe dari in neceſſitate Baptiſmum ſine aqua; & ſic euerteretur omnis eſſentia Sacramentorum.

Tertiò, Sacramentum Pœnitentiæ ex ſua inſtitutione eſt iudicium externum, ſeu ſenſibile: ergo miniſter nō poteſt illud conferre, niſi vt Iudex externus, & ſenſibilis; Iudex autē iſte non poteſt procedere, nec ſētētiā ferre niſi ſenſibilē: hæc verò nequit dari, niſi accuſator præcedat, & accuſatio ſeu imploratio officij Iudicis externa, & ſēſibilis: ergo debet ex parte pœnitētis, qui eſt accuſator poſt peccatū commiſſū, dari aliqua voluntas ſēſibiliter manifeſtata, quā accuſet, vel ſaltem imploret officium Iudicis, aliter enim proferretur ſententia ſine vllo proceſſu, quę tamen nulla datur in tali moribundo, qui nullum externū ſignum volūtatis cōfitēdi adhibuit: ergo nequit Sacramentaliter abſolui, etiā ſub cōditione.

5 Ad argumēta oppoſita. Ad primū, teſtatur noſter Cardin. Lugo, eā narrationē nullū habere fūdamentū, quia diligēter petiit à multis doctis, & prudētibus viris, qui iā à multis annis Romę cōmorabātur, & ipſius Clementis tēpore aderant, & dixerūt ſe putare rē omninò fabuloſā. Additque fundamentū fortaſſe erráſſi, eſſe potuiſſe, quod multorū ore circūfertur, nempe interrogatū eundem Clementem de illo alio caſu moribundi, qui ſigna doloris exhibuit; dixiſſe eſſe abſoluendum, ſeque cum abſoluturum ſi adeſſet.

Ad ſecundū, dico, tametſi moribundus ille habuit actū Attritionis, adhuc non eſſe abſoluendum, quia deeſt id quod eſſentialiter requiritur ad hoc Pœnitentiæ Sacramentum in ratione Iudicis externi, & ſenſibilis, nempe accuſatio, vel imploratio officij Iudicis, qui non poteſt ex ſe ipſo inchoare hoc iudicium, ſed ad inſtantiam partis, videlicet pœnitentis.

Ad tertiū, cōceſſo Antecedēte, negatur Cōſequentia, nam vbi eſt dubiū rationabile, datur ſufficiēs cauſa illū abſoluēdi, quia poſſet illi prodeſſe abſolutio; & propter reuerētiam Sacramēti daretur ſub cōditione. Vbi verò certum eſt, nullum dediſſe ſignum pœnitentiæ, certum quoque eſt, non dediſſe materiam abſolutionis Sacramentalis, & conſequenter nec poſſe Sacramentum Pœnitentiæ conſiſtere.

Ad quartū, negatur, poſſe præſumi volūtatē ſēſibilē, quæ ſit accuſatio, vel imploratio Iudicis; hæc autē neceſſaria eſt, vt detur materia ſufficiēs ad abſolutionem.

Ad quintū eſt manifeſta diſparitas: nā ille qui eſt Catholicus, volens in Religione catholica viuere & mori, vult more catholicorū gubernari, & eorū ritus recipere, inter quos eſt ritus Extremæ-Vnctionis dādæ infirmis, atq; ideò cū illa volūtate generali, ſufficiēter vult illud Sacramentum ſuo tempore recipere, ſicut etiam & Euchariſtiam in mortis articulo. Attamen ad Sacramentū pœnitentiæ requiritur voluntas magis ſpecialis: quia cū hoc Sacramentum contineat iudicium, in quo Sacerdos profert ſententiā vt Iudex, requiritur neceſſario vt accuſator, vel reus deferat cauſam ad iudicium; non enim Iudex poteſt inchoare ex ſe iudicium, niſi ad inſtantiam partis. Vnde neceſſe eſt, vt pœnitens quando poteſt, ſe explicitè accuſet; quòd ſi non poteſt, debet ſaltem implorare officium Iudicis, oſtendendo voluntatem confitendi exteriùs. Vnde non ſufficit voluntas illa generalis, quam quiſque habet, dum baptizatur, ſuſcipiendi omnia Sacramenta ſuo tempore: nam debet eſſe actio externa iuridica manifeſtatiua doloris, qua recurrat ad officium Iudicis implorandum: qualis actio non eſt, ſolum eſſe Chriſtianum, vt conſtat. In quo eſt differentia à Sacramento Extremæ-Vnctionis, ad cuius valorem ſufficit voluntas interna, etiamſi exteriùs non oſtendatur. Videantur dicta ſuprà *tract.* 1. *diſ. vltima, ſect.* 3.

Ad vltimum, conſequenter idem dico, poſſe Confeſſarium abſoluere milites, quos ſine ſenſu morientes inuenit, ſi nimirùm in illa repentina hoſtium aggreſſione petierunt Confeſſionem; non verò ſi nullum deſiderij confitendi ſignum dederunt: eſt enim in illis eadem ratio, quæ eſt in aliis moribundis.

DISPVTATIO XXXIX.

De Confeſſione peccatorum ex neceſſitate reiteranda, ſeu repetenda.

CERTVM eſt, ſi Confeſſio fuit valida, non eſſe de neceſſitate Sacramēti, peccata cōfeſſa iterùm confiteri; quia illa iam fuerūt per Claues remiſſa: poſſe tamen licitè, & laudabiliter repeti illorū Confeſſionē, ſicut poſt vnam veram Contritionem de peccatis habitam, tametſi non maneat neceſſitas habendi aliam, eſt licitum, ac valdè laudabile eam repetere. Si autem Confeſſio inualida fuit, ac nulla, eſt de neceſſitate Sacramenti, illa peccata iterùm confiteri, quia Confeſſio inualida nihil amplius operatur, quàm ſi facta non fuiſſet; ſi autem non fuiſſet facta, neceſſariò eſſent illa peccata confitenda: ergo idem eſt neceſſarium, etiamſi facta fuerit. In hac verò Diſputatione dilucidandum eſt, quibus modis, vel cauſis contingat, Confeſſionem eſſe nullam, vt propterea dictam obligationem relinquat.

SECTIO PRIMA.

An ſit ex neceſſitate repetenda Confeſſio ex defectu doloris, intentionis, ac etiam iuriſdictionis impeditæ per cenſuram?

CErtum eſt *primò*, ex dictis ſuprà *diſputatione decimanona integra*, præſertim ex *ſectione prima*, dolorem eſſe diſpoſitionem requiſitam eſſentialiter ad valorem Sacramenti, & ad primarium finem illius, qui eſt Abſolutio à peccatis, & eſſe partem eſſentialem ipſius Sacramenti: ergo ex defectu illius Confeſſio nulla eſt. 1

Hinc certum eſt *ſecundò*, defectum integritatis Confeſſionis omnium peccatorum mortalium, ita vt talis integritas deſit ex culpa mortali pœnitentis, eſſe cauſam nullitatis illius. Patet manifeſtè, quia cùm tunc mala fide & culpabiliter tacuerit peccatum mortale, & in hoc ipſo commiſerit nouum peccatum graue, non potuit tunc habere dolorem, nec propoſitum debitum. Vnde, ea Cōfeſſio eſt neceſſariò repetēda. Quòd ſi aliquis in Confeſſione aliquod peccatū propter ignorantiā omiſit, nō ſēper debet ea Confeſſio reiterari: nam ſi ignorantia fuit inuincibilis, prout communiter 2

contingit, iudicandum eſt de illo peccato, ſicut de peccato inculpabiliter oblito; atque ideò ſufficiet illud peccatum omiſſum dicere in ſequenti Confeſſione. Idem dico, quando omiſſum fuit peccatum ex ignorantia culpabili ſolùm venialiter; quia illa culpa venialis non poteſt impedire valorem Sacramenti, nec effectum abſolutionis præteritæ. Notat Cardinalis de Lugo *diſputat. 16. ſect. 15. num. 599.* Si quis ante decem annos, verbi gratia, tacuit culpabiliter peccatum mortale, & poſteà in aliis Confeſſionibus intermediis non recordatus eſt; nunc quando Confeſſarius comperit vitium illius Confeſſionis præteritæ, non debere obligare ad repetendas omnes Confeſſiones intermedias bona fide factas, ſed ſolùm illam, in qua fuit ille defectus, cùm aliæ omnes potuerint validæ, & fructuoſæ eſſe, dum illius ſacrilegij non recordabatur.

3 *Tertiò*, certum eſt, Confeſſionem eſſe nullam, & reiterandam ex defectu formæ, vel quia non profertur, vel non verbis neceſſariis; vel etiam quia abſque intentione abſoluendi proferatur, vt conſtat ex dictis in præcedentibus tractatibus.

4 *Quartò*, certum eſt, Confeſſionem eſſe repetendam, quando Confeſſarius non habebat iuriſdictionem neceſſariam. Patet, quia proprium eſt huius Sacramenti Pœnitentiæ eſſe iudicium: at interueniente hoc defectu iuriſdictionis neceſſariæ, tam Confeſſio, quàm Abſolutio nullæ ſunt, quia neque illa eſt accuſatio, neque hæc ſententia.

5 Solum dubitari poſſet de eo caſu, in quo Sacerdos haberet iuriſdictionem quoad aliqua peccata, putà non reſeruata; non verò quoad alia quæ eſſent reſeruata, an eſſet tunc Confeſſio reiteranda?

Breuiter dico cum Tabiena *verbo Confeſſio, numero 23.* Armilla *ibi §. 12.* Syluestro *verbo Confeſſor III. §. 1.* Nauarro *in ſumma, cap. 9. num. 6.* & eſt communis Doctorum ſententia, eam Confeſſionem bona fide factam eſſe validam, & non eſſe repetendam, quoad peccata non reſeruata, quia ab illis iam eſt pœnitens directè abſolutus à legitimo Iudice; eſſe tamen repetenda, quod ſola non reſeruata, à quibus non fuit directè abſolutus; quia reſpectu peccatorum non reſeruatorum, habet directam, & neceſſariam iuriſdictionem; & vtile per inutile non vitiatur, vt conſtat ex Iure.

6 Hinc colligo, ſi quis ſciat, ſe aliquando in vita, verbi gratia, feciſſe Confeſſionem menſtruam irritam ex defectu poteſtatis, ſeu iuriſdictionis in Confeſſario, non ideò debere irritare, ſeu repetere omnes Confeſſiones totius vitæ, vel anni; quia tametſi poſſit eſſe dubium circa peccati Confeſſionem, nõ ideò debes reiterare omnes Confeſſiones totius vitæ; quia non eſt dubium morale de ſingulis in particulari; ſed ſatis erit accuſare te de peccatis, quæ in illa Confeſſione dixiſti, quæ determinare non potes.

7 His poſitis tanquam certis, reſtat difficultas circa vltimum, de iuriſdictione impedita, quam habet Confeſſarius per excommunicationem, verbi gratia, ad miniſtrandum Sacramentum Pœnitentiæ, an propter hoc impedimentum, ſit neceſſariò repetenda Confeſſio. Quod tamen intelligendum eſt de excommunicatione proueniente ex notoria percuſſione Clerici, vel nominatim declarata.

Communis eſt Theologorum, & Canoniſtarum ſententia, Sacramentum Pœnitentiæ ad huiuſmodi excommunicato collatum extra caſum extremæ neceſſitatis non eſſe validum; atque adeò ex defectu iuriſdictionis neceſſariæ, Confeſſionem eſſe nullam, & reiterandam. Probant ratione optima, quia miniſter Sacramenti Pœnitentiæ, ſi non habet iuriſdictionem, non conficit Sacramentum, vt eſt certum, *ex cap. Omnis vtriuſque ſexus*, & ex Tridentino *ſeſſ. 14. cap. 7.* ſic dicente, *nullius momenti Abſolutionem eam eſſe debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut ſubdelegatam non habet iuriſdictionem.* At huiuſmodi excommunicatus priuatus eſt omni iuriſdictione fori contentioſi, & fori Pœnitentiæ interni, vt eſt certum ex materia de Cenſuris; ergo.

Hæc ſententia extra controuerſiam eſt, & vera: quam *ſequentibus dictis* magis declaro.

Dico ergo *primò*, quando pœnitens nouit Sacerdotem eſſe ſic excommunicatum, & nihilominùs ſciens ei confitetur, nullum facit Sacramentum, eáque Confeſſio eſt neceſſariò reiteranda. Hoc eſt certum, quia in hoc euentu, duplex concurrit cauſa nullitatis Sacramenti, altera ex defectu iuriſdictionis in Sacerdote miniſtrante; altera ex defectu materiæ eſſentialis in pœnitente, qualis eſt integra Confeſſio cum ſufficienti dolore: hunc enim habere poteſt, qui actu, & voluntariè peccat mortaliter in ipſa Confeſſione. Quod etiam verum cenſeo, etiam de illo, qui ex ignorantia hoc facit, quæ à mortali culpa non excuſat. 8

Dico *ſecundò*, ſi pœnitens confiteatur cum ignorantia inuincibili cenſuræ Sacerdotis, & illa ignorantia procedit ex communi, & publica exiſtimatione, qualis contingere poteſt, ſi huiuſmodi excommunicatus in vno loco, ad alium remotiſſimum recedat, & ibi ad hoc miniſterium exponatur publicè, tunc certum eſt validum eſſe Sacramentum. Ita omnes, & patet, quia tunc in hoc caſu iam non interuenit defectus materiæ, vt per ſe conſtat; neque etiam defectus iuriſdictionis, nam licèt excommunicatus alioqui, per ſe loquendo, illam non habeat, in illo tamen caſu videtur Eccleſia illam ſupplere, & illi conferre iuriſdictionem, propter commune bonum, ſeu publicum officium. Vt ſic actus publici bona fide facti valeant, argumento *l. Barbarius, ff. de officio Pretoris.* Vnde in eiuſmodi caſibus reddit ignorantia probabilis excuſatos: vt expreſsè dicitur *in cap. Apoſtolicæ, de clerico excommunicato miniſtrante.* 9

Dico *tertiò*, ſi pœnitens hoc faciat bona fide ex ignorantia inuincibili, procedente ex ſolo priuato, & particulari errore, tametſi ille excuſetur à culpa, Sacramentum tamen inualidum eſt ex defectu iuriſdictionis, éſtque Confeſſio illa iteranda. Ratio eſt, quia ibi ceſſat ratio communis boni, ſeu publici officij ſecundùm communem exiſtimationem; & ideò Eccleſia non ſupplet illum defectum, nam Leges morales non attendunt particularia incommoda, ſed attendunt id, quod bono communi expediens eſt. 10

SECTIO II.

An, & quando Confeſſio facta fuit Confeſſario ignaro, & dormienti ſit nulla, & repetenda?

SVppono, circa primum, pœnitentem eſſe conuenienter diſpoſitum, & accedere cum bona fide ad Sacerdotem ignarum. Suppono etiam ignorantiam Sacerdotis non eſſe tantam, vt neſciat quoque Abſolutionem proferre, vel cognoſcere regulariter moralem actũ etiam ſub communi ratione peccati mortalis, aut venialis; ſic enim Sacerdos iſte eſſet prorſus inhabilis, & abſolutio ab eo data omninò nulla. Nam tunc ille homo non poſſet exercere humano modo hoc miniſterium, cùm nec poſſet intendere verba abſolutionis proferre, nec cauſam, ſeu conſcientiam examinare. Verùm hoc genus ignorantiæ rariſſimum eſt, ac ferè impoſſibile 1

in

in eo qui ratione vtitur,& in Eccleſia verſatur, & vult Confeſſionem audire,& quid nomine Confeſſionis ſignificetur, intelligit. Difficultas ergo eſt de Confeſſario ignorante diſtinctionem peccatorum in ratione mortalis,& venialis. Videtur enim ob huiuſmodi ignorantiam, etiam Confeſſionem eſſe nullam, ac repetendam. Quia de ſubſtantia Confeſſionis eſt, non ſolùm dicere peccatum, ſed etiam tale, vel tale peccatum: ergo de ſubſtantia Confeſſoris eſt, non ſolùm poſſe audire,& percipere peccatum, ſed etiam quod ſit tale, vel tale; at non poteſt hoc percipere, qui non habet talem notitiam, ſiue per ſe, ſiue per aliorum, ſiue per ipſiuſmet pœnitentis inſtructionem: ergo.

2 Dico *primò*, certú eſſe in caſu extremæ neceſſitatis, validam eſſe Confeſſionem, nec repetendã factã Cõfeſſario ignoranti. Ratio eſt, quia tunc quilibet Sacerdos, quantumuis ignarus, licitè abſoluit. Nam in mortis articulo, vel periculo, quælibet Confeſſio cuiuſlibet peccati ſufficit, quãdo aliter fieri nõ poteſt;& ſimiliter Sacerdos, qui alias, per ſe loquendo, eſſet ignorans, pro illo articulo cenſetur ſufficiẽter inſtructus, dũmodo ſciat abſoluere,& materiam aliquã, quæcumq; illa ſit, cognoſcere,& diſpoſitionem ſufficientem ad Abſoluendũ poſtulare, aut ex ſignis percipere: harum enim rerum cognitio nunquam poteſt non eſſe neceſſaria; illa verò ſufficit, vt in ea occaſione iuſta ſentẽtia Abſolutionis proferatur. Idẽ iudico dicendũ quãdo captiui inter infideles non habent Sacerdotem, cui confiteantur, niſi valdè ignorãtẽ: quia illa neceſſitas moraliter eſt extrema,& reputatur tanquam periculũ mortis, cùm ante mortẽ non ſperetur alius Sacerdos magis idoneus; nec poteſt in eo ſtatu eſſe moralis ſecuritas habẽdi copiã alterius Cõfeſſoris magis docti, etiã ſuperueniente mortis neceſſitate.

3 Vnde colligo, ſi quis in articulo mortis confiteatur Sacerdoti ſic ignoranti, ſciens ignorantiam eius, quia nõ habet doctiorem cui confiteatur,& ipſum licitè facere,& alterum licitè abſoluere, ſi vterque ſcilicet pœnitens,& Confeſſor, pro tunc faciat quod poteſt. Et hoc ſatis eſt, vt non teneatur penitens iterùm talia peccata confiteri: maximè, quia in eo articulo tenetur pœnitens omnia illa peccata confiteri tali Sacerdoti, eorúmque notitiam dare, quantum eſt capax,& ipſe poteſt: ergo ea confitendo, ſatisfacit ſuæ obligationi; atque ideò non eſt cogendus ea iterùm confiteri.

4 Dico *ſecundò*, etiam eſſe certum, validam eſſe Confeſſionem, nec repetendam, tametſi pœnitens confiteatur aliquod peccatum vt veniale, quod verè eſt mortale,& Confeſſor in eadẽ ſit ignorantia. Id rectè notauit Corduba *in ſumma q.9.*& Victoria etiã *in ſũma n.155.* Ratio eſt, quia nõ eſt de neceſſitate,& valore huius Sacramenti, vt Sacerdos,& pœnitens cognoſcant totam grauitatem culpæ. Nam etiam homini docto contingere poteſt, quòd ignoret de aliquo ſpeciali peccato, an ſit mortale, vel veniale; imò moraliter loquẽdo, neceſſe eſt vt cõtingat: Nõ ergo eſt tunc iniiciẽdus ſcrupulus pœnitenti, vt teneatur ea peccata iterùm confiteri.

5 Dico *tertiò*, ſi Confeſſarius ſit ignarus circa maiorem partẽ peccatorum, dummodò habeat notitiam de aliquo ſaltem peccato pœnitentis, & ſit bona fides ex parte pœnitentis, abſolutionem eſſe validam, nec repetendam Confeſſionem. Ita Suarez *diſp.28.ſect.1.*& Cardinalis Lugo *diſp.16.ſect.15. num. 603.* Probatur ratione ab illis tradita quæ optima eſt, quia ſi Confeſſarius ſit doctus, & habeat ignorantiam circa aliquod peccatũ, putans eſſe veniale, quod eſt mortale, adhuc abſoluit directè ab illo,& pœnitẽs nõ tenetur iterũ illud confiteri, vt conſtat ex *præcedenti dicto*: ergo poterit abſoluere directè ab omnibus, licèt de pluribus illorum habeat eandem ignorantiam: patet Conſequẽtia, quia ſi ignorantia ſemel non impedit abſolutionẽ directam ab vno peccato, circa quod eſt ignorantia, neq; etiã impediet circa alia, cùm non ſit maior ratio,& cõſtet iuriſdictionem circa aliquod peccatum poſſe ſtare cum ignorantia, circa eius grauitatem. Igitur Confeſſarius, licèt ſit ignarus circa maiorem partẽ peccatorum,& eorum grauitatem; poterit tamen abſoluere, ſicut poteſt ab vno vel altero, cuius grauitatem ignorabat.

6 Solùm eſt notandum, quando pœnitens diſcretus ac prudens intelligit in ipſa Confeſſione, non percepiſſe Confeſſariũ grauitatem mortalẽ ſuæ culpæ, quod ſæpè coniici poterit, vel ex pœnitentia iniuncta, vel ex aliis ſignis, tunc debere apertè declarare ſuam culpam fuiſſe mortalem; quia tenetur facere quod in ſe eſt, vt Sacerdos hoc intelligat, & rectè iudicet, ac iuſtè: extra hunc verò, aut ſimilem caſum, non tenetur pœnitens explicare quaſi in actu ſignato ſuam culpam eſſe mortalem: nec tenetur per ſe loquendo ampliùs inſtruere Confeſſorem, aut præſumere illum eſſe adeò ignorantem, vt id non intelligat. Ita benè notauit Suarez citatus, *n.*18.

7 Ex dictis colligo, in duobus tantùm caſibus teneri pœnitentem, moraliter loquendo, ad iterandam Confeſſionem ob ignorantiam ſeu imperitiam Confeſſoris. *Primò*, quando nouit illum eſſe ita imperitum, vt ſuam conſcientiam diiudicare non ſufficiat,& nihilominus illi confeſſus eſt. *Secundò*, quando in ipſa Confeſſione intellexit ſufficienter, Confeſſorem non percipere grauitatem delicti,& tamen ſimpliciter,& ſine ampliori inſtructione confeſſus eſt. Ita obſeruauit Suarez relatus, ex Nauarr. *in ſumma cap. 9. numero duodecimo.*

8 Ad argumentum adductum *num.* 1. neganda eſt Conſequentia, quæ nullo modo valida eſt: Tum quia ſæpiſſimè accidit ea ignorantia in Confeſſoribus,& poſtea detegitur cognitã meliùs perſonã Cõfeſſoris: Tum maximè, quia inde ſequeretur magnũ abſurdũ, quod valdè oneroſũ redderet Sacramẽtũ Cõfeſſionis, vt nimirùm quoties Sacerdos nõ intellexit circũſtantias mutare ſpeciem, etiãſi pœnitens eas ſufficiẽter declaret, poſteà cognitã ignorantiã Sacerdotis a pœnitẽte, teneri eas iterũ cõfiteri; quia etiã eſt de neceſſitate Cõfeſſionis, has circũſtãtias cõfiteri: ergo & quòd Confeſſor eas intelligat. Quare dicendũ eſt, ſi bona fides ſit ex parte pœnitẽtis, vt ſemper ſupponitur, Abſolutionem eſſe validam; quia ad hoc ſufficit quòd Confeſſarius habeat aliquam notitiam de aliquo ſaltem peccato pœnitentis, quę notitia nunquam deeſt illi Cõfeſſario, cùm videat pœnitentem confiteri ſe peccatorem,& petere Abſolutionem; & impoſſibile etiam eſt ſaltem moraliter, quòd aliquod ſaltem peccatum non intelligat,& ſciat eſſe peccatum quod ſufficit, vt validè abſoluatur.

Circa ſecundum, de Confeſſore dormiente, conſtat apud Doctores, ſicut & de ignorante idioma pœnitentis, non poſſe abſoluere, quia Sacerdos non poteſt abſoluere, niſi præcedat Confeſſio; non eſt autem Confeſſio, quando Sacerdos non audit, quia Confeſſio non fit niſi audienti: perinde etiam ſe habet non intelligẽs voces,& earum ſignificationem, ac ſi non audiret. Quare conſequenter dicendum eſt, debere repeti peccata, quæ Confeſſarius non audiuit, ea verò quæ audiuit, repetenda non eſſe.

9 Sed quid dicendum, ſi pœnitens poſt Abſolutionem aduertat, Confeſſarium aliquod, vel aliqua peccata non intellexiſſe propter ſomnum; neſcit verò quòd fuerit illud peccatum, tenetur ne tunc repetere totã Cõfeſſionẽ vt directè abſoluatur ab illo peccato, à quo nondum directè eſt abſolutus? *Reſpõdeo*, ſi cõſtet, Confeſſariũ dormiſſe, ita vt prudẽter de ſingulis peccatis dubitari poſſit, an hoc peccatum audierit, debere totam Confeſſionem reiterari; ſi verò non poſſit de ſingulis ita dubitari,

Digitized by Google

ſed ad ſummum in communi de aliquo peccato, non eſſe obligationem reiterandi Confeſſionem, ſed confitendi illud peccatum in communi. Ratio eſt, quia peccatum in communi eſt materia Confeſſionis, & aliquando neceſſaria, vt conſtat in eo, qui recordatur ſe grauiter peccaſſe, & non recordatur ſpeciei peccati. Igitur ſicut ſi pœnitens dubitet prudenter de aliquo peccato in communi an illud confeſſus fuerit, debet confiteri illud dubium, quia dubitans de aliquo peccato mortali à ſe commiſſo, debet illud confiteri dubium, licèt non recordetur in particulari ſpeciei talis peccati; ita ſimiliter, ſi ſciat aliquod peccatum mortale non fuiſſe à Confeſſario dormiente, vel diſtracto intellectum, vel ſi etiam de hoc ipſo prudenter dubitet, debet illud confiteri cum ea generalitate, licet non ſciat in particulari, quale fuerit illud peccatum, quia illud idem peccatum in communi poteſt recipere abſolutionem Sacramentalem directam, vt conſtat apud omnes. Debet autem tunc pœnitens determinare materiam, quantum fieri poterit, vt v. g. ſcio, vel dubito, an Confeſſarius audierit, vel perceperit vnum peccatum graue, neſcio quale fuerit, ſed illo tempore confiteri ſolebam, tales vel tales ſpecies peccatorum. Ita prudenter notauit noſter Cardinalis de Lugo *diſp. 16. ſect. 15. num. 610.*

SECTIO III.

An propter excommunicationem non ablatam, ſit Confeſſio nulla, ac repetenda?

1 Senſus quæſtionis eſt de habente excommunicationem maiorem v. g. de qua non fuit prius abſolutus, quàm à peccatis, an Abſolutio ab iſtis ſit valida, ſi pœnitens bona fide procedat: nam ſi mala fide procedit, iam Confeſſio, & Abſolutio irrita eſt, & nulla ex defectu diſpoſitionis debitæ. Hoc enim eſt ſingulare in Sacramento Pœnitentiæ, vt peccatum mortale commiſſum in ipſamet Confeſſione, & ſuſceptione talis Sacramenti, ſit contra ſubſtantiam eius, illúdque irritum reddat, quia materia eſſentialis huius Sacramenti eſt integra peccatorum Confeſſio cum ſufficienti dolore, quam impedit ac deſtruit actuale peccatum mortale in ipſa Confeſſione commiſſum; hoc autem committit excommunicatus occaſione cenſuræ, mala fide procedens. Vt ergo per ſe, ac propriè quæſtio procedat, nullum interuenire debet peccatum mortale ex parte excommunicati ſuſcipientis Sacramentum Pœnitentiæ ante abſolutionem cenſuræ, & procedentis bona fide, ſiue ea proueniat ex ignorantia, ſiue ex alia neceſſitate recipiendi tale Sacramentum, coniuncta cum impotentia, vel malitia miniſtri.

2 Opinio eſt Paludani, Syluest. & Adrian. quam ſequitur noſter Vaſquez *tom. 4. in 3. part. tract. de excommunicat. dubio 4. n. 9.* de omni excommunicatione etiam minori dicentium, ipſam facere irritam abſolutionem. Quod idem ſentit Sotus, de excommunicatione maiori. Id docet Vaſquez, ſibi euidenter videri fuiſſe definitum, imò tanquam antiquiorem definitionem declaratum in *cap. Si celebret, de Clerico excommunicato.* Vbi Gregorius IX. loquens de excommunicato minori excommunicatione, ſic ait: *Peccat autem conferendo Eccleſiaſtica Sacramenta, ſed ab eo collata virtutis non carent effectu: cùm non videatur à collatione, ſed participatione Sacramentorum, quæ in ſola conſiſtit perceptione, remotus.* Vbi ponderandum eſt hoc vltimum verbum, *Remotus*, quod intelligi non poteſt de mera prohibitione, quia per prohibitionem etiam eſt remotus à collatione, cùm Pontifex clarè dicat, ipſum conferendo Sacramenta. Igitur intelligi debet illud, *Remotus*, de remotione, non ſolùm per prohibitionem, ſed etiam per incapacitatem, per quam non eſt remotus à conferendis, ſed à ſuſcipiendis Sacramentis. Addit Vaſquez, cùm conſtet in prædicto Textu, ſermonem eſſe de excommunicatione minori, à fortiori de excommunicatione maiori eſſe idem intelligendum.

Verior tamen, & communior eſt oppoſita ſententia, 3 validum eſſe Pœnitentiæ Sacramentum, nec Confeſſionem debere iterari. Hæc eſt multorum, & grauiſſimorum Doctorum, quos refert, & ſequitur Suarez *tom. 5. in 3. p. diſp. 10. ſect. 3. n. 9.* & Cardinalis Lugo *diſp. 16. ſect. 15. num. 613.* Præcipuum fundamentum eſt, quia per excommunicationem nihil tollitur, quod ſit de ſubſtantia Sacramenti Pœnitentiæ: ergo ſi ex parte ſuſcipientis non interueniat aliud impedimentum, ſola excommunicatio nequit irritare Sacramentum. Antecedens patet, quia ibi non deeſt materia, neque forma, neque intentio, vt ſupponitur, neque etiam iuriſdictio; quia per excommunicationem priuatur, quis iuriſdictione actiua in alios, non verò paſſiua ſubiectione ad alios ſibi ſuperiores; ſeu quod idem eſt, alij non priuantur iuriſdictione in ipſum, alioqui non tam ipſorum excommunicatorum, quàm ipſius Confeſſoris eſſet talis pœna. Firmatur, nam ſi Papa immediatè abſolueret aliquem excommunicatum à peccatis, nolens abſoluere à cenſuris, ipſo tamen pœnitente nihil peccante, talis abſolutio Sacramentalis eſſet valida, quia ibi fingi non poteſt defectus iuriſdictionis; cùm nulla poteſtas humana, nec canonicum ius poſſit priuare illum aliqua iuriſdictione: ergo euidens eſt, cenſuram intrinſecè non pugnare cum valore abſolutionis Sacramentalis: aliunde verò non conſtat, Sacerdotem priuari iuriſdictione ob cenſuram alterius: ergo abſolutio ab eo data, nullo alio interueniente impedimento, valida eſt, atque adeò Confeſſio illa non eſt repetenda.

Id ipſum clarius conſtabit *ſequentibus Dictis*, præ- 4 ſupponendo, dupliciter intelligi poſſe, quòd Eccleſia irritauerit Sacramentum Pœnitentiæ. Primo modo, inhabilitando ipſum excommunicatum ad receptionem illius, ſicut inhabilitauit aliquas perſonas ad contrahendum matrimonium. Secundo modo, auferendo iuriſdictionem à Sacerdotibus reſpectu pœnitentium excommunicatorum. Quo præmiſſo,

Dico *primò*, Eccleſiam non irritaſſe primo modo Sa- 5 cramentum Pœnitentiæ receptum ab excommunicato; imò neque id facere poſſe. Prima pars Dicti patet: Tum quia ea prohibitio non eſt ſpecialis pro Sacramento Pœnitentiæ, ſed eſt generalis reſpectu omnium Sacramentorum, nam eiſdem verbis prohibet excommunicato recipere hoc Sacramentum, quibus prohibet recipere reliqua alia: at certum eſt, excommunicatum non eſſe incapacem ad recipiendum Sacramentum Confirmationis, Ordinis, Matrimonij, Extremæ-Vnctionis, neque Euchariſtiæ, ergo nec Pœnitentiæ: Tum etiam, quia non conſtat de tali voluntate Eccleſiæ, quâ voluerit non ſolùm prohibere, ſed irritare etiam receptionem huius Sacramenti; cùm tamen Eccleſia ſoleat id clarè exprimere, quando intendit non ſolùm prohibere, ſed irritum reddere aliquem actum, præſertim in Sacramentis, prout id clarè expreſſit in Matrimonio, quando voluit Matrimonia clandeſtina irrita reddere: Tum denique, quia ſi Eccleſia id feciſſet, rigor extraordinarius videretur: nam duriſſimum eſſet, pœnitentem oblitum excommunicationis, vel habentem illius ignorantiam inuincibilem obligare, vt non poſſet vnquam iuſtificari per Sacramentum Pœnitentiæ, ſed ſolum per Contritionem; quia cùm ignoraret ſe eſſe excommunicatum, non quæreret vnquam abſolutionis

abſolutionis

Digitized by Google

abſolutionis remedium; atque ita maneret incapax recipiendi Sacramentum Pœnitentiæ. Vnde hic rigor contra hominem non potentem ſibi de remedio prouidere, videretur eſſe in meram deſtructionem. Non ergo eſt credendum, id feciſſe Eccleſiam, cuius poteſtas non eſt in deſtructionem, ſed in ædificationem, & remedium animarum.

6 Dico *ſecundò*, eſſe valdè probabile non potuiſſe Eccleſiam irritare illo primo modo Sacramentum Pœnitentiæ receptum ab excommunicato. Ratio, quæ me mouet, hæc vnica eſt, quia Sacramentum Pœnitentiæ eſt purum Sacramentum, ſic inſtitutum à Chriſto Domino: ergo exiſtente pœnitente ſubdito, cum diſpoſitione neceſſaria, ex inſtitutione Chriſti ad veritatem Sacramenti, non poteſt ab Eccleſia annullari illo primo modo. In quo eſt magnum diſcrimen inter Sacramentũ Pœnitentiæ, & Matrimonium: nam Matrimonium non eſt purum Sacramentum, ſed eſt contractus, & Sacramentum, & ratio contractus eſt fundamentum ad rationem Sacramenti, & quoniam in ratione contractûs, potuit irritari ab Eccleſia, videlicet inhabilitando perſonas ad contrahendum, ideò potuit irritare matrimonium clandeſtinum, quatenus contractus eſt; & etiam quatenus Sacramentum eſt, indirectè, & remotè, non verò directè, & immediatè, quia Sacramentorum inſtitutio, ac deſtructio non ſubiacet poteſtati Eccleſiæ, ſed id pendet ex voluntate, & intentione Chriſti ea inſtituentis, & ideo nequit Eccleſia circa Sacramentorum ſubſtantiam, aliquid præſtare, vel innouare, atque adeò nec illa deſtruere, vel irrita reddere. Poteſt tamen indirectè, & remotè, quia ratio Sacramẽti fundatur ſupra contractum; vnde annullando contractum, conſequenter irritat Sacramentum; nam ſublato fundamento, tollitur ædificium *c. Cùm Paulus*, 1. *q.* 1. Et quod de vno dicitur, neceſſe eſt vt de altero intelligatur, propter connexionem, ac proinde ſublato priori, conſequenter tollitur poſterius ab ipſo dependens. Videantur de hac re dicta à nobis *in tract. de Matrim. diſp.* 39 *ſect.* 3.

7 Dico *tertiò*, potuiſſe Eccleſiam irritare Sacramentum Pœnitentiæ, indirectè, ſecundo modo, nempe auferendo iuriſdictionem a Sacerdotibus reſpectu pœnitẽtiũ excõmunicatorũ. Hoc à nemine negari poteſt, & patet, quia tametſi Eccleſia nequeat directè annullare Sacramentum Pœnitentiæ (non enim efficere poteſt, vt ſi quis fateatur Sacerdoti iuriſdictionem habenti, & abſolutionẽ recipiat, irritũ ſit Sacramentũ; quia id eſſet omnibus requiſitis ad Sacramẽti valorẽ concurrẽtibus directè Sacramẽtũ annullare, cõtra inſtitutionẽ Chriſti) Poteſt tamẽ, auferẽdo iuriſdictionẽ à Sacerdotibus miniſtris efficere, vt abſolutiones ab ipſis præſtitæ peccatis auditis nullæ ſint; quia id tantum eſt deſtruere id quod eſsẽtialiter præreqiſitum eſt ad valorem Sacramenti, nempe iuriſdictionem, quo deſtructo, conſequenter, & indirectè deſtruitur Sacramentum.

8 Dico *vltimò*, de facto Eccleſiam non irritaſſe Sacramentum Pœnitentiæ illo ſecundo modo, reſpectu pœnitentium excõmunicatorũ, ſed ſolũ illis ſimpliciter prohibuiſſe, ne recipiant Sacramẽtũ Pœnitẽtiæ. Ita cõmuniter Doctores, & probant rationes ſuprà adductæ *n.* 3. Et ampliùs firmatur, quia per excommunicationẽ nihil tollitur, quod ſit de ſubſtantia Sacramenti Pœnitentiæ; neque enim ipſe excommunicatus eſt incapax, cùm cenſura tantùm ſit vinculum, quod habet adiunctum præceptum non recipiendi Sacramenta, vnde ſolùm reddit receptionem iniquam, non autem inualidam, atque adeò ſi ſit cauſa aliqua excuſans à peccato & à tranſgreſſione præcepti, qualis eſt bona fides excommunicati, erit valida, & fructuoſa receptio Sacramenti ex parte ipſius. Nec verò tollitur iuriſdictio Miniſtri reſpectu excommunicati, quia non conſtat de tali voluntate Eccleſiæ, cùm nullo iure id probari poſſit, nec ea colligi poteſt ex eo quòd excommunicatum priuauerit Sacramentorum participatione: nam ſi præcisè ex voluntate priuandi excommunicatum vſu Sacramentorum, colligeretur, Eccleſiam irritaſſe abſolutionem, ablata iuriſdictione omnibus Sacerdotibus, ſimiliter colligi deberet, irritaſſe Sacramentum Matrimonij, irritãdo conſenſũ coniugis excommunicati, quia vt ſupra dixi *n.* 5. ea prohibitio non eſt ſpecialis pro Sacramento Pœnitentiæ, ſed eſt generalis reſpectu omnium Sacramentorum; & eiſdem verbis prohibet Eccleſia excommunicato recipere Sacramentum Pœnitentiæ, quibus prohibet recipere reliqua alia, atque adeò & Matrimonium. De hoc autem nemo dixit, nec dici vllo modo poteſt irritari, irritando conſenſum coniugis excommunicati: ergo id nec dici debet de Sacramẽto Pœnitentiæ, tollendo iuriſdictionẽ reſpectu excõmunicati pœnitentis, bona fide ad illud accedentis.

Ad argumentum Vaſquez deſumptum *ex c. ſi celebret, de clerico excommunicato*, vbi dicitur excommunicatum excommunicatione minori, peccare conferendo Sacramẽta. Reſpondet Coninck *diſp.* 14. *dub.* 17. *n.* 264. quem ſequitur Cardinalis Lugo citatus *n* 618. talẽ excommunicatum venialiter peccare, conferendo Sacramẽta ſine neceſſitate, non quòd ei ſit hoc directè prohibitum, ſed quia indecens eſt, aliquẽ conferre aliquod Sacramentum, à cuius ſuſceptione tanquam indignus eſt prohibitus. Non placet mihi hæc ſolutio, ſicut nec Suario *tom.* 5. *in* 3. *p. diſp.* 24. *ſect.* 2. *n.* 12. 9

Quare pro ſolutione dictæ obiectionis, dico tria, *Primũ eſt*, ſic excõmunicatũ per ſe nõ peccare etiã venialiter adminiſtrãdo, vel conferẽdo Sacramẽta. Patet, quia excõmunicatio minor id nõ prohibet, cũ nõ priuet actiua adminiſtratione Sacramẽtorũ, ſed tantum eorũ receptione, vt dicitur *in c.* 2. *de exceptionibus, & in c. penultimo, de ſententia excõmunicationis*. Et ratio eſt, quia hęc cenſura per ſe non eſt culpa, ſed pœna; neque etiam neceſſariò ſupponit culpã mortalẽ, quia etiã incurritur ob veniale peccatum: quòd ſi interdum mortale ſupponat, erit per accidens, & poterit per Contritionem auferri. Igitur talis cenſura per ſe ſolam corã Deo non affert indignitatẽ, vel indecentiam, ratione cuius, cõtra rationẽ ſit, aut contra ſanctitatẽ Sacramẽti, illud in eo ſtatu adminiſtrare. Cùm q; alias ex vi talis cenſuræ illa collatio, vel adminiſtratio prohibita directè non ſit; certè ex nullo iure, nedũ naturali, apparet in eo actu ſufficiens ratio culpæ etiam venialis. *Secundũ eſt*; in capite illo, *ſi celebret*, dũ dicitur, *peccat autẽ conferendo Sacramẽta*, non dici de quocumq; Sacerdote ſic excõmunicato, ſed tãtũ de Sacerdote celebrãte, de quo in principio Capitis fuit ſermo. Quod etiã denotatur ſatis illa particula aduerſatiua, *autẽ*, quæ refertur ad præterita, nec poteſt cõmodè aliter referri. *Tertiũ eſt*, dici ibi peccare conferendo aliis v.g. Ordines ſacros, & Euchariſtiã, nõ præcisè quia cõfert, ſed quia confert celebrando; qua ratione etiam ſuſcipit Euchariſtiã, in quo peccat: vt denotatur illis ſequẽtibus verbis: *ſed ab eo collata, virtutis nõ carent effectu, quia nõ à collatione, ſed à receptione eſt remotus*. Dicitur autẽ à Põtifice, quòd Sacramẽta ab eo ſic excõmunicato collata, nõ careãt effectu; quia ſic excõmunicatus illa adminiſtrãs, nõ peccat ex eo, quòd illa confert, ac proinde alter ſuſcipiẽs licitè, & fructuoſè illa recipit ab eo; quod nõ fieret, ſi excommunicatus illicitè illa conferret, quia illa ſaltem exceptã Euchariſtiã, conferret illicitè mortaliter, quia collatio illorum, ſaltem exceptã collatione Euchariſtiæ, eſt materia grauis. Vnde quamuis celebrans ſic excommunicatus, peccet mortaliter, ſuſcipiendo Euchariſtiam, quia ſuſceptio Sacramenti eſt materia grauis; ſed non fit irregularis, vt dicitur in eo Capite, 10

quia non peccat ipſa actione celebrandi, & effectione Euchariſtiæ, ſed tantùm eam ſuſcipiendo : ipſa autem excommunicatio minor, quæ regulariter ſolo Iure infligitur ob illicitam communicationem per modum commercij cum excommunicato excommunicatione maiori denunciato, aut notoriè excommunicato ob percuſſionem Clerici, tantùm directè priuat receptione, ſeu paſſiua participatione Sacramentorum. Qui verò excommunicatione maiori, aut ſuſpenſione, aut interdicto ligatus exercet ſolemniter aliquem actum Ordinis ſacri, fit irregularis, vt conſtat ex *cap.* 1. *de ſententia, & re iudicata*: & ex *cap. Is qui*, 18. & ex *cap. Is cui*, 20. *de ſententia excommunicationis, in* 6. non verò qui ligatus ſola excommunicatione minori ſolemniter aliquem actum exercet Ordinis ſacri, irregularis eſt.

SECTIO IV.

An ſit Confeſsio repetenda, eo quòd Confeſſarius ante Abſolutionem oblitus eſt Confeſsionis, & ſtatus pœnitentis?

1 NOn procedit quæſtio, ſi Confeſſio repetatur diuerſo Confeſſario; quia tunc certum eſt, pœnitentem teneri iterùm omnia peccata ſigillatim repetere, ac recenſere, & Confeſſionem tam diſtinctè efficere, ac ſi nulla alia præceſſiſſet. Ratio eſt, quia vt Confeſſarius iudicet, & Sacramentalem abſolutionem impendat, debet cauſam, & omnia delicta cognoſcere, cùm ſententia non ſit ferenda, causâ non cognitâ: Confeſſarius autem non poteſt cognoſcere omnia delicta, niſi pœnitens ſigillatim omnia peccata repetat: nam ex alia priori Confeſſione iſte diuerſus Confeſſarius nullam notitiam conſecutus eſt; atque ideò neceſſe eſt, vt plenam recipiat. Eſt igitur quæſtio, quando Confeſſarius idem eſt, qui iam eadem peccata in Confeſſione audierat, & ea peccata memoria exciderunt. Nam ſi Confeſſarius adhuc habeat recentem memoriam illorum peccatorum, ſufficiet ea vno verbo confiteri, dicendo ſe aliàs inualidè fuiſſe confeſſum, ob talem, aut talem defectum, & ſic de omnibus iis dolere, eaque confiteri : quia hac ratione ſufficienter Sacerdoti omnia peccata explicantur. Si autem Confeſſarius oblitus ſit eorum, quæ in priori Confeſſione dicta ſunt, variant Auctores, an peccata debeant ſigillatim repeti. Variis enim modis contingere poteſt, quòd Confeſſarius obliuiſcatur prioris Confeſſionis ante Abſolutionem. *Primò*, ſi Confeſſio irrita fuit ex defectu doloris, vel propoſiti, & poſteà ablato impedimento, pœnitens vult ab eodem Confeſſario validè abſolui, qui tamen iam Confeſſionis memoriam non habet. *Secundò*, ſi audita Confeſſione, oportuit Abſolutionem differre per aliquot dies, & poſt illos, redeunte pœnitente, iam Confeſſarius non recordatur Confeſſionis. *Tertiò*, ſi Confeſſio longa ſit, & duret per aliquot dies, ita vt tempore Abſolutionis, iam Confeſſarius non recordetur eorum quæ diebus præcedentibus audierat. In his igitur, & ſimilibus caſibus videndum eſt, an debeat Confeſſio tota denuò repeti, aut qualis eius memoria poſſit ſufficere.

2 Corduba *in ſumma q.* 6. affirmat Confeſſionem eſſe omninò repetendam, quia prior nihil operari poteſt, cùm neque in ſe, neque in memoria maneat. Vnde tunc Confeſſarius ſe habet, ac ſi ipſi nunquam facta fuiſſet Confeſſio illa. Quare tunc nullum verbum confusè dictum poteſt æquiualere diſtinctæ Confeſſioni, quia nihil iuuatur ex præcedenti.

In contrarium verò, eſt praxis communis, & ſententia Doctorum. Nam ferè omnes vniuerſaliter dicunt, ſufficere poſteà memoriam confuſam peccatorum, vndecumque proceſſerit defectus Confeſſionis prioris, ſic enim notus eſt ſtatus pœnitentis. Vnde inferunt validam eſſe Confeſſionem, quam pœnitens non potuit vna vice perficere, ſed eam iteratis vicibus perfecit, ſpatio multorum dierum, & in fine obtinuit abſolutionem à Sacerdote, cui notus eſt ſtatus pœnitentis, quamuis Sacerdos, tempore abſolutionis, non recordaretur omnium peccatorum in particulari. Similiter aſſerunt, eum qui prius confeſſus eſt peccata Sacerdoti non habenti facultatem abſoluendi, ſi Confeſſionem repetat coram eodem Sacerdote, poſtquam idem Sacerdos obtinuit facultatem abſoluendi, ſatisfacere, accuſando ſe in genere de peccatis aliàs eidem confeſsis, modò Confeſſarius aliquo pacto, recordetur ſtatus pœnitentis. Et ratio eſt, quia Confeſsio idcircò ſigillatim repetitur, vt Confeſſarius in Sacramentali foro veniat in cognitionem ſtatus pœnitentis; ſufficienter autem venit in cognitionem ſtatus pœnitentis, ſi prædicto modo explicentur Confeſſario cognoſcenti, ſaltem in confuſo, ſtatum ipſius pœnitentis. Ita ſentiunt Nauarrus Syluester, Valentia, Vaſquez, Suarez, Coninckius, Reginaldus, Zerola, Henriquez, & alij quos refert, & ſequitur Bonacina, *de pœnitentia Sacramento, diſputatione* 5. *ſectione* 2. *puncto* 3. *numero* 15. Hanc ſententiam iudico veram, quam magis explico *ſequentibus Dictis*. 3

Dico itaque *primò*, tametſi Confeſſio iteretur coram eodem Confeſſario, ſi iſte oblitus ſit ſtatus pœnitentis, vel pœnitentiæ anteà iniunctæ tunc teneri pœnitentem ſingula peccata diſtinctè repetere, & non ſufficere notitiam confuſam : Ita communiter Doctores. Atque in hoc meo iudicio conuenire omnes debent, quia in hoc caſu præcedens Confeſsio perinde ſe habet, ac ſi facta non fuiſſet, ergo non ſufficit, vt pœnitens ſe accuſet in genere, ſed neceſſe eſt, vt diſtinctè omnia peccata declaret. Et hoc probat argumentum Cordubæ; quia cùm præcedens Confeſſio nihil operari poſſet, cùm neque in ſe, neque in memoria etiam confuſa maneat, nec ſit Confeſſario notus vllo pacto etiam in confuſo ſtatus pœnitentis, neceſſe eſt vt iterùm ſingula peccata repetat. Quod ampliùs firmo, quia Confeſſarius ita eſt Iudex ipſe ſolus in hoc tribunali, vt ipſe ſolus debeat ex peccatorum notitia, formare iudicium de eorum grauitate ad proferendam prudenter ſententiam : ergo tale iudicium fieri debet ab ipſo Confeſſario, ex notitia diſtincta, quam ipſe habet, vel habuit de peccatis. Ad hoc enim potiſsimùm exigitur Confeſsio diſtincta de ſpeciebus, & numero peccatorum, vt Confeſſarius poſsit prudenter iudicare, vt dixit expreſsè Tridentinum *ſeſſ.* 14. *cap.* 5. quia *quod ignorat, medicina non curat* quæ ſunt verba expreſſa Concilij : ergo non ſufficit, Confeſſarium habuiſſe aliquando notitiam diſtinctam de peccatis, ſi illa cognitio diſtincta præterita poſteà nullo modo dirigit, nec mediatè, nec immediatè ad iudicium faciendum : ergo requiritur cognitio diſtincta, quæ dirigat Confeſſarium ad iudicandum. Quare ſi Sacerdos priùs nullam pœnitentiam iniunxit, nec ſufficienter poteſt recordari ſtatus ipſius pœnitentis, vt poſſit conuenientem ei pœnitentiam imponere : tunc vt licitè detur abſolutio pœnitenti, eſt ſecundò confitendum, quia extra caſum neceſsitatis, vt Sacerdos poſsit licitè abſoluere, debet talem habere cognitionem ſtatus pœnitentis, vt poſsit ſcire, quæ pœnitentia ei poſsit congruè iniungi. Verum tamen eſt, & maximè notandum, contingere 4

Digitized by Google

fingere poſſe in aliquo caſu, ſufficere notitiam confuſam, quando videlicet per notitiam confuſam, quæ modò datur, refricaretur memoria, & excitarentur ſpecies in Confeſſario, qui ea occaſione iam recordaretur confusè de notitia priùs accepta, & de ſtatu pœnitentis: nam tunc iam Confeſſarius non procederet ex ſola notitia confuſa, quam modò accipit, ſed ex memoria confuſa, quam habet de notitia diſtincta, quam accepit; atque ideò iam ex ſeipſo formaret iudicium genitum mediatè ex diſtincta notitia peccatorum priùs accepta. In hoc ſenſu intelligenda eſt doctrina noſtri Gaſparis Hurtado *diſputatione 8. de pœnitentia, difficultate octaua*, dicentis, ſi Confeſſarius non impoſuit pœnitentiam, vel non taxauit illam, aut ſi impoſuit, vel taxauit, & non recordatur illius, nec habet notitiam aliàs ſufficientem ad eam taxandam prudenter, neceſſarium eſſe, quòd ipſi fiat Confeſſio maior, quàm quæ fit vnico verbo, cùm pœnitens dicit ſe accuſare de peccatis in illa Confeſſione confeſſis; ſed non requiri Confeſſionem diſtinctè factam, ſed ſufficere Confeſſionem aliquam confuſam peccatorum anteà diſtinctè confeſſorum. Hoc enim intelligendum eſt, quando per hanc notitiam confuſam, refricatur memoria, & excitantur ſpecies in Confeſſario, qui ea occaſione recordaretur confusè de notitia diſtincta priùs accepta, & de ſtatu ipſo pœnitentis. Tunc enim ſufficeret notitia confuſa, qualis poſt longam pœnitentis Confeſſionem per aliquot dies, ſolet in Confeſſario relinqui.

5 Dico *ſecundò*, ſi Confeſſio fiat eidem Confeſſario, qui retinet notitiam peccatorum, quamuis confuſam, ſufficientem tamen ad imponendam conuenientem pœnitentiam; tunc pœnitentem non teneri iterùm diſtinctè confiteri peccata, ac ſi illa non fuiſſet confeſſus. Ità Doctores ſuprà allegati *n.* 3. & eſt praxis communis, in qua etiam omnes conuenire debent. Et ratio eſt, quia poſt Confeſſionem diſtinctè factam, & à Confeſſario perceptam, non eſt neceſſaria ipſi Confeſſario maior recordatio, ſeu notitia peccatorũ, quàm ſufficiens ad cognitionem ſtatus pœnitentis, & ad imponendam pœnitentiam conuenientem: ergo non eſt neceſſarium, quòd illi fiat iterùm diſtincta Confeſſionis repetitio, ſed ſufficiet, defectum Confeſſionis inualidæ explicare, & vnico verbo confiteri peccata in Confeſſione inualida diſtinctè confeſſa, & ea abſolutioni ſubiicere, vt ſi pœnitens dicat, ſe accuſare de peccatis in ea Confeſſione confeſſis.

6 Dico *tertiò*, frequenter contingere poſſe, vt pœnitens, qui diu eidem Confeſſario confeſſus eſt, poſſit vno verbo reiterare omnes illas Confeſſiones, dicendo, Accuſo me de iis omnibus, quæ tibi in aliis Confeſſionibus confeſſus ſum. Quod facile eſt remedium ſcrupuloſis, quando aliquem habent ſcrupulum de defectu aliquo culpabili in Confeſſionibus illis commiſſo, accuſando ſe ſimul de illo. Hoc Dictum ſequitur manifeſtè ex præcedenti, quia hoc pacto, habetur ſufficiens notitia de ſtatu pœnitentis: Imò, & fieri poteſt, quòd Confeſſarius hìc & nunc habeat non ſolùm æqualem, ſed etiam maiorem notitiam confuſam de peccatis illis, vel de ſtatu pœnitentis per illas omnes Confeſſiones explicato, quàm habeat, quando ipſe actu abſoluit poſt longam Confeſſionem generalem per plures dies factam: ergo ſicut hæc memoria confuſa ſufficit ad hunc caſum, vt docent communiter Doctores, & conſtat ex vſu, & praxi Confeſſariorum, ita etiam ſufficiet ad caſum præſentis Dicti.

7 Reſtat verò difficultas, an quando prima Confeſſio facta fuit Sacerdoti non Iudici, id eſt qui tunc abſoluere non poterat, quia tunc erat excommunicatus non toleratus, vel manifeſtus Clerici percuſſor, vel non erat approbatus, ſit neceſſariò repetenda in particulari? Affirmant Paludanus *diſt.* 17. *q.* 5. *a.* 1. & Adrianus *q.* 4. *de confeſſione*, quos ſequuntur nonnulli Recentiores inter quos Suarez *diſp.* 22. *ſect.* 6. *num.* 7. & Coninck *diſp.* 7. *dubio* 11.

Primò, quia illa Confeſſio non fuit Sacramentalis, hæc enim fieri debet Iudici, id eſt, qui tunc abſoluere poſſit; at vt ſequatur Abſolutio, debet fieri Sacramentalis Confeſſio.

Secundò, Confeſſio Sacramentalis eſt accuſatio, quâ pœnitens coram legitimo Iudice manifeſtat ſua peccata; quando verò Sacerdos non eſt Iudex, non eſt illa Cõfeſſio magis Sacramentalis, quàm ſi fieret non Sacerdoti, vel mero Laico: ergo tota ſimpliciter eſt repetenda, quia non fuit ſufficiens materia Sacramenti, & conſequenter nunquam ſuper ea cadere poteſt Abſolutio.

8 Cæterùm his non obſtantibus, dico *quartò*, non eſſe neceſſariò repetendam Confeſſionem in particulari, ac ſigillatim, tametſi non fuerit Sacramentalis, ſeu facta anteà non Iudici. Ita Vaſq. *q.* 92. *a.* 3. *dub.* 3. *n.* 3. Gaſp. Hurtado *diſp.* 8. *difficult.* 8. & Alij. Conſtat id primùm auctoritate, & praxi communi: Nam inprimis, ſi quis hodie accedat cum caſibus reſeruatis ad Confeſſarium non habentem iuriſdictionem ad eos abſoluendos, & confiteatur eos, & poſtera die, obtenta facultate abſoluendi, ante Abſolutionem non obligatur ad repetendam diſtinctè Confeſſionem de reſeruatis, ſed ſolùm breui ac confuſa de illis accuſatione, & Confeſſione abſoluitur: tametſi prior illa Confeſſio non fuerit Sacramentalis, ſeu non fuerit facta Iudici legitimo circa illa peccata. Idem vſus apparet, quando aliquis extra Confeſſionem, narrauit Sacerdoti amico, conſilij petendi gratiâ, aliqua peccata, & poſtea confitetur eidem, accuſans ſe breuiter, & confusè de illis omnibus quę extra Confeſſionem dixerat; in quo caſu non adeſt nunc in Sacerdote tam exacta, & diſtincta notitia, qualis eſſet, ſi nunc ſe diſtinctè pœnitens accuſaret; neque illa prior narratio fuit vllo modo Sacramentalis, nec accuſatio facta Iudici, ſed narratio facta amico: ergo fatendum eſt Confeſſionem etiam non Sacramentalem priorem perſeuerantem in memoria Confeſſarij non omninò diſtinctè poſſe fieri Sacramentalem per accuſationem ſubſequẽtem, taliter vt poſſit ad Sacramentum deſeruire: non quia illa prior narratio verè fiat accuſatio Sacramentalis in ſeipſa, cùm talis non fuerit, ſed quatenus poſterior accuſatio relata ad memoriam, quam habet Confeſſarius de illis peccatis diſtinctè priùs auditis, fit ſufficiens notitia, qualis in Confeſſione deſideratur. Cuius rei ratio à priori optima aſſignatur à Vaſquez, quia nimirùm in omni caſu, quando fuit quicumque defectus reddens irritum Sacramentum, & non fuit reuera Sacramentalis Confeſſio, poſteà fit Sacramentalis Confeſſio omnium peccatorum, explicatâ fictione, ſi quæ ſit, & repetita priori Confeſſione in genere, vel etiam narratione in confuſo; cùm ex hoc habeat Confeſſarius ſufficientem notitiam, & materiam idoneam ad Abſolutionem. Nam illa repetitione ſic in confuſo, & vnico verbo facta, relata ad memoriam quam habet Confeſſarius de illis peccatis diſtinctè priùs auditis, fit Confeſſio Sacramentalis omnium antè diſtinctè confeſſorum, vel etiam narratorum, & ſufficiens materia ad abſolutionem.

9 Ex quo patet ſolutio ad duas illas obiectiunculas allatas. Ad primam enim conſtat, tametſi illa prima Confeſſio, vel narratio diſtincta non fuerit Sacramentalis, poſteà tamen factam fuiſſe Sacramentalem, illa repetitione in genere facta. Similiter idem dicendum eſt ad ſecundam.

Digitized by Google

SECTIO V.

Verùm Confeſsio facta ob finem malum, ſcilicet inanis gloriæ, ſit nulla, & iteranda?

1 CErtum eſt fieri inualidam,& conſequenter iterandam, quando ſuſcipitur ex malo fine mortali, peccando mortaliter. Patet, quia tunc pœnitens non ſolùm ponit obicem effectui Sacramenti Pœnitentiæ, verum etiam illud reddit nullum, quia tunc nec Confeſſio integra eſt, nec legitimus dolor, nam ſemper hic dolor manifeſtè deeſt, quoties pœnitens in ſuſceptione Sacramenti peccat mortaliter, atque adeò deeſt materia, ſiue pars eſſentialis huius Sacramenti. Difficultas ergo eſt, quando Confeſſio ſuſcipitur ex malo fine veniali, peccando venialiter.

Syiueſter *verbo, Confeſſio* 1.q.7. docet, Confeſſionem fieri inualidam, quando principaliter ſuſcipitur ex fine veniali; imò & quando principaliter ex quocumque alio fine quàm remiſſionis, & veniæ peccatorum; quia hæc ſola eſt principalis effectus Sacramenti Pœnitentiæ: ergo ea ſola eſt principaliter intendenda.

2 Vera tamen eſt,& communis modò apud Doctores oppoſita ſententia, quam optimè declarat noſter Coninck *diſp.*25. *de matr. dub.*2. Ratio eſt, quia dummodo non excludatur finis principalis, poſitiuè nolendo illum, non eſt obligatio ſub mortali in eiuſmodi rebus, non vtendi illis, niſi deſiderando poſitiuè finem principalem; ſic enim poteſt abſque mortali contrahi Matrimonium ad honorem ſeu vanam gloriam, vel diuitias acquirendas: ergo ſimiliter poteſt Sacramentum Pœnitentiæ abſque culpa mortali ordinari ad aliquod aliud bonum inanis gloriæ, non excludendo poſitiue finem principalem ipſius Sacramenti, qui eſt venia, & remiſſio peccatorum. Hoc tamen ſpeciale eſt in hoc Pœnitentiæ Sacramento, vt ſi finis, qui intenditur, ſit peccatum mortale, Sacramentum nequeat eſſe validum. Quare ſi quis confiteatur peccatum mortale, vt de illo glorietur, Confeſſio erit irrita, quia non habet diſpoſitionem neceſſariam, nempe dolorem, & propoſitum grauiter non peccandi: ſi verò intentio ſit mala ſolùm venialiter, non inualidatur Sacramentum, quia adhuc ſtare poteſt dolor, & propoſitum circa peccata mortalia, vel circa alia venialia, quod ſufficit ad valorem Sacramenti. Vnde ſicut per Communionem factam ex fine venialiter malo, ſi homo ſit in ſtatu gratiæ, recipitur effectus Sacramenti: ita per Confeſſionem venialiter malam poteſt recipi effectus Sacramenti, ſi adſint cætera requiſita. Firmatur hoc idem, nam ex eo quòd prædicto modo ſuſcipiatur Sacramentum Pœnitentiæ, non deficit intentio ſuſcipiendi illud, nec aliqua pars eſſentialis Sacramenti: ergo non ex eo fiet inualidum, nam valor Sacramenti Pœnitentiæ tantùm pendet ex dicta intentione,& ex partibus eſſentialibus illius: imò nec ex eo fit infructuoſum Sacramentum, quia etiamſi ſuſcipiatur ex fine peccati venialis, peccando venialiter, non tollit etiã ſuſcipi ex fine remiſsionis,& veniæ peccatorum,& cum dolore ſufficienti, & diſpoſitione ad eam remiſsionem, quæ ſufficiunt ad eam.

3 Obiiciet aliquis, id verum non eſſe ob peculiarem conditionem Sacramenti Pœnitentiæ in quo diſpoſitio ad effectum, nempe dolor,& deteſtatio peccati eſt ſimul pars eſſentialis ipſius Sacramenti;& ideò debet eſſe ſupernaturalis, & honeſtus. Hinc enim naſcitur difficultas, nam ſi quis ex fine vitioſo,& venialiter malo, v.gr. vanæ gloriæ imperet ſibi dolorem de peccatis, vt confiteri poſſit, iam tunc ille actus doloris vitiabitur extrinſecè,& participabit malitiam aliquam extrinſecam,& denominationem ab intentione vanæ gloriæ, à qua procedit Confeſsio,& omnia præequiſita ad Confeſſionem: ergo erit malus,& vitioſus actus doloris, atque ideò nec ſupernaturalis, nec honeſtus, nec aptus ad impetrandam veniam peccatorum,& conſequenter nõ fiet Sacramentum Pœnitentiæ validum,& illa Confeſſio eſſet iteranda, ac repetenda.

Reſpondeo, hanc difficultatem totam pendere ex alia, 4
quę tractari ſolet, an poſſit aliquãdo actus ſupernaturalis pœnitentiæ, vel alterius virtutis ſupernaturalis, vitiari ſaltem extrinſecè, & participare malitiam venialem ab aliquo actu imperante venialiter malo, à quo imperatur. Quam ex profeſſo examinaui ſuprà *diſp.*6. *ſect.*3. Vbi dixi actum bonum ſupernaturalem, qualis eſt Pœnitentiæ, vel Attritionis ſupernaturalis, poſſe extrinſecè imperari ab aliquo actu malo, & eundem actum imperatum poſſe ſimul manere intrinſecè bonum, & ſupernaturalem,& extrinſecè malum, dummodò id intelligatur, reſpectu intentionis imperantis, quæ ſit tantùm venialiter mala, vt eſt intentio inanis gloriæ: Nam ſi intentio imperans eſt mortaliter mala, tunc Confeſſio Sacramentalis eſt irrita,& Sacramentum Pœnitentiæ nullum, propter defectum diſpoſitionis requiſitæ ad Abſolutionem. Vnde etiam tunc in eo caſu actus pœnitentiæ eſſet malus formaliter, & nullo modo ſupernaturalis, nec honeſtus.

SECTIO VI.

An ſit iteranda Confeſsio peccati integri, quando ex obliuione omiſſa fuit circumſtantia; vel ſufficiat confiteri ſolam circumſtantiam omiſſam.

HOc eſt vltimum quod occurrit circa obligationem repetendi Confeſſionem. Id autem latè tractatum eſt ſup. *diſ. duodecima, ſect. ſecunda integra*;& ideò Lectorem in illum locum reiicio. Quod verò tractatur pro complemento, an quando circumſtantia eſt finis malus, poſsit ſeorſim explicari in Confeſsione, vt cùm quis furatus eſt propter mœchiam,& confeſſus eſt furtum, oblitus deſiderij mœchandi, poſsit poſteà in Confeſsione declarare hoc deſiderium mœchiæ, minimè declarato furto, iam ſuprà eſt examinatum *diſp. Trigeſima ſecunda integra, ſectione tertia.* In qua etiam Diſputatione, *ſect.*4. *ſeq.* diſcuſſum eſt de fine, quando non eſt ex ſe malus, medium verò malum eſt, vt cùm quis omittit Sacrum in die feſto propter ſtudium, debeat explicari quoque hic finis in Confeſsione.

DISPVTATIO XL.

De poteſtate Clauium, quam dedit Chriſtus Eccleſiæ Miniſtris ad remittenda fidelium peccata.

PERACTA tractatione de Accuſatione, ſeu Sacramentali Confeſsione, agendum eſt de legitimo Miniſtro, cui facienda eſt. Cùm enim ipſa Confeſsio debeat eſſe legitima, hoc eſt quæ legiti-

mo

Digitized by Google

mo Iudici fiat, neceſſarium omninò eſt ſcire, quis ſit legitimus Iudex, cui debeat legitima Confeſſio fieri. Quoniam verò legitimus Iudex neque eſſe, neque intelligi poteſt abſque poteſtate iudiciaria remittendi peccata in foro Pœnitentiæ, quam Chriſtus ſuæ Eccleſiæ conceſſit, quæ nomine Poteſtatis Clauium ſignificari ſolet, ideò eam primùm in hac Diſputatione explicamus.

SECTIO PRIMA.

Vtrùm Chriſtus dederit ſuæ Eccleſiæ Miniſtris ſpecialem poteſtatem ad remittenda peccata poſt Baptiſmum commiſſa?

1 FIdei dogma eſt Chriſtum Dominum dediſſe Paſtoribus Eccleſiæ poteſtatem ſupernaturalem ad remittenda Fidelium peccata, & retinenda. Id clariſſimis verbis docuit Chriſtus *Ioannis cap.* 20. Vbi hoc Sacramentum Pœnitentiæ inſtituens, dixit Diſcipulis ſuis: *Accipite Spiritum ſanctum: Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Quæ verba proferens Concilium Tridentinũ, *ſeſſ.* 14. *can.* 3. ſic decernit: *Si quis dixerit, verba illa Domini ſaluatoris: Accipite ſpiritum Sanctum &c. non eſſe intelligenda de poteſtate remittendi, & retinendi peccata in Sacramento Pœnitentiæ, ſicut Eccleſia Catholica ab initio ſemper intellexit; detorſerit autem autem, contra inſtitutionem huius Sacramenti, ad auctoritatem prædicandi Euangelium; anathema ſit.* Et eadem *ſeſſ.* 14. *c.* 1. ſenſum dictum verborum Chriſti *Ioan.* 20. magis declarans, ſic ait: *Verbis tam perſpicuis, poteſtatem remittendi & retinendi peccata, ad reconciliandos Fideles, poſt Baptiſmum lapſos, Apoſtolis & eorum legitimis ſucceſſoribus fuiſſe communicatam, vniuerſorum Patrum conſenſus ſemper intellexit. Et Nouatianos, remittendi poteſtatem olim pertinaciter negantes, magna ratione Eccleſia Catholica, tanquam hæreticos explosit atque condemnauit. Quare veriſſimum hunc illorum verborum Domini ſenſum ſancta hæc Synodus probans, & recipiens, damnat eorum commentitias interpretationes; qui verba illa ad poteſtatem prædicandi verbum Dei, & Chriſti Euangelium annunciandi, contra huiuſmodi Sacramenti inſtitutionem falsò detorquent.* Hæc Tridentinum: Quibus verbis, nihil efficacius, ac clarius adduci poteſt ad firmandam dictam veritatem Catholicam. Videantur dicta ſuprà *diſ.* 16. *ſect.* 1. quibus præmiſſis;

2 Dico *primò*, prædictam poteſtatem eſſe iudiciariam, ſeu per modum iudicij exercendam. Id etiam eſt de Fide, vt conſtat ex Concilio Tridentino *ſeſſ.* 14. *c.* 2. dicente, Chriſtum baptizatos, ſi ſe poſteà crimine aliquo cõtaminauerint, ante hoc Pœnitentiæ tribunal tanquam reos ſiſti voluiſſe, vt per ſacerdotalem ſententiam, ab admiſſis peccatis poſſent liberari. Vnde *can.* 9. definit Abſolutionem Sacramentalem Sacerdotis, eſſe actum iudicialem abſoluendi, & non nudum miniſterium pronunciandi, & declarandi remiſſa eſſe peccata. Videantur quoque de hac re dicta ſuprà *diſ.* 1. *ſect.* 2. Addo alia verba Tridentini *eadem ſeſſ.* 14. *c.* 5. ſic dicentis: *Dominus noſter Ieſus Chriſtus è terris aſcenſurus ad cælos, Sacerdotes ſui ipſius vicarios reliquit tanquam Præſides & Iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Chriſti fideles ceciderint: quo, pro poteſtate Clauium, remiſſionis, aut retentionis peccatorum, ſententiam pronuntient. Conſtat enim, Sacerdotes iudicium hoc, incognitâ causâ, exercere non potuiſſe.* Quibus verbis manifeſtè liquet Sacerdotes Confeſſarios eſſe Iudices à Domino conſtitutos.

Dico *ſecundò*, dictam poteſtatem iudiciariam non eſſe arbitrariam, ſed neceſſariam Fidelibus lapſis: eſt hoc certiſſimum, quia eſt de Fide, Sacerdotes fuiſſe à Chriſto conſtitutos, non ſolùm Iudices arbitrarios, ſeu quos pro ſuo arbitrio poſſent pœnitentes adire pro venia peccatorum, ſed Iudices neceſſarios, ſine quibus venia obtineri non poſſit: quia eſt neceſſaria Confeſſio coram Sacerdote, tanquam coram Iudice ad obtinendam veniam peccatorum, idque de Fide eſſe, oſtendi ſuprà *diſp.* 7. *ſect.* 2. Firmatur Dictum verbis Tridentini paulò antè relatis *præcedenti Dicto*, dicentis, Sacerdotes pro poteſtate Clauium remiſſionis, & retentionis peccatorum ſententiam pronunciare. Qui enim poteſtatem habet retinendi peccatorem, ſeu excludendi illum à regno Cœlorum, non eſt Iudex arbitrarius, ſed neceſſarius: quippe qui per negationem veniæ, relinquit peccatorem excluſum à regno cælorum, & ideò dicitur retinere peccata per negationem remiſſionis. Cum poteſtate autem retinendi, ſimul etiam data eſt poteſtas remittendi; & in eodem ſenſu dicitur habere Claues cæli, quia quando alicui Claues dantur domûs clauſæ, eo ipſo fit medium neceſſarium recurrere ad illum, vt aliquis ingrediatur domum illam. Igitur Sacerdotes pro poteſtate Clauium remiſſionis & retentionis peccatorum ſententiam pronunciant vt Iudices neceſſarij. 3

Ex hac poteſtate iudiciaria ad remittenda peccata, manifeſtè colligitur ad Sacramentum ritè exercendum, neceſſarium eſſe, vt Miniſter iuriſdictionem habeat, cauſam cognoſcat, & examinet præuiâ accuſatione peccatorum, ac tandem vt ſupplicium, & pœnam imponat, & abſoluat. 4

SECTIO II.

Quinam, & quales ſint actus ſpecialis poteſtatis, quam Chriſtus Dominus dedit ſuæ Eccleſiæ Miniſtris.

COnſtat ex verbis Chriſti Domini *Ioan.* 20. remittendi, & retinendi peccata, eſſe duos actus huius poteſtatis in ordine ad Sacramentum Pœnitentiæ ritè, ac per modum iudicij, exercendum. Primus eſt vera remiſſio, & ablatio culpæ; Secundus eſt detentio, ſeu actus retinendi peccata: vtrumque actum prædictæ poteſtatis ſumus nunc breuiter explicaturi. 1

Circa primum actum remittendi peccata, qui eſt primarius ac per ſe effectus huius poteſtatis. Dico *primò*, certum eſſe, fieri per propriam, & poſitiuam actionem. Patet, quia fit talis remiſſio per gratiæ collationem expulſiuæ culpæ mortalis, nam culpa mortalis non remittitur ſine gratiæ infuſione: imò nec remitti poteſt per actionem Sacramenti, niſi per effectionem gratiæ, quia non interuenit ibi alia forma, quæ per talem actionem fieri poſſit. Quare hæc poteſtas de ſe ſufficiẽs eſt ad primam gratiam conferendam, quia hæc eſt, quæ culpam mortalem excludit. De peccatis autem venialibus, tametſi aliàs poſſint ſine infuſione gratiæ remitti, nunquam tamen per hanc poteſtatem ſine gratiæ collatione 2

latione remittuntur. Quare effectus primarius ac per ſe huius poteſtatis, eſt, remittere peccatum quoad culpam.

Quod manifeſtè firmatur auctoritate Tridentini *ſeſſ.* 14. *cap.* 1. Vbi cùm dixiſſet: *Chriſtus Dominus, Sacramentum Pœnitentiæ tunc præcipuè inſtituit, cùm à mortuis excitatus inſufflauit in Diſcipulos ſuos, dicens: Accipite Spiritum Sanctum, Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, &c.* Subdit *Quo tam inſigni facto, & verbis tam perſpicuis, poteſtatem remittendi & retinendi peccata, ad reconciliandos homines cum Deo, fuiſſe Apoſtolis, & eorum legitimis ſucceſſoribus communicatam.* At homines non reconciliantur Deo, niſi per remiſſionem culpæ, nam recôciliari, eſt in amicitiam reſtitui: Sic enim Paul. 2. *Corint.* 5. ait: *Dedit nobis miniſterium reconciliationis*; id eſt vnionis, & amicitiæ hominum cum Deo. Vnde idem Concilium *eadem ſeſſ.* 14. *cap.* 3. ſic dixit: *Effectus huius Sacramenti*, (intellige Pœnitentiæ, de quo loquitur) *quantùm ad eius vim, & efficaciam pertinet, reconciliatio eſt cum Deo, quam interdum in viris piis, & cum deuotione hoc Sacramentum percipientibus, conſciemia pax, ac ſerenitas cum vehementi ſpiritus conſolatione conſequi ſolet.* At iſta pax, & ſerenitas proprie ſequitur ex remiſſione culpæ. Et *cap.* 4. idem Tridentinum ait: *Quando contingit, hominem per Contritionem iuſtificari, hominémque Deo reconciliari, priuſquam hoc Sacramentum actu ſuſcipiatur; ipſam nihilominùs reconciliationem ipſi Contritioni, ſine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non eſſe adſcribendam.* Conſtat igitur Reconciliationis nomine, intelligere Concilium ipſam culpæ remiſſionem, & ſanctificationem, & docere hanc ipſam eſſe proprium effectum prædictæ poteſtatis. Denique hoc idem definit Tridentinum aliis in locis, præſertim *ſeſſione* 14. *canone* 1. 2. & 3.

3 Dico *ſecundò*, etiam eſſe de Fide, per actum remiſſionis culpæ mortalis ſimul remitti æternam pœnam, vt docet Tridentinum *ſeſſ.* 6. *c.* 14. Et ratio eſt manifeſta, quia vt liquet etiam ex eodem Tridentino *ſeſſ.* 6. *c.* 7. In iuſtificatione accipit homo non ſolùm remiſſionem peccatorum, ſed etiam gratiam ſanctificantem, per quam *ex iniuſto fit iuſtus, & ex inimico amicus, vt ſit hæres, ſecundùm ſpem vitæ æternæ.* Ergo ſi eſt hæres, eo ipſo habet ius ad hæreditatem & beatitudinem æternam, ac proinde habet ius ad hoc, vt non puniatur in æternum; cùm Beatitudo, quæ eſt ſumma felicitas, nequeat eſſe ſimul cum ſumma miſeria damnationis æternæ. Vnde poſita diuina lege, ac ordinatione, quaſi ex natura rei ſequitur remiſſio pœnæ æternæ ex infuſione gratiæ, quia gratia ſanctificans facit hominem proportionatum, ac dignum gloria, & beatitudine æterna: ergo ex ſe habet, vt remittat æternam pœnam damni, quæ ipſi gloriæ directè opponitur, & etiam pœnam ſenſus æternam, quæ eſt incompoſſibilis cum beatitudine, quæ eſt cumulus bonorum omnium, & excludit omnem triſtitiam, & dolorem ex natura rei.

4 Dico *tertiò*, per actum remiſſionis peccatorum mortalium, & pœnæ æternæ, deleri ſemper aliquam partem pœnæ temporalis. Hoc etiam eſt certum apud Doctores: Suppono, remiſſa omni culpa mortali, & pœna æterna, ſupereſſe adhuc aliquam pœnam temporalem perſoluendam; & pœnam æternam commutari in temporalem, vt ſuprà oſtendi *tractatu* 2. *diſp.* 9. *ſect.* 7. Quo poſito, probatur concluſio, quia ad gratiæ infuſionem, & remiſſionem pœnæ æternæ præcedit in pœnitente ſufficiens diſpoſitio ſupernaturalis; hæc autem informata gratia, ratione illius intenſionis, ac incrementi, quod neceſſarium non eſt ad tollendum debitum culpæ, & pœnæ æternæ, meretur relaxationem alicuius pœnæ temporalis, iuxta maius, vel minus illius incrementum.

5 Circa ſecundum actum retinendi peccata, procedentem ex poteſtate, quam dedit Chriſtus Dominus Miniſtris Sacramenti Pœnitentiæ: Certum eſt, non eſſe actum poſitiuum, nec fieri per directam actionem huius poteſtatis, ſed per negationem remiſſionis: quia nec prędicta poteſtas culpam influit, aut conſeruat, nec impedit remiſſionem eius, cùm totum hoc ſit contra finem huius poteſtatis, ſed iuridicam ſententiam profert, hunc eſſe indignum remiſsionis peccati; & hac ratione dicitur retinere peccata.

6 Solùm dubitari poteſt de peccatis venialibus, ad quæ remittenda conſtat in hoc Sacramento Pœnitentiæ, datam fuiſſe poteſtatem Sacerdotibus in illis Chriſti verbis: *Quorum remiſeritis peccata &c.* nam verbum *remittendi* debet intelligi propriè de vtriſque peccatis mortalibus, & venialibus, quia vtraque capacia ſunt remiſsionis; atque ideò remittendi poteſtas debuit ad vtraque peccata extendi; & fortè multò magis ad venialia, quæ leuiora ſunt, & faciliùs ſolent condonari. Difficultas eſt de retentione peccatorum, hæc enim nequit æquè intelligi de vtriſque peccatis, quia non eſt in illis eadem aptitudo, & capacitas vt retineantur, ſicut eſt, vt remittantur.

Reſpondeo, facultatem retinendi ſeu alligandi, non poſſe æque intelligi de peccatis venialibus, ſed de mortalibus. Ratio eſt, quia peccata mortalia ſunt quæ verè retinentur, cùm abſque Sacerdotis conſenſu, non poſsint vnquam auferri; & eorum retentio, ſeu alligatio, quæ à Sacerdote fit in terra, rata habetur etiam in cęlis, cùm alligatus ſit in cælis, qui alligatur in terra: At venialia peccata non poſſunt hominem in cælis, ſeu extra hanç vitam alligare, aut excludere à regno cælorum, vt conſtat, cùm non auferant gratiam, quæ eſt ſemen gloriæ, & dat ius ad ipſam: igitur quantumcumque homo maneat cum vinculis peccati venialis, non poteſt manere ligatus in perpetuum, & per conſequens, ratione illius, non potuit Sacerdotibus intelligi data poteſtas retinendi, quia hæc ſignificatur per Clauem cęlorum, quæ eſt ad claudendum; non poteſt autem claudi cælum homini propter peccata venialia, cùm hoc ſit contra naturam gratiæ habitualis: ergo poteſtas claudendi, quę eadem eſt cum hac poteſtate retinendi, ſeu alligandi, non potuit æquè intelligi de peccatis venialibus, ſed de mortalibus. Dixi *æquè*, quia proportionaliter eſt abſolutè ſimilis poteſtas retinendi venialia peccata, ſeu non abſoluendi ab illis, quando de illis ſolis fit Confeſsio abſque vllo dolore ipſorum, nec vnius tantùm, tunc enim negatur remiſsio ipſorum per Sacramentum Pœnitentiæ, & Abſolutio.

SECTIO III.

An poteſtas remittendi peccata, ſit ſolius poteſtatis Ordinis?

1 SVppono, ad actum remiſsionis peccatorum in Sacramento Pœnitentiæ neceſſariam eſſe poteſtatem Ordinis, & Iuriſdictionis. Modò agimus de priori; & inquirimus, an ſolus Sacerdos ſit Miniſter Sacramenti Confeſsionis, vel Pœnitentię; an verò in aliquo neceſſitatis caſu fieri debeat, vel poſsit apud Laicum: & idem eſt de non Sacerdote, ſiue ſit Subdiaconus, vel Diaconus, ſiue Religioſus.

2 Dico *primò*, contra VViclephum, & alios hæreticos, eſſe

Digitized by Google

eſſe de Fide,ſolũ Sacerdotem eſſe Miniſtrum huius Sacramenti,atque ideò poteſtatem remittendi peccata,eſſe ſolius poteſtatis Ordinis. Ita definiuit Tridentinum *ſeſſ.*14. *canon.*10. his verbis: *Si quis dixerit non ſolos Sacerdotes eſſe miniſtros Abſolutionis, ſed omnibus & ſingulis Chriſti fidelibus eſſe dictũ: Quæcunque ligaueritis ſuper terrã,erũt ligata & in cælo, & quæcumque ſolueritis ſuper terram,erunt ſoluta & in cælo;&,Quorum remiſeritis peccata,remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt &c. anathema ſit.* Et eadem *ſeſſione* firmans idem, ſic ait *cap.*6. *Circa miniſtrum huius Sacramenti, declarat Sancta Synodus, falſas eſſe, & à veritate Euangelij penitus alienas doctrinas omnes,quæ ad alios quoſuis homines, præter Epiſcopos & Sacerdotes, Clauium miniſterium perniciosè extendunt; putantes verba illa Domini,Quæcumque alligaueritis ſuper terram, erunt alligata & in cælo; & quæcumque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo: &, Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis,retenta ſunt; ad omnes Chriſti fideles indifferenter, & promiſcuè,contra inſtitutionem huius Sacramenti ita fuiſſe dicta,vt quiuis poteſtatem habeat remittendi peccata, &c.* Quare ſolus Sacerdos eſt miniſter in Sacramento Pœnitentiæ.

3 Dico *ſecundò*, in Sacerdotio perfecto eſſe duplicem poteſtatem Ordinis,& Iuriſdictionis, & vtramque eſſe neceſſariam ad remittenda peccata. Hoc etiam certiſſimũ eſt apud omnes Theologos,firmatũ infallibili traditione Eccleſiæ,quæ cõſtat perpetua conſuetudine,cuius nullum initium cognoſcitur,neque in aliquo Concilio, neque in aliquo Pontificio Decreto, quod eſt ſignum, eſſe traditionem Apoſtolorum.Explicatur ſimul,& probatur vtraque pars. Prima liquet ex materia de Ordine, vbi notatur, quòd in Sacerdotio perfecto, ſeu illius ordinatione, duplex datur poteſtas partialis, vna in Corpus Chriſti naturale,ſeu phyſicum,quâ quis conſtituitur potens conſecrare Euchariſtiam;altera eſt in Corpus Chriſti myſticum, ſeu morale, quâ quis poteſt peccata Chriſtianorum remittere, & Sacramenta Pœnitentiæ, atque Extremæ-Vnctionis miniſtrare,quæ dicitur poteſtas abſoluendi;& vtraque poteſtas formaliter pertinet ad eundem Ordinem Presbyteri;quoniam illa prior ſine iſta poſteriori, eſt quaſi pars ſubſtantialis eſſentiæ ſine comparte, & iſta poſterior præſupponit illam priorem neceſſitate ordinis in ſubiecto, & illi eſt annexa iure diuino. Vnde licèt detur abſolutè poteſtas conſecrandi, ſine poteſtate abſoluendi, non tamen ſine ordine ad iſtam; & hæc eſſentialiter ſupponit iure diuino illam priorem, & principalem. Quare ille, qui ſolùm recipit poteſtatem conſecrandi, eſt Sacerdos nouæ Legis inchoatus, ſiue incompletus; ideóque qui ordinantur,habent Caſulam complicatam à tergo,donec accipiant poteſtatem ligandi,atque ſoluendi,ſeu abſoluendi,quæ datur per impoſitionem manuum Epiſcopi, poſt Sacrificium completum, & Euchariſtiam ſumptam. Ex quo patet ſecunda pars: cuius præcipua ratio eſt voluntas Chriſti ſic inſtituentis Sacramentum Pœnitentiæ: hęc autem voluntas conſtat ex perpetua Eccleſiæ traditione, quæ ab initio ſic intellexit alligatam eſſe ſolis Sacerdotibus poteſtatem abſoluendi Sacramentaliter.

4 Dico *tertiò*, in nullo neceſſitatis caſu poſſe Laicum, ſeu non Sacerdotem abſoluere à peccatis. Hoc etiam conſtat iam apud omnes!, & eſt certiſſimum, cùm ſit iam definitum,ſolùm Sacerdotem eſſe miniſtrum Sacramenti Pœnitentiæ.Quare ſicut conſecratio Euchariſtiæ in nullo caſu validè fieret à non Sacerdote, ſic nec Abſolutio Sacramentalis: idque etiam maximè firmatur, quia nunquam in Eccleſia cuſtoditum fuit, nec in praxi obſeruatum, aut conſuetudine introductum, vt Laicus, ſeu non Sacerdos in articulo etiam mortis abſolueret. Ratio autem potiſsima eſt,quia id pendet præcipuè ex inſtitutione Chriſti; traditio autem,& vſus Eccleſiæ docet, ita eſſe hoc à Chriſto inſtitutum, vt ſicut nullus, niſi Sacerdos poteſt ex diſpenſatione, vel ob neceſsitatem conficere verum Chriſti Corpus, ita nec abſoluere,quia vtraque poteſtas conſecrandi, & abſoluendi fũdatur in charactere Sacerdotali. Vnde hæc poteſtas abſoluendi verè dicitur poteſtas Ordinis;nihilque eſt aliud, quàm character Sacerdotalis, quatenus ex diuina ordinatione per illum quis deputatur, vt poſsit eſſe iudex animarum in foro Pœnitentiæ. Quare ſicut hic Character indelebilis eſt, ita etiam hæc poteſtas; & ſicut in ſolis Sacerdotibus inuenitur,ita etiam & prædicta poteſtas.

5 Hinc colligo, quod latè tractatur in materia de Ordine;ſicut in ordinatione Sacerdotis duplex datur poteſtas partialis,videlicet vna conſecrandi Euchariſtiam,& altera remittendi peccata; ita duplex etiam eſt character, quorum poſterior eſſentialiter requirit priorem, non ſecus ac character Epiſcopalis, ſi diſtinguitur à Sacerdotio reipſa, præſupponit eſſentialiter ex inſtitutione diuina perfectum Sacerdotium in ſubiecto cui aduenit.

SECTIO IV.

An poteſtas Ordinis ſufficiat Sacerdoti ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ?

1 PArs affirmatiua tribuitur Armacano *lib.*10.*de quæſtionibus Armenorum, à principio*: & eam iudicat non improbabilem Durandus *diſt.*19.*q.*2.

Probari poteſt *primò*,ex verbis Chriſti Domini *Ioan.* 20. *Accipite Spiritum Sanctum: Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*, &c. Hęc enim cùm ſingulis Sacerdotibus in ſua Ordinatione dicantur,videntur vniuerſaliter intelligenda,vt ſonant. Igitur abſque vllo alio habet Sacerdos ex ſua ordinatione poteſtatem validè abſoluendi omnes à ſuis peccatis.

Secundò,idem firmatur exemplo aliorum Sacramentorũ:nam Epiſcopus,quia habet poteſtatem confirmandi, & conferendi Ordines, & Sacerdos habet poteſtatem vngendi infirmum,licèt nec Epiſcopus poſsit licitè confirmare,aut ordinare non ſubditum,nec ſimplex Sacerdos poſsit licitè vngere abſque licentia Epiſcopi; Confirmatio tamen,Ordinatio,& Vnctio validæ erunt, quia adeſt materia, forma, & miniſter cum poteſtate Ordinis in Ordinatione, vel Conſecratione accepta: ergo abſolutio etiam Sacramentalis, licèt feratur in non ſubditum, valida erit propter eandem rationem poteſtatis, remittendi peccata in ordinatione accepta, licèt Sacerdos peccet propter Eccleſiæ prohibitionem.

Tertiò,quilibet Sacerdos habet poteſtatem ex vi ſuæ ordinationis,abſoluendi à venialibus & à peccatis mortalibus iam confeſsis,& in articulo mortis ab omnibus peccatis, abſque vlla alia poteſtate iuriſdictionis poſitiua, quam ab Eccleſia accipiat; ſufficit enim ab Eccleſia non prohiberi poſitiuè: ergo ſimiliter poſſent Sacerdotes abſoluere ab aliis ſemper, niſi ab Eccleſia prohiberentur.

Vltimò,quilibet Sacerdos habet poteſtatem,vt abſoluat ſummum Pontificem: at illam non accipit ab ipſo Pontifice, qui non poteſt dare iuriſdictionem ſuper ſeipſum; ergo accipit veram in ſua Ordinatione.

Certiſsimum tamen eſt apud omnes Theologos,non ſufficere

ſufficere poteſtatem ordinis, ſeu quod accipitur in ordinatione à Sacerdote ad validè abſoluendum. Hoc maniſeſtè docuit, & ponderauit Concilium Tridentinum *ſeſſ. 14. c. 7.* his verbis grauiſſimis. *Quoniam igitur natura & ratio iudicij illud expoſcit, vt ſententia in ſubditos dumtaxat feratur; perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei fuit, & veriſſimum eſſe Synodus hæc confirmat, nullius momenti Abſolutionem eam eſſe debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut ſubdelegatam non habet iuriſdictionem.* Hæc Tridentinum. Adde idem Concilium *dicta ſeſſ. 14. can. 11.* ſic definiens. *Si quis dixerit, Epiſcopos non habere ius reſeruandi ſibi caſus, niſi quoad externam politiam, atque ideò caſuum reſeruationem non prohibere, quominus Sacerdos à reſeruatis verè abſoluat; anathema ſit.* Quo Decreto, apertè damnat eum, qui dixerit, Sacerdotem ſine licentia Prælati ſuperioris, verè abſolueri à caſibus reſeruatis. Vbi manifeſtè negatur valor abſolutionis, quando deeſt facultas Superioris. Et optimam attingit rationem, quia poteſtas remittendi peccata eſt iudiciaria, & Sacramentum Pœnitentiæ iudicium quoddam eſt: at omne iudicium, vt validum ſit, requirit ſuperioritatem, & ſubditos. Conſtat autem, non eſſe omnes, & ſingulos Chriſtianos ſubditos ſingulorum Sacerdotum, ex Chriſti inſtitutione; hoc enim peruerteret Hierarchicum ordinem, quem Chriſtus in ſua Eccleſia reliquit, in qua voluit alios eſſe ſuperiores, alios inferiores, & ſubditos. Igitur dicendum eſt, præter poteſtatem ordinis, requiri iuriſdictionem in alios ab Eccleſia collatam; id enim ſumitur ex ratione iudicij, nam Iudex, qui non eſt merus arbiter, (cuius ſententia non obligat propter auctoritatem Iudicis, ſed propter pactum litigantium, qui promiſerunt illam obſeruare) debet habere poteſtatem obligandi, & ideò debet eſſe ſuperior eorum, quibus ius dicit, vt poſſit eos ligare, quia nequit proferri ſententia niſi in ſubditos, & nemo poteſt obligare niſi ſubditos.

3 Ex his conſtat ſolutio ad Argumenta oppoſita. Ad primum dico, verba Chriſti Domini, tametſi vniuerſaliter videantur exprimere abſolutam poteſtatem independētem ab Eccleſia; tamē ipſo quòd datur ea poteſtas ad abſoluendum ſubditos per modum iudicij, intelligi debere illam datam eſſe reſpectu ſubditorum, qui legitimi ſubditi ſint. Quare ſicut Matrimonij Sacramentum, quia includit contractum humanum, ſubit conditiones contractuum, atque ideò eius valor requirit habilitatem contrahentium, quæ poni poteſt ab Eccleſia, vel tolli; ita Sacramentum Pœnitentiæ, cùm ſit quoddam iudicium, requirit ſuperioritatem, & ſubditos, qui ab Eccleſia dari poſſunt, vel auferri. Quare prædicta Chriſti verba in ſenſu dicto ſunt neceſſariò intelligenda.

4 Ad ſecundum, reſpondeo, Sacramentum Pœnitentiæ ratione iudicij, valdè diſtingui ab aliis Sacramentis, quæ non exercentur per modum iudicij; & ideò validè exercentur etiam circa non ſubditos, nec valor ipſorum pendet à prohibitione, vel permiſſione ipſius Eccleſiæ. Vnde in aliis Sacramentis licèt ſit neceſſaria aliqua iuriſdictio, vel legitima conceſſio, vt ſtudioſè miniſtrentur; tamen vt validè conferantur ex vi poteſtatis, ſufficit poteſtas Ordinis: at in Sacramento Pœnitentiæ, vt validum ſit, præter poteſtatem Ordinis, neceſſaria eſt iuriſdictio, vt dixit Tridentinum.

5 Ad tertium, negatur, quemlibet Sacerdotem habere eam facultatem abſoluendi ex mera ſua ordinatione (prouenit enim potiùs ex poteſtate iuriſdictionis,) quam ad ea peccata, & ad eos caſus ab Eccleſia accipiunt, vt *infrà* videbimus.

6 Ad vltimum reſpondeo, Chriſtum, qui dedit ſummo Pontifici plenitudinem poteſtatis, ſicut dedit ei poteſtatem ad communicandam iuriſdictionem ſupra alios, potuit etiam dare illi poteſtatem, vt ſuo Confeſſario daret iuriſdictionem ſupra ſe, & vt ſe redderet ſubditum Confeſſarij, neque enim repugnat, quòd aliquis det iuriſdictionem ſupra ſeipſum: nam Reſpublica poteſt communi conſenſu aliquem ſupremum Principem, vel Regem eligere, cui tribuit iuriſdictionem, & cui ipſa Reſpublica teneatur poſtea obedire, & eius leges, ac præcepta obſeruare: maximè cùm Sacramentum Pœnitentiæ Chriſtus inſtituerit, tanquam remedium vniuerſale, etiā pro ipſo ſummo Pontifice, eo ipſo voluit, quòd poſſet Pontifex hanc iuriſdictionem, & poteſtatem ſupra ſe, alicui Sacerdoti ita communicare, vt eius præceptis ligaretur tanquam ſubditus, quia alioquin non eſſet capax huius Sacramenti, quod per modum iudicij debet neceſſariò exerceri, & per conſequens à Iudice in ſubditum, quem poſſit obligare. 7

Hinc colligunt aliqui Doctores, manifeſtum diſcrimen inter poteſtatem, quam Papa communicat Confeſſario ſuo ad ipſum abſoluendum, & poteſtatem, quam alicui dat, ad diſpenſandum cum ipſa Papa in votis, vel ad dandas ipſi Indulgentias, aut quid ſimile. Nam hæc ſecunda poteſtas non conſtituit Papam ſubditum, nec dat aliquam iuriſdictionē ſupra ipſum, hæc enim omnia ex natura rei poſſunt fieri in non ſubditum, cùm ſint gratiæ, & fauores, qui exerceri poſſunt in æqualem, vel ſuperiorem: ex facultate enim, quam habet Papa vt Chriſti Vicarius, poteſt vel per ſe, vel ſaltem per alios impertiri ſibi illos fauores, & gratias. In quo non ſubditur alicui, ſicut ſubditur in Sacramento Pœnitentiæ; in ordine ad quod oportet quòd det poteſtatem, & iuriſdictionem ſupra ſe, & conſtituat ſe verum ſubditum alterius, cui debeat obedire.

SECTIO V.

An poteſtas Iuriſdictionis detur Sacerdoti in ſui Ordinatione, an potiùs illa poſteà ab Eccleſia conferatur?

1 SVppono circa hanc quæſtionem, poteſtatem Iuriſdictionis, & iuriſdictionem pro eodem vſurpari; nō enim dicitur poteſtas iuriſdictionis, quia ſit poteſtas ad iuriſdictionem exequendam; ſed quia eſt poteſtas in iuriſdictione cōſiſtens, ſicut eſt iuriſdictio in quolibet alio foro. Ita rectè notauit Suarez *diſp. 16. ſect. 3. num. 28.*

2 Conueniunt autem *primò* Doctores omnes Sacerdotes in ſui ordinatione ex inſtitutione Chriſti accipere poteſtatem ordinis requiſitam, & ordinatam ad abſoluendum Sacramentaliter à peccatis, vt conſtat ex verbis ipſis, quibus ordinantur, nempe; *Accipite Spiritum Sanctum: Quorum remiſeritis peccata &c.* & ex dictis ſuprà *ſect. 2. & 3.*

3 Conueniunt *ſecundò*, contra Armacanum, vt vidimus *ſect. præced.* dictam poteſtatem ad abſoluendum à peccatis in ordinatione à Chriſto immediatè acceptam, non eſſe ſufficientem ad validè abſoluendum. Reſtat igitur difficultas, an dicta poteſtas in Ordinatione accepta, ſit etiam poteſtas iuriſdictionis ad abſoluendum, an tantùm præſuppoſita, & prærequiſita ad poteſtatem iuriſdictionis, ſeu ad ipſam iuriſdictionem.

4 Prima ſententia quam tenet Vaſquez *quæſt. 93. articul. 1 dub. 3.* eſt Turriani *diſputat. 23. dub. 2.* Gaſparis Hurtado *diſputat. 10. difficultat. 3.* & Aliorum, quos ipſi adducunt, dicentium, dictam poteſtatem ad abſoluendum, quam Sacerdotes accipiunt à Chriſto in ſui Ordinatione, eſſe ipſam poteſtatem actiuam Iuriſdictionis, ad

Digitized by Google

ad abſoluendum à peccatis. Quod probant primò ex Tridentino *ſeſſ.* 14. *cap.* 5. dicente, Chriſtum Sacerdotes conſtituiſſe iudices ad abſoluendum à peccatis: ergo ſupponit, Sacerdotes in ſui Ordinatione à Chriſto inſtituta, accipere iuriſdictionem actiuam ad abſoluendum à peccatis, quia Iudex iuriſdictione actiua conſtituitur, & eſt Iudex.

Secundò, conſtat ex verbis illis *Ioan.* 20. *Accipite Spiritum Sanctum: Quorum remiſeritis peccata*, &c. accipere Sacerdotes poteſtatem ad abſoluendum a peccatis, ſed poteſtas ad abſoluendum à peccatis eſt poteſtas iuriſdictionis, quia eſt poteſtas ad dicendum ius & ad ferendam ſententiam abſolutionis; ergo Sacerdotes ex vi ſuæ Ordinationis à Chriſto accipiunt iuriſdictionem actiuam ad abſoluendum à peccatis, cùm ſit poteſtas ad abſoluendum ex vi Ordinationis collata. Addunt tamen prædicti Doctores, dictam poteſtatem & iuriſdictionem ad abſoluendum à peccatis non eſſe ex ſe cõpletam, & ſufficientem ad validè abſoluendum, ſed eſſe inſufficientem, & inchoatam, quia illa vt ſic, non reſpicit ſubditum vllum determinatum; perfici tamen ab Eccleſia, quando Sacerdotibus deſignat ſubditos, ſiue deſignatione ordinaria tanquam propriis Paſtoribus, quâ ratione Diœceſani deſignantur ſuo Epiſcopo, & Parochiani ſuo Parocho: ſiue deſignatione ex commiſſione, ſeu ex delegatione; quâ deſignatione facta ab Eccleſia, dicta poteſtas, & iuriſdictio in Ordine collata perficitur, & completur.

5 Secunda ſententia, quam tenent Suarez citatus, Coninck *diſp.* 8. *dub.* 1. Cardinalis de Lugo *diſp* 15. *ſect.* 1. *n.* 21. & alij, docet poteſtatem abſoluendi in Ordinatione à Chriſto acceptã, non eſſe poteſtatẽ iuriſdictionis, ſed præſuppoſitam ad hanc, & Sacerdotes accipere ab Eccleſia prædictam poteſtatem iuriſdictionis, præſuppoſitâ illa poteſtate Ordinis accepta à Chriſto, excepto ſummo Pontifice, qui etiam poteſtatem iuriſdictionis accipit immediatè à Chriſto Domino Fundamentũ huius ſententiæ eſt, quia poteſtas iuriſdictionis, ſeu iuriſdictio dicit eſſentialiter reſpectũ ad ſubditos; eſt enim eſſentialiter ſuperioritas, atque ita intrinſecè, & eſſentialiter dicit reſpectum ad ſubditos: Vnde fit, vt non magis poſſit aliquis habere iuriſdictionem, & tamen non habere ſubditos, quàm poſſit eſſe dominus, & non habere ſeruum: At Sacerdos per ſuam Ordinationem, nullos acquirit ſubditos: ergo nec acquirit iuriſdictionem: Eccleſia autem ei poſtea verè dat ſubditos: ergo etiam dat iuriſdictionẽ, quia hæc omninò eadem ſunt, ſicut eadẽ ſũt, dare alicui mancipiũ, & efficere eum huius dominũ.

6 Tertia ſententia, quæ ferè nihil differt à præcedenti, eſt aliquorum dicentium, ex vi Ordinationis habere Sacerdotem iuriſdictionem habitualem, non actualem, quia non poteſt illa procedere in actum ſuum, donec applicetur materia, ſcilicet legitimus ſubditus, quod poſteà præſtat Eccleſia deſignando ſubditum huic Sacerdoti. Vnde inferunt Sacerdotes eſſe quaſi iudices illos Chartularios antiquos, qui habebant poteſtatem iudicandi, quantum attinet ad poteſtatem ſuam; non tamen habebant deſignatos ſubditos, ſed poterant eligi ab ijs, qui vellent ad ipſos recurrere: ſic Sacerdotes ſunt iam conſtituti iudices eligibiles in ordinatione; eliguntur autem poſtea, non à ſubditis vtcumque, ſed ab Eccleſia mittente ad illos tales, vel tales cauſas, in quibus ferant ſententias. Quod explicant exemplo Doctoris in Iure Canonico, vel Ciuili, qui eo ipſo accipit facultatem iudiciariam, hoc eſt, vt ex ſe ſit aptus ad ferendam ſententiam, ſi fiat iudex, vel gubernator alicuius Reipublicæ.

7 Mihi magis placet ſecunda ſententia, quæ etiam eſt communior apud Doctores. *Primò*, quia eſt magis conformis modo loquendi Conciliorum: Nam Florentinum in Literis Eugenij expreſsè docet, Miniſtrum huius Sacramenti eſſe Sacerdotem habentem poteſtatem abſoluendi ordinariam, vel delegatam Idem docet Trid. *ſeſſ.* 14. *c.* 7. In quibus locis, hæc duo Concilia diſtinguunt hanc poteſtatem Iuriſdictionis in Ordinariam, & Delegatam; vbi clarè oſtendunt, hanc ipſã poteſtatẽ omninò poſſe delegari: quòd eſſet falſum, ſi eſſet eadem, & ſimul conferretur cum poteſtate Ordinis, quia hæc nullo modo delegari poteſt. Addo, in his Conciliis abſolutè dici, Sacerdotẽ poſſe carere omni iuriſdictione ad abſoluendum, cùm tamen poteſtate Ordinis carere non poſſit. Denique inuenitur in his Conciliis, id quod Sacerdos ex vi Ordinationis recipit, non eſſe iuriſdictionem propriè loquendo, & Eccleſiam, cùm dat ſubditos, tunc dare iuriſdictionem.

Secundò, firmatur noſtra Concluſio, quia Superior & ſubditus ſunt correlatiui: ergo non poteſt vnus propriè & in rigore fieri Superior, quando propriè non accipit ſubditos; ſed in Ordinatione, Sacerdoti nulli dantur ſubditi, vt conſtat: ergo non poteſt dici, accipere tunc ſuperioritatem. vel iuriſdictionem, ſed poteſtatem ſolam Ordinis: poſteà verò Eccleſiam dare Sacerdotibus, excepto ſummo Pontifice, poteſtatem iuriſdictionis; patet, quia ipſa eſt, quæ deſignat ſubditos, quos ſolos poteſt Sacerdos abſoluere: non poteſt autem poni ſubditus de nouo, quin de nouo fiat ſuperior illius, nam velle Eccleſiam, v.g quòd hi Parochiani ſint ſub hoc Parocho Sacerdote, eſt velle, quòd Parochus ille ſit ſupra Parochianos illos, ſeu ſit Superior ipſorũ: quod nequit intelligi, niſi per collationem poteſtatis Iuriſdictionis. Firmo hoc ipſum ex manifeſto diſcrimine Sacramenti Pœnitentiæ ab alijs, in quibus per applicationem materiæ, non tribuitur vlla poteſtas, aut iuriſdictio, vt in Euchariſtia, applicatio panis, & vini conſecrandi non eſt collatio poteſtatis; iam enim Sacerdos ſupponitur cum tota ſua poteſtate, etiamſi non habeat panem, & vinum: At in Sacramento Pœnitentiæ abſque ſubditis abſoluendis, non habet Sacerdos, totam poteſtatem ad abſoluendum, quia non habet iuriſdictionem, & ſuperioritatem, quæ eſt poteſtas quædam, vt conſtat. Igitur dicendum eſt in hoc Sacramento requiri aliquam poteſtatem præter illam, quæ data eſt in Ordinatione, nempe iuriſdictionem acceptam ab Eccleſia.

Tertiò, idem firmatur, nam ſi in ipſa Ordinatione daretur iuriſdictio, vel ea eſſet ordinaria, vel delegata: hæc enim duo tantùm membra diſtinguunt Iura & Concilia: At non eſt ordinaria, quia non omnes Sacerdotes, diuino iure ex vi ſuæ ordinationis conſtituuntur paſtores animarum; alias enim tenerentur omnes fideles tanquam ſubditi ad illos accedere: Neque etiam recipere poſſunt delegatam, alioquin immediatè delegaretur à Chriſto, quia neque Epiſcopus ordinans, neque ſummus Pontifex habet intentionem delegandi omnibus ſuam iuriſdictionem, vt eſt per ſe notum: At ſi Chriſtus eam immediatè delegaret, nullus inferior poſſet illam auferre, quia iuriſdictio à Superiori data non pendet ab inferiori, ſicut nunc nequit Epiſcopus auferre à Religioſis iuriſdictionem, quã illis ſummus Pontifex delegauit.

Vltimò, iuriſdictio eſt eſſentialiter ſuperioritas, nam intrinſecè & eſſentialiter dicit reſpectum ad ſubditos; vnde non magis poteſt quis habere iuriſdictionem, & non habere ſubditos, quàm poſſit eſſe dominus, & non habere ſeruum; at Sacerdos per ſuam Ordinationem, nullos acquirit ſubditos, quos neceſſariò debet habere per Eccleſiam: ergo nec acquirit iuriſdictionem. Vnde cùm Eccleſia poſteà ei verè det ſubditos, etiam dat iuriſdictionẽ, quia hæc eadẽ ſũt omninò, ſicut eadẽ ſũt dare alicui mancipium, & efficere eum huius dominum.

8 Ex hac doctrina Colligo *primò*, poteſtatem Ordinis, & poteſtatem Iuriſdictionis eſſe in re ipſa diſtinctas, eo modo quo in his rebus moralibus poteſt huiuſmodi diſtinctio inueniri. Ratio eſt, quia ſunt mutuò ſeparabiles, nam & poteſtas Ordinis

poteſt ſine iuriſdictione inueniri, & poteſtas Iuriſdictionis ſine poteſtate Ordinis, vt in Parocho non ordinato: hoc autem eſt manifeſtum ſignum realis diſtinctionis.

9 Colligo *ſecundò* poteſtatem Ordinis dari per Sacramentum; at poteſtatem iuriſdictionis non dari per Samentum, cùm non detur ex vi Ordinationis Sacerdotis, ſed per iniunctionem hominum ſecundùm ordinarium Eccleſiæ curſum, ſiue detur per delegationem, ſiue detur ex officio, & tamquam ordinaria poteſtas, vt datur Epiſcopis, vel Parochis. Id totum docuit optimè. D. Th. 2.2.q.39.a.4. Vbi diſtinguens duplicem ſpiritualem poteſtatem Ordinis, & Iuriſdictionis; poteſtatem Ordinis, quæ per Sacramentum datur, & per aliquam conſecrationem confertur, appellat poteſtatem Sacramentalem, quæ immobilis eſt, ſicut & ipſa Conſecratio: aliam verò poteſtatem iuriſdictionis eſſe illam, quæ ex ſimplici iniunctione hominis confertur, & ideò eſſe mutabilem. Hoc autem intelligendum eſt de poteſtate Iuriſdictionis, quæ eſt in omnibus inferioribus ſummo Pontifici: nam in iſto non eſt per iniunctionem hominis, ſed immediatè à Chriſto. Quamuis enim ſummus Pontifex ab hominibus eligatur, & ante illam electionem, iuriſdictionem non habeat, nihilominùs illam non recipit ab Electoribus, ſed à Chriſto, facta legitima electione. Vnde quamuis illa iuriſdictio ſummi Pontificis, non detur per Conſecrationem, nec per impreſſionem characteris, nec per aliquod viſibile ſignum, vel Sacramentum, præter hominum electionem; eſt tamen immutabilis per omnem humanam poteſtatem, eo quòd & ab ipſo Chriſto, & ſuper omnes homines collata ſit.

10 Colligo *tertiò*, ex vtraque poteſtate Ordinis, & Iuriſdictionis, compleri integram facultatem ad perfectum actum iudicij in Sacramento Pœnitentiæ, in ordine ad remiſſionem peccatorum. In eiuſmodi autem iudicio præcipua poteſtas, eſt poteſtas Ordinis; & minùs præcipua poteſtas, iuriſdictionis; vtraque tamen ſimul eſt ſimpliciter neceſſaria ad ferendam ſententiam in hoc iudicio validam, & infallibilem. Vnde Sacerdotes non accipiunt in ſua Ordinatione poteſtatem omninò completam, ſed ſolùm incompletam, quæ poſteà per poteſtatem Iuriſdictionis, quam ab Eccleſia accipiunt, completur. Sicut qui poſt ſufficiens ſtudium fiunt Licentiati, aut Doctores in Iure, habent poteſtatem iudicandi de rebus controuerſis in Iure, ſed incompletam, donec accepta poteſtate iuriſdictionis, alicubi Iudices conſtituantur.

11 Ex dictis facilè ſoluuntur argumenta primæ ſententiæ. Ad primum, verum eſt, Chriſtum Dominum Sacerdotes conſtituiſſe Iudices ad abſoluendum à peccatis: verùm ſi id intelligatur ex vi Ordinationis, ſolum intelligi debere aptitudine, non actu; quia ex vi ſolius Ordinationis non habent ius, ſeu Iuriſdictionem actiuam ad abſoluendum à peccatis, ſed habent præcipuam poteſtatem operatiuam, ratione cuius ſoli Sacerdotes ſunt deputati iure diuino ad ferendam ſententiam in hoc iudicio, ſi accedat poteſtas iuriſdictionis, ſeu iuriſdictio. Ex quo patet ſolutio ad ſecũdum: per illa verba, *Accipite ſpiritum Sanctum &c.* dari Sacerdotibus veram poteſtatem per ſe, & in ſuo ordine ſufficientem ad remittenda peccata ſubditorum, quãdo illos habuerint, non verò dari poteſtatẽ iuriſdictionis, & ſubditos. Videantur dicta *ſectione præcedenti, numero tertio.*

12 Secunda ſententia, eſt quam nos defendimus; & eam rectè probat argumentum ibi adductum.

13 Quod attinet ad tertiam ſententiam, dico, parùm differre à noſtra, & in modo loquendi, non in re. Fateor etiam Sacerdotes habentes ſolam poteſtatem Ordinis, habere quandam ſimilitudinem cum Iudicibus, Chartulariis; illi tamen ex vi ſolius deſignationis Imperialis non erant ſimpliciter Iudices, neque in Iure ita appellantur, ſed tantùm ſecundùm quid, ſcilicet aptitudine: neque habebant iuriſdictionem, cùm nullum eius actum exercere poſſent, donec partes ſe illis ſubmitterent.

SECTIO VI.

Vtrùm poteſtas remittendi peccata rectè ſignificetur per Clauem regni cælorum, & ea ſit vna, vel plures?

Paucis me expediam à præſenti quæſtione, quam eruditè tractat noſter Suarez *diſp.* 16. *ſect.* 4. 1

Breuiter dico *primò*, poteſtatem remittendi peccata in foro Pœnitentiæ, rectè per metaphoram Clauis regni cœlorum ſignificari. Patet, quia eâ metaphorâ vtuntur Concilia, præſertim Tridentinum *ſeſſ.* 14. c. 5. ſic dicens: *Chriſtus Dominus Sacerdotes reliquit tanquam præſides, & iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in qua Chriſti fideles ceciderint: quo, pro poteſtate Clauium, remiſſionis, aut retentionis peccatorum, ſententiam pronuncient.* Et ratio optima eſt, quia Clauis metaphoricè ſumpta, eſt veluti facultas quædam ad aperiendum, & claudendum; & inde tranſlata eſt hæc vox, ad ſignificandam poteſtatem Eccleſiaſticam ordinatam ad regendas & diſponendas animas, vt regnum cœlorũ conſequantur. Igitur rectè ſignificat Clauis regni cælorum, ſeu beatitudinis æternæ poteſtatem in Sacramento Pœnitentiæ remittendi, & retinendi peccata, quia Clauis eſt facultas quædam, ſeu poteſtas, cuius actus ſunt, aperire, & claudere. Quod præſtat poteſtas remittendi & retinendi peccata, vt ſuprà explicuimus *ſect.* 1. Cæterùm quod per ſe intẽditur per hanc poteſtatem, eſt apertio regni cœlorum; hoc enim tantùm fit directè per ſe, ac poſitiuè per illam poteſtatem: claudere autem regnũ, ſolùm fit priuatiuè non aperiendo, idque quaſi præter intentionẽ, ad hoc cogente malitia ipſa peccatoris. Vnde non eſt ſimilis ratio denominandi hanc poteſtatem Clauem inferni, quia regnum cœlorum eſt tanquã terminus, ad quem tenditur, ex vi huius poteſtatis; infernus autem eſt terminus à quo receditur, & ideò magis ab illo, quàm ab hoc denominari debet.

Dico *ſecundò*, poteſtatem remittendi peccata adæquatè vnam eſſe Clauem; nomine verò plurium Clauium ſignificari ſecundùm diuerſos reſpectus, ſeu conceptus. Hoc etiam eſt certum apud Doctores. Prima pars conſtat, quia vna & eadem clauis materialis ad vtrumque actum aperiendi & claudendi deſeruire ſolet, & ſic eadem poteſtas Confeſſarij ſpiritualis eſt ad varios actus remittendi peccata, ac retinendi. Secunda pars liquet quoque apud Theologos, qui ad explicandos varios actus vtuntur nomine plurium clauium; ſicut enim poteſtas Eccleſiaſtica multiplex eſt, ita etiam metaphoram Clauium variè accipiũt in ordine ad diuerſos actus. Quod etiam fortaſſe inde ortum fuit, quia Chriſtus Dominus de Clauibus regni cœlorum, ſemper in plurali locutus eſt, maximè intelligẽdo nomine regni cœlorum Eccleſiam militantẽ, vt paſſim eſt in Euãgelio. Firmatur à ſimili, nam poteſtas ſpiritualis, quæ data eſt à Chriſto ad regendam Eccleſiam & recipiendi intra illam, vel ſeparandi ab illa, quos oportuerit, Clauium nomine ſignificari ſolet à Sanctis Patribus, præſertim Auguſtino *lib. vigeſimo de Ciuitate Dei, cap. nono.* Nam quia per traditionem Clauium ſolet dari poſſeſsio vel domus, vel ciuitatis, vel regni; ideò etiam per hanc clauium traditionem, poteſtas hæc meritò ſignificari dicitur, quæ varios habet actus, 2

nempe

nempe gubernare, ferre leges, diſpenſare, ligare, ſoluere, & alia huiuſmodi.

3 Dico *tertiò*, illam diſtinctionem clauium ſcientiæ, & potentiæ, quæ in poteſtate ſpirituali inuenitur, rectè accommodari ad poteſtatem hanc remittendi peccata in foro Pœnitentiæ. Probatur manifeſtè, quia in iudicio remittendi peccata, duo ſunt notanda & omninò neceſſaria. Vnum eſt, cognitio, ſeu examinatio cauſæ, aliud eſt ſententiæ prolatio: Et vtrumque reperitur in Sacramento Pœnitentiæ ex parte Confeſſarij habentis poteſtatem remittendi peccata; eſt enim in illo poteſtas, & auctoritas ad examinandam conſcientiam pœnitentis, & interrogandum iuridicè in illo foro: itavt ille teneatur veritatem fateri; & hæc vocatur Clauis Scientiæ: eſt etiam in illo facultas abſoluendi, & remittendi peccata ferendo ſententiam; atque hæc dicitur Clauis Potentiæ: ergo.

4 Obiicies, negari non poſſe, metaphoram Clauis in Scriptura, & PP. Sanctis, ſe extendere, quoque ad poteſtatẽ iuriſdictionis: nam poteſtas ligandi, & ſoluendi per excommunicationem, eſt tantùm poteſtas iuriſdictionis, & paſſim ſignificatur nomine Clauis; & poteſtas Eccleſiæ Petro promiſſa ſub nomine Clauium, maxima ex parte conſtat iuriſdictione: ergo poteſtas iuriſdictionis neceſſaria in Sacramento Pœnitentiæ, debet inter has claues numerari. *Reſpondeo*, concedendo totum, & dicendo, diuiſionem Clauis Scientiæ, & potentiæ applicatam ad poteſtatem remittendi peccata, tam conuenire poteſtati Ordinis, quàm poteſtati Iuriſdictionis, quia vtraque poteſtas eſt, & ad inquirendam conſcientiam peccatorum, & ad abſoluendum, vel ligandum; & ita poteſt, & debet dari hæc diuiſio de tota integra poteſtate, vt ordinem, & iuriſdictionem comprehendit.

5 Dico *vltimò*, has claues Pœnitentiæ, provt nunc ſunt in Eccleſia, eſſe proprias legis Gratiæ. Ratio eſt, quia in lege veteri non fuerunt propriè Claues regni cœlorum, quia tunc non erat propria poteſtas remittendi peccata, nec dandi gratiam, vt conſtat *ex tractatu primo, de Sacramentis, diſp.* 13. de inefficacia veterum Sacramentorum ad dandam gratiam: & etiam quia tunc nondum erat per Chriſtum aperta ianua regni cœlorum.

DISPVTATIO XLI.

De Miniſtro Ordinario, ſeu ex ordinaria poteſtate, Sacramenti Pœnitentiæ.

CONSTAT ex ſuperiori Diſputatione, neceſſariam eſſe poteſtatẽ iuriſdictionis, ſeu iuriſdictionẽ, vt ſit Sacerdos miniſter Sacramenti Pœnitentiæ. Quoniam verò iuriſdictio alia eſt Ordinaria quæ alicui competit, ratione Officij, quo fungitur; alia Delegata, quam quis habet, ratione conceſſionis factæ ab eo, qui ordinariam habet; ideò duo dicuntur eſſe modi hanc iuriſdictionem habendi, nempe ordinariam, & delegatam. De vtroque in particulari agemus; prius autem in hac Diſputatione de Miniſtro Ordinario, qui proprius Sacerdos appellatur in Iure, vt patet ex capite, *Omnis vtriuſque ſexus.*

* *
*

SECTIO PRIMA.

Quinam ſint Miniſtri Ordinarij in Sacramento Pœnitentiæ, & quo iure?

TRes communiter deſignantur Miniſtri ordinarij huius Sacramenti. Primus, & omnium maximus in omnes fideles eſt Summus Pontifex. Secundus eſt Epiſcopus in omnes ſuos ſubditos. Tertius eſt Parochus in omnes ſuos Parochianos, ſiue illi laici ſint, ſiue Clerici, vel etiam Sacerdotes. 1

Circa primum, certiſſimum eſt, ſummum Pontificem habere iuriſdictionem hanc ordinariam Iure diuino, omnium perfectiſſimam. Quod firmant Doctores in verbo Chriſti Domini Ioan 21. *Paſce oues meas.* quæ dicta fuêre Petro, eiuſque ſucceſſoribus: ex quibus verbis, colligunt Concilia & Patres, eam iuriſdictionem ordinariam eſſe eminentiorem omnibus aliis: *Primò* in hoc quòd Papa habet illam immediatè à Chriſto Domino, atque ideò Iure diuino: nam licet eligatur ab hominibus, tamen neque ipſi, neque vniuerſa Eccleſia dat illi iuriſdictionem, ſed ipſi deſignant perſonam, & Chriſtus immediatè munus confert. *Secundò*, in hoc quòd habet hanc iuriſdictionem independentem ab alio, quin potiùs omnis alia pendet ab ipſo. *Tertiò*, quòd habet illam vniuerſaliſſimam quoad loca, perſonas, & culpas, & quoad modum vtendi illa, vel per ſe immediatè, vel per alios, ſeu concedendo eam aliis, provt voluerit, vel oportuerit. *Vltimò*, quòd ita eſt Papa paſtor vniuerſalis omnium fidelium, vt nullus poſſit ab illius iuriſdictione eximi, quia vniuerſaliſſima, & immutabilis eſt. In quo valdè excedit Epiſcopum, qui licèt ſit paſtor vniuerſalis omnium fidelium habitantium in ſua diœceſi; tamen nonnulli eorum poſſunt ab illius iuriſdictione eximi per Romanum Pontificem. Et poſſunt etiam eſſe aliqua loca exempta, quæ non habeant Ordinarium Epiſcopum immediatum, ſed Abbatem aliquem exemptum, vel alium ſimilem Prælatum, quia hoc pendet ex varia inſtitutione humana. Sunt etiam variæ perſonæ exemptæ, vt Religioſi; eſt itaque ſummus Pontifex Paſtor communis omnium fidelium, quos omnes poteſt abſoluere poteſtate, atque iuriſdictione ordinaria. 2

Circa ſecundum de Epiſcopis, certum eſt habere poteſtatem & iuriſdictionem ordinariam in omnes ſuos ſubditos. Difficultas eſt, an illam habeant immediatè à Chriſto, vel potiùs à ſummo Pontifice, & hoc ſenſu nõ habeant illam diuino, ſed humano iure. De hac re videatur Suar. *diſp.* 25. *ſect.* 1. Breuiter dico cum illo, iuriſdictionem prædictam non dari Epiſcopis immediatè à Chriſto, ſed per ſummum Pontificem. Ratio eſt, quia non habent illam ex vi conſecrationis, ſed ex vi ſui muneris; ſed illud munus habent à ſummo Pontifice, & iuxta illius inſtitutionem: ergo. Maior videtur certa, quia ſicut dantur aliqui Sacerdotes ſimplices, & non habentes iuriſdictionem, ex quo manifeſtè ſequitur, Sacerdotes non habere iuriſdictionem, ex vi Ordinationis ſuæ: ita dantur aliqui ſimplices Epiſcopi, qui nullam habent iuriſdictionem, quia nullam Eccleſiam habent ſibi commiſſam, neque ſunt ordinarij paſtores alicuius diœceſis. Interdum etiam nonnulli, qui habuerunt Epiſcopatum, & iuriſdictionem, illã renunciant, conſentiente Papa, & poſteà manent ſine vlla iuriſdictione: ergo euidens ſignum eſt, illos non habere vllam iuriſdictionẽ ex vi Cõſecrationis. Habent verò illã ex vi ſui muneris Epiſcopalis, quia talis iuriſdictio eſt de intrinſeca ratione muneris talis. Nam Epiſcopus ex vi ſui Officij, eſt paſtor animarũ & gubernator in ſpiritualibus, & magis præcipuè 3

in his, quæ pertinent ad internum animæ bonum, quam ad externum: ergo tali muneri intrinſeca eſt iuriſdictio. Minor illa, nempe Epiſcopos habere Epiſcopale munus per ſummum Pontificem, ſeu dependenter ab illo, patet, quia ex vſu Eccleſiæ ſatis conſtat, iuriſdictionem Epiſcoporum ac munus multis modis pendere à poteſtate ſummi Pontificis. Primò, quia omnes Epiſcopi recipiunt hoc munus media auctoritate, & conſenſu ſummi Pontificis. *Secundo*, pendent ab illo in determinatione, ſeu diuiſione diœceſum; nam ad illum ſpectat vnicuique Epiſcopo aſſignare proprium terminum, & coarctare, vel augere, ac diuidere territorium. *Tertiò* pendent quoque Epiſcopi ab illo in extenſione, vel limitatione iuriſdictionis ad plures, vel pauciores effectus. Quod ſatis conſtat experientiâ in iis, quæ pertinent, vel ad forum externum, vel ad diſpenſationes in votis, impedimentis matrimonij, &c. vel ad abſoluendum à cenſuris, vel ad conferendas Indulgentias. Et in foro interno Pœnitentiæ id euidenter liquet ex caſuum reſeruatione, quæ non fit niſi per ablationem, ſeu limitationem iuriſdictionis. Denique pendent in hoc, quòd iuriſdictio, ſeu officium Epiſcopale poteſt per Papam auferri ex iuſta cauſa, poteſt etiam mutari, vt fit in tranſlatione Epiſcoporum.

4 Ex hac doctrina colligo *primò*, quòd Petrus, v. g. vel Franciſcus ſit Epiſcopus huius vel illius loci, aut quòd habeat tantam, vel tantam diœceſim, aut tam paruam, aut tam magnam iuriſdictionem pendere à iure humano. Patet, quia ſi haberet hæc à iure diuino, non poſſent ei per ius humanum auferri, aut minui, vt conſtat in ſummo Pontifice, cuius iuriſdictionem nullus homo minuere poteſt. At iſte poteſt minuere iuriſdictionem aliorum Epiſcoporum, imò ex iuſta cauſa eos priuare omni iuriſdictione. Firmatur, nam cùm poſſint ordinari Epiſcopi ſine vllis ſubditis, aut ſine vlla iuriſdictione, vt conſtat, de Epiſcopis merè titularibus; non poſſunt hæc habere Iure diuino, cùm nihil iis competat præciſè ex Iure diuino, niſi quod habent ex vi Ordinationis.

5 Colligo *Secundò*, hoc ipſo quo aliquis legitimè conſtituitur alicuius loci Epiſcopus, accipere iuriſdictionem in eos omnes qui in eius diœceſi commorantur, exceptis illis, qui legitimè ab eorum iuriſdictione exempti ſunt: ſicut etiam Parochus hoc ipſo, quo talis legitimè conſtituitur, accipit iuriſdictionem in hoc foro requiſitam in eos omnes, qui in eius parochia commorantur, exceptis legitimè exemptis.

6 Colligo *tertiò*, Archiepiſcopum non habere iuriſdictionem in ſubditos Epiſcoporum ſuffraganeorum, nec poſſe eorum Confeſſiones audire, niſi dum viſitat, vt habetur in *cap. vltimo, de cenſibus, in 6.* Quo tempore ex officio competit ei iuriſdictio, atque ita eſt iuriſdictio ordinaria, quia competit illi, ratione proprij muneris; nam hoc ius eſt quid annexum illi actui viſitationis, & ita eo tempore poteſt eam iuriſdictionem delegare, vt docet Suarez citatus *num.* 14. extra tempus verò viſitationis, non habet Archiepiſcopus hanc iuriſdictionem, quia nec Iure diuino, neque humano illi conceditur. Imò dum in prædicto Textu, tempus illud ſingulariter exprimitur, ſatis ſignificatur extra illud non haberi, vt rectè notauit Suarez *loco citato, num.* 14. & Henriquez *lib. 6. cap. 7.*

7 Colligo *quartò*, Vicarium Epiſcopi habere etiam iuriſdictionem ordinariam ad audiendas Confeſſiones, nam eſt verè Ordinarius, & Parochis Superior, conſtituitque vnum tribunal cum Epiſcopo, eiuſque perſonam repræſentat. Idem dic de Vicario capituli in Sede vacante, cum repræſentet Capitulum, quod tunc habet iuriſdictionem ordinariam.

Colligo *vltimò*, nomine Epiſcopi, ordinariam iuriſdictionem habentis, comprehendi quoque eos Abbates, & Dignitates, quæ exemptæ ſunt ab Epiſcopis, & ratione dignitatis habẽt poteſtatẽ confitendi: Generales etiã & Prouinciales Religionũ pro ſuis Religioſis, cõparatione quorum, habent quaſi Epiſcopalem iuriſdictionem. 8

Circa tertium de Parochis, cõſtat ex omnium ſententia eſſe Iudices ordinarios, ac immediatos in hoc foro Pœnitentiæ. Et ita liquet ex vſu, & ſenſu Eccleſiæ, & ex *cap. Omnis vtriuſque ſexus*: Vbi nomine proprij Sacerdotis, intelligitur Parochus, vel ſaltem formaliter cõprehenditur, & de illo proprio Sacerdote abſolutè ſupponitur, poſſe ſuam, iuriſdictionem cõmittere, quod eſt munus ordinarij Iudicis. De eorum iuriſdictione, non eſſe immediatè a Chriſto, nec ex diuino Iure, ſed humano, conſtat clariùs ex his, quæ diximus *ſuprà* de Epiſcopis. Quibus addo etiam diuiſionem Parochiarum cum inſtitutione propriorum Parochorum etiam in communi, non fuiſſe de Iure diuino, nam poſſet Eccleſia plures Epiſcopos diuidere, & minus territorium vnicuique concedere, & ordinare vt Epiſcopus eſſet proximus, & immediatus paſtor in tota ſua diœceſi, vt de facto fit in aliquibus Epiſcopatibus. Addit Henriquez ſuprà citatus §. 2. cum Nauarro, & aliis, quos refert, eſſe numerandum inter eos, qui ordinariam iuriſdictionem habent, etiam illum, qui verè non eſt Parochus, nec paſtor, ſed tamen communi errore vulgi talis reputatur: hic enim titulus coloratus confert iuriſdictionem, ne alioqui fideles magnam iacturam patiantur, dum credentes ſe habere verum paſtorem, illi confeſſi ſunt. 9

SECTIO II.

Quis ſit in Iure proprius Sacerdos ad adminiſtrandum Sacramentum Pœnitentiæ?

VAriant Doctores, quiſnam dicatur proprius Sacerdos: Quæ videtur eſſe quæſtio de nomine. Sotus *in 4. d. 18. q. 4. a. 2.* Vaſq. *q. 93. a. 2. dub. 1.* Gaſp. Hurtad. *difficultate 4. diſputationis decimæ.* & alij; nomine Proprij, intelligunt quemcumque habentem ordinariam iuriſdictionem in aliquem, qui eam habet ex vi muneris, ſeu officij inſtituti ex iure ordinario, ſiue diuino, ſiue humano, vt eſt Parochus reſpectu ſuorum Parochianorum, & Epiſcopi reſpectu ſuorum diœceſanorum, & Pontifex reſpectu fidelium totius Eccleſiæ. Et quemlibet ex his tribus dicunt, & non tantum Parochum dici proprium paſtorem, & proprium Sacerdotem, non prout diſtinguitur contra communem, & vniuerſalem, ſed prout diſtinguitur contra alienum; nam etiam communis paſtor proprius Sacerdos dicitur. 1

Probant id *primò* ex *c. Omnis vtriuſque ſexus, n. 12. de Pœnit. & remiſſionibus*, vbi proprius Sacerdos ſumitur, & nõ tãtùm Parochus, dum ſic dicitur, *Omnis vtriuſque ſexus fidelis, ſaltem ſemel in anno proprio Sacerdoti confiteatur, & non alieno, niſi de licentia proprij.* Vbi manifeſtè ſumitur, *Proprius*, prout cõtrà opponitur alieno; & intelligitur ille, cui, aut de cuius licentia facienda eſt Confeſſio, quâ ſatisfiat præcepto annuæ Confeſſionis, quia de eo Sacerdote eſt tantùm ſermo ibi: At conſtat cuicumque habenti iuriſdictionem ordinariam, etiam Põtifici, & aliis, ex licentia cuiuſcumque habentis illam, poſſe fieri Confeſſionem, quâ ſatisfiat præcepto annuæ Confeſſionis.

Secũdò, in eadem Decretali infrà, dum dicitur: *Si quis autem alieno Sacerdoti voluerit, iuſta de cauſa, ſua peccata cõfiteri, licentiã prius poſtulet, & obtineat à proprio Sacerdote.* 2

Digitized by Google

Sacerdote. Vbi non intelligitur proprius Sacerdos, Parochus tantùm, ſed etiam Pontifex, & Epiſcopus : quod videtur manifeſtum, quia quicumque ex illis poteſt dare licentiam confitendi Sacerdoti alieno. Alienus verò dicitur quicumque Sacerdos aliàs non habens poteſtatem ſeu iuriſdictionem ordinariam, quia hic audire non poteſt Confeſſiones vllo modo, niſi ex licentia Proprij, hoc eſt delegata illi iuriſdictione à proprio Confeſſario.

Tertiò, in Extrauaganti *Vices, de Treuga, & pace*, & in Extrauagāti *Vas electionis, de Hæreticis*, eodem modo ſumitur proprius Sacerdos, pro quolibet habente ordinariam iuriſdictionem: quia Pontifices in his Extrauagantibus aſſumunt prædicta verba ex *dicto cap. Omnis vtriuſque ſexus*, mentionem illius facientes, & alludentes ad verba illa.

2 Suarez verò *diſp. 25. ſect. 2.* ſecutus Magiſtrum Cano, proprium Sacerdotem in rigoroſa ſignificatione dici eum, qui proximam curam, & obligationem habet ex officio miniſtrandi fidelibus Sacramentum Pœnitentiæ, atque adeò ſolum Parochum. Et hoc modo exponit c. *Omnis vtriuſque ſexus*.

3 Dico *primò*, quemcumque Sacerdotē, qui in foro pœnitentiæ habet iuriſdictionem ordinariam, propriè eſſe, & dici Sacerdotē propriū; ita Doctores primæ ſententiæ. Nec videtur negari poſſe, quia talis Sacerdos habet ius miniſtrandi Sacramentum Pœnitentiæ, & ex officio proprio, habet animarum curam, & ex iuſtitia; ergo eſt proprius Sacerdos, prout opponitur alieno, qui eam non habet ex proprio officio, ſed tantùm per delegationem, ſeu per moralem conceſſionem, ac deputationem omninò extrinſecam: Vnde quilibet animarum paſtor habens iuriſdictionem ordinariam, ſiue illa ſit proxima, & immediata, qualis eſt in Parocho, ſiue ſit vniuerſalis, & quaſi remota, qualis eſt in Epiſcopo, vel ſummo Pontifice, dicitur verè, & propriè Sacerdos proprius vt diſtinguitur ab alieno.

4 Dico *ſecundò*, proprium Sacerdotem ſumi in Iure, præſertim in *c. Omnis vtriuſque ſexus*, prout diſtinguitur contra alienum, non tantum pro Parocho, ſed etiam pro Epiſcopo, & Pontifice. Hoc probant manifeſtè argumenta adducta pro prima ſententia, præcipuè primū, quod eſt efficaciſſimum: Nec oppoſitum oſtendit Suarez, vnde infert in rigoroſa ſignificatione, proprium Sacerdotem dici eum ſolum, qui proximam curam, & obligationem habet ex officio miniſtrandi fidelibus Sacramentum Pœnitentiæ. Cur enim, & quidem potiori iure, id nomen Sacerdotis proprij non conueniet Epiſcopo, & Pontifici? Cur etiam *in c. Omnis*, ſumitur Sacerdos proprius tantùm pro Parocho, cùm id, quod in eo Capite dicitur de Sacerdote proprio, vt nimirùm intelligatur ille, cui, aut de cuius licentia facienda eſt Confeſſio, quā ſatisfiat præcepto annuæ confeſſionis, conueniat quoque cuicumque habenti iuriſdictionem ordinariam, etiam Epiſcopis, & ſummo Pontifici; præſtantiori ratione.

5 Hinc dico *vltimò*, alienum Sacerdotem & non proprium, dici in Iure, qui nullam habet iuriſdictionem ordinariam, licèt eam habeat delegatam. Patet ex Textibus Iuris citatis, & etiam ex vi nominis proprij, nam nec proprius, nec proprietas poteſt rectè accommodari illi, qui ex proprio munere, & officio non habet animarum curam, ſed tantùm delegatam per moralem quandam conceſſionem, vel deputationem omninò extrinſecam, ac quaſi per accidens conuenientem: ergo alienus Sacerdos rectè intelligitur ille, qui caret omni animarum iuriſdictione ordinaria.

SECTIO III.

An Parochus, vel etiam Epiſcopus extra Diœceſim poſſit abſoluere ſubditum ſuum, & an ratione delicti in tali loco commiſſi acquiratur iuriſdictio.

Circa primum, præmittendum eſt, quod communiter docent Theologi, & Iuriſperiti, duplicem eſſe diſtinguendam iuriſdictionem; alia enim eſt contentioſa, & neceſſaria, quæ ſcilicet habet contradictorem, & inter cōtendētes exercetur, & redditur in inuitos; altera eſt voluntaria, quæ in ſolos ſubditos volentes exercetur: illa dicitur Contentioſa, quia actor contendit contra reum; & dicitur neceſſaria, quia reus in iudicium vocatus, tenetur ibi reſpondere, & redditur in inuitos; hæc verò dicitur voluntaria, quia in ſolos ſubditos volentes exercetur, nec petit iudicem pro tribunali ſedentem. Inter has iuriſdictiones hoc eſt diſcrimen ab omnibus cōmuniter receptum, nam Contentioſa exerceri nequit à Iudice extra proprium territorium, ne Iudici illius iniuriam inferat. Voluntaria autem poteſt vbique exerceri, quia cùm nullam cauſæ cognitionem, nec Iudicē pro tribunali ſedentem petat, non eſt cur iudex alieni territorij meritò conqueratur, ſi in ſuo, per alienum Iudicem, erga illius alieni ſubditum exerceatur. 1

Hoc præmiſſo, dicendum eſt ad primum punctum, cum communi ſententia, poſſe Epiſcopum vel Parochum audire Confeſſionem ſui ſubditi etiam extra ſuā diœceſim, vel Parochiam. Ratio eſt, quia hæc iuriſdictio non eſt contentioſa, nec requirit ſtrepitum iudicialem, ſed eſt voluntaria, quæ fit ſine ſtrepitu: at talis iuriſdictio poteſt etiam extra territorium exerceri, vt patet expreſsè *L. 2. ff de officio Proconſulis*: & pluribus docet Sanch *lib 3. de matr. diſp. 19. n. 8*. Firmatur id etiā, quia hoc Sacramentū Pœnitentiæ, per ſe requirit iuriſdictionem in perſonam, nam illa eſt iudicanda; hæc autem iuriſdictio nec acquiritur, nec amittitur ratione præſentiæ, vel abſentiæ localis: ex alio verò capite, hoc iudicium Sacramentale non requirit publicam, & exteriorem ſolemnitatem in determinatione loci, vel aliarum cæremoniarum, & ideò qui aliàs eſt ordinarius Iudex reſpectu perſonæ, poteſt, vbicumque voluerit, ius dicere: in quo differt hoc iudicium ab externo. 2

Aduertit rectè Suarez *diſp. 25. ſect. 1. n. 17.* hoc locum etiam habere in eo, qui habet iuriſdictionem delegatam, quam poterit exercere circa ſubditos delegantis, vbicumque eos inueniat. Quare Sacerdos habens iuriſdictionem delegatam ab Archiepiſcopo Valentino in omnes ſuos ſubditos, poteſt abſoluere aliquem illorum; etiamſi ambo extra diœceſim inueniantur: quia illa circumſtantia loci nihil refert ad hoc Sacramentum, nec tollit, aut dat iuriſdictionem. Quod intelligi debet, dummodò delegationis formula non limitetur ad talem locum, vel etiam niſi fortaſſe vbi ratione alicuius ſpecialis priuilegij, aliud explicatum eſſet.

Circa ſecundum, an in hoc foro Pœnitentiæ requiratur iuriſdictio, ratione delicti in tali loco. Aliqui affirmant, putantes quòd ſicut iuxta *cap. vltimum, de foro competenti*, in foro externo aliquis ſit ſubditus ratione delicti in aliquo territorio commiſſi; ſimiliter fiat in hoc foro. 3

Cōmuniter tamen omnes Doctores contrariū tenent vt certū, ſi ſermo ſit de abſolutione à culpa, nā de cenſuris aliud eſt? Quare ſi ſubditus huius Archiepiſcopatus 4

Valentini, peccauit in alio mortaliter, non debet, nec poteſt, per ſe loquendo, abſolui in hoc foro ab illo delicto ab Epiſcopo, vel ordinariis Miniſtris eius loci, in quo peccauit, ſed à ſuo Epiſcopo, vel Parocho, aut ex licentia eius. Quod ſatis probatur, quia id ſumitur ex *cap. Omnis vtriuſque ſexus*, vbi ſine vlla reſtrictione, vel diſtinctione aſſeritur, omnia peccata eſſe proprio Sacerdoti confitenda. Neque oppoſitum vllo iure probatur; & inde ſequeretur, quòd ille, qui per duos menſes fuit in vna Parochia, & per duos alios in alia, deberet poſtea diuidere Confeſſionem, & vni Parocho confiteri peccata primi bimeſtris, & alteri Parocho peccata ſecundi, quod eſt friuolum, & præter omnem vſum: imò & contra inſtitutionem huius Sacramenti, ex qua ſumitur optima ratio, quia in hoc foro idem debet eſſe Iudex omnium culparum, quia omnia peccata mortalia ſimul debent remitti, nec poſſunt diuidi; cùmque propter illa primariò detur hæc iuriſdictio, non debuit hæc iuriſdictio pro varietate locorum diuidi. Quare manifeſta eſt differentia, vt notant communiter Doctores, inter hoc iudicium internum, & aliud externum, nam hoc poſterius cùm ordinetur ad externam gubernationem, & publicam punitionem, quæ fit ad aliorum exemplum, expedit valde, vt ibi puniatur delictum, vbi committitur: at hoc iudicium ordinatur ad internam ſalutem animæ, & reconciliationem cum Deo, ad cuius finem nihil refert, quòd peccatum in hoc, vel illo foro fuerit commiſſum.

SECTIO IV.

Quis ſit Ordinarius Miniſter Epiſcoporum, Cardinalium, & Parochorum.

1 Dico *primò*, miniſtrum Ordinarium in Sacramento Pœnitentiæ dici illum, qui eſt paſtor reſpectu pœnitentis, & eius proprius Sacerdos, vt conſtat ex dictis *ſect. 1. & 2.*

2 Dico *ſecundò*, omnes Chriſti fideles habere ſuum paſtorem proprium, præter ſummum Pontificem, qui licet ſit ouis Chriſti, non habet alium paſtorem, quia ipſe ſupremus eſt omnium: poteſt tamen abſolui Sacramentaliter ab illo Sacerdote, quem ipſe elegerit, vt dixi ſuprà *diſputatione præcedenti, ſect. 4. numer. 6.* Cæteri omnes Paſtorem habent, qui eſt eorum Confeſſarius ordinarius, nimirùm Papa, qui eſt paſtor communis omnium fidelium, quos omnes abſoluere poteſt, poteſtate, atque iuriſdictione ordinaria; Epiſcopus habet poteſtatem ordinariam in omnes ſuos ſubditos; & Parochus ſimiliter in omnes ſuos parochianos.

Familiæ autem ſummi Pontificis ordinarius & proprius Paſtor, eſt ipſe Papa, vel ſummus Pœnitentiarius eius, vel quem ipſi deſignant. Ita fatentur communiter Doctores, & conſtat ex vſu. Quod intelligendum eſt de his qui actu ſunt Romæ, & actu ſunt de familia Papæ: nam ſi inde diſcedant, non vtuntur hac facultate, ſed communi iure.

3 Dico *tertiò*, Epiſcopos non habere proprium Sacerdotem, & ordinarium præter ſummum Pontificem. Probatur, quia inprimis cùm Papa habeat ordinariam iuriſdictionem in diœceſes omnium Epiſcoporum, & in omnes ſubditos eorum; conſequenter habet etiam in ipſos Epiſcopos. Quod verò ſolus ipſe ſit proprius Sacerdos Epiſcoporum, ideò liquet, quia ſi alius eſſet proprius Sacerdos Epiſcoporum, maximè Archiepiſcopus, vel Patriarcha: At, vt dixi *ſuprà* Archiepiſcopus non habet ordinariam iuriſdictionem in hoc foro in diœceſibus ſuffraganeorum: ergo multò minus circa ipſos Epiſcopos. Poſſunt tamen Epiſcopi de Iure communi, eligere ſibi Confeſſarium, vt videtur animarum diſpendium, quia difficile eis eſſet, recurrere ſemper ad Papam, vt habetur *in cap. vltimo, de pœnitentiis, & remiſſionibus.* Qua facultate poſſunt etiam vti, dum verſantur in Curia Pontificis, quia conceſſio eſt generalis: & licèt habeant apud ſe Religioſos, qui ex facultate Papæ, poſſunt abſoluere; nihilominus tamen poſſunt alium ſibi eligere, qui talem facultatem non haberet. Nomine autem Epiſcoporum, comprehenduntur ibi alij Prælati ſuperiores exēpti, quia ita voluit Pontifex, & expreſſit in eodem Indulto, quales ſunt Abbates exempti, & immediati Pontifici, & alij, qui habent ſimilem iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem. Eodem indulto gaudent quoque Prælati regulares præſertim Generales, & Prouinciales, imò & Superiores locales, qui etiam ſunt Prælati, & habent iuriſdictionem in vtroque foro. Quod rectè limitat Suarez *diſp. 27. ſect. 2. num. 10.* vt nō procedat, quando in aliqua Religione, iuxta ſpecialia priuilegia, vel Conſtitutionem a ſummo Pontifice approbatam, Prælatus inferior habet Confeſſarium deſignatum à ſuo Prælato Superiore, qui iam eſt veluti ordinarius eius Iudex, & paſtor in hoc foro, quia non eſt veriſimile, per illud generale ius, derogari ſpecialia iura ſpectantia ad conuenientem ordinem Religionis: argumento *cap. 2. de pœnitentiis & remiſſionibus, in 6.* Maximè ſi priuilegia Religionis poſt illud commune ius conceſſa, vel confirmata fuerint.

Quæres, quis nomine Epiſcopi in illa conceſſione ſit intelligendus; comprehenditur-ne Epiſcopus electus, & Epiſcopatum habet, nondum verò eſt conſecratus, & etiam Epiſcopus Titularis, qui eſt conſecratus, & Epiſcopatum non habet. *Reſpondeo*, cum Suario *diſput. 27. ſect. 2. numer. 5* de electo tantùm certum eſſe, non comprehendi, quia non eſt Epiſcopus, ſed deſignatus tantùm in Epiſcopum; vnde adhuc manet ſubditus eidem proprio Sacerdoti, quem anteà habebat. Comprehenditur verò, qui iam eſt confirmatus, itavt Epiſcopatum iam habeat, quia iam eſt verus Epiſcopus, & non habet proprium Sacerdotem ordinarium præter Pontificem. De illo verò, qui è contrario conſecratus eſt Epiſcopus, ſed non habet Epiſcopatum, nec iuriſdictionem, verius mihi videtur poſſe vti eo iure, quia ille eſt verè, & ſimpliciter Epiſcopus, & in textu nihil aliud requiritur, & nō oportet fauorem reſtringere, ſed ampliare, quantùm proprietas verborum admittit. 4

De familiis autem Epiſcoporum, regulariter & ordinarie habent ſuum proprium Sacerdotem ordinarium iuxta ius commune: poſſet tamen Epiſcopus, ſi velit, eximere familiam ſuam ab ordinaria Parochorum cura, & ſibi reſeruare, vel alium proprium deſignare, quia eſt Superior, & poteſt habere rationabilem cauſam, ſicut poteſt ſibi reſeruare caſus.

Dico *quartò*, Cardinales, qui Epiſcopi non ſunt, ſolùm habere ſummum Pontificem vt proprium paſtorem, & Sacerdotem. Patet, quia tametſi eorum dignitas non conſiſtat in poteſtate iuriſdictionis ad forum pœnitentiæ ſpectantis; tamen quia ratione dignitatis propinquiſſimi ſunt ſupremo Pontifici, ideò illum ſolum habent vt proprium paſtorem, & Sacerdotem: eſt enim collegium illud Sacrum, veluti vnum ſpirituale Corpus, cuius proximum caput eſt ſummus Pontifex: poſſunt etiam prędicti Cardinales eligere ſibi Confeſſarium, imò & dare facultatem ſuæ familiæ eligendi Confeſſarium, nā quiſque Cardinalis eſt quaſi proprius Sacerdos ſuæ familiæ, & poteſt per ſe, vel per aliū, hoc munus exercere, vel ſi ipſe nō ſit Sacerdos, poteſt delegare hanc poteſtatē, vt cū Caiet. docet Suar. *diſp. 27. ſect. 2. n. 6.* ſiue hoc ſit ex vi Iuris, ſiue ex aliis cōceſſionibus Pōtificū, ſiue 5

Digitized by Google

ſiue ſaltem ex conſuetudine. Quamuis enim non ſint Superiores Epiſcopis poteſtate, ſeu iuriſdictione; cenſentur tamen iuxta communem vſum Eccleſiæ ſuperiores dignitate; ita enim de illis loquuntur Pontifices, & Eccleſia Romana. Et aliunde fauet ratio priuilegij, quæ extenſionem patitur, quantum verba in propria ſignificatione admittunt.

6 Dico *vltimò*, Parochorum immediatum Paſtorem ordinarium eſſe Epiſcopum, vel qui quaſi munus Epiſcopale habet. Ita docent omnes, & eſt per ſe clarum, quia ipſi Epiſcopo Parochi immediate ſubiiciuntur. Neque hi poſſunt, ſicut nec alij Sacerdotes eligere Confeſſarium, quem voluerint. Nam hi omnes poſt Tridentinum, non poſſunt eligere Confeſſarium, niſi approbatum ab Epiſcopo: qui ſi regularis ſit, iam habet aliunde iuriſdictionem per priuilegia ſui Ordinis; ſi ſæcularis, habet iuriſdictionem ab Epiſcopo, qui non ſolet communiter dare approbationem Sacerdoti ſæculari ſine licentia, & iuriſdictione ad abſoluendum in ſua diœceſi. Vnde vix poterit vnquam occurrere caſus, quo Parochus, vel Sacerdos eligat ſibi Confeſſarium non habentem aliunde iuriſdictionem.

SECTIO V.

Quis Parochus ſit proprius Sacerdos fidelium, ratione domicilij?

1 Conſtat vt certum ex Iure, in vnaquaque Eccleſia Parochiali, illius Parochum eſſe proprium Sacerdotem omnium, qui intra terminos illius Parochiæ degunt, ſiue illi Laici ſint, ſiue Sacerdotes. Quod intelligi debet per ſe loquendo, & ſecluſis priuilegiis. Ratio eſt, quia ille Parochus eſt proprius rector, & paſtor animarum illarum: conſtat etiam, iuxta commune ius, & vſum Eccleſiæ, vnumquemque fidelium ſortiri Parochiam, vbi habet firmum domicilium. Ita habetur *in cap. vlt. extra de Parochis.* Difficultas eſt in explicando hoc domicilio.

2 Ad cuius explicationem notandum eſt, eos dici eſſe in alicuius parochia, qui in ea domicilium, vel quaſi domicilium habent. Dicitur autem quis habere domicilium in aliquo loco, quando in eo habitat, animo ibi permanendi perpetuò. Quaſi domicilium ibi quis habet, vbi per diuturnam anni partem habitat, quamuis non fixam, ſeu quod idem eſt, non habet animum perpetuò manendi, vt Scholaſtici, milites, litigantes, ac mercatores, quando in alienis oppidis diu morantur.

3 Hoc præmiſſo, Dico *primò*, certum eſſe, eum qui fixum habet domicilium, animo ibi perpetuò manendi, ſubiici ordinario Parocho illius loci. Id ſaltem probat caput relatum *extra de Parochis.* Patet, quia iſte eſt proprius paſtor, ac Sacerdos illius.

4 Dico *ſecundò*, quando quis habet domicilium in duabus parochiis, poteſt prout voluerit, confiteri vtrique paſtori. Ita communiter Doctores, quia vtriuſque eſt æque parochianus: ergo vtraque eſt æquè parochia iſtius: ergo non eſt maior ratio, cur alter ſolus Parochus ſit illius paſtor, & proprius Sacerdos. Firmo, quia vterque illorum eſt proprius Sacerdos: ergo poteſt eſſe iudex in foro pœnitentiæ, nam hæc iuriſdictio non ſequitur actualem habitationem, ſed domicilium. Neque enim eſt maior ratio de vno, quam de alio. Addunt aliqui, hanc Concluſionem veram eſſe, ſi talis Parochianus æqualiter in vtraque Parochia habitet. Verùm id intelligendum puto, non mathematicè, ſed morali modo, vt ſit æqualis omninò, aut ferè habitatio. Vt cùm quis vnam parochiam hyeme, alteram verò æſtate inhabitat: quæ tempora non ita in puncto mathematico conſiſtunt, vt omninò æqualia ſint. Oportebit tamen, vt talis perſona perſona ſatisfaciat illi Sacerdoti, in cuius parochia habitat, reddens illum certum, quòd iam impleuerit præceptum.

5 Ex quo infero, ſi duo Parochi in ſolidum alicui Parochiæ præſint tanquam proprij Sacerdotes, poſſe quemlibet ex illis, etiam altero inuito, audire Confeſſiones talium parochianorum, quia Par in parem non habet imperium, *cap. innotuit, de electione, & electi poteſtate.*

6 Dico *tertiò*, etiam illos, qui in vno loco habent domicilium, & in alio quaſi domicilium, vt ſunt Scholaſtici, verbi gratia, in Vniuerſitatibus, per illud quaſi domicilium ſubiici ordinariis Parochis illorum locorum, in quibus habitant, atque adeò tales poſſe provt voluerint, confiteri, vel Paſtori loci, in quo habitant, vel eius in quo domicilium habent, eodem planè modo, ac quando quis habet domicilium in duabus parochiis. Id vſus manifeſte demonſtrat, & ratio etiam: quia id quoque eſt moraliter neceſſarium, & ideò conſuetudine introductũ, quia moraliter loquẽdo, ac ferè ſemper recurſus ad paſtorem, in quo habet domicilium, non eſt facilis, imò difficilis; atque ideò conſuetudine introductum eſt, vt poſſit etiam recurrere ad alium paſtorem loci, in quo ſolum habet quaſi domicilium. Et quamuis in aliquo indiuiduo ceſſet hæc ratio, id non obſtat, quominùs ille titulus ſufficiens ſit ad acquirendum forum, ſeu iuriſdictionem, vt optimè notat Suarez *diſp. 25. ſect. 2. num. 6. in fine.* Non enim vt quis dicatur habere aliquem Parochum, vt proprium Sacerdotem, & vt ab eo poſſit Sacramentaliter abſolui abſque licentia alicuius, neceſſarium eſt, quòd in eius Parochia habeat domicilium, ſeu quòd in ea parochia habitet animo ibi in perpetuum commorandi, ſufficit enim in ea Parochia habitare, animo commorandi per medietatem anni, paulò plus, minúſve, vt contingit Scholaſticis in Academiis, & militibus in præſidiis, & mercatoribus in alienis oppidis; ac proinde poſſunt provt voluerint confiteri, vel Paſtori loci, in quo modo dicto habitãt, aut in quo habent domicilium; ſic enim conſuetudine introductum, & firmatum eſt, quæ vim habet vniuerſalis legis. Et ſanè prædicta conſuetudo iure optimo fuit introducta, ne huiuſmodi perſonæ Sacramento valdè neceſſariò diutius carerent. Conſuetudo enim poteſt iuriſdictionem conferre, non ratione ſui, ſed ratione taciti conſenſus, & approbationis ſuperioris, quam ſuperior eo ipſo, quo ſcit aliquos actus fieri, & non contradicit, cùm poſſit commodè contradicere, cenſetur approbare, & facultatem iuxta conſuetudinem receptam conferre.

SECTIO VI.

Quis cenſeatur Parochus, ſeu proprius Sacerdos vagorum, & iter agentium, ſeu peregrinorum?

Circa primum, præmittendum eſt, vagabundos, ſeu vagos, dici illos in Iure, qui nullum habent firmum domicilium, ſed ſemper vagantur; ac proinde nullum habent firmum, & certum parochum, quia fideles ex domiciliis ſortiuntur Parochum, vt ſtatuitur in *cap. vltimo, de Parochis.* Vagi etiam dici ſolent, qui proprium domicilium deſerunt, vt aliò illud transferant. 1

Nam eo ipſo, quo iſti parochiam ſuam egreſſi ſunt, animo ibi ampliùs non habitandi, donec perueniant ad locum, in quo habitare conſtituunt, & in eo ſedem fixerint, omni parochia, & domicilio carent; atque adeò vagi ſunt, quia reuera nullam parochiam habent, cùm priſtina deſerta ſit, & noua nondum ſit habitatio cæpta acquiri.

2 Quo præmiſſo, communis eſt Doctorum ſententia, vagos habere pro Parocho ad audiendas Confeſſiones, eum in cuius parochia pro tempore verſantur, cuius eſt ipſis Sacramenta adminiſtrare, qui eos abſoluere poteſt ab iis omnibus, à quibus proprios parochianos poteſt abſoluere; Quare ibi habent proprium Sacerdotem, vbi vagantur, & in huiuſmodi hominibus actualis habitatio ſuccedit loco domicilij, cùm aliud non habeant & conſequenter ordinarius Parochus illorum eſt ille, in cuius parochia habitant, & mutata habitatione, mutatur & Parochus., Ratio huius Dicti optima eſt, quia iſtis aſſignandus eſt aliquis proprius Parochus, cui incumbat eorum cura ſpiritualis, alias non fuiſſet illis ſufficienter prouiſum: nullus autem alius eis congruè aſſignari poteſt, niſi ille, in cuius parochia actu habitant, tempore quo Sacramenta recipiunt. Quod etiam praxis confirmat, quia nullus Parochus cenſetur obligatus ad conferendam Euchariſtiam, & Extremam-Vnctionem vagabundo ægrotanti, niſi ille, in cuius Parochia tunc vagabundus hoſpitatur, & habitat. Vnde is Parochus tenetur ex officio, eis miniſtrare Sacramenta, ſi indigeant, eóſque poteſt ad præceptum implendum compellere.

3 Circa ſecundum, de iter agentibus, ſeu peregrinantibus, qui alibi habent ſuum domicilium, ratio dubitandi eſt, quia ex vno capite, videtur non poſſe confiteri alieno, etiam in locis diſtantibus, ſine licentia proprij, quia ſicut retinent domicilium proprium, etiamſi extra illud incedant; ita etiam eundem ſemper Parochum habẽt firmum, & proprium Vnde olim fideles facultatem petebant à ſuis propriis Sacerdotibus ad agendum iter, & in ea facultate cenſebatur dari licentia confitendi alteri in itinere, ſi opus eſſet. At nunc cùm iam ceſſauerit illa conſuetudo, nequeunt iure ordinario, & ſine priuilegio aliis confiteri, propter rationem dictam: ex alio verò capite, poſſe has perſonas confiteri, vel Parocho illius loci, ad quem perueniunt, vel Sacerdotibus ibi habentibus iuriſdictionem delegatam ab Epiſcopo loci, manifeſtè conſtat ex vſu, & praxi communi: quia hæc exiſtimatur eſſe quædam implicita licentia proprij Sacerdotis, quia occurrit cauſa maximè rationabilis, & moraliter neceſſaria, propter itineris occaſiones; & pericula. Aduertit tamen Suarez, qui hanc ſententiam probat, *diſp. 25. ſect. 2. n. 9.* oportere, neceſſariam in hoc caſu eſſe bonam fidem, quia ſi quis ad hoc tantùm iter ageret, vt haberet occaſionem cõfitendi alteri, & non proprio Sacerdoti, iam illa non eſſet neceſſitas, ſed voluntas, & non eſſet iuxta intentionem paſtorum, nec iuxta conſuetudinem Eccleſiæ, & ideò non eſſet valida Confeſſio.

Dico *primò*, iter agentes poſſe ſua peccata confite-
4 ri Parocho loci, ad quem perueniunt. Ita Suarez citatus, Reginaldus *lib. 1. num. 74. & 79.* Vaſquez *q. 93. art. 2. dub. 4. n. 4* Coninck *diſp. 8. dub. 8. num. 61.* Henriquez *c. 8.* & Alij. Ratio præcipua ſumitur ex conſuetudine, quâ mediante, conferri poteſt iuriſdictio, ratione taciti conſenſus, & approbatione ſummi Pontificis, quam eo ipſo, quo ſcit aliquos actus fieri, & non contradicit, cùm poſſit contradicere, cenſetur approbare. Et iure optimo id conſentit, quia eſt cauſa maximè rationabilis, & moraliter neceſſaria; propter itineris occaſiones, atque pericula. Vnde Caietanus, qui eſt in fauorem huius ſententiæ, *verbo, Abſolutio*, refert Eugenium IV. declaraſſe viuæ vocis Oraculo, omnes iter agentes pertinere de iure ad eam diœceſim, & Parochiam, vbi inueniuntur tempore præcepti. Vnde infert benè Vaſquez, etiam extra tempus præceptiei Parocho confiteri poſſe, in cuius Parochia ſunt, & hoc non ex commiſſione, ſed tanquam propriè.

Dico *ſecundò*, non neceſſariò requiri in iter agenti- 5
bus, vt ſit valida Confeſſio, bonam fidem, ſeu quòd id præſtent animo confitendi non proprio Sacerdoti, ſed alteri. Ita ſentit Filliucius *tract. 7. cap. 7. q. 4. num. 195.* & meritò: Tum quia probabile eſt, conſuetudinem etiam introduxiſſe, vt nõ obſtante illo animo, & intentione Confeſſio valida ſit: præſertim ſi ſubſit cauſa legitima. Tum maximè, quia iter agentes, ex conceſſione relata Eugenij IV. pertinent de Iure ad eam diœceceſim, & Parochiam, vbi inueniuntur tempore præcepti ex quo infert & benè Vaſquez, etiam extra tempus pręcepti poſſe ei Parocho confiteri, in cuius Parochia ſunt, tanquam proprio Sacerdoti, & Parocho: ergo poſſunt illi confiteri, etiam nolente, ſeu inuito altero Parocho ſui domicilij: patet Conſequentia, quia cùm in eo caſu habeant duos Parochos, vt proprios Sacerdotes, nempe Parochum domicilij, & Parochum illius Parochiæ, vbi inueniuntur iter agentes, poſſunt provt voluerint, vtrique confiteri, quia vtriuſque Parochiæ ſunt æque Parochiani, & vterque Parochus eſt illorum proprius Sacerdos, non ſecus ac ille, qui habet domicilium in duabus Parochiis, qui poteſt provt voluerit, confiteri vtrique Paſtori, vt dixi *præcedenti ſectione, numero quarto.*

Dico *tertiò*, iter agentes ad aliam diœceſim, quam- 6
uis ad illam accedant eo animo, vt proprium euitent Parochum ſui domicilij, & non illi ſed alteri confiteantur, poſſe validè confiteri cuilibet Sacerdoti alterius diœceſis, approbato ad Confeſſiones in ea diœceſi audiendas. Hoc eſt certum, quia Sacerdos generaliter approbatus ad omnes audiẽdos in aliqua diœceſi, poteſt omnes illius diœceſis ad ſe concurrentes audire, etiamſi ad ipſum accedant animo vitandi proprium Parochum, nam huiuſmodi Sacerdos iuriſdictionem habet delegatam ab Epiſcopo illius diœceſis, abſoluẽdi quoſcumque illius diœceſis ad ſe venientes, vt ſuppono: ergo & ad validè quoque abſoluendos iter agentes ad ſe concurrentes, vt ipſi confiteantur. Non ergo in hoc poteſt eſſe vlla difficultas. Nec loquor modò de reſeruatis, de quibus *infrà*, ſed de poteſtate abſoluendi peccata quæ non ſunt reſeruata.

SECTIO VII.

An Parochus, qui habet ſolum titulum coloratum Officij, habeat iuriſdictionem ordinariam, ac validè abſoluat.

COmmunis Doctorum ſententia eſt, Parochum ha- 1
bentem ſolum titulum coloratum, tametſi propriè loquẽdo, non habeat habitualem iuriſdictionem, validè tamen abſoluere, Eccleſiâ, ob commune bonum, eius defectum ſupplente, conferendo ei quodammodo actualem iuriſdictionem ad ſingulos eius actus. Dicitur autem habere titulũ nõ verũ, ſed coloratũ, cui aliquod officiũ habẽs curã animarũ, vt eſt parochi officiũ, collatũ eſt inualidè, ob occultũ defectũ, & impedimẽtũ. Firmãt id Doctores ex lege *Barbarius, ff. de officio Prętorum.* Vbi ponitur hic caſus Barbarij, qui cùm iſte eſſet alibi con-

coditio

conditione ſeruus, Romæ, vbi latebat eius conditio, & liber habebatur, promotus eſt ad præturam, cuius tamen ob illud occultum impedimentum erat incapax; nihilominus approbantur eius acta, quæ geſſit, quamdiu latuit, idque ob vtilitatē eorum, qui apud ipſum egerant: & ratio additur quia populus Romanus, cuius auctoritate hæc dignitas collata fuerat, potuiſſet etiam ſeruo hanc poteſtatem decernere. Idem probatur ex *Cauſa tertia, queſt. 7. cap. infamis perſona.* Vbi ſic dicitur: *Si ſeruus, dum putaretur liber, ex delegatione ſententiam daret, quamuis poſteà in ſeruitutem depulſus ſit, ſententia ab eo dicta, rei iudicatæ firmitatem tenet.* Ratio generalis eſt, quia niſi huiuſmodi acta eſſent valida, magna ſequeretur in Republica, & populo Chriſtiano perturbatio, nam omnes ſententiæ, collationes Officiorum, Beneficiorum præſentationes, electiones, & alia huiuſmodi deberent reſcindi tanquam inualida.

2 Multa verò proponunt Doctores ad huius doctrinæ declarationem, quæ videri poſſunt apud Thomam Sanchez *lib. 3. de matrimonio, diſputatione vigeſima ſecunda*, per ſeptem quæſtiones hanc rem egregiè dilucidantem. Nos verò ea dicemus, quæ ad noſtrum Inſtitutum oportet ſcire, & ſex puncta breui proponemus.

3 *Primum eſt*, duas conditiones debere concurrere, vt Parochi putatiui, de quo eſt modò ſermo, acta, v.g. Confeſſiones valeant. Altera eſt ex parte ipſius Parochi, nimirùm vt habeat titulum: altera ex parte Parochiæ ſeu populi, vt communi errore putetur legitimus Parochus. Vtrumque colligitur ex Iuribus citatis, quibus concurrentibus, Ius ipſum ſiue Eccleſia confert iuriſdictionem extraordinariè ad ſingulos actus, propter bonum commune. Debet autem hunc titulum habere, à vero Superiore, qui poterat eum dare, quia ſi non accepit ab eo qui poterat, iam ille titulus non habet colorem, quo verus videri poſſit. Quare dum quis ſine titulo, & auctoritate Superioris, in officium Iudicis Parochi, aut Confeſſarij ſe intruſit, licèt communis error facti accedat, geſta per illum ad vtrumque forum pertinentia, ſunt prorſus inualida: Si autem titulum habuit à legitimo Superiore, inualidum tamen ob vitium occultum, valet Confeſſio.

4 *Secundum eſt*, validas eſſe Confeſſiones Parochi colorati, etiamſi Superior, v.g. Epiſcopus conferens beneficium parochiale, ſciat impedimentum illius, aut collationem eſſe inualidam, modò ipſe conferat quantum in ſe eſt, ſaltem actu externo, & communi errore populi putetur eſſe validum, quia ſi ipſius ignorantia non impedit iuriſdictionem, multò minùs impediet ſcientia, quæ tollit inuoluntarium. Nec opus eſt, vt ipſe Epiſcopus poſſit impedimentum auferre, vt ſi conferat illegitimo, vel occulto homicidæ Beneficium parochiale; requiritur tamen, vt ſupremus Princeps, nempe Papa, poſſit illud tollere, & perſonam efficere capacem. Ex quo fit, ſi impedimentum ſit Iuris diuini, vel naturalis, nihil fiet: vt ſi ſit fœmina, vel non ſit Sacerdos, cui poteſtas abſoluendi commiſſa eſt; tunc communis error nihil iuuabit, quia poteſtas humana hunc defectum ſupplere nequit, nec poteſt vllo modo alicui hanc poteſtatem concedere.

5 *Tertium eſt*, idem dicendum, etiamſi aliqui ſciant impedimentum Parochi, & vero Parochi titulo carere, quia etiam reſpectu ſcientium tituli nullitatem, valent geſta, dum adeſt communis error, quia ea iuriſdictio conceſſa eſt generatim, propter errorem communem; vnde priuata ſcientia illam non impedit. Quare abſolutio data a parocho, quem ſcis occultè ſimoniacum, valet, vt communiter docent omnes Doctores, niſi fortè pœnitens alterius Confeſſarij copiam haberet, vel extra neceſſitatem talem Parochum induxerit, nam tunc illi confitendo, mortaliter peccat: quia tunc, etſi non ſit irrita abſolutio, defectu iuriſdictionis, eſt tamen irrita, ac inualida ratione indiſpoſitionis pœnitentis, videlicet peccati mortiferi, quod in ea committit.

Quartum, eſſe validas Abſolutiones, ſi quis per Bullam, quæ in eo oppido ignoratur reuocata, eligat Confeſſarium, & præterea dum ignoratur, an Papa reuocauerit gratiam Bullarum, vel Epiſcopus licentiam, quâ approbauit quoſdam idoneos, valere Confeſſiones virtute Bullæ, aut talis licentiæ factas, & ſimiliter valere Confeſſiones Religioſis ſemel approbatis factas, licèt occultè priuati ſint facultate audiendi Confeſſiones. 6
Ratio eſt, quia duo illa ſupradicta hic etiam concurrunt, titulus, & error communis: talis enim Confeſſarius inſtitutus fuit ab habente poteſtatem, & ideò habetur adhuc verus Iudex in foro Pœnitentiæ, cùm ignoretur reuocatio.

Quintum, tametſi Parochi, & Confeſſores, qui ſolùm habent titulum coloratum, poſſint generatim dici 7
peccare vſurpatione iudicij, & exercendo illicitè illos actus, quia quantum in ipſis eſt, poteſtatem vſurpant, quam non habent; non tamen ſententia, & Abſolutio illorum eſt irrita, quia dum hoc attentant, Eccleſia iuriſdictionem extraordinariè, propter bonum commune in ipſo actu ſuppeditant.

Vltimum eſt, ex dictis colligi, prædictam doctrinam 8
ſumptam ex *L. Barbarius*, & ex *Cauſa tertia, quaeſt. 7.* locum habere non ſolùm in foro contentioſo, ſed etiam in Sacramentali: nam eadem ratio boni communis id poſtulat, & Eccleſia defectum iuriſdictionis non minùs in foro Sacramentali, quàm in foro externo ſupplere poteſt, & vult, concurrente titulo colorato, & communi errore. Nec obſtat, quòd de hac re non habeatur expreſſum ius: quia quod iura diſpoſuerunt in vno caſu, id etiam intelligendum eſt in aliis, vbi eſt par, vel maior ratio, vt eſt in propoſito: nam ſuppoſita poteſtate Ordinis, in reliquis, vtriuſque fori eſt paritas: nec plus requirit forum Sacramentale, quàm illud; ſufficit enim vtrique eadem iuriſdictio. Vnde ſuppoſita Ordinis poteſtate, quicumque poteſt ſoluere, & ligare in foro externo, poteſt etiam in interno.

DISPVTATIO XLII.

De Miniſtro huius Sacramenti delegato, ſeu ex delegata poteſtate.

PROCEDIT præſens Diſputatio de poteſtate delegata audiendi Confeſſiones directè conceſſa Sacerdoti idoneo: nam de alia poteſtate, quæ eſt ex parte pœnitentis, quando illi conceditur facultas eligendi ſibi Confeſſarium, dicam *Diſputatione ſequenti*.

SECTIO PRIMA.

Quinam poſſint iuriſdictionem in hoc foro Pœnitentiæ delegare.

IN hac re, dico *primò*, certiſſimum eſſe, vt conſtat ex Conciliis, & ex vſu Eccleſiæ, iuriſdictionem in hoc foro delegari poſſe. Ratio eſt, quia ea quæ ſunt iuriſdictionis, delegabilia ſunt, vt dicitur *in cap. Aqua,* 1

de

Digitized by Google

de Conſecratione Eccleſiæ, vel altaris, vbi de Epiſcopo ſic dicit Gregorius IX. *Epiſcopus committere valet quæ iuriſdictionis exiſtunt.* Neque enim in hoc foro, ſeu iudicio Pœnitentiæ, aliquid ſpeciale interuenit, ob quod ei repugnet huiuſmodi delegatio; Cùm enim iuriſdictio non detur per aliquam internam conſecrationem, vel phyſicam potentiam, ſeu facultatem, ſed per moralem conceſſionem, vel deputationem, poteſt meritò is, qui illam habet veluti propriam, alteri eam committere.

2 Dico *ſecundò*, certum eſſe in Iure, & apud Doctores, poſſe delegare hanc iuriſdictionem omnes qui illam habent ordinariam. Ita habetur *cap. Cùm Epiſcopus, de officio ordinarij, in 6. & dicto c. Omnis vtriuſque ſexus.* Ratio eſt, quia delegatio eſt vnus ex propriis actibus iuriſdictionis ordinariæ. Neque enim cogendus eſt paſtor ſemper per ſeipſum exequi ſuum officium, atque ideò poteſt vices ſuas delegare.

3 Hæc poteſtas delegãdi reſidet præcipuè in sũmo Põtifice, qui poteſt delegare hanc facultatẽ cuilibet perſonæ, pro quolibet loco, & pro quibuſcumque peccatis, vt patet ex *Clementina, Dudum, de ſepulturis*, & ex *Extrauaganti, ſuper Cathedram, eodem titulo*; & ex *Extrauag. Inter cunctas, de Priuil.* Atque in hoc nullo modo pendet ab Epiſcopis, nedum à Parochis, nam ex ſua ſuprema poteſtate id habet, vt non ſolùm eorum conſenſum requirat, ſed etiam contra eorum voluntatem, & conſenſum poſſit hanc iuriſdictionem, & vſum eius delegare. Idem eſt de Epiſcopo in ſuo Epiſcopatu, cum ea ſola limitatione, vt Papa non reſeruet, vel reſiſtat, vt conſtat ob eandem rationem, cum proportione, & etiam ex conſuetudine. Denique cum accommodata proportione idem eſt cõcedendũ Parocho pro ſuis ouibus, vt notant Doctores, & colligunt ex *dict. c. Omnis vtriuſque ſexus*, dum ibi dicitur, de licentia proprij, poſſe alienum abſoluere. Et ratio etiam eadem eſt, dummodò ſeruetur ſubordinatio, quia Prælatus ſuperior poſſet hanc delegationem impedire, ſicut poteſt caſus reſeruare: & etiam requiritur in eo, cui delegatur, capacitas, hoc eſt non eſſe impeditum per aliquam cenſuram; & poſt Tridentinum, requiritur approbatio facta ab Ordinario.

4 Sub prædictis perſonis tribus numeratis, comprehenduntur aliæ, quæ etiam delegare poſſunt. Vt ſub ſupremo Pontifice, Pœnitentiarius eius ſummus: ſub Epiſcopo, Vicarius Generalis: vt hoc vltimum optimè explicat noſter Sanchez *lib. 3. de matrimonio, diſp. 29. numero 15.* quia Vicarius Generalis eſt Ordinarius, & verè Prælatus in tota Diœceſi, & parochis ſuperior, & conſtituit vnum Tribunal cum Epiſcopo, eiúſque perſonam repræſentat; atque ideò poteſt ex officio audire Confeſſiones, & aliis licentiam audiendi concedere in tota diœceſi.

Neque id opponitur Tridentino *ſeſſ. 23. c. 15. de reformatione*, expreſſe ſtatuente, vt nullus poſſit audire Confeſſiones, niſi approbatus ab Epiſcopo: nam dum id præſcribitur, non excluditur eius Vicarius Generalis, quia nomine Epiſcopi, vbi non excluditur Vicarius, & eſt res quæ conuenit Vicario ex eius officio, intelligitur etiam eius Vicarius Generalis. Idem intellige de Vicario Capituli, Sede vacante; eſt enim Ordinarius, cùm habeat eandem iuriſdictionem, quam Epiſcopi Vicarius.

5 Denique ſub Parocho comprehenditur Vicarius perpetuus, & etiam Vicarius poſitus ab Epiſcopo, loco Curati; quia intelligitur, illum ponere omninò loco alterius.

SECTIO II.

An qui habet iuriſdictionem delegatam, poſſit eam alteri ſubdelegare?

Ratio dubitandi eſt, quia videtur pars negans apud Doctores communiter recepta; quia ex Iure conſtat, hoc eſſe diſcrimen inter Ordinarium, & Delegatum, nam Ordinarius cùm iure proprio, & in ſeipſo habeat iuriſdictionem radicatam, poteſt delegare, vt conſtat ex *cap. Cum Epiſcopus, de officio Ordinarij, in 6.* At Delegatus, cùm nihil proprium habeat, ſed alienæ iuriſdictionis vſum, non poteſt delegare, nec aliter vti ea iuriſdictione, niſi ei expreſſe concedatur. Vt habetur *l. finali, ff. de officio eius, & l. à Iudice, C. de iudiciis*, excipitur autem Delegatus ſupremi Principis, qualis in rebus ſacris eſt ſupremus Pontifex. Ita expreſſe definiuit Honorius III. *cap. Cùm cauſam, 62. de appellationibus*, ſic dicens. *Nonniſi Delegatus à Principe cauſam alij valet delegare.* 1

Ex alia verò parte Thomas Sanchez *lib. 3. de matrimonio, diſp. 31. n. 2.* cum multis grauiſſimis Doctoribus ab ipſo relatis, ſentit Delegatum ad Vniuerſitatem cauſarum, reputari quaſi ordinarium, & conſequenter delegare poſſe. Quod probat ex *l. 1. §. ab eo, ff. Quis, & à quo.* Vbi Textus docet, cùm quis delegatus ſubdelegauit, eſſe appellandum ad primum delegantem: ergo ſupponit poſſe delegatum ſubdelegare. Cui opinioni communiter opponitur caput ſuprà citatum, *Cùm cauſam*: Vbi expreſſe dicitur, hoc ſolum competere delegato ſupremi Principis: Tum etiam omnes Religioſi, qui ex priuilegio poſſunt audire omnium fidelium Confeſſiones, ad vniuerſitatem harum cauſarum ſunt delegati, & tamen non poſſunt ſubdelegare hanc iuriſdictionem aliis Presbyteris ſæcularibus. 2

Mihi placet in hac re ſententia noſtri Coninckij *diſp. 8. dub. 4. n. 25. & ſequentibus.* Qui optimè notat, dupliciter alicui poſſe iuriſdictionẽ delegari. *primò*, ita vt delegetur ei immediatè certa iuriſdictio, ſiue certum exercitium talis iuriſdictionis, verb. gr. poteſtas audiendi Confeſſiones, aut iudicandi de talibus, aut talibus cauſis. *Secundò*, vt committatur alicui immediatè vicarium aliquod Officium, cui annexa eſt iuriſdictio; vt fit quando alicui committitur, tametſi ſit ad certum tãtùm tempus, vicarium officium Paſtoris abſentis, aut vicaria gubernatio vrbis. Quo præciſo; 3

Dico *primò*, illos quibus priori modo iuriſdictio delegatur, nullo modo poſſe eam ſubdelegare. Ratio eſt, quia illis conceditur iuriſdictio ſtricta ad certum exercitium, vt v.g ad audiendas Confeſſiones; ab hoc autem exercitio quis non videat, diſtinctum eſſe illud aliud, quo alteri iuriſdictio delegatur: ergo cùm id illis minimè concedatur, id facere non poſſunt. Quod verum eſt ſiue iis delegetur vniuerſitas cauſarum, ver. gr. vt poſſint audire omnium Confeſſiones, qui ſunt in tali ciuitate; ſiue ſolùm aliquorum in particulari, vt nimirùm audiant Confeſſionem trium, vel quatuor perſonarum, quia eſt vtrobique eadem ratio. Atque id probat prima pars rationis dubitandi, & exemplum audiendi Confeſſiones adductum. 4

Dico *ſecundò*, poſſe nihilominùs Ordinarium concedere delegatis poteſtatem, non vt nomine proprio, ſed vt nomine delegantis ſubdelegent. Id optimè notauit noſter Thomas Sanchez *diſput. 31. n. 6. & 7.* Et patet, quia 5

Digitized by Google

quia tunc ipſe delegatus minimè ſubdelegat, ſed Ordinarius delegans, Vt habetur *L. Vnum ex familia, §. Si de falcidia, ff. de legatis* 2. Vbi dicitur, eligentem iuſſu Teſtatoris, nullum beneficium conferre, quia non ipſe, ſed Teſtator iubens conferre cenſetur; ſufficeret nihilominùs ad hoc licentia tacita Ordinarij, quæ eſt cùm Delegatus, Ordinario ſciente & patiente, delegat: eſt enim hæc ratihabitio de præſenti, quæ iuriſdictionem confert. Similiter erit tacita licentia, quando eâ, vſu aut coniecturis ſufficientibus, appareret id velle ordinarium. In his enim caſibus delegat Delegatus, non nomine proprio, ſed nomine delegantis: Imò addo, nec poſſe Ordinarium concedere poteſtatem ſubdelegandi, nomine ipſius delegati, ſic dicens; Subdelega nomine tuo; quia poteſtas ſubdelegandi non poteſt fundari in perſona delegati.

6 Dico *tertio*, illos, quibus ſecundo modo delegatur iuriſdictio, poſſe eam ſaltem ex parte ſubdelegare. Patet, quia in iſtis ceſſat ratio ſuprà adducta *Dicto primo*, nam iſtis cum ipſo officio committitur iuriſdictio, etiam quodammodo commenſæ proportionis; & talis eſt quaſi Ordinarius, quamdiu hoc officium retinet.

7 Iuxta prædicta facilè conciliantur Iura *ſuprà* citata in ratione dubitandi. Priora enim Iura adducta in prima parte illius, loquuntur de iis, quibus priore modo delegatur iuriſdictio; quibus proprie hæc dicitur delegari. Alia verò Iura ſecundæ partis loquuntur de iis, quibus ſecundo modo ea iuriſdictio delegatur, vt apertè conſtat ex exemplis, quæ allata ſunt; agunt enim de Legatis Proconſulum, Præfectis Vrbium, & ſimilibus, quibus, vt patet, officium ipſum delegatur. Solùm eſt notandum, hos non poſſe integrum officium ſubdelegare, quia cùm hoc non habeant proprium, non poſſunt in alium transferre; atque ideò nec poſſunt ſubdelegare, cum poteſtate ſubdelegandi, quia ſic committerent ipſum officium.

8 Ex his quæ dicta ſunt, colligo *primò*, Religioſos, quibus Pontifex ex priuilegio dedit poteſtatem audiendi Confeſſiones omnium fidelium, poſtquam iuxta Tridentinum *ſeſſ.* 23. *cap.* 15. ab Epiſcopo ad audiendas Confeſſiones approbati ſunt, non indigere inferioris Sacerdotis proprij vlla licentia, quia ad hoc ſufficit illis licentia obtenta à Pontifice: aliter enim fruſtrà omninò eis, à Papa daretur facultas audiendi Confeſſiones. Atque iam modo certiſſimum eſt, praxi communi Eccleſiæ id docente, ſicut in ſimili, Honorius III. *cap. In his*, 30. *de priuilegiis*, meritò docet, fruſtrà Pontifices dediſſe facultatem, ſeu priuilegium Mendicantibus, celebrandi in Altari portatili, ſi id ſine facultate Epiſcopi facere non poſſunt.

9 Colligo *ſecundò*, non poſſe Parochum prohibere parochianum ſuum, quominùs confiteatur Religioſo habenti priuilegium ad audiendas Confeſſiones, vel alteri Sacerdoti ab Epiſcopo expoſito, & ab illo iuriſdictionem habenti: nam hæc facultas eſt quaſi relatiua, & ſi vni datur ad audiendas Confeſſiones, alteri conſequenter datur ad confitendum.

10 Colligo *tertiò*, de facto iam nunc fideles ſatisfacere præcepto Confeſſionis annuæ, confitendo Religioſis habentibus à ſummo Pontifice facultatē, nec debere iterùm eadem, aut alia peccata confiteri Parocho: nam priuilegia Regularium, præſertim moderna, clariſſimè loquuntur, & fidelium omnium vſus ita obſeruat: Et Clemens VIII. ſpeciali Breui, ita declarauit 22. *Decembris anno* 1592. vt refert Coninck *diſp.* 8. *dubio* 9. Verum quidem eſt, tempore Martini V. & Sixti IV. fuiſſe in vſu, vt licèt per totum annum, poſſent ſæculares confiteri Religioſis, paſchali tamen tempore, quando pro Communione annua ſuſcipienda debebant confiteri, eam Confeſſionem apud Parochum facerent, vel apud alium, de eius licentia. Poſteà tamen hoc iam ſublatum fuit, & ſola Communio paſchalis relicta eſt apud Parochum, ex obligatione facienda. Videatur Vaſquez hanc rem latè & optimè tractans *quæſt.* 93. *art.* 1. *dub.* 6.

SECTIO III.

An ſine notitia Delegationis, ille cui iuriſdictio delegatur, validè abſoluat, vel eius Abſolutio irrita ſit?

Noſter Thomas Sanchez *lib.* 3. *de matrimonio, diſputatione* 36. *num.* 8. ſentit, ignorantem, ſe habere iuriſdictionem, non operari valide, licet illam habeat, atque adeò oportere, vt ille, cui iuriſdictio delegatur, notitiam habeat huius Delegationis. Idem docet Coninck *diſput.* 8. *dubio* 5. *num.* 33.

Probatur, *Primò*, quia ſicut ea quæ à noſtra libera voluntate pendent, non poſſunt validè fieri, niſi ea velimus; ita nec poſſumus humano modo aliquid velle, niſi hoc cognoſcamus. 1

Secundò, iuriſdictionis exercitium non poteſt conferri ignoranti: ergo quamdiu quis ignorat iuriſdictionem ſe habere, non valet quod agit; ſicut Iudex errans in fundamento iuriſdictionis inualidè fert ſententiam.

Tertiò, iuriſdictio non poteſt actu interno conferri; non alia de cauſa, niſi quia eſt conceſſio facta homini ad actum externum, & ita externa eſſe oportet, vt ipſi innoteſcat: nam perinde eſt, ac ſi eſſet interna, quando eſt externa in abſentia, & is, cui conceditur, nondum certior de illa factus eſt.

Quartò, prædictæ iuriſdictionis conceſſio eſt quædam donatio; hæc verò vt efficax ſit, & valida, oportet vt in timetur, vel ſciatur à donatario; non enim dat ius donatario, antequam ad eius notitiam perueniat per nuncium à donante tranſmiſſum: ergo.

Contrarium tamen videtur dicendum, ne ſequantur aliqua abſurda, vel ſaltem dura: Nam ſi religioſus abſoluens ab aliquo caſu reſeruato, à quo ipſe poteſt abſoluere, propter ſui Ordinis priuilegia, inualidè abſolueret, ſi ille neſciebat priuilegium, & abſoluit, quia ignorauit etiam, vel non aduertit, quòd eſſet caſus reſeruatus; id certè videretur duriſſimum, nam quamplurimi ſunt Confeſſarij regulares, qui ignorant multas cenſuras eſſe reſeruatas, & ignorant etiam facultates ſui Ordinis. Præterea ſi Confeſſarius habebat facultatem à Papa ex viuæ vocis oraculo, & reuocatis eiuſmodi viuæ vocis Oraculis, proſequitur ad abſoluendum, non aduertens ad reuocationem, & poſteà errore cognito, inuenit ſe habuiſſe eandem facultatem etiam per Bullam antiquam, vel per communicationem cum alia Religione, quam Bullam priùs ignorauerat, durum etiam eſſet dicere, quòd interim inualidè abſoluerit, dum ignorabat illam Bullam, quâ data ſibi fuerat iuriſdictio. 2

Hanc difficultatem optimè diſſoluit noſter Cardinalis de Lugo *diſp.* 19. *ſect.* 2. *num.* 18. *& ſequentibus*, docens Confeſſarium debere habere notitiam iuriſdictionis ſibi conceſſæ; hoc eſt, debere exiſtimare, ſe habere facultatem, & etiam debere habere notitiam conceſſionis ſibi factæ, quando ipſe eſt, cui priuilegium, vel facultas conceſſa eſt; ſecùs quando Ordini fuit conceſſa, nam tunc licèt Cōfeſſarius id ignoret, iam eam habet, & conſequenter volens abſoluere in quantum poteſt, validè abſoluit, cùm verè habeat iam poteſtatem abſoluendi. 3

Nihilominùs

4 Nihilominùs, ad maiorem præſentis difficultatis declarationem, variis dictis eam declaro. Dico itaque *primò*, certiſſimum eſſe, qui non habet iuriſdictionem, debere neceſſariò eam habere ab eo, qui eam validè dare poteſt. Patet, quia ille, qui non habet iuriſdictionem, non poteſt eam habere à ſe: ergo non poteſt eam acquirere, niſi ei, vel detur ordinaria, vel alia delegetur ab eo, qui id facere poteſt.

5 Dico *ſecundò*, certum etiam eſſe, vt quis alteri validè iuriſdictionem deleget, debere, ſciens quid agat, id velle ſaltem implicitè & explicare; ſic enim Parochus cenſetur Petro Sacerdoti dare iuriſdictionem, dum vult & dicit, vt audiat Confeſſiones ſuorum ſubditorum. Ratio eſt, quia aliter non poſſumus humano modo velle aliquid, niſi hoc cognoſcamus & dicamus. Firmatur ampliùs, nam quæuis donatio, qualis etiam eſt iuriſdictionis conceſſio, debet eſſe ſignum quoddam practicum, efficiens id ipſum quod ſignificat: qui enim dicit, Do tibi iuriſdictionem, non ſolum ſignificat internam cogitationem, & affectum dandi illam, ſed etiam ipſum actum donationis, ſeu iuriſdictionis, qui in hiſce verbis, ſub tali intentione prolatis, formaliter conſiſtit. Debet igitur is, qui alteri validè iuriſdictionem delegat, eam voluntatem externo aliquo ſigno ſufficienter exprimere, vt alteri poſſit innoteſcere: quia aliàs nec concedentis voluntas poteſt humano modo ad alterum dirigi; nec vlli aliquid validè conceditur, niſi hic illud acceptet, vel per ſe, vel per alios; nec hic poteſt conceſſionem acceptare, niſi eam cognoſcat.

6 Dico *tertiò*, ſi aliquis Sacerdos putat, ſe nõ habere iuriſdictionẽ vllam, certum eſſe, actum Abſolutionis non eſſe validum. Patet, quia ſi putat, ſe non habere iuriſdictionem vllam non videtur habere intentionem validè abſoluendi, cùm ſciat, actum Abſolutionis non eſſe validum ex defectu omnis iuriſdictionis: ergo certò ſcit ſe validè non abſoluere.

7 Dico *quartò*, Confeſſarium validè abſoluere, licèt ignoret verum titulum ſuæ iuriſdictionis, dummodò reipſa illam habeat. Probatur, quia omnis Sacerdos de facto, quando abſoluit, putat ſe poſſe abſoluere; aliter enim non abſolueret, nec tentaret id quod æſtimat impoſſibile: ergo ſi verè poteſt, & intendit facere actum validum, quantum poteſt, cùm aliàs habeat verum titulum ſuæ poteſtatis, tametſi illum ignoret, proculdubio efficiet actum validum. Quod benè probat Cardinalis Lugo, exemplo ſimili morali: ſi enim Petrus donet domum ſuam Paulo quam putabat poſſidere, titulo emptionis, & poſteà inueniat, titulum ipſum fuiſſe falſum, & venditionem fuiſſe inualidam; ſed tamen aliunde inuenit, pertinuiſſe ad ſe eandem domum, titulo legati, quem prius ignorauerat: reuerà donatio illa valida fuit, quia habuit animũ donãdi, & trãsferẽdi in Paulũ totũ ius, quod habebat. Similiter ergo Confeſſarius habens verum titulum iuriſdictionis, licet illum ignoret, & abſoluat alio titulo falſo, validè abſoluet. Et hoc etiam probant exempla illa duo tradita ſuprà *n.* 2.

8 Ad argumenta *numero primo* allata, quatenus opponuntur noſtræ Doctrinæ, reſpondeo. Ad primum fateor libenter, vt quis alteri validè iuriſdictionem deleget, debere, ſciens quid agat, eam illi declarare, vt dictum eſt *Dicto ſecundo*. Idem probat ſecundum, & tertium Argumentum.

Ad quartum, concedo ad valorem priuilegij, requiri notitiam, & acceptationem illius, quia eſt quaſi quædam donatio. Vnde Confeſſarius, cui datur priuilegium vel facultas abſoluendi, debet habere notitiam conceſſionis ſibi factæ, quando ipſe eſt, cui talis facultas conceſſa eſt; cæterùm, ſi facultas ſit conceſſa Ordini, vel Cõmunitati, nõ eſt neceſſe vt ſinguli, qui ſũt in illa Cõmunitate, ſciãt, & acceptẽt; ſed ſufficit quòd Generalis, vel alij nomine Communitatis, ſeu Religionis acceptauerint; nam ex tunc iam Communitas habet verè illud priuilegium, atque ideò ſinguli illud habent, licèt non venerit ad ſingulorum notitiam. Quare tametſi Confeſſarius illud ignoret, iam habet eam iuriſdictionem, & validè abſoluit, cùm habeat poteſtatem abſoluendi per priuilegium Ordini exhibitum; etiamſi aliàs exiſtimet, ſe habere iuriſdictionem non ex priuilegio ſui Ordinis, ſed ex alio titulo, verè falſo, in quo errat manifeſtè.

SECTIO IV.

An iuriſdictio delegata habeatur ſufficienter per ratihabitionem de futuro, Superioris delegantis rationabiliter præſumptam.

CErtum eſt, ad delegandam iuriſdictionem in foro pœnitentiæ ſatis eſſe, quod delegans explicet ſuam voluntatem, ſuppoſitâ poteſtate. Vnde quibuſcumque verbis, ſignis, aut ſcripturis hoc fiat, ſufficit ad prædictum effectum, quia neque ex natura rei, neque ex aliquo ſpeciali iure poſitiuo aliud requiritur. Difficultas eſt, an ſufficiat ratihabitio de futuro, an potiùs ſit neceſſaria ratihabitio ſeu conſenſus, ac voluntas actualis de præſenti. 1

Non deſunt aliqui Doctores, quos refert Suarez *diſput.* 26. *ſectione* 1. *num.* 13. ſignificantes ſufficere futuram ratihabitionem Superioris delegantis, nunc probabiliter præſumptam. Quod *primò* probari poteſt, quia nullus poteſt miniſtrare Euchariſtiam, aut Extremã-Vnctionem alieno parochiano, ſine proprij Parochi licentia; cõſtat enim, hoc eſſe propriũ Parochi munus; & tamen poteſt alienus Parochus miniſtrare ex ratihabitione de futuro, quando nimirùm attentis circũſtantiis perſonæ, temporis, & loci, probabiliter creditur ratum habiturum Parochum; ergo.

Secundò, ex capite Lugdunenſis, 9. *quaſt.* 2. habetur, S. Epiphanium promouiſſe ad Ordines quoſdam Clericos alienæ diœceſis, quod nulla ratione ſaluari poteſt, niſi quia id proprium Epiſcopum ratum habiturum credidit: ergo ſimiliter ſufficiet in Sacramento Pœnitentiæ pro legtima iuriſdictione, ratihabitio de futuro.

Tertiò, ex capite Aqua, de conſecratione Eccleſiæ, conſtat, reconciliationem Eccleſiæ non potuiſſe ex cõmiſſione Epiſcopi, fieri per Sacerdotem ſimplicem, & tamen ſubditur: *Quod autem per reconciliationẽ factum eſt, miſericorditer toleramus*. Id eſt, vt ibi Gloſſa, *verbo, Toleramus: licèt prima non valuerit, at incipit valere ex nunc*: ergo ſimiliter in Sacramento Pœnitentiæ, ſaltem quando accedet eius ratihabitio, incipiet valere.

Vltimò, in regula Iuris decima *in* 6. dicitur, *Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non eſt dubium comparari*: ergo Abſolutio ſic data non minùs erit valida, quàm ſi ex mandato proprij delegantis data eſſet; atque adeò talis ratihabitio ſufficiens fuit ad dandam iuriſdictionem.

Communiſſima tamen eſt, ac veriſſima ſententia docens, non ſufficere ratihabitionem de futuro ad iuriſdictionem delegandam. Vnicum ac ſolidum fundamentum hoc eſt, quia Sacramentum Pœnitentiæ inualidè confertur omninò ab eo, qui non habet iuriſdictionem 2

vt

vt liquet. At ratihabitio ſubſequens nullo modo poteſt efficere, aut vt abſoluens iam ante verè habuerit iuriſdictionẽ, aut vt Sacramentũ inualidè collatũ conualeſcat, præſertim cũ hoc Sacramentum nullo modo poſſit pendere à conditione futura contingenti. Quia partes eius eſſentiales non poſſũt poni ſub conditione de futuro cõtingenti, quia neq; actus poſſunt ita poni, nã dolor de peccatis, & propoſitum ab iis abſtinẽdi debẽt eſſe abſoluta: ridiculũ enim eſſet, petẽtẽ veniã de peccatis dicere; Ego doleo de peccatis, & propono me emendare, ſi amplius non fuero tentatus, quia tunc nõ eſſet præſens dolor de peccatis, ſed ſub conditione futurus. De Abſolutione etiã patet, quia hæc conſiſtit intrinſecè in ſola externa pronuntiatione verborũ liberè facta, cũ reſpectu ad intentionem faciendi quod Chriſtus inſtituit, non ſecus quàm forma Baptiſmi; atque ideò non magis quàm hæc, poteſt ferri ſub futura conditione.

3 Hanc ſententiam vt explicem magis, *ſequentibus Dictis* declaro, præſupponendo ratihabitionem duplicem eſſe, quædam eſt de futuro, quæ eſt verè propria, & ſolet ſubſequens eſſe, & dici; vt cùm audio Cõfeſſiones, nulla præmiſſa iuriſdictione ad talem actum, credo tamen delegantem cùm ſciuerit me illas audire, ratumhabiturum. Quædam alia eſt de præſenti, vel præterito minùs propria, quando videlicet ante miniſtrationẽ Sacramẽti, vel tempore, quo illud miniſtro, adeſt conſenſus tacitus, & interpretatiuus Epiſcopi, vel Parochi aliquo ſigno externo manifeſtatus; vt ſi in præſentia Prælati audiam Confeſſiones, & Prælatus videt, ac tacet, cùm facilè impedire poſſet. Quo præmiſſo;

4 Dico *primò*, ſi loquamur de priori ratihabitione, quæ propria eſt, & eſt ex ſe voluntas conſequens, ac ſupponens actum factum, certum eſt non ſufficere. Ratio eſt, quia Sacramentum non poteſt eſſe ſuſpenſum, & dependens à conſenſu futuro Superioris: nam ſi à principio non fuit validum, nec fiet etiam validum poſteà, tametſi Superior ratum habeat: Si verò fuit validum non indiget ea ratihabitione, nam validum erit, licèt poſteà ratum non habeat Superior. Firmo, nam Abſolutio priùs data, ſi inualida fuit, ideò eſt, quia fuit data à non Iudice, ſeu à non habente iuriſdictionem; at poſteà per ratihabitionem ſubſequentem non efficitur, vt illa Abſolutio detur ab habente iuriſdictionem; quia nec datur à delegante, ſeu ratum habente, nam ille non abſoluit, nec etiam datur à delegato, quia ille ſolùm incipit habere iuriſdictionem, quando Superior conſenſit, & ratũ habuit; at iſta ratihabitio futura poſt Abſolutionem nõ eſt, quando fit ipſa Abſolutio, ſed erit poſt abſolutionem: ergò non ſufficit ad tribuendam iuriſdictionem ad eam Abſolutionem.

5 Dico *ſecundò*, ſi ſermo ſit de ratihabitione, ſeu volũtate Prælati delegantis ſolùm præſumpta, vt cùm talis voluntas præſumpta Superioris eſt merè conditionata, quatenus iudicatur, quòd ſi ſciret Superior delegans, vel ſi ab eo peteretur facultas, illam daret, certum etiam eſſe illam non ſufficere. Patet, quia iuriſdictio debet abſolutè dari; & per conſequens per voluntatem abſolutam, & actu exiſtentem, non quæ eſſet: nam quod non eſt, non operatur.

Dices non eſſe furtum, quando ego accipio id, quod ſcio dominum mihi daturum ſi peterem: ergo non eſt defectus iuriſdictionis, ſi ſcio delegantem mihi eã daturum, ſi peterẽ. *Sed contrà eſt* manifeſta diſparitas: Nã ad furtũ requiritur, quòd dominus ſit inuitus poſitiuè, hoc eſt, quòd habeat voluntatem retinendi ſuum ius aduerſùm me; quã voluntatẽ non habet dominus in illo caſu, & ideò non ſũ fur, quia dominus non eſt inuitus, licèt nõ habeat voluntatem dandi. Ad valorẽ autẽ Sacramenti non ſufficit, quòd Superior non ſit inuitus, ſed requiritur quòd poſitiuè velit dare iuriſdictionem; ſicut ad valorem Conſecrationis, & aliorum Sacramentorum, requiritur etiam actualis voluntas poſitiua, quæ ſit, vel fuerit, & virtualiter perſeueret. Quare vt quis validè abſoluat, non ſufficit vt omninò præſumat deleganti gratum eſſe, vt Confeſſiones audiat; quià illa præſumptio non dat alteri de facto iuriſdictionem, ſine qua inualidè Confeſſiones audit.

Dico *tertiò*, ſi ſermo ſit de ratihabitione de præſenti, ſeu voluntate præsũpta, quæ ſit voluntas in delegante exiſtens ſufficienter manifeſta aliquo ſigno externo, eam ſufficere ad dandam iuriſdictionem, & ad valorem Abſolutionis. Hæc eſt communis omnium ſententia. Et patet; quia inprimis conſtat, ſi talis voluntas ſit merè interna, & nullo externo ſigno ſignificata, nihil operari. Quia iuriſdictio humano modo non datur, niſi per ſigna humana: hoc etiam Pœnitentiæ Sacramentum debet eſſe ſignum ſenſibile, in quo ſicut forma debet eſſe ſenſibilis, ita & poteſtas Miniſtri; non eſſet autem ſenſibilis, ſi ſolùm fundaretur in voluntate interna Superioris delegantis nullo ſigno ſenſibili manifeſtata. Igitur ſi illa voluntas præſumpta manifeſtetur aliquo ſigno externo moraliter ſufficiente, tunc ſufficiet ad valorem Abſolutionis. 6

Qualia verò debeant eſſe illa ſigna, pendet ex circumſtantiis, & iudicio prudentis, vt notant communiter Doctores. Obſeruat autem benè noſter Coninck *diſput. 8. dub. 5. num.* 35. non contradictionem nudè ſumptam non eſſe ſufficiens ſignum, niſi aliquibus circumſtantiis veſtiatur: quia non ſemper, ex eo quòd videat delegans me audire Confeſſiones, & non contradicat, poſſum certò colligere eum in hoc conſentire; Nam poteſt fieri, vt non contradicat, quia putat me ex priuilegio, aut alia ratione habere iuriſdictionẽ, quia nimirum falsò putat, pœnitentem ſolùm confiteri venialia, aut quia non audet contradicere, ne lites, aut iurgia excitentur, vel aliquod ſcandalum fiat. Igitur, vt eius non prohibitio habeat veram rationem conceſſionis, neceſſe eſt, vt conſtet mihi, ipſum ſcire, vel ſaltẽ credere me carere omni iuriſdictione, eúmque eſſe talem, qui liberrimè contradiceret, ſi factum meum non approbaret, aut qui me ita amet, vt libenter habeat me ipſius conſenſum in ſimilibus rebus præſumere. 7

Dico *vltimò*, ſi talia ſigna externa non certam, ſed probabilem faciant exiſtimationem de præſenti conſenſu delegantis, poſſe ſufficere ad dandam iuriſdictionem, & ad valorem Abſolutionis. Id negat Suarez *diſput.* 26. *ſectione* 1. *numero* 16. & 17. ſic dicens: *Si tale ſit ſignum, vt rem dubiam relinquat circa voluntatem delegantis, non erit ſufficiens, quia non ſatis manifeſtat voluntatem illius, & exponitur homo periculo nihil faciendi.* Imò etiamſi faciat probabilem exiſtimationem de præſenti conſenſu delegantis, addit, non eſſe tali iuriſdictione vtendum, niſi vbi non eſt opportunitas clariùs, & expreſſiùs cognoſcendi voluntatem delegantis, & aliunde eſt ſufficiens cauſa adminiſtrandi Sacramentum. Hæc Suarez. Contrarium tamen ſequor cum communi ſententia, quam defendit ipſe Suarez *diſputat.* 26 *citata, ſect.* 6. licere cum poteſtate iuriſdictionis, ſeu iuriſdictione probabili miniſtrare hoc Sacramentum; de quo *infrà* dicam. De poteſtate autem dubia mero dubio negatiuo, verum eſt, neminem poſſe illa vti, niſi in caſu neceſſitatis, quando aliud remedium magis ſecurum exhiberi non poſſet. Quo caſu Abſolutio debet dari ſub conditione. 8

Ad argumenta primæ ſententiæ ſuprà *num.* 1. allata Ad primum negatur Conſequentia ob manifeſtam differentiam: quando enim iuriſdictio eſt neceſſaria ad ſubſtantiam, & valorẽ rei, vt in Sacramento Pœnitẽtiæ non 9

non ſatis eſt ratihabitio de futuro, quia in hac non præcedit conſenſus delegantis, ſed tantùm eſt probabilis præſūptio conſenſus poſtea præſtādi: vbi autem non requiritur ad ſubſtantiam actus, ſed ad ſolum debitum ordinem, vt in Euchariſtia; & in ipſa Extrema-Vnctione, ſatis eſt probabilis ſpes, & præſumptio voluntatis paſtoris.

Ad ſecundum, ſimiliter dico ad eſſentiam Ordinum non requiri licentiam proprij Epiſcopi, ſed vt licitè miniſtrentur; & ideò mirum non eſſe, ſi ratihabitio de futuro excuſet.

Ad tertium, dico in Sacramentalibus, cùm ſolemnitas ſit de iure Eccleſiaſtico, poſſe illam à Pontifice mutari, & ſic ſupplere defectum omiſſum, vt ex tunc incipiat valere: ſecùs in Sacramento Pœnitentiæ, vbi ſi ſemel non valuit, non poteſt Eccleſia facere, vt ex nunc valeat illud idem numero Sacramentum, ſed neceſſarium eſt, vt reperatur.

10 Ad vltimum reſpondeo, illam regulam Iuris tantùm habere locum, quando valor actûs pendet ex ſola voluntate ratum habentis, ac proinde non habet locum in Abſolutione ſacramentali, cuius valor dependet ex eo, quòd conferatur ab habente iuriſdictionem eo tempore, quo confertur Abſolutio. Adde actiones ſacramentales, ſi verè ab initio non valent, non poſſe poſteà valorem accipere, quando iam non ſunt. Vnde in illis habet locum hæc alia regula Iuris. *Quod ab initio non valuit, tractu temporis non reconualeſcit.* Non verò illa alia, quæ vera eſt in iis, quæ licèt à principio nulla ſint, tamen poſſunt per ſubſequentem conſenſum omninò firmari: non ita in Sacramento Pœnitentiæ, quod non poteſt pendere ex futuro euentu.

SECTIO V.

An, & qua ratione delegetur iuriſdictio per conſuetudinem?

1 Ratio dubitandi eſt, quia iuriſdictionem poſſe per conſuetudinem obtineri, habetur expreſsè *in cap. Cùm contingat*, 13. *de foro competenti*. Contrà verò dicitur *cap. 2. de pœnitentiis, in 6.* his verbis: *Nulla quoque poteſt conſuetudine introduci, quòd aliquis præter ſui Superioris licentiam, Confeſſorem ſibi eligere valeat, qui eum poſſit ſoluere, vel ligare.*

2 Ad huius difficultatis ſolutionem, notandum eſt inprimis, quod certum eſt apud omnes, habetúrque *c. vlt. de conſuetudine*, conſuetudinem poſſe præſcribere contra ius poſitiuum, illúdque tollere, & nouam obligationem inducere, modò ſit rationabilis, & legitimè præſcripta. Rationabilis dicitur, quæ lege ſtatui poteſt; ſiue quæ iuſta cenſeretur, & obligaret, ſi Lege ſtatuta eſſet: Nam eadem eſt materia Legis iuſtæ, & Conſuetudinis: eſt enim conſuetudo tacita quædam lex; vnde etiam eandem vim habet. Quare ſicut lex poſterior tollit legem priorem, ita etiam conſuetudo priorem legem tollere poteſt.

3 Præterea notandum eſt, dupliciter poſſe induci aliquam conſuetudinem. *Primò*, ſcientibus, nec repugnantibus Superioribus. *Secundò*, illis inſciis, aut repugnantibus ſaltem interiùs, quando exteriùs reſiſtere non audent.

4 His præmiſſis, Dico *primò*, cum communi doctrina, conſuetudinem nunquam dare iuriſdictionem in foro Pœnitentiæ, quando vſurpatur inſciis illis, qui eam dare poſſunt. Patet, quia nemo poteſt accipere iuriſdictionem, niſi aliquis eam validè det, nam cùm non poſſit eam habere à ſe, non poteſt eam habere niſi ab eo, qui eam validè poſſit dare. Quod nemo hic facit, & ſic intelligendum eſt Caput ſecundum *de pœnitentiis*, ſupra citatum. Videtur enim ibi loqui de priuata conſuetudine, quæ non facilè præſumitur nota Superiori: nam ſi ea conſuetudo fieret, vidente & non contradicente Superiore, non præſumeretur fieri ſine ipſius conſenſu, & licentia.

Dico *ſecundò*, conſuetudinem, quæ exercetur Superiore conſcio, & non contradicente, cùm facilè poſſit, dare iuriſdictionem. Ita omnes communiter. 5
Ratio eſt, quia tunc datur iuriſdictio non ratione ſui præcisè, ſed ratione taciti conſenſus, & approbationis ipſius Superioris. Quod apertè firmatur communi doctrina Doctorum agentium de quauis conſuetudine, & dicentium, conſuetudinem, vt tollat legem, ſolùm requiri, vt paſſim agatur contra legem, ſeu vt lex non ſeruetur, quando occurrit ſeruanda, ſciente Principe, & non ſe opponente: quia dum ſcit ſuam legem non ſeruari, & ſilet, cenſetur conſentire, vt non ſeruetur, ne Reſpublica perturbetur, ac proinde cenſetur tollere obligationem legis: Vnde hoc modo Conſuetudo dicitur tollere vim legis, quia nimirùm Princeps permittens conſuetudinem, implicitè detrahit ſuæ legi vim obligandi: nam conſuetudo populi habentis Principem, non poteſt per ſe tollere vim legis, quam Princeps impoſuit, cùm ſinguli ſeorſim, & omnes ſimul ei ſubſint; ſed hanc vim tantùm habere poteſt à conſenſu tacito, vel expreſſo Principis: cenſetur autem tacitus conſenſus, dum conſuetudini non ſe opponit, etiamſi id fiat metu difficultatum. Denique prædictum Dictum firmatur quoque *cap. Cum contingat* ſuprà relato, vbi id videtur apertè dici.

Dico *tertiò*, prædictam conſuetudinem, quæ exercetur Superiore ſciente, & non contradicente, 6
cùm facilè poſſit, poſſe dare iuriſdictionem in foro Pœnitentiæ. Quare poteſt breui tempore validè introduci. Ita benè notauit Coninck *diſputat: octaua, dubio quinto, numero* 38. Ratio eſt, quia hoc ipſo, quo Superior aliquot eiuſmodi actus Confeſſionis permittit, quando conſtat, quòd facilè poſſet eos impedire, eos tacitè approbat: Non enim, vt conſuetudo, maximè audiendi Confeſſiones, det iuriſdictionem, requiritur vt ſit longior, quàm neceſſe eſt, vt Superior cenſeatur eam permittere, & ſuo conſenſu approbare.

Hinc colligo *primò*, contingere poſſe, vt hæc con- 7
ſuetudo audiendi Confeſſiones incipiat per Confeſſiones inualidas ob defectum iuriſdictionis, antequam Superiorum non prohibitio, aut tolerantia ſit ſufficiens ſignum eos conſentire; & poſteà efficiat, vt ſequentes Confeſſiones validæ ſint, poſtquam illa non prohibitio, ſeu tolerantia eſt ſufficiens ſignum conſenſus.

Colligo *ſecundò*, iuriſdictionem conſuetudine ac- 8
quiſitam ſemper pendere à voluntate Superiorum, quorum auctoritate, ſiue tacito conſenſu fuit introducta: Quare tam ipſi, quàm eorum ſucceſſores ſemper poſſunt eam reuocare, ſecùs eſt de inferioribus, nam hi nec legem, nec priuilegium infringere poſſunt, atque ideò nequeunt Parochi reuocare conſuetudinem inductam auctoritate Epiſcoporum.

SECTIO

SECTIO VI.

An iuriſdictio delegata obtenta à delegante per dolum, ac errorem, vel per vim, & metum, valida ſit?

1 BReuiter videndum eſt in hac Sectione, an iuriſdictio delegata inualida ſit ex fictione conſenſus in Superiore delegante, vel etiam ratione metus grauis cadētis in conſtantem virum, ad conſenſum delegantis extorquendum, vel denique ratione doli, tacendo verum, aut explicando falſum.

2 Circa primum, quando fictus eſt Superioris delegantis conſenſus, res eſt per ſe nota; inualidam eſſe iuriſdictionem delegatam conceſſam. Patet, quia actus non operantur vltra agentium intentionem *l. Non omnis, initio: ff. ſi certum petatur*. Cæterum dubitandum nō eſt de vero conſenſu, quando verba conceſſionis ſunt clara; non enim eſt præſumendum voluiſſe delegantem in re tam graui decipere: Quòd ſi ſuum fictum conſenſum ipſemet teſtetur, prudentis arbitrio iudicandum eſt, attentis perſonæ, & negotij circumſtantiis, an ei ſit fides adhibenda.

3 Circa ſecundum, an quando metu iniuſto cadente in virum conſtantem, extorquetur à ſuperiore delegante iuriſdictio delegata, ſit ea inualida cenſenda, maior eſt difficultas: nam *primò*, conſtat apud Doctores, Abſolutionem à quauis cēſura per vim, & metū iniuſtū extortam, tametſi non ſit naturâ ſuâ nulla, quia talis metus non reddit actum abſolutè inuoluntarium, ſed tantùm ſecundùm quid, eſſe tamen iure poſitiuo inualidam, ac nullam. Vt definitur *in c. vnico, de iis quæ vi, in 6.* propter fauorem, vel potiùs iuſtam defenſionem Eccleſiaſticæ iuriſdictionis: ergo ob eandem rationem idem dicendum eſt de iuriſdictione, vi vel metu acquiſita.

Secundò, nam delegatio poteſtatis commutandi vota, aut ea diſpenſandi, ſi metu graui iniuſto extorqueatur, irrita eſt per *l. 2. in initio, ff. de iudiciis*, quia nimirùm delegatur iuriſdictio: ergo potiori iure idem fatendum eſt de iuriſdictione abſoluendi à peccatis, ſi ſit metu graui iniuſto extorta.

Tertiò, quæcumque donatio non liberalis eſt inualida, at talis eſt iuriſdictio delegata, quæ extorquetur per talem metum: Antecedens patet ex liberalitatis definitione, nam liberalitas eſt virtus beneficiorum erogatrix, quæ pro affectu habet benignitatem, & pro effectu beneficentiam: In eo autem qui inuitus donat, nequaquā beneficium eſt: Igitur ex liberalitatis natura liquet repugnare donationem coactam.

4 Verius iudico, validam eſſe prædictam iuriſdictionem delegatam, quamuis metu graui extortam. Moueor *primò*, quia contractus lucratiui, in quibus nihil rependitur, quales ſunt ſimplex promiſſio, & donatio, tametſi metu graui extorti, validi ſunt iure Naturæ, & Iure Poſitiuo, vt cum multis Doctoribus, & rationibus oſtendo in *tractatu de Matrimonio, diſp. 17. ſectione integra tertia, & ſect. quinta, n. 2. & 3.* Et ratio efficax hæc eſt, quia ſunt ſimpliciter voluntarij, nam qui metu coactus conſentit, abſolutè conſentit voluntariè; omnibus enim conſideratis vult: eſt etiam in illis contractibus titulus iuſtus, nam in contractu donationis, verb. grat. iuriſdictionis delegatæ titulus legitimus eſt ipſemet titulus donationis, qui ſolùm importat dationem liberalem, id eſt, nullo pretio recepto. Et quamuis hic titulus reperiatur cum admixtione inuoluntarij ratione metus iniuſti, dicitur nihilominus titulus iuſtus, id eſt titulus, cui ius non reſiſtit ipſum annullans: Metus verò iniuſtus, ratione iniuriæ quæ in tali donatione intercedit, nihil obeſt: Tum quia iniuria non eſt immediata cauſa contractus, ſed conſenſus contrahentis: Tum etiam, quia tametſi iniuria poſſit eſſe ſufficiens cauſa ad reuocandum conſenſum, & contractum irritandum; non tamen eſt ſufficiens, vt ipſum reddat omninò irritum, vt conſtat in contractu, cui dolus cauſam dedit extrinſecam, & acceſſoriam contrahendi, qui etſi iniuria interueniat, non eſt tamen iure Naturæ, nec iure Poſitiuo irritus, ſed irritandus, quia talis dolus non verſatur circa ſubſtantiam contractus, aut materiæ, ac proinde non tollit conſenſum, qui ſit ſufficiens ad naturam contractus. Moueor *ſecundò*, quia iuriſdictio metu extorta validè transfertur, iuxta cōmuniorem ſententiam, quam ſequitur Sanchez *lib. 3. de Matrimonio, diſp. 19. n. 13.* Vnde dicit ſolet metu geſta valere, exceptis paucis, vt abſolutione ab excommunicatione, vt ſtatim dicam: ergo valida eſt iuriſdictio delegata etiam per metum extorta.

5 Ad argumenta oppoſita. Ad primum dico, verum eſſe, Abſolutionem à cenſura datam per vim, vel metum iniurioſum, inualidam eſſe, quia huiuſmodi Abſolutio expreſsè irritatur à Iure *cap. vnico, de his, quę vi, in 6.* Vbi ſolam Abſolutionem à cenſura metu extortam irritat; quæ irritatio tanquam odioſa non eſt extendenda ad alios caſus in Iure non exceptos, vt benè notauit Sanchez *lib. 4. Decal. c. 47. n. 8.*

Ad ſecundum, negatur Antecedens cum eodem Sanchez *lib. 3. de Matrimonio, diſp. 39. num. 13.* Textus autem ille, qui allegatur, loquitur in caſu ſpeciali, cum litigātes compelluntur conſentire in Iudicem non ſuum & ita prorogare eius iuriſdictionem, quæ prorogari nequit abſque libero eorum conſenſu: Quare cùm ſit caſus ſpecialis exceptus à regula generali tradente, geſta metu valere, non eſt extendendus ad alios caſus, ſeu ad alias iuriſdictiones.

Ad tertium reſpondeo, non obſtante illo metu graui, donationem iuriſdictionis eſſe liberalem, & procedere ex affectu benignitatis, & beneficentiæ, quia ſit donatio, nullo pretio recepto, neque vt aliquid reddatur donanti ſeu deleganti, tanquam iure debitum, & ideò eſt abſolutè datio liberalis, quæ eſt intrinſeca ratio donationis. Vnde donationi liberali non repugnat propriè coactio, ſed donatio oneroſa.

6 Circa tertium, an valida ſit iuriſdictio delegata dolo, & mendaciis, nomine alicuius Magnatis, vel parentis impetrata ab Epiſcopo. Ratio dubitandi eſt, quia diſpenſatio ex falſa cauſa obtenta, eſt ſubreptitia, & nulla, *c. Quia, de conſanguinitate*; ſed prædicta iuriſdictio conceditur ex falſa cauſa: ergo eſt nulla. Firmatur, quia in ea licentia deeſt conſenſus Epiſcopi, quia nihil magis contrarium conſenſui, quàm error, *l. ſi per errorem, ff. de iuriſdictione omnium iudicum*: ergo inualida cenſenda eſt.

7 Dico *primò*, certum eſſe, validam fore iuriſdictionem ſi certò conſtaret Epiſcopū adhuc illā conceſſiſſe, etiāſi ſciret mendacium. Patet, quia in eo euentu ipſe verè ac liberè eam concedit: ergo non eſt, cur inualidè iudicetur: tunc enim dolus, ſeu mendacium propriè non dedit cauſam conceſſioni iuriſdictionis, cùm etiamſi illud ſciret, voluit tamen concedere.

8 Dico *ſecundò*, idem dicendum, ſi petitio illa falſa magnatis non fuit Epiſcopo cauſa motiua, ſed impulſiua tantùm. Ratio eſt, quia tunc illa ratio impellens Epiſcopum, non fuit quæ mouit illum abſolutè ad iuriſdictionis conceſſionem, quia non fuit atio finalis: ergo ea ceſſante, non ceſſat iuriſdictio

Digitized by Google

conceſſa. Vnde in hoc ſenſu verum eſt Dictum commune Theologorum, & Iuriſperitorum ceſſante cauſa impulſiua, non ceſſare diſpoſitionem.

9 Dico *tertiò* etiamſi talis dolus, vel mendacium fuiſſet cauſa impulſiua, & motiua, ſine qua iuriſdictio non fuiſſet conceſſa, dummodò habuerit Epiſcopus aliud motiuum, & finem eam concedendi, adhuc iuriſdictionem conceſſam eſſe validam. Probatur, quia tunc Epiſcopus habuit aliud motiuum, & cauſam finalem, quæ eum mouit ad eam iuriſdictionem dandam: ergo valida eſt.

10 Dico *quartò*, ſi illa falſa exiſtimatio Principis, vel Magnatis talem iuriſdictionem delegatam petentis, fuit vnica & totalis cauſa finalis, & motiua; tunc in eo caſu validam non eſſe conceſſionem. Patet, quia tunc ille dolus, & mendacium tollit omninò conſenſum, qui eſt ſimpliciter neceſſarius ad liberam talis iuriſdictionis conceſſionem. Vnde ex defectu conſenſus erit nulla talis conceſſio, cùm abſolute delegans non conſentiat voluntariè, nec velit niſi ob eam cauſam, vt veram ab ipſo apprehenſam, cùm tamen reuerà falſa ſit. Eſt verò notandum, regulariter loquendo, non ita contingere, vt velit Epiſcopus ſuam licentiam eſſe nullam, ſi cauſa allegata ſit falſa, quia non videtur rationi conſonum, vt ea ſit mens Epiſcopi concedentis talem iuriſdictionem, vt videlicet velit eam eſſe irritam, ea petitione falſa exiſtente, ob damnum graue, quod inde ſequitur, vt abſolutiones reddantur nullæ: præſertim quia Epiſcopum, vel Ordinarium concedentem prædictam iuriſdictionem, cùm ſine Viri docti, & prudentes, non latet, ſæpè mendaces eſſe, & fictitias ſimiles Principum, & Magnatum petitiones. Vnde non illis innituntur, vt iuriſdictionem delegent, ſed quia tenentur ex officio per ſe, vel per alios audire Confeſſiones, atque ideò validè concedunt.

11 Dico *vltimò*, in eo caſu, in quo mendacium, & dolus eſſet circa ſubſtantiam, vel ipſe delegans exprimeret, deficiente veritate talem iuriſdictionem non delegare, certum eſſe inualidam fore. Hoc negari non poteſt, quia inprimis ſi putaretur Petrus petere ſibi hanc iuriſdictionem, & non Paulus; eſſet error, vel dolus circa ſubſtantiam, quia deeſt ſubſtantialis conſenſus, cùm non conſentiat in illum, quem putat, ſed in alium. Atque in hoc ſenſu intelligenda eſt lex illa, *ſi per errorem*, ſuprà adducta in ratione dubitandi: vbi dicitur, nihil eſſe tam contrarium conſenſui, quàm errorem; manifeſtè enim loquitur de eiuſmodi errore ſubſtantiali. Præterea, quando delegans limitat ſuam iuriſdictionis conceſſionem, ſi vera ſunt quæ illi proponuntur, clariſſimum eſt, deficiente veritate, conceſſionem eſſe nullam. Atque hæc eſt ratio, cur reſcripta Pontificum dolo obtenta nulla ſint, quia Pontifex hoc in Iure apertè declarauit.

Hinc patet ſolutio ad rationem dubitandi; Maior enim vera eſt, quia eſt ita diſpoſitum in Iure, & à Pontifice declaratum: Minor verò eſt falſa, quia talis iuriſdictio regulariter datur ex vera cauſa motiua, & finali, tametſi aliqua falſitas ſubſit in cauſa impulſiua. Ad confirmationem Antecedens negatur; illa verò lex iam eſt ſufficienter ſuprà declarata *Dicto vltimo*.

* * *

SECTIO VII.

An ille qui habens iuriſdictionem delegatam cœpit audire Confeſſionem, poſsit illam finire, etiamſi interim delegatio expiret?

COmmunis ſententia Doctorum quos refert, & ſequitur Sanchez *lib. 2. in Decalogum, c. 13. n. 15.* & Cardinalis Lugo *diſp. 19. ſect. 2. num. 24.* & Diana ſtatim citandus abſolutè affirmant poſſe, quia veram habebat iuriſdictionem delegatam, cùm cœpit audire Confeſſionem, & iam res non eſt integra, ſed Confeſſio incœpta: Nam iure cautum eſt, iuriſdictionem delegatam, quæ morte delegantis omninò ceſſat, minimè ceſſare re non integra, quia ea vti cœptum eſt, *cap. Gratum*, & *cap. Relatum, de officio Delegat.* Et quamuis textus de iuriſdictione, in foro externo loquatur; at idem meritò dicunt Doctores de iuriſdictione fori interni, ac proinde non ceſſare iuriſdictionem Confeſſoris, quoad Confeſſiones incœptas. Vnde Petrus de Ledeſma in *ſumma Sacram.* vbi *de pœnitentia, cap. 12. poſt 5. concluſionem*, inter dubia quæ mouet, circa licentias audiendi Confeſſiones ab Epiſcopo conceſſas, *dubio 2. fol. 519.* meritò dixit, eſſe valde probabile habentem licentiam audiendi Confeſſiones ad tempus, poſſe eo tranſacto, proſequi Confeſſionem anteà cœptam. 1

Ex prædicta doctrina Colligo *primò*, illum qui per Bullam Cruciatæ, habet poteſtatem abſoluendi, ſi Confeſſio cœpta eſt, poſſe eam proſequi, etiamſi interim finiatur tempus Bullæ. Ita Cardinalis Lugo citatus, & Diana *tom. 1. tractatu de Bulla Cruciata, reſolut. 94.* ſic dicens abſolutè: *Si Confeſſio incipiat tempore habili intra terminum, ſcilicet anni publicationis Bullæ, poſſe Confeſſarium de cætero audire totam pœnitentis Confeſſionem, & illum poſteà à reſeruatis, & cenſuris abſoluere.* Idque ait docere Rodriguez *in expoſitione Bullæ, §. 5. n. 2.* Villalobos *in Summa, tr. 27. clauſ. 4. n. 12.* Acoſta *in Bull. q. 36.* & Alij. Ratio eſt, quia iam res non eſt integra. 2

Colligo *ſecundò*, etiamſi tempus Bullæ Cruciatæ tranſeat, poſſe Confeſſarium concedere maius tempus pœnitenti, vt recordetur de voto, quod ſcit emiſiſſe, immemor ſpeciei, ſeu materiæ eius in particulari. Quia cauſa illa fuit incœpta tempore habili, quod ſatis eſt, vt poſsit poſteà illam conſummare. Ita Diana relatus. Sanchez *tom. 1. in Decalogum, lib. 4. c. 54. n. 34* Et Suarez *tom. 2. de Religione, lib. 2. de voto, cap. 16. num. 15.* idem dicit de tempore Iubilæi, vel Indulti: qui optimè notat, tunc oportere, vt vouens obtinuerit Iubilæum; nam quacumque ex cauſa id prætermiſerit, eo ipſo erit inhabilis ad recipiendam poſteà diſpenſationem. 3

Colligo *tertiò*, ſi intra tempus habile Iubilæi, vel Indulti pœnitens petat à Confeſſario diſpenſationem, & commutationem votorum, & ipſe velit attentiùs conſiderare, vel qualitatem cauſæ, vel modum commutationis, ſi neceſſarium ſit, poſſe id facere, etiam poſt dies Iubilæi, vel Indulti. Ita Suarez citatus, quia iam acceptauit poteſtatem, & inchoauit cauſam, & quodammodò conceſsit diſpenſationem tempore habili, quod ſufficit ad firmandam iuriſdictionem, vt tempore congruo poſsit in particulari diſpenſatio, vel commutatio conſummari; nam hæc eſt natura poteſtatis delegatæ, & eſt moraliter neceſſa- 4

Digitized by Google

neceſſarium ad conuenientem vſum talis poteſtatis;& qui dat poteſtatem,cenſetur dare omnia, quæ ad illam moraliter conſequuntur,ſeu ad conuenientem vſum eius neceſſaria ſunt.

5 Colligo *quartò*,in Iubilæis,in quibus conceditur facultas abſoluendi à reſeruatis, eum, qui conſequitur Indulgẽtiam;& abſoluitur virtute illius,obliuiſcitur verò alicuius peccati reſeruati,manere liberum a reſeruatione,vt poſſit poſtea peccatum illud confiteri cuilibet ſimplici Confeſſori habenti communem iuriſdictionem.Ita Suarez *tomo de pœnitentia diſp.* 31., *ſect.* 4. *n.* 20.Ratio eſt,quia Superior concedens facultatẽ hãc in fauorem pœnitentis,quantùm in ſe eſt,voluit illi auferre reſeruationem,ſi illo priuilegio intra ſignatum tempus vteretur ad Indulgentiam obtinendam;ſed pœnitens etiam,quantum eſt in ſe,vſus eſt illo priuilegio: ergo manſit liber à reſeruatione: & licet per accidens propter obliuionem non fuerit directè abſolutus Sacramentaliter à peccato reſeruato intra illud tempus, adquiſiuit tamen,vt ita dicam,ius per ipſum iubilęũ,vt poſſet poſteà liberè confiteri tale peccatũ,ſeu conſecutus eſt libertatem ab ipſa reſeruatione, vt nimirùm in prædicto caſu liberum ſit pœnitenti confiteri,vel priori Confeſſori, vel cuilibet alteri, quia peccatum manet ſimpliciter non reſeruatum. Quòd ſi obiicias, Iubilæum concedere pro vna dumtaxat vice facultatem eligendi Confeſſoris, qui abſoluat à reſeruatis; cúmque illi ſoli videatur data hæc facultas, & ſit ſemel electus, & functus munere ſuo, non poterit pœnitens ampliùs eligere Confeſſarium alium à peccato reſeruato abſolutum.*Reſpondebo* cum eodem Suario, eam Confeſſorum diſtinctionem eſſe quaſi materialem,& omnes complere quaſi vnum integrum Miniſtrum,à quo directè omnia illa peccata vſque ad Iubilæi finem commiſſa tollantur. Hanc omnem doctrinam docet quoque Sanchez *lib.* 4. *citato*, *cap.* 54. *num.* 39.

6 Colligo *quintò*,iuriſdictionem Commiſſarij, ac Miniſtrorum Cruciatæ durare,etiam tranſacto anno,quouſq; omnes cauſæ inceptæ concernentes vtilitatem, & iuriſdictionẽ Cruciatæ finiantur,quia cauſæ illæ fuerunt inceptæ tempore habili.Ita Acoſta citatus *quæſt.*110.& Diana *ſupra* relatus.

7 Colligo *ſextò*,& vltimò Cõfeſſariũ in fine anni poſſe differre commutationẽ voti,etiãſi annus Cruciatæ trãſeat,ſi velit maturiùs conſiderare ſuper voti cõmmutationem,dicẽdo pœnitenti,Cõmuto tibi hoc votũ in id, quod ego vel alius vir doctus poſtea exiſtimabit commutandum.Ita Suar.citatus ſuprà *n.*4.& Sanch *lib.* 4. *cit.* *c.*54.*n.*31.32.& 39.qui optimam rationẽ adducit,quia iam accepit poteſtatem,& inchoauit cauſam, & conceſſit commutationem tempore habili,quod ſatis eſt,vt poſſit poſteà illam commutare.Aduertit Sanch.citatus Leſſius *lib.*2.*c.*43.*dub.*16.*n.*109.ſi antequam Confeſſarius,vel alius vir doctus materiam ſubrogandam præſcribat,non peccare pœnitentem,ſi votum illud violauerit.Ratio eſt,quia obligatio illius voti iam eſt extincta,& tranſlata in aliam materiam in genere,quã pœnitens acceptauit,& ideò implicitè vouit id quod Confeſſarius, vel alius vir præſcripturus ſit; vnde ad talem præſcriptionem votum non obligabit.

SECTIO VIII.

Quàm ſit durabilis, ac permanens iuriſdictio delegata ad audiendas Confeſsiones?

1 DE hac re latè, & doctè diſputat noſter Thomas Sanchez *lib* 8. *de Matrimonio diſp.*3.ſolùm ipſe *Perez de Sacramento Pœnitentiæ.* agam breuiter more ſolito non de poteſtate Iuſtitiæ delegata ſpectante ad forum contentioſum,ſed de facultate ſeu poteſtate gratioſa in ordine ad forum internum Confeſſionis Sacramẽtalis,& in ordine ad Cõfeſſiones ex materia neceſſaria,& extra articulum mortis.

Certum eſt autem *primò*,iuriſdictionem delegatam 2 poſſe reuocari à delegante.Patet,quia ille,qui ſuam iuriſdictionem delegat, non omninò transfert illius dominium in alium, & à ſe illud abdicat; ſolùm enim concedit vſum talis iuriſdictionis, qui ſemper pendet ex voluntate delegantis. Quare iuriſdictio delegata eſt veluti participatio quædam iuriſdictionis delegantis, ſemper permanens moraliter à delegante in conſeruari, vt nimirùm ſi poſitiuè reuocetur, reuera auferatur.

Secundò,certum eſt,ſi prædicta facultas delegetur ad 3 certum aliquod tempus, v. g. per vnum integrum annum,tunc hoc elapſo,expirare,vt patet,quia gratia,vel facultas non excedit voluntatem concedentis, nec voluntas operatur ampliùs,quam per verba explicetur:ergo ſi conceſſio tantùm eſt per vnum integrum annum illo finito extinguitur; quia pro toto ſequenti tempore facta non eſt.

Tertiò,certum eſſe videtur, quod latè oſtendit Sanchez 4 citatus *num.* 49. *& ſequent.* ſi facultas concedatur ad tempus aliquod indeterminatum, vt ſi Pontifex det alicui facultatem audiendi Confeſſiones,donec eam reuocauerit, aut ad beneplacitum Sedis Apoſtolicæ, tunc non expirare morte concedentis, ſed opus eſſe vt ab eo,vel ſucceſſore reuocetur.Secus verò eſſet, ſi eam concedat ad beneplacitum ſuum, vel quamdiu ei placuerit: quia cùm mortuus non poſſit ampliùs habere beneplacitum, gratia conceſſa per eius mortem expirat: Idémque eſſet, ſi concedens, vel delegans ab Officio amoueretur; ſecùs eſſet, ſi ſolùm excommunicaretur, vel ſuſpenderetur, quia tametſi pro tunc nequeat officio fungi, eius tamen voluntas durat.

Certum eſt *quartò*, poſſe ſummum Pontificem 5 delegare iuriſdictionem perpetuam ad audiendas Confeſſiones, ita vt duret poſt mortem eius,donec à Succeſſore reuocetur.Patet ex vſu ipſo,nam priuilegia,in quibus hæc poteſtas Religioſis conceditur,perpetua ſunt, quamuis illa ſolùm fuerint delegatio quædam. Et ratio eſt, quia delegatio iuriſdictionis in foro Pœnitentiæ,habet rationem gratiæ, & fauoris, tam reſpectu eius cui delegatur, quam reſpectu pœnitentium propter quos delegatur,vnde menſurari debet per regulam gratiæ, & fauoris, de quibus eſt regula Iuris,non expirare per mortem concedentis, *capite, ſi ſuper gratia, de officio deleg. in ſexto, & capite ſi cui, de Præbendis,in* 6.Vnde Iura,quæ ſtatuunt, quòd iuriſdictio delegata,etiam à ſummo Pontifice, ſi cauſa non eſt inchoata,cenſeatur extingui per mortem concedentis,loquuntur tantum de iuriſdictione fori contentioſi, quæ non datur in fauorem ipſius Iudicis,nec habet rationem gratiæ,ſed tantùm Iuſtitiæ. Solùm in negotiis Fidei,in fauorem eius,conceſſum eſt Inquiſitoribus,vt iuriſdictio eis delegata non ceſſet per mortem concedentis,etiam ad cauſas nondum inchoatas,*c. Ne aliqui, de Hæreticis in* 6.

Solùm ergo ſupereſt difficultas de iuriſdictione delegata ab Epiſcopis,an ipſo facto ceſſet per mortem ipſorum?

Aliqui affirmant.*Primò*,quia Epiſcopus non eſt ſu- 6 premus Paſtor,vt poſſit committere oues ſuas pro toto tempore,quo voluerit,ſed ad ſummum pro tempore, quo ipſe fuerit Paſtor, & non vltrà, niſi iuxta formam præſcriptam à Iure, ſcilicet quoad cauſas inchoatas.

Digitized by Google

Secundò, quia contrarium cederet in præiudicium graue ſucceſſoris.

Tertiò, Vicarius Epiſcopi ipſo facto ceſſat ad mortem eius, vt conſtat ex vſu, & ex ipſa ratione, quia habet iuriſdictionem ab Epiſcopo participatam, ac pendentem ab illo: ergo idem dicendum de quolibet alio delegato.

7 Cæterùm verius eſt, eiuſmodi iuriſdictiones non ceſſare per mortem Epiſcopi concedentis. Ita Manuel, Nauarrus, Hériquez, Suarez, Sayro, Sà, & Alij, quos refert & ſequitur Sanchez *lib*. 8. *de matrimonio, diſp*. 28. *num*. 75. Ratio à priori eſt, quia omnia Iura, quæ dicunt poteſtatem delegatam exſpirare morte concedentis, ſolùm loquuntur de cauſis contentioſis; ſecundùm eas autem gratiæ non ſunt regulandæ, quæ abſolutè dicuntur non exſpirare morte concedentis, vt *ſuprà* dixi: Et quamuis hæc loquantur de gratiis conceſſis à ſummo Pontifice, hoc tamen non faciunt, cauſâ reſtringendi, ſed exempli gratiâ. Vnde cùm eadem ſit ratio in conceſſione facta à Papa, & ab aliis Prælatis, ſcilicet, quòd decet, fauores ampliari, & gratiam ſemel conceſſam permanere; eodem etiam modo vtrorumque conceſſio perdurabit. Conſtat etiam, cùm conceditur facultas audiendi Confeſſiones, tota gratia conceditur directè pœnitentibus, & per quandam conſequentiam, ſeu indirectè Confeſſario; atque ideò ſtatim ac conceſſa eſt, cenſetur gratia abſoluta, & perfectè facta, reſpectu pœnitentis, cui id priuilegium conceditur. Adde iam eſſe conſuetudine receptum, vt mortuo Epiſcopo dicta iuriſdictio durare cenſeatur, donec à Capitulo, vel ſucceſſore reuocetur.

8 Ad argumenta contraria. Ad primum conſtat, Epiſcopum non dare hanc poteſtatem poſt mortem, ſed dum viuit, quæ poſt mortem eius durat, quod iure etiam ſuffragante facere poteſt. Vnde hoc clarum videtur, quando alicui Confeſſario datur immediatè poteſtas audiendi Confeſſiones, vel diſpenſandi in votis: Et proportionaliter idem dicendum, quando alicui datur facultas eligendi Confeſſarium, qui ea vtitur poſt mortem concedentis, quia etſi tunc Confeſſor propriè non accipiat iuriſdictionem, niſi cùm actu eligitur, quod fit poſt mortem concedentis, tamen ipſa prius quaſi in radice ei data eſt in ipſa gratia, quæ pœnitenti priùs fuit conceſſa. Quòd autem hoc modo poſſit Prælatus alicui dare iuriſdictionem, quæ ſolùm poſt mortem dantis ei applicetur, ideò liquet, quia aliàs etiam Papa eam irritè daret; nam hic poſt mortem non plus poteſt, quàm alij Prælati. Quod maximè verum eſt, poſitâ diſpoſitione Iuris, quæ hac in re defectum, ſi quis eſſet, ſupplet.

Ad ſecundum, negandum eſt id cedere in præiudicium ſucceſſoris, quia poteſt hanc facultatem quando voluerit, reuocare; & quamdiu non reuocat, videtur tacitè eam admittere, & aliunde multa incommoda ſequi poſſent, ſi per mortem Epiſcopi, ipſo facto ceſſaret tota iuriſdictio delegata in toto Epiſcopatu; nam inde moraliter ſequeretur, vt multæ fierent Confeſſiones ſine iuriſdictione, atque adeò inualidæ, dum nimirùm Epiſcopi mors omnibus innoteſcit.

Ad tertium dico, Epiſcopum, & Vicarium conſtituere vnum & idem tribunal, & ita re etiam non integra, perire Vicarij poteſtatem Epiſcopo mortuo. Quod nullus aſſeret de Confeſſore delegato quoad Confeſſiones antea cæptas.

SECTIO IX.

An dari queat Abſolutio à Confeſſario cum poteſtate, ſeu iuriſdictione delegata, verè & propriè dubia?

NOn ſemel accidere ſolet, vt Confeſſarius ſit dubius de iuriſdictione ſibi delegata, vel quia mortuus eſt, qui eam conceſſit, & dubitat, an ceſſauerit per mortem concedentis, ſeu delegantis; vel quia dubitat, an priuilegium, virtute cuius illam habuit, fuerit validum. Quæritur igitur, quid in his & ſimilibus caſibus præſtare debeat Confeſſarius, an, & quando tali iuriſdictione vti queat, & conſequenter pœnitens poſſit ſecurè tali Sacerdoti, ſeu Confeſſario confiteri. 1

Præterea notandum eſt, circa prædictam iuriſdictionem delegatam incertam, ac dubiam, duplex poſſe dubium occurrere. *Primum eſt*, dubium propriè dictum, quod eſt merum ac purè dubium negatiuum; quod contingit, quando intellectus in neutram partem poteſt determinari per iudicium poſitiuum, & probabile, ſed eſt ſuſpenſus, & anceps. *Secundum eſt*, dubium impropriè dictum, quod vocari ſolet dubium Poſitiuum, quando videlicet probabile eſt, ſed non certum, dari talem iuriſdictionem. De primo dicam *in hac ſectione*; de ſecundo *in ſequenti*. 2

Dico itaque non licere hoc miniſterio vti cum illo dubio iuriſdictionis purè negatiuo: Hoc eſt certum apud omnes Doctores. Et patet: quia conſtat, iuriſdictionem eſſe de neceſſitate Sacramenti: ergo ſi quis verè & propriè dubitat de iuriſdictione, dubitat quoque de veritate Sacramenti, quod tentat conficere: ergo miniſtrando cum hoc dubio purè negatiuo, exponit ſe periculo nihil faciendi: ergo ſi id faciat, temere, ac imprudenter facit; atque adeò grauiter peccat contra Religionem, quia fit grauis irreuerentia Sacramento cum euidenti periculo nullitatis. Firmo, nam ob ſimilem rationem, oſtendi ſuprà *tractatu primo, diſp*. 8. *ſect*. 7. eſſe graue peccatum vti voluntariè materia, vel forma propriè dubia, propter periculum quod inde reſultat circa valorem Sacramenti; idem autem reſultat in hoc Sacramento cum iuriſdictione propriè dubia: ergo. 3

Quæri verò poteſt an in caſu neceſſitatis liceat cum prædicta dubia iuriſdictione abſoluere ſub conditione expreſſa, vel concepta. Id notat Suarez & affirmat, *diſputat*. 26. *ſect*. 6. *num*. 2. quia in hoc caſu omnis tollitur inordinatio: nam ipſa neceſſitas facit, vt actus non temerè fiat, nec ex mera, ac irrationabili voluntate: conditio verò tollit periculum, nam ſi in re ſubſiſtat, infallibiliter fit Sacramentum; ſi verò non ſubſiſtat, nulla iniuria fit Sacramento, quia conditionalis nihil ponit in eſſe. 4

Ego verò exiſtimo, nullam eſſe neceſſitatem vtendi iuriſdictione propriè dubia. Moueor, quia ſi ſit extrema neceſſitas pœnitentis in articulo, ſeu periculo mortis, quilibet Sacerdos in eo caſu non habet iuriſdictionem dubiam, ſed veram, & certam, quia certum eſt, quemlibet Sacerdotem tunc habere iuriſdictionem pro eo articulo, & poſſe abſoluere ab omnibus peccatis; quæ quidem Abſolutio directa eſt, cùm ſit ex poteſtate, & iuriſdictione, quæ ab Eccleſia pro illo articulo confertur. In quocumque autem alio euentu, præter articulum mortis, non poteſt pœnitens confiteri Sacerdoti habenti iuriſdictionem propriè dubiam, ſed debet expectare opportunitatem confitendi habenti iuriſdictionem certam, vel ſaltem probabilem; ergo nunquam ob neceſſitatem poteſt pœnitens confiteri Sacerdoti ſic dubio, 5

Digitized by Google

dubio, nam ſi ſit extrema, in articulo mortis, habet, vt dixi, quilibet Sacerdos iuriſdictionem non dubiam, ſed veram, & certam: extra periculum verò mortis, ſemper eſt pœnitenti obligatio, ſua peccata mortalia confitendi Sacerdoti habenti iuriſdictionem certam, vel ſaltem probabilem, occurrente opportunitate. Ex quo patet ſolutio ad argumentum propoſitum *numero quarto*: negandum enim eſt, eſſe alium caſum neceſſitatis, præter articulum mortis, & in hoc caſu conſtat, quemlibet Sacerdotem habere iuriſdictionem certam, & poſſe, ac debere abſoluere abſolutè, & non ſub conditione expreſſa, vel concepta.

SECTIO X.

An ſufficiat iuriſdictio delegata probabilis, ad miniſtrandum Sacramentum Pœnitentiæ?

1 HÆc difficultas grauiſſima eſt, ac valdè neceſſaria: Quam in duas partes diuidendam iudico. Prima erit in fauorem Sacrarum Religionum Mendicantium, præcipuè Religionum D. Dominici, & D. Franciſci. Secunda, in fauorem quoque cuiuſuis Confeſſarij ſiue regularis, ſiue ſæcularis, & etiam pœnitentis.

In prima parte tria circa hãc rẽ tractare intendo, in fauorẽ Sacrarũ Religionum. *Primũ*, an quando Epiſcopus Sacerdotes Religioſos Ordinis verb. grat. Prędicatorum, & Minorum idoneos, & doctos, ſine iuſta cauſa, ad examen non vult admittere, cùm ei à Prælatis ſuis Prouincialibus legitimè præſentantur, poſſint tunc illorum Prælati eo ipſo eos exponere Confeſſionibus ſæcularium audiendis, ac ſi eſſent ab ipſo Epiſcopo approbati, quin ad id obſtare poſſit diſpoſitio Concilij Tridentini *ſeſſione* 23. *cap*. 15. dicentis, nullum etiam regularem poſſe Confeſſiones ſæcularium etiam Sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, niſi aut Parochiale Beneficium; aut ab Epiſcopis per examen, ſi illis videbitur eſſe neceſſarium, aut alias idoneus iudicetur, & approbationem obtineat; priuilegiis, & conſuetudine quacumque etiam immemorabili, non obſtantibus. *Secundum*, quod eſt tractandum, an prædicti Regulares habentes eo modo iuriſdictionem ſaltem probabilem ad miniſtrandum Sacramentum Pœnitentiæ, poſſint illud validè & licitè miniſtrare extra mortis articulum, vel periculum. *Tertium*, an liceat eiſdem miniſtrare idem Sacramentum, etiam in articulo, & in periculo mortis.

2 Circa primum punctum, partem negantem defendunt Suarez *tom*. 4. *de Pœnitentia*, *diſp*. 28. *ſect*. 5. Vaſquez *quæſt*. 93. *art*. 3. *dub*. 3. Coninck *diſp*. 8. *dub*. 7. *num* 58. quos ſequitur Cardinalis Lug. *diſp*. 21. *de pœnit. ſect*. 3. *n*. 51. & 52.

Probant *primò*, quia Concilium prędictum ſtatuens, nullum, niſi habentem Parochiale Beneficium, aut approbatũ ab Epiſcopo, idoneum eſſe audiendis Confeſſionibus, ſatis indicat, ad eã idoneitatẽ requiri approbationẽ actu datã ab Epiſcopo: nã particula cõditionalis niſi, eã vim habet, vt ſi conditio requiſita non ponatur à parte rei, & reipſa, non ſequatur effectus. Sic enim propter ſimilem conditionalem, niſi quis per ſententiam fuerit declaratus hæreticus, non priuatur bonis ſuis; quamuis Iudex non declaret talem eſſe aliquem, etiamſi iniuſtè & ex iniquitate illum non declaret, tamen quandiu non declaratur, non priuatur bonis ſuis, & ſic de ſimilibus.

Secundo, ſi Epiſcopus reipſa approbet, etiamſi fortè iniuſtè, vel malè faciat, tamen quoad Sacramenti valorem pertinet, hoc ſufficiet, quantum eſt ex parte approbationis: ergo idem erit è conuerſo, vt ſeruetur æqualitas.

Tertiò, Concilium voluit iudicium approbationis reſeruare Epiſcopis, quia illi ſunt Superiores paſtores Ordinarij, & quia moraliter loquendo, præſumendum eſt, benè vſuros hac poteſtate: At lex moralis vniuerſalis eſſe debet, etiamſi in particulari poſſit aliquis Epiſcopus interdum illa male vti; neque aperienda eſt ianua, vt inferiores in dubium reuocent hoc Superioris iudicium, ſibique vſurpent; id enim eſſet magis incommodum.

Quartò, in omnibus Religioſis, abſque exceptione Mendicantium, requiritur à Tridentino approbatio Epiſcopi, addendo, *priuilegiis, & conſuetudine quacumque etiam immemorabili non obſtantibus*. Nec contrarium priuilegium conceditur in Clementina *Dudum*, *de ſepulturis*. Vbi iuxta dictam Clementinam, non fiebat præſentatio Fratrum Prædicatorum, & Minorum Epiſcopo, vt eos approbaret, quia nulla erat requiſita approbatio, ſed vt illis iuriſdictionem concederet; quam ſi Epiſcopus abſque rationabili cauſa præſentatis negabat, eo ipſo Pontifex illam concedebat, ac proinde priuilegium in dicta Clementina Mẽdicantibus conceſſum, non fuit reuocatum per Tridentinum; quia in ea Clementina, Mendicantes non priuilegiabantur quoad approbationem, ſed quoad iuriſdictionem; quoad hanc autem dictum priuilegium iam eſt ampliatum per alia priuilegia nouiter conceſſa, per quæ Mendicantes iuriſdictionem accipiunt immediatè a Papa. Vnde modò quando prædicti ad Epiſcopum accedunt, non accedunt pro iuriſdictione, ſed pro approbatione, quia hęc ſola eſt neceſſaria ipſis ab Epiſcopo.

Quintò, antiquum priuilegium Clementinæ citatæ, iam eſt reuocatum in Tridentino, quia decretum Tridentini eſt lex Conciliaris, & Pontificia, quæ habet vim corrigendi ſuperiorem legem, etiamſi in Iure contineatur.

Sextò, lex illa Tridentini nullius eſſet momenti pro Regularibus, niſi reuocatum eſſet antiquum priuilegium; non enim duæ leges contrariæ ſunt in Iure ponendæ: ergo lex Clementinæ manet derogata per legem Tridentinam, quæ illi contraria eſt.

Vltimò, in c. *Licet*, *de conſtitutionibus*, *in* 6. habetur: *Licet. Romanus Põtifex, (qui iura omnia in ſcrinio pectoris ſui cenſetur habere) conſtitutionem condendo poſteriorem, priorem, quamuis de ipſa mentionem non faciat, reuocare noſcatur &c.* ergo Papa in Tridentino faciens legem, quòd nullus regularis poſſit audire confeſſiones: hi ſi prius ab Epiſcopo approbetur, viſus eſt derogare Conſtitutioni Clementinæ, cùm totum ius pręſumatur habere in ſcrinio pectoris ſui.

Pro parte contraria affirmante ſunt grauiſſimi viri. 3 Henriquez *lib*. 3 *de pœnitentia*, *cap*. 6. *num*. 4. Gloſſa in Clementina *Dudum*, *de ſepulturis*, Vega *lib*. 1. *caſuum conſcientiæ*, *caſ*. 58 Rodriguez *in explicatione Cruciatæ*, §. 9. *dub*. 11. *num*. 33. Angelus *verbo Confeſſio IV. numer*. 25. & *verbo Confeſſor*. 5. *num*. 15. Sotus *in* 4. *d*. 18. *quæſt*. 4. *articul*. 3 *col*. 7. Graffis *lib*. 1. *deciſ. aur. c*. 13. *numer*. 49. Petrus Cenedo *de quæſtionibus canon. quæſtion*. 38. *numer*. 20. & 21. Palatius *d*. 17. *quæſt*. 7. Sylueſter *verbo Confeſſor II*. §. 9. Idem tenet expreſsè Nauarrus *c*. 27. *n*. 262. ſic dicens: *Epiſcopo ſine iuſta cauſa nolente admittere Religioſos præſentatos ad examen, poſſunt præſentati facere Confeſſiones, perinde ac ſi fuiſſent admiſſi, iuxta Clementinam Dudum, de ſepulturis.* Tandem idem perdoctè defendit nouiſſimè noſter Fagundez *præcepto* 2. *lib*. 7. *cap*. 2. *num*. 15. Omitto alios Auctores pro hac eadem ſententia, quos

refert, & probat Diana *part. 3. tract. 2. de dubiis regularium reſol. 24.*

6 Hanc ſententiam iudico veriorem, cum tot grauiſſimis Doctoribus: vt verò eam clariùs explicem, Præmitto, quod eſt certum, & modò omnes fatentur, nempe approbationem eſſe quid diſtinctum à iuriſdictione, nam Approbatio nihil eſt aliud, quàm publica quædam ſententia, ſeu authentica conteſtatio de ſufficientia talis Sacerdotis ad audiendas Confeſſiones, quam Tridentinum voluit eſſe veluti diſpoſitionem ordinariam, vt ſimplex Sacerdos proximè ſit iuriſdictionis capax. Iuriſdictio verò eſt ipſa collatio Iuriſdictionis ad abſoluendum à peccatis. Vnde Approbatio non eſt delegatio iuriſdictionis, ſed aliquid præuium ad illam. Quare hæc duo ſeparabilia ſunt, & à diuerſis procedere poſſunt cauſis, nam Religioſi Mendicantes modò non accipiunt iuriſdictionem ab Epiſcopis, ſed à ſummo Pontifice per ſua priuilegia: ab Epiſcopo verò accipiunt approbationem. Quando etiam Sacerdos ſæcularis eligitur per Bullam Cruciatæ, vel per Iubilæum, aut per aliud ſimile priuilegium Pontificium, iuriſdictionem recipit à ſummo Pontifice; approbationem verò ab Ordinario. Epiſcopus quoque poteſt approbare, & non delegare iuriſdictionem, nam conceſſio iuriſdictionis eſt veluti quædam gratia, quam liberaliter facit Epiſcopus: hæc verò approbatio eſt veluti opus Iuſtitiæ, nempe iuſtum iudicium, quo aliquis declaratur idoneus. Vnde poteſt rectè Epiſcopus hoc iuridicè declarare, & approbare; & nihilominùs non delegare ſuam iuriſdictionem ſic approbato; cùm hoc ſecundum pendeat ex ſolo beneplacito ſuo. Hoc præmiſſo;

7 Dico *primò*, peccare mortaliter, & contra Iuſtitiam Epiſcopos, nolentes prædictos Religioſos Mendicantes Ordinis Prædicatorum, & Minorum, præſentatos ad examen non admittere, & viros planè idoneos, & doctos non approbare. In hoc conueniunt omnes, Suarez, Cardinalis de Lugo, & alij contrariæ ſententiæ. Et ratio eſt aperta, quia Epiſcopus licèt poſſit pro libito dare, vel non dare ſuam iuriſdictionem iis, quibus voluerit, quia eſt mera gratia, ſuam iuriſdictionem ordinariam alteri delegare; non tamen poteſt pro ſolo libito negare Approbationem perſonæ dignæ eam petenti, quia iſta Approbatio non eſt opus gratiæ, ſed Iuſtitiæ; eſt enim, vt dixi *ſuprà*, veluti iudicium, ſeu ſententia iuſta: ergo in hoc iudicio procedit Epiſcopus vt Iudex, & per iuſtitiam, atque adeò iniuriam facit grauem Epiſcopus, quando ſine cauſa iuſta eam negat, & contra merita perſonæ petentis, quando euidens eſt, perſonam idoneam eſſe, & ſine cauſa iuſta illam repelli. Quare ſicut habens beneficium Parochiale, vel electus ad ipſum, habet ius, vt approbetur ab Epiſcopo, ſi eſt ſufficiens, nec poteſt ei licitè approbatio denegari, ſic omnes alij Sacerdotes, qui ex ipſo Sacerdotio eligibiles ſunt ad audiendas Confeſſiones à Parochis, & per Iubilæum, vel per Bullam, habent iuriſdictionem à ſummo Pôtifice, ſi approbentur ab Epiſcopo, videntur habere ius ad approbationem. Id autem potiori iure habet locum in Religioſis, præſertim Dominicanis, & Minoribus, & aliis Mendicantibus; necnon & illis, qui eorum gaudent priuilegiis, nã iſti ex priuilegiis Pontificũ, habent iuriſdictionẽ ſi approbentur. Igitur ſicut Parochus ex ipſa electione ad beneficiũ Parochiale eſt ipſo Iure approbatus; ſic Religioſi, qui ex priuilegiis Sedis Apoſtolicę sũt quaſi Parochi delegati, habent ius ad illã approbationẽ petendam, nec poteſt hæc iuſtè, ſine cauſa ſufficienti, eis negari. Neque eſt cauſa ſufficiens ſuperfluitas, quando ſufficiens eſſet, & idoneus Religioſus, etiamſi ille non eſſet neceſſarius in ſua Diœceſi; nam talis ſuperfluitas non eſt concedenda reſpectu Religioſorum, ac Clericorum ſæcularium probatæ vitæ, & exempli, qui aptè ſciant Sacramenta Domini cum fructu, & vtilitate ſpirituali diſpenſare; hi enim in nulla Diœceſi ſuperfluunt: Imò quamuis daretur talis ſuperfluitas, adeò vt iudicaret Epiſcopus, abundè ſatis per alios Religioſos, & Clericos ſæculares probatæ doctrinæ, & vitæ ſuorum ſubditorum bona ſpiritualia procurari; adhuc non eſſet ſufficiens cauſa, ad iuſtè negandam approbationem Religioſo, quando ſufficiens eſſet, ac idoneus, etiamſi ille non eſſet neceſſarius in ſua Diœceſi, vt rectè notarunt Cardinalis Lugo citatus, *numero 44.* & Vaſquez relatus *ſuprà dubio 5. numero 5.* quia videlicet quaſi Parochus delegatus à Sede Apoſtolica, habet ius vt admittatur ad examen, & ſi fuerit idoneus iudicatus, meritò approbetur. Nec in Clementina, *Dudum, de ſepulturis*, oppoſitum continetur; nam licèt in ea præſcribatur, vt Epiſcopus poſſit ſolùm eos approbare, qui pro ſua Diœceſi ſufficiant, & alios poſſit reiicere; hoc intelligi debet pro eo ſtatu, quia tunc Epiſcopus conferebat non tantùm approbationem, ſed etiam iuriſdictionem, & ſic liberum ita ei relinquebatur, quia liberum illi eſt delegare alteri ſuam iuriſdictionem, quando eo non indiget, & abundat aliis, vel ſaltem habet ſufficientes ac idoneos Miniſtros, quibus ſuam iuriſdictionem committat in bonum ſpirituale ſuorum ſubditorum. Nunc verò omnes Religiones, præcipuè Mendicantes, habent iuriſdictionem à ſummo Pontifice, & Ordinarij approbatio ſolùm requiritur tanquam conditio, ſub qua datur, vt ſcilicet examinetur eius ſufficientia. Vnde manifeſtè Epiſcopus faceret iniuriam Religioſo, ſi nollet admittere ad examẽ, nec approbaret vt idoneum, qui eſt idoneus vita, doctrina, & prudentia: ſic enim impediret, ne vteretur iuriſdictione, quam habet à Pontifice, ſine cauſa.

Dico *ſecundò*, Religioſos Ordinis Prædicatorum, & 8
Minorum alioquin doctos, & idoneos, cùm à Prælatis ſuis, v.g. Prouincialibus, legitimè præſentãtur Epiſcopo, & ipſe ſine iuſta cauſa non vult eos admittere ad examen, nec approbare, poſſe eo ipſo à ſuis Prælatis validè, & licitè exponi Confeſſionibus ſæcularium audiendis; eóſque ad tale munus approbare, ac validè, & licitè audire Confeſſiones, & eſſe legitimos miniſtros Sacramenti Pœnitentiæ. Ita Doctores *ſuprà* citati pro parte affirmante. Hoc mihi euidens videtur hoc vnico Argumento ducto; quia extat de hac re Decretum Pontificium in fauorem ſacrorum ordinum S. Dominici, & S. Franciſci, in corpore Iuris inſertum, & illi non eſt derogatum per Tridentinum; ergo ſine vllo fundamento id eſt negandum. Vnde Fagundez citatus ad *finem, n. 15.* dixit, ſequi non poſſe opinionem contrariam Suarez, cùm nullum fundamentum afferat, & contrarium exprimat dicta Clementina.

Expendamus ſingulas partes Argumenti propoſitas, 9
& probemus. In primis prima pars Antecedentis patet manifeſtè ex Clementina *Dudum*, *de ſepulturis*, vbi Clemens V. Decretalem à Bonifacio VIII. editam in fauorem Ordinum Prædicatorum, & Minorum à Benedicto Papa XI. reuocatam, ſacro inſtante & approbante Concilio Viennenſi innouat. In qua expreſsè ſic dicitur: *Priores Prouinciales Prædicatorum, Prouinciales & Miniſtri Minorũ eligere ſtudeant perſonas ſufficientes, idoneas, vita probatas, diſcretas, modeſtas, atque peritas, ad tam ſalubre miniſterium, & officium exequendum: quas ſic ab ipſis electas repræſentent, vel faciant præſentari Prælatis, vt de eorum licentia confeſſiones confiteri ſibi volentium audiant. Quòd ſi Prælati præfatis Fratribus ad Confeſſiones audiendas electis, huiuſmodi exhibere licentiam recuſarint; nos ex nunc ipſis, vt Confeſſiones ſibi confiteri volentium, liberè, licitè*

Digitized by Google

liciteque audire valeant, & eiſdem beneficium abſolutionis impertiri, gratioſè concedimus de plenitudine Apoſtolicæ poteſtatis. Hæc Clementina dicta: Vbi clariſſimè datur dictis Fratribus Ordinis Prædicatorum, & Minorum, de quibus ſolùm loquitur, approbatio, & iuriſdictio, & id omne quod requiſitum eſt ad validè, & licitè miniſtrandum Pœnitentiæ Sacramentum. Itaque hanc primam partem Antecedentis nullus negat, nec negare poteſt.

10 Accedamus ad ſecundam, in qua eſt tota difficultas, nempe dictam Decretalem Concilij Generalis Viennenſis, relatam in dicta Clementina, non eſſe derogatam à Concilio Tridentino citato, per illa verba: *Priuilegiis, & conſuetudine quacumque etiam immemorabili, non obſtantibus.*

11 Id *primò* probo, quia Tridentinum per illam clauſulam, intendit tantùm caſſare, & irritare quorundam priuilegia extra corpus Iuris communis vagantia; quæ meritò reſtringi debent tanquam odioſa, & mortes ipſius Iuris; non verò illam Decretalem, quæ eſt inſerta in corpore Iuris, ſicut sũt inſertę alię leges communes Eccleſiaſticæ; & habet eandem vim, & virtutem quam habent aliæ leges: ergo ſub dicto nomine priuilegij non venit. Firmo, quia ſecundùm communem modum loquendi Iuriſperitorum, per hoc nomen, *priuilegium,* ſimpliciter & abſolutè dictum, non intelligimus id quod eſt in corpore Iuris inſertum. Dicta etiam Decretalis fuit etiam quædam ſententia diffinitiua data, ratione cuiuſdam controuerſiæ; & eam vocat Bonifacius, Statutum, & ordinationem maximo Concilio Cardinalium, & deliberatione præhabita factam Summus etiam Pontifex in prooemio Clementinarum, vt omnes Clementinæ nullâ exceptâ, prompto affectu ſuſcipiantur, & ſtudio alacri, & in ſcholis, & in iudicio per eas gubernentur. Quæ omnia non de priuilegiis, ſed ſolùm dicuntur de legibus Eccleſiaſticis.

12 *Secundò,* inde manifeſtè colligitur, dictam ordinationem Clementinæ non eſſe in rigore priuilegium, ſed legem, vt diſtinguitur contra priuilegium; quia Quarta funeralium per dictam Clementinam ſoluenda eſt Parochis à Mendicantibus; & Tridentinum *ſeſſ.* 25. *c.* 13. reuocat priuilegia omnia contra eam indulta: ergo ſupponit ipſam eſſe legem, ſeu ius commune Si igitur dicta Clementina eſt verè ius commune reſpectu Quartæ funeralis; manifeſtè ſequitur, eſſe quoque reſpectu præſentationis Confeſſorum regularium, & non eſſe dicendum priuilegium, ſed ius commune: cùm in eadem Clementina æquè ſtatuatur id quod pertinet ad Confeſſariorum præſentationem, & approbationem, ſicut id quod pertinet ad Quartam funeralem: Et quamuis dicta Clementina contineat aliquid ſpeciale non concernens ad totam vniuerſalem Eccleſiam, ſed ſolùm concernens ad Religiones Prædicatorum, & Minorum, non ideò dicendum eſt, eſſe potiùs priuilegium, quàm legem. Quia aliàs conſequenter dici deberet, quamplurimas Decretales in corpore Iuris inſertas eſſe priuilegia, quia paſſim in Iure Canonico plures ordinationes, ac diſpoſitiones diriguntur ad Eccleſias particulares, & ad caſus ſingulares propoſitos ab Epiſcopis particularium Eccleſiarum; quæ tamen priuilegia nullo modo ſunt, nec dicuntur: ſufficit ergo, vt diſpoſitio Clementinæ à nobis adductæ ſit verè lex, & non priuilegium, quòd ſit in Corpore Iuris, & ex eius deciſione aliquod bonum commune reſultet. Dubitari verò non poteſt, dictam Clementinam fuiſſe editam in fauorem populi Chriſtiani, ad ſalutem animarum; cùm in prædictis Religionibus S. Dominici, & S. Franciſci, fuerint ſemper, & ſint Viri inſignes in doctrina, & ſanctitate in bonum commune totius Eccleſiæ Dei.

13 *Tertiò,* manifeſtè oſtendo legem generalem Tridentini poſteriorem, non derogare prædictæ legi priori Clementinæ: Tum quia Lex poſterior non habens clauſulam derogantem, vel abrogantem priorem, non reuocat illam, niſi quando illi directè opponitur, itavt niſi priori deroget, fiat omninò inutilis. Vt cum communi Doctorum ſententia tradit egregiè Suarez *lib.* 6. *de legibus, cap.* 27. *num.* 10. Ratio eſt, quia tunc lex poſterior non poteſt ſimul ſubſiſtere cum priori, atque ideò voluntas poſterior, quæ ex vi obiecti non poteſt conſiſtere cum priori, mutat illam, etiamſi formaliter, & expreſsè non intendat ipſam abrogationem. Idem dicendum, quando vtraque lex prior & poſterior non eſt generalis, ſed ſpecialis, & includunt ſimilem contrarietatem, quæ contradictionem inuoluat; tunc enim poſterior abrogat priorem, propter dictam rationem. Attamen ſi lex prior, & poſterior, inter ſe non ſolum non opponantur, ſed poſſint benè conciliari; tunc non eſt admittenda derogatio, vel abrogatio, ſed conciliandæ ſunt, cùm vtraque ſit valdè vtilis, & poſſit habere effectum. Sic rectè conciliantur lex Tridentini, quæ generalis eſt, & loquitur in omni caſu, regulariter loquendo; & lex Clementinæ, quæ eſt valde ſpecialis, & lata ad ſolum vnicum ſpecialiſſimum caſum, & rariſſimum: Tum maximè, quia vt communiter docent Iuriſperiti *in cap.* 1. *de reſcrip.* Vbi Panormitanus *num.* 2. & alij, & Bart. *in L. Quæſitum,* §. *vltim. ff. de fide inſtrument. numer.* 12. quando lex prior, & antiquior eſt ſpecialis, & poſterior eſt generalis, etiamſi poſterior ſit contraria priori, non abrogat illam, ſed potiùs ſecundùm illam limitatur, ſeu derogatur. Quod etiam approbat Suarez citatus *num.* 13. Et patet ex *Regula Iuris* 34. *in* 6. Vbi ſic dicitur: *Generi per ſpeciem derogatur.* Et ibi Gloſſa, & omnes intelligunt, etiamſi ſpecies antecedat. Et ratio eſt manifeſta, quia Princeps præſumitur ignorare particulare ſtatutum, quando illius mentionem non facit, & ideò licèt vniuerſalem legem faciat, non cenſetur velle particulare ſtatutum tollere. Quæ doctrina adeò vera eſt, vt procedat, licet in lege poſteriori ſit clauſula, *Non obſtante*: debet enim intelligi de lege contraria quæ non poſſit cum hac ſuſtineri per aliquam limitationem, vt declarant Gloſſ. Bart. Iaſon, Decius, Nauarrus, & alij, quos refert Sanchez *lib.* 2. *de matrimonio, diſputation.* 24. *numer.* 6. Firmo idem ex *cap. Licet, de conſtitutionibus, in* 6. Vbi poſtquam Bonifacius VIII. de Romano Pontifice ſic dixit: *Licèt Romanus Pontifex (qui iura omnia in ſcrinio pectoris ſui cenſetur habere) conſtitutionem condendo poſteriorem, priorem, quamuis de ipſa mentionem non faciat, reuocare noſcatur*: ſtatim addidit verba immediatè ſequentia, *Quia tamen locorum ſpecialium, & perſonarum ſingularium conſuetudines & ſtatuta, (cùm ſint facti, & in facto conſiſtant) poteſt probabiliter ignorare: ipſis, dum tamen ſint rationabilia, per conſtitutionem à ſe nouiter editam, (niſi expreſsè caueatur in ipſa) non intelligitur in aliquo derogare.* In hac itaque Decretali manifeſtè eſt ſermo de particularibus, & ſpecialibus ſtatutis, quoad loca, & etiam quoad materias, & perſonas; quæ non intelliguntur in aliquo derogata per generalem legem poſteriorem, quia Princeps præſumitur ignorare particulare ſtatutum, quando illius mentionem non facit; & ideò licèt vniuerſalem legem faciat, non cenſetur velle particulare ſtatutum tollere. Nam tunc poteſt tam ſtatutum, quàm lex habere effectum, cum aliqua concordia in Iure vſitata. Igitur vitanda eſt derogatio ſtatuti, & dicendum potiùs, intentionem legiſlatoris eſſe, poſteriorem legem generalem ferre, cum illa limitatione, & exceptione particulari. Quod certè magis vrget in noſtro caſu, nam ſtatutum illud Clementis V. in fauorem Fratrum Prædicatorum, & Minorum, fuit ſtatutum facti in caſu illo ſingulari,

Digitized by Google

lati, ac ſpecialiſſimo; at lex Tridẽtini eſt negatiua generalis: vtraque etiam lex rectè, ac compatibiliter conciliari poteſt, quin vna per alteram derogetur, ſeu annulletur. Benè enim compatitur, quòd nullus Regularis audiat Confeſſiones ſæcularium, niſi per examen ſit ab Epiſcopis approbatus, & quòd regulares Ordinum Prædicatorum & Minorum ab hac generali regula ſint excepti, cùm eos in ſpecialiſſimo, & rariſſimo caſu à Prælatis vexatos, ius ſpeciale Pontificium eximat ab illis, & det approbationem, & iuriſdictionem ad miniſtrandum Pœnitentiæ Sacramentum; & ſic in eo ſpecialiſſimo euentu, generi per ſpeciem derogetur, iuxta dictam regulam Iuris.

14 Ad hæc omnia poſſet quis reſpondere, doctè, & probabiliter eſſe dicta; in praxi tamen non videri, quomodò poſſit eſſe vtilis prædicta doctrina, & opinio. Quod dicit Cardinalis Lugo *ſect. 3. citata num.* 55. Quia facultas Clementinæ Prælatis Regularibus, ſeu Prouincialibus conceſſa, exponendi ad Confeſſiones eos, quos præſentatos Epiſcopus nollet acceptare; conceſſa quidem fuit cum multis limitationibus, quæ habentur in dicta Clementina; præſertim quòd renuente Epiſcopo aliquem ex ſibi præſentatis admittere; Prælatus Regularis alium illius loco debeat ſubrogare. Item quòd non plures præſententur Epiſcopo, quàm ſint neceſſarij, ſic enim dicitur: *Numerus autem perſonarum aſſumendarum ad huiuſmodi Officium exercendum, eſſe debet, prout vniuerſitas Cleri, & populi, ac multitudo, vel paucitas exigit eorundem.* Quæ limitatio licèt ſolùm procedat quoad facultatem ibi conceſſam, & non de facto: quia de facto Religioſus idoneus ius habet vt approbetur, licèt non ſit neceſſarius; qui tamen vellet vti facultate illius Clementinæ, deberet illa vti cum illa limitatione ibi poſita. Poſſet autem Epiſcopus ſemper, aut fere ſemper dicere, ſe nolle approbare illos Regulares, quia pro numero pœnitentium illius ciuitatis, vel loci, non ſunt neceſſarij plures pro nunc; cuius contrarium in praxi difficillimum eſſe videtur.

15 Verùm hoc non obſtante, noſtra ſententia non ſolùm nititur firmis fundamentis; verùm etiam in praxi vtilis eſt, ac neceſſaria in prædicto euentu; neque eſt vllo modo difficile ad praxim reducere: non enim ſunt in dicta Clementina aliæ limitationes niſi prædictæ, quæ nullo modo obſtant prudenti, & facili executioni facultatis Clementinæ; nam inprimis ſupponit noſtra doctrina, Epiſcopum nullis precibus ipſarum Religionum, nec etiam Procerum, moueri ad dictos Fratres ad examen admittendos, ſed ſemper obdurato animo, contra Ordinem Prædicatorum, vel Minorum, nolle aliquem ex illis approbare ad Confeſſiones audiendas, contra bonum animarum, & proximorum, ac deuotorum, qui dictis ſacris Ordinibus ſunt addicti, cum ſcandalo id ſcientium; imò & contra præſcriptum Clementis V. qui *in dicta Clementina, in fine* ſic ait: *Vniuerſos Eccleſiarum Prælatos cuiuſcumque præeminentiæ, ſtatûs, vel dignitatis exiſtant, rogamus, hortamur, & præcipimus, pro diuina, & Apoſtolicæ Sedis reuerentia, prædictos Ordines, & Profeſſores eorum, affectu beneuolo habere commendatos: & Fratribus ipſis non ſe difficiles, graues, duros, aut aſperos, ſed potiùs fauorabiles, propitios, ac benignos, piâq; munificentia liberales ſe ſtudeant exhibere; ſic eos in prædicationis officio, & propoſitionibus verbi Dei, ac in omnibus aliis ſupradictis tanquam cooperatores eorum idoneos, & laborum ſuorum participes, prompta benignitate recipiant, &c.* Prætereà, quòd numerus perſonarum ex dictis Ordinibus aſſumendarum ad Confeſſiones audiendas, eſſe debeat iuxta multitudinem, vel paucitatem pœnitentium, nihil obeſt noſtræ propoſitæ doctrinæ: Tum quia quæſtio præſertim procedit in eo caſu, in quo Epiſcopus nullum, vel certè pauciſſimos importunis precibus, qui nullo pacto ſufficiant, admittere vult ex dictis Ordinibus. Tum etiam, quia cùm ſint quamplurimi dictarum Religionum deuoti, nunquam tot ſolent in eo caſu eligi à Prouincialibus Confeſſarij, quin ſuperfluant, cùm nec omninò ſufficiant. Neque verò poteſt ac debet Epiſcopus deuotos harum Religionum ad alios Clericos, & Confeſſarios traiicere, eo quòd nolit ipſe dictorum Ordinum viros doctos, & idoneos approbare, quia id eſt contra tenorem Bullarum Apoſtolicarum, dictis Religionibus conceſſarum, in quibus ſummi Pontifices hortantur fideles totius Orbis, vt ad dictos Religioſos accedant, ad audiendum verbum Dei, & ad expianda ſua peccata: & vt alacriùs, & promptiùs, id faciant, concedunt accedentibus Indulgentiam plenariam ſuorum peccatorum. Hoc animarum lucrum impedit Epiſcopus inter alia, negando approbationem, contra omnem æquitatem, ac Sedis Apoſtolicæ voluntatem.

Occurrit mihi contra doctrinam propoſitam hoc argumentum ſatis apparens. Nam circa eos qui contraxerunt matrimonium ratum per verba de præſenti, ante conſummationem datur ſpecialis tex, *cap. ex publico, de conuerſione coniugatorum*; in qua præſcribitur bimeſtre, vt ſi aliquis illorum nolit matrimonium conſummare, Religionem ingrediatur. Quod præſcriptum, eſt valde probabile intelligi de Religionis profeſſione, itavt teneatur ſponſus Religionem ingrediens intra illud bimeſtre profiteri, vel matrimonium conſummare: quod tamen correctum eſſe per Tridentinum *ſeſſ. 25. de Regularibus, cap.* 15. nullus dubitat, ſtatuens lege generali, nullum ad Profeſſionem admittendum eſſe, niſi tranſacto integro Nouitiatus anno; vbi Tridentinum generaliter, & per verba negatiua ſtatuit: *Ne qui minori tempore, quàm per annum, poſt ſuſceptum habitum, in probatione ſteterit, ad Profeſſionem admittatur, profeſſio autem antea facta ſit nulla*: Vnde ea lex generaliter, & in omni caſu intelligenda eſt, quia lex vniuerſalis negatiua, eſt vniuerſaliter intelligenda; iuxta regulam Logicam, Negatio quidquid poſt ſe inuenit, deſtruit, & eius oppoſitum ponit. Similiter in noſtro caſu, Tridentinum cum agit de approbatione neceſſaria ab Epiſcopo obtinenda, vt Sacerdos audiat Confeſſiones ſæcularium, apponit legem generalem negatiuam, dicens: *Nullus Sacerdos etiam regularis, &c.* Igitur videtur illa lex, cùm ſit negatiua, in omni caſu etiam ſpecialiſſimo eſſe intelligenda. 16

Ad hanc difficultatem, vt plenè intelligatur diſparitatis ratio, tria dico. *Primum eſt*, quod latè oſtendi *in tractatu, de matrimonio, diſput.* 10. *ſect.* 5. *num.* 4. de tempore duorum menſium non dari ius certum, ac decretum Pontificium, vt tenet Suarez *tom.* 3. *de Religione, lib. 9. cap. 25. num.* 3. Tempus autem illud bimeſtre aſſignatum in *cap. ex publico*, non videtur præciſum, ac regulare, ſed in caſu illius Textus fuiſſe à Pontifice præfixum, iuxta occurrentes circumſtamtias: vnde videtur arbitrio Iudicis præſcribendum eſſe, poſſéque augeri, & minui; & vt rectè addit Suarez *loco citato*, in ea re arbitrium Iudicis excludendum non eſſe. Verum quidem eſt, iam eſſe vſu, & conſuetudine receptum, & approbatum ab Eccleſia, vt concedatur coniugibus ſpatium illud duorum menſium; vnde poteſt dici eſſe aſſignatum quaſi ius commune: At in noſtro caſu ſtatutum illud Clementinæ eſt verum ac proprium ius inſertum in corpore Iuris, ergo. *Secundum eſt*, quod ibidem dixi cũ omniũ ſententia, illud bimeſtre deſignari ad deliberandum de primo ingreſſu Religionis ad ſuſcipiendum habitum Nouitij, & tempore ſolito, nempe anno impleto, profitendum. Quare illæ duæ leges non ſunt ſibi contrariæ. *Tertium eſt*, etiamſi daremus, ex vi illius Capitis, *ex publico*, obligari coniugem intra bimeſtre 17

Digitized by Google

ſtre ad Religionem tranſire, aut ad coniugem redire, itavt pertranſire ad Religionem intelligeretur profiteri, adhuc tamen lex poſterior Tridentini, in illo etiam caſu ſpeciali intelligenda eſt, non quia eſt lex negatiua abſolutè, ſed quia tota & adæquata ratio legis Tridentinæ æquè militat in illo ſpeciali caſu, atque in omni alio: nam ratio, quę mouit Tridentinum ad illud generale ſtatutum integri anni Nouitiatus ponendum, fuit, vt Nouitius cognoſcat, quam vitę rationem ſuſcipiat, & illius difficultates experiatur; & an vires ſuppetant ad eas toto vitæ curriculo perferendas, ne ſi ante annum, primo vocationis feruore ductus profiteretur, poſteà Profeſſione emiſſa, quando iam omni remedio eſt deſtitutus, facilè pœniteret, & vitam miſerrimam, ac angoribus plenam ageret. Quæ ratio militat præcipuè in hoc caſu coniugatorum, nam qui eo modo Religionem ingrediuntur, facilè poſſunt præſumi ingredi magis odio coniugij, quàm amore Religionis: Atque annus prædictus Probationis etiam datus eſt, non ſolùm in fauorem Nouitij, vt Monaſterij auſteritates experiatur, ſed etiam in ipſius Monaſterij fauorem, vt Nouitij, experiantur mores, vt habetur *c. ad Apoſtolicam, de regularibus*. At hæc vtraque ratio æquè militat in illo caſu ſpeciali, atque in omni alio, atque ideò prædictum Tridentini Decretum in omni caſu eſt intelligendum: non eſt verò eadem ratio in ipſa approbatione, vt ſatis conſtat ex dictis, nec obeſt, quòd lex Tridentini ſit negatiua, quia cùm ſit lex generalis poſterior, & diſpoſitio Clementinę ſit quædam lex ſpecialis, generi per ſpeciem derogatur, vt latè explicatum eſt.

18 Dico *tertiò*, eodem fauore, ac eadem diſpoſitione quoad Confeſſariorum approbationem, & præſentationem, quâ gaudent Religioſi Prædicatorum, & Minorum, gaudere quoque eodem prorſus modo Religioſos Sacerdotes Societatis IESV. Hoc eſt certum, nam Pius V. in Bulla, *Dum indefeſſe*, conceſſa Societati IESV., eam, ac ſingulas perſonas Societatis decernit, verè, & non fictè Mendicantes fuiſſe, eſſe, & fore: ac omnes, & ſingulas, tam iuris, quàm hominum diſpoſitiones, in fauorem Fratrum Mendicantium, nunc, & pro tempore emanatas, nec non omnia, & ſingula quæcumque, & qualiacumque ſint, etiam ſpeciali nota digna, priuilegia, immunitates, exemptiones, facultates, gratias, &c. conceſſit; & poſſe liberè ac licitè frui, & gaudere in omnibus, & per omnia non ſolùm ad inſtar Mendicantium, ſed pariformiter, & æquè principaliter abſque vlla prorſus differentia, perinde ac ſi Societati nominatim, & ſpecialiter conceſſa fuiſſent, Apoſtolica auctoritate perpetuò ſanciuit.

Ex dictis, argumenta pro parte negante facilis eſt ſolutio.

Ad primum, fateor, particulam illam, *nullum*, ſatis declarare, legem Tridentini eſſe generalem, & loqui Concilium abſolutè, & in generali; atque ideò intuli *ſuprà* non reuocare antiquius decretum Clementinæ, quod eſt ſpeciale, & in particulari latum in ſpeciali caſu.

19 Ad ſecundum, conceſſo Antecedente, negatur Conſequentia, propter ſpecialem legem antiquiorem Clementinæ, quę non derogatur per alteram legem Conciliarem Tridentinam, quæ eſt generalis.

Ad tertium, fatemur meritò, Tridentinum voluiſſe in genere iudicium approbationis reſeruare Epiſcopis, nō tamen derogaſſe alteri legi Clementinæ in ſpecialiſſimo caſu, qualis ibi proponitur, vt nolit Epiſcopus ſiue ex odio, ſiue ex maleuolentia, ſiue ex alio titulo apparenti. Religioſos Ordinis Prædicatorum, vel Minorum admittere ad examen, nec idoneos approbare, approbando ſine limitatione Clericos ſæculares, & alios Religioſos aliorum omnium Ordinum. Ad hunc igitur caſum ſpecificum, ac ſpecialiſſimum prouidit Eccleſia, & Sedes Apoſtolica iure approbat dictos Religioſos in illa Clementina. Neque inde aperitur ianua, vt inferiores in dubium reuocent hoc Epiſcoporum iudicium, ac ſibi illud vſurpent, cùm in caſu prædicto non ſuum, ſed iudicium Sedis Apoſtolicæ ſequantur, ac defendant.

Ad quartum, verum eſt in omnibus Religioſis etiam Mendicantibus, abſque vlla exceptione, requiri per ſe loquendo, ex præſcripto Tridentini, approbationem Epiſcopi; in illo tamen caſu ſpecialiſſimo, prouidiſſe Clementinam, ne Sacerdotes Prædicatorum, & Minorum carerent remedio Iuris, vt poſſint iuxta ſuum laudabile inſtitutum, iuuare proximos, adminiſtrando illis Sacramentū Pœnitentiæ. Falſum verò eſt, in ea Clementina Mendicantes priuilegiari tantùm quoad iuriſdictionem, & non quoad approbationem; nam etiam Iure antiquo, ante nouum Tridentini Decretum, requirebatur idoneitas, & approbatio in Regularibus à Sede Apoſtolica, vel ab ipſis Epiſcopis collata, ad audiendas Confeſſiones, cum hoc tamen diſcrimine; nam antiquitus Religiones non gaudebant tot gratiis, & priuilegiis, ſicut modò; nec habebant iuriſdictionem delegatam, vi ſuorum priuilegiorum à Sede Apoſtolica, ſicut modò habent; vnde ab Epiſcopis eam habebant, quam ipſi conferebant idoneis, ac ſufficientibus ad tale munus; & ſimul approbabant, & ſuam iuriſdictionem delegabant; modò verò cùm omnes Religiones, præſertim Mendicantes, & quæ eorum fruuntur priuilegiis, per ſua ſpecialia priuilegia, aut per communicationem ipſis conceſſam, accipiant immediatè iuriſdictionem à Papa, ideò decretum eſt à Tridentino, vt ipſam approbationem ſumant ab Epiſcopis vt ſic hoc Sanctum miniſterium non exerceant, niſi apti, & idonei ad illud. 20

Ad quintum, negatur, priuilegium Clementinæ eſſe reuocatum per Tridentinum: nam licèt lex Conciliaris, & Pontificia poſſit, & habeat vim corrigendi antiquiorem legem, etiam in Iure contentam, ſi illius derogationis faciat ſpecialem mentionem; tamen lex Tridentini cùm ſit generalis, & non exprimat legem Clementinæ ſpecialiorem, illam non derogauit iuxta communem vſum iuris, vt ſatis explicatum eſt.

Ad ſextum, negandum eſt, legem Tridentini nullius eſſe momenti pro Regularibus, niſi per illam maneat reuocata antiqua lex Clementinæ, nam hoc ſolùm procedit in caſu valdè raro, ac ſpecialiſſimo, quando videlicet ſine iuſta cauſa Epiſcopus iniuriam facit Religioni mendicanti alicui, nolens admittere ad examen vllum Religioſum talis Religionis, admittendo illimitatè cæteros Religioſos aliarum omnium Religionum: nam in tali caſu valdè expediens fuit, vt adhiberetur remedium Iuris, quale adhibuerunt præcedenti matura deliberatione Bonifacius VIII. & Clemens V. in illa Decretali.

Ad ſeptimum, negatur, illas duas leges eſſe in rigore contrarias, nam ſecundùm Ius, non dicuntur duæ leges contrariæ, ex eo ſolùm quòd vna ſit affirmatiua, & alia negatiua circa eandem materiam; ſed quia ſunt inter ſe omninò incompatibiles, vt verb. grat. ſi eſſent duæ leges generales, vna affirmans, Compatres poſſunt contrahere matrimonium; & alia negans, Compatres non poſſunt contrahere, iſtæ duæ leges generales eſſent omninò contrarię: tales verò non ſunt, vna vniuerſalis vel generalis negatiua, & altera ſpecialis affirmatiua, vt in exemplo allato ſatis conſtat: Decretum autem in illa Clementina, eſt lex quædam ſpecialis, concernens tantùm in caſu ſpecialiſſimo Fratres Prædicatores, & Minores; Decretum autem Tridentini eſt lex

Digitized by Google

lex negatiua generalis: Vnde benè compatitur, quòd nullus Regularis audiat Confeſſiones ſæcularium, niſi ſit ab Epiſcopo approbatus; & quòd regulares Ordinum Prædicatorum, & Minorum in caſu ſpecialiſſimo, qui vix, ſeu raro contingit, ab ea lege, ac regula generali ſint exempti per Ius quoque Pontificium; nam per eam regulam generalem nullo modo reuocatur: ex *regula Iuris in 6.* Generi per ſpeciem derogari.

Ad vltimum, reſpondeo, dictam Decretalem nullo modo generaliter eſſe intelligendam, ita vt, ferente Pontifice aliquam legem negatiuam, deroget omnes affirmatiuas in eadem materia: magna enim abſurda, vel incommoda inde ſequerentur; & vana eſſet Regula Iuris citata *Generi per ſpeciem derogatur.* Accipi ergo debet, & intelligi, quando duæ leges ſunt omninò contrariæ, & incompatibiles; tunc enim Papa ferens legem, cenſetur contrariam derogare, etiamſi ipſius nullam omninò faciat mentionem. Vnde Gloſſa, cùm dixit derogare priorem antiquam, addidit, poſteriori directè contrariam, etiamſi in noua lege non fiat mentio: Et ratio eſt, quia non eſt veriſimile, quòd velit Papa legem ſuam nouam eſſe fruſtratoriam, & eſſet fruſtratoria niſi reuocaret primam contrariam. Quare non loquitur Decretalis de legibus ſimul compatibilibus, vt ſunt vna vniuerſalis negatiua, & altera ſpecialis affirmatiua. Adde in dicta Decretali, poſtquam Bonifacius VIII. de Romano Pontifice dixit. Poſteriorem condendo conſtitutionem, reuocare priorem, quamuis de ipſa mentionem non faciat: ſtatim addidit: *Quia tamen locum ſpecialium, & perſonarum ſingularium conſuetudines, & ſtatuta (cùm ſint de facto, & in facto conſiſtant) poteſt probabiliter ignorare: ipſis, dum tamen ſint rationabilia, per conſtitutionem à ſe noniter editam, (niſi expreſſè caueatur in ipſa) non intelligitur in aliquo derogare.* Et ratio eſt, quia Papa non videtur reuocare id quod ignorat; at præſumitur ignorare illa ſtatuta particularia, quæ conſiſtunt in facto; ideò non videtur reuocare illa. Quod certè non parum firmat noſtram doctrinam; nam ſtatutum illud Clementis V. in fauorem Fratrum Prædicatorum, & Minorum, fuit ſtatutum facti in caſu illo ſingulari, vt *ſuprà* etiam dictum eſt.

21 Circa ſecundum Punctum, an prædicti regulares Ordinis Prædicatorum, & Minorum, & alij Regulares qui communicant, & gaudent priuilegiis ipſorum, habentes modo dicto iuriſdictionem ad miniſtrandum Sacramentum Pœnitentiæ; poſſint illud validè, & licitè miniſtrare cuilibet ſæculari exiſtenti extra mortis periculum, & articulum.

Mihi non videtur res hæc dubia, cùm exiſtimem vt certum habere illos non probabilem, ſed certam iuriſdictionem à Clemente V. in illo caſu, neque eſſe illam reuocatam per Concilium Tridentinum, vt manifeſtiſſimè eſt demonſtratum: quia tamen eſt apud alios in opinione poſitum, an fuerit illa conceſſio reuocata per Tridentinum, & pars affirmans à Viris grauiſſimis teneatur, poteſt habere locum præſens difficultas. Cæterùm non eſt illa peculiaris præſentis caſus, ſed communis, ac generalis, quæ ſolet tractari in materia de Pœnitentia: vtrùm quando eſt ſub opinione, an Confeſſarius habeat iuriſdictionem, quibuſdam affirmantibus, & quibuſdam negantibus, & vtriſque probabiliter, poſſit miniſtrari Sacramentum Pœnitentiæ? Et quamuis in eum locum poſſet reiici hæc quæſtio; nihilominùs occaſione præteriti puncti iam diſcuſſi, placuit etiam hoc ſecundum examinare.

22 Noſter Suarez *diſput. 26. de Pœnitentia, ſect. 6. n. 6. & ſequentibus*, tametſi dicat, ſecurius eſſe, quærere Confeſſarium habentem certam poteſtatem, & iuriſdictionem; docet tamen licitum eſſe, tam ex parte Confeſſarij, quàm ex parte pœnitentis miniſtrare, & recipere hoc Sacramentum cum iuriſdictione probabili. Quod vltimum tenent multi quos refert & ſequitur Diana *p. 2. tract. 13. de opinione probabili, reſolutione ſecunda*, Sanchez *de opere morali, lib. 1. cap. 9. num. 35.* Bonacina *diſput. 2 de peccatis, quæſt. 4. punct. 9. num 9.* Granado *1. 2. controu. 1. tract. 12. diſput. 4. ſect. 4.* Caſtro Palao *tom. 1. diſput. 2. punct. 5. num. 9.* Leſſius *libr. 2. de Iuſt. cap. 29. dub. 8. num. 68.* Denique Cardinalis Lugo *de Sacramento Pœnitentiæ, diſput. 19. ſect. 2. §. 1. num. 30.* Qui ad noſtrum hoc punctum in particulari reſpondens, ait, hanc ſententiam tutiſſimam eſſe, ſi ſermo ſit de ordinaria Confeſſione extra mortis articulum, quia proximus nulli, vel certè exiguo periculo exponitur, quia moraliter non eſt periculum, quòd non poſſit iterùm ante mortem confiteri alteri Sacerdoti, à quo ſaltem indirectè abſoluatur ab his peccatis, & iuſtificabitur: Et quamuis poſſit repente mori, hoc tamen non cenſetur morale periculum hic & nunc: Vnde ſicut pœnitens, quando ſcit ſe eſſe in peccato mortali, non tenetur ſub mortali ad Confeſſionem, vel Contritionem ſtatim ponendam, ratione illius periculi; ita multò minus cenſetur relinquere illum in morali periculo damnationis Confeſſarius, qui eum abſoluit cum opinione probabili.

Dico *primò*, certum mihi eſſe, prædictum Regularem Ordinis S. Dominici, & S. Franciſci, & quemuis alium gaudentem illorum priuilegiis, nullo modo peccare contra Religionem, ac reuerentiam Sacramenti, miniſtrando illud cum dicta opinione probabili. Ita Doctores relati; & conſtat ex dictis ſuprà *diſp. præcedenti, ſect. 14. Dicto primo.* Quia qui operatur ſecundùm opinionem probabilem, nec eſt, nec cenſetur temerarius, ac imprudens, nec irreuerentiam moralem irrogat Sacramento, tametſi à parte rei irritum eſſet, quia probabiliter exiſtimat non fieri irritum; & nemo obligatur, vt ſemper cum euidentia operetur: ergo ob nullam cauſam peccatum ſacrilegij committitur. Firmo, quia ſicut lex Religionis dictat non miniſtrandum Sacramentum, niſi à legitimo Miniſtro habente iuriſdictionem; ſic etiam lex Religionis dictat non eſſe accipiendam Euchariſtiam niſi in ſtatu Gratiæ; & nihilominùs qui probabiliter iudicat ſe eſſe in gratia, poteſt licitè accipere Euchariſtiam; iam enim iudicat ſe eſſe iuſtum: ergo ſimiliter qui probabiliter iudicat ſe eſſe Miniſtrum legitimum cum ſufficienti iuriſdictione, poterit miniſtrare Sacramentum Pœnitentiæ: iam enim iudicat quòd lex & reuerentia talis Sacramenti exigit ad illud miniſtrandum. 23

Dico *ſecundò*, neque etiam peccare contra Charitatem, ſi miniſtret pœnitenti, extra mortis periculum, vt benè notauit Cardinalis Lugo: Efficaciter probo, quia in tali caſu nullum eſt periculum nullitatis Sacramenti ex defectu iuriſdictionis: ergo pœnitens nulli exponitur periculo damnationis: Antecedẽs patet; Tum quia ſicut quando adeſt communis error, reſpectu Parochi, qui communiter reputatur, verè tamen non eſt, quia ſimoniacè obtinuit Beneficium; Eccleſia dat iuriſdictionem propter publicam vtilitatem: ita quando adeſt opinio probabilis Doctorum affirmantium, dari poteſtatem, propter communem etiam vtilitatem Fidelium, cui, quia iuxta illam probabilem ſententiam operatur, Eccleſia dat iuriſdictionem, etiamſi ſententia illa in re ipſa ſit falſa: Tum maximè, quia communiter pœnitens confitetur ſimul aliqua venialia peccata; at certum eſt, ex conceſſione Eccleſiæ, & traditione, & conſuetudine, cuilibet Sacerdoti non ſpecialiter prohibito licitum eſſe de venialibus abſoluere, vnde tunc à venialibus ſaltè directè abſoluet, & faciet Sacramentum validum, quo indirectè ſaltem remittantur alia grauiora, ſuper quæ non habet certam iuriſdictionem, ſed probabilem tantùm. 24

Eſt

Digitized by Google

Eſt verò notandum id non procedere, caſu quo probabilitas non eſſet de iuriſdictione, ſed de poteſtate Ordinis, an Sacerdos eſſet legitimè, & validè ordinatus. Ratio eſt, quia tunc non procederet eadem ratio, nam neque Eccleſia poteſt ſupplere, & dare iuriſdictionem, cuius ille non eſſet capax, ſi reuera non eſſet Sacerdos, neque etiam per Abſolutionem directam à venialibus, remitterentur cætera peccata mortalia; cùm neque à venialibus poſſet abſoluere, ſi reipſa non eſſet Sacerdos.

25 Circa tertium, & vltimum punctum, an liceat eiſdem prædictorum Ordinum Regularibus habentibus eo modo iuriſdictionem probabilem, ac poſitiuè dubiam, quia ſunt ex vtraque parte opiniones probabiles, validè, & licitè miniſtrare Sacramentum Pœnitentiæ indigenti, in mortis articulo, vel periculo conſtituto; cùm ſuperſunt alij Sacerdotes habentes iuriſdictionem certam ad audiendam illius Confeſſionem Sacramentalem?

Videtur enim non licere ex obligatione Charitatis, vel Miſericordiæ, quia hæc obligatio poſtulare videtur, vt ſi proximo poſſumus in tali articulo conſtituto certum remedium adhibere, & ſine vllo periculo, non adhibeamus remedium dubium & incertum, quod fortè à parte rei nullius erit momenti: At talis Regularis tunc miniſtrat Pœnitentiæ Sacramentum ei neceſſariò indigenti ad ſuam ſaluationem, cum iuriſdictione non certa, ſed probabili tantùm, quod fortè irritum erit, vel ſaltem carebit effectu gratiæ: ergo manifeſtè moribundum exponit reipſa huic periculo, vt fortè reuera careat remedio, & in æternum damnetur: ergo manifeſtè peccat grauiter contra Charitatem, vel Miſericordiam debitam proximo.

26 Cæterùm oppoſitum exiſtimo veriſſimum, quia certum iudico prædictos Regulares habere certam, ac indubitatam iuriſdictionem, ac certum remedium adhibere tali infirmo, vel moribundo, quantum eſt ex parte poteſtatis illum à peccatis abſoluendi: Id probo *primò*, quia fundamentum dictæ iuriſdictionis ſunt ſolidiſſimæ rationes adductæ in fauorem Clementinæ, *puncto primo*, quæ mihi videntur conuincere certitudinem in hac re. *Secundò*, quia, vt docet optimè Sanchez *libr. 1. operis moralis, cap. 9. num. 35.* in confeſſionibus ſemper quis fatetur aliqua venialia cum mortalibus; at quilibet Sacerdos certam habet iuriſdictionem in venialia, & ideò cùm pœnitens non ponat obicem, & ſit certa iuriſdictio in aliquam materiæ partem, erit certus Confeſſionis valor: quia doctrina certa eſt, in materia de Pœnitentia, Abſolutionem datam à non habente iuriſdictionem, vt ſic, formaliter eſſe nullam; ſi tamen circa aliquid Confeſſionis habeat iuriſdictionem, ea ratione poſſe eſſe validam: & quamuis habeat ille iuriſdictionem tantùm probabilem in mortalia, ea indirectè, & per accidens, virtute illius Abſolutionis remittentur; excuſabitúrque pœnitens ab eis iterùm confitendis, ratione iuſtæ ignorantiæ, eo quod iuxta probabilem opinionem, credatur vera illius Sacerdotis iuriſdictio. Idem fatetur Suarez *de pœnitentia, diſput. 31. ſect. 3. num. 10.* docens eſſe falſum, & improbabile, quòd Confeſſio facta ſimplici Sacerdoti de venialibus ab eo qui habet mortale, cuius non recordatur, non ſit valida, nec afferat gratiam ſanctificantem homini aliàs benè diſpoſito, cùm nihil ibi ſit, quod impediat veritatem talis Sacramenti, & conſequenter nec effectum eius. Prædictam autem doctrinam Doctores intelligunt proculdubio etiam, quando infirmus abſoluitur ab aliquo habente ſolùm iuriſdictionem probabilem circa mortalia: nec diſtinguunt de articulo mortis, & de Confeſſione ordinaria, ſed in vtroque caſu abſoluunt cum iuriſdictione probabili. *Tertiò*, vrget conſuetudo, & communis vſus omnium Confeſſariorum, qui amplectuntur ſententias probabiles circa abſolutionem à peccatis virtute Bullæ Cruciatæ, vel Iubilæi, vel alterius facultatis, & ita ſecurè abſoluunt, nullo modo imponentes, quòd ante mortem faciant ſe iterùm abſolui ab alio qui habeat certam poteſtatem. *Quartò*, ſaltem negari non poteſt tunc in eo caſu ſupplere Eccleſiam, & conferre iuriſdictionem. Probatur, quia in eo caſu interuenit error, vel ignorantia iuſta opinionis probabilis, propter quam debet Eccleſia dare iuriſdictionem: Tum maximè, quia interuenit quoque error, ſeu ignorantia iuſta, communis omnium Confeſſariorum, qui habent hunc vſum abſoluendi iuxta opinionem probabilem; cúmque ex hoc vſu communi omnium ſequatur manifeſtum periculum omnium pœnitentium, qui exiſtimantes ſe iam abſolutos, non curant ampliùs de alia abſolutione; fatendum neceſſariò eſt Eccleſiam propter hunc errorem communem ad impedienda illa damna, conferre iuriſdictionem: Si enim eſt principium in Iure receptum, vt qui communi exiſtimatione, & opinione, Magiſtratum gerit, licèt in reipſa munus illud vero titulo non obtineat, nihilominùs geſta eius valeant, propter commune bonum, iuxta *Legem, Barbarius ff. de Officio Pretoris*: atque inde colligunt Doctores excommunicatum occultum, & Parochum, qui communiter talis reputatur, licèt reuerà talis non ſit, validam Abſolutionem conferre: quia Eccleſia tunc dat iuriſdictionem, ne communis ignorantia populo noceat: quantò magis idem præſtabit Eccleſia, & ſupplebit defectum, ſi fortè aliquis in re erret, quando adeſt ignorantia iuſta, quæ oritur ex ſententia probabili Doctorum; cùm hæc etiam ſit communis, & publica, & communi populo nocere poſſit, ſi in reipſa Miniſtri carerent iuriſdictione. Vnde optimè Leonardus Leſſius, *de iuſtitia, & iure, libro 2. capite 29. dubio octauo, numero 68.* dixit, non ſolum errorem communem, ſed etiam probabilem Doctorum opinionem efficere, vt Eccleſia det iuriſdictionem, etiamſi fortè opinio illa ſit falſa, vt docet Henriquez *libro ſecundo, de pœnitentia, cap. 14. numero 3. & 4.* & optimè Sanchez *libro tertio, de matrimonio, diſputatione 20. numero 65.* vt ſi probabile ſit, talem poſſe abſoluere à reſeruatis, vel cenſuris, aſſiſtere matrimonio, excommunicare, eligere Confeſſorem, priuilegium non eſſe reuocatum, & ſimilia: & ille ex hac opinione operetur, validum erit, Eccleſiâ ſupplente defectum, ſi fortè ſubſit: cùm enim licitum ſit operari ex opinione probabili, ſi omnia illa eſſent irrita, grauiſſima incommoda ſequerentur, imò, vt ait Panormitanus *in cap. Nihil, 44. de electione*, quem refert, & ſequitur Roſella V. *Confeſſor III. in fine*, & Syluester *V. Confeſſor I. quæſt. 19.* Sancius *numero* 56. & ſæpe indicat Henricus, valent acta, etiamſi populus dubitet, an Superior ſit officio priuatus. Et ratio eſt, quia cùm antè fuerit habitus Superior, non debent propter dubium ſuperueniens eum reiicere, cùm in Officio perſeueret: in dubio enim nemo eſt ſuo iure ſpoliandus, quia melior eſt conditio poſſidentis: Hæc Leſſius. Tum denique, quia ad conuenientem, & prudentem Eccleſiæ gubernationem pertinet, vt non permittat Sacramentum Pœnitentiæ tam neceſſarium, frequenter eſſe incertum, & dubium, quantumcumque exiſtat ſub opinione probabili, ſicut non eſſet expediens Eccleſiæ, vt Sacramentum Baptiſmi, vel Euchariſtiæ, frequenter conficeretur modo aliquo incerto, quantumuis probabili. Cum igitur dictus vſus, & praxis

Digitized by Google

communis omnium Confeſſariorum ab Eccleſia non damnetur,ſed toleretur, & ipſa poſſit ſubuenire huic incommodo,& tollere illam incertitudinem, dando iuriſdictionem,quis iure neget hoc in caſu illam conferre? Quæ omnia ſi coniungantur,meo iudicio, efficiunt ſufficientem certitudinem, vt propterea licitum ſit vti opinione probabili in vſu huius Iuriſdictionis, tam in Confeſſione ordinaria extra mortis periculum, quàm etiam in ipſo mortis articulo, vel periculo.

Accedamus iam ad ſecundam partem eiuſdem Controuerſiæ,in fauorem cuiuſcumque Cõfeſſarij, ſiue Regularis,non gaudentis Mendicantiũ priuilegiis,ſiue etiã ſæcularis:iterum inculcando,an liceat miniſtrare Sacramentum Pœnitentiæ cum iuriſdictione probabili?

1 Non deſunt quamplurimi Doctores,Henriquez,Bartholomæus de Ledeſma,Petrus de Soto,Valentia,Salas, & alij,quos refert Caſtro Palao,*tom 1. tract. 1. diſp. 2. punct. 5. n. 9.* negantes,licere vti opinione & iuriſdictione probabili in adminiſtratione huius Sacramenti, relicta certâ,& ſecurâ.

Primò,quia ſiquis debeat centum aureos,nullo modo ſatisfacit creditori, ſoluens illa in moneta dubia, quia debito certo non poteſt fieri ſatis ſolutione dubia, & incerta:at conſtitutus Miniſter Sacramenti Pœnitentię debet illud integrè miniſtrare, cùm ad hunc finem ſit Confeſſarius conſtitutus;igitur non ſatisfacit; ſi ſub opinione etiam probabili miniſtret, cum ab alio poſſet prædictum Sacramentum miniſtrari cum iuriſdictione certa.

Secundò,vſus Eccleſiæ prohibens,ne formâ, & materiâ minùs tutâ vtatur Miniſter in Sacramento Baptiſmi,& Confirmationis,relictâ certâ, non ex alio fine prouenit,niſi ex reuerentia Sacramentis debita:ergo ex hac reuerentia prouenire etiam debet,vt nullus pœnitens in Sacramento Pœnitentiæ poſſit confiteri Confeſſario dubio,ſeu habenti ſolùm iuriſdictionem probabilem,relictâ certâ.

Tertiò in rebus ad ſalutem animæ pertinentibus, hoc ipſo grauiter quis peccat, quòd certis incerta præponit,vt dixit Auguſtinus *1. de Baptiſmo, contra Donatiſtas capite tertio*, ſed qui confitetur Confeſſario cum iuriſdictione probabili,relictâ alterius Confeſſarij iuriſdictione certâ,iam certo incertum pręponit: ergo peccat.

Quartò, pœnitens facit irreuerentiam Sacramento, cùm ſine vrgenti cauſa ſe exponit periculo illud irritum faciendi: at hoc periculum non adeſt, cùm vtitur opinione probabili circa aliquod præceptum, quia tunc non ſe exponit periculo illud violandi formaliter, etiamſi in re violet:vnde ſi in vſu Sacramenti Pœnitentiæ tutam & certam ſententiam de eius valore relinquit,& probabili tantùm vtitur, periculo ſe exponit irritum faciendi Sacramentum; quam irritationem ex probabili opinione nequit vitare, ſicut poteſt vitare malitiam.

2 Alij verò ex Recentioribus affirmant, Miniſtrum peccaturum mortaliter non ſolùm contra charitatem, ſed etiam contra Iuſtitiam,quotieſcumque habens iuriſdictionem ſub opinione probabili,Sacramentum miniſtrat,quin ſuſcipientem moneat de incertitudine Sacramenti,vt poſſit aliũ miniſtrũ habentẽ iuriſdictionẽ certã adire. Quod probat Ioannes Sanchez *in ſelectis, diſp. 44. à n. 13. §. Fateor ingenuè.* Quia videtur eſſe contra Charitatẽ ſuſcipientis,miniſtrare Sacramẽtũ dubiũ,cũ poſſit habere certũ: ſi enim fidelis ſciret,Cõfeſſariũ non habere certã omninò iuriſdictionẽ, ac proinde ſe periculo non ſuſcipiendi verum Sacramentum ſubeſſe,alium quæreret Confeſſarium,apud quem citra controuerſiã iuriſdictio certa eſſet:ergo adminiſtrare cũ huiuſmodi defectu,de quo pœnitẽs nõ monetur,erit cũ in re graui decipere:vnde ſi certior effectus de opinione probabili pœnitẽs Cõfeſſioni ſe vellet adhuc ſubiicere, nequaquã peccabit Cõfeſſarius cõtra Charitatẽ,cũ tũc pœnitẽs cedat iuri ſuo,& ſcienti,& volẽti nõ fit iniuria.

Dico *primò*,licere tã extra mortis periculũ,quã in articulo mortis,cũ iuriſdictione probabili, miniſtrare Sacramẽtũ Pœnitẽtię:ita tenent Diana,Sãchez,Bonacina, Granado,Caſtro Palao,Leſſius,Card. Lugo,& alij,quos retuli ſuprà *tract. 1. diſp. 9. ſect. 2. n. 21.* Idem defendit Suarez *in hoc 4. tom. de pœnitent. diſp. 26. ſect. 6. & ſequentibus*.qui tametſi dicat,ſecurius eſſe,quærere Cõfeſſariũ habentẽ certam poteſtatẽ,& iuriſdictionẽ; cõcludit tamẽ,licitũ eſſe,tã ex parte Cõfeſſarij,quã ex parte pœnitẽtis,miniſtrare,& recipere hoc Sacramentũ cũ iuriſdictione probabili, quia ſẽper eſt certum practicè, Sacramentũ validè fieri. Quod probat benè duplici via. Prima eſt, quia ſicut quãdo adeſt cõmunis error,Eccleſia dat iuriſdictionẽ propter publicã vtilitatẽ; eſt enim hoc principiũ Iure receptũ,vt qui cõmuni exiſtimatione & opinione Magiſtratũ gerit,licèt in re ipſa munus illud vero titulo nõ obtineat,nihilominùs geſta eius valeãt propter cõmune bonũ,iuxta *l. Barbarius, ff. de offic. Pretoris*:ex quo fit,vt excõmunicatus occultus,& is,qui Parochus cõmuniter reputatur,verè tamẽ nõ eſt,quia ſimoniacè obtinuit Beneficiũ,validã conferat Abſolutionẽ,quia Eccleſia tunc dat iuriſdictionẽ,ne cõmunis ignorantia populo noceat; ita ſimiliter, quando adeſt opinio probabilis Doctorum affirmatiũ dari poteſtatẽ, ſeu iuriſdictionẽ;tũc etiam propter communẽ vtilitatẽ fidelium,quia iuxta illam probabilẽ ſententiã operãtur, Eccleſia dat iuriſdictionem, etiãſi ſententia illa ſit reipſa falſa:Videtur enim manifeſtè eadem eſſe ratio,quia hæc etiam ignorantia, quæ oritur ex ſententia probabili Doctorum,eſt communis,& publica, & communi populo nocere poſſet,ſi in reipſa Miniſtri carerent iuriſdictione. Vnde quamuis non liceat argumentari ad priuatas ignorantias, vel errores, quia non pertinet ad bonam gubernationem, vt iis omnibus prouideatur;attamen prouidere communi, & publicæ neceſſitati, id eſt valdè conueniens ac neceſſarium. Cui addo vniuerſalem Eccleſiæ conſuetudinem eſſe ſufficiens ſignum iuriſdictionis: eſt autem vniuerſalis Eccleſiæ vſus, vt Sacerdotes ſecurè vtantur huiuſmodi iuriſdictione probabili in adminiſtratione Sacramenti Pœnitentiæ;neq; enim ad conuenientem,& prudentem Eccleſiæ gubernationem pertinet,vt permittat Sacramentum tã neceſſarium frequenter eſſe incertum:& dubiũ,quãtũcũque exiſtat ſub opinione probabili;& ex alio capite, cũ Eccleſia poſſit ſubuenire huic incõmodo,& tollere hãc incertitudinẽ,dãdo iuriſdictionẽ,meritò dicẽdũ eſt, hoc in caſu illã conferre. Alia via,quã idem probatur, optima eſt,nempe in omni Confeſſione,quæ fit ab huiuſmodi Miniſtris cum iuriſdictione probabili, ſemper interuenire materiam aliquam,circa quam habent certã & indubitatam iuriſdictionem,videlicet, aliqua venialia peccata;& hoc ſufficere vt Confeſſio valida ſit: nam ex parte pœnitentis concurrunt formaliter omnia neceſſaria, videlicet debita diſpoſitio,& Confeſſio formaliter integra;& ex parte Miniſtri habetur etiam poteſtas iuriſdictionis certa. Idẽ ſentit Sanch *lib. 2. in Decal. c. 13. n. 15.* vbi dicit,omninò validã, & certam eſſe Abſolutionem ſimplicis Sacerdotis à venialibus; in eo qui habet mortalia,quæ tunc indirectè remittentur. Et ipſe Suarez *in hoc tomo 4. diſp. 31. ſect. 3. n. 10.* dicit eſſe falſum,& improbabile,Confeſſionem factam ſimplici Sacerdoti de venialibus ab eo,qui habet mortale, cuius non recordatur,non eſſe validam, nec afferre gratiam ſanctificantem homini aliàs benè diſpoſito. Hæ igitur duæ viæ videntur ſatis certæ, & ſi coniungantur, efficiunt ſufficientem moralem certitudinem

vt

Digitized by Google

vt proptereà licitum ſit vti opinione probabili in vſu poteſtatis,ſeu iuriſdictionis Sacramenti Pœnitentiæ.

4 Dico *ſecundò*, abſolui poſſe cum iuriſdictione dicta probabili, ſiue in qualibet ordinaria, ac frequenti Confeſſione, ſiue etiam in extraordinaria articuli mortis. Id conſtat primùm ex Doctoribus citatis; prætereà praxis, & vſus communis Confeſſariorum hoc idem confirmat: neque enim diſtinguunt de articulo mortis, & de Confeſſione ordinaria, ſed in vtroque caſu abſoluunt cum iuriſdictione probabili. Denique rationes adductæ *præcedenti Dicto* id manifeſtè oſtendunt, præſertim prima, quæ probat prædictum Confeſſarium habere non ſolùm probabilem, ſed certam ac indubitatam iuriſdictionem ad miniſtrandum hoc Sacramentum, quandocumque illâ vtatur, ex tacita Eccleſiæ conceſſione, ſiue conſenſu; & ex ratihabitione de præſenti ſupplente iuriſdictionem, ſi fortè in re non daretur, ne tot actus irriti fiant in damnum commune fidelium.

5 Dico *tertiò*, neque in Confeſſario miniſtrante Sacramentum Pœnitentiæ ex opinione probabili eſſe vllam obligationem monendi pœnitentem de incertitudine Sacramenti. Ita notauit benè Caſtro Palao *ſuprà* citatus: Neque vllus Doctor, qui noſtram ſententiam defendit,exigit à tali Confeſſario, vt pœnitentes faciat certiores de incertitudine opinionis, & periculo irritandi Sacramentum. Et ratio à priori eſt, quia quando adeſt probabilis opinio abſoluendi, nullo morali periculo ſe exponit Miniſter irritum efficiendi Sacramentum, quia licèt ex priuilegio iuriſdictionem non habeat certam, & infallibilem, habet tamen illam certam, & indubitatam ex tacito conſenſu Eccleſiæ, & ratihabitione de præſenti ſupplente iuriſdictionem, vt dictum eſt.

6 Ad argumenta primæ ſententiæ. Ad primum, conceſſo Antecedente, negatur Conſequentia, nam eſt diſpar ratio, quia ille debitor non ſatisfacit debito integrè, & ſecundùm æqualitatem vt tenetur, vt eſt manifeſtum: At Miniſter Sacramenti Pœnitentiæ vtens opinione probabili, nullo periculo morali ſe exponit irritationis Sacramenti,ſed indubitanter abſoluit quantum eſt ex parte ipſius, vt dictum eſt.

Ad ſecundum, verum eſt, Eccleſiam in aliquibus caſibus prohibere vti materia, & forma probabili, relictâ certâ, ob ſpecialem reuerentiam Sacramenti, & ob fines alios tum Religionis,tum neceſſitatis fidelium: Id verò non prohibuiſſe Eccleſiam in Sacramento Pœnitentiæ,vetantem vſum iuriſdictionis probabilis Confeſſariis, imò potiùs conſentire, & habere ratihabitionem de præſenti;atque ita cum reuerentia Sacramenti, & ipſius validitate licitè ſic miniſtrari, & ipſum Sacramentum ſuſcipi.

Ad tertium, admitto Dictum illud Diui Auguſtini, neque illud eſſe contra noſtram ſententiam, & doctrinam: nam qui confitetur Confeſſario cum iuriſdictione probabili ex priuilegio,relicta alterius Confeſſarij iuriſdictione certa ex priuilegio, non præponit certo incertum, ſed aſſumit id quod etiam eſt moraliter certum, ac indubitatum, vt *ſuprà* eſt oſtenſum.

Ad vltimum, negatur Antecedens, nam Confeſſarius miniſtrans ex opinione probabili de valore Sacramenti, non ſe exponit morali periculo irritandi illud, ſed inculpabiliter procedit, quandoquidem ex opinione probabili operatur, non ſolùm aliud Eccleſiâ non præcipiente, ſed etiam ipſa tacitè conſentiente.

Ad ſecundam ſententiam conſtat ex *Dicto tertio*, quid ſit dicendum, & ex ratione ibi dicta.

DISPVTATIO XLIII.

De Miniſtro huius Sacramenti in articulo mortis.

DE hac re Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 14. *cap.* 7. hæc verba proponit. *Verumtamen piè admodum, ne aliquis pereat, in eadem Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit, vt nulla ſit reſeruatio in articulo mortis; atque ideò, omnes Sacerdotes quoſlibet pœnitentes à quibuſuis peccatis, & cenſuris abſoluere poſſunt.* Quod Tridentini Decretum in hac Diſputatione eſt explicandum;& videndum quo pacto hæc tam ampla facultas, & iuriſdictio abſoluendi pro illo articulo ſit intelligenda.

SECTIO PRIMA.

Vtrùm facultas abſoluendi in articulo mortis conceſſa ſit ab Eccleſia omnibus Sacerdotibus, Hæreticis etiam, Schiſmaticis, & excommunicatis.

DVo ſunt explicanda circa præſentem quæſtionem. *Primum eſt*, an prædicta facultas fuerit conceſſa etiam Sacerdotibus hæreticis, & excommunicatis. *Secundum*, an licitè poſſit in articulo mortis recipi abſolutio ab hæretico, & ab excommunicato vitando. 1

Circa primum,Dominicus Soto *in* 4. *diſt.* 18. *q.* 4. *art.*4.negat id de Hæreticis; quia carent Fide, quæ eſt fundamentum neceſſarium iuriſdictionis, quæ neceſſaria eſt ad legitimam abſolutionem. Medina verò *C. de Confeſſion.q.* 32.*Cui debeat fieri Confeſſio*, docet idem de quolibet Sacerdote excommunicato,non tolerato,ideſt excommunicato denunciato,aut notoriè excommunicato ob percuſſionem Clerici.Probat,quia excommunicatio iſta ipſo facto tollit iuriſdictionem, quæ etiam in articulo mortis neceſſaria eſt,cùm ſit ibi vera ſententia, & iudicium. 2

Communiſſima tamen & veriſſima Doctorum ſententia meritò docet,quemcumque Sacerdotem, quamuis hæreticum, & Schiſmaticum, & excommunicatum non toleratum,habere iuriſdictionem abſoluendi in pœnitentes exiſtentes in articulo mortis. Moueor ad id aſſerendum: *Primò*,ex verbis relatis Concilij Tridentini, in quibus nullum excipit Sacerdotem, vel excommunicatum,vel degradatum,vel Schiſmaticum,vel etiam hæreticum: vbi non ſolùm nullam adhibet limitationem, verùm etiam & rationem,quâ vtitur, proponit vniuerſalem, *ne aliquis homo pereat defectu Sacramenti*; ea enim probat, recurrendum eſſe tunc ad quemlibet Sacerdotem, ſi alioqui in diſcrimen adduceretur alicuius hominis ſalus æterna: Prætereà in prædictis verbis ſunt valdè notandæ cum Suario *diſp.*26. *ſect.*4. *num.*5. tres illæ diſtributiones:*quilibet pœnitentes*;*à quibuſuis peccatis*; *omnes*, *ſeu quilibet Sacerdotes*. Nam omnes illæ tres ſunt æquè vniuerſales: ergo ſicut prima comprehendit omnes pœnitentes etiam excommunicatos, hæreticos, &c. & ſimiliter ſecunda comprehendit omnia peccata affecta quacumque cenſurâ, ſine vlla exceptione;ita & tertia pariter comprehendere debet omnes Sacerdotes quacũq; cenſura,vel culpa ligatos:Non enim apparet vlla ratio,ob quã in peccatis & in pœnitentibus 3

Digitized by Google

illa vniuerſalitas nullam patiatur exceptionem,& ſit apponenda in Confeſſario. *Secundò*, hoc idem conſtat etiam ex Iure antiquiori Tridentino, nam in pluribus Canonibus 26. *quaſt.6.* omninò generaliter abſque exceptione aliqua dicitur, omnes Sacerdotes poſſe abſoluere pœnitentes in articulo mortis conſtitutos:ergo negandum non eſt,in omnibus Sacerdotibus etiam hæreticis,eſſe completam iuriſdictionem in dictos pœnitentes conſtitutos in articulo mortis, ex Eccleſiæ benignitate erga hos, ne abſque Confeſſione decedant. *Tertiò* probatur ratione efficaci, nam inprimis certum eſt, Eccleſiam potuiſſe omnibus Sacerdotibus etiam hæreticis, pro eo articulo iuriſdictionem conferre. Patet, quia ad hanc nec requiritur ſtatus gratiæ, nec Fides,ſed character Sacerdotalis,& voluntas Eccleſiæ:nam Fides non eſt fundamentum iuriſdictionis, ſed character; ſicut enim infidelitate, ſeu hæreſi non deletur character Sacerdotalis, ſic non deletur quoad vtramque poteſtatem ex parte effectiui principij, ſcilicet quoad conſecrandum,& abſoluendum,ſed ita conſtituti manent à Chriſto Iudices ad abſoluendum per illa verba: *Accipite Spiritum Sanctum, &c.* ſicut per illa, *Accipe poteſtatem Miſſas celebrandi*, manent conſtituti Sacerdotes ad celebrandum; ergo ipſi hæretici in ſe incapaces non fiunt ipſa infidelitate, aut hæreſi, ſed idonei manent, vt eis quoque ſubdi poſſit,authoritate Eccleſiæ,materia iuriſdictionis,in quam poſſint operari.Firmo idem,nam negari non poteſt, eſſe in Hæreticis fundamentum neceſſarium iuriſdictionis, quia iuriſdictio ex parte actiui principij cùm ſit Clauis, quæ in Ordinatione data eſt, quæ eſt altera quaſi pars characteris Sacerdotalis, dici non poteſt deeſſe fundamentum huius, deficiente Fide; alias character Sacerdotalis ex parte deleri poſſet; & Sacerdos conuerſus ad Fidem, iterùm eſſet ordinandus quoad eam poteſtatem vt abſoluere poſſet. Cùm igitur integer maneat in hæretico character Sacerdotis ſine Fide,integra manet capacitas iuriſdictionis,ſine ipſa Fide;atque adeò Fides non eſt fundamentum iuriſdictionis, cùm non ſit fundamentum characteris, & ita neque Clauis in Ordinatione collatæ. Quòd verò non deſit voluntas Eccleſiæ, dandi iuriſdictionem Hæreticis ad abſoluendum in articulo mortis, manifeſtum eſt ex his quæ dicta ſunt, cùm abſolutè Eccleſia, vbi huius rei ſit mentio, omnibus committat hanc facultatem, quia nullum excipit Sacerdotem, & verè committit iis, qui aliàs facultatem ad hoc non habebant. Conſtat ergo, hæreticos eam poſſe habere, & de facto ab Eccleſia accepiſſe.

4 Ex his liquet Solutio ad argumentum Soto; falſum enim eſt, Fidem eſſe fundamentum iuriſdictionis, cùm iam conſtat,neque eſt fundamentum characteris,neque Clauis in Ordinatione collatæ.

Ad argumentum Medinæ facilis eſt ſolutio,nam excommunicatio tametſi reuera tollat iuriſdictionem, vt irritam faciat Abſolutionem;hoc tamen eſt Iure poſitiuo,vt dicemus *infrà*,vnde eodem Iure excommunicatis non denuntiatis non tollitur iuriſdictio,manente etiam excommunicatione. Conſtat verò ex dictis omnibus, conceſſam eſſe Sacerdotibus ab Eccleſia facultatem;atque adeò etiam excommunicatis conceſſa eſt.

Obiicies,D.Th.*in 4.diſt.19. quaſt.1.a.2.q.2. ad 3.* dixiſſe,non poſſe validè recipi hocSacramentum ab excommunicato non tolerato, in articulo mortis. *Reſpondeo*,S.Th.ſcripſiſſe ante Trid.Et infrà *q.8 Additionum, a.6.* ſine limitatione vlla dixiſſe, quemlibet Sacerdotem abſoluere poſſe in articulo mortis.

5 Circa ſecundum obiici ſolet exemplum Hermenegildi filij Regis Hiſpaniæ,qui à S.Gregorio laudatur,quòd maluerit mori, quàm Euchariſtiam accipere de manu Epiſcopi Arriani.

Dico *primò*, etiamſi concederetur peccatum eſſe,petere à prædictis hæreticis Sacramentum Pœnitentiæ, 6
atque ideò ratione obicis, eſſe nullam Abſolutionem; adhuc non ſequi,eos nõ habere actu iuriſdictionẽ in articulo mortis; Ita rectè notauit Vaſq.*q.93.a.1.dub.4.n.12.* Et patet,quia ſaltè cùm à pœnitentibus in eo articulo ignoranter reciperetur Sacramentum, cùm ipſi tunc non peccarent, eſſet valida proculdubio Abſolutio. Quod etiam notauit Paludanus *in 4.d.25.art.3. circa finem,n.15.*

Dico *ſecundò*,licitum eſſe ſuſcipere,ac petere ab hæ- 7
retico in articulo mortis Sacramentum Pœnitentiæ,non tantùm ſi ille ſit paratus miniſtrare, ſed etiam non parato perſuadere,vt audiat Confeſſionem.Ita benè Vaſquez citatus *num.14.*cum communi doctrina.Ratio eſt quia hæreticus in eo articulo cùm accipiat ab Eccleſia facultatem adminiſtrandi Sacramentum Pœnitentiæ, reuerà nõ peccat adminiſtrando,niſi adminiſtret in peccato,ad quod non inducit pœnitens qui petit ab illo Sacramentum in caſu tã extremæ neceſſitatis: ſolùm enim petit Abſolutionem, quam ille benè poteſt miniſtrare, ſi pœniteat eum peccati. Cùm igitur quod ab hæretico petitur, poſſit ille benè,& malè facere; petitione ipſa non cogitur nec inducitur ad peccandum;maximè,quia infirmo in eo ſtatu mortis incumbit ex præcepto tunc confiteri etiam cum hæretico, quando alius Confeſſarius non eſt,& tunc petit quod Sacerdos ille poteſt licitè facere,ſi velit,nempe ſi de peccato conteratur.Quod etiam eſt verum, quamuis Sacerdos ille hæreticus non ſit paratus ad illicitè abſoluendum, quia doctrina illa quæ docet, quòd nequeat quis inducere aliquem ad id in quo peccaturus eſt,quando qui inducitur non eſt paratus ad id, tantùm eſt vera, quando inducenti non eſt in præcepto id ad quod inducit:At Confeſsio,& receptio Abſolutionis in articulo mortis eſt pœnitenti in præcepto; imò & ipſi Miniſtro, ſi non ſit alius,eſt quoque in præcepto auditio pœnitentis & Abſolutio.

Hinc dico *tertiò*, non ſolùm poſſe infirmum in illo 8
articulo, ſed etiam teneri tunc confiteri tali miniſtro hæretico.Patet,tum quia obligatur ex diuino præcepto, quod poteſt commodè implere: ergo tenetur. Tum etiam quia tenetur ſaluti ſuæ prouidere, licèt alius ſua praua voluntate peccaturus ſit: Hanc concluſionem admittunt Doctores cum addito,*per ſe loquendo*;quia ſi infirmus timeat publicum ſcandalum, ſe nimirum ea actione hæreſim approbare tunc ea Confeſſio excuſari deberet, & ad illud ſcandalum vitandum obligaretur. Cæterùm non video, poſſe moraliter contingere, quòd infirmus non poſſet illud periculum ſcandali tollere, ſi apertè proteſtaretur, ſe hæreſi illius Sacerdotis non conſentire, & ſolùm petere in ea neceſſitate Abſolutionem in remedium animæ ſuæ,quâ proteſtatione factâ, rariſſimè obligaretur pœnitens propter ſcandalum aliquorum, exponere ſe periculo damnationis æternæ, ſi fortè vera Contritione careret, cùm poſſet cum Attritione per Sacramentum iuſtificari. Nihilominùs ſi infirmus prudenter timeret contagium à Sacerdote hæretico,teneretur potius tunc conari ſe iuſtificare per Contritionem, quàm illi contagij periculo ſe immiſcere.

Obſeruandum eſt tamen,prædictos Sacerdotes hæreticos,vt licitè poſſint abſoluere in articulo mortis,teneri 9
conteri de ſuis peccatis,vt dictum eſt,niſi quando periculum ægroti ita vrgeret,vt ob ipſum ſtatim audiendum nequirent conteri,quia tunc licitè poſſent, quamuis eſſent in peccato mortali. Quare ſicut dixi in materia de Baptiſmo, hæreticum poſſe baptizare in caſu neceſſitatis, peccaturum tamen, ſi dum poſſet conteri de ſuo peccato, hoc Sacramentum miniſtraret in peccato, nihilominùs vrgente nimis neceſſitate,

Digitized by Google

neceſſitate,ne periret aliquis ſine Baptiſmo,etiam adultus;ſatis eſſet,ſi ſubitò, vt poſſet conaretur ad Contritionem; quia vrgens neceſſitas ipſum excuſaret, & ſic non diceretur indignè tractare Sacramentum,quia pro tempore maior diſpoſitio haberi non poteſt, cum tempus aliud non concederetur. Ita etiam in Sacramento Pœnitentiæ dicendum eſt; non enim video eſſe differentiam, cùm vtrumque Sacramentum Baptiſmi, & Pœnitentiæ ſit ordinatum ad conferendam primam gratiam,quâ homines maximè indigent,nec deſtituendi ſunt tanto remedio.

10 Ad exemplum illud Hermenegildi dico, voluiſſe potiùs mori quàm ab Ariano Epiſcopo Euchariſtiam accipere,vt habetur *in cap.vltimo,* 24 *quæſt.* 1.ex D.Gregorio 3. *dialogorum cap.* 31. quia illud Sacramentum non erat ita neceſſarium, ſicut eſt Pœnitentia;& maximè quia illa Euchariſtiæ ſuſceptio fuiſſet tunc quædam Arianiſmi profeſſio, & apud alios hæreſis illius proteſtatio;atque ideò meritò a S.Gregorio fuit laudatus.

SECTIO II.

An facultas abſoluendi in articulo mortis, ſit de Iure diuino, an de Iure humano ſolùm?

1 DVrandus, Canus, Paludanus, Capreolus,Ricardus & alij,quos refert Suarez *diſp.* 26. *ſect.* 4. *num.*6. affirmant eſſe de Iure diuino,ex Chriſti inſtitutione.

Primò, quia niſi ipſe Chriſtus prouidiſſet de Miniſtro extremè periclitantibus,non videretur ſatis prouidè remedia contuliſſe; quia defeciſſet in neceſſariis, nec ſatis prouidiſſet, remittendo id ipſi Eccleſiæ, quæ poſſet negare facultatem hanc pro libito, & manerent abſque remedio homines in ea extrema neceſſitate.

Secundò, quia non conſtat de hoc Eccleſiaſtico præcepto vbi inceperit:ergo potiùs credédum eſt, ita fuiſſe ſemper obſeruatum ex diuina inſtitutione, ab exordio Eccleſiæ.

Tertiò,poteſtas baptizandi in caſu neceſſitatis omnibus à Chriſto Domino conceſſa eſt: ergo etiam & abſoluendi.

2 Veriorem iudico oppoſitam ſententiam, eſſe ex Iure Eccleſiaſtico,quam tenent vterque Sotus, Ioannes Medina,Ledeſma,Turrecremata, Maior,& alij quos refert & ſequitur Vaſquez vbi ſuprà *dub.* 3. eam etiam communiter ſequuntur recentes Theologi, Suarez citatus *num.*7. Cardinalis de Lugo *diſputat.* 18. *ſect.* 2. *num.* 16. Gaſpar Hurtado *diſputat.* 10. *difficultate* 7. & alij. Iuxta quam;

3 Dico *primò*, Sacerdotes iuriſdictionem accipere ab Eccleſia, & non immediatè à Chriſto. Id probat Suarez, quia etiam in eo articulo valet reſeruatio quoad hoc,vt præſente proprio Superiore, non poſſit abſoluere inferior:ergo iuriſdictio datur, & aufertur ab Eccleſia etiam pro illo caſu:ſed non vincit conſequentia,quia Antecedens illud non eſt certum,nam vt videbimus *infrà*,à multis negatur probabiliter. Mihi ſequentes rationes efficaciores videntur. *Prima* eſt deſumpta ex illis verbis Tridentini adductis: *Piè admodum in Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit,ne aliquis pereat,&c.* Quibus verbis Concilium tanquam conſuetudinem Eccleſiaſticam ex ipſius Eccleſiæ ordinatione introductam, commemorat, non verò tanquam diuinam inſtitutionem,nam ſi id fuiſſet à Chriſto cóſtitutum,non diceret Tridentinum id fuiſſe piè in Eccleſia cuſtoditum, quia his verbis id reducit in pietatem Eccleſiæ,& ſignificat, eam traditionem ortam eſſe ab ipſa Eccleſia. *Secunda* colligitur ex verbis,quibus Pontifices vti ſolent,quando reſeruant ſibi Abſolutionem aliquorum peccatorum, præterquam in mortis articulo, nam ea exceptio ſuperflua eſſet, ſi ab ipſis non dependeret iuriſdictio pro illo mortis articulo. *Tertia*,nullum eſt principium,neque indicium,vnde oppoſitum iure colligi queat, nam in Ordinatione nulla datur iuriſdictio, vt oſtendi ſuprà *diſp.* 25. *ſect.* 5. nec etiam conſuetudo ſufficiens eſt indicium, quia ad ſummum indicat Apoſtolicam traditionem, quæ non ſemper eſt de re inſtituta à Chriſto. Denique idem colligitur ex illis verbis Tridentini *ſeſſ.* 14. c. 7. ſic dicentis: *Perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei fuit,& veriſſimum eſſe Synodus hæc confirmat, nullius momenti Abſolutionem eam eſſe debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut ſubdelegatam non habet iuriſdictionem.* Quibus verbis ſupponit, pœnitentem eſſe ſubditum Confeſſarij: cúmque ea verba ſint vniuerſalia, nullũ prorſus caſum excipiunt, atque ideò Sacerdotem pro omni articulo etiam mortis,debere habere iuriſdictionem,vel ordinariam,vel delegatam: At omnis iuriſdictio eſt ab Eccleſia,& nulla datur in Ordinatione, nec Iure diuino, vt latè oſtendi *relata diſputatione* 40 *ſect.* 5. ergo.

Dico *ſecundò*, omnes Sacerdotes in articulo mortis, 4
habere iuriſdictionem delegatam reſpectu omnium fidelium. Ita benè notarunt Suarez,& Cardinalis Lugo. Ratio eſt: Tum quia omnis iuriſdictio in foro Pœnitentiæ,vel ordinaria eſt,vel delegata: at prædicta iuriſdictio non eſt ordinaria, nam iuriſdictio ordinaria dicitur communiter illa, quæ competit ratione proprij muneris, & ſuperioritatis, quâ aliquis eſt Paſtor aliorum: nemo autem dicet, quòd ex officio omnes Sacerdotes ſint ad inuicem paſtores,& oues aliorum;non ergo habent iuriſdictionem ordinariam, ſed delegatam. Tum etiam quia eſt iuriſdictio ex conceſſione Eccleſiæ tantùm pro ea illa occaſione, vt dictum eſt: ergo eſt delegata.

Dico *tertiò*, hanc delegationem cæpiſſe à D. Petro, 5
& eſſe ex ſe perpetuam. Primum colligitur,quia ab initio Eccleſiæ fuit ea poteſtas delegata omnibus,& ſingulis Sacerdotibus pro eo articulo: ergo veriſimile eſt, cæpiſſe à D. Petro, & per tacitam conceſſionem Pontificum priùs continuatam fuiſſe, & poſteà per expreſſam in ipſo Iure,vt *in cap. De cætero,* Et in *cap. ea noſcitur, de ſententia excommunicationis,* & *in cap. Paſtoralis, de officio iudicis ordin.* & *aliis in locis.* Secundum liquet,quia prędicta iuriſdictio pro illo articulo nunquam ſublata eſt; & cum ſit à ſummis Pontificibus conceſſa, à nullo inferiori tolli, aut limitari poteſt: neque ab ipſo ſummo Pontifice reuocabitur,quia eſſet intolerabilis error, quem nunquam in ſua Eccleſia Spiritus Sanctus permittet.

Ex his facilè ſoluuntur Argumenta contrariæ ſen- 6
tentiæ. Ad primum,negandum eſt,non eſſe ſatis prouiſum ſic indigétibus in articulo mortis:nam ſicut in aliis Spiritus Sanctus aſſiſtit, & gubernat Vicarium Chriſti, ne erret pernicioſè in Eccleſię gubernatione; ſic aſſiſtet in hac alia re. Vnde ita ab Eccleſia prouiſum, ac ſufficienter ſtabilitum eſt,ac ſi Chriſtus id factum reliquiſſet, nam Chriſtus Dominus, qui inſtituit hoc Sacramentum, prouidit etiam, ne Eccleſia ſua in hoc deficiat. Præſertim cùm ex præcepto diuino, & etiam naturali Charitatis teneatur in hoc ſufficienter prouidere neceſſitati fidelium.

Ad ſecundum dico, quamuis certò non conſtet determinatum initium huius præcepti, vel conſuetudinis; credimus tamen ſemper omni tempore Apoſtolorum obſeruatum fuiſſe; ſed ideò non debemus inferre, eſſe iuris diuini, quia non omnia quæ à

Digitized by Google

tempore naſcentis Eccleſiæ obſeruata ſunt in Eccleſia, de Iure diuino ſunt, vt conſtat.

Ad tertium, conceſſo Antecedente, negatur Conſequentia propter differentiam vtriuſque Sacramenti; quia Baptiſmus non requirit ad ſui valorem, iuriſdictionem in conferente, prout requirit Pœnitentia, eo quòd ſit iudicium; iuriſdictio autem tota procedit ab Eccleſia, ordine ſuo à ſuperioribus ad inferiores.

SECTIO III.

An facultas abſoluendi, conceſſa in articulo mortis, concedatur quoque in periculo mortis.

1 ARticulus mortis dicitur tempus illud, in quo proximè inſtat mors, certò moraliter euentura, itavt ſit ferè ineuitabilis: periculum verò mortis tunc interuenit, quando eſt probabile, ſeu prudens dubium mortis hîc & nunc imminens, quale eſt in actuali bello, in longa nauigatione, in primo partu mulieris, & in graui infirmitate. Vnde tempus, in quo proximè inſtat dictum periculum, poteſt dici moralis articulus mortis.

2 Sotus *in* 4. *d.* 18. *q.* 4. *a.* 4. Canus *de Pœnitentia, p.* 5. Couarruuias *in cap. Alma mater, p.* 1. §. 11. *n.* 8. Valent. *diſp.* 7. *q.* 8. *punct.* 1. & alij, prædictam facultatem dicunt ſolùm eſſe conceſſam in ſolo vero mortis articulo. Probant id, quia Tridentinum *ſeſſ.* 14. *cap.* 7. vbi fit mentio dictæ conceſſionis, tantùm loquitur de pœnitentibus exiſtentibus in articulo mortis. Firmant quia aliàs extenderetur quoque prædicta conceſſio ad damnatos ad triremes, in quibus ſubeſt quoque probabile mortis periculum: Imò etiam & ad quaſcumque mulieres prægnantes, nam hę quoque in morali mortis periculo conſtitutæ ſunt.

3 Verius tamen iudico quoad hunc effectum, ſumi pro eodem, articulum, & periculum mortis, vt tenent Nauarrus, Medina, Paludanus, Adrianus, Syluester, & alij quos refert & ſequitur Suarez *diſp.* 26. *ſect.* 4. *numer.* 3. Et idem ſentiunt Cardinalis Lugo *diſput.* 18. *num.* 21. Gaſpar Hurtado *diſput.* 10. *difficultate* 9. Coninckius *diſput.* 8. *num.* 16 Vaſquez *q.* 93. *art.* 1. *dub.* 5. Thomas Sanchez *lib.* 2. *Decalog. cap.* 13. *num.* 1. & alij.

4 Iuxta hanc ſententiam. Dico *primò*, ſicut in articulo mortis, poteſt quilibet Sacerdos abſoluere ab omnibus peccatis, & cenſuris, ita & in periculo mortis. Probatur efficaciter *primò*, ex ipſo iure Canonico, in quo pro eodem vſurpatur articulus, & periculum mortis, quoad conceſſionem facultatis abſoluendi à reſeruatis, vt conſtat *ex cap. ſi quis ſuadente*, 17. *quæſt.* 4. vbi poſita reſeruatione, excipitur periculum mortis: cuius exceptionis fit mentio *in cap. Non dubium, de ſententia excommunicationis*; & ibi appellatur Articulus mortis. Vnde quamuis iſtæ voces *Articulus, & Periculum mortis*, ſint in rigore ſignificationis diuerſæ; ex vſu tamen Eccleſiaſtico in præſenti materia pro eodem vſurpantur, vt liquet *ex cap. eos qui, de ſententia excommunicationis lib.* 6. Vbi in eodem contextu, ille qui vocatus fuerat articulus mortis ſtatim vocatur periculum mortis. Igitur in Tridentino nomine Articuli mortis, etiam comprehenditur periculum mortis, quia moraliter eſt etiam articulus mortis. *Secundò*, prædicta conceſſio fit, vt, quantum fieri poſſit, pœnitentes non moriantur abſque Confeſſione, ne fortè ex defectu illius damnentur: ergo etiam fit pro exiſtentibus in periculo mortis, aliàs relinquerentur expoſiti periculo moriendi ſine Confeſſione: eſſe autem in periculo moriendi ſine Confeſſione, æquiualet euentui, & ita cauendum eſt, ſicut ipſe euentus, nam morale periculum perinde exiſtimari debet, & in malis ita caueri ſicut euentus ipſe; ideò enim dicitur *Eccleſiaſtici cap* 3. 27. *Qui amat periculum, in illo peribit*: Igitur neceſſitas periculi mortis exiſtimatur moraliter tanquam extrema. *Tertiò*, idem motiuum, quod habet Eccleſia ad dandam prædictam facultatem, ne videlicet pœnitens abſque remedio in æternum pereat defectu Confeſsionis, idem, inquam, motiuum obligat ipſum hominem ad confitendum ante mortem; ſed obligatio confitendi Iure diuino non eſt pro ſolo articulo mortis ſtrictè ſumpto, ſed etiam pro periculo, quia illud motiuum, ne videlicet homo pereat defectu Confeſsionis ad vtrumque obligat; ergo & facultas ab Eccleſia conceſſa intelligenda eſt in vtroque caſu.

Hinc dico *ſecundò*, prædictum mortis periculum tūc 5
contingere, quando eſt probabile dubium de morte, & frequenter in eo caſu euenire ſolet: vt cùm fœmina partui appropinquat, & experta eſt imminens ex partubus periculum vitæ, vel eius eſt complexionis, vt id periculum veriſimiliter timeatur; vel eo anno ſolent communiter parientes periclitari. Item tempeſtas grauis exorta; nauigatio quoque periculoſa ex cauſa vrgenti; cōflictus imminens in bello; aggreſſio itineris prædonibus interficere ſolētibus expoſiti; cùm quis quoque in morbum periculoſum incidit, qui maiori ex parte mortem inferre ſolet; & ſimilia. Ratio eſt, quia vt probatum eſt, quoties homo propter periculum mortis, tenetur confiteri; toties Eccleſia intelligitur concedere prædictam facultatem: ſed in his caſibus relatis, & periculis, tenetur homo Iure diuino confiteri, propter periculum mortis, vt omnes fatentur: ergo in illis intelligitur conceſſa prædicta facultas, nam in prædictis caſibus æquiparatur moraliter articulus, & periculum mortis.

Dico *tertiò*, idem dicendum eſſe, ſi probabile incidē- 5
di in amentiam periculum ſit, ſiue dementia ſit perpetua, ſiue diuturna: Sic benè notauit Medin. *C. de Pœnit: tract. de Confeſſione, quæſtione de tempore quo confiteri oportet, caſu* 1. & annuit Sanchez citatus *n.* 2. Ratio eſt, quia cùm quis factus amens confiteri nequeat, periculum amentiæ, eſt quaſi periculum mortis. Vnde in eo periculo obligat diuinum Confeſſionis præceptum. Idem dico de captiuis, qui detinentur apud infideles abſque vlla, vel certè cum exigua ſpe libertatis: poſſunt enim audiri, & abſolui à quolibet Sacerdote, ſi poſteà credatur, nullum Sacerdotem habituros, quia hi perinde cenſentur, atque illi qui ſunt in periculo mortis. Idem reputat Henriquez *lib.* 6. *de Pœnitentia cap.* 8. §. 1. cùm quis ad mortem damnatus eſt, & alium legitimum Confeſſarium non habet.

Dico *vltimò*, æquiparari articulum, & periculum 6
mortis, cùm mortis periculum propè eſt, & velut in fieri, ſeu eſt proximum. Patet, quia cùm intelligitur diutiùs mortem differendam eſſe, cùm in eo tempore poſsit occurrere opportunitas habentis facultatem legitimè abſoluendi, tunc ceſſat neceſsitas, quæ prædictæ conceſsionis cauſa fuit. Ita Couarruuias 4. *decret.* 1. *p.* §. 11. *numer.* 8. *in fine* Corduba *in Summa, quæſt.* 18. *puncto* 1. *Dicto* 4. Zambranus *de caſibus articuli mortis, prælud.* 1. *num.* 8.

Hinc colligo *primò*, contra Emanuelem Sà *in Summ.* 7
verb. Abſolut. num. 4. damnatos ad triremes non eſſe in hoc periculo mortis: Tum quia id periculum non eſt proximum, ſed remotum: Tum quia ſi aliquando tale periculum contingat, Sacerdos in triremes ire ſolet periclitantium Confeſsiones excepturus: Tum denique, quia ſæpe triremes ad portum accedunt, in quo Sacerdotum eſt copia.

Colligo *ſecundò*, non quaſcumque prægnantes in mo- 8
rali mortis periculo conſtitutas eſſe. Patet, quia id nō eſt verum,

verum, niſi quando difficiles partus ſolent habere, vel, vel ſunt talis complexionis, vt id periculum prudenter timeatur.

Ex dictis manent ſoluta duo illa Argumenta ſuprà propoſita *num.* 2.

SECTIO IV.

An præſente proprio Sacerdote, poſsit ſimplex Sacerdos abſoluere in articulo, vel periculo mortis?

1 PRima opinio affirmat, poſſe ſimplicem Sacerdotem etiam præſente Confeſſario approbato, & Confeſſarium approbatum etiam præſente alio Superiore, cui caſus, & cenſuræ reſeruantur, abſoluere in articulo, vel periculo mortis, ab omnibus illis. Quam tenent Nauarrus, Sà, Petrus de Ledeſma, Emmanuel Rodriguez, Vega, Henriquez, & alij, quos refert Thomas Sanchez *in opere morali*, *lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 6. Idem defendunt Barboſa, Villalobos, Coriolanus, Conradus, Ioannes Valerius, Angles, Zerola, Finelius, Paulus Comitolus, Philibertus Marchinus, & alij, quos refert, & ſequitur Diana *tom.* 1. *tr. de abſolutione ab hæreſi, reſolut.* 5. *&* 3. *tom. tract.* 4. *Miſcellan. reſolut.* 161. Fundamentum præcipuum ſumitur ex verbis Tridentini, quibus vniuerſaliter dicitur, in illo articulo nullam eſſe reſeruationem, ſed poſſe pœnitentem quemlibet abſolui per quemlibet Sacerdotem a quibuſlibet peccatis, & cenſuris: Si igitur in illo articulo omnis ceſſat reſeruatio caſuum, cur non etiam ceſſabit reſeruator. In illis etiam verbis Concilium abſolutè, & indiſtinctè dicit, omnes Sacerdotes ea poteſtate gaudere in eo articulo: ergo videtur omnibus illis, parem iuriſdictionem pro eo articulo concedere, abſque vlla conditione, vel limitatione; & cùm lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus: & cum eadem lex nullam conditionem, vel limitationem apponit in prædictis verbis, non eſt cur à nobis limitentur, & reſtringantur. Vnde Petrus de Ledeſma Ordinis Prædicatorum, vir doctiſſimus *in ſumma, tom.* 1. *tract. de Sacram. Pœnit. cap.* 14. *difficultate* 2. ſic Hiſpanicè ait: *El derecho Eccleſiaſtico* (ſcilicet Concilium Tridentinum) *no pone excepcion ninguna, ſino tan ſolamente dize, que qualquier Sacerdote puede abſoluer a qualquier pœnitente, de qualeſquier pecados, y cenſuras, luego en el articulo de la muerte qualquier Sacerdote puede confeſſar, aunque eſte preſente el propriõ Parocho, o otro que tenga iuriſdicion ſubdelegada*: Hæc ille.

2 Secunda ſententia docet, Sacerdotem ſimplicem valide in prædicto caſu abſoluere, ſed non licitè; neſcio, quo fundamento. Cui addo ſingularem opinionem Ludouici Turriani *in ſelect. diſput. cenſura* 2. *Theologica, dub.* 77. dicentem, præcedentem opinionem eſſe improbabilem, & damnatam à Gregorio XIII.

3 Tertia ſententia communior negat, poſſe validè abſoluere Sacerdotem ſimplicem, præſente proprio. Quã defendunt Roſella, Syluester, Armilla, Couarr. Simancus, Corduba, & alij quos refert, & ſequitur Thomas Sanchez *dicto c.* 11. *num.* 7. Euſdem ſententiæ eſt Suarez *diſp.* 26. *ſect.* 4. *num.* 4. & *tom.* 5. *de cenſuris*, *diſp.* 21. *ſect.* 1. *num.* 5 2. Vaſquez *tom.* 4. *de Pœnitentia, q.* 93. *a.* 1. *dub.* 4 *num.* 18 Molina *tom.* 4. *de Iuſtitia*, *diſp.* 63. Azor. *tom.* 1. *lib.* 8. *c.* 19. *q.* 5. Valentia *tom.* 4. *diſp.* 7. *q.* 10. *puncto* 2. *columna* 6. Quos etiam ſequitur Cardinalis Lugo *diſp.* 18. *ſect.* 2. *num.* 24.

4 Probari poteſt, *Primò*, quia in fauorem huius ſententiæ id ita declarauit Gregorius Decimustertius.

Secundò, quia finis prædictæ conceſſionis Tridentini fuit, ſubuenire neceſſitati fidelium: Igitur quando nulla eſt neceſſitas, eo quòd adſit Confeſſarius proprius, non vult Eccleſia dare facultatem aliis.

Tertiò, præcipuum & ſolidum fundamentum huius ſententiæ deſumi debet ex eiſdem verbis Tridentini, quibus dicitur, id ita ſemper cuſtoditum fuiſſe in Eccleſia, quòd in illo articulo nulla eſſet reſeruatio, ſed quilibet poſſet abſoluere. Ex quibus conſtat, Patres Concilij noluiſſe in hoc puncto ius nouum condere, ſed ſolum commendare, & approbare perpetuam Eccleſiæ conſuetudinem. Porrò in Eccleſia non fuiſſe conſuetudinem illam ſemper, vt præſente Prælato, Sacerdos inferior poſſet abſoluere morientem à reſeruatis, probant aliqua Conciliorum loca, quæ referuntur à Gratiano 26. *q.* 6. nempe ex Concilio Carthag. relato *in c. Aurelius*, & ex Carthag. III. relato *in cap. vlt.* & ex Euariſto Papa relato *in c. Presbyteri*, quibus dicitur, Presbyteros nõ debere recõciliare infirmos periclitãtes, niſi conſulto Epiſcopo, ſi Epiſcopus abſens nõ ſit.

Quartò, idem probatur ex *Extrauaganti*, *inter cunctas*, §. *Incendiarios*, *de priuilegiis*, & *Extrauaganti* 1. §. *decernimus*, *de ſententia excommunicationis*, quæ ſunt inter Communes, in quibus Benedictus XI. & Bonifacius VIII. declarant, pœnitentes in certis caſibus in articulo mortis poſſe abſolui, ſi non poſſint tunc ad Epiſcopum, vel ad Summum Pontificem pro Abſolutione recurrere: ergo ſi poſſunt, etiam tunc non poſſunt abſolui à Sacerdote inferiori.

Quintò idem probatur ex *cap. eos qui*, *de ſententia excommunicationis*, *in* 6. vbi deciditur, eum qui in mortis articulo, ratione imminentis neceſſitatis, abſoluitur à cenſura reſeruata, ceſſante impedimento, debere ſe præſentare Superiori, cui reſeruata erat: ergo ſi adſit Superior ille, non poteſt inferior ab illa cenſura abſoluere, quia pœnitens non poteſt abſolui niſi cum onere comparendi, quamprimùm poſſit, ſed poteſt tunc comparere, cùm adſit Superior: ergo debet coram ipſo ſtatim comparere: ergo ſolùm voluit Eccleſia quòd abſolueretur à quolibet Sacerdote in defectum Superioris propter neceſſitatem.

Vltimò, negari non poteſt Eccleſiæ vſus circa ipſum Pœnitentiæ Sacramentum, quòd ſicut nullus infirmus accipit alia Sacramenta ab alieno Sacerdote, niſi in defectum proprij; ſic nemo audet in eo articulo confiteri alieno, niſi de licentia, vel in defectum proprij. Hunc autem vſum non poterant ignorare Patres Concilij Tridentini. Igitur dicendum eſt, eos de hac ſola Eccleſiæ conſuetudine locutos, quæ verè erat, & perpetuò fuerat, vt deficiente proprio, quilibet Sacerdos abſoluere poſſet; non verò de conſuetudine, quæ nunquam fuiſſet, petendi Abſolutionem ab alieno, non deficiente proprio.

In hac re, quæ eſt ſatis difficilis, & controuerſa dicam, quid verius ſentiam *ſequentibus Dictis*.

5 Dico *primò*, falsò, & abſque vllo prorſus fundamento, primam opinionem habendam eſſe vt improbabilem, & damnatam à Gregorio XIII. Id rectè notauit Cardinalis Lugo relatus *num.* 21. *&* 24. Patet, quia inprimis ea ſententia eſt valdè probabilis, tam ab intrinſeco, quàm ab extrinſeco. Ab intrinſeco quidem, quia innititur verbis Tridentini, quæ non facilè explicantur, nec explicari poſſunt ab Aduerſariis: vnde eorum explicatio, ſeu reſponſio nec certa, nec euidens eſt, ſed eſt tantùm probabilis, vt videbimus *infrà* Ab extrinſeco quoque, quis audeat eam opinionem tali cenſura afficere, quam tot, & valdè graues Doctores vt probabilem proculdubio tenent, & defendunt? Igitur negari non

non poteſt,quin verè probabilis ſit,& nullo modo dānata. Quod verò dixit Ludouicus Turrianus,eam declaraſſe damnatam Gregoriū XIII. vt falſum reiiciendum eſt,quia nec ea huius Pontificis, vel alterius declaratio conſtat authenticè,nec ea declaratio, ſi extat, fuit condemnatio,ſed ad ſummum,reſponſio Pontificis ſecundùm communiorem ſententiam,vt rectè ait Cardinalis Lugo.Quare ſic ſecundæ ſententiæ eſt plenè ſatisfactum.

6 Dico *ſecundò*,prędictam ſententiam primam eſſe valdè probabilem, & in praxi ſecuram.Id etiam affirmāt Doctores contrariæ ſententiæ. Et patet; tum quia ſequuntur illam multi, & graues Doctores: Tum quia fundamentum adductum,cui innititur,ſūptum ex verbis Tridentini,ſatis firmum eſt. Nam verba illa cùm ſint vniuerſalia,& nullam conditionem, vel limitationem apponant,nō eſt cur reſtringantur,vel limitentur. Vt dixi ſuprà *num.* 1.Tum denique, quia Argumenta propoſita in fauorem tertiæ Sententiæ, & quæ primæ opponuntur,non ſunt euidentia,nec certa, nec efficacia, ſed ſolùm probabilia quæ facili negotio diſſoluentur.

7 Ad Argumenta contraria: Ad primum iam eſt reſponſum.

Ad ſecundum dico,eam rationem non vincere, nec ſufficere ad negandam vniuerſalitatem verborum Tridentini,& facultatem abſolutā,ſine vlla limitatione abſoluendi,quibuſcumque Sacerdotibus conceſſam, nam ipſe Cardinalis Lugo contrariæ ſententiæ,etiam rectè notauit, quòd potuit ipſa neceſſitas fidelium mouere ad concedendam facultatem cum tota illa amplitudine: ne ſcilicet,ſi alio modo concederetur,aliquis ſine Confeſſione moreretur, dum fortaſſe exſpectat Parochum, quem acceſſiuit,vel licentiā Prælati;atque ideò vt omne periculum vitetur,valde conueniens fuit, vt illa conceſſio fieret generalis,& abſque vlla limitatione,vel conditione,in bonum animarum exiſtentiū in articulo,vel periculo mortis.

Ad tertium,quod putat Cardinalis Lugo eſſe præcipuum & ſolidum contrariæ ſententiæ fundamentum, dicendū eſt,Patres Concilij Tridentini commendaſſe quidem,& approbaſſe perpetuam Eccleſiæ conſuetudinem,quātum ad id,quòd in articulo mortis nulla ſit reſeruatio periclitātibus, ne aliquis illorum pereat;cæterùm addidiſſe,& eam conceſſionem ſtatuiſſe abſolutè, & indiſtinctè,& cum omnimoda amplitudine,ſine vlla cōditione,& limitatione quòd Sacerdos proprius abſens ſit. Vnde quoad hoc,ius nouum condidiſſe, ſatis declarant verba Concilij generalia,nullam conditionem,vel limitationem apponentia,ad maiorem gratiam,& fauorem periclitantium, vt nimirùm omne periculum condemnationis vitetur,& nullus ex illis pereat cū ea ampliſſima conceſſione generali. Quare ex illis Decretis in eo Argumento adductis, non poteſt deduci firmum ac ſolidum argumentum ad caſum noſtrum:nam in illis expreſsè dicitur,ne fiat à Preſbytero periclitanti reconciliatio, vel abſolutio ſine conſenſu Epiſcopi, quando Epiſcopus conſuli poteſt. Quod tamen Tridentinum nullo modo addidit,nec addidiſſe voluit:vnde nec id nos debemus apponere,nec cōceſſionem limitare,ac reſtringere, ſed eam abſolutè, & cum omni amplitudine intelligere,licèt adſit Epiſcopus,vel quiuis alius Sacerdos proprius.Ex quo patet ſolutio ad quartum.

Vt quinto Argumento ſatisfiat, quatuor ſunt prę mittenda. *Primum eſt*,pœnitentem,qui in articulo, vel periculo mortis abſolutus eſt à peccatis reſeruatis, quæ non habent cenſuram annexam,minimè teneri poſteà recurrere ad Superiorem,vel Sacerdotem proprium, ſi fortè periculum euadat, vt iterùm ab illis abſoluatur, quia,vt Concilium Tridētinum dixit,pro articulo mortis nulla eſt reſeruatio: & pœnitens tunc abſoluitur directè ab omnibus peccatis quæ confitetur; quare etſi conualeſcat,non tenetur ea ſecundò confiteri. *Secundum eſt*,ſi peccata habeant annexam cenſuram reſeruatam; pro illo articulo, cenſuras ipſas manere quoque abſolutas;nam Tridentinum æquè dat facultatem abſoluendi à quibuſuis peccatis,& à cenſuris. *Tertiū eſt*,cenſuras à quibus quilibet Sacerdos in articulo, vel periculo mortis abſoluere poteſt,iuxta prædictam Tridentini facultatem,eas ſolas eſſe,quæ Sacramentis ab ægro recipiendis, & Eccleſiaſticæ ſepulturæ obſtant; quales ſunt excommunicatio,interdictum perſonale, ſuſpenſio à ſuſceptione Sacramentorum,& Eccleſiaſtica ſepultura;Non autem irregularitas, ſuſpenſio ab Ordine,Officio,vel Beneficio,vt cum aliis obſeruat Thomas Sanchez *c.13.n.12.* Ratio eſt,quia licèt ſic non reſtringat Tridentinum;at ratio ab ipſo reddita ibi,*ne hac occaſione aliquis pereat*, apertè deſignat ſic limitādum; nam irregularitas,vel ſuſpenſio ab Ordine,Officio, vel Beneficio non retardat à conſecutione gloriæ. *Quartum eſt*,quod notant communiter Doctores, ſi pœnitens in articulo mortis fuerit abſolutus à cenſuris reſeruatis ab eo, qui aliàs cum non poterat abſoluere ab illis,ſi conualeſcat,teneri ſe poſteà ſiſtere ei, qui eum aliàs abſoluere poterat;vt præcipitur *in c.illo citato, Eos qui,de ſentētia excommunic.in 6.* Non quidem vt à Superiori abſoluatur,quia iam à cenſuris,& peccatis abſolutus eſt, ſed vt ſe obedientem præbeat Eccleſiæ,& ſe paratum implere aliam pœnitentiam,ſi à Superiori iniungatur.Ratio eſt,quia licet ſic non limitauerit,neque reſtrinxerit Tridentinum;ratio tamen ab illo adhibita, nimirùm,*ne aliquis pereat*,apertè declarat ſic eſſe limitandum.Quia cùm cenſura ſit pœna Eccleſiaſtica pertinens ad forum contentioſum,meritò noluit Tridentinum id quod præſcriptum eſt Iure communi *in cap. relato,Eos qui,* abſolutè auferri ab inferiori Sacerdote, propter ſolum inſtantem articulum,vel periculum mortis, quia neque id neceſſarium erat ad ſalutem animæ, neque expediebat ad vigorem Eccleſiaſticæ diſciplinæ.

His præmiſſis,facilis eſt ad quintum Argumentum ſolutio: conceditur enim Antecedens, negatur tamen Conſequentia,quia per facultatem Tridentini, poteſt pœnitens in articulo,vel periculo mortis abſolui ab omnibus cenſuris,ſicut & ab omnibus peccatis, quin tunc cōpareat,etiamſi adſit Superior:ſatis enim eſt,vt propter cenſuras reſeruatas,compareat poſteà,ſi conualuerit. Ratio eſt,quia non debet comparere vt à Superiore abſoluatur, cùm iam conſtet,à cenſuris, non minus quàm à peccatis in eo articulo abſolui poſſe à quouis inferiori Sacerdote, per facultatem Tridentini, ſed ſolùm,vt ſe obedientem præbeat Eccleſiæ, & paratum ad aliam pœnitentiam implendam, ſi illi à Superiore iniungatur;quod poſteà præſtare poterit, ſi fortè periculum mortis euadat.

Ad vltimum, fateor iuxta ordinarium, & antiquum Ius, in peccatis quæ habent excommunicationem reſeruatam, tametſi remittantur in articulo vel periculo mortis, manere obligationem poſt illum articulum, vel periculum, ad comparendum coram Superiore, modo *dicto præcedenti numero*;atque hunc Eccleſię vſum non ignoraſſe Patres Concilij Tridentini: inde tamen non rectè colligi,locutos fuiſſe de ea conſuetudine, quæ anteà fuerat,vt nimirùm deficiente proprio Sacerdote,& non aliter,alienus Sacerdos abſoluere tunc poſſet: cùm verba Concilij vniuerſalia ſint,& nullam conditionem, vel limitationem apponant, vt ſatis ſuprà dictum eſt, præſertim *n.7.*

Dico *vltimò*,prædictam hanc ſententiam,ſic firmiter 8
ſtabilitam,eſſe ſecuram in praxi,& ſine vllo ſcrupulo ſequendam.

Digitized by Google

quendam. Hoc Dictum ſequitur ex præcedenti. Patet, quia ex hactenùs dictis in fauorem illius, conſtat eſſe valdè probabilem; & ex alio capite eſt valdè fauorabilis, & pia homini periclitanti in articulo, vel periculo mortis: ergo non eſt, cur ſequenda non ſit abſque vllo rationabili ſcrupulo.

SECTIO V.

An omnis Sacerdos ſit ſufficiens, & legitimus Miniſter ad abſoluendum à peccatis venialibus?

1 HOc punctum de venialibus & ſequens tractandum *ſectione ſequenti* de mortalibus iam confeſſis, coniungo cum præcedenti: quia ſicut omnes Sacerdotes abſoluunt in mortis articulo, & periculo; & in mea opinione, vt vidimus *præced. ſect.* cũ omni generalitate abſoluunt ſine vlla limitatione, vel reſtrictione; ſic omnes Sacerdotes indifferenter videntur poſſe abſoluere à peccatis venialibus, & mortalibus iam confeſſis; quorum primum explicandum eſt *in hac ſect.* & ſecundum *in ſequenti.*

2 Nauarrus *in c. Placuit, de Pœnit. diſt. 6. n. 22.* ait, ſe non vidiſſe Textum, quo probetur, à quolibet Sacerdote poſſe impendi Abſolutionem venialium. Quod magis firmari poteſt poſt Tridentinum exigens in Sacerdote abſoluente præuiam approbationem, quæ etiam videtur exigi ad Abſolutionem venialium; nam ad iudicandum de venialibus licèt non ſit neceſſaria maxima ſcientia, neceſſaria tamen eſt non parua ad diſcernenda venialia a mortalibus: qui enim iudicaturus eſt de venialibus ſine poteſtate ad mortalia, neceſſe eſt, vt ſciat diſcernere inter venialia, & mortalia; vnde ob hanc rationem deberet in illo exigi approbatio.

3 Dico *primò*, certum eſſe apud Doctores omnes recentiores ad venialia abſoluenda requiri iuriſdictionem quoque. Id conſtat *primò* ex Tridentino *ſeſſ. 14. c. 6.* vniuerſaliter dicente, Abſolutionem eſſe actum iudicialem; & Miniſtrum huius Sacramenti ſemper appellante Iudicem. Et *cap. 7.* aſſerente etiam vniuerſaliter, nullius valoris eſſe Abſolutionem, quam Sacerdos ſine ordinaria, aut delegata iuriſdictione pronunciat: Igitur negari non poteſt, quin requiratur iuriſdictio ad abſoluendum à venialibus. *Secundò*, quia tunc etiam perficitur Sacramentum per modum iudicij: ergo cum aliqua iuriſdictione; hæc enim eſt fundamentalis ratio neceſſitatis iuriſdictionis. *Tertiò*, quia Sacerdos eum poteſt ſoluere iudicialiter a venialibus, & poteſt ea ſuo modo retinere, ſeu ligare non abſoluendo, ac negando Abſolutionem Sacramentalem, ſi videat pœnitentem non eſſe diſpoſitum: & quamuis non poſſit cogere ad eorum confeſſionem, poteſt tamen cogere ad ſatisfactionem impoſitam ſaltem ſub culpa veniali, quam ſaltem ſub veniali tenetur pœnitens implere: ergo ad abſoluendum de venialibus neceſſaria quoque eſt iuriſdictio.

4 Dico *ſecundò*, conceſſam eſſe huiuſmodi iuriſdictionem abſoluendi quoſcumque, etiam Religioſos à venialibus non confeſſis omni, & cuilibet Sacerdoti, modò non ſit excommunicatus vitandus, vel degradatus. Id conſtat ex communi vſu fidelium: Vnde Thomas Sanchez *lib. 1. operis moralis, cap. 9. n. 35.* rectè dixit: *Quilibet Sacerdos certam in venialia iuriſdictionem habet.* Et antiqui Doctores id quoque ſupponunt, dicentes de hoc eſſe conſuetudinem Eccleſiæ. Nec obeſt huic doctrinæ, quod ſtatuitur *in cap. Omnis vtriuſque ſexus,* neceſſarium eſſe confiteri proprio Sacerdoti, vel ex commiſſione illius. Hoc enim ab omnibus intelligitur de Confeſſione peccatorum mortalium, quia ibi agitur de præcepto annuæ Confeſſionis, de cuius neceſſitate tantùm ſunt peccata mortalia. Neque etiam obeſt Decretum Tridentini de approbatione, nam illud quoque intelligendum eſt quoad Confeſſiones de mortalibus nunquam confeſſis, quia cætera non ſunt materia neceſſaria Confeſſionis. Ad iudicandum autem de venialibus, non eſt neceſſaria magna ſcientia, ſed aliqua, quæ ſupponitur non deeſſe cuilibet Sacerdoti; & ideò quilibet approbatur, & ſufficiens habetur, ac idoneus prædictæ iuriſdictionis ad venialia. Ex quo patet ſolutio ad Argumentum adductum *n. 2.* Difficultas maior eſt in explicando, vnde proueniat hæc iuriſdictio, vel poteſtas.

Dico *tertiò*, quemlibet Sacerdotem nullâ cenſurâ impeditum, poſſe ab his peccatis validè abſoluere, non 5
Iure diuino, ſed Iure Eccleſiaſtico per conceſſionem Eccleſiæ. Ita Suarez *diſput. 26. ſect. 5.* Coninck *diſp. 8. dub. 2. n. 17.* Henriquez *lib. 6. c. 5.* Bonacina, Medina, & alij multi, quos ipſi referunt. Quos ſequitur quoque Card. Lug. *diſp. 18. ſect. 3. n. 44.* Granad. *controuerſ. 7. diſput. 4. ſect. 1. n. 4.* & Auila *de cenſuris, p. 2. c. 6. diſput. 3. dub. 1. concl. 3.*

Probatur *primò*, quia Eccleſia poteſt ſua prohibitione efficere, vt tales inualidè à venialibus abſoluant, ſubtrahendo illis iuriſdictionem neceſſariam, vt de facto eam ſubtrahit excommunicatis non toleratis, ac degradatis, vt communiter docent Doctores in materia de Excommunicatione; illud autem eſſet falſum, ſi haberent illam iuriſdictionem Iure diuino, quia tametſi tunc Eccleſia poſſet efficere, vt illicitè abſoluerent, non tamen poſſet efficere, vt inualidè abſoluerent pœnitentem benè diſpoſitum: nam Eccleſia dum excommunicat, non poteſt auferre iuriſdictionem, ſi Iure diuino eam haberent ad abſoluendum à venialibus. Firmo, nam Sacerdos excommunicatus nominatim, aut non toleratus, non poteſt validè iuxta omnes Doctores miniſtrare Sacramentum Pœnitentiæ, niſi in articulo mortis: ergo non poteſt validè abſoluere à venialibus, niſi in articulo mortis; hoc autem verum eſſe non poſſet, ſi Iure diuino ad id haberet iuriſdictionem. *Secundò*, nec Scriptura Sacra, nec Concilia, aut Patres diſtinguunt inter iuriſdictionem ad venialia, vel ad mortalia, ſed ſolùm Sacerdotibus collatam eſſe poteſtatem remittendi peccata; ad quod Concilia dicunt requiri iuriſdictionem ſimul cum poteſtate Ordinis, vt ſuprà explicuimus *diſputatione vigeſima quinta, ſectione præſertim quinta*: ergo ſicut iuriſdictio ad mortalia non confeſſa tribuitur ab Eccleſia; ita & iuriſdictio ad venialia. Denique idem à priori oſtenditur, quia Sacramentum Pœnitentiæ, ſiue verſetur circa mortalia, ſiue circa venialia, ſemper exercetur per modum iudicij; ac proptereà in Miniſtro ad valorem Abſolutionis requiritur iuriſdictio ordinaria, vel delegata vt dixi *Dicto primo*; ſed in Sacerdote ſimplici nulla eſt iuriſdictio ordinaria, cùm ipſe non ſit Paſtor, nec Prælatus, nec vllam habeat ex Officio gubernationem, aut ſuperioritatem erga alios, & multò minùs circa Sacerdotes, Epiſcopos, & Cardinales in ordine ad peccata venialia: ergo ſolùm habet iuriſdictionem delegatam ab eo, qui habet ordinariam, nempe à ſummo Pontifice, qui eam poteſt pro libito auferre.

Obiicitur Vaſquez *quæſt. 93. articul. 1. dub. 6 num. 8.* 6
qui exiſtimat Iure diuino omnem Sacerdotem poſſe abſoluere à venialibus, quia reſeruari non poteſt veniale peccatum; poſſet autem, ſi ab Eccleſia, vel à Papa concederetur iuriſdictio ad illud abſoluendum. *Reſpondeo*, tametſi venialia peccata non reſeruantur communiter,

Digitized by Google

muniter, quia cùm non ſit obligatio illa confitendi, fruſtrà, aut cum paruo fructu reſeruarentur; & aliunde non videtur eſſe materia digna reſeruatione, quæ ſolùm adhiberi ſolet ad grauiora crimina coërcenda: non tamen repugnat, etiam illa reſeruari à ſummo Pontifice, itavt non poſſent à quolibet Sacerdote Sacramentaliter remitti, dum aliquis ea confitetur, denegando illi facultatem ea abſoluendi. Neque enim poteſt vlla ſufficiens ratio afferri ad oſtendendum hoc fieri non poſſe, cùm iuriſdictio pendeat à voluntate concedentis, qui poteſt ſibi facultatem abſoluendi peccata venialia reſeruare. De quo plura infrà *diſputatione quadrageſima ſexta, ſectione 1.*

7 Ex dictis colligo *primò* hanc iuriſdictionem circa venialia in ſimplicibus Sacerdotibus non conuenire illis, ex vi ſolius Sacerdotij; nam ex vi illius, non datur aliqua iuriſdictio neceſſariò coniuncta cum poteſtate Ordinis, vt *prædicta diſp.* 25. oſtendimus: Nec dici poteſt cũ fundamento ex vi illorũ verborũ, *Accipite Spiritũ Sãctũ: Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*; dediſſe Chriſtũ omnibus Sacerdotibus poteſtatẽ potiùs ad venialia, quàm ad mortalia; vel conſtituiſſe omnes Sacerdotes Paſtores ac Iudices ordinarios animarum cum plena poteſtate in cauſis leuioribus & venialibus potiùs quàm in grauioribus, & mortalibus, quia Chriſtus ſimpliciter, & ſine diſtinctione locutus eſt de peccatis. Quare prædicta iuriſdictio ex commiſſione eſt, ac delegatione ab Eccleſia: eſt enim ordinaria quatenùs includitur in omni paſtorali munere, ſub Pontifice ſummo; eſt verò delegata, quatenus eſt in ſimplicibus Sacerdotibus, quibus ex Officio minimè competere poteſt ſed eſt conceſſio, ſeu delegatio à ſummis Pontificibus manans, & ex eorum tacito conſenſu durans, nam hoc ſaltem oſtendit conſuetudo & traditio.

8 Colligo *ſecundò*, nullum Prælatum Papâ inferiorem poſſe hanc iuriſdictionem auferre à ſimplicibus Sacerdotibus, quia delegatio facta à Superiori, non poteſt delegari ab inferiore, atque ideò, licèt ſit iuriſdictio delegata, nunquam ceſſat, niſi indirectè, ob maiorem excommunicationem verbi gratia, modo dicto.

9 Colligo *tertiò*, prædictam poteſtatem abſoluendi à venialibus, tametſi non ſit iuris diuini, vt oſtenſum eſt ſequi poteſtatem Ordinis ex conceſſione Eccleſiæ, quæ eſt valdè congrua naturæ culpæ venialis: hæc enim cùm non ſit materia neceſſaria Confeſſionis, nec indigeat ſcientia peculiari Confeſſarij, vt ab illis abſoluat, vel debitam pœnam iniungat, non erat ratio, ob quam requireret peculiarem Miniſtrum, ſed quicumque ſimplex Sacerdos eſſe poſſet.

10 Colligo *vltimò*, ſi ille qui confitetur ſola venialia, habeat aliquod mortale nondum remiſſum, cuius tamen oblitus eſt, & ideò credit ſe illud non habere, manere abſolutum ab illo per ſimplicem Sacerdotem nullâ cẽſurâ impeditum. Ratio eſt quia licèt directè in illud peccatum non extendatur Abſolutio, extenditur indirectè, eo quòd Sacerdos ille habeat poteſtatem conferendi verum Sacramentum Pœnitentiæ, & cùm ex parte Pœnitentis non ſit obex, conferet gratiam, & remiſſionem, cum onere tamen confitendi tale peccatum mortale legitimo Confeſſario, cum poſteà illius recordetur, & aderit tempus præcepti Confeſſionis: ſic enim ſi quis oblitus alicuius peccati reſeruati, confiteretur peccata non reſeruata Confeſſario nõ habenti iuriſdictionem ad reſeruata, maneret abſolutus etiam à reſeruato, ſed per accidens, ac indirectè, atque ideò cum obligatione illud poſteà confitendi Superiori, vel alteri de eius licentia.

SECTIO VI.

An omnis ſimplex Sacerdos poſſit abſoluere à mortalibus peccatis iam ritè confeſſis.

Ratio dubitandi eſt, quia non videtur, quomodo hæc poteſtas dari poſſit ad abſoluendum à peccato mortali ſolùm in eo caſu, quo iam à legitimo Confeſſore abſolutum ſit: Nam quando peccatum mortale ſemel abſolutum iterùm ſubiicitur Clauibus, & datur pro materia Abſolutionis, Sacerdos iudicat de illo, & intendit ab illo abſoluere, ſimpliciter, & abſolutè: & ad hunc effectum ſecundum Sacramentum dat gratiam ſanctificantem, vt ſi abſolutum non fuerit, deleatur: hæc enim eſt vis, & ſenſus formæ, cùm dicitur, *Ego te abſoluo*, id eſt, quantum eſt ex me, remitto hoc debitum, deleo hoc peccatum: At repugnare videtur, quòd data ſit poteſtas ſimplici Sacerdoti ſolùm abſoluendi ab illo peccato mortali, ſi iam abſolutum ſit: nam hoc eſſet cõtra ſignificationem formæ, quæ ſignificat ſolutionem illius debiti, etiamſi ſolutum non ſit. 1

Hanc difficultatem proponit noſter Cardinalis Lugo *diſp.* 18. *ſect.* 3. *n.* 47. Et ad eam reſpondet *n.* 48. & 49. dicens prædictam conceſſionem abſoluendi à peccato mortali iam confeſſo, & abſoluto, eſſe conditionalem, non ex parte Abſolutionis proferendæ, ſed ex parte ipſius conceſſionis Probat id & declarat, quia poteſt Papa dicere ſimplici Sacerdoti, Volo tibi dare facultatem abſoluendi à peccato mortali Petrum, ſed nolo tibi eam dare nunc, ſed cras, poſtquam ego eum prima vice abſoluero: ſicut enim ipſe Papa, poſtquam prima vice abſoluit Petrum, poteſt iterùm, & ſæpius eum abſoluere ab eodem peccato, ſi ſæpius illud confiteatur; ſic poteſt communicare alteri ſimilem facultatem ei, quam ipſe habet, quando iam pœnitens abſolutus ſit prima vice, & non priùs: in hac enim voluntate communicandi facultatem tali tempore, & non prius, nulla videtur eſſe contradictio, quia Sacerdos qui tunc incipiet eſſe Sacerdos expoſitus, inciperet habere tunc facultatem abſoluendi ab illo peccato, quam non habuiſſet priùs. Igitur ſimilem facultatem poteſt ex Papæ conceſſione incipere habere Sacerdos ſimplex eodem tempore, quãdo videlicet pœnitens iam confeſſus fuit prima vice illud peccatum. Ad hoc declarandum affert Cardinalis exemplum in actu vouendi: ſi enim quis fuiſſet redditus inhabilis à ſummo Pontifice ad vouendum validè poſſet petere ab illo facultatem vouendi caſtitatem v. g. quam iam iterùm vouerat olim ante prohibitionem; & Pontifex poſſet concedere eã facultatem, ſi vere iam eam iterùm vouiſſet: in eo caſu, conditio non ſe teneret ex parte voti, ſed ex parte conceſſionis, quia non concedit facultatem ſolùm ad votum conditionale, ſed ad votum abſolutum Caſtitatis, tametſi non concedat licentiam abſolutè, ſed ſub conditione, ſi iam iterùm Caſtitatem vouit; qua conditione ſtante, fit nunc votum nouum abſolutum, nam eius ſenſus eſt, Volo me obligare denuò, etiamſi obligatus non eſſem, aliter enim non eſſet votum abſolutum ſimpliciter, & tamen licentia Papæ ad hoc votum abſolutum, & cum illo ſenſu abſoluto faciendum, non fuit abſoluta, ſed conditionalis, ſi iam iterùm Caſtitatem vouerat: nulla enim in hac conceſſione eſt, nec cõcipi poteſt contradictio. Hoc idem in caſu præſenti dicendum eſt, ſi fingas pœnitentem petere facultatem à ſummo Pontifice confitendi hæc peccata 2

Digitized by Google

ta mortalia Sacerdoti ſimplici, quia iam priùs eadem legitimo Sacerdoti confeſſus fuerat: tunc enim Pontifex licentiam concedit ſub eadem conditione, ſi iam eadem peccata legitimo confeſſus eſt: Vnde ea Confeſſio conditionalis eſt; Abſolutio tamen, ad quam datur licentia, non debet eſſe conditionalis, ſed abſoluta, cuius ſenſus ſit, remittere peccata illa, etiamſi prius remiſſa non fuiſſent, quia ad hanc Abſolutionem abſolutam dari potuit licentia ſub conditione, in quo nulla contradictio apparere videtur.

3 Hæc Cardinalis Lugo, acutè dicta. Fateor tamen adæquatè non ſatisfacere difficultati propoſitæ *n.* 1. in ratione dubitandi. Concedo enim libenter, conceſſionem datã ſimplicibus Sacerdotibus abſoluendi à peccatis mortalibus iam confeſſis, poſſe dici conditionalem ex parte ipſius conceſſionis, idque benè explicari exemplo illo de actu vouendi: reſtat tamen difficultas explicanda, quo pacto verba formæ Sacramentalis, *Ego te abſoluo à peccatis tuis*, verificentur, & ſignificare poſſint remiſſionem abſolutam peccati mortalis confeſſi, ac remiſſi, cùm iam ſit per priorem Confeſſionem confeſſum, ac remiſſum, nec vlla alia materia ipſi Abſolutioni proponatur, aut explicetur? Quia quando iam peccatum eſt confeſſum, ac remiſſum, & condonatum per aliam Confeſſionem præcedentem, non videtur abſolui ab illo per ſecundam Confeſſionem: nam per iſtam non abſoluitur nunc, qui vinculum non habet, nec poteſt condonari debitum quod iam tale non eſt. Nec valet explicatio quam tradit Cardinalis Lugo *diſp.* 13. *ſect.* 3. *numer.* 73. dicens, quando peccata iam fuerunt ablata per priorem Confeſſionem, adhuc verba formæ verificari, quia non mentitur, qui poſt dimiſſum ſemel debitum, vel offenſam, iterùm rogatus, dicit ſe dimittere. Hoc enim iam *ſuprà* refutatum eſt *diſp.* 18. *ſect.* 5. *numer.* 6. Quare ad hanc difficultatem ſoluendam, nullam aliam iudico meliorem explicationem, niſi eam, quæ eſt Franciſci Suarij, à me explicatam *loco citato, num.* 8. nempe verba formæ Abſolutionis, ſiue ad vnum mortale iam confeſſum, ſiue ad plura alia iam etiam confeſſa, & remiſſa, ſignificare per ſe primò gratiam ſanctificantem, ex ſe conſequenter remiſſiuam peccati, ſi quod fuerit. Videantur *ibi* dicta.

Hoc ita declarato, dicendum eſt cum communi Doctorum ſententia, peccata mortalia iam confeſſa eſſe eodem modo ſubiecta ſimplicibus Sacerdotibus, quo venialia, quia eſt eadem conſuetudo, & Eccleſiæ conceſſio: eſt quoque eadẽ ratio, quæ eſt de materia nõ neceſſaria. Vnde hæc iuriſdictio in ſimplicibus Sacerdotibus, cùm non conueniat illis ex vi ſolius Sacerdotij, neque ex vi alicuius muneris, ſeu paſtoralis Officij, nequit eſſe ordinaria, ſed tantùm ex commiſſione, ſeu delegatione Eccleſiæ. Vnde hęc conceſſio ſeu delegatio, ſicut & alia de Abſolutione venialium, à ſummis Pontificibus manauit, & ex eorum tacito conſenſu durat. Quod ſatis oſtendit ipſa conſuetudo, & traditio.

Obiicies; dicta peccata mortalia ritè confeſſa non
5 ſunt neceſſariò ſubiicienda Clauibus, ſed pro libito pœnitentium ſubiiciuntur, ſicut idem dicitur de venialibus: ergo iuriſdictio in illa non eſt Eccleſiæ commiſſa, ſed accepta Iure diuino in ipſa Ordinatione. *Reſpondeo*, conceſſo Antecedente, negando Conſequentiam, quia quãuis dicta peccata pro libertate pœnitentium, ſubiiciantur Clauibus Eccleſiæ, & Sacerdotibus, ſed non cuicumque ſunt ſubiicienda, ſed tantùm ei, cui ſubiectus eſt in eo foro Pœnitentiæ ab habente poteſtatem concedendi iuriſdictionem: ſicut etiam quis liberè ſuſcipit Sacros Ordines, & tamen non poteſt pro ſua libertate à quocumque Epiſcopo ordinari, ſed tantùm ab eo, qui ad id facultatem habet.

DISPVTATIO XLIV.

De facultate eligendi Confeſſorem ex parte pœnitentis.

PROCEDIT præſens Diſputatio de fauore, & gratia quæ fit pœnitenti, vt nimirùm habeat facultatem confitendi alicui Sacerdoti, ex qua redundat in ipſum Sacerdotem poteſtas abſoluendi illum. Vt enim dixit Honorius Papa *in cap. Si quis obiecerit*, 1. *queſtion.* 3. hæc duo ſunt quaſi relatiua, & connexa, nempe ſubiectio vnius, & iuriſdictio alterius. Qua igitur ratione, vel cauſa hæc facultas eligendi detur, aut dari poſſit, eſt in hac Diſputatione explicandum.

SECTIO PRIMA.

Quis poſſit facultatem eligendi Confeſſorem pœnitenti concedere; & qua de cauſa.

CIrca primum, certum eſt *primò*, omnem illum, 1
qui habet iuriſdictionem ordinariam in foro Pœnitentiæ, reſpectu aliquorum fidelium, poſſe illis concedere eam facultatem eligendi Confeſſorem. Patet, quia eadem poteſtas requiritur in Eccleſiaſtico paſtore ad hanc facultatem concedendam, quæ ad delegandam iuriſdictionem neceſſaria eſt; & eadem quoque ſufficiens eſt, quia habet eoſdem effectus, & non refert, nec maiorem iuriſdictionem poſtulat, quòd hoc vel illo modo fiat.

Secundò certum eſt, proprios Sacerdotes, ſeu Paſtores poſſe dare licentiam confitendi fidelibus, qui ſuę iu- 2
riſdictionis ſunt: nempe primo loco Papam in ordine ad vniuerſos fideles, vt eſt per ſe notum: ſecundò Epiſcopos, vt dicitur expreſsè in *cap.* 2. *de Pœnit. & remiſſ. in* 6. reſpectu ſuorum ſubditorum: & Parochum, vt ſatis colligitur *ex cap. Omnis vtriuſque ſexus, de pœnit. & remiſſ.* Ratio eſt, quia quilibet ex illis eſt ſuperior Ordinarius in hoc foro, & habet poteſtatem ordinariam, & poteſt illam delegare; igitur nihil illi deeſt ad hanc facultatem concedendam.

Tertiò, certum eſt, quando datur hæc facultas à Præ- 3
lato ſuperiore vt Papa, vel Epiſcopo, eſſe ſufficientem ſine conſenſu Inferioris, imò etiam ipſo renuente, videlicet licentia Epiſcopi, independenter à Parocho; & licentia Papæ independenter ab vtroque. Patet, quia iuriſdictio Superioris non pendet ab inferiore; Vnde talis facultas non tantùm ad ſubſtantiam Sacramenti, ſed etiam ad præceptum Confeſſionis tam diuinum, quàm Eccleſiaſticum implendum ſufficens eſt. E contrario verò, tametſi inferior paſtor non indigeat poſitiuo conſenſu Superioris ad dandam dictam facultatem; tamen neceſſe eſt, vt ille non contradicat, reuocando, aut impediendo facultatem. Conſtat enim, facultatem inferioris eſſe ſubordinatam Superiori, qui poteſt ex rationabili cauſa, prohibere inferiori, & impedire omninò, ac ſuſpendere, ne talem præbeat facultatem; adeò vt ſi tunc inferior tentet illam concedere, non ſolùm malè faciat, ſed etiam facultas nulla erit, quia tunc iam deeſt inferiori

Digitized by Google

tiori iuriſdictio ſeu vſus iuriſdictionis ad illam ferendam.

4 *Quartò*, verius videtur, ad hanc facultatem validè concedendam, neceſſariam eſſe poteſtatem iuriſdictionis expeditam, ſeu nullo canonico obſtaculo impeditam. Quare Paſtor excommunicatus, vel ſuſpenſus non toleratus, nequit validè concedere. Ratio eſt, quia eſt priuatus vſu iuriſdictionis; illa autem conceſſio reuera eſt actus iuriſdictionis: omnis autem actus iuriſdictionis factus ab eo, qui iuriſdictionis vſum non habet, inualidus eſt, vt habetur *in cap. 1. de officio Vicarij, in 6.* Et eſt per ſe manifeſtum, quia omnis actus iuriſdictionis eſt vſus eius: ergo qui caret vſu, vt ſic dicam, caret omni actu; atque ideò nullum poteſt validum efficere.

5 *Vltimò*, certum videtur, prædictam conceſſionem pendere ex voluntate concedentis cognita. Patet, quia omninò neceſſarium eſt, vt talis voluntas per ſufficientia ſigna conſtet: quantum enim ex illis conſtiterit, tantùm facultas operabitur, & non ampliùs.

6 Circa ſecundum, quòd ſit neceſſaria ſpecialis cauſa, vt dicta facultas concedatur, probari poteſt, quia omnis diſpenſatio in lege, requirit aliquam iuſtam cauſam; at prædicta conceſſio eſt quædam diſpenſatio in prohibitione Eccleſiæ non confitendi alieno Confeſſario: Igitur ad hanc facultatem validè concedendam neceſſaria eſt ſpecialis aliqua iuſta cauſa.

Communis tamen omnium ſententia eſt, cauſam ſpecialem non requiri, ſed ſufficere ſolam pœnitentis petitionem. Patet, quia eſt conceſſio, quædam mere liberalis; modò detur prudenter, ei videlicet qui rectè ea vſurus ſit, & non in perniciem animæ ſuæ. Addo, talem eſſe hanc conceſſionem, vt ſemper habeat adiunctam cauſam rationabilem, nempe, vt Confeſſio fiat facilior, & ſuauior, & ſeruetur integritas Confeſſionis; ac tollantur impedimenta, quæ ad integritatem ex humana fragilitate accidere poſſunt.

Ad obiectionem oppoſitam, dico potiùs eſſe conceſſionem iuriſdictionis, quàm diſpenſationem: & licèt eſſet diſpenſatio, talis tamen eſt vt per ipſam legem permittatur abſolutè & ſimpliciter: Nam ita prohibet ius confiteri alieno, vt in ipſo addatur, niſi de licentia proprij, vt conſtat *ex capite, Omnis vtriuſque ſexus.*

SECTIO II.

Quibus ſit conceſſa facultas à Iure, ſiue diuino, ſiue Eccleſiaſtico eligendi ſibi Confeſſarium?

1 Dico *primò*, ſolum Papam poſſe Iure diuino eligere ſibi Confeſſarium. Hoc videtur certum, nam inprimis, quod poſſit, patet ex eo, quia etiam ipſe poteſt, ac debet confiteri, ſi conſcientiam peccati mortalis habeat, quia hoc ius diuinum eſt omnibus commune, & neceſſitas præcepti, reſpectu mortalium, eadem eſt in illo, quæ in cæteris omnibus: ergo neceſſe eſt, vt habeat Confeſſarium: at non eſt vllus ei deſignatus Iure diuino, vt per ſe patet; nec humano, quia ipſe eſt ſupremus paſtor: ergo neceſſe eſt, vt ab ipſo eligatur; ergo habet ad hoc poteſtatẽ, & cùm nõ ſit ab homine, quia nõ habet ſuperiorem in terra, eſt immediatè à Chriſto. Eſt verò notandum, tametſi hæc poteſtas ex parte Pontificis ſit Iure diuino, tamen iuriſdictio in eo caſu transfertur etiam in Confeſſorẽ, medio Papa: Vnde vt peccator, Cõfeſſori ſubiicitur, vt Vicarius autem Chriſti, dat ei iuriſdictionem ſuper ſeipſum in illo foro. Quòd autem ſolus Papa poſſit Iure diuino, & non alij, ideò eſt manifeſtum, quia alij omnes habent proprium paſtorem ex *c. Omnis*: Papa autem hoc ipſo quòd illi confertur ſuprema iuriſdictio, poteſt pro aliis iuriſdictionem concedere, & pro ſe. Quare ſicut ſingulare eſt in Papa, habere iuriſdictionem ex Iure diuino, ita etiam ex eodem habere facultatem eligendi ſibi Confeſſarium.

Dico *ſecundò*, ſi ſermo ſit de Iure Eccleſiaſtico, Epiſcopi, & eorum Superiores, necnon etiam inferiores Prælati exempti habent facultatem eligendi Confeſſarium. 2
Ita habetur *cap. vlt. de pœnit. & remiſſ. Permittimus*, inquit, *Epiſcopis, & aliis Superioribus, necnon minoribus Prælatis exemptis, vt etiã præter ſui Superioris licentiã, prouidum & diſcretum ſibi poſſint eligere Confeſſorem.* Confeſſor autem ſic electus iuxta communem ſententiam habet iuriſdictionem, non ab Epiſcopo, ſed ab eo, qui dedit Epiſcopo facultatem eligendi, quia habet Epiſcopus Superiorem in terris nempe Papam. Per Epiſcopos autem intelliguntur illi, qui electi ſunt, & conſecrati, ſiue habeant Epiſcopatum, ſiue non. Degradatus non habet, quia priuatur omnibus priuilegiis conceſſis, ratione ordinis. Depoſitus autem verbaliter tantùm, vel ſuſpenſus retinet, quia tantùm priuatur vſu iuriſdictionis ex ſuo Officio, & non aliis priuilegiis, vt Clericali, & ſic neque Epiſcopali proportionabiliter.

Dicitur *eorum Superiores*, vt Archiepiſcopi, Patriarchæ, Primates, Cardinales quoque, ſi non ex vi illius Iuris, ex aliis tamen conceſſionibus Papæ, vel ex conſuetudine. 3

Dicitur quoque, *inferiores*, qui habeant ſaltem iuriſdictionem in foro externo, vt ſunt nonnulli Archipreſbyteri, & Auditor Cameræ in Romana Curia, & ſimiles. Non eſt idem dicendum de Parochis, nam hi non ſunt Prælati nec exempti: ſi quis autem Parochus eſſet exemptus, & ſubiectus Papæ immediatè, probabile iudicat Suar. *diſp. 17. ſect. 2. n. 7.* quòd etiam comprehenderetur: Vicarij autem Epiſcoporum, ſeu aliorum Prælatorum, cùm ſolùm ex commiſſione, ſeu vice aliorum, iuriſdictione vtantur, non comprehenduntur ſub Prælatis, neque gaudent dicto priuilegio. 4

Denique per *Exemptos* intelliguntur omnes Prælati, qui in hoc foro non ſubduntur Epiſcopis, etiamſi habeant alios Superiores, præter Papam; huiuſmodi ſunt Abbates, & ſimiles, iuxta diuerſum vſum, & iuriſdictionem, quæ illis in Religione conceditur. 5

Dico *tertiò*, non eſſe alios in particulari, quibus Iure Eccleſiaſtico competat prædicta facultas. Ita latè Suar. citat. *n. 12.* quia nullum tale ius inuenitur reſpectu aliarum particularium, ſeu priuilegiatarum perſonarum. Solùm de omnibus fidelibus pro aliquo caſu inuenitur quoddam ſpeciale ius *in cap. Placuit, 9. q. 2. de Pœnitentia, diſt. 6.* Vbi multi dicunt, conceſſam eſſe cuilibet fideli facultatem eligendi Confeſſarium, ſi proprius Sacerdos ſit ignorans: quod certè probabile eſt. Mihi magis arridet quod notauit Suarez *loco citato, num. 13.* talem facultatem non eſſe in vſu in Eccleſia, vel nunquam fuiſſe. 6

SECTIO III.

An aliquibus ſit conceſſa facultas eligendi Confeſſarium ex ſola conſuetudine?

PArtem negantem proponit Caput ſecundum *de Pœnitent. & remiſſ. in 6.* Vbi expreſsè dicitur, nulla con- 1
ſuetudine

ſuetudine introduci poſſe, vt aliquis valeat ſibi eligere Confeſſorem, ſine licentia proprij Sacerdotis; quia hoc eſt contra ius diuinum, quod nulla conſuetudine reuocari poteſt.

Partē affirmantem firmat vſus in multis caſibus, nam Parochi vtuntur hac facultate ſine ſpeciali licentia Epiſcoporū; vnde cū nō habeāt à Iure, videtur habere ex cōſuetudine. Videantur dicta à nobis ſupra de conſuetudine, *diſ.* 42. *ſect.* 5. Iuxta cuius doctrinam:

2 Dico *primò* conſuetudinem per ſe ſumptam non poſſe tribuere facultatem eligendi Confeſſarium, ſine licētia proprij. Hoc probat argumentum partis negantis, quia id eſſet contra ius diuinum; nam conſtat omnes habere proprium paſtorem, excepto Papa: Poteſt verò eſſe ſignum ſufficiens facultatis conceſſæ à paſtoribus, & nunquam reuocatæ, ſed per tacitum conſenſum perſeuerantis, vt ex aliis ſimilibus deduci poteſt.

3 Dico *ſecundò*, vbi eſt introducta conſuetudo, vt Parochi eligant Confeſſarium abſque ſpeciali licentia Epiſcopi, ea ſatis eſt, vt ſecurè poſſint vti hac facultate. Ratio eſt, quia illa indicat adfuiſſe conſenſum Superiorū, & non eſſe reuocatum, quod ſufficit. Quare tametſi cōſuetudo vi ſua non poſſit dare dictā facultatem; poteſt tamen eſſe ſignum facultatis conceſſæ, & perſeuerantis per conſenſum tacitum. Vnde per talem conſuetudinem formaliter non introducitur, quòd aliquis præter ſui Superioris licentiam, Confeſſarium ſibi eligere valeat, qui eum poſſit abſoluere; ſed introducitur, vt aliquis cenſeatur habere à ſuo Superiore talem facultatem modo dicto.

4 Dico *tertiò*, ſi in quibuſdam locis eſſet conſuetudo, vt etiam laici ſubditi vnius Parochiæ, confiteantur Parocho alterius Parochiæ, illa etiam ſatis erit. Patet eadem ratione; quæ autem hæ ſint, eſt quæſtio facti, quod aliunde ſciendum eſt, & non pertinet ad nos, & ideò pro ſingulis locis, & perſonis conſulendæ ſunt conſuetudines.

5 Obiicies, hanc conſuetudinem eligendi ſibi Confeſſorem non habere aliquid ſpeciale, nam commune eſt cuicumque legi, quòd non derogetur conſuetudine, niſi quatenus Superior videns, & tacens conſentire videtur. Quare Pontifex in *in prædicto c.* nihil declarat ſpeciale de hac facultate. *Reſpondeo*, eligere Confeſſorem ſine licentia proprij, repugnare Iuri diuino, vt *ſuprà* dixi; & ideò in illo textu ſignificaſſe Pontificē, non poſſe cōſuetudinem præſcribere cōtra hoc Ius. In quo multū differt hæc conſuetudo à quacumque lege humana. Præterea facultas hæc conſuetudine obtenta talis eſt, vt ſemper pendeat à voluntate proprij Sacerdotis, itavt non obſtante conſuetudine, ſemper ſit in eius poteſtate, illā reuocare, ſi velit: quia aliàs talis conſuetudo formaliter ac directè eſſet contra Ius diuinum; quandoquidem ex vi illius poſſet ſubditus Confeſſarium eligere, etiam proprio paſtore repugnante; & talis conſuetudo hoc modo introducta eſſet valdè onerosa paſtoribus Eccleſiæ, & contra ſubiectionem illis debitam, & multùm contraria conuenienti regimini animarum. Poſita autem hac veluti continua dependentia huius conſuetudinis à voluntate Paſtoris, optimè verificatur deciſio illius Capitis ſecundi: Nam ſi Paſtor videt, & tacet, ſatis ſignificat ex ſuo conſenſu habere ſubditos illam facultatem; & ita non eſt iam ad eligendum Confeſſorem ſine licentia Paſtoris: ſi verò ipſe reuocet, iuxta illius Textus deciſionem, conſuetudo non ſufficiet. Id totum rectè notauit noſter Suar. *diſp.* 17 *ſect.* 3. *n.* 5. *&* 6.

SECTIO IV.

Quibus ſit conceſſa facultas eligendi Confeſſarium ab homine, & qualis eſſe debeat?

Circa primum, vnico verbo dicendum eſt, id pendere ex volūtate Paſtorū. Cōmuniter verò eā facultatem ſolent habere per priuilegia perpetua Reges, & alij ſimiles Principes. Præterea in Hiſpania per Bullam Cruciatæ, generaliter concedi ſolet; aliquando etiam per Iubilæa, & ſimiles gratias: in quibus verba ſunt expendenda ad intelligendum, quantum huiuſmodi facultates ſe extendunt. 1

Circa ſecundum, breuiter Dico *primò*, eiuſmodi facultatem ſe extendere ad peccata mortalia, & non ad venialia tantùm. Patet, quia propter ſola venialia non eſſet neceſſaria facultas; qui autem illam petit, aliquid ſpeciale petit, & in eodem ſenſu Superior illam concedit. 2

Dico *ſecundò*, facultatem hanc non poſſe excedere poteſtatem concedentis. Hoc eſt certum, quia nullus poteſt ampliorem iuriſdictionē delegare, quàm ipſe habet: ergo ſi ipſe non poteſt abſoluere ab omnibus peccatis mortalibus, ſed à quibuſdam, non poteſt facultatem dare extra illos caſus. 3

Dico *tertiò*, ſub conceſſione generali dictæ facultatis non cōprehenduntur caſus reſeruati. Hoc etiā admittūt omnes, & conſtat *ex c. ſi Epiſcopus, de pœn. & remiſſ. in* 6. Quia in generali cōceſſione nō veniūt, quæ nō eſſet quis in ſpecie veriſimiliter conceſſurus: Nec etiam Papa, ſi concedat generaliter talem facultatem, ſe extēdit ad caſus ſibi, vel Epiſcopis reſeruatos, vt colligitur ex *Clem.* 1. *& extrau. Inter cunctas, de Priuil.* quia etiam caſus Epiſcopis reſeruati habent ſpecialitatem, ratione cuius nō intelliguntur comprehenſi ſub generali clauſula, niſi exprimātur. Sic etiā nō extenditur ad diſpenſationes votorū, nec ad cēſuras, ſed ad ſummum ad excommunicationē maiorem non reſeruatam, quatenus eius Abſolutio precedere debet Abſolutionem à peccatis, ex *c. nuper, de ſententia excommunic.* 4

Dico *quartò*, talem facultatem non finiri per mortem concedētis, quando datur abſolutè. Patet ex dictis ſuprà *diſp.* 42. *ſect.* 8. quia hæc facultas tanquam gratia habēda eſt; gratia autem non ceſſat per mortem concedentis, quāuis res ſit integra. Quòd ſi concedatur ea facultas, vſque ad beneplacitum, finitur morte concedentis, quia beneplacitum perſonæ morte extinguitur. Si verò dicatur, Vſque ad beneplacitum noſtræ Sedis, non ceſſat per mortem, quia ſedes non moritur, ſed ſemper viuit. Denique notandum eſt, ſi talis facultas detur indefinitè, & ſine limitatione, non finiri vno actu, ſed poſſunt plures Confeſſores eligi, & nunc vnus, nunc alter. Quod ſi expreſsè detur ad ſemel faciendam Confeſſionem, finietur per vnum actum completum: ſi ad plures certas, vel ad tempus limitatum, eodem modo finietur per plures illos actus, & tempus. Sic communiter obſeruant Doctores. 5

SECTIO V.

An ſufficiat aliquando facultas interpretatiua, vel præſumpta?

Videātur circa hāc rē, quæ diximus ſuprà *diſp.* 41. *ſect.* 4. Iuxta quam doctrinā, breuiter Dico *primò*, ſi

ſi præſumptio fundetur in aliquibus ſignis, quæ ſufficienter indicent præſentem voluntatem Superioris concedentis facultatem, valere facultatem eo modo præſumptam. Patet, quia præſumptio nihil aliud eſt quàm exiſtimatio de voluntate Superioris ſufficiente ad facultatem: ergo ſi iſta exiſtimatio fundata ſit in ſignis ſufficientibus, etiam erit facultas data implicitè, & tacitè, etſi non expreſsè. Id autem quando ſit, pendet ex arbitrio prudentis, & ex conſuetudine declarante conſenſum Superioris.

2 Dico *ſecundò*, ſi præſumptio non fundetur in talibus ſignis, non ſatis eſſe. Id mihi videtur certum, quia tunc non ſufficeret ad dandam iuriſdictionem de præſenti; nam ſi ſit tantum exiſtimatio de conſenſu futuro Superioris, coincidet cum ratihabitione de futuro, quam oſtẽdimus ſup. *ſect.* 4. *citat.* non eſſe ſatis ad dandam iuriſdictionem: ſi de conſenſu præſenti, tunc neceſſe erit, vt fundetur in aliquibus ſignis moraliter ſufficientibus; ſi ergo hæc non adſint, præſumptio non ſufficiet.

3 Ex prędicta doctrina colligo, quid dicendum ſit ad ſequentes caſus. Primus eſt, an abſente Parocho per aliquod tempus, nullo relicto Vicario, liceat confiteri alieno. *Reſpondeo*, ſi ex aliquo ſigno aliàs dato à Parocho, præſumi poſſit de eius voluntate, vt quia alia vice ſignificauerit ſe ita velle, tunc poſſe Parochianos alteri confiteri ex præſumpta voluntate præſenti: Si tamen non ſit tale ſignum ſufficiens, non licere, ſed recurrendum eſt ad Vicarium generalem Epiſcopi, vel ad Epiſcopum, vt prouideat. Quod benè notauit Suar. *diſp.* 27. *ſect.* 4. *n.* 18. Quia ſola Parochi abſentia non dat facultatem; & moraliter loquendo, & iuxta communem vſum omnium, illud non eſt ſufficiens ſignum talis voluntatis. Quòd ſi in tali loco ſint regulares priuilegiati, tunc poſſet ad eos fieri Confeſſio.

4 Secundus caſus eſt, ſi moriatur Parochus, vel ita repentè ægrotat, vt poſſit dare alteri facultatem, liceat alieno confiteri? *Reſpondeo*, eodem modo non licere, niſi eſſet contraria conſuetudo, vel ſignum aliquod dediſſet Parochus ſuę voluntatis. Recurrendum etiam eſt ad Vicarium Generalem, vel ad Epiſcopum, ad quem pertinet prouidere de Succeſſore. Quod idem dicendum eſt in caſu, quo Parochus excommunicaretur, vel ſuſpenderetur nominatim, & publicè.

5 Tertius caſus eſt, ſi quis roget Parochum, vt audiat Confeſſionem ſuam, & Parochus neget, vel quia non poteſt, vel quia non vult; poteritne alteri confiteri? *Reſpondeo*, in praxi id vix accidere poſſe, vt ſimul vel non det ſignum voluntatis ſuæ eundi ad alium, vel non poſſit pœnitens petere facultatem confitendi alteri. Cæterùm dato quòd ita contingat, non ideò poteſt alteri confiteri, quia proprius non vult audire; poteſt enim velle alio tempore, poteſt velle dilationem, & nihil cogitare ad facultatem, vt pœnitens alteri confiteatur.

6 Vltimus caſus eſt, quando pœnitens habet cauſam rationabilem non confitendi ſuo Parocho, vt fœmina, v.g. quæ peccauit cum ipſo Parocho, poſſit abſque illius licentia confiteri alieno? *Reſpondeo* cum Suar. *citat. n.* 19. habere quidem cauſam petendi facultatem; ſed non hoc ipſo poteſt, quia non propterea quòd fœmina peccauit cum illo, ſit impotens Parochus ad audiendam Confeſſionem talis peccati quia nullo iure poſitiuo hoc prohibitum eſt, nullibi enim exſtat; neque etiam eſt cõtra Ius diuinum, vel naturale, quia poteſt eſſe emendatus, & ritè, ac ſanctè conferre Sacramentum. Deinde ſi talis fœmina timeat periculum, tunc adhuc debet petere facultatem, quia in hoc nullum eſt periculum.

SECTIO VI.

An ſatis ſit, facultatem eſſe petitam, etſi non obtentam.

Nonnulli affirmant ſufficere petitionem, quia cùm ſubditus iniuſtè tunc ſuo iure priuetur, ipſum naturale ius concedit ei facultatem tuendi ius ſuum, vel ſubueniendi ſuæ neceſſitati. 1

Negant alij, vt Alenſis, Marſil. Sot. Victor. Can. & Ledeſm. quos affert, & ſequitur Suar. *dict. ſect.* 4. *n.* 20. 21. & 22. Iuxta quam, quæ verior eſt;

Dico *primò*, non videri ſatis petitionem. Patet, quia per eam vniuerſaliter non datur iuriſdictio; & quando poſt petitionem negatur, conſtat non concedi: nec ſufficit obligatio danda ad hoc, vt dicatur conferri: nam ſi voluntas non adſit, nihil ſit; aliud enim eſt debere, aliud facere, vel ſoluere. 2

Dico *ſecundò*, non hoc ipſo quòd proprius Sacerdos negat, dat Ius facultatem. Ratio eſt, quia ex quatuor cauſis id eſſe poſſet. *Prima* poteſt eſſe ex pręſumptione, quia præſumi poſſit: & ad hanc iam diximus *ſup. ſect.* 5. ſine ſufficientibus ſignis, præſumi non poſſe, quæ hic non adſunt; nec aliqua conſuetudo, neque aliquod ſimile, quod oſtendat in Superiore voluntatem. *Secunda* ex vi Iuris poſitiui; & hoc nullum eſt: nam caput *Placuit*, 9. *q.* 2. non loquitur de hac materia. *Tertia*, ex vi Iuris diuini dantis iuriſdictionem omnibus Sacerdotibus, vel facultatem fidelibus eligendi Confeſſorem, quando ceſſat obligatio confitendi proprio Sacerdoti: Et hoc eſt falsũ, quia Chriſtus nullam talem facultatem conceſſit fidelibus, neque vllus Sacerdos poteſt habere hanc iuriſdictionem delegatam, niſi mediante aliquo Sacerdote proprio. *Quarta* denique ex vi Iuris naturalis, poſita inſtitutione Sacramenti, quia cùm iniuſtè priuetur quis re ſibi debita, recurrendum ſit ad ius naturale, & hoc non: Tũ quia, tametſi aliquis iniuſtè priuetur re ſibi debita, non ſtatim ei conceditur ipſo iure naturali: Tum maximè, quia iuriſdictio danda eſt ab aliquo, non datur autem ab aliquo homine, vt oſtenſum eſt; dicere autem, quòd detur à Chriſto, eſt voluntarium, & fictum, nam licèt caſu, vel iniuria deſit neceſſarium remedium ad ſalutem inſtitutum, non ſtatim Chriſtus diſpenſat, vel prouidet aliud: Vt ſi deſit aqua ad Baptiſmum adeò neceſſariũ, non ſtatim diſpenſat Chriſtus, vt ſufficiat vinum: Sic igitur ſi deeſt iuriſdictio, & per aliquam debitam viam non datur, non propterea ſtatim immediatè datur ab ipſo Chriſto propter vnius neceſſitatem, vel alterius iniuriam. 3

Ex his infertur ſolutio trium caſuum. Primus, an quãdo Parochus non vult audire Confeſſiones, nec dare facultatem, poſſit quis alteri confiteri? Dico enim, etſi Parochus grauiter peccet, & iniuſtè neget hanc facultatẽ, non ideò eſſe liberum eligere alium, ſed recurrendum eſſe ad Superiorem. Quòd ſi id fieri non poſſit differatur Confeſſio; donec melior opportunitas occurrat, ſibique per Contritionem prouideat. Nec mirum eſt, quia generalis prouidentia non euitat omnia particularia incommoda. 4

Secundus caſus eſt, ſi contingat, quòd Parochus ſit valdè ignorans, vel ſcãdaloſus, vt quia in moribus ſcãdalum præbeat, inuitando ad peccatum pœnitentem, eritne liberum alteri confiteri. *Reſpondeo*, eodem modo non eſſe liberum, ſed differendam Confeſſionem, vel ad Superiorem recurrendum. 5

Tertius caſus eſt, an quando ex parte pœnitentis eſt magna verecundia, & Parochus non vult dare facultatẽ, 6
poſſit

Digitized by Google

poſſit is liberè alteri confiteri? *Reſpondeo* eodem modo non eſſe liberum, ſed differendam Confeſſionem, vel recurrendum ad Superiorẽ. Si tamẽ velit confiteri, debet proprio integrè confiteri, & ſi tẽpus obligationis occurrat, tenetur, quia neq; imprudentia Confeſſoris, neque propria verecũdia, ſi aliud incommodũ non interueniat ſufficit ad excuſandum à præcepti obſeruatione.

DISPVTATIO XLV.

De Prælatis, qui, & quomodo poßint reſeruare ſibi peccata.

HACTENVS dictũ eſt de poteſtate iuriſdictionis requiſita ad abſoluẽdum in genere; ſupereſt vt de facultate, & iuriſdictione ad abſoluendũ à reſeruatis in hoc foro Pœnitentiæ in particulari dicamus. Quoniã verò tractatio hæc cõtinet varia puncta, quæ omnia expendere omninò neceſſariũ eſt in bonum animarũ, ideò omnia illa ad quatuor præcipua capita ſolita claritate, & diſtinctione reducenda duxi. *Primũ* erit de Prælatis, vel Superioribus, qui poſſunt reſeruare, & quæ cauſa requiratur ad reſeruandum. *Secundum*, quæ ſit materia circa quam cadere poſſit reſeruatio. *Tertium*, quis poſſit Abſoluere directè a reſeruatis per ordinariam poteſtatem; & quis per delegationem: Vbi an Regulares poſſint abſolui virtute Bullæ Cruciatæ à caſibus ſuis Prælatis reſeruatis abſq; eorũ licẽtia. *Quartũ* deniq; de modo abſoluendi. Primũ tracto in *hac Diſputat.* 40. ſecundũ explicabo in *diſ.* 41. *ſubſequenti*. Tertium in *alia* 42. & Quartum *in* 43.

SECTIO PRIMA.

An ſit in Eccleſia poteſtas reſeruandi peccata in hoc foro Pœnitentiæ?

1 NOmine Reſeruationis intelligitur hoc loco negatio iuriſdictionis circa aliquod peccatũ; id eſt ablatio ſeu nõ cõceſſio iuriſdictionis ad abſoluendũ ab aliquo peccato, quãuis circa alia peccata cõcedatur Id cõſtat in hac materia, ex communi vſu omniũ Doctorũ.

2 Hæretici noſtri temporis irrident reſeruationem caſuum in foro interiori, & Pœnitentiæ, quia exiſtimãt in Eccleſia non eſſe poteſtatem abſoluendi in eo foro; atq; ideò dicũt reſeruationem tantùm fieri in exteriori politia. Eſt tamen de Fide, eſſe in Eccleſia poteſtatẽ reſeruãdi non ſolùm quoad exterius iudiciũ, & politiã; ſed etiã in foro interiori, & Cõſciẽtiæ apud Deũ, ita vt, facta reſeruatione, Abſolutio data ab inferiore nõ ſit valida corã Deo. Id definitũ eſt in Trident. *ſeſ.* 14. *c.* 7 Vbi ex natura & conditione iudicij, quæ huic Sacramento cõpetit, & ex Eccleſię vſu id probatur, ac definitur, extra mortis articulum, Sacerdotes alios in caſibus reſeruatis nihil poſſe. Cùm enim Abſolutio ſit iudicium, ſeu ſententia Sacerdotis abſoluentis, id validum eſſe non poteſt, niſi feratur in ſubditos: ſicut autem huic, aut illi particulari Sacerdoti poteſt Eccleſia ſola dare ſubditos, & non dare; ita dare poteſt hos, & non illos, circa hæc, & non circa illa peccata: quod quidem eã poſſe nihil eſt aliud, quam peccata aliqua poſſe reſeruare. Præterea idem firmatur ex verbis aliis Tridentini ſic ibi dicentibus: *Magnopere ad Chriſtiani populi diſciplinam pertinere, ſanctiſſimis Patribus noſtris viſum eſt, vt atrociora quædam & grauiora crimina, non à quibuſuis, ſed à ſummis dumtaxat Sacerdotibus abſoluerentur: vnde meritò Pontifices maximi pro ſuprema poteſtate ſibi in Eccleſia vniuerſa tradita, cauſas aliquas criminum grauiores ſuo potuerunt peculiari iudicio reſeruare. Neque dubitandum eſt, quando omnia, quæ à Deo ſunt, ordinata ſunt; quin hoc idem Epiſcopis omnibus in ſua cuique diœceſi, in ædificationem tamen, non in deſtructionem, liceat; pro illis in ſubditos tradita ſupra reliquos inferiores Sacerdotes auctoritate, præſertim quoad illa, quibus excommunicationis cenſura annexa eſt. Hanc autem delictorum reſeruationem, conſonum eſt diuinæ auctoritati, non tantum in externa politia, ſed etiam coram Deo vim habere.* Hæc Tridentinum. Vnde *dicta ſeſſ.* 14. *can.* 11. ſic definitur: *Si quis dixerit, Epiſcopos non habere ius reſeruandi ſibi caſus, niſi quoad externam politiam; atque ideò caſuum reſeruationem non prohibere, quominus Sacerdos à reſeruatis verè abſoluat; anathema ſit.* Ratio huius Catholicæ doctrinæ optima eſt, quia reſeruatio nihil eſt aliud quàm limitatio iuriſdictionis ad abſoluendum in foro conſcientiæ quoad aliquos caſus; in Eccleſia autem Superiores poſſunt illam inferioribus quoad aliquos caſus limitare, quia iuriſdictionem inferioribus concedunt, & in eos à Superioribus dimanat, & dependenter ab ipſis conſeruatur; atque ideò poſſunt eam illis quoad aliqua nõ concedere, & ſemel conceſſam limitare. Quod meritò viſum eſt Paſtoribus Eccleſiæ, ait Tridentinum id expedire; ad rigorem nempè diſciplinæ, & vt fideles magis contineantur ab huiuſmodi peccatis, ſaltem propter difficultatem obtinendi Abſolutionem: & vt à Prælatis melius corrigantur, & ad emendationem iuuentutis.

3 Ex hac veritate colligo *primò*, certiſſimum eſſe, poteſtatem reſeruandi caſus in foro Conſcientiæ reperiri in Romano Pontifice pro tota Eccleſia; & in Epiſcopis pro ſuo Epiſcopatu.

4 Colligo *ſecundò*, generaliter hanc poteſtatem eſſe in his, qui habent iuriſdictionem ordinariam reſpectu eorum, quibus eam delegare poſſunt. Ratio eſt, quia ille, cui delegatur iuriſdictio, ex ſe non habet ius ad illã, ſed à delegante liberè datur: ergo ſicut poſſet non delegare, ita etiam poteſt tantùm ex parte circa quædam peccata, & non circa alia, quæ proinde reſeruata manent. Ob hanc rationem ſentiunt aliqui, hanc poteſtatem etiã eſſe in Parochis, tametſi id non ſit Parochis in vſu, quia eſſet inutilis ea reſeruatio. Habent tamen illam Prælati regulares modo, quo id præſcripſit Clemens VIII. de quo *ſeq. ſect.*

5 Colligo *tertiò*, poſſe Epiſcopum reſeruare caſus, reſpectu parochorum ſibi ſubditorum, id conſtat ex Concilio Tridentino, & ex vſu Eccleſiæ. Et certè cũ ipſi ſint ſub Epiſcopis, ad quos maximè pertinet animarũ cura, oportuit vt haberent poteſtatem, pro ſuis ouibus ordinandi debitum, ac conuenientem modum adminiſtrationis Sacramenti, atque ideò poſſunt ſibi aliquarum cauſarum cognitionem reſeruare.

6 Vnde colligo *quartò*, hanc poteſtatẽ conuenire Epiſcopis radicaliter Iure diuino, quia ex inſtitutione diuina eſt, vt ſint Epiſcopi, qui poteſtatẽ habeant in ſuos ſubditos, & qui eos debeãt paſcere per ſe, vel per alios, quibus id munus poſsũt cõmittere plus, vel minus provt viſũ fuerit. Immediatè verò Epiſcopi habẽt ex cõceſſione & cõmiſſione Põtificis reſeruare poſſe peccata, & Parochorũ poteſtatẽ limitare. Quia tametſi diſtributio, ſeu diuiſio Parochiarum, & iuriſdictio ordinaria Parochorũ ſit ex inſtitutione ſummorum Pontificũ; tamen ex eadẽ inſtitutione manauit, vt Parochi in hoc eſſent quaſi dependentes ab Epiſcopis, & illis ſubordinati; quia ita expediebat ad conuenientem Eccleſiæ gubernationem.

7 Colligo *vltimò*, eum qui habet hanc poteſtatem reſeruandi, poſſe reſeruare Abſolutionem ſibi, vel poſſe etiã reſeruare eã alteri. Patet, quia poteſt & ab altero auferre iuriſdictionem, & alteri ſuo rationabili arbitrio illam concedere: ſicut Papa reſeruat caſus non ſolùm ſibi, ſed etiam Epiſcopis: Non igitur deeſt in Epiſcopis poteſtas. Ex alio capite poteſt id prudenter fieri, ſi nimirùm cum debita moderatione, & ratione fiat.

8 Notat rectè Cardinalis Lugo *diſp.* 20. *ſect.* 1. *num.* 8. id intelligi debere, quando peccata illa eſſent in diuerſis perſonis: nam ſi eſſent in eadem, cùm Confeſſio non poſſet diuidi inter plures Confeſſarios, oporteret, quòd ille, cui grauius peccatum reſeruatum eſt, haberet facultatem ad alia peccata: vel certè recurrendum eſſet ad ipſum reſeruantem, vnde perinde eſſet ac ſi ſoli ipſi reſeruaſſet in eo caſu Abſolutionem.

De Prælatis autem regularibus, an & quomodo poſſint reſeruare peccata, dicemus *infra*.

SECTIO II.

An poſſint Prælati pro libito reſeruare caſus abſque legitima cauſa?

1 Certum eſt *primò*, non eſſe quæſtionem de Prælatis regularibus: nam circa illos iam de facto Clemens VIII. determinauit, quæ, & qualia peccata poſſint reſeruare cum legitima cauſa, ad vitandum exceſſum omnem, qui in eo genere timeri poſſet, vt dicemus *diſput. ſeq. ſect.* 1.

2 Certum eſt *ſecundò*, reſeruationem factam ab aliis Prælatis abſque legitima cauſa eſſe illicitam. Ratio eſt, quia reſeruatio ex natura ſua eſt odioſa, & oneroſa ſubditis; ob id enim Cõfeſſio fit illis moleſtior, ac difficilior; quod nõ eſt faciendũ abſque rationabili cauſa; ſemper enim attendẽda eſt ſubditorum vtilitas, ad quã hæc poteſtas ordinata eſt. Cenſetur etiam eſſe iniurioſa Confeſſariis habentibus iuriſdictionem ordinariam, quia eſt minoratiua iuriſdictionis, illis ex proprio officio competentis.

3 *Tertiò*, conueniunt Doctores, ad valorem reſeruationis, quæ fit in ordine ad Confeſſarios, qui ſolùm ex mera delegantis delegatione iuriſdictionem haberent, non requiri cauſam. Ratio eſt, quia ab ipſo delegante pendet iuriſdictio in alios, ideóque poteſt limitari pro ſuo arbitratu; quare ſicut illis poteſt nullam dare iuriſdictionem, ſic eam poteſt pro libito limitare, vel omninò auferre.

4 *Quartò* denique conueniunt omnes, de ſummo Pontifice validam eſſe reſeruationem ab ipſo factam, etiamſi abſque legitima cauſa fieret. Ratio eſt, quia iuriſdictio omnium inferiorum dependet à ſummo Põtifice; quare licèt ipſe peccaret, non relinquendo ordinem debitum, & poteſtatem neceſſariam in inferioribus, validè tamen id faceret. Vnde de iuriſdictione, quæ cõfertur à ſummo Pontifice non eſt iudicandum, ſicut de re, quæ tranſit in dominiũ abſolutũ alterius, ita vt non poſſit illa priuari, ſed potius vt de inferiori quodam iure dependente à ſuperiore, & ordinato ad bonum ſubditorũ magis, quàm ad vtilitatem habẽtis; & ideò ita datur à ſupremo Paſtore, vt tamen ſemper ab illo pẽdeat, quia ſemper manet ſupremus Paſtor, & poteſt per ſeipſum curare, vel iudicare oues, ſi velit.

5 His poſitis ſolùm reſtat difficultas de Epiſcopis in ordine ad Parochos, qui habent iuriſdictionẽ ordinariã; & etiã in ordine ad Regulares, quos ſi Epiſcopus approbet, iam ij non dependent ab Epiſcopo quoad iuriſdictionẽ, quã per ſua priuilegia accipiunt à ſummo Pontifice.

Prima ſententia, quam ſequitur Vaſquez *q.* 91. *art.* 3. *dub.* 4. cum Soto, & aliis quos refert, affirmat reſeruationem Epiſcopi abſque legitima cauſa, fore inualidam. *Primò*, quia in Concilio Tridentino *ſeſſ.* 14. *cap.* 7. dicitur, Epiſcopos reſeruare poſſe nõ in deſtructionem, ſed in ædificationem. *Secundò*, quoties aliquo modo immutandum eſt ius diuinum, vt valida ſit actio, requiritur legitima cauſa: ideò enim diſpẽſatio v. g. in ieiunio, quãuis illicitè, & ſine cauſa concedatur à Papa, valida eſt, quia eſt tantùm in iure humano; diſpenſatio autem in voto, ſi fiat ſine cauſa, non ſolum illicita, ſed etiam nulla eſt, quia attingit aliquo modo ius diuinum. Igitur cùm Parochi habeant iuriſdictionem iure diuino, nequit fieri reſeruatio ſine cauſa. *Tertiò*, negari non poteſt, Parochos, ſaltem ex ſuppoſitione Officij, habere intrinſecum, & naturale ius ad ſuam iuriſdictionem: ergo ſaltem hoc titulo non poſſunt ſine cauſa, illa priuari, nec licitè, nec validè. 6

Secunda ſententia abſolutè docet talem reſeruationem validam eſſe. Cui inclinat Suarez *diſ.* 29 *ſect.* 4. *n.* 8. propter ſubordinationem ac dependentiã Parochorũ ab Epiſcopo: nã ſẽper Epiſcopus manet ita Superior, vt poſſit cauſam aliquam ſibi reſeruare; & quamuis in cõſcientia teneatur id prudenter, & ex cauſa facere, tamen ſi ſemel faciat, videtur magis expediens ad tollendas occaſiones ſchiſmatis, & ad cauenda pericula animarum ad quarum vtilitatem hæc poteſtas ordinatur, vt reſeruatio ſemel facta rata, & valida habeatur. 7

Dico *primò*, licitè, ac laudabiliter de facto reſeruare Epiſcopos ſibi aliqua grauiora crimina, vt inferiores Parochi nequeant ab iis abſoluere. Ita Tridentinum *ſeſſ.* 14. *c.* 7. Et patet ex vſu Eccleſiæ: Præterea hoc certè ad ſalutem animarum expediens eſt, vt pœnitẽtes meliùs à Superioribus dirigantur; & vt diligentiùs eiuſmodi peccata euitent, à quibus vident tam difficulter ſe abſolui. Debet tamen hæc reſeruatio prudenter fieri, vt nimirum cedat in ædificationem, & non in deſtructionem, vt docet Tridentinum *loco citato*. 8

Dico *ſecundò*, practicè & moraliter loquendo, reſeruationem factam ab Epiſcopis, etiam illicitè factã propter aliquem exceſſum, eſſe validam, & habendã vt talẽ. Ita ſētio cum ſecunda ſententia: Et probatur; Tum quia hactenus non inuenitur talis irritatio reſeruationis, nam Tridentinum *dicto cap.* ſolùm dixit, Epiſcopis omnibus licere in ſua cuique diœceſi reſeruationẽ, in ædificationẽ tamen, non in deſtructionem; quibus verbis nulla indicatur inualiditas reſeruationis illicitæ, cùm eadem prorſus verba de ſummo Pontifice dici poſſent, reſpectu cuius nulla poteſt eſſe inualiditas reſeruationis: Tũ etiã quia tametſi iuriſdictio Parochorum non ſit ab Epiſcopis, ſed à Papa; eſt tamen cum ſubordinatione, & dependentia, etiam in iuriſdictione ab ipſis, propter bonum commune animarum; ergo timenda eſt ſemper, & rata, ac valida habenda. 9

Dico *vltimò*, ſi contingeret, quòd Epiſcopus pro libito, & ſine vlla cauſa reſeruaret ſibi quamplurima peccata, eo exceſſu, vt notabiliter impediret, vel diminueret Parochis iuriſdictionem neceſſariam ad exercendum ſuum Officium, totã eam reſeruationem eo ipſo inualidam fore. Id rectè notauit Cardinalis Lugo *diſp.* 20. *ſect.* 3. *n.* 37. Et benè probat, quia Epiſcopus non poteſt pro libito amouere Parochum à ſuo Officio, ſed ſolùm ex cauſa propter ineptitudinem, vel in pœnam: ergo nec poteſt pro libito ſuo auferre illi iuriſdictionem neceſſariam ad exercendum ſuum Officium: ergo nec illam notabiliter diminuere ſine vlla cauſa, adeò vt iam non cenſeatur moraliter perſeuerare illud Officium, ſed aliud diuerſum. 10

Obiicies, hic ſequi, tunc fore nullam hanc Epiſcopi reſerua- 11

reſeruationem, quando nimia eſſet multitudo caſuum reſeruatorum: At hæc cauſa nunquam poteſt eſſe practicè ſufficiens. Patet, quia quando eſt nimia multitudo caſuum, vel tunc ſtatim tota collectio fit nulla, itavt iam nullus caſus reſeruatus validè maneat. Et hoc nō; quia decem caſus v.g. poſſent validè reſeruari: ergo propter multiplicationem aliorum non fieret ſtatim inualida tota reſeruatio: maximè, quia hæc reſeruatio omnium non fieret tota ſimul, ſed paulatim: ergo priores reſeruationes validè eſſent; neque enim fierent inualidæ ſolùm, quia ſuperadderentur aliæ: Vel dicitur reſeruatio nulla quoad aliquos caſus determinatos; & hoc etiam dici practicè non poteſt, quia non eſt maior ratio de his, quàm de illis, nec poteſt deſignari numerus caſuum, qui validè reſeruari poſſunt. *Reſpondeo*, verùm eſſe, non reddi inualidam reſeruationem anteà legitimè factam, quia vtile per inutile non vitiatur. Sicut ſi quis poſſet commutare decem vota, & his commutatis, vellet iterùm commutare alia decem; priorum commutatio non redderetur inualida per inualidā commutationem poſteriorum; ſecus verò eſſet, ſi ſimul commutaret viginti: tunc enim tota commutatio eſſet inualida, cùm excederet facultatem, & non eſſet maior ratio de his votis, quàm de illis, vt manerent validè commutata. Idem ergo dico, ſi vnica reſeruatione, Epiſcopus vellet plura peccata reſeruare vltra menſuram ſuæ poteſtatis, & cū notabili diminutione iuriſdictionis Parochorum; tunc tota reſeruatio eſſet irrita, cùm non eſſet maior ratio de his peccatis, quàm de illis vt manerent validè reſeruata.

12 Ad argumenta primæ ſententiæ, quatenus probare intendunt, quamlibet Epiſcopi reſeruationem abſque cauſa legitima, inualidam eſſe. Ad primum, iam dictum eſt ſupra *Dicto ſecundo*, illis verbis Tridentini, nullius indicari reſeruationis inualiditatem.

Ad ſecundum, negandum eſt, Parochos habere iuriſdictionem Iure diuino, ſed ſolum iure Eccleſiaſtico à Papa, & cum ſubordinatione ac dependentia à ſuis Epiſcopis.

Ad tertium, concedo, habere Parochos ratione Officij ius quaſi intrinſecum ad ſuam iuriſdictionem; & ideò Epiſcopos non poſſe eam notabiliter diminuere, propter reſeruationem, vt dixi *Dicto tertio*.

Argumentum ſecundæ ſententiæ probat noſtrum ſecundum Dictum.

SECTIO III.

An puerorum peccata poſsint ſibi reſeruare Prælati?

1 CErtum eſt apud omnes, eorum peccata, & caſus poſſe reſeruari, qui ſubditi ſunt Prælato reſeruanti in hoc foro ſacramentali Pœnitentiæ, niſi aliqua ſpecialis prohibitio Prælati ſuperioris obſtet. Ratio eſt, quia ſicut Abſolutio ſacramentalis, quia eſt iudicium, ſeu ſententia abſoluentis, non poteſt ferri niſi in ſubditos in eo foro: ita & reſeruatio, quæ eſt limitatio iuriſdictionis ad abſoluendum in foro Conſcientiæ, quoad aliquos caſus, non poteſt intelligi, niſi in ordine ad inferiores, & ſubditos in illo foro Superioris reſeruantis, non impediti aliqua prohibitione Prælati maioris.

Difficultas eſt de duplici genere perſonarum, nempe puerorum, & ignorantium reſeruationem, an eorum caſus, & peccata intelligantur reſeruata, ſicut & aliorum ſubditorum. Primum tractabitur in hac ſectione; Secundum in ſequenti.

De pueris igitur, an quando peccata aliqua grauia 2 reſeruantur in aliquo Epiſcopatu, ſi à pueris committantur ante annos quatuordecim, in quibus pubeſcunt, ſint etiam caſus reſeruati; idemque eſt, ſi committantur à puellis ante annos duodecim, quod eſt tempus pubertatis fœminarum?

Negant Paludanus, Graſſis, & Bellochius apud Dianam *tom. 1. tractatu primo, Miſcellaneor. reſol. 1.* Quia minor ætas in foro exteriori excuſat à pœna ordinaria; ſic enim diximus ſupra *diſputat. 9. ſect. 6. n. 13.* pueros ante annos pubertatis, etſi obligentur præcepto Confeſſionis, non tamen incurrere ante pubertatem pœnas excommunicationis, prohibitionis ſepulturæ, & ingreſſus Eccleſiæ, quas ſtatuta Synodalia imponere ſolent in tranſgreſſores dicti præcepti. Igitur ſimiliter dicendum eſt, hanc minorem ætatem excuſare quoque & in animæ iudicio.

Ego ſentio oppoſitum, nempe peccata impuberum 3 vt maſculorum ante 14. annum, & fœminarum ante 12. ſubdi reſeruationibus Epiſcoporum, niſi aliud eorum ſtatutis caueatur. Ita tenent Homobonus *de caſibus reſeruatis, p. 1. c. 3.* Lazarius *tractat. de Blaſphemia, q. 9. n. 42.* Floronius *de caſ. reſeru. p. p. c. 1. num. 3.* & alij. Ratio efficax hæc eſt, quia in Epiſcoporum ſtatutis de reſeruationibus aliquorum peccatorum, ponitur reſeruatio peccati Sodomiæ, v.g. & aliorum grauiſſimorum, non vt pœna, ſed vt remedium, & medicina; eſt enim ea reſeruatio quaſi lex determinans caſus, in quibus pro meliori remedio applicando debet recurri ad Prælatum pro Abſolutione; ac proinde cenſetur eſſe quaſi lex medicinalis: ergo obligat omnes, etiam pueros. Quare ſicut pueri ſtatim poſt vſum rationis, obligantur præcepto abſtinendi à carnibus in diebus prohibitis, & colendi feſtos dies, & præcepto annuæ Confeſſionis, ſi mortaliter peccauerunt; ita & ſubiiciuntur, ac ſubiici debent legi medicinali reſeruationis.

Ex quo patet ſolutio ad Argumentum oppoſitum. 4 Vnde diſtinguenda eſt duplex reſeruatio, quam tradit Thomas Sanchez *lib. 9. de matrimonio, diſp. 32. n. 18.* Alia enim eſt reſeruatio ſimpliciter facta, quæ ad bonam Eccleſiæ gubernationē refertur, vt grauiora delicta ſuperioribus reſeruentur; & hæc eſt quaſi lex medicinalis obligans omnes etiā pueros: alia verò eſt reſeruatio appoſita in lege, quæ eſt pœna, & acceſſoria, & ideò ſequitur naturam principalis, & pœnæ, vt cùm in aliqua conſtitutione reſeruatur Abſolutio alicuius peccati in odium illius: vt fecit Sixtus V. contra malè promotos ad Ordines: & ea reſeruatio eſt pœna ſtatuta in odium delinquentis: loquendo igitur de reſeruatione, quæ non ſit pœna, dicendum eſt peccatum mortale reſeruatum commiſſum à puero, ei eſſe reſeruatum. Quando verò reſeruatio eſſet pœna, iudicandum eſt, illam pueros incurrere ea ætate, qua incurrunt pœnas alias Eccleſiaſticas excommunicationis, verbi gratiâ, ob violationem præcepti Eccleſiaſtici annuæ Confeſſionis, nempe cùm pueri decimumquartum, & puellæ duodecimum annum naneiſcuntur, vt dixi ſuprà *diſp. 24. ſect. 6. num. 13.*

SECTIO IV.

An perſonæ ignorantes reſeruationem pœnalem, illam incurrant?

QVæſtio hæc generalis eſt ad omnes pœnas Eccleſiaſticas, quam tractat Thomas Sanchez *lib. 9. de* 1

matrimonio, diſp. 32. *à num.* 15. Placet mihi cum illo & cum multis aliis Doctoribus, quos pro ſe affert, dicere, eiuſmodi pœnas non incurri, vbi adeſt ignorantia inuincibilis; atque adeò non incurrere dictam reſeruationẽ pœnalem, ignorãtẽ inuincibiliter ius poſitiuum, prohibens ſub illa pœna, quamuis ſe delinquere nouerit. Quod ſatis firmatur hac ratione, nam quantitas pœnæ commetienda eſt cum delicti quantitate, *capite Felicis, de pœnis, in ſexto*, ibi: *Iudex pœnam metiatur ex culpa.* Et *capite ſecundo, in fine, de his quæ fiunt à maiori parte Capituli*, ibi: *Nec pœna ſit vlterius protrahenda, quàm delictum fuerit*: ſed hic ignorans ius Poſitiuum inuincibiliter, ſolùm offendit ius Naturale, & Diuinum, contra quod ſe agere nouerat, non autem ius Poſitiuum, quod inuincibiliter ignorabat: ergo ſolius prioris iuris, non poſterioris pœnas incurret. Hinc conſequenter dictus Thomas Sanchez *loco citato n.* 18. dicit in terminis, reſeruationem pœnalem, quæ imponitur in pœnam delicti, quod prohibetur aliquâ Bullâ Pontificiâ, qualis eſt illa Sixti V. reſeruatio contra malè promotos ad Ordines, non incurri ab ignorante inuincibiliter illam Pontificis prohibitionem, quia eſt pœna, & acceſſoria iuri poſitiuo, ac proinde ſequitur naturam principalis, & pœnæ. Adde probabile eſſe, quod alij dicunt, non ſolùm ſcientiam prohibitionis, ſed etiam talis pœnę impoſitæ; & ideò ignorantem inuincibiliter reſeruationem pœnalem, non incurrere illam: ſed non eſt huius loci hoc vltimum examinare.

DISPVTATIO XLVI.

De Obiecto, ſeu materia, circa quam cadere poßit reſeruatio.

POTEST AS reſeruandi generalis eſt, vt cõſtat, ac poteſt ſe extendere ad varia peccatorum genera, & etiam ad cenſuras; videndum igitur eſt in hac Diſputatione, an omnia hæc poſſint eſſe obiectum, ſeu materia reſeruationis, ſaltem Pontificiæ. Agam prius de ſolis peccatis, poſteà verò de cenſuris, ſeu peccatis, quæ annexam habent cenſuram excommunicationis, & ſunt generaliter omnibus reſeruata. De materia verò, & caſibus in Religionibus reſeruatis dicam ſpeciatim *Diſputatione ſequenti.*

SECTIO PRIMA.

Vtrùm venialia peccata, & etiam mortalia iam legitimè confeſſa, poſsint reſeruari.

1 CIrca primum de venialibus peccatis an poſſint reſeruari? Communiter dicunt Doctores, quos ſequuntur Suarez *diſputatione vigeſimanona, ſectione tertia, numero ſecundo*, Cardinalis Lugo *diſputatione* 20. *ſectione* 2. & alij, non poſſe Superiorem aliquem etiam ſupremum, aliqua peccata venialia ita reſeruare, vt pœnitens obligetur ea ipſi, vel alicui certæ perſonæ confiteri, vt fit in mortalibus non confeſſis. Quia cùm non obligetur ea confiteri, non poteſt obligari, vt ea confiteatur certæ perſonæ, ſibi, vel alteri. Vnde ſi quis reſeruationem ſumat in eo ſenſu rigoroſo, vt reſeruare, non ſolum ſit auferre iuriſdictionem ad aliquod veniale abſoluendum, verbi gratia mendacium, ſed etiam ſit reſeruare ſibi iudicium, obligando pœnitentem ex inſtitutione Sacramenti Pœnitentiæ ad confitendum, & ſubiiciendum tale peccatum coram reſeruante, fatentur venialia peccata non poſſe reſeruari. Si verò ſumatur reſeruatio; non in eo ſenſu rigoroſo, ſed ſolum prout ſignificat reſeruationem poteſtatis apud ſe, auferendo eam omnibus aliis; affirmant poſſe Papam, vt nimirùm ſicut Papa dicitur reſeruare ſibi conceſſionem alicuius Indulgentiæ plenariæ, quando eam facultatem aufert aliis Epiſcopis, & Prælatis; quia licèt non obliget fideles ad petendam illam Indulgentiam; neque ea ſit illis neceſſaria ſimpliciter ad expiandum debitum pœnæ, cùm poſſunt aliis remediis iuuari; dicitur tamen reſeruaſſe ſibi eam conceſſionem, quatenus non vult alium præter ipſum, poſſe eam Indulgentiam concedere: ſic ſimiliter poteſt Papa reſeruare ſibi venialium abſolutionem, auferendo omnibus aliis poteſtatem ea abſoluendi: quæ dici poteſt reſeruatio quoad Abſolutionem.

Vaſquez *quæſt.* 91. *art.* 3. *dub.* 2. docet, peccata venialia nec poſſe ſic validè reſeruari quoad Abſolutionem; quia Sacerdotes ex vi Ordinationis accipiunt immediatè à Chriſto iuriſdictionẽ ad abſoluendũ à venialibus, ſicut etiam poteſtatem ad conſecrandum: ergo Eccleſia nequit illam validè auferre, aut limitare, ſicut nec poteſtatem ad conſecrandum. 2

Cæterùm iam conſtat ex dictis ſuprà *diſputatione* 43. *ſect.* 5. Omnes Sacerdotes non ab Ordine, ſed ab Eccleſia accepiſſe iuriſdictionem ad abſoluendum à venialibus; atque adeò poſſe Eccleſiam validè illam auferre, & limitare: Vnde cùm omnes Sacerdotes habeant à venialibus poſſe abſoluere ex conceſſione Eccleſiæ, ſiue Papæ, poſſet Papa abſolutè efficere, vt aliquis Sacerdos à nullo omninò peccato veniali poſſet abſoluere. 3

Quare etiam poterit efficere, vt non poſſit abſoluere ab aliquibus peccatis venialibus. Id tamen præſtare non poſſunt reliqui Prælati: Nam cùm quiuis Sacerdos nulla cenſura impeditus ex generali conceſſione Eccleſiæ habeat iuriſdictionem in omnia peccata venialia; videtur hæc poteſtas non poſſe reſtringi à particularibus Prælatis, qui communem Eccleſiæ conceſſionem limitare non poſſunt. Vtrùm autem poſſit Papa non ſolum venialia quoad Abſolutionem reſeruare, in quo conuenio cum Suario, Cardinali Lugo, & aliis Recentioribus, ſed etiam omninò rigoroſè ſumpta reſeruatione pro limitatione iuriſdictionis ad abſoluendum à peccatis, ex obligatione confitendis, eſt modò explicandum. Et certè mihi videtur id non repugnare, ſuppoſitâ doctrinâ quam tradidi ſuprà *diſputatione* 24. *ſection.* 5 *num.* 5. Vbi oſtendi, poſſe Eccleſiam præcipere ſub graui culpa, Cõfeſſionem Sacramentalem obligantem omnes certo die, ſiue habeant mortalia, ſiue ſolùm venialia: hinc enim conſequenter infertur, poſſe Eccleſiam indirectè præcipere Confeſſionem alicuius venialis, vt nimirùm illud exhibeatur in ea Confeſſione, ſi alia materia grauis non ſit in pœnitente. Vnde in eo euentu Eccleſia poſſet obligare ad Confeſſionem dicti venialis peccati; & etiam poſſet illud rigoroſè reſeruare. Non igitur abſolutè repugnat veniale peccatum ſic reſeruari à Papa. Dixi *abſolutè*, quia eiuſmodi reſeruatio minimè expediret, cùm eſſet ferè inutilis; & eſſet valdè improportionata cum toto

Digitized by Google

toto genere peccati venialis: nam reſeruatio introducta eſt propter grauitatem delictorum, à qua longe diſtat totus ordo venialium peccatorum.

4 Obiicies, non poſſe Eccleſiam in eo caſu obligare ſub mortali Confeſſionem venialis peccati, quia eſt materia leuis. *Reſpondeo*, poſſe: quia tametſi tunc materia remota Confeſſionis ſit res leuis, vtpote veniale peccatum, ipſa tamen Confeſſio peccati venialis, quæ eſt materia proxima, quæ directè præcipitur, eſt grauis; imò magis quàm auditio Miſſæ, quia eſt Confeſſio Sacramentalis, per quam confertur augmentum gratię, & quæ valdè conducit ad vitæ reformationem, & perfectionem.

Circa ſecundum de peccatis mortalibus iam ritè, & legitimè confeſſis, docet Suarez *loco citato*, cum ſupponatur fuiſſe abſolute, ac per ſe remiſſa, illa ſimpliciter reſeruari non poſſe, itavt pœnitens maneat ſub obligatione illa iterùm confitendi: eſt enim doctrina ab omnibus recepta, peccatum mortale reſeruatum, poſtquam eſt ſemel per ſe & directè per Abſolutionem abſolutè ablatum, iam non manet ampliùs reſeruatum.

5 Cardinalis Lugo ſentit, poſſe validè quoque reſeruari Abſolutionem horum peccatorum, cum illam etiam poteſtatem habeant Sacerdotes ab Eccleſia; non tamen expedire, cum reuera eſſet æque inutilis talis reſeruatio.

6 Cæterùm meo iudicio, idem dicendum eſt de mortalibus iam confeſſis, quod diximus de venialibus: poſſe inprimis Eccleſiam validè illa reſeruare quoad Abſolutionem; quia Sacerdotes ab Eccleſia etiam accipiunt iuriſdictionem ad abſoluendum ab illis; atque ideò poſſet Eccleſia eam validè auferre, aut limitare, quamuis non quicumque, ſed tantùm Papa. Præterea conſequenter dico, ſicut venialia, ita & mortalia iam legitimè confeſſa poteſt Eccleſia non ſolùm quoad Abſolutionem reſeruare, ſed etiam omninò rigoroſè, ſumpta reſeruatione pro limitatione iuriſdictionis ad abſoluendum à peccatis ex obligatione confitendi, quia etiam Eccleſia poteſt obligare indirectè ad Confeſſionem dictorum peccatorum. Si enim Eccleſia præciperet ſub graui culpa Confeſſionem Sacramentalem obligantem omnes certo die, vt reuera poteſt, & non repugnat; tunc indirectè præciperet eo die Confeſſionem mortalis iam legitimè confeſſi, ſi pœnitens aliud mortale, vel veniale non haberet, vel ſi haberet, nollet in Confeſſione exhibere; in eo caſu Eccleſia obligaret ad Confeſsionem dicti mortalis iam confeſsi: ergo & poſſet illud rigoroſè reſeruare, vt videlicet ſolùm Confeſſarij approbati abſoluerent ab illo. Semper tamen iudico id non fore expediens, cùm eſſet ferè inutilis eiuſmodi reſeruatio, ſicut dixi quoque idem de reſeruatione venialis.

SECTIO II.

An peccata merè interna poſſint reſeruari, & ſint de facto reſeruata.

1 Circa primum, ratio dubitandi eſt, quia Eccleſia non habet facultatem ad præcipiendos, vel prohibendos actus merè internos: ergo neque etiam poteſt illos reſeruare: Vnde communis opinio Theologorum docet, hæreticum mentalem non incurrere cenſuram excommunicationis, nec poſſe Eccleſiam propter hoc peccatum, etſi grauiſſimum, hæreſis purè mentalis cenſuras imponere; ergo nec poteſt illud, nec alia mortalia merè interna, quæ ſola cogitatione conſummantur reſeruare.

Vera tamen ſententia eſt, loquendo de poſſibili, mortalia merè interna, nempe peccata infidelitatis, odij, deſperationis, & alia ſimilia, poſſe reſeruari: Ita Suarez, & Cardinalis Lugo citati, Vaſquez *quæſt. 9 1. articul. 3. dub. 3.* Coninck *diſputat. 8. dub. 11. num. 79.* & Alij. 2

Ratio a priori eſt, quia non minùs eſt neceſſaria iuriſdictio ad abſoluendum à peccatis internis, quam ab externis, vt liquet; & Confeſſarij inferiores vtramque iuriſdictionem accipiunt æqualiter à ſuperioribus, vt etiã conſtat: ergo æqualiter eſt in Superiorum poteſtate, vtramuis iuriſdictionem, vel in totum, vel ex parte non dare; quòd ſi hoc vltimum preſtent, verè & propriè reſeruare dicuntur. Explico id per diſtinctionem duplicem iuriſdictionis, quæ eſt in Eccleſia. Vna eſt in foro interno, & Sacramentali; & hæc circa actus merè internos verſari poteſt: quia non ordinatur ad externam Eccleſiæ gubernationem, ſed ad internum animæ bonum: vnde peculiari modo exercetur a Sacerdote, vt miniſtro Chriſti, cui etiam internum animæ iudicium ſuo nomine exercendum, ipſe commiſit; & ideò etiam in cogitationes internas cadit, quamuis neceſſarium ſit, vt ab ipſo reo exteriùs manifeſtentur in Sacramento Confeſſionis; quia aliàs nullo modo poſſet homo de illis iudicare. Alia verò eſt iuriſdictio Eccleſiæ in foro externo, & ad gubernationem exteriorem Eccleſiæ ordinata; & ad hanc pertinet punitio delictorum, & ideò non cadit niſi in actiones externas directè, & per ſe; ratione autem exterioris actus, quatenus interior ad illum neceſſarius eſt, vel poteſt in illum prodire, poteſt ipſe interior actus quaſi conſecutione quadam, ac indirectè cadere ſub legem Eccleſiaſticam: Vnde licèt Eccleſia in foro exteriori nihil poſsit circa peccata merè interna, nec circa hæreſim mentalem, & ideò nec illa ſpecialiter punire valeat; tamen in foro interno, & Sacramentali habet iuriſdictionem, vt de eis iudicium ferat, & ipſe peccator iure diuino tenetur ea deferre ad hoc iudicium, & in eo eſſe ſui accuſator, & teſtis contra ſe; atque ideò poſſet etiam Eccleſia iudicium de his peccatis internis committere, deſignatis quibuſdam Iudicibus per modum reſeruationis. Addo, poteſtatem iſtam non eſſe propriè ad peccata ipſa, ſed ad conceſsionem iuriſdictionis in ordine ad Abſolutionem. Hæc autem Abſolutio eſt actus externus, ſicut Papa etiam reſeruat ſibi diſpenſationem voti merè interni circa varias materias.

Ex his conſtat ſolutio ad rationem dubitandi: admittimus in Eccleſia non eſſe poteſtatem in actus merè internos ad eos præcipiendos, nec ad eos prohibendos, nec ad eos puniendos, quia poteſtas ad id conuenit Eccleſiæ, ratione generalis gubernatoris, & Superioris legiſlatoris humani; Superior autem & legiſlator humanus, quamuis poſsit pręcipere, prohibere, & punire actus externos; non tamen actus merè internos, cùm nequeat eos cognoſcere: peculiari tamen commiſsione, & inſtitutione Chriſti habet poteſtatem, & iuriſdictionem circa actus merè internos ad abſoluendum ab eis; & ad eam communicandam inferioribus. Vnde neque eſt ſimilis ratio de cenſura, & de reſeruatione: nam Cenſura eſt pœna pertinens ad iuriſdictionem fori contentioſi, quæ non extenditur ad actus merè internos; at reſeruatio non eſt pœna, ſed eſt limitatio iuriſdictionis fori pœnitentialis, & Sacramentalis, quæ per ſe cadit quoque in actus purè internos. 3

Circa ſecundum, dico, tametſi in Eccleſia ſit poteſtas ad reſeruanda peccata merè interna; tamen non expedire illa reſeruare: Tum quia alienum valdè eſt à prudenti, & ſuaui Eccleſiæ gubernatione, vt omnes fatentur, peccata interna reſeruari: Nam reſeruatio, ad hoc vt prudenter fiat, exigit neceſsitatem coërcendi, 4

cendi, aut adhibendi remedium ſpeciale; at peccata merè interna regulariter non egent ſpeciali aliqua curatione, quæ ab ordinariis Confeſſariis adhiberi non poſſit: Tum etiam, quia illa peccata cùm ſint per ſe occulta, non ſunt aliis nociua. Ex quo infero, veriſſimam omnium Theologorum ſententiam nempe Eccleſiam non punire pœna excommunicationis hæreſim merè mentalem: quia Eccleſia non iudicat de occultis per ſe, ſeu internis, nec poteſt directè, & per ſe actus internos præcipere, aut prohibere, vt clare fatentur Pontifices *in cap. Tua nos, & cap. ſicut tolis, de Simonia, & in cap. erubeſcant, 31. diſtinctione*. Poteſtas enim Eccleſiæ eſt ad gubernationem viſibilem fidelium, qui Eccleſiam viſibilem componunt: Et quamuis peccata mere interna ſint materia neceſſaria Confeſſionis Sacramentalis, & debeant ad Eccleſiæ tribunal deferri, quia iuriſdictio illa Sacramentalis eſt alterius generis, nec eſt intra terminos poteſtatis, & gubernationis viſibilis, ſed pertinet ad forum Dei qui iudicat etiam de internis, & voluit conſtituere Vicarios ſui Prælatos Eccleſiæ, vt exerceant in eo Tribunali poteſtatem ipſius Dei quoad ſoluenda, & retinenda peccata; ſiſtendo tamen intra terminos poteſtatis viſibilis, non poteſt Eccleſia de internis meris iudicare. Poſſet quidem Prælatus, licèt non expediret, reſeruare valide peccatum hæreſis internum, quia illa non eſſet iuriſdictio coactiua, ſed ſolùm negare inferioribus Sacerdotibus iuriſdictionem ad abſoluendum à tali peccato, quam ipſi de ſe non habent, niſi dependenter à Superiore: Punire verò pœna excommunicationis hæreticum merè mentalem non poteſt, quia hoc eſſet obligare directè ad actus merè internos, eóſve prohibere adhibitâ pœnâ; quod excedit poteſtatem viſibilem Superioris.

SECTIO III.

An quando reſeruatur aliquod peccatum externum, requiratur etiam, quòd ipſa actio externa ſecundùm ſe habeat grauitatem.

1 CErtum eſt *primò* ex præcedenti Sectione, reſeruari de facto ab Eccleſia peccatum mortale externum, & non merè internum; atque adeò hæreſim verbo, ſigno, vel facto, quantumuis occultè, ac nemine præſente manifeſtatam eſſe immediatè, & per ſe reſeruatam, & talem hæreticum per accidens occultum incurrere excommunicationem, quia tunc eius hæreſis eſt verè externa, ac per ſe, & ſuapte natura poteſt Eccleſiæ conſtare, & ſolùm per accidens occulta eſt, eo quòd nullus ei manifeſtationi internæ adfuerit.

2 *Secundò* etiam eſt certum, tametſi nullum ſit peccatum mortale externum, quod reſeruari non poſſit, quantum eſt ex ſe, vt probatum eſt *præcedenti ſectione*, ratione ſumpta ex iuriſdictione: de facto tamen non eſſe reſeruata omnia mortalia externa, ſed atrociora quædam, & grauiora crimina externa, in ædificationem, non in deſtructionem. Quo poſito, quæſtio eſt, qualis actio externa requiratur, vt eiuſmodi peccata cenſeantur reſeruata, an debeat ex ſe grauis eſſe, an verò ſufficiat quòd ſit leuis actio exterior, procedens tamen ex intentione mortali, & graui.

3 Hoc ſecundum adeò certum putat Luyſius Turrianus *in ſelectis diſputationibus, parte 2. diſp. 31. dub. 61.* vt contrariam cenſurâ afficiat, appellans illam improbabilem, & non tutam. Quod nullo alio niti poteſt fundamento, niſi quia licet illa actio ex ſe leuis ſit, procedit tamen ab intentione grauiter mala, & ideò denominatur mortalis actio; ergo eſt verè reſeruata.

Cenſeo tamen cum Cardinali Lugo *diſp. 20. ſect. 2. num. 15.* immeritò contrariam ſententiam ſic cenſuraſſe Turrianum, cùm ſit doctrina grauiſſimorum Doctorum, quos ipſe affert, Henriquez, Granado, & Suarez. Et verum iudico, quod ipſe Cardinalis doctè affirmat, videlicèt cùm reſeruatur peccatum contra Caſtitatem, quoties in actum externum prodit; requiri etiam, quòd ipſa actio externa ſecundùm ſe habeat grauitatem: Vnde ſi quis ex intentione mortali, & graui contra Caſtitatem, dicat alteri aliquod verbum turpe ex ſe leue, vel exerceat aliquam aliam actionem externam ex ſe leuem, non erit reſeruata: benè verò ſi ſit ipſa materia, & actio externa grauis, vt ſunt tactus impudici, & ſimiles. Ratio eſt quia reſeruatio de facto debet eſſe commenſurata, & proportionata grauitati culpæ externæ, quæ reſeruatur: & ideò etiam debet eſſe grauis, nam ſicut voluntas interna ſola non reſeruatur ita nec quando non procedit in actum externum, habentem ex ſe grauem malitiam, & indecentiam: Vt ſi reſeruarentur peccata mortalia contra Iuſtitiam, aut contra Charitatem, quoties in actum externum prodeunt; non eſſet reſeruatum peccatum, quando aliquis ex intentione mala, & grauiſſimo odio leuiter percutit, aut lædit proximum in corpore, fama, vel fortunis: Similiter ergo, cùm reſeruatur peccatum circa Caſtitatem religioſam, quoties in actum externum prodit, requiritur quoque, quòd ipſa actio externa non ſit de ſe leuis, ſed verè grauis: maximè, quia reſeruatio ſemper eſt reſtringenda, vt nimirùm cadat ſuper materiam grauem; verſamur enim in materia odioſa. Addo in fauorem huius doctrinæ, quod cum multis Doctoribus docet Bonacina, *de Pœnitentia, diſput. 5. quæſt. 7. puncto 5. §. 1.* Eum, qui facit aliquod opus externum, quod non eſt ſufficiens ad mortale peccatum, non incurrere caſum reſeruatum, etiamſi animus internus fuerit peccaminoſus mortaliter: quia ad incurrendum caſum reſeruatum, requiritur opus externum completum, & conſummatum. Quod etiam firmatur, quia reſeruato homicidio, vel fornicatione, non ſufficit percuſſio ex animo occidendi, nec tentare fornicationem, ſed requiritur opus conſummatum: Similiter ergo cùm reſeruatur peccatum circa Caſtitatem, quoties in actum externum prodit, non ſufficiet opus, vel materia exterior leuis, quamuis ex graui prauitate intentionis fiat, ſed debet neceſſariò eſſe opus, vel actus externus habens ex ſe malitiam grauem. 4

Argumentum contrarium ſuprà *num. 3.* adductum, nullius eſt momenti: quamuis enim verum ſit, actionem ex ſe leuem, prout procedit ab intentione grauiter mala, denominari mortalem actionem; tamen cùm ipſa non reſeruetur niſi ex ſe, & prout eſt in ſe, & ſit hoc pacto actio ex ſe leuis, & non grauis, nequit de facto cadere ſub reſeruationem, quæ ſemper commenſuratur grauitati materiæ. 5

Idem quod dictum eſt de reſeruatione, dixi in materia *de Cenſuris*, de excommunicatione maiori, non contrahi propter peccatum mortale internum, niſi externum ſecundùm quantitatem operis, ſit etiam graue, & mortale; quia actus externus eſt, quem præcipuè prohibet Eccleſia: ergo ſi iſte leuis eſt, non erit ſufficiens ad illam cenſuram; ſic paruam materiam furatus, aut leuem Clerici percuſſionem faciens cum mortali intentione interiori, non incurrit cenſuram excommunicationis poſitam. 6

SECTIO

Digitized by Google

SECTIO IV.

Vtrùm quando peccatum aliquod mortale ſimpliciter reſeruatur, cenſeatur etiam reſeruatum, quando eſt dubium?

1 PRæſens difficultas non eſt de dubio improprio, ſeu poſitiuo, quando vtrimque ſunt opiniones & rationes probabiles; quia in hoc caſu ſicut poteſt Confeſſarius amplecti opinionem probabilem circa iuriſdictionem, ſic poterit amplecti iudicium probabile circa exiſtentiam peccati reſeruati, & iudicare probabiliter ac practicè, quòd peccatum non ſit reſeruatum. Procedit igitur de dubio proprio, & negatiuo, quod dicitur purum dubium.

2 De quo certum videtur, loquendo de poſſibili, poſſe Superiorem illud reſeruare, quia cùm ad peccata ſic dubia requiratur quoque iuriſdictio, poteſt illam Superior negare; quo caſu inferior, defectu poteſtatis inualidæ abſolueret. De facto verò eſt quæſtio, an quando peccatum aliquod mortale abſolutè & ſimpliciter de facto reſeruatur, (iam enim conſtat, ſi non ſit mortale, non eſſe de facto reſeruatum) nulla facta mentione dubij, nec certitudinis peccati, quando dubium eſt, an ſit commiſſum; etiam cenſeatur de facto reſeruatum: aut etiamſi certum eſt fuiſſe commiſſum, tamen eſt dubium an fuerit mortale, ſiue ex defectu grauitatis materiæ, ſiue ex defectu deliberationis perfectæ, ſiue aliunde.

3 Prima opinio abſolutè affirmat eſſe reſeruatum, nec poſſe inferiorem abſoluere. Tuentur illam Armilla *V. caſus, n.* 13. Cordub. *in regula D. Franciſci, c.* 7. *q.* 4. *punct.* 1. *caſu* 5. & Alij.

Probari poteſt *primò*, quia in dubio tutior pars eſt eligenda; ergo quando quis eſt dubius, an commiſerit peccatum, quod eſt abſolutè reſeruatum, vel an fuerit mortale, tenetur procedere, ac ſi certò commiſiſſet illud, & ac ſi certò eſſet mortale, ne ſe temerè exponat periculo recipiendi Abſolutionem ab eo, qui non habet iuriſdictionem in illud peccatum, ſi forte fuit verè commiſſum, & verè fuit mortale, ac proinde inualidam, vtpote à non Iudice.

Secundò, communiſſima doctrina eſt, quam ſuprà defendimus *diſput.* 16. *ſect.* 5. eum, qui confeſſus eſt peccatum mortale dubium, ceſſante dubio, ſi poſteà recordetur fuiſſe certum, teneri illud iterum vt certum confiteri: ergo idem ſaltem dicendum eſt de peccato dubio reſeruato, recurrendum eſſe ad Superiorem reſeruantem pro Abſolutione illius, ſi certò conſtet poſtea non fuiſſe peccatum dubium, ſed certum.

4 Secunda ſententia eſt noſtri Thomę Sanchez *lib.* 1. *Decalogi cap.* 10. *numer.* 74. Qui licèt verius iudicet, delictum dubium non eſſe reſeruatum; hoc tamen intelligit, niſi in eo euentu eſſet præſumptio fori externi pro illius delicti admiſſi veritate, quia tunc debet haberi pro reſeruato. Probat quia ſtante hac præſumptione, eſt pro certitudine delicti poſſeſſio, & illi præſumptionis ſtandum eſt in vtroque foro, dum non probatur contrarium, vt ipſe Sanchez latè probat *dicto cap.* 10. *numer.* 13. Firmat hoc exemplo hæretici dubij: Si dubium ſit, an quando Petrus protulit hæreſim externam, eam etiam interiùs crediderit; vel an protulerit, animo eam aſſerendi, quod totum requiritur, vt ſit verè externa, ac proinde reſeruata, an potiùs ſolius ioci animo, cenſebitur in hoc dubio reſeruata, quia præſumptio eſt contra ipſum: nã cùm verba ſint naturaliter ſigna conceptuum, & intentionis, & nullus præſumatur dicere, niſi id quod interiùs ſentit, nec aliter quàm in corde habet: quod adeò verum eſt, vt etiam in iuramento metu extorto, vbi vehemens coniectura defectus animi ſe obligandi propter metum concurrit, veriſſimum ſit, præſumi animum ſe obligandi, vt delicti præſumptio vitetur; certè præſumtio eſt, ac poſſeſſio in hoc dubio, vt hæreſis illa proceſſerit exterius, ex vero interiori in illam conſenſu. Vnde in hoc dubio ille homo iudicaretur verus hęreticus in foro externo: ergo etiam in foro interno. Quia hæc iudicia non ſunt diuerſa, niſi quando illud falſæ præſumptioni innititur; & in hoc conſtat contraria veritas. Firmari adhuc *ſecundò* poteſt hoc idem; nam ſi prædictus Petrus reuerà commiſit dictum peccatum hæreſis, quamuis ſit poſtea dubius, incurrit tamen reipſa excommunicationem reſeruatam; ab hac autem excommunicatione non potuit abſoluere inferior: ergo ſemper remanet obligatio recurrendi ad Superiorem pro Abſolutione illius excommunicationis reſeruatæ, quando conſtat poſteà certò fuiſſe incurſam.

5 Tertia ſententia, quam veriorem iudico, abſolutè, & abſque vlla diſtinctione defendit, in dubio non cenſeri peccatum reſeruatum. Quam tenent Suarez *tom.* 2. *de Religione, tractat.* 6. *lib.* 4. *cap.* 5. *num.* 15. Henriquez *lib.* 6. *de pœnitentia, cap.* 16. *nu* 7. Filliucius *tom.* 1. *tract.* 21. *cap.* 4. *num.* 172. Gaſpar Hurtado *de pœnit. diſp.* 11. *difficultat.* 6. Cardinal. Lug *diſp.* 20. *ſect.* 2. *num.* 18. & alij. Iuxta quam;

6 Dico *primò*, ſi peccatum aliquod mortale abſolutè reſeruetur, nullâ factâ mentione dubij, nec certitudinis peccati, quando dubium eſt, non cenſeri de facto reſeruatum Moueor hac vnica ratione. Quia omnis reſeruatio eſt in Iure odioſa: hæc autem reſeruatio abſolutionis eſt valde odioſa tam reſpectu Parochorum, & aliorum Confeſſorum, quia illis reſtringit ſuam iuriſdictionem; quàm reſpectu ſubditorum, quia illis reddit vſum Sacramentorum difficiliorem: ergo hæc reſeruatio potiùs eſt reſtringenda, quàm amplianda; iuxta Dictum illud commune: Odia ſunt reſtringenda, fauores ampliandi: ergo quando reſeruatur mortale aliquod ſimpliciter, & abſolutè tale, in eius reſeruatione non comprehenditur peccatum ſub dubio, aliàs reſeruatio ampliaretur, quia peccatum dubium minùs quid eſt, quàm peccatum ſimpliciter. Quare ſicut in votis dicunt communiter Doctores benigniorem interpretationem eſſe faciendam, vt nimirùm lex imperans implere vota reſtringatur ad vota certa; & ideò licèt quis dubitet de voto, certus eſſe poteſt non obligari illa lege, quia nondum materia eius conſtituta eſt: ita ſimiliter dico de peccatis reſeruatis, non obſtante reſeruatione alicuius peccati abſolutè factâ, poſſe abſolui illum, qui dubitat, an tale peccatum commiſerit, quia reſeruatio, quæ onerosa eſt, reſtringitur ad caſum certum; & qui tunc abſoluit, licèt dubitet an peccatum tale fuerit commiſſum, certus eſt moraliter, non eſſe reſeruatum, & ita tutam, ac tutiſſimam ſequitur partem.

7 Dico *ſecundò*, peccatum dubium non eſſe habendum pro reſeruato, etiamſi ſit præſumptio fori externi pro illius delicti admiſſi veritate. Ratio eſt eadem, quia reſeruatio Abſolutionis eſt odioſa: ergo eſt reſtringenda ad peccatum certum, & non amplianda ad peccatum dubium; licèt præſumptio ſtet pro veritate delicti Vnde notauit benè Cardinalis Lugo, hac in re Thomam Sanchez non videri conſequenter locutum, nam ipſe *lib.* 4. *in Decalogum, cap.* 40. *num.* 26. & *cap* 44 *num.* 3. docet, in votis, licèt præſumptio, ſeu poſſeſſio aliqua ſtet, v. g. pro voto caſtitatis emiſſo iuxta tenorem verborum, quia verba prolata fuerunt talia, in dubio

dubio tamen de intentione, licèt votum obliget propter illam præſumptionem, non tamen eſt reſeruatum; quia reſeruatio eſt odioſa, & ideò reſtringi debet ad caſus certos, non verò ampliari ad dubios; atque ideò reſeruato voto Caſtitatis, intelligi debet votum certum, quod ſolùm eſt votum Caſtitatis, ſimpliciter & abſolutè: Hæc autem doctrina non videtur cohærere cum doctrina ab ipſo tradita in fauorem ſecundæ ſententiæ, quia ſaltem tam odioſa eſt reſeruatio Abſolutionis, quàm reſeruatio voti: ergo ſi reſeruatio voti intelligitur de voto certo, non de dubio; & hoc licèt adhuc votum dubium obliget propter præſumptionem, quæ ſtat pro illius valore; idem dici debet de reſeruatione peccati, vt nimirùm reſeruato homicidio, verbi gratiæ, intelligatur de peccato certo homicidij, non de dubio, licèt præſumptio ſtet pro veritate delicti.

8 Dico *tertiò*, in peccatis non habentibus cenſuram, quæ ex ſe reſeruata ſunt, propter dubium tamen reſeruata non ſunt, vt conſtat ex duobus dictis præcedentibus; ſi contingat abſolui pœnitentem ab inferiori Confeſſario, quia non ſunt reſeruata ratione dubij, & poſteà poſt Abſolutionem ceſſat dubium, quia pœnitens re meliùs examinatâ, deponit dubium, & recordatur certò peccati commiſſi, quod erat reſeruatum, adhuc eſſe cenſendum iam legitimè abſolutum, & non debere recurrere ad Superiorem. Probatur, quia iam in iſto caſu ablata fuit reſeruatio per Abſolutionem inferioris. Patet, quia in eo caſu remanet directè Abſolutus ab inferiori: nam iſte in dubio abſoluit, verbi gratia, ab homicidio reſeruato, & ad hoc maximè abſoluit, vt ſi verè fuit peccatum, remittatur: ergo ſi poſteà poſt Abſolutionem conſtat, fuiſſe verè peccatum, conſtat etiam fuiſſe abſolutum directè: ergo non remanet obligatio illud iterùm Superiori confitendi.

Hoc dictum ſaltem intelligendum eſt, ſequendo opinionem probabilem, de qua fecimus mentionem ſuprà *diſput.* 21. *ſect.* 5. eum, qui confeſſus eſt peccatum dubium licèt poſteà recordetur fuiſſe certum, non teneri illud iterùm, vt certum confiteri, quia iam fuit ab eo directè abſolutus ſub conditione, ſi fuerat commiſſum.

9 Vnde ſimiliter ſequendo prædictam hanc opinionem probabilem, etiam in peccatis grauibus habentibus excommunicationem reſeruatam, vt v. g. in peccato hæreſis dubio, ſi contingat abſolui pœnitentem ab inferiori Confeſſario, quia ratione dubij non eſt reſeruatum, etiamſi poſteà recordetur certò peccati hæreſis commiſſi, quod erat reſeruatum, non eſſe recurrendum ad Superiorem pro Abſolutione talis peccati, & excommunicationis. Hoc docet Cardinalis Lugo *loco citat. num.* 22. & firmat optimâ doctrinâ P. Thomæ Sanchez *libro 4. in Decalogum, cap.* 44. *num.* 10. Vbi proponit caſum ſimilem de illo, qui dubius de voto Caſtitatis emiſſo, petit diſpenſationem, v. g. ab Epiſcopo potente diſpenſare in votis non reſeruatis, qui ratione dubij diſpenſauit, quia votum Caſtitatis dubium non eſt reſeruatum, etiam eo caſu, quo propter præſumptionem obliget votum: poſteà verò comperta veritate, & certitudine voti, quærit Sanchez an debeat recurrere ad Papam pro eius diſpenſatione; & reſpódet negatiuè, quia recta Eccleſiæ gubernatio hoc exigit: nec enim aliter vitarétur innumeri ſcrupuli, qui aliàs ſuboriri poſſent: & quia cùm ratione dubij tunc votum non eſſet reſeruatum, poſſet tunc in illo Epiſcopus diſpenſare, qui legitimè vteretur poteſtate, quam habebat diſpenſandi in votis dubiis. Quod quidem Cardinalis Lugo veriſſimum iudicat, quia alioquin diſpenſatio fuiſſet vana; non enim diſpenſatur ſub conditione, ſi non fuit votum, ſed potiùs ſub conditione, ſi fuit verè votum: nam ſi non fuit votum, non eſt diſpenſabile; atque adeò ſi Epiſcopus poteſt tunc diſpenſare, poteſt conſequenter tollere obligationem, caſu quo fuerit. Ex hoc exemplo arguit Cardinalis Lugo ad præſentem caſum Concluſionis; quòd ſicut votum in dubio non eſt reſeruatum, ſic nec peccatū, nec excómunicatio illa: ergo ſicut in dubio voti Epiſcopus, v.g. diſpenſat, & diſpéſatio manet valida, licèt poſtea conſtet de voti certitudine; ſic abſoluens ab hæreſi dubia, validè abſoluit, & Abſolutio valebit, licèt poſteà conſtet de certitudine excommunicationis incurſæ: non enim fuit data ſub conditione de futuro, ſcilicet, ſi poſteà non conſtaret de veritate, quia non eſt in vſu Eccleſiæ talis modus abſoluendi ab excommunicatione: ergo ſi in dubio tollitur reſeruatio, & datur poteſtas abſoluendi ab excommunicatione, Abſolutio valida eſt, quidquid poſteà conſequatur: ſi autem ſemel valida fuit Abſolutio, non poteſt poſteà excommunicatio redire ſine noua culpa; non enim data fuit Abſolutio ad reincidentiam, nec dari potuit, niſi in caſibus expreſſis in Iure, qualis non eſt iſte: ergo manet pœnitens abſolutus ab excommunicatione. Si autem ſemel ablata eſt excommunicatio, eo ipſo ceſſauit reſeruatio peccati, quod reſeruatum erat ratione cenſuræ, nec poteſt redire peccati reſeruatio, non redeunte ipſa cenſura.

10 Dico *vltimò*, adhuc ſequendo opinionem contrariam, quam iudicaui veriorem ſuprà *diſp.6 ſect.5.* nempe, ſi poſt Confeſſionem peccati vt dubij, adueniat pœnitenti notitia peccati certa, teneri in ſequenti Confeſſione illud tanquam certum confiteri; data, inquam, hac opinione, etiam eſſe tenendum, peccatum aliquod, tametſi habeat excómunicationem reſeruatam annexam, ſi dubium ſit, non eſſe habendum pro reſeruato. Ratio eſt eadem ſequendo hanc vel illam opinionem contrariam: quia reſeruatio non eſt extendenda ad peccatum dubium. Vnde in hoc eſt diſcrimen inter Confeſſionem, & reſeruationem: nam conſtat ex Concilio Tridentino *ſeſſ.* 14. *cap.* 5. eſſe neceſſarium confiteri peccatum mortale non minùs, quàm vt eſt in conſcientia, atque ideò eſt confitendum peccatum dubium; & poſt Confeſſionem illius peccati vt dubij, ſi ſit poſteà in conſcientia pœnitentis tanquam certum, nec fuit explicatum vt tale, debet illud confiteri vt tale: At in reſeruatione non militat hæc ratio, nam quando peccatum mortale eſt in puro dubio, non eſt purum dubium, an comprehendatur ſub reſeruatiotione peccati ſimpliciter; quia vt conſtat ex *Dicto primo*, probabilius, ac verius eſt, non comprehendi; quia reſeruatio vtpote odioſa non eſt amplianda, ſed reſtringenda; ampliaretur autem reſeruatio, ſi ſub illa comprehenderetur peccatum dubium, nam peccatum dubium minus quid eſt, quàm peccatum ſimpliciter.

11 Ex his conſtat ſolutio ad Argumenta primæ ſententiæ. Ad primum dico, propoſitionem illam, In dubio tutior pars eſt eligenda, tantùm eſſe veram de puro dubio, quando videlicet quis manet pendulus, nulli parti nec affirmatiuæ, nec negatiuæ aſſentiens: at reſpectu reſeruationis, non eſt purum dubium in ordine ad peccatum dubium, de quo manifeſtè conſtat, non comprehendi ſub illa.

12 Ad ſecundum iam conſtat, concedendum eſſe Antecedens, & negandam eſſe Conſequentiam, ob diſparitatem iam aſſignatam *numero præcedenti*, inter Confeſſionem, & reſeruationem: cum enim peccatum mortale dubium ſit neceſſariò confitendum, ſi poſteà pœnitens recordetur fuiſſe certum, tenetur quoque illud iterùm vt certum confiteri, quia tenetur peccatum mortale confiteri eo pacto, quo eſt in conſcientia: at peccatū mortale dubium non cadit ſub reſeruationem.

Ad argumentum pro ſecunda ſententia iam ſatisfactum eſt in ſecundo Dicto.

Ad

Digitized by Google

Ad primam confirmationem, dico, ſicut reſeruatio voti ſolùm intelligitur de voto certo, non de dubio, & hoc licet adhuc votum dubium obliget propter præſumptionem, quæ ſtat pro illius valore; ita idem dicendum eſt de reſeruatione hæreſis, vt nimirùm intelligatur de peccato certo hæreſis, non de dubio, licèt præſumptio ſtet pro veritate delicti. Neque huic obeſt, quòd in foro externo reputaretur, & puniretur vt hæreticus, propter præſumptionem fundatam in verbis: nam eſt in hoc clara differentia inter forum externum, & forum internum, quia in foro externo verba externa probant hæreſim internam; & hæc probatio non infirmatur ſufficienter, cùm nihil afferatur, quod in foro externo probet contrarium, atque ideò reputaretur hæreticus ſimpliciter, & abſolute: At in foro interno contra præſumptionem fundatam verbis affertur aliquid eius vim infirmans nempe conſcientia, & teſtimonium pœnitentis, dicentis ſe dubitare de conſenſu interno: quod quidem, licèt in foro externo non crederetur, creditur tamen in foro Conſcientiæ, in quo ſtari debet dicto pœnitentis, atque ideò creditur, quòd verè dubitet de conſenſu ad hæreſim requiſito.

13 Ad ſecundam confirmationem conſtat ex *Dicto tertio*, Sacerdotem inferiorem abſoluere ab excommunicatione, quam hæreticus v.g. incurrerat, & quæ reſeruata erat ſecundum ſe; ceſſaſſe tamen reſeruationem propter dubium adueniens, in quo dubio ſuſpenditur reſeruatio: ita tamen vt ſi durante illo dubio, non abſoluatur pœnitens, poſteà ceſſante dubio redeat reſeruatio, & iam non poſſit abſolui ab inferiore: aufertur enim reſeruatio, quamdiu durat dubium: & tunc cenſura, & peccatum poſſunt auferri ab inferiori: ceſſante autem dubio redit reſeruatio, ſi non fuit data Abſolutio, tempore præcedenti: non enim reſeruatio eſt ſicut excommunicatio, quæ non redit ſine noua culpa, ſed eſt ablatio poteſtatis: quæ poteſtas dari poteſt pro aliquo tempore, vel circumſtantia, & auferri poſteà: vt fit tempore Iubilæi, quo ceſſat reſeruatio, & tranſacto illo tempore, redit pro iis, qui noluerunt lucrari Iubilæum.

SECTIO V.

An in reſeruationibus Pontificiis, peccata non ſolùm quoad cenſuram, ſed etiam quoad culpam reſeruentur?

1 CErtum eſt *primò*, ſi loquamur de poteſtate, ſummum Pontificem eam habere, reſeruandi ſibi peccata, & cenſuras, vt conſtat ex Tridentino *ſeſſ.* 14. *cap.* 7. Quia cùm ſit Ordinarius Epiſcopus totius orbis terrarum, poteſt in toto orbe ſuam poteſtatem exercere: Vnde poteſt peccata reſeruare, vel cum excommunicatione, vel ſine illa, prout ſibi libitum fuerit, & expediens fore iudicauerit.

2 Certum eſt *ſecundò*, ordinariè ac regulariter nunquam ſummum Pontificem reſeruare peccata in foro Conſcientiæ ſine cenſura, vt conſtat ex vſu Pontificis quoad vniuerſalem Eccleſiam, quando reſeruat aliquos caſus vt ſupremus paſtor eius: Vtrùm autem aliquando Papa reſeruauerit ſibi aliqua peccata, quibus nulla erat annexa cenſura; non conſtat apud Doctores, vt videri poteſt apud Suarium *diſput.* 29 *ſect.* 1. qui communiter dicunt de præſenti tempore nullum peccatum reſeruari à ſummo Pontifice, quod non habeat cenſuram annexam.

3 Certum eſt *tertiò*, cùm ſummus Pontifex reſeruat ſibi peccata cum cenſura, proximè, & immediatè reſeruari cenſuram: Id enim ex ipſis Iuribus euidenter conſtat, & quia non eſt aliud, quo mediante, illa reſeruetur. Difficultas igitur ſolùm eſt, an quando ſummus Pontifex reſeruat aliquod peccatum cum cenſura, cadat reſeruatio immediatè ſupra ſolam cenſuram, & ratione illius reſeruetur peccatum conſequenter, quia nullus poteſt à peccato abſolui durante cenſura, & ideò reſeruatâ cenſurâ videtur ratione illius culpa manere reſeruata; an potiùs reſeruatio cadat immediatè & æqualiter ſuper vtrumque, peccatum ſcilicet, & cenſuram.

Durandus *in* 4. *d.* 17. *num.* 13. ſentit Pontificem tantum reſeruare peccata quoad cenſuras, & non quoad culpas: ex quo ipſe infert reſeruationem Pontificiam tantùm fieri quoad forum exterius, non quoad interius, & conſcientiæ. Indicat idem Caietan. *in ſumma, verbo Caſus*, dum ait, ſolos illos caſus eſſe reſeruatos Sedi Apoſtolicæ, quos Eccleſiaſtica cenſura, hoc eſt excommunicatio reſeruat. 4

Probari poteſt *primò*, ex variis Decretis, in quibus huiuſmodi cenſuræ feruntur, & reſeruantur; & verba reſeruationis non referuntur ſpecialiter ad culpam.

Secundò, ablatâ cenſurâ, ſtatim manet peccatum non reſeruatum, vt eſt in confeſſo apud omnes Doctores: ergo ſignum eſt, ſolùm fuiſſe ablatam iuriſdictionem circa cenſuram; aliàs enim ablatâ cenſurâ, adhuc manere poſſet reſeruatio culpæ, nam cenſura, & culpa ſunt duo valdè diſtincta; & poteſt aliquis abſoluere à cenſura, & non à culpa, vt patet in Iudice Eccleſiaſtico non Sacerdote, qui tantùm habet iuriſdictionem fori contentioſi, non fori interni, & pœnitentiæ.

Communiſſima tamen ſententia eſt, quam ſequuntur Suarez *diſputat.* 29. *ſect.* 2. *num.* 8. Cardinalis Lugo *diſput.* 20. *ſect.* 2. *num.* 16. & *in tractatu de Euchariſtia, diſput.* 14 *ſect.* 5. *num.* 104 Gaſpar Hurtado *diſput.* 11. *difficultate* 3. Vaſquez *quaſt.* 91. *art.* 3. *dubio* 1. Henriquez *lib.* 6. *cap.* 14. Coninck *diſput.* 8 *num.* 83. Thomas Sanchez *lib* 2. *in Decalogum, cap.* 8. *num.* 5. & alij meritò affirmant, tametſi peccatum illud non reſeruetur ſine cenſura, vtrumque tamen immediatè, & æqualiter reſeruari cenſuram nempe, & peccatum ipſum. Probatur id, quia ex vna parte id poſſunt Pontifices, & ex altera parte ea peccata abſolutè, & abſque vlla limitatione reſeruant: ergo quoad vtrumque immediatè reſeruant. Quod firmat maximè communis Eccleſiæ ſenſus & vſus, ſumiturque ex intentione Pontificum explicata in nonnullis reſeruationibus. Sufficiat exemplum reſeruationis antiquiſſimæ, & omnium reſeruationum Papalium primæ, quæ videtur eſſe veluti exemplar cæterarum omnium, eſtque de percuſſore Clerici, *cap. Si quis ſuadente*, 17. *quaſt.* 4. Vbi de illo primùm dicitur: *Anathematis vinculo ſubiaceat.* Et poſtea ſubditur: *nullus Epiſcopus præſumat illum abſoluere, donec Apoſtolico conſpectui præſentetur.* Notanda eſt illa particula, *eum abſoluere*, quo manifeſtè declarat, Abſolutionem, quæ reſeruatur, nullo modo referri ad cenſuram tantùm, ſed ſimpliciter ad ipſum peccatorem anathematis vinculo ſubiacentem: Igitur ſimpliciter, & abſolutè totum hoc reſeruatur, ſcilicet tam peccatum, quàm cenſura. 5

Eſt verò obſeruandum quod rectè notant communiter Doctores, quia Pontifex non vult reſeruare, nec reſeruat peccata, niſi eis annectendo cenſuram, & etiam eam reſeruando, eo ipſo quòd aufertur reſeruatio cenſuræ, cenſeri quoque ablatam reſeruationem quoad culpam, ac proinde eo ipſo quòd conceditur facultas ad abſoluendum à cenſura, etiam cenſeri conceſſam ad abſoluendum à culpa, & è contra: Vnde 6

quando

quando Papa per priuilegium aliquod, per Bullam, aut Iubilæum concedit facultatem abſoluendi à caſibus ſibi reſeruatis, ſemper intelligitur dare etiam facultatem abſoluendi à cenſuris illorum, niſi cõtrarium exprimãt; quod nunquam exprimunt: & quando dant facultatem abſoluendi à cenſuris, conſequenter intelligitur dare etiã illam abſoluendi à peccatis, quibus ſunt annexæ, niſi ſimiliter contrarium exprimant. Sicut enim non ſolent Pontifices vnum ſine alio reſeruare; ita non ſolent vnũ ſine alio tollere: vt enim ſe habent ad ligandum, ita & ad ſoluendum.

7 Hinc colligo *primò*, ſi contingat, aliquem excommunicatum excommunicatione reſeruata Papę, bona fide abſolui priùs à peccato reſeruato, abſque Abſolutione cenſuræ, non eſſe validam Abſolutionem à culpa tali, & teneri illam poſteà Sacramentaliter confiteri; quia ſublata fuerat iuriſdictio non ſolùm ad abſoluendum à cenſura, ſed etiam immediatè ad abſoluendum à culpa; quandoquidem culpa ipſa erat etiam in ſe, & immediatè reſeruata.

8 Colligo *ſecundò*, quando peccata à ſummo Pontifice reſeruata ita committuntur, vt ratione inuincibilis ignorantiæ ipſius cenſurę, non incurratur cenſura; peccata non manere reſeruata. Ratio eſt, quia Papa non vult reſeruare, nec reſeruat peccata, niſi etiam reſeruando cenſuram, quia non ea reſeruat niſi eis annectendo cenſuram, ac proinde ſi hæc non incurritur, peccata illa nullo modo reſeruata manebunt.

9 Ex his facile manent ſoluta Argumenta contraria. Ad primum, conſtat iam ex decretis Pontificiis reſeruari etiã peccata ipſa. Quòd ſi aliquando videantur verba reſeruationis referri ſpecialiter ad cẽſuram; id intelligi debet iuxta commune ius & praxim Eccleſiæ, quæ habet, vt in Papalibus reſeruationibus illa duo culpa, & cenſura coniuncta ſint ita, vt licèt vtraque in ſe immediatè reſeruetur, ſed non vna ſine alia. Ex quo liquet ſolutio ad Secundum; concedendo Antecedens, & negando Conſequentiam: quamuis enim per ſe, & ex propriis rationibus non ſequatur, vt reſeruata cenſura ſit reſeruata culpa; benè tamen ex vſu Pontificum vna non reſeruatur ſine alia. Vnde ſicut à principio habent hanc connexionem quaſi in fieri, ex voluntate Pontificum, ita etiam in conſeruari, ſeu in duratione ſua; atque ideò ablatâ cenſurâ, cenſetur reſeruatio culpæ ſublata. Ex quo etiam fit, vt conceſſa facultate ad abſoluendum à tali cenſura, cẽſeatur conceſſa ad abſoluendum à culpa, & è conuerſo. Quæ poteſtas appellatur à Trid. *ſeſſ.* 24. *c.* 6. Poteſtas abſoluendi à caſibus Sedi Apoſtolicæ reſeruatis.

SECTIO VI.

An, & quæ peccata ſint de facto Epiſcopis reſeruata?

1 CErtum eſt *primò* ex Tridentino *ſeſſ.* 14. *c.* 7. & *canone* 11. eſſe quoque in Epiſcopis facultatem reſeruandi peccata grauiora, in ędificationem tamen, non in deſtructionem. Quare poſſunt Epiſcopi reſeruare cauſas Eccleſiaſticas, & caſus, non ſolùm quoad forum fori, externum ſcilicet quantum ad pœnas, ſed etiam quoad forum poli, ſeu internum, quantum ad culpam. Id conſtat ex antiquiſſimo Eccleſię vſu, & ratione ipſa; quia ſicut in omni iudicio, & foro, Superior poteſt ſibi reſeruare cauſas, præſertim grauiſſimas, vt in foro externo Principes ſæculares facere ſolent; ſic etiam Principes Eccleſiaſtici poterũt reſeruare cauſas, & caſus pro foro interno, non ſolùm quoad pœnas, ſed etiam quoad culpas.

Certum eſt *ſecundò*, ex eodem Tridentino citato 2 Epiſcopos in ſua tantùm Diœceſi poſſe reſeruare caſus, & peccata. Patet hoc ex verbis Tridentini citati *cap.* 7. Vbi poſtquam de poteſtate Papæ locutum eſt, in ordine ad reſeruationem criminum, ſubdit, hoc idem licere Epiſcopis omnibus in ſua cuique diœceſi. Et ratio eſt, quia cum reſeruatio ſit actus iuriſdictionis, & Epiſcopi in ſua tantùm, & pro ſua diœceſi ordinariam iuriſdictionem habeant, in illa, & pro illa tantùm reſeruare caſus poterunt, cùm iuriſdictio non extendatur ad non ſubditos.

Tertiò certum eſt, Epiſcopos poſſe reſeruare caſus 3 aliquando ſine cenſura, aliquando cum illa, prout melius ad ſalutem animarum iudicauerit: Quia quiuis Epiſcopus eſt paſtor ordinarius in ſua diœceſi, ſicut Pontifex in toto orbe, licèt ſit ipſi ſubiectus; vnde in iis, in quibus Pontifex non limitat eius iuriſdictionem, habet poteſtatem ordinariam; ac proinde multi Doctores, quos refert Thomas Sanchez *lib.* 1. *de matrimonio, diſput.* 61. *numer.* 3. docent, Epiſcopos, exceptis his, quæ ad vniuerſum Eccleſiæ ſtatum pertinent, vt res Fidei definire, poſſe in ſua diœceſi, quidquid poteſt Papa in toto orbe, quando id ſibi Iure non interdicitur: nullibi autem Epiſcopis iure à Papa interdicitur, poſſe reſeruare ſine cenſura, vel cum illa.

Quartò certum eſt, Epiſcopos de facto aliquos caſus 4 reſeruare cum cenſuris, & aliquos ſine illis. Id conſtat ex quotidiano Eccleſiarum vſu, & praxi, éſtque id diligenter animaduertendum; nam ſi Epiſcopus reſeruat cum cenſura, datâ licentiâ, & facultate ad abſoluendum à peccatis, quibus adnexa eſt cenſura, conſequenter datur ad abſoluendum à cenſura; & datâ ad abſoluendum à cenſura, iam peccatum non manet reſeruatum, & conſequenter poteſt ab illo quilibet Sacerdos Confeſſarius abſoluere; niſi contrarium exprimat Epiſcopus, quod nunquam exprimere ſolet. Si verò Epiſcopi dent abſolutam facultatem ad abſoluendum ab omnibus cenſuris ſibi reſeruatis, non cenſentur abſolutè dare ad abſoluendum ab omnibus caſibus reſeruatis, cùm multi ab illis reſeruentur ſine cenſuris, ſed ſolùm dare ad abſoluendum ab illis caſibus, qui cenſuras habent adnexas, non tamen ab illis aliis, qui illis carent.

Vltimò, ſuppono, quod mihi verum videtur, & docent 5 Henriquez *lib.* 6. *de pœnitentia, cap.* 14. *num.* 9. Sà, *verbo, caſus reſeruatus, num.* 3. Toletus *lib.* 3. *ſummæ cap.* 14. *numer.* 2. & alij, ſi cum reſeruatione caſus, & cenſuræ Papalis, concurrat etiam reſeruatio caſus & cenſuræ Epiſcopalis, ſublata reſeruatione Papæ per Bullam, aut Iubilæum, tolli etiam reſeruationem Epiſcopalem. Ratio eſt, quia qui concedit maius, concedit etiam minus, quando illud minus eſt eiuſdem rationis cum maiori, & in illo includitur. Conſtat id ex regula, *Cui conceditur, de regulis Iuris in* 6. at reſeruatio Epiſcopalis ſemper includitur in Papali, cùm iuriſdictio Epiſcopalis à Papa pendeat, & vtraque reſeruatio ſit actus iuriſdictionis. Non ſequitur verò, conceſſa alicui facultate ab Epiſcopo ad abſoluendum à ſuis caſibus, & cenſuris, poſſe illum conſequenter abſoluere etiam à Papalibus; cùm minor non habeat iuriſdictionem in Superiorem, nec iuriſdictio Papæ ſubiecta, & ſubordinata ſit iuriſdictioni Epiſcopali ſed è contrario hæc illi ſubiecta ſit.

Vltimò, vt declaremus, quæ peccata ſint de facto Epiſcopis reſeruata, obſeruandum eſt, tribus modis intelligi poſſe, fieri Epiſcopis peccatorum reſeruationem. 6 Primus eſt, per ſtatuta Epiſcoporum. Secundus per conſuetudinem. Tertius, per ius commune, ſeu Iure communi. His poſitis.

Dico *primò*, de peccatis reſeruatis Epiſcopis per ſtatuta, & conſtitutiones Synodales cuiuſque diœceſis, parùm, 7

rùm, aut nihil nobis conſtare poſſe. Patet, quia pendent ex facto; & in variis diœceſibus ſunt variæ conſtitutiones Synodales, ideóque in ſingulis Diœceſibus conſulendę ſunt, vt plena de illis notitia habeatur.

8 Dico *ſecundò*, de peccatis reſeruatis Epiſcopis per conſuetudinem, nihil quoque certum dici poſſe. Conſtat ob eandem rationem, quia huiuſmodi quoque conſuetudo pro varietate Epiſcopatuum, eſt varia, & pertinet ad factum. Vbi autem de illa conſtiterit, ſeruanda omninò erit.

9 Dico *tertiò*, ex ſolo Iure communi, & ſecluſa conſuetudine nullum peccatum eſſe Epiſcopis reſeruatum præter diſpenſationes irregularitatum, & præter Abſolutiones aliquarum excommunicationum, quæ in Iure ipſis Epiſcopis reſeruatæ ſunt. Id explicat egregiè noſter Suarez *diſp.19.ſect.3.num.6.* Probatur, quia inprimis excommunicatio etiam reſeruata, ſicut irregularitas nō ſunt propriè peccata reſeruata, ſed ſunt pœnæ peccatorum, & pertinent ad iuriſdictionem fori externi, & nos non agimus de pœna reſeruata, ſed de culpa reſeruata: Vnde Abſolutio ab excommunicatione non eſt propriè caſus reſeruatus, cùm ea Abſolutio ad forum pertineat externum; & nos hîc ſolùm agimus de pura reſeruatione culpæ pro foro interno. Præterea omnia peccata quę olim in Iure reſeruabantur Epiſcopis, erant illa, quibus imponebatur pœnitentia publica, & ratione pœnitentiæ publicæ, reſeruata erant; quia hæc pœnitentia, publica imponi non poterat niſi à Prælatis publicis. Verùm iam hodie huiuſmodi pœnitentia, publica non eſt in vſu. Vnde nec blaſphemia publica eſt peccatum reſeruatum in Iure: Nam in Concilio Lateranenſi ſub Leone X. *ſeſſ.9.titulo, de reformat.Curiæ.§. Ad abolendam*, præcipitur Confeſſoribus, vt non abſoluant à peccato publicæ blaſphemiæ, niſi ſeuerâ iniunctâ pœnitentiâ. Vbi iam ſupponitur, non eſſe peccatum reſeruatum, ſiquidem poſſunt Confeſſores ab illa abſoluere, & per Conſtitutionem dicti Concilij, ſublata fuit omnis reſeruatio: Atque eadem eſt ratio de aliis peccatis, quibus publica pœnitentia iniungebatur; Extrauagans autem illa *Super Cathedrã, de Sepulturis*, in qua aliqui caſus reſeruantur, iam prorſus reuocata eſt per Clementinam, *Dudum, de Sepulturis*, vt docet Suarez citatus: Qui etiam notat, hæc peccata reſeruata non eſſe ex vi Iuris; ſi verò aliquod illorum vt peccatum incendiarij ex conſuetudine ſit reſeruatum, illa eſt conſulenda, vt feratur iudicium de re ipſa. Denique diſpenſatio irregularitatis licèt ſit reſeruata, vel Pontifici, vel Epiſcopo, ſi ſit occulta: At culpa per ſe reſeruata non eſt; imò ſtante irregularitate, poteſt quis abſolui à tali culpa à quolibet proprio, quia irregularitas, in quo differt ab excommunicatione, non impedit Sacramentorum ſuſceptionem.

10 Ex his colligo, re benè conſiderata, ſecluſa conſuetudine cuiuſcumque Epiſcopatûs, cui ſemper ſtandum eſt, ſi de illa conſtet; ſecluſa etiam reſeruatione aliquorum peccatorum contenta in Conſtitutionibus cuiuſque Diœceſis, de Iure communi loquendo, hodie nullum peccatum eſſe reſeruatum Epiſcopis. Verum quidem eſt, illis in Iure reſeruari diſpenſationes votorum, & irregularitatum, & Abſolutiones aliquarum Excommunicationum: Hæc tamen, vt dixi, non ſunt propriè peccata reſeruata; & ipſa irregularitas, & excommunicatio ſunt propriè pœnæ peccatorum, & pertinent ad iuriſdictionem fori externi.

DISPVTATIO XLVII.

De caſibus, ſeu peccatis in Religionibus reſeruatis.

SICVT certiſſimum eſt, eſſe valdè conſentaneum, & conueniens, vt ſint aliqui caſus pro vniuerſa Eccleſia reſeruati reſpectu ſummorum Pontificum; & pro ſingulis Diœceſibus, reſpectu ſuorum Epiſcoporum: ita etiam valdè expediens eſt, vt in Religionibus ſint caſus reſeruati Prælatis ipſarum. Hi enim habent in Religione ſua, vices Epiſcoporum; & quò interius gubernant, & ſpecialiori ratione officium ſpiritualium parentum exercent, ſuóſque ſubditos ad maiorem perfectionem ducere tenentur; eò tali ſtatui magis accommodata, & quodammodò debita eſt hęc reſeruatio. Vnde Clemens VIII. in peculiari Decreto, quo huic reſeruationi Religioſorum modum poſuit, ſupponit eam, & licitam, & conuenientem eſſe, de qua in hac Diſputatione agendum eſt.

SECTIO PRIMA.

Qui caſus, ſeu peccata ſtatuerit Clemens VIII. poſſe in Religionibus reſeruari?

PRocedit hæc tractatio de Religioſis exemptis, de quibus loquitur Clemens VIII. & nos ſemper agemus. 1

Peculiari Decreto, & Conſtitutione data 26. *Maij* 1594. Clemens VIII. enumerat vndecim caſus, ſeu genera peccatorum, quæ in Religionibus reſeruari poſſunt. *Primum*, Veneficia, Incantationes, Sortilegia. *Secundum*, Apoſtaſia à Religione, ſiue habitu dimiſſo ſiue retento, quando eò peruenerit, vt extra ſepta Monaſterij, ſiue Conuentus egreſſio fiat. *Tertium*, Nocturna, ac furtiua è Monaſterio ſeu Conuentu egreſſio, etiam non animo apoſtatandi facta. *Quartum*, Proprietas contra votum paupertatis, quæ ſit peccatum mortale. *Quintum*, Iuramentum falſum in iudicio Regulari, ſeu legitimo. *Sextum*, Procuratio, auxilium ſeu conſilium ad aborſum faciendum poſt animatum fœtum, etiam effectu non ſecuto. *Septimum*, Falſificatio manus, aut ſigilli Officialium Monaſterij, aut Conuentus. *Octauum*, Furtum de rebus Monaſterij, ſeu Conuentus, in ea quantitate quæ ſit peccatum mortale. *Nonum*, Lapſus carnis voluntarius opere conſummatus. *Decimum*, Occiſio, aut vulneratio, ſeu grauis percuſſio cuiuſque perſonæ. *Vndecimum* denique, malitioſum impedimentum, aut retardatio, aut apertio literarum à Superioribus ad inferiores, vel ab inferioribus ad Superiores. 2

Circa prædictos caſus, primùm in genere oportet aduertere, quamuis in aliquibus illorum explicetur, neceſſariam eſſe materiam peccati mortalis, & opus externum; has tamen duas conditiones in omnibus illis eſſe intelligendas, quia vt dixi *diſputatione præcedenti*, peccata venialia ſicut non ſunt materia neceſſaria Confeſſionis, ita nec propriè reſeruationis: peccata verò merè interna, etiamſi mortalia ſint, ſecundùm communem 3

Rr Eccleſiæ

Digitized by Google

Eccleſiæ vſum non reſeruantur, etiamſi in rigore ſeruari poſſint. Pontifex autem cùm aliud expreſsè non declaret, loquitur ſecundùm ordinariam legem, vel conſuetudinem Eccleſiæ. Præterquam, quòd verba, quibus vtitur, in rigore, & proprietate, prout ſunt accipienda, ſignificant externos actus.

4 *Secundo*, obſeruandum eſt, in prædicta Conſtitutione moderatam ac limitatam eſſe poteſtatem Prælatis regularibus peccata reſeruandi: Nam vt Prælati regulares hac in re non excederent, prudenter prædictus Pontifex limitauit hanc facultatem; nam inprimis noluit ſtatuere vt omnes prædicti caſus ſint in Religionibus reſeruati, vt rectè notauit Suarez *diſput.* 19. *ſect.* 3. *num.* 11. ſed ſolum permittit, vt Superior Religionis poſſit hos caſus ſibi reſeruare, aut omnes, aut eorum aliquos, prout ſubditorum vtilitati expedire prudenter in Domino iudicauerit. Deinde ſeuere prohibet ſummus Pontifex ne ſuperiores Regularium, præter hæc peccata, alia ſibi reſeruent ſua propria auctoritate. Addit verò ſtatim ibidem: *Si quod aliud prætereà peccatum graue pro Religionis conſeruatione, aut pro conſcientiæ puritate reſeruandum videbitur, id non aliter fiat, quàm Generalis Capituli in toto Ordine, aut Prouincialis in Prouincia, maturâ diſcuſſione, & conſenſu.* Quibus verbis clarè exprimitur non poſſe vllum Prælatum etiam Prouincialem & Generalem reſeruare aliquod peccatum præter illa, quæ Pontifex ibi enumerauit, aut quæ etiam à Capitulo Generali, vel Prouinciali determinata fuerint.

5 *Tertiò*, eſt notandum, quod rectè notauit noſter Cardinalis Lugo *diſp.* 20 *ſect.* 4. *n.* 41. non poſſe Prælatum regularem reſeruationem factam, conſenſu Capituli, magis reſtringere: Vt ſi reſeruatum ſimul cum Capitulo fuiſſet peccatum aliquod mortale, quando eſſet certum, & manifeſtum mortale, non poſſe ſolùm Prælatum etiam Generalem poſteà reſeruare Abſolutionem illius peccati, non ſolùm quando eſſet manifeſtè mortale, ſed etiam in dubio. Ratio eſt, quia licèt non eſſet aliud peccatum ab eo, quod ipſe Prælatus cum Capitulo reſeruauit, eſſet tamen noua reſeruatio in caſu, in quo Capitulum noluit reſeruare, ſcilicet in caſu dubij. Pontifex autem clarè dixit, & voluit, vt non fiat reſeruatio ſine diſcuſſione, & conſenſu Capituli: Cùm ergo Capitulum iudicauerit, non eſſe reſeruandum illud peccatum, quando eſſet dubium, non poteſt Prælatus poſteà auctoritate propria illam nouam inducere reſeruationem.

6 Vnde eſt *quartò* aduertendum, neque illa eadem peccata, quæ Clemens VIII. enumerat in prædicta Conſtitutione, & in quibus dedit facultatem Prælatis reſeruandi illa, poſſe Prælatum regularem propria auctoritate reſeruare, etiam in caſu dubio: quia Pontifex ſolùm dedit facultatem illa reſeruandi; at vt dixi *diſputatione præcedenti ſect.* 4. quando reſeruatur aliquod peccatum abſolutè, etiam à ſummo Pontifice, non intelligitur de peccato dubio: ergo nec quando concedit facultatem Pontifex reſeruandi tale peccatum, intelligitur de peccato illo dubio, ſed certo, cùm ſit eadem ratio.

7 Denique eſt obſeruandum, ſi Generalis cum Capitulo Generali reſeruaſſet aliquod peccatum nouum, præter aſſignata à Clemente VIII. ita vt à Prælatis etiam localibus abſolui poſſet, non poſſe Prælatum Prouincialem, vel etiam Generalem propria auctoritate adimere Prælatis localibus facultatem abſoluendi, vel committendi Abſolutionem illius peccati, quibus vellent, etiam in tali caſu, vel in talibus circumſtantiis. Ita Cardinalis Lugo *loco citato, n.* 44. Ratio eſt, quia iam id eſſet limitare iuriſdictionem ordinariam Prælati inferioris, quam habet in ordine ad Abſolutionem talis peccati: quam iuriſdictionem illis liberam reliquit Capitulum Generale, quando eis reliquit liberam Abſolutionem talis peccati. Vnde hoc eſſet ex parte reſeruare de nouo, ſeu reſtringere magis reſeruationem talis peccati: quia tantò magis eſt reſeruatum peccatum, quantò minorem habent facultatem alij inferiores circa illud: Si ergo Capitulum Generale ſolùm reſeruauit hoc peccatum Prælato locali, aut habenti ab eo licentiam; magis reſeruatum erit, quando nec abſoluere poterit habens licentiam à Superiori locali. Non igitur poteſt propria authoritate Prælatus Generalis, vel Prouincialis adimere Prælato locali authoritatem abſoluendi, vel etiam committendi Abſolutionem illius peccati, cui voluerit.

SECTIO II.

An non obſtante Conſtitutione Clement. VIII. poſſit Capitulum Generale vel Prouinciale reſeruare aliquod peccatum graue ſolùm pro vna domo, & non pro toto Ordine, vel Prouincia.

Eadem quæſtio eſt de Capitulo Prouinciali, an poſſit reſeruare peccatum graue, aliquod pro vna ſpeciali domo, vel pro aliquibus, & non pro tota Prouincia, ſi id ita iudicetur expedire, ob peculiarem neceſſitatem, & bonum ſpeciale illius domus. 1

Ratio dubitandi eſt, quia ſummus Pontifex non dat facultatem reſeruandi niſi in Capitulis Generalibus, aut Prouincialibus, pro toto Ordine, aut pro tota Prouincia, & non pro conſeruatione, vel beneficio vnius Domûs particularis. 2

Hoc tamen non obſtante ſentiunt oppoſitum Suarez citatus *n.* 12. Cardinalis Lugo *loco citato, num.* 44. Fagundez 2. *præcepto, lib.* 8. *c.* 4. *n.* 4. & alij. Ratio eſt, quia verba illa Clementis, nempe: *Id non aliter fiat, quàm Generalis Capituli in toto Ordine, aut Prouincialis in Prouincia, matura diſcuſſione, & conſenſu,* non inducunt neceſſitatem reſeruandi collectiuè in toto Ordine, vel in tota Prouincia, ſed neceſſitatem non reſeruandi in Ordine, vel Prouincia ſine conſenſu Capituli Generalis, vel Prouincialis. Firmo, nam Pontifex petit, vt reſeruatio fiat in bonum Religionis, & ſubditorum, pro conſcientiæ puritate: At pertinere poteſt ad conſcientiæ puritatem, vt in vno loco fiat reſeruatio, quamuis non fiat in aliis, ſi nimirùm talis locus expoſitus ſit maioribus periculis, & ideò neceſſariū ſit, aliquid ſeuerius in eo præcipi, & obſeruari. Quod ampliùs probatur, quia poſſet Capitulū Prouinciale, v. g. reſeruare aliquod peccatum pro tota Prouincia, & poſteà idem Capitulum concedere facultatem abſoluendi in hac, & illa, & illa Domo, vel Conuentu, & ſic in omnibus præter vnam: ſicut de facto poteſt concedere facultatem huic, & illi, & illi perſonæ, & poſſet pluribus, & pluribus, relinquendo reſeruationem pro aliis. Igitur poterit ab initio reſeruare pro vna ſola Domo, vel duabus: Patet Conſequentia, quia idem omninò eſt, reſeruare pro tota Prouincia, & concedere facultatem aliis Domibus præter vnam, ad Abſolutionem, ac ſi reſeruetur ab initio pro vna ſola Domo, cùm per conceſſionem facultatis reipſa ablata ſit reſeruatio pro illis, quibus conceditur talis facultas. 3

Denique prædicta ſententia maximè roboratur, ſi intentum Clementis VIII. penitiùs conſideretur: Nam vt conſtat ex Conſtitutione Pontificia, mens & intentum ſummi Pontificis non aliud fuit, nec 4

eſſe

eſſe potuit, niſi coërcere, limitare, ac moderari Prælatos Regulares, ne excederent in nimia, & non neceſſaria caſuum reſeruatione; atque ideò eo fine primùm deſignauit certa quædam peccata grauia, quæ reſeruari poſſent: deinde ſi præter illa, aliud graue peccatum videretur reſeruandum pro Religionis conſeruatione, aut pro conſcientiæ puritate, ſtatuit, vt id prudenter fieret, & non aliter fieret, quàm Generalis Capituli pro toto ordine, aut Prouincialis in Prouincia matura diſcuſſione, & conſenſu. Huic autem tam ſalubri Decreto nullo modo opponitur, vt Capitulum Generale, vel Prouinciale pro vna ſpeciali Domo vel Conuentu, & non pro tota Prouincia, poſſit reſeruare aliquod peccatum graue, quia id exigere poteſt bonum Religionis & puritas conſcientiæ ſubditorum in ea Domo commorantium, ſi nimirùm illa Ciuitas, vel locus, in quo eſt talis Domus, expoſitus ſit maioribus periculis, quę egeant fræno alicuius ſpecialis reſeruationis; id etiam non fieret, niſi præcedente matura diſcuſſione, & conſenſu Capituli Generalis vel Prouincialis: nec aliquid aliud requirit ſummus Pontifex: Igitur dicendum eſt, relinqui poteſtatem Prælatis regularibus, vt pro aliqua ſpeciali Domo, vel Conuentu aliquod peccatum graue poſſint reſeruare tantùm, etiamſi illud non reſeruent pro tota Religione, vel pro tota Prouincia, dummodò id præſtent maturo conſilio, & conſenſu Capituli Generalis, vel Prouincialis.

5 Ex quo patet ſolutio ad rationem dubitandi: & quāuis dicta reſeruatio non fieret pro tota Prouincia, fieret tamen in Prouincia, cùm fieret in aliqua parte Prouinciæ. Quidquid enim Prouincialis agit in aliqua domo Prouinciæ ſuæ, verè dicitur agere in ſua Prouincia. Et hoc ſolùm, neque aliud requirit Clemens VIII cùm expreſsè non requirat niſi quòd id fiat matura diſcuſſione, & conſenſu Capituli Prouincialis in Prouincia; hoc enim vltimo verbo expreſsè vtitur, quo declarauit ſufficere, vt fiat in aliqua domo, & parte Prouinciæ: ſic enim cùm aliquid fit, dicitur propriè fieri in Prouincia.

SECTIO III.

An non obſtante Conſtitutione prædicta, poſſint Prælati regulares propria auctoritate, ſine conſenſu Capituli, aliquod peccatum graue prohibere ſub excommunicatione maiori ſibi reſeruata?

1 Senſus quæſtionis eſt, an poſſit Prælatus localis prohibere ſub excommunicatione maiori, cuius cenſurę Abſolutionem ſibi reſeruauit, ne aliquis Religioſus, v. g. cùm è domo, vel Monaſterio egreditur, ingrediatur domum aliquam abſque ſpeciali licentia ipſius.

Quòd non poſſit ſine conſenſu Capituli Prouincialis, ſentiunt nonnulli Viri doctiſſimi hac de re conſulti, quia omnis reſeruatio propria auctoritate facta Prælatis regularibus interdicta eſt; ergo & dicta prohibitio, quę ratione excõmunicationis reſeruatę appoſitæ, caſus manet reſeruatus, cùm non poſſit Religioſus abſolui niſi ab ipſo Prẹlato; quod eſt contra conſtitutionem Clementis VIII. eiuſque intentum ac mentem. Firmatur, nā ille modus reſeruandi per excommunicationem, videtur inuentus, & excogitatus contra ipſam legem, & conſtitutionem à ſummo Pontifice latam; poſſent enim Prælati Religionum per hanc viam eludere legem ipſam, adiungendo cenſuras, & illas ſibi reſeruando. Quę autem in fraudem legis excogitantur, vim in Iure habere non poſſunt.

In contrarium verò videtur oppoſitum dicendum, 2 nempe Prælatos regulares, eſto non poſſint immediatè & directè propria auctoritate reſeruare ſibi culpas pręter deſignatas à Clemente VIII. poſſe nihilominùs reſeruare cenſuras. Quia à diuerſis non fit illatio; cenſura autem, & culpa; & vtriuſque reſeruatio ſunt omninò diuerſa. Prætereà Prælati Religionum per dictam Conſtitutionem Clementis VIII. non ſunt priuati ſuo iure reſeruandi cenſuram, quia reuera eſt res per ſe diſtincta, & mens Pontificis non fuit de illa tractare.

Suarez *de Pœnitentia, diſp. 29. ſect. 4. num. 45. & tomo 4. de Religione tract. 8. lib. 2. cap. 18. num. 17.* ſentit, 3 non eſſe ablatam hanc poteſtatem Prælatis regularibus, quæ eſt quaſi intrinſeca eorum officio, quia verba Clementis ſolùm ſunt de Abſolutione peccatorum; verba enim eius hæc ſunt: *Nemo ex Regularium Superioribus, peccatorum Abſolutionem ſibi reſeruet.* In caſu autem propoſito non reſeruatur peccati Abſolutio, ſed cenſuræ, quæ longè diuerſa eſt, cùm cenſura ſit pœna ipſius peccati, & ad diuerſum forum, ac iuriſdictionem pertineat. Nec obſtat, quòd per ſe non poſſit quiſquam abſolui à peccato, quin prius, vel ſimul abſoluatur à cenſuris: Quoniam id ſequitur indirectè, ac per accidens. Quæ autem per accidens ſequuntur, rarò ſequuntur; & ideò non oportuit hunc etiam indirectum modum impediri. Hanc ſententiam tenent Villalobos, Tamburinus, Coriolanus, & alij quos refert Diana *tomo 1. tract. 2. de dubiis regular. reſolutione 49.* Addit Suarez *loco citato, de Pœnitentia*; meliùs fore, ſi Prælati id non faciant ſine conſenſu Capituli Prouincialis, vt omne dubium tollatur.

Cardinalis Lugo *loco citato, numer. 47.* contrariam ſequitur ſententiam, cum Thoma Sanchez, Molfeſio, Megala, Peyrino, & aliis, quos affert & ſequitur Diana iam citatus: Quam ipſe Lugo amplectitur propter auctoritatem Sacræ Congregationis Cardinalium, quæ reſpondit huic dubio, ſequenti Decreto. *Cùm à nonnullis Regularibus dubitaretur, an in decreto felicis recordationis Clementis Papæ Octaui anno 1593. 16. Maij, ſuper qualitate caſuum ab eorundem Regularium Superioribus reſeruandorum edito, cenſuræ etiam comprehenderentur; itavt vt iiſdem Superioribus abſque Capituli Generalis, aut Prouincialis conſenſu, aliquibus peccatis in Decreto huiuſmodi non contentis, excommunicationem annectere, eiuſdémque Abſolutionem ſibi reſeruare liceat? Sacra Congregatio Cardinalium, negotiis Regularium Præpoſitorum, Illuſtriſſimo Bandino referente, cenſuras in ſupradicto Decreto comprehendi cenſuit. Romæ 7. Iulij 1617.* 4

Si de eiuſmodi Sacræ Congregationis Decreto non 5 conſtaret; certè exiſtimarem, dictam poteſtatem ferendi cenſuras, & illas ſibi reſeruandi, non eſſe ablatam per Clementem VIII. à Superioribus localibus; quia expreſsè loquitur Pontifex de reſeruatione peccatorum; & aliud eſt peccatum, aliud cenſura, cùm cenſura ſit pœna ipſius peccati; Pontifex autem loquitur de reſeruatione peccati, non cenſuræ: Et quamuis per ſe non poſſit quiſquam abſolui à peccato, quin prius, aut ſimul abſoluatur à cenſura; id tamen per accidens eſt: ſufficit enim, quòd non ſit idem, vt ab vno ad aliud non ſit prohibitio extendenda: præſertim quia omnis reſeruatio eſt odioſa in Iure; & hæc odioſa eſt tam reſpectu Superiorum, quia illis reſtringit ſuam iuriſdictionem quàm reſpectu inferiorum, ſeu ſubditorum, quia illis red-

dit vſum Sacramenti Pœnitentiæ difficiliorem: in odioſis autem, & pœnis non datur extenſio de vno caſu ad alium, etiamſi detur æqualitas rationis, iuxta illud: *Odia ſunt reſtringenda, fauores ſunt ampliandi.* Nihilominùs tamen ſi conſtet de prædicto ſacræ Congregationis Decreto, vt reuera conſtare iam debet, id atteſtante Eminentiſſimo Cardinali Lugo; abſolutè eius ſenſui adhæreo, propter magnam dictæ ſacræ Congregationis auctoritatem, & venerationem.

SECTIO IV.

De primo caſu Veneficiorum, Incantationum, & Sortilegiorum, qui reſeruari poteſt in Religionibus, iuxta Decretum Clementis VIII.

1 NEceſſarium mihi viſum eſt, ſpeciatim percurrere vndecim caſus, ſeu vndecim genera peccatorum, quæ enumerat Clemens VIII. in Decreto reſeruationis culparum, reſpectu Religioſorum, & quæ in Religionibus reſeruari poſſunt, adiuncta breui declaratione eorum, propter dubia, quæ ſæpe occurrunt, & interrogantur.

Primo loco enumerat ſummus Pontifex Veneficia, Incantationes, & Sortilegia. Quod genus peccati vix poteſt in indiuiduo committi, quin ſit mortale grauiſſimum. Quid autem ſub illis vocibus comprehendatur, breuiter in hac Sectione explicabo.

2 Atque inprimis circa veneficia. Dico tria. *Primum eſt*, proculdubio peccatum hoc reſeruatum incurrere, qui faciunt veneficia, etiam vna tantum vice. Ratio eſt, quia qui veneficia faciunt, vel exercent, poſitiuè inuocant auxilium Dæmonis, opemque illius, vnde honor Deo debitus aufertur, & Dæmoni Dei hoſti tribuitur, quod eſt grauiſſimum peccatum contra primum Decalogi præceptum.

3 *Secundum eſt*, eos etiam peccatum reſeruatum veneficij incurrere, qui poſtquam ſagas, veneficos, & veneficas conſuluerunt illorum veneficiis, ac remediis vtuntur, afferendo ſecum nomina, aut ligaturas, vel faciendo aliqua ex illorum conſilio. Ratio eſt, quia afferendo ea ſigna, & vtendo talibus remediis, poſitiuus cultus Dæmoni defertur, & ſeruum ſe Dæmonis profitetur quiſquam, dum talibus ſignis, aut remediis vtitur, in cuius ſignum ea ſigna affert, & illis vtitur remediis, ab illo beneficium aliquod aut iuuamen expectando. Vnde id vel propriè, & formaliter, vel tacitè, & virtualiter eſt inuocare Dæmonem in ſuum auxilium, ei cultum Deo debitum tribuendo; quod quidem ingens ſacrilegium eſt: imò & iſti venefici ſuſpecti ſunt de hæreſi, quoties expreſsè inuocant Dæmonem, aliquid ab eo poſtulando, quod à ſolo Deo cognoſci, reuelari, aut fieri poteſt, vehemens oritur ſuſpicio hæreſis, quia nemo petit ab aliquo, niſi quod credit ipſum facere poſſe: Quòd ſi in illo pacto & inuocatione Dæmonis intercedat adoratio Dæmonis, vel per Latriam, vel etiam per Duliam, vehemens generatur ſuſpicio, quia talis adoratio indicat non credi talem eſſe Dæmonem, qualem ſecundùm veram Fidem eſſe credimus. Quibus ſi accedat exterior Fidei abnegatio, vel renunciatio Chriſti, vel Sacramentorum eius, vel etiam in vſu talis artis, abuſus Sacramentorum, vel rerum ſacrarum miſceatur; creſcet ſuſpicio hæreſis, & tantò maior erit ſuſpicio, quantò res fuerint ſacratiores, & præſertim ſi fuerit ipſa Euchariſtia. Quando verò nihil horum interuenit, ceſſat dicta ſuſpicio; eſt tamen peccatum grauiſſimum, & reſeruatum ſacrilegij.

Tertium eſt, illos qui conſulunt ſagas, vel aliis ſuadent, vt illas adeant, ſi illarum remediis non vtantur, probabilius eſſe, non habere prædictum caſum veneficij reſeruatum, tametſi aliunde grauiſſimè peccent: Idem dico de illis, qui colligunt mortuorum oſſa, dentes, aut alias res ſacras, vel non ſacras, ex conſilio ſagarum ad facienda veneficia, & non faciunt. Ratio eſt, quia adhuc veneficia non ſunt facta, nec illis vtuntur iam factis. Vnde qui conſulunt ſagas, aut neceſſaria poſt illarum conſultationem ad veneficia facienda præparant, nondum poſitiuè, & actualiter, formaliter, vel virtualiter inuocant Dæmones, vt illi alij peragunt, qui veneficia actu faciunt, aut de ſagarum conſilio factis vtūtur. Nec obſtat, quòd etiam illi parati ſint animo ad inuocandos Dæmones per actualem veneficiorum geſtationem, & remediorum quæ ab ipſis ſagis, & veneficis acceperunt; quia adhuc actualiter non inuocant; & aliud eſt inuocare actualiter; aliud verò eſſe paratum ad inuocandum: ſicut aliud eſt furari, vel occidere, aliud verò eſſe paratum ad furandum, vel homicidium perpetrandum. Pontifex autem per illud verbum *Veneficium*, videtur tantùm illos Religioſos velle comprehendere, qui Dæmones Dei hoſtes actu inuocant, & non illos qui parati ſunt ad inuocandum. Quod maximè roboratur doctrinâ illâ communiter receptâ apud Theologos, quam notant Cardinalis Toletus *libro* 1. *cap.* 8. *num.* 7. Thomas Sanchez *libro* 3. *de matrimonio, diſput.* 49. *num.* 2. & alij in cenſuris; nempe cenſuram, verbi gratia, excommunicationem latam in admittentem aliquod delictum ſiue à iure, ſiue ab homine, non ligare mandantes, conſulentes, aut auxilium præſtantes, niſi id quoque verbis exprimatur. Et ratio eſt, quia excommunicatio, & cæteræ pœnæ, cùm ſint odioſæ, non debent extendi de caſu ad caſum; at mandans, vel conſulens fieri delictum, non dicitur verè illud facere: nam mandatum, & conſilium præcedunt factum: præcedere autem non poſſent, ſi verè ipſum factum eſſent. Id autem maximè verificatur in reſeruatione, quia omnis reſeruatio, vt ſæpe dictum eſt, eſt valdè odioſa, quia reddit vſum Sacramenti valdè difficilem; & odia non ſunt amplianda, ſed reſtringenda tantùm ad verba reſeruatiua; itavt illorum ſenſus, & intelligentia ſaluentur, & non extendantur. 4

Circa Incantationes quæ à Clemente VIII. reſeruantur in primo caſu, certum eſt inprimis expreſſam inuocationem, & incantationem Dæmonis, cùm ſit cum expreſſo pacto cum ipſo Dæmone: do, vt des; faciam vt facias: id eſt inuocabis me, & facies mihi cultum, & reuerentiam; & ego auxiliabor tibi, vel reuelabo, aut indicabo tibi rem quam deſideras, vel intueri concupiſcis; eſſe grauiſſimum peccatum, & ſine dubio reſeruatum ſub nomine Inuocationis. Tum quia homo per hæc ſe quaſi cultui Dæmonis dedicat: Tum quia pactum, & ſocietatem cum eodem Dæmone perpetuo Dei hoſte init, ac proinde redundat in iniuriam, & contemptum Dei; ſicut in Republica ſocietas, & commercium cum hoſte Principis eſt crimen læſæ Maieſtatis: Maximè cùm omne ſtudium Diaboli in omnibus actionibus ſit honorem Dei obſcurare, & animas perdere: Vnde cùm quis à Diabolo opem petit, perinde facit, atque ſi opem petat ab hoſte Principis, & Reipublicæ, qui in ea ipſa ope ferenda conatur ipſum perdere, & Principi contumeliam facere. 5

Præterea dico, Incantationem & inuocationē tacitā cū pacto implicito, quæ multis modis datur, eſſe etiā caſū reſeruatū. Deprehēdi autē poteſt hoc pactū, & incātatio 6

eſt

ex aliqua conditione vana, appoſita tamen vt neceſſaria in rebus Sacris, vt ſi ponatur virtus in verbis Euangelij, ſi etiam ſcripta ſint in pelle, non in papyro, aut tali die, hora, & tempore, & non in alio, & ſimilia, quæ neque ad Dei cultum, neque ad rectam rationem ſpectant: hoc enim eſt, Dæmonem incantare, atque inuocare. Vnde ſi incantatio, aut Dæmonis inuocatio reſeruetur in Religionibus, peccatum erit reſeruatum.

7 Circa ſortilegia, ſeu diuinationes per ſortes, ſupponendum eſt cum omnium ſententia, eſſe illicitas. Quia eo ipſo, quòd ſortes mittuntur ad occultam veritatem inquirendam, & cognoſcendam, & non nituntur in Deo eiúſque prouidentia, ſuperſtitioſæ ſunt, ac ſubinde illicitæ, & contra virtutem Religionis. Duobus autem modis poſſunt hanc malitiam participare. *Primò* per expreſſam ſocietatem cum dæmone, vel ab illo apertè petendo, vt ſortes dirigat, & fidem illi adhibendo; vel pactum aliquod cum illo contrahendo, & ſignum ſortium ab illo accipiendo, & illo tanquam regula actionum vtendo. Et quando hoc modo delinquitur, clara eſt malitia ſuperſtitionis, & eiuſdem rationis cum aliis diuinationibus diabolicis cum pacto expreſſo: & de hoc ſortilegio manifeſtum eſt, eſſe peccatum reſeruatum. Alio modo poteſt quoque peccari in hac re ex pacto tacito, quod interuenire cenſetur, quoties manifeſtatio veritatis non à Deo expectatur. Nam hoc etiam medium ſortium de ſe vanum ſignum eſt, quia nec ex natura ſua habet talem ſignificationem; non enim eſt cauſa, nec effectus illius rei, cuius cognitio inquiritur, neque cum illa habet connexionem naturalem in aliqua cauſa, vt per ſe notum eſt: neque ex aliqua legitima impoſitione habet eam ſignificationem, quia nec à Deo data eſt, nec ab hominibus cum fundamento dari potuit: ergo neceſſe eſt, vt vel à dæmone manauerit, vel ab illo tacitè expectetur; vel certè vt ipſe ſe ingerat ad decipiendum hominem, qui in eo ipſo peccat, quòd tali periculo moraliter ſe exponat. Vnde ob hanc cauſam prohibita eſt Eccleſiaſtico iure talis diuinatio. Sic enim intelligunt Doctores iura, quæ de tali diuinatione loquuntur. Vt ſunt caput, *Non liceat*, 25. *quæſt*. 5. Vbi ſortilegi cum diuinatoribus, & maleficis æquè damnantur: Vnde ars ſortilega tanquam à dæmone inuenta damnatur; Atque etiam hoc modo ſortilegium eſt peccatum reſeruatum.

SECTIO V.

De ſecundo, tertio, quarto, & quinto caſu, qui reſeruari poſſunt iuxta Decretum Clementis VIII.

1 SEcundus caſus, qui ex mente Clementis VIII reſeruari poteſt in Religionibus, eſt Apoſtaſia à Religione, ſiue habitu dimiſſo, ſiue retento, quando eò peruenit, vt extra ſepta Monaſterij, ſeu Conuentus egreſſio fiat. Apoſtata autem eſt, qui ſponte diſcedit à Religione, animo deſerendi inſtitutum: Apoſtata enim dicitur à deſertione inſtituti Religioſi, non tamen ab habitus depoſitione. Septa Monaſterij non ſunt, nec intelliguntur eſſe clauſtra, vel dormitoria, ſed quædam loca munita in quibus hortus eſt, & arbores ſecuntur. Vnde licèt quis deliberato animo apoſtatãdi, exuat habitum regularem, & ſæcularem induat, & curet, ac tentet egredi ſepta Monaſterij; & tandem id non exequatur, vel quia mutat voluntatem, vel etiam quia non poteſt, caſus ille reſeruatus non eſt, quia non peruenit ad ſtatum, & effectum, quem Pontifex deſignat. Et eſt optima ratio, quia vel anteà non eſt perfecta iniuria illata Religioni, itavt cedat in infamiam eius; vel certè, quia anteà non poteſt illa dici apoſtaſia exterior.

Notandum verò eſt, quod etiam certum eſt, hunc caſum intelligi ſolùm de Religioſis Profeſſis, non de Nouitiis, nam Nouitij, cùm ſint ſui iuris, Religioſi nõ ſunt; nec Apoſtatæ eſſe poſſunt, ac proinde nec habere caſum reſeruatum per apoſtaſiam à Religione, aut furtiuum Religionis egreſſum. 2

Tertius caſus reſeruatus eſt nocturna ac furtiua è Monaſterio, ſeu Conuentu egreſſio, etiam non animo apoſtatandi facta. 3

Circa quem caſum quatuor notanda ſunt. *Primum*, vt quis habeat hoc crimen nocturnæ, & furtiuæ egreſſionis è Monaſterio, opus eſſe, vt Monaſterij ſeptum tranſiliat: dum enim illud nõ tranſilit, peccatum hoc reſeruatum non habet, quia pœnæ cùm ſint odioſæ, ſtrictè accipiendæ ſunt, itavt comprehendant totum id, quod nomine Monaſterij venire poteſt.

Secundum, notanda eſt illa particula, *furtiua*, quæ idẽ ſignificat, quòd, Sine licentia Prælati. Vnde licèt quis exeat per vim, vel metum grauem immiſſum Prælato, ne reſiſtat, nihilominùs exteriùs furtiuè dicetur egredi, quia inuito Prælato, vel ſine legitimo cõſenſu eius egreditur: Vnde illud peccatum non ſolùm eſt quaſi furtum, ſed quaſi rapina in illo genere; & generatim manifeſtè comprehenditur ſub furtiuo egreſſu, quia fit inuito Prælato. 4

Tertium eſt, quid ſi contingat, quòd Prælatus liberè conſentiat, tamen iniquè, & contra ſuum officium, & contra honorem Dei, & Religionis: & ſi etiam ipſe Prelatus ſic occultè egrediatur? Dico cum noſtro Suar. *to*. 4. *de Relig. tract*. 8 *lib*. 2. *c*. 18. *n*. 5. vtrumque egreſſum eſſe furtiuum, & in hac reſeruatione comprehenſum: nam illa licentia iniuſta eſt, & nulla; & ita nihil operatur: præterea illa alia Prælati egreſſio eſt quoque furtiua, quia licèt Prelatus Conuentus non habeat præſentem Prælatum, cuius voluntate, & obedientia regatur; habet tamen regulam, & voluntatem Superioris Prælati, aut totius Religionis, aut expreſſam, aut ſecundùm rectam rationem præſumptam, reſpectu cuius, talis egreſſio furtiua eſt. Et certè modus ille vtriuſque egreſſus ſatis manifeſtat, qualis ſit, quia ſemper fit occultè, ac furtiuè. 5

Quartum denique eſt, hunc caſum Pontificis reſeruatum non extendi ad egreſſum furtiuum diurnum: nã illa verba Pontificis, *Nocturna ac furtiua è Monaſterio egreſſio*, non diuiſiuè, ſed complexiuè ſunt intelligenda; atque ideò furtiua egreſſio, ſi nocturna non ſit, etiamſi contingat eſſe peccatum mortale, ex vi illorum verborum non reſeruatur: Sicut enim nocturna egreſſio non reſeruatur, niſi furtiua ſit, vt eſt per ſe notum tam ex ipſa re, quàm ex intentione Pontificis; ita è conuerſo furtiua egreſſio, niſi ſit nocturna, non reſeruatur, quia vt illud prius verum ſit, neceſſe eſt, particulam, *ac*, complexiuè ſumi, & inde ſequitur etiam poſterius. 6

Quartus caſus, qui in Religionibus iuxta mentem Clementis VIII. reſeruari poteſt eſt proprietas contra votum paupertatis, quæ ſit peccatum mortale. Nomine Proprietatis nunc intelligitur illa proprietas, quã quis accipit aliquid ab externis, abſque facultate ſui Superioris, illúdque ſibi appropriat: & reſeruari poſſe hanc proprietatem, ait Clemens VIII. Quæ autem quantitas ſufficiens ſit, vt ſit proprietas contra votum Caſtitatis, non eſt huius, ſed alterius loci inueſtigare, & deliberare. 7

Quintus caſus, eſt iuramentum falſum in iudicio regulari, 8

gulari, ſeu legitimo: Id intelligendum eſt formaliter, ita vt ſciat Religioſus, & animaduertat ſe falſum teſtificari: Nam ſi bona fide putet ſe iurare verum, tametſi à parte rei ſit falſum, is quidem nullo modo peccat, ac proinde nec caſum reſeruatum habet: è contra verò, ſi putat ſe iurare falſum, & à parte rei verum iuret, lethaliter peccat, & caſum habet reſeruatum. Ratio eſt quia mentiri, eſt ire contra mentem, & contra id quod ſentimus, & intelligimus: & falſum formaliter loquendo tunc datur, cùm non conformamur intellectui, ac menti. Vnde cùm quis aliud intelligit, & in corde ſentit, & aliud iuramento affirmat, verè falſum affirmat, ac iurat; quatenus contrarium ei, quod habet in mente, ac ſentit, iurat, tametſi alioquin verum iuret.

9 Eſt verò notandum *primò*, tunc eſſe caſum reſeruatum, quando eſt iuramentum falſum in iudicio legitimo; quando nimirùm Religioſus legitime interrogatur, & ſub iuramento veritatem negat: ſecus autem erit, ſi iniuſtè interrogetur: nam tunc licet ſub iuramento neget, ſi reſpondere ſciat, & debitam intentionem habeat, non erit periurus. Quòd ſi ex ignorãtia, & conſcientia erronea peccet, exiſtimans illud eſſe periurium, non erit caſus reſeruatus, vt bene notauit Suarez ſuprà citatus *num.* 7. quia illud externum non eſt verum periurium, ſed putatum: at reſeruatio reſtringenda eſt, vt cadat ſuper verum actum. Idem ait dicendum eſſe, ſi quis iuret falſum teſtimonium contra aliquem in iudicio, quod eſt nullum, vel quia fit coram non legitimo Iudice, vel ob aliam cauſam, quia tunc illud iudicium non eſt legitimum, & quia iudicium, quod eſt nullum, non eſt iudicium, licèt appareat, & ideò nec illud eſt periurium in iudicio verè, ſed tantùm apparenter.

10 *Secundò* obſeruandum eſt, non ſolum teſtimonium falſum dicere in iudicio legitimo illum, qui mendacium profert, imponendo crimen falſum alicui, ſed etiam negando verum, cùm de illo legitimè interrogatur, & ſic iam habet caſum, ac peccatum reſeruatum, vt patet: Non eſt tamen peccatum reſeruatum, ſi quis coram Superiore mentiatur in iuramento, in aliqua, & circa aliquam circumſtantiam, ex qua ſtatus cauſæ non pendeat; quia materiæ paruitas in omnibus præceptis excuſat, & iuramentum datur, vt conſtet de ſtatu cauſæ, & non de leuiſſimis circumſtantiis.

Tertiò, ſciendum eſt, in multis caſibus non te-
11 neri Religioſum in iudicio legitimo veritatem fateri ſub iuramento rogatum. *Primò*, ſi nouit id ex Confeſſione, vt eſt certiſſimum. *Secundò*, ſi ipſi ſub ſecreto patefactum eſt, niſi ipſum ſecretum vergat in damnum publicum, aut in grauiſſimum incommodum tertij; tunc enim promiſſio ſecreti non obligat, vt eſt communis opinio. *Tertiò*, ſi crimen ipſi ad poſcendum auxilium ad ſalutem animæ, vel corporis reuelatum fuit, quia non debet homini obeſſe, quod conſilij, vel auxilij petendi cauſâ, bona fide ſe alteri patefecit; alioqui peccatores à remedio, & conſilio petendo arcerentur; vnde multa mala orirentur, etiam in ipſa Communitate Religioſa.

SECTIO VI.

De ſexto, ſeptimo, & octauo caſu reſeruato, iuxta Decretum Clementis VIII.

1 SExtus caſus reſeruatus iuxta Decretum Clementis VIII. eſt, Procuratio, auxilium, ſeu conſilium ad abortum faciendum poſt animatum fœtum, etiam effectu non ſecuto.

Circa præſentem caſum, *Primum* occurrit notandum iuxta Couarruuiam *in Clementina, ſi furioſus, 2. part.* §. 3. *num.* 1. fœtum maſculum animari die quadrageſimo à conceptu; fœtum verò fœmineum à die octuageſimo: Et *ibi* dicit, ita communiter ſentire Doctores. 2

Secundum, prædictum caſum non indigere declaratione: nam cùm expreſsè dicat, non eſſe reſeruatam, niſi procurationem, auxilium, ſeu conſilium ad abortum faciendum poſt animatum fœtum; euidens eſt, non eſſe caſum reſeruatum procurationem aborſus ante animationem fœtus: nam Clemens VIII. ſolùm voluit reſeruare procurationem, auxilium, ſeu conſilium aborſus homicidij, etiam effectu non ſecuto. Ratio eſt, quia verè tale delictum non eſt procuratio homicidij, cùm etiam effectu ſecuto homo vitâ non priuetur, vtpote nondum fœtu informato, animâ viuente. Et quamuis impediretur hominis generatio, ſicut etiam impeditur, ex eo quòd quis procuret venena ſterilitatis; hoc tamen non eſt, hominem iam procreatum procurare, vt vita priuetur; & hanc procurationem, auxilium ſeu conſilium ad abortum faciendum poſt animatum fœtum vult ſolùm Clemens VIII. reſeruari, etiam non ſecuto effectu. 3

Tertium, dubitari poteſt, an in dubio animationis fœtus ſit etiam caſus reſeruatus procuratio, auxilium, ſeu conſilium ad abortum faciendum? Videtur enim affirmatiuè reſpondendum, quia intentum Pontificis eſt, reſeruare illud peccatum propter periculum animationis fœtus, ne vita priuetur; ſicut ob hanc rationem in tali dubio inducitur irregularitas, ſi ſuccedat mors fœtus, qui à parte rei iam erat informatus, anima viuente. 4

Cæterùm oppoſitum eſt dicendum, nempe non eſſe caſum reſeruatum: Quia vt conſtat ex dictis ſuprà *diſputat.* 46. *ſect.* 4. quando aliquod peccatum ſimpliciter reſeruatur, non cenſetur reſeruatum, quando eſt dubium: præſens autem caſus reſeruatur abſolutè, & ſimpliciter propter animatum fœtum, ſeu, poſt animationem fœtus, vt vitâ non priuetur animatus fœtus; igitur ſtante rationabili dubio animationis, & vitæ ipſius fœtus, non erit peccatum reſeruatum: Alia verò eſt ratio de irregularitate, nam eſt lex Pontificia *cap. ad audientiam*, & *cap. ſignificaſti*, 2. *de Homicidio*: vbi inducitur irregularitas, licèt homicidium ſit dubium. 5

Septimus caſus, eſt falſificatio manûs, aut ſigilli officialium Monaſterij, aut Conuentus. 6

Circa quem *primò*, obſeruandum eſt, vt ſit caſus reſeruatus, falſificationem debere eſſe doloſam, vt fiat cum dolo, & ſeriò, non iocosè: deinde vt fiat in præiudicium ordinarij regiminis Religionis; ſicut in ſimili conſtat ex Bulla Cœnæ, eos qui dolo veritatem in litteris Apoſtolicis immutant, illaſque falſificant, excommunicationem ipſo facto incurrere. 7

Secundò, notandum eſt, non incurrere reſeruationem conſulentes, auxiliantes, vel adiuuãtes; quia pœnæ reſtringendæ ſunt, & non ampliandæ vltra verborum proprietatem: Vnde hac de cauſa, hac reſeruatione non comprehenditur ille, qui iubet, rogat, & malitiosè pecuniam dedit, vt falſificaretur: quamuis enim quæ per alios facimus, per nos facimus: tamen in pœnis, ſolùm illæ intelligendæ ſunt de ipſis falſificantibus, non autem de iubentibus, conſulentibus falſificationem fieri, niſi exprimantur. Videantur dicta ſuprà *in hac Diſputatione*, *ſect.* 4. *numero* 4. 8

Tertiò,

9 *Tertiò*, aduertendum eſt, falſificare manum, non eſſe falſificare Litteram præciſè, niſi falſificetur ſubſcriptio, nam falſificatio litteræ niſi ſubſcribatur, nihil valet: Vnde in rigore per manum, intelligenda eſt ipſa ſubſcriptio: Quare falſificare manum, eſt ſubſcribere cum nomine alterius, imitando ſubſcriptionem eius, quæ illius non eſt: Igitur vt peccatum reſeruatum ſit, opus erit vt falsò ſubſcribantur litteræ. Similiter falſificare ſigillum propriè, eſt conſignare ſimilem ſcripturam ſigillo alieno, illo vtendo: Quamuis autem hæc furtiua fabricatio ſigilli graue peccatum ſit, non tamen eſt propria falſificatio, donec falſæ litteræ per illud conſignentur: & ideò non videtur eſſe peccatum reſeruatum, etiamſi hac intentione fabricetur, donec ad prædictum vſum, & effectum perueniat: ſicut etiam furari ſigillum Prælati, ea praua intentione, ſi ad vſum, & effectum ſigillandi non perueniatur, non erit ex hoc capite peccatum reſeruatum.

10 *Quartò* notanda ſunt illa verba, *Officialium Monaſter.*), *aut Conuentus*: ſub quibus verbis comprehenduntur Prælatus ipſe, & omnes qui ſub illo habent aliquam adminiſtrationem perſonarum, ac bonorum Cōuentus. Potiori iure ſub illa voce comprehenditur Prouincialis, & Generalis; quia eò falſificatio grauior eſſet, & magis pernicioſa Religioni, & hi etiam Officiales ſunt Religionum. Quare falſificatio ſigilli Officialis, vt ſic formaliter, peccatum eſt reſeruatum.

11 *Vltimò*, dubitari poteſt, an ſi ſcriptum, quod falsò conſignatur manu, aut ſigillo Officialis, non pertineat ad officium, nec ad res Monaſterij, ſed ſit familiaris epiſtola, v.g. falsò alteri attributa, ſitne tale peccatum hic reſeruatum? Noſter Suarez *tom.4. de Religione, tract.8. lib.2. cap.18. num.10* huiuſmodi actionem non excuſat a ratione peccati reſeruati, quoties materia eius ſufficeret ad peccatum mortale, quia ſimpliciter eſt contra fidelitatem debitam tali perſonæ, ratione talis muneris, & eſt iniurioſa non tantùm perſonæ, ſed etiam officio. Magis tamen inclino in oppoſitam ſententiam, quam ipſe ait probabilem eſſe. Moueor, quia illa non eſt falſificatio ſigni Officialis Conuentûs, vt officialis eſt: prædicta autem reſeruatio intelligenda eſt, reſpectu officialis formaliter vt ſic, quia non attenditur ad perſonam, ſed ad ipſum munus, & officium perſonæ; ac proinde non quæuis falſificatio, ſed ea ſola, quæ iniurioſa eſt ipſi officio vt ſic, & bono communi Religionis, cenſenda eſt reſeruata.

12 Octauus caſus, eſt furtum de rebus Monaſterij, vel Conuentus in ea quantitate, quæ ſit peccatum mortale.

13 Circa hunc caſum ſolùm occurrit explicandum, quid intelligatur illis verbis; *De rebus Monaſterij, vel Conuentûs*, an etiam furari aliquid à priuato Religioſo ex rebus illi ad ſuum vſum conceſſis, ſub hac reſeruatione comprehendatur? Mihi placet ſentētia affirmatiua cum prædicto Suarez *num.11*. Ratio eſt, quia quòd res ſit applicata ad vſum vnius priuati Religioſi, non tollit, quin abſolutè loquendo, ſit Monaſterij, vel Conuentûs. Quòd ſi priuatus Religioſus habeat vſum eius, cum facultate donandi illam etiam extra Religionem: adhuc furari illam, eſt peccatum reſeruatum, ſi mortale ſit, quia dum illa res non eſt conſumpta, vel alienata extra Religionem, ſemper eſt Monaſterij quoad proprietatem, & dominium, vel quoad principalem adminiſtrationem, & diſpenſationem, vt Monaſteria comprehendantur, quæ dominium in communi non habent. Hoc autem ſatis eſt, vt contineatur ſub verbis Pontificis in omni proprietate. Notandum etiam eſt, ſub illo ſingulari, *Monaſterij, vel Conuentûs*, à fortiori comprehendi plurale Conuentuum, vel Monaſteriorum. Vnde bona Prouinciæ vt ſic, & pecunia, & aliæ res ſimiles, quibus Prouincialis vtitur, comprehenduntur quoque, quia ſunt bona omnium Monaſteriorum ſimul, & Conuentuum.

SECTIO VII.

De nono, decimo, & vndecimo caſu reſeruato iuxta Decretum Clementis VIII.

NOnus caſus reſeruatus iuxta Decretum Clementis VIII. eſt lapſus carnis voluntarius opere conſummatus. 1

Circa hunc caſum, certum eſt, prædicta verba ſolùm comprehendere peccata externa; & nullo modo interna, conſenſu, & cogitatione, ſeu delectatione moroſa completa. Quare vt lapſus carnis ſic reſeruetur, neceſſe eſt, vt lapſus ſit externus opere aliquo externo cōpletus; itavt in illo cōſummetur, quatenus peccatum mortale eſt. Per quod verò opus externum hoc peccatum, & hic lapſus compleatur, & ideò ſit reſeruatum, eſt nunc breuiter explicandum.

Dico *primò*, certum eſſe, oſcula quæ ſunt delectabilia carni, & fiunt cauſa delectationis concubitus, & ſunt peccata mortifera, non eſſe hic reſeruata. Patet, quia non ſunt opus externum conſummatum; nam ſunt tanquam diſpoſitiones ad concubitum, nimirùm cum animo per illas blanditias ad concubitum excitandum: ac proinde non ſunt lapſus carnis voluntarius opere conſummatus. 2

Dico *ſecundò*, neque tactus impudicos præcisè qui ſunt peccata mortalia, reſeruari prædicto Clementis VIII. Decreto. Ratio eſt, quia ſi non perueniant ad conſummationem actus in ſua ſpecie, fornicationis, v.g. vel alia ſimili, ſolùm per ſe, & proximè ad hanc diſponunt, atque ideò non ſunt opere conſummati, & conſequenter non ſunt caſus reſeruati. 3

Dico *tertiò*, ſi contactus partium inhoneſtarum causâ delectationis, & voluptatis venereæ perueniat ad fornicationem, certiſſimum eſt, eſſe caſum reſeruatum. Ratio eſt, quia fornicatio eſt opus mortiferum luxuriæ conſummatum, contra bonam prolis inſtitutionem, ad quod diſponunt oſcula, & contactus partium verendarum, & naturâ ſuâ ordinantur; & habet propriam ſpeciem, in qua conſummatur, vt conſtat: ergo eſt manifeſtè peccatum reſeruatum. 4

Dico *vltimò*, quoties peccatum peruenit ad pollutionem, etiam ſub prædicta reſeruatione comprehendi. Ratio eſt, quia tale peccatum eſt in omni rigore opere conſummatum, quia habet propriam ſpeciem, iuxta doctrinam D.Thomæ 2. 2. *q.*154. *a.*1. Et quamuis ratione pollutionis, non perueniatur ad conſummationem copulæ carnalis, quam fortaſſe peccans intendebat, vel in quem natura ſua actus impudici ordinabantur; eſt tamen ſpecialis quædam impuritas in hoc actu contra primarium finem, ob quem à natura eſt inſtituta, nempe contra generationem, vel conceptionem hominis; & in hac propria ſpecie conſummatur: & hoc ſatis eſt, vt ſit peccatum reſeruatum. 5

Decimus caſus, eſt occiſio, aut vulneratio, ſeu gratis percuſſio cuiuſque perſonæ. 6

Circa quem caſum notandum eſt *primò*, vt reſeruatus ſit, debere eſſe non ſolùm occiſionem, quæ ex ſe eſt nota enormitas, & valdè grauis, ſed etiam ſufficere vulnerationem, aut percuſſionem cuiuſcumque perſonæ ſæcularis, vel Eccleſiaſticæ, dūmodò grauis ſit, & enormis percuſſio; vnde non ſufficit leuis vulneratio, aut percuſſio, quæ talis dicitur reſpectiuè comparatione 7

maioris læſionis: Quare leuis percuſſio dicitur percuſſio pugni, palmæ, manus, digiti, pedis, & ſimilium. Percuſſio grauis ſumitur ex quantitate nocumenti, vt eſt mutilatio cuiuſlibet membri etiam minimi, notabilis ſanguinis effuſio ex grauitate læſionis; (nam ſi contingat percuſſionem eſſe in naribus ſine læſione magni momenti, poteſt copia ſanguinis effluere, & non propterea erit grauis læſio:) fuſte quoque percutere, vel flagellare cum ingenti dolore, grauis quoque percuſſio eſt; & alia his ſimilia. Denique prudens arbitrium de grauitate percuſſionis poteſt quilibet Confeſſarius iudicium ferre in foro interiori, quatenus Clauem ſcientiæ habere debet, atque ea vti, vbi neceſſarium fuerit ad cognoſcendam caſus reſeruationem.

8 *Secundò* notandum eſt, nonnullos Doctores non improbabiliter aſſerere, ſi quis percuſſerit ſuum Superiorem, illam percuſſionem, quæ in ſe leuis erat, dici grauem; quia illa circumſtantia eſt magni momenti, ratione reuerentiæ debitæ Superiori. Ego tamen exiſtimo, etiam reſpectu dignitatis perſonæ percuſſæ, tametſi iniuria creſcat ex dignitate perſonæ offenſæ; ſicut & conditio perſonæ offendentis, quæ non parùm aggrauat, vel minuit actum; requiri etiam proportionatam quantitatem læſionis, ſeu percuſſionis, vt grauis ex ea circumſtantia fiat: Nam ſi circa Deum ipſum, quædam offenſiones in ſuo ordine leues ſunt, quæ dicuntur venialia peccata; imò inter mortalia, non omnia reputantur enormia: quid mirum, quòd reſpectu humanæ perſonæ in aliqua dignitate conſtitutæ inueniri poſſit iniuria adeò diminuta ex aliis circumſtantiis, vt ſimpliciter non poſſit grauis æſtimari. Quare ſunt quoque alia penſanda, ſcilicet conditio perſonæ offendentis, quantitas, modus, occaſio actionis, locus, tempus, & ſimilia, vt integrum iudicium faciat in foro interno, quatenus Clauem ſcientiæ habere debet, atque ea vti, vbi neceſſarium fuerit.

9 Vndecimus, & vltimus caſus reſeruatus, eſt malitioſum impedimentum, aut retardatio, aut apertio literarum à Superioribus ad inferiores, vel ab inferioribus ad Superiores.

10 Circa quem caſum tria ſolùm notandum occurrunt. *Primum eſt*, ponderandum illud verbum, *Malitioſum*; nam ſi fiat bona fide, etiam imprudenter, & cum graui negligentia, non eſt caſus reſeruatus, quia, verbum *Malitioſum*, non tantùm ſignificat fieri cum graui culpa, ſed etiam fieri ex malitia, id eſt ex directa intentione impediendi effectum, literarum, & retardandi illas. Similiter etiam dicendum eſt, illud verbum *Malitioſum* coniungendum quoque eſſe cum apertione litterarum: nam vt hæc apertio reſeruata ſit, oportet vt ex malitia fiat; ſufficiens autem malitia interueniet: ſi fiat intelligendo, aut præſumendo eſſe contra rectam voluntatem Superioris.

11 *Secundum eſt*, prædictam retardationem, aut impedimentum multis modis fieri poſſe, vel faciendo, ne tabellarij inueniantur, qui Epiſtolas deferant; vel illos corrūpēdo, ne Epiſtolas tradāt; aut vt ſeriùs tradāt, quā alioquin tradendæ erant; vel ipſas epiſtolas præripiēdo, comburendo, vel occultando, & apud ſe retinendo malitioſè, vt interim tēpus aliquod elabatur: hæc enim omnia nomine impedimenti, aut retardationis veniunt, vt per ſe patet: non tamen erit retardatio, aut impedimentum Epiſtolarum malitioſum, ſi quis curſorem quærat velociorem, & ei maius det ſtipendium, vt Epiſtolas alterius præueniat, quia hæc non eſt poſitiua retardatio, ſed negatiua, & vtitur iure ſuo, quod habet ad adeundum Superiorem, vel per ſe debito modo, vel per Epiſtolas ſuas.

12 *Tertium eſt* quod docent Sylueſter *verbo. Falſarius, n.* 2. Nauarrus *c.* 18. *n.* 53. & Alij, ſi ex Epiſtolis probabiliter timeat quis ſibi iniuſtum aliquod malum; licitè eas poſſe aperire, vel legere, vel etiam retardare, aut cōburere, quamuis ſint Superioris; etiamſi ille promiſerit ſe fideliter illas daturum, & iuramento firmauerit. Ratio eſt, quia epiſtolæ, eo ipſo quo iniuſtæ ſunt, ac iniuſtitiam continent, ipſa promiſſio, & iuramentum fuit nullum; neque enim iuramentum vinculum eſſe poteſt iniuſtitiæ, nec obligare poteſt factum contra bonos mores.

SECTIO VIII.

De reſeruatione caſuum, quam habet Religio Societatis IESV, ex parte materiæ.

NEgari non poteſt, vt optimè demonſtrat *Suarez tom.* 4. *de Religione, tract.* 10. *lib.* 8. *c.* 5. *n.* 3. eſſe maximè conuenientem aliquorum caſuum reſeruationem in Societate IESV: Tum quia propter communicationem cum proximis in periculis verſatur, & ideò neceſſe eſt, vt magis timeant Religioſi Societatis quēcumque lapſum; ad quod non parùm deſeruit reſeruatio, quæ eſt veluti frænum quoddam continens Religioſum: Tum quia in hac Religione plures educantur iuuenes, quos ob ætatem, in officio, & ſpirituali diſciplina religioſa multum continere, maximè neceſſarium eſt, ad quem finem ipſa reſeruatio vtiliſſima eſt. 1

Præterea certum eſt, in Societate ſolam Congregationem generalem habere poteſtatem iuriſdictionis reſeruandi caſus; & eam non habere Congregationes Prouinciales, & ideò nec caſus reſeruare poſſe. Et quāuis Clemens VIII. facultatem conceſſerit aliarum Religionum Capitulis Prouincialibus reſeruandi caſus pro ſua Prouincia; intelligendum id eſt de Capitulo iuriſdictionem aliàs habente. 2

Rursùs, caſus, quorum abſolutio reſeruata eſt Superioribus Societatis, auctoritate quintæ Congregationis Generalis editi, & obſeruandi, ſunt ſequentes. In primis, vndecim illi caſus ſeu genera peccatorum, quæ ex Decreto Clementis VIII. in Religionibus reſeruari poſſunt, & ea explicuimus *præcedentibus ſectionibus*, illi omnes actu ſunt reſeruati in Societate. Quod magis explicatum fuit modò in Congregatione IX. generali *canone tertio*, ſic dicente. *Intelligant noſtri caſus omnes in Decreto Clementis VIII. reſeruari permiſſos, eſſe, & hactenus fuiſſe in Societate reſeruatos.* 3

Præterea in ſpecie reſeruantur ſequentes 1. Periuriū, & falſum teſtimonium in iudicio, vel extra. 2. Furtum, & vſurpatio alicuius rei contra votum Paupertatis in ea quantitate, quæ efficiat peccatum mortale. 3. Lapſus carnis voluntarius, & quidquid eſt contra votum Caſtitatis, quod in actum externum prodeat. 4. Inobedientia expreſſa, quā quis aſſerit, ſe nolle parere. 5. Seditio in Superiorem, & diuiſio à Capite in graue nocumentum Societatis. 6. Detractio famæ, bonæque exiſtimationis aliorum, & diſcordiarum ſeminatio inter fratres. 7. Impedimentum excludens è Societate reticuiſſe in examine, vel in eo mentitum eſſe, vnde graue aliquod incommodum oriri poſſit 8. Acceptio, ſeu miſſio litterarum abſque licentia expreſſa, quæ ſcilicet acceptio, vel miſſio contineat rationem peccati mortalis. 9. Tranſgreſſio votorum ſimplicium, quæ Profeſſi emittunt poſt Profeſſionem. 10. Cenſuræ Societatis noſtræ, ſeu peccata quæ in noſtris Conſtitutionibus, 4

Bullis,

Bullis, vel Decretis annexa habent excommunicationem.

Hæc omnia, cùm manifeſtè erunt mortalia, & in actum exteriorem prodierint, reſeruantur Superiori Domûs, vel Collegij: & ab alio, niſi de expreſſa licentia illius, abſolui non poſſunt.

4 Prædicti caſus in perſona Religioſa graues ſunt, poſſuntque graue ſcandalum, vel infamiam Religioni Societatis afferre; ideò non ſunt nimis multi pro ratione talis ſtatus, & obligationum eius; nec talis reſeruatio in ſe cenſenda eſt nimia, & in vſu non eſt rigida, ſed valde lenis: quia nulla eſt reſeruatio Prouinciali, ſed Superiori Domus, vel Collegij, ad quem, & facilior, & familiarior poteſt eſſe recurſus: & præterea liberum manet Religioſo, vt ſi velit potiùs ad Prouincialem recurrere, poſſit id facere, quia reſpectu maioris Prælati nulla eſt reſeruatio, vt per ſe conſtat.

5 Supereſt autem vt prædicti caſus Societatis enumerati, explicentur in ſpecie: Cæterùm cùm illi, ſi rectè inſpiciantur, ſint valdè ſimiles his, quos Clemens VIII. reſeruatos eſſe voluit, vel dedit facultatem, vt reſeruarentur pro Religioſis, quos iam in *Sectionibus præcedentibus*, ſatis diſtinctè explicuimus; & ex alia parte ſint ex ſe ſatis perſpicui, nulla indigent maiori explicatione.

6 Solùm quartus caſus videtur magis declarandus, nempe inobedientia expreſſa, quâ quis aſſerit ſe nolle parêre: Nam dubitari poteſt, an requiratur præceptum obedientiæ ad incurrendam reſeruationem, quia ſi non præcedat præceptum Obedientiæ, non erit peccatum mortale contra obediētiam: Maximè in Societate IESV, in cuius Regulis, & Conſtitutionibus dicitur, non obligari ſubditum ſub mortali ad faciendum quod iubetur, niſi interueniat præceptum: Ex quo inferri poteſt, minùs incurri reſeruationem huius caſus, quando ſubditus non ipſi Prælato, ſeu Præpoſito, vel Rectori, ſed eius Miniſtro, qui non poteſt ſub præcepto obedientiæ obligare, reſponderet eodem modo; Nolo parere: Quia cùm præcipiens non poſſet obligare ſub mortali, non poſſet inobedientia eſſe mortalis contra virtutem Obedientiæ.

7 Dico *primò*, tranſgredi ordinationem Superioris, etiam in re leui, ſi fiat ex contemptu formali Superioris vt ſic, quatenus Superior eſt, ſemper eſſe peccatum mortale. Hæc eſt communis Doctorum ſententia. Ratio eſt, quia id eſt contemnere poteſtatem eius, vel ſubiectionem, & reuerentiam, quæ Prælato, vt Prælatus eſt, debetur, illum nimirùm non appretiando, vel illi indignando, aut conuitia inferendo: & ideò eſt grauiſſima inordinatio. Firmatur, quia id eſt contemnere Superiorem, quatenus repræſentat Deum, & vices eius gerit; & ideò talis contemptus redundat in contemptum Dei, iuxta illa verba Chriſti Domini Lucæ 10. c. *Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit.* Dixi *quatenus ſuperior eſt*; quia ſi contemptus ſolùm ſit ipſius perſonæ quatenus homo quidam eſt, & habere poteſt aliquem defectum, ſic non repugnat, eſſe veniale peccatum ex leuitate materiæ.

8 Dico *ſecundo*, in prædicta reſeruatione, nolo parêre, vel obedire, includi peccatum mortale ſic dicentis, etiamſi ſub Obedientiæ graui præcepto non obediatur. Hoc dictum ſequitur ex præcedenti, quia hic modus loquendi manifeſtè continet grauiſſimum contemptū, & irreuerentiam contra Superiorem, vt Superior eſt, & per conſequens contra eius dignitatem. Id teſtantur communiter Theologi, quando agentes de peccato mortali inobedientiæ, dicunt committi contra præceptum graue, vel etiam ſine illo, quando adeſt contemptus. Ita loquitur Caietanus in *ſumma, verbo Inobedientia*, Sylueſter *ibidem*, & Alij.

Dico *tertiò*, eſſe peccatum graue contra virtutem 9
Obedientiæ, dicere Superiori, Nolo parêre. Ita expreſſè docet D. Antoninus *2. p. tit. 4. cap. 2. §. 2.* dicens, reſiſtere Superiori, etiam non ſtante præcepto obedientiæ, ſi ſit cum contemptu, eſſe propriiſſimum peccatum inobedientiæ, & mortale grauiſſimum. Salas *de legibus, diſp. 10. ſect. 8. num. 45.* illam appellat Inobedientiam, Reginaldus *lib. 17. num. 231. & lib. 18. num. 391.* ait eſſe inobedientiam mortalem, Emanuel Rodriguez *tom. 3. quæſt. regul. quæſt 19. a. 3.* & noſter Cardinalis Lugo *diſput. 20. ſect. 4. num. 51. &* *52.* Qui id rectè probat, quia non minùs opponitur virtuti Obedientiæ, qui eo modo reſpondet Superiori, etiam non imperanti ſub præcepto, quam qui reipſa violat præceptum, quia opponitur directè debito Obedientiæ, qui hanc ſubiectionem, & reuerentiam, quàm Prælato, vt Prælato, debet, contemnit: nam ſicut obedientia amat illam ſubiectionem; ita iſte contemptus odit eandem ſubiectionem, & deſtruit illam: Quare Theologi dicunt hanc eſſe magis formalem, & propriam inobedientiam, quàm violare præceptum: atque adeò quando reſeruatur peccatum mortale inobedientiæ, debet hæc etiam comprehendi, quæ à Theologis appellatur grauiſſima inobedientia.

Hinc dico *vltimò*, ex vi prædictæ reſeruationis re- 10
ſeruari quoque illum alium caſum in Societate, quo ſubditus Miniſtro dicit, Nolo parêre, vel nolo facere. Ita ſtatuit & declarauit R. P. Claudius Aquauiua Generalis, bonæ memoriæ, dicens reſeruatum caſum eſſe, ſi quis Fratrum diceret Miniſtro aliquid iubenti, licèt non præcepto, Nolo facere. Cui ordinationi vel declarationi cenſuit Congregatio VII. Generalis *decreto 56.* ſtandum eſſe: Vnde certa eſt reſeruatio iſta, cùm fuerit approbata, & confirmata à prædicta Congregatione Generali, vt benè notauit Cardinalis Lugo *diſp. 20. ſect. 4. num. 55.* Quia cùm penes Congregationem Generalem ſit poteſtas reſeruandi peccatum mortale de nouo, eo ipſo quòd approbauerit talem declarationem, & eam confirmauerit, voluit ſupplere defectum, ſi quis eſſet; & comprehendere illum caſum in reſeruatione facta, extendendo, ſi opus fuerit, reſeruationem ad talem caſum. Vnde ea declaratione, & confirmatione ſuppoſita, non videtur de hoc puncto ampliùs dubitandum.

Ad argumentum propoſitum *numero ſexto*, iam 11
conſtat ex *Dicto ſecundo*, etiam non ſtante præcepto Obedientiæ circa rem, quæ præcipitur, cùm verba illa, Nolo parêre, contineant grauiſſimum contemptum, & irreuerentiam contra Superiorem, vt Superior eſt, & contra eius dignitatem, eſſe peccatum mortale, & inobedientiæ, modo explicato *in tertio Dicto*, propter contemptum grauem oppoſitum virtuti Obedientiæ: Nec obſtat, quòd in Regulis, & Conſtitutionibus aliquando dicatur, non obligari ſubditum ſub mortali, niſi interueniat præceptum, ſenſus enim eſt, non obligari ſubditum ſub mortali ad faciendum quod iubetur, certum tamen eſt, obligari etiam ſine eiuſmodi præcepto ſub mortali ad non contemnendum grauiter Superiorem vel virtutem Obedientiæ.

Ad illationem contentam in dicto Argumento, dico, 12
Miniſtrum tametſi in noſtra Religione non poſſit præcipere ſub præcepto Obedientiæ: eſſe tamen Superiorem quaſi Vicarium, & Delegatum Prælati principalis, à quo non accipit æqualem auctoritatem; accipit tamen quam Prælatus principalis, ſeu Præpoſitus, ſeu Rector habet, quando ordinat, vel iubet ſine præcepto Obedientiæ; atque ideò eandem vim habet iuſſio Miniſtri, quam haberet iuſſio Præpoſiti, aut Rectoris iubentis ſine præce-

pto

pto Obedientiæ, quia fũdatur in voluntate eiuſdem Præpoſiti, vel Rectoris volentis, vt obediatur Miniſtro, ſicut ſibi iubẽti ſine præcepto Obediẽtiæ. Quare ſicut illa verba, Nolo parere, dicta Præpoſito, vel Rectori iubenti ſine præcepto, ſunt inobedientia mortalis, vt diximus ſuprà, *Dicto ſecundo & tertio*, ratione contemptus, & ſunt peccatum graue reſeruatum; eodem modo dicendum eſt de eiſdem verbis dictis Miniſtro, cùm eadem ſit ratio.

DISPVTATIO XLVIII.

De eo qui poteſtate ordinariâ, poteſt directè & per ſe abſoluere à caſibus reſeruatis.

IVRISDICTIO ad abſoluendum à reſeruatis, duobus modis haberi poteſt; primò, vt ordinaria: ſecundò, vt Delegata. Similiter duobus modis poteſt abſolui pœnitens à caſibus reſeruatis: primò directè, & per ſe; ad quod neceſſe eſt, vt abſoluens habeat iuriſdictionem circa illos, vel ordinariam, vel delegatam, quia ſine iuriſdictione nemo poteſt ferre ſententiam in aliqua cauſa. Secundò, contingere poteſt, vt abſoluatur pœnitens habens caſus reſeruatos, non tamen per ſe ab illis, ſed ab aliis peccatis non reſeruatis, cum quibus indirectè, & per accidẽs tolluntur reſeruata. Totum id eſt exactè explicandum. Nunc in præſenti Diſputatione videndum eſt, quinam habeant poteſtatem ordinariam ad per ſe, & directè abſoluendum à caſibus reſeruatis.

SECTIO PRIMA.

An Prælatus, qui caſus reſeruauit, & Superior illo, poſſit directè, & per ſe ab illis abſoluere.

1 CIrca primum doctrina generalis eſt, ab omnibus recepta, Prælatos, qui peccata reſeruant, poſſe ab illis poteſtate ordinaria directè, & per ſe abſoluere. Ratio eſt manifeſta, quia ille qui peccata reſeruauit, reſeruando retinuit pro ſe iuriſdictionem ſufficientem; nam reſeruatio ſolùm eſt ſubtractio iuriſdictionis reſpectu aliorum: ergo habet iuriſdictionem ad abſoluendum à reſeruatis. Quod ſanè intelligendum eſt, dummodò non deſit illi poteſtas Ordinis: Nam aliqui Prælati, vt Epiſcopi confirmati, ſed non ordinati Sacerdotio, habent iuriſdictionem, quam aliis poſſunt communicare; eam tamen per ſeipſos exercere non poſſunt: & hi quidem reſeruare poſſunt, abſoluere tamen non poſſunt per ſeipſos, ſed per alios, quibus iuriſdictionem concedant. Intelligenda quoque eſt doctrina prædicta, dummodò prædicti Prælati non ſint excommunicati non tolerati, ſuſpenſi, irregulares, aut interdicti: hi enim neque validè aliquem à reſeruatis, aut dare licentiam alteri Sacerdoti, vt illum abſoluant, poſſunt. Ratio eſt, quia hæc Abſolutio & delegatio, eſt actus proprius veræ iuriſdictionis: ergo neque ipſi poſſunt abſoluere per ſe, nec etiam committere, aut delegare alteri Sacerdoti hanc reſeruatorum Abſolutionem; quia eſt actus veræ iuriſdictionis, quâ omnino caret.

Circa ſecundum, certa quoque doctrina eſt, qui in iuriſdictione Superiores ſunt illis, qui peccata reſeruant, poſſe per ſe, & directè abſoluere à reſeruatis. Sic Papa poteſt abſoluere à peccatis, quæ ſibi reſeruant Epiſcopi, quia in iuriſdictione Superior eſt, & hæc iuriſdictio Epiſcopalis pendet ſemper ab illa Papali. Et etiã Epiſcopi poſſunt per ſe abſoluere à peccatis, quæ ſibi Curati vel ex priuilegio aliquo, vel ex conſuetudine reſeruare poſſunt, cùm hæc iuriſdictio Curatorum pendeat ab illa Epiſcoporum. Ratio eſt, quia ille, qui in iuriſdictione Superior eſt ipſo reſeruante, habet iuriſdictionem vniuerſalem reſpectu illius, quæ ſe extendit ad omnia, ad quæ iuriſdictio inferioris reſeruantis: ergo ille etiam poteſt abſoluere per ſe. Firmo, nam ante reſeruationem poterat abſoluere ab illis peccatis omnibus, à quibus poterat inferior: ergo & poſt illam idem poterit, quia per reſeruationem inferior non potuit auferre iuriſdictionem à Superiore; non enim reſeruatio prædicta adimit, nec adimere poteſt Superiori illam ſuam poteſtatem.

Dixi *in iuriſdictione ſuperiores*, id eſt in iuriſdictione fori interni, & conſcientiæ, quia non ſufficit, vt in dignitate, & ordine hierarchico Superiores ſint; vt ſunt, 2
v.g. omnes Patriarchæ, & Archiepiſcopi reſpectu Epiſcoporum: Non enim Archiepiſcopi poſſunt abſoluere Epiſcopi ſubditos, etiam ſuffraganeos à peccatis reſeruatis ſuo Epiſcopo; quia non habent immediatam iuriſdictionem in diœceſibus ſuffraganeorũ in hoc foro, niſi quando viſitant illas Iure ſibi cõcedente: Tũc enim quando diœceſim viſitant, non ſolùm per ſe poterunt ſuffraganeos Epiſcopi abſoluere à caſibus reſeruatis, ſed etiam hanc poteſtatem abſoluendi à reſeruatis, aliis committere, in ipſo actu viſitationis.

Dixi *Iure ſibi concedente*, quia Concilium Trident. 3
ſeſſ. 24. de reform. cap. 3. præcipit, ne à Metropolitanis, etiam poſt plenè viſitatam propriam Diœceſim, viſitentur Cathedrales Eccleſiæ, neque Diœceſes ſuorum Comprouincialium, niſi cauſâ cognitâ, & probatâ in Concilio Prouinciali. In eo igitur caſu, dum viſitant, habent iuriſdictionem, & videntur habere illam Epiſcopalem; illámque Diœceſim cenſeri tãquam ſuam pro tempore viſitationis, atque ideò poſſe tunc abſoluere à caſibus reſeruatis tali Epiſcopo, vt rectè notauit Suarez *diſputatione trigeſima, ſectione ſecunda, numero octauo.*

SECTIO II.

An Epiſcopi habeant ordinariam facultatem ad abſoluendum directè, & per ſe à caſibus ſedi Apoſtolicæ reſeruatis?

COnſtat ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 24. de reform.* 1
c. 6. concedi facultatem generalem Epiſcopis ad abſoluendum à caſibus reſeruatis Sedi Apoſtolicæ, his verbis: *Liceat Epiſcopis, &c. in quibuscumque caſibus occultis, etiam Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, delinquentes, quoſcumque ſibi ſubditos, in Diœceſi ſua per ſeipſos aut Vicarium, ad id ſpecialiter deputandum, in foro Conſcientiæ gratis abſoluere, impoſitâ pœnitentiâ ſalutari. Idem & in hæreſis crimine in eodem foro Con-*

ſcientiæ eis tantùm, non eorum Vicariis ſit permiſſum: Hæc Tridentinum.

Circa prædictam conceſſionem, omiſſis difficultatibus, quæ ſpecialiter moueri ſolent circa caſum hæreſis reſeruatum, quas ad materiam *de Fide* duximus reiiciendas; ſolùm breuiter explicabimus eas, quæ in genere ſunt communes ad hanc facultatem conceſſam Epiſcopis ad abſoluendum à caſibus reſeruatis Sedi Apoſtolicæ declarandam.

2 Prima difficultas eſt, qui nomine Epiſcopi in eo Decreto intelligi debeant? In quo certum eſt *primò*, non ſatis eſſe quòd ſit Epiſcopus conſecratus, ſi diœceſi, ac ſubditis careat; quales ſunt Epiſcopi Titulares, quia non conceditur hæc facultas Epiſcopo reſpectu omnium fidelium, ſed reſpectu ſubditorum in ſua propria diœceſi, vt in eodem Decreto declaratur. *Secundò*, nec poteſt ea facultate vti Epiſcopus earum regionum, in quibus Tridentinum non eſt receptum, tametſi habeat diœceſim, & ſubditos, quia par debet eſſe fauorum & onerum ratio; ac proinde vbi Tridentinum non recipitur quoad leges, & onera, acceptari non poteſt quoad fauores, vt rectè notauit Suarez *tom. 5. de cenſuris, diſp. 41. ſect. 2. num. 6.* dicens ſic deciſum eſſe in Congregatione Romana. *Tertiò* conſtat, quando Epiſcopus habet diœceſim, & in illa Tridentinum receptum eſt, ſatis eſſe, Epiſcopum eſſe electum, & confirmatum, etſi nondum conſecratus ſit, quia ille eſt abſolutè, & ſimpliciter Epiſcopus; & in ordine ad actus iuriſdictionis, non indiget conſecratione: Quod etiam verum eſt, tametſi Epiſcopus confirmatus nondum Sacerdos ſit: quia non exigitur ad hanc Abſolutionem Confeſſio ſacramentalis, quæ ſoli Sacerdoti fieri poteſt, nec Abſolutio à peccato reſeruato, ſed ſatis eſt Abſolutio ab excommunicatione, quâ ablatâ, poteſt quilibet Confeſſarius à peccato abſoluere: At Abſolutio ab excommunicatione, non ſolùm in foro externo, ſed etiam in foro Conſcientiæ ſolo, qualis in dicto Decreto conceditur Epiſcopis, poteſt impendi à non Sacerdote. *Quartò* probabilius eſt, nomine Epiſcopi comprehendi quoque Capitulum Sede vacante; quia Capitulum ſuccedit in iuriſdictione Epiſcopi, iuxta commune Ius: Et quamuis ius illud Tridentini ſpeciale ſit, quia tamen iam Iure communi ſpectat ad munus Epiſcopi, iam in illo ſuccedit Capitulum, etiamſi ius illud ſpeciale ſit, & fuerit datum per ſpecialem commiſſionem. *Quintò*, verius eſt, Abbates exemptos, & ſimiles habentes iuriſdictionem Epiſcopalem etiam habentes propriam diœceſim, non comprehendi nomine Epiſcopi: nam eſt declaratio Cardinalium, quam tradit Suarez *diſp. 30. ſect. 1. num. 6.* id aſſeuerans: Vnde hæc facultas cenſetur data Epiſcopis iure ſpeciali, & intuitu talis perſonæ pollentis tanta auctoritate, & dignitate; & ideò non debet extendi ad alios non Epiſcopos, etiamſi aliàs habeant communem iuriſdictionem Epiſcoporum, & propriam diœceſim. Potiori iure idem dicendum eſt de Prælatis Religionum reſpectu ſuorum ſubditorum, etiam ſuorum ordinum Generales, quia non ſunt Epiſcopi, tametſi habeant iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem, nec diœceſim habent: Et Concilium comprehendit Epiſcopos habentes ſibi ſubditos in diœceſi ſua.

3 Secunda difficultas eſt, quid nomine Subditorum in prædicto Tridentini Decreto comprehendatur. Certum eſt autem *primò* comprehendi vagabundos, quia cùm hi nullibi fixum domicilium habeant, ſubduntur Epiſcopo, in cuius diœceſi reperiuntur. *Secundò*, comprehenduntur habentes duplex domicilium ex æquo in duplici diœceſi; quia æquè in vtraque habitant: atque ideò poterunt abſolui tanquam vtriuſuis Epiſcopi ſubditi ab vtrouis eorum, etiam tempore, quo in altera diœceſi habitant. *Tertiò*, de peregrinis, ſcholaſticis, & Mercatoribus propriam diœceſim habentibus, an poſſint abſolui à prædictis caſibus reſeruatis ab Epiſcopo alienæ diœceſis, in qua tunc reperiuntur: Verius iudico poſſe cum Suarez citato. *num. 3. & 5. tomo de cenſuris. diſput. 41. ſect. 2. n. 10. & 12.* & Sanchez *lib. 2. Decalogi, cap. 11. num. 9.* Ratio eſt, quia ad id non exigitur habitatio, nec animus habitandi maiori parte anni in ea Diœceſi: nam ex generali Eccleſiæ conſuetudine, ſeu interpretatiua propriorum Prælatorum voluntate, quicumque extranei, vt incolæ ſunt, & ſubditi Epiſcopi, in cuius diœceſi reperiuntur, quod attinet ad Sacramenta Confeſſionis, & Euchariſtiæ recipienda; & conſequenter quoad Abſolutionem ab excommunicatione, quæ ad hæc Sacramenta præexigitur, & ad Confeſſionem pertinet. *Vltimò*, de Religioſis exemptis verius iudico, quamuis iſtæ perſonæ ſint exemptæ, tamen ſi ex licentia ſuorum Prælatorum, à quibus in aliquo caſu reſeruato abſolui non poſſunt, accedant ad Epiſcopum illius diœceſis, abſolui ab illo poterunt; tum quia iam efficiuntur ſubditi in illo foro: tum etiam, quia Religioſi licèt ſint exempti, tamen dum habitant in aliqua diœceſi, aliquo modo, & quoad aliqua ſunt ſubditi: igitur quoad fauorabilia, nomine ſubditorum illius diœceſis, comprehendi poterunt.

Tertia difficultas eſt, quid intelligatur in eo Tridentini Decreto per ea verba, *In foro Conſcientiæ, & in diœceſi ſua.* Breuiter dico, illam particulam *in foro Conſcientiæ*, ſolùm importare, vt ea Abſolutio non proſit pro foro externo, ſi contingat, pœnitentem ad iudicium trahi vt reum. Quare per dictam particulam *in foro conſcientiæ*, non intelligitur, audita Confeſſione; non enim neceſſaria eſt Confeſſio ſacramentalis vt Epiſcopus abſoluat ab excommunicatione caſuum reſeruatorum virtute illius Decreti Tridentini; vnde poteſt Epiſcopus in abſentia abſoluere ſubditum à quauis reſeruata excommunicatione, quâ ſublatâ, poteſt quiuis Confeſſarius à peccato abſoluere, quia ſublatâ hac excommunicatione per potentem abſoluere, ceſſat peccati reſeruatio: Abſolutio autem ab excommunicatione poteſt in abſentia impendi ex omnium ſententia. Nec Tridentinum in eo Decreto reſtrinxit, vt in præſentia concederetur. Ita Sanchez *loco citato, num. 13. & 14.* cum aliis, quos ipſe affert. Quid verò intelligatur per aliam particulam, *in diœceſi ſua*, breuiter dico cum eodem Sanchez *ibidem num. 16. & 17.* illam non exigere, vt Epiſcopus intra diœceſim ſuam reſideat, vt poſſit hac abſoluendi facultate vti, ita vt nequeat vti illa extra ſuam diœceſim. Non enim credendum eſt; Tridentinum voluiſſe ita arctare facultatem Epiſcopi, ac omnia iura corrigere, quæ iuriſdictionem voluntariam extra propriam diœceſim exerceri poſſe docent. Id enim ſi voluiſſet, non verbis ita ambiguis, ſed clariſſimis explicuiſſet, neque etiam illam particulam exiſtimo eſſe referendam ad ſubditos, vt nimirùm ſubditi, intra diœceſim exiſtant, vbi ſit Epiſcopus, quia etiam poteſtas Epiſcopi in ſuos ſubditos coarctaretur, & corrigerentur Iura, quæ ad exercendam iuriſdictionem voluntariam in ſubditos, non attendunt locum, in quo ipſe Epiſcopus, vel ſubditi ſunt, ſed iuriſdictionem in perſonas: Quare legitimus intellectus illius particulæ, *in diœceſi ſua*, eſt, vt poſſit Epiſcopus abſoluere quoſcumque ſibi ſubditos in diœceſi ſua, quomodocumque ſibi ſubdantur, videlicet, vel quia ſunt ordinarij ſubditi, vtpote, qui ibi domicilium habent; vel quia ſubduntur quoad ſolum Pœnitentiæ forum, eo quòd in ſua diœceſi inueniuntur tanquam aduenæ, & peregrini. Quod eſt valdè conforme iis, quæ diximus *numero præcedenti.* 4

Quarta difficultas eſt, quid intelligatur in dicto Tri- 5

dentini

dentini Decreto *per delictum occultum*. Breuiter dico cum communi ſententia, hic ſumi *occultum*, prout in Iure ſolet diſtingui à publico; eſt autem publicum, quod in maiori parte viciniæ, Collegij, vel Monaſterij, vel parochiæ cognoſcitur, dummodò ſaltem decem perſonæ inueniantur in ea vicinia, parochia, Collegio vel Monaſterio: Quòd ſi peccatum ſit alicubi publicum ibi verò vbi Abſolutio petitur, ſit occultum, ſentit Sanchez *loco citato num.* 10. ſi delictum in loco ita diſtanti publicum ſit, vt non ſit ſpes fore, vt ad alium deferatur, dici occultum in eo loco, in quo Abſolutio petitur, atque ideò ſubiici facultati Epiſcopi in eo Decreto ſibi conceſſæ. Oppoſitum docet Suarez *diſp.* 30. *ſect.* 2. *n.* 2. Probat, quia quod alicubi publicum eſt, ſimpliciter, & abſolutè eſt publicum, & non occultum: Tum etiam, quia moraliter, & regulariter loquendo, quod in aliquo loco eſt publicum, ad alia loca facilè differtur. Adhæreo huic ſententiæ vt magis ſecuræ, ac iuri conformi.

6 Quinta, & vltima difficultas eſt, an Epiſcopi habeant ordinariam facultatem, vel delegatam ad abſoluendum à reſeruatis Sedi Apoſtolicæ?

Partem affirmantem eſſe ordinariam iudico veriorem, cum Suarez *tom* 5. *in* 3. *p. diſp.* 47. *ſect.* 2. *num.* 8. Quia Concilium non limitat hanc facultatem, vt intelligatur conceſſa Epiſcopis tanquam delegatis Sedis Apoſtolicæ, quod aliis locis facere ſolet, ſed ſimpliciter eam facultatem Epiſcopis concedit, vt ex vi illius Decreti videatur hæc facultas iam annexa muneri Epiſcopali, quaſi iure ordinario.

7 Vnde colligo, poſſe Epiſcopum per alium diſpenſare, vices ſuas illi committendo, quia cùm ſit facultas ordinaria, eſt delegabilis ab Epiſcopo; & ſæpe expedire videtur, eam facultatem concedere docto Confeſſario, qui poſſit diſpenſationis cauſam meliùs in conſcientia examinare: Et ita vſu receptum eſt, & interpretatum, vt Epiſcopi ſoleant in his diſpenſationibus, vices ſuas aliis committere; conſuetudo autem eſt optima legum interpres: At circa Abſolutionem à reſeruatis Sedi Apoſtolicæ, notanda eſt reſtrictio appoſita in prædicto Decreto; vbi dicitur, licere Epiſcopis abſoluere per ſeipſos, aut Vicarium ad id ſpecialiter deputatum: Nam ſi id non fuiſſet additum, per quemcumque Delegatum poſſet illa Abſolutio præſtari; per illam verò particulam, reſtrictum eſt, vt ſolùm poſſit id fieri per Vicarium ad id ſpecialiter deputatum.

8 In hoc etiam notanda eſt differentia, quam Concilium facit inter peccatum hæreſis, & reliquos caſus reſeruatos, nam ab hæreſi occulta ſolùm poteſt abſoluere Epiſcopus per ſeipſum; abſoluere inquam à cenſura; nec poteſt alteri delegare hanc facultatem: at verò à cæteris caſibus reſeruatis poteſt abſoluere per ſeipſum, vel per Vicarium ad hoc ſpecialiter deputatum. Quod vltimum intelligi debet, vel oblata occaſione, propoſito nempe aliquo caſu particulari, committendo alicui vices ſuas circa talem caſum, vel certè generaliter committendo alicui vices ſuas, quoad hoc ſpeciale munus, abſoluendi ab his caſibus; quia vtroque modo verè dicitur Vicarius ad hoc ſpecialiter deputari, quod requirit Concilium. Id rectè notauit Suar. *diſ.* 30. *ſect.* 2. *n.* 9.

SECTIO III.

An Epiſcopi, & eorum Vicarij poſſint à Confeſſario abſolui à ſibi reſeruatis, etiam in caſibus Papæ reſeruatis.

NOn procedit quæſtio de peccato reſeruato ab ipſo Epiſcopo in ſua diœceſi, quia certum eſt poſſe abſolui a ſuo Confeſſario, nam ſi ipſe ſit, qui peccatum reſeruauit, eius peccatum non eſt reſeruatum; non enim ipſe poteſt ſeipſum ligare, ne poſſit confiteri, cui voluerit. Quæſtio igitur eſt de aliis peccatis Papæ reſeruatis, à quibus poſſunt Epiſcopi alios abſoluere iuxta dicta *præcedenti ſect.* 1

Dico igitur cum communi ſententia Doctorum quos refert, & ſequitur Sanchez *lib.* 8. *de Matrimonio, diſp.* 3. *n.* 3. Quam etiam tenent Suarez *diſp.* 30. *ſect.* 2. *n.* 15. Cardinalis Lugo *diſp.* 20. *ſect.* 5. *num.* 57. & Alij, poſſe Epiſcopos abſolui à ſuo Confeſſario, ab iis, à quibus ipſi poſſunt alios abſoluere. Quod ex *c. finali, de pœnitentia, & remiſſione*, colligi videtur. Imò meritò id extendunt Doctores dicti ad caſus reſeruatos Papæ, à quibus, ſi occulti ſunt, poſſunt Epiſcopi abſoluere, vt vidimus *ſect. præced.* vnde ſi in illos incidant, poſſunt quoque abſolui à ſuo Confeſſario. Extat de hac re Declaratio Congregationis Cardinalium, quam adfert Suarez *locò citato*, id licere Epiſcopis. Et ratio illis ſuffragatur, quia non debent Epiſcopi eſſe peioris conditionis: non ergo debent cogi in omnibus criminibus occultis Papæ reſeruatis ad ipſum recurrere: Vnde verò Confeſſor ſic electus ab Epiſcopo, habeat facultatem ad illum abſoluendum? Verius iudico, non habere illam delegatam ab Epiſcopo eligente ipſum, ſed immediatè à Papa, ex vi Iuris communis. Moueor ad id dicendum propter dubium propoſitum dictæ Congregationi, quod fuit; An Epiſcopo in aliquod delictorum (de quibus hoc capite) prolapſo, liceat ad ſe abſoluendum, proprium Confeſſorem deputare cum eadem auctoritate, quam ipſe poſſet ex eodem Capite in ſibi ſubditos exercere? Et reſponſum fuit: *Congregatio cenſuit, id Epiſcopo licere.* Ex quibus manifeſtè conſtare videtur, ex vi huius Decreti, reſeruationem Papæ illis ablatam eſſe ab his caſibus occultis; atque ideò reſpectu Epiſcopi, non reputari vt reſeruatam, ſed vt comprehenſam ſub clauſula generali eligendi Confeſſorem. 2

Solùm dubitari poteſt de hæreſi occulta, etiamſi ſupponatur, non eſſe reuocatam facultatem in hoc crimine Epiſcopis conceſſam circa alios; quia ſolùm data eſt, vt exercenda per ipſos; & ideò non videtur veriſimile, quòd reſpectu perſonæ Epiſcopi delegetur per Papam cuicumque Confeſſori ab ipſo electo. Cæterùm oppoſitum eſt ſatis probabile, quia Cardinales in ſua reſponſione nullam limitationem adhibuerunt: imò cum ſentiant *cum eadem auctoritate, &c.* omnem limitationem excludunt. Quare conſequenter dicendum eſt, etiam in hoc crimine hæreſis occulto, reſeruationem Pontificiam eſſe ſublatam; idque ſatis eſſe, vt commiſſum cenſeatur Confeſſori ab Epiſcopo electo: Ita Suarez citatus. 3

De Vicario Epiſcopi, an poſſit facere ſe abſoluere à reſeruatis ab Epiſcopo, ſi dare poteſt facultatem pro aliis, ratio dubitandi eſt, quia pro parte negante facit, quia non conſtat de voluntate Epiſcopi delegantis, de quo non præſumitur, velle ipſum Vicarium comprehen- 4

prehen

prehendere in facultate illi conceſſa. Pro parte verò affirmante eſt optima ratio à ſimili; nam ex facultate, quam Vicarius habet conſtituendi Confeſſarios in diœceſi ad caſus non reſeruatos, poteſt conſtituere Confeſſarium, cui ipſemet poſteà confiteatur ſua peccata non reſeruata, vt conſtat: ergo ex poteſtate, quam habet conſtituendi Confeſſarios, qui abſoluant a reſeruatis, poteſt conſtituere Confeſſarium, cui ipſemet poſteà confiteatur peccata reſeruata: patet Conſequentia, quia eodem modo habet vtramque poteſtatem pro tota diœceſi: ergo ſi prior non excludit ipſummet Vicarium, nec poſterior excludet. Idem efficaciſſimè firmatur, ſi ponamus, quòd Vicarius poſſit, & approbauerit aliquem Confeſſarium, & conceſſerit ei totam facultatem ad reſeruata, & ad non reſeruata, pro tota diœceſi, cui omnes poſſunt confiteri quælibet peccata; in hoc caſu, quis neget, Vicarium poſſe eidem confiteri reſeruata, cum eodem modo conceſſerit facultatem vniuerſalem ad omnia?

5 Huic parti affirmanti adhæreo propter Argumenta propoſita, cum Cardinali Lugo *diſp. 20. ſect. 5. n. 58.* Nec poteſt rationabiliter contrarium præſumi de voluntate Epiſcopi delegantis dictam facultatem ſuo Vicario Generali. Roboratur id ampliùs doctrina ſimili Thomæ Sanchez *lib. 8. de matrimonio, diſp. 3. n. 10.* aſſerentis, delegatum ad diſpenſandum in vniuerſum, cũ aliqua Communitate, poſſe idem circa ſeipſum, quod poteſt circa alios, cùm ipſe ſit pars eiuſdem Communitatis; nec debet eſſe in hoc peioris conditionis, quàm cæteri ex ea Communitate, cum quibus ipſe Superior diſpenſare poteſt, niſi aliunde conſtet de contraria intentione, ſeu voluntate Epiſcopi. Igitur Vicarius qui habet ab Epiſcopo eam facultatem conſtituendi Confeſſarios, qui abſoluant à reſeruatis pro tota diœceſi, poterit eadem facultate vti circa ſeipſum, niſi ab ipſo Epiſcopo expreſsè excludatur ab hoc communi beneficio, ſeu remedio.

SECTIO IV.

An Prælati regulares poſſint abſolui à ſuo Confeſſario à peccatis reſeruatis, per Generalem Ordinis, cum Capitulo Generali?

1 Ratio dubitandi eſt, quia ex vna parte ſtare videtur vſus & praxis aliquarum Religionum, vt Prælatus inferior nequeat à reſeruatis abſolui, niſi à Prælato ſuo, vt eſt certum in noſtra Religione Societatis Iesv, in qua Superiores locales abſolui non poſſunt, niſi à Prouinciali, vel à Confeſſario, quem ipſe illis aſſignat; & Prouinciales, nonniſi à Confeſſario, quem ipſis Generalis aſſignat, ſi indigeant abſolutione à reſeruatis. Ex alia verò parte videtur contrarium dicendum. *Primò*, quia ſi Epiſcopus poteſt circa ſe, quæ poteſt circa alios; & hoc etiam in caſibus Papæ reſeruatis: & ſi Vicarius Epiſcopi poteſt mediatè ſibi conſulere per facultatem, quam ab Epiſcopo accepit pro tota diœceſi; à fortiori id poterit Prælatus regularis, qui non habet poteſtatem vicariam, ſed propriam ex ſuo munere. *Secundò* & maximè, quia Prælati Superiores nequeunt auferre inferioribus Prælatis facultatem ipſis de Iure communi conceſſam ab ipſo ſummo Pontifice: At in *c. finali de pœnit. & remiſſ.* concedit omnibus his Prælatis facultatem eligendi ſibi Confeſſarium, dando illis facultatem, præter ſui Superioris licentiam.

Dico *primò*, in hac reſtandum eſſe vſui, & conſuetudini, & praxi Religionum. Patet, quia per talem vſum conſtat intentio Religionis reſeruantis, à cuius ſola voluntate pendet totaliter quoad ſubſtantiam, & quoad extenſionem abſolutio reſeruationis. Pertinet enim ad reſeruantem, dare illam facultatem, cui voluerit, & eo modo, quo voluerit. Quare ſi in aliquibus Religionibus Capitulum generale reſeruans aliquod, vel aliqua peccata, committit eiuſdem, vel eorumdem Abſolutionem inferioribus ſeu localibus Prælatis, vel de eorum licentia, non excludendo ipſos Prælatos ab eo beneficio; intelligi debet, facultatem etiam extendi ad ipſos Prælatos inferiores, quando indigebunt abſolui à tali, vel talibus peccatis, quia nimirùm Religio reſeruans, & concedens poſteà Prælato inferiori vniuerſaliter Abſolutionem taliũ peccatorum; cenſetur auferre reſeruationem pro tota illa communitate, dum ad talem Prælatum recurrant; cùm autem ipſe Prælatus ſit pars illius Communitatis, non cenſetur ipſe excluſus ab illo remedio communi, dum aliũde non conſtet de contraria intentione Religionis, à qua ſola pendet ablatio reſeruationis: Quare ſicut dixi *præcedenti ſectione*, de facto in Tridentino concedente Epiſcopis licẽtiam abſoluendi ſubditos à caſibus occultis Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, intelligi etiam datã licentiã, vt poſſint ipſi abſolui ab eiſdem; ita ſimiliter dicendum de caſibus reſeruatis in Ordinibus, ſi Capitulum Generale reſeruans committit Abſolutionem Prælatis localibus, vel de eius licentia, non deſignando ipſis Prælatis peculiarem Confeſſarium reſpectu reſeruatorum, non excludere ipſos Prælatos ab eo beneficio; atque adeò illam facultatem extendi quoque ad ipſos Prælatos, ſi indigeant à talibus peccatis reſeruatis abſolui. 2

Dico *ſecundò*, in noſtro Ordine Societatis Iesv, Prælatos inferiores habere Confeſſarios deſignatos à Congregationibus Generalibus, qui eos abſoluere poſſint à peccatis reſeruatis, ſi indigeant aliqua abſolutione; ac proindè non habere facultatem eligendi ſibi alium Confeſſarium ad Abſolutionem reſeruatorum. Id manifeſtè conſtat ex Congregationibus Generalibus, præſertim ex Congregatione VIII. Generali *decreto 25.* & ex perpetuo vſu in Societate. Quæ praxis eſt optima interpres legis, & intentionis, quam Societas habuit ſemper in materia reſeruationis. 3

Ad rationem dubitandi, Dico primam partem illius 4
benè probare ſecundum Dictum. Ad aliam ſecundam partem ſatisfaciendum eſt. Ad primum illius Argumẽtum, liquet ex *præcedenti ſect.* nam Epiſcopis conſtat ex declarationibus Cardinalium, ablatam eſſe reſeruationẽ Papæ à caſibus occultis Sedi Apoſtolicæ reſeruatis: reſpectu Vicarij generalis. conſtare quoque de voluntate ac intentione Epiſcopi delegantis, dictam facultatem ſuo Vicario concedentis.

Ad ſecundũ argumentũ deſumptũ ex *c. finali, de pœnit. & remiſſ.* perplacet mihi, quod optimè notauit no- 5
ſter Cardinalis Lugo *diſp. 20. ſect. 5. n. 64. & 65.* indultum Iuris communis; quod ibi datur Epiſcopis, & aliis Superioribus, nec nõ minoribus Prælatis exemptis, vt etiam præter ſui Superioris licentiam prouidum, & diſcretum ſibi poſſint eligere Confeſſorem; quæ ſunt integra verba talis Indulti; non fuiſſe ad Abſolutionem à caſibus reſeruatis, ſed ſolùm vt Prælati ſibi eligere poſſent Confeſſarium ordinarium, per quem à non reſeruatis abſolui poſſent. Ratio eſt, quia inprimis Epiſcopi, de quibus potiſſimum, ac primo loco ibi eſt ſermo, non habebant caſus reſeruatos niſi ſoli ſũmo Pontifici: nã alij omnes reſeruabãtur ipſi Epiſcopo qui poterat facilè tollere reſeruationẽ quę ab ipſo pendebat. Certum eſt autem, quòd per illud

indultum non fuit data illis facultas eligendi Confeſſarium, qui eos abſolueret ab omni cenſura, & peccato reſeruato Sedi Apoſtolicæ, quia non fuit indultum illud pro Abſolutione à reſeruatis, ſed pro Confeſſione ordinaria de aliis peccatis, vt conſtat ex ipſis verbis relatis. Quod etiam firmatur ex communi doctrina Theologorum, datâ licentiâ eligendi Confeſſarium, non intelligi datam ad caſus reſeruatos: Ad quod facit textus in *cap. ſi Epiſcopus, de pœnit. & remiſſ. in ſexto.* Vbi ſic dicitur: *Si Epiſcopus ſuo ſubdito concesserit, vt ſibi poſſit idoneum eligere Confeſſarium: ille, quem is elegerit, in caſibus, qui eidem Epiſcopo ſpecialiter reſeruantur, nullam habet penitus poteſtatem.* Igitur licentia data *in cap. finali*, Epiſcopis, & aliis Prælatis exemptis eligendi Confeſſarium, non fuit vllo modo ad caſus reſeruatos.

6 Ex his colligo *primò*, Prælatum regularem, loquendo de Iure communi, ſi non ſit aliquod ſtatutum ſpeciale id prohibens in ſua Religione, poſſe confiteri Sacerdoti alterius Ordinis, vel dare ſubdito talem facultatem. Ratio eſt, quia cùm ipſe habeat poteſtatem ordinariam in ordine ad ſuos ſubditos, poteſt delegare, quos voluerit pro eorum Confeſſionibus. Pariter etiam cum eandem poteſtatem habeat ad eligendum ſibi Confeſſarium ex vi Iuris, nempe ex *dict. c. fin. de pœnit. & remiſſ.* poterit eodem modo eligere, quem voluerit.

7 Colligo *ſecundò*, non poſſe ipſum Prælatum abſolui à caſibus reſeruatis per Confeſſarium externum, quando voluntas Prælatorum Superiorum, vel Congregationis, ſeu Capituli Generalis reſeruantis non fuit, vt ipſe poſſet ſibi eligere Confeſſarium ad peccata reſeruata: vt conſtat ex *ſuprà* dictis. Similiter nec poterit ſubditis dare facultatem confitendi extraneo Confeſſario in ordine ad peccata reſeruata, ſi ſit ſtatutum ſpeciale in ſua Religione id omninò prohibens, vt eſt in noſtra Societate. Quod etiam ex *ſuprà* dictis eſt manifeſtum.

SECTIO V.

An facta ſemel Confeſſione cum habente poteſtatem ordinariam abſoluendi à reſeruatis, cenſeatur ablata reſeruatio, pro omnibus quæ pœnitens propter obliuionem omiſit?

1 Conſtat habentem poteſtatem ordinariam abſoluendi à reſeruatis, ab omnibus illis abſoluere, ſi adſit intentio ex parte abſoluentis, & debita diſpoſitio ex parte pœnitentis. Difficultas verò eſſe poteſt, an cùm quis confitetur Superiori habenti poteſtatem ordinariam ad abſoluendum à caſibus reſeruatis, & ab illo ſimpliciter abſoluitur ab omnibus peccatis, ipſe tamen per obliuionem inculpabilem omiſit peccatum reſeruatum, maneat liber à reſeruatione; itavt confiteri poſſit illud cuicumque Confeſſori approbato.

Affirmat communis ſententia Doctorum, Adriani Gabrielis, Syluestri, Nauarri, Angeli, Emanuelis Sà, Roſellę, & Henriquez, quos refert Coninck *diſp.* 8. *dub.* 12. *n.* 93. & eos ſequitur *n.* 98. Ratio fundamentalis eſt, quia pœnitens accedit cum intentione vt ab omnibus ſuis peccatis abſoluatur, & fecit quod in ſe erat moraliter, & ſi ei occurreret, ſe habere aliquod, vel aliqua peccata reſeruata, omninò ea faſſus fuiſſet, & Superior abſoluens tollit omnia peccata etiam reſeruata, & hoc ipſum intẽdit formaliter, vel virtute, quia habet intentionem relinquendi illum liberum, quantum licitè poteſt: ergo tollit reſeruationem omnem, etiam eorum peccatorum quæ oblita ſunt.

Ex alia verò parte videtur oppoſitum dicendum, quia in hoc caſu per illam Superioris Abſolutionem, peccatũ illud reſeruatum oblitum, tantùm indirectè remittitur, vt eſt manifeſtum, quia peccatum illud non affertur in iudicium, nec actu ſubiicitur Clauibus, atque ideò directè non remittitur, ſed ſolùm indirectè: At indirecta remiſſio non ſufficit vt auferatur reſeruatio: Igitur peccatum illud oblitum manet adhuc reſeruatum. Minor probatur: Tum quia, ſi ille pœnitens confeſſus fuiſſet bona fide Sacerdoti inferiori non habenti iuriſdictionem in peccata reſeruata, quia non putat ſe habere illa, tunc etiam peccatum reſeruatum oblitum indirectè tolleretur, & nihilominus æquè reſeruatum maneret, ac anteà; vt eſt certum apud omnes: ergo indirecta remiſſio non ſufficit ad tollendam reſeruationem: Tum etiam, quia per illam Confeſſionem ſatisfactum non eſt intentioni reſeruantis, nec fini, quia nec peccatum nouit, nec pro illo ſatisfactionem impoſuit, nec medicinam adhibuit, quę ſunt præcipuè per reſeruationem intenta: ergo non eſt præſumptio rationabilis, quòd Superior abſtulerit reſeruationem. Et certè quis non videat, abſurdum apparere, quòd per quamlibet Confeſſionem quacumque occaſione factam cum Superiore, nulla mentione factâ de reſeruatione, ſed accuſando ſe ſolùm de verbis otioſis, aut de aliis peccatis venialibus, eo ipſo pœnitens maneat iam liber ab omni reſeruatione pro omnibus oblitis, cùm nec fini reſeruationis, nec intentioni reſeruantis vllo modo ſit ſatisfactum.

Præmitto *primò*, præſentem difficultatem ſolùm conſiſtere circa factum, ſeu voluntatem Superioris, qui habeat ordinariam iuriſdictionem abſoluendi à reſeruatis, an de facto velit, & habeat intentionẽ tollendi directè reſeruationẽ pro peccatis oblitis, quãdo abſoluit ſubditũ. 3

Et quidem ſi pœnitens confiteatur Superiori, manifeſtando ei omnia quæ memoriæ occurrunt, cum intentione exonerandi omninò conſcientiã, & conſequendi Abſolutionẽ omniũ peccatorũ, etiam reſeruatorũ ſi quę habeat, tametſi caſus reſeruati propter obliuionẽ taceãtur, videtur certum manere liberũ ab horum reſeruatione. Hoc eſt quod docet communis ſententia, in quo omnes conuenire debent; & probat ratio *ſup.* adducta in fauorem illius; quia in hoc caſu voluntas & intentio Superioris ſufficienter colligitur ex eo, quod ſciens ſubditum ad ipsũ accedere ea intentione, vt quoad fieri poſſit, liber maneat ab omni onere peccatorum ſuorũ, videnſq; illum bona fide confiteri quidquid ſibi occurrit, eúmque ſimpliciter abſoluens, & ſatisfactionem imponens, ſatis profectò indicat; velle illum liberum relinquere quantum poteſt; atque ideò cùm poſſit tollere vinculum reſeruationis, illud tollet.

Dubitatio ergo ſolùm eſſe poteſt in alio ſenſu, an nimirùm ſi pœnitens confiteatur Superiori Confeſſione ordinaria, abſque vlla mentione, vel intentione caſuum reſeruatorũ ex parte pœnitentis, & ab eo abſoluatur; peccatum oblitum, quod anteà erat reſeruatum, poſteà maneat nõ reſeruatũ, & ſine onere cõfitendi illud Superiori. 4

Suar. *diſp.* 31. *ſect.* 4. *n.* 18. dicit eſſe valdè abſurdũ, dicere, voluiſſe Superiorẽ tollere in eo caſu reſeruationem; quia de caſibus reſeruatis nihil omninò in ea Confeſſione actũ eſt, nec in ordine ad illos, ſiue certos, ſiue dubios abſolutio poſtulata eſt: Idque ait manifeſtè probare obiectionẽ ſup. poſitã *n.* 2. contra communem ſententiã.

Cardinalis Lugo *diſp.* 20. *ſect.* 7. inclinat in oppoſitũ, ſequens etiam in hoc communem ſententiã *ſup.* traditã: Quia quoties ſubditus bona fide, & cum ſimplicitate confitetur Superiori, & detegit ei latebras cordis ſui, iã facit, quantum eſt ex ſe, vt Superior adhibeat eius conſcientiæ remedia neceſſaria: non eſt ergo, cur non ſit contentus Superior eiuſmodi manifeſtatione, & tollat reſeruationem; ſicut tollit, quando manifeſtat vnum 5

reſerua

Digitized by Google

reſeruatum, etiam reſpectu oblitorum, prout fatetur ipſe Suarez. Firmat Lugo, quia ſi ſubditus explicitè diceret, ſe deſiderare abſolui ab omni vinculo, quantum fieri poſſet, iam Superior præſumeretur velle auferre reſeruationem, vt concedit Suarez; ſed quoties confitetur Prælato, deſiderat, & petit implicitè Abſolutionem, & remiſſionem maiorem, quam habere poſſit; ad hoc enim venit omnis pœnitens ad Confeſſarium, vt ſoluatur, quantum ſolui poſſit: Igitur præſumetur quoque Superior velle ſoluere, quantum poteſt iuxta deſiderium pœnitentis: Cur enim non præſumemus, Superiorem velle facere id, quod faceret abſque vlla difficultate, quoties à pœnitente explicitè ſic peteretur dicẽs, Tametſi conſcius non ſim alicuius caſus reſeruati, nihilominus tamen ad cautelam deſidero ſolui à vinculo reſeruationis? Superior namque hoc illi nunquam in Confeſſione negaret: ergo ſimiliter idem cum magno fundamento præſumimus in præſenti caſu, & aliis ſimilibus, Superiorem ita velle abſoluere ſemper, vt ſoluat, quantum poteſt.

6 Vtraque ſententia probabilis eſt; hanc tamen ſecũdam libentius amplector, quia cõmunis eſt, & magis pœnitentibus fauorabilis, & valdè conſentanea rationi, & paſtorali muneri: Quia tametſi pœnitens in præſenti caſu explicitè non petat abſolui à caſibus reſeruatis, ſi fortè eos habeat; cenſetur tamen interpretatiuè id petere, quia venit ad Confeſſionem, vt quantum fieri poteſt à peccatis omnibus liberetur; & ſi occurreret, ſe habere aliqua peccata reſeruata, omninò peteret reſeruationem tolli: ergo Superior Confeſſarius, qui ei cupit omninò proſpicere, etiam cenſetur hic & nunc velle eum liberare à peccatis, quantum licitè poteſt, & conſequẽter tollere reſeruationem. Quòd verò id ſit valdè conformePaſtorali muneri; patet, quia iam ſubditus ille facit, quod in ſe eſt, & moraliter ſe præſentat Superiori quantũ poteſt, & Superior imponit ei ſatisfactionem accommodatam iuxta moralem diſpoſitionem eius: ergo Superior debet eſſe illa manifeſtatione contentus pro omnibus peccatis vſque ad illud tempus commiſſis.

Eſt verò obſeruandum, quæ dicta ſunt de ablatione reſeruationis circa peccatum oblitũ inculpabiliter, locum etiam habere circa peccatum reſeruatum non oblitum, quod tamen pœnitens ob iuſtam cauſam tacuit, v.g. vt vitaret graue damnum ſui, vel alterius, quod ex Confeſſione talis peccati prudenter timebat.

7 Ex quo patet ſolutio ad Argumentum Suarij, & ad obiectionem ſuprà poſitam *n.* 2. quia tametſi indirecta remiſſio peccati reſeruati, præciſè, non ſufficiat ad auferendam reſeruationem; ſufficit tamen, ſi ſimul prudenter præſumatur intentio Superioris reſeruantis, volentis in eo caſu eam auferre: hæc autem colligitur ex eo, quia vult reſeruans in eo caſu ſoluere, quantum poteſt, iuxta deſiderium pœnitentis, qui bona fide accedit, & deſiderat ſolutionem maiorem, quàm habere poſſit: vnde ſaltem implicitè petit, vt ſoluatur quãtum poſſit, & conſequenter vt ſoluatur à vinculo reſeruationis: Vnde eo ipſo quòd Superior habeat poteſtatem ordinariam remittendi illa peccata reſeruata directè, ſi dicerentur: & ſubditus habuit voluntatem illa dicendi, ſi memoriæ occurrerent, habuit Superior voluntatem illum relinquendi liberum, quia intendit facere cum illo quantum poteſt; poteſt autem, quamuis non auferat directè culpam, auferre onus, ſeu reſeruationem eius.

SECTIO VI.

Vtrùm habens poteſtatem ordinariam abſoluendi à cenſuris reſeruatis, quando abſoluit pœnitentem in Confeſſione ab excommunicatione ſub illa conditione generali In quantum poſſum, & indiges, *abſoluat quoque illud ab excommunicatione reſeruata omninò oblita?*

Præſens quæſtio nequit procedere niſi de Abſolutione directa dictæ excommunicationis reſeruatæ: quia hoc eſt manifeſtum diſcrimen inter culpam mortalem, & cenſurã; nam interdum vna culpa mortalis poteſt indirectè, & cõcomitanter tolli per iuriſdictionẽ & Abſolutionẽ circa aliã, propter connexionẽ, quã mortalia peccata habẽt inter ſe, in ordine ad remiſſionẽ: at cẽſura excommunicationis v.g. non poteſt tolli, niſi per directam Abſolutionẽ, & iuriſdictionẽ; quia neq; inter ſe vna excõmunicatio habet cõnexionẽ cũ alia, neq; etiã cũ culpa: quia poteſt vna excõmunicatio remitti ſine alia, & culpa ſine excõmunicatione, & è cõuerſo. Neque etiam procedit quæſtio, ſi Superior abſoluat ab vna ſolùm excõmunicatione ſiue non reſeruata, ſiue reſeruata quia tũc certũ eſt, nõ manere pœnitentẽ abſolutũ ab aliis reſeruatis quas habet oblitus, nec ablatã eſſe reſeruationẽ pro illis. Ratio eſt, quia Abſolutionis verba tũc ſolùm terminantur ad illam excõmunicationem, nec vllo modo indicant ſolutionẽ ab aliis, aut ab earũ reſeruatione. Quæſtio igitur eſt, quando generaliter abſoluit ab omni excommunicatione, in quantum poteſt, an tunc illa verba dirigantur quoque ad omnes, etiam ad excommunicationem oblitam reſeruatam. 1

Videtur enim pars negatiua amplectenda. ***Primò*** ex *cap. 1. de Pœnitẽtiis & remiſ. in 6.* vbi dicitur: *In generali conceſſione illa non veniunt, quæ non eſſet quis veriſimiliter in ſpecie conceſſurus*: ergo qui abſoluit tantùm generatim ab excommunicatione, non cenſetur abſoluere ab ſpeciali reſeruata; quia ſub illa generali clauſula non comprehenduntur quæ ſpecialia ſunt. 2

Secundò, in peccatis reſeruatis cum excommunicatione fatentur omnes, ablata excommunicatione, ſeu eius reſeruatione, eo ipſo auferri reſeruationem peccati: eſt enim communis omnium regula in caſibus Pontificiis & ſimilibus, ablatã cenſurã auferri peccati reſeruationem: ergo ſi per illam Abſolutionem generalem tolleretur omnis ſpecialis cenſura, etiam reſeruata, tolleretur reſeruatio eorum peccatorũ, quæ communiter grauiora ſunt, quàm illa, quę ſine cenſura reſeruãtur. Vnde in caſibus Pontificiis, peccatũ quod habebat excõmunicationem annexã, non maneret reſeruatum in prædicto euentu; quia etiamſi illud fuerit in Confeſſione oblitum, excommunicatio illius ablata fuit, & cum illa ſemper tollitur talis reſeruatio: Hoc autẽ quis dicet? Imò hinc vlterius infertur, peccata reſeruata ſine excommunicatione manere in eo caſu non reſeruata; quia nõ eſt credibile, velleSuperiorem tollere reſeruationem in peccatis oblitis habentibus excommunicationem annexam, quæ ſolent eſſe grauiora, & non in aliis.

Tertiò, qui in Confeſſione oblitus eſt alicuius peccati mortalis, licèt maneat abſolutus ab eo, ſi poſteà recordetur illius, tenetur illud cõfiteri, vt directè abſoluatur ab illo: ergo ſimiliter excommunicatus, oblitus tamẽ excommunicationis, ſi abſoluatur in Confeſſione generatim, & poſteà recordetur excommunicationis, tenebitur quoque ab illa abſolui.

Contraria ſentẽtia quam ipſe amplector, videtur eſſe 3

magis communis apud Doctores: Nam inprimis eam tenent, qui affirmant Confeſſarium virtute Bullæ, vel Iubilæi concedentis facultatem ad abſoluendum à quibuſcumque cenſuris etiam reſeruatis Papæ in Bulla Cœnæ, ſi abſoluat pœnitentem ad cautelam ab omni excommunicatione, *In quantum poſſum & indiges*, manere talem pœnitentem abſolutum ab omnibus excommunicationibus, licèt per obliuionem non confiteatur illud peccatum, propter quod incurſa eſt excommunicatio; & ita poterit poſteà abſolui ab illo peccato per quemcumque Confeſſarium approbatum, quamuis non poſſet abſoluere ab excommunicatione. Id docent Couarruuias *cap. Alma mater, p.1. §.11. n.12.* Nauarrus *c.26. n.3.* qui citat Angelum, & monet, vt hoc notent Religioſi, qui in Viſitationibus generaliter abſoluuntur a Superioribus, ab irregularitatibus, & aliis cenſuris: nam licet tunc non meminerint illarum, cenſentur ſublatæ, nec tenentur aliam Abſolutionem, vel diſpenſationem quærere ab eis, ſed ſatisfacient confitendo peccata, ob quæ illas incurrerunt. Idem tenent Syluester *verbo Abſolutio III.* & alij Magiſtri recentiores. Præterea eandem ſententiam in particulari, & expreſsè defendunt Stephanus de Auila *de Cenſuris, 2. p. c.7 dubitatione 16.* Vaſquez *q.92. art.3. dub.5. n.18. & 21.* dicens, excommunicationem etiam reſeruatam non manifeſtatam, ſeu obitam, auferri à Superiore, vel eius delegato per Abſolutionem generalem à cenſuris, quam præmittit; & Cardinalis Lugo *diſputatione 20. ſectione 7. num.98.*

4 idem obiter concedit. Ratio huius Concluſionis à priori hæc eſt, quia inprimis Superior habet plenam poteſtatem abſoluendi ab omnibus cenſuris etiam reſeruatis, vt ſupponitur; & hoc ipſum intendit formaliter, vel virtute, quando profert verba illa Abſolutionis generalia, *Abſoluo te ab omni excommunicatione, in quantum poſſum, & indiges*; nam prædicta verba clarè diriguntur ad omnes excommunicationes: ergo apertè ſignificant, & declarant Abſolutionem ab omnibus illis: ergo pœnitens, quando recordatur poſteà excommunicationis reſeruatæ, fruſtrà indiget alia Abſolutione ab illa, cùm iam fuerat anteà ea excommunicatio ſublata. Firmo id totum efficaciter, quia ad abſoluendum à cenſura per ſe, & directè, non eſt neceſſe diſtinctè, & in particulari cognoſcere cauſam cenſuræ, ſed ſufficit voluntas vniuerſalis abſoluendi ab omnibus, etiam reſeruatis, vt eſt certum apud Doctores: at in præſenti caſu, liquet eam profectò habere Superiorem. Præterea illa Abſolutio generalis ab omni excommunicatione præmitti ſolet in ordine ad Abſolutionem Sacramentalem concedendam; ſed ad hunc finem neceſſarium eſt, tollere non tantùm excommunicationes non reſeruatas, ſed etiam reſeruatas: ergo per illam Abſolutionem generalem, omnes tolluntur, quia licèt ſub clauſula generali non ſoleant ſpecialia comprehendi, tamen quando ſunt connexa in ordine ad finem intentum, neceſſe eſt comprehendi.

5 Dices Abſolutionem illam generalem extendi quidem ad excommunicationem reſeruatam, ſed eſſe ſolùm ad reincidentiam, itavt per illam Abſolutionem auferatur illa excommunicatio, at non ſimpliciter, ſed tantùm ad illum effectum obtinendi Abſolutionem Sacramentalem à peccatis confeſſis, & ideò poſt illum effectum ſtatim excommunicationem redire. Sed *contra eſt*, quia tametſi Superior, qui poteſt excommunicare, benè poſſit abſoluere ad reincidentiam; id tamen intelligunt Doctores in materia de Cenſuris, quando Abſolutio expreſsè datur ad reincidentiam, explicando, abſolui ad certum tempus tantùm, vel ad certum actum ſolum: Quando verò nihil horum dicitur; ſed abſolutè, & ſimpliciter eſt abſolutus, nequit reincidere: At in præſenti euentu non minùs abſolutè, & ſimpliciter abſoluitur pœnitens ab excommunicatione reſeruata, quàm à non reſeruata, cùm æquè ab omnibus, ſub eadem forma, & modo generatim maneat abſolutus.

Ad argumenta partis negatiuæ contraria. Ad primum dico, Textum illum intelligi à Doctoribus, quando ſpecialia non ſunt connexa cum generali conceſſione concedentis in ordine ad finem ab ipſo intentum: At in præſenti caſu, in ordine ad Abſolutionem Sacramentalem connexa ſunt, quia ad hunc finem neceſſarium eſt, tollere omnes cenſuras ſpeciales, reſeruatas, & non reſeruatas. 6

Ad ſecundum, totum illud quod infertur, poſſe & debere Iure concedi; neque vllum abſurdum inde ſequi: Imò & rationabiliter poſſe præſumi de intentione Superioris ſic abſoluentis, peccata quoque reſeruata ſine excommunicatione manere in eo caſu non reſeruata.

Ad tertium, conceſſo Antecedente, negatur Conſequentia ob manifeſtam diſparitatem; nam illud peccatum fuerat anteà remiſſum indirectè cum ordine ad directam Abſolutionem in Confeſſione Sacramentali; & ideò qui in Confeſſione oblitus eſt alicuius peccati mortalis, licèt maneat abſolutus ab eo, quia tamen eſt abſolutus ab illo indirectè, ſi poſteà recordetur illius, tenetur illud confiteri vt directè abſoluatur ab illo: at excommunicatio, ſicut & omnis cenſura nunquam tollitur indirectè: ſolùm enim tolli poteſt per directam iuriſdictionem, & Abſolutionem; & ideò ſemel ablata, non poteſt ampliùs tolli, niſi iterùm incurratur.

DISPVTATIO XLIX.

De eo qui ex poteſtate delegata poteſt à reſeruatis abſoluere.

CERTVM eſt, peccata reſeruata poſſe quoque remitti directè & per ſe per delegatam poteſtatem, quam concedere poſſunt ij omnes qui peccata reſeruant, vel qui habent ordinariam poteſtatem ad eorum Abſolutionem. Nam qua ratione ſufficit delegato poteſtas, & iuriſdictio in foro pœnitentiæ circa alia peccata non reſeruata, ſufficit etiam circa hæc reſeruata; & eadem eſt ratio, & poteſtas delegandi illam. In hac autem Diſputatione, nonnullæ difficultates quæ circa huiuſmodi poteſtatem delegatam poſſunt occurrere, explicandæ ſunt.

SECTIO PRIMA.

Quibus verbis Superior det iuriſdictionem delegatam ſuper reſeruata; & ea detur quoque pro ipſo petente?

CIrca primum, cum communi ſententia dicendum eſt, ſi conceſſio iuriſdictionis delegatæ fiat ore ad os, curandum eſſe, vt Superior clarè explicet mentem ſuam ac intentionem, vt omnis tollatur æquiuocatio, & omne dubium: Si autem concedatur ex priuilegio, ſeu ſcripto; conſideranda eſſe verba, & ea iuridicè interpretanda. Non videtur alia Regula generalis aſſignanda: eſt verò ſemper 1

ex

ex circumſtantiis & ex antecedentibus,& conſequentibus,iudicanda, & intelligenda intentio Concedentis.

2 Vnde ex hac Regula infero *primò*,ſi Superior ſolùm dicat,ſe dare facultatẽ audiẽdi Cõfeſſiones ſubditorum & abſoluendi illos;tunc nõ cõcedere caſus reſeruatos.Id iam declaratum eſt in capite,*ſi Epiſcopus,de Pœnitent. & remiſſionibus,in 6.* Quia in generali verbo non intelliguntur ſpecialia conceſſa.

3 Infero *ſecundò*,etiãſi Epiſcopus dicat, ſe cõcedere ſuã auctoritatem,& poteſtatem,non cenſeri concedere caſus reſeruatos,propter rationem dictam.Secùs verò eſſet,ſi priùs concedat aliquẽ caſum reſeruatũ, & poſteà generaliter addat;& omnẽ meã poteſtatẽ:quia ſpecificatio antecedens explicat generale verbum ſubſequens. Idem eſt,ſi poſt tale verbum generale excipiat vnum, vel alium caſum,nam illa exceptio explicat,generalem illam conceſſionem extendi ad alios caſus.

4 Infero *tertiò*,ſi Epiſcopus concedat facultatem abſoluendi à cenſuris reſeruatis,ex vi verborum,non omninò concedere poteſtatem abſoluendi ab omnibus peccatis reſeruatis.Ratio eſt,quia hæc duo diſtincta ſunt,& reſpectu Epiſcoporum non ſemper ſunt coniuncta.Dixi *ex vi verborum*;nam ſi aliud conſtet de intentione concedentis,illi ſtandum eſt.

5 Infero *vltimò*, quod dictum eſt de conceſſione iuriſdictionis directè facta Confeſſori,eſſe quoque dicendum cum eadem proportione de facultate conceſſa pœnitenti ad eligendum Confeſſorem:nam ſi generatim ſolùm detur,& non ſufficienter,nec ſpecialiter explicetur dari cum extenſione ad reſeruata,illa non comprehenditur.Id eſt expreſsè declaratum *in dict.c.ſi Epiſcopus,de Pœnit.& remiſſionibus,in 6.*

6 Circa Secundum,an quando aliquis petit à Prælato eius facultatem ad abſoluendũ à reſeruatis,pro vno ſubdito ſuo,pro vna vice,includatur in hac petitione ipſemet qui petit,ita vt virtute illius licentiæ poſſit ipſe abſolui.

Diana *tom.1. tract. 4. de Sacramentis, reſolutione* 132.ſub diſtinctione,reſpondet;ſi petens dicat.Eſt quædam perſona,quæ indiget tali facultate placet-ne illam mihi dare:poſſe petentem illa vti pro ſua perſona. Quæ etiam eſt ſententia Leonis *de off. & poteſt. confeſſoris, tom.2.recollect.6.n.131.* Et ratio eſt, quia in generali ſermone comprehenditur quoque perſona ſua quando loquens concipit verba in perſona alterius, vt patet ex *lege Paulus reſpondit,§.finali,ff.de pignoribus*.Vbi quãdo ſeruus ex conſenſu Dñi in aliquo contractu,omnia domini bona obligat,comprehẽditur in illis bonis obligatis ipſemet ſeruus:Si verò pœnitens dicat Superiori, vt det illi ſuam facultatem pro vna perſona, non poſſet illã pro ſeipſo vti, quia reſtringit ſuam facultatem ad ſolum petentem, qui non poteſt abſoluere ſeipſum;atque ideò non intelligitur ipſe incluſus in tali facultate.

Villalobos *in Summa tom.1.tract. 9.diffic. 64.n. 4.* docet,quando Prælatus alicui concedit, abſque reſtrictione,ſuam auctoritatem,intelligi debere de actiua,& paſſiua,quia hic eſt ſtylus,& hęc eſt mens Pręlati,dum aliud non dicit

Denique Leo *de off. & poteſt.Confeſſoris,tom. 2.recollect.6.n.131.*aſſerit,ſi ſubditus petit facultatem à Superiore pro vna perſona pro caſibus reſeruatis,poſſe vti pro ſua perſona.

7 Ergo ſentio in hac re non poſſe dari vnam generalẽ Regulam,quia pendet omninò ex intentione quæ colligenda eſt ex verbis & aliis circumſtantiis:conſiderãda eſt quoque conſuetudo, quam concedentes talem facultatem, ſolent habere. Certum eſt autem in noſtra Religione Societatis IESV, ſi fortè neceſſitas occurrat, facultatem iſtam ſolere concedi determinando perſonam, cui Abſolutio committitur: ſi autem in alia Religione ſit vſus, & conſuetudo, vt Superior non ſoleat determinare perſonam, cui dat iuriſdictionem, ſed det pœnitenti facultatem eligendi; probabile eſt non excludi ipſum petentem, ſi verba non ſignificent eius excluſionem: Vnde Doctores graues exiſtimant, qui à Sacra Pœnitentiaria peteret pro vno indigente facultatem ad faciendum ſe abſoluere pro vna vice, ex vi horum verborum non eſſe excluſum ipſum petentem.

SECTIO II.

An facultas quæ petitur,& datur Pro hac vice,*extendatur ad peccata commiſſa poſt petitam & obtentam facultatem, antequam fiat Confeſſio: & an illa verba,* Pro hac vice *coarctent facultatem intra certum tempus?*

Circa primum, ratio dubitandi eſt, quia videtur pars affirmans concedenda; vt nimirùm ſi poſt petitam,& obtentam facultatem, in illo tempore intermedio,antequam fiat Confeſſio, ſubditus lapſus ſit in alia duo, vel tria peccata reſeruata, poſſit abſolui ab omnibus commiſſis poſt datam licentiam, dum tamen ſit ante licentiæ vſum & Confeſſionem. Ita Diana *tertio tomo tractatu quarto miſcellan. reſolutione 109.* Quia vbi conceſſio eſt abſoluta, & illimitata, non debet à nobis ſine cauſa limitari;& ipſa petitio & conceſſio tacite intelliguntur de ſimilibus caſibus,qui poſt illam conceſſionem, Clauibus bona fide ſubiicientur. 1

Ex alio verò Capite partem negatiuam amplectuntur Viri graues,inter quos noſter Ioannes Azor *1.p.Inſtitutionum moralium,lib.5.c.23.quæſtione ſecunda*,ſic dicens:*Si priuilegium aliqua ex parte occaſionem peccandi afferat & præbeat,ſtrictè eſt interpretandũ,vt cũ datur alicui facultas eligendi Cõfeſſariũ,qui ipſũ abſoluat à caſibus,aut cenſuris reſeruatis, ſolùm datur, vt abſoluatur à peccatis antè commiſſis,aut cenſuris antè contractis, non autem in poſterum committendis, aut contrahendis:hæc enim facultas anſam præbet liberiùs facilìuſque peccandi*: Vnde hac de cauſa dicunt graues Doctores,inter quos Couarruuias *lib. 2.variarum, c.2.n.26.*non poſſe virtute Iubilæi,vel ſimilis facultatis delegatæ abſolui reſeruata commiſſa ob confidentiam talis facultatis,aut priuilegij conceſſi, vel concedendi. 2

Dico primò,ſi licentia petatur, & detur pro peccato reſeruato commiſſo, non poſſe extendi ad aliud peccatum reſeruatum nondum tunc commiſſum, ſed poſteà.Id mihi videtur certum:Ratio eſt, quia licentia Superioris intelligenda eſt iuxta verba petentis, nã Superior præciſè concedit id quod petitur, niſi ipſe ſe declaret,licentiam magis amplam concedendo, quàm petatur: At petens ſolùm exigit licentiam ad abſoluendum à peccato cõmiſſo,vt ſupponitur:Igitur nõ poteſt extendi ad nondum commiſſum, quia nec talis licentia petita fuit,nec facultas ſe extendere debet vltra id quod ſignificant verba petitionis, niſi aliud expreſsè ſignificet Superior illam concedens. Firmo: nam Superior hoc modo concedens licentiam,poteſt & ſolet aliquando determinare pœnitentiam imponendã pœnitẽti,vt eſt certum apud Doctores:ergo non intendit dare 3

facultatem pro committendis, pro quibus nunc determinate pœnitentiam non poteſt, cùm ignoret, quot & quàm grauia futura ſint; ergo ſolùm iudicat de commiſſis, ad quæ tribuit ſuam poteſtatem, quia de illis habet iam ſufficientem notitiam. Quis enim dicet, ſi quis hodie petat licentiam pro vno lapſu carnis reſeruato, & cras ante Confeſſionem committat, ſex vel octo ſimilia vel grauiora peccata carnis, intentionem ſuperioris fuiſſe, illa comprehendere? nonne de prudentia Superioris iudicandum eſt in eo euentu, cognitis tot lapſibus carnis, vel licentiam fortè negaturum, vel grauiora, & efficaciora remedia adhibiturum? Totum id rectè & prudenter id notauit Cardinalis Lugo *diſp.* 20. *ſect.* 8. *n.* 122. Vnde infert benè *num. ſeq.* 123. quando eiuſmodi licentiæ in Pœnitentiaria ſacra conceduntur cum illa forma, *Super præmiſſis*, vel, *A præmiſſis*, ex tenore verborum, reſtringi licentiam ad enarrata; ac proinde ſi petita fuit abſolutio pro determinatis peccatis commiſſis, & licentia detur abſoluendi à præmiſſis, non eſt extendenda ad committenda, niſi ex aliqua clauſula adiuncta colligatur, vel ſignificetur ampliatio licentiæ ad caſus etiam non petitos.

4 Obiicies ex hac doctrina ſequi, quando Superior concedit licentiam, prout petitur, & in ordine ad illud peccatum, quod narratur commiſſum, non ſolùm non extendi ad peccata commiſſa poſt conceſſionem licentiæ, ſed neque ad commiſſa poſt petitionem: atque adeò ſi pœnitens heri, v.g. confeſſus eſt duo peccata reſeruata, & Confeſſarius dixit, ſe velle petere facultatem, & hodie petitâ, & obtentâ facultate, inuenit pœnitentem heri, vel nocte præcedente poſt Confeſſionem lapſum fuiſſe in alia duo reſeruata, licèt illa commiſſa fuerint ante conceſſionem licentiæ, non extendetur licentia ad illa. Quod videtur durum: ſequela probatur, quia Superior dedit licentiam ad illa peccata abſoluenda, quæ Confeſſarius ei dixit, & pro quibus Confeſſarius petebat; Confeſſarius autem non petebat, niſi pro iis quæ ſciebat commiſſa, nec alia propoſuit Superiori, niſi illa: ergo nec Superioris licentia extenditur ad alia, cùm non ſe extendat magis facultas Superioris, quàm intentio concedentis. *Reſpondeo*, concedendo ſequelam; nam ſi ſemel concedatur quòd licentia non datur abſolutè, & ſimpliciter ad abſoluendum à reſeruatis, ſed ſolùm datur pro tali peccato quod petitur; euidens videtur, non poſſe extendi ad alia peccata commiſſa poſt petitionem: quare prudenter faciet Confeſſarius, ſi in ſimili caſu petat ad cautelam, licentiam pro omnibus commiſſis, quæ tempore Confeſſionis inuenerit; & non reſtringat petitionem ad peccata, quæ ſcit iam eſſe commiſſa.

5 Dico *ſecundò*, ſi detur facultas ſimpliciter Confeſſario abſoluendi pro hac vice pœnitentem à reſeruatis, poſſe abſolui à commiſſis ſimilibus poſt licentiam conceſſam, atque etiam poſt habitam notitiam facultatis conceſſæ. Ratio eſt, quia conceſſionis verba non ſignificant limitationem, atque adeò vbi conceſſio eſt abſoluta, & illimitata, non debet à nobis ſine cauſa limitari: & quamuis per accidens ſequi poſſit occaſio peccandi, id non facit illicitam talem conceſſionem: Aliter enim illicita eſſet conceſſio Bullæ Cruciatæ, in qua datur facultas pœnitenti eligendi Confeſſarium, qui abſoluat à reſeruatis committendis pro toto anno; Eſſe quoque illicita conceſſio Iubilæi, in quo Papa concedit ſimilem licentiam pro duabus hebdomadis, cùm poſſit pœnitens tunc differre Confeſſionem vſque ad finem ſecundæ hebdomadæ. Denique illicita eſſet facultas, quàm à Pontifice habent Regulares abſoluendi ſæculares à reſeruatis; nam hæ omnes licentiæ poſſent dare occaſionem pœnitentibus liberiùs peccandi: Si igitur tale malum ſequatur, dicendum eſt, ſequi omninò per accidens; & præter intentionem Superioris, qui prudenter iudicat, maius bonum eſſe, quòd ſubditus hac occaſione liberari omninò poſſit à ſuis peccatis, & non incidat in deſperationem, quàm quòd impediatur aliqua qualiſcumque occaſio liberiùs peccandi ad breue tempus.

Ex his patet, quid dicendum ſit ad rationem dubitandi: nam prima illius pars firmat noſtrum ſecundum Dictum. Neque illi opponitur quod dicitur in ſecunda parte, de illa occaſione peccandi, cui iam ſatisfactum eſt. Quod verò adducitur de Couarruuia, admittendum non eſt; quia vbi lex non diſtinguit, nos non debemus diſtinguere: ſi ergo in Bulla, Iubilæo, vel quauis alia facultate datur licentia abſoluendi ab omnibus peccatis, non debet reſtringi ad illa ſola, quæ non ſunt facta ob confidentiam priuilegij. Quando enim Pontifex voluit illam reſtrictionem ponere in Bulla compoſitionis, eam expreſſit: vbi ergo eam non expreſſit, noluit eam ponere; & certè ſi in facultate abſoluendi ea apponeretur, eſſet occaſio mille dubiorũ, & magnæ perplexitatis; quia nemo ferè eſt qui quando peccat, non reddatur facilior ad peccandum, propter confidentiã, quam habet, quod per Confeſſionem poterit à peccato iuſtificari; vnde implicitè apprehendit ferè ſemper facilitatem ipſius Confeſſionis per Bullam, aut priuilegia: Quare tametſi facilitas, & confidentia remiſſionis afferat illud periculum maioris facilitatis ad peccandum, non ideò tamen tolli debet facilitas remedij: ſicut nec Chriſtus Dominus inſtituere deſiit Sacramenta in remedium peccatorum, licèt præuideret, eorum occaſione, quamplurimos faciliùs in peccata lapſuros, propter facilitatem veniæ, quam per Sacramenta ſperant. 6

Circa ſecundum, an, & quo pacto, illa verba, *pro hac vice*, coarctent facultatem intra certum tempus. Breuiter dico, ad verificanda illa verba requiri, quòd Abſolutio, virtute dictæ facultatis, fiat hoc tempore, moraliter loquendo, non verò alio longè diſtanti. Quod totum pendet ex iudicio prudentis, & ex circumſtantiis. Vnde ſi ea facultas concederetur, occaſione alicuius magnæ feſtiuitatis, vel grauis neceſſitatis occurrentis, in qua oportet confiteri, videretur includi totum illud tempus, quod interueniret vſque ad talem diem, vel feſtiuitatem; & ſic in aliis ſimilibus caſibus. 7

SECTIO III.

An virtute Iubilæi, vel ſimilis facultatis delegatæ, poſſit Confeſſarius abſoluere à reſeruatis commiſſis poſt finitum Iubilæi tempus.

Dico *primo*, ſi poſt cœptam Confeſſionẽ, pœnitens commiſit alia reſeruata intra tempus Iubilæi, ab illis poſteà poſſe abſolui. Hoc docent communiter Doctores. Ratio eſt, quia licèt Confeſsio circa hæc non fuerit cœpta; tamen per Iubilæum acquiſiuit priuilegium, & ius, vt abſolueretur ab omnibus commiſſis intra illud tempus: ſicut ex eiſdem Doctoribus conſtat, poſſe poſteà commutari vota, quæ de nouo fecit intra illud tempus poſt commutata alia, & poſt factam, & finitam Confeſsionem. 1

Dico *ſecundò*, quando Confeſsio perficitur poſt tranſactum tempus Iubilæi, non poſſe Confeſſariũ abſoluere tunc à reſeruatis, commiſsis poſt finitum Iubilæi tẽpus. Ita Cardinalis Lugo *diſp.* 20. *ſect.* 8. *n.* 134. Et ratio eſt, quia licèt propter cauſam iã incœptã prorogetur iuriſdictio, non tamen prorogatur alia iuriſdictio, ſed 2

illa

illa ſola, quæ prius conceſſa fuerat, & ad eadem facienda: ſed prior iuriſdictio fuerat ad abſoluendum à peccatis, & cenſuris contractis intra tale tempus, & non ad aliud: ergo ſi manet eadem iuriſdictio, manere debet ad idem obiectum, nempe ad eadem peccata, & cenſuras; ſi autem eſſet ad alia, eſſet alia iuriſdictio de nouo acquiſita, non eadem prorogata. Firmo, nam cauſam, eſſe inceptam, ſolùm dat ius ad perficiendam eandem ſolùm cauſam, quæ cœpta fuerat, & circa idem: At Confeſſio cœpta fuerat circa peccata iam commiſſa, nec potuit incipere Confeſſio, aut iudicium circa peccata nondum commiſſa: ergo ab illis ſolùm prioribus poteſt abſoluere, ratione cauſæ inceptæ.

3 Quæres, quid dicendum ſit, ſi quis priori hebdomada Iubilæi expleuit opera in Iubilæo præſcripta, & ſic illum lucratus eſt, poſſit poſteriori hebdomada eiſdem diligentiis repetitis, iterùm lucrari Iubilæum; & ſic abſolui à reſeruatis nouis, in quæ poſteà incidit. Affirmat Henriquez *lib. 7. de Indulgentiis, c. 11. num. 1. & lib. 6. de Pœnitentia c. 16. num. 3.* Probat; tum quia, cùm Iubilæus non reſtringat, non eſt cur negetur, poſſe illum bis obtinere: tum etiam quia eſt valdè probabile, Indulgentiam tempore limitato conceſſam, modò in ea non limitetur, vt ſemel tantùm comparari valeat, poſſe plus quàm ſemel comparari.

4 Dico *tertiò*, nullatenus id fieri poſſe. Ita Sanchez *lib. 4. Decalogi, c. 54. num. 30.* Suarez *tom. 2. de Religione, tractatu de Voto, lib. 6. c. 16. num. vltimo*, & alij. Ratio eſt, quia forma Iubilæi apertè indicat, illum ſemel tantùm obtineri poſſe, quia non conceditur copulatiuè, vt in vna, & altera hebdomada comparari poſſit, nec indefinitè pro illa duplici hebdomada, ſed ſub forma disiunctiua, ibi: *Qui prima hebdomada poſt publicationem, vel in ſequenti poſt illam.* Et ita ceſſat ratio Henriquez, quia iam Iubilæus reſtringit; Illud verò de Indulgentia ſæpiùs obtinenda, pendet ex eius tenore, nec poteſt huic Iubilæo applicari.

5 Vnde colligo, ſi contingat, quòd pœnitens abſolutus fuerit in vna hebdomada Iubilæi, v.g. Feria quinta, & lucratus fuerit eo die Iubilæum, quod fieri poteſt, ſi non potens ieiunare, faciat ex conſenſu Confeſſarij, loco ieiuniorum, alia pia opera, quæ omnia expleuit Feriâ quintâ, ac proinde iam tunc lucratus eſt Iubilæum, non poſſe die ſequenti Feriâ ſextâ, v.g. abſolui iterùm à reſeruatis de nouo commiſſis: quia cùm ea facultas detur in ordine ad lucrandum Iubilæum, quod in eadem hebdomada bis lucrari non poteſt ſequitur expiraſſe iam facultatem pro illo, qui compleuit prius, & lucratus eſt Iubilæum. Sicut è contra, ſi quis Communionem diſtulit ad ſequentem Dominicam, poterit ante Communionem adhuc iterùm abſolui à nouis reſeruatis, licèt diebus præcedentibus confeſſus & abſolutus iam fuerit ab aliis; quia facultas illa durat, donec lucratus ſit Iubilæum: Vnde prudenter faciet Confeſſarius, commutando prædicta opera in aliquid faciendum ipſo die Sabbathi, vt longiùs duret facultas pro reſeruatis.

6 Dico *vltimò*, ſi quis ſine animo lucrandi Iubilæum, tranſegerit vtramque hebdomadam, & die ipſo Sabbathi in fine ſecundæ hebdomadæ, mutato animo, velit illud lucrari, poſſe abſolui tunc à reſeruatis virtute Iubilæi. Id docet benè Diana *2. tom. tract. 4. de Sacramentis, reſolutione 152.* Ratio eſt, quia Confeſſarius cùm poſſit commutare pœnitenti ea opera, quæ ipſe quacumque ex cauſa implere non poteſt, poterit tunc ei commutare ieiunia, quæ iam obſeruare non poteſt; poterit etiam commutare viſitationem Eccleſiæ, ſi fortè nec hoc facere poſſit; & tunc pœnitens faciendo ipſa die Sabbathi ea opera ſubrogata, & eadem die confitendo, ac tandem ſuſceptâ Euchariſtiâ die ſequenti, poterit lucrari Iubilæum; ac per conſequens potuit virtute illius, abſolui die præcedenti à peccatis, & cenſuris.

SECTIO IV.

Vtrùm confitens habenti facultatem delegatam abſoluendi à reſeruatis, ſi inculpabiliter omiſit peccatum reſeruatum, maneat liber à reſeruatione peccati omiſſi?

1 SVppono id, in quo omnes conueniunt, Confeſſione peccati reſeruati factâ habenti iuriſdictionem in illud, ſiue ordinariam, ſiue delegatam, quamuis ſit inualida, vel quia ſcienter omiſit aliud peccatum, vel quia non fuit dolor ſufficiens, vel alia de cauſa, ſatisfieri reſeruationi, itavt quamuis ſit iterùm neceſſariò confitendum, non maneat reſeruatum, & poſſit cuilibet Sacerdoti approbato confiteri. Ratio eſt, quia reſeruatio ad id tantùm ordinatur, vt peccata reſeruata confiteantur habenti iuriſdictionem in illa, & ipſe iudicet de illis, pro eis pœnitentiam conuenientem imponendo, & abſoluendo; quæ omnia fiunt in Confeſſione illi facta, tametſi inualida. Difficultas ſolùm eſt, an peccatum reſeruatum, quod inculpabiliter omittitur ex obliuione in Confeſſione facta habenti iuriſdictionem in illud, maneat abſque reſeruatione?

2 Hanc quæſtionem explicui iam *præcedenti diſputatione, ſectione quinta*, & partem affirmantem amplexus ſum, reſpectu Confeſſionis factæ cum habente poteſtatem ordinariam abſoluendi à reſeruatis. Modò dico, idem dicendum quoque de Confeſſione facta habenti poteſtatem delegatam abſoluendi à reſeruatis: nam eſt eadem omninò ratio; quia prædictus Confeſſarius abſoluens à peccatis confeſſis, eo ipſo ſaltem virtualiter vult abſoluere ab omnibus, à quibus poteſt, etiam omiſſis inculpabiliter ex obliuione; quia eo ipſo quòd abſoluit pœnitentem à peccatis confeſſis, vult iuſtificare pœnitentem, quod non fit abſque remiſſione omnium mortalium: ergo ſi aliàs habet poteſtatem delegatam abſoluendi ab omnibus peccatis pœnitentis, etiam à reſeruatis; verè abſoluit ab omnibus etiam à reſeruatis inculpabiliter omiſſis. Ex alio Capite pœnitens tametſi explicitè non petat abſolui à peccatis reſeruatis, ſi fortè eos habeat, cenſetur tamen interpretatiuè id petere, quia accedit ad Confeſſionem, vt quantum fieri poteſt, à peccatis omnibus liberetur; & ſi occurreret, ſe habere aliqua peccata reſeruata, omninò peteret reſeruationem tolli.

3 Id autem præcipuè locum habet, quando Confeſſio, in qua inculpabiliter omittitur peccatum reſeruatum ſit habenti iuriſdictionem in illud ex priuilegio, non facto ipſi Confeſſario, ſed pœnitenti, eligendi Confeſſarium, qui poſſit illum à reſeruatis abſoluere, vt contingit in Iubilæis, quia tunc pœnitens manet liber à reſeruatione peccati inculpabiliter omiſſi non ſolùm Abſolutione Confeſſarij delegati abſoluentis, ſed etiam voluntate Superioris reſeruantis, volentis, quòd tunc ceſſet reſeruatio; quia eo ipſo quòd Superior concedit pœnitenti facultatem eligendi Confeſſarium pro reſeruatis, cenſetur auferre reſeruationem, quando pœnitens confitetur intra tempus aſſignatum, quamuis omittat peccatum reſeruatum, dummodò inculpabiliter omittat: Nam Superior concedens facultatem

tatem hanc in fauorem pœnitentis, quantum in ſe eſt, illi auferre voluit reſeruationē, ſi illo priuilegio intra ſignatum tempus vteretur ad Indulgentiam conſequendā: ergo cùm pœnitēs,quātū in ſe eſt,vſus ſit illo priuilegio, manebit liber ab illa reſeruatione: Vndelicet per accidēs, propter obliuionem,non fuerit directè abſolutus Sacramentaliter à peccato reſeruato intra illud tempus;acquiſiuit tamen ius per ipſum Iubilæum,vt poſſet poſteà liberè confiteri tale peccatum, ſi illius recordetur, cuilibet ſimplici Confeſſori habenti communem iuriſdictionem; conſecutus enim eſt libertatem ab ipſa reſeruatione, vt benè notauit Suarez *diſp.31.ſect.4.num.20.* Limitatio verò temporis intra quod ſolet præſcribi Confeſſio reſeruatorum facienda, ſolùm operatur, quòd ſi priuilegiatus in eo tempore non confiteatur, aut ſi confitetur,& culpabiliter omittit peccatum reſeruatum,non maneat liber à reſeruatione.

4 De Abſolutione ab excommnnicatione reſeruata, idem dicendum eſt de habente iuriſdictionem delegatam,quod dixi ſuprà *diſp.præcedenti ſect.6.* de habente iuriſdictionem ordinariam, nempe habentem iuriſdictionem ad abſoluendum a cenſuris reſeruatis,intentione tantùm communi & generali, illis verbis: *Abſoluo te à vinculo excommunicationis, in quantum poſſum, & indiges*, abſoluere ab excommunicatione etiam reſeruata: Quod ibi latè oſtendo, & firmo: Nec occurrit aliquid aliud dicendum, & addendum, præter *ibi* dicta.

SECTIO V.

Vtrùm pœnitens ex priuilegio Iubilæi, abſolutus in aliquo die Septimanæ à reſeruatis, antequam impleat omnia quæ præcipiuntur facienda per totam ſeptimanam, ſi poſteà non impleat, teneatur iterum confiteri, vel ſaltem re us ſit culpæ.

1 Circa primum ſæpe poteſt accidere, vt prædictus pœnitens priùs confiteatur,& Abſolutionem à reſeruatis obtineat,& poſteà omittat alia opera neceſſaria, ideóque Indulgentiam non lucretur;& de hoc dubitatur,an maneat ſimpliciter abſolutus: itavt ille nec coram Superiore comparere teneatur, nec iterùm de illis peccatis abſolui, vel ſi abſolui velit, poſſit à quolibet Sacerdote. Procedit quæſtio, illum bona fide fuiſſe confeſſum, animo perficiendi cætera omnia neceſſaria ad conſequendam gratiam Iubilæi, nam ſi mala fide accedat, certum eſt, non manere abſolutum, ſed Abſolutionem à reſeruatis fuiſſe nullam: quia Pontifex non intendit concedere facultatem, niſi in ordine ad Indulgentiam obtinendam, & pro illis qui Iubilæum lucrantur: ergo quando Abſolutio datur ante conſummatum tempus, & ante perfectas alias actiones requiſitas, ſaltem eſt neceſſaria intentio obtinendi Iubilæum, & quòd homo ſit quaſi in via ad prædictum finem.

2 In prę licto itaque caſu, & bona adhuc fide exiſtente,putant Angles *in floribus,par.1. de Confeſſ.q.3. a 5. difficultate 4.* Rodriguez *in Bulla Cruciata* § 2. *numer.8.* & Alij, teneri iterùm confiteri, & reincidere in priſtinam cenſurarum reſeruationem, à quibus ab abſolutus erat. Probant, quia ea Abſolutio tacitam habet condititionem, ſi poſteà Iubilæus obtineatur.

Verius iudico oppoſitum, illum hominem manere 3
Sacramentaliter abſolutum à peccatis reſeruatis, & à cenſuris annexis,& reſeruatis. Ita Suarez *diſp.31.ſect.4. numer.5.* Sanchez *in Summa,lib.4. cap.54. numer.44.* Filliucius *tomo 1.tract.8.cap.9.quæſt.17.num.280.* Vaſquez *de pœnitentia, quæſt. 91. articul. 3. dub.6.* Diana *tom.1. tractat.4. de Sacramentis, reſolutione 145.* & Alij.

Dico itaque *primò*, reſeruationem peccatorum in eo 4
caſu non reuiuiſcere, & manere illum verè abſolutum. Ratio eſt, quia tametſi ea Abſolutio impertita fuerit in ordine ad futuram Iubilęi conſecutionem; at non pendet ab ea, vt à conditione de futuro: nam Abſolutio data fuit, & non potuit eſſe pendens ex futuro euentu, quia hoc repugnat formæ Sacramentali; vnde ſic abſoluere,nefas eſt: quare Abſolutio illa ſtatim fuit valida, & habuit effectum, nam ſupponitur ex parte ſuſcipientis, non fuiſſe obicem; qui effectus irreuocabilis eſt, vt per ſe conſtat. Vnde illa facultas licèt data fuerit in ordine ad obtinendam gratiam Iubilæi, non tamen dependet ab illa, vt à conditione de futuro, ſed ad ſummum, vt à conditione de præſenti, id eſt à præſenti intentione lucrandi Indulgentiam: ergo ſi contingat poſtea illam non lucrari, ſiue voluntariè, ſiue caſu contingenti, manet huiuſmodi homo liber omninò à tali culpa, & reſeruatione, ſine obligatione comparendi coram Superiore, vel illa peccata ampliùs confitendi: patet Conſequentia quia fuerunt directè, & per ſe remiſſa per facultatem ſimpliciter & ſine tali onere datam;atque ideò non eſt,vnde reſultet tale onus propter defectum poſteà commiſſum circa lucrandam Iubilæi Indulgentiam.

Dico *ſecundò*,idem dicendum eſſe de Abſolutione à 5
cenſura, ſi contingat, peccatum reſeruatum habere cenſuram annexam & reſeruatam. Ratio eſt, quia illa cenſura per eandem facultatem iam abſolutè ſublata fuit: Nec Abſolutio illa à cenſura eſt data ad reincidentiam; Id enim Iubilæus non explicat, & ſolet Pontifex exprimere, quando id intendit. Vt conſtat ex *cap. Eos qui, de ſententia excommunicationis, in ſexto.* Et ita omninò abſolutus manet ab omni cenſura, niſi aliud in Iubilæo exprimeretur: Nam abſolutè poſſet imponi obligatio comparendi coram Superiore pro excommunicatione tantùm, ſi non obſeruaret omnes conditiones requiſitas ad obtinendum Iubilęum; non tamen pro peccatis, vt iterùm confiteretur, quia, vt dictum eſt, Abſolutio peccatorum data fuit, & non potuit eſſe pendens ex futuro euentu, cúmque Iuri diuino confitendi quiſque ſatisfaciat, ſi ſemel confiteatur, & abſoluatur, non poteſt vllo modo concedi facultas abſoluendi à peccatis reſeruatis cum obligatione illa iterùm confitendi, niſi aut pœnitentia talis imponatur pœnitenti, aut ille votum faciat, vel iuramentum; quorum nihil fit in Iubilæis, vt rectè notauit Vaſquez *ſuprà* citatus.

Dico *tertiò*, etiam vota commutata virtute Iubilæi, 6
quem pœnitens intendebat lucrari, non reuiuiſcere, eo poſteà non obtento, ſed manere illa verè commutata. Ita Sanchez citatus, & Suarez *tom.2.de Religione,tractatu de Voto, lib.6. cap.16. num.9.* Ratio eſt,quia eodem tenore abſoluto, ac nulla conditione appoſita,conceditur poteſtas abſoluendi à reſeruatis, & commutandi vota, & commutatio abſolutè conceſſa eſt: ergo cùm ſemel legitimè facta fuerit, ac ſubinde extinxerit obligationem prioris voti circa priſtinam materiam, nequit dici commutatio illa conditionalis, nec quòd illa obligatio poſteà reuiuiſcat. Poteſt autem Confeſſarius non commutare vota, ſi velit, donec completa ſint omnia opera in Iubilæo præſcripta; aut anteà ſub conditione, vt non obtineat vim commutatio, donec illa implean

impleantur, aut cũ hac intentione. Quod nõ habet locũ in Abſolutione à peccatis, quæ abſoluta eſſe debet, vt dictum eſt; nec in Abſolutione à cenſuris, quæ præcedere debet ad capacitatem obtinendæ Indulgentiæ; nec ad reincidentiam concedi poteſt à Confeſſario, niſi in caſibus expreſſis in Iure. Cæterùm vt bene obſeruat Suarez loco citato, *n.* 10. melius eſt, commutationem votorum abſolutè concedi ad vitandos ſcrupulos.

Circa ſecundum, an hic qui Iubilæum obtinere intendens, obtinuit virtute illius Abſolutionem à reſeruatis & à cenſuris, & votorum commutationem, reus ſit culpæ grauis, ſi poſteà mutatâ voluntate illum non obtineat.

7 Cenſet Suarez. loco *ſup.* citato, & *de pœnit. diſp.* 31. *ſect.* 4. *n.* 5. graue eſſe culpam, quia id eſt in fraudem Iubilæi, & contra virtuale pactum incluſum in facultate ad illum finem conceſſa; atque hæc videtur eſſe tacita Pontificis intentio talem facultatem concedentis: & etiam eſt tanquam pœnitentia iniuncta, & acceptata in ſatisfactionem pro talibus votis.

8 Perplacet magis opinio Sanchez, qui oppoſitum iudicat probabilius, *lib.* 1. *de matr. diſp.* 43 *num.* 9. *& lib.* 8. *diſp.* 15. *n.* 24. & *in Summa loco citato, n.* 54. Id etiam tenet Diana *tom.* 1. *tract.* 4. *de Sacram. reſol.* 145. Quia iſte homo nihil promiſit, neque obligationem aliquam illi impoſuit Confeſſarius, nec Iubilæus talem petit obligationem, nec de tali intentione Pontificis conſtat, nec aliqua ratione probatur, ex natura rei includi pactũ in ea actione; ſed ſatis eſt propoſitum bona fide: ſicut etiam ad Abſolutionem à peccatis obtinendam, ſatis eſt propoſitum, bona fide abſtinendi in poſterum ab illis, abſque alia noua obligatione, præter antiquam vitandi illa, quæ conſurgat ex ipſa Abſolutione impenſa, virtute illius propoſiti. Quare illud propoſitum nulla ratione probatur tranſire in pactum, vel eſſe pœnitentiam acceptatam pro talibus votis.

9 Addo, in hoc caſu nullum eſſe fundamentum ad imponendum aliquod præceptum, quia ſaltem dubium eſt rationabile de talis præcepti impoſitione: vbi autem dubium eſt de lege, aut præcepto, ſemper probabilius cenſui, ſic dubitantem non obligari lege, aut præcepto: Tum quia in hoc dubio eſt tota poſſeſſio pro voluntatis libertate: Tum etiam, quia nemo obligatur lege, vel præcepto, niſi illi ſit ſufficienter propoſitum: At quando manet quis rationabiliter dubius, an ſit lex, vel præceptum, non eſt illi ſufficienter propoſitum: ergo tametſi in genere, aut ſpeculatiuè maneat dubius, an ſit lex, vel præceptum; eſt tamen in particulari, ſeu practicè certus ſe non obligari tali lege, aut præcepto.

SECTIO VI.

An virtute facultatis delegatæ, poſſit tolli reſeruatio ſine Abſolutione à culpa Sacramentali.

1 VEra eſt communiſſima Theologorum ſententia, eum, qui habet iuriſdictionem delegatam, ſeu ex priuilegio ad abſoluendum à reſeruatis, non poſſe reſeruationem tollere, niſi Sacramẽtaliter abſoluat: Quare ſi iſte ſolùm caſum reſeruatum audiat, & ſatisfactionem imponat, & Abſolutionem alteri remittat, nihil faciet; ſed caſum reſeruatum relinquet, ſicut anteà. Ratio eſt, quia talis cum ſit delegatus, non poteſt delegare iuriſdictionem ad abſoluendum; illa autem ablatio reſeruationis illo modo non fit, niſi committendo alteri iuriſdictionem ad abſoluendum: Et ideò quoties per Confeſſionem factam alicui habenti hanc facultatem delegatam, ſeu per priuilegium reſeruatio tollenda eſt, neceſſe eſt, vt intercedat Abſolutio Sacramentalis. In quo notanda eſt differentia inter Superiorem, qui habet iuriſdictionem Ordinariam ad abſoluendum à reſeruatis, & Delegatum, qui ſolum ex priuilegio hoc poteſt: nam iſte tantùm poteſt aut abſoluere, aut rem integram relinquere: At ille dupliciter ſe poteſt gerere cum ſubdito reuelante ei ſuum caſum reſeruatum. *Primò*, illum abſoluendo Sacramentaliter à culpa: *Secundò*, non abſoluendo Sacramentaliter, ſed audiendo tantùm, & imponendo ſatisfactionem debitam, dandóque monita ſalutis, & reliqua remittendo alteri Confeſſario inferiori; & tunc iam tale peccatum non manet reſeruatum.

Vnde manifeſtè colligitur *primò*, poſſe peccata ma- 2
nere ſubiecta Clauibus, ſeu Confeſſioni Sacramentali, & non manere reſeruata: vt ſi Superiori habenti iuriſdictionem ordinariam iam ſatisfactum eſt, & ipſe hoc ſufficienter ſignificauit, quando illi manifeſtatum fuit peccatum, & ſatisfactionem ſeu pœnitentiam impoſuit, non tamen Sacramentaliter abſoluit: nam tunc adhuc manet peccatum ſubiectum Clauibus, & neceſſariò confitendum, quamuis non maneat reſeruatum.

Colligo *ſecundò*, quid dicendum de reſeruatione, 3
quando Confeſſio fuit inualida: Dico enim, ſi Superior habens iuriſdictionem ordinariam, audita Confeſſione abſoluat pœnitentem, eius tamen Confeſſio non fuit valida, quia videlicet ſcienter omiſit aliquod peccatum mortale non reſeruatum, vel non habuit dolorem requiſitum, vel quid ſimile; tunc valdè probabile eſt non manere ampliùs reſeruatum: excipe, niſi Confeſſio fuiſſet nulla ex defectu integritatis, quoad reſeruata, vt ſi omiſſum fuiſſet ſcienter aliquod reſeruatum; tunc enim maneret etiam reſeruatum. Ratio eſt, quia ex quo ſubditus comparuit coram Superiore Ordinario, eique peccatum reſeruatum integrè reuelauit, & ipſe Superior conuenientem medicinam, & ſatisfactionem impoſuit, ſuo muneri Superior ſatisfecit, quantum ad reſeruationem ſpectat; & etiam pœnitens ſatisfecit ſatis intentioni, & fini reſeruationis, & ideò ablata eſt reſeruatio: Si autem fuit defectus in integritate circa Confeſſionem ipſius peccati reſeruati, manifeſtum videtur, quòd non fuit ablata reſeruatio, quia tunc non eſſet ſatisfactum intentioni Superioris. Quod rectè notauit Suarez *diſp.* 31. *ſect.* 4. *num.* 9. Nullo autem modo id contingere poteſt in Confeſſione facta habenti iuriſdictionem delegatam: nam in quouis euentu, in quo Confeſſio iſta non fuerit valida, manifeſtum eſt manere peccatum reſeruatum, ſicut ante; quia delegatus non habet poteſtatem abſoluendi à reſeruatis, niſi Sacramentaliter.

SECTIO VII.

An poſſit idem peccatum eſſe multiplici reſeruatione reſeruatum, & tunc ablata vna reſeruatione, poſſit remanere alia?

CErtum eſt, peccatum omne per directam Abſolu- 1
tionem validam, ſemel abſolutè & ſimpliciter remiſſum, non manere ampliùs reſeruatum, quia iam

non

non eſt materia neceſſaria Confeſſionis. Quæſtio eſt, quando peccatum habet plures reſeruationes, an vna poſſit tolli ſine alia.

Placet cum Suario *diſ.* 31. *ſect.* 4. *num.* 25. diſtinguere de peccato reſeruato cum cenſura, vel ſine cenſura: item de reſeruationibus factis ab eodem Superiore, vel à pluribus.

2 Dico igitur *primò*, ſi reſeruationes factæ ſint ſine cenſura, & fiant ab eodem ſæpiùs, vel ab eius ſucceſſore in eodem munere, in re non eſſe niſi vnam reſeruationem; atque ideò tolli omnem huiuſmodi reſeruationem per vnam facultatem abſoluendi à tali peccato. Quare, ſi vnus Epiſcopus per ſtatutum reſeruet aliquod peccatum, & ſucceſſor eius per aliud, vna ablata reſeruatione, omnes tolluntur. Ratio eſt, quia tametſi mandata ſint plura, tamen effectus reſeruationis eſt vnus & idem, nempe ablatio iuriſdictionis vt manantis à tali poteſtate; quæ iuriſdictio reſtituitur per vnam facultatem ab eadem poteſtate manantem.

3 Dico *ſecundò*, ſi idem peccatum reſeruetur à diuerſis Superioribus ſubordinatis, per diuerſam poteſtatem vt ab Epiſcopo, & Papa, tunc ablata reſeruatione ab Epiſcopo remanere Papalem; & ſublata Papali, tolli Epiſcopalem: Prima pars certa eſt, quia non poteſt inferior reſtituere iuriſdictionem, quam Superior abſtulit, & ſibi reſeruauit, quia eo ipſo voluit, vt à nullo alio concedi poſſit. Secunda pars, quæ eſt Nauarri *in Summa, cap.* 27. *num.* 161. conſtat tum ex vſu, tum ex eadem ratione, atque adeò ex rigore Iuris: quia non poteſt inferior, nempe Epiſcopus reſtringere, & auferre iuriſdictionem, quam Superior, nempe Papa conceſſit, nam eo ipſo voluit, vt à nullo alio impediri poſſit. Igitur ablata reſeruatione à Papa, neceſſe eſt, vt non maneat, ſed tollatur reſeruatio Epiſcopalis: nam Superior poteſt iuriſdictionem concedere, inferiori etiam renuente, atque hoc non ſolùm ex vſu, ſed etiam ex rigore iuris.

4 Vnde eſt benè notandum, non poſſe validè Epiſcopum reſeruare ſibi peccatum, quod Papa ſibi iam reſeruauerat: quia per reſeruationem Papæ aufertur Epiſcopo facultas abſoluendi ab illo peccato; atque ideò non poteſt illud ſibi reſeruare de nouo: eſſet enim inutilis, & vana talis reſeruatio, nam eo ipſo quòd Pontifex reſeruaret ſibi peccatum abſque cenſura, iam Epiſcopus non poſſet ab illo abſoluere; quomodo ergo poſſet Epiſcopus reſeruare ſibi illud peccatum; à quo ipſe non poteſt abſoluere, & ad quod non poteſt dare iuriſdictionem? Vnde meritò Sacra Cardinalium Congregatio de mandato Clementis VIII. in ſuo Decreto edito 1602. circa caſus reſeruatos, prohibuit, ne de cætero Epiſcopi reſeruarent ſibi caſus legi ſolitos in Bulla Cœnæ, nec alios Sedi Apoſtolicæ ſpecialiter reſeruatos.

5 Dico *tertiò*, ſi ſermo ſit de reſeruatione cum cenſura, ſeu excommunicatione reſeruata, ſi ſint plures reſeruationes propter plures excommunicationes, vnâ ablatâ, poſſe alias manere, & ita non ſimpliciter auferri reſeruationem; ſi verò propter plures leges tantùm; totam reſeruationem tolli vnâ ablatâ excommunicatione. De quo legatur Suarez *loco citato*, *num.* 27. Ratio eſt, quia quando excommunicationes ſunt plures, quamuis vna auferatur, non ſatis eſt, vt ſimpliciter tollatur reſeruatio à culpa, quia vna excommunicatio ſufficiens eſt, vt maneat culpa reſeruata ei, qui talem excommunicationem tulit: Secus verò eſt, quando excommunicatio eſt vna tantùm: nam licèt pluribus modis ſit reſeruata, ſi tamen illa ſemel auferatur, tota reſeruatio culpæ tollitur, quæ ſupponitur eſſe connexa cum tali excommunicatione: præſertim in caſibus Papalibus, in quibus, durante excommunicatione reſeruata, ipſa etiam culpa reſeruata manet.

Eſt verò quoque notandum, quando Epiſcopus 6
prohiberet denuò ſub excommunicatione ſibi reſeruata, peccatum iam prohibitum à Papa ſub excommunicatione ſibi reſeruata; tunc licèt obtenta Abſolutione ab excommunicatione Pontificia, adhuc non auferatur excommunicatio Epiſcopi, fuiſſe tamen ablatam reſeruationem peccati: nam cùm Epiſcopus non potuerit reſeruare ſibi peccatum, quod Papa ſibi reſeruauerat, vt dixi *ſupra*; conſequens eſt vt ſolùm reſeruauerit excommunicationem à ſe latam; & ideò ablata excommunicatione Pontificis, qui reſeruauerat peccatum, aufertur tota reſeruatio peccati: nihilominùs non poterit abſolui à peccato, propter excommunicationem Epiſcopi quæ manet. Cæterum cùm verior ſententia affirmet excommunicatum validè abſolui à peccatis, contingere poteſt, quòd aliquando pœnitens ille abſoluatur validè, & directè ab illo peccato, manente excommunicatione Epiſcopi; & quidem licitè, ſi ſit ignorantia inuincibilis talis excommunicationis; vel etiam ſi non ſit copia Superioris, & vrgeat neceſſitas celebrandi, vel communicandi: quo caſu poteſt licitè excommunicatus confiteri peccata non reſeruata alicui inferiori; & tunc non eſſet obligatio confitendi iterùm tale peccatum poſteà, cùm iam directè fuiſſet abſolutum, ſed ſolùm obtinendi Abſolutionem ab Epiſcopali excommunicatione.

DISPVTATIO L.

De modo abſoluendi à caſibus reſeruatis.

DVo præcipuè in hac Diſputatione tractanda. *Primum,* quo pacto, occaſione caſuum reſeruatorum, liceat interdum integritatem Confeſſionis prætermittere, explicando modum, quo poteſt abſolui à Superiore is qui habet peccata reſeruata; & etiam quomodo poſſit abſolui ab inferiori. *Secundum,* cùm ad Superiorem pertineat proprio Iure Abſolutio à caſibus reſeruatis; videndum quoque eſſe modum, quo poſſit, imò & teneatur hanc facultatem dare ſubdito petenti, vt poſſit ab illis abſolui, & quo onere.

SECTIO PRIMA.

Quis Sacerdos poſſit pœnitentem abſoluere à reſeruatis, & qua facultate?

PRæmittitur præſens dubium pro his quæ in hac Diſputatione dicenda ſunt. 1

Certum eſt *primò*, ex dictis ſuprà *diſput.* 48. *ſect.* 1. Sacerdotem ſuperiorem, qui caſum reſeruauit, aut eo mortuo, vel recedente, qui ſuccedit in locum illius, poſſe ordinaria poteſtate abſoluere à prædicto caſu.

Ratio

Ratio eſt, quia reſeruare, eſt auferre ab aliis ſubditis ſibi aut certè non ſuperioribus poteſtatem abſoluendi ab eo peccato, quod reſeruatur, itavt ad ipſum reſeruantem recurratur: manet ergo in ipſo abſoluendi poteſtas; & quia ille, qui in eius loco ſuccedit, habet eãdem iuriſdictionem, poterit ſine dubio ſimiliter abſoluere. Videantur dicta in *prædicta ſect.* 1.

2 *Secundò*, etiam eſt certum, Superiorem, ſiue Prælatum poſſe non ſolum per ſe, ſed etiam per alios abſoluere validè ſubditum à reſeruatis. Patet quia peccata reſeruata poſſunt quoque remitti directè per delegatam poteſtatem: quam concedere poſſunt illi omnes qui peccata reſeruant, vel qui habent ordinariam poteſtatem ad eorum abſolutionem. Vt ſatis conſtat ex dictis integra diſputatione præcedenti trigeſima quinta.

3 *Tertiò*, quoque videtur certum, ſi ſermo ſit de Prælato, & ſubdito regulari, poſſe Prælatum committere id munus abſoluendi à reſeruatis Sacerdoti ſimplici non approbato ab Ordinario loci: Non enim in hoc videtur eſſe poſſe dubium, ſi loquamur de poſſibili; quia vt videbimus *diſputatione ſequenti*, Concilium Tridentinum ſolùm exigit eiuſmodi approbationem, in Confeſſario, ad audiendas Confeſſiones ſæcularium, verum tamen eſt, de facto aliquos Prælatos concedere facultatem prædictam cum aliqua limitatione; vt nimirùm ſi adſit Sacerdos eiuſdem Ordinis, hæc præferatur externis; & ex ipſis externis, approbatus ab Ordinario non approbato.

4 *Quartò*, conſtat apud omnes, inferiorem Sacerdotem non poſſe per ſe loquendo, abſoluere à caſibus, quos reſeruat Superior, niſi ab illo, vel à Superiori vtriuſque in eodem ordine, & foro habeat expreſſam, vel tacitam facultatem. Patet, quia eſt effectus reſeruationis, vt inferiores nequeant Abſolutionem impendere per ſe loquendo: & quod de inferioribus dicitur, intelligi debet quoque de æqualibus, & minimè ſubordinatis, aut non ſucceſſoribus; non enim Prælatus vnius Religionis poteſt abſoluere à caſibus qui reſeruantur Prælato alterius: Vt autem inferior Confeſſarius abſoluat ab aliquo, peccato ſatis eſt, ſi alioqui ſit legitimus Sacramenti Pœnitentiæ miniſter, & iuriſdictionem accipiat ab eo, qui poteſt eam tribuere: nemo autem dubitabit, quin ille ipſe, qui caſum aliquem ſibi reſeruauit, poſſit iuriſdictionem ſubdito ſuo tribuere: & cùm ex dictis ſuprà *diſputatione vigeſimaſeptima, ſectione quarta*, conſtet ſufficere facultatem non ſolùm expreſſam, ſed etiam tacitam, quæ appellatur Ratihabitio de præſenti, Confeſſarius cui tacitè, vel expreſsè tributa fuerit, abſoluere poterit à reſeruatis.

5 *Quintò*, liquet ex dictis ſuprà *diſputat.* 34. *ſectione prima*, à numero primo, vſque ad quintum incluſiuè, quando prædicta facultas cenſeatur expreſsè conceſſa: eiuſmodi eſt facultas, quam teſtatur Tridentinum habere omnes Sacerdotes ad abſoluendum ab omnibus caſibus quantumcumque reſeruatis pro articulo mortis: de qua egimus ſuprà *diſputatione vigeſimaoctaua, ſectione prima*: & quæ confertur virtute Cruciatæ, omnibus ſæcularibus, vt ſemel in vita abſolui poſſint à quolibet reſeruato, præter peccatum hæreſis. Similis eſt etiam expreſſa facultas, quæ concedi ſolet in nonnullis Iubilæis pleniſſimis, quorum fructus per duas hebdomadas percipi poteſt, adhibitis diligentiis quæ præſcribuntur.

6 *Sextò*, circa facultatem tacitam, ſolùm dico, cùm ſufficienter conſtiterit inferiori Sacerdoti de ratihabitione de præſenti, ſeu de tacita voluntate Superioris, poſſe etiam à reſeruatis abſoluere.

7 *Vltimò* dico, per accidens poſſe inferiorem Sacerdotem abſoluere pœnitentem à caſibus reſeruatis, propter ſpeciale impedimentum recurrendi ad Superiorem. Ratio eſt, quia in eo euentu cenſetur inferior Sacerdos habere poteſtatem abſoluendi: Quare ſi contingat, pœnitentem ſæcularem, vel Religioſum habentem caſus reſeruatos, eſſe in aliquo loco, vbi Confeſſionem, vel Communionem ſine graui ſcandalo, aut infamia omittere non poteſt, nec adſit ibi Superior, vel alius, qui facultatem habeat abſoluendi à reſeruatis, poſſe tunc, imò & debere alteri Confeſſario talia peccata reſeruata confiteri, & ab illo abſolui, cum onere tamen præſentandi ſe Superiori, cùm primùm poſſit; immediatè, vel per alium. Patet, quia in hoc euentu cenſetur ratihabitio de præſenti, ſeu licentia tacita concedi à Superiore, qui credendus eſt reſeruaſſe caſus ſecundùm ordinem Iuris; hoc autem dat licentiam inferiori, vt abſoluat à reſeruatis, quando Superior adiri non poteſt; & alioqui vrget cauſa non differendi Communionem, vel Confeſſionem.

SECTIO II.

Vtrùm Superior poſſit audire ſola peccata reſeruata, & ab illis abſoluere pœnitentem, committendo cætera inferiori Sacerdoti.

NOn procedit quæſtio de Abſolutione Superioris, quæ ſolùm eſt ablatio reſeruationis, vel excommunicationis, & non tollit ipſam culpam, nec confert gratiam: hanc enim Abſolutionem poſſe dare Superiorem auditis ſolis peccatis reſeruatis, & committere abſolutionem Sacramentalem illorum, & omnium peccatorum inferiori Sacerdoti, certum eſſe videtur: Quia talis poteſt abſoluere à cenſuris, non conferendo Sacramentum: & poteſt tollere reſeruationem etiam ſine Sacramentali Confeſſione, nam poteſt ſuam poteſtatem alteri delegare, vt conſtat. Quæſtio igitur eſt de Abſolutione Sacramentali. 1

De qua loquentes multi ſentiunt, Prælatos, & maximè ſummum Pontificem, aut Pœnitentiarium poſſe audire ſolos caſus reſeruatos, & ab iis ſacramentaliter abſoluere, & remittere pœnitentem ad inferiorem, vt à reliquis peccatis integrè abſoluatur. Ita Caietanus V. *Confeſſio, con.* 10. D Antoninus 3. *p. tit.* 14. *c.* 19. §. 6. Paludanus *d* 17. *q.* 3. *a.* 1 *ante finem*, Nauarrus *in c. conſideret*, §. *Cautus, n.* 12. & 18. & alij. 2

Probant *primò*, quia hæc eſt conſuetudo Romanæ Eccleſiæ, quam non licet reprobare.

Secundo, quia alias eſſet onus intolerabile Prælatis, ſi deberent ſemper integras Confeſſiones audire, præſertim cùm aliis negotiis grauiſſimis diſtineantur.

Addunt tamen plurimi ex iis, pœnitentem poſteà teneri inferiori Sacerdoti integrè etiam caſus reſeruatos confiteri, vt fiat Confeſſio integra: Vnde infert Nauarrus ex priori Confeſſione, & Abſolutione nondum fuiſſe conſummatum Sacramentum, nec datum effectum, ſed ex vtraque Confeſſione, & Abſolutione compleri vnum Sacramentum, quod ſuum effectum præbet, quando inferior Abſolutionem conſummat.

Ioannes verò Medina *quæſtione* 14. *de Confeſſione caſuum reſeruatorum*, docet, Confeſſionem debere fieri integrè; Superiorem tamen poſſe non integrè abſoluere, ſed dare Abſolutionem à ſolis reſeruatis, & aliorum abſolutionem remittere inferiori Confeſſario. Quod poſteà declarat, remitti quidem omnia 3

illa

illa peccata coram Deo, ſed non remitti in foro Eccleſiæ, quia manet obligatio ea confitendi inferiori.

Communis tamen ſententia,& vera negat,poſſe Superiorem abſque rationabili cauſa audire ſolum Confeſſionem caſuum reſeruatorum, & de illis ſolis Sacramentaliter abſoluere. Quam tenent Adrianus, Syluester, Victoria, Cano, Viguerius, quos refert, & ſequitur Suarez *diſp.* 31. *ſect.* 1. *num.* 2. Vaſquez *q.* 91. *art.* 3. *dub.* 10. Cardinalis Lugo *diſp.* 20. *ſect.* 6. *num.* 76. Coninck *diſput.* 7. *dubio nono, num.* 81. *& ſequentibus*, Granado, *de Pœnit. tract.* 10. *diſp.* 7. & alij Recentiores communiter. Iuxta quàm;

4 Dico *primò*, Superiorem, vel Prælatum vt inplurimùm non poſſe audire ſola reſeruata, & Sacramentalem Abſolutionem impendere. Ratio eſt, quia vt conſtat, integritas materialis Confeſſionis omnium peccatorum eſt de iure diuino: & non ſufficit integritas formalis,niſi in caſu,in quo vrgente neceſſitate dimidiatur Confeſſio, vt latè tractaui *integra diſputatione trigeſima ſeptima*; ſed in præſenti caſu non eſt moraliter loquendo, neceſſitas vrgens ad dimidiandam Confeſſionem; ergo. Minor patet, quia licèt Superior habeat occupationes ordinarias,non ſolet ita frequenter occurrere ſubditus ad confitendum illi, vt per tempus non liceat eum integrè audire, & abſoluere. Quod ſi habeat extraordinarias,ob quas non poſſit,remittat ad aliud tempus commodius; vel ſi ſubditus velit, dicat illi peccata reſeruata quæ verè manebunt ſub ſigillo, licèt non abſoluat, & remittat ad inferiorem Sacerdotem, cui poſſit fidere,& taxare,ſi velit,pœnitentiam,& præſcribere alia remedia adhibenda, vt iſte omnibus auditis,Sacramentaliter abſoluat. Dixi *vt inplurimum*, quia negari non poteſt, poſſe dari cauſam rationabilem id aliquando faciendi,& abſoluendi Sacramentaliter à ſolis reſeruatis: Vt v. g. ſi pœnitens dicat ſe indigere Abſolutione Superioris,vel eius licentia ad confitendum alteri,nec vellet dicere niſi inConfeſſione Sacramentali ſpeciem peccati,quia non vult duobus manifeſtare idem peccatum; & aliunde Superior non poſſet illum audire, nec ipſe pœnitens poſſet ampliùs expectare,propter neceſſitatem vrgentem ad communicandum,vel quid ſimile;ac denique Superior iudicaret neceſſarium,perſonaliter audire peccata reſeruata, quia propter aliquam circumſtantiam ita valdè expediret, tunc poſſet dari cauſa legitima audiendi, & abſoluendi, dimidiata Confeſſione. Cæterùm hi caſus rariſſimi ſunt, & non ordinariè, ac frequenter ſolent accidere.

Addo illum, qui non eſt Superior, ſed ex priuilegio poteſt abſoluere à reſeruatis, poſſe habere, licèt rarò, eandem cauſam dimidiandi Confeſſionem, abſoluendo à ſolis reſeruatis; imò & maiorem, quàm Prælatum, quia Prælatus poſſet committere alteri Confeſſionem & dare illi iuriſdictionem, quod priuilegiatus non poteſt facere: Quare ſi pœnitens indigeat ſtatim Abſolutione & Confeſſarius non poſſit totam audire, nec remittere ad alium priuilegiatum, aut ad Superiorem, qui poſſit; faciliùs dabitur in eo ratio ad abſoluendum à ſolis reſeruatis, & remittendum, pro aliis ad alium Confeſſarium. Verum hoc certè videtur rariſſimè contingere poſſe.

5 Dico *ſecundò*, ſi Superior audiat omnia peccata ſui ſubditi, tam reſeruata, quàm non reſeruata, teneri ab omnibus abſoluere, nec poſſe licitè dimidiare Abſolutionem, à reſeruatis peccatis directè abſoluendo, & ab aliis ſolùm indirectè. Probatur, quia poſito quòd pœnitens omnia confiteatur, & in omnia habeat legitimam iuriſdictionem Superior, id non poteſt iuſtè fieri: aut enim pœnitens eſt diſpoſitus ad recipiendam Abſolutionem, vel non; ſi non eſt diſpoſitus à nullo peccato debet abſolui, vt liquet; ſi eſt, ab omnibus confeſsis eſt directè abſoluendus: nec poteſt obligari, vt aliquod peccatum alteri confiteatur; Quare cùm integritas ſit tam neceſſaria in Abſolutione, quàm in Confeſsione, imò in hac requiratur propter illam; ſi, inquam,in Confeſsione requiritur integritas, multò magis in Abſolutione,præſertim cùm poſt factam integrã Confeſsionem, nulla poſsit eſſe cauſa rationabilis ad dimidiandam Abſolutionem.

Vtrùm verò Superior, ſi velit, auditâ totâ Confeſſione, abſoluere directè à ſolis reſeruatis, poſsit id validè facere. Sentit Cardinalis Lugo citatus *numero* 77. id difficultate non carere, nec facilè probari, non poſſe validè (quamuis non licitè,)Superiorem velle abſoluere ab his, & non applicare directè Abſolutionem ad alia, ſed habere ſe, ſicut ſi ea non audiuiſſet. 6

Dico tamen *tertiò*, meo iudicio facilè probari, ac efficaciter,Superiorem non poſſe, auditâ integrâ Confeſſione omnium peccatorum, tam reſeruatorum, quàm non reſeruatorum dimidiare Abſolutionem Sacramentalem,ſed vel nullo modo abſoluere,vel ſi abſoluat,omnia illa peccata directè abſoluere Moueor hac vncia ratione, quia directè à peccatis abſoluere, nihil eſt aliud, quàm abſoluere ab illis peccatis, quæ clarè pœnitens confitetur, & legitimè ſubiicit Clauibus Eccleſiæ, cum iuriſdictione in ordine ad illa: nam licèt ad directam Abſolutionem neceſſarium ſit peccatum in Confeſſione aperire; (hac enim de cauſa, ex omnium ſententia, illa peccata indirectè abſoluuntur per Abſolutionem Sacramentalem, quæ inculpabiliter omittuntur, nec Clauibus Eccleſiæ ſubiiciuntur, quia ea pœnitens non explicuit inConfeſsione)verùm id nõ ſufficit niſi Sacerdos habeat quoque iuriſdictionem in talia peccata,quia Abſolutio directa eſt actus talis iuriſdictionis: Igitur ſi pœnitens, Superiori habenti iuriſdictionem omnia peccata tam reſeruata, quàm non reſeruata legitimè confiteatur, & ſubiiciat Clauibus Eccleſiæ, vt contingit in præſenti caſu, neceſſariò Superior ab illis omnibus, quæ illi confeſſus eſt, vel nullo modo, vel directè abſoluit: Vnde non pendet à poteſtate, vel voluntate Superioris aliud præſtare, quia poſt factam illi integram Confeſsionem materialem, ac Sacramentalem omnium peccatorum, neceſſariò omnium illorum Abſolutio Sacramentalis debet eſſe integra, & directa. Neque hoc poteſt impedire praua aut erronea intentio Miniſtri, ſi alioqui habet veram intentionem conficiendi Sacramentum, vel faciendi quod Chriſtus inſtituit, ſeu quod perinde eſt, faciendi ſecundùm poteſtatem, vel iuriſdictionem ſibi conceſſam, nam hæc eſt intentio per ſe efficax & valida: alia verò eſt ex errore priuato, qui non excludit ſubſtantialem intentionem. 7

Dico *quartò*,ſi Prælatus,auditis ſolis reſeruatis,ab iis abſoluat, vt poteſt ex rationabili cauſa, modò pœnitens ſit legitimè diſpoſitus, validè abſoluit ab his directè, ab aliis verò non reſeruatis, indirectè. Ita Dominicus Soto *diſt.* 18. *quæſt.* 2. *articul.* 5. *§. Secunda propoſitio*, & alij Recentiores communiter. Ratio eſt, quia in cæteris caſibus quando dimidiatur Confeſsio ob legitimas cauſas, modò pœnitens ſit legitimè diſpoſitus, validè abſoluitur à peccatis confeſsis directè; ab aliis verò omiſsis vel propter obliuionem, vel ſine obliuione propter rationabilem cauſam, ſiue ex parte pœnitentis, ſiue ex parte miniſtri ortam, abſoluitur indirectè, vt conſtat ex dictis *ſuprà diſputatione vigeſima ſecunda*: ergo idem neceſſariò eſt dicendum in præſenti caſu. 8

Dico

9 Dico *quintò*, pœnitentem ſic abſolutum non teneri peccata reſeruata ampliùs confiteri, ſed ſolùm alia, quæ tunc confiteri non potuit, & ſic ſatisfacere integritati Confeſſionis: Ita Suarez loco ſuprà relato *numero decimo*, Coninck *cit. n. octuageſimo* Granado *numero quarto*, & alij. Et conſtat manifeſtè, quia nemo tenetur ampliùs confiteri ea peccata, à quibus eſt directè abſolutus, vt expreſsè docet Benedictus XI. *Extrauag. Inter cunctas, de priuilegiis*, his verbis: *Peccata illa, de quibus confeſſi ſunt, & abſoluti pœnitentes, non tenentur iterum confiteri; ne ſequatur abſurdum, quòd per pœnitentiam dimiſſa peccata quis confiteri debeat, & quòd liberatus debitor adhuc ad ſoluendum remaneat obligatus.* Vnde in cæteris caſibus quando dimidiatur Confeſſio ob legitimas cauſas, non tenetur pœnitens iterùm confiteri peccata prioris Confeſſionis, ſed ſolùm illa quæ omiſit: foret enim grauiſſimum onus, & nullo modo conforme inſtitutioni huius Sacramenti, obligare pœnitentem, vt iterùm, & alteri confiteatur peccata legitimè confeſſa, & à quibus directè abſolutus eſt: Cùm igitur in præſenti caſu pœnitens legitimè confeſſus ſit reſeruata, & à Superiori directè abſolutus, nullo modo obligandus eſt, vt eadem repetat alteri Confeſſori, nempe inferiori.

Obiicies, Confeſſionem integram eſſe faciendam Confeſſori, non Confeſſoribus; hoc autem non ſeruari, niſi illa peccata ſimul cum aliis eidem poſtea dicantur. *Reſpondeo*, tametſi per ſe loquendo omnia peccata mortalia dicenda ſint eidem Confeſſario, vt meliùs agnoſcat & gubernet pœnitentem; per accidens tamen, ceſſare eam obligationem, quando licet dimidiare Confeſſionem; tunc enim ſatis erit, quòd omnia peccata Clauibus ſubiiciantur, etiamſi Confeſſores ſint diſtincti.

10 Dico *vltimò*, quoties Prælatus ex cauſa rationabili abſoluit Sacramentaliter à ſolis reſeruatis, niſi adſit obex ex parte pœnitentis, fieri verum Sacramentum conferens gratiam. Id videtur manifeſtum, quia cùm adſint materia, & forma, & aliunde defectus integritatis Confeſſionis non ſit culpabilis, vt ſupponitur, nihil poteſt deeſſe ad veritatem, & effectum Sacramenti; ſicut nec quando ob inculpabilem obliuionem, vel ob aliam iuſtam cauſam omittit pœnitens aliqua peccata, obſtat prædictus defectus integritatis, ipſi valori & effectui Sacramenti: Vnde colligo, non fieri vnum Sacramentum, neque vnam Abſolutionem ex Abſolutione Superioris, & Abſolutione inferioris; ſed eſſe duplex Sacramentum diuerſum; itavt ſingula conſtent ex materia, & forma diuerſis, nempe ex Confeſſione, & Abſolutione diuerſa: atque adeò cauſare duplicem effectum gratiæ ſanctificantis, quia poſito Sacramento valido, non eſt, cur differatur eius effectus in ſubiecto diſpoſito, qualis eſt pœnitens, qui ſupponitur habens dolorem & propoſitum circa omnia peccata.

11 Ad argumenta propoſita *num.* 2. quatenus opponuntur noſtro primo Dicto, reſpondendum eſt. Adprimum quod, deſumitur ex conſuetudine, & praxi Eccleſiæ Romanæ, negandum eſt; nam Syluester, qui fuit Pœnitentiarius in Baſilica D. Petri, oppoſitum teſtatur eſſe in praxi, & nunc non eſt veſtigium talis conſuetudinis: Nam reſeruata, pro quibus ad Romanam Curiam venitur, ſunt reſeruata Pontifici; hæc autem reſeruantur ratione excommunicationis, quâ ſublatâ, tollitur reſeruatio. Quare ſummus Pœnitentiarius, aut Pontifex, ſi quando ſic dimidiatam Confeſſionem audiant, ſolùm abſoluunt à cenſuris; & tollunt reſeruationem, & remittunt pœnitentem vt alteri confiteatur.

Ad ſecundum, dico, cùm integritas Confeſſionis ſit Iuris diuini, non poteſt violari ſine graui aliqua neceſſitate, quæ hîc vt inplurimùm non apparet: nam Prælati facilè poſſunt ſe eo onere liberare, conſtituendo vnum, aut alterum virum prudentem, cui vices ſuas hac in re committant, aut generatim reſpectu omnium, aut quandoque in particulari, prout iudicabunt expedire.

SECTIO III.

An Superior teneatur dare facultatem ſubdito per ſe, vel per alium eam petenti, vt abſoluatur à reſeruatis.

Circa præſentem difficultatem duo ſunt breuiter explicanda. *Primum*, an teneatur Superior prædictam concedere facultatem. *Secundum*, eſto quòd nequeat illam negare; teneatur eam dare, determinato Confeſſario, quem vult ac expoſcit pœnitens, an poſſit illam alteri committere. 1

Circa primum, certum eſt *primò*, Superiorem per ſe loquendo, poſſe eam facultatem abſoluendi à reſeruatis dare ſuo ſubdito Sacerdoti petenti nomine pœnitentis, vel alteri Sacerdoti: nam ipſe eſt Iudex legitimus Ordinarius huius cauſæ; & ideò nullam iniuriam facit per ſe loquendo, ſi per ſe velit eam iudicare, vel eam alteri committere idoneo, & prudenti: Quæſtio eſt, an Superior non ſolùm poſſit, ſed debeat, ac teneatur facultatem dare Confeſſario inferiori petenti. 2

Secundò, notandum eſt, quando Confeſſarius hanc veniam petit, ita cautè hoc debere facere, vt Superior nullo modo poſſit, aut perſonam, aut caſum, ob quem ea petitur, coniicere: Nam aliàs eſſet periculum frangendi ſigillum ſi Confeſſarius ea ex Confeſſione nouiſſet; aut ſecreti naturalis, ſi extra Confeſſionem ea sciuiſſet. 3

Tertiò certum eſt, ſi inferior habeat iuſtas cauſas extrinſecas, ob quas meritò recuſat confiteri ſuo Superiori, aut quia probabiliter timet violationem ſigilli, aut ne Superior graue odium circa ſe concipiat, aut ne ſcientiâ, ex Confeſſione habita, abutatur in ordine ad gubernationem cum damno inferioris, teneri tunc Superiorem ex Iuſtitia ei dare facultatem alteri confitendi. Patet, quia cùm iniurioſè ſit cauſa alteri, cur auerſetur ei confiteri, faceret ei grauem iniuriam, cogendo eum ſibi in iis circumſtantiis confiteri: In quo omnes conueniunt. Difficultas eſt, quando ſubditus ſolùm timet ruborem, & verecundiam ex ſuo crimine patefacto Prælato; & ideò refugit confiteri illi, atque ex infirmitate ſua inſtat pro facultate confitendi alteri. 4

In quo caſu quidam videntur generatim negare, Superiorem eam facultatem teneri concedere. Quæ ſententia cenſetur eſſe Victoriæ *in Summa, capite quarto, numero* 147. *de Confeſſione*, & Nauarri *in Summa, capite ſeptimo, numero octauo, & in capite Placuit, de pœnitentia, diſtinct. quinta, artic.* 149. & 150. 5

Probant *primò*, quia Abſolutio ab his caſibus proprio Iure pertinet ad Superiorem: ergo vtitur iure ſuo, eam alteri negans.

Secundò, quia ex cap. *Omnis vtriuſque ſexus*, colligunt Doctores, non teneri proprium paſtorem ad dandam ſubdito facultatem confitendi alieno, niſi petatur ex legitima cauſa: At legitima cauſa nequit intelligi ea, quæ procedit ex rubore, & verecundia, quæ eſt intrinſeca Confeſſioni ipſi; alioqui ſemper illa facultas haberet cauſam iuſtam: ergo intelligi debet de cauſa extrinſeca Confeſſioni, atque adeò per ſe loquendo, & ſecluſis cauſis extrinſecis, quæ ſunt per accidens, non tenetur proprius paſtor dare hanc facultatem. Igitur idem dicendum in præſenti caſu, cùm ſit eadem proportionalis ratio.

Tertiò, quia aliàs reſeruatio nullius ferè eſſet momenti, ſi Superior teneretur hanc facultatem concedere; nam hoc nullum fere onus eſt pœnitentium, cùm per alium facultatem petant: Quare ipſa reſeruatio nihil conferret ad coërcenda, vel curanda peccata, qui eſt finis reſeruationis.

Quintò, fauent huic ſententiæ verba illa Tridentini *ſeſſ*. 14. *cap*. 6. ſic dicentis: *Extra quem articulum*, (intellige mortis,) *cùm nihil poſſint in caſibus reſeruatis*, (ſubintellige alij Sacerdotes) *Id vnum pœnitentibus perſuadere nitantur, vt ad Superiores, & legitimos Iudices pro beneficio abſolutionis accedant*. Vbi duo ſunt expendenda. *Primum*, particula illa, *Id vnum*, nam ſi ſubditus habet ius exigendi à Superiore prædictam facultatem, & ipſe eam concedere tenetur, vix poterit alius Sacerdos, ſeu Confeſſor inferior ſuadere pœnitenti, vt ad Superiorem accedat, ſed potiùs ipſe pœnitens poteſt perſuadere Confeſſori, vt ſuo nomine quamuis in particulari tacito, exigat facultatem, quam Superior tenetur ei concedere. *Alterum eſt*, debere quoque expendi illam particulam, *Legitimos Iudices*: quia Iudex legitimus alicuius cauſæ, nulli iniuriam facit, ſi per ſe velit eam iudicare; neque tenetur eam alteri committere: At in prædicta cauſa Abſolutionis caſuum reſeruatorum, Superior ſe habet vt legitimus Iudex, vt aſſerit Tridentinum; ergo.

Vltimò, non poteſt dari talis facultas ſubdito petenti, qui obſirmato animo, non vult Superiorem adire, quia non eſt diſpoſitus ad Confeſſionis Sacramentum, dum habet propoſitum non adeundi Superiorem, quem adire debet, & non habet propoſitum implendi Chriſti præceptum, nempe præmittendi Confeſſionem ante ſuſceptionem Euchariſtiæ, caſu, quo Superior licentiam negaſſet.

6 Alij verò Doctores, D. Thom. *in* 4. *d*. 17. *q*. 3. *art*. 3. *quæſtiuncula* 4. *ad* 6. Soto *in* 4. *diſt*. 18. *q*. 2. *art*. 5. §. *Circa tertium*, Syluester *verbo Confeſſor I. n*. 13. & Recentiores communiter oppoſitum docent, Superiorem ſcilicet teneri inferiori petenti facultatem alteri confitendi, præbere ſe facilem, niſi prudenter præſumat hunc hoc petere, vt habeat occaſionem perſiſtendi in peccato. Probant, quia hæc iuriſdictio non eſt data Superiori, propter auctoritatem, vel vtilitatem eius, ſed propter bonum ipſius pœnitentis: ergo quoties pœnitens nullo modo vult confiteri Superiori, quamuis ad id nullam aliam habeat cauſam, niſi ſolam verecundiam ortam ex intrinſeca difficultate Confeſſionis, tenetur Superior eam concedere: patet Conſequentia, quia tenetur Superior ex vi ſui muneris vti hac iuriſdictione, ſicut expedit ad bonum pœnitentis; tunc autem omninò expedit illi facultatem dare, quia hoc modo confitebitur, & remedium obtinebit; aliâ enim viâ manifeſtè exponeretur periculo pereundi, aut non integrè confitendi.

7 Optimam huius difficultatis reſolutionem iudico non poſſe conſiſtere in indiuiſibili, ſed omninò dependere à circumſtantiis; eaſque debere Superiorem attentè & prudenter conſiderare, ne vel nimia facilitate, vel nimia peccet ſeueritate; nam in vtroque facilè poteſt peccare, ſed faciliùs in ſeueritate, & rigore.

Quare dicendum eſt cum Doctoribus ſecundæ ſententiæ, Superiorem ex Charitate, & etiam ex Iuſtitia, ſeu ex officio, teneri ad hanc facultatem concedendam, quoties credit, grauiter inferiori obſuturum ſi ea negetur; vt quòd vel non ſit confeſſurus, vel non integrè; etiamſi id ſolùm proueniat ex inordinata verecundia, aut alia apprehenſione inferioris. Id etiam optimè notant noſtri Doctores *diſp*. 30. *ſect*. 4. Coninck *diſp*. 8. *dubio* 14. Cardinalis Lugo *diſp*. 20. *ſect*. 10. §. 4. & alij. Ratio eſt, quia ſicut Confeſſio, ita & reſeruatio caſuum maximè inducta eſt in vtilitatem pœnitentium, vt poſſint ita melius in via ſpirituali dirigi; quare illa non debet ita obſeruari, vt cedat in graue illorum detrimentum ſpirituale; neque enim inducta eſt in deſtructionem, ſed in ædificationem, vt docet Trident. *ſeſſ*. 14. *cap*. 7. Vnde non ſolùm tenetur Superior ex Charitate hoc detrimentum impedire, tanquam ſpiritualis paſtor, cùm commodè poſſit, ſed etiam ex debito ſui officij, ſeu ex Iuſtitia, cùm officium ſuſceperit cum eo onere, impediendi nimirùm graue detrimentum circa ſalutem, & bona ſpiritualia ſubditorum, in ordine ad quæ præcipuè factus eſt Prælatus, & Paſtor: ſic enim Medicus ex officio & iuſtitia, tenetur adhibere remedia opportuna, ne pereat ægrotus: multò ergo magis medicus ſpiritualis debet ex officio, & iuſtitia procurare, ne pereat eius ſubditus, cuius ob infirmitatem propriam, ſalus periclitatur.

Eſt verò notandum, prædictam doctrinam eſſe intelligendam, niſi conſtaret Superiori, peccatum ſubditi vergere in ſcandalum, aut detrimentum aliorum, quod non poſſet aliter impediri, niſi Superior illud ſibi reſeruaret, & hoc modo ſperaret, ſe poſſe omninò illud impedire ſine vlla ſigilli violatione: Item niſi crederet eiuſmodi conceſſionem ceſſuram in aliorum perniciem, qui inde ſumerent occaſionem faciliùs peccandi, ex ſpe ſimilis facultatis obtinendæ: Tunc enim Superior magis teneretur proſpicere multorum ſaluti, quàm vni. 8

Attendant tamen Superiores, hæc non eſſe facilè præſumenda: nam cùm eiuſmodi conceſſiones ſint omninò ſecretæ, raro ex iis talia ſolent contingere: Et is, cui ea negatur, ſæpè vi ſeueritatis actus in deſperationem, in aliorum perniciem incumbit, qui aliàs fortè fuiſſet emendatus: Quare hoc præ oculis habendum eſt: In dubiis, ſemper in benigniorem partem inclinandum, ad quam Decreta Pontificum, præſertim Clementis VIII. hac de re edita inclinare ac ducere videntur: Vnde niſi conſtet de graui pœnitentis, aut alio damno, videtur concedenda communiter facultas. 9

Ex his colligo *primò*, illam facultatem eſſe concedendam, quoties creditur futura vtilis, aliàs non. Primum conſtat, quia vt dictum eſt, hæc reſeruatio præcipuè inſtituta eſt pro ſalute pœnitentium; atque ideò debet ei deſeruire. Secundum liquet quoque, quia ſi non ſperatur vtilitas ex conceſſione, tunc nulla eſt cauſa, cur Superior teneatur iure ſuo cedere. Quòd ſi ex conceſſione timeantur grauiora mala, aut etiam notabiliter minor fructus, quàm ex negatione; tunc Superior teneretur eam non concedere, quia ipſius eſt procurare maiorem fructum ſuorum ſubditorum. 10

Colligo *ſecundò*, ſi Superior non habeat iuſtas rationes in contrarium, debere ſe ſatis facilem præbere in hac conceſſione. Ratio eſt, quia communiter grauius malum oritur ex negatione, quàm ex conceſſione, 11

Digitized by Google

ceſſione, vt prudenter notauit D.Thom. *loco citato*, ſic dicens: ***Vade illi, qui ſunt nimis ſolliciti, vt conſcientiam ſubditorum per Confeſſiones ſciant, multis laqueum damnationis iniiciunt, & per conſequens ſibi ipſis.***

12 Colligo *tertiò*, cùm inferior prædictam facultatem vt ferè ordinariè fit, petit per ſuum Confeſſarium, omninò expedire, vt Superior hac in re ſtet iudicio ipſius Confeſſarij, an expediat hîc & nunc dare eam facultatem, nec ne: Quia cùm hic ſemper perſonam, & ſæpe caſum, pro quo facultas petitur, agnoſcat, poteſt faciliùs ſcire, quid expediat, quàm ipſe Superior, qui ea omninò ignorat. Excipiendus eſt tamen caſus, in quo haberet graues rationes in contrarium; vt ſi (maximè in Religione) videret valde frequenter eiuſmodi licentiam à ſe exigi, & interim diſciplinam Religioſam laxari, itavt meritò ſibi poſſet perſuadere, ſuam facilitatem cedere in communis diſciplinæ detrimentum, & aliis eſſe occaſionem faciliùs peccandi.

13 Ex dictis facilè ſoluuntur Argumenta primæ Sententiæ, provt noſtræ opponuntur. Ad primum, conceditur Conſequentia, niſi ſit iuſta ac legitima cauſa non vtendi iure ſuo, vt ſuprà eſt explicatum *numero 7. & 8.*

Ad ſecundum, ſimiliter dico ad Antecedens, teneri proprium Paſtorem concedere illam licentiam, ſi negatio illius cederet in graue damnum pœnitentis, vt quòd vel non ſit confeſſurus, vel non integrè, tametſi id procederet ex nimio rubore, aut ex inordinata verecundia orta ex intrinſeca difficultate Confeſſionis, quia tenetur quoque Sacerdos proprius ex vi ſui muneris, vti ſua iuriſdictione, ſicut expedit ad bonum ſpirituale pœnitentis, non in deſtructionem, ſed in ædificationem.

Ad tertium, negatur, inde ſequi reſeruationem caſuũ nullius ferè eſſe momenti: quia licèt concedatur facultas inferiori Confeſſario ad eos abſoluendos; nihilominùs tamen illa ſubordinatio, ac dependentia à Superiore, ac licẽtiꝫ petitio, & ipſius licentiꝫ conceſſio, maximè ſi ſit cũ obligatione, vt Cõfeſſarius, cui talis licẽtia cõmittitur, certam pœnitentiam iniungat, quam & ipſe teneatur imponere, & pœnitens acceptare; hæc, inquam, omnia non parum conducunt ad coërcenda, vel curanda peccata reſeruata; & illis proculdubio finis reſeruationis comparatur.

Ad quartum, dico, verba illa Tridentini, non opponi noſtræ doctrinæ: nam quod ibi præſcribitur, per ſe loquendo fieri debet; ſi tamen accideret, quòd per accidens, ob nimiam pœnitentis verecundiam, illud cederet in graue damnum ſpirituale ipſius, deberet Superior eam licentiam concedere, etiam iuxta præſcriptum eiuſdem Tridentini, ibidem dicentis, ipſam reſeruationem non eſſe inductam in deſtructionem, ſed in ædificationem.

Ad vltimum, opimè reſpondet Cardinalis Lugo, eo Argumento nimis probari, nam videtur etiam reprobare praxim Prælatorum, & ipſius ſummi Pontificis, qui ad ſubueniendum infirmitati ſubditorum, qui nolunt proprio Sacerdoti confiteri integrè, & ea de cauſa Confeſſionem Sacrilegam ſæpè faciunt, & in ſtatu peccati per longum tempus miſerè iacent, mittere ſolent aliquando Confeſſarios extraordinarios cum plena poteſtate abſoluendi; vel per Iubilæum, aut Bullam, vel alio modo ſubditis facultatem concedunt eligendi Confeſſarium, cum poteſtate abſoluendi à reſeruatis, in quibus procedit eadem difficultas: nam illi ſubditi non videntur poſſe tunc facere Confeſſionem validam ex vi talis facultatis, cùm eis deſit diſpoſitio debita, nempe propoſitum ſeruandi illud Chriſti præceptum, quod de facto non ſeruarunt, nec ſeruaſſent, niſi facultatem hanc habuiſſent. Quare ad Argumentum reſpondendũ eſt, facultatem illam multùm poſſe ſubdito prodeſſe, qui plerumque nondum decreuit Chriſti præceptum violare, ſed ob difficultatem inſtat iterùm, atque iterum pro licentia obtinenda; & tunc eius paſtor debet præcauere ruinam, cuius periculum videt, concedendo licentiam, ne Chriſti præceptum violet: Et licèt iam ſubditus decreuiſſet obfirmato animo, Superiori non confiteri; adhuc facultas conceſſa illi prodeſſet, quia ſublatâ difficultate, faciliùs Confeſſarius diſponeret illum ad verum dolorem & propoſitum concipiendum quòd nimirùm Chriſti præceptum ſpreuerit, & confeſſus non fuerit, provt ex præcepto debebat, & ſic de illa culpa doleat, eàmque cum aliis confiteatur.

Circa ſecundum, de danda facultate, & licentia huic determinato Confeſſario, dico quatuor iuxta communem Doctorum ſenſum. *Primum eſt*, Superiorem non teneri talem facultatem concedere cuilibet Confeſſario, ſed prudenti, & probo, qui benè & vtiliter, poſſit animæ pœnitentis conſulere. Ratio ſumitur ex fine reſeruationis; nam reſeruatio ad hoc fit, iuxta Concilium Tridentinum, vt grauiora delicta grauius corripi, & meliùs emendari poſſint, ad quod neceſſe eſt, vt grauis etiam perſonæ, doctꝫ, & prudentis iudicio ſubdantur: Vnde ſi ſubditus deſignet perſonam, quæ loco Superioris illum abſoluat, & ea talis non ſit Superioris iudicio, non debet Superior illam concedere, nec poterit ſubditus in eo caſu conqueri iuſtè. *Secundum*, non debere Superiorem eſſe difficilem, quando Sacerdos, per quem ſubditus facultatem petit, reuerà eſt ſufficiens, vt ei Abſolutio reſeruatorum committi poſſit: Tunc enim, regulariter loquendo, niſi alia cauſa valdè grauis occurrat, conſultius eſt, acquieſcere pœnitenti. Imò, addo *Tertium*, ſi Sacerdos, per quem facultas petitur, ſit prudens, & probus, qui vtiliter, & probè poſſit animæ pœnitentis conſulere, non debere ei negari dictam Abſolutionem, ne cogatur iam pœnitens duobus ſuum peccatum confiteri; quod fortaſſe aliquando non erit minùs difficile, quàm ad Prælatum ipſum recurrere, vt rectè notauit Cardinalis Lugo *paragrapho quarto, citato, numero ducenteſimo trigeſimoſexto.* Hinc dico *Quartum*, & vltimum, ſi contingat de danda licentia huic determinato Confeſſario deſignato à pœnitente, quòd non ſit obligatio concedendi, neque etiam negandi, ſaltem grauis, ſed poſſe alterutrum fieri; prudentem Prælatum inclinare magis debere ad concedendum, quàm ad negandum: Tum quia in dubiis, ſemper in benigniorem partem inclinari debet, vt magis conformetur ſuorum Superiorum, nempe Decretorum Pontificum, præſertim Clementis VIII. intentioni: Tum etiam, ne incurrat notam ſeueritatis, quam vitare aliunde eſt valdè vtile, & conueniens. 14

SECTIO IV.

An poſſit Superior concedere facultatem, vt ſubditus à reſeruatis abſoluatur, cum onere poſteà comparendi coram Superiore, vt ex præcepto, ipſi iterùm reſeruata Sacramentaliter confiteatur?

CErtum eſt *primò*, apud Doctores, Superiorem poſſe concedere facultatẽ, vt ſubditus abſoluatur à reſer- 1

uatis cum aliqua conditione, vel onere pœnitenti impoſito. Ratio eſt, quia ad hoc, ius habet Superior; cùm enim ſit ordinarius Iudex in illa cauſa, poteſt eam non ſimpliciter committere, ſed præſcribendo modum.

2 *Secundò*, certum eſt, cùm ſit ſermo de onere, vt coram Superiore poſtea compareat, non habere locum id, poſt peccatum reſeruatum commiſſum. Patet, quia cùm petitur facultas abſoluendi pro tali peccato reſeruato commiſſo, ad hoc illa petitur, vt ab eo onere comparendi coram Superiore ſubditus liberetur: ergo repugnantiam inuoluit, dare facultatem, & ſimul imponere tale onus. Firmo, nam ſubditus vel petit facultatem per ſe ipſum; & ſic iam ſatis comparet coram Superiore; eſtque illi impertinens facultas cum onere iterùm comparendi: vel petit facultatem per alium, verbi gratia, per inferiorem ordinarium Confeſſarium, vt ſolet fieri; & tunc ideò petit, vt perſona quæ commiſit peccatum, non veniat in notitiam Superioris: & ad hoc poſtulatur eius conceſſio: non ergo habet locum ibi tale onus.

3 Hinc *tertiò*, videtur certum, illud onus de comparendo coram Superiore, ſolùm habere locum ante peccatum reſeruatum commiſſum, vt ſi ſubditus petat facultatem à Superiore ad confitendum alteri, ſi fortè in aliquod peccatum reſeruatum lapſus fuerit: hæc enim facultas concedi ſolet, non ad liberandum ſimpliciter pœnitentem ab onere comparendi coram Superiore, ſed ad ſubueniendum eius neceſſitati, ne fortè occaſione illius, nimiùm differatur Confeſſio Sacramentalis, & pœnitentia: & ideò frequentiùs concedi ſolet ſub ea conditione; Si difficilis ſit aditus ad Superiorem. Quare prædicta facultas petitur pro peccatis futuris: quod ſolet accidere, quando debet quis iter agere, aut peregrinari in iis locis, vbi nemo eum poterit à peccatis reſeruatis abſoluere; ideóque petit, vt Superior det ei facultatem, vt ſi in ea inciderit, poſſit ab aliis Sacerdotibus ad Confeſſiones audiendas expoſitis, ab iis abſolui. Quæ facultas ſæpe, præſertim in Religionibus, ſolet concedi, cum onere eadem peccata poſteà Superiori confitendi.

4 *Quartò*, conueniunt Doctores, ſi ſermo ſit de peccatis reſeruatis habentibus annexam cenſuram, iuxta vſum Iuris, concedi eam facultatem in pluri- mis caſibus, cum onere comparendi poſteà coram Superiore, à quo imponatur ſatisfactio debita pro delicto, provt habetur *in cap. Eos qui, de ſententia excommunicationis, lib. 6.* Et ratio eſt, quia in cenſuris, cùm impoſitio, & Abſolutio earum principaliter ſit ex inſtitutione Eccleſiæ, poteſt Eccleſia provt voluerit, modum Abſolutionis præſcribere, & ſub hoc, vel illo onere illam præſtare. Vbi eſt obſeruandum, etiam in peccatis reſeruatis habentibus cenſuram, onus, quod relinquitur, non eſſe ad ſubiiciendum iterùm illa peccata Clauibus per Confeſſionem Sacramentalem, ſed ſolùm ad comparendum coram Superiore, vt ſatisfactionem debitam imponat, ratione cenſuræ contractæ, cuius integrum iudicium non fuerat inferiori Confeſſario commiſſum.

Vltimò, hinc manifeſtè colligitur, quæſtionem procedere de peccatis reſeruatis non habentibus cenſuram, an repugnet, concedere facultatem abſoluendi cum onere comparendi coram Superiore: Quoniam verò id tribus modis fieri poteſt: *primò*, vt compareat coram illo, vt ipſi iterùm peccata reſeruata Sacramentaliter confiteatur, imponendo illi præceptum de hac iterata Confeſſione. *Secundò*, id poteſt efficere Superior, petendo à ſubdito votum vel iuramentum, quo ipſe ſubditus ad dictam iteratam Confeſſionem obligetur ex virtute Religionis. *Tertiò*, id fieri poteſt, præcedente pacto mutuo inter Superiorem & ſubditum, de iterata Confeſſione facienda. De primo modo agimus ſolùm in præſenti Sectione; de ſecundo, & tertio in duabus Sectionibus ſubſequentibus.

Ratio autem dubitandi circa primum modum eſt, 6
quia ex vna parte ſic abſoluti poſſunt ad id obligari; & Superior, ex conceſſione facultatis ſub onere comparendi abſolutè facta, denotat ſe velle, vt poſtquàm pœnitentes ſibi in ea neceſſitate proſpexerint, poſteà compareant ad illud idem, ad quod alias, ſi non fuiſſent abſoluti, debebant comparere; ſed ſi prædicti non fuiſſent abſoluti ab inferiori Confeſſario, comparituri erant, vt à reſeruatis Sacramentaliter abſoluerentur; ergo: ex alia parte videtur id negandum, quia quamuis Superior potuiſſet ſic abſolutos obligare; creditur tamen de facto noluiſſe, quia id nullibi exprimitur; & ad finem reſeruationis, nempe, vt pœnitentes quoad reſeruata dirigantur à Superiore, non eſt neceſſaria Confeſſio Sacramentalis, quæ eſt durior; ſed ſufficit Confeſſio non Sacramentalis, quæ eſt facilior, & multò minùs oneroſa. Firmo hoc idem, nam in Confeſſione, & Abſolutione Sacramentali non poteſt Eccleſia aliquid addere, vel mutare præter Chriſti inſtitutionem: Abſolutio enim Sacramentalis ex efficacia, quam habet ab inſtitutione ſua, liberat hominem à culpa tam in foro Dei, quàm in foro Eccleſiæ, & conſequenter liberat illum ab obligatione ſubiiciendi iterùm illa peccata Clauibus: Vnde commune eſt Theologorum Dictum, peccata ſemel ritè ac directè confeſſa non eſſe materiam neceſſariam huius Sacramenti, nec poſſe Eccleſiam obligare ea iterùm confiteri. Igitur repugnat huic Sacramento, facultatem abſoluendi dari ſub illo onere, quia aut vera Abſolutio non datur, aut tale onus non relinquitur, cùm non poſſit Abſolutio ſuo effectu priuari, non exiſtente obice ex parte pœnitentis.

Veriorem iudico cum communiori ſententia, non 7
poſſe Superiorem ex abſoluta eius poteſtate ac voluntate obligare cum præcepto pœnitentem, vt ſecundò ipſi in eo caſu confiteatur peccata reſeruata iam ſemel confeſſa. Ratio, quæ me mouet, hæc eſt, quia inprimis iuxta omnium ſententiam nequit eſſe præceptum Eccleſiæ humanum, confitendi bis eadem peccata, eo modo quo id ſuprà probauimus *diſputatione 9. ſectione 12.* quia reſpectu illorum peccatorum, quæ aliquis ſemel confeſſus eſt, iam non eſt præceptum Confeſſionis à Chriſto latum: ergo Eccleſia reſpectu eorum, non magis poteſt præcipere Confeſſionem, quàm poſſet eam præcipere, ſi à Chriſto non fuiſſet præcepta. Conſtat enim ex dictis ſuprà *diſputatione octaua, ſectione ſeptima, numero primo,* ſi Chriſtus non inſtituiſſet Confeſſionem Sacramentalem; non potuiſſet Eccleſia illam præcipere, quia id excederet poteſtatem Eccleſiæ: Imò, vt ibi oſtendi *numero quinto*, ſi à Chriſto fuiſſet inſtituta Confeſſio Sacramentalis exacta omnium peccatorum ad valorem Sacramenti, & non fuiſſet præcepta, non potuiſſet ab Eccleſia præcipi. Quod verò ad præſentem caſum, nec etiam per modum reſeruationis, poſſit illud præceptum ferri, mihi videtur manifeſtum, quia per priorem Abſolutionem inferioris Confeſſarij, fuerunt directè ablata illa

peccata

peccata reſeruata: ergo iam non ſunt reſeruata, quia non poteſt quis directè abſoluere, niſi habeat poteſtatem iuriſdictionis ordinariam, vel delegatam; ſi autem habeatur delegata, hæc ſufficit ad terminandam cauſam illam: nec poteſt intelligi, quòd detur Abſolutio directa, niſi pœnitens quoad illam cauſam fiat ſubditus Cõfeſſarij per voluntatem Prælati; atque ideò illa erit vltima ſententia tanquam lata à Sacerdote, ex facultate Chriſti ſupra ſubditum, qui ſcilicet ex voluntate Prælati factus fuit eius ſubditus: Vnde nequit intelligi in eo caſu, dari poteſtatem directè abſoluendi à peccatis reſeruatis, & eſſe abſolutum cum onere præcepti ea iterùm Superiori confitendi; nam apertè repugnat, talem priùs fuiſſe directè à reſeruatis abſolutum, & non fuiſſe confeſſum peccata reſeruata legitimo Iudici, quia ſecundùm præſentem Sacramenti inſtitutionem, nemo poteſt directè ab aliquo peccato abſoluere, niſi ſit legitimus eiuſdem Iudex; peccatum autem legitimo Iudici confeſſum, manet directè abſolutum, & omninò ablatum, & conſequenter nequit iam eſſe reſeruatum.

8 Hanc eandem concluſionem optimè probant rationes *ſuprà* adductæ in fauorem ſecundæ partis rationis dubitandi. Addo, adhuc ex ſuppoſitione, quòd Superior potuiſſet ſic abſolutos obligare ex præcepto ad iterandam Confeſſionem Sacramentalem peccatorum reſeruatorum, quod ſemper nego vt manifeſtè falſum, nullo modo creditur de facto id feciſſe Superiorem doctum, & prudentem, quia eſt res valdè difficilis, & nulla eſt neceſſitas, propter quam expediat tale præceptum: nam id nullo modo exigitur ad finem reſeruationis, quia vt pœnitentes quoad reſeruata, dirigantur à ſuo Superiore, non eſt ſimpliciter neceſſaria Confeſſio Sacramentalis, quæ eſt durior, ſed ſufficit Confeſſio non Sacramentalis, quę eſt facilior, ac multò minus oneroſa. Quare Superiores, conceſſione facultatis ſub onere comparendi abſolutè factâ, non denotant ſe velle, vt pœnitentes poſtquam ſunt ſic abſoluti, teneantur ex præcepto comparere ad illud idem, ad quod comparituri erant, ſi non fuiſſent abſoluti: quia quando non ſunt Sacramentaliter abſoluti, non eſt onus aliquod ſupra expreſſionem peccatorũ Superiori faciendam, ei Sacramentaliter illa confiteri, cùm teneantur alicui illa Sacramentaliter confiteri: at poſtquam confeſſi ſunt illa Sacramentaliter alteri ex commiſſione, ſeu delegatione Superioris, eſt graue onus, & contra inſtitutionem Sacramenti, iterum ex præcepto confiteri Sacramentaliter ipſi Superiori; cùm ad finem reſeruationis, vt dixi, id nullo modo neceſſariũ ſit; neque enim poteſt in hoc maius onus imponi, quàm ſit neceſſarium ad finem reſeruationis, cui ſatisfit, reddẽdo Superiori rationem facti commiſſi, & acceptandi Satisfactionem. Prætereà, quia non eſt cogendus pœnitens, vt ſi aliqua peccata non reſeruata poſteà commiſit, illa Superiori confiteatur: Solet verò communiter illa manifeſtatio, quæ fit Superiori, appellari Confeſſio, quia regulariter ſubditus eligit medium Confeſſionis tanquam ſibi vtilius; vel etiam, quia ſemper dicitur vt materia Confeſſionis. Et in eo caſu tenetur Superior ad ſuſcipiendum totum illud ſub ſigillo Confeſſionis, etiam ſi non ſit noua Sacramentalis Confeſſio, quia tota illa manifeſtatio eſt in ordine ad Claues, prout pertinentes ad hoc forum Sacramentale.

SECTIO V.

Vtrùm Superior poſſit prædictam facultatem concedere, petendo à ſubdito votum, vel iuramentum, quo ad iteratam Confeſſionem obligetur.

SVppono *primò*, iteratam Confeſſionem Sacramentalem eorundem peccatorum eſſe materiam voti, vel iuramenti. Patet, quia eſt res valde honeſta, Deo multum grata, & non parum animæ vtilis; vnde poteſt eſſe in conſilio: ergo eſt materia voti, vel iuramenti. 1

Suppono *ſecundò*, votum de huiuſmodi materia eſſe vniuocè votum, cum aliis votis, quæ de operibus conſiliorum fiunt. Probatur; Tum quia tale votum eſt verus actus Religionis, vniuocè cum aliis, & non ſub alia ſpecie, niſi ſub ſpecie voti: Tum etiam eſt vera promiſſio, & vniuoca, & eſt promiſſio Deo facta: ergo abſolutè, & vniuocè conuenit illi definitio Voti: Tum denique, quia votum neceſſariò eſſe debet de meliori bono, non ſolùm vt rectè fiat, ſed etiam vt validè fiat; debet enim materia voti eſſe conſona diuinæ voluntati, aliàs Deus non acceptat illam, & conſequenter promiſſio non valet: at obligari ad omittendum melius propter minus bonum, non eſt conſonum diuinæ voluntati, quia Voluntas Dei eſt ſanctificatio noſtra, vt ait Apoſtolus 1. *ad Theſſal. cap.* 4. Vnde quantum eſt ex ſe, cupit Deus vt homo ſemper faciat quod melius eſt; atque adeò non placet illi, vt homo obligetur ad faciendum id quod eſt minus bonum: per hoc enim priuatur poteſtate morali faciendi quod eſt melius. Quare per melius bonum, intelligunt Doctores opera conſiliorum, & quodcumque bonum opus, quod ſine impedimento maioris boni fieri poteſt: Iterata autem Confeſſio eorũdem peccatorum eſt bonum opus conſilij, quod ſine impedimento maioris boni fieri poteſt. Igitur votum de illa neceſſariò eſſe debet de meliori bono; & conſequenter votum de huiuſmodi materia eſt perfectè, & vniuocè votum cum aliis votis, quæ de operibus conſiliorum fiunt. 2

Hinc Suppono *tertiò*, vt certum, violationem iteratæ Confeſſionis eorundem peccatorum prædicto voto confirmatæ, addere nouam malitiam contra Religionem, & contra fidelitatem Deo debitam; ſicut nouam addit fornicatio contra votum Caſtitatis. Patet ob eandem rationem; Quare hæc circumſtantia eſt in Confeſſione declaranda, ſiue circumſtantiæ aggrauantes in eadem ſpecie confitendæ ſint, ſiue non: quia de hac omnes conſentire debent addere nouam malitiam. 3

His præſuppoſitis, ſupereſt difficultas, an poſſit Superior dare poteſtatem abſoluendi à reſeruatis, ſub onere tamen iniuncto pœnitenti, vt per votum ſe obliget ea peccata ſecundò confiteri ipſi Superiori, & aliàs ſi id nolit vouere, nullo modo talem poteſtatem concedat.

Ratio dubitandi eſt, quia tametſi hoc onus poſſibile ſit, nec ſit vlla ratio, cur ſit abſolutè illicitum; non tamen videtur conſulendum, quia eſt plus periculoſum, quàm vtile: Vnde ob hanc rationem dixi ſuprà *diſputatione* 9. *ſectione* 11. *numero* 5. tametſi non videretur repugnantia vlla, vt in aliqua Religione obſeruante ſtatueretur de iteranda in aliquo caſu valida Confeſſione, tanquam quid ſpectans 4

ad perfectionem, & finem illius Religionis; quia tamen poſſet habere aliquid periculi id ſub peccato graui ſtatuere, non eſſe conſulendum, quia videtur eſſe plus periculoſum, quàm vtile; & ideò melius eſſe, ſi illud proponeretur, non vt præceptum, ſed vt regula conferens ad perfectionem.

5 Dico *primò*, licitum eſſe & honeſtū, dare Superiorem facultatem abſoluendi à reſeruatis, ſubdito in itinere, præmiſſa obligatione faciendi votum iterandæ Confeſſionis cum ipſo eorumdem: itavt ſi tale votum præſtare nequeat, reuera non detur facultas illum abſoluendi. Hoc ſupponunt communiter Doctores, nec improbant: Ratio eſt, quia huius voti exigentia ex vno capite, præcisè non ordinatur ad meram notitiam Superiori dandam, ſed ad correctionem ſubditi ſpiritualem, ad diſciplinæ religioſæ conſeruationem, ad continendos ſubditos, & ad fines omnes, qui in reſeruatione grauium delictorum intenduntur, qui omnes ſunt valdè honeſti, & vtiles, ac Deo gratiſſimi.: Ex alio Capite liquet, illam prædicti voti obligationem non extorqueri à ſubdito iniuſtè, & per violentiam, quia Superior vtitur iure ſuo, nec tenetur dare facultatem Confeſſario abſoluendi à reſeruatis; nec obligat ſubditum ad acceptandam facultatem ſub eo onere, ſed offert facultatem, vt vel reſpuat, vel liberè eam ſub tali onere acceptet. Quod ſimiliter declarat Suarez *diſputatione* 30. *ſectione* 5. *num.* 12. optimè ſic dicens, Superiorem habere integrum ius in talem cauſam, & nullo iure teneri, illam facultatem dare ſubdito; atque ideò ſi illam neget, nullam ei facere iniuriam: ergo multò minùs illam facit, dando facultatem ſub illa conditione voti, & non aliàs. Vnde non poteſt illa dici violentia, quandoquidem liberum eſt ſubdito, non acceptare illam conditionem; neque etiam ibi interuenit diminutio voluntarij, quæ poſſit obligationem, vel culpam diminuere; quia in omni conditione, vel pacto, in quo aliquis ſuſcepit aliquod onus propter aliquod commodum, poteſt dici interuenire ſimile inuoluntarium, quia vnuſquiſque vellet potiùs abſolutè, & liberè reportare commodum, quàm ſub conditione oneroſa: hoc vero non impedit, quominus conditio acceptata obliget iuxta materiæ exigentiam: Idem igitur contingit in præſenti.

6 Hinc colligo, non dari tunc Sacerdoti abſolutam poteſtatem abſoluendi à reſeruatis, ſed ſub hac conditione, ſi pœnitens voueat prius ea peccata ſecundò confiteri ſuo Superiori; itavt aliàs non habeat Sacerdos iuriſdictionem in ea peccata: poſito autem voto, tenetur poſteà illud implere ſub peccato mortali, non ſolùm, quia eſt res grauis, & multùm pertinens ad ſeruandum rigorem Eccleſiaſticæ, ac Religioſæ diſciplinæ, ſed ratione fidelitatis, & promiſſionis ex virtute Religionis.

7 Dico *ſecundò*, poſſe concurrere tales circumſtantias ad prædictam conditionem voti exigendam, vt Superior non ſolùm licitè, ſed etiam vtiliter ac prudenter id præſtet. Probatur; tum quia viſis circumſtantiis, id cedere poteſt non ſolùm in bonum ſpirituale ſubditi, ſed etiam ipſius Religionis: Tum etiam, quia materia non eſt leuis, ſed grauiſſima, & Superior ſatisfaciens ſuæ obligationi, ſic declarat, ſe non dare facultatem abſoluendi à reſeruatis nolenti vouere: quo voto pœnitens ipſe ampliùs determinatur, & immobilior redditur, addita obligatione noua ratione voti; poteſt enim obligatio addi obligationi, maximè quando ſunt diuerſarum rationum. Igitur rectè, & prudenter tale onus voti præcipi poteſt.

8 Vnde ad rationem dubitandi negandum eſt, onus voti in eo caſu eſſe plus periculoſum, quàm vtile: Cùm enim ſit de materia præcepta, ac valdè vtili, ac neceſſaria in bonum Religionis, exigi poteſt ac debet à pœnitente, ſi velit à reſeruatis abſolui in bonum ipſius, ac obſeruantiæ Religioſæ. Ad illud ſtatutum, fateor per ſe loquendo, melius eſſe, ſi illud Communitati proponatur, non vt præceptum obligans ſub peccato, ſed vt regula conducens ad perfectionem, quia videtur eſſe nimis durum ac periculoſum, illud ſtatuere ſub graui culpa toti alicui Communitati, ac Religioni: Votum autem illud, quod exigitur à pœnitente propter peccata reſeruata, eſt illi valdè vtile, quia eſt illi neceſſarium, vt compareat coram ſuo Superiore in bonum ſuum, ac Religionis, & ſuæ obligationi ſatisfaciat: vnde eſt votum de re graui, & Deo grata in obſequium ipſius, & commodum Religionis.

SECTIO VI.

Vtrùm Superior poſsit prædictam facultatem concedere, ex pacto comparendi poſteà, & manifeſtandi eadem peccata reſeruata ſuo Superiori?

Ivxta praxim, & communem vſum ſacrorum Ordinum, conſtat Religioſos iter agentes, ſi contingat ipſos habere aliquod peccatum reſeruatum, ſaltem quando ex induſtria non procurarunt, aut ſperarunt illam opportunitatem, abſolui poſſe ex facultate iam communiter conceſſa, cum onere tamen comparendi poſteà, & manifeſtandi eadem peccata reſeruata Superiori: Idque procedere ex pacto mutuo inter Superiorem, & ſubditum; ſiue implicito, & contento in aliquo ſtatuto generali, quo conceditur facultas confitendi peccata reſeruata Confeſſario ordinario, cum onere comparendi coram Superiore; ſiue pacto expreſſo inito cum aliquo habente caſum reſeruatum. 1

Circa hoc onus comparendi ortum ex prædicto pacto, ſiue explicito, ſiue implicito, ſunt ſex valdè obſeruanda. *Primum eſt*, cùm prædicta facultas, & poteſtas abſoluendi à reſeruatis, cum prædicto onere detur immediatè pœnitenti, hunc vtendo ea facultate, neceſſariò in tale onus conſentire, eámque obligationem ſuſcipere, quia per ipſam petitionem Abſolutionis, contraxit obligationem propter pactum ſaltem implicitum ibi contentum. Et ratio eſt, quia qui habet voluntatem efficacem alicuius actionis validè exercendæ, vel ſuſcipiendæ, eo ipſo habet ſaltem implicitè voluntatem eorum, quæ ad prædictum actum validè exercendum requiruntur: Cùm igitur in præſenti caſu valor Abſolutionis pendeat à voluntate acceptandi obligationem comparendi: quia Superior non aliter vult date facultatem abſoluendi à reſeruatis; ſequitur eo ipſo quòd ſubditus vult recipere Sacramentum validè, ſaltem vult implicitè ſubdi cum iis omnibus oneribus, ſine quibus actus ille non ſubſiſtit, nec validè ſubditur ad Abſolutionem obtinendam. 2

Hinc *Secundum* infertur, ſi pœnitens poſitiuè nollet ſubire talem obligationem comparendi, tunc nec actum Abſolutionis valere, nec manere obligatum ex pacto, ſed ex priori obligatione, quam prius habebat, confitendi peccata reſeruata ſuo Superiori: Vnde peccaret mortaliter, ſi abſque voluntate comparendi talia peccata reſeruata confiteretur, & conſequenter inualidè abſolueretur: nam tenetur illud onus ſuſcipere, ſi velit Sacramentaliter abſolui; nec in hoc fit ei vlla iniuria, ſicut nec quiuis alius Sacerdos facit iniuriam confitenti ſibi caſus, 3

à quibus

à quibus nequit abſoluere, ſi eum remittat ſine Abſolutione ad Superiorem.

4 *Tertium eſt*, prædictum onus, & conditionem acceptatam obligare ſub peccato mortali, vt notant communiter Doctores. Ratio eſt, quia pœnitens obligatur ad rem grauem, & ex virtute Iuſtitiæ, aut Religionis, quæ ſunt ſtrictæ obligationis. Vnde quando in aliqua Religione, Religioſis peregrinantibus extra ſua Monaſteria, per generale ſtatutum, illa facultas cum eo onere conceditur, tametſi eorum regulæ communiter nō obligent ſub peccato mortali; eos tamen, qui ea facultate vterentur, teneri ſub peccato mortali poſteà comparere ſuo Superiori. Ratio eſt, quia hoc ſtatutum obligat per modum pacti oneroſi inter ipſos, & Superiores initi, qui eam facultatem nonniſi cum tali onere concedunt.

5 *Quartum eſt*, prædictum onus non eſſe, iterandi Confeſſionem Sacramentalem de reſeruatis cum Superiore; ſed ſolum manifeſtandi illi peccata reſeruata, & acceptandi debitam ſatisfactionem, vel directionem, vt latè oſtenſum eſt ſuprà *ſectione quarta, num.* 7. *&* 8.

6 *Quintum eſt*, pœnitentem ex Confeſſione bona fide facta, non adquirere ius ad Abſolutionem obtinendam, recuſato onere comparendi: Quare ſi pœnitens bona fide confiteatur, ignorans illam obligationem comparendi, & ante Abſolutionem admoneatur à Cōfeſſario de illo onere, non habet ius ad Abſolutionem obtinendam recuſata illa obligatione: Quis enim queſo dedit illi tale ius? non inferior Confeſſarius, qui cùm nō habeat poteſtatem delegatam abſoluendi, niſi acceptantem illud onus, non potuit ſe obligare ad dandam aliter Abſolutionem: hoc enim eſſet obligare ſe ad impoſſibile; neque etiam Superior dedit tale ius pœnitenti: Cur enim obligaretur Superior ad dandam facultatem, ex eo quòd ſubditus ignoranter confeſſus eſt ſua peccata non habenti facultatem abſolutam, ſed limitatam abſoluendi? Debet igitur ſubditus ſibi imputare neceſſitatem bis aperiendi idem peccatum, eo quòd ignoranter confeſſus illud fuerit, cui non debebat illud in rigore confiteri: Vnde Superior non induxit illum in eam neceſſitatem, ſed ignorantia propria fuit cauſa potiſſima illius neceſſitatis ſubeundæ; non ſecus ac ſi bona fide confeſſus fuiſſet laico, non ideò excuſaretur ab eiſdem peccatis iterum confitendis.

7 *Sextum*, & vltimum eſt, ſcire, ac intelligere, quomodo in noſtra Societate obtineatur facultas Abſolutionis à reſeruatis, ab iter agentibus, & etiam ab eis, qui in aliqua domo, vel Collegio negotiorum cauſâ verſantur, ſi quando caſus occurrat, quod Deus auertat. De quo benè noſter Cardinalis Lugo *diſp.* 15. *ſect.* 6. §. 3. *n.* 116. Vbi refert vſum noſtræ Religionis iuxta declarationem R. P. N. Mutij Vitelleſchi Præpoſiti Generalis, literis ad ſocietatem datis *anno* 1617. In quibus dicit *primò*, non eſſe Societatis mentem, eam facultatem concedere, quando ſubditus ex induſtria eo ipſo fine facit iter, vel aliàs iter facturus ex induſtria Confeſſionem differt, vt poſſit in ipſo itinere abſolui: Et meritò, quia ea facultas ſolùm concedi ſolet ad ſubueniendum fragilitati ac neceſſitati Religioſi, ne fortè occaſione peccati commiſſi reſeruati, nimiùm differatur Confeſſio Sacramentalis, & ipſa pœnitentia: Igitur cōcedi non debet, quando ſubditus ex induſtria, & malitia eo fine facit iter, vt poſſit in ipſo itinere Abſolutionem obtinere; neque enim ea facultas concedenda eſt in deſtructionem, ſed in ædificationem.

Secundò, ibidem ſtatuitur, non poſſe etiam in itinere adiri externos, cùm adſunt proprij Confeſſarij; & iure, quia cùm tunc ea poteſtas ſolùm detur ob neceſſitatem & vtilitatem Religioſi, quoties poterit haberi Confeſſarius ex propriis ſui Ordinis Cōfeſſariis, iſte erit aptior, & magis idoneus ad eum abſoluendum, quam quiuis alienus externus, per ſe loquendo; nam ille meliùs proſpiciet pœnitentis correctioni, & diſciplinæ Religioſæ conſeruationi.

Tertiò, decernitur quoque, obligationem illam comparendi coram Superiore eſſe conditionem, ſine qua, nullo modo Societas concedit facultatem abſoluendi à reſeruatis in eo caſu; ideóque qui non habet animum acceptandi vel implendi, non poſſe vti facultate ila; & in vſu eius facultatis tacitè contineri acceptationem conditionis, quâ ſubditus in re tanti momenti atque ad bonum Societatis maximè conducentis illi ſe obliget. Ex quibus verbis manifeſtè colligitur, ita exigi acceptationem illius obligationis ad valorem Abſolutionis, vt ſi ſubditus acceptare nollet, reuera non daretur facultas abſoluendi, iuxta dicta ſupra, præſertim *n.* 2. 3. *&* 5.

SECTIO VII.

An Superior poſſit facultatem à reſeruatis concedere, reſtringendo poteſtatem iniungendi pœnitentiam ex parte.

Conſtat iam ex ſuperioribus, præſertim ex dictis *ſect.* 4. quod certū eſt apud omnes, Superiorem nō poſſe alicui Sacerdoti inferiori dare reſtrictam poteſtatem quoad remiſſionem peccati quoad culpam & æternam pœnam; ſed debere, vel nullam dare poteſtatem, vel poteſtatem abſolutè illud remittendi, conſtituendo eum legitimum ipſius Iudicem. Ratio eſt, quia Sacerdos nunquam peccatum remittit, auctoritate ſui Superioris, ſicut quando delegatus abſoluit aliquem ab excommunicatione, ſed immediatè auctoritate Dei: ergo ſi Superior hanc poteſtatem det, non poteſt eam dare reſtrictam. Vnde non poteſt iuriſdictio delegata circa idem peccatum recipere magis vel minus, eiúſque remiſſio eſt ſupremi Tribunalis, quia neque ab ea poteſt appellari, neque etiam poteſt mutari; quia ſi Clauis non errat, ſtatim tranſit in rem iudicatam, & tollit peccatum ac pœnam æternam; & vtrumque reuocari non poteſt. Si verò Clauis errauit, nulla fuit Abſolutio, neque vnquam eſſe poterit. Difficultas eſt de poteſtate iniungendi pœnitentiam, an poſſit Superior taxare pœnitentiam ex parte imponendam ab inferiori Sacerdote pro peccato reſeruato; ita vt maneat ſubditus obligatus ex vi Sacramenti; ad comparendum coram Superiore, vt ipſi integram pœnitentiam imponat. 1

Partem affirmantem defendit Suarez *diſp.* 30. *ſect.* 5. *n.* 23. *& ſeq.* Quam probat *primò*, quia poteſt Superior Confeſſarium obligare, vt certam pœnitentiam iniungat pro certis peccatis: ergo poteſt etiam reſtringere ipſius poteſtatem, vt non poſſit integram pœnitentiā iniungere, ſed tantùm ex parte, & ita vt pœnités ex præcepto Confeſſionis, maneat obligatus, ſe ſuo Superiori præſentare, & ei peccatum ſuum explicare, vt ipſi conuenientem pœnitentiam imponat. 2

Secundò, eiuſdem rationis eſſe videtur, taxare pœnam imponēdam, vel reſeruare ſibi vltimum iudicium de tali pœna; ergo qui poteſt primum, poteſt & ſecundum: præſertim quia ſententia Confeſſoris quoad pœnam non eſt immutabilis; atq; ideò poteſt Superior hāc mutabilitatem ſibi reſeruare, vt ſuo iudicio confirmetur.

Digitized by Google

Tertiò, in hoc modo reſeruationis nullum eſt ex natura rei inconueniens, nec ſecundùm Ius diuinum, eſt aliquid repugnans inſtitutioni Sacramenti, aut remiſſioni peccati;neque eſt etiam aliquid contra morem Eccleſiæ,imò eſt conformis vſui eius: ergo.

Quartò,hic modus poteſtatis poteſt eſſe valdè conueniens, vt ſubditi peccare formident, & vt grauiora crimina grauiori iudicio puniantur; non eſt ergo, cur in Paſtoribus Eccleſiæ neganda ſit hæc poteſtas: Vnde videtur improbabile, hanc poteſtatem ſummo Pontifici negare,quòd ſi ipſe illam habet, non eſt, cur illam quoque aliis inferioribus Prælatis denegemus,cùm Iura hoc non prohibeant.

Vltimò, quia in Prælato non deeſt poteſtas ad hanc obligationem inducendam; nam ea facultas datur per veram delegationem iuriſdictionis,quæ ab homine confertur: at in omni delegante iuriſdictionem ſuam,eſt poteſtas committendi illam magis,vel minus reſtrictam,& ſub hoc,vel illo onere.

3 Hanc ſententiam valdè difficilem iudicant Ægidius Coninck *diſp.8.dubio 15.num.117.*& Cardinalis Lugo *diſp.15.ſect.6.§.3.num.162.& ſequentibus.*Tum quia poteſtas iniungendi pœnitentiam in hoc Sacramento,eſt poteſtas clauium;vnde ſicut impletio pœnitentiæ eſt pars Sacramenti Pœnitentiæ, vt ait Tridentinum *ſeſſ.14 c 5. & 8.* ita eiuſdem impoſitio eſt partialis adminiſtratio ipſius Sacramenti,& ſit immediatè auctoritate ipſius Chriſti, non minùs quàm ipſa Abſolutio: ergo ſicut Superior nequit reſtringere illam poteſtatem abſoluendi, ita neque hanc reſtringere poteſt:Tum etiam quia non poteſt Superior efficere, vt pœnitentia quam Confeſſarius imponit, non ſit ſacramentalis, aut vt ſit tantùm dimidiata, itavt cum ea, quam Superior poſteà iniunget, vnam integram ſacramentalem efficiat. Patet, quia nemo ſacramentalem pœnitentiam poteſt iniungere, niſi qui integer ipſius Sacramenti eſt Miniſter; aliter enim darentur duo Miniſtri partiales huius Sacramenti, quod eſt manifeſtum abſurdum.

Modum hunc opinandi iudico veriorem, quem *ſequentibus Dictis* amplius declaro.

4 Dico itaque *primò*, ſi ſermo ſit de Abſolutione ab excommunicatione, non dubium, dari poſſe ab inferiori Abſolutionem ab illa, cum onere comparendi poſteà coram Superiore, a quo imponatur ſatisfactio debita pro delicto.Ita habetur in cap.*eos qui,de ſententia excommunicationis,in 6.* Et ratio eſt,quia excommunicatio cùm ſit cenſura lata ab Eccleſia, poteſt ipſa Eccleſia,vel Prælatus tollere eam ſub certo grauamine; atque ideo rectè intelligitur;quòd dari poſſit cum onere comparendi poſteà coram Superiore. Atque de hoc non eſt ſermo in præſenti.

5 Dico *ſecundò*, certum quoque videri Sacerdotem inferiorem abſoluentem à peccatis, debere imponere ſaltem aliquam punitionem, ſeu pœnitentiam, ac ſatisfactionem ſacramẽtalem per ſe loquendo.Hoc etiam concedit Suarez *loco citato*: nec videtur negari poſſe, quia aliàs Sacerdos inferior non miniſtraret Sacramentum integrum; illud enim certè repugnaret integritati Sacramenti,quod relinqueretur mutilum, & imperfectum abſque hac eius parte integrali.

6 Dico *tertiò*,non poſſe Superiorem ſibi reſeruare partem aliquam ſatisfactionis ſacramentalis. Id benè probant rationes ſuprà adductæ *num.3.* Et ratio præcipua hæc eſſe videtur, quia tunc Superior nullo modo miniſtrat,nec totaliter,nec partialiter Sacramentum Pœnitentiæ:ergo nec poteſt imponere immediatè & proximè ſatisfactionem ſacramentalem, nam cùm hæc impoſitio ſit actio ſacramentalis, non poteſt fieri niſi à Miniſtro Sacramenti:Vnde quòd Superior poſteà imponat de nouo,propria auctoritate,pœnitentiam ſacramentalem,nullo modo cohæret cum inſtitutione huius Sacramenti,in quo vnicus debet eſſe Miniſter, & Iudex proferens ſententiam integram Abſolutionis, & punitionis,ſeu ſatisfactionis. Firmo hoc idem,quia ille ſolus poteſt in hoc foro ſacramentali iudicare, & proferre ſententiam, cui pœnitens ſacramentaliter confitetur ſua peccata: ſententia enim ſupponit accuſationem, nec poteſt in hoc foro legitimè iudicare, qui ex partis confeſſione,non habet notitiam delicti:at Confeſſio ſacramẽtalis,non fit niſi Sacerdoti inferiori,à quo Abſolutio habetur;nec poſteà confitetur ſacramentaliter pœnitens, quando comparet coram Superiore, vt fatetur Suarez cit. *num.30.* ergo non poteſt Superior proferre ſententiam ſacramentalem,coram quo non eſt facta Confeſſio,vel accuſatio ſacramentalis.Quare cõcludendum eſt, non poſſe Superiorem reſeruare ſibi poteſtatem imponendi pœnitentiam aliquam; itavt propter eam rationem ſubditus maneat obligatus ex vi Sacramenti ad comparendum coram Superiore, vt recipiat pœnitentiam debitam ad complementum totale Sacramenti ſuſcepti.

Hinc dico *vltimò*,nec poſſe Superiorem dare facultatem abſoluendi à reſeruatis,cum onere reſeruandi ſibi munus curandi pœnitentem in futurum,& ea ratione obligandi ſubditum ad comparendum pro accipienda debita curatione,quam ſibi reſeruauit. Hoc videtur euidens,& manifeſtum,quia eiuſmodi curatio,ſeu prouidentia pœnitentis,vt vitet peccata futura, vel fit per conſilium; & ad hoc non eſt opus iuriſdictione, vt eſt certum; nec ratione illius poteſt imponi pœnitenti obligatio vlla:vel fit prædicta curatio per alicuius obligationis impoſitionem,& hæc non fit aliter à Miniſtro huius Sacramenti, quàm per impoſitionem pœnitentiæ,quâ ſimul & peccata præterita puniuntur,& pœnitens,ne iterum peccet,deterretur, & etiam ad reſiſtendum tentationibus fortior redditur. Iam verò oſtenſum eſt circa hanc pœnitentiam ſacramentalem,nihil poſſe à Superiore reſtringi; nec ex parte,nec in totum poſſe reſeruare ſibi iniunctionem pœnitentiæ, itavt propter eam rationem maneat ſubditus obligatus ex vi Sacramenti ad comparendum coram Superiore, ad complementum totale Sacramenti ſuſcepti. 7

Ex dictis facilè diſſoluuntur argumenta Suarij. Ad primum,conceſſo Antecedente, negatur Conſequentia,eſt enim manifeſtum diſcrimen inter illa duo, nam Superior dans facultatem inferiori, abſoluendi ſubditum à caſu reſeruato,& præſcribens pœnitentiam, quã debet imponere, non exercet tunc actionem aliquam ſacramentalem,ſed ſolùm dat iuriſdictionem, & poteſtatem neceſſariam ad Sacramentum miniſtrandum; ipſe tamen Superior nullo modo miniſtrat totaliter,vel partialiter Sacramentum, neque ipſe imponit pœnitentiam,vt apertè conſtat in Superiore,qui non eſt Sacerdos, atque ideò nec poteſt conferre Sacramentum, nec imponere pœnitentiam ſacramentalem; hæc enim eſt actio propria Sacerdotis: & tamen dare poteſt inferiori facultatem abſoluendi à reſeruatis, & poteſt præſcribere pœnitentiam imponendam,quia nimirùm tunc non exercet munus aliquod miniſtri, ſed dat iuriſdictionem miniſtro.Quare ſicut poteſt eiuſmodi iuriſdictionem dare limitatam, v.g. ad abſoluendum à duobus reſeruatis,& non à tribus; ita poteſt dare iuriſdictionem inferiori, ad imponendam talem pœnitentiam pro tali peccato,& non minorem: ſicut enim ad abſoluendum requiritur iuriſdictio,ita ad imponendam pœnitentiam pro reſeruatis requiritur iuriſdictio, & hanc poteſt præſcribere Superior, dando poteſtatem imponendi talem pœnitentiam,& non minorem. Cæterùm ſi Superior reſeruaret ſibi vltimum iudicium 8

circa

Digitized by Google

circa pœnitentiam, iam ipſe imponeret immediatè, & proximè ſatisfactionem Sacramentalem; quæ impoſitio cùm ſit actio Sacramentalis, non poteſt fieri niſi à Sacerdote, & miniſtro Sacramenti: Quare ſicut Superior poteſt ſuo ſubdito imperare, vt pro certa aliqua perſona offerat Sacrificium, nullo tamen modo poteſt, aut totum ipſius ſubditi Sacrificium, aut eius partem per ſe alicui applicare, aut efficere, vt ſubditus non poſſit totum Sacrificium integrè alteri applicare: ita non poteſt efficere, vt pœnitentia, quam Confeſſarius imponit, non ſit Sacramentalis, aut vt ſit tantùm dimidiata, itavt cum ea, quam Superior poſteà iniunget, vnam integram pœnitentiam Sacramentalem efficiet.

Ex quo patet ſolutio ad Secundum, non eſſe eiuſdem rationis, taxare pœnam imponendam, vel reſeruare ſibi vltimum iudicium de tali pœna, vt ſatis oſtenſum eſt.

Ad tertium, dico illum modum reſeruationis eſſe contra inſtitutionem, & naturam Sacramenti huius, in quo non poteſt diuidi vllo modo officium Miniſtri inter duos, quorum vnus abſoluat à peccatis, & alter imponat pœnitentiam; ſed debet eſſe idem omninò, qui vtrumque faciat: vterque enim eſt actus Iudicis, vt Iudex eſt, & eſt prolatio ſententiæ, quæ duas habet partes, nempe abſoluere, & condemnare, ſeu obligare ad pœnam: vnde inauditum eſt, quòd prolatio ſententiæ quoad illos duos actus diuidatur, itavt alter Sacerdos abſoluat, alter pœnitentiam imponat: nõ ergo Superior poteſt delegare poteſtatem ad abſoluendum, & ſibi reſeruare poteſtatem totaliter, vel ex parte ad pœnitentiam imponendam.

Ad quartum negandum eſt, illum modum poteſtatis eſſe conuenientem, cùm ſit contra inſtitutionem Sacramenti: vnde ea poteſtas etiam ſummo Pontifici neganda eſt.

Ad vltimum, iam eſt conceſſum, in Prælato non deeſſe poteſtatem dandi iuriſdictionem, & præſcribendi pœnitentiam ab inferiori imponendam. Imò & fatentur multi, inter quos Cardinalis Lugo *ſect. 6. citata, n. 111.* poſſe Superiorem dare iuriſdictionem inferiori, & præſcribere, vt obligaret ſubditum ad implendam pœnitentiam, quam Superior illi poſteà deſignaret, quia tunc Superior non imponeret pœnitentiam, ſed ſolùm inferior, qui reuerà poſuit pro pœnitentia totum id, quod poſteà Superior deſignaret. Verùm tunc poſſet ſubditus poſteà non comparere, commutatâ ſibi illa pœnitentiâ in aliam, iuxta aliquorum ſententiam, de quo infrà *diſp. 57.* vel in aliquam Indulgentiam plenariam. Quòd verò Superior poſteà imponat de nouo, propria auctoritate pœnitentiam Sacramentalem, hoc dicimus non poſſe efficere, quia eſt contra inſtitutionem huius Sacramenti, in quo ſemper vnicus debet eſſe miniſter, & Iudex proferens ſententiam integram Abſolutionis, & punitionis, ſeu ſatisfactionis Sacramentalis.

SECTIO VIII.

An Sacerdos inferior poſsit abſoluere aliquando à non reſeruatis, remittendo pœnitentem ad Superiorem pro reſeruatis?

1 HActenus explicuimus modum, quo poteſt Superior abſoluere, vel concedere facultatem abſoluendi pœnitentem habentem caſus reſeruatos; nunc breuiter ad complementum huius Tractationis de caſibus reſeruatis, oportet explicare, an & quomodo poſſit inferior abſoluere habentem ſimul cum non reſeruatis caſus reſeruatos, priuſquam illum ad Superiorem remittat.

Omiſſis variis dicendi modis, dicam quid ſentiam ſequentibus dictis. Dico itaque *primò*, ſi non adſit rationabilis cauſa, & neceſſitas, non poſſe inferiorem Sacerdotem Sacramentaliter abſoluere eum pœnitentem, qui habet caſus reſeruatos, ſed debere illum ad Superiorem remittere. Ita communiter Doctores, quos refert & ſequitur Suarius *diſp. 31. ſect. 2. n. 3. & ſeq.* Probatur id ſimul, ac explicatur, nam dupliciter intelligi poteſt, inferiorem Sacerdotem poſſe abſoluere hunc pœnitentem, *primò* abſoluendo directè, & per ſe à caſibus reſeruatis ſub onere comparendi: *ſecundò* abſoluendo directè tantùm à non reſeruatis, & alia reſeruata indirectè, & per accidens tollendo; at neutro modo poteſt. Quod ſic probo: Inprimis videtur certum, non poſſe abſoluere directè, & per ſe à caſibus reſeruatis, ſeclusâ facultate Superioris, etiam ſub onere comparendi, quia aliàs inde ſequeretur, per reſeruationem, non tolli iuriſdictionem in peccata reſeruata, ſed ſolùm limitari, vt non ſit ad abſoluendum ſimpliciter, ſed ſub onere comparendi: at hoc expreſsè repugnat Concilio Trid. *ſeſſ. 14. cap. 7.* vbi expreſsè docet, inferiores Sacerdotes extra articulum mortis, nihil poſſe in caſibus reſeruatis: ſi autem abſoluere directè poſſent ab illis, quamuis ſub onere, multùm poſſent. Prætereà ibidem addit Concilium: *Id vnum pœnitentibus perſuadere nitantur vt ad Superiores, & legitimos Iudices pro beneficio Abſolutionis accedant*: At ſi priùs abſoluere eos poſſent directè à reſeruatis, non tantùm id eis perſuadere deberent. Rursùs in principio illius Capitis ſeptimi, apertè ſupponit Concilium reſeruationem fieri per ſubtractionem iuriſdictionis; quod etiam ſatis conſtat ex ipſo vſu, & omnibus Doctoribus id vno ore dicentibus. Denique Superior reſeruans pro aliquo caſu ſpeciali, ſolet dare facultatem directè abſoluendi à reſeruatis ſub illo onere comparendi, vt conſtat ex dictis *in hac Diſputatione*: ergo ſignum euidens eſt, reſeruationem per ſe plus includere, & omninò tollere per ſe iuriſdictionem, donec reſtituatur: præterea, nec fieri poſſe, per ſe loquendo, ſecundo modo, ſi nulla ſit rationabilis cauſa, nec neceſſitas, manifeſtè oſtenditur, quia integritas eſt de Iure diuino, & ideò nunquam licet eam prætermittere ſine cogente neceſſitate, vt conſtat ex dictis ſuprà *diſp. 21.* præſertim *ſect. 3.* non eſt autem integra, quando Confeſſio fit inferiori non habenti poteſtatem in reſeruata, quia Sacramentalis Confeſſio non eſt quælibet manifeſtatio peccati, ſed eſt accuſatio ſui coram legitimo Iudice: ergo ſine cauſa non poteſt fieri. Dixi *per ſe loquendo*; nam per accidens, ſi fieret, modò pœnitens eſſet in bona fide, reputans videlicet id ſibi licere; Sacramentum teneret, & ipſe conſequenter gratiam cõſequeretur, vt docet Nauar. *in ſũma, c. 9. n. 7.* & Caiet. V. *Cõfeſſio, c. vlt.* Et ratio eſt, quia tũc Cõfeſſio eſſet integra formaliter, & in reliquis pœnitens eſſet benè diſpoſitus, vt ſupponitur: peccaret tamen Sacerdos ſcienter ita abſoluens, niſi ignorantia, vel exiſtimatio probabilitatis contrariæ ſententiæ eum excuſaret.

Dico *ſecundò*, ſi adeſt rationabilis cauſa, & Superior non poſſit adiri, poſſe inferiorem tunc abſoluere. Hæc eſt communior Doctorum ſententia: Et ratio eſt, quia ad valorem Sacramenti ſufficit integritas formalis, qualis eſt in eo caſu, quia quandocumque vrget grauis cauſa, vel neceſſitas recipiendi Sacramentum, & non poteſt in reipſa Confeſſio integra fieri, quamuis dimidietur, cenſetur illud eſſe tantum materialiter, formaliter

ter autem integritas ſeruari; & pari ratione idem erit de Abſolutione; atque ideò ex defectu integritatis, non erit nullum Sacramentum: neque etiam eſt nullum ex defectu iuriſdictionis, nam ſi alioqui ſeruetur integritas formalis, ſufficit ad valorem Sacramenti, habere iuriſdictionem circa aliqua peccata; vnde abſoluendo, verum conficiet Sacramentum, per quod indirectè tollet peccata reſeruata. Quare ſicut ſi peccatum reſeruatum relinqueretur tantùm ex obliuione, & de aliis fieret Confeſſio coram inferiore bona fide & daretur Abſolutio, fieret Sacramentum, & indirectè tolleretur peccatum reſeruatum: Si etiam peccatum reſeruatum non eſſet oblitum, tale tamen eſſet, vt non poſſit peccator hîc & nunc illud confiteri huic inferiori Sacerdoti ſine aliquo graui damno extrinſeco, & occurreret neceſſitas Sacramenti, tunc poſſet confiteri illi Sacerdoti reliqua peccata, tacendo reſeruatum, quia quoad integritatem illa eſt ſufficiens ratio tacendi æquiualens obliuioni; atque adeò tunc poterit abſolui, & indirectè tolli peccatum reſeruatum; ita ſimiliter poterit in præſenti caſu, etiamſi illud proferat.

4 Dico *tertiò*, etiam licere in tali euentu, prædictam Abſolutionem dare tametſi caſus reſeruatus habeat excõmunicationem annexam: ita communiter Doctores. Ratio eſt, quia excommunicatio non facit incapacem Abſolutionis ipſum pœnitentem, ſi bona fides intercedat, ſed tantùm efficit, vt non poſſit licitè abſolui à peccatis, quin prius abſoluatur ab excommunicatione. Quando autem adeſt neceſſitas, ſicut poſſet tunc communicare, & recipere Euchariſtiam, ita etiam poterit confiteri, quia eodem præcepto vtrumque eſt prohibitum: Tunc ergo melius erit, ſeruare ordinarium modum de iure diuino, præmittendo videlicet Confeſſionem ante Communionem: Neceſſitas autem, & rationabilis cauſa eſſet confitendi in Paſchate, vel cõmunicandi, ita vt ſi omitteretur, periculum eſſet infamiæ propriæ, vel ſcandali aliorum. Quod totum intellige quoque; ſi Superior non poſſit adiri, quia ſi poteſt, debet prius adiri; alioqui eſſet illicita talis Abſolutio.

5 Dico *vltimò*, quando inferior abſolueret à non reſeruatis in caſu dicto; teneri pœnitentem omnia confiteri non reſeruata, & reſeruata. Hoc ſequuntur communiter Doctores. Et ratio optima eſt, quia etiamſi non abſoluat directè à reſeruatis; tamen vt pœnitens poſſit abſolui à non reſeruatis, debet eſſe benè diſpoſitus circa omnia, quam diſpoſitionem debet examinare Confeſſor: ad id enim habet ius, vt ſic poſſit totam conſcientiam pœnitentis, & omnes occaſiones, vel obligationes eius cognoſcendo, remedium adhibere,

6 Obiicies hinc ſequi, ſi quis habeat peccata venialia, & mortalia, & occurrat eadem neceſſitas confitendi, poſſe confiteri Sacerdoti ſimplici, habenti tãtùm poteſtatem circa venialia, ſi alius Confeſſor approbatus non inueniatur. Patet ſequela, quia ille habet iuriſdictionem circa venialia: ergo poterit ab illis abſoluere, & perficere Sacramentum, & hoc pacto indirectè tollere mortalia, quamuis illa poſteà confitenda ſint Sacerdoti approbato.

Placet mihi huic obiectioni reſpondere cum Suario *diſp. 31. ſect. 3. n. 8*, negando ſequelam; eſt enim diſparitas ex vſu, & conceſſione Eccleſiæ ſumpta; nam iuriſdictio illa omnium Sacerdotum, ad abſoluendum à venialibus, originem habuit ex conceſſione Eccleſiæ, & traditione, ac conſuetudine retinetur: hinc ergo colligitur, extendendam non eſſe vltra id, quod conſuetudine receptum eſt; at conſuetudine ſolùm videtur introductum, vt tunc fideles habeant eam licentiam confitendi venialia, quando non habent conſcientiam peccati mortalis, atque ideò quando illam habent, iam non licet eis, confiteri ſimplici Sacerdoti extra articulum mortis; ac proinde ſi ita confiteantur, nullum fiet Sacramentum per ſe loquendo, & ſecluſâ ignorantiâ, nam ſi hæc interueniat, concedi poteſt, illud Sacramentum non eſſe nullum: at in caſibus reſeruatis non eſt talis conſuetudo, imò potiùs contraria, vt apertum eſt.

DISPVTATIO LI.

De approbatione in Confeſſario requiſita.

NECESSARIVM huius Diſputationis punctum conſiſtit in explicatione approbationis Epiſcopi requiſitæ in Confeſſario, quæ præcipuè pendet ex intelligentia Concilij Tridentini *ſeſſ. 23. cap. 15. de reformatione*, cuius hæc ſunt verba: *Decernit ſancta Synodus, nullum, etiam regularem, poſſe Confeſſiones ſæcularium, etiam Sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, niſi aut parochiale beneficium, aut ab Epiſcopis per examen, ſi illis videbitur eſſe neceſſarium, aut aliàs idoneus iudicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat; priuilegiis, & conſuetudine quacumque, etiam immemorabili, non obſtantibus.* Hoc itaque Decretum explicandum nunc eſt, vt conſtet, præter poteſtatem Ordinis Sacerdotalis, nemini conferri poteſtatem iuriſdictionis, nec eſſe aptum ſeu idoneum Confeſſarium, qui poſſit validè, & licitè abſoluere, niſi parochiale beneficium habeat, aut ſine approbatione ſui Epiſcopi.

SECTIO PRIMA.

Proponuntur, quæ videntur certa, & ab omnibus conceduntur, ex ipſis Concilij verbis relatis?

VT rem totam faciliùs explicemus, certa ab incertis ſeparemus, & ea quæ ab omnibus admittuntur, in hac ſectione ſeorſum dicamus, & ex verbis Concilij eruamus.

Primò ergo certum eſt, nullam requiri approbationem, vt quis audiat Confeſſiones Religioſorum, quia 1 Concilium apertè reſtringit ſuum Decretum ad Confeſſiones ſæcularium. Quare omnis regularis, ſiue is ſit vir, ſiue fœmina, poterit ex licentia ſui Prælati, confiteri cuilibet Sacerdoti ſimplici, etiam ſeculari, dummodò peculiari ſui Ordinis ſtatuto id non prohibeatur; noluit enim Concilium in hoc ſubiicere regulares Epiſcopis, quoad Confeſſiones, quas ipſi faciunt inter ſe, ſeu de peccatis ſuis, quia ipſi habent proprium, & peculiarem modum quo gubernantur, & proprios Prælatos, & paſtores, à quibus Confeſſores recipere ſolent: confidens ab illis, ſuis ſtatutis, ſatis Religioſorum ſaluti hac in re eſſe cautum: Quare Religioſi poterunt confiteri iis omnibus, quibus prius ante Tridenti-

num per ſua ſtatuta confiteri poterant.

Vnde colligo *primò*, quod benè notauit Nau. *in Sum. c.4.n.7.* ſi Religioſus nunc habeat facultatem eligendi Confeſſorem, poſſe eligere quem inuenerit ſibi idoneũ; quamuis ab Epiſcopo non ſit approbatus. Ratio eſt: quia Concilium in hoc nihil innouauit, & meritò præſumpſit, Religioſos fore prudentiores & cautiores in Confeſſoribus eligendis.

Eſt verò notandum; quando in Iubilæis, concedit Papa Regularibus facultatem eligendi Confeſſarium pro reſeruatis, niſi exprimat *Ex approbatis*, poterunt eligere ex ſecularibus Sacerdotibus non approbatis, quem voluerint: quando verò exprimitur, eligendum eſſe Cõfeſſarium ex Approbatis, non licet Religioſis eligere non approbatum, quia non aliter nec alio modo gratia Iubilæi conceditur, niſi ſub conditione aſſignata; quòd ſi alium eligant, Confeſſio eſt illicita & nulla.

Colligo *ſecundò*, ad audiendas Confeſſiones Religioſorum, & Religioſarum; ſufficere in Sacerdote adhuc ſæculari, & ſimplici, delegationem iuriſdictionis à Superiore Religioſi, vel Religioſæ pœnitentis factam, abſque vlla alia approbatione.

Notandum verò, vt Sacerdos Religioſarum, vel Monialium Confeſſiones audiat, non poſſe Abbatiſſam facultatem facere, quia ille eſt actus iuriſdictionis, quem exercere nequit Abbatiſſa; vnde neceſſe eſt, vt eam concedat Superior ſcilicet Epiſcopus, vel Prælatus Religionis, cui Moniales ſubiectæ ſunt.

2 *Secundo* certum eſt, ex prædicto Concilij Decreto, duos eſſe modos, quibus Sacerdos reputatur idoneus ad Confeſſiones ſæcularium audiendas. Primus eſt, ſi habeat beneficium parochiale; ſecundus, ſi ab Epiſcopo idoneus iudicetur, & ſit approbatus ad id munus audiendi Confeſſiones Ex quo duo certa colligo manifeſta. *Primum eſt*, quemlibet ex his modis per ſe ſufficere, & meritò, quia cùm Epiſcopi ſint principales paſtores animarum, iure illis hæc approbatio committitur: quia verò Parocho etiam committitur animarum cura, per hoc ipſum munus ſatis declaratur ſufficiens ad Confeſſiones audiendas; & ideò quamuis ſolùm recipiat iuriſdictionem in oues ſuas, tamen approbatus cenſetur, vt poſſit ei delegari hæc iuriſdictio, vbicumque, & quocumque modo aliàs legitimo. *Secundum eſt*, alterum ex his duobus modis neceſſarium eſſe non ſolum ex præcepto, ſed ex neceſſitate Sacramenti: quia licet ad eius valorem ſolum requiratur in Miniſtro poteſtas ordinis, & poteſtas iuriſdictionis: Concilium tamen in prædictis verbis reddit incapacem iuriſdictionis accipiendæ, videlicet ad peccata mortalia non prius confeſſa, illum, qui neutrum habuerit ex his duobus, atque ideo defectu iuriſdictionis abſolutio non erit valida. Id totum ſonant verba Tridentini, & praxis oſtendit. Nam Concilium expreſſe dicit, ſine approbatione nullum poſſe confeſſiones ſæcularium audire, etiam regularem, nec ad id idoneum reputari. Quibus verbis ſignificatur expreſſe non approbatus inualidè confeſſiones ſæcularium audire.

3 *Tertiò*, videtur certum, obtinentes legitimè beneficium, cui eſt annexa cura animarum, non indigere illa alia Epiſcopi approbatione. Patet, quia Concilium expreſsè eos ab hac neceſſitate obtinendi approbationem excipit Et ratio eſt, quia cenſentur approbati hoc ipſo, quo indicantur idonei qui tale beneficium adminiſtrent, & quo illud iis de facto confertur: Vnde colligo, illum qui habuit beneficium parochiale, ſed iam nõ habet, indigere approbatione Epiſcopi ad audiendas Confeſſiones, quia Concilium ſolùm ab illa neceſſitate approbationis excepit illum, qui actu habet parochiale beneficium: qui autem habuit, non habet, vt conſtat. E contra verò qui tale beneficium habet, non indiget Epiſcopi approbatione, quia Concilium omnes habentes tale beneficium reliquit ſicut anteà, nec impoſuit eis nouum onus approbationis. Nomine autem parochialis beneficij in prædicto Concilio, intelligenda etiam ſunt ſuperiora beneficia, habentia curam animarum, vt ſunt Epiſcopatus, Archiepiſcopatus; & vt ſunt etiam aliqui Abbates, Archipresbyteri, & Archidiaconi qui habent curam animarum annexam; quia de his omnibus eſt eadem vel maior ratio, vt docet Suarez *diſputatione* 28. *ſectione* 4. *numero* 21. Notant verò benè Doctores hunc modum approbationis, ratione parochialis beneficij obtentum, non fuiſſe de nouo à Concilio introductum, ſed potiùs fuiſſe retentum; nam quia Parocho committitur animarum cura, per hoc ipſum munus ſatis idoneus declaratur ad Confeſſiones audiendas, qui modus approbandi etiam olim vrgebat.

Quartò, certum eſt, in omnibus aliis Confeſſariis tam ſæcularibus, quàm regularibus, ad audiendas Confeſſiones ſæcularium, etiam Sacerdotum, eam approbationem Epiſcopi requiri; quæ nihil aliud eſt, quàm authenticum teſtimonium, quo approbatus declaratur idoneus, cui hoc munus committatur: Vnde cùm hoc teſtimonium nõ ſit gratuitum munus, ſed potiùs actus Iuſtitiæ, quem Epiſcopus ſuis ſubditis ex officio debet, tenetur Epiſcopus requiſitus approbare idoneum, quoties non ſubeſt iuſta cauſa negandi. Adeò verò neceſſarium eſt prædictum Epiſcopi teſtimonium, vt non ſit admittenda exceptio eorum, qui publicum teſtimonium ſuæ doctrinæ, & ſcientiæ habent ab Academia: nam Concilium omnes illos, qui nec Parochi ſunt, nec ab Epiſcopo approbati, excludit à munere audiendi Confeſſiones: Vnde vt rectè notauit Cardinalis Lugo *diſput.* 21. *ſect.* 1. *num.* 1. nec Epiſcopi conſecrati, qui iuriſdictionem nullam habent, nec etiam Cardinales, ſi nullam animarum curam haberent, apti eſſent, cùm Decretum vniuerſaliter loquatur. 4

Vltimò, certum videtur apud Doctores, formaliter loquendo, non idem eſſe, approbare aliquem Sacerdotem iuxta formam Concilij, atque ei conferre iuriſdictionem; nam ipſa approbatio eſt, ſuppoſito Sacerdotio, veluti vltima conditio, & complementum reddens proximè capacem ipſum Sacerdotem ad ipſas Confeſſiones audiendas, ſi aliunde ei conferatur iuriſdictio: quare per approbationem præciſè non confertur vllum ius ad audiendas Confeſſiones, ſed perſona ſolùm iudicatur idonea, cui iuriſdictio conferatur. Vnde Religioſi, quãuis non accipiat iuriſdictionem ab Epiſcopis, ſed à ſũmo Põtifice, per ſua priuilegia; nihilominùs indigent Epiſcopi approbatione: & quando quis eligitur per Bullam Cruciatæ, vel ſimile priuilegium Apoſtolicum, iuriſdictionem recipiet à Summo Pontifice; vt autem ſit capax eius, approbatus eſſe debet. Denique Epiſcopus ipſe poteſt approbare, & non delegare iuriſdictionem, nam conceſſio iuriſdictionis eſt veluti quædam gratia, quam liberaliter facit Epiſcopus; hæc verò approbatio eſt veluti Iuſtitiæ opus, videlicet iuſtum iudicium, quo aliquis declaratur idoneus: Vnde poſſet rectè Epiſcopus hoc iuridicè declarare, & approbare; & nihilominùs non delegare ſuam iuriſdictionem ſic approbato. Eſt igitur Approbatio præciſè publica quædam ſeu authentica ſententia de ſufficientia talis Sacerdotis, ad audiendas Confeſſiones, quam Tridentinum voluit eſſe veluti diſpoſitionem neceſſariam, vt ſimplex Sacerdos proximè ſit capax iuriſdictionis, & eligibilis, per priuilegia. Verum quidem eſt, regulariter loquendo, quando Epiſcopus approbat aliquem Sacerdotem ad audiendas Cõfeſſiones in ſuo Epiſcopatu, vel in aliquo oppido, aut 5

parochia

Digitized by Google

parochia illius; tunc quidem cum ipſa approbatione ei actualem iuriſdictionem confert reſpectu ouium, ad quas illum approbat; vt conſtat ex vſu, & praxi communi. Nihilominùs tamen poteſt Epiſcopus aliquem approbare ad audiendas Confeſſiones, & tamen nullam illi conferre iuriſdictionem, ſed ſolùm reddere illum capacem, cui poſſit iuriſdictio conferri: Vnde poſita approbatione Epiſcopi, poſſet Confeſſiones audire, per iuriſdictionem à Papa conceſſam; & poſſet quoque à Parocho accipere iuriſdictionem, ad audiendas Confeſſiones ſuorum ſubditorum.

SECTIO II.

Vtrùm habens Beneficium parochiale, cenſeatur approbatus, & idoneus intra totam Diœceſim & etiam extra Diœceſim, & vbique?

1 Certum videtur ac extra dubium, huiuſmodi parochiale Beneficium intra totam, & eandem Diœceſim ibi obtinentes, idoneos eſſe, iuxta formam Concilij Tridentini, vt in tota illa eligantur per Bullam, vel aliud priuilegium. Ratio eſt manifeſta, quia intentio & mens Concilij Tridentini eſt, æquiparare ad minimum in hoc, beneficium parochiale approbationi Epiſcopi; ſed approbatus ab Epiſcopo, in tota eius diœceſi reputatur idoneus, & eligibilis: ergo & habens beneficium parochiale.

Firmo hoc idem, nam parochus eo ipſo quòd Beneficium parochiale accipiat, approbatur ad audiendas Confeſſiones, & approbatur quidem ab Ordinario; nam vel accipit Beneficium à ſuo Epiſcopo, vel à ſummo Pontifice, vel ab eius Legatis, aut Nuncio, vel à Capitulo, Sede vacante; & hi omnes nomine Ordinarij comprehenduntur: non poteſt ergo reperiri Parochus, qui non ſit appobatus ab Ordinario.

Dices, eſſe approbatum ad audiendas ſolùm Confeſſiones ſuorum ſubditorum, quorum Parochus eſt conſtitutus. *Sed contra eſt*, quia eo ipſo, quòd fiat Parochus, poteſt audire Confeſſiones in aliis Parochiis, ex voluntate aliorum Parochorum: ergo eo ipſo quòd fiat parochus, approbatur ab Ordinario ad audiendas Confeſſiones in toto Epiſcopatu.

Inſtabis, in Bulla ſolùm Pontifex facit mentionem de Confeſſario approbato ab Ordinario, & ne verbum quidem eſt de illo, qui obtinet Beneficium parochiale. *Reſpondeo*, tametſi in Bulla fiat tantùm mentio de Confeſſario ab Ordinario approbato; tamen quod dicitur de vno æquiparatorũ, debet dici de alio: ex regula Iuris, de qua & Gloſſa in *l. ſi quis ſeruum, Cod. de furtis*, & in *cap. ſi poſtquam, verb. mente, de elect. lib. ſexto*, & per Bartolum in *lege, in tantum, ff. de ſeru. corrupt.*

Dubium igitur reſtat maius, vtrùm habens Beneficium parochiale, ſit etiam idoneus extra Diœceſim, & vbique.

2 Negant multi, inter quos Gutierrez *lib. 1. quæſt. canon. c. 17. n. 21.*

Probant *primò*, quia refertur quædam reſponſio Cardinalium in huius ſententiæ confirmationem.

Secundò, quia Concilium æquiparat Beneficium approbationi; ſed approbatus in vno Epiſcopatu, non eſt vbique eligibilis, quia non eſt vbique approbatus: ergo nec is qui Beneficium habet.

Tertiò, ex contraria ſententia ſequeretur, Prælatum Monaſterij, qui non eſt ab Epiſcopo approbatus, eſſe per Bullam, aut aliud priuilegium eligibilem a ſæcularibus, & idoneum, vt parochus ſæcularis ei ſuas oues committat. Quod videtur abſurdum, & Contra Concilium, quod tantùm loquitur de ſæcularibus, qui habent Beneficium parochiale, & non de Religioſis. De quibus omnibus expreſſe ait, illos debere eſſe ab Epiſcopo approbatos, vt poſſint Confeſſiones ſæcularium etiam Sacerdotum, audire. Vnde cùm huiuſmodi Prælatus Religioſus ſit, & non ſit ab Epiſcopo approbatus; ſequitur euidenter, non eſſe eligibilem ad Confeſſiones ſæcularium licitè, & validè audiendas. Quòd verò id ſequatur ex contraria ſententia, patet, quia actualis Prælatus Monaſterij æquiparatur in Iure habenti parochiale Beneficium; atque ideò ſi ille qui actuale beneficium parochiale habet, ſit vbique eligibilis, videtur etiam ipſe Prælatus regularis iure quoque eſſe eligibilis ſine alia Epiſcopi approbatione.

Vltimò, Concilium ait, Sacerdotes debere approbari ab Epiſcopis: ergo ſinguli debent à pluribus approbari; ergo non ſufficit vnius tantùm approbatio.

Contrariam ſententiam iudico veriorem, nempe huiuſmodi beneficiatum parochiale Beneficium habentem, eſſe vbique eligibilem in vniuerſa Eccleſia, itavt virtute Bullæ; vel cuiuſuis alterius priuilegij, aut delegationis factæ ab altero Parocho cuiuſcumque Diœceſis orbis terrarum, eligi poſſit, eique committi poſſint propriæ oues. Quam tenent Suarez *diſp. 18. ſect. 4. n. 18.* Toletus *lib. 3. ſummæ, c. 13. n. 6.* Henriquez *lib. 5. de pœnit. c. 6. numero octauo*, Diana *tom. 1. tractat. vndecimo, de Bulla Cruciata, reſolut.* 8. Coninck, *diſp. 8. dub. 7. num. 53.* Fagundez *libr. 7. capit. 11. numero 36.* & alij. 3

Probatur *primò*, quia huiuſmodi beneficiatus ex Concilio Tridentino, nullam aliam approbationem requirit, præterquamquod beneficium habeat parochiale, vt poſſit Confeſſiones ſæcularium audire; quo ergo fundamento addi poteſt, vltra beneficium parochiale, requiri etiam approbationem ſui Epiſcopi? nam per Concilium talis abſolutè approbatur, nec Concilium exprimit, vt ab hoc, vel illo Epiſcopo reputetur idoneus: eſt igitur talis vbique proximè capax iuriſdictionis.

Secundò, quia quoad hanc partem non tam conſtituit Concilium ius nouum, quàm retinuit antiquum, quia erat ſufficienti ratione fundatum; at Iure antiquo quilibet Parochus potuit eligi in Confeſſarium, per quamcumque facultatem: ergo idem ius nunc perſeuerat; non enim recedendum eſt à Iure antiquo per nouum, niſi quatenus ab eo exprimitur, vel inter ſe repugnant: hîc autem nihil huiuſmodi intercedit; imò verba Concilij manifeſtè hanc exigunt declarationem.

Tertiò, ſi extra diœceſim non poſſet eligi, nec etiam extra ſuam parochiam, intra eandem diœceſim poſſet, cùm ex vi beneficij ſolum videatur approbatus pro ſua parochia; & nihilominùs ex vi Concilij, reputatur illa approbatio ſufficiẽs pro aliis parochiis eiuſdẽ diœceſis, quia miniſter publicus, & ex officio approbatus ab Eccleſia, debet ſimpliciter reputari ſufficiens vt eligatur: ergo.

Quartò, hæc parochi approbatio non dat vllam iuriſdictionem Parocho approbato, vt conſtat, ſed tantùm eſt authenticum teſtimonium, quo declaratur idoneus, vt ei hoc munus audiendi Confeſſiones committatur: ſicut Licẽtiatus, aut Doctoratus eſt teſtimonium doctri-

næ

Digitized by Google

næ: ergo ſicut hoc teſtimonium ſemel datum vbique valet, ita etiam illud debet vbique valere.

Vltimò, idem firmatur; antiqua conſuetudine, & vſu, ſaltem in Hiſpania, vt Parochi ſeſe mutuò iuuent, ex ſolo ſuo conſenſu, non tantùm intra eandem diœceſim, quod eſt certius, & frequentius, ſed etiam in confinio diſtinctarum Diœceſum.

4 Ad argumenta oppoſita. Ad primum, dico non conſtare declarationem illam Cardinalium eſſe authenticam, vt probat Suarez citatus, *num.* 19.

Ad ſecundum, reſpondeo non oportere cum omnimoda æquiparatione illa duo membra intelligere, quia exceptio illa de habente beneficium parochiale non eſt noua, ſed iuxta antiquum ius, & ideò in eodem ſtatu relicta eſt: alia verò eſt Iure nouo Tridentini introducta, quod ſpecialiter conſulendum eſt: Illa etiam approbatio per parochiale Beneficium non cenſetur eſſe ab Epiſcopo, ſed ab Eccleſia, & vniuerſali conſuetudine.

Ad tertium, iudico verius, quod ibi dicitur, Prælatum regularem, ſi non ſit ab Epiſcopo approbatus, non eſſe eligibilem ad Confeſſiones ſæcularium audiendas. Non ideò tamen id negandum eſt habenti beneficium parochiale: Tum quia licèt Prælati regulares habeant iuriſdictionem ordinariam, non tamen beneficiū; & ſtandum eſt verbis legis: Tum maximè, quia licèt habeāt iuriſdictionem, non tamen in ſæculares, & ideò non ſtatim cenſentur approbati reſpectu illorum: hîc autem in hac Sectione ſermo eſt de approbatione reſpectu ſæculariū.

Ad vltimum dico, nihil obeſſe noſtræ Sententiæ, quòd Concilium dicat, Sacerdotes debere approbari ab Epiſcopis, quia hoc non eſt ita intelligendum, quaſi ſinguli deberēt à pluribus approbari, hoc enim falſum eſt; ſed quia diuerſi debent à diuerſis approbari, quiſque ſcilicet à ſuo.

SECTIO III.

A quo Ordinario, ſeu Epiſcopo debeat eſſe approbatus Confeſſarius non habens Parochiale Beneficium?

1 MAior difficultas eſt circa approbationem in aliis Sacerdotibus ſæcularibus non habentibus Beneficium Parochiale: Et quæſtio præcipuè procedit de illis, qui abſolutè, & non limitatè iudicantur idonei, qua ratione datur approbatio, quando abſolutè datur.

Vt autem de eiuſmodi approbato ab vno Epiſcopo, rectum iudicium feramus, an cenſeatur quoque approbatus vbique pro qualibet alia diœceſi; oportet prius in hac Sectione explicemus, cuius Epiſcopi, vel Ordinarij requiratur approbatio. Supponimus autem, quod certum eſt apud omnes, Epiſcopum ſolùm electum, & nondum confirmatum non poſſe approbare, quia nondum habet iuriſdictionem: Neque etiam Epiſcopum conſecratum, iuriſdictionem non habentem, quia renunciauit Epiſcopatui, vel quia eſt ſolùm Epiſcopus titularis. E contra verò Epiſcopus confirmatus à Pontifice, licèt nondum ſit conſecratus, poteſt approbare; ſicut poteſt etiam cætera præſtare, quæ non ad ordinem, ſed ad meram iuriſdictionem pertinent. Similiter Capitulum Sede vacante, approbare poteſt, quia habet Epiſcopalem iuriſdictionem in ipſa diœceſi carente Paſtore. Abbates quoque, vel Priores exempti diœceſim habentes, poſſunt approbare propter eandem rationem, quia in ea Diœceſi habent Epiſcopalem iuriſdictionem; alioquin nullus eſſet, qui pro ea diœceſi poſſet approbare, niſi Papa.

2 Hoc præſuppoſito, quæſtio eſt in aſſignando Epiſcopo, vel Ordinario, ad quem ſingulorum Sacerdotum approbatio ſpectat. In quo variæ ſunt Doctorum ſententiæ, propter varia reſponſa Congregationum Cardinalium, quæ communiter circumferuntur. Omitto opinionem aliquorum, quæ eſt Henriquez *lib.* 7. *de Indulg. cap.* 12. §. 4. & *lib.* 6. *de pœnitentia, cap.* 6. *num.* 7. & in Gloſſa *lit. A*, aſſerentium cuiuſcumque Epiſcopi approbationem ſufficere; quia Concilium ſolùm petit, quòd ſit approbatus ab Epiſcopo, nec dicit ab hoc, vel illo determinatè. Omitto, inquam, quia eſt valdè ampla, & habet contra ſe declarationes Cardinalium, quas citabimus, eſtque contra vſum, & communem conſuetudinem totius Hiſpaniæ, quæ videtur eſſe optima legis Cōcilij interpretatio: nam ſacerdotes approbati in vna diœceſi, ſi in aliam, domicilium, aut quaſi domicilium mutent, ſtatim petunt nouam approbationem a nouo Epiſcopo, quem per nouam mutationem acquirunt, vt ſint eligibiles; quia vt tales ſint iuxta formam Concilij, opus eſt, vt ſint approbati à ſuo Ordinario: iſte autem poſt mutationem domicilij, eſt ſuus, & alius deſiit eſſe ſuus. Solùm igitur procedit difficultas, an ſit neceſſaria approbatio Epiſcopi pœnitentis, vel ſufficiat approbatio Epiſcopi Confeſſarij, vel etiam Epiſcopi loci, vbi audiuntur Confeſſiones.

Prima opinio tenet, neceſſariam eſſe approbationem Epiſcopi loci, in quo ſit Confeſſio. Quam defendit Gutierrez *lib.* 1. *quæſtionum Canonic. c.* 17. *n.* 6. & *ſeqq.* Rodriguez *in explicatione Cruciatæ*, § 9 *n.* 5. & Bonacina *diſp.* 5. *de Pœnitentia*, *q* 7. *puncto* 4. §. 1.

Probari poteſt *primò*, quia ad Epiſcopum loci pertinet prouidere Confeſſarios idoneos commorantibus in eo loco; quia Epiſcopo loci commiſſa eſt cura animarum in locis ſuæ diœceſis commorantium. 3

Secundò, approbatio Cōfeſſarij eſt actus iuriſdictionis, quam Epiſcopus exercet in Confeſſarium ſibi ſubditum, dum illum approbat, qui licèt verſetur proximè circa Sacerdotem, terminatur tamen ad pœnitentem, propter quem Sacerdos approbatur; ergo non excedit terminos iuriſdictionis, & territorij ipſius Epiſcopi approbantis: ergo non poteſt Sacerdos approbatus eſſe eligibilis extra diœceſim, virtute Bullæ, niſi à parochianis, & diœceſanis illius diœceſis, in qua approbatus eſt.

Tertiò extra territorium ius dicentis actus iudiciales ſiunt nulli, *l. finali, ff. de iuriſdictione omnium iudicū*; ſed actus Abſolutionis, eſt actus iuriſdictionis: ergo non poteſt vnus Epiſcopus approbare, niſi pro loco, & perſonis, in quibus habet iuriſdictionem.

Quartò, intentio Epiſcopi limitatur per iuriſdictionem ſuam: ergo intentio Epiſcopi approbantis Cōfeſſarios, non poteſt eſſe, vt proſit in alio Epiſcopatu, ſed tantùm in ſuo, cùm in illo tantùm, & in perſonas illius habeat iuriſdictionem.

Vltimò, firmatur reſponſione Congregationis Eminentiſſimorum Cardinalium ad Archiepiſcopum Valentinum conſulentem Don Ioannem de Ribera, in hæc verba: *Congregatio Concilij reſpondet, approbatum ab alio, quàm à Valentino Archiepiſcopo in Diœceſi Valentina, non cenſeri approbatum ab Ordinario, iuxta formam Concilij.*

Secunda opinio eſt, approbationē requiſitam à Cōcilio eſſe approbationem Epiſcopi, non loci materialis, ſed pœnitētis, cuius Confeſſio auditur: Quam ait Suarez *diſp.* 28. *ſect.* 6. *n.* 5. ſentire multos Theologos, & Iuriſperitos in legendo, & conſulendo. 4

Probatur *primò*, quia Concilium in hoc maximè proſpexit ſaluti animarum; ſed ad hanc maximè neceſſarium eſt, vt Epiſcopus pœnitentis det illi condignum miniſtrum: ergo hæc fuit intentio Concilij.

Secundò, in hoc etiā conſulitur muneri, & obligationi Epiſcoporū, quæ illis demandata eſt circa oues ſuas, ſub quibus

quibus comprehenduntur non ſolùm qui domicilium firmum in ſua diœceſi habent, ſed etiam alij, qui ad tempus commorantur ibi, ſaltem pro eo tempore, & quatenus ibi Sacramenta recepturi ſunt: prouidetur quoque, ſicut eſt magis conſentaneum rectæ gubernationi, & ordini hierarchico, vt vnuſquiſque ſuarum ouium curam habeat.

Tertiò, quia aliàs multa poſſent ſequi incommoda, non ſolùm turbationum ac diſſenſionum, ſed etiam circa doctrinam & mores, ſi pœnitentes poſſent quærere Confeſſarios fortaſſe ſuis Epiſcopis minùs gratos, aut eis non probatos.

5 Tertia opinio docet, approbationem neceſſariò petendã eſſe ab actuali Epiſcopo Confeſſarij, qui eſt Epiſcopus loci vel diœceſis, in qua Sacerdos habitat, & domicilium, aut quaſi domicilium habet. Quam tenet Suarez citatus *ſectione 6. numero 6. & ſect. 7. num. 3.* & alij communiter, ob Romana Cardinalium reſponſa *infrà* citanda.

6 Dico *primò*, neque eſſe neceſſariam, nec ſufficientem approbationem Epiſcopi loci materialis, in quo fit Confeſſio. Ita communiter omnes Doctores. Et ratio eſt, quia accidentarium eſt huic Sacramento, quòd in hoc, vel illo loco, vel diœceſi fiat, dummodo Confeſſarius iuriſdictionem habeat in pœnitentem, vel ordinariam, vel commiſſam, ſeu delegatam, & ſit approbatus à ſuo Ordinario, quod tantùm requirit Concilium: Nec verò deciſio legis finalis, *ff. de iuriſdictione omnium iudicum*; *Extra territorium ius dicenti impunè non paretur* benè applicatur: quia illa lex habet locum in iuriſdictione forenſi, & in actibus iuriſdictionis, quæ fit cum ſtrepitu iudicij; quia in his terminatur iuriſdictio circa territorium locale ipſius Iudicis, & vltra illud non extenditur: Vnde Abſolutio excommunicationis data ab Epiſcopo extra territorium ſubdito in diœceſi exiſtenti valet; ſicut è conuerſo data ab Epiſcopo intra ſuum territorium reſpectu ſui ſubditi alibi exiſtentis. Idem ergo eſt de Abſolutione Sacramentali: & quamuis hic ſermo non ſit de iuriſdictione, ſed de approbatione, non refert, quia ſi non obſtante neceſſitate iuriſdictionis, poteſt eſſe valida Abſolutio data in alieno territorio ſine iuriſdictione Epiſcopi illius loci, cur non ſine approbatione? Firmatur exemplo, nam ſi ſubditus Archiepiſcopi Valentini Segotoricæ exiſtens, & habens Bullam Cruciatæ, ibi inueniat Sacerdotem approbatum à dicto Archiepiſcopo, poteſt ibi eum eligere, ſicut poſſet etiam confiteri ſuo Parocho, ſi ibi eſſet, vt eſt certiſſimum; quia ibi & verba Concilij, & clauſula Bullæ in omni rigore ſeruantur & illa exiſtentia in tali loco eſt valdè accidentaria. Igitur non eſt neceſſaria approbatio ab Epiſcopo loci materialis, in quo fit Confeſſio, ſed habitudo inter perſonas ſpectanda eſt. Vnde hac de cauſa Cardinales in reſponſionibus præſentis quæſtionis, nullam mentionem faciunt Epiſcopi loci, ſed ſolùm Confeſſoris, & pœnitentis, & inter eos iudicium proferunt; ſignum ergo eſt, eos iudicaſſe loci conſiderationem impertinentem eſſe.

7 Dico *ſecundò*, approbationem neceſſariò petendam eſſe ab actuali Epiſcopo Confeſſarij, qui eſt Epiſcopus loci, vel diœceſis. Ita Suarez citatus *ſect. 6. n. 6.* Cardinalis Lugo *diſp. 21. ſect. 2. n. 35.* & alij quos ipſi citant. Probatur id præcipuè ex reſponſionibus Patrum Purpuratorum, quas refert ibi Suarez.

Primum Reſponſum eſt tenoris ſequentis: *Sanctiſſimus Dominus Noſter declarauit tẽpore Iubilei poſſe omnes regulares (& eadem eſt ratio de Clericis ſæcularibus) confiteri peccata ſua Sacerdotibus approbatis ab Ordinario ad audiendas Confeſſiones*; in Bulla enim non fit mentio, niſi de Ordinario eorum, qui audituri ſunt Confeſſiones, non autem de Ordinario pœnitentium. Vbi Pontifex declarare videtur, quòd verba illa, *Approbatus ab Ordinario*, vbicumque inueniantur; intelligi debet de Ordinario non pœnitentis, ſed Confeſſarij: nam eadem verba ſunt in Concilio, & in Bulla Iubilæi: ergo ſi in Bulla Iubilæi debent ita intelligi, eundem ſenſum habebunt in aliis locis, præſertim in Concilio, quia intentio Pontificis in Bulla, & Iubilęo eſt, vt ſeruetur Decretũ Concilij præſcribentis, vt Cõfeſſarius, ad hoc vt ſit idoneus, ſit approbatus ab Ordinario. Ex hac itaque declaratione habemus iſtum Ordinarium debere eſſe Ordinarium Confeſſarij, & non pœnitentis.

Secundum reſponſum Congregationis Cardinalium eſt in hæc verba: *Sanctiſſimus Dominus Noſter, audita relatione Congregationis, declarauit, Epiſcopum vigore priuilegij ſui, de quo in cap. finali, de pœnitent. & remiſſionibus, non poſſe ſibi eligere Sacerdotem ſibi non ſubditum, qui à proprio Ordinario non fuerit adhuc ad formam Decreti Concilij approbatus.* Ecce in hac Reſponſione apertè explicatur Decretum Concilij, & dicitur, ſemper requiri approbationem Ordinarij ipſius Confeſſarij, non verò pœnitentis: nam ſi Epiſcopus ipſe non poteſt confiteri ei, qui à proprio Ordinario non eſt approbatus, minus poterunt id facere alij inferiores. Ratione etiam hoc Dictum firmatur, quia ſolus Epiſcopus Ordinarius ipſius Sacerdotis, habet propriam & directam iuriſdictionem in ipſum iuxta ſubiectam materiam; quæ neceſſaria videtur ad talem actum approbationis. Firmo, nam Ordinarius iuxta ſubiectam materiam audiendi Confeſſiones, non eſt ille, cui ratione domicilij ſeu originis Sacerdos ſubeſt, ſed ille, cui ſubeſt Sacerdos in ordine ad hoc miniſterium audiendi Confeſſiones talium perſonarum, quia Ordinarius ſuus in ordine ad Confeſſiones audiendas, eſt ſolus ille, cui in ordine ad hoc munus ſubditur, & à quo ſi in hac materia deliquerit, poterit puniri tanquam à ſuo Iudice, & ordinario in hac ſerie cauſarum: nam cum multum interſit, quòd oues, v.g. Archiepiſcopi Valentini habeant Confeſſarios ordinarios, pertinet ad ipſum Archiepiſcopum iudicare, & prohibere in hac materia pro bono ſui gregis: Vnde in hac materia Sacerdotes etiam peregrini poſſunt illi ſubiici, & ſubduntur illi, tanquam Ordinario, ad quem pertinet iudicium de ſufficientia Confeſſarij pro ſuo grege deſtinandi. Quare licèt Sacerdos peregrinus approbatus ſit ab Ordinario ſui domicilij, non tamen eſt approbatus à ſuo Ordinario, ſi non approbatur ab Ordinario loci, propter rationem dictam. Igitur approbatio neceſſariò petenda eſt ab actuali Epiſcopo Confeſſarij, qui eſt Epiſcopus loci, vel diœceſis in qua eſt.

Vnde colligo Archiepiſcopum Valentinum, v.g. poſſe cõfiteri Sacerdoti Cęſarauguſtano, dũ eſt in ſuo Archiepiſcopatu, quia poteſt eum ibi approbare pro toto ſuo Epiſcopatu: ſicut enim aptus eſt ad recipiendam iuriſdictionem ſupra omnes alios ibi commorantes, ſic poterit eligi ab ipſo Archiepiſcopo in ſuũ Confeſſariũ: Vnde tametſi nequeat Epiſcopus eligere Sacerdotẽ ſibi nõ ſubditũ in Confeſſariũ ſuũ, qui à proprio Ordinario nõ fuerit approbatus; tamẽ in caſu propoſito, nõ eligeret nõ ſubditũ, ſed ſubditũ, quia dũ eſt in ſuo Archiepiſcopatu, eſt ſuus ſubditus in ordine ad audiendas Confeſſiones; atque ideò non eligit eum, qui non ſit approbatus ab Ordinario, cum ipſe ſit eius Ordinarius tunc in ordine ad audiendas Confeſſiones in illa diœceſi: Vnde Epiſcopus extra ſuum territorium, non poteſt confiteri Sacerdoti non ſubdito ſibi: niſi ſit approbatus à ſuo Ordinario.

Hinc dico *tertiò*, approbationẽ Ordinarij ipſius Cõfeſſarij ſolũ durare, quandiu manet ſub illo Ordinario; atque adeò ſi domicilium mutet, requiri nouã approbationem noui Ordinarij. Hoc Dictum explicatur ſimul 8

ac

Digitized by Google

ac probatur: Nam quiuis Confeſſarius, ſiue ſæcularis, ſiue regularis indiget approbatione illius Epiſcopi, in cuius territorio vult audire Confeſſiones, vt conſtat ex *Dicto præcedenti*: ergo ipſe, ſi domicilium ſuum habitationis habeat in illo Epiſcopatu, poteſt approbari, & poſteà dum illud domicilium retinet, poteſt etiam extra Epiſcopatum abſoluere ſubditos illius Epiſcopi, quia in ordine ad illos eſt approbatus à ſuo Ordinario, cum adhuc retineat domicilium ſub illo Ordinario; ergo ſi mutet domicilium, indiget noua approbatione illius, ad quem vadit: patet Conſequentia, quia cùm ille prior deſinat eſſe ſuus Ordinarius, non manebit virtute prioris approbationis, approbatus à ſuo Ordinario: Imò ſi ſolum obiter, & vt hoſpes tranſeat per alium Epiſcopatum, adhuc indigebit approbatione noua illius Epiſcopi, vt ibi poſſit audire Confeſſiones, quia licèt ſit approbatus à ſuo Ordinario, hoc eſt ab Epiſcopo ſui domicilij, non eſt tamen approbatus ab Ordinario, cui nunc ſubeſt, & ad quem pertinet approbare in ordine ad ſuum gregem, atque ideò pro hoc loco non eſt approbatus à ſuo Ordinario, qui eſt ſolus Epiſcopus huius loci. Firmatur reſponſo Congregationis Cardinalium, conſulente Archiepiſcopo Valentino Don Ioanne à Ribera, in hæc verba. *Congregatio Concilij reſpondet, approbatum ab alio, quàm à Valentino Archiepiſcopo, in Diœceſi Valentina, non cenſeri approbatum ab Ordinario*: ex qua reſponſione manifeſtè conſtat, Sacerdotem, qui ab Archiepiſcopo Valentino approbatus non eſt, non poſſe audire Confeſſiones in Archiepiſcopatu Valentino, id eſt non poſſe audire Confeſſiones illorum, qui ſubduntur Archiepiſcopo Valentino, quia pro diœceſi Valentina non eſt approbatus à ſuo Ordinario, id eſt ab illo, qui in ordine ad tale miniſterium eſt eius Iudex ordinarius. Hac etiam de cauſa, fuit neceſſarium priuilegium Greg. XIII. vt Sacerdotes noſtræ Societatis poſſent in itinere audire Confeſſiones, cum illis limitationibus, *Abſque noua approbatione in alio Epiſcopatu*, quia videlicet eo ipſo quòd ingreſſi eſſent territorium alterius Epiſcopi, incipiebant eſſe illius ſubditi, & habere illum pro ſuo Ordinario in ordine ad audiendas Confeſſiones illius gregis: Vnde ſecluſo ſpeciali priuilegio, ac de rigore iuris, indigerent noua approbatione, vt poſſent ibi cenſeri approbati ab Ordinario ſuo, cùm iam reuera haberent alium Ordinarium, à quo in hac ſubiecta materia iudicari deberent.

9 Facilis eſt iuxta dicta ſolutio ad Argumenta primæ, & ſecundæ opinionis. Ad primum primæ opinionis Argumentum dico, ſolùm probare noſtrum ſecundum Dictum, non verò primum de approbatione Epiſcopi loci materialis in quo fit Confeſſio, quia id eſt omninò accidentarium, dummodò Sacerdos ſit approbatus à ſuo Ordinario; hoc enim tantùm requirit Concilium.

Ad ſecundum, ſimiliter dico, approbationem Epiſcopi excedere terminos ſui territorij in ordine ad ſuos ſubditos, pro quibus eſt Sacerdos approbatus.

Ad tertium iam conſtat ex *Dicto primo, n.6.* illam legem ſolùm habere locum in iuriſdictione forenſi, ſeu in actibus iuriſdictionis, quæ fiunt cum ſtrepitu iudicij: ſecus de actibus pœnitentiæ, & fori interni.

Ad quartum, negandum eſt, intentionem Epiſcopi approbantis abſolutè Confeſſarios, non eſſe, vt proſit quoque in alio Epiſcopatu circa ſuos proprios ſubditos.

Ad vltimum, liquet intelligentia illius Declarationis Concilij ex anteà dictis *n. præceden.*

Ad Argumenta ſecundæ Sententiæ. Ad primum dico, Concilium ſalubriter, & maximè proſpicere ſaluti animarum, loquens de ſolo Ordinario Confeſſarij, nam hic ſemper habet proprium Ordinariũ, cui propriè ſubditur in ordine ad audiendas Confeſſiones, tanquam proprio Iudici, & gubernatori in deſignandis Confeſſariis pro ſuis ouibus, & dandis illis condignis Miniſtris.

Ad ſecundum reſpondeo, benè conſuli muneri, & obligationi Epiſcoporum circa oues ſuas, & rectæ gubernationi, ac ordini hierarchico; ſi approbati ab ipſis audiant Confeſſiones ſuorum ſubditorum, & non alij.

Ad tertium negamus, inde ſequi incommoda, & perturbationes; nam cùm Confeſſarij omnes debeant eſſe à ſuis Ordinariis approbati, nunquam oues propriæ ſeu pœnitentes quærere poſſunt Confeſſarios minùs gratos ſuis Epiſcopis, aut eis non probatos.

SECTIO IV.

Vtrùm approbatus ab vno Epiſcopo pro ſua Diœceſi, cenſeatur quoque vbique approbatus pro qualibet alia.

SVppono *primò*, ſi ſit approbatus à ſuo Epiſcopo, non 1
abſolutè, & ſimpliciter, ſed ſolùm ſecundùm quid, defectu ſcientiæ, id eſt pro certo loco, vel ad tempus certum, vel pro certis perſonis; tunc talem approbationem non ſufficere, vt poſſet cenſeri approbatus pro omnibus locis, vel perſonis. Patet, quia approbatio commiſſa eſt Epiſcopo, & ideò non plus valet, quàm ab illo data eſt.

Suppono *ſecundò*, quæſtionem procedere de Sacer- 2
dote actu approbato abſolutè & ſimpliciter à ſuo proprio Epiſcopo, an ſit eligibilis in toto orbe terrarum, quandiu durat approbatio illius, eo pacto, quo ſuprà diximus *ſect. 1. n. 3.* de habente beneficium parochiale, nõ ſufficere quòd illud habuerit, ſed oportere, quòd actu habeat illud, vt non indigeat alia Epiſcopi approbatione, & ſit eligibilis extra Diœceſim, & vbique.

Suppono *tertiò*, me non probare ſententiam Henri- 3
quez *lib. 8. de Indulgentiis, c. 11. circa fin.* approbationem ab vno Epiſcopo datam, ſufficere ex hac parte pro tota Eccleſia, ideſt, vt Sacerdos ſit idoneus ad iuriſdictionem recipiendam ab eo, qui aliàs poſſit eam delegare: nam hæc opinio ita vniuerſaliter intellecta nimis amplam ac liberam facultatem tribuere videtur; ex illa enim vt benè notauit Suarez *diſputatione 28. ſectione 7. numero 2* multa inferri poſſunt, quæ practicè non videntur tuta, nec conſentanea rationi, & conſuetudini: Nam ſequitur, poſſe aliquem pœnitentem eligere Confeſſarium, qui nec ab Ordinario ipſius pœnitentis, nec ipſius Sacerdotis approbatus ſit, ſed ab alio Epiſcopo extraneo; quod certè concedere, videtur abſurdum: & eſt omninò incredibile, poſſe vnum Epiſcopum ita exponere Sacerdotem ſibi non ſubditum, vt in vniuerſa Eccleſia haberi debeat idoneus ad Confeſſiones audiendas; quo enim iure data eſt talis poteſtas ab Epiſcopo alieno? ſequitur etiam Mendicantes, ſeu Regulares ab vno Epiſcopo approbatos poſſe vbique audire Confeſſiones, virtute ſuorum priuilegiorum, quod eſt contra motũ Pij V. & Greg. XIII. de hac re, obligãtiũ Regulares ad petendam nouam approbationem Epiſcopi, in cuius Diœceſi habitant, ſi in ea nunquam fuerunt approbati. Et ita praxis, & conſuetudo obtinet; nam videmus Regulares, qui à ſuo Ordinario approbantur, id eſt ab Epiſcopo, in cuius diœceſi habitant, ſi habitationem, & quaſi domicilium mutent in Monaſterium alterius diœceſis, indigere, & petere nouam approbationem ab Epiſcopo illius diœceſis, vt in ea Confeſſiones ſæcularium audire poſſint, & conſequenter vt in ea ſint eligibiles per aliquod priuilegium aut Bullam, quia debent eſſe approbati à ſuo Ordinario; iſte autem Ordinarius eſt modò ſuus, & non alius, & ideò

noua illius approbatione indigent. Videmus etiam Sacerdotes ſæculares approbatos in vna diœceſi, ſi mutent in aliam domicilium, noua ſimiliter approbatione indigere à proprio Epiſcopo, quia iam iſte factus eſt proprius per mutationem domicilij, & alius deſiit eſſe proprius, & manet extraneus. Hæc itaque eſt praxis,& conſuetudo:Conſuetudo autem eſt optima legum interpres.

Addo,prædictam opinionem,tametſi tempore præterito fuerit probabilis, nunc tamen omni carere probabilitate poſt Decretum Vrbani VIII. editum *Anno* 1628. quo reuocauit omnia priuilegia, & licentias audiendi Confeſſiones ſine approbatione ab Epiſcopis diœceſanis, & abſque examine facto ab Ordinario;& ſi quæ erant priuilegia contraria cuiuſlibet Ordinis, vel Congregationis, omninò abſtulit. Ex quo Decreto facile infertur à fortiori, ſi ex priuilegio non licet id facere,quanto minùs de rigore Iuris ſufficiet vnica approbatio pro toto orbe iis, qui nullo priuilegio potiuntur.

4 Hinc ſuppono *vltimò*,cum veriori ſententia, quam veriorem iudicauimus *præcedenti ſectione*, nempe neceſſariam eſſe approbationem Epiſcopi Confeſſoris, quia hæc approbatio cùm ſit actus iuriſdictionis, pertinet neceſſariò ad eum, qui habet iuriſdictionem in eum qui approbatur; hic autem eſt ipſius Epiſcopi,nimirùm quòd ſtante eiuſmodi approbatione,non maneat Sacerdos,aptus & idoneus,ac eligibilis vbique in aliis diœceſibus, cùm non habeat iuriſdictionem, niſi circa oues proprij ſui Epiſcopi.

Suarez *ſectione ſeptima citata,num*.4. & 5. duo dicit, *Primum eſt*,ex vi Concilij Tridentini approbationem petentis, prædictam ſufficere approbationem, vt ſit eligibilis vbique.Probat,quia iam conſtat,Concilium vnius tantùm Epiſcopi proprij, qui eſt Epiſcopus Sacerdotis, approbationem requirere. Præterea, ſi proprius Epiſcopus Sacerdotis velit, videtur dare abſolutam approbationem,declarando hanc perſonam eſſe idoneam ſimpliciter ad hoc miniſterium; hoc enim non excedit poteſtatem eius, ac iuriſdictionem, quia hæc declaratio eſt per modum cuiuſdam iudicij, vel ſẽtentiæ,quæ dari poteſt abſolutè ab habente in illam iuriſdictionem directam: Vnde poteſt dici talis Epiſcopus tunc dicere ius extra territorium ſuum;nam ſententia in vno loco lata, quatenus adhæret ſuo modo tali perſonæ, habet effectum vbique locorum,qui cum illo quodammodò incedit. Sic excommunicatus ab vno Epiſcopo,eſt vbique excommunicatus; & Doctor in vna Vniuerſitate, vbique habet teſtimonium publicum ſcientiæ, & ſic de aliis. Quod amplius firmatur, nam poteſt Epiſcopus eligere alienum Sacerdotem approbatum à ſuo Ordinario, & non aliàs, niſi quia illa approbatio pro omnibus ſufficit, ſi aliàs iuriſdictio delegetur: Neque in hoc fit vlla iniuria aliis Epiſcopis:qui poſſunt non delegare ſuam iuriſdictionem Sacerdotibus à ſe non approbatis;& hoc ſatis eſt,vt ſuis ouibus conſulant.

Secundum,quod dicit Suarez,eſt,tametſi id primum, quod dixit,verum ſit ex vi Concilij Tridentini;nihilominùs tamen in particulari,& ad iudicandum de modo delegationis,vel facultatis conceſſæ, attendendum eſſe ad modum approbationis, & intentionem delegantis: quia certum eſt,liberum eſſe concedenti iuriſdictionem alicui Sacerdoti,dare illam ſub conditione,vt ſit approbatus ab Epiſcopo Diœceſis,in qua Confeſſiones audit ſeu ab Epiſcopo pœnitentis;delegatio enim, & modus delegationis pendet à voluntate delegantis,& ideò non extenditur vltra intentionem eius.Aliquando etiam poteſt eſſe aliunde prohibitio adminiſtrandi Sacramentum in alieno Epiſcopatu, non ob defectum approbationis,ſed ex alio capite propter debitum ordinem; & tunc etiam non ſufficiet approbatio alterius Epiſcopi ſine licentia proprij.

Cæterùm ipſe nullo modo adhærere poſſum Puncto primo prædictæ Suarij reſponſionis, quia exiſtimo 5
falſum eſſe,ex vi Tridentini per ſolam approbationem Epiſcopi Sacerdotis,manere Sacerdotem aptum,& idoneum,ac eligibilem vbique in aliis diœceſibus,quia tametſi verum ſit, Tridentinum vnius tantùm Epiſcopi proprij approbationem requirere in ordine ad omnes proprias oues ſuæ Diœceſis, ſed non in ordine ad alienas oues alterius Diœceſis: quo enim iure, data eſt talis poteſtas ab Epiſcopo alieno? Recolantur dicta ſuprà *ſectione præcedenti, numero ſeptimo, & octauo.* Et ratio eſt iam dicta, quia neceſſaria eſt in Epiſcopo vera iuriſdictio ad actum approbationis concedendum, vt per ſe patet:At Epiſcopus ordinarius Sacerdotis,habet propriam,& directam iuriſdictionem in illum,iuxta ſubiectam materiam,verùm ea non eſt,niſi ad ſuas proprias oues, & non alienas:nec ratio allata à Suario contrarium probat,nam licèt proprius Epiſcopus poſſit declarare Sacerdotem ſuum eſſe aptum,& idoneum abſolutè,& etiam extra territorium ſuum;non tamen eſt declaratio iuridica & ſufficiens, niſi circa proprias oues ſuas;non verò in ordine ad alias oues aliarum diœceſum, habentes alios proprios Epiſcopos,& paſtores, ad quos iure ſuo ſpectat conſulere ſaluti ſuarum ouium, & approbare, ac eligere Confeſſores in ordine ad illas. Quare non benè infertur, ex vi illius approbationis manere Sacerdotem approbatum vbique, & in aliis diœceſibus.

Adde talem Sacerdotem approbatum, verbi gratia, Valentiæ, cùm mutat domicilium, vel quaſi domicilium, manens Cæſarauguſtæ, iam habere alium Epiſcopum proprium, cui ſubiacere debet, & ſubordinari in ordine ad Confeſſiones audiendas ouium diœceſis Cæſarauguſtanæ, & conſequenter debere ab ipſo approbari. Neque exempla allata à Suario probant intentum: nam excommunicatus Valentiæ verbi gratia, ideò eſt vbique excommunicatus, & in quouis loco, donec abſoluatur ab habente poteſtatem abſoluendi, quia eſt legitimè ligatus vinculo illo ſpirituali ab habente poteſtatem,quod vinculum manet ſemper,& vbique in excommunicato, donec auferatur per actionem habentis poteſtatem ad tollendum tale vinculum;quæ actio propriiſſimè dicitur Abſolutio,quia datur per modum ſententiæ liberantis illum à tali vinculo.

Præterea de Doctore vel Licentiato in vna Vniuerſitate, conſtat,tametſi habeat teſtimonium publicum ſcientiæ in illa ſchola, ſed non vbique admitti tanquam Doctorem,vel Licentiatum,quia videmus illum non approbari in aliis Vniuerſitatibus, nec vt talem haberi; niſi præuio examine, & gradu, ſeu incorporatione in illis. Denique de Epiſcopo, iam dixi ſuprà *ſectione tertia, numero ſeptimo*, non poſſe confiteri ei, qui à proprio Ordinario non eſt approbatus:quo ſolùm probatur, requiri ſemper approbationem Ordinarij ipſius Confeſſoris; hinc tamen non ſequitur,illam Ordinarij proprij approbationem ſufficere pro omnibus aliis ouibus aliarum omnium diœceſum aliorum Epiſcoporum.

***

SECTIO V.

Vtrùm approbatio poſſit negari: & ſi iniuſtè negetur, ſint validæ abſolutiones abſque illa?

1 Circa primam Sectionis partem, Dico *primò*, certum eſſe, poſſe Epiſcopum ex iuſta cauſa negare approbationem, quando nimirùm eſt defectus ex parte Sacerdotis eam petentis, ſiue in doctrina, ſiue in moribus, ſiue in aliquo alio. Id euidens eſt, quia conſtat, Tridentinum ideò dediſſe Epiſcopis hoc ius approbandi Confeſſarios, vt nimirùm præbeant in bonum animarum ſpirituale aptos, & idoneos Confeſſarios: ergo ſi Epiſcopo conſtet, in Sacerdote petente approbationem, non eſſe ſufficientem idoneitatem in doctrina, vel in moribus, vel in aliquo alio defectu, non ſolùm poteſt ex hac iuſta cauſa, ſed etiam iure tenetur eam negare. Vnde ſi approbatio iuſta ex cauſa negetur, nihil refert quòd petita ſit; aliter enim ſtatutum, ſeu decretum Concilij nullius eſſet momenti; nam quilibet poſſet hanc approbationem petere: quod etiam ridiculum eſt, cur enim talis petitio aliquid iuris vel commodi afferet, ſi iniuſta ſit, vel impertinens? Ad dandam verò eiuſmodi approbationem, non ſolum attendi debet ad doctrinam, ſed etiam ad mores, & prudentiam; poteſt enim aliquis habens doctrinam, adhuc non eſſe idoneus ad audiendas Confeſſiones propter ſcandalum, vel propter alia damna, & pericula, quæ ex tali perſona timeri poſſunt.

2 Dico *ſecundò*, Epiſcopos non poſſe perſonis idoneis petentibus approbationem, eam ſine cauſa, & ex mala voluntate denegare. Hoc etiam videtur certum apud Doctores: Et ratio eſt aperta, quia tametſi Epiſcopus poſſit pro libito dare, vel non dare ſuam iuriſdictionem illis quibus voluerit, quia eſt mera gratia, ſuam iuriſdictionem ordinariam alteri delegare; non tamen poteſt pro ſolo libito negare approbationem perſonæ dignæ eam petenti, quia iſta approbatio non eſt opus gratiæ, ſed iuſtitiæ; eſt enim veluti iudicium ſeu ſententia iuſta; vnde in hoc iudicio procedit Epiſcopus vt Iudex, & per iuſtitiam: ergo iniuriam facit grauem, quando ſine cauſa iuſta eam negat, contra merita perſonæ petentis: Quare ſicut habens beneficium Parochiale vel electus ad ipſum, habet ius vt approbetur ab Epiſcopo, ſi eſt ſufficiens, nec poteſt ei licitè approbatio denegari; ſic omnes alij Sacerdotes, qui ex ipſo Sacerdotio eligibiles ſunt ad audiendas Confeſſiones, & per Iubilæum, vel Bullam habent iuriſdictionem à ſummo Pontifice, ſi approbentur ab Epiſcopo, videntur habere ius ad approbationem. Quod potiori iure verificatur in Religioſis, qui ex priuilegiis Pontificum habent iuriſdictionem ſi approbentur, vt dixi ſuprà *tract. primo, diſp. 9. ſect. 2. num. ſeptimo.*

3 Circa ſecundam Sectionis partem, an ſi approbatio iniuſtè negetur, ſine cauſa, & ex mala voluntate, perſonæ euidenter idoneę illam petenti, non obſtante illa negatione, maneat talis perſona approbata, ſeu expoſita.

Videtur pars affirmans amplectenda. *Primò*, quia hæc approbatio non eſt opus gratiæ, ſed iuſtitiæ: ergo iniuriam facit Epiſcopus, quando ſine cauſa eam negat, & contra merita perſonæ petentis; actio autem iniuſta nemini nocere debet: igitur ea non obſtante illa perſona manet approbata.

Secundò, ſententia iniuſta non aufert in foro conſcientiæ ius, quod vnuſquiſque habet ad rem ſuam: ergo reprobatio iniuſta non habebit effectum coram Deo; ergo non reddet inualidas abſolutiones.

Tertiò, conſenſus debitus, & iniuſtè negatus, in Iure eandem vim habet, quam conſenſus datus, vt conſtat in *cap. Licet, de Regularib.* vbi propter hanc cauſam Regulari petenti à ſuo Superiore licentiam tranſeundi ad Ordinem ſtrictiorem, ſufficit petita, & non obtenta: ergo idem dicendum in præſenti caſu.

Præſens difficultas procedit tam de iure ordinario, quàm etiam extraordinario, ex vi alicuius priuilegij à Papa conceſſi.

4 Dico ergo *primò*, cum communi ſententia, iure ordinario prædictam approbationem reipſa exhibitam eſſe requiſitam eſſentialiter ad valorem Sacramenti, nec ſufficere petitam, etiamſi iniuſtè negetur. Ratio eſt, quia Tridentinum voluit hoc reſeruare iudicio Epiſcoporum, qui ſunt Paſtores Ordinarij animarum; lex autem moralis vniuerſalis eſſe debet: Vnde abſque illa approbatione, nec Pontifex intendit dare iuriſdictionem, nec alius inferior eam dare validè poteſt, cùm lex Tridentini abſoluta ſit & generalis, ſine tali approbatione non poſſe Confeſsiones audiri, aut ad id idoneum miniſtrum iudicari. Quod certè ex verbis Concilij manifeſtè colligitur; nam ex illis, vt benè notauit Suarez *diſp. 28. ſect. 5. n. 6.* clarè elicitur hæc conditionalis. *Niſi quis ſit approbatus ab Epiſcopo, non poteſt Confeſſiones audire.* Quæ conditionalis habet hanc vim, vt ſi in re ipſa non ponatur requiſita conditio, effectus ſequi nequeat, etiamſi iniuſtè negetur. Patet à ſimili, in Baptiſmo, propter illam conditionalem à Chriſto Domino dictam, Ioan. c. 3. *Niſi quis renatus fuerit denuò, non poteſt videre regnum Dei*: Si paruulus moribundus priuetur Baptiſmo, ex iniquitate etiam alterius, non aſſequitur vitam æternam. Propter eandem conditionem, in Iure Canonico: Niſi quis per ſententiam fuerit declaratus hæreticus, non priuatur bonis ſuis, etiamſi iudex iniuſtè illum non declaret: ergo ſimiliter in noſtro caſu. Quare omnes Sacerdotes tam ſeculares, quàm regulares, iure ordinario egent eſſentialiter prædicta approbatione poſitiuè & reipſa habita: Vnde licèt ſententia negationis approbationis fuerit iniuſta, & non auferat ius, id non ſufficit, quia neceſſarium eſt, dare Sacerdoti ius aliquod, quod ipſe nondum habebat, vt poſſet audire Confeſsiones; quod Ius per ſententiam iniuſtam non acquiſiuit, tametſi per illam nullum ius perdiderit.

Ex quo patet ſolutio ad obiectiones oppoſitas. Ad primam tametſi negatio debitæ approbationis ſit iniurioſa; quia tamen per illam Sacerdos ius nullum obtineat ad Confeſsiones audiendas, nam hoc ius ordinario iure ex Tridentino reipſa Epiſcopus exhibere debet, & reipſa non exhibuit, etiamſi ex malitia, & ſine cauſa id fecerit, ideò nequit validè Confeſſiones audire. 5

Ad ſecundam, ſimiliter dico, ſententiam iniuſtam non auferre in foro Conſcientiæ, ius quod vnuſquiſque habet ad rem ſuam: cæterùm Sacerdos, cui iniuſtè negatur approbatio ad audiendas Confeſſiones, non habet ius ad Confeſſiones audiendas ſine approbatione, & ipſa negatio approbationis nullum ius dat illi ad eas audiendas; nequit igitur illas validè audire: Et quamuis verum ſit, illam omiſſionem iniuſtam approbationis ab Epiſcopo factam poſſe nocere ſæpe, vt Sacerdos careat aliquo bono; id tamen non ſufficit ad dandum illi ius, vt conſtat in exemplis *ſuprà* adductis: qui enim ex malitia paruulum priuat Baptiſmo facit illum carere ſumma fœlicitate, ac bono; & iudex

iudex qui iniuſtè non declarat hæreticum per ſententiam, valdè nocet Eccleſiæ, priuando illam bonis ipſius.

Ad tertiam, cõſtat, conſenſũ ex ſe debitum non tantùm operari, quantum operatur exhibitum, vt manifeſtè liquet in cuiuslibet Sacramenti adminiſtratione: Nihilominus tamen quoad aliquas actiones aliquando non eſt neceſſaria exhibita licentia, ſeu conceſſio, præſertim vbi iura id declarant, vt in *dicto capit. Licet.* In noſtro vero caſu oppoſitum potius in Iure, nempe in Tridentino declaratur, vt *ſuprà* oſtendimus.

6 Dico *ſecundò*, ſi ſermo ſit non de iure ordinario, ſed extraordinario ex vi aliquorum priuilegiorum Religioſis Mendicantibus Ordinis Prædicatorum, & Sancti Franciſci, & aliis, qui eorum priuilegiis fruuntur, conceſſorum, idoneos, & doctos dictarum Religionum, ſine iuſta cauſa ad examen non admiſſos ab Epiſcopis, neque approbatos, poſſe audire Confeſſiones; ac ſi eſſent ab Epiſcopis approbati; quin ad id obſtare poſſit diſpoſitio, & ius ordinarium Tridentini. Hoc Dictum latè à nobis eſt oſtenſum ſuprà *loco citato tract. 1. diſp. 9. ſect. 2. à num. 4.* vſque ad *num. 19.* incluſiuè. Videantur *ibi* dicta, quibus nihil ampliùs addendum occurrit.

SECTIO VI.

An poſſit approbari Confeſſarius cum limitatione ad tempus, ad perſonas, &c.

1 RAtio dubij eſt, quia videtur pars negatiua amplectenda: quia Tridentinum ſolùm commiſit Epiſcopis iudicium, an perſona ſit ſufficiens, & idonea: ergo ſi ſemel iudicant, eſſe idoneam, non eſt in arbitrio eorum vt poſſint limitare approbationem. Firmatur, quia non videtur dari poſſe cauſa iuſta talis limitationis, nam videmus Sacerdotem ſæcularem vigeſimo quinto anno eligi in Parochum, & conſequenter approbari ſine limitatione ad Confeſſiones virorum, & fœminarum, & pro tota vita: ergo potiori iure Sacerdos regularis erit idoneus ad Confeſſiones fœminarum, ante quadrageſimum ætatis annum. Ex alio Capite videtur pars affirmatiua præferenda: Tum propter praxim, vſum, & conſuetudinem fauentem Epiſcopis: Tum maximè, quia Confeſſorem eſſe idoneum, & ſufficientem, non pendet ſolùm ex ſcientia, & doctrina, ſed maximè etiam ex aliis conditionibus prudentiæ, bonitatis, & grauitatis, & ad id poteſt ætas multum referre: ergo omnibus penſatis meritò iudicari poteſt idoneus ad viros, & non ad fœminas.

2 Dico *primò*, poſſe Epiſcopos approbare iuſtè cum prædictis limitationibus etiam Confeſſarios regulares. Ita Cardinalis Lugo *diſputatione vigeſima prima, ſectione tertia, numero quinquageſimo ſeptimo, & ſequentibus*, Suarez *diſputatione vigeſima octaua, ſectione ſeptima, numero decimo nono*, & alij. Ratio eſt manifeſta *primò*, quia poteſt quis idoneus eſſe ad audiendos viros, & non fœminas, propter iuuenilem aſpectum, aut propter minorem grauitatem, aut propter aliquam ſuſpicionem de ipſo conceptam. Item poteſt aliquis aptus eſſe ad Confeſſiones puerorum, vel ruſticorum, & non ad Cõfeſſiones mercatorum vel Iudicum: igitur poteſt quis iuſtè ab Epiſcopo approbari ad vnum genus perſonarum, quin approbetur ad omnes. *Secundò*, poteſt eſſe Sacerdos talis, de quo prudenter timeatur, quòd habita ſemel approbatione non ampliùs curabit de ſtudio neceſſario ad illud miniſterium; vnde poſt aliquod tempus perdet, & ignorabit doctrinam moralem, quam nunc habet in promptu; quod manifeſtâ experientiâ comprobatur: ergo non poteſt iſte approbari iuſtè niſi cum limitatione ad certum tempus vnius anni, vel duorum. *Tertiò* contingere poteſt, vt propter neceſſitatem, & concurſum pœnitentium, iudicetur aliquis Sacerdos idoneus pro vna, vel alia hebdomada; cui propter morum leuitatem, aut alium vitæ defectum, non poſſet prudenter Epiſcopus fidere longiori tempore; ſicut Eccleſia pro mortis periculo prudenter confidit omnibus Sacerdotibus abſoluendi facultatem, quibus ſine illa neceſſitate non fideret, nec de facto fidit. *Vltimò*, poteſt accidere, quòd Epiſcopus habeat notitiam de probitate & idoneitate alicuius, ſufficientem ad probandum & ad experiendum illum, ſed non ſufficientem ad approbandum in perpetuum; minus enim requiritur ad primum, quàm ad ſecundum, quia minor notitia ſufficit ad probandum Confeſſarium per aliquod tempus, quàm ad confirmandum illum in perpetuum: ergo iuſtè fieri poteſt talis modus approbandi ad tempus limitatum. Quòd autem approbatio cum prædictis limitationibus, fieri etiam poſſit reſpectu Regularium, probatur ob eandem vel ſimilem cauſam, nam poſſunt de facto interuenire, vel omnes, vel aliquæ ex rationibus adductis, vel aliæ ſimiles ſufficientes ad mouendum Epiſcopum ad non approbandum aliquem Religioſum abſolutè, & vniuerſaliter, ſed cum aliqua limitatione ad Confeſſiones virorum, & non fœminarum; pro vno, vel altero anno, & non pro tota vita.

Dico *ſecundò*, Epiſcopum habentem notitiam ſufficientem Sacerdotis maximè Religioſi, vt eum poſſit abſque limitatione approbare, non poſſe pro libito apponere prædictas limitationes. Hoc videtur certum, quia ille habet ius vt petat approbationem ſimpliciter, & abſolutam, præuio examine, cui ſe offert; ergo ſuppoſitâ plenâ notitiâ, quæ de ipſo habetur, cùm non poſſet Epiſcopus pro ſolo libito negare approbationem ſimpliciter, & dare ſolùm ſemiapprobationem, vel approbationem ſecundùm quid; multò minùs id poſſet iuſtè præſtare in Religioſum; quia eſſet in fraudem manifeſtam priuilegiorum Regularium, vt conſtat; præſertim eorum, qui habent à Sede Apoſtolica facultatem abſoluendi quoſcumque Chriſti fideles ad eos vndecumque accedentes, eorum Confeſſionibus diligenter auditis, præuia Ordinarij approbatione; qua priuari non debet, nec illa etiam cum limitatione concedi, qui abſolutè idoneus eſt & frui poteſt prædicto priuilegio Apoſtolico ſuæ Religioni conceſſo, in fraudem ipſius. 3

Dico *tertiò*, quando ſit de facto iuſta cauſa ad apponendas prædictas limitationes, id arbitrio, & conſcientiæ Epiſcoporum relinquendum eſſe. Patet, quia Concilium Tridentinum ſolùm Epiſcopis commiſit iudicium, an perſona ſit ſufficiens, & idonea. Vnde cùm in hac parte Superiores ſint, ſi euidenter non conſtet, iniuſtè facere, aut abuti poteſtate ſua, pro illis præſumendum eſt, atque eorum iudicio ſtandum, nec approbatio cum limitatione data, non eſt tanquam iniuſta damnanda. 4

Dico *quartò*, ſiue iuſtè, ſiue iniuſtè apponantur limitationes, eas validas eſſe, & omninò obſeruandas: Ratio eſt, quia approbatio Epiſcopi omninò eſt eſſentialiter neceſſaria ad valorem Abſolutionis, vt conſtat; qui autem cum limitatione approbatus 5

probatus eſt, verbi gratia, ad Confeſſiones virorum, & non fœminarum, non eſt verè approbatus ad iſtas, cùm ab Epiſcopo iudicetur aptus ad illos, & non ad iſtas; ergo non eſt idem, Epiſcopum approbare ad viros, ac approbare ad omnes, includendo fœminas iam ab ipſo excluſas: ergo ſi Sacerdos non ſeruat prædictam limitationem, & ad fœminas audiendas ſe exponat, verè illas ſine approbatione abſoluit, & conſequenter inualidè illas abſoluit. Igitur limitationes, quæ ab Epiſcopo apponuntur in approbatione, omninò ac neceſſariò ſunt obſeruandæ ad faciendas validas confeſſiones.

Vtrùm verò approbatus cum aliqua reſtrictione, vel limitatione, eligi poſſit per Bullam vltra terminos conceſſionis? *ſequenti ſectione* explicabitur.

6 Ad argumentum pro parte negante, facilis eſt ſolutio: Nam Tridentinum, cùm ſolis Epiſcopis commiſerit iudicium approbationis, ſeu declarationis, an perſona ſit ſufficiens, ac idonea, & ipſe prudenter iudicet non eſſe idoneam pro Confeſſionibus fœminarum, quomodo poterit eſſe approbata pro illis audiendis? Ad confirmationem, diuerſa eſt ratio, nam Parochus tametſi ſolùm habeat vigintiquinque annos, ex Tridentino nullam aliam approbationem requirit, præter quàm quòd habeat beneficium parochiale, vt poſſit Confeſſiones omnium ſæcularium tam virorum quam fœminarum ſuæ Parochiæ audire; neque ad id requirit approbationem ſui Epiſcopi: Vnde illa approbatio per parochiale beneficium non cenſetur eſſe ab Epiſcopo, ſed ab Eccleſia, & vniuerſali conſuetudine. Addo, quod rectè notauit Cardinalis de Lugo *loco citato, num.* 59. maius examen debere præcedere, per ſe loquendo, circa probitatem, & mores Parochi, vt illi committatur animarum cura, & beneficium parochiale, quam regulariter præcedat ad approbandum Confeſſarium: atque ideò non mirum, quòd parochus approbetur ad omnium, etiam fœminarum Confeſſiones, & non alius etiam Religioſus iuuenis, quem Epiſcopus non cognoſcit. Sic etiam Epiſcopus eligitur trigeſimo ætatis anno, & eo ipſo approbatur ad Abſolutiones, & diſpenſationes grauiſſimas; quas Pontifex & Concilia non poſſent prudenter confidere omnibus Religioſis, etiam ſexagenariis, quia nimirum Epiſcopi electionem præcedit magnum examen circa doctrinam, prudentiam, probitatem, & mores ipſius; qualem notitiam Pontifex non habet de omnibus Religioſis etiam ſenibus.

SECTIO VII.

An approbatus cum limitatione, ſeu reſtrictione, eligi poſſit per Bullam, vltra terminos conceſſionis?

1 QVæſtio hæc eſt quaſi appendix præcedentis. Thomas Sanchez *lib. 8. de Matrimonio, diſput.* 34. *num.* 16. & alij cenſent, probabile eſſe, dum quis cum limitatione approbatur ad audiendas ſolùm Confeſſiones virorum, & non fœminarum; atque id fieri non defectu ſcientiæ, ſed ratione ætatis, quòd iuuenis ſit, cenſeri ſufficienter approbatum, vt per Bullam poſſit ad vtriuſque ſexus Confeſſiones eligi vltra terminos conceſſionis. Probari poteſt, quia iſte Confeſſarius, etſi cum limitatione, verè eſt approbatus à ſuo Ordinario: ergo eligi poteſt per Bullam vltra terminos conceſſionis; quia vt eligatur per Bullam, & ſuſcipiat à Bulla iuriſdictionem, ſolùm requiritur vt ſit ab Ordinario approbatus. Præterea ex oppoſita ſententia fieret, eſſe omninò inutile priuilegium Bullæ.

Dico *primò*, certum mihi videri, approbationem cum limitatione ex iuſta cauſa, & debito modo facta, non ſufficere vltra terminos conceſſionis. Ita Cardinalis de Lugo citatus *præcedenti ſectione*. Moueor ad id dicendum, quia approbatio commiſſa eſt ſoli Epiſcopo, & ab illo ſolo eſt conceſſa: ergo non plus valet, quàm ab illo data eſt; ergo extra terminos conceſſionis, nequit vllo modo valere. Firmo, nam finis approbationis à Tridentino introductæ ſolùm fuit, vt conſtaret de ſufficientia Confeſſarij: ergo ſi Confeſſarius ſit ita ſtrictè approbatus, vt denuncietur ſolùm idoneus, & ſufficiens ad certas perſonas, & negotia, non erit approbatus ad audiendas Confeſſiones aliarum perſonarum habentium negotia grauiora: ergo non erit vniuerſaliter eligibilis per Bullam. 2

Hinc dico *ſecundò*, ſi approbatio concedatur ab Epiſcopo cum limitatione perſonarum, vel temporis; v. g. ad audiendas Confeſſiones virorum, & non fœminarum; vel etiam ſcholaſticorum, ac puerorum, ac ruſticorum, & non mercatorum, & iudicum; vel etiam ad certum tempus duorum annorum, & non in perpetuum, ſolùm illam ſufficere intra terminos conceſſionis, & non vltrà. Ratio eſt eadem, quia vt experientiâ conſtat, poteſt Confeſſarius interdum eſſe idoneus ad Confeſſiones virorum, & non fœminarum, propter iuuenilem aſpectum, vel propter aliquam ſuſpicionem de ipſo conceptam: poteſt etiam eſſe aptus ad Confeſſiones puerorum, ſcholaſticorum, & ruſticorũ, & non ad Confeſſiones mercatorũ, & iudicum: poteſt etiã de Sacerdote timeri prudenter, quòd habita ſemel approbatione ſimpliciter, non curabit ampliùs de ſtudio neceſſario ad rectè miniſterium exercendum. In his, & ſimilibus caſibus, quis neget, poſſe Epiſcopum iudicare, eiuſmodi Confeſſarios reſpectu certarum perſonarum, & non aliarum; & pro tali tempore, & non pro tota vita eſſe aptos, & idoneos? Igitur ſi eos approbet cum prædicta reſtrictione, ac limitatione, illa approbatio omninò inſufficiens erit vltra terminos conceſſionis; quia non poteſt plus valere quàm ab ipſo data eſt, & conceſſa: ergo ex vi talis conceſſionis, vltra illius terminos non ſolùm non eſt approbatus, ſed eſt omninò reprobatus. 3

Dico *tertiò*, hunc defectum approbationis abſolutæ, & generalis, cum reſtrictione dicta per priuilegium Bullæ nullo modo ſuppleri. Hoc videtur certum apud omnes: nã ex omnium Doctorũ ſententia, priuilegium Bullæ nullam dat approbationẽ, ſed illam ſupponens ab Epiſcopo exhibitam, ſolùm præbet iuriſdictionẽ, ſi illam non habeat Confeſſarius: ergo ſolùm poteſt ſupplere iuriſdictionem, non verò approbationem, vt ſic formaliter ſumptam: Vnde Religioſi ad Confeſſiones audiendas, licet non habeant iuriſdictionem ab Epiſcopo, ſed à Papa per priuilegium Bullæ, vel per ſua priuilegia, indigent ſemper Epiſcopi approbatione, & vt ſint capaces iuriſdictionis Pontificiæ debent eſſe approbati ab Epiſcopo: & deficiente hac approbatione, fiunt omninò incapaces talis iuriſdictionis: Igitur prædicti Confeſſarij, non abſolutè & ſimpliciter, ſed cum limitatione & reſtrictione approbati incapaces ſunt priuilegij Bullæ, vltra terminos approbationis, cùm nequeant per priuilegium Bullæ approbari: Nec inde ſequitur, reſpectu Confeſſariorum inutile eſſe priuilegium Bullæ: Tum quia Confeſſariis cum limitatione dat iuriſdictionem intra terminos conceſſionis, vel approbationis, quam non dat approbatio ſola: & regulariter ſolet etiam illis dare ampliorem iuriſdictionem, quàm ſoleant dare Epiſcopi: Tum etiam, quia abſolutè & ſimpliciter approbatis dat iuriſdictionem 4

magis extenſam. Tum denique habenti Bullam non ſolùm datur facultas ad eligendum talem Sacerdotem, ſed etiam quemcumque alium ſufficienter & abſolutè approbatum.

5 Dico *vltimò*, ex dictis manifeſtè ſequi approbatum cum limitatione, ſeu reſtrictione non poſſe vbique eligi per Bullam; imò nec poſſe alicubi extra terminos conceſſionis. Patet, quia extra terminos conceſſionis, nulla eſt approbatio ad alias perſonas, neque ad alia tempora, extra illa quæ deſignantur in ipſa limitata cõceſſione:ergo eſt incapacitas,& ineptitudo, vt eligatur ad alias Confeſſiones audiendas, præter eas quæ ſunt conceſſæ, nec vbique, nec alicubi. Firmatur,quia tunc non eſſet approbatio ſimpliciter & abſolutè pro omnibus, vt conſtat, ſed ſolùm pro aliquibus, & pro aliquo certo ac determinato tempore: ergo tunc per Bullæ priuilegium, tametſi eligi poſſet talis Confeſſarius ab his, pro quibus eſt approbatus eo tempore deſignato,quia quoad illos eſt approbatus ab Epiſcopo;non tamen poterit ab aliis eligi, pro quibus nullo modo eſt approbatus, vt vidimus.

6 Hinc patet ſolutio ad primum argumentum initio Sectionis adductum; prædictum nempe Confeſſarium approbatum cum limitatione, tametſi approbatus ſit ab Ordinario, ſed non abſolutè & ſimpliciter, ſed cum reſtrictione intra terminos conceſſionis; & intra illos eligi poſſe per Bullam, non verò vltra terminos conceſſionis, nam extra illos non ſolùm non eſt vllo modo approbatus, ſed eſt omninò eiectus, & reprobatus, ideóque eligi nequit per priuilegium Bullæ, & incapax eſt ad ſuſcipiendam per illam iuriſdictionem vllam.

Ad ſecundum,negandum eſt ex hac noſtra doctrina ſequi, omninò inutile eſſe priuilegium Bullæ, vt dictum eſt ſuprà *Dicto tertio*.

SECTIO VIII.

An Religioſus ſimpliciter & abſolutè ab Epiſcopo approbatus, poſſit eligi per Bullam ad Confeſſiones audiendas, tametſi à ſuo Superiore prohibeatur tale miniſterium exercere?

1 Ratio dubitandi eſt, quia videtur, Religioſum validè non poſſe in eo caſu abſoluere, ob defectum iuriſdictionis. Probatur, quia Priuilegium alicui conceſſum intelligendum eſt ſine præiudicio alterius, vt eſt axioma Iuris, *c. Paſtoralis,extrà. de priuilegiis*, At ſi per priuilegium Bullæ poſſet Religioſus audire Confeſſiones ſine licentia, imò & cum prohibitione proprij Superioris regularis, id eſſet in magnum præiudicium Prælatorum; nam priuarentur iure ſuo:ergo. Firmatur quia nullus Regularis approbari poteſt in Confeſſarium ab Epiſcopo, niſi prius à Prælato ſuo exponatur ſaltem interpretatiuè, iuxta Clementinã *Dudum,§.ſtatuimus*;quæ eſt planè intentio Papæ, ne aliàs Prælato proprio præiudicetur, à quo pendet ſubditorum voluntas ex voto: ergo non cenſetur approbatus ab Epiſcopo, ſi proprius Prælatus regularis illum reprobet: igitur ex effectu huius approbationis neceſſariæ per Tridentinum, non poterit inuito proprio Prælato, Confeſſiones aliorum per priuilegium Bullæ audire.

2 Ad hanc difficultatem eſt ſub diſtinctione reſpondendum: Nam vel Religioſus eſt miniſtraturus hoc Sacramentum virtute priuilegiorum ſuæ Religionis, vel aliunde per Bullam recepturus eſt iuriſdictionem. Si primo modo, certum videtur, irritum eſſe quidquid fecerit. Ratio eſt, quia approbatio Epiſcopi, tametſi ſuum valorem obtineat in declarando eius ſufficientiam, ac idoneitatem; per illam tamen nulla Religioſo communicatur iuriſdictio;hæc enim illi non tribuitur,niſi medio beneplacito ſui Superioris, vt iure poſtulat ordo hierarchicus: Si autem ſecundo modo adminiſtret Sacramentum; vt ſi eligatur per Bullam, ſuſcipiens per illam iuriſdictionem; certum quoque videtur, validum conficere Sacramentum; vt ſentiunt communiter Doctores, Paludanus *in 4.d.17.q.4.art.3.* Sotus *diſt.18. q.4.art.3.* Syluester *verbo, Confeſſor I. q 5.*& alij. Et ratio quoque videtur aperta, quia in eo euentu ille Religioſus haberet quidquid neceſſariò requiritur, vt validè tribuat Abſolutionem; nam iuxta nouum ius Tridentini, duo requiruntur ad validam adminiſtrationem Sacramenti Pœnitentiæ: Primum eſt approbatio ab Epiſcopo facta: Secundum eſt iuriſdictio ipſa ad abſoluendum:Hæc autem Iuriſdictio non deeſt in præſenti caſu, nam per virtutem Bullæ, Religioſus à Papa iuriſdictionem adquirit: Neque etiam deeſt approbatio,quia iam cõſtat ex ſæpe dictis,Concilium Tridentinum, quod introduxit approbationem vt eſſentialem conditionem,aliam non petere,quàm Epiſcopi; neque vllo modo ſtatuit, neceſſariam eſſe approbationem Prælati Regularis. Firmo hoc idem, nam inprimis certum eſt,poſſe Pontificem concedere cuicumque fideli per Bullam,vel per aliud Indultum, facultatatem confitendi Religioſo, etiam Prælato ipſius contradicente; quia inferior non habet poteſtatem ſupra Superiorem,nec Superioris iuriſdictio ab inferiore pendet. Præterea quoties Papa abſolutè, & expreſse dat facultatem alicui ad audiendas Confeſſiones,id ſufficit ad iuriſdictionem delegandam, nullâ expectatâ inferioris Prælati licentiâ, etiamſi hæc in tali priuilegio vel facultate non exprimatur dummodò nec talis conditio apponatur. Quæ eſt communis Theologorum,& Iuriſtarum ſententia, quos refert, & ſequitur Nauarrus *in cap.Placuit, d.6. num.57.* Et ratio eſt,quia in Superiore eſt poteſtas, vt conſtat, & hæc exercetur per illum actum, & voluntas eius per illa verba declaratur ſufficienter; & in ſe non reſtringit conceſſionem, neque apponit illam conditionem, vt ſupponimus, vt conſtat ex priuilegio per Bullam conceſſo: ergo.

Ex his Colligo *primò*, Religioſum non indigere licentia ſui Superioris regularis ad audiendam Confeſſionem eius,qui à Papa habet per Bullam, licentiam eligendi Confeſſarium, quantum eſt ex parte iuriſdictionis,quæ nimirùm ad dandam Abſolutionem pertineat: Quia tamen Religioſus non eſt ſui iuris, & arbitrij, vt in hoc vel illo opere occupetur, ſed tenetur parere Superiori ſuo; ideò indiget licentia, vel ſaltem non prohibitione, vt poſſit in audiendis Confeſſionibus occupari. 3

Colligo *ſecundò*, quid dicendum, ſi Regularis eſſet approbatus ab Ordinario ad Confeſſiones audiendas tam virorum, quàm fœminarum, & Prælatus illi licentiam præberet, vt non niſi Confeſſiones virorum tantùm audiret; poſſetne ſine peccato Confeſſiones fœminarum audire virtute Bullæ? Dico enim ſi reuera Prælatus ſub præcepto in virtute obedientiæ id præciperet, peccaturum mortaliter, ſi Confeſſiones fœminarum audiret, tametſi factum teneret: At ſi ſolùm fuit admonitio ad optimum regimen ſpectans,tunc non peccaret, audiendo Confeſsiones fœminarum; & ſic de facto contingit in nonnullis Religionibus. 4

Ad argumentum rationis dubitandi, negatur, Re- 5
ligioſum

ligioſum in eo caſu validè non abſoluere ob defectum iuriſdictionis: Cùm verò dicitur, priuilegium intelligendum eſſe, & interpretandum ſine præiudicio alterius, ſi intelligatur de præiudicio extrinſeco, & non intrinſecè incluſo in ipſo priuilegio, verum quidem eſt, ſed non eſt huiuſmodi priuilegium id, de quo agimus. Quòd ſi vocetur præiudicium, ipſa aliqualis derogatio Iuris communis, hoc non poteſt vitari in priuilegio; quia de ratione priuilegij eſt, vt aliquid operetur prętet Ius commune. Addo etiã, hanc ipſam extenſionem priuilegij reuera non eſſe in vllum præiudicium Prælatorum: Tum quia ipſi non priuantur iuriſdictione ſua, & eam ſemper habuerunt Superiori ſubordinatam: ergo ſi Superior vtatur iure ſuo, illud non eſt in iniuriam, ac præiudicium inferioris: Tum etiam, quia Prelati Superiores non habent facultatem concedendi iuriſdictionem Religioſis, vt audiant Confeſſiones ſæcularium propter ſuam vtilitatem, ſed propter vtilitatem ouium, & proximorum; & ideò ſi propter eandem vtilitatem ſupremus paſtor prouideat ouibus, vt pluribus Religioſis confiteri poſſint, ſine vlla alia licentia, non eſt illud reputandum præiudicium Prælati inferioris. Quocirca, quando interdum à Doctoribus dicitur, Religioſos non poſſe miniſtrare Sacramenta ſine ſuorũ Superiorum licentia & approbatione; intelligitur ſuo proprio, & ordinario iure, ſeu hoc ipſo quòd Religioſi ſunt: quòd verò ex priuilegio Bullæ poſſint, nunquam negatur, nec negari debet.

6 Ad confirmationem, dico verum eſſe requiri, vt à Prælato regulari proponatur approbandus: nullaque eſſet approbatio facta ab Epiſcopo ſine illius conſenſu, vt nimirùm Religioſus iuxta priuilegia Religionis, poſſit audire Confeſſiones; quia iuriſdictio à Pontificibus conceſſa quibuſdam Religionibus, non deriuatur in eorum Confeſſarios, niſi medio proprio Prælato: hoc tamen non impedit, quominùs poſſint Religioſi ex peculiari Indulto Bullæ, audire Confeſſiones, vt ſatis explicatum eſt.

SECTIO IX.

An approbatio ſemel conceſſa poſsit ab Epiſcopo validè, & licitè reuocari?

1 PRocedit difficultas de approbatione mera prout diſtinguitur à iuriſdictione, etiam in Sacerdote ſæculari, qui poteſt, ablata iuriſdictione ab Epiſcopo conceſſa, retinere approbationem, quã per Bullam, vel Iubilæum capax, & idoneus ſit iuriſdictionis ad abſoluendum.

2 Præterea de reuocatione approbationis prius abſque limitatione conceſſæ, ſermo eſſe poteſt, vel reſpectu Parochi, vel reſpectu ſæcularium Sacerdotum, vel denique reſpectu Regularium. De omni autem approbatione cuilibet ex prædictis conceſſæ conſtans eſt, ſemper durare, quandiu non reuocatur, itavt nec per mortem concedentis extinguatur. Ratio eſt, quia quævis approbatio non eſt gratia, vt poſſit pendere à voluntate concedentis, ſed tantùm eſt iuridica ſententia, & declaratio, de ſufficientia talis perſonæ, quæ ſuam vim retinet, quandiu non reuocatur.

3 Circa primum igitur de approbatione Parochi, dico, quod certum eſt ex omnium ſententia, approbationem Parochi non poſſe ab eo auferri, niſi vel priuetur officio Parochi, vel ſuſpendatur ab ipſo. Ratio eſt, quia illa approbatio non procedit immediatè ab Epiſcopo, ſed ab Eccleſia, quæ poſita conditione beneficij parochialis, ſtatim confert ei approbationem vniuerſalem, vt vbique poſſit audire Confeſſiones, ſi ei iuriſdictio conferatur: ergo dum non priuatur, vel ſuſpenditur ab officio, debet approbatio perſeuerare. Suſpenditur autem Parochus ab officio audiendi Confeſſiones, donec examinetur, iuſta de cauſa, quando eſt rumor, & timor prudens de inſufficientia illius: requiritur verò cauſa grauior ad priuandum beneficio ſuo ſemel collato; quia beneficium non ordinatur ſolùm ad bonum gregis, ſed etiam ad bonum beneficiarij, cui dat ius ad redditus, quibus ſine grauiori cauſa priuari non debet.

Circa ſecundum, de reuocatione reſpectu ſæcularium Sacerdotum. 4

Dico *primò*, ſi approbatio data fuit Sacerdoti ſæculari ab Epiſcopo, ad beneplacitum, ex cauſa iuſta, quę ſufficiens fuerit ad dandam eam approbationem cum illa limitatione, poſſe eam validè, & licitè reuocare. Ratio videtur manifeſta, quia, vt conſtat, approbatio data cum limitatione, & ad certum tempus, tranſacto illo tempore ceſſat; & vt diximus ſupra *ſect. 6.* poteſt aliquando approbatio cum tali limitatione dari ex cauſa iuſta: At cùm approbatio datur ad beneplacitum, eſt approbatio limitata ad certum tempus vagum determinandum pro arbitrio approbantis: ergo licitè dabitur cum illa clauſula. Igitur ceſſante beneplacito approbantis, eo ipſo intelligitur ceſſare ipſa approbatio.

Dico *ſecundo*, approbationem abſolutè datam ſine vlla limitatione, non poſſe ſine iuſta cauſa pro ſolo arbitrio, & libito Epiſcopi reuocari licitè, Sacerdotibus ſęcularibus; imò nec validè. Ita cum aliis Cardinalis Lugo *diſput. 21. ſect. 3. numer. 64.* & Suarez *diſput. 28. ſect. 8. numer. 7.* Prima pars videtur certa, quia conſtat apud Doctores non poſſe Epiſcopum licitè negare approbationem ſine cauſa ſufficienti, vt oſtendi ſuprà *ſectione 5. numer. 2.* ergo multò minùs auferre poterit, poſtquam ſemel collata eſt, & fuit ius acquiſitum Confeſſario: Nec valet dicere, Sacerdotes ſæculares accipere iuriſdictionem ab Epiſcopo, quam ipſe poteſt pro libito reuocare; Non, inquam, valet, quia vt *ſuprà* notaui, hîc non agimus de conceſſione iuriſdictionis, ſed de approbatione; poteſtque reuocari iuriſdictio, manente approbatione, & in Sacerdote ſæculari poteſt eſſe iuriſdictio delegata à Papa, vt per Bullam Cruciatæ. Secunda pars, nempe reuocationem talem approbationis iam prius ſine limitatione collatæ, ſi fiat ſine cauſa ſufficiente ac iuſta, non ſolùm eſſe illicitam, ſed etiam eſſe inualidam; eſt ſatis probabilis ex mente Cardinalis de Lugo: mihi verò videtur vera, quia cùm ſit ſententia Iudicis iniuſta, non videtur poſſe reipſa auferre ius, quod iam Confeſſarius habebat ex approbatione prius exhibita: ergo talis reuocatio nullum poteſt ſortiri effectum, quia approbatio eſt ſententia quædã iuridica ex Iuſtitia debita; atque ideò ſine cauſa reuocari non poteſt. Firmo idem, nam per approbationem ſemel datam, talis Sacerdos manet approbatus, nec poteſt iam non eſſe approbatus, & idoneus, ſi ipſe non mutatur; quia iam habet, quidquid Concilium Tridentinum in illo exigit: ergo nequit illa approbatio ita pendere moraliter à voluntate approbantis, vt per ſolam eius retractationem iniuſtè factam tollatur.

Addit verò Suarez *loco citato*, *numero 8.* non ſemper facilè conſtare poſſe, reſpectu ſubditorum reuocationem eſſe omninò iniuſtam; & ſine legitima cauſa: vbi autem hoc apertè non conſtiterit, ſemper eſſe pro Superiore præſumendum Quod prudenter notauit prædictus Doctor; nam cùm hæc conditio talis ſit, vt ex illa pendeat valor Sacramenti, & Epiſcopi ſint in hac

hac parte Superiores, ſi euidenter non conſtet iniuſtè facere, aut abuti poteſtate ſua, pro illis præſumendum eſt, atque eorum iudicio ſtandum; nec reuocatio tanquam iniuſta eſt damnanda.

Dico *tertiò* prædictam approbationem ex iuſta cauſa reuocari poſſe in Sacerdotibus ſæcularibus. Hoc videtur certū & a nemine negandum. Probatur efficaciter, quia inprimis negari non poteſt, poſſe intercedere cauſam ſufficientem reuocandi approbationem: ergo ea cauſa ſubſiſtente, iure poteſt Epiſcopus eam reuocare in ſubditis ſuis. Antecedens probatur; tum quia poteſt intercedere cauſa ſufficiens auferendi beneficium ſemel ritè, & abſolutè collatum, quod multò magis radicatum ius confert, quam approbatio: Tum maximè, quia approbatio tametſi ſit ſententia teſtimonium perhibens de idoneitate Sacerdotis non apparet, cur mutato obiecto, non poſſit licitè, & iuridicè reuocari: Nam ſicut Sacerdos ſæcularis, qui hodie eſt idoneus, poteſt poſtea corruptis moribus, vel obliuione doctrinæ fieri ineptus; ita qui eum hodie declarat idoneum, poterit poſtea eum declarare ineptum, & retractare approbationem pro tempore ſequenti. Tum denique, quia ſi Epiſcopi hoc non poſſent facere, non poſſent ſatis conſulere gregi ſuo, cùm non poſſent prohibere illi Confeſſarium ineptum ſemel approbatum, etiamſi clarè conſtet de eius ineptitudine.

7 Circa tertium, de reuocatione reſpectu Confeſſariorum regularium, ſimiliter dicendum eſt, ſi approbatio data fuerit Sacerdoti regulari, cum limitatione, Ad beneplacitum Epiſcopi, ex cauſa iuſta eam reuocari poſſe, ſicut & Sacerdoti ſæculari: eſt enim eadem prorſus ratio in vtroque Confeſſario; atque ideò ceſſante beneplacito approbantis, eo ipſo intelligitur ipſa approbatio reuocata. Similiter dico, approbationem abſolutè datam ſine vlla limitatione, non poſſe reuocari, niſi ex iuſta cauſa, propter doctrinam *ſupra* traditam, quæ vrget magis in Religioſo exempto. Verùm exiſtente iuſta cauſa, negari non poteſt hæc poteſtas reuocandi Epiſcopis reſpectu omnium Confeſſorum, etiam Regularium, quia nullo iure hoc illis prohibitum eſt; & moraliter loquendo, poſſunt occaſiones occurrere, ob quas prudenter hoc debeat fieri.

8 Hinc oritur dubitatio, an Epiſcopus poſſit approbatos in examen vocare, vt ſi ex illo conſtiterit aliquem non eſſe idoneum, poſſit eius approbationem reuocare. *Reſpondeo*, ſermonem eſſe poſſe, vel de eodem Epiſcopo qui approbationem dedit, vel de ſucceſſore Epiſcopi. Si ſermo ſit de eodem Epiſcopo, non videtur eſſe id extra Epiſcopi poteſtatem; non enim Epiſcopus ſemel examinando, & approbando, aliquo titulo ſe obligauit, illud examen ita ſemper firmum habere, vt nunquam illud in dubium reuocet, neque aliud iniret. Præterea in dubio præſumi debet pro Epiſcopo, qui multa nouit, quæ latent ſubditos, propter quod expediens, imò & neceſſe ſit Confeſſarios iterùm ad examen vocare. Hac tamen poteſtate vti non debent Epiſcopi ſine rationabili cauſa; imò & ipſis conſulendum eſſe, ne propter vnius, vel alterius inſufficientiam, reuocent licentias, & approbationes omnibus conceſſas; præſertim cùm facilè poſſint illi, de quorum inſufficientia ſuſpicio eſt, ſine tanto rumore examinari.

9 Notant verò Doctores præſertim Suarez *loco citato, num. 5* in fauorem Mendicantium conceſſiſſe Pium V. motu proprio anno ſeptuageſimo primo, qui eſt 128. & incipit, *Romani Pontifices*, vt Mendicantes, qui ſemel ab Epiſcopo in ciuitate, & diœceſibus ſuis præuio examine approbati fuerint, ab eodem Epiſcopo iterùm non examinentur. Ex quo priuilegio infero duo. *Primum eſt*, ſi dictum priuilegium id ſpeciale concedit Mendicantibus, ſequi omnes alios, etiam eos qui per examen ſemel approbati ſunt, poſſe iterùm in examen vocari ab eodem Epiſcopo, ſi tali priuilegio non gaudeant. *Secundum eſt*, etiam reſpectu Mendicantium, ſi approbatio conceſſa fuerit ſine præuio examine, poſſe Epiſcopum etiam ſemel a ſe approbatos in examen vocare; ſunt enim attentè legenda verba illa Motus proprij: *Volumus tamen eos, qui ſemel ab Epiſcopo in ciuitate, & diœceſibus ſuis præuio examine approbati fuerint, ab eodem Epiſcopo iterùm non examinari*. Igitur qui ſine præuio examine approbati fuerint, poſteà examinari poterunt: atque adeò ſi per illud conſtiterit, priorem approbationem non fuiſſe ritè factam, poterit reuocari.

Si verò ſermo ſit non de eodem Epiſcopo, ſed de ſucceſſore Epiſcopi, cenſeo habere ius ad examen vocandi omnes approbatos, & quos idoneos non inuenerit, reprobare, & hoc pacto approbationes reuocare. Ratio eſt, quia eſt nouus Paſtor, & propriam obligationem induit: ergo poteſt, vt ſuæ conſcientiæ ſatisfaciat, ad examen vocare omnes approbatos, & reuocare ineptos; non enim eſt, cur cogatur ratas habere omnes facultates à prædeceſſore conceſſas. Id etiam clarè ſupponit Pius V. in dicto Motu proprio; vbi etiam de Mendicantibus ait, poſſe pro maiori conſcientiæ ſuæ quiete, à ſucceſſore de nouo examinari. 10

SECTIO X.

An approbatio dari debeat in ſcriptis, & etiam gratis?

HOc vltimum reſtat de approbatione breuiter explicandum. Circa primum conſtat apud omnes, non oportere approbationem in ſcriptis dari, ad modum authenticæ ſententiæ, ac teſtimonij. Ratio eſt, quia Concilium illam in ſcriptis non requirit: & non eſt neceſſarium vt id reſtringamus contra communem vſum, & conſuetudinem. Solent enim Epiſcopi ſæpe ſolo verbo illam concedere; conſultius tamen erit, eam in ſcriptis habere, vt certiùs, & faciliùs de illa conſtet, ſi opus fuerit: non tamen id neceſſariò requiritur, ſicut nec requiritur ad facultatem, quæ concedi ſolet in ordine ad caſus reſeruatos. Notat bene Cardinalis de Lugo circa hanc rem *diſputatione 21. ſectione 2. num. 26. ad finem.* hìc non eſſe ſermonem de illis gratiis, & facultatibus, quæ conceſſæ fuerunt à Sede Apoſtolica antè Decretum Vrbani VIII. quo eiuſmodi gratias per viuæ Vocis oracula conceſſas reuocauit. 1

Circa ſecundum, an ſit validè approbatus, qui non gratis ſed accepto pretio approbatur. Ratio dubij ſumitur ex verbo Concilij loquentis de huiuſmodi approbatione, *quæ gratis detur*; in quo prohibetur dari pro pretio aut pecunia. Quod verbum ita videtur eſſe ſubſtantiale, vt ſi fortè approbatio pro pecunia obtineatur, nulla prorſus ſit; velut collatio beneficij pecunia obtenta, quæ nulla eſt; videtur enim illa conditio eodem contextu poni, & eodem modo requiri, ideóque ſubſtantialem eſſe. 2

Dico cum omnium doctrina, in illo verbo Concilij ſolùm contineri præceptum, quo præcipitur Epiſcopis, vt huiuſmodi approbationem gratis impendant, non contineri verò conditionem neceſſariam, quâ non ſeruatâ non valeat approbatio; hoc enim nec verba declarant, nec erat neceſſarium, nec fortè expediens. Quare ex vi Concilij illud pretium non reddit inualidam approbationem. Dico ex vi Concilij, quia aliunde poſſet reddi inualida, videlicet, ſi accepto pretio approba- 3

retur

retur aliquis ad Beneficium accipiendum; iam enim ipſamet collatio beneficij videretur eſſe ſimoniaca, atque ideò inualida, & non conferretur iuriſdictio: ſimiliter ſi approbatio obtineretur à Vicario ſummi Pontificis in Curia, vbi omnia quæ à Sede Apoſtolica obtinentur pro pretio, redduntur inualida ex Bulla Gregorij XIII. *de datis, & acceptis.* Cæterùm dum illud vitium eſſet occultum, vt benè notauit Cardinalis Lugo *loco citato*, adhuc validæ eſſent abſolutiones, propter communem errorem, & titulum coloratum Beneficii, vel approbationis acceptæ: hoc enim caſu Eccleſia confert iuriſdictionem propter communem errorem, vt omnes communiter ſupponunt in Parocho Simoniaco.

DISPVTATIO LII.

De probitate, & doctrina in Confeſſario requiſita.

QVIDQVID probitatis, aut doctrinæ poſtulari poteſt in Confeſſario ad rectè obeundum miniſterium Sacramenti Pœnitentiæ, ad duo Capita debet reduci, videlicet, vel vt Sacramentum ritè, & validè fiat, vel etiam vt ſanctè ac fructuosè miniſtretur. Vtrumque horum in hac Diſputatione breuiter eſt explicandum.

SECTIO PRIMA.

Quæ probitas in Confeſſario requiratur ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ?

1 DIco *primò*, certum eſſe ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ non requiri in Confeſſario ſtatum gratię. Ita definit Tridentinum *ſeſſ. 7. de Sacramentis in genere, canone duodecimo*, his verbis: *Si quis dixerit miniſtrum in peccato mortali exiſtentem, modò omnia eſſentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum, aut conferendum pertinent, ſeruauerit, non conficere, aut conferre Sacramentum; anathema ſit.* Ratio eſt, quia Miniſter Sacramenti Pœnitentiæ non in nomine proprio, ſed in nomine, authoritate, & perſona Chriſti confert illud Sacramentum; ad eum modum, quo famulus dans pauperi ſtipem de mandato domini ſui, illam eleemoſynam confert in perſona ſui domini. Igitur quemadmodum famuli iniquitas ac malitia nihil detrahit bonitati dictæ eleemoſynæ, nec impedit illius fructum, ac meritum; ſic ſimiliter nec grauitas, vel malitia Confeſſarij impedit Sacramenti valorem, neque illius ſupernaturales fructus, aut effectus, maximè remiſſionem peccatorum, ac gratiæ ſanctificantis remiſſionem.

2 Dico *ſecundò*, nec requiri in Confeſſario fidem ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ. Hoc etiam eſt certum, quia ad conficienda alia Sacramenta validè, non eſt neceſſaria Fides: ergo neque in hoc Sacramento eſt neceſſaria, quantum eſt ex vi poteſtatis Ordinis: Neque etiam Fides eſt neceſſaria ex parte iuriſdictionis præciſè, quia fides non eſt fundamentum iuriſdictionis: ergo Sacerdos carens fide eſt ita idoneus, vt ſi ei committatur iuriſdictio, factum teneat: aliter enim, ſi contingeret, aliquem Sacerdotem eſſe hæreticum mentalem, electio illius, ſeu delegatio iuriſdictionis ad confitendum nulla eſſet: & idem diceretur de Parocho, vel de Epiſcopo, quod eſt valdè abſurdum.

Dico *tertiò*, nec requiri in Confeſſario ad valorem 3 Sacramenti, vt aliquis non ſit hæreticus, vel apoſtata exterior, & publicus, inſpecta præciſè ratione culpæ, ſed ſolùm Eccleſiaſticâ cenſurâ. Id notant communiter Doctores, & benè, quia ratione culpæ præciſè non fit homo incapax iuriſdictionis ad confitendum, & abſoluendum; Et ratio eſt quia ſi fides interior non eſt fundamentum iuriſdictionis, vt dixi, culpa exterior contra illam non habet, vnde ex ſe reddat incapacem dictæ iuriſdictionis, quia neque ex natura rei hoc ſequitur, neque etiam de hoc oſtendi poteſt diuinum ius, nec canonicum; ſecus verò eſt, ratione Eccleſiaſticæ cenſuræ conſequentis peccatum hæreſis, ob quam Miniſter priuatur iuriſdictione requiſita.

Hinc dico *vltimò*, nullam probitatem vel bonitatem 4 ſpecialem requiri in Confeſſario ad validè Sacramentum Pœnitentiæ miniſtrandum. Ratio eſt, quia modò Confeſſarius ſit Sacerdos, & habeat iuriſdictionem, & intentionem & applicet formam, præcedente Confeſſione, & diſpoſitione pœnitentis, Sacramentum erit validum: ergo nullus defectus probitatis in Miniſtro impedit valorem Sacramenti. Firmatur id ampliùs, ac declaratur, quia poteſt contingere, vt defectus Fidei, v.g. ſeu peccatum hæreſis externum inueniatur in Miniſtro; quod affert excommunicationem talem, ratione cuius priuatur iuriſdictione requiſita: quod etiam non tantùm habet locum in peccato hæreſis, ſed etiam in quolibet peccato, quod habeat excommunicationem maiorem, vel ſuſpenſionem ab officio, vel ab Ordine Sacerdotali ipſo iure annexam, vel de facto impoſitam. In quibus caſibus Sacramentũ eſt inualidum, non quidem ex defectu probitatis, ſed immediatè ex defectu iuriſdictionis.

Obiicies, ſi defectus probitatis eſſet publicus, & talis 5 vt redderet miniſtrum indignum Beneficio, tunc collatio Beneficij redditur nulla, eo quòd fiat indigno; atque ideò ille non accipit iuriſdictionem & poteſtatem, & conſequenter Sacramentum eſt inualidum: ergo iam ex defectu probitatis inualidatur Sacramentum Pœnitentiæ. *Reſpondeo* verum eſſe, ſi defectus probitatis ſit publicus, tunc non accipere iuriſdictionem per collationem Beneficij, maximè iuxta ſententiam probabilem, aſſerentem, collationem Beneficij factam indigno eſſe ipſo facto irritam; neque Eccleſiam conferre tunc iuriſdictionem propter titulum coloratum, nam ad hoc requireretur, quòd vitium eſſet occultũ: in eo autem caſu defectus probitatis ſupponitur eſſe publicus, & ideò non intercedit error publicus, cui Eccleſia debeat ſubuenire. Hinc tamen non ſequitur, defectum valoris Sacramenti prouenire tunc ex defectu probitatis immediatè, ſed ex defectu iuriſdictionis requiſitæ.

SECTIO II.

Quæ probitas ſit neceſſariò requiſita ad licitè miniſtrandum Pœnitentiæ Sacramentum?

SVppono *primò*, quod verius ac communius eſt apud 1 Theologos, ad miniſtrandum, vel conficiendũ licitè Sacramentũ Pœnitentiæ, nõ requiri vt miniſter exiſtens

in

in peccato mortali præmittat Cōfeſſionē Sacramentalē, ſed ſufficere Contritionem. Ratio eſt, quia præceptum præmittendi Cōfeſſionem ante Cōmunionem, eſt poſitiuum, non naturale; nec reperitur tale præceptum diuinum, vel humanum in ordine ad alia Sacramenta ſuſcipienda, vel miniſtranda: igitur ſufficiet vel confiteri, vel conteri diſiunctim.

2 Suppono *ſecundò*, verius eſſe ac communius, prærequiri ſtatum gratię in miniſtro conficiente Pœnitentiæ Sacramentum. Ratio tota deſumitur ex grauitate, & ſanctitate illius actionis, quâ Pœnitentiæ Sacramentum conficitur, quam miniſter operatur in perſona ipſius Chriſti, & quâ mediâ operatur ſanctitatem, & gratiam habitualem, quâ ſanctificat eos, quibus illud Sacramentum confertur. Videantur de hac ratione, quæ dixi *ſupra tract. 1. diſputatione nona, ſection. tertia, n. 3. & ſequent.*

3 Solùm dubitari poteſt *primò*, an ſtatus gratiæ requiratur toto tempore, quo Confeſſarius audit Confeſſionem Sacramentalem, an ſolùm quando profert verba Abſolutionis.

Suarez *diſputat. 28. ſect. 1. num. 3.* affirmat, requiri antequam incipiat audire peccata. Probat, quia cùm Sacramentum Pœnitentię ac miniſterium eius inchoëtur in ipſa Confeſſione pœnitentis, debet tamen Sacerdos ad totum illud miniſterium accedere benè diſpoſitus, & in ſtatu gratiæ, quia totum illud eſt Sacramenti opus; atque ideò malè facit Sacerdos, qui in peccato mortali Confeſſionem alterius audit, ſpe habendi Contritionem, priuſquàm abſoluat, nam & facilè poteſt ſe exponere periculo non habendi Contritionem: & quod caput eſt, in malo ſtatu exercet magnam partem huius Sacri miniſterij.

4 Cardinalis Lugo, *de Sacramentis, diſp. 8. ſect. 9. num. 158.* verius exiſtimat, non eſſe peccatum mortale, audire præciſè Confeſſionem in peccato, dummodò quis habeat actum Contritionis, anquam proferat verba Abſolutionis. Probat, quia Sacerdos audiendo Confeſſionem non agit, ſed habet ſe paſsiuè; cuius ſignum eſt, quòd etiamſi Sacerdos præter intentionem audiret peccata alicuius ſubitò accuſantis ſe apud ipſum, & petentis Abſolutionem, poſſet proculdubio illum abſoluere: Quamuis ergo auditio ſit aliquo modo actus iudicialis, latè ſumpto nomine Actus, non eſt tamen actio ſtrictè Confeſſarij, ſed effectus actionis pœnitentis terminatæ ad Confeſſarium Iudicem, qui habet ſe paſsiuè, & ideò non prærequiritur intentio Confeſſarij; ſed pœnitentis, cuius eſt illa actio. Vnde propter eandem rationem, nō requiritur ſtatus gratię, in Sacerdote, quia tunc non agit, ſed patitur à pœnitente, vt poſsit poſteà agere, & abſoluere ipſum. Firmat, exemplo Parochi in Sacramento Matrimonij, quod vt validum ſit, debet fieri apud Parochum, vel locum habentem illius; ipſe tamen Parochus non agit, aut operatur gratiam illius Sacramenti, ſed habet ſe paſsiuè, vt teſtis audiens conſenſum vtriuſque coniugis: ſic ſimiliter Confeſsio Sacramentalis valida non erit, niſi fiat apud Iudicem; Iudex tamen non agit, nec operatur gratiam, quatenus audit, ſed quatenus operatur proferens ſententiam Abſolutionis.

5 Adhæreo magis ſententiæ Suarez dicentis, Sacerdotem debere eſſe in gratia, non ſolùm quando abſoluit, ſed etiam dum audit peccata. Ratio eſt, quia vtraque eſt actio Sacramentalis, cùm non minùs Sacerdos conſecretur ad audiendam Confeſsionem, quàm ad abſoluendum; vtrumque enim facit vt Iudex, audire nempe, & iudicare, & Sacramentum non ſolùm fit, quando profertur Abſolutio, ſed etiam quando fit Confeſsio Sacerdoti, quæ eſt pars intrinſeca & eſſentialis Sacramenti: ergo Sacerdos audiendo peccata ponit aliquam partem Sacramenti. Firmo nam ſola Confeſsio quæ fit Sacerdoti audienti, eſt pars intrinſeca, & eſſentialis Sacramenti, ſine qua Sacerdos proferens verba, nihil facit, nec operatur nomine Chriſti; neque enim Chriſtus dedit illi poteſtatem abſoluendi, aut loquendi eius nomine niſi in tali caſu, quando videlicet Confeſsio facta Sacerdoti præceſsit, & hæc concurrit partialiter ad cauſandam gratiam. Quod totum concedit Lugo, & omnes illi Doctores præcipuè negantes Sacramentis influxum phyſicum ad gratiam. Iuxta eam, quam ipſe etiam ſequor, nequit intelligi, quòd illa Confeſſio prvt audita à Sacerdote, ſit pars eſſentialis Sacramenti, & non cauſet moraliter gratiam, nam cauſare moraliter gratiam, eſt mouere Deum ad dandam illam: Deus autem non mouetur à ſolis verbis Sacerdotis ad dandam gratiam, cùm conſtet, poſitis verbis ſolis non conferre gratiam; ergo mouetur etiam à Confeſſione prvt audita, & per conſequens hæc etiam cauſat gratiam, id eſt mouet, & concurrit partialiter ad cauſandam gratiam, tanquam pars illius virtutis motiuæ, quâ verba Sacerdotis mouent Deum; quia verba ſecundùm ſe non habent talem virtutem completam, ſed vt à tali Confeſsione à Sacerdote audita determinatur, eſſe verba prolata ex poteſtate, & auctoritate Chriſti.

Ad argumentum Lugo, reſpondeo Sacerdotem dum audit Confeſſionem, tametſi non agat phyſicè, & ſic merè paſſiuè ſe habeat; agit tamen moraliter, & exercet moraliter actionem moralem iudicialem concurrentem ad influxum gratiæ modo dicto: & ideò debet Sacerdos eſſe in ſtatu gratiæ; Neque eſt illud peculiare in Sacramento Pœnitentiæ, nam etiam in Sacramento Ordinis Sacri, non ſolùm traditio actiua, ſed etiam receptio paſſiua ſunt materia Sacramenti. Ad confirmationem dico, exemplum Parochi non eſſe ad rem, nam licèt Sacramentum Matrimonij vt validum ſit, debeat fieri apud Parochum, tamen ille adeſt ibi vt purus teſtis extrinſecus audiens conſenſum vtriuſque coniugis; vnde eius atteſtatio, ſeu auditio non eſt materia nec forma talis Sacramenti: id enim ſolùm eſt conſenſus contrahentium; atque ideò prædicta atteſtatio non operatur gratiam illius Sacramenti, ſed pura conditio neceſſariò requiſita ad valorem illius contractus: At in Sacramento Pœnitentiæ, Confeſſio ipſa vt audita à Sacerdote eſt pars intrinſeca, & eſſentialis illius cauſans gratiam in pœnitente; atque ideò Sacerdos debet eſſe in gratia, non ſolùm quando abſoluit, ſed etiam dum audit.

6 *Secundò*, dubitari ſolet, an debeat Sacerdos eſſe in ſtatu gratiæ tunc, etiam cùm imponit pœnitentiam Sacramentalem, ſeu Satisfactionem: quia tunc iam incipit proferre ſententiam, & agere vt Iudex, & ponere partem aliquam illius Sacramenti. *Reſpondeo*, ſuppoſita veriori ſententia, quæ docet, ſatisfactionem Sacramentalem conferre ex opere operato ſolùm ad remiſſionem pœnæ temporalis, non ad augmentum gratiæ; dicendum eſt, illa verba Sacerdotis imponentis pœnitentiam, non concurrere ad conficiendum Sacramentum in ratione ſanctificantis, & producentis gratiam; atque ideò non requirere in miniſtro ſtatum gratiæ, vt debitè proferantur, & poſſe abſque graui culpa proferri in ſtatu peccati. Ratio eſt, quia non manet illa actio tam ſancta, & excellens, ſicut ſunt actiones aliæ quibus confertur gratia habitualis, licèt ponat aliquam partem integrantem Sacramenti. Quare ſicut Pontifex, vel Epiſcopus concedens Indulgentiam, non debet ſub culpa mortali eſſe prius in ſtatu gratiæ, quia per illam actionem, & conceſsionem liberat ſolùm à reatu pœnę, ſic de Sacerdote,

quando

Digitized by Google

quando imponit ſatisfactionem in Sacramento Pœnitentiæ, videtur idem dicendum ob eandem rationem.

7 Eſt verò notandum, ab hac communi obligatione excipi illum, qui vrgente neceſſitatè, Sacramentum Pœnitentiæ confert, nec poteſt moraliter in eo neceſſitatis articulo, & breuiſſima morula diſponere ſe ad iuſtificationem per actum Contritionis, ne interim moriatur pœnitens, qui iam animam agit, abſque Sacramento Pœnitentiæ: nam ſi Confeſſarius priùs vellet conari ad habendam Contritionem, ob temporis anguſtias infirmus moreretur ſine Abſolutione.

SECTIO III.

An ſcientia Sacerdotis ſit conditio ſubſtantialis ad audiendas Confeſſiones?

1 DE hac re videantur dicta *ſuprà*, *in hoc tractatu, diſputatione 24. ſect. 2.* Vbi duo dixi. *Primum*, ſi ignorantia tanta ſit, vt neſciat Sacerdos etiam Abſolutionem proferre, vel cognoſcere regulariter moralem actum etiam ſub communi ratione peccati mortalis, aut venialis, Abſolutionem ab eo datam eſſe nullam; & talem ignorantiam eſſe contra ſubſtantiam Sacramenti, & conſequenter ſcientiam oppoſitam eſſe conditionem ſubſtantialem ad audiendas Confeſſiones. *Secundum eſt*, etiamſi Confeſſarius ſit ignarus circa maiorem partem peccatorum, dummodò habeat notitiam de aliquo ſaltem peccato pœnitentis, & ſit in eo bona fides, Abſolutionem eſſe validam, & non repetendam Confeſſionem. Ratio eſt, quia ibi ex parte pœnitentis interuenit integra Confeſſio, qui etiam eſt conuenienter diſpoſitus cum bona fide, vt ſupponitur; ex parte etiam Sacerdotis interuenit aliqua ſcientia, & cognitio illius, quæ licèt non ſit exacta, eſt tamen ſufficiens, vt cognoſcat illam eſſe ſufficientem materiam huius Sacramenti: ergo ſi ſuper talem materiam cadat vera forma cum intentione perficiendi Sacramentum; validum fiet, quia nihil ſubſtantiale illi deeſt.

2 His addo primum, ſcilicet in eo caſu non deeſſe Sacerdoti iuriſdictionem: quia nullo Iure conſtat ſcientiam ſufficientem, peccati mortalis, & venialis eſſe conditionem neceſſariam ſimpliciter, vt Sacerdos ſit capax iuriſdictionis, vt benè notauit Suarez *diſput. 28. ſect. 1. num. 13.* Quia vt ſupponunt Doctores, cum tali ignorantia poteſt haberi non ſolùm delegata, ſed etiam ordinaria iuriſdictio; nam quando proprius Sacerdos eſt ignorans, quamuis per ſe non poſſit hoc iudicium exercere, poteſt iuriſdictionem ſuam alteri delegare: & cùm primùm depulerit illam ignorantiam, vel alicuius ope vſus fuerit ad ſupplendum defectum ſcientiæ, iam poterit per ſe abſoluere; idémque eſt in delegato: ergo ſignum eſt, habere iuriſdictionem. Et ratio à priori eſt, quia hæc ſcientia neceſſaria in Confeſſore non eſt vna, & eadem reſpectu omnium peccatorum, & ideò non poteſt eſſe conditio ſimpliciter neceſſaria ad capacitatem iuriſdictionis, quia iuriſdictio abſolutè datur, & non quaſi reſpectiuè ad ea tantùm peccata, ad quæ Confeſſor habet ſcientiam ſufficientem; nam eſſet hoc valdè periculoſum, & nociuum: datur igitur abſoluta iuriſdictio, tametſi ad conſcientiam, & prudentiam Sacerdotis ſpectet non vti illa, niſi iuxta capacitatem ſuæ ſcientiæ, vel aliâ viâ, ſupplendo defectum eius. Igitur Sacramentum validum erit, quia nihil ſubſtantiale deeſt.

3 Addo ſecundum, ſi pœnitenti conſtiterit poſteà Sacerdotem non intellexiſſe talia peccata eſſe mortalia, ſed illa exiſtimaſſe vt venialia, non teneri ad confitendum iterùm talia peccata: neque enim hoc onus eſt pœnitentibus imponendum, quia nullum eſt ius, ex quo ſufficienter id colligatur; nam ille pœnitens validè ac in rigore confeſſus eſt talia peccata, & declarauit factum vniuſcuiuſque peccati, & illud percepit Confeſſor quantum ad factum, licèt ignorauerit ius neceſſarium ad cognoſcendam culpæ grauitatem: ergo ille pœnitens exactè impleuit præceptum declaratum in capite, *Omnis vtriuſque ſexus*, de confitendis omnibus peccatis; ergo ex vi illius non tenetur iterùm illa confiteri. Præter hoc autem nullum eſt ius, ex quo obligetur.

SECTIO IV.

Quæ ſcientia requiratur, vt Sacerdos licitè Pœnitentiæ Sacramentum adminiſtret?

CONſtans eſt, ac vera apud Doctores ſententia, vt Sacerdos licitè hoc Sacramentum adminiſtret, neceſſe eſſe, vt habeat ſaltem tantam ſcientiam, vt in iis peccatis, quæ communiter occurrunt, poſſit diſcernere, quæ ſint mortalia, & quæ ſint venialia; quænam habeant excommunicationem annexam, quæ non; quæ circumſtantiæ mutent ſpeciem; qui caſus ſint reſeruati; à quibus nequeat abſoluere; item quando pœnitens obligetur ad reſtitutionem, & quando non. Debet etiam ſcire, qualis diſpoſitio in pœnitente exigatur, vt poſſit abſolui. Ratio horum eſt, quia ſine tali ſcientia non poteſt prudenter de ſtatu pœnitentis iudicare, aut eum in viam ſalutis dirigere: nullus enim poteſt licitè iudicium exercere in aliqua cauſa graui, neque ad id munus iuſte deputari, aut, eligi, niſi habeat ſcientiam proportionatam ad ferendum æquum iudicium; nam aliàs exponit ſe euidenti periculo errandi: Igitur multò magis id neceſſarium eſt in hoc Pœnitentiæ iudicio, quod eſt grauiſſimum, & de re valdè difficili, & obſcura, videlicet conſcientia hominis, in qua error eſſe poteſt maioris periculi, & damni. 1

Notant verò optimè Doctores, non ſemper oportere, vt Confeſſor per ſeipſum poſſit hæc omnia diſcernere, ſed ſatis eſſe, vt intelligat ea, quæ frequentiùs accidunt, & de aliis dubitare ſciat, quia hoc ſatis eſt, vt iuſtè, & dignè ſuo munere fungatur, ad quem finem tota hæc obligatio ordinatur; nam ſi dubitat, poteſt legendo, vel alios conſulendo, ſemper in particulari ſcire quod oportuerit. 2

Notant item Doctores, ſcientiam quæ in Confeſſario requiritur, non eſſe eandem pro omnibus; aliquibus enim minor ſcientia ſufficit, vt ad audiendas Confeſſiones puerorum, vel ruſticorum; in aliis verò vt mercatorum, iudicum, &c. qui caſus habent difficiliores, maior requiritur. Ad confeſſionem verò hominis docti multò minus requiritur, quia poteſt Confeſſarius inſtrui ab ipſo pœnitente, de grauitate peccati, & de aliis circumſtantiis neceſſariis: Nam ſi poteſt homo doctus confiteri Sacerdoti, quem ipſe 3

ipſe prius inſtruxit, & docuit Theologiam moralem, quâ doctrinâ inſtructus poſteà audit eius Confeſſionem, cur ſimiliter hoc ipſum in ipſamet Confeſſione fieri non poterit?

4 Ex his colligo *primò*, per ſe loquendo Epiſcopos, quibus incumbit populo de bonis paſtoribus prouidere, grauiter obligari, ne vllos Parochos ineptos eligant ad hoc officium; & non ſolum Prælatum, ſed etiam pœnitentem, qui habet facultatem eligendi Confeſſarium, & ſcit hunc non eſſe idoneum, licet ſit approbatus, peccare eum eligendo, niſi talis ſit pœnitens, qui ſuâ doctrinâ poſſit ſupplere inſcitiam Confeſſarij. Excipitur caſus neceſſitatis articuli mortis, in quo licet Sacerdos ſit ignarus, & indoctus, debet audire Cõfeſſionẽ, & abſoluere: quia ſciẽtia Cõfeſſarij requiritur ad integritatẽ Cõfeſſionis; hæc autẽ materialis integritas non requiritur in illo periculo, ſed cùm tũc ſufficeret percipere aliquod peccatũ, vel etiam peccatũ in genere, non obſtaret Confeſſarij inſcitia in eo caſu. Vnde idem dicendum erit, quando Chriſtiani, qui apud infideles in ſeruitute detinentur, non habent niſi vnum Sacerdotem ignarum, & indoctum, vt notauit Suarez *ſect. 2. n. 6.* quia illa etiam reputatur neceſſitas moraliter extrema. Sic etiã excuſantur Prælati, quando graui neceſſitate premuntur ad eligendos Parochos ineptos ad hoc munus, vt in aliquibus oppidis exiguis & remotis, quando meliores habere non poſſunt: Nam in defectu idoneorum, præſtat, ignorantem audire Confeſſiones, quam totum populum longo tempore hoc Sacramento Pœnitentiæ deſtitui; aut aliquem ſine Confeſſione mortis periculum ſubire, quia hæc procrearent grauiſſima animorum pericula, & perniciem. Quare cum talis Miniſtri qualitas non requiratur ad ſubſtantiam Sacramenti, ſed tantùm ad conuenientem ipſius adminiſtrationem, tanta neceſsitas facilè totum excuſabit, ſi quid hac in re contra conuenientem Sacramenti vſum admittatur: Sicut etiam ob neceſsitatem excuſantur, qui ea occurrente, Sacramenta in materia dubia conferre adſtringuntur.

5 Colligo *ſecundò*, tametſi Prælatus ob neceſsitatem ouium in prædictis oppidis excuſetur, mittendo miniſtrum minùs ſufficientem; debere tamen admonere Parochum de defectu ſcientiæ, quem patitur, & de obligatione quam habet, comparandi ſi poſsit, doctrinam neceſſariam ad ſuum miniſterium obeundum. Vnde talis Parochus tenetur pro ſuo captu ſtudendo, & alios conſulendo, quantam poteſt dare operam, vt ſe ſuo muneri idoneum præſtet.

6 Colligo *ſecundò*, Confeſſarium ſiue regularem, ſiue ſæcularem peccare grauiter, qui ſine ſcientia reſpectiue requiſita, exponit ſe ad audiendas Confeſsiones, quia vterque obligatur præcepto naturali non ſe ingerere huic miniſterio ſine ſcientia ſufficienti, quia intrinſecè malum eſt, ſuſcipere aliquod Iuſtitiæ munus ſine ſufficiente ſcientia ad illud iuſtè miniſtrandum. Illa autem differentia, quæ ſolet adduci Sacerdotis regularis, qui ex obedientia ſuſcipit hoc munus audiendi Confeſsiones ſine ſufficienti ſcientia, & Sacerdotis ſæcularis, qui ex propria voluntate, motus charitate ſe ingerit, videtur mihi valdè extrinſeca, & non ſufficiens, quia non poteſt charitas, vel obedientia efficere, vt aliquis licitè Confeſſiones audiat ſine ſufficienti ſcientia ad iuſtè & dignè exercendum hoc munus. Solùm enim poteſt obedientia in Religioſo efficere, vt ſi dubitet de ſua aptitudine, & ſufficientia ad illud miniſterium, faciliùs poterit deponere illud dubium, quando Prælatus, qui eum benè nouit iudicat illum aptum, & imponit ei tale munus, ſi euidentiſsimè aliud non conſtat. Quod etiam per ſe loquẽdo efficere poteſt in Sacerdotibus ſæcularibus, qui ſua ſponte hoc munus aſſumunt, Epiſcopi approbatio, præuio debito examine; nam ille etiam eſt Superior; & poſſunt ſtare iudicio eius, quando contrarium euidenter non conſtat.

Colligo *quartò*, ſi pœnitens confiteatur aliquod 7
peccatum vt veniale, quod verè eſt mortale, vt Confeſſor ſit in eadem ignorantia, non ideò teneri poſteà pœnitentem iterùm confiteri tale peccatum, vt rectè notauit Corduba *in Summa, quæſt. 9.* & rationem reddit, quia non eſt de neceſſitate, & valore huius Sacramenti, vt Sacerdos & pœnitens cognoſcant totam grauitatem culpæ. Ob eandem rationem quando Confeſſor ſcit diſcernere in communibus peccatis, an ſint mortalia, néc ne, quamuis aliqua minùs communia ignoret, & apprehendat vt venialia, cùm ſint mortalia, non eſt iniciendus ſcrupulus pœnitenti, vt teneatur hæc iterum confiteri; eſſet enim ſine dubio valdè oneroſum, & ſine ſufficienti fundamento. Idem dico ob ſimilem rationem, ſi Sacerdos non intellexit circumſtantias mutare ſpeciem, etiamſi pœnitens illas ſufficienter declaret, poſteà cognitâ ignorantiâ Sacerdotis à pœnitente, adhuc non teneri ea iterùm confiteri, eſſet enim valdè oneroſam reddere Confeſsionem.

Eſt verò notandum, quando pœnitens diſcretus, & 8
prudens in ipſa Confeſsione intelligit, Confeſſarium non percepiſſe grauitatem mortalem ſuæ culpæ, quod ſæpe coniectare poterit ex pœnitentia iniuncta, aut ex aliis ſignis, & verbis clarioribus, tunc debere manifeſtè declarare ſuam culpam fuiſſe mortalem, quia tenetur facere quod in ſe eſt, vt Sacerdos hoc intelligat, & iuſtè iudicet. Extra hunc verò caſum, vel alium ſimilem non tenetur pœnitens explicare, quaſi in actu ſignato ſuam culpam eſſe mortalem, ſed ſatis eſt, ſpeciem eius, & materiam, ac quantitatem eius, ſi magna ſit declarare; nam per hoc quaſi in actu exercito ſatis explicat ſuam culpam eſſe mortalem: nec tenetur per ſe loquendo, ampliùs inſtruere Confeſſarium, aut præſumere illum eſſe adeò ignorantem, vt id non intelligat. Hoc prudenter notauit Suarez *dicta ſect. 2. num. 18.*

Hinc colligo *vltimò*, cum eodem Doctore, in duo- 9
bus tantùm caſibus teneri pœnitentem, moraliter loquendo, ad iterandam Confeſsionem ob imperitiam Confeſſarij. *Primus eſt*, quando nouit illum eſſe ita imperitum, vt ſuam conſcientiam diiudicare non ſufficeret, & nihilominùs illi confeſſus eſt; peccat enim talem Confeſſarium eligens, ac tenetur ſuam Confeſsionem repetere: quod ſemper intelligo, niſi talis ſit pœnitens, qui ſua doctrina poſsit ſupplere inſcitiam Confeſſarij. *Secundus eſt*, quando pœnitens in ipſa Confeſsione intellexit ſufficienter, non percipere Confeſſarium grauitatem delicti, & nihilominùs ſimpliciter confeſſus eſt, ac ſine ampliori inſtructione. Quod etiam intelligo, ſi pœnitens concipiat ignorantiam Confeſſarij talem eſſe, vt deſit illi doctrina neceſſaria ad id munus peragendum; adeò vt neſciat in iis quæ communiter occurrunt, in Confeſſione, an ſint mortalia, vel venialia, non percipiens qualitatem peccatorum ipſorum: Non enim requiritur, quòd Confeſſarius de peccatis omnibus mortalibus quæ audit, iudicet omnia illa eſſe peccata grauia, vel penetret grauitatem ipſorum, nam ſæpe id nec viri docti præſtare poſſunt: tum quia nequeunt ſcire perfectè ipſum factum, & an conſenſerit pœnitens cum plena deliberatione, vel non: Tum quia nec ipſum etiam ius in omnibus ſciri poteſt.

Digitized by Google

DISPVTATIO LIII.

De obligatione Miniſtri Pœnitentiæ in ipſo actu Confeſſionis.

TRiplex obligatio diſtingui poteſt in Miniſtro Confeſſionis Sacramentalis. Prima eſt, quaſi præuia ad actum Confeſſionis, vt ſcilicet habeat poteſtatem Ordinis,& iuriſdictionis, approbationem quoque, & ſcientiam ſufficientem. Secunda eſt quaſi concomitans ipſum actum ſeu vſum, ac miniſterium Confeſſionis. Tertia eſt conſequens; ſeu relicta ex Confeſſione ipſa, ſcilicet obligatio ſecreti. De prima obligatione diximus iam in *præced. Diſput.* De ſecunda dicemus modò in *hac Diſputatione*. De tertia denique *Diſputatione ſequenti.*

SECTIO PRIMA.

Quando teneatur Confeſſarius audire Confeſſiones, ſi ex obligatione miniſtret, vel ſolùm ex voluntate ſua?

1 CIrca primum de Parocho, qui ex officio tenetur, ſentiunt Ioannes Medina, Ricardus, Syluester, Armilla,& alij, quos refert Diana *tom. 1. part. 2. tract. 2. miſcellaneor. reſolutione* 2. non teneri audire Confeſſiones ſubditorum, quoties ipſi voluerint, ſed ſolùm, quando ipſi tenentur confiteri, nempe ſemel in anno, & in mortis periculo. Addit Reginaldus noſter *tom. 1. lib. 1. cap. 8. num.* 8 1. teneri, etiam quando Confeſſio eſſet neceſſarium remedium pœnitenti ad aliquod peccatum mortale vitandum. Probant, quia non tenetur ex Charitate; aliter enim teneretur etiam ad audiendas Confeſſiones aliorum, qui non ſunt ſubditi; & cùm alius Sacerdos non peccet mortaliter contra Charitatem, nolendo audire dictas Confeſſiones, neque peccabit Parochus; nam præciſa obligatio Charitatis non eſt alterius rationis in Parocho, quàm in aliis Sacerdotibus. Prætereà nec tenetur ratione officij, quia officio ſuo ſatisfacit, ſi quæ ſibi à iure, vel à Prælatis impoſita ſunt præſtet: At ſolùm illi impoſitum eſt, vt neceſſitatibus ſubditorum prouideat; ergo tempore ſolius neceſſitatis obligatur ex officio. Vnde quamuis Parocho commiſſa ſit cura ſubditorum, tanquam patri filiorum ſpiritualium; nihilominùs tamen ſicut pater carnalis ſatisfacit ſuo officio, dando filiis neceſſaria, aliis abundantioribus denegatis; ita etiam Parochus ſuo muneri ſatisfacere iudicandus eſt, Sacramenta neceſſaria tunc miniſtrando ſubditis, cum eorum ſuſcipiendorum neceſſitas viget.

2 Dico *primò*, teneri Parochum ad miniſtrandum hoc Sacramentum ſubditis, non tantùm quando illi tenentur illud ſuſcipere, ſed etiam aliis temporibus, ſi ipſi petant. Ita Suarez, *diſputatione trigeſima ſecunda, ſectione prima*, & Lugo *diſputatione vigeſima ſecunda, ſectione prima*, cum aliis quos ipſi referunt. Ratio eſt, quia Paſtor ratione ſui officij, non tantùm tenetur prouidere ouibus, quando illæ extremè indigent, ſed etiam temporibus opportunis; quia tenetur non ſolùm neceſſitatem, ſed etiam vtilitatem, & commodum, ac profectum earum procurare: at quis neget eſſe contra euidentem vtilitatem ouium, ſi tantùm ſemel in anno hoc Sacramentum illis tribueretur, maximè ipſis petentibus, & deſiderantibus maiorem frequentiam. Idem firmatur exemplo patris carnalis; is enim non ſolùm tenetur filiis prouidere in neceſſitate extrema, ne moriantur, ſed etiam circa alia commoda quæ neceſſaria ſunt ad viuendum cum decore, ac honeſtate competenti: ergo ſimiliter Parochus non debet ſolùm prouidere ſubditis in neceſſitate extrema, ſed etiam debet prouidere de iis, quæ neceſſaria exiſtimantur, ad piè & Chriſtianè viuendum; inter quæ vnum & valdè neceſſarium eſt, frequentiùs confiteri; cum difficillimum ſit, eos qui ſemel ſolùm in anno confitentur, non labi in plura peccata mortalia, vt conſtat experientià. Prætereà idem roboratur exemplo Medici corporalis; is enim cùm ſtipendium à Communitate accipiat, debet curare omnes grauiter ægrotantes, qui curari volunt: ergo ſimiliter Parochus qui eſt conſtitutus medicus ſpiritualis ſubditorum, debet Sacramenti medicinam adhibere omnibus grauiter ægrotantibus, ne vulnera putreſcant, ſi in illo periculoſo ſtatu peccati mortalis diu inſordeſcere ſinantur.

Hinc dico *ſecundò*, teneri Parochum ad audiendam Confeſſionem ſubditi, quando ille opportuno tempore, & iuſta de cauſa petit hoc Sacramentum, ac nulla eſt rationabilis cauſa negandi. Patet: Tum quia, ſuppoſitâ doctrinâ præcedentis Dicti, nulla poteſt certior, vel prudentior regula præſcribi: Tum etiam, quia tunc ſubditus habet ius petendi; ergo Parochus habet quoque obligationem dandi. 3

Quare mihi videntur quinque obſeruanda. *Primum eſt*, ſi ſubditus ſit in ſtatu peccati,& deſideret remediũ Confeſſionis ad ſuam iuſtificationem, regulariter debere Parochum illum audire, ſi non habet alium, cui eius Confeſſionem committere poſſit: cùm enim medicus ſit ſuorum ſubditorum, videtur teneri ad curationem eorum, qui graui vulnere percuſſi eius operam implorant; ſicut Medicus corporalis ad hoc ipſum officium ſtipendio ſtatuto electus, non poteſt negare ſuam operam infirmis grauiter ægrotantibus. 4

Secundum, tametſi prædicta Parochi obligatio maximè vigeat, quando ſubditus creditur eſſe in peccato mortali, à quo per Confeſſionem liberari cupit; nihilominùs tamen non ſolùm in huiuſmodi Confeſſione, ſed etiam in alia quæ fit de venialibus ſolis, futura eſſe creditur, quando illius frequentia eſt prudens, ac moderata; quia pertinet ad magnum ſpirituale bonũ ſubditi, & eſt moraliter neceſſaria ad euitanda peccata mortalia; & Parochus tenetur ita prouidere ſaluti ouium, vt poſſint, ſi velint,& proficere,& peccata vitare,& quantum in ipſo eſt, impedimentum non ponere.

Tertium, prædictam obligationem propriè ad Parochos pertinere, qui ad hoc præcipuè aluntur à fidelibus, vt eis Sacramentum miniſtrent: Nam Epiſcopi, & Superiores Prælati, tametſi ex officio teneantur prouidere ſubditis de idoneis Confeſſoribus; regulariter tamen non tenentur ipſi per ſe audire Confeſſiones ſubditorum, quia habent vniuerſalius regimen, & plures alias actiones, quibus intenti eſſe debent: interdum verò ſi grauis neceſſitas ſubditi poſtularet, poſſet obligari Epiſcopus ratione ſui muneris, ad audiendam illius confeſſionem, quia etiam eſt proprius paſtor animæ eius,& ex officio tenetur ſpiritualem eius ſalutem procurare.

Quartũ, non ſemper peccare grauiter Parochum, ſi ſemel

mel, aut iterùm neget, vel differat Confeſſionem, dummodò non ſit dilatio nimia, vel niſi grauis cauſa vrgeret, vt ſi eſſet tempus Iubilæi, vel longum iter aggrederetur pœnitens, vel graui tentatione opprimeretur, vt notant Suarez citatus *num.* 5. & Lugo *n.* 4.

Quintum, & vltimum eſt, non teneri Parochum ad audiendum ſubditum, quando illi prouidet de alio Confeſſario apto & idoneo, cui poſſit confiteri, ſiue etiam in Paſchate, ſiue in mortis articulo; niſi fortè aliqua ſpecialis ſubditi neceſſitas exigat, vt ab ipſo Parocho audiatur.

5 Ex dictis patet ſolutio ad Argumentum contrarium *ſuprà numero primo* adductum; conſtat enim teneri Parochum ratione ſui Paſtoralis officij ex Iuſtitia, quod intrinſecè ſecum affert illam obligationem, vt ſatis explicatum eſt.

6 Circa ſecundum de aliis Confeſſariis, qui paſtores, ſeu parochi non ſunt, an in aliqua neceſſitate teneantur audire ex Charitate. De qua re in materia *de Charitate*. Breuiter dico, teneri in neceſſitate extrema etiam cum periculo vitæ propriæ, vt verbi gratia, baptizare puerum morientem iam ſine Baptiſmo, & eodem modo occurrente ſimili neceſſitate extrema circa Sacramentum Pœnitentiæ, teneri quoque cum periculo propriæ vitæ, vt quando peſte graſſante, ob carentiam Sacerdotis morerentur communiter abſque Confeſſione; tunc enim neceſſitas communis reſpectu aliquorum eſſet extrema. In quo eſt magnum diſcrimen inter hos Confeſſores, & alios, qui ſunt Paſtores, vel Parochi: hi enim non ſolùm ex charitate, ſed ex officio tenentur audire ſubditum conſtitutum non ſolùm in extrema, ſed etiam in graui neceſſitate confitendi: Vocatur autē neceſſitas extrema, à qua non poteſt homo ſuis viribus ſine meo adiutorio ſe liberare; grauis verò eſt à qua poteſt, ſed cū magna difficultate ſe liberare. Vtraq; poteſt cōtingere circa Confeſſionē, nam ſi aliquis morti proximus ſit in peccato mortali, & putet, non eſſe ſibi remedium aliud præter Confeſſionem Sacramentalem, quia nihil vnquam de Contritionis remedio audiuit, nec venit illi in mentem, quomodo habenda ſit Contritio; hic videtur eſſe in extrema confitendi neceſſitate, cùm non ſuppetat ei hîc & nunc remedium aliud ad obtinendam ſalutem æternam: Ille autem qui in ſimili periculo conſtitutus poteſt quidem habere Contritionem, ſed cum magna difficultate, dicitur eſſe in neceſſitate graui: Et in vtraque debet proprius Paſtor cum periculo vitæ ſuo ſubdito ſuccurrere; qui magis obligatur quàm alij, qui non ſunt paſtores, atque ideò ſi hi tenentur omnes in neceſſitate extrema, tenebitur Paſtor etiam in neceſſitate graui.

SECTIO II.

Qualiter debeat Confeſſarius interrogare pœnitentem in ipſo actu Confeſſionis?

1 MEmoriâ recolenda ſunt quæ dicta ſunt ſuprà *in hoc tractatu, diſputatione vndecima, ſectione prima*, circa examen, & interrogationem humanam, quam ibi docuimus ſolùm requiri ad actum Confeſſionis; ex quibus inferimus, non poſſe dari vnam, & eandem regulam pro omnibus perſonis; pendet enim ex capacitate, & diſpoſitione corporali, ex attentione, & aliis circumſtantiis. Vnde hoc examen & interrogatio Confeſſarij debet fieri iuxta regulam prudentiæ, & non metaphyſicè, ſed moraliter ac humano modo, itavt Sacramentum non fiat oneroſum, ſed ſit facile remedium iuxta debilem hominum conditionem, provt à Chriſto fuit inſtitutum: Ad prudens verò, & diligens examen habenda eſt ratio temporis, à quo pœnitens non eſt confeſſus, & modi viuendi ipſius, & perſonæ eiuſdem, quia rudiores non ſunt ad tam exactum examen obligandi, ac ingenioſiores.

2 Prætereà ſuppono, plures apud Summiſtas inueniri interrogationes, quas vt in plurimum non debet Confeſſarius præmittere ante Confeſſionem, ſed omittere vt inutiles; nam ſi quæ vtiles ſint, ex ipſa Confeſſione meliùs cognoſci poſſunt. Vtiliſſimum verò exiſtimo, quòd pœnitens ignotus communiter interrogetur initio Confeſſionis de tempore elapſo ab vltima Confeſſione, quia id multùm iuuat ad ſtatum pœnitentis, & ad numerum peccatorum poſteà meliùs percipiendum.

3 Denique ſuppono quod etiam dixi loco citato, ruſticos, licèt inueniantur negligenter examinati, non eſſe communiter dimittendos, vt ſe examinent, & redeant; vt prudenter notauit Vaſquez *quæſt.* 93. *artic.* 3. *dubio* 7. *numero* 5. Nam de iis, iure ac meritò præſumitur, licèt millies ſe examinent, non fore magis aptos quam ſi ab ipſo Confeſſario breuiter interrogentur, & examinentur. Addo contingere poſſe, pœnitentem eſſe adeò rudem, vt ad nullum examen obligetur; tamen tunc defectus pœnitentis ſupplendus eſt a Confeſſario ſuis interrogationibus.

His poſitis, tria dubia ſuperſunt breuiter diſſoluenda, *Primum eſt*, an Confeſſor ex vi ſui muneris, obligationem habeat interrogandi pœnitentem circa alia peccata oblita quæ non dixit, an verò eſſe poſſit contentus iis, quæ dicit ex ſe, non quærendo de aliis.

4 Negat teneri Ioannes Medina *Codice de Confeſſione, quæſt. de Confeſſione iteranda*. Probat, quia ille pœnitens iam eſt integrè confeſſus formaliter, quamuis non materialiter, & eſt diſpoſitus vt tam Sacramentum quàm effectum Sacramenti, & omnium peccatorum etiam oblitorum ſaltem indirectè remiſſionem conſequatur: ergo non eſt, cur Confeſsor obligetur ampliùs inquirere.

5 Dico *primò*, ſi Confeſsor iudicet, pœnitentem non ſatis explicuiſse conſcientiam, & aliqua peccata reliquiſse ob negligentiam, vel minùs perfectam examinationem, teneri ad interrogandum, priuſquam abſoluat. Hoc videtur meo iudicio certum, quia integritas Confeſsionis eſt neceſsaria, vt homo abſoluatur: ergo priuſquàm Confeſsor abſoluat, tenetur probabiliter iudicare; pœnitentem confeſsum eſse integrè; ergo ſi non iudicat abſque ſua inquiſitione, & interrogatione, tenetur inquirere, quia quando omiſſio alicuius peccati prouenit ex defectu diligentis examinis, debet Confeſsarius illud in memoriam reducere. Firmo, quia Confeſsarius non ſolùm tenetur ex officio cauere peccatum pœnitentis in mutilatione Confeſsionis, ſed etiam per ſe tenetur curare, vt iudicium ipſum integrè fiat: pertinet enim hoc formaliter, & per ſe ad officium Iudicis, cuius perſonam ibi Confeſsor gerit; nam debet Iudex cauſam perfectè examinare, antequam ſententiam ferat; & ideò tenetur inquirere, quantum neceſse eſt, iuxta naturam iudicij, vt cauſa ſufficienter in illo foro explicetur.

6 Dico *ſecundò*, ſi Confeſsarius aduertat pœnitentem ſcire, & poſse ex ſe adhibere debitam diligentiam in examine, & de facto adhibuiſse, non debere Confeſsarium aliam interrogationem addere, ſi neſciat, aliquid per obliuionē eſse omiſsū. Patet, quia ſi conſiderata conditione pœnitētis, moribus, ſciētia, & aliis circūſtantiis, probabiliter ac prudēter iudicet Cōfeſsarius pœnitentē integrè

Digitized by Google

integrè eſſe confeſſum, non tenetur ad interrogandum aliquid; quia nulla eſt talis obligatio; cùm in his rebus non ſit euidentia requirenda, ſed ea probabilitas, quæ ad alia negotia humana grauia exiſtimari ſolet ſufficiens. Quin potiùs in eo euentu iudicari poſſet quælibet interrogatio otioſa,& curioſa, ac oneroſa pœnitenti. Quod certe omninò vitandum eſt.

7 Dico *tertiò*, etiamſi Confeſſori conſtet, pœnitentem diligenter ſe examinaſſe, ſi tamen ſciat peccatum illud ex obliuione prætermittere, teneri tunc illud interrogare, propter integritatem ipſius iudicij. Ita ſentiunt cōmuniter Doctores: Et ratio eſt, quia ſuppoſita obliuione pœnitentis, ad officium Confeſſarij per ſe ſpectat iuuare illum,& conſequenter interrogare, ſi neceſſe ſit, vt Confeſſio integrè fiat, quia Iudex non debet ſententiam proferre, non ſatis cognitâ causâ: & Medicus, ſi ægrotus neſciat ægritudinem ſuam ſatis aperire, debet inquirere; donec ſufficientem notitiam habeat ad medicinam adhibendam: ergo ſimiliter idem præſtare debet in prædicto caſu Confeſſarius, qui eſt Iudex, & medicus ſpiritualis animarum.

Ex quo manet ſoluta ratio *ſuprà* adducta in fauorem ſententiæ Medinæ, quia Confeſſionis integritas materialis neceſſaria eſt in pœnitente propter integritatem ipſius iudicij; atque ideò ad Officium Confeſſarij per ſe ſpectare, iuuare pœnitentem, interrogando, ſi neceſſe ſit, vt Confeſſio integrè fiat: Vnde ſi ſciat, ex obliuione prætermittere peccatum aliquod, tenetur illum interrogare,& inquirere, vt iudicium ipſum Confeſſionis integrum ſit.

8 *Secundum eſt*, quid facere debeat Confeſſarius, qui ſcit, pœnitentem commiſiſſe aliquod peccatum, quod neque etiam interrogatus confitetur? *Reſpondeo*, in reſolutione huius dubij omnes debere conuenire abſque vlla controuerſia; nam ſi Sacerdos ſciat euidenter, pœnitentem ſacrilegè negare peccatum, & mentiri contra integritatem Confeſſionis, non poteſt eum abſoluere: ſi verò hoc neſciat, poteſt. Regulariter verò exiſtimare debet Confeſſarius non mentiri: quia tametſi euidenter ſciat peccaſſe, & ſciat etiam euidenter, quòd non fuerit prius alteri peccatum illud confeſſus, adhuc non conſtat illi de defectu integritatis formalis; quia ſæpe contingere poteſt, quòd pœnitens habeat cauſam rationabilem, ſaltem in ſua apprehenſione, tacendi illud peccatum ad vitandum damnum ſuum, vel alterius: vnde poteſt ſæpe Confeſſarius exiſtimare, quòd pœnitens id neget ex rationabili cauſa, vt tali exiſtimata; in quo caſu non mentiretur pœnitens, nec faceret contra integritatem formalem Confeſſionis, cùm poſſet vti æquiuocatione licita, & non violaret præceptum integritatis, cùm haberet legitimam cauſam excuſantem ſecundùm ſuam exiſtimationem.

9 *Tertium eſt*, quid debeat facere Confeſſarius, ſi ex aliorum Confeſſione euidenter ſciat, Franciſcum, v. g. commiſiſſe tale delictum, quod ipſe poſteà in Confeſſione negat. *Reſpondeo* duo. *Primum eſt*, repugnare, quod ex aliorum Confeſſione id euidenter ſciat, quia tota illa notitia reſoluitur in teſtimonium aliorum pœnitentium. *Secundum eſt*, quantumcumque Confeſſor ſciat peccatum pœnitentis ex aliorum relatione; teneri in hoc iudicio magis credere ipſi Franciſco in ſua cauſa, quàm aliis. Ratio eſt, quia vt rectè notauit D.Thom. *quodlib.* 1. *articul.* 12.& eſt communis Doctorum doctrina, in hoc foro Pœnitentiæ credendum eſt pœnitenti tam pro ſe, quàm contra ſe loquenti; & in omni iudicio debet iudex iudicare ſecundùm allegata, & probata, & non iuxta priuatam ſcientiam: hîc autem tota allegatio, & probatio conſiſtit in dicto pœnitentis; vnde tametſi verum ſit, ſi euidenter videat illum eſſe indiſpoſitum, vel non integrè confiteri, non debere illum abſoluere, quidquid ille dicat; tamen in præſenti caſu, in quo eſt ſola notitia probabilis, ſtandum eſt Confeſſioni, & dicto pœnitentis.

SECTIO III.

An Confeſſarius debeat pœnitentem corrigere, qui per ignorantiam eſt in ſtatu de ſe malo?

Confeſſarij munus eſt, cùm ſit Doctor,& Medicus, docere,& corrigere pœnitentem. Contingit autem non ſemel, pœnitentem retinere aliena, inuincibiliter putans eſſe ſua; vel inter virum & vxorem intercedere impedimentum irritans Matrimonium, quod ipſi inuincibiliter ignorant, & ideò bona fide debitum petunt, & reddunt: admonebit-ne Confeſſarius, qui totam rem benè nouit? 1

Qua in re, certum eſt *primò*, ſi pœnitens ex conſcientia erronea credat aliquid eſſe peccatum mortale, teneri Confeſſarium monere. Patet, quia eiuſmodi ignorantia maximum detrimentum pœnitenti affert,& ipſe pœnitens accedit ad Confeſſionem tanquam ad Doctorem, & vicarium Dei, vt ab ipſo inſtruatur: ergo malè agit Confeſſarius niſi inſtruat; & tacens, ac abſoluens pœnitentem errantem, videtur approbare, & confirmare illius errorem: Vnde lege Charitatis quilibet tenetur errantem docere, ne ratione huius ignorantiæ erroneæ multa peccata mortalia, quæ reuerà talia non ſunt, committat. Igitur à fortiori tenetur Confeſſarius, cui inſtruendi munus incumbit. 2

Certum *ſecundò*, quoties ignorantia eſt vincibilis & culpabilis, debere eam auferre Confeſſarium, ſeu admonere. Patet; Tum quia dum perſeuerat, pœnitens eſt indiſpoſitus ad Abſolutionem;& non vitat, ſed cauſat peccatum, ac eius perſeuerantiam: Tum etiam, quia prædicta admonitio proderit, vt liberatus pœnitens tali ignorantia, cognoſcat malum ſtatum, in quo eſt,& fortè aliquando reſipiſcet,& mordebit conſcientia, ac ſtimulis agitabitur. Notant verò rectè Doctores, Confeſſarium debere prudenter examinare ſtatum,& qualitatem ignorantiæ, an ſit culpabilis, ita tamen vt ipſo examine, ac interrogatione non det occaſionem dubitandi pœnitenti, & inferat ei malam fidem, quam anteà non habebat: Quare ſolùm in communi, & quaſi aliud agens debet interrogare, an habeat conſcientiæ remorſum circa aliquam materiam grauem: Interdum enim cōtingere poteſt, ignorantiam, quæ in vno vincibilis eſt, eſſe in alio inuincibilem; quod perpendere debet Confeſſarius ex qualitate perſonæ, & ex aliis circumſtantiis. 3

Tertiò, certum mihi videtur, ſi ſit ignorantia inuincibilis, ſiue ſit facti, ſiue iuris humani, ſiue diuini, vel naturalis, cautè debere procedere Confeſſarium, vt optimè oſtendit noſter Sanchez, *lib.* 2. *de matrimonio, diſput.* 38. *num.* 5. & 6. Probatur, ac explicatur ſimul: nam ſi Confeſſarius videat ſine graui ſcandalo, ac detrimento profuturam monitionem, tenetur admonere pœnitentem; vt ſi nouit Confeſſarius matrimonium eſſe nullum,& poteſt facilè pœnitens diſpenſationem impetrare,& vult, nec eſt periculum vt interim accedat ad vxorem, ſciens iam non eſſe ſuā. Ratio eſt, quia 4

munus Confeſſarij eſt pœnitentem inſtruere:ergo cùm ſpes proficiendi adſit,tenetur docere. Cæterùm notandum eſt,rarò hoc contingere, cùm diſpenſatio à Papa impetranda eſt,& longè diſtat Roma, quia ſaltem eſt periculum incontinentiæ cum vxore, dum impetratur diſpenſatio: Si verò Confeſſarius animaduertat, nullam ex admonitione ſperari vtilitatem, imò ſcandalum ex ſeparatione ſequi, & maius damnum pœnitentis, cuius maius bonum procurare debet, non tenetur Confeſſarius admonere; imò ſi videat pœnitentem eſſe in coniugio cum impedimento irritanti facto, non debet illud aperire, ſi ex hoc ſequatur ſcandalum, & maius damnum. Ratio eſt, quia ſicut correctio ad vtilitatem correcti ordinatur, & illius ſpe ceſſante non obligat; ita Confeſſio ad bonum pœnitentis tendit: vnde ceſſante huius boni ſpe, non tenebitur Confeſſor admonere; ratio enim mediorum à fine ſumitur; neque etiam debet, quia nulli laqueum debemus inijcere *Cap. de viduis, 27. quæſt. 1.* Admonere autem in hoc euentu, nihil aliud eſſet, quàm laqueum & offendiculum apponere;nam conſtituti in bono ſtatu, & bona fide, Confeſſoris admonitione verſabuntur in malo, & periculo, quia deinceps verbi gratiâ, vxor impedimenti conſcia tenebitur potiùs mortem ſubire, quàm reddere debitum; & fortè vir non credet impedimentum ſubeſſe, vel non poterit ipſa detegere, ne famæ detrimentum patiatur; & inde rixæ, & ſcandala orientur, & Eccleſia non probato impedimento compellet. Quod locum habet, etiamſi pœnitens confiteatur peccatum commiſſum in ipſo coniugio, verbi gratiâ contrahendo cum tali impedimento; ſi tamen non putet eſſe inualidum,non debet nullitatem aperire, ſed abſoluere à peccato commiſſo. Idem contingere poteſt, ſi ignorantia ſit circa matrimonium nondum contractum, ſed iam contrahendum: quod totum permittere poteſt Confeſſarius, quando ex manifeſtatione veritatis timet, quod proſequetur cum mala fide ad faciendum id quod abſque peccato nunc facit; imò & debet, ne ſequantur damna dicta, ac præbeat peccandi anſam his, qui in bono ſtatu ſunt.

4 His poſitis aliqua dubia ſuperſunt explicanda. *Primum eſt*, quid facere debeat Confeſſarius, quando coniux, cuius matrimonium eſt nullum, non vult reddere debitum viro, putans eſſe validum?

Sotus *in 4. diſt. 18. quæſt. 2. a. 4. ad* 2. ait, non poſſe Confeſſarium monere prædictum coniugem, vt reddat,ſed tantùm in genere debere dicere,coniuges teneri reddere debitum. Probari poteſt,quia Confeſſarius nouit iam non eſſe legitimum matrimonium,& ita reuera non teneri reddere: ergo præcipiens vt reddat,præcipit fornicationem, quæ intrinſecè mala eſt. Contrarium tamen dicendum eſt cum Sanchez citato, *num.* 8. & alijs, quia coniux in eo ſtatu, & cum tali bona fide tenetur ſub peccato reddere debitum: Nec video quid diſtet inter illa duo, Monere coniugem vt reddat debitum, vel, Vxor tenetur reddere debitum; quia hæc verba cum his circumſtantiis eandem vim habent, ac ſi diceret, Redde debitum. Poterit ergo abſolutè dicere, Tu teneris reddere debitum, quia vterque loquendi modus ad eundem ſcopum tendit, nimirùm ad inducendum coniugem illum, vt reddat debitum; & ſi inducere verbis directis culpa eſſet,non ea vacaret verbis indirectis inducere, nam ex parte Confeſſarij eadem eſt intentio in vtroque modo loquendi, & pœnitens idem prorſus intelligit.

5 Hinc colligo *primò*, prædictam doctrinam eſſe quoque veram,quando ignorantia inuincibilis redundat in detrimentum proximi,vt ſi bona fide poſſideat hæreditatem, quam Confeſſarius nouit ad alium pertinere; ſi exerceat contractum vſurarium, quem inuincibiliter ignorat eſſe talem, nimirum in his, & ſimilibus caſibus debere Confeſſarium tacere, quando non ſperat profectum, cum eadem ſit ratio,& nihil profuturum ſit creditori,quòd Confeſſarius aperiat veritatem.

Colligo *ſecundò*,cum eodem Sanch. cit. *n.* 10. hæc omnia procedere,etiamſi Confeſſarius ſperet pœnitentem libenter monitionem ſuſcepturum, ſed tamen videt remedium eſſe difficillimum, vt ſi ſcandalum, & infamia notabilis ſequatur. Quod etiam docet Suar. citatus *numer.* 3. Exemplum afferens de detrimento, quod filiis aduenire poteſt ex ſeparatione v. g. matrimonij. Hæc enim, & ſimilia ponderanda ſunt; quia cùm Dei offenſio per ignorantiam inuincibilem euitetur,illud materiale malum permitti poteſt propter hæc grauiora mala vitanda, quando aliâ viâ vitari non poſſet. In quo eſt valde neceſſaria prudentia Confeſſoris; non enim alia certior regula dari poteſt: Cùm enim ipſa admonitio ordinetur ad bonum pœnitentis, conſiderari debet vtrumque malum,nempe illud malum violationis legis Dei materialis, & abſque peccato; & illud aliud malum, ac detrimentum temporale, quod incurretur ex admonitione, & ex ablatione ignorantiæ; poteſt enim hoc ſæpe præponderare, & tunc omittenda erit admonitio. 6

Secundum dubium eſt, quid ſit faciendum, ſi pœnitens dubius interrogaret Confeſſarium,vel virum doctum de re illa, debét-ne veritatem aperire, quamuis profutura non ſit? *Reſpondeo* cùm dicto Sanchez *numero* 14. & Lugo *numero* 29. tunc debere veritatem aperiri, quia iam illa taciturnitas eſſet erroris approbatio, quod nunquam licèt; & poſſet pœnitens prudenter illam in ſuum fauorem interpretari. Addit Sanchez cum aliquibus Doctoribus, quando pœnitens non cum dubio, ſed ex ſolo ſcrupulo interrogaret, poſſe Confeſſarium tacere, vel reſpondere, quòd deponat ſcrupulum, quia ſcrupulus non aufert bonam fidem, & ignorantiam inuincibilem, ſed ſolùm quando conſcientia dubia eſt ex ſufficienti fundamento. Contrarium ſentit Cardinalis Lugo, quia illud non videtur ſatis conſequenter dici, quia etiamſi pœnitens ex ſcrupulo interroget, non poteſt Confeſſarius affirmare licitum, quod eſt illicitum: ergo nec poterit tacere; quia ſilentium Confeſſarij, propoſita interrogatione, pœnitens interpretatur affirmationem; atque ideò Confeſſarij auctoritate faceret, quod prius ex ignorantia faciebat. Verùm mihi magis placet, quod ſentit Sanchez, dummodò pœnitens ex ſolo ſcrupulo ſine vllo alio interroget fundamento, quia talis conſcientia ſic ſcrupuloſa nihil ſupponit, nec monet ad inquirendum; ſed eſt omninò deponenda. In quo valde differt à conſcientia dubia, ex rationabili ac ſufficienti fundamento orta; nam hæc tollit bonam fidem, quatenus obligat ad inquirendam veritatem. Nec inde ſequitur, Confeſſarium affirmare eſſe licitum, quod reuera illicitum eſt; nam in ſolo ſcrupulo ex ipſa taciturnitate Confeſſarij, vel hominis docti, inferet potiùs pœnitens, nullius eſſe momenti ſcrupulum ſuum; atque ideò debere illum deponere. 7

Tertium dubium eſt, quid facere debeat Confeſſarius, quando nec ſcit profuturam admonitionem, nec etiam ſcit obfuturam, tenebitúr-ne in hoc caſu docere pœnitentem? *Reſpondeo* cum Cardinali Lugo, *numer.* 31. ſi Confeſſarius dubitat de profectu, ſed non timet damnum, certum eſſe, teneri admonere, tam ex Charitate,quàm ex officio Magiſtri,& Paſtoris. Probat in ſimili ex alia doctrina Iacob. Granad. 2. 2. *controu.* 1. 8

tract.

tract. 12.diſp.1.n.6. de eo, qui dubitat, an correctio fraterna ſit profutura: Quòd ſi dubium eſſet, an profutura, vel obfutura ſit admonitio, placet Cardinali Lugo illa regula, quam circa eandem correctionem fraternam adhibet Filliucius cum aliis, *tom. 1. tract. 28. cap. 6. num. 135.* Vt nimirùm comparetur vtilitas, & damnum, & gradus timoris, ac ſpei; ac omnibus penſatis illud eligatur, quod præponderare iudicatur. Ratio eſt, quia cùm finis admonitionis, vel ſilentij ſit bonum pœnitentis, vel etiam bonum publicum, quando illud interuenit; in illam partem debemus inclinare, quæ ſecundùm præſentem ſtatum eligibilior eſt. Quod certè non eſt metaphyſicè conſiderandum, itavt ſi paruus ſit ex altera parte exceſſus, ſit culpa grauis, oppoſitum facere.

9 Quartum dubium eſt an Confeſſarius metu irregularitatis, debeat non docere pœnitentem? eſt caſus, ſi pœnitens ſit Iudex, & non ſatisfacit debito ſuo condemnandi reum pœna capitis, debet-ne Confeſſarius illum docere, & hortari ad id faciendum, an potiùs propter irregularitatem debeat tacere? *Reſpondeo*, probabile eſſe, non incurri irregularitatem à Confeſſario propter tale conſilium, vel præceptum. Fundatur id præcipuè in alia doctrina probabili, quam defendit Luyſius Turrianus *de cenſuris, lib. 9. diſp. 66. dub. 3.* quam ait tenuiſſe P. Gabrielem Vaſquez, nempe irregularitatem ex defectu lenitatis, non incurri à perſonis priuatis, ſed à ſolis illis qui ſpectant ad iudicium, & miniſtris Iuſtitiæ, vt Iudice, Tabellione, Aduocato, Procuratore, Accuſatore, Teſte, &c. non verò ab aliis, qui ſunt extra iudicium, quia in Iure non inuenitur pro illis talis irregularitas impoſita. Quam doctrinam iudicat etiam probabilem Cardinalis Lugo citatus, *num. 33.* ex qua doctrina ceſſat omninò ſcrupulus in caſu adducto.

SECTIO IV.

An poſſit, vel debeat Confeſſarius ſequi opinionem probabilem pœnitentis, contra propriam ſententiam æquè probabilem, vel probabiliorem.

1 SVppono ex materia *de Conſcientia*, opinionem probabilem eſſe illam, quæ rationi alicuius momenti innititur, ita tamen vt pro oppoſita parte nihil conuincens ſit. Itaque opinio probabilis eſt, quæ non leui innititur fundamento. Vnde Opinio probabilior dicitur, quæ fortioribus fundamentis innititur: minùs autem probabilis, quæ etſi debiliora habeat fundamenta, ea tamen probabilitate non ſunt deſtituta. Tuta, vel tutior dicitur opinio, etiamſi minus probabilis ſit, quâ amplexâ, nullum eſt peccati periculum etiam materialiter. Minùs autem tuta, etſi probabilior, in qua peccati materialis periculum eſſe poteſt: Vt verbi gratia, ſi ſit controuerſia, an aliquid liceat, vel an ad aliquid obligemur, opinio negans licere, & dicens non obligari, eſt tutior, tametſi debiliori innitatur fundamento.

2 Hoc ita conſtituto, partem negantem ſequuntur nonnulli, quia Iudex non poteſt proferre ſententiam ſecundùm opinionem probabilem, relicta probabiliori; ſed Confeſſarius eſt Iudex: ergo non poteſt iudicare ſecundùm opinionem probabilem pœnitentis, relicta ſua probabiliori.

Alij verò ſic diſtinguunt, ſi ſit proprius paſtor pœnitentis, poſſe ſe conformare opinioni illius contra propriam, quia ex officij neceſſitate Confeſſiones audit: ſecus, ſi non ſit proprius, vt ſunt regulares, & alij non proprij Paſtores, & Parochi, quia iſti voluntate audiunt Confeſſiones.

Communior, & vera ſententia affirmat, vtrumque Confeſſarium proprium, & delegatum poſſe, & debere ſemper ſequi opinionem probabilem pœnitentis. Quam tenent Suarez, Vaſquez, Valentia, Salas, Thomas Sanchez, & alij quamplurimi, quos referunt, & ſequuntur Diana *tom. 1. tract. de opinione probabili, reſol. 11.* & Cardinalis Lugo *diſp. 22. ſect. 2. num. 39.* Ratio eſt, quia in eo caſu pœnitens integrè confeſſus eſt, & eſt benè diſpoſitus, quia cùm licitum ſit pœnitenti opinionem probabilem ſequi, non caret eam ſequens, diſpoſitione requiſita, vt licitè abſolui poſſit; quod totum eſt euidens Confeſſario: ergo nullum habet ius, nec rationem aliquam, vt illum ſine Abſolutione remittat: ergo vterque Confeſſarius poteſt, & tenetur illum audire, & abſoluere. 3

Hanc ſententiam veriſſimam iudico. Ad cuius maiorem explicationem,

Dico *primò*, certum eſſe, ſi Confeſſario conſtet, vt in præſenti caſu pœnitentem eſſe ritè confeſſum & diſpoſitum, teneri ſub graui peccato illum abſoluere. Patet, quia id poſtulat ratio iuſti iudicij, & æquitas inter pœnitentem, & Confeſſarium; debet enim Iudex, auditâ causâ, iudicare, & abſoluere reum, ſi dignus ſit: Vnde hæc obligatio ex ipſa inſtitutione Sacramenti, & munere Confeſſarij intrinſecè oritur; nam ipſe eſt Miniſter Dei, cui in iudicio conformari debet; ſed Deus vult abſolui peccatorem benè diſpoſitum, & ad hoc dedit poteſtatem ligandi, & ſoluendi; ergo: aliter enim magna fieret iniuria pœnitenti, ſi ſine cauſa priuaretur Sacramento, & cogeretur iterùm confiteri. 4

Dico *ſecundò*, vtrumque Confeſſarium tam proprium, quam delegatum, teneri abſoluere, poſtquam Confeſſionem audiuit. Ratio eſt, quia tametſi ante Confeſſionem auditam, alter ſit neceſſarius, alter verò miniſter voluntarius; at Confeſſione audita, vterque tenetur ex ipſa Sacramenti inſtitutione, & Confeſſarij officio pœnitentem bene diſpoſitum abſoluere: quia ad hoc Chriſtus ligandi, & ſoluendi contulit poteſtatem, & Sacerdotes Iudices conſtituit; & ipſa recta iudicij ratio petit, vt ſicut pœnitens Confeſſario rectè præcipienti obedire tenetur; ita Confeſſarius rectè diſpoſitum tenetur abſoluere, qualis eſt pœnitens opinionem probabilem ſequens. Solùm hæc differentia eſſe poteſt inter Confeſſarium proprium, & delegatum: nam ille debet pœnitentem abſoluere, & ſe conformare cum eius probabili opinione toties, quoties ad illum recurrerit; hic verò licet hac vice, audita Confeſſione, debeat illum abſoluere, & conformare ſe cum eius opinione probabili; poteſt tamen eum monere, ne redeat ad ipſum interim, niſi eam opinionem velit relinquere; in hoc enim Confeſſarius delegatus vtitur iure ſuo, cùm nullam habeat obligationem audiendi eius Confeſſionem. 5

Dico *tertiò*, prædictam obligationem in vtroque Confeſſario ſe conformandi cum opinione probabili pœnitentis, audita Confeſſione, eſſe grauem, & ſub culpa mortali. Ita Suarez, Sanchez, & alij, quos affert, & ſequitur Diana, & verius etiam iudicat Cardinalis Lugo *diſp. 22. ſect. 2. n. 48.* Ratio eſt, quia eſt materia grauis contra ius, quod pœnitens Confeſſione acquiſiuit, vt abſoluatur, ſi inueniatur legitimè diſpoſitus ad Abſolutionem: Vnde puto peccare mortaliter, ſi de mortalibus ſit facta Confeſſio; nam onus graue eſſet, pœnitentem obligare ad ſua crimina detegenda alteri 6

Digitized by Google

Confeſſario abſque neceſſitate; poſſet tamen ali quando ex leuitate materiæ, eſſe culpa venialis, vt ſi Cõfeſſio fuiſſet de ſolis venialibus, aut ita breuis, & de tali materia, vt eius repetitio apud alium Confeſſarium non cenſeatur graue onus ſufficiens ad iniuriam mortalem. Id rectè notarunt Suarez, Sanchez, & Cardinalis Lugo.

7 Dico *quartò*, vtrumque Confeſſarium teneri abſoluere dictum pœnitentem, audita Confeſſione, tametſi exiſtimet falſam eſſe opinionem pœnitentis, dummodò probabilis reputetur inter Doctores probatæ auctoritatis. Hoc dictum conſtituo, vt intelligatur, cùm dicimus Confeſſarium debere ſe conformare ſententiæ probabili pœnitentis, intelligi debere de ſententia, quæ verè probabilis ſit apud Doctores, non quæ probabilis appareat pœnitenti, propter ſuam ignorantiam, cùm probabilis non ſit. Ratio eſt manifeſta, quia ſi ſufficeret, quòd pœnitenti appareret probabilis ſua ſententia, licèt Confeſſarius ſciret eſſe improbabilem, ad hoc vt poſſet pœnitenti eam permitterere, ſequeretur, quod poſſet etiam eam permittere, licèt Confeſſarius ſciret eſſe erroneam, quando non poteſt pœnitentem conuincere, & conſequenter deberet etiam eum abſoluere; quia poſſet etiam contingere, quod pœnitens ab aliquo, quem ipſe æſtimat magis doctum quàm Cõfeſſarium, acceperit ſuam opinionem, atque ideò non teneatur magis credere Confeſſario, quam illi alteri, & per conſequens non carebit diſpoſitione debita ad Abſolutionẽ: Conſequens autem videtur manifeſtè abſurdum; igitur dicendum eſt, non ſufficere, quòd pœnitenti ſit probabilis opinio, ſed requiritur, quòd verè ſit talis, propter auctoritatem Doctorum, aut rationes quas pro ſe habet, vt æſtimetur communiter probabilis. Firmo hoc idem, quia cùm Doctores dicunt, eum qui abſoluit iuxta opinionem probabilem, validè abſoluere, licèt opinio falſa eſſet, Eccleſiâ concedente tunc iuriſdictionem, & ſupplente defectum; non hoc intelligunt, nec intelligere poſſunt de abſoluente iuxta opinionem, quam Confeſſarius propter ſuam ignorantiam æſtimabat probabilem, cùm reuera probabilis non ſit; ſed de abſoluente iuxta opinionem, quæ verè ſit probabilis, & talis debeat à Doctoribus exiſtimari; alioquin omnes ferè, qui abſoluunt, putantes falsò ſe habere iuriſdictionem, illam acciperent ab Eccleſia, quia ferè omnes exiſtimant, quantũ eſt ex ſe, probabiliter, imò & aliquando firmiter credunt, ſe habere iuriſdictionem: igitur ſimili modo, quando dicunt Doctores, debere Confeſſarium ſe conformare ſententiæ probabili pœnitentis, intelligunt de ſententia, quæ verè probabilis ſit, non quę probabilis appareat pœnitenti propter ſuam ignorantiam, cùm probabilis non ſit.

8 Ad argumentum ſuprà adductam *n.* 2. pro parte negante; admiſsâ Maiori, & Minori, neganda eſt Conſequentia ob manifeſtam diſparitatem; nam Iudex in humanis habet illam obligationem, eo quòd à Republica, vel à Rege ſit conſtitutus ad diligenter inueſtigandam veritatem in litibus occurrentibus; cui debito non ſatiſfacit, ſi relicta ſecuriori via inueniendi veritatem, eligit minùs probabilem: At Confeſſarius non conſtituitur ad inueſtigandam veritatem circa ius, ſed circa factum, an videlicet ipſe pœnitens peccauerit, & ad abſoluendum quem inuenit rectè diſpoſitum; atque ideò debet illum abſoluere, quem inuenit habere dolorem, & propoſitum ſeruandi omnia mandata Dei, eo modo quo ſufficit ad non peccandum, ad quod ſufficit operari iuxta opinionem probabilem *ſuprà* explicatam.

SECTIO V.

Quam diligentiam teneatur Confeſſarius adhibere, vt certus fiat de diſpoſitione pœnitentis?

VNum ex præcipuis, quod agere debet Confeſſarius, vt ſuo muneri ſatisfaciat, eſt, diſpoſitionem conſcientiæ pœnitentis ſufficienter agnoſcere, vt eum abſoluat. 1

Certum eſt autem *primò*, Confeſſarium non poſſe abſoluere, quem iudicat non eſſe ſufficienter diſpoſitum. Patet; Tum quia tenentur miniſtri Sacramentorum non dare illa indignis. Tum quia eſt iudex, & gerit vices Chriſti, & ideò tenetur iuſtum iudicium facere. 2

Certum eſt *ſecundò*, Confeſſarium priùs quàm abſoluat, neceſſe eſſe, vt prudenter, & probabiliter iudicet pœnitentem eſſe diſpoſitum; nam alias ſe exponeret periculo errandi, & ſine ſufficienti cognitione operaretur. Quid verò debeat facere Confeſſarius, vt hoc prudenter iudicet, & ſuæ conſcientiæ ſatisfaciat eſt nunc explicandum. 3

In quo eſt *tertiò*, certum, duo eſſe ex parte pœnitentis neceſſaria, vt ſit Abſolutione dignus, debitus dolor cum propoſito in futurum, & integra accuſatio. Vtriuſque debet Confeſſarius habere ſufficientem notitiam, & ſatisfactionem, vt iuſtam poſſit proferre ſententiam. 4

Circa primum de dolore, & propoſito in futurum, vt docent communiter Doctores; facilè poteſt ſibi Confeſſarius ſatisfacere de dolore, ſi pœnitens in ipſo modo Confeſſionis & accuſationis ſuæ, præbeat ſigna doloris: & quando non habet ſufficientia ſigna doloris, poteſt & debet interrogare pœnitentem, an ex animo deteſtetur peccatum, cui affirmanti credere tenetur: frequenter tamen rudiores excitandi ſunt à Confeſſario ad hanc diſpoſitionem, quia non ſatis aduertunt ad eius neceſſitatem. 5

Hoc idem dicendum eſt de propoſito in futurum, quando ſolùm eſt communis & generalis obligatio nõ peccandi de cætero: Nec debet Confeſſarius proponere pœnitenti omnes difficultates, quæ in vitandis peccatis occurrere poſſunt, quia fortè conſtituet illum in manifeſto periculo, non ſolùm non habendi propoſitum efficax in futurum, ſed etiam denuò peccandi. Satis ergo eſt, vt propoſita in genere fœditate peccati, Dei bonitate, pœnis inferni, periculo damnationis, &c. pœnitens concipiat generale propoſitum nunquam iterùm peccandi mortaliter: neque etiam oportet, vt Confeſſor ſibi perſuadeat, & iudicet etiam probabiliter, ita eſſe futurum, vt pœnitens à peccato abſtineat, ſed ſatis eſt, vt exiſtimet nunc habere tale propoſitum, quamuis poſt breue tempus illud ſit mutaturus.

Supereſt tamen difficultas de obligatione ſpeciali reſtituendi, vel relinquendi occaſionem in futurum. De qua re videantur à nobis dicta ſuprà *in hoc tractatu, diſp.* 4. *ſect.* 9. In qua vix poteſt certa regula tradi, quia tota hæc res maximè pendet ex prudentia Confeſſarij. 6

Circa ſecundum, de integritate accuſationis, ſeu Confeſſionis, iam dictum eſt ſuprà *in hac diſp. ſect.* 2. Solùm addam duo, quæ certa ſunt. *Primum eſt*, ſi conſiderata conditione pœnitentis, moribus, ſcientia, & 7

longitu

longitudine, aut breuitate temporis, aliiſque circumſtantiis, Confeſſarius probabiliter, ac prudenter iudicet pœnitentem integrè eſſe confeſſum, non teneri ad interrogandum aliquid. Ratio eſt manifeſta, quia nulla eſt talis obligatio, cùm in his rebus non ſit maior notitia, ſeu euidentia requirenda, ſed ſolum ea probabilitas, quæ ad alia negotia humana grauia ſolet exiſtimari ſufficiens: Vnde in hoc euentu quælibet interrogatio poſſet iudicari otioſa, curioſa, & pœnitenti oneroſa, quæ omnia vitanda ſunt. *Secundum eſt*, ſi Confeſſarius iudicet, pœnitentem non ſatis expliciuiſſe conſcientiam ſuam, & aliqua peccata reliquiſſe ob negligentiam, vel minus perfectam examinationem, teneri ad interrogandum priuſquam abſoluat: Et quamuis Confeſſarius poſſet remittere pœnitentem, vt ampliùs ſe examinet, ac præparet, & ſic per ſeipſum integrè confiteatur; ſæpe tamen pœnitens eſt incapax ad hoc præſtandum per ſeipſum ſolum, & ferè neceſſariò indiget ope, & auxilio Confeſſarij; & ideò debet ab illo ampliùs examinari, & interrogari.

8 Cæterùm eſt maximè obſeruandum, non oportere de omnibus rebus interrogare, ſed de iis, quæ conſiderata conditione pœnitentis, & notitia, quam de ſeipſo præbet, probabiliter poſſunt in ipſum conuenire: Quare omnes Doctores animaduertunt, Confeſſarium non debere eſſe nimium in interrogando, ac præſertim in aliquibus materiis, vt v.g. Caſtitatis, ad particularia non ſemper deſcendere, ne pœnitenti noceat, docendo quæ forte neſcit; aut illum, vel ſe periculo alicuius tentationis exponat.

SECTIO VI.

Quomodo debeat Confeſſarius ſupplere defectus à ſe commiſſos circa ſubſtantiam, & valorem Sacramenti Pœnitentiæ.

1 VLtimo loco agendum eſt in hac, & ſequentibus Sectionibus, de defectibus a Confeſſario commiſſis. Ad tria genera poſſunt eiuſmodi defectus reduci. In primo genere ſunt defectus, qui ſunt contra ſubſtantiam Sacramenti, vt ſi abſoluit ſine iuriſdictione, aut ſine intentione abſoluendi, vel ſine diſpoſitione requiſita ex parte pœnitentis integræ Confeſſionis, vel doloris. In ſecundo genere ſunt defectus contra bonos mores pœnitentis, in damnum tertij, vt ſi abſoluit illum, non obligando ad reſtitutionem debitam, vel obligauit ad indebitam. In tertio denique genere poſſunt eſſe defectus ſine alterius præiudicio, ſed ſolùm contra integritatem Confeſſionis, vt ſi non interrogauit pœnitentem circa circumſtantias mutantes ſpeciem, vel numerum, vel non examinauit circa alia præcepta, quando oportebat examinare. De primo genere dicam *in hac Sectione*: de ſecundo, & tertio agam *duabus ſectionibus ſequentibus*.

Circa præſens dubium Variæ ſunt ſententiæ, quæ videri poſſunt apud Cardinalem Lugó *diſp. 22. ſect. 3.* & Suarez *diſp. 32. ſect. 6.*

2 Suppono *primò*, ſi Confeſſarius pœnitentem ob defectum poteſtatis abſoluerit inualidè a cenſuris, ſiue id cum peccato, aut ſine peccato fecerit, tenetur, ſi poſſit, procurare ſibi poteſtatem eum ab eis abſoluendi, & ſic abſoluere abſentem. Id ſentiunt Vaſquez *quæſt. 93. articul. 3. dubio 8. numer. 6.* Suarez, & Cardinalis Lugo relati, & communiter omnes Recentiores. Ratio eſt, quia hæc Abſolutio nec requirit præſentiam rei, nec vllam in eo Attritionem, aut ſtatum gratiæ: ergo poteſt ferri in abſentem, & ignorantem; imò & in inuitum, & in mortali peccato exiſtentem, quia non eſt Sacramentum, ſed iudicialis quædam ſententia fori contentioſi: Quare ſi Confeſſarius pœnitentem decepit, eum in excommunicatione relinquens, à qua ipſe putabat abſolutus diſcedere, poteſt, & debet dicto remedio vti, quia non paruum grauamen eſt pœnitentis, eſſe in excommunicatione ignorata; fortaſſe enim priuatur ſuffragiis, & in opinione eſt, eius Confeſſionē in eo ſtatu factam eſſe validam; quòd ſi poſteà nouerit errorem, etiam eſt graue onus iterum quærere Abſolutionem. Debet igitur Confeſſor ſubuenire pœnitenti hoc remedio quoad cenſuram, ſeu excommunicationem, ſi commodè poſſit.

Suppono *ſecundò*, quoad abſolutionem à peccatis, nullo modo probandum eſſe, neque applicandum in praxi remedium de abſolutione in abſentia: Vnde ſi Confeſſarius ob defectum poteſtatis, alium abſoluit à peccato reſeruato, obtenta poſtea facultate abſoluendi illum, nequit abſentem abſoluere. Ita omnes, Tum quia conſtat iam Abſolutionem in abſentia dari non poſſe, vt ſuprà oſtendi *in hoc tractatu, diſp. 3. ſect. 9.* Tum etiā, quia Confeſſarius tempore ſequenti, non poterit prudenter proferre formam Abſolutionis ſuper Confeſſione præterita, hoc ipſum ignorante pœnitente, qui fortaſſe nouum peccatum commiſit, vel non eſt diſpoſitus iam ad effectum Sacramenti. Quod vltimum patet, quia ſi in Confeſſario defuit priùs iuriſdictio, repetenda eſt Confeſſio, cùm Confeſſio prior fuerit inualida, quia ad Abſolutionem neceſſaria eſt Sacramentalis Confeſſio, quæ hic reſpectu illius peccati nulla fuit; nam Confeſſarius non erat illius legitimus iudex, dum pœnitens ei confitebatur, & conſequenter Confeſſio illius non fuit Sacramentalis; quare tunc neceſſariò iteranda eſt illius peccati Confeſſio: non poteſt ergo conferri Abſolutio, niſi monito pœnitente, vt ſe breuiter accuſet de omnibus quæ dixit in Cōfeſſione priori, cuius confuſam memoriam adhuc habet Confeſſarius. Quare ſi pœnitens ipſe de ſe veniat ad confitendum iterum, expediet, eum interrogare, an doleat de omnibus, etiam anteà confeſſis in præcedenti Confeſſione; & an ſe iterùm de illis accuſet; & tunc Abſolutio directè terminabitur ad omnia illa. Hoc remedium placet communiter Recentioribus, quos affert Diana *tom. 1. tractatu primo, Miſcellaneor. reſolutione 60.* Quod certè adhibendum eſt, quando Confeſſarius poteſt ſine ſcandalo admonere pœnitentem, & ſine graui nocumento proprio, vel alterius fieri id poteſt, vt ſtatim magis explicabo. 3

Hinc Suppono *tertiò*, quid agere debeat Confeſſarius omnium peccatorum pœnitentis legitimus iudex, quando illum ex obliuione dimiſit ſine Abſolutione: Tunc enim ſi ſtatim poſteà recordaretur eius, poſſet eum coram ſe flectentem abſoluere, etiam ſi hic, quia putat ſe abſolutum, ampliùs de Abſolutione non cogitet, quia retinet adhuc habitualem voluntatem percipiendi Abſolutionem, quam ſemel habitam non deponit, donec vel actualiter abſoluatur, vel ſciens ſe non eſſe abſolutum, habeat poſitiuum actum contrarium? Quòd ſi Sacerdos non recordaretur huius defectus niſi poſt aliquot dies, tunc non poſſet etiam præſentem pœnitentem nullo modo præmonitum abſoluere, quia neſcit an interim non peccauerit mortaliter. Quare tūc ſi commodè fieri poteſt, & ſine graui offenſione, tenetur Sacerdos inducere pœnitentem, vt iterùm ſibi confiteatur peccata, quæ ab vltima Confeſſione fecit, & tunc eum ſimul ab omnibus abſoluere: non enim opus eſt, præcedentem Confeſſionem, vtpote validè factam iterare: 4

rare: Quòd ſi pœnitens non poſſet ſine ſcandalo, vel graui offenſione induci, vt ſecundò confiteatur, ſibi relinquendus eſt, quia poſteà per alias Confeſſiones, ſaltem indirectè ab eis peccatis abſoluetur; & ſic ei defectus præcedens non ita grauiter nocebit.

His ſuppoſitis, reſtat maior difficultas, an ſi ex admonitione pœnitentis ſequeretur ſcandalum, vel infamia, teneretur adhuc Confeſſarius illum monere, ad reſarciendum illud damnum ſpirituale pœnitentis.

5 Affirmāt Medina, Soto, Corduba, Nauarrus & Syluester relati à Suarez *loco citato, num. 6*. Quia illa carentia ſpiritualis gratiæ, quæ danda fuiſſet per veram abſolutionem eorum peccatorum, eſt graue damnum pœnitentis, cuius Sacerdos ille cauſa fuit: ergo tenetur illud reſarcire, admonendo pœnitentem. Firmat Medin. nam ſi quis ſuâ culpâ baptizauit aliquem, & fecit Baptiſmum nullum, tenetur illum admonere; ſimiliter Epiſcopus, qui alium inualidè ordinauit, propter ſpiritualia incommoda, quæ inde ſequuntur; ergo ſimiliter in caſu præſenti.

Noſter Cardinalis Lugo *loco citato, num. 59*. magnum diſcrimen agnoſcit inter Confeſſarium, qui inculpabiliter, & eum qui ſcienter, vel culpabiliter, defectum Abſolutionis commiſit; exiſtimátque illum primū non teneri cum graui detrimento ſuo, vel alterius admonere: hunc tamen ſecundum, qui cum culpa graui & mortaliter, ſiue ſcienter, ſiue ignoranter ignorantia grauiter culpabili illum defectum commiſit, debere etiā cum graui ſuo damno illum monere. Probat ex doctrina communiter recepta in materia Iuſtitiæ: ſi enim quis culpabiliter alium infamauit, debet etiam cum incommodo ſuo illius famam reſarcire; ſi verò inculpabiliter, quia v. g. credebat publicum quod erat ſecretum, vel credebat verum crimen, quod audierat à fide dignis, cùm tamen eſſet falſum; tunc teneri quidem, ſi abſque incommodo poteſt, reuocare, quod dixerat, non tamen cum incommodo ſuo graui: Igitur idem dicendum eſt in materia præſenti, cùm procedat eadem ratio in ipſa, quæ in aliis? Sicut enim iure Naturæ multò ſtrictius obligatur aliquis ad reſtituendum ex iniuſta acceptione, quam ex iuſta, & inculpabili, cùm ille prior teneatur ad reſarcienda omnia damna, etiam cum graui damno proprio; hic autem poſterior ſolùm ad reſtituendam rem ipſam, ſi extat apud ſe, alioquin ad id ſolum, in quo factus eſt locupletior; ſic qui cauſa fuit iniuſta, vel iniqua irritandi Abſolutionem, debet multò ſtrictiùs reparare illud damnum quod intulit pœnitenti: qui verò inculpabiliter id fecit, non videtur eſſe cauſa moralis illius damni, & ideò multò minùs ſtrictè tenetur ad reparationem illius.

6 In hac re, Dico *primò*, per ſe loquendo, ſi abſque ſcandalo, id eſt ſine graui nocumento Confeſſoris, fieri poteſt vt moneatur pœnitens de ipſo defectu, teneri Confeſſarium illum monere, ſiue ex malitia, ſiue ex naturali inaduertentia defectum fecerit. In hoc omnes conueniunt: Ratio eſt, quia tunc poteſt prodeſſe monitio Confeſſarij, & non affert nocumentum alicui; ergo tenetur eam facere, quia ipſe fuit in cauſa, vt pœnitens non abſolueretur. Nec obeſt, quòd Confeſſarius priùs non peccauerit, quia ex facto ipſo, nempe defectu Abſolutionis, hæc obligatio naſcitur, ſi poſteà ſufficienter intelligatur: ſicut qui alium decepit, dicens, hodie non eſſe diem feſtum, cùm verè ſit, tenetur illum maturè admonere, ſi poteſt, ne in re ipſa præcepti obſeruatio omittatur, etiamſi ille eſſet per ignorantiam inuincibilem excuſandus. Iudex quoque, ſi malè tulit ſententiam, etiamſi fuerit ſine peccato tenetur illam declarare, ſi commodè poteſt; quia quiſque, ſaltem ex Charitate, tenetur quantum commodè poteſt, ne ex ſua actione, vel opere, quod in ipſius eſt poteſtate, alteri nocumentum inferatur.

Quod etiam magis firmatur, quia ille qui cauſa eſt alteri violandi aliquod præceptum graue propter ignorantiam, quam in illo cauſauit, debet auferre illi ignorantiam, vt poſſit ſeruare legem Dei: ſi enim tu dixiſti alicui, non eſſe obligationem audiendi Miſſam in die feſto, vel fornicationem eſſe licitam; debes hæc retractare, ne ſis proxima cauſa violandi illa præcepta: at Confeſſarius inualidè abſoluendo, eſt cauſa quòd pœnitens non obſeruet legem diuinam, confitendo iterùm illa peccata, à quibus non eſt validè abſolutus, prout reuera, & ſeclusâ ignorantiâ teneretur: ergo debet illum admonere Confeſſarius, ne huic imputetur illa violatio diuinæ legis.

Dico *ſecundò*, interueniente ſcandalo, ſeu graui damno, excuſandum eſſe Confeſſarium, qui ex naturali inaduertentia & ſine culpa non abſoluit pœnitentem, ab eo onere illum monendi. Hoc etiam fatentur communiter Doctores: Ratio eſt, quia in eo caſu pœnitentem prætermiſit abſque Abſolutione ſine vlla culpa: ergo non tenetur cum ſuo graui damno eam reſarcire; ſicut ſi deprehendas equum, vel librum alterius apud te, ſine tua culpa, non teneris remittere magnis tuis expenſis. 7

Dico *tertiò*, eſſe quoque excuſandum Confeſſarium, tametſi illum defectum commiſerit ex malitia, quando prudenter timetur ſcandalum, ſeu graue damnum in fama, & honore ipſius. Hoc verius cenſeo cum Suarez, & aliis contra Cardinalem Lugo. Ratio eſt, quia ex eo quòd Confeſſarius etiam in hoc caſu non moneat pœnitentem de Abſolutionis defectu, nullum ſequitur graue damnum, quod non ſit facilè reparabile, abſque dicta admonitione. Patet, quia ipſi pœnitenti non fit graue nocumentum irreparabile, quia omnia illa peccata, quæ per defectum Abſolutionis non fuerunt remiſſa, tolluntur per alias ſubſequentes Abſolutiones, ſaltem indirectè, vt conſtat; quod ſatis eſt ad ſalutem pœnitentis, niſi fortè, quando ſubeſt periculum damnationis æternæ infirmi, qui moritur cum illa inualida Confeſſione, vel in caſu ſimili. Aliud verò incommodum, quòd illa peccata inualidæ Confeſſionis per ſe non ſubiiciantur Clauibus, & conſequenter illa Confeſſio, vel Sacramentum illud non fiat integrum, quod iure diuino neceſſarium eſt, materiale tantum eſt in eo caſu, reſpectu pœnitentis, qui verè excuſatur à tranſgreſſione illius præcepti, cùm non ſit defectus commiſſus ex parte ipſius, vt ſupponitur: Confeſſarius verò, qui illum defectum commiſit, & ideò grauiter peccauit, non tenetur monere, quia non obligatur cum tanto ſui honoris, & famę detrimento, illi incommodo remedium adhibere: nam ſi pœnitens ipſe excuſari poteſt aliquando ab integritate materiali Confeſſionis propter ſcandalum vel aliam infamiam vitandam, vt late oſtendimus ſuprà *diſputatione vigeſima ſecunda* per varias Sectiones; multò magis Confeſſarius ad vitandam eius infamiam, vel ſcandalum excuſari poteſt à prędicta admonitione. Quare in eo caſu nihil aliud eſt neceſſarium, niſi vt Confeſſarius ſui peccati pœnitentiam agat, & relinquat pœnitentem, vt per Contritionem, vel per alias Confeſſiones iuſtificetur; & ita ei præcedens defectus non ita grauiter nocebit, cùm ſit tale nocumentum ſic facile omninò reparabile. 8

Hinc patet ſolutio ad Argumentum Medinæ; concedimus enim carentiam gratię, quę danda fuiſſet pœnitenti per veram Abſolutionem illorum peccatorum, ex ſe eſſe damnum pœnitentis, cuius Confeſſarius fuit cauſa, dicimus tamen, iacturam illam non tanti eſſe, cùm 9

poſſit

poſſit mille aliis modis reparari,nec pœnitens ipſe cenſetur grauiter inuitus circa illud, cum poſſit ſæpius, & ſæpius eadem peccata confiteri. Vnde illud damnum, abſque dicta admonitione eſt facilè reparabile per alias ſubſequentes Confeſſiones; & ad eam non tenetur ob graue Confeſſarij ſcandalum,vel infamiam inde reſultantem.

10 Ad confirmationem,dico,differentiam magnam eſſe inter Sacramentum Baptiſmi,Ordinis, & Pœnitentiæ; nam ex defectu Baptiſmi ſequuntur grauiſſima damna regulariter irreparabilia;quia ſi Baptiſmus non fuit validus, nec cætera Sacramenta erunt valida , neque habebunt effectum in tali ſubiecto non baptizato. Vnde nunquam fieri poterit per Sacramentum ex attrito contritus,donec ritè baptizetur.Idem eſt de Sacramento Ordinis,quia ſi aliquis exiſtimetur Sacerdos,cùm reuera non ſit, ſequuntur grauiſſima incommoda miniſtrandi inualidè cætera Sacramenta. Vnde ob has cauſas vix poteſt admitti in his Sacramentis excuſatio admonitionis,tam ſimpliciter neceſſariæ ad reparanda tã grauia damna: At in Sacramento Pœnitentiæ longè diſſimilis ratio eſt, quia pœnitens non tenetur illam Confeſſionem iterare,& per alias Confeſſiones ſubſequentes poteſt ſuppleri defectus:niſi fortaſſe in eo caſu, in quo proximus propter illum defectum exponeretur periculo æternæ damnationis,vt ſi eſſet in articulo mortis,& non poſſet confiteri iterum,nec fortaſſe recepturus eſſet aliud Sacramentum,nam in hoc caſu poſtponenda eſſet alia difficultas vt ſubueniretur tali proximo.

11 Ad argumentum Cardinalis Lugo negatur, Confeſſarium , qui ſcienter,& culpabiliter illum defectum commiſit, debere cum graui ſuo damno pœnitentem monere de illo defectu; quia damnum quod intulit pœnitenti,iam reparatur per alias Confeſſiones ſubſequentes,vt dictum eſt:ſicut in materia Iuſtitiæ,infamator non tenetur ad famæ reſtitutionem,ſi v.g.virorum grauium teſtimonio,vel probitate vitæ penitus reſtituta ſit;& ſi dominus recuperat vel ſuâ, vel aliorum operâ equum quẽ ſuſtuliſti, non teneris ad reſtitutionẽ; quia non poteſt bis eandem rem accipere:vnde tametſi verum ſit,iure Naturę obligari furem ad reſarcienda omnia damna ſecuta ex iniuſta acceptione rei,etiam cum graui damno proprio;tamen ſi aliunde eſſent reſarcita, ad id non teneretur:ſic qui cauſa fuit iniuſta irritandi Sacramentum Pœnitentiæ,deberet per admonitionem ſui defectus,reparare damnum illud,quod intulit, niſi illud repararetur per ſubſequentes Confeſſiones,nec illi inde reſultaret infamia,vel ſcandalum.

SECTIO VII.

Ad quid Confeßarius teneatur, quando errauit in damnum Tertij?

1 PRocedit quæſtio de Confeſſario,qui commiſit errorem circa obligationes pœnitentis, omittendo impoſitionem obligationis pœnitenti quoad reſtitutionem ad quam verè tenebatur. De quo eſt multorum ſententia, Nuñez,Zanard. Gabrielis, Syluestri,& aliorum quos refert Diana *tom.1.tract.2.Miſcell.reſol.1.* teneri illum ad reſtitutionem.

Quod poteſt probari *primò*, quia tam Parochus, quàm alius Confeſſarius tenetur ex officio docere pœnitentem quoad neceſſaria:ergo cùm non docet,omittit id quod ex officio debet;qui autem tacet, quando ex officio tenetur loqui,virtualiter dicit, non eſſe obligationem reſtituendi:ergo eſt cauſa moralis, quòd pœnitens non reſtituat; atque ideò eſt cauſa damni alterius tertij: ergo ſi non eſt aliud remedium , ipſe tenebitur ad reſtitutionem , quia verè intulit damnum, contra Iuſtitiam tacendo , quando loqui tenebatur.

Secundò,ſi non docet poſteà,cùm poſſit,peccat,quia dat ſcandalum pœnitenti;ſed dare ſcandalum, eſt,cauſam peccandi præbere alteri:ergo ſi non admonet, verè cauſat retentionem pecuniæ alienæ;atque adeò tenebitur ad reſtitutionem.

Tertiò,Prælatus non impediens ſubditum detrahentem famæ alienæ,peccat contra Iuſtitiam, & tenetur ad reſtitutionem, licet eius officium reſpiciat ſolum bonum ſubditorum: ergo licèt officium Confeſſarij reſpiciat ſolum bonum pœnitentis , peccabit contra Iuſtitiam, non impediens alieni retentionem.

Vltimò, quando Confeſſarius poſitiuè dixit, non reſtituendum eſſe, contra ius alterius, & id ex culpa graui, hoc eſt mortali contra Iuſtitiam, debet admonere de errore vt reſtituat; aliter enim ſi non admonet, vel ſi admonitus iam non poſſit reſtituere, cùm prius poſſet, ipſe Confeſſarius debet reſtituere , ſi pœnitens alioquin non reſtituiſſet: ergo idem dicendum, quando non poſitiuè, ſed omiſſiuè errauit Confeſſarius, non præcipiendo pœnitenti reſtitutionem, ad quam tenetur; quia in vtroque caſu tenetur procurare, ne ex ſua actione, vel etiam ex ſua omiſſione ſcandalum accipiant alij, hoc eſt incitamentum ad peccandum.

Hanc ſententiam putat valdè probabilem noſter Leſſius, *lib. 1. de Iuſtitia, cap. 13. dubitatione 10. num. 77.* ſi ſermo ſit de iis, qui ex Officio habent curam animarum, vt ſunt Epiſcopi, & Parochi. Probat, quia cùm iſti ſint Superiores, ex officio tenentur regere ſubditos, & pro modo ſuæ gubernationis impedire, ne aliis damnum inferant, ideò enim decimas à populo, & ſtipendia Eccleſiaſtica percipiunt, ſicut Principes, & Magiſtratus ſæculares, tributa & vectigalia: atque ideò tenentur curare, ſi commodè poſſint, vt reſtitutionem faciant; nam eiuſdem rationis eſt, inferre damnum, & illatum nolle reſarcire: quare cùm in hoc Sacramento adminiſtrando, id commodè poſſint procurare, ſi negligant, tenentur de damno ex omiſſione ſecuto: At verò ſi ſermo ſit de illis Confeſſariis,qui ex officio ad curam animarum non tenentur, vt ſunt Religioſi,verius eſt,hos non teneri de damno ſecuto,etiamſi ex negligentia pœnitentem non monuerint. Reddit rationem, quia adminiſtratio Sacramenti Pœnitentiæ, præcisè non obligat ad impediendum damnum tertij, ſed ſolùm ad curandum bonum pœnitentis; & quamuis ex præſenti munere teneantur pœnitentem monere, & inſtruere, non tamen tenentur ad hoc ex obligatione ad tertium,ſicut Superior tenetur,ſed ex obligatione erga pœnitentem,quia tenẽtur eius ſalutem ſpiritualem procurare: Vnde ſi omittant, peccant contra debitum, quo ſunt obſtricti pœnitenti, non quo tertio.

Contraria ſententia verior eſt,ac communior,nempe non teneri Confeſſarium ex Iuſtitia,nec obligari ad 3
reſtituendum ; quam tenent Suarez , Coninck, Rebellus, Malderus, Filliucius, Bonacina, & alij, quos refert, & ſequitur Cardinalis Lugo *diſputatione vigeſima ſecunda ſectione 3. num. 67.* Ad cuius maiorem explicationem,

Dico *primò*,in hac re nullam eſſe ponendam diffe- 4
rentiam inter Confeſſarium proprium qui ex officio tenetur abſoluere, & delegatum qui ex voluntate abſoluit & voluntariè ſe immiſcet. Quam diſtinctionem illam Leſſij meritò reiiciunt Suarez,Lugo,& alij ,quia licèt

licèt delegatus Cófeſſor in hoc differat à proprio, quòd ille in principio non tenebatur Confeſſionem audire, ſed ſponte audit; tamen poſtquam aſſumpſit illud munus, debet iuſtum iudicium ferre, & abſoluere pœnitentem, ſi diſpoſitus eſt, non ſecus ac Confeſſarius proprius: Neque ex ratione *ſup.* adducta, obligatur magis Confeſſarius proprius, quàm delegatus; quia vtroſque obligatio, quâ obſtricti ſunt populo, ſolum eſt in ordine dumtaxat ad ſpiritualia, ne ſubditi v. g. doctrinâ prauâ inficiantur, ne Sacramenta eis denegentur, nec Abſolutio peccatorum, ſi ſint benè diſpoſiti: Ad id verò tenentur non ex obligatione ad tertium, ſed ex obligatione ad pœnitentes, quâ obſtricti ſunt ad eorum ſalutem ſpiritualem procurandam, & conſequenter ſi omittant, peccant contra debitum, quo ſunt obſtricti pœnitentibus, & non alicui tertio.

5 Dico *ſecundò*, quando Confeſſarius, quiſquis ille ſit, omiſſiuè errauit & culpabiliter, non admonendo, vel etiam non præcipiendo pœnitenti reſtitutioné debitam alicui tertio, v. g. non peccare contra Iuſtitiam, atque adeò non teneri ad vllam reſtitutionem. Prima pars Dicti probatur, quia Confeſſarius non habet ex officio ſuo procurare vtilitatem temporalem aliorum, & quòd ius ſuum vnicuique ſeruetur ſicut Iudex, vel Gubernator temporalis; ſed ſolùm intendit bonum ſpirituale pœnitentis ſui, contra quod formaliter peccat, non contra alium tertium, quando omittit facere quod debebat: Vnde omittens monitionem de reſtitutione non omittit aliquid, quod creditoribus pœnitentis debeat, ſed quod debebat ſuo pœnitenti ad bonum animæ ſuæ: quare negligens in ea re contra Charitatem peccat, in damnum tertij, non verò contra Iuſtitiam. Ex quo patet ſecunda pars Dicti, quia reſtitutio eſt opus externum Iuſtitiæ Commutatiuæ; cuius officium eſt conſtituere æqualitatem inter datum & acceptum, id eſt inter damnum, & compenſationem, quod fit reſtitutione. Confeſſarius autem in præſenti caſu, tametſi peccet contra Charitatem, cùm non habeat ex officio, quòd ius temporale vnicuique ſeruetur, ſed ſolùm attendit ad bonum ſpirituale pœnitentis, ad nullam reſtitutionem obligatur, ex eo quòd omiſerit monitionem pœnitenti de reſtitutione facienda.

6 Hinc obiter colligere licet rationem à priori, cur obligatio reſtituendi non oriatur niſi ex iuſtitia Commutatiua, & nequeat oriri ex Charitate etiam debita proximo; hæc enim ſumenda eſt ex diuerſitate obiecti & motiui formalis diuerſi harum virtutum: nam Iuſtitia Commutatiua reſpicit formaliter bonum æqualitatis, hoc eſt, quòd vnuſquiſque habeat quæ ſua ſunt, & nemo ſine ſuis rebus maneat: Hoc autem bonum à Iuſtitia intentum eodem modo obligat poſt furtum, v. g. ſicut anteà; ſi enim furatus es equum Petri, violaſti quidem Iuſtitiam Commutatiuam; quæ furtum prohibebat, ne Petrus careret re ſua: hoc autem motiuum eodem modò perſeuerat poſteà, vt conſtat, atque ideò eodem modo hæc Iuſtitia obligat ad reſtituendum ne Petrus careat re ſua. Quòd ſi equum occidiſti, adhuc manet idem motiuum cùm adhuc Petrus careat re ſua, quod malum Iuſtitia impedire conatur, & ideò obligat ad reſtituendum pretium, per quod iam Petrus videtur habere ſuũ equum, cùm habeat pecuniam, quâ alium ſimilem habere poteſt. Obligat ergo Iuſtitia Commutatiua ad reſtitutionem, quia perſeuerat idem motiuum honeſtatis, ratione cuius obligabat ad non furandum, ſcilicet, ne detur inæqualitas, hoc eſt ne aliquis careat rebus ſuis: At aliæ virtutes, v. g. Charitas non obligat poſteà ad reſtitutionem, quia tranſacta illa occaſione, non perſeuerat motiuum quod reſpiciebat: vt ſi ex Charitate teneris ſuccurrere proximo grauem neceſſitatem patienti, peccas quidem, ſi non ſuccurras, poſteà tamen non debes aliquid reſtituere, quia vel neceſſitas perſeuerat, vel ceſſauit: ſi perſeuerat, teneris certè ſuccurrere, non tamen ratione damni illati, nec per modum reſtitutionis, ſed ſicut ſi nunc primò inciperet neceſſitas proximi, quæ te obligat quandiu durat: ſi verò neceſſitas ceſſauit, ad nihil teneris, quia ceſſauit motiuum, quod reſpicit Charitas; hoc enim erat, quòd proximo tuo neceſſitatem patienti ſubuenires: ceſſante autem neceſſitate non manet honeſtas ſubleuandi proximum, cùm iam non indigeat ſubleuatione. Similiter dicendum eſt in noſtro caſu de Confeſſore, qui culpabiliter omiſit admonere pœnitentem ad debitam proximo reſtitutionem; ad id enim tenebatur ex Charitate vel Religione, & ideò peccauit; poſteà verò non tenetur aliquid reſtituere, quia id non tenetur præſtare ex motiuo æqualitatis, ne proximus careat re ſua, ſed ex motiuo Charitatis, vel boni ſpiritualis pœnitentis, vel etiam boni proximi graui neceſſitate oppreſſi.

Dico *tertiò*, quando Confeſſarius omiſſiuè, & culpabiliter errauit omittendo monitionem debitam, teneri 7
poſteà ex Charitate admonere pœnitentem, quando pœnitens ex illa omiſſione, & ſilentio Confeſſarij moueri poteſt ad credendum licitum, & faciendum id quod eſt illicitum, & in damnum tertij, ſecus verò, ſi pœnitens ex illo Confeſſarij ſilentio non moueatur. Ratio eſt, quia vnuſquiſque tenetur procurare, ne ex ſua actione, vel etiam ex ſua omiſſione ſcandalum accipiant alij, hoc eſt incitamentum ad peccandum: Vnde non ſolùm peccat qui ſcandalum prębent comedẽdo carnes, quę eſt actio poſitiua; ſed etiam qui ſcandalum præbet, non audiendo Miſſam, quæ eſt omiſſio; nam ex hac etiam omiſſione moueri poteſt proximus ad peccandum. Igitur ſi ex illo ſilentio Confeſſarij, moueatur pœnitens ad non reſtituendum, eo quòd Confeſſarius nihil *illi* dixerit, debet Confeſſarius procurare, ne ex illa ſua omiſſione oriatur tale ſcandalum.

Ad argumenta oppoſita. Ad primum, dico Confeſſarium non teneri ex officio in ordine ad creditores pœnitentis, ſed ſolùm in ordine ad pœnitentem, cui ſoli, 8
& non aliis obligatur ex officio: Vnde quamuis ipſi pœnitenti teneatur Confeſſarius ex officio iniungere reſtitutionem; non tamen ad hoc tenetur obligatione Iuſtitiæ, quam habeat erga creditorem, ſed ex obligatione erga pœnitentem, quâ tenetur ſaluti ſpirituali eius conſulere. Falſum eſt autem, omnes qui ex officio quocumque modo tenentur monere, & tacent, virtualiter docere contrarium, quia poſſunt tacere ex metu, ex verecundia, vel ex negligentia.

Ad ſecundum, reſpondeo, eum qui dat ſcandalum nó intendendo, nec directè volendo ruinam proximi, non eſſe propriè cauſam peccati alieni, niſi tantum impropriè, quatenus qui non impedit, cùm deberet, dicitur cauſa. Verum quidem eſt, id ſufficere, vt obligetur ad reſtitutionem ſi tenebatur ex officio: Hac enim de cauſa gubernator, qui non impedit furta, prout ex officio debebat, peccat contra Iuſtitiam, & tenetur ad reſtitutionem; nam propter obligationem Iuſtitiæ, quam habet, peccat contra ius quod ciues habent aduerſus illum, & cenſetur perinde ac ſi poſitiuè cauſaſſet illud damnum.

Ad tertium, dato Antecedente, adhuc negatur Conſequentia ob diſparitatem rationis; nam Prælatus eſt etiam caput politicum ſuorum ſubditorum, quos tenetur gubernare in ordine ad bonum commune aliorum ciuium, ne illis inferant damna; nam illi, qui caput eſt politicum, tribuuntur & imputantur damna à ſubditis illata: At Confeſſarius non eſt caput politicum pœnitentium, ſed ſolùm medicus ſpiritualis ipſorum, nihil aliud reſpiciens niſi bonum ſolummodò pœnitentium ſine ordine ad alios, quibus ipſe nihil debet. Quare ſicut medicus

medicus corporalis, qui ob negligentiam non dedit infirmo medicinam opportunam, & incidit in amentiam, & furioſus hominem occidit, ideò non tenetur reſtituere damnum illatum, quia ipſe non ſe obligauerat aliis, ſed ſoli infirmo, cuius ſolius bonum debebat procurare; & licèt omiſerit id quod ex officio debebat, non tamen ex officio reſpiciente alios præter infirmum: ſic idem dicendum eſt cum proportione de Confeſſario, qui eſt medicus ſpiritualis in ordine ad bonum pœnitentis.

Ad vltimum, diuerſa eſt ratio vnius caſus, atque alterius; nam in priori caſu Confeſſarius verè fuit cauſa dãni, quia conſulens furtum, ſi ex malitia, vel culpa graui id faciat, cooperatur furi, & tenetur ad reſtitutionem, fure non reſtituente; ſimiliter ergo Confeſſarius qui ſuo conſilio iniuſto impediuit reſtitutionem rei alienæ, non minùs tenebitur ex iuſtitia, quia dominus rei habet ius contra illum, ne impediat furem à reſtitutione facienda, & Confeſſarius dedit veram cauſam damni, quod creditor incurrit. Idem eſt, ſi culpabiliter pœnitenti reſtitutionem præcepit, quando reſtituere non debebat; quia iam ſu a actione iniuſta cauſa fuit illius damni decipiẽdo pœnitentem. Circa hanc autem obligationem Confeſſarij, eſt notandum, ſatisfacere ſuæ obligationi, ſi pœnitentem potentem adhuc reſtituere, doceat quid debeat facere; nec Confeſſarium ad aliquid teneri, licèt pœnitens non reſtituat. Ratio eſt, quia tametſi in aliis materiis dici ſoleat, conſulentem, etiam reuocato conſilio, manere obligatum; in hac tamen materia, non ita ſe habet, nam quando ea obligatio perſeuerat reuocato conſilio, ideò eſt, quia motiua, quæ attulit Conſiliarius, perſeuerant in mente alterius, qui conſilium accepit; atque ideò conſilium præteritum influit, tametſi reuocetur. In noſtro verò caſu non procedit hoc, quia cùm ex errore datum fuit conſilium, ſolùm influebat propter auctoritatem Confeſſarij, quæ omninò aufertur reuocato conſilio, & facta proteſtatione de veritate contraria: quare non poteſt iam influere ampliùs error prior in negationem reſtitutionis: At verò quando Confeſſarius non poſitiuè, ſed omiſſiuè errauit, omittens admonitionem culpabiliter, tametſi peccet, ſed non contra Iuſtitiam, quia non omittit aliquid, quod creditoribus pœnitentis debeat ex officio; ſicut Gubernator, quia non impedit furta, provt ex officio debebat, contra Iuſtitiam peccat.

8 Notat benè Suar. *ad fin. ſect. 6.* etiam in altero caſu, quando Confeſſarius non omiſſiuè, ſed poſitiuè errauit, Confeſſarium non teneri ſimpliciter ad reſtituendum, ſed ad monendum pœnitentem, & tollendam deceptionem, dummodò hoc faciat opportuno tempore, itavt propter illius moram non ſit pœnitens factus impotens ad reſtituendum; quia tunc illi imputabitur: ſi verò opportunè moneat, iam tollit cauſam nocumenti, quam poſuerat, & ideò effectus illi non imputatur.

SECTIO VIII.

An quando Confeſſarius ex negligentia culpabili non interrogauit pœnitentem de circumſtantiis neceſſariis ad integritatem Confeſſionis, teneatur poſteà pœnitentem monere de defectu commiſſo.

1 ALiqui, inter quos Antonius Fernandez *in examine Teologiæ moralis, par. 3. cap. 5. §. 11. n. 4.* affirmant teneri, ſi abſque ſcandalo, & graui detrimento fieri poſſit.

Probatur *primò*, quia Confeſſarius eſt cauſa, quòd pœnitens violet præceptum confitendi ſpecies, numerum, vel alias circumſtantias neceſſariò explicandas ex diuino præcepto: ergo debet certiorem facere pœnitentem, ne ampliùs tranſgrediatur illud præceptum.

Secundò, ſi iſte pœnitens poſtea iterùm rediret ad eundẽ Confeſſarium, deberet illum in Cõfeſsione admonere Confeſſarius de defectu cõmiſſo in Cõfeſsione precedẽti; ergo & debet quoque poſteà extra Cõfeſsionẽ.

Tertiò, quilibet debet docere proximum, ſi commodè poteſt, quem videt propter ignorantiam violare aliquod diuinum præceptum; ergo potiori iure Confeſſarius, qui ſcit pœnitentem propter ignorantiam violaturum præceptum diuinum circa integritatem Confeſsionis, debet eum monere, ſi commodè poteſt.

Alij ſentiunt, vt Filliuc. *to. 1. tr. 7. c. 12. n. 374.* ſi non 2 pendet damnum tertij, regulariter Confeſſarium ad nihil teneri, præterquã ad dolorem de peccato facto. Probat, quia pœnitens non tenetur illam Confeſsionẽ iterare, ſed ad ſũmum explicare circumſtantiam illam, vel ſpeciem, vel numerũ peccati, quæ omiſit, quando reſciuerit ſe ad id fuiſſe obligatũ. Idem videtur ſentire Suar. *dict. ſect. 6. n. 8.* Vbi vniuerſaliter dicit, quando ex errore ſcienter commiſſo non pendet damnum tertiæ perſonę, & Abſolutio non fuit nulla, regulariter ad nihil teneri Confeſſarium niſi ad pœnitentiam agendam, quia pœnitens non tenetur illam Confeſsionẽ iterare; vnde per Attritionem poteſt ſupplere defectum, ſi aliquis fuit ex parte eius. Dicit autem *regulariter*, quia ſi fortaſſe Cõfeſſor decepit pœnitentem in re aliqua pertinente ad ſalutem animæ eius, ex qua pendet, vt maneat in occaſione peccandi, tenebitur illum monere, vel illuminare, iuxta regulam Charitatis, & prudentiæ, vitando ſcandalum quoad fieri poſsit. Hæc Suarez.

Denique Card. Lug. *dict. ſect. 3. n. 75.* exiſtimat quoq; 3 Confeſſarium, quando negatiuè, ſeu purè omiſsiuè cõmiſit illum defectum, etiamſi id fecerit culpabiliter, nõ teneri poſteà extra Confeſsionem monere pœnitentem, quia præceptum integritatis non obligat directè Confeſſarium ſed pœnitentem; Confeſſarius autem tenetur interrogare, & examinare, quia eſt Iudex, & non poteſt licitè proferre ſententiam niſi prius plenè informetur de toto ſtatu cauſæ, & perſonæ, quam debet abſoluere: Vnde poſtquam ſententiã protulit, & functus eſt officio ſuo, non obligatur ampliùs illo præcepto interrogãdi, & examinandi. Aliunde verò ipſe non eſt cauſa, quòd pœnitens poſteà non confiteatur illa peccata, quia nec ipſe id dixit formaliter, nec virtualiter, itavt pœnitens ab eius auctoritate moueatur ad illa non confitenda, ſed à ſua obliuione, vel imperitia: & licèt debuerit ex officio eum docere in actu Confeſsionis, non tamen poſteà tenetur extra illud iudicium; nam extra Confeſsionem non debet paſcere nec gubernare ſubditos ex notitia Confeſsionis, ſed ſicut ſi eorum peccata non audiſſet.

Prima ſententia Antonij Fernandez perplacet mihi. Iuxta quàm;

Dico *primò*, ſi Confeſſarius abſque ſcandalo, & ſine 4 vllo nocumento poteſt monere pœnitentẽ de omiſsione interrogationis neceſſariæ ad integritatem Cõfeſsionis, teneri illum monere, tametſi abſque malitia per inaduertentiam, vel obliuionem naturalem illum defectũ commiſerit. Ratio potiſsima quæ me mouet, hæc eſt, *primò* quia in hoc euẽtu poteſt prodeſſe monitio Confeſſarij, & non affert vllum nocumentum: ergo tenetur eam facere; patet Conſequentia, quia tametſi Confeſſarius non peccauerit, tamen ex facto ipſo, nempe ex defectu integritatis Confeſsionis per ſe grauiter obligantis, naſcitur prædicta obligatio, vt pœnitens eam intelligat, & poſteà adimpleat præceptum diuinum integritatis Confeſsionis. *Secundò*, quia Confeſſarius debet docere pœnitentem, quem videt propter ignorantiam violare aliquod diuinum præceptum, ſi commodè poteſt, vt eſt per ſe manifeſtum: ergo etiam cùm pœnitens ex illa omiſsione, ſeu ſilentio Confeſſarij

moueri poſſit ad credendũ confitẽdas nõ eſſe circũſtãtias ſpectantes ad integritatem Confeſſionis, eo quòd Cõfeſſarius nihil illi dixerit, debebit certiorẽ facere illũ, ne amplius illud præceptum tranſgrediatur. *Tertiò*, cõcedũt omnes, ſi iſte pœnitens poſteà iterùm rediret ad eundem Confeſſarium, debere illum in Confeſſione admonere de cõmiſſo defectu in Confeſſione præcedẽti, quia eſt in illo foro Iudex, & Doctor, & vtroque titulo debet interrogare de iis, quæ videt à pœnitente per obliuionẽ vel ignorantiam omitti; cùm ergo videat omitti ea, de quibus in præcedenti Confeſſione debebat interrogare, conſequens eſt, vt nunc debeat inquirere de illis, ad procurandam integritatem Confeſſionis præſentis. Igitur idem dicendum eſt, debere quoque poſteà illum monere extra Confeſſionem, ſi commodè poſſit.

5 Reſpondet Cardinalis Lugo, tametſi Confeſſarius debuerit ex officio pœnitentẽ docere in actu Cõfeſſionis; non tamẽ poſtea teneri extra iudiciũ Confeſſionis, quia Confeſſarius extra Confeſſionem non debet paſcere, nec gubernare ſubditum ex notitia Confeſſionis, ſed ſicut ſi illius peccata non audiſſet.

Sed id nullo modo videtur obeſſe, quia cùm certum ſit de; licentia pœnitentis, quæ libere, ac ſpontaneè dari ſolet, poſſe Confeſſarium loqui de auditis in Confeſſione; certè eâ conceſſâ, poteſt, & debet Confeſſarius paſcere pœnitentem, ac docere quod tenetur ſcire de integritate Confeſſionis ex præcepto diuino facienda, quod ſtrictè obligat. Nec etiam valet dicere quod addit idem Cardinalis, eſſe tædium loqui cum pœnitente poſt Confeſſionem de rebus Confeſſionis: nam cùm ſit in ordine ad bonum ſpirituale animæ eius nimirùm ad intelligendam grauem obligationem faciẽdi integram Confeſſionem, poteſt, & debet in Domino conſolari, cùm ſit remedium ſuæ ignorantiæ, & notitia præcepti grauiſſimi, quod ſeruare tenetur in Confeſſione.

Vltimò, idem firmatur à paritate: nam in defectu circa ſubſtantiam, & valorem Sacramenti, tametſi inculpabiliter contingat ex naturali inaduertentia, vt oſtendi *ſuprà, ſectione ſexta, numero ſexto*, ſi fieri poteſt ſine ſcandalo, & ſine vllo nocumento Confeſſarij, tenetur monere pœnitentem de ipſo defectu, quia poteſt prodeſſe dicta monitio; & ex facto ipſo, nẽpe carentia Abſolutionis hæc obligatio naſcitur: nam Confeſſarius ipſe abſoluens inualidè, tametſi id fiat inculpabiliter, eſt in cauſa, quòd pœnitens non obſeruet legem diuinam, confitendo iterùm illa peccata à quibus non eſt validè abſolutus, prout reuera, & ſecluſâ ignorantiâ teneretur: At hæc eadem ratio militat in præſenti caſu; nam ex facto ipſo, nempe ex defectu integritatis Confeſſionis per ſe quoque grauiter obligantis naſcitur prædicta obligatio, vt pœnitens eam intelligat, & ſic adimpleat præceptum diuinum integritatis Confeſſionis. Igitur tenetur Confeſſarius monere de ipſo facto pœnitentem, ſi commodè poſsit abſque vllo ſcandalo, vel nocumento.

6 Dico *ſecundò*, graui; damno, vel ſcandalo interueniente, Confeſſarium non teneri eo onere monendi, ſi ex naturali inaduertentia, abſque culpa, omiſit interrogare de circumſtantiis neceſſariis ad integritatem Confeſsionis. In hoc omnes conueniunt, quia cùm ille defectum commiſerit ſine vlla culpa, non tenetur illum reſarcire cum ſuo graui damno in fama, & honore ipſius.

7 Dico *tertiò*, eſſe quoque excuſandum Confeſſarium, tametſi illum defectum commiſerit ex malitia, ſi prudenter timeatur ſcandalum, ſeu graue damnum. Hoc etiam communiter docent Doctores. Hoc dixi *ſuprà ſectione ſexta, num.* 8. de defectu Abſolutionis; modò idem dico de defectu integritatis Confeſsionis. Et moueor eadem ratione, quia ex eo quòd Confeſſarius non moneat pœnitentem de illo defectu integritatis, nullum ſequitur damnum, quod non ſit reparabile abſque dicta admonitione. Patet, quia ipſi pœnitenti nullum fit damnum; nam omnia illa peccata, quæ per defectum integritatis Confeſsionis non fuerunt directè remiſſa, tamen indirectè fuerunt ablata, vt conſtat: quod ſatis fuit ad ſalutem pœnitentis. Aliud verò incommodum, quòd illud Sacramentum non fuerit ex parte materiæ integrum, quod iure diuino neceſſarium erat, materiale tantùm eſt, reſpectu pœnitentis; nam verè excuſatur à tranſgreſsione illius præcepti, cùm non fuerit defectus commiſſus à pœnitente, vt ſupponitur: Et quamuis Confeſſarius illum defectum commiſerit, & ideò grauiter peccauerit; ideò tamen non tenetur monere, quia non obligatur cum graui ſui honoris & famæ detrimento illi incommodo remedium adhibere. Si enim pœnitens ipſe excuſatur aliquando ab integritate materiali Confeſsionis, propter ſcandalum, vel grauem infamiam vitandam, vt latè explicui ſuprà *in hoc tract. diſp.* 22. per varias ſectiones; potiori iure Confeſſarius ad euitandam eius infamiam vel ſcandalum, excuſari poteſt à prædicta admonitione.

SECTIO IX.

An aliqua pœna impoſita ſit in iure indebitè miniſtranti?

SVppono, miniſtrationem indebitam Sacramenti Pœnitentiæ, poſſe eſſe multiplicem. Primò, quia fiat ſine iuriſdictione. Secundo, quia ſine vlla ſcientia. Tertiò, quia ſine neceſſaria intentione. Quartò, quia ſine diligentia debita in exquirendis ſpeciebus, numero, vel circumſtantiis. 1

Dico ergo *primò*, quacumque ratione Confeſſor indebitè miniſtrauerit Sacramentum Pœnitentiæ, non incurrere vllam pœnam Eccleſiaſticam iure communi. Ita omnes: Ratio eſt, quia non reperitur in iure vlla pœna lata, quam incurrat Sacerdos inique fungens hoc officio. In Bulla autem Cœnæ eſt pœna excommunicationis contra præſumentes abſoluere à caſibus Bullæ: verùm illa non ſpectat ad ius commune, & immediatè eſt impoſita propter Abſolutionem à reſeruatis: Sic etiam poteſt contingere, vt in Ordinariorum ſtatutis ſit aliqua pœna impoſita, quæ conſulenda ſunt. 2

Dico *ſecundò*, qui fingeret feriò ſe Sacerdotem, vt Sacramentũ Pœnitentiæ fictè miniſtraret; incurrere pœnã irregularitatis. Conſtat, quia eſt expreſsa in iure, *de Clerico non ordinato miniſtrante*, & verba generalia ſunt, & comprehendunt tam Clericos quàm Laicos, quia dicit, *ſi quis non ordinatus*; quod intelligendum eſt reſpectiuè, id eſt, non ordinatus ſufficienter ad illum actum Confeſsionis, quem exercere vult: hinc ſequitur, quòd non Sacerdos, licèt ſit Diaconus, ſi Sacramentaliter abſoluat, eſt irregularis. 3

Obiicies Rubricam illius Textus, quę eſt, *de Cleric. nõ ordinato miniſtrãte*: ergo pœnæ omnes contẽtę ſub illo titulo ferũtur in Clericos, & nõ in Laicos. Reſpõdet Suar. verba Rubricæ nõ eſſe ſatis ad limitanda verba Textus; tum quia in Codice Gregoriano refertur, multa exẽplaria ſolùm habere, *de non ordinato miniſtrante*; Tum etiam, quia exponi poteſt, vt ſenſus Rubricæ ſit, de eo qui cùm non ſit clericus ordinatus, miniſtrat.

Notat

4 Notat benè Suarez, ad incurrendã hanc irregularitatem oportere; vt aliquis ſeriò, ac ſcienter, & temerè hunc actum exerceat, vt colligunt Doctores, ex illo verbo Textus, *propter temeritatem*.

5 Addo, ſi Sacerdos, qui non eſt Epiſcopus, exerceat actus Epiſcopales, verbi gratiâ, ſi adminiſtret Sacramentum Confirmationis, vel Ordinis, eſſe quoque irregularem, vt notauit noſter Auila *de Cenſuris, diſp. 9. dubio 15*. Ratio eſt, quia etiamſi demus realiter eſſe eundem characterem Sacerdotalem, & Epiſcopalem; nihilominùs vt character Sacerdotalis extendatur ad munera Epiſcopalia, requiritur noua conſecratio, & aliter non extenditur.

6 In hac verò irregularitate exercendi Ordinem, quem non habet, poteſt Epiſcopus diſpenſare, vt vtatur Ordine ſuſcepto; vt verò aſcendat ad vlteriores, ſolus Papa diſpenſat. Sic Angelus *verbo, Irregularitas, 1. num. 38.* qui citat Hoſtienſem, tenet Villadiego *c. vlt. de irregul. verſic. Circa illum verò qui cùm non eſſet ordinatus.* Probatur ex *capite 1. de clerico non ordinato.*

Cæterùm poſt Tridentinum Epiſcopus diſpenſat etiam ad vlteriores Ordines, ſi delictum ſit occultum.

DISPVTATIO LIV.

De ſigillo Confeſſionis, & ſecreto ſeruando.

DIXIMVS in præcedentibus de prima obligatione Miniſtri, quæ eſt quaſi præuia ad actum Confeſſionis; & de ſecunda quæ eſt quaſi concomitans ipſam Confeſſionem: ſequitur vt in hac Diſputatione dicamus de tertia obligatione conſequente, ſeu relicta ex Confeſſione ipſa, quæ eſt de ſeruando ſecreto, quod Confeſſarius ſeruare tenetur de his rebus, quas in Confeſſione audiuit. Hoc ſecretum per antonomaſiam, dicitur Sigillum; nomen autem Sigilli ſignificat inſtrumentum, quo ſolent obſignari litteræ, vel quidpiam aliud, quod nolumus eſſe aliis manifeſtum; Vnde in *cap. 5. Apocalypſ.* vidit Ioannes *librum ſignatum ſigillis ſeptem*, ad denotandum, quàm abſtruſa eſſent diuinæ Prouidentiæ myſteria, & opera mirabilia, & quòd ſolus Agnus, nimirùm Chriſtus Dominus ſumma ſapientia potuerit ea reuelare, dum librum aperuit: Inde autem translatum eſt per metaphoram hoc nomen, adiuncto vocabulo Confeſſionis, ad ſignificandam ſtrictiſſimam obligationem, quâ Confeſſarius tenetur ſecretum ſeruare in iis, quæ pœnitens ipſi declarat, dum ſacramentaliter confitetur.

SECTIO PRIMA.

An ſigilli Confeſſionis obligatio ſit tanta, vt in omni caſu obliget inuito pœnitente?

1 DIco *primò* certiſſimum eſſe in Eccleſia Catholica, Confeſſarium teneri grauiſſimè ſeruare prædictũ ſigillum, ac ſecretum Confeſſionis. Id manifeſtè conſtat ex vſu, & traditione perpetua Eccleſiæ, & ex omnium communi ſenſu. Hoc idem patet ex propria obligatione Sacramenti Pœnitentiæ, ſeu ſacramentalis Confeſſionis, ſuppoſita inſtitutione talis ſacramenti propter reuerentiam eius, quæ eſt obligatio orta ex virtute Religionis. Quam rationem firmabimus *ſect. ſequenti*: Cui obligationi accedit duplex alia obligatio naturalis, quâ teneretur etiam ſeruare ſecretum, etſi peccata extra Cõfeſſionem audiuiſſet; nempe legis naturalis, quæ obligat ad non reuelanda aliena peccata, ne proximum infamet; & fidelitatis ac tacitæ promiſſionis, ſeu pacti, quo teneretur ſeruare ſecreta, quæ ei ſub ea conditione ſecretò committuntur.

Dico *ſecundò*, hoc ſigillum Confeſſionis tam ſtrictè obligare, vt ob nullum omninò, quantumcumque magnum incommodum euitandum, vllo vnquam caſu, inuito pœnitente, liceat aliqua, quæ ſub ſigillum cadunt, reuelare; etiamſi aliàs integrum regnum, vel totus orbis, aut vita Papæ, vel Regis, aut etiam fides totius mũdi deberet perire. Ita omnes. Et conſtat, ex *capite Sacerdos, de Pœnitentia, diſt. 6.* vbi dicitur, *Propter nullũ ſcandalum vitandum frangendum eſt hoc ſigillum.* idem etiam habetur in *cap. Omnis vtriuſque ſexus fidelis, de pœnitent. & remiſſ.* vbi præcipitur annualis Confeſſio ſub ſigilli ſacramentalis ſecreto, ibi: *Caueat autem Sacerdos, ne verbo, aut ſignis, vel quouis alio modo prodat peccatorem.* Ibique iniungitur depoſitio & detruſio in arctum Monaſterium contra reuelantem. Roboratur quoque perpetuo vſu & traditione Eccleſiæ, quæ ſemper Confeſſionis ſigillum inuiolabiliter obſeruauit. Vnde hoc ſigillum, vt inſeruit Sacramento Pœnitentiæ, in hunc modum definiri poteſt: Eſt Inuiolata, & indiſpenſabilis obligatio occultandi ea, quæ in Confeſſione ſacramentali dicuntur. Et ratio huius tantæ obligationis præcipua, eſſe videtur iniuria quæ fieret Sacramento, ſi in aliquo caſu etiam vrgentiſſimo reuelari poſſet illius ſigillum, fieret enim odioſum hoc Sacramentum pœnitentibus, & iuſtè homines ab eo deterrerentur, illúdque formidarent. De quo plura *ſect. ſequenti*. 2

Ex his colligo *primò*, in nullo Concilio oppoſitũ reperiri poſſe: Nam quod obiici ſolet ex Concilio Carthagin. VII. *c. 5.* relato, *in c. placuit, 9. quæſt. 2.* Vbi Epiſcopus ſupponitur, poſſe aliquando dicere, quod in Confeſſione audiuit, ibi non eſt ſermo de Confeſſione ſacramentali; nullum enim ibi eſt verbum, quod hoc ſignificet, ſed de alia exteriori Confeſſione facta, ſolo Epiſcopo interrogante. Quod etiam opponitur ex Cõcilio Moguntino *c. 10. & 11.* Vbi ſignificatur, olim fuiſſe in vſu, vt quædam peccata in Confeſſione audita tacerentur, alia in publicum proferrentur, conſtat, ibi nõ eſſe ſermonem de reuelatione à Confeſſario facienda, ſed à pœnitente, qui volebat publicam pœnitentiã agere aliquorum peccatorum, quæ fieri etiam poterat ſine reuelatione cauſæ; ſi autem hæc interdum dicebantur, erat ex ſola voluntate ipſius pœnitentis. 3

Colligo *ſecundò*, etiamſi violatio ſigilli eſſet vtilis ipſi pœnitenti, & crederetur non fore ingrata, nec propterea Confeſſionem reddendã eſſe oneroſam, & nullo modo poſſe licitam eſſe. Ratio eſt, quia moraliter eſt impoſſibile, quod aſſumitur, videlicet reuelationẽ Confeſſionis non eſſe oneroſam pœnitenti: & licèt ita contingeret in particulari caſu, id eſſet per accidens: at ceſſante particulari fine legis, non ceſſat eius obligatio: præſertim, quia hic non tam attenditur commodum pœnitentis, quàm iniuria grauis ipſiuſmet Sacramenti. 4

Colligo *tertiò*, ſi mortuus ſit pœnitens, & neceſſariũ ſit aperire crimen eius ad impediendum, v.g. vſum matrimonij alicuius, quod eſt nullum; adhuc in eo caſu nõ poſſe violari ſigillum Confeſſionis: nam licèt pœnitens mortuus ſit, obligatio tamen ſigilli ſemper durat, quia hoc eſt neceſſarium ad bonum vſum talis Sacramenti; timerent enim viui dicere peccata ſua, ſi vel poſt mortem reuelari poſſent: nam proximi fama 5

etiam poſt mortem ſeruanda eſt. Adde, præceptum ſigilli eſſe abſolutum; & teſtimonium Confeſſarij ex ſcientia Confeſſionis nullam fidem facit in foro exteriori, vt ſumitur ex *c. 2. de offic. Ordin. & ex c. Dilectus, de exceſſibus Prælatorum.*

6 Colligo *vltimò*, tametſi quis non teneatur tueri famam proximi cum periculo propriæ vitæ, adhuc Confeſſarium in caſu euidentis periculi mortis, non poſſe ſigillum Confeſſionis violare, quia non reuelatio ſigilli eſt bonum commune, & maioris momenti eſt, quàm propria vita; vnde ſi propter commune bonum non licet reuelare ſigillum Confeſſionis, multò minùs propter propriam vitam. Neque hoc eſt tueri famam proximi, ſed eſt non infamare, quod eſt valdè diuerſum: & prætereà eſt non facere iniuriam Sacramento, quod maius eſt.

SECTIO II.

Quo iure inducta ſit tam ſtricta ſigilli Confeſſionis obligatio?

1 Certum eſt *primò*, hanc ſtrictam obligationem non oriri ex ſolo iure humano Eccleſiaſtico. Patet, quia eſt maior quàm poſſit lex humana obligare; quia tametſi poſſit interdum lex humana imponere præceptum cum diſpendio, vel euidenti vitæ periculo, quando ad commune expedit bonum; tamen quòd obliget etiam in periculo boni communis, excedit planè facultatem humanæ legis præcisè, niſi aliunde vel diuina lex, vel ipſa rei natura talem afferat obligationem: Vnde nec Eccleſia, vel Papa poteſt hanc legem ſigilli abrogare, neque in illa diſpenſare. Quod nunquam factum eſt, nec aliquis Catholicus concedet fieri poſſe: Id enim omne conſtat ex ſenſu, & vſu Eccleſiæ.

2 Certum eſt *ſecundò*, prædictam ſtrictam obligationem, quæ in nullo caſu ceſſare poſſit; non poſſe oriri ex quouis iure Naturæ. Patet, quia ſunt multæ obligationes iure Naturę non tam ſtrictę, quin ſæpe ceſſent; nam iure Naturæ tenetur quis non reuelare peccatum proximi, ne eum infamet; & tamen quando id bonũ publicum exigit, poſſum alterius crimẽ mihi ſecretò commiſſum etiam cum ipſius infamia publicare. Talis etiam eſt obligatio non accipiendi alienum, quæ non obligat in neceſſitate extrema: Similiter obligatio iure Naturæ hominem non occidendi, non obligat in caſu defenſionis neceſſariæ. Eodem modo reuerentia loci ſacri poſtulat etiam iure Naturæ, vt quæ in eo tanquam in aſylo depoſita ſunt, nullo modo auferantur; & tamen licitum eſt in extrema neceſſitate aliena bona ex aſylo loci ſacri abripere, quia neceſſitas facit, vt multa quæ aliàs repugnant reuerentiæ loco ſacro debitæ, eidem repugnare deſinant. Exemplum ſit de actu coniugali inter coniuges habito in Eccleſia: quando enim coniuges in Eccleſia eo vtuntur, ſine neceſſitate, tunc ille actus ex natura rei eſt iniurioſus loco ſacro, & ſacrilegus, & per eũ polluitur Eccleſia; ſecus quando eſt grauis aliqua neceſſitas, vt ſi ratione obſidionis, aut ob ſimilem cauſam, coniuges debeant diu intra Eccleſiam manere, itavt nec diu, nec noctè poſſint egredi: tunc enim videtur nimis graue, & periculoſum ob humanam fragilitatem eos cogere perpetuò toto illo tempore coniugij vſu abſtinere; Vnde ille actus tunc non videtur illicitus, aut iniurioſus Eccleſiæ, quia neceſſitas irreuerentiam excuſat, & conſequenter Eccleſia per eum non polluitur. Similiter igitur modo poſſet quis dicere, quando id exigeret magna Reipublicæ neceſſitas, ſi nihil aliud obſtaret, quàm quod ſigillum Confeſſionis obligat iure Naturæ, poſſet Confeſſarius ſine vlla Sacramenti irreuerentia illud violare.

Reſtat igitur difficultas, vnde naſcatur ſtrictiſſima illa ſigilli obligatio, vt nulla omninò ex cauſa liceat illud 3
inuito pœnitente reuelare?

Multi volunt hoc oriri ex iure Naturæ, & intrinſeca ratione Confeſſionis. Cuius varij varias rationes reddunt ad fundandum hoc naturale præceptum, quas oportet expendere, antequam meam ſententiam proponam.

Prima ratio, quam reddit Soto *diſt. 18. q. 4. a. 5. §. Quòd* 4
ſi contra, dicit hoc ideo fieri, quia hoc præceptum eſt negatiuum, ac proptereà ſemper, & quocumque caſu obligare; ſicut quia præceptum non occidendi propria auctoritate eſt negatiuum, ita nullo caſu licet occidere. Hęc ratio nulla eſt, quia præceptum non infamandi eſt negatiuum, & tamen poteſt ob publicum bonũ fieri: Præceptum etiam non reuelandi aliena peccata extra Confeſſionem cognita, eſt etiam negatiuum, & tamen licitè ea reuelantur, quando ad tuendam vitam eſt neceſſariũ: imò ad defenſionem vitæ propriæ licitum eſt, priuata auctoritate occidere inuaſorem. Cur igitur non erit licitum detegere Confeſſionem eius, qui vult prodere Rempublicam.

Secunda ratio eſt, quia eſſet mendaciũ, dicendo ſe ſci- 5
re, cũ non ſciat niſi vt Deus, in quo ſignificat ſe ſcire vt hominẽ, cùm tamẽ id nõ ſciat vt homo, ſed vt Deus. Sed hæc non ſatisfacit, quia licèt homo ſciat vt Deus, id eſt, vt gerens vicẽ Dei in illo munere, tamẽ nõ poteſt excludi, quin ipſe homo ſciat; & dum ita ſe ſcire affirmat, nõ mẽtitur. Cuius rei ſignũ eſt, quia de licẽtia pœnitẽtis poteſt id dicere: vnde in diuerſo ſenſu poteſt Confeſſarius negare ſe ſcire, & affirmare ſe ſcire abſq; vllo mẽdacio; nam neſcit, vt iure dicere poſſit, ſcit autem de facto.

Tertia ratio eſt, quia Sacramentũ Pœnitentiæ ſig- 6
nificat, Deum perpetuò peccata cõdonare, atque ita ea quaſi obliuiſci: vnde cùm Sacerdos ea cognoſcat vt ſuſtinens perſonam Dei, ſi ea reuelaret, ſignificaret Deum eorum adhuc recordari: quod eſſet contra ſignificationẽ Sacramenti huius. Sed hæc ratio non valet, quia dũ Sacerdos peccata audita reuelat, non facit hoc in perſona Dei, ſed vt hic homo, & conſequenter non ſignificat Deum eorum memorem eſſe. Prætereà de licentia pœnitentis reuelare poteſt, & tamen non fit contra ſignificationem, quia eadem manet ſignificatio Sacramẽti. Denique ipſa obligatio ſigilli non eſt per ſe impoſita propter ſignificationem, id enim accidentale eſt, ſed propter rem ipſam, vt Sacramentum ipſum conuenienter tractetur, & conſeruetur.

Vltima ratio, quæ efficaciter probare videtur, ſtrictiſſimam obligationem ſigilli oriri non ex alio poſitiuo præcepto diuino, ſed ex ipſa dignitate Sacramenti ac neceſſitate, ſuppoſitã à Iure Naturæ eius inſtitutione, traditur à Suario *diſp. 33. ſect. 1. n. 7. & ſeq.* & explicatur à Cardinali Lugo *diſp. 23. ſect. 1. n. 8. & ſequentibus*: Quia ſicut in aliis materiis, verbi gratia, pollutionis voluntariæ, fornicationis, & mendacij, eſt obligatio iure Naturæ talis, vt in nullo caſu etiam neceſſitatis extremæ, vel propter bonum totius Reipublicæ, vel Vniuerſi, exceptionem patiatur: ſic enim pollutio voluntaria nullo vnquam caſu licita eſt, etiam cum propriæ mortis periculo, etiam cum diſpendio, & ruina Regni, cuius ſalus dependet ex vita huius hominis, qui tali remedio indiget; & hoc totum ideò defenditur, quia bonum prolis maioris momenti eſt, cui maximè aduerſaretur licentia poſſibilis ad pollutionem voluntariam, etiam pro aliquo raro caſu; quia homines

ſenſu

ſenſuales fingerent ſibi, vel procurarent illum caſum. Et quidem cùm caſus ille rariſſimus ſit, ſatius eſt, quòd ille particularis patiatur aliquod detrimentum, quá quod bonum commune prolis humanæ patiatur in aliis caſibus detrimentum ex poſſibilitate illius licentię. Similiter fornicatio in nullo vnquam caſu licita eſt, propter bonam educationem prolis, quia quamuis in aliquo raro caſu certum eſſe poſſet, prolem non paſſuram vllum detrimentum in educatione, vel rebus neceſſariis, maxime ſi iam hæreditas opulenta relicta fuiſſet, & educatores deſtinati pro filio, qui ex tali concubitu naſceretur: nihilominus tamen oportuit in re tanti momenti præcauere radicitus damna illa, quæ poterant prouenire, nulla prorſus ſpe relicta licentiæ pro aliquo caſu. Idem eſt de mendacio, quod in nullo caſu licitum eſt propter commercium humanum: ita ſimiliter in materia ſigilli Confeſſionis, ſi ſemel, vel in aliquo raro caſu liceret Confeſſionem reuelare, daretur occaſio dubitandi, an interueniret ratio ſufficiens ad reuelandum; & pœnitentes formidarent, ne Confeſſarius apprehenderet in hoc caſu licere, & quò grauiora eſſent crimina, eò magis timerent propter maiorem neceſſitatem, quæ poſſet eſſe illa reuelandi ad bonum Reipublicæ, vel ad tuendum innocentem, vel ad alia grauiſſima damna impedienda: Vnde Confeſſio fieret odioſa in grauem iniuriam Sacramenti. Suppoſita autem neceſſitate maioris reſtrictionis in ſigillo Confeſſionis, quàm in ſecreto naturali, non poterat moraliter aſſignari eius terminus, niſi per totalem prohibitionem reuelationis, vt omnia inconuenientia vitarentur. Quare neceſſitas huius Sacramenti in quo potiſſimè ſalus fidelium conſiſtit, exigebat non minorem prohibitionem eius reuelationis, quæ Confeſſionem maxima ex parte impediret, quàm ſit in pollutione voluntaria, fornicatione, & mendacio, propter damnum, quod afferunt contra bonum prolis, aut bonam prolis educationem, aut humanum commercium.

7 Noſtro Coninck *diſputatione nona, dubio ſecundo, numero trigeſimotertio*, non ſatisfacit hæc ratio, quia licet Confeſſarius poſſet reuelare peccatum, quando id neceſſarium eſt ad impediendam Reipublicæ euerſionem; non ideò Confeſſio redderetur odioſa, nec homines ab ea deterrerentur. Probat, quia in tali caſu pœnitens vel non debet abſolui, vel debet permittere, quòd Confeſſarius reuelet, quod neceſſarium eſt ad impediendum tam graue damnum: ergo ex timore reuelationis licitæ, non poſſet magis tunc à Confeſſione abſtinere, quàm nunc; nam etiam nunc ſcit, ſi confiteatur, obligandum eſſe à Confeſſario ad permittendum reuelationem peccati ob bonum Reipublicæ, & tamen hoc non obſtante vult confiteri: ergo licèt ſciret à Confeſſario reuelandum, non ideò magis fugeret Confeſſionem, quàm nunc eam fugere debeat: Cur enim is qui ſuum peccatum etiam cum vitæ periculo tenetur reuelare, quando id eſt omninò neceſſarium, ne integra Reſpublica euertatur, non tenebitur id confiteri ei, qui hoc eſt reuelaturus cum exiguo, aut etiam nullo ipſius damno? Firmat, quia ille qui tenetur ita confiteri vt permittat, vel etiam ad hoc iuuet, vt ſuum peccatum per Confeſſarium, vel alio modo periclitantibus reueletur, non poteſt ideò à Confeſſione abſtinere, ne reueletur: Atqui talis eo caſu ad illud tenetur, poſito quòd illud per ſe nolit reuelare: ergo non poteſt eo caſu ab eius Confeſſione abſtinere, ne reueletur. Quare dictus Coninck ſecutus hac in parte Vaſquez *quæſt. nonageſimatertia, articulo quarto, dubio primo, numero decimo*, ſentit arctiſſimam illam ſigilli obligationem, non eſſe de iure diuino naturali, ratione naturali deducta ex ipſa inſtitutione Sacramenti, ſed de iure diuino poſitiuo ex voluntate Chriſti addentis hanc nouam obligationem, & ſtrictiſſimã, quam ex traditione, & praxi Eccleſiæ colligimus. Quod probat; Tum ex refutatione præcedentis rationis: Tum quia alias multi indiſcretè Confeſſionem reuelando, redderẽt eam odioſam: nam ſi in aliquo caſu inuito pœnitẽte eſſet facultas reuelandi Confeſsionem, ea eſſet omninò inutilis, imò & pernicioſa; quia nemo vellet tales caſus confiteri, & ſic nunquam per Confeſsionem eiuſmodi mala poſſent impediri; quæ tamẽ iam ſæpe impediuntur, dum pœnitẽtes inducuntur, vt à malo propoſito deſiſtant, aut etiam vt rem permittant reuelari: Igitur hoc tam ſtrictum ſecretum non oritur ex ſolo iure Naturæ, ſed debuit iure Poſitiuo præcipi.

Probabilior mihi videtur hæc vltima ſententia. Dico itaque ſtrictiſsimam obligationem ſacri ſigilli Confeſsionis, quæ ſemper fuit, & erit, & in omni caſu, non oriri ſufficiẽter ex iure diuino naturali, ſed ex quodã iure diuino poſitiuo ſuperaddito ex volũtate Chriſti, inſtitutioni Sacramẽti Confeſsionis; quo Chriſtus intuitu reuerentiæ Confeſsionis inſtitutæ, præcepit in omni caſu ſeruari ſecretum Confeſsionis. Moueor ad id aſſerendum, quia ex nullo alio iure poteſt oriri tam ſtricta obligatio. Probatur, quia inprimis nequit oriri ex iure humano Eccleſiaſtico, vt conſtat ex dictis *ſuprà num.* 1. Neq; ex iure naturali Iuſtitiæ, vt oſtenſum eſt *n.* 2. Neque id ſufficiẽter oriri poteſt ex iure naturali diuino Religionis. Quod vltimum ſic oſtendo: nã ſi id ius ſufficeret, maxime quia poſita inſtitutione diuina Cõfeſsionis ſit iniuria ſeu irreuerẽtia ipſi Confeſsioni, ſi peccatum in ea auditum aliquando, quãuis in grauiſsimo caſu reueletur, quia ea reuelatione Confeſsio ita fieret moleſta, & odioſa pœnitentibus, vt ab ea retraherentur, ac deterrerẽtur, ipſaque tota periret; quod eſſet maius malum quàm aliquod aliud, quod poſſet accidere, ex eo quod peccata non reuelarentur: At id non ſequi videtur manifeſtè oſtendi, quia ex eo quòd Sacerdos poſsit reuelare audita in Confeſsione in raro, & peculiari caſu tantùm, quo hoc eſſet neceſſarium ad eximendam Rempublicam à præſentiſsimo periculo euerſionis, vel perditionis Fidei, v.g. præſertim ſi hoc fieret ſine vllo damno pœnitentis, per ſe loquendo, nõ poſſet reddi Confeſſio odioſa: nã pœnitens in eo caſu ad nihil obligaretur ad quod iam non eſt obligatus, nam iam etiam tenetur tale peccatum confiteri, & vel per ſe monere Rempublicam vt ſibi caueat, vel permittere, vt Confeſſarius hoc faciat, quatenus hoc eſt neceſſarium vt periculum euitetur, nec aliud incommodum ex dicto caſu fuiſſet ſecutum. Videantur dicta *ſuprà numero ſeptimo*, Igitur cùm ſit vniuerſale præceptum, & obligatio arctiſsima, non reuelandi ſigillum Confeſſionis vnquam, quauis occaſione, etiam totius Orbis perditione; & ad id præcipiendum non ſit ſufficiens præceptum & ius diuinum naturale; neceſſariò concedendum eſt, fuiſſe præceptum, & ius diuinum poſitiuum, ex voluntate Chriſti, ſuperadditum Confeſsioni, obſeruandi ſigillum vniuerſaliter, & in omni caſu. 8

Obiicies; Chriſtus de facto in fauorem Sacramenti prohibuit Confeſſario, eo etiam caſu euerſionis Reipublicæ, vel perditionis Fidei in Regno, reuelare: ergo hæc prohibitio etiam pro eo caſu facta apertè oſtendit multò magis odioſam reddi Confeſsionem ex facultate, quam Confeſſarius haberet ad reuelandum propria auctoritate, quàm ex eo quòd poſsit non abſoluere pœnitentem niſi reuelet, vel permittat reuelari. Quod magis firmatur, quia in primo caſu pœnitens poſſet timere, ne Cõfeſsarius, vel paſsione, vel zelo, vel ignorantia ductus iudicaret reuelandum, quando poterat ſuauiori modo remedium aliud adhibere, 9

vel quando neceſſitas non exigebat tam extraordinarium remedium,& ideò Confeſſio fieret odioſa : At in ſecundo caſu , cùm non poſſit ſine ipſius pœnitentis conſenſu reuelatio fieri , non eſt vlla ratio timendi à Confeſſione;quia adhuc retinet in ſe poteſtatem examinandi obligationem, & cogitandi an poſſit faciliori via prouidere ſine manifeſtatione ſui peccati.

10 Ad hanc obiectionem reſpondeo , & dico tria quæ inter ſe benè cohærent. *Primum eſt*,eo argumento benè probari, quod nos etiam fatemur, & à nemine negari poteſt,fuiſſe valde conueniens,quòd Chriſtus de facto in fauorem Sacramenti Pœnitentiæ,& Confeſſionis,abſolutè & vniuerſaliter prohibuerit omni Confeſſario in illo caſu,& in omni alio poſſibili reuelare, ſeu violare ſigillum;quia nimirum ex malitia hominum dicerent Confeſſarios indiſcretè,& per imprudentiam abuſuros ea licentia & facultate in grauiſſima neceſſitate,& non examinarent obligationem ſecreti in eo caſu , & ſic redderent per accidens Confeſſionem odioſam , contra vniuerſale bonum Eccleſiæ. *Secundum eſt*,ſi Chriſtus non præcepiſſet præcepto diuino poſitiuo dictam reuelationem vniuerſalem,ſed negotium ſigilli reduxiſſet ſolum ad ius diuinum naturale,quod ex natura rei neceſſariò ſequitur ex inſtitutione Confeſſionis ; tunc fuiſſet talis reuelatio in vrgentiſsima neceſsitate per ſe licita & honeſta , vt ſatis *ſuprà* probatum eſt;quia tunc cùm non fuiſſet prohibita,non eſſet in ſe mala : vnde nec eſſet per ſe odioſa , ſed per accidens ex hominum malitia , ac peruerſitate. Sicut ex eo quod ex Matrimoniis clandeſtinis ſequantur multa mala ob magnam hominum peruerſitatem , benè ſequitur meritò ab Eccleſia ad euitanda incommoda ex malitia hominum orta , fuiſſe prohibita, & irrita , ſed non ſequitur ea iure naturæ eſſe inualida,aut etiam illicita,vt docui in *tractatu de Matrimonio,diſp.39.ſect.2*.*Tertium eſt*,confirmationem Argumenti allati benè probare eſſe aliquam diſparitatem ; ex ea tamen non ſequitur,ſigillum Confeſsionis in quolibet caſu etiam grauiſsimo non fuiſſe inductum à Chriſto Domino iure diuino poſitiuo , quod nos intendimus:Imò ex illa diſparitate colligendum eſt oppoſitum,nempe à Chriſto fuiſſe meritò prohibitam vniuerſalem ſigilli reuelationem in omni caſu,ne Confeſsio peccatorum omniũ per accidens ex malitia hominum redderetur valdè odioſa,& exoſa.

11 Quæret aliquis:vnde conſtat dictam ſigilli obligationem ſtrictiſsimam eſſe inductam à Chriſto Domino iure & præcepto diuino poſitiuo;cùm id neque ex Scriptura,neque ex Conciliis colligi videatur ? *Reſpondeo*, tametſi non ſit expreſſa iſta obligatio quòd ſit orta à iure diuino poſitiuo in Scriptura ſacra,nec apud Concilia, & Patres tam frequenter inueniantur teſtimonia huius veritatis;ea tamen colligitur ex traditione,& praxi Eccleſiæ:Patet,quia ex omnium Doctorum conſenſu conſtat , hanc ſtrictiſsimam obligationem ſemper fuiſſe in vſu,ortámque fuiſſe ex traditione perpetua à tempore Apoſtolorum,& à Chriſto Domino præſcriptam.Præterea iam eſt oſtenſum,nõ fuiſſe inductam iſtam vniuerſalem obligationem ex vi inſtitutionis Sacramenti Confeſsionis.Igitur ea inducta eſt à Chriſto Domino alio iure,& præcepto Diuino poſitiuo ex voluntate ſua,propter reuerentiam tanti,ac tam vtilis Sacramenti,ne vllus in rerum natura Confeſſionem redderet odioſam,& exoſam : Quare hæc obligatio erit de iure diuino merè poſitiuo.

SECTIO III.

Ex qua Confeſsione oriatur obligatio ſigilli. 11

VEriſſima eſt omnium Doctorum ſententia,ex omni & ſola Confeſſione Sacramentali oriri obligationem ſigilli. 1
Prior pars,nempe obligationem ſigilli oriri ex omni Confeſſione Sacramentali, eſt manifeſta; quia præceptum ſigilli eſt vniuerſale,& abſolutum , & quia eadem eſt ratio de quacumque;nam ex reuelatione cuiuſlibet Confeſſionis Sacramentalis fieret odioſa, quo homines ab ea retraherentur , quod in omni caſu vitandum eſt, vtpote iniuria grauis facta ipſi Sacramento.Secunda pars,nempe obligationem ſigilli ex ſola Confeſſione Sacramentali oriri,probatur , quia hæc obligatio,vel oritur ex Sacramento, vel illi ſoli annexa eſt:ergo ſi Confeſſio nõ ſit Sacramentalis,Sacramentũ non eſt etiam inchoatum,atque ideò non habet locum ibi ſigillum:cùm ipſi Confeſſioni nulla fiat iniuria:Vnde obligatio ſigilli non oritur ex manifeſtatione peccati,quæ non ſubiicitur Clauibus,ſaltem ex intentione pœnitentis , quamuis ipſe dicat ſe illud manifeſtare ſub ſigillo Confeſſionis , & non aliter ; quia ex eo quòd id dicat , manifeſtatio , ſeu Confeſſio peccati non fit Sacramentalis , adhuc intentionaliter , vt patet.

Ex hac doctrina plures ſequuntur caſuum reſolutiones cum communi doctrina : Vnde ſequitur *primò* , ſi 2
Confeſſio defectu Sacerdotis,fiat ſcienter laico,vel inferiori Clerico non Sacerdoti,tametſi quis dicat , ſe ea quæ dicit,dicere ſub ſigillo,& alter promittat ſe ea ita accipere,per talem Confeſsionem non induci obligationem ſigilli.Ratio eſt,quia obligatio ſigilli eſt ſolùm annexa Confeſſioni à Chriſto inſtitutæ,aut ei quæ cũ hac ita connexa eſt,vt ſine ipſius iniuria non poſsit illius ſecretum violari;at talis Confeſsio laico facta nullo modo eſt à Chriſto inſtituta, nec fit vllo modo ei , cui Chriſtus nobis præcepit vt cõfiteamur,atq;adeò nõ eſt Sacramẽtalis:Vnde quòd eius ſecretum violetur, nullo modo cedit in iniuriã Confeſsionis verè Sacramẽtalis; non enim ex eo quòd talis laicus non obligetur ſigillo, poterit quis meritò deterreri,quominus confiteatur Sacerdoti. Nec refert quòd confitens putet hanc confeſſionem eſſe Sacramentalem,& à Chriſto in eo caſu præceptam:nam hoc ſibi imputare debet , quia iſte error nullo modo cauſatur ex inſtitutione huius Sacramenti, quod nullo modo inſtitutum eſt,vt Confeſsio fiat laico, aut non Sacerdoti;vnde tametſi putet laicum in eo caſu poſſe validè abſoluere, & confiteatur ex intentione Abſolutionis validæ à Chriſto inſtitutæ , cùm tamen non apprehendat,nec intendat verum Sacramentum, & Abſolutionem à Chriſto inſtitutam,ſed aliam fictã, quam ipſe ex ſuo errore ſibi fingit:nam Chriſtus inſtituit Confeſsionem factam Sacerdoti,ipſe autem intendit Confeſsionem factam laico,quam Chriſtus non inſtituit,ideò non mirum ſi non oriatur ſigillum:hoc enim Chriſtus impoſuit in fauorem Sacramenti à ſe inſtituti , vt ex illius intentione nemo incurreret periculum infamiæ:iis verò,qui non intendunt tale Sacramentum ſed aliud fictum omninò diuerſum , non eſt annexum priuilegium ſigilli,ſicut ſi quis ex errore putaret,Confeſsionem factam coram imagine Crucifixi eſſe Sacramentalem,ille qui eum auſcultaret,non teneretur ad ſigillum,cùm illa nullo modo ſit Confeſsio Sacramentalis à Chriſto inſtituta.

Sequi

Digitized by Google

3 Sequitur *ſecundò*, Confeſſionem factam ei, quem pœnitens bona fide, licet falſò, credebat Sacerdotem inducere ſigillum. Ratio eſt, quia in hoc caſu pœnitens apprehendit Confeſſionem, & Abſolutionem veram, quam Chriſtus inſtituit, ſcilicet Confeſſionem factam Sacerdoti habenti poteſtatem, licèt erret putans eſſe Sacerdotem, qui Sacerdos non eſt: Vnde hæc Confeſſio eſt Sacramentalis ſaltem ex opinione pœnitentis; falſa quidem, ſed fundata in præcepto Chriſti; Nam poſito errore facti, quo credit talem eſſe Sacerdotem, & habere poteſtatem abſoluendi directè per inſtitutionem Sacramenti, & præceptum Chriſti, inclinatur ad ei confitendum; & in articulo neceſſitatis ad hoc, præcepto Chriſti verè obligatur, quia eſt verum præceptum tunc confitendi Sacerdoti, & hic in apprehenſione pœnitentis eſt Sacerdos: Et quamuis pœnitens in hoc erret, tamen obligatio hic & nunc confitendi non naſcitur ex hoc errore, ſed ex præcepto Chriſti præcipientis Confeſſionem; error autem eſt ſolùm conditio, ſine qua ille hic & nunc non obligaretur confiteri. Vnde cederet in iniuriam Confeſſionis Sacramentalis, ſi talis Confeſſio non obligaret ad ſigillum. Quia cùm in multis caſibus non poſſimus eſſe certi, an ij quibus confitemur ſint verè Sacerdotes, poſſemus ſemper eſſe anxij, an tenebuntur ad ſigillum. Firmatur hoc idem, quia alias ſequeretur, eum qui bona fide credens ſe eſſe Sacerdotem, fuiſſet factus Parochus, & multas audiſſet Confeſſiones, ſi poſteà intelligeret ſe fuiſſe inualidè ordinatum, non teneri ad ſigillum: quod omninò videtur abſurdum, ac cederet in iniuriam Sacramenti.

4 Sequitur *tertiò*, Confeſſionem debere fieri intentione Sacramentali; id eſt animo ſe accuſandi in hoc foro, & ſubiiciendi ſe Clauibus Eccleſiæ: Vnde ſi pœnitens cõfiteatur ſine vlla intentione Abſolutionis obtinendæ, non oriri ſigilli obligationem. Ratio eſt, quia illa non eſt etiam in apprehenſione Confeſſio Sacramentalis, quam Chriſtus inſtituit: Vnde licèt ipſe pœnitens proteſtetur, ſe loqui ſub ſigillo, nihil refert, ſi verè conſtat non accedere ad finem obtinendi Abſolutionem, ſed animo inducendi Confeſſarium ad aliquod peccatum. E contra verò, ſi pœnitens confitetur animo obtinendi Abſolutionem, Sacerdos verò non habeat animum abſoluendi; oritur ſigillum; quia ad hoc ſufficit, & requiritur intentio pœnitentis.

5 Sequitur *quartò*, ſi is qui audit peccatum, decepit alterum, dicens ſe eſſe Sacerdotem, & alius bona fide, & intentione confeſſus eſt, teneri ſeruare ſigillum. Ratio eſt; tum quia licèt illa Confeſſio non terminetur de facto ad Sacerdotem, tamen vt fit à tali pœnitente, ex intentione Sacramenti procedit, & fit Sacerdoti: Tum etiã quia intercedit iniuria eius, qui bona fide confitetur, & etiam ipſius Sacramenti, quod hoc modo poſſet etiam oneroſum, & odioſum reddi, niſi inde oriretur vera obligatio ſigilli: Tum denique, quia cùm hoc præceptum ſigilli impoſitum ſit in fauorem pœnitentis, & Sacramenti, iure ampliandum eſt ad omnem Confeſſionem bona fide factam ſub ratione, & intentione Sacramentali.

6 Sequitur *quintò*, cùm communiter dicitur, requiri ex parte pœnitentis intentionem confitendi Sacramentaliter in ordine ad Abſolutionem obtinendam, vt inducat obligationem ſigilli; eſſe id intelligendum cum aliqua latitudine: Nam licèt pœnitens videat, ſe non eſſe ſufficienter diſpoſitum ad abſolutionem habendam, poterit illa Confeſſio inducere obligationem ſigilli; vnde in *c. Quod quidam, de pœnit. & remiſſ.* dicitur admittendas eſſe, & audiendas Confeſſiones meretricum, & aliorum ſimilium, licèt non ſit danda eis Abſolutio; Requiritur ergo, quòd pœnitens veniat ad Sacerdotem tanquam ad Iudicem in illo foro, vt iudicet de illius diſpoſitione, & dirigat eum in ordine ad id, quod deeſſe iudicat, vt poſſit Abſolutionem aliquando obtinere. Similiter dico, non videri neceſſarium ad inducendam obligationem ſigilli, quod pœnitens in ipſa Confeſſione habeat propoſitum firmum recipiendi Abſolutionem, ſi Confeſſarius iudicauerit eum diſpoſitum, quia poſſet pœnitens velle Confeſsionẽ ex ſe ſufficientem inchoare in ordine ad Abſolutionem, reſeruando ſibi poteſtatem, ſi vellet, poſteà non exigendi Abſolutionem, ſed differendi eam ad aliam occaſionem magis opportunam: Vnde ea Confeſsio iam eſſet inchoata Confeſsio.

Sequitur *ſextò*, non requiri intentionem abſoluendi in Sacerdote, dum audit Confeſſionem, ſed poſſe eſſe Confeſſionem validam, licèt dum audiuit, habuiſſet intentionem non abſoluendi, nec perficiendi Sacramentum, poteſt enim poſteà mutata intentione abſoluere abſque noua confeſſione. Ratio eſt, quia ad audiendam Confeſſionem non prærequiritur conſenſus Confeſſarij, nam ipſo nihil tale cogitante, ſi aliquis moribundus occurrat ei, & dicat, Pater ego me accuſo de tali peccato, abſolue me; illa certè erit Confeſſio Sacramentalis, & poterit eum abſoluere: ſicut in Iudice, ad iudicandum, non prærequiritur intentio audiendi accuſationem, ſed ſufficit, eam, & legitimas probationes audiuiſſe etiam abſque intentione, vt poſſit proferre ſententiam, ad quam requiritur intentio: Vnde quamuis Sacerdos dicat, ſe nolle audire Confeſſionem, ſi tamen eam etiam inuitus audiat, illa Confeſſio ſufficiet ad abſoluendum, intentione mutata, abſque noua Confeſſione; atque adeò illa Confeſſio, quantum eſt de ſe, ſufficit ad Sacramentum conficiendum, & conſequenter ad afferendam obligationem ſigilli. Ita rectè notauit Cardinalis Lugo *diſputat.* 23. *ſect.* 2 *num.* 41. 7

Septimò, ſequitur, ſi pœnitens accedat bona intentione conſulendi animæ ſuæ, petendo conſilium à Confeſſario, & communicando res ſuas cum illo, hoc ſatis non eſſe vt oriatur obligatio ſigilli, quia illa Confeſsio nullo modo eſt Sacramentalis ex vi illius intentionis, aliàs ex quacumque conſultatione ordinata ad bonum animę oriretur ſecretum ſigilli, quod tamen eſt falſum. Quare neceſſaria eſt intentio ſe accuſandi coram Iudice à Chriſto conſtituto, vt ab illo vel abſoluatur, vel curetur, ſeu iuuetur eo modo, quo ipſe iudicauerit expedire. 8

Octauò, & vltimò ſequitur, non eſſe neceſſarium, vt ſit Confeſsio Sacramentalis quòd fiat cum omnibus conditionibus ad Abſolutionem requiſitis: Aliter enim quoties Sacerdos iuſtè negaret Abſolutionem propter indiſpoſitionem pœnitentis, non maneret ſigillo obligatus, & poſſet Confeſſarius dicere illum pœnitentem acceſsiſſe imparatum ad Confeſsionem, aut ſine propoſito emendationis, vel quid ſimile, quod abſurdiſsimum eſt, & contra communem Eccleſiæ ſenſum. Et ratio eſt manifeſta, quia hoc iudicium pœnitentiæ fit cum poteſtate abſoluendi, & ligandi iuxta merita cauſæ, vt conſtat: ergo cùm notitia cauſæ antecedere debeat, neceſſe eſt, vt ſub eodem ſecreto iudici communicetur, ac committatur. 9

SECTIO IV.

Quæ ſit materia ſigilli Confeſsionis?

1 VT circumſpectè procedant Confeſſarij, ne de rebus in Confeſſione auditis poſteà loquantur, oportet vt ſingulatim de omnibus rebus quæ in Confeſſione audita ſunt, & cadunt ſub ſigillum in hac Sectione dicamus. Quod vt melius intelligatur, varias difficultates explicabimus.

Eſt igitur prima difficultas, an quoduis genus peccatorum, quæ commiſſa ſunt, ſint materia ſigilli?

2 Dico *primò*, omnia peccata mortalia non ſolùm in ſpecie, ſed etiam in genere cadere ſub ſigillum. Hoc eſt certum apud omnes Doctores: Vnde non ſolùm is ſigillum violat, qui ex Confeſſione dicit, Petrum commiſiſſe furtum, ſed etiam qui dicit, eum peccaſſe mortaliter, aut aliquid aliud, vnde poſsit colligi mortaliter peccaſſe. Ratio eſt aperta, quia in hoc grauis fit pœnitenti iniuria; & ſemper reſpectu Sacramenti fit etiam grauis iniuria, ac irreuerentia, quia alias auerterentur homines à Confeſsione Sacramentali; quæ certè eo genere reuelationis maxime redditur odioſa, & exoſa.

3 Dico *ſecundò*, peccata venialialia in ſpecie, non in genere, eſſe materiam ſigilli. In hoc conueniunt quoque Doctores: Prima pars probatur, quia peccatum veniale in ſpecie, licèt in ſe ſit materia leuis, & regulariter non ſit grauis infamia; tamen reſpectu Sacramenti, ſemper eſt grauis iniuria, & graue nocumentum, quia aliàs auerterentur homines a Confeſsione peccatorum venialium. Hinc ſigillum violat, qui dicit Petrum ſibi confeſſum eſſe vnum verbum otioſum propter rationem dictam, & quia verè aperit aliquid ex Confeſsione cognitum, quod aliis per ſe non patebat: quàre illam reddit odioſam. Secunda pars videtur per ſe nota, quia poteſt dicere Confeſſarius; iſte mihi confeſſus eſt ſua peccata venialia, nam eo ipſo, quòd confeſſus eſt, ſupponitur confeſſus venialia: ergo ſicut poteſt dicere, confeſſum eſſe, ita poteſt dicere confeſſum eſſe venialia, & pro illis pœnitentiam accepiſſe: nam ex ipſa Confeſsione per ſe patet illum aliqua peccata venialia confiteri, quæ neceſſariò ſunt vel venialia, vel mortalia; Vnde Sacerdos dum dicit eum confeſſum eſſe venialia, tantùm abeſt, vt reuelet aliqua ipſius peccata, vt potiùs arceat ſuſpicionem, quam aliqui poſſent concipere eum confeſſum eſſe mortalia. Fateor tamen Confeſſarium non poſſe dicere de pœnitente confeſſum eſſe peccata venialia grauiuſcula, vel plurima, quia horum Confeſsio non arguitur ex mera Confeſsione.

Notant benè Doctores, cauendum eſſe, ne poſt duorum, vel trium Confeſsiones auditas, dicat Confeſſarius de ſolo vno; hic mihi confeſſus eſt ſola venialia: dat enim occaſionem illa ſingularitas ſuſpicandi alios confeſſos eſſe mortalia. Quando tamen de illo ſolo ageretur ſeorſim, non eſſet contra ſigillum, laudare illum de puritate conſcientiæ, & quod in ſuis Confeſsionibus vix inuenitur Abſolutionis materia, quia tunc nulla videtur fieri comparatio, aut excluſio aliorum, de quibus non occurrit tunc occaſio loquendi.

4 Non eſt audiendus in hac re quod dixit Ledeſma 2. *parte quæſt.* 11. *artic.* 1. *cap.* 5. limitans prædictam doctrinam, dicens, ſi quis reuelat peccatum veniale, affirmans ſe audiuiſſe illud in Confeſsione, eſſe peccatum mortale, ſi tamen ſimpliciter dicat; itavt alij non intelligant id dicere ex ſcientia Confeſsionis, eſſe tantum veniale. Hoc iudicat Suarez improbabile, & alij meritò reiiciunt. *Primò*, quia grauitas huius reuelationis non oritur per accidens ex ſcandalo aliorum, ſed propter reuerentiam Sacramenti, ac per ſe propter fractionem ſigilli, quia eſt contra graue præceptum, & in graui materia. *Secundo*, quia etiam ex reuelatione materiali fit odioſa Confeſsio; non enim ſolùm fit odioſa Confeſsio ex eo quòd reueletur formaliter, vt ſic dicam, ſed etiam quòd ipſæ res cognitæ reuelentur: vnde vtroque modo eſt mortale peccatum.

Secunda difficultas eſt, an ſit materia ſigilli peccatum 5
committendum, vt ſi quis fateatur ſe habere propoſitum fornicandi.

Breuiter reſpondeo, eſſe materiam Confeſsionis. Ita communiter omnes: Ratio eſt, quia peccatum futurum habet connexionem cum propoſito præſenti, quod eſt materia Confeſsionis: Neque enim illud futurum, vt futurum, reuelari poteſt, ſine præſenti voluntate, cum qua habet connexionem. Et quamuis illud peccatum nõ ſit materia Abſolutionis ſine propoſito abſtinendi, eſt tamen materia Confeſsionis: alioquin quoties pœnitens non abſoluitur propter indiſpoſitionem, poſſent reuelari omnia eius peccata: quod falſiſsimum eſt. Quare prædictum propoſitum ſi reuelatur Confeſſario per modum accuſationis, & ſubiectionis in hoc foro, etiamſi non ſit propter Abſolutionem, eſt materia Confeſsionis: ſi autem omninò diceretur extra accuſationem, iam tunc non eſſet Confeſsio; cæterùm hoc modo non ſolùm res futura, ſed etiam peccatum commiſsum poteſt reuelari ſine fractione ſigilli, quia nondum appoſitum eſt fundamentum ſigilli.

Notat Cardinalis Lugo *diſp.* 23. *ſect.* 3. *num.* 53. quod certum eſt, ſi Confeſsio illius propoſiti non fieret verè animo confitendi, ſed inducendi Confeſſarium ad illud peccatum, non eſſet materia Confeſsionis: Vnde ſi hæreticus animo peruertendi Confeſſarium, confiteatur illi tentationes quas habet, & motiua ad deſerendam fidem, tunc ſi de tali animo conſtet, poteſt & debet Confeſſarius peruerſum illum hæreticum denunciare.

Tertia difficultas eſt, an circumſtantiæ, & obiecta 6
peccatorum contineantur ſub ſigillo Confeſsionis. Affirmant omnes, & meritò, nam de circumſtantiis eſt res aperta, quia ſunt quædam peccata, etiam ipſa ſi mutent ſpeciem, vel ſaltem integrant peccatum, quando augent. De obiectis etiam patet, quia ſi quis ſe accuſet de detractione concubinatus Petri, vel proditionis Pauli erga Principem; etiam concubinatus Petri, vel proditio Pauli eſt materia ſigilli, quia ſunt ambo obiecta detractionis acceptæ in Confeſsione. Firmo idem, quia non minus retraheret à Confeſsione horum reuelatio, quàm ipſius peccati: Vt ſi quis confiteatur ſe petiiſſe debitum ab vxore, licèt haberet votum Caſtitatis; non poteſt ſine violatione ſigilli dici, quòd illa habeat votum Caſtitatis.

Vnde colligo, omnia quæ dicta ſunt in Confeſsione 7
ad declarandum peccatum, manere ſub ſigillo Confeſsionis; nam reductiuè ſunt materia Confeſsionis, cùm ordinentur ad accuſationem peccati: & ea etiam reuelata facerent Confeſsionem odioſam, cùm peccata nequeant confiteri ſine eiuſmodi rebus, nec poſsent pœnitentes loqui cum fiducia, & ſecuritate. Hinc eſt, vt etiam vtilia ad explicandum peccatum, licèt non ſint neceſsaria, & quæ à pœnitentibus dicuntur in eum finem, etiamſi fortaſse minùs prudenter agant, quia poſſent aliter id dicere, tenenda ſint ſub ſigillo. Ratio eſt, quia hoc eſt neceſsarium ad communem modum confitendi hominum; & oportet vt etiam ſimplices, & ignorantes poſsint ſecurè, & ſine timore reuelationis confiteri. Quare non ſolùm pertinent ad hoc ſigillum illa quæ neceſsaria ſunt omninò, ſed etiã ea quæ

vtilia

Digitized by Google

vtilia ſunt, vel certè à pœnitente æſtimantur vtilia ad meliùs declarandum ſuum peccatum, vt benè Suarez *diſput.* 33. *ſect.* 4. *numer.* 5. Quia alioquin oneroſa redderetur Confeſſio, cùm pœnitens non ſciat frequenter diſcernere, quæ ſint neceſſaria, quæ vtilia & quæ inutilia ad eum finem. Quare ſicut ſufficit intentio Confeſſionis Sacramentalis, licèt reipſa ex aliqua cauſa Sacramentalis non ſit; ſic ſufficit intentio dicendi illa, tanquam partem, ſaltem in obliquo, Confeſſionis Sacramentalis, ad explicandum peccatum, ad hoc, vt inducatur obligatio ſigilli: Vnde etiam colligo non ſolùm vera peccata, ſed ea etiam, quę peccata non ſunt, & à pœnitente dicuntur, quia putabat eſſe peccata, manere ſub ſigillo propter eandem rationem.

8 Quarta difficultas eſt, circa defectus naturales pœnitentis, qui manifeſtantur occaſione peccati an ſint etiam materia ſigilli Confeſſionis.

Defectus naturales pœnitentis, quos Confeſſarius ex ipſo modo confitendi cognoſcere poteſt, ſunt in duplici genere: Quidam enim ſunt defectus natalium, vel macula originis, vel ignorantia, quæ reddunt pœnitentem indignum officio quod exercet: alij verò ſunt in alio genere, vt pœnitentem eſſe ſcrupuloſum, impertinentiis, & næniis tempus conterere, caput audientis rumpere, eſſe moroſum, & his ſimilia. De omnibus his quæritur an contineantur ſub ſigillo.

9 Circa naturales defectus primi generis; Ratio dubitandi eſt, quia non omnia quæ à pœnitente dicuntur ad explicandum ſuum peccatum, cadunt ſub ſigillo, vt ſi quis ad declarandum ſuum peccatum, dicat ſe eſſe Gubernatorem, vel Dominum, vel Sacerdotem; ex quibus nullo modo indicatur eius peccatum, non videtur Confeſſarius ſigillum frangere, ſi dicat, audiui hodie Gubernatorem, vel Dominum, vel Sacerdotem: ergo quòd aliquid dictum fuerit ad explicandum peccatum, non facit, quòd illud ſub ſigillo contineatur.

Noſter Vaſquez *quæſt.* 93. *articul.* 4. *dubio tertio, numer.* 2. docet, non eſſe materiam ſigilli quando nulla indicia eſſe poſſunt peccatorum, vel peccati pœnitentis; Quia ſic cùm non ſint, nec pertineant, vel per accidens ad Confeſſionem, non videtur quomodo ſub illius ſigillo contineâtur, cùm ſigillum tantùm videatur eſſe reſpectu eorum, quæ ſunt materia Confeſſionis, quorum eſt notitia in hoc foro.

Sotus verò *diſtinct.* 18. *quæſtione* 4. *articulo* 5. *poſt* 2. *concluſionem.* Suarez vbi ſuprà *numero quinto,* Coninck *diſputatione* 9. *dubio* 1. *numer.* 13. & alij, oppoſitum dicunt: Quia ex prædictorum defectuum naturalium, vel originis reuelatione magis odioſa, & oneroſa redderetur Confeſſio, quàm ipſius peccati; mallet enim homo ſua peccata diuulgari, quàm eiuſmodi defectus; quos tamen ſæpe oportet Confeſſario dicere ad explicandam ſpeciem peccati, vnde obiectiuè videntur eſſe pars ipſius peccati.

10 Perplacet mihi hæc ſententia: Ratio eſt, quia pœnitens nunquam dicit prædictos defectus, niſi coactus, vt manifeſtet peccatum ſuum; quos non diceret niſi ad eum finem: ergo dicuntur ab illo ſub eodem ſigillo Confeſſionis, quo dicitur peccatum: vt v. g. ſi pœnitens confiteatur voluntatem quam habuit ſuſcipiendi aliquod officium, quod ſuſcipi non poterat cum defectu illo occulto natalium; vel etiamſi iam officium ſuſcepiſſet, & peccaſſet pœnitens accipiendo tale officium, manifeſtando hæc peccata in Confeſſione, manifeſtat ſimul prædictum defectum ad explicandam ſpeciem peccati: ergo etiam ille defectus maneret ſub ſigillo Confeſſionis, iuxta doctrinam à nobis traditam ſuprà *numero tertio.* Idem eſt de illo pœnitente, qui ſe accuſat, quòd voluit celebrare cũ irregularitate occulta ex defectu lenitatis abſque peccato contracta, quæ non eſt peccatum, ſed circumſtantia illius voluntatis peccaminoſæ; nihilominùs etiam illa caderet ſub ſigillo, iuxta omnium fidelium ſenſum; quia ex materia ipſa ſatis conſtat ſe id dicere, nullo modo extra Confeſſionem dicturum.

Nec huic doctrinæ contradicit Vaſquez, nam exempla quæ ipſe proponit, ſi non deſeruiunt ad declarandum melius aliquod peccatum, non pertinent ad ſigillum; ſecus verò eſſet, ſi ſint neceſſaria ad manifeſtandum peccatum.

Circa alios defectus naturales ſecundi generis, ſunt qui dicunt contineri ſub ſigillo Confeſſionis, atque ideò non poſſe ſine eius violatione Confeſſarium dicere, pœnitentem eſſe ſcrupuloſum, caput audientis rumpere, eſſe moroſum, & his ſimilia. Quibus conſentit Coninck *diſp.* 9. *dub.* 1. *n.* 11. 11

Sed contrarium tenendum eſt proculdubio, cum Nauarro *cap.* 8. *num.* 12. Cardinali Lugo *vt ſuprà numero* 60. Qui diſtinguit ex his defectibus alios eſſe, qui manifeſtantur à pœnitente ad declarandam ſuam conſcientiam, & peccata, & hos ait contineri ſub ſigillo; alios fieri ibi ab ipſo pœnitente, quos Confeſſarius non audit ex relatione pœnitentis, ſed ipſe eos videt, & percipit; & hi, ſicut non dicuntur ſecretò, ſic non ſunt ſub ſigillo: Nam ſi pœnitens ſit blæſus, ſi rudis, ſi hebetis ingenij, qui & ſimiles defectus in Confeſſione percipiuntur, non manent illi ſub ſigillo. Similiter ergo, ſi oſtendit ſe naturæ moleſtæ, irreſolutæ, durioris ad credendum; qui omnes defectus ibi fiunt, & per conſequens cùm non ſint materia Confeſſionis illius, non erunt ſub ſigillo, quia illa peccata non confitetur, ſed committit vidente Confeſſario; niſi peccatum verſetur circa ipſam Confeſſionem; vt ſi peccatum quod prius fecerat, neget, quæ negatio eſt peccatum nouum ibi commiſſum, ſed manet ſub ſigillo, quia non poteſt detegere illud Confeſſarius, niſi dicendo, Confeſſionem fuiſſe diminutam; quod iam eſſet reuelare ipſam Confeſſionem, & eius defectum. Hæc optimè Cardinalis Lugo.

Quinta difficultas eſt, an peccata publica quatenus in Confeſſione audita, ſint materia ſigilli. Nonnulli cũ Ioanne Medina *quæſt. de his, quæ à Confeſſore celanda ſunt,* ſentiunt, ſi de homicida publico, vel meretrice dicat Confeſſarius; Audiui eorum peccata homicidij, & Luxuriæ cum magnis pœnitentiæ ſignis, non violare ſigillum; quia hoc magis laudat, quàm infamat pœnitentem. 12

Cæterùm communis ſententia Doctorum quos refert, & ſequitur Suarez *ſect.* 3. *num.* 6. optimè docet, etiam peccata aliàs publica cadere ſub ſigillo Confeſſionis, quatenus in illa cognita fuere. Ratio eſt, quia in hoc ſemper eſt attendendum iis quæ ſunt per ſe, non verò quæ ſunt per accidens: eſt autem per accidens, alios habere notitiam illius peccati publici aliâ viâ; per ſe autem eſt, quòd notitia Confeſſionis in publicũ deferatur, quod ſimpliciter malum eſt, & iniurioſum Sacramento, quod non poteſt non fieri oneroſum hac ratione; & facilè poſſet extendi hæc reuelatio ad res alias fortè non ita publicas & certas, & ex ipſa Confeſſione augeri poſſet magis infamia alterius: Vnde graue generaretur ſcandalum, etiam inter pios, & doctos; quod eſt ſignum, hanc eſſe reuelationem ſigilli, & grauem.

Hinc patet ſolutio ad argumentum contrariæ ſententiæ, per accidens eſſe, quòd illud reſultet hîc & nunc in laudem pœnitentis, attendi autem debet ad id quod eſt per ſe, ſcilicet, ne poſſit vnquam loqui Confeſſarius de his quæ audiuit, ne ſemel data exceptione, ſæpe loquatur ſine cauſa ſufficienti;

ficienti; & ne vnquam in publicum deferatur notitia Confeſſionis.

Ex his colligo, poſſe Confeſſarium loqui de peccato in Confeſſione audito, ſi alias id nouerit. Ratio eſt, quia ille nullo modo reuelat Confeſſionem, nam perinde loquitur, ac ſi Confeſſionem non audiuiſſet, ita enim ſupponitur: Vnde nullam facit iniuriam Sacramento, nec pœnitenti; imò eſſet grauiſſimum onus Confeſſario, ſi propter Confeſſionem amitteret ius vtendi ſcientia, vel cognitione ſua: poterit ergo vti ſua ſcientia præcedente, vel conſequente Confeſſionem, dummodò non addat certitudinem, vel circumſtantiam propter ſcientiam Confeſſionis. Optimum verò conſili um eſt, ſi tunc dicat Confeſſarius vnde illud ſciuerit, ad tollendam omnem ſuſpicionem reuelationis. Hinc etiam obiter intelligitur, quod notauit Soto *vbi ſuprà*, poſſe Confeſſarium, ſi ſuſpicetur, vel aliàs nouit aliquem furatum eſſe res ſuas, & hoc illi poſtea confeſſus ſit, nihilominùs eum accuſare, dummodò non vtatur ſcientia Confeſſionis ad agendum contra illum, vel noua indicia inquirenda. Hinc denique colligitur, poſſe Parochum, v. g. publicè repellere à Communione concubinarium, vel vſurarium publicum ſibi confeſſum, & non abſolutum, quia tunc vtitur ſcientia publica, quâ conſtat illum eſſe in tali peccato. Verum non debet dicere illum non abſoluiſſe, ſed ſolùm exigere publicam ſatisfactionem, vel emendationem, quam ſi non exhibeat, iuſtè illum repellit.

13 Sexta difficultas eſt de virtutibus, reuelationibus, & aliis ſimilibus gratiis, quas in Confeſſione pœnitens manifeſtat, an ſint materia ſigilli. Communiter negant Doctores, quia nec ſunt peccata, nec materia Confeſſionis. Placat mihi diſtinguere cum Cardinali Lugo *vbi ſuprà num.* 58. Vel enim ea dicuntur ad habendam inſtructionem à Confeſſario, ſeu ad manifeſtandum integrè conſcientiæ ſtatum; & tunc non pertinent ad materiam Confeſsionis, neque ad ſigillum, ſed ad ſecretum naturale. Vel dicuntur ad declarandum melius aliquod peccatum, verbi gratia, ingratitudinem erga Deum poſt hæc beneficia Dei; & tunc videntur pertinere ad ſigillum, cùm iam ſint, ſaltem in obliquo, materia Confeſsionis. Ipſe verò credo regulariter manifeſtari illa Confeſſario priori modo ad dandam conſcientiæ rationem.

14 Septima difficultas eſt, an liceat referre peccatum, non nominando perſonam pœnitentis. Fatentur omnes, licere peccata, circumſtantias, obiecta, & alia dicere, dummodò non ſit periculum, vt in pœnitentis ſuſpicionem veniri poſsit. Verùm ad hoc maxima cautela & prudentia neceſſaria eſt, propter acutum aliquorum ingenium ad colligendum auctorem ex aliquo facto narrato: vnde ea, quæ concomitanter dicuntur in Confeſsione, ſed non pertinent ad accuſationem peccati, non continentur ſub ſigillo propie; ſemper tamen ſpectat ad prudentiam etiam de iis cautè loqui.

15 Octaua & vltima difficultas eſt, an in hoc peccato fractionis ſigilli Confeſsionis poſsit dari culpa venialis ex leuitate materiæ. Cardinalis Lugo *diſp.* 23. *ſect.* 3. *num.* 71. ſic ait, facilè poſſe admitti leuitatem materiæ, quando res quæ narratur eſt talis, vt ſit periculum aliquod ingerendi ſuſpicionem alicui, ſed adeò tenue periculum, vel adeò remotam ſuſpicionem, vt non ſufficiat ad imprudentiam grauem, nec ad grauem irreuerentiam contra Sacramentum. Probat, quia negari non poteſt, non conſiſtere in indiuiſibili obligationem non loquendi de auditis in Confeſsione, quia aliquando de illis licitè loquimur, quando nullum eſt periculum manifeſtationis; aliquando eſt clarum periculum, & eſt graue peccatum ita loqui; aliquando verò poteſt eſſe adeò remotum periculum, vt licèt melius eſſet tacere, & poſsit eſse veniale loqui, non tamen ſufficiat ad mortale.

Adhæreo communiori ſententiæ Doctorum aſſentium peccatum veniale vel minimum in Confeſsione auditum eſſe materiam grauem ſigilli Confeſsionis, itavt ex ea parte, per ſe loquendo, ſemper ſit peccatum mortale reuelare illud. Ratio eſt, quia licèt reſpectu pœnitentis illa regulariter non ſit grauis infamia, reſpectu tamen Sacramenti ſemper eſt grauis iniuria, & graue nocumentum, quia aliàs auerterentur homines à Confeſsione peccatorum venialium, quæ redderetur illis odioſa, & exoſa. Quare ſicut reſpectu alicuius perſonæ reuelatio alicuius peccati mortalis non eſt grauis infamia, & tamen reſpectu Sacramenti ſemper eſt peccatum mortale, quia eſt ſemper reſpectu illius grauis iniuria, & irreuerentia, quia auerterentur homines à Confeſsione peccatorum mortalium; ita ſimiliter cum proportione idem eſt dicendum de peccato veniali. Dixi, *per ſe loquendo*, quia per accidens ex ignorantia, vel naturali inaduertentia poteſt eſſe excuſatio, vt ſi Confeſsarius narrat aliquam hiſtoriam, putans non agnoſci perſonam, quæ tamen agnoſcitur, & interuenit aliqua imprudentia illius, ſed leuis: Similiter etiam, ſi Prælatus feruore correctionis aliquod verbum acrius adiungit cum inaduertentia veniali ex notitia aliqua, quam habuerat ex Confeſsione mediatè, vel immediatè. Et ſic ſimiliter in aliis caſibus ſimilibus. 16

SECTIO V.

Quinam teneantur obligatione ſigilli?

Dico in genere obligari quinque genera perſonarum, videlicet, Confeſsarium, interpretem, illum qui furtiuè audit confeſsionem alterius, vel etiam caſu, illum cui Confeſsarius ſacrilegus reuelauit peccatum alterius auditum in Confeſsione, denique conſiliarium. De ſingulis in particulari breuiter dicamus *ſequentibus Dictis*, præter vltimum quod eſt peculiaris conſiderationis, & tractabitur *ſectione ſequenti*.

Dico ergo *primò*, certum eſse ad Confeſsarium directè pertinere præceptum ſigilli. Id per ſe patet, quia pro ipſo Confeſsario præcipuè latum eſt hoc ſigilli præceptum. Quod verum eſt, etiamſi ipſe Confeſſarius verè non ſit Sacerdos, modò talis à pœnitente bona fide credatur. 1

Dico *ſecundò*, verius eſſe ac probabilius, interpretē obligari eodem ſigillo. Scio Caietanum, & Sotū id negare, quia eſt tantùm inſtrumentum pœnitentis, non Chriſti; nihilominùs probatur Dictum, quia interpres non tantùm eſt inſtrumentum pœnitentis, ſed etiam Sacerdotis, nam ſicut alter per illum loquitur, ita etiam ſuo modo Sacerdos per illum audit, ideóque participat ſecretum eius. Nec refert, quod pœnitens non teneatur illo modo confiteri, quia etiam non tenemur venialia confiteri, & tamen ea etiam cadunt ſub ſigillo. Et eſt optima ratio à priori in hac materia, quia ſigilli obligatio ponitur, ne Sacramentum à Chriſto inſtitutum, & remedium tanti ponderis reddatur inutile, & odioſum propter periculum reuelationis: ad hoc autem neceſſarium eſt, vt tota notitia quæ neceſſaria eſt non ſolùm ad implendum præceptum, ſed etiam ad ſuſcipiendum illud remedium, habeat eiuſmodi indemnitatem, & ſecuritatem ſecreti inuiolabilis: Vnde Confeſſio etiam ſecunda eorundem peccatorum, quæ certè neceſſaria non eſt, nec ad iuſtificationem, nec ad preceptum Chriſti obſeruandum, non minùs affert obligationem ſigilli, quàm prima Confeſſio, per quam Chriſti præceptum 2

ceptum obſeruatur. Igitur tametſi pœnitens non teneatur confiteri per interpretem, ſi ſumat illum vt inſtrumentum,& medium ſuæ Confeſſionis,ita etiam cadet ſub ſigillo.

3 Dico *tertiò*, illum qui furtiuè audit Confeſſionem alterius,obligari ſigillo Confeſſionis. Ita omnes fatentur communiter. Ratio eſt,quia tota illa notitia orta eſt ex Confeſſione,cùm pœnitens nulli loquatur niſi Cõfeſſario,cui peccata manifeſtat:ergo in illa reperitur eadem ratio ſeruandi ſecretum propter reuerentiam Sacramenti,& ad vitandam iniuriam eius. Firmatur,nam ipſummet Sacramentum obligat alios,ne ſe furtiuè ingerant audiendis Confeſſionibus, quia hoc valdè ſpectat ad reuerentiam Sacramenti, & bonum eius, ne illius vſus fiat odioſus,& difficilior;ergo pari ratione obligat ad idem ſigilli ſecretum.

4 Vnde colligo *primò*, ſi quis ſine culpa propter inaduertentiam,aliquid Confeſſionis audiuit,teneri quoque eodem ſigillo,quia licèt excuſetur à culpa per accidens, tamen actio illa de ſe eiuſdem rationis erat,ratione notitiæ ex Confeſſione ſumptæ.

5 Hinc colligo *ſecundò*, ſi quis in caſu neceſſitatis confiteatur audientibus aliis, vt contingit quando in naufragio, vel incendio aliquis alta voce confitetur,obligari tunc circumſtantes ad ſigillum, quia norunt illa peccata ex ſola Confeſſione, quâ pœnitens ſoli Confeſſario vult illa manifeſtari,& præter eius intentionem ab aliis audiuntur: Vnde licèt in foro quis eſſet confeſſus,& præter illius intentionem ab omnibus audiretur,idem dicendum eſſet, omnes videlicet obligari ſub ſigillo; nec poſſe adinuicem inter ſe loqui de peccatis quæ audierunt. Sicut ſi aliquis idem peccatum confeſſus eſſet ſucceſſiuè omnibus, & ſingulis Confeſſariis Valentiæ exiſtentibus, & hoc ipſum omnibus in Confeſſione dixiſſet; non poſſent illi inter ſe ipſos de illo peccato loqui, quia omnes, & ſinguli illud nouerant ex ſola Confeſſione Sacramentali.

6 Hinc *tertiò* colligo,non eſſe eandem rationem,quãdo quis vult adeſſe aliquos præſentes ad ſui confuſionem, in quorum præſentia confiteatur Sacerdoti; illi enim non obligarentur ſigillo, quia illi non norunt ex Confeſſione,ſed ex manifeſtatione,quâ ipſis etiam pœnitens manifeſtat peccata:Vnde illa loquutio eſt virtute multiplex;& prout dirigitur ad ſolum Confeſſarium eſt Confeſſio Sacramentalis;prout verò dirigitur ex intentione pœnitentis ad circumſtantes, non eſt Confeſſio, ſed narratio ad confuſionem, & humilitatem propriam; vnde poſſet etiam tunc loqui Confeſſarius de illis peccatis, abſque violatione ſigilli; non vtendo ſcientia, prout ex manifeſtatione ſibi facta, ſed ex manifeſtatione facta aliis, quam ipſe etiam audiuit.

7 Dico *vltimò*, ſi Confeſſarius iniquè manifeſtet alteri Confeſſionem, illum qui audit, teneri ſigillo. Ita omnes, præter Ioannem Medinam: Et patet ex dictis, quia tota illa notitia non aliunde habetur, niſi ex ſola Confeſſione Sacramentali; atque ideò tota debet manere ſub poteſtate, & ſigillo pœnitentis: Vnde eſt regula generalis;Omnis notitia habita ex Confeſſione, ſiue immediatè, ſiue mediatè tranſit ad quemcumque ſub eodem onere,& manet ſub ſigillo. Quod verò aliqui dicunt de pœnitente,teneri quoque ad ſigilli ſecretum eorum,quæ Confeſſarius illi committit;non videtur verum,quia ipſe non eſt miniſter Sacramenti;tenetur tamen ſub ſecreto naturali ratione materiæ,quæ id requirit.

SECTIO VI.

An Conſiliarius, quem Confeſſarius conſulit ad ſciendum, quid debeat cum pœnitente facere in aliquo caſu, teneatur ſigillo Confeſſionis?

HOc punctum volo in hac Sectione examinare, propter diſceptationem quæ eſt circa illud inter Ægidium Coninck, & aliorum communem ſententiam:Nam Coninck tametſi exiſtimet conſiliarium teneri ſtrictius illud ſecretum ſeruare, nec vnquam licitum eſſe illi vti ea cognitione in ordine ad accuſationem, & punitionem pœnitentis; cenſet tamen firmioribus rationibus probari non teneri ſigillo Confeſſionis. 1

Primò, quia quando pœnitens dat licentiam Confeſſario vt virum doctum conſulat, perinde eſt, ac ſi ipſe pœnitens conſuleret virum doctum; facit enim per Confeſſarium,quaſi per internuntium, quod faceret per ſeipſum: at ſi pœnitens per ſeipſum immediatè conſuleret, non obligaret conſiliarium ad ſigillum, cùm loqueretur omninò extra Confeſſionem,quia id quod ita referretur, nec in Confeſſione, neque ex Confeſſione refertur: ergo conſulendo etiam per Confeſſarium,non obligat ad ſigillum.

Secundò,lex nunquam ſe extendit ad eum caſum,ad quem ratio legis ſe non extendit: atqui ratio legis imponentis obligationem ſigilli non extendit ſe ad hunc caſum;ergo nec ipſa lex. Minor probatur, quia Chriſtus imponens eam obligationem ſigilli, ſolùm voluit proſpicere ei peccatorum narrationi, quæ neceſſaria eſt ad obtinendam Sacramentalem Abſolutionem, quam inſtituerat, atqui nunquam ad illam præciſè eſt neceſſarium, vt Confeſſarius audita in Confeſſione alteri reuelet, præſertim itavt perſona confitentis cognoſcatur: ergo Chriſtus inducendo ſigillum, noluit tali narrationi proſpicere, & conſequenter ratio legis ad eam non extenditur. Minor probatur,quia eiuſmodi conſultatio fieri ſolet, quia Confeſſarius dubitat de aliqua obligatione pœnitentis v.g.ad reſtituendum,vel ad relinquendam occaſionem, vel abſtinendum à contractu, vel à Matrimonio, & ſimilibus; quæ quidem non ſunt neceſſaria ad Abſolutionem: ad hanc enim ſufficit confiteri peccata, & proponere in futurum facere, id quod viri docti licitum iudicabunt: Vnde illa conſultatio eſſet neceſſaria, etiamſi non fuiſſet Sacramentum inſtitutum Pœnitentiæ, cùm ſolùm requiratur ad hoc, vt pœnitens obſeruet legem Dei, & vitet peccata in futurum; ergo obligatio ſigilli non eſt impoſita ad illam conſultationem,cùm neceſſitas conſultationis nec oriatur ex inſtitutione Sacramenti, nec ſit ad obtinendam obligationem Sacramentalem,qui fuit finis adæquatus illius ſigilli.

Tertiò, ſigillum ſolùm eſt impoſitum,ne Confeſſio reddatur oneroſa;at nullo modo redditur oneroſa Confeſſio per hoc quod ita conſultus non teneatur ad ſigillum: ergo.

Ex hac doctrina infert *primò* Coninck, quando aliquis ſponte ſine vlla neceſſitate adhibet aliquos præter Confeſſarium, quibus audientibus confitetur, hos non obligari ſigillo: Tum quia cùm hoc nullo modo ſit neceſſarium ad integritatem Confeſſionis,ratio legis eum caſum nullo modo complectitur: Tum etiam,quia ea peccatorum narratio ſicut ad diuerſos diuerſa intention 2

tentione dirigitur, ita eſt virtute duplex, & Sacramentalis, quatenus dirigitur ad Confeſſarium; non autem quatenus dirigitur ad alios: atque ita hi non habent ſuam cognitionem ex Confeſsione, quà Sacramentalis eſt. Infert *ſecundò*, tametſi cum venia pœnitentis conſultus à Confeſſario teneretur ad ſigillum, vt vult contraria ſententia; probabilius tamen eſſet hos non teneri: Aliter verò dicendum eſt de illis, qui ex neceſſitate, aut caſu aliquo præter intentionem pœnitentis audiunt Confeſsionem; nam cùm tunc pœnitens ſuam Confeſsionem ex ſua intentione ſolùm dirigat ad Confeſſarium, ipſa ſolùm habet rationem Confeſſionis Sacramentalis. *Tertiò* colligit, quando Confeſſarius ex malitia, imprudentia, aut alio caſu, conſilij, vel facultatis petendæ causâ, caſum ex ſola Confeſſione cognitum, ſine pœnitentis venia ita alicui explicat, vt poſsit perſona pœnitentis aliquo modo cognoſci, & frangi ſigillum, & audientem teneri audita ſeruare ſub ſigillo. Idémque dicendum, quando pluribus quàm conceſſum eſt, aperitur: quia tunc Confeſſarius non agit vt inſtrumentum pœnitentis, & conſequenter cognitionem, quam alij accipiunt, ex Sacramentali Confeſsione accipiunt.

3 Contrariam ſententiam communem tenent Nauarrus, Ioannes Medina, Gabriel, Petrus de Soto, Syluest. Richard. Paludan. Adrianus, Viguerius, Victoria, Ledeſma, Suarez, & alij quos affert Cardinalis Lugo *diſp.* 23. *ſect.* 2.

Primò, quia Conſiliarius in hoc caſu participat actum Clauium; ſcilicet quoad Clauem ſcientiæ, & ſupplet defectum Miniſtri, itavt ex vtroque quaſi coaleſcat Miniſter habens omnia neceſſaria ad hoc munus: ergo tenetur ad ſigillum Confeſsionis.

Secundò, peccata audita in Confeſsione ad quemcumque tranſeunt cum obligatione, & onere ſigilli Confeſsionis, quia vt habetur in cap. *Paſtoralis*, *de decimis*, obligatio ſequitur rem ipſam, & non perſonam; ſic res pignorata tranſit ad quoſcumque cum ſuo onere, quia obligatio rei pignoratæ prius afficit rem ipſam.

Tertiò, & efficacius idem probatur, quia tota notitia, quam Confeſſarius habet, eſt ex Confeſsione, & ideò ſubordinatur voluntati pœnitentis omninò, vt non niſi ex eius conſenſu poſsit communicari; & à fortiori, vt nonniſi cum tali, vel tali limitatione communicatur; qui enim poteſt concedere, & negare vſum illius notitiæ, poterit à fortiori eum limitare. Prætereà conſtat, notitiam illam, non ſolùm quoad ſeipſam, ſed etiam quoad ſuos effectus, ſubordinari voluntati pœnitentis: quia etiam aduerſarij fatentur, ſi caſu aliquis iniuſtè accepiſſet à Sacerdote notitiam peccati, obligari ſigillo, & non poſſe vti illa notitia niſi de conſenſu pœnitentis: Poſſet ergo pœnitens tũc ei concedere quod vteretur ea notitia, & loqueretur cum duobus vel tribus de ea re; quia nimirùm notitia illa habebatur ſolùm ex notitia, quam per Confeſsionem habuerat Confeſſarius, & ideò omnis alia notitia ex ea orta ſemper manet ſub poteſtate pœnitentis: ſed poteſt pœnitens, non datâ Confeſſario aliâ notitiâ ſui peccati, concedere illi, vt det notitiam conſiliario: ergo notitia illa, quam habebit Conſiliarius in eo caſu, manebit ſubordinata pœnitenti, cùm ſit notitia ſolùm habita ex notitia per Confeſſionem data, & conſequenter manebit ſub ſigillo.

4 Ad hoc argumentum reſpondent Aduerſarij, eo ipſo quòd pœnitens dat licentiam Confeſſario conſulendi alium virum doctum, dare illi aliam notitiam ſui peccati extra Confeſſionem, quam poſſit communicare conſiliario; & ideò notitia Conſiliarij non habetur etiam mediatè ex cognitione Sacramentali, neque vllo modo eſt Sacramentalis. *Sed contrà* obiicitur: Tum quia ſi hoc eſſet, iam Confeſſarius ex vi illius notitiæ, extra Confeſſionem datæ poſſet loqui ſine obligatione ſigilli, etiam cum aliis, & multò magis cum ipſo pœnitente pro libito; quod eſt manifeſtè falſum, quia præter actum conſulendi illum Doctorem, manet ligatus ſigillo, ſicut anteà: Tum prætereà, quia poteſt pœnitens illi qui iniuſtè accipit notitiam ſui peccati à Confeſſario, nullâ aliâ notitiâ ei datâ, permittere, quòd vtatur illa in ordine ad talem, vel talem effectum ſolum; ergo poterit etiam ipſi Confeſſario permittere, vt vtatur notitia Confeſſionis in ordine ſolum ad talem, vel talem effectum conſulendi Doctorem; & hoc nullâ datâ ei notitiâ peccati: tunc autem notitia Conſiliarij erit mediatè ex ſola notitia Confeſsionis, ergo manebit ſub eodem ſigillo, ſicut quælibet alia quæ pendet à ſola notitia Confeſsionis: hæc autem eſt de facto intentio pœnitentis dantis illam licentiam; vult enim illam dare eo meliori modo, quo poſsit retinere obligationem ſigilli, quantum fieri poſsit.

Mihi magis placet prima ſententia Coninck, quam egregiè quoque defendit Vaſq. *q.* 93. *a.* 4. *dub.* 2. *n.* 10. & ſequitur Diana *tom.* 1 *tract.* 1. *Miſcellaneor. reſolut.* 14. 5
Itaque dico, tametſi ille, ad quem iniuſta via reuelata fuit confeſsio ex quocumque fine teneatur ad ſigillum confeſsionis, vt dixi præcedenti ſectione Dicto tertio; illum tamen ad quem ex conſenſu pœnitentis peruenit, conſilij capiendi cauſa, non teneri alio ſigillo, quàm naturalis ſecreti. Moueor *primò*, ex manifeſto diſcrimine, quia quando iniuſtè reuelatur Confeſsio, res ipſa non innoteſcit, niſi ex ipſa Cõfeſsione, nondum conceſsâ licentiâ à pœnitente vt manifeſtetur; vnde ſemper fit iniuria Confeſsioni, & pœnitenti in ordine ad Confeſsionem, ſi peccatum quod aliquis à Confeſsione accepit, ſine conſenſu pœnitentis aliis reuelaret; adhuc enim res illa videtur ſub ſigillo Confeſsionis, donec pœnitens velit; ſiquidem ipſe hactenus non aliter quàm in Confeſsione dixit, vnde vt in Confeſsione dictum ſeruandum eſt: at verò conſiliarius, qui ex voluntate pœnitentis cognouit peccatum confeſſum, reuerà accipit huius peccati notitiam, non ab ipſa Confeſsione quaſi ſigillata, ſed ab ipſo pœnitente, ac ſi ipſe referret; quia idem eſt, ſi de conſenſu illius referat Sacerdos: non verò nouit ex Confeſsione pœnitentis, ſed ex relatione facta extra Confeſsionem ab ipſo pœnitente, vel à Sacerdote de conſenſu pœnitentis, quod idem eſt, ac ſi ipſe referret; quod verò ita refertur, nec in Confeſsione, nec ex Confeſsione refertur: ergo non tenetur conſiliarius eo ſigillo Confeſsionis. Nec refert ſi pœnitens referat illud peccatum quaſi confeſſum; quia aliud eſt referre ita, aliud referre ex Confeſsione. Parum etiam refert, ſi pœnitens velit, illud manere ſub ſigillo Confeſsionis, hoc enim non ſufficit; ſicut communiter docent omnes Doctores de illo, cui extra Confeſsionẽ aliquis peccatum, aut ſecretũ detexit, & ea cõditione & pacto, vt illud ſub ſigillo Confeſsionis obſeruet, hoc ſigillo non obligari; quia ſigillũ Confeſsionis non obligat ex pacto, & conuentione, ſed ex ipſa Cõfeſsionis inſtitutione; vnde vbi non eſt vera Confeſsio, non erit obligatio ſigilli Confeſsionis, ſed ſolùm naturalis: Vnde nullo modo eſt in poteſtate pœnitentis apponere obligationem ſigilli Cõfeſsionis, niſi quando obligatio naſcitur ex ipſa Confeſsione.

Prætereà eadem ſententia validiſsimè firmatur argumentis primæ ſententiæ, præſertim ſecundo. Quod etiã amplius firmatur, nam vt fatentur omnes Doctores, ſola illa cognitio clauditur ſub ſigillo, quæ ſaltem mediatè habetur ex Confeſsione Sacramentali, quà talis eſt: At cognitio, quam habet conſiliarius, non eſt talis; ergo non clauditur ſub ſigillo. Minor probatur, quia cùm talis conſultatio 6

Digitized by Google

conſultatio tota fiat in gratiam pœnitentis; vt ei conſulatur, ita Confeſſarius ex ipſius conceſſione alium conſulens, agit partes pœnitentis, & hic per illum tanquam per ſuum inſtrumentum alium conſulit: ergo ſicut ſi pœnitens per ſe extra Confeſſionem viro docto caſus ſuos aperiret, cognitio quam hic acciperet, non poſſet dici venire ex Confeſſione Sacramentali; ita nec poteſt dici ex Confeſſione prouenire, quando pœnitens conſulit eum per Confeſſarium. Quare tametſi Confeſſarius in hac explicatione vtatur aliquo modo, cognitione habita ex Confeſſione, cognitio tamen quam alteri dat, non oritur propriè ex cognitione Sacramentali, ſed ex commiſſione pœnitentis, cuius ipſe eſt inſtrumentũ; & cognitio Sacramentalis ſolum ſe habet tanquã conditio requiſita, vt Confeſſarius poſſit alteri caſum explicare. Sicut ſi pœnitens quò liberiùs poſſet a Cõfeſſario dirigi, & in omnibus iuuari, extra Confeſſionẽ ei diceret; fateor me ea omnia feciſſe, quæ tibi iam ante inter confitendum narraui; hoc ipſo moraliter daret Cõfeſſario confeſſionẽ ſuorum peccatorũ diſtinctam à Sacramentali, tametſi ab hac dependentem, & phyſicè eandẽ cum ea. Et contrà qui extra Sacramentũ narraſſet, Sacerdoti omnia ſua peccata poſteà in Confeſſione dicendo, Fateor me feciſſe ea omnia quæ iam antè narraui, daret ei ſufficientem cognitionem Sacramentalem. Ita rectè Coninck: Vnde conſequenter admitto, vt vera tria illa Coninckij conſectaria. Quibus addo hoc aliud, nẽpe dicendum eſſe de Superiore, vel Prælato, non ligari ſigillo Cõfeſſionis, quando ab eo extra Sacramentũ petitur venia abſoluendi à caſu reſeruato, cùm aut pœnitens hanc per ſe petit, vt poſſit ab eo abſolui, vel cùm ipſe Confeſſario extra Confeſſionẽ dixit vt eam facultatẽ peteret. Ratio eſt, quia in neutro caſu eſt vllo modo Cõfeſſio Sacramentalis, ex qua tamen ſola ſigillum oritur: Nec enim ex eo quòd talis petitio ordinetur ad Confeſſionem poſteà futuram, vllo modo ſequitur, eam eſſe Confeſſionem inchoatam, nam eodem modo quando quis bona fide alicui amico ſuo narrat aliqua ſua peccata, vt ab eo diſcat, qua ratione ea poſteà debeat confiteri, ea narratio ordinatur ad Confeſſionem, & tamen non habet rationem Confeſſionis Sacramentalis; nam vtraque narratio poteſt æqualiter fieri non Sacerdoti, ac Sacerdoti. Quòd ſi hæc petitio facultatis abſoluendi cum explicatione perſonæ pœnitentis, fieret ex huius venia per Confeſſarium, qui ex ſola Confeſſione Sacramentali haberet caſus cognitionem, eadem eſſet obligatio illius Superioris, & eius qui à Confeſſario cum venia pœnitentis conſulitur.

7 Ad Argumenta ſecundæ ſententiæ. Ad primum, negandum eſt ita conſultum tenere ſe vllo modo ex parte Confeſſarij, vtendo poteſtate Clauium ad hoc Sacramentum pertinente; itavt narratio ei facta habeat vllo modo rationem Confeſſionis Sacramentalis: Vnde licèt conſulere peritiorem, reuera ordinetur ad Claues, attamen conſulere, non eſt pars Clauium, nec pars Confeſſionis, ſed tantùm eſt inſtructio Confeſſarij, vt poſſit legitimè munus ſuum exercere.

Ad ſecundum, dico diuerſam eſſe rationem obligationis in re pignorata, & obligationis ſigilli Confeſſionis; nam in materia Iuſtitiæ veriſſimum eſt, rem cum onere, & obligatione quam habet, tranſire, vt in hypotheca, & pignore, quia illa obligatio non eſt præcepti, ſed eſt ius alicui competens in rem ipſam; & ideò quia ius eſt in rem, & in perſonam, ratione rei, primò afficit rem, deinde perſonam, in cuius poteſtate eſt: hìc verò agitur de obligatione præcepti; obligatio enim ſigilli eſt obligatio præcepti, quod cùm obliget ad rectè operandum, vel malè nõ operandum; primò afficit perſonam, non rẽ, quia perſona eſt, quæ tenetur operari ſecundùm illud præceptum; atque ideò non eſt accipienda ratio obligationis ex re ipſa quæ tranſit ad alios, ſed in ordine ad perſonam. Igitur quando quis peccata cognouit ex ipſa Confeſſione, tenetur ſigillo; quia tunc ſemper eſt reſpectus in fauorem pœnitentis: quando verò innoteſcunt ex Confeſſione non Sacramentali, nulla eſt obligatio ſigilli Confeſſionis.

Ad tertium argumentũm rectè ibi reſponſum eſt. Ad replicam, & primũ illud inconueniens dico, negandum eſſe illud Aſſumptũ; nam Cõfeſſarius in eo caſu, præter actum conſulendi illum virũ doctum, manet ligatus ſigillo, ſicut anteà; quia Sacerdos per illã narrationẽ non accipit nouã cognitionẽ, quam anteà non habebat, neque phyſicè, vt per ſe conſtat; neq; moraliter, quia cùm in enarratione illorum caſuum non poſſit Confeſſarius aliter agere, quam vt inſtrumentũ pœnitentis, non poteſt in agendo excedere intentionem pœnitentis, & cõſequenter nec illi dare nouam earum rerum cognitionem, quàm quatenus hoc pœnitens conceſſit, qui nullo modo intendit Sacerdoti dare nouam cognitionem: At conſultus, vt vidimus, non accipit propriè ſuã cognitionẽ ex ipſa Confeſſione Sacramentali, ſed ab ipſo pœnitente, vel per ſeipſũ, vel per Confeſſariũ vt inſtrumentũ ipſius; pœnitens autẽ non obligatur ſigillo Cõfeſſionis. 8

Ad aliud Argumentum in eadẽ replica adductũ, negandũ eſt Antecedens, nempe poſſe pœnitẽtem illi, qui iniuſtè accepit notitiam ſui peccati à Confeſſario, nullâ aliâ notitiâ ei datâ, permittere, quòd vtatur notitia Cõfeſſionis in ordine ſolùm ad talem, vel talem effectum; quia cùm illud peccatum non innoteſcat illi, niſi ex ipſa Confeſſione Sacramentali nondum conceſſâ licentiâ à pœnitente vt manifeſtetur, manet ſemper ſub ſigillo Confeſſionis. Quòd ſi pœnitens concederet illi licentiam expreſsè in ordine ad talem, vel talem effectum, poſſet tunc manifeſtare illud iuxta præſcriptum pœnitentis. Cæterùm iam tunc illi daretur noua cognitio, & notitia, ex relatione facta extra Confeſſione ab ipſo pœnitente, vt ſuprà declaraui *num.* 5.

SECTIO VII.

An ille qui inuenit chartam, in qua pœnitens ſua peccata ſcripſit ad Confeſſionem faciendam, debeat ſub ſigillo eam tenere?

NOn deſunt Doctores, qui ſigillum Confeſſionis extendunt ad Scripturam, itavt ſi quis inueniat chartam, in qua pœnitens ſua peccata ſcripſit ad Confeſſionem faciendam, debeat ſub ſigillo illa tenere. Hãc ſententiam tenent Capua, Viualdus, Vega, Furnarius, & alij quos affert, & ſequitur Fagundez. 2. *præcep. lib.* 6. *cap.* 5. *num.* 16. 1

Probari poteſt *primò*, quia charta ſcripta præſertim ſi ſit in ſubſidium memoriæ, iam poteſt dici Confeſſio inchoatiua, vt patet; ergo eſt ſub ſigillo.

Secundò, tametſi huius rei reſolutio non ſit certa, ſed dubia, certè in dubio inclinandum eſt in fauorem ſigilli, & Sacramenti.

Tertiò, ſigillum Confeſſionis introductum fuit à Chriſto Domino in fauorem pœnitentium, & honorem ac venerationem Sacramenti; fauores autem ſunt ampliandi, itavt non ſolùm obligatio ſigilli extendatur ad ipſam Confeſſionem, ſed etiam ad omnia illa quæ ordinantur immediatè ad illam.

Quartò arguit Fagundez, ſi peccata quæ inueniuntur ſcripta in charta, iam ſint confeſſa, cùm iam affecta maneant ſigillo Confeſſionis, firmius dici poteſt cadere illa ſub eodem ſigillo, & tranſire ſemper cum ſuo onere ſigilli. Quod ſic probat, quia ſicut illa peccata quæ mihi reuelauit aliquis, qui ea à Confeſſario audiuit,

audiuit, teneor ſeruare ſub ſigillo; ſic etiam tenebor ſeruare hęc peccata ſcripta, quæ iam fuerunt confeſſa ſub eodem ſigillo; cùm par ſit vtrobique ratio; nam propterea illa peccata, quæ audio ab alio, teneor ſeruare ſub ſigillo, quia ſcio fuiſſe confeſſa; & quia vbi primùm Confeſsioni ſubiecta fuerunt, ita affecta obligatione, ac onere ſigilli manſerunt, vt ſemper tranſeant cum ſuo onere, & illud exuere nunquam poſsint, niſi de conſenſu confitentium: ergo etiam propterea illa peccata, quæ fuerunt confeſsa, & ſcripta inueniuntur, affecta erunt prædicto onere, & obligatione ſigilli, quia iam confeſsa ſunt, & ſemel ſub ſigillo ceciderunt, nam parum refert, quòd ego neſciam illa iam fuiſse confeſsa: id enim per accidens eſt, & tunc incipient ſub ſigillo obligare, cum id ſciuerim.

Vltimò, quando olim fieri poterat Confeſsio per litteras, negari non poterat litteras illas ad Confeſsarium miſsas, ſi ab aliquo interciperentur, & legerentur, obligare ad ſigillum; ergo idem dicendum de hac alia charta, ſeu littera.

3 Noſter Suar. *diſp.* 33. *ſect.* 4. *n.* 5. contrariam ſententiam defendit, dicens prædictam ſcripturam eſse inſtrumentum valde remotum; & Sacramentalem Confeſſionem nullo modo eſse ibi inchoatam: atque ideò illud non eſse ſub ſigillo, ſed tantum ſub ſecreto naturali.

Coninc. *diſp.* 9. *dub.* 3. *n.* 5 ... & alij ſentiunt, cognitionem quam quis acciperet ex charta, in qua pœnitens confeſsurus memoriæ cauſâ, ſua peccata ſcripſiſset, ligari ſigillo: Vnde addit Coninck, quòd quiſquis talem chartam reperiat, ſiue ab alio perditam, ſiue caſu alicubi relictam, cauere omninò debeat, ne poſtquam qualis ſit, cognouerit, quidquam ex ea legat, nam hoc fieret cum iniuria pœnitentis.

Veriorem iudico ſententiam Suar. Iuxta quam; Dico *primo* in omnibus caſibus, in quibus charta, ſeu ſcriptura, in qua pœnitens ſua peccata ſcripſit ad Confeſſionem faciendam, ſolùm deſeruit pro ipſo pœnitente & eius memoria, licèt ſit obligatio grauiſsima ſecreti naturalis, & humani, non tamen eſt obligatio ſigilli. Moueor ad id aſserendum, quia obligatio ſigilli, vt conſtat, ex ſola oritur Confeſsione Sacramentali; quia ex nullius alius reuelatione niſi Confeſsionis Sacramentalis ipſi Confeſsioni fit iniuria ſacrilega, & redditur illa odioſa: At prædicta ſcriptura non eſt Confeſsio Sacramentalis etiam inchoata, ſed eſt materia Confeſsionis præparata, vt facilius fiat Confeſsio: Igitur non obligat ſub ſigillo. Firmatur, quia ſi pœnitens, dum facit apud ſemetipſum examen ad Confeſsionem, loqueretur voce intelligibili; ille qui audiret non obligaretur ad ſigillum, non alia de cauſa, niſi quia non audiuit Confeſſionem, ſed præparationem ad Confeſsionem; ergo cùm ſcriptura illa nihil aliud ſit, niſi præparatio ad Confeſſionem, quam pro ſua memoria facit pœnitens, notitia ex illa ſcriptura non oritur ex Confeſsione, ſed ex præparatione pœnitentis apud ſemetipſum ad Confeſsionem, & ideò non manet obligata ad ſigillum Confeſsionis.

4 Dico *ſecundò*, in vno vel altero caſu, negari non poſſe notitiam ex ipſa ſcriptura ortam obligare ad ſigillum. Patet duobus exemplis manifeſtis. *Primum eſt* de muto confitente per literam Confeſsario præſenti; Si enim quis hanc ſcripturam caſu legeret; maximè dum in ipſo actu Confeſsionis eſt in manu Confeſſarij, teneretur vtique ad ſigillum. Patet, quia illa Scriptura tunc eſt locutio, & Confeſsio propria pœnitentis, cùm non aliter confiteatur mutus ille, niſi per illam ſcripturam, vt ſupponitur: ergo eſt Confeſsio Sacramentalis obligans ſub ſigillo; non ſecus ac quæuis alia Confeſsio Sacramentalis ore prolata, vel ſignis, ac nutibus expreſſa, ſi furtiuè audiretur ab alio, vel etiam ſine culpa, teneretur eodem ſigillo, quia tota notitia illa orta eſt ex Confeſsione, cum pœnitens nulli loquatur niſi Confeſſario, cui peccata manifeſtat, vt late oſtendi *ſup. ſect.* 5. *n.* 3. *& ſeq.* Idem ſequitur neceſſariò dicendum de illa alia notitia orta ex prædicta ſcriptura, quæ etiam eſt Confeſſio propria muti pœnitentis.

Aliqui Doctores id probabiliter extendunt ad alium caſum, in quo poſt Abſolutionem Sacramentalem, & completum Sacramentum, ſi aliquis inueniſſet dictam ſcripturam in Confeſſionali, teneri quoque illum ad ſigillum; quia illa videtur eſſe ipſa Confeſſio manens. 5 Quod certe ipſe quoque iudico veriſſimum, quia tunc in eo caſu tota illa notitia non aliunde haberetur niſi ex ſola Confeſſione Sacramentali; atque ideò tota debet manere ſub ſigillo Sacramenti: Idque ſatis firmatur regula illa Theologorum generali, omnem notitiam habitam ex Confeſſione Sacramentali, ſiue immediatè, ſiue mediatè, tranſire ad quemcumque ſub eodem onere, & manere ſub ſigillo.

6 Alterum exemplum in fauorem Dicti ſecundi, traditur a noſtro Cardinali Lugo *ſect.* 2. *cit. n.* 48. dicente: Si aliquis, v.g. confiteretur per voces in loco, vbi poſt moram longiuſculam ab Echo, per reflexionem reuertuntur eadem verba; poſſet tunc contingere, quòd data interim breuiter Abſolutione, po... ea reuerterentur verba vltimi peccati, & aliquis tunc adueniens illa audiret, (vidi enim ego locum, in quo poſt Symbolum fere recitatũ ea reuertebantur) tunc ille proculdubio teneretur ad ſigillum, quia accepit notitiam ab eadem Confeſſione perſeuerante in aëre per totum illud tempus. In his ergo, & ſimilibus caſibus, ſi qui eſſent, ſcriptura illa videtur eſſe eadem Confeſſio, & eadem loquutio pœnitentis in charta, etiam quando iam actu non confitetur; atque adeò in his caſibus notitiam ex ſcriptura ſeu charta ortam obligare ad ſigillum.

7 Prædictam doctrinam extendit Cardinalis Lugo ad illum, qui caſu audiret ſubditum petentem licentiam à Prælato, ad hoc vt abſolueretur a tali caſu reſeruato: Cùm enim Prælatus, à quo petitur licentia, maneat obligatus ad ſigillum, conſequens eſt, vt ille qui caſu audiret ſubditum petentem illam licentiam, teneretur ad ſigillum; ſicut qui audit pœnitentem confitentem, tenetur ſicut ipſe Confeſſarius. Idem ait de illo alio, qui legit litteras, quibus ſubditus petit talem licentiam; quia per illas loquitur formaliſſimè cum Prælato, atque ideò notitia ex iis litteris habita, haberetur omninò ex petitione, quâ ſubditus recurrit ad Prælatum, & petit ab eo licentiam pro ſuo peccato reſeruato.

Cæterùm ipſe hanc doctrinam non admitto, quia verius iudicaui *præced. ſect.* 6. *n.* 6. Superiorem, vel Prælatum non ligari ſigillo Confeſſionis, quando ab eo extra Sacramentum petitur venia abſoluendi à caſu reſeruato, cùm pœnitens hanc per ſe petit, vt poſsit ab eo abſolui, vel etiam cùm ipſe pœnitens Confeſſario extra Confeſſionem dixit, vt eam facultatem peteret, quia in vtroque caſu nullo modo eſt Confeſſio Sacramentalis, ex qua ſola oritur ſigillum.

8 Ad argumenta primæ ſententiæ provt noſtræ opponũtur. Ad primum, negandum eſt, Scripturam ſolùm deſeruientem pro ipſo pœnitente, & eius memoria, eſſe Confeſſionem Sacramentalẽ inchoatã, quia tãtùm eſt materia Cõfeſſionis præparata, vt faciliùs fiat Cõfeſsio.

Ad ſecundũ, dico reſolutionẽ illam non ſolùm nõ eſſe certam, ſed neque eſſe dubiã negatiuè, ſed probabilẽ, & ideò probabiliter à multis defendi, tametſi mihi contraria videatur probabilior: In dubio autẽ negatiuo ſemper inclinandum eſt in fauorem ſigilli, & Sacramenti.

Ad tertiũ, reſpõdeo verũ eſſe, Confeſsionis ſigillũ iure diuino fuiſſe inductũ in fauorẽ pœnitẽtiũ, & honorem Sacramẽti: fauores quoque eſſe ampliãdos, in ordine tamẽ ad notitiã ex Cõfeſsione ortã, nõ verò ex alio capite.

Ad

Digitized by Google

Ad quartum diſtinguendum eſt iuxta doctrinam à nobis traditam: ſi ſcriptura, vel charta, in qua ſcripta erant peccata, ſolùm fuit ſcripta pro memoria pœnitentis, tametſi iam peccata illa ſint confeſſa, cùm non fuerit Confeſſio inchoata, ſed ſolùm materia præpata Confeſſionis, non cadere ſub ſigillum propter rationem dictam: ſi verò in aliquo caſu, vt in exemplo muti allato *ſuprà*, peccatorum ſcriptura fuerit locutio, & Confeſſio propria, teneri ſub ſigillo. Idque probat ratio adducta in quarto Argumento, & non ampliùs, vt patet rem conſideranti.

Ad vltimum, tametſi illud Antecedens concedatur, nihil inde ſequitur nunc contra noſtram ſententiam: nam tunc ante Decretum Clementis VIII. illa epiſtola potuit eſſe vera locutio Sacramentalis, & propria Confeſsio: quod tamen iam nunc poſt dictum Decretum non poteſt habere locum; cùm ex dicto Decreto manifeſte conſtet Confeſsionem per litteras factam abſenti non eſſe, nec poſſe eſſe vnquam Confeſsionem ſacram ſeu Sacramentalem.

SECTIO VIII.

An peccatum complicis manifeſtatum à pœnitente in ſua Confeſsione, maneat etiam tunc ſub ſigillo?

1 VIdetur pars negans amplectenda, maximè ſi pœnitens ſine neceſsitate manifeſtauit peccatum complicis: vnde in hoc caſu id ſentit Ioan. de la Cruz *in Direct. Conſcientiæ, part. 2. de Sacram. Pœnitentiæ, quæſt. 6: dubio 2. concluſ. 2.*

Probari poteſt *primò*, quia peccatum complicis materialiter ſe habet tunc ad Confeſsionem proprij peccati pœnitentis, ad quam non erat neceſſe illud declarare: ergo ſigillum Confeſsionis non extenditur ad perſonam complicis.

Secundo, obligatio ſigilli ſolum impoſita eſt in gratiam pœnitentis, & in fauorem eius.

Tertiò, complex nullum ſecretum commiſit Confeſſario; nam licet fortaſſe ex lege Iuſtitiæ de non infamando proximo, teneatur Confeſſarius non reuelare peccatum complicis; non tamen ex obligatione ſecreti, cùm illi nullum fuerit ſecretum à complice commiſſum: ergo neque ex obligatione ſigilli; hoc enim rationem ſecreti includit, vel neceſſariò ſupponit.

2 Communis tamen Doctorum ſententia affirmat, Confeſſarium ſub ſigillo Confeſſionis teneri ad celandas omnes circumſtantias peccatorum, etiam peccata ſociorum, & complicis; quia horum reuelatione fit Cōfeſſio pœnitenti odioſa; & cùm talis notitia ad Confeſſarium perueniat per ſolam Confeſsionem, eſt notitia ſacra, & Sacramentalis, quam propterea violare non licet.

Ad quam doctrinam meliùs explicandam, quam veriſsimam iudico;

2 Dico *primò*, eodem ſigillo teneri Confeſſarium ſeruare peccatum complicis, quo peccatum pœnitentis, quando illud neceſſe eſt explicare ad huius integritatē. Hoc eſt certum, quia conſtat, omnia illa cadere ſub ſigillum, quæ ſunt neceſſaria ad faciendam Confeſsionem integram; ſed vnum ex iis eſt perſona complicis, quia præceptum de integritate per ſe obligat: ergo quando non adeſt cauſa legitima, homo tenetur illud implere; hic autem non adeſt vlla cauſa, nam ſupr. *diſp. 20. ſect. 2.* probatum eſt, licitè id fieri poſſe, & *ſect. 3.* etiam eſt oſtenſum, non ſolùm poſſe pœnitentem, ſed teneri explicare circumſtantiam complicis, propter ſolam integritatem ſuæ Confeſsionis; ergo. Quod etiam firmatur ratione dicta, quia aliter fieret oneroſa Confeſſio, & ab illa quoad hanc partem homines retraherentur. Addo etiam, ex reuelatione peccati complicis, poſſe facilè prodi peccatum pœnitentis, vel ſuſpicio de illo generari; ſigillum autem obligat ad vitandum omne illud, quod huiuſmodi eſt.

Dico *ſecundò*, etiamſi pœnitens manifeſtauerit com- 3 plicem in ſua Confeſsione ex ignorantia, vel malitia; quia poterat optimè confiteri peccatum ſuum ſine reuelatione alterius; ſi tamen illud reuelet exiſtimans id eſſe neceſſarium, aut vtile, & expediens ad explicationē ſui peccati, manere etiam tunc peccatum complicis ſub ſigilo. Id optimè notauit Card. de Lugo *diſp. 23. ſect. 3. n.* 68. Suarez *diſp. 34. ſect. 3. n. 2.* Gaſpar Hurtado *diſp. 12. diffic. 4.* & alij. Ratio eſt, quia vt dixi *ſupr.* cum omnium ſententia, *ſect. 4. num. 7.* non ſolùm quæ neceſſaria ſunt, ſed ea omnia quæ ſunt vtilia, vel quæ pœnitens etiam per ignorantiam putat dicenda eſſe, ad declarandum ſuum peccatum, manent ſub eodem ſigillo; quia alioquin Confeſsio redderetur difficilis & oneroſa, præſertum illis, qui neſciūt diſcernere, quæ ſint omninò neceſſaria, & quæ poſsint, vel debeant omitti in Confeſſione proprij peccati. Firmat optimè hoc Suar. quia in eiuſmodi euentu peccatum complicis reuelatur vt pars Confeſsionis propriæ ipſius pœnitentis; nam ex manifeſtatione peccati complicis, & peccati proprij pœnitentis, fit quaſi coniunctum quoddam pertinens ad integram Confeſsionem peccati pœnitentis, vnde illa notitia complicis datur propter integritatem Confeſsionis: ergo Confeſſarius tenetur ad ſigillum vtriuſque peccati. Et quamuis illud faciat pœnitēs ex ignorantia, val imprudentia, ſatis eſt, quòd de facto manifeſtatio peccati complicis, fiat quaſi coniunctim, & oblique, ad manifeſtandum peccatum proprium, quia eo ipſo totum illud eſt pars Confeſsionis propriæ: quòd verò hoc prudenter fiat, nécne, ſeu quod poſſet aliter fieri, non impedit obligationem ſigilli, nam hæc obligatio oritur ex Confeſsione provt actu fit, non provt fieri deberet, aut poſſet, aliàs nunquam poſſent pœnitentes eſſe ſecuri de ſigillo orto ex Confeſsionibus ſuis. Vnde hoc eſt neceſſarium ad communem confitendi modum hominum, & oportet etiam, vt ſimplices, ignorantes, ac minus prudentes poſsint ſecure, & ſine timore reuelationis confiteri. Et certe quis non videat fore contra rationem, vt propter imprudentiam, vel malitiam pœnitentis, obligatio ſecreti reſpectu complicis minueretur, cùm aliàs maior iniuria ei fiat, imò tunc ſolum fiat, quando peccatum eius ſine cauſa reuelatur rationabili, aut ex intentione infamandi proximum, vt vidimus ſuprà *diſp. 20. ſect. 2.*

Hinc dico *tertiò*, ſi pœnitens reuelet peccata complicis, non vt partem Confeſsionis propriæ ipſius pœ- 4 nitentis, ſeu tanquam quid pertinens ad illam, ſed ſolùm concomitanter; tunc illa peccata in rigore non manere ſub ſigillo. Ita communitèr omnes: Ratio eſt, quia eiuſmodi peccata non ſunt materia ſigilli, quia nullo modo ſunt materia Confeſsionis, neque directè, neque obliquè: vnde non ſunt propriè peccata complicis, quatenus talis eſt, ſed ſunt peccata aliena, & alterius perſonæ omninò diſparatæ, nihil per ſe pertinentia ad peccatum pœnitentis; nam peccatum complicis, quatenus tale eſt, ſaltem obliquè ſeu indirectè, eſt materia Confeſsionis propriæ, & ideò eſt materia ſigilli. Firmatur, nam vt docent omnes Theologi, cætera omnia, quæ in Confeſsione concomitanter dicūtur, propriè non cōtinentur ſub ſigillo, ſi nullo modo inſeruiant accuſationi peccatorum. Et patet;

tum quia illa per ſe non ſunt materia, nec ad illam reducuntur,& quòd ibi dicantur, eſt omninò impertinens: Tum quia ſi ſola dicerentur, non inducerent ſigillum, at concomitantia Confeſſionis non habet, vt ſic dicat cauſalitatem aliquam,vel influxum in illa.

5 Ex his patet ſolutio ad argumenta contraria. Ad primum, negandum eſt Antecedens, nempe peccatum complicis ſemper materialiter ſe habere ad Confeſſionem proprij peccati pœnitentis, nam conſtat ſæpè neceſſarium eſſe, vel vtile, vt poſſit confiteri peccatum ſuum;atque ideò cùm neceſſarium iudicatur,aut vtile, & expediens ad explicationem ſui peccati, manere tunc debet ſub Sigillo.

Ex quo patet ad ſecundum, obligationem ſigilli, quia eſt impoſita in gratiam, & fauorem pœnitentis, extendi quoque ad peccatum complicis,quod neceſſarium, vel vtile exiſtimatur ad ſui peccati declarationem.

Ad tertium reſpondeo,Sigillum reſpectu complicis, non naſci ex commiſſione eius,ſed ex commiſſione pœnitentis: Sicut enim extra Confeſſionem poſſum ego teneri ad ſeruandum ſub ſecreto naturali peccatum Petri, licèt ipſe non dixerit illud, ſed Paulus ſub tali ſecreto: Vnde ſi ego tale ſecretum in publicum proferam,poſſum peccare in Petrum contra iuſtitiam, illum infamando de re occulta, tametſi in reuelatione ſecreti non tam Petrum, quàm Paulum offenderim, qui illud commiſit: Eodem modo in præſenti caſu eſt dicendum.

SECTIO IX.

Quomodo reſpondere debeat Confeſſarius, ne ſigillum frangat, quando iniquè interrogatur de peccato pœnitentis?

1 CErtum eſt *primò* apud Doctores, Confeſſarium teneri ſub ſigillo ſeruare peccatum pœnitentis, itavt nec verbis, nec etiam factis illud indicet, nec directè,nec indirectè. Id conſtat manifeſtè ex *cap. Omnis vtriuſque ſexus,de pœnit. & remiſſ.* ibi: *Verbo, vel ſigno,vel alio modo caueat omninò,ne prodat pœnitentem.* Imò contrarium ita eſſet contra ſigillum, vt ob illud Confeſſarius dignus fieret pœna impoſita violatoribus ſigilli: nam in dicto Capite poſt illa verba dicta,ſtatim apponitur pœna. Et ratio eſt, quia tali inſinuatione, vel indicatione redderetur odioſa Confeſſio pœnitenti: at obligatio ſigilli Confeſſionis primariò & per ſe eſt in fauorem pœnitentis, ſecundariò verò, & ratione pœnitentis,eſt in reuerentiam Confeſſionis, itavt non aliter obligatio illa ſit Religionis in reuerentiam Confeſſionis,niſi vt pœnitenti non fiat odioſa.

2 Certum eſt *ſecundò*,Confeſſarium, quamuis ſub iuramento,& à Iudice interrogatum,an ſciat pœnitentem commiſiſſe peccatum, quod verè Confeſſarius tantùm ex Confeſſione nouit,non poſſe illud manifeſtare. Patet,tum ratione dicta;tum quia ille qui non interrogatur iuridicè,poteſt non manifeſtare id,de quo interrogatur;at Confeſſarius non interrogatur iuridicè de eo, quod tantùm ex Confeſſione nouit; & cùm poſſit non manifeſtare illud,tenetur ad non manifeſtandum, aliàs frangeret Confeſſionis ſigillum ſacrum.

3 Certum eſt *tertiò*, Confeſſarium interrogatum ſub iuramento, & coactum ad reſpondendum, poſſe, ac proinde debere dicere ſe neſcire illud peccatum,abſque vllo mendacio. Ratio eſt,quia ipſe debet reſpondere in ſenſu interrogationis;at interrogatio eſt,aut debet eſſe, an ſciat tale peccatum ea ſcientia,quæ deſeruire poteſt ad illud dicendum, qualis eſt notitia habita extra Confeſſionem, de qua ſcientia interrogant homines, & de illa intelligi poteſt reſponſio: Vnde optimè Vaſquez *q.93.a.4.dubio* 11. vt erroneum reiicit Dictũ Gabriel. *diſt.21.q.1.a.3.dub.1.caſu* 3.aſſerentis in hoc caſu teneri Sacerdotem reuelare Confeſſionẽ, ne ſit periurus.

Quartò, ob dictam rationem mihi certum videtur Confeſſarium illud poſſe abſolutè negare,quamuis non addat reſtrictionem illam mentalem,vt tibi dicam, nec aliam ſimilem; quia etiam abſque ea reſtrictione ſeu limitatione mentali negatio eſt vera. Quod ob eã rationẽ etiã eſt verũ,ſiue Confeſſarius interrogetur à iudice, ſiue à priuata perſona:Imò ob eandẽ rationẽ id poteſt Confeſſarius dicere propria ſponte,quamuis non interrogetur,quia ſcilicet illa dictio cõmuniter intelligitur de auditis,& notitia habita extra Confeſſionem, quæ deſeruire poteſt ad dicendũ,& de qua interrogãt homines. 4

Vltimò,verius iudico,quod communiter Doctores docent,in eo caſu in quo quis ſiue Iudex,ſiue tyrannus,ſiue particularis homo iniquè interrogaret Confeſſariũ, petens,an etiam in Confeſſione,& non vt homo,ſed vt miniſter Dei ſciat, vel audierit tale peccatũ, poſſe tunc Confeſſariũ non ſolùm obiurgare interrogantem, quãuis Iudicem,quia id interrogat;ſed etiam poſſe,& teneri negare, cum quacũque reflexione,& reduplicatione interrogatio fiat,quando ex ſilẽtio generaretur ſuſpicio, quòd pœnitens peccatum illud commiſerit; cum limitatione tamen,& reſtrictione purè mentali,ſeu interiori,vt tibi ſcilicet dicam,vel vt tenear,aut poſſim dicere. Ratio eſt,quia eſt iuſta & rationabilis cauſa ad ſic negandum,quamuis interrogãs ea negatione decipiatur; cùm illicitè,& ſacrilego furore, & audacia inſtinctus interroget: ergo poteſt Confeſſarius licitè negare, addendo dictam reſtrictionem mentalem; & ſi poteſt etiam tenebitur quando ex ſilentio prædicta ſuſpicio generaretur: nam poteſt occurrere,vt ſola reprehenſio, & ſilentium non ſufficiat,imò noceat, vt ſi maritus ardens zelotypia de crimine vxoris, illius Confeſſarium interroget, & hic nolit negare,eo ipſo pro confeſſo reputabitur.Igitur poteſt tunc,& tenetur negare cum dicta reſtrictione. 5

His poſitis;reſtat tamen duplex difficultas. *Prima* eſt, an poſſit Confeſſarius ſic negare ſalua veritate,& ſine vllo mendacio;nam conſtat, mendacium nullo vnquam caſu licitum eſſe,etiam ad ſeruandum ſigillum Confeſſionis,cùm ſit intrinſecè malum. 6

Communis Doctorum ſententia ſentit, cum quacumque reflexione,vel reduplicatione interrogatio fiat, Confeſſarium poſſe ſalua veritate negare, cum prædicta reſtrictione, & limitatione: Quia profert verba in ſenſu, quem eadem verba facerent cum limitatione,ſeu reſtrictione purè mentali,quam exterius non ſignificant; quia ſemper poſſet Confeſſarius retinere illam limitationem in mente, nempe Non ſcio, vel non audiui vt poſſim dicere tibi. Ex quo inferunt Doctores ſeruandum eſſe ſigillum Confeſſionis in ordine ad quamcumque interrogationem, quæ fieri poſſet, ſiue extra iudicium, ſiue in iudicio, ſiue cum iuramento dicendi quæ ſciuerit,ſiue non;nulla enim eſſe poteſt interrogatio iuridica,& conſequenter ſemper poteſt Confeſſarius æquiuocare; & reſpondere iuxta mentem ſuam, non autem iuxta mentem interrogantis.

Cæterùm Cardinalis Lugo *diſputat.* 23. *ſectione* 4. *numero* 74. egregie notat, ſi vera eſſet ſententia illorum Doctorum,qui dicunt excuſari à mendacio eum, qui profert verba in ſenſu, quem eadem verba facerent cum limitatione, & reſtrictione purè mentali, quam exteriùs non ſignificant;nullam eſſe difficultatẽ, 7

quia

Digitized by Google

quia ſemper poſſet Confeſſarius retinere illam limitationem in mente, Non ſcio, vel Non audiui vt poſſim dicere. Addit tamen veriorem eſſe ſententiam aliorum, quam ipſe amplectitur, nempe ad veritatem propoſitionis & reſponſionis externæ, neceſſariū eſſe quod voces capaces ſint ſignificationis externæ, vt poſſit ex ſe eum ſenſum facere, licèt non ad mentem interrogantis. Quod probat, quia veritas propoſitionis vocalis conſiſtit in conformitate eiuſdem propoſitionis ſecundùm ſignificationem externam, quam habet cum mente loquentis: ergo propoſitio & reſponſio externa, ſi ſecundùm ſe non eſt capax illius ſignificationis externæ, non erit vera ex eo, quòd cum aliis verbis, quæ poſſent adiungi, poſſet habere aliam ſignificationem; ſicut imago Petri non eſt ſimilis, & conformis Petro, eo quòd ſimul cum alia parte, quæ retenta eſt in mente pictoris, eſſet ſimilis, & conformis Petro; ſi autem non eſt conformis, erit mendax. Quâ adhuc poſitâ ſententiâ, optimè declarat per illas voces *Non ſcio, Non audiui*, Confeſſarium veraciter reſpondere, quia prædictæ voces abſolutè prolatæ poſſunt habere ex ſe illum ſenſum, ſcilicet per ſcientiam, & auditionem quæ vtilis ſit ad reſpondendum; ſicut qui habet vnum panem ſibi omninò neceſſarium, verè reſpondet, ſe nullum habere ei, qui petit panem commodatum; quia nullum habet, quem commodare poſſit, de quo ſolo interrogat ille, & loquitur: Vnde in hoc ſenſu interpretantur communiter Doctores Dictum illud Chriſti Domini, *Marci* 13. quando dixit: ***De die autem illo, vel hora, nemo ſcit neque Angeli in cœlo, neque Filius, niſi Pater***: hoc eſt illâ ſcientiâ quæ vtilis eſſet ad reſpondendum Diſcipulis interrogantibus; quia licet Chriſtus, vt homo id ſciret, ſed ſecretò tamen, quod manifeſtare non poterat.

8 Hinc colligit benè, etiamſi interrogatio excludat talem reſtrictionem, vel limitationem, poſſe Confeſſariū reſpondere cū dicta limitatione, cum veritate, & abſque mendacio. Ratio eſt, quia cùm voces ex primaria intentione impoſitæ ſint ad exprimendum conceptum, & mentem loquentis; & verba illa, *Non ſcio, Non audiui*, & ſimilia, etiam impoſita ſint ex inſtitutione hominum ad ſignificandam ſcientiam talem, quæ apta ſit ad reſpondendum, non poteſt interrogans auferre ab illis vocibus hanc ſignificationem, atque ideò poterit reſpondens vſurpare illas ſemper in hac ſignificatione quam habent: Et quamuis poſſet etiam Sacerdos abſque mendacio dicere. Ego ſcio, ego audiui tale peccatum, quo caſu loqueretur de alia ſcientia, quia nimirùm voces illæ ſunt æquiuocæ, & poſſunt proferri in vtraque ſignificatione, ſicut quælibet alia vox æquiuoca; hinc tamen ex eo quòd prædictæ voces æquiuocæ ſint, & poſſint ex hominum inſtitutione ſignificare vel omnem prorſus ſcientiam, vel illam ſolam, quæ vtilis eſt ad reſpondendum, manifeſte colligitur quòd Confeſſarius iniquè rogatus poſſit ſemper retinere hanc ſecundam ſignificationem abſque mendacio. Poterit igitur Confeſſarius, quamuis vrgeat interrogans, an ſcierit, vel audierit etiam in Confeſſione veraciter reſpondere, Non ſcio, Non audiui, quia ſenſus eſt, Non ſcio ſcientiâ, quæ ſit vtilis ad reſpondendum, me cognouiſſe, vel audiuiſſe etiam in Confeſſione, quia huius ſignificationis adhuc eſt capax illa propoſitio, cùm ſit impoſita ad vtrumque æquiuocè ſignificandum.

9 Obiicies, qui non abſoluit pœnitentem, licèt non poſſit dicere, ſe non abſoluiſſe, non tamē poteſt abſque mendacio dicere: Ego abſolui eum: ergo ſimiliter nequit dicere abſque mendacio, ſcio me non audiſſe tale peccatum. *Reſpondeo* eſſe maximam differentiam inter has propoſitiones: nam in illa propoſitione, Ego illum abſolui, ſeu quod idem eſt, ſcio me illum abſoluiſſe, obiectum affirmatum eſt aliquid poſitiuum, ſcilicet Abſolutio, quæ cum non fuerit, nullam ſcientiam habeo de illa: Vnde non poteſt Confeſſarius qui non abſoluit pœnitentem, abſque mendacio dicere, Ego abſolui eum, quia nullam habet ſcientiam de tali Abſolutione: at verò in alia propoſitione, obiectum eſt negatiuum, ſcilicet, me non audiiſſe tale peccatum, ad quod ſufficit me non habere ſcientiam de illo: quod verum eſt; quia loquendo de ſcientia vtili ad reſpondendum, nullā ſcientiam habeo de tali obiecto: Vnde ſicut poſſum dicere, Scio me non recordari, quod audierim tale peccatum, poſſum etiam dicere, ſcio me non audiuiſſe illud.

Secunda difficultas eſt, an poſſit Confeſſarius abſolutè non interrogatus volens ſponte teſtificari de alicuius vita, & moribus, dicere, Non noui tale commiſiſſe crimen, aut non noui vllum crimen illius, cùm tamen optimè in Confeſſione audiiſset. 10

Negat Durandus *diſt.* 21. *q.* 3. Cùm enim tunc Sacerdos ſponte illud dicat, nec rogatus, eius propoſitio non poteſt modificari ad interrogationem aliorum, ſed abſolutè eſt accipienda, & ſic eſt falſa. Probat autem eſſe falſam, quia ſi quis ſponte confiteretur interroganti ſe illud audiiſse, eſset verum, & reuelaret Confeſſionē, non tamen eſset mendacium: ergo ſimiliter ſi negaret, eſset falſum: nam videntur eſse contradictoria.

Verius iudico oppoſitum cum Vaſquez citato *dub.* 12. *n.* 10. Paludano, & Soto, quos ipſe affert. Ratio eſt, quia in communi loquendi modo ſemper intelligitur exceptum illud, Quod in Confeſſione tantùm notum eſt. Et hoc verum eſt, ſiue addatur reſtrictio, ſiue non, quia iam intelligitur ita appoſita ex communi loquendi vſu: Verum etiam eſt hoc Dictum, ſiue fiat aliqua legitima occaſione id poſtulante, ſiue etiam abſque vlla occaſione, nam ſi fiat ipſa rei opportunitate ita poſtulante, in commodum, & honorem ipſius pœnitētis, erit id non ſolùm licitum, ſed conueniens; ſi verò fieret abſque vlla occaſione, id dici poſset ſine mendacio, quia haberet ſenſum quem diximus; poſset tamen eſse ſtultum ita ſine occaſione teſtificari, & nullius momenti; imò poſset etiam generare ſcandalum, & eſse periculum aliquod ſuſpicionis, vel reuelationis indirectę: Vnde in praxi, per ſe loquendo, videtur magis conforme debitæ rationi, ac prudentiæ, Confeſsarium, dum non cogitur ob commodum, & honorem pœnitentis, non debere miſcere ſermonem de Confeſsione, neque affirmando, neque negando, vt benè notauit Suarez *diſp.* 33. *ſect.* 6. *num.* 8. 11

Argumentum Durandi nullum eſt, vt optimè obſeruat Vaſquez, nam illud idem fieri poteſt, ſi rogatus reſpondeat; nam ſi reſponderet, Scio tale crimen commiſiſſe Petrum, v. g. etiamſi audiiſset in Confeſſione, verum diceret: & ſi negaret, verum etiam dicere poſset, vt cùm intendit ſine præiudicio Confeſſionis, reſpondere tantùm vt tenetur. Quare dicendum eſt ad illud Argumentum, quòd etiam non coactus, dum aſſerit ſe audiiſse illud crimen intendens reuelare quod in Confeſſione nouit, quamuis peccet grauiter, tamen verum dicit, quia eſt vera illa iuxta intentionem volentis reuelare ſecretum illud; veruntamen negatiua etiam eſt vera quando intentio eſt loquendi tantùm de illis rebus de quibus communiter in conuictu licet loqui; & ſic illæ duæ propoſitiones non ſunt contradictoriæ, quia neque ad idem ſignificandum eodem modo referuntur, neque in eodem ſenſu ſumuntur, ſed in diuerſo, prout ſumi poſsunt omnes propoſitiones æquiuocæ: ſic enim neque iſtæ ſunt contradictoriæ, Vidi canem, Non vidi canem, loquendo in vna de terreſtri, & in altera de cane marino. 12

***

SECTIO X.

Quomodo ſit reſpondendum interrogantibus ea, quæ in Confeſſione cognita ſunt, abſque fractione ſigilli?

1 PRæmitto *primò*, quod certum eſt apud omnes, non ſolum directè, quod eſt per ſe notum, ſed etiam indirectè ſi aliquid Confeſſionis reueletur, peccari grauiter contra ſigillum, quia in moralibus eiuſdem rationis eſt, aliquid indirectè velle, vel committere, quando effectus, ſeu detrimentum idem eſt. Ita verò eſt in præſenti, vt per ſe conſtat.

2 Præmitto *ſecundò*, modum prædictæ indirectæ reuelationis poſſe eſſe etiam multiplicem, ſicut & ipſas interrogationes; vnde ſeruandum eſt hoc ſigillum, non tantùm ſponte narrando, ſed etiam reſpondendo ad quamcumque interrogationem. Præter dicta *præc. ſect.* varias nunc interrogationes proponam, vt ex earum reſponſionibus conijci poſſit quomodo in aliis ſe gerere debeat Confeſſarius abſque vlla indirecta reuelatione.

3 Prima interrogatio ſit, ſi quis Confeſſarium interroget, an Petrum abſoluerit? ſi enim reipſa Abſolutionem impendiſſet, nec aliud peculiare incommodum oriretur, poſſet ſine ſcrupulo reſpondere affirmando veritatem. Dubium verò eſt ſi illum non abſoluiſſet Confeſſarius, & diceret ſe non abſoluiſſe pœnitentem.

Nam Caietanus, *Verbo, Confeſſio*, & Henriquez negant reuelari indirectè Confeſſionem, dicendo, Non abſolui illum. Probant, quia id non eſt declarare peccata, aut prauam pœnitentis diſpoſitionem, cùm alias ob cauſas negari poſſit Abſolutio, v.g. ob defectum iuriſdictionis, vel quia ſequitur pœnitens opinionem contrariam ſententiæ Confeſſarij.

4 Contrarium iudico omninò verum, cum Nauarro, quem affert, & ſequitur Suarez *diſp. 33. ſect. 6. n. 1.* & cũ multis aliis. Ratio eſt, quia Abſolutio, moraliter loquendo, non negatur, niſi ſuppoſita materia peccati mortalis & ob indiſpoſitionem pœnitentis; & ideò, qui dicit abſolutè ſe negaſſe Abſolutionem, non ſolùm indirectè, ſed directè quoque dicit, pœnitentem peccaſſe mortaliter, & eſſe indiſpoſitum: Firmo, nam reuera Abſolutio non negatur, vbi ſolùm ſunt culpæ veniales, quia ad iſtarum Abſolutionem nec requiritur ſpecialis iuriſdictio nec circa illas ſolent diffidere Confeſſarius, & pœnitens: ergo vehementer indicatur culpa grauis, aut dubium de illa; & manifeſtum eſt indicari non poſſe ſine violatione ſigilli. Et quamuis poſſint eſſe variæ cauſæ negandi Abſolutionem, ſi tamen Confeſſarius abſolutè ſine vlla explicatione dicat ſe negaſſe Abſolutionem, ſupponit id quod diximus. poſſet tamen dicere, Non abſolui illum, quia non habebat materiam Abſolutionis, vel quia incepit Confeſſionem generalem, quam nondum perfecit, vel propter aliam cauſam ſimilem, quæ ſi non reddatur, negatio Abſolutionis apud omnes generat ſuſpicionem vehementem, vel de caſu reſeruato, vel de indiſpoſitione pœnitentis nolentis relinquere occaſionem proximam, vel nolentis reſtituere. Quare interroganti an abſoluerit Petrum, reſpondeat Confeſſarius, ſe functum officio ſuo: Et ſi quærat an apponenda ſit formula, vt conſecretur pro Communione Petri, reſpondeat Sacerdos, vt ab ipſo pœnitente quæratur: ſic enim reſponderi debere notat Henriq. *ſuprà lit. X.*

Secunda interrogatio eſt de peccatore publico, quem Confeſſarius non abſoluit, ſi quis illum interroget, an 5
dictum peccatorem abſoluerit, vt v.g. meretricem publicam. Sentit Caietanus poſſe Confeſſarium dicere; Ego audiui illum publicum peccatorem concubinarium, ſed non abſolui, quia non egerat publicam pœnitentiam. Quod dictum Caietani intelligi debet, ſi ille erat publicè male diſpoſitus; nam ſi fuiſſet benè diſpoſitus, non erat priuandus Abſolutione: meliùs verò, ac magis opportune dicendum iudico interroganti; Ego functus ſũ meo munere, neque enim poteſt abſque mendacio dicere, ſe eum abſoluiſſe, cùm ea propoſitio non poſſet habere verum ſenſum. Quòd ſi pœnitens falsò iactet ſe eſſe abſolutum, adhuc non poteſt Confeſſarius id negare, ſed ſolum dicat ſe feciſſe debitum ſuum: imò & quamuis pœnitẽs dicat ſe non fuiſſe abſolutum, quia non erat diſpoſitus; adhuc Confeſſarius non poteſt tunc id etiam dicere, qui nec peccata ipſa publica audita in Confeſſione poſſunt reuelari, quatenus in ipſa cognita fuêre; vt oſtendi ſupra *in hac diſputatione, ſectione quarta, numero duodecimo.* Nec denique poteſt Confeſſarius dicere, Ipſe dicit quòd eum non abſolui, quia hoc ipſum approbare videtur veritatem negatæ Abſolutionis, niſi aliquo modo conſtet, Confeſſarium illud non approbare.

Tertia interrogatio eſt de pœnitente, cui negatur 6
Abſolutio propter indiſpoſitionem, ſi petat ſchedulam ſuæ Confeſſionis, an ſit danda, vel neganda?

Noſter Coninck *diſputatione 9. dubio primo, numer. 14.* exiſtimat, quando famuli alicuius Principis tenentur ferre teſtimonium ſuæ Confeſſionis, debere Confeſſarium hoc dare etiam iis, quos propter indiſpoſitionem, aut ſimilem cauſam non abſoluit, ne negando teſtimonium hoc, aliquo modo prodat, nec dando teſtimonium mentitur, quia tantùm teſtatur eſſe eos confeſſos, quod verum eſt.

Henriquez quoque *libro ſexto, capite vigeſimo ſecundo, numero quarto*, dicit, expedire quòd detur ſchedula, etiam tempore præcepti Confeſſionis: Addit tamen poſſe negari, quia non tenetur Confeſſarius cooperari occultationi peccati.

Bonacina *diſp. 5. q. 6. ſect. ... punct. 4. n. 7.* dicit, non dandam eſſe, ne via fraudibus aperiatur; multi enim improbi deciperent Parochos allato teſtimonio Confeſſionis in Paſchate.

Ego tria breuiter dico, quæ mihi videntur vera. *Primum eſt*, non eſſe contra ſigillum ſchedulam negare. Ratio eſt, quia tunc Confeſſarius nihil dicit, ſed ſolùm non approbat teſtimonio poſitiuo illam Confeſſionem, ad quod non tenetur; ſibi ergo imputet pœnitens, ſi ob ſuam impœnitentiam Confeſſarius non vult poſitiuè eum defendere. *Secundum*, non poſſe Confeſſarium licitè per ſe loquendo, dare prædictam ſchedulam publico peccatori, qui non eſt emendatus, nec peccatori occulto, qui eo pacto palliat ſuam iniquitatem Patet, quia tametſi non eſſet mendacium, ſi daret ſchedulam, quia in ea ſolùm teſtatur confeſſum eſſe; cooperatur tamen Confeſſarius fraudibus pœnitentium, qui palliant ſua peccata, & decipiunt Parochos, ac Dominos ſpecie virtutis: Imò & ſcandalum præberet, ſi ſchedula daretur peccatori publico non emendato. Quis enim non ſcandalizaretur, ſi publicæ meretrici in ſuo ſtatu perſeueranti daretur ſchedula Confeſſionis? Non ergo debet dari illa. *Tertium eſt*, in aliquibus caſibus poſſe ſchedulam dari peccatori; vt ſi alicui per accidens deberet differri Abſolutio ad breue tempus, ac ſperatur rediturus, conueniens eſt dare teſtimonium illud, ne interim incurrat iram Principis, vel Domini: ſimiliter illi, cui ex iuſta cauſa imponitur à Confeſſario in Paſchate, vt ſe præparet per aliquos dies ad faciendam generalem Confeſſionem, & cuius

cuius ſperatur reditus, & profectus, poteſt dari interim ſchedulæ teſtimonium, & ſic in aliis, & ſimilibus caſibus.

7 Quarta interrogatio eſt de pœnitentia iniuncta, an ſit contra ſigillum, dicere Confeſſarium pœnitentiam, quam impoſuit pœnitenti? *Reſpondeo* cum omnium doctrina, Confeſſarium non poſſe ſine ſigilli fractione dicere in particulari, quam pœnitentiam impoſuit, ſi illa fuerit ſignum culpæ mortalis certæ, aut dubiæ, aut peccatorum venialium ſpecialium quoad numerum, vel ſpeciẽ; ſecus verò ſi fuerit ita leuis, vt ex illa colligi nequeat, niſi tantùm, quod certum & commune eſt, videlicet pœnitentem confeſſum fuiſſe peccata venialia; Sicut enim non eſt contra ſigillum dicere, quod pœnitens confeſſus eſt venialia; ſic neque erit dicere, quòd accepit pœnitentiam ſolitam imponi pro venialibus. Quod ſemper limitandum eſt, niſi pœnitentia illa leuis indicet qualitatem peccati: Vt ſi pœnitentia fuit oratio breuis pro ſocio ſuo, quia eum leui verbo pupugerat, nam notitia huius pœnitentiæ poſſet dare ſuſpicionem peccati leuis contra ſuum ſocium commiſſi: Vnde etiã colligo, eſſe contra ſigillum dicere pœnitentiam, quæ excedit illam, quæ imponi ſolet in Confeſſione ordinaria de leuioribus; ſecus verò ſi illam non excederet, v.g. ſemel orationem Dominicam, & Angelicam, vel Salue Regina, aut quid ſimile.

8 Quinta interrogatio eſt de ſigillo Confeſſionis, an ſit ſeruandum non ſolùm verbis, ſed etiam factis. *Reſpondeo* affirmatiuè. Sic firmant omnes Doctores, & ſumunt ex *Cap. Omnis vtriuſque ſexus*, ibi: *Verbo, vel ſigno, vel alio modo.* Ratio eſt, quia non tantùm verba, ſed etiam facta ſignificant mentem, & ideò factis poteſt manifeſtari Confeſſio; at quæuis manifeſtatio eſt contra ſigillum: Et quamuis ſint facta, quæ non ſunt ſigna ad placitum impoſita ad ſignificandum, ſicut verba, ſæpe tamen verè ſignificant, vt ſigna naturalia; ſicut effectus ſignificant cauſam, & exteriores actiones ſignificant mentem à qua procedunt. Quacumque autem ratione ſignificetur Confeſſio per facta, eſt reuelatio eius ſaltem indirecta, neque eſt ſola permiſſio, ſed commiſſio; quia homo verè exhibet ſignum repræſentatiuum cognitionis per Confeſſionem comparatæ; ex quo valdè oneroſa, & odioſa fit Confeſſio. Pono exemplum in Parocho, vel Epiſcopo, qui hac de cauſa non poteſt negare publicè alicui Sacramentum, v.g. Euchariſtiæ, Matrimonij, aut Ordinis, &c. propter ſcientiam in ſola Confeſſione comparatam, quia id fieri non poteſt ſine indirecta reuelatione. Item ex eodem principio negare non poſſumus communicationem ei, quem nouimus eſſe excommunicatum ſolùm in Confeſſione, præſertim coram aliis.

9 Sexta interrogatio eſt, an dicere de aliquo qui frequenter confitetur, quod confeſſus ſit peccata venialia noua, ſit contra ſigillum. Breuiter *Reſpondeo*, ſi breue ſit tempus ab vltima Confeſſione, id dicere, eſſe illicitum, quia breui illo tempore potuit non committere aliqua, ſaltem clara, & certa: Si verò interceſſit longius tempus, non cenſeo eſſe contra ſigillum, cùm certum ſit, eo tempore aliqua committi, quæ diligens pœnitens primo loco confitetur, & in eorum defectum confitetur antiqua.

10 Septima, & vltima interrogatio ſit, an ſit contra ſigillum de puero, de quo dubitatur communiter, an habeat vſum rationis, vel ſit doli capax, dicere, quod ſibi confeſſus eſt venialia peccata.

Ratio dubitandi eſt, quia de illo non eſt certum apud alios, quòd habeat venialia peccata, cùm non ſit certum, quod ſit doli capax.

Placet mihi reſponſio noſtri Cardinalis Lugo *diſputatione* 23. *ſectione* 4. *numero* 91. contrarium aſſerentis, poſſe Confeſſarium de illo dicere eſſe doli capacem, & confeſſum fuiſſe ſibi venialia peccata. Probat, quia aliter neque de illo, de quo dubitatur an ſit amens, vel ſanæ mentis, poſſet Confeſſarius auditâ Confeſſione dicere eſſe ſanæ mentis: Imò ex Confeſſione iudicat prudenter Confeſſarius, an ſit puer capax Extremæ Vnctionis, an Viatici, an ſepeliendus ſit, vt adultus & an pro eo offerenda ſuffragia: Rationem aſſignat, quia puer non narrat, nec dicit ſecretò vſum rationis ſuo Confeſſario, ſed factis, & modo loquendi, ac diſcurrendi illum oſtendit: Vnde ſicut nos etiam diximus *ſuprà, in hac diſputatione, ſect.* 4. *num.* 11. defectus naturales, qui in Confeſſione non dicuntur, ſed fiunt, non ſunt materia ſigilli; à fortiori dici debet hoc idem de ingenio, de capacitate, & iudicio, quæ in ipſo confitendi, & loquendi modo manifeſtantur: Suppoſito autem, quòd ille ſit capax doli, non eſt contra ſigillum dicere, quòd confeſſus ſit venialia peccata. Addit & benè aliud eſſe dicendum, quando aliquis, qui vel ob mortificationem, vel ob intereſſe temporale, ſe fatuum & amentem fingeret, & hoc ipſum in Confeſſione manifeſtaret, vt ſua peccata confiteri poſſet, tunc in eo euentu crederet ſub ſigillo contineri illud ſecretum ſapientiæ, & ſtatus ſui, quod manifeſtauit Confeſſario, quia nimirùm illud narrauit ad declaranda peccata, & ſub eodem ſigillo illud committendo.

SECTIO XI.

Vtrùm liceat Prælato, vel Superiori regulari, vti ſcientia habita ex Confeſſione Sacramentali ad gubernationem ſubditorum.

NOn deſunt graues Auctores, quos refert Sanchez *lib.* 3. *de matrimonio, diſput.* 16. *num.* 2. affirmantem partem ſequentes, quando id fieri poteſt abſque vlla reuelatione. 1

Primò, quia Sacerdos ſolùm obligatur ex Confeſſione ne reuelet aliqua in ea cognita: ergo ſi per aliquas actiones, v.g. negandi pœnitenti ſuffragium, vel illum amouendi ab officio ad quod non habet ius adquiſitum; id fiat à Superiore abſque vlla reuelatione etiam indirecta, non obligabitur ad illas, & alias ſimiles omittendas.

Secundò, Superior per auditionem Confeſſionis nullo ſuo iure priuatur, vt conſtat: At ſi non audiuiſſet illius ſubditi Confeſſionem, potuiſſet illum licitè amouere ab officio, negare ei ſuffragium, & ſimilia; ergo etiam id poteſt, audita Confeſſione, ſecluſo ſemper periculo reuelationis.

Tertiò, quia ideò Prælatis reſeruantur aliqui caſus, vt meliùs poſſint ſibi ſubditos gubernare: ergo in ipſa gubernatione vti poſſunt ſcientia habita in Confeſſione, ſi nullo modo illius ſigillum frangatur.

Secunda ſententia negat vſum talis ſcientiæ ex Confeſſione habitæ eſſe licitum in gubernatione regularium. Quam tenent Armilla, *V. Confeſſor, num.* 7. Bañez 2.2.*q.* 33.*a.*8.*ſub finem*, Sanchez relatus *num.* 3. *&* 4 Cardinalis Lugo *diſp.* 23. *ſect.* 5.§.1.*num.* 93. eſtque omnium Doctorum noſtræ Societatis, quam ſuo Decreto ſtabiliuit *anno* 1590. R.P. Claudius Aquauiua noſtræ Societatis Generalis, quo ſeuerè prohibuit, ne vllus vnquam de Societate contrariam doctrinam publicè, aut priuatim doceat, eáve vtatur, ſed quod caput eſt, ea eſt iam firmata auctoritate, & Decreto Cle- 2

mentis Papæ VIII. quod *anno* 1594. *die* 16. *Maij*, edidit pro Regularibus. Vbi ſic præcipit; *tàm Superiores pro tempore exiſtentes, quàm Confeſſarij, qui poſteà ad Superioritatis gradum fuerint promoti, caueant diligentiſſimè, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in Cōfeſſione habuerunt, ad externam gubernationem vtantur.* Quo Decreto Pontifex omnibus Prælatis Regularibus vſum notitiæ Confeſſionis prohibuit.

Huius veritatis, quam meritò amplectimur, *ſequentibus Dictis*, maiorem explicationem proponemus.

3 Dico itaque *primò*, certiſſimum eſſe, peccatum pœnitentis in Confeſſione tantum notum non poſſe alteri reuelari, nec etiam indirectè adhuc ob correctionem pœnitentis. Patet, quia directè eſt contra ſigillum Confeſſionis, vt liquet; cuius obſeruatio eſt maioris momenti, quàm ipſius pœnitentis correctio. Firmo, quia cùm obligatio ſigilli inducta ſit, ne Confeſſio pœnitentibus reddatur oneroſa, debet prohibere ea omnia, per quæ illa redditur præſertim notabiliter oneroſa, quæque nata ſunt homines valdè ab illa auertere; atqui hæc maximè fiunt per prædictum vſum talis ſcientiæ.

4 Dico *ſecundò*, Prælatum ob peccatum tantùm in Confeſſione notum, non poſſe pœnitentem amouere ab officio v.g. quando alij ſuſpicantur, aut ſuſpicari poſſunt probabiliter id fieri ob aliquod peccatum. Hoc etiā eſt certum, quia ea officij remotione tunc inſinuatur peccatum mortale pœnitentis, ſaltem in communi, quod eſt contra ſigillum Confeſſionis, & eſt peius quàm indignum permanere in officio: ex duobus autem malis occurrentibus eligi poteſt, & eſt eligendum minus malum. Et certè tali officij remotione redderetur Confeſſio difficilis, ac valdè odioſa.

5 Dico *tertiò*, nec poſſe Prælatum ob peccatum tantùm in Confeſſione notum, remouere ſubditum pœnitentem ab officio, aut negare ei ſuffragium, etiamſi ipſe ſolus pœnitens coniiciat, aut coniicere poſſit probabiliter id fieri ob peccatum confeſſum.

Probatur *primò*, quia Confeſſarius ita tenetur ſigillo ſacro Confeſſionis, vt nequeat peccatum in Confeſſione tantùm notum dicere alicui, non ſolùm aliis à pœnitente, quamuis viderint peccatum à pœnitente committi, ſed nec illud obiicere ipſi pœnitenti: At in caſu dicto remouere pœnitentem ab officio, aut ipſi negare ſuffragium, aut aliud circa illum efficere, quando ipſe coniicit, aut coniicere poteſt probabiliter id fieri ob peccatum confeſſum, eſt ipſi inſinuare, & obiicere, ac exprobrare peccatum confeſſum, quo Confeſſio ita fiat ei moleſta, & odioſa, vt ob id retrahi poſſit ab ipſa: igitur id eſt contra obligationem ſigilli Confeſſionis.

Secundò, ex contraria ſententia manifeſtè ſequitur, Confeſſionem pœnitentibus reddi notabiliter oneroſā. Patet ſequela, quia cùm homines ardentiſſimo amore quærant beneficia, officia, & dignitates, nihil ferè tanto odio auerſantur, ac ea quæ ipſos ab his poſſunt impedire: ergo ſi homines ſemel animo concipiant, ſe propter dicta in Confeſſione poſſe à ſimilibus conſequendis impediri, cùm omnes regulariter qui ad res magnas aſpirant, omnia ferè habeāt ſuſpecta, quibus ab illis aſſequendis poſſint aliqua ratione impediri, præſertim quando ſibi ſunt male conſcij, ſequitur, vt quiſquis graue aliquod peccatum occultè commiſerit, hoc nulli vnquam audeat confiteri, quem vel leuiter ſuſpicabitur habere, aut aliquando habiturum poteſtatem per electionem, nominationem, aut alia ratione ſuam promotionem, aut procurandi, aut impediendi.

Tertiò, idem firmatur, quia poſitâ contrariâ ſententiâ, videtur reſeruatio caſuum, qui Superioribus reſeruantur, eſſe omninò intolerabilis humanæ fragilitati. Patet, quia Religioſus, qui graue aliquod peccatum commiſit, ob quod meretur impediri, ne ad aliqua officia promoueatur, quomodo confitebitur ſuo Prælato, ſi ſciat hunc poſſe ea ſcientia vti ad impediendam ipſius promotionem? eſſet etiam dicta reſeruatio omninò inutilis, nam quiuis confitens ei, qui poſſet aliquando ipſius promotionem, aut procurare, aut impedire, poſſet reticere omnia ea peccata, ob quorum Confeſsionem, timeret alterum promouendum ad ipſius promotionem impediendam, nam cum communi ſententia oſtendimus ſuprà, *in hoc tractatu, diſputatione vigeſima ſecunda, ſectione* 1. pœnitentem inter confitendum licitè reticere ea omnia peccata, quæ non poteſt confiteri ſine periculo notabilis damni incurrendi, quod ſit extrinſecum ipſi Confeſsioni: Tale autem periculum eſt proculdubio impeditio ab aliquo officio conſequendo.

Firmo, nam ſi licitè in Confeſſione taceam aliquod peccatum, quod timeo Confeſſarium vel vni reuelaturum, aut propter quod me graui odio proſequetur; quomodo non tacebo licitè illud, ob cuius confeſſionem meritò timeo, ne impediat à conſequendo optimo aliquo officio; cùm communiter homines peccati ſui euulgationem, vel aliorum odia maximè timere, ac vitare ſoleant propter periculum eiuſmodi impedimenti. Et quamuis hîc & nunc tale periculum non ſubſit; pœnitens tamen facilè ſibi perſuadebit ſubeſſe.

Vltimò idem oſtenditur, quia illud obligatione ſigilli prohibetur, quod Confeſſionem redderet grauem, & odioſam fidelibus: at certum eſt, quòd magis grauis redderetur Confeſſio, ſi Confeſſarius ex illa notitia poſſet lædere pœnitentem in honore, fortunis, muneribus, officiis, & aliis ad quæ homines maximè adſpirant, quàm ſi cum pœnitente poſſet de iis loqui: ergo ſicut propter reuerentiam, & libertatem Sacramenti prohibetur loqui cum ipſo pœnitente, ne difficilis reddatur Confeſſio, multò magis debet propter eandem rationem prohiberi, ne poſſit occaſione Confeſſionis pœnitens in aliis rebus lædi, cùm hæc læſio magis difficilem redderet Confeſſionem, vt apertè conſtare videtur.

Dico *quartò*, non omnem vſum illius notitiæ, quam 6
habet Superior ex Confeſsione, etiam in ordine ad gubernationem externam, vtcumque eſſe illicitum, & ſacrilegum contra ſigillum, ſed illum, ex quo Confeſſio difficilis & odioſa reddi poteſt. Ita Armilla, *verbo Confeſſor, n.* 7. Sanchez *diſp.* 16. *citata, n.* 4. Cardinalis Lugo *loco citato, n.* 102. Coninck *diſp.* 9. *dub.* 4. *n.* 68. Ratio videtur apertè ſequi ex præcedentibus Dictis huius Sectionis, & ex tota hac Diſputatione; nam vt ex illa conſtat, præcipua ratio ſigilli eſt, ne Confeſſio difficilior, aut grauior reddatur: At negari non poteſt, non reddi difficiliorem ex quocumque vſu, vel effectu, qui ex tali notitia ſequatur. Patet, quia ſi Superior Confeſſarius, propter confidentiam, quam ſubditus pœnitens erga ipſum oſtendit, confitendo ei peccata grauiſſima, & cum magnis pœnitentiæ ſignis peculiari eum affectu proſequatur, idque beneficiis, & ſpeciali circa ipſum cura manifeſtet, tametſi pœnitens intelligat totum illud oriri ex Confeſſionis notitia, non ideò ægrè feret, nec proptereà Confeſſio grauior, aut difficilior reddetur. Cùm ergo per hunc vſum nec Confeſsio reueletur, cùm nemini eius notitia detur, nec ipſa difficilior reddatur, non erit contra ſigillum. Firmo Dictum, nam experimento quotidiano conſtat, ex Confeſsione poſſe Confeſſarium magis cautum, & prudentem fieri ad vitanda ſimilia pericula, in quibus pœnitens ruinam ſpiritualem paſſus eſt, & etiam temporalem; non eſt ergo contra ſigillum, vti tali notitia ad operandum: ergo nec vſus illius ad gubernationem externam, quando ex illo nullo modo Confeſsio redditur difficilis, & odioſa; imò ſæpè Prælatus,

Digitized by Google

tus, ſi ex Confeſſione ſciat detractiones, ac querelas ſubditorum contra illum, propter nimium rigorem, vel parcitatem, poterit dicere, non expedire modum illum, ſed indigere moderatione, vel mutatione. Præterea quis neget, ob audita in Confeſſione, poſſe Confeſſarium moueri, vt pro pœnitente oret, & vt diligentiùs ſtudeat, aut etiam conſulat aliquos doctos, aut in Confeſſionibus expertos, quid faciendum eſſet, ſi tales, aut tales caſus occurrerent; modò hoc ita fiat, vt nemo vllo modo poſſit quidquã circa certos pœnitentes ſuſpicari. Rurſus poteſt diuerſos caſus audiendo, eóſque inter ſe conferendo, paulatim fieri doctior, & prudentior in aliorum conſcientiis tractandis, & iis inter confitendum examinandis, aut dirigendis. Denique in ſimilibus rebus poteſt quoque alios inſtruere, modò hæc omnia ita fiant, vt nullum ſit periculum, ne quis vllo modo ſuſpicetur certas aliquas perſonas hoc vel illud feciſſe; quia eiuſmodi vſus nullo modo poteſt reddere Confeſſionem odioſam. Igitur non eſt illicitus omnis vſus illius notitiæ ad gubernationem externam, neque contra ſigillum vel reuerentiam Sacramenti, niſi ex illo reddatur difficilis, & odioſa Confeſsio.

7 Ex dictis Colligo *primò*, ſcientiam ex Confeſſione perinde ſe habere in Confeſſario, ac ſi non eſſet, in ordine ad omnem vſum, qui Confeſsionem redderet difficiliorem, ac grauiorem; non verò in ordine ad omnem alium vſum, qui fit ſine vlla reuelatione, & ſine præiudicio vllo pœnitentis, ex quo difficiliùs confiteatur.

8 Colligo *ſecundò*, non ſolùm eſſe contra ſigillum, ſi clarè Confeſſarius exprobret peccatum pœnitenti, ſed etiam ſi ſeueriorem vultum ea de cauſa illi oſtendat, aut minus gratè eum alloquatur, vt rectè ex Graſſio notauit Bonac. *diſp*. 5. *q*. 5. *punct*. 4. *n*. 26. nam inde ſequeretur confuſio pœnitenti.

9 Colligo *tertiò*, Confeſſarium non debere dare occaſionem indirectam non ſolùm iudicandi, ſed nec ſuſpicãdi probabiliter de pœnitente. Dico *probabiliter*, quia id videtur in praxi obſeruari poſſe, nam moraliter impoſſibile eſt, omnem ſuſpicandi indirectam occaſionem etiam leuem, ſeu ex coniecturis leuibus, quas malitioſi faciunt, omnibus auferre. Verum quidem eſt in aliqua materia propter eius qualitatem, & grauitatem non reputari leuem ſuſpicionem, quæ alias fortaſſe leuis eſſet; ſic enim quæcumque occaſio, quę daretur marito etiam leuis ſuſpicandi adulterium vxoris ſuæ, eſſet grauiſſima, & contra ſigillum, quia nimis difficilis, ac odioſa ex tali periculo redderetur Confeſſio.

10 Colligo *vltimò*, notitiam Confeſsionis eſſe omninò inutilem ad vſus fori iudicialis, vt optime oſtendit Couarruuias *in* 4. *part*. 2. *cap*. 8. §. 12. *num*. 10. & Soto *in* 4. *diſtinct*. 18. *quæſt*. 4. *articul*. 5. *in fine*. Quare ſi contingat, quòd caſu, vel induſtria ex tali notitia proceſſus aliquis ortum habuerit; omnia eius acta irrita, & inualida ſunt: Vnde Iudex tametſi à principio bona fide proceſſerit; vbi tamen primùm aduertit, denunciatorem verb. grat. illud ex ſola Confeſſione cognouiſſe, tenetur ac debet protinùs omninò ceſſare.

11 Ad Argumenta Sententiæ contrariæ affirmatiuæ. Ad primum, iam conſtat ex dictis, Confeſſarium non ſolùm obligari ad non reuelandum, & manifeſtandum peccatum pœnitentis, ſed etiam ad vitandum id omne extra Confeſſionem, quod redderet ipſam odioſam & difficilem pœnitentibus: vnde licèt in prædicto caſu non eſſet propriè reuelator Confeſsionis; peccaret tamen contra ſigillum; quod obligat etiam ad continendam taliter notitiam illam, vt neque ad opera poſſit practicè deſeruire contra ipſum pœnitentem; qualia ſunt negare illi ſuffragium, vel remouere illũ ab aliquo officio honorifico, & ipſi grato: Sicut peccat quoque contra ſigillum, qui cum pœnitente loquitur ex Confeſsione ſine eius licentia, tametſi reſpectu illius nihil prorſus reuelet.

Ad ſecundum, dico, Confeſſionem non tollere ius priſtinum, quod Cõfeſſor habebat, eo pacto quo habebat; cogere tamen ne ex auditis in Confeſſione, aliquo modo ducatur ad opus aliquod, ex quo confuſio, vel damnum ſequatur pœnitenti: ſicut qui nouerat aliquid extra Confeſsionem, & poſteà in Confeſsione audit, non amittit ius priſtinum illud manifeſtandi, arctatur tamen Confeſsionis ſigillo, ne alio modo propalet ratione Confeſsionis ſibi factæ, quam anteà ſciuerat: Vnde parum prodeſſe poteſt ſceleratis, aut indignis medium Confeſsionis, cùm ſemper poſſit Prælatus eos remouere ab officiis, propter cauſas aliunde cognitas, vel etiam pro ſuo arbitrio, dummodò non moueatur à notitia in Confeſsione acceptá. 12

Ad tertium iam oſtenſum eſt *ſuprà, Dicto tertio*, caſuum reſeruationem fore intolerabilem, ac inutilem, ſi poſitâ illâ, poſſent Superiores ex notitia habita in Confeſſione impedire ſubditos pœnitentes, ne ad aliqua officia promouerentur. Reſeruatio igitur caſuum fit tantùm, vt ſubditi videntes tam difficulter talis peccati Abſolutionem obtineri, magis apprehendant eius grauitatem, illúdque fugiant, ac ſummo odio habeant: Tum etiam vt Superiores qui communiter ſunt prudentiores, & magis experti, pœnitentem in foro Conſcientiæ meliùs dirigant, quàm ab aliis dirigeretur. 13

SECTIO XII.

An, & quomodo poſſit Confeſſarius vti Confeſsionis notitia ad vitandum imminens vitæ periculum?

CErtum eſt *primò* apud omnes, peccatum in Confeſſione tantùm notum, nullo modo eſſe reuelandum directè, nec pro vitanda propria morte, nec pro vllo malo publico vitando; vt ſatis indicatur in canone, *Sacerdos, de pœnitentia, diſtinct*. 6. Vbi expreſsè dicitur, non eſſe reuelandum peccatum in Confeſsione auditum vlli perſonæ, etiam pro aliquo ſcandalo vitando, id eſt, pro nullo malo publico vitando. Ratio eſt, quia obſeruatio ſigilli Confeſsionis eſt tanti momenti in Eccleſia Dei, vt Chriſtiani ad Confeſsionem ſecurè accedant, & ab ea non retrahantur, vt ratio ipſa dictet, in omni caſu eſſe omninò ſeruandam, vt oſtendi *ſuprà, ſectione* 1. Quare ſicut dantur aliqua præcepta, quæ propter maximum detrimentum publicum ita obligant abſque vlla exceptione, quale eſt præceptum prohibens pollutionem voluntariam, vel ſimplicem fornicationem, ita vt cum euidenti vitæ periculo teneatur quiuis vitare fornicationem, ac voluntariam pollutionem, propter maximum damnum quod ſequeretur, ſi ſemel, aut in aliquo caſu, illud liceret: ita datur præceptum non reuelandi Confeſsionem adeò ſtrictum, & maximum, vt Confeſſarius teneatur illud obſeruare cum periculo vitę, propter maximum damnum, quod manifeſtè ſequeretur, ſi ſemel, aut in aliquo caſu Confeſſarius haberet licentiam directè reuelandi Confeſſionem. 1

Certum etiam eſt *ſecundò* apud Doctores, Confeſſarium non poſſe aliquid dicere, vel efficere, quamuis neceſſarium 2

ceſſarium ſit ad vitandam propriam mortem, ex quo conici poſſit reuelari indirectè ſaltem peccatum mortale, quamuis ſolum in communi, aut veniale aliquod in particulari confeſſum. Patet, quia reuelatio indirecta in nullo caſu etiam propriæ vitæ ſeruandæ licita eſt: nam inſtat ſemper bonum Sacramenti, ratione cuius detrimentum corporalis vitæ poſtponendum eſt; neque enim pœnitens ſe manifeſtaret in Confeſſione Sacramentali, ſi timeret ſuam proditionem indirectam, aut eſſet morale periculum illius: vnde etiam difficilis, & odioſa redderetur Confeſſio.

His poſitis, reſtat difficultas grauis explicanda circa illum caſũ, quẽ cõmuniter tractãt Doctores; ſi nimirùm contingeret quòd aliqui in alicuius Confeſſarij necem conſpiraſſent, vt noctu dormientem occiderent, aut venenum in vino quo inter celebrandum vti deberet, impoſuiſſent, idque ipſe Confeſſarius ex vnius eorum Confeſſione cognouiſſet; poſſet-ne inde fugere, aut recuſare vti illo vino inter celebrandum, ſi id nequeat facere, niſi alij coniurationis conſcij probabiliter ſuſpicentur eum hoc facere, quia talis hoc ei confeſſus eſt; idq; etiam eo caſu, quo nulli alij præter conſcios coniurationis, id coniicere poſſint.

3 Ægidius Coninck *diſp. 9. dub. 4. n. 53. & ſequent.* exiſtimat tali caſu poſſe Confeſſarium inde fugere, aut recuſare vti illo vino, quia tali facto nec indirectè reuelaret aliis Confeſſionem pœnitentis. Probat, quia non eſt contra ſigillum aliquid facere, vnde colligant conſcij illorum criminum, pœnitentem ea mihi confeſſum fuiſſe. Quod ſæpe non modò licitè, ſed etiam neceſſariò fit: nam de latrone ob publica latrocinia ſuſpenſo, licitè dico, eum mihi cum magna contritione confeſſum eſſe, & me omninò credere eum benè eſſe mortuum. Ex quibus verbis omnes ipſius criminum conſcij colligunt ipſum mihi ea furta confeſſum eſſe: nam alias nec cum Contritione potuiſſet mihi confiteri, nec poſſem ſperare eum eſſe benè mortuum, quia ſacrilegè fuiſſet confeſſus, præſertim quando conſtat eum non eſſe alteri confeſſum. Imò hoc ipſo, quo coram aliis talis Confeſſionem audio, eique Abſolutionem impendo, ac poſteà venerabile Sacramentum diſtribuo, quæ certè facere teneor, ſignifico eum mihi ſua ſcelera ritè confeſſum eſſe, & adſtantes hoc ex meo facto debent coniicere, niſi conſtet iis de contrario; quia ſine graui cauſa non poſſunt ſuſpicari eum ſacrilegè aut confiteri, vel Communionem ſuſcipere: Non ergo obligat ſigillum, aut reuerentia Sacramenti ad celandam Confeſſionem in genere, licet ex hoc alij colligant, Confeſſionem fuiſſe de tali peccato. Quare Sacerdos, qui per Confeſſionem nouit vinum ad Miſsam eſse veneno infectum, poteſt Miſsam præterire: vtitur enim iure ſuo; nec inde ſequitur pudor, & confuſio pœnitenti, nec Confeſsio redditur oneroſa, occaſione tamen aliunde accepta dimittendæ Miſsæ. Hanc ſententiam ſequitur Bonacina *diſp. 5. q. 6. ſect. 5. punct. 4. n. 28.* affertque in ſui fauorem Syluestr. Nuño, & Moſeſium.

4 Contrarium ſentit Cardinalis de Lugo ſuprà, *dicta diſp. 23. ſect. 5. n. 101. & ſeq.* cum Vaſq. Suar. & aliis, neque etiam in prædictis caſibus pro ſeruanda vita licere vſum dictæ notitiæ.

Probat *primò*, quia ſi ſemel in dicto caſu admittatur exceptio, redditur odioſa & grauis Confeſsio, quia facilè Confeſsarius ſibi finget neceſsitatem prodendi Confeſsionem, vel illam non celandi.

Secundò, tametſi dicere explicitè, aliquem confeſsum eſſe, non ſit contra ſigillum: dicere tamen explicitè peccatũ, quod Sacerdos non niſi ex Cõfeſsione nouit, eſſet clarè contra ſigillum, vt ſi diceret, hoc vinum habet venenum, vel inſidiæ mihi paratæ ſunt, vt hac nocte occidar: ſed fuga illa, vel abſtinere à vino ſignificat directè non Confeſsionem, ſed peccatum ipſum, nempe inſidias paratas, vel venenum iniectum vino; ergo illa actio quę peccata ipſa indicat in his circumſtantiis, erit contra ſigillum.

Tertiò, exemplum allatum de latrone, ad rem non eſt, nam in illo Sacerdos nullo modo dicit peccata, ſed actum Confeſsionis ſolum: vnde ex Sacerdotis teſtimonio non poteſt vllo modo colligi, quòd talia peccata fecerit pœnitens latro: At in noſtro præſenti caſu ex facto Sacerdotis colligitur, inſidias eſſe paratas, & venenum poſitum in vino, cùm hoc immediatè ſignificet fuga Sacerdotis.

Suppono in hoc caſu eſſe maximè conſiderandum, 5
an pœnitens verè animo confitendi ſuum peccatum, illud Confeſſario dixerit; an potius animo ficto, & iniquo ligandi Confeſſarium arctiſſimo ſigillo, ne auderet fugere ob metum violandi ſigillum. Quòd ſi illud dixerit hoc ſecundo modo, ceſſat omnis quæſtio; nam in eo euentu non teneretur Sacerdos ad ſecretum, atque adeò nec ad ſigillum: ſi verò dixerit primo modo, certum eſt ligari Sacerdotem ſigillo Confeſsionis ad celandum peccatum confeſſum. Quænam verò intentio fuerit in illo, facilè poſſet ex circumſtantiis deprehendi. Poſita vero illa bona priori intentione, procedit quæſtio, & eſt præſens difficultas ſoluenda.

6 Mihi magis placet, ac verior videtur prima Coninckij ſententia. Iuxta quam; Dico *primò*, Confeſſarium poſſe licitè fugere, aut a Sacrificio Miſſæ abſtinere in tali caſu, tametſi ex illius fuga conſcij coniurationis coniicere poſsint eum id facere, quia coniuratio dicta eſt ei in Confeſsione. Ratio à priori & vnica hæc eſt, quia tali fugâ Confeſsarius nullo modo nec indirectè reuelat conſciis criminis Confeſsionem pœnitentis. Quod ſic probo, quia prædictus Sacerdos eo facto nullo modo ſignificat pœnitentem hoc vel illud peccatum feciſse, & in Confeſsione dixiſse; quia vt certum eſt, nemo rei ignarus illud ex eius facto, ſeu fuga, præciſè poſset nec leuiter coniicere: ſolùm enim dedit illis, qui coniurationem nouerunt, aliquam occaſionem ſuſpicãdi pœnitentem hoc eſse confeſsum. Hoc autem nullo modo eſt contra ſigillum, vt conſtat manifeſtè exemplo *ſuprà* adducto latronis ob publica latrocinia ſuſpenſo; de quo certiſsimum eſt licere Confeſsario dicere, confeſſum eſſe cum magna contritione, ac benè mortuum eſſe: ex quibus verbis omnes ipſius criminum conſcij colligere poſsunt, ea furta cum magno dolore confeſsum eſſe, eſt enim eadem prorſus ratio in vtroque caſu: nam in vtroque caſu Sacerdos nullo modo dicit peccata, neque ex Sacerdotis teſtimonio, vel facto, qui non nouit peccata vtriuſque pœnitentis, poteſt vllo modo colligere, quòd hæc, & alia peccata commiſerit vterque pœnitens: Vnde falſum eſt in noſtro caſu, ex facto Sacerdotis colligi ab homine vllo inſcio, & ignaro coniurationis, eſſe paratas inſidias, & venenum iniectum in vino; nam hoc nec leuiter immediatè ſignificat fuga Sacerdotis. Quod ampliùs firmo: nam quòd fugiat Confeſsarius, & abſtineat à Sacro dicendo, ex multis ac variis cauſis prouenire poteſt, vt eſt manifeſtum: ergo nullus homo coniurationis ignarus poteſt ex prædicta fuga rationabiliter, aut probabiliter ſuſpicari, eſſe factum ortum ex aliqua notitia habita in Confeſsione; ergo multo minùs ex notitia peccatorum, vel criminum, quæ dicta ſunt in Confeſsione Sacramentali: nam factum Sacerdotis ex ſe tale non eſt, vt natum ſit homines ignaros reddere certiores de ſceleribus pœnitentis in Cõfeſsione dictis: vnde conſequenter illud factum non eſt, contra legem ſigilli; quæ ſolùm per ſe reſpicit quod natum eſt fieri contra ſecretum illud. Quare concluden

cludendum eſt, poſſe Confeſſarium licitè fugere in huiuſmodi caſu, ſaltem quando ex eo facto Sacerdotis nullum aliud notabile damnum, vel incommodum naſcitur, niſi quod ſocij criminis, vel conſcij colligent pœnitentem hoc peccatum eſſe confeſſum.

Dixi in concluſione, illud licitum eſſe Sacerdoti, tametſi ex illius fuga conſcij coniurationis colligerent Sacerdotem ſciuiſſe in Confeſſione dictam coniurationem: Nam certum mihi videtur, ſi alius rei ignarus, illud ex facto ſeu fuga Sacerdotis poſſet probabiliter colligere, reuera Sacerdos ſacrilegè ſigillum Confeſſionis frangeret; iuxta ea quæ diximus *præcedenti ſectione n.5.& 9.*

7 Dico *ſecundò*, mihi videri probabilius, Sacerdotem in eo caſu non modò poſſe, ſed etiam teneri fugere mortem, & Miſſam omittere, vt mortem euadat. Ratio eſt, quia in hoc caſu tenetur vti iure ſuo conſeruandæ vitæ, præſertim, cùm agatur de conſecrando, & ſumendo vino infecto veneno: Nam & hoc fieret cum magna irreuerentia, quæ Sacramento irrogaretur cõſecrando in vino infecto veneno, & Sacerdos poſitiue ſe occideret, quod illicitum eſt quoties euitari poteſt, quia nunquam licet ſe ipſum occidere. Ita Coninck, & Bonacina iam relati.

8 Dico *tertiò*, ſi ex fuga Sacerdotis prædicta, ipſi pœnitenti ab alijs ſociis criminis mors, aut ſimile graue periculum immineret, adhuc Sacerdotem poſſe fugere, & vitare mortem. Ita Coninckius citatus, *n. 56.* caſus videtur potius metaphyſicus quam moralis; nihilominùs tamen vt tota res meliùs intelligatur, id etiam eſt explicandum. Bonacina citatus *num. 29.* probabilius iudicat, tali caſu Sacerdotem debere potiùs fortiter ſuſtinere mortem, quàm pœnitentem in periculis exponere, quia ex ſcientia Confeſſionis ſequeretur damnum pœnitenti, & redderet Confeſſionem odioſam, & auerteret pœnitentes, ne tali caſu confiterentur.

Hoc tamen non obſtante, oppoſitum ſentio, Sacerdotem poſſe Miſſam omittere, ſibique fugiendo conſulere, etiamſi præuideat fore, vt pœnitens a quo nouit in Confeſſione appoſitum fuiſſe venenum, vel ſibi necem ab ipſo, & aliis parari, occidatur, vel graue detrimentum recipiat ab aliis ſociis ob manifeſtationem delicti.

Moueor, quia vt manifeſtè oſtenſum eſt, Sacerdos ita fugiendo nullo modo reuelat ſigillum: ergo non eſt, cur obligetur non fugere. Ex alio capite, non tenemur mortem pro tuenda alterius vita ſubire, niſi proximus exiſtat in extremo periculo ſalutis æternæ; vel niſi eam ſubire teneamur ratione officij, aut peculiaris obligationis; qualis hic nulla occurrit Neque ex tali fuga in tali caſu redditur Confeſſio onerosa ſecundùm ſe, quòd ſolùm cauet lex ſigilli.

Ex his facilè manent ſoluta Argumenta oppoſitæ ſententiæ ſupra *n.4.* adducta. Ad primum enim negandum eſt, ex prædicta noſtra doctrina ſequi, Confeſſarium facilè poſſe ſibi fingere neceſſitatem prodendi Confeſſionem in aliis caſibus: Nam ſi in aliis caſibus Sacerdos reuelaret ſecretum ſaltem indirectè, eſſet Sacrilegus; & non eſſet ſimilis cum noſtro caſu, in quo oſtenſum eſt ſeruari omninò, & ſtrictè ſigillum, & omne ſecretum. Quòd ſi alius ſimilis caſus contingeret, in quo ſtrictè quoque ſeruaretur lex ſigilli, & ſecreti non ſolùm non eſſet inconueniens, ſed poſſet quoque laudabile eſſe, vt tunc Sacerdos conſuleret quoque ſuæ propriæ vitæ.

Ad ſecundum, conceſſa Maiori, negatur Minor; nam vt probatum eſt, fuga in eo caſu, non eſt factum indicans vlli, qui neſcius eſt coniurationis peccati in Confeſſione dicti.

Ad tertium iam oſtenſum eſt eſſe ad rem illud exemplum latronis, & noſtrum fugæ Sacerdotis.

SECTIO XIII.

Quid in aliis caſibus ſimilibus præſtare debeat confeſſarius, vt ſeruet ſigillum.

Primus caſus eſſe poteſt de periculo vitæ ſpiritualis, ſimilis periculo vitæ corporalis, de quo dictum eſt *præcedenti ſect.* vt ſi quis v.g. per Confeſſionem ſciret ſibi parari grauiſſimam peccandi occaſionem, & moraliter timeat fore, vt non poſſit illi reſiſtere, niſi fugiat, & vitet illam, cùm tamen fugere, & vitare non poſſit, niſi indirectè reuelando, Reſolutio eſt, propter illud vitandum, non poſſe Confeſſarium, etiam indirectè reuelare: debet enim ſperare auxilium diuinæ gratiæ, & ſe Deo commendare, ac ſeruare omninò indemne ſigillum: conando enim, & orando ad tentationem vincendam, cui non ipſe ſe exponit, ſed coactus exponitur, non deerit illi diuinum auxilium ad illam ſuperandam: Neque verò hic caſus ſpecialis eſt in præſenti materia, nam ſimilis contingere poteſt in alia materia: vt ſi quis non poſſit vitare periculum, niſi mentiendo, ſimilis adhibenda eſt illi reſponſio, vt ſe Deo commendet, ac ſeruet omninò præceptum non mentiendi. Addo etiam in illo caſu forte poſſe fugere occaſionem, & ſic vitare periculum vitandi; quod intelligendum eſt, dummodò illa fuga fieri poſſit citra omnem reuelationem ſigilli Confeſſionis etiam indirectam; nam ſi fuga, attentis circumſtantiis, immediatè ſignificaret reuelationem ſcientiæ habitæ in Confeſſione, non poſſet vti eo medio, ſed oratione in Deum, cui certe non deerit diuinum auxilium gratiæ. 1

Hinc oritur ſecundus caſus, an ſit contra ſigillum, ſi Sacerdos ſciens ex Confeſſione quòd pœnitens ipſi ſcandalum ſit, nolit vocatus ire ad illum audiendum: videtur enim eſſe contra ſigillum, nolle iterùm audire illius Confeſſionem, quia Confeſſarius non poteſt vllo ſigno, vel facto prodere peccatum pœnitentis; proderet autem illud non eundo; niſi alia rationabili cauſa poſſet illam excuſationem iuſtificare, nam vrget obligatio, & neceſſitas orta ex reuerentia Sacramenti. 2

Mihi magis placet alia reſolutio huius caſus, quam affert Cardinalis de Lugo *diſp. 23. ſect. 5. n. 116.* ex ſigillo Confeſſionis nullam oriri obligationem iterùm audiendi talem pœnitentem, in cuius Confeſſione ſcandalum timet. Quod probat, quia vel illud ſcandalum oritur ab ipſomet Confeſſario, qui propter ſuam fragilitatem grauiter tentatur à propria concupiſcentia, dum audit talem perſonam; & tunc aperte conſtat nihil facere contra ſigillum, non eundo iterum ad illam audiendam: vel ſcandalum oritur à pœnitente, qui Confeſſarium prouocat ad malum; & nec tunc facit contra ſigillum non eundo, quia prouocatio illa ad malum non eſt ſub ſigillo, cùm non ſit peccatum quod pœnitens confitetur, ſed quod committit in illa Confeſſione. Quare ſicut ſi pœnitens vrgeat Confeſſarium, vt eum abſoluat, & minetur ei mortem, niſi abſoluat, poteſt Confeſſarius ſaluo ſigillo, non redire, quia minæ illæ non fuerunt materia illius Confeſſionis, ſed peccatum ibi commiſſum

Digitized by Google

miſſum & factum corā Confeſſario: Vnde licèt Confeſſarius non poſſit dicere, quòd propter Abſolutionem negatam minatus ſit ei mortem; poſſet tamen quando minabatur, fugere, ſicut poſſet, ſi iam vellet illum occidere, quia minæ illæ, & voluntas occidendi non eſt materia illius Confeſsionis, ſed peccatum ibi perpetratum coram Confeſſario: Ita ſimiliter poterit in illo noſtro caſu Confeſſarius non redire propter eandem cauſam, abſque vlla violatione ſigilli.

3 Tertius caſus ſimilis eſt de Confeſſario, qui ſemel & iterùm pœnitentem non abſoluit, & iterùm vocatus ire non vult, ne tempus fruſtra expendat cum illo, an tunc liber ſit à violatione ſigilli? *Reſpondeo*, ſi pœnitens veniat, vel vocet Confeſſarium eo animo, vt ſimulet Cōfeſſionem, & exterius ſatisfaciat domino, vel parentibus ac conſeruet bonam exiſtimationem apud alios, nullam eſſe obligationem ſigilli ex tali Confeſſione, cùm non ſit Confeſsio, nec fiat animo confitendi, ſed ſimulandi; cui ſimulationi Confeſsarius non debet cooperari, ſed poteſt ſe excuſare, & fortaſſe debet: Si verò pœnitens veniat, vel vocet animo verè confitendi, licèt indiſpoſitus, quia non vult, verb. grat. relinquere proximā occaſionem, quam poteſt, & debet relinquere; & Confeſſarius non poſſit ſe excuſare, niſi intelligatur cauſa aliqua ſaltem in genere, non poterit non ire; poterit tamen ſtatim initio Confeſſionis eum dimittere, reddendo ei rationem, dum id ſine nota fieri poſſit, & petere ne iterùm eum vocari faciat inutiliter.

4 Quartus caſus eſt de Superiore in aliqua Religione, qui ex Confeſſione intelligit ſuos ſubditos noctu per aliquem locum egredi è Monaſterio ad nequitias aliquas perpetrandas, quod ſine vlla aliorum ſuſpicione facile poteſt impedire, ibi quæſito alio colore aliquid ædificando, aut ſtruem lignorum erigendo, aut alio ſimili modo; poterit ne Superior id præſtare, vel omittere, ne pœnitens reputet pro grauamine, quòd tam ipſe, quàm alij non poterunt ampliùs noctu egredi, & ipſe deterreatur ne ſimilia Superiori confiteatur? Reſpondet optimè noſter Coninck *diſputatione 9. dubio 4. num. 68. & ſequentibus*, Superiorem id poſſe facere, quia nullum inde accidit grauamen pœnitenti, ob quod Confeſſio poſsit reddi odioſa: Quia nec vllum notabile commodum quod ſit à peccato diſtinctum, pœnitenti adimitur, vt fit quando impeditur à conſequendo alio officio; nec peccatum aliquo facto vel ſigno ei exprobratur: Vnde rectè notauit Sanchez ſuprà *diſputatione 16. numero 4.* Doctores ſolùm velle illam actionem vel vſum ſcientiæ habitæ ex Confeſſione eſſe illicitum, quo pœnitentis honori, aut commodis aliqua ratione præiudicatur: Atque ideò talis vaniſsimè reputare poteſt pro grauamine, quòd impediatur à peccando, cùm à nullo bono impediatur, quod ſit à peccato diſtinctum; nec vllus deterreri poteſt à confitendo, qui habeat aliquo modo animum ſe emendandi: Igitur parum eſt curandum, ſi aliqui auertantur, ne cum tali voluntate perſeuerandi in ſuo ſcelere, confiteantur. Addo conſultè etiam in hoc caſu prius peti pœnitentis conſenſum in talem, aut talem vſum illius ſcientiæ, vt omne periculum euitetur: quem, pœnitens proculdubio, vt poſsit abſolui, tenetur dare. Quod ſi nolit, poteſt Superior vti iure ſuo. Nec eſt hic timenda prohibitio Clementis VIII. quia hæc ſolùm loquitur de actibus ſpectantibus ad gubernationem perſonarum, quales ſunt actus puniendi, vel priuandi beneficio, vel officio, vel etiam negandi ſuffragium in electione ad illud. Alij verò actus ædificandi, vel erigendi, nullo modo ſpectant ad gubernationem perſonarum, cùm circa illas nihil decernatur.

Quintus caſus eſt, quomodò ſe gerere debeat Confeſsarius circa ea quæ in Confeſſione audiuit? *Reſpondeo* cum communi doctrina, non poſſe Confeſſarium extra Confeſſionem vti ſcientia in Confeſſione habita: Tum quia Confeſſio manifeſtè redderetur odioſa: Tum quia ſigillum læditur, quoties directè, vel indirectè verbis, aut factis reuelantur peccata pœnitentis in Confeſſione audita; ſi autem liceret vti ſcientia in Confeſſione habita, reuelarentur peccata pœnitentis, ſaltem indirectè, nam alij, ſaltem pœnitens, conijcere poſſet hoc fieri ob peccatum in Confeſsione auditum: Intra Confeſſionem autem poteſt Confeſsarius in Confeſſione vti ſcientia ab ipſo pœnitente habita in alia Confeſſione; & conſequenter Confeſsarius poteſt in Confeſſione, in qua pœnitens narrat peccata eiuſdem rationis cum peccatis aliàs ſibi ab eodem pœnitente confeſsis, reprehendere pœnitentem ob peccata ſæpiùs repetita & perpetrata: non enim frangit ſigillum Confeſsionis, cùm extra Confeſsionem non loquatur de auditis in Confeſsione, etiamſi fiat cùm pudore, & confuſione ipſius pœnitentis. 5

Sextus caſus eſt, an Confeſsarius poſsit proditionem Ciuitatis, aut alterius necem, quam in Confeſsione cognouit, manifeſtare? *Reſpondeo*, cum communi omnium ſententia, non poſſe talem proditionem, aut necem alteri impendentem manifeſtare, quoties periculum eſt vt auctor detegatur, & reus deprehendatur. Præciſo verò hoc periculo, admonendus eſt in genere is, cui periculum imminet, vt ſibi conſulat, cauendo pericula, quæ ſolent euenire. Hoc tamen intelligendum eſt, ſi Confeſsarius nequeat delinquentem à peccato retrahere, nam ſi valeat ipſum à peccato retrahere, non eſt cur vllam admonitionem faciat illi, cui malum impendet, cùm ceſſet periculum damni per correctionem Confeſſarij factam pœnitenti, vt ſupponitur. 6

Septimus caſus eſt, an Confeſsarius poſsit famulum dimittere, quem per ſolam Confeſsionem nouit eſſe furacem. Dico breuiter non poſſe, quia inde ſequeretur pudor, & damnum pœnitenti. Ita Reginaldus *libro 3. numero 17.* Poteſt tamen Confeſsarius, ſeruatis prudentiæ regulis à pecuniis in poſterum illi committendis abſtinere; ſicut in ſimili dicitur de eo, qui nouit ſuum Confeſſarium non eſſe Sacerdotem; nam inde non ſequitur pudor, & damnum pœnitenti. 7

Octauus, caſus eſt, an Confeſſarius poſsit quando confitetur, ad explicandum ſuum peccatum quod in audienda Confeſsione commiſit, aliquid dicere, vnde intelligatur peccatum, quod eius pœnitens confeſſus eſt, & notitia pœnitentis habeatur. Suppono debere propter integritatem ſuæ Confeſsionis, quærere ſi poteſt, alium Confeſſarium, cui integrè poſsit confiteri ſuum peccatum, abſque periculo violationis ſigilli, iuxta ea quæ ſuprà *diſp. 20. ſect. 5.* diximus circa obligationem non manifeſtandi in Confeſsione complicem abſque neceſsitate. Quando verò vrgeret neceſsitas confitendi, & non poſſet Sacerdos confiteri integrè ſuum peccatum, abſque ſignificatione peccati, quod audiuit, eſt difficultas, an propter integritatem Confeſsionis, poſsit illam aliam reuelare. 8

Dico cum omnibus ferè Theologis, non poſſe. Contrarium non eſſe probabile affirmat Suarez *diſp. 33. ſect. 1. num. 18.* Probatur noſtrum Dictum *primò*, quia quamuis integritas formalis ſit de eſſentia Confeſsionis, tamen materialis non eſt adeò neceſſaria, quin propter alias cauſas prætermitti poſsit: at nulla poteſt eſſe grauior quàm obſeruatio ſigilli: Vnde ſi excuſatur

pœnitens

pœnitens ab integritate materiali Confeſſionis propter graue detrimentum, quod ſibi vel alteri timet ex talis peccati Confeſſione; nihilominùs propter regni incolumitatem, aut maiora damna, vel bona, ſigillum violari non poteſt. Igitur magis debet Sacerdos retinere integritatem ſigilli, quàm ſuæ Confeſſionis. *Secundò*, magis pertinet ad reuerentiam, & fauorem Confeſſionis ſigillum, quàm integritas; quia ex ſigilli violatione poſſibili deterrerentur homines à Confeſſione: vnde hoc ipſum eſſet contra integritatem Confeſſionis; cùm hac de cauſa pœnitentes non confiterentur integrè ſua peccata propter timorem reuelationis. *Vltimò*, ſi Confeſſor audiens Confeſſionem duorum, ex vno intelligat alium non confiteri integrè, neque dignè, non poteſt vllum iudicium dare, ſed abſoluere, ne reuelet Confeſſionem, quia ſecundùm præſentem ſcientiam bene facit; & alia vti non debet: ergo à fortiori,&c.

9 Nonus,& vltimus caſus ſit de pœnitente,an ipſe teneatur ſeruare ſub ſigillo Confeſſionis ea, quæ Confeſſarius ei in Confeſſione dixit? Conueniunt Doctores, pœnitentem teneri iure naturali Iuſtitiæ celare dicta ſibi à Confeſſario,quando eorum reuelatio poſſet Sacerdoti grauiter nocere. Difficultas eſt, an etiam ad id teneatur ex ſecreto naturali Iuſtitiæ?

Coninck *diſputatione nona*, *dubio tertio*, *numero trigeſimo ſeptimo*,cum communi ſententia, partem negatiuam tradit. Et meritò,quia nulla eſt cauſa, cur dicamus pœnitentem ſtrictiùs obligari ex ſigillo Confeſſionis,quia ex vi Confeſſionis Sacerdos nullum ſecretum reuelat,ſiue committit pœnitenti,ſed pœnitens ſua ſecreta peccata tanquam in ſacro aſylo deponit coram Sacerdote.Igitur huic ſoli per obligationem ſigilli proſpiciendum eſt, non autem Sacerdoti? Vnde conſequenter dico ex ſigillo Confeſſionis pœnitentem non teneri ad celandos defectus Confeſſarij in Confeſſione commiſſos, vt pœnitẽtiam imprudentem,conſilium minùs ſanum,& alios defectus:quia pœnitens non nouit defectus illos ex Confeſſione Sacramentali, qua Confeſſarius illos ſubiecerit Clauibus;non enim dicti effectus etſi in Cõfeſſione facti pertinẽt ad forũ Confeſſionis Sacramentalis, quia non fuerunt ei ſubiecti,ergo pœnitens detegendo illos, quamuis iniuriam irroget Confeſſario,non tamen Confeſſioni.

SECTIO XIV.

Vtrùm cum licentia pœnitentis poſſit Confeſſarius loqui de auditis in Confeſſione?

1 CONueniunt communiter Doctores *primò*, ſi in hac Confeſſione loquatur Sacerdos de rebus,quas pœnitens in præcedenti Confeſſione dixit, præſtare id poſſe ſine pœnitentis licentia, vt dixi *præcedenti ſectione num.* 5. Id enim nullo modo eſt contra ſigillum; cùm ſint prædictæ Confeſſiones in eodem foro Sacramentali,in quo Sacerdos ad bene curandum pœnitentem,debet conſiderare etiam peccata præterita, quæ vel ſunt circumſtantiæ præſentium peccatorum,vel indicãt paſſionem vehementẽ,aut aliquid aliud conſideratione dignum ad meliùs cognoſcendum ſtatum pœnitentis.

2 *Secundò*, valdè probabile mihi videtur, quod optimè notauit Cardinalis Lugo *diſp.* 23. *ſectione quinta*, §.4.*num.* 129.& docet etiam Henriquez, *libro ſexto*, *capite* 23.*numero ſecundo, in fine*, poſſe Confeſſarium ſtatim finita Confeſſione,aliquid circa illam addere,el pœnitentem admonere, quod oblitus fuerat. Ratio eſt, quia moraliter non intelligitur eſſe extra Confeſſionem quod in continenti dicitur.

Contrarium acriter ſentit Fagundez *lib.6.de ſecundo præcepto Eccleſiæ,cap.4.num.*33. Quia finita Confeſſione, non poteſt ſine noua licentia, loqui de illa Confeſſarius; & quia poſt datam Abſolutionem finitum eſt primum Sacramentum:vnde ſi fieret nouum peccatum eſſet neceſſaria alia abſolutio,& aliud nouum Sacramentum.

Ad hoc argumentum facilè reſpondetur,falſum eſſe, data abſolutione, finitum eſſe Sacramentum, & iudicium: nam aliqui imponunt pœnitentiam poſt datam Abſolutionem; quæ impoſitio pœnitentiæ grauis, ſatis ſignificat Confeſſionem grauium peccatorum: non igitur eſt contra ſigillum loqui de peccatis poſt Abſolutionem, quia nimirùm cenſetur durare adhuc idem iudicium Sacramentale; cuius actus ſunt, abſoluere, punire, conſulere, monere, corrigere, & ſimilia. Quod rectè confirmat Cardinalis Lugo hoc ipſo exemplo, nam ſi Confeſſarius poſt Abſolutionem datam,ſtatim imponat pœnitentiam,v.g.tria ieiunia, iam videtur abſolutum illud iudicium quoad omnes ſui partes; & tamen nemo dicet, quòd ſi ſtatim compatiens pœnitenti Confeſſarius iudicet grauem nimis eſſe pœnitentiam, & incontinenti dicat, ſufficit vnum ieiunium, loquendo poſt datam abſolutionem, & impoſitam pœnitentiam trium ieiuniorum. Ratio eſt, quia adhuc moraliter cenſetur durare actio imponendi pœnitentiam:ergo ſimiliter licèt data ſit Abſolutio, poteſt intelligi moraliter durare iudicium illud quoad alios actus,qui debuiſſent præcedere Abſolutionem; & poſt illam in continenti fieri poſſunt, ſicut impoſitio pœnitentiæ,vel moderatio.

Tertiò,conueniunt omnes,de licentia pœnitentis poſſe Confeſſarium loqui de auditis in Confeſſione:atque adeò Confeſſarium poſſe de licentia pœnitentis in Confeſſione,aut extra Confeſſionem vti ſcientia Confeſſionis.Ratio eſt,tum quia poteſt pœnitens iuri, & fauori ſuo cedere,concedendo facultatem Confeſſario loquendi ſecum,aut cum aliis de peccatis in Confeſſione auditis:ſigillum enim eſt inductum in gratiam, & fauorem pœnitentis,& habet naturam ſecreti;ſecreti autem natura poſtulat,vt ipſius obligatio tollatur de conſenſu illius, qui commiſit ſecretum: Tum quia interueniente pœnitentis licentia,nullum per ſe loquendo ſequitur inconueniens,nec Confeſſio redditur difficilis, & odioſa, nec fit cum pudore,& confuſione illius. 3

Quartò,ſentiunt omnes,prædictam licentiam debere eſſe formalem,& expreſſam,nec ſufficere eſſe præſũptam, ſeu interpretatiuam:quia in re tam graui non eſt vtendum præſumptione, quia alias hoc ſigillum exponeretur periculo, cum incommodo ipſius Sacramenti:alioquin etiam ſæpiùs fingerent ſibi talem licentiam Confeſſarij contra veram pœnitentis voluntatem. Requiritur itaque, vt talis licentia actu concedatur verbis,vel factis exprimentibus facultatis conceſſionem,vel ſaltem æquiualentibus:nam per huiuſmodi conceſſionẽ non redditur Confeſſio oneroſa, nec fit iniuria pœnitẽti. Addo etiam Confeſſarium non eſſe infractorem ſigilli,ſi cum pœnitente loquatur de peccatis in Cõfeſſione auditis, quibus pœnitens incœpit ipſum Confeſſarium alloqui; nam pœnitens hoc pacto ſufficienter indicat, ſe Confeſſario facultatem dare loquendi de auditis in Confeſſione,cùm non ſolùm verbis,ſed etiam factis animus indicetur. 4

Ncant etiam Doctores oportere hanc licentiam debere eſſ ſpontaneam, ac liberam, ſine vlla vi, aut deceptione obtentam, nam ſi fuerit inuoluntaria, erit inualida, quia eſt per iniuriam extorta, & cederet in magnam irreuerentiam Sacramenti. Denique in vſu huius facultatis debet de illa conſtare ſufficienter, vt omne ſcandalum vitetur.

5 His poſitis tres ſuperſunt difficultates ſoluendæ. *Prima eſt*, an pœnitens poſſit dare prædictam licentiam abſque eo quòd rem narret extra Confeſſionem, ſed relinquendo eam adhuc intra Confeſſionis ſigillum.

In qua certum videtur, pœnitentem res ſemel dictas in Confeſſione iterùm eas dicere poſſe extra Confeſſionem: nam cùm ſit dominus ſuæ famæ, & ſcientiæ, poteſt illam communicare provt voluerit; atque adeò ſicut ante Confeſſionem poterat dicere extrà Confeſſionem, ita & poſt Confeſſionem. Dubium ſolùm eſſe poteſt, an pœnitens poſſit dare eam licentiam, abſque eo quòd rem narret extra Confeſſionem, ſed relinquendo eam adhuc intra Confeſſionis ſigillum.

6 Communior, & verior ſententia Doctorum quos affert & ſequitur Cardinalis de Lugo *diſp.* 23. *ſect.* 5. §. 4. *num.* 144. & Suarez *diſputatione* 33. *ſect.* 5. *num. ſexto*, affirmat, pœnitentem poſſe dare licentiam, vt manente ſigillo Confeſsionis, poſsit Confeſſarius, ad talem vel talem effectum vti illa notitia, vel illam alteri communicare ſub eodem ſigillo. Ratio à priori eſt, quia obligatio ſigilli Confeſsionis ſequitur naturam, & conditionem ſecreti naturalis, vt ſemper maneat ſub poteſtate committentis illud, ſicut depoſitum pendet ex voluntate deponentis, & promiſsio ex voluntate eius cui eſt facta: ergo ſicut in aliis ſecretis, & in exemplis poſitis, licet ex voluntate alterius talis vſus, ita & in præſenti. Neque enim datur lex ſpecialis, quæ hoc prohibeat, quia ceſſat iniuria pœnitentis, & Sacramenti: vnde ob hanc cauſam non fiet oneroſum. Quare ſicut pœnitens poteſt eadem, quæ in Confeſsione dixit, dicere extra Confeſsionem, non eſt cur non poſsit reſtringere ipſum ſigillum Confeſsionis, provt expedire iudicauerit. Imò de facto ſæpe ita facit pœnitens, quando per Confeſſarium licentiam petit à Prælato ad caſum reſeruatum; iam enim vult, vt Confeſſarius vtatur notitia illa, itavt Prælatus maneat obligatus eodem ſigillo, nec ideò Confeſſarius manet liber à ſigillo. Firmo idem, nam hoc ſigillum licèt inductum ſit in fauorem Confeſsionis, ne reddatur difficilis, hoc tamen ipſum ſolum exigit talem modum ſigilli, quod ſine licentia pœnitentis reuelari non poſsit: qui modus magis fauorabilis eſt Confeſsioni, nã eſſet onus grauius, ſi pœnitens non poſſet dare licentiam ad illum vſum, retinendo ſigillum, ſed deberet dicere peccatum extra Confeſsionem, cum periculo, vt iam poſſet faciliùs reuelari: ſæpè enim eſt pœnitenti neceſſarium vt Confeſſor loquatur, vel conſulat; eſſet autem maius diſpendium, ſi propterea cogeretur ſemper extra Confeſſionem dicere.

7 Hinc colligo *primò*, inde non ſequi præceptum ſigilli cùm ſit diuinum, relaxari à pœnitente: Non enim pœnitens relaxat hoc præceptum, ſed ponit conditionem, quâ poſitâ præceptum non obligat; quia ſolùm erat præceptum non reuelandi abſque licentia pœnitentis: Vnde vt pœnitens det licentiam Confeſſario, non opus eſt, quòd detur ei ſcientia alia humana extra Confeſsionem, ſed licentia vtendi ſcientiâ quam habet, vt Miniſter Dei: quâ ſcientiâ non vtitur etiam vt homo, ſed vt miniſter Dei, ex licentia pœnitentis.

Colligo *ſecundò*, cedente pœnitente iuri ſuo per licentiam, quam præbet Confeſſario, nihil detrimenti pati Sacramentũ, cum nõ reddatur ideò Cõfeſsio difficilior, ſed ſuauior, & vtilior, cùm afferat ſigillum, cuius clauem habet pro arbitrio pœnitens, itavt poſsit ex parte aperire, & ex parte retinere. 8

Colligo *tertiò*, differentiam magnam inter modum licentiæ pœnitentis intra Sacramentum, vel extra Sacramentum; nam ſi pœnitens procedat dicendo extra Sacramentum, quod prius iam in Confeſsione dixerat, tunc nec Sacerdos, nec ij quibus ipſe diceret, obligantur ad ſecretum ſigilli Confeſsionis, ſed ad ſecretum naturale pro qualitate materiæ. Quare in multis caſibus poſſent illud abſque alia licentia manifeſtare ad aliquod damnum graue vitandum; ſecus verò, quando licentia datur illo alio modo, retinendo ſigillum Confeſsionis, & non dando aliam notitiam extra Confeſsionem, ſed licentiam ſolùm vtendi notitia Cõfeſsionis ad talem, vel talem effectum: tunc enim omnes illi, ad quos tranſit ea notitia, obligantur eodem Confeſsionis ſigillo. 9

Secunda difficultas eſt, an ſi pœnitens det licentiam extra Confeſsionem, debeat omnia ſigillatim repetere, nulla facta mentione Confeſsionis; an verò ſufficiat dicere: Quod in Confeſsione dixi, id totum dico tibi nunc extra Confeſsionem, vt poſsis facilius ea notitia vti. 10

Durandus apud Suarium *dicta ſect.* 5. *num.* 4. ait illud primum neceſſarium eſſe. Quod probari poteſt, quia alias Sacerdos iam poſteà vteretur extra Confeſsionem; notitia habita in Confeſsione, cùm extra Confeſsionem non habuerit talem notitiam diſtinctam. Sentio oppoſitum cum dicto Suarez, fruſtrà requiri illam hiſtoriæ repetitionem, ſed ſufficere vnico verbo dicere, Omnia quæ in Confeſsione dixi, extra Confeſsionem ſint dicta; quia hoc vnum verbum hîc, & nunc ſignificat omnia. Quare ſicut ſufficit in Confeſsione, ſi pœnitens dicat: Accuſo me de illo peccato, quod extra Confeſsionem dixi tibi; nec oportet aliam nouam ſcientiam dare Confeſſario: ita ſufficiet dicere extra Confeſsionem idem peccatum, remittendo ſe ad notitiam prius in Confeſsione datam, nam illa notitia breuis, & compendioſa æquiualet notitiæ diſtinctæ priùs datæ, & accipit Confeſſarius virtualiter, & æquiualenter extra Confeſsionem totam illam notitiam.

Tertia difficultas eſt, an ſufficiat licentia pœnitentis ſine licentia complicis, vt poſsit Sacerdos vti notitia Confeſsionis? 11

Videtur enim non ſufficere, quia ſigillum Sacramenti eſt etiam impoſitum in fauorem complicis, & non ſolius pœnitentis: quo non poteſt complex priuari niſi ſua voluntate; & ideò donec complex etiam facultatem faciat, non tollitur obligatio ſigilli: ergo tametſi licentia pœnitentis, in his quæ ad ipſum tantùm pertinẽt ſufficiat ad tollendam obligationem, ſeu materiam ſigilli; in his tamen quæ pertinent ad perſonam complicis non ſufficiet licentia pœnitentis ſine licentia complicis.

Hanc difficultatem tractat egregiè noſter Suarez *diſputatione* 34. *ſectione* 3. *num.* 7. *& ſequentibus*, variiſque rationibus optimè oſtendit, licentiam pœnitentis ſufficere, nec vllo pacto requiri licentiam complicis. *Primò*, quia ſecretum Confeſsionis ſolùm affert ius pœnitenti, quo cedente, remanet ſolùm obligatio naturalis non infamandi proximum; non verò obligatio ex Sacramenti ſigillo: Antecedens patet, quia hæc obligatio ſigilli tota eſt, ne Confeſsio Sacramentalis fiat difficilior: hoc autẽ ſolùm reſpicit ipſũ pœnitẽtem,

Digitized by Google

tem, nam facilitas, vel difficultas tota eſt ſolùm in ordine ad eum, qui facturus eſt Confeſſionem, cùm tota ſit ad operandum; illa ergo ſolùm reddere poſſunt difficiliorem Confeſſionem, quæ deterrere poſſint pœnitentem, qui ſolus eam facere debet: ſi enim pœnitens non deterreatur, Confeſſio manet æquè facilis: At certum eſt, quòd pœnitens non deterrebitur à Confeſſione facienda, ex eo quòd Confeſſarius abſque licentia complicis poſſit illam reuelare cum licentia ſolius pœnitentis: Imò hoc ipſum facit, & reddit Confeſſionem magis facilem, & gratam pœnitenti, cùm videat a ſua voluntate totum ſigillum pendere abſque dependentia ab alio, cuius licentia etiam exigatur: ergo magis eſt in fauorem Confeſſionis, quòd licentia complicis non requiratur, ſed ſolius pœnitentis. *Secundò*, cauſa pœnitentis eſt quæ directe cadit ſub ſigillo; reliqua verò ſolùm prout ad hanc cauſam pertinent; pœnitens autem poteſt dare licentiam de tota hac cauſa, quia ipſe ſolus eſt qui eius accuſationem ſub tali ſecreto facit: ergo ſolus ipſe ſufficit ad dandam licentiam loquendi, quatenus eſt ex parte ſigilli. Dico *quantum eſt ex parte ſigilli*; quia ex ratione iuſtitiæ, & ex ſanctitate ipſius Sacramenti, neceſſarium eſt, vt talis licentia non detur cum iniuria complicis, nec ſine cauſa honeſta, verbi gratia, vt nimirùm pœnitens defendatur ab importuna complicis inductione ad peccandum, vel etiam propter vtilitatem grauem pœnitentis, cum minimo incommodo complicis, prout fit ſeruando ſigillum. *Vltimò*, idem firmatur quotidiano vſu virorum prudentum, & piorum Confeſſariorum; nihil enim frequentius eſt, quam vt pœnitens iuuetur conſilio, prudentia, & induſtria Confeſſarij, vt ſe defendat a complice qui eum ſollicitat, & inducit ad malum; & ideò licitè quærit contra illum, iuſtum conſilium, & auxilium: ergo honeſtè illud quærit per Confeſſarium aptum, & prudentem, quia nulla eſt via magis ſecreta, ac minus alteri oneroſa; & iſte eſt etiam fructus Confeſſionis, quæ non ſolùm ordinatur ad tollenda peccata commiſſa, ſed etiam ad vitanda futura. Adde ſæpe contingere, vt complex ſeu ſocius delicti teneatur ſubuenire alteri, vel debitum aliquod ei perſoluere, vt alere prolem, vel implere aliquam promiſſionem; ad quod ſæpe neceſſe eſt, vt complex certior fiat de effectu ſubſecuto, & de obligatione, quæ in eum reſultat: quod ordinato, & prudenti modo fit, medio Confeſſario, propter maius ſecretum, & maius commodum vtriuſque partis.

12 Quarta, & vltima difficultas eſt, an ſufficiat licentia petita à pœnitente, & non obtenta, ad loquendum cum eo de Confeſſione audita: poteſt enim contingere, vt Confeſſarius committat defectum in Confeſſione, ex quo maneat obligatus ad pœnitentem monendum: poterit-ne tunc pœnitente renuente, petitâ & non obtentâ licentiâ loqui cum eo?

Affirmat Suarez *diſp. 33. ſect. 5. n. 3.* quia tunc non loquitur Confeſſarius extra Confeſſionem, ſed ſupplet, & perficit eam, quæ inchoata, & imperfecta manſerat: & pœnitens tunc eſt irrationabiliter inuitus. Quibus verbis relatis eandem ſententiam ſequitur Filliucius *c. 11. q. 5. num. 324.*

Ipſe verò contrariæ opinioni aſſentior, quam tenent Reginald. Soto, Tolet. Rodriq. Megala, Bonacin. Sylvius & alij quos affert Diana *tom. 1 tract. 1. Miſcell. reſol.* 1. Defendit eandem cum alijs noſter Cardin. Lugo *diſp. 23. ſect. 5. n.* 140. & Fagund. *lib. 6 c. 4. n.* 31. Itaque quádo Cõfeſſarius cõmiſit aliquem intolerabilẽ errorem in Confeſſione, v. g. quia abſoluit non ſubditũ, vel excõmunicatum, vel à caſu reſeruato, vel non iniunxit obligationem reſtitutionis æris alieni in caſu, quo tenebatur iniungere; quamuis ſi ſtatim poſt finitam Confeſſionem, & datam abſolutionem occurrat error emendãdus poſsit loqui tũc cũ ipſo pœnitente de Cõfeſsione, & errore corrigẽdo abſque prędicta licẽtia, vt dictũ eſt ſuprà *in hac ſect. n. 1.* poſtea tamẽ nõ poteſt loqui cũ ipſo pœnitente de Confeſsione ſibi facta, niſi de expreſſa licentia illius. Quod probatur, quia ſi abſque ea licentia loquatur in hoc caſu, id plane erit exprobrare pœnitenti peccata confeſſa, & exoſam reddere Confeſsionem, & iniuriam facere Sacramento: vnde in eo caſu melius eſt quòd nõ corrigatur error cõmiſſus, quàm quòd iniuria fiat Sacramento; cùm ex duobus malis minus ſit eligendum. Nec valet dicere tunc in eo caſu, Confeſſariũ non loqui extra Confeſsionem, ſed ſupplere, & perficere eã, quæ inchoata, & imperfecta remanſerat; nam hac occaſione perficiendi quod defuit, Confeſſarius poſſet quoq; continuare per totam vitam eãdem Confeſsionem: vnde ſigillum certè prorſus corrueret; quia ad Confeſſarium pro ſuo munere ſpectat non ſolùm monere, ſed etiam corrigere pœnitentem; vnde poſſet per totam vitam corrigere, & obiurgare pœnitẽtem propter illa peccata; quod totum diceret, ſe intra Confeſsionem facere, quã quoad actum corrigẽndi, & obiurgandi vult magis perficere, quia non ſatis pro merito reprehendit peccatorem. Id autem Confeſsionem redderet intolerabilem, & qui id ſcirent grauiſsimè ſcandalizarentur, quaſi de ſigillo omninò violato. Igitur in prædicto caſu, ſi aliquid ſupplendum eſt, debet petere licentiam ſi commodè poſſit, & eam obtinere.

SECTIO XV.

Quas pœnas incurrant violatores ſigilli?

De hac re videantur Suar. Cardin. Lugo, Fagund. & ex Canoniſtis Barboſa, & Menoch.

Nos breuiter rem declarabimus. Pręmittimus autem 1
Greg. Papã in *c. Sacerdos, diſt. 6.* Sic dicere: *Sacerdos ante omnia caueat, ne de eis, qui ei confitentur peccata ſua, alicui recitet, &c. nam ſi hoc fecerit, deponatur, & omnibus diebus vitæ ſuæ ignominioſus peregrinando pergat.* Innocentium item Papam, in *c. omnis vtriuſq; ſexus, ad finem, de pœnitentiis, & remiſsionibus*, ſic quoque dicentem: *Sacerdos qui peccatum in pœnitentiali iudicio ſibi detectum præſumpſerit reuelare, non ſolũ à Sacerdotali officio deponendũ decernimus, verũ etiã ad agẽdã pœnitentiã perpetuã in arctũ Monaſterium detrudendum.* Hoc præmiſſo;

Breuiter dico *primò*, pœnam quæ in iure ſtatuitur Sacerdoti reuelanti peccatũ pœnitentis, eſſe depoſitionẽ, & perpetuam reclusionẽ. Probatur, quia in capitibus relatis, vt vidimus, Sacerdoti Confeſſario frãgenti ſigillũ Confeſsionis imponitur pœna depoſitionis, & coactionis ad perpetuã, & ignominioſam peregrinationem. Quã peregrinationẽ cõmutaſſe videtur Lex in *dict. c. Omnis vtriuſq; ſexus*, in reclusionem perpetuã in aliquod Monaſteriũ: vnde pœna illa perpetuæ & ignominioſę peregrinationis, cõmutata eſt in pœnã perpetuæ reclusionis: & illud antiquum ius peregrinationis, per hoc nouum reclusionis immutatũ eſt: & optimo ſane conſilio, ne cũ Sacrorũ Ordinũ ignominia Sacerdotes euagarẽtur. Hanc igitur ſolã hodie pœnã de Iure Canonico incurrunt Sacerdotes violatores ſigilli perpetuę depoſitionis, & perpetuæ inclusionis in Monaſterio: Quia iã ceſſauit pœna illa perpetuæ peregrinationis, cũ poſtea ab Innocentio inflicta ſit alia incompatibilis, nempe detruſio perpetua in Monaſteriũ, vt benè Gloſ. in *c. Omnis, ad fin.* notauit.

2 Dico *ſecundò*, neutram pœnam depoſitionis videlicet, & perpetuæ reclusionis incurri ipſo facto ante ſententiam Iudicis. Probatur, quia Sacerdoti, qui ſigillum iniurioſè fregit, nulla à iure imponitur pœna quam de facto incurrat. In cap. autem *Omnis vtriuſque ſexus*, dicitur debere deponi à Sacerdotali officio, & ad agendam pœnitentiam in arctum Monaſterium detrudi; hæc verò requirunt ſententiam Iudicis: Vnde nullis his pœnis ſubiicitur Sacerdos, niſi prius in foro externo probetur crimen per ſententiam Iudicis. Quare neutra pœna, neque vlla alia incurritur ipſo facto, ſed per ſententiam imponenda eſt, quia nullo fundamento conſtat aliquam ex eis ipſo facto incurri, vt liquet etiam ex tenore verborum *ſup.* traditorum.

3 Hinc dico *tertiò*, Confeſſarium frangentem ſigillum Confeſſionis non incurrere vllam irregularitatem. Ita communiter omnes contra Maiolum contrarium affirmantem, quia irregularitas includitur in depoſitione impoſita in dictis Iuribus. Oppoſitum verò manifeſte probatur, quia nulla irregularitas deducitur ex dictis Iuribus; nam depoſitio in ipſis impoſita non incurritur ipſo facto, nec aliunde deducitur, ibique ſolùm agitur de pœna ab homine imponenda: At irregularitas ſolùm à iure ipſo imponitur; & ſi in Iure expreſſa non eſt, nulla eſt, iuxta caput *Is qui, de ſententia excommunicationis, in 6.* vt eſt communnis ſententia in materia *de irregularitate.*

4 Ex dictis colligo tria. *Primum*, tametſi alij præter Sacerdotes obligentur ſigillo, vt vidimus *in ſuperioribus*; nihilominùs tamen prædictas pœnas depoſitionis, & reclusionis, non eſſe intelligendas, iuxta prædictos Canones, niſi Sacerdoti Confeſſario, quia de hoc tantùm ibi eſt ſermo, & ipſe eſt, qui ſpecialiori ratione tenetur ad ſigillum, vt cum communi ſententia notauit Nauarrus in cap. *Sacerdos, n. 165. de Pœnit. diſt. 6.* Alij autem vt interpres, vel qui caſu audiuit, vel cui Confeſſarius cum licentia pœnitentis, vel abſque illa manifeſtauit, & alij ſimiles, nō punientur pœna illa, ſed alia pro grauitate criminis; mitiori tamen, quia in fractione ſigilli non ita grauiter peccant, ac Confeſſarius, quamuis multò grauioribus puniri debeant pœnis, quàm ſi ſolum frangerent ſecretum purè naturale Iuſtitiæ, propter quandam Confeſſionis Sacramentalis iniuriam, quæ ibi interuenit, ratione cuius per talem reuelationem ipſa Confeſſio offenditur, & aliquo modo odioſa fit. *Secundum*; non infligi Sacerdoti Confeſſario prædictas pœnas depoſitionis, & reclusionis ob quamcumque reuelationem ſigilli, ſed ſolùm ob reuelationem peccati; de hoc enim tantùm agitur in Iure, quia illa eſt præcipua materia ſigilli: Vnde qui ſolùm reuelaret aliquid ignominioſum in Confeſſione cognitum, ſed quod peccatum non ſit, non incurreret iſtas pœnas; ſicut nec ille Confeſſarius, qui cum pœnitente loqueretur extra Confeſſionē de peccatis ab illo auditis, & non petita licentia; nā id non eſt propriè reuelare peccata. *Tertiū*, depoſitionem prædictam non ſolùm ſignificare prohibitionem audiendi Confeſsiones, ſed etiam prohibitionem cuiuſcumque muneris Sacerdotalis; cùm abſolutè decernat Pontifex Innocentius, à Sacerdotali officio deponendum. Ita videtur aduertiſſe Nauarrus *ſuprà*, quatenus ait deponi debere ab Ordine violatorem ſigilli.

5 Occurrunt verò duo inquirenda. *Primum eſt*, quomodò de hoc delicto ſecretiſſimo conſtare poſſit in iudicio, vt puniri poſſit? *Reſpondeo*, ad munus Iudicis ſpectare ſcire modum, quo præfatum delictum probandum ſit, & quatenus Confeſſario ſe excuſanti, quatenus verò pœnitenti accuſanti credendum ſit: eſſet tamen ſufficiens probatio, quando ipſemet Confeſſarius loquens dixiſſet ſe in Confeſsione audiuiſſe; alioqui conjecturis agendum eſt. Notant etiam Doctores, interdum ſufficere teſtes ſingulares, quamuis non ſint conteſtes, propter naturam & qualitatem delicti. Dubium verò eſt, ſi Confeſſarius dicat ſe habuiſſe facultatem à pœnitente, vel alia via ſciuiſſe, & pœnitens neget, quid agendum ſit? Ego exiſtimo, ſi Sacerdos accuſetur de reuelatione ſigilli ab ipſomet pœnitente, & ipſe Sacerdos iureiurando affirmet ſe de licentia pœnitentis id feciſſe, & Sacerdos ſit bonæ ac laudabilis vitæ, & honeſtæ famæ, licèt non plenè probet, ſtat tamen præſumptio pro parte Sacerdotis; & in tantum operatur hęc præſumptio, quòd transferat onus probandi in agentem, & accuſantem: nam in materia dubia etiam pœnali, quæ naturâ ſuâ ſecreta eſt, & pendet ex conſcientia alterius, qualis eſt iſta ſigilli Confeſsionis Sacramentalis, ſtatur iuramento rei accuſati. Vt eſt textus in *Cap. ſi verò aliquis, de ſententia excommunicationis*, & ibi Gloſſ. Vnde ſi percutiens Clericum accuſatus, dicat, ſe neſciuiſſe Clericum, ſtatur iuramento illius. Et in *cap. In lectum, 34. q. 1. & 2.* per iuramentum probat vir, quod ſororem vxoris cognouit, credens eam propriam eſſe vxorem. Igitur in materia pœnali ad euadendam pœnam, ſtandum eſt iuramento rei, ratione materiæ, & valde difficilis, ac moraliter impoſſibilis probationis; & ideò cùm de prædicta licentia data ad Confeſſionem reuelandam teſtes haberi non poſſint, quia regulariter ſecretò datur, ſtari debet aſſertioni iuratę Sacerdotis. Quod intellige, niſi contrarium probaretur per agentem, vt ſi probare poſſet, Sacerdotem ipſum coram pluribus dixiſſe ſe reuelaſſe Confeſsionem, & non adiecíſſe de licentia pœnitentis; nam talis probatio videretur ſufficiens in iſto caſu: poteſt tamen præponderare bona exiſtimatio de probitate, & prudentia Confeſſarij, præſertim ſi pœnitens è contra famam habeat non bonam, & aliquam inimicitiæ occaſionem aduerſùs Confeſſarium.

Aliud dubium eſt, ad quem Iudicem Eccleſiaſticum hoc delictum pertineat, nam cùm concernat Sacramenti Religionem, nequit ad ſæcularem Iudicem, ſed ad ſolum Eccleſiaſticum pertinere. Dico igitur pertinere ad Ordinarium, vel Epiſcopum, cuius eſt approbare, & dare licentiam audiendi Confeſſiones; & conſequenter corrigendi ac puniendi eos qui indignè miniſtrant Sacramentum Confeſſionis, quique tale grauiſſimum crimen committunt. Addunt etiam aliqui Doctores, expedire, vt deferatur hoc crimen ad Inquiſitores Apoſtolicos, cùm propter tam grauem Sacramenti iniuriam, quâ redditur confeſſio Sacramentalis odioſa, delinquens videatur in Fide ſuſpectus. Dicunt tamen alij Doctores, quos refert & ſequitur Dian. *to. 3. tr. 8 de offic. & poteſtat. Inquiſit.* quando eſt mera Confeſſionis reuelatio, non ſe ingerere Inquiſitores. Quam praxim teſtatur Diana in eo Sacro Tribunali per multos annos verſatus. 6

Eſt verò notandum, valdè aliud eſſe, ſi reuelatio Confeſsionis haberet mixtum errorem, vt ſi quis dixiſſet, licitam eſſe reuelationem ſigilli; vel aliter oſtenderet ſe malè ſentire de Eccleſiaſticis Sacramentis, pręſertim de Sacramento Pœnitentiæ, ſeu Confeſſionis; nam hoc caſu manifeſtum eſt, pertinere priuatiuè ad iudicium Dominorum Inquiſitorum. Si verò ſermo ſit præciſè de crimine ſolo fractionis ſigilli, ſentiunt communiter Doctores, non ſpectare ad ſanctum Inquiſitionis Tribunal, quia fractor iſte ſigilli nec leuiter ſuſpectus de hæreſi exiſtimādus eſt, cùm illa actio ex ignorātia, ira, odio, vindictæ deſiderio, maleuolētia, aut iniuria aliquē afficiendi animo, non verò ex Fidei defectu oriri poſſit, & ſoleat; vnde illa nō fit malè ſētiēdo de hoc Sacramento

Digitized by Google

mento Pœnitētiæ, aut de aliis Sacramētis: Verũ hæc ratio efficax non videtur, nã ab Inquiſitoribus punitur vt ſuſpectus de leui, qui Sacramēta miniſtrat ſine poteſtate, qui bis repetit Sacramētũ nõ repetẽdũ, qui ſecũdas nuptias cõtrahit viuēte priori cõiuge, qui excõmunicatione per annũ, etiam extra cauſã Fidei, inſordeſcit, & qui ad venerẽ in Sacramēto Cõfeſſionis pœnitẽtẽ prouocat; quãuis cõmuniter, ac frequēter ea delicta cõmittãtur ex ignorãtia, malitia, luxuriæ appetitu, iracundia, & ex aliis cauſis ad hæreſis ſuſpicionem non ſpectantibus: Quare in hac re ſtandũ eſt praxi, & vſui prudẽtiſſimo ſãcti inquiſitionis Tribunalis. Ad quod ſpectat, examinare, ac decernere, qui actus praui ſecundùm ſe eius ſint cõditionis, vt timeri, ſuſpicari, aut cõiici poſſit ex deprauato affectu, aut animo erga Sacramēta, Fidem, aut Catholicam Religionem oriri; & quos expediat à ſancto Tribunali cognoſci, iudicari, & puniri.

DISPVTATIO LV.

De ſatisfactione ſecundùm ſe, ſeu ex opere operantis; pro pœna temporali reſtante poſt remiſſionem culpæ.

HOc de Satisfactione argumentum, vltimum eſt huius operis pertractandum. In quo, explicatis iam duabus partibus materialibus, ſeu, duobus actibus internis intrinſecè cõponentibus Sacramentum Pœnitentiæ, nempe Contritione, & Confeſſione, agendũ eſt de tertia parte, ſeu tertio actu interno eiuſdẽ Sacramēti, quæ eſt Satisfactio, hic ſũpta pro recompenſatione aliqua oblata Deo pro pœna tẽporali debita peccatis quoad culpã iam remiſſis. Vt autem clarè, & plenè intelligatur tota ratio, omniſque Satisfactio pro tẽporali pœna; tribus Diſput. poſterioribus, quæ ſuperſunt, integram eius doctrinam diuidam, & comprehẽdã. In hac autem præſenti Diſp. dicam de Satisfactione ſecundùm ſe, quam bona opera ex opere operatis habēt ad ſatisfaciendum, & delendum debitum, ſeu reatum pœnæ temporalis. In ſequentibus agam de ſatisfactione Sacramētali, parte intrinſeca huius Sacramēti, quã per Sacerdotis Claues, ac virtute Sacramenti poteſt pœnitens ex opere operato liberari à reatu pœnæ temporalis.

SECTIO PRIMA.

Vtrùm homo iuſtus poſſit ſatisfacere de condigno pro pœna temporali, quæ poſt remiſſionem culpæ, & pœnæ æternæ manet luenda.

1 INcipimus iam agere de Satisfactione ſecundùm ſe hominis iuſti, quæ eſt extra Sacramentum, ex opere operantis, quam pro peccatis Deo debēt. In qua ſatisfactione, ſunt quatuor diſtinguenda, pro quibus debet ſatisfacere, ſi poteſt. Primum eſt culpa mortalis. Secundum, pœna æterna, quæ illi debetur. Tertium, culpa venialis. Quartum denique pœna temporalis, quæ culpâ remiſſâ reſtat perſoluenda. De ſatisfactione pro culpa, nihil dicendum: nam ſi aliqua ſatisfactio pro culpa exhiberi poteſt ab homine, nõ eſt à Contritione diſtincta; de qua dixi ſuprà *diſp*. 8. *ſect*. 2. Et de homine iuſto, quòd non poſſit condignè mereri primam gratiam peccatoris nec ſatisfacere de condigno pro culpa mortali, latè oſtẽdi *in tract. de Incarnatione diſp*. 5. *ſect*. 2. 3. 4. 5. 6. *&* 7. Quibus nihil occurrit addendum hic, cùm non ſit huius loci prædicta tractatio. Prætereà de pœna æterna iã oſtendi *ſuprà, diſp*. 9. *ſect*. 6. reatum pœnæ æternæ de facto auferri ſimul cum culpa mortali, & per Contritionem remitti illam diſpoſitiuè; ac meritoriè de congruo, & non de condigno. Rurſùs de veniali culpa, iam tractatum eſt in opere de *Incarnatione, diſp*. 5. *ſect*. 8. & ſuprà *diſp*. 10. *ſect*. 4. poſſe etiam hominem iuſtum de cõdigno ſatisfacere pro culpa veniali. Solùm igitur agendum eſt in hoc loco de ſatisfactione pro pœna temporali: Nam conſtat iam ex *dict. diſp*. 9. *ſect*. 7. de Fide eſſe, remiſsâ culpâ & pœnâ æternâ per pœnitẽtiam, vel Contritionem, ſupereſſe adhuc ſæpiſſimè aliquam pœnam temporalem perſoluendam. Quia commutat Deus ex miſericordia, & amore pœnam æternam in temporalem. Quanta verò temporalis pœna pro ſingulis peccatis iam remiſſis ſoluenda reſtet, nobis incertum eſt, quia Deus talem ſtatuit, qualem ipſe iudicauerit expedire.

Hoc præmiſſo, controuerſia præſens eſt, an poſſit homo iuſtus ſatisfacere de condigno pro dicta pœna temporali, quæ poſt remiſſionem culpæ, & pœnæ æternæ, reſtat perſoluenda. *Satisfactio* autem idem eſt quòd Recompenſatio; & *Condigna* idem eſt quòd æqualis ſecundum proportionem dignitatis, ſeu moraliter æquiualens; atque ideò per ſatisfactionem condignam pro pœna temporali, intelligimus recompenſationem ipſi pœnæ æqualem ſecundum dignitatem, & valorem moralem.

Aliqui non agnoſcunt hanc condignitatem in ſatisfactione hominis iuſti ex opere operantis pro debito pœnæ temporalis alterius ſæculi. Quod probari poteſt, quia tota virtus, & valor operis iuſti expenditur in promerendo augmento gloriæ de condigno: ergo nequit ſimul de condigno obtinere remiſſionem illius pœnæ; alioquin tolleretur aliquid de præmio gloriæ, quam poſſet mereri illud opus, ne mereatur præmium vltra condignum. 2

Dico *primò*, Fide tenendum eſſe, iuſtos poſſe ſatisfacere per opera bona pro pœna temporali reſtante poſt peccatum quoad culpam, & pœnam æternam remiſſũ. Id definitum eſt contra Hæreticos noſtri temporis à Concil. Trid. *ſeſſ*. 6. *can*. 30. *&* *ſeſſ*. 14. *c*. 8. *can*. 12. Et cõſtat manifeſtè ex Scriptura ſacra: nam Deus *Ierem*. 18. promittit ſe pœnitentiam agentibus remiſſurum debitas pœnas, quas pro eorum peccatis iis erat minatus: At cùm Deus in ſua promiſſione non fallat, apertè ſequitur nos per eiuſmodi opera poſſe efficere, vt Deus nobis eiuſmodi pœnas remittat, ſeu nos ſatisfacere Deo pro peccato pœnas exigenti. *Dan. c*. 4. dicitur: *Peccata tua eleemoſ. redime*. Luc. *c*. 3. *Facite fructus dignos pœnitentiæ* & aliis in locis. Idẽ etiã firmatur perpetuo ſẽper Eccleſiæ ſẽſu, & Sanctorũ exẽplis cõtinuo; nã ab ipſo Adam hoc pœnitentiæ, & ſatisfactionis genus inchoatum eſſe teſtis eſt Iren. *lib*. 3. *contra Hæreſes c*. 37. & Epiph *hæreſ*. 46. Denique ratio eſt ſatis aperta, quia homo eſt in hac vita viator; ideò oportuit ei concedi modũ, & tempus, & locum, quo poſſet animum perfectè purgare ab omni culpa, & reatu eius: non ergo poterit niſi per ſuas Satisfactiones gratiæ Dei ſemper adiunctas; igitur illæ valent ad remiſſionem conſequendam Firmo, nã plus eſt merere vitam æternam, quàm remiſſionem pœnæ temporalis conſequi: at illud poteſt homo conſequi in hac vita per ſuas ſatisfactiones & opera facta in diuina gratia; ergo & iſtud. 3

Hinc dico *ſecundò*, hominem iuſtum per ſua opera 4

verè & abſolutè ſatisfacere pro ſuis peccatis, & non ſolùm ad eorum præſentiam tanquam conditionum, applicari illi Chriſti ſatisfactionem. Hoc dictum eſt omnium Catholicorum contra Michaëlem Baium, *lib. de Indulgentiis cap. vltimo*, dicentem, nos non ſatisfacere Deo pro pœna temporali, ſed ad præſentiam noſtrorum operum applicari nobis Chriſti ſatisfactionem, qui ſolus ob eius dignitatem eſt ſatisfaciens: opera verò noſtra ſunt veluti neceſſariæ conditiones ad conſequendam remiſſionem pœnæ, non tamen ſunt propriè ſolutio pro pœna, & ideo rationem ſatisfactionis non habent. Quæ propoſitio damnatur in Bulla Pij V. & Gregorij XIII. contra ipſum. Et meritò, nam Tridentinum *ſeſſ. 14. c. 4. 8. & 9.* quamuis definiat hanc noſtram ſatisfactionem in Chriſto fundari, docet tamen nos verè eſſe, qui ſatisfacimus per virtutem, & ſufficientiam ab eo acceptam. Et ratio eſt, quia nos verè coram Deo meremur, & non ſolùm ad præſentiam noſtrorum operum applicatur nobis meritum Chriſti: ergo ſimiliter per noſtra opera etiam verè ſatisfacimus. Patet conſequentia: Tum quia non eſt maius; imò eſt minus ſatisfacere, quam mereri: Tum quia Tridentinum ſupra *ſeſſ. 14. c. 8.* eodem modo loquitur de vtroque: Tum denique, quia eadem virtus gratiæ, & omnes aliæ conditiones requiſitæ concurrunt in ſatisfactione, ſicut in merito; & ſicut per meritum ius ad præmium adquirimus, ita per ſatisfactionem pœnam nobis debitam compenſamus, & perſoluimus, vt in ſequentibus manifeſtè conſtabit: vnde nõ magis ſatisfactio noſtra repugnat dignitati Chriſti ſatisfacientis, quàm meritum dignitati Chriſti merentis; non ſolùm quia per Chriſtum habemus virtutẽ ſatisfaciendi, ſed etiam quia noſtra ſatisfactio propter illum acceptatur, & vt rationem Iuſtitiæ participet, in eius ſatisfactione fundatur.

Quare tametſi conſtet certiſſimè Chriſtum ſatisfeciſſe ſufficientiſſimè pro omnibus peccatis, & eorum pœnis quoad oblationem pretij, ideòque non eſſe opus nobis alio pretio quo redimamur; etiam certiſſimum eſt nos indigere variis mediis, quibus hoc pretium nobis applicetur, vt poſſit nobis prodeſſe: hæc verò ſunt bona opera in gratia facta habentia valorem, & condignitatem ad ſatisfactionem pro pœna temporali.

5 Dico *tertiò*, noſtra opera eſſe ſatisfactoria de condigno, & ad æqualitatem pro illa pœna Purgatorij, quæ per ſe reſpondet peccato non plenè remiſſo quoad pœnam temporalem. Eſt communis ſententia Theologorum, quos ſequuntur Suarez *diſputatione 37. ſectione nona*, Vaſquez *quæſtion. 94. art. 1. dubio tertio*, Cardinalis Lugo *diſputatione 24. ſectione prima, numero* 8. & alij.

Probatur *primò*, ex Tridentino *ſeſſ. 14. cap. 8. & 9. & Canone 13.* In quibus homo dicitur ſimpliciter ſatisfacere per eiuſmodi opera: atqui æquale non ſoluit, non ſatisfacit ſimpliciter, & abſolutè, ſed facit aliquid quod ex ſe non ſufficit, & quo poſito, creditor condonat; nam ſatisfacere, eſt ſufficienter facere; hoc eſt quantum ſatis, & ſufficiens eſt ad delendum debitum. Firmo, nam eo ipſo quòd Tridentinum citatum apertè definiat nos poſſe ſatisfacere pro dicta pœna, intelligi debet de ſatisfactione de condigno: Tum quia hoc nomen abſolutè ſumptum ſolùm conuenit ſatisfactioni de condigno; nam ſatisfactio de congruo non poteſt abſolutè dici ſatisfactio, ſed tantum ſecundùm quid: Tum etiam, quia ſi noſtra ſatisfactio pro pœna temporali non eſſet de condigno, ſed ſolùm de congruo; eodem modo dici poſſet, quòd ſatisfacit homo pro debito pœnæ æternæ, ſicut pro debito pœnæ temporalis; cùm per Contritionem ſicut meretur de congruo remiſſionem culpæ, ſic etiam ſatisfaciat de congruo pro debito pœnæ æternæ. Conſequens autem eſt contra modum loquendi Tridentini, quod clarè condiſtinguit, *ſeſſ. 6. c. 14.* dicens, reatum pœnæ æternæ remitti; reatum verò pœnæ temporalis dicit non ſemper remitti; ſed per ſatisfactionem tolli. Quo modo loquendi apertè declarat, pœnam æternam ſimpliciter remitti; & ideò non ſatisfieri pro illa, ſicut pro temporali, quæ non ſemper tota remittitur: ergo pro temporali ex mente Tridentini ſatisfacimus de condigno: alioquin remitti diceretur, ſicut æterna, pro qua etiam ſatisfacimus de congruo.

Secundò, idem probatur ex Bulla Pij V. & Gregorij XIII. contra propoſitiones Michaëlis Baij, in qua pro- 6
hibetur, & dãnatur hęc propoſitio, quæ eſt 77. nẽpe: *Satisfactiones laborioſæ iuſtificatorum non valent expiare de condigno pœnam temporalem reſtantem poſt culpam condonatam.*

Tertiò, ratione probatur; quia opera pœnalia bona hominis iuſti habent magnam proportionem ad com- 7
penſandam pœnam temporalem etiam alterius vitæ: ergo nihil illis deeſt, vt habeant valorem, & condignitatem ad recompenſandam dictam pœnam, itavt illi pœnæ æquiualeant moraliter, & admitti poſſint loco illius. Antecedens probatur, quia opera bona pœnalia iuſti non habent minorem proportionem ad remiſſionem pœnæ temporalis, quàm ad merendam vitam æternam; ſed ſunt condignè meritoria vitæ æternæ, quamuis vita æterna ſit ordinis Superioris, quam opera huius vitæ ſaltem aliqua: ergo etiam ſunt condignè ſatisfactoria pro pœna temporali debita etiam alterius vitæ, quamuis pœna alterius vitæ ſit ordinis ſuperioris, quàm pœnalitas huius vitæ: quia nimirum ad condignitatem, ſiue in merito, ſiue in ſatisfactione, non eſt neceſſaria æqualitas phyſica inter meritum, & inter præmium; & inter opus pœnale, & pœnam debitam, ſed ſufficit æqualitas moralis ſecundùm virtutem, & proportionem, qualis eſt inter ſemen & fructum, & ſolet eſſe inter pecuniam & mercem. Firmo hoc idem, nam ex materia *de Merito* conſtat apud omnes, ad meritum de condigno nihil amplius requiri, quàm operantis dignitatem, operis proportionem, & promiſſionem Dei ſub conditione talis operis: ſed hæc omnia concurrunt in ſatisfactione noſtra, vt dicemus in ſequentibus; ergo nihil deeſt huic ſatisfactioni, quominus ſit de condigno: Imò & de Iuſtitia;
nam nũc ex lege diuina non eſt abſolutè impoſita pec- 8
catis noſtris pœna Purgatorij, ſed quaſi ſub diſiunctione, vel illa Purgatorij in vita futura, vel aliqua moraliter proportionata in hac vita; ergo qui alterum iſtorum facit, ſatisfacit legi Dei: ergo de condigno, & de iuſtitia. Quare concludendum eſt, pœnam impoſitam, & definitam ſingulis peccatis ex certa lege diuinæ Iuſtitiæ (quæ pœna ſuſtinenda eſt in futura vita, ſi in hac non fuerit plenè remiſſa, & eſt veluti ordinaria pœna per ſe peccato reſpondens) tolli de condigno, & de iuſtitia, per noſtra opera ſatisfactoria. Dixi *de pœna ordinaria*; nã præter hanc interdum Deus punit peccatum extraordinaria pœna huius vitæ, extraordinariè poſita ex ſpeciali Dei ordinatione, & quando talis eſt, iuſtus non poteſt pro illa de condigno ſatisfacere, imò neque aliquid facere, quo infallibiliter talis pœnæ remiſſionem conſequatur. Sic enim Dauid per multas lachrymas vitam filij in qua punitus eſt, obtinere non potuit, *2. Reg. 12.* Et ratio eſt, quia de remiſſione huius pœnæ nulla eſt certa promiſſio, nec lex ſtatuta: Vnde quando interdum obtinetur à Deo remiſſio, vel commutatio huius pœnæ; vt ſunt varia exempla in Scriptura ſacra, nempe *Exod. 32. Num. 26. 2. Reg. 24. & Ionæ 3.* id non eſt per modum ſatisfactionis de condigno, ſed per modum impetrationis & meriti de congruo, quia videlicet Deus aliquando exaudit orationes, & merita amicorum ſuo-

rum

Digitized by Google

tum, interdum verò iuſto iudicio negat. Ita notauit Suarez citatus *num.* 5. & 4.

9 Ad Argumentum ſuprà *num.* 2. adductum, dico, opera hominis iuſti non extinguere debitum pœnæ per modum meriti, ſed per modum ſatisfactionis; quod eſt valdè diuerſum genus in eodem opere: nam meritum eſt in ordine ad gratitudinem, fidelitatem, vel iuſtitiam, quæ inclinat ad præmiandum; ſatisfactio verò eſt in ordine ad Iuſtitiam punitiuam, vel in ordine ad Manſuetudinem, qua placatur Iudex, ne puniat cum tanto rigore. Differunt ergo Meritum & Satisfactio; nam Meritum reddit hominem dignum præmio; ſatisfactio non reddit dignum, ſed tollit ſaltem remotè reatum pœnæ, quam habebat: vnde non habet maius præmium in ratione præmij illud opus, quo ſimul homo meretur gloriam, & ſatisfacit pro pœna, quàm ſi non ſatisfaceret: nec è contra qui non habet debitum pœnæ, pro quo ſatisfaciat, meretur plures gradus gloriæ, eo quòd habeat actiuitatem totam operis magis liberam: ſicut opus bonum impetratorium non meretur minus præmij, ex eo quòd ſimul impetret alteri aliquod beneficium, nec meretur plus, ex eo quòd nihil impetret; quia ſunt in eodem opere actiuitates valdè diſparatæ.

SECTIO II.

An, & quomodo requiratur ſtatus gratiæ & viatoris, ad condignam ſatisfactionem pro pœnis peccato debitis?

1 IN præcedenti Sectione ſtatutum eſt in genere, hominem iuſtũ ſatisfacere de condigno pro pœnis peccato in hac, vel in alia vita debitis. Nunc, & in ſequẽtibus diſtinctè, & in ſpecie examinandæ ſunt conditiones peculiares, quæ requiruntur ad prædictam ſatisfactionem condignam. Conditiones autem ad condignam ſatisfactionem requiſitæ ſunt triplicis generis. *Primò* enim quædam requiruntur ex parte perſonæ ſatisfacientis. *Secundò*, ex parte operis quo ſatisfit. *Tertiò*, ex parte perſonæ cui ſatisfit. Quæ omnia variis Sectionibus explicabimus.

Duæ à Theologis proponuntur conditiones ex parte ſatisfacientis, ſicut etiam ex parte merentis, nempe vt perſona ſatisfaciens ſit ſancta, & grata Deo, & ſit etiam viator, quæ nunc ſunt explicandæ.

2 Dico itaque *primò*, ex parte perſonæ ſatisfacientis, requiri, vt ſit in gratia. Hæc eſt communis Theologorum ſententia. Quæ efficaciter probatur *primò* ex Tridentino *ſeſſ.* 14. *cap.* 8. illis verbis: *Dum ſatisfaciendo patimur pro peccatis, Chriſto Ieſu, qui pro peccatis noſtris ſatisfecit, conformes efficimur, certiſſimam quoque inde arrham habentes, quòd ſi compatimur, & conglorificabimur.* Vbi ſupponit Concilium, paſſionem, quâ ſatisfacimus, fieri in ſtatu gratiæ, quia per eam dicimur nos conformari Chriſto, qui pro nobis ſatisfecit, & gloriam, ſeu conglorificationem cum Chriſto mereri; quæ tantùm conueniunt paſſioni factæ in ſtatu gratiæ. Addit præctereà Tridentinum paulò pòſt. *Omnis glorificatio noſtra in Chriſto eſt, in quo viuimus, in quo meremur, in quo ſatisfacimus, facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur à Patre.* Quibus verbis indicatur, vim ſatisfaciendi noſtrorum operum inde prouenire, quod dum fiunt, in Chriſto viuimus, & mouemur: quod proprium eſt hominis iuſti, nam peccator non viuit in Chriſto: Quare cùm ſoli iuſti viuant in Chriſto, hi ſoli pro peccatis poſſunt ſatisfacere. Et ratio eſt, quia pœnæ huius vitæ per ſe ſumptæ non habent proportionem cum pœna vitæ futuræ, vt conſtat; ergo per ſe non habent valorem vt illam remittant: ergo neceſſaria eſt gratia à qua tunc valorem recipiant: Hæc autem gratia debet eſſe ſanctificans, quia debet conferre dignitatem perſonæ, à qua ipſa ſatisfactio recipit valorem ſuum. Firmo, nam 3 ſatisfactio, licèt non ſit meritum formaliter, imitatur tamen rationem meriti, quia non aliter ſatisfacimus condignè pro pœna, quàm efficiendo opus ita condignum & moraliter æquiualens pœnæ debitæ, vt poſſit loco illius admitti. In quo diſtinguitur ſatisfactio ſtrictè ſumpta de qua loquimur, à ſolutione pœnæ debitæ; quia hæc non fit efficiendo opus dignum, & æquiualens, ſed ſuſtinendo, & patiendo pœnam ipſam debitam; ſed exiſtens extra ſtatum gratiæ in peccati mortis, nequit efficere aliquid ſic dignum, & æquiualens, quia in eo ſtatu exiſtens eſt dignus priuari omnibus bonis etiam temporalibus, quæ poſſunt à Deo conferri: ergo in eo ſtatu nequit condignè ſatisfacere pro pœna. Quare ſicut peccator, & inimicus Dei, dum manet inimicus, non poteſt mereri condignè, quia non placet Deo, & ideò non poſſunt eius opera eſſe Deo accepta ad præmium; ſic nec poſſunt eſſe accepta ad placandum Deum pro pœna debita: quæ placatio eſt quaſi quædam retributio pro caſtigatione voluntaria, quam homo exhibet, & offert Deo; qui enim non poteſt eſſe dignus retributione, & præmio propter peccatum permanens, non poteſt etiam eſſe dignus, vt acceptetur eius caſtigatio voluntaria ad compenſandam pœnam aliunde debitam.

Hinc colligo *primò*, ſicut ad meritum condignum 4 vitæ æternæ non ſatis eſt, quòd operatio in ſua ſubſtantia conſiderata habeat proportionem cum vita æterna, ſed neceſſarium eſt etiam, vt procedat à perſona illi fini proportionata; ita & ad ſatisfactionem condignam, quia perſona operans eſt vna ex circumſtantiis operis, à qua moralis actus valorem etiam, & dignitatem moralem accipit. Sic enim opera Chriſti Domini ex dignitate perſonæ habuerunt proportionem, & infinitum valorem ad merendum: & inter homines etiam conſtat, qualitatem perſonæ multum referre ad æſtimationem doni, beneficij, aut obſequij ab illo oblati.

Colligo *ſecundò*, neceſſitatem gratiæ habitualis ad condignam ſatisfactionem, ſicut & ad condignum meritum, eſſe ſaltem de lege ordinaria, ſeu ex natura rei. Ratio eſt, quia ſine habituali gratia non aufertur peccatum de lege ordinaria, ſeu ex natura rei; quandiu autem manet homo ſub peccato, eſt prorſus incapax meriti de condigno apud Deum, nam non poteſt ſimul eſſe ex rigore Iuſtitiæ dignus indignatione Dei, & carentia beatitudinis, & ipſam beatitudinem de iuſtitia mereri. Idem dicendum eſt de ſatisfactione ſtrictè ſumpta; nam cùm hæc ſit opus moraliter æquiualẽs pœnæ, & Deo placens, & aptum ad placandum Deum pro pœna debita, neceſſariò eſſe debet perſonæ exiſtentis in gratia; nam qui eſt inimicus Dei, non poteſt illum placare, nec poteſt eſſe dignus, vt eius voluntaria caſtigatio acceptetur ad compenſandam pœnam debitam.

Colligo *tertiò*, valorem ſatisfactionis creſcere pro 5 maiori gratia, quam homo habet. Patet; Tum quia probabile eſt, valorem meriti creſcere pro maiori gratia: Tum maximè, quia tametſi valor meriti non creſceret ex maiori gratia; adhuc in ſatisfactione eſſet peculiaris ratio ad illud aſſerendum, nam eadem pœna inflicta viro nobiliori, v. g. exilium Principi, æſtimatur moraliter pœna grauior, quàm inflicta homini ignobili: ergo & caſtigatio ieiunij in homine ſanctiori habente gratiam

vt centum, æſtimabitur maior pœna, & grauior caſtigatio, quàm in alio iuſto habente gratiam vt quatuor, quia illuſtrior, ac excellentior perſona caſtigatur, atque adeò erit maior ſatisfactio.

7 Dico *ſecundò*, ad propriam ſatisfactionem eſſe neceſſariam gratiam viatoris, vt nimirùm ſatisfaciens ſit adhuc viator. Voco propriam ſatisfactionem eam, quam homo in hac vita aſſumit, vt illam Purgatorij pœnam compenſet, vnde ſicut poſt hanc vitam nullus eſt locus merito, ita nec ſatisfactioni: Aliter enim cùm animæ exiſtentes in Purgatorio, eliciant feruentiſſimos & frequentiſſimos actus Charitatis, & Contritionis, ſtatim pro maximis pœnis ſatisfacerent: vnde ibi animæ non ſatisfaciunt, ſed ſatis patiuntur, ſi decedant cum aliquo reatu temporalis pœnæ, donec à reatu liberentur. Totum hoc fundatur in diuina ordinatione.

SECTIO III.

An Satisfactio requirat opus liberum & bonum, & per opus, præceptum poſsit homo ſatisfacere pro pœna temporali?

ACcedimus iam in hac, & ſequentibus Sectionibus ad conditiones requiſitas in Satisfactione ex parte operis.

1 Certum *primò*, apud omnes requiri primò vt ſit opus ſatisfaciendi voluntarium, & liberum: Patet, tum quia Satisfactio eſt effectus virtutis pœnitentiæ; hæc autem hoc ipſo quòd virtus eſt, debet eſſe voluntaria & libera: Tum quia fundatur in valore operis morali, ſicut meritum; ad hoc autem requiritur opus liberum: Tum denique quia ſicut peccator dignus eſt pœna, quia voluntariè ac liberè peccauit; ita debet peccatum compenſari libera, ac voluntaria pœna.

2 Hinc colligo *primò*, opus ſatisfactorium eſſe liberum ſaltem denominatiuè, quatenus procedit ſaltem ab affectu libero. Patet, quia non poſſet procedere ab honeſto affectu; niſi procederet ab affectu libero; cùm libertas ſit de eſſentia actus moralis honeſti, vel inhoneſti: Nam ſatisfacere, ſignificat id, quo ſatis fit, procedere aliquo modo humano à ſatisfaciente. In hoc enim diſtinguitur Satisfactio à ſatiſpaſſione. Vnde pœnæ extrinſecùs nobis inflictæ, vel caſus nobis accidentes nequeunt habere rationem ſatisfactionis, niſi eas voluntariè in eum finem, ſiue propter Deum acceptando, ac patienter tolerando, earum inflictionem quodammodò noſtram faciamus; itavt poſſimus quodammodò dici ea ratione peccata noſtra punire; atque ita per eas verè Deo pro his ſatisfacimus, vt docet Trid. *ſeſſ.* 14. *c.* 8.

3 Ex quo *ſecundò*, colligo nos non ſolùm ſatisfacere præcisè per actum internum, in quo tota moralis bonitas operis formaliter conſiſtit, ſed etiam per ipſum opus externum: Nam Concilium *loco citato* apertè docet, nos ſatisfacere, non ſolùm per internam patientiam, ſed etiam per ipſa flagella inflicta, & patienter tolerata.

4 Colligo *tertiò*, vim ſatisfactionis creſcere partim ex perfectione actus interni, partim ex difficultate actionis, vel paſſionis externæ; quia cùm pœnalitates quà tales patienter toleratæ habeant vim ſatisfaciendi, quò maiores ſunt, eò maiorem vim habebunt: vnde magnitudo afflictionis auget quoque ſatisfactionem.

Secundò etiam eſt certum ad opus ſatisfactorium requiri, vt ſit opus bonum moraliter, & honeſtum, ſaltem ratione intentionis, qua aſſumitur, aut aliunde impoſitum toleratur: vt eſt tolerantia pœnarum, vel ſponte aſſumptarum, vel aliunde illatarum. Patet: Tum quia cùm prædictum opus debeat eſſe voluntarium, etiam tale debet eſſe pro bona voluntate: Si enim mala eſſet, potius eſſet dignum noua pœna: Tum quia ſicut opus nullo modo bonum non poteſt Deo placere; ita nec poteſt habere vim nos Deo reconciliandi: Tum denique, quia vt ſtatim dicam, ſatisfactio eſt effectus diuinæ gratiæ acceptantis per Chriſtum noſtras ſatisfactiones; Deus autem non acceptat id quod malum eſt ad vllum effectum gratiæ; ergo. 5

Hinc manifeſte colligo, indifferens opus, in ſua indifferentia manens in indiuiduo, dato quòd tale opus indifferens in indiuiduo admittatur, non poſſe eſſe opus ſatisfactorium, ſicut nec meritorium. Patet, quia tale opus indifferens in indiuiduo non eſt, cur potiùs ſit præmio, vel ſatisfactione dignum, quam pœna; nam ſi non meretur pœnam, quia caret malitia; etiam non meretur præmium, vel condonationem pœnæ, quia caret bonitate: Imò potius dici debet, eo ipſo quod bonitate caret, mereri carentiam præmij, & condonationis pœnæ; quod potius eſt demereri, quàm mereri. Quod ſpecialiter veriſſimum eſt in meritò apud Deum: Nam omne meritum apud aliquem debet eſse opus redundans aliquo modo in obſequium eius, vel ſaltem in obedientiam, & complementum voluntatis eius; ergo & noſtra opera debent hanc habitudinem ad Deum habere, vt apud ipſum meritoria ſint. Non poſsunt autem illam habere, niſi ſint honeſta, ſeu moraliter bona, quia noſtra opera non poſsunt aliquam vtilitatem, vel commodum Deo afferre, ſicut inter homines contingit, ſed ſolùm poſsunt in gloriam, & honorem eius redundare, vel voluntatem eius implere, quod niſi per bona opera fieri non poteſt. Eſt igitur bonitas moralis intrinſeca & eſsentialis conditio operis ſatisfactorij, non minus quàm libertas. 6

His præmiſſis tanquam certis, ſupereſt difficultas, an per opera præcepta, & aliunde debita poſſit homo ſatisfacere pro pœna temporali, an ſolùm per opera ex nullo titulo Deo debita? 7

Paludanus, Maior, Almain. Sotus, Gabriel, Capreolus, & alij quos affert Suarez *diſp.* 37. *ſect.* 4. negant operibus debitis ex præcepto poſse ſatisfieri. Probant quia non poteſt duplici debito vnica ſolutione ſatisfieri; ſic qui debet Petro mille, & Paulo mille, non poteſt iiſdem ſatisfacere eadem re, quia ex diuerſo titulo vni, & ex diuerſo ſaltem numero alteri debitor eſt. Qui etiam ex voto aliquid debet vni Eccleſiæ, v. g Calicem vnum, & ex contractu alterum Calicem eidem ipſi Eccleſiæ, nō poteſt vno eodemque calice vtrique debito ſatisfacere, ſed debet dare duos, quia votum fuit donandi Calicem; & illum aliū quem ex contractu daret, non donat, ſed ſoluit. Qui ex voto quoque & præcepto tenetur Sacrum audire, non ſatisfaciet vtrique obligationi eodem Sacro. Denique nullus ſatisfacit pœnitentiæ à Cōfeſsario impoſitæ per opus præceptum.

Cum communi, & veriſſima ſententia dicendum eſt, opera etiam præcepta Iure naturæ eſse ſatisfactoria. Iuxta quam; 8

Dico *primò*, obligationem præcepti non tollere ab opere vim & virtutem ſatisfaciendi. Probatur *primò*, quia ex Trid. *ſeſſ.* 6. *cap.* 10. & 16. operibus iis quibus diuina lex obſeruatur, & diuina præcepta naturalia implentur, meremur æternam vitam, & augmentum gratiæ; ergo etiam ſatisfacimus. Cur enim prædicta opera non habebunt vim purgandi debitum pœnæ, ſicut habent vim, & nouum ius comparandi nouum præmium? 9

mium? *Secundò*, per Martyrium in caſu quo quis ex præcepto tenetur; per eleemoſynam in extrema neceſſitate; per ieiunium, vel alias corporis afflictiones, quæ fiunt ex obligatione, vt voto, eodem modo ſatisfacimus, ac ſi fierent non ex obligatione. Ad hunc etiam finem vt pro peccatis ſatisfaciamus, præcipit Eccleſia ieiunia, & alias corporis caſtigationes: ergo præcepta non impediunt quòd illis operibus ſatisfacere poſſimus. Denique ad eundem finem Confeſſarius præcipit opera ſatisfactoria, quæ non quia præcipiuntur à Confeſſario, deſinunt eſſe ſatisfactoria: imò magis quia ſatisfactoria ſunt, eleuantur per Claues ad maiorem ſatisfactionem ex opere operato. Et tandem ratio à priori hæc optima eſt, quia quòd opera ſint præcepta, etiam iure naturæ, non tollit, quominùs ſint libera, bona, & pœnalia, ac laudabilia; ergo habent rationem vindictæ, & punitionis liberè aſſumptæ pro peccato, nam tota condignitas ſatisfactionis fundatur maximè in eo quòd homo laudabiliter ſe puniens, eo ipſo placat iram Iudicis, ne illum iterùm puniat.

9 Hinc dico *ſecundò*, tantùm abeſſe, vt obligatio præcepti tollat ſatisfactionem, vt neque extenuet illam, nec minuat. Ratio eſt manifeſta; quia præceptum nec minuit libertatem in operando, nec minuit operis honeſtatem, vt eſt certiſſimum, quia præceptum non infert vim voluntati, neque immutat modum proprium operandi eius, ſed quaſi extrinſecè, ſeu ex parte obiecti illam excitat; & ipſum præceptum de ſe bonum eſt, & bona operis conditio, ſeu circumſtantia: ergo non eſt, vnde poſſit auferre, vel minuere ſatisfactionem operis.

10 Dico *tertiò*, opus præceptum eſſe magis ſatisfactorium, ſicut & magis meritorium, cæteris paribus, quàm non præceptum; atque ideò præceptum per ſe loquendo cõferre ad ſatisfactionis, ſicut & ad meriti augmentum. Probatur, quia opus præceptum cæteris paribus melius eſt; non enim minus, ſed potius magis honeſtum, & laudabile eſt, cæteris paribus, facere aliquid ex præcepto, quam abſque illo, quia addit circumſtantiam obedientiæ formalis, ſeu virtualis, quæ bonitatem auget: ergo magis placet Deo, & per conſequens magis placat Deum eiuſmodi punitio per opera præcepta, quàm per ſpontanea, & ex conſilio. Firmo, nam opus factum ex voto, cæteris paribus magis meritorium eſt, tametſi faciat opus magis debitum; imò facit eſſe in præcepto quod anteà non erat: ergo ſimili ratione opus ſatisfactorium præceptum cæteris paribus, melius eſt non præcepto. Dixi, *cæteris paribus*, nam ſi in aliis conditionibus ſit inæqualitas, non eſt dubium, quin poſſit inde compenſare, vel etiam ſuperare ſatisfactio præceptum ipſum: Nam ſi quis minus voluntariè, & quaſi inuitus opus ſatisfactorium præceptum impleat, alius verò magna voluntate, & maiori intenſione faciat opus non præceptum: ſi item opus conſilij ex ſuo genere melius ſit, vt amor non præceptus, ieiunio præcepto. Si denique operibus præceptorum opera conſiliorum addantur; quo modo caſtitas abſoluta magis eſt meritoria, & ſatisfactoria, quàm caſtitas coniugalis.

11 Ad argumentum contrariæ ſententiæ dico, poſſe nos vnica ſolutione pluribus debitis ſatisfacere, quoties illa ex peculiari conditione non ordinantur ad res diuerſas. Sic qui ex voto debet dare Calicem Eccleſiæ, ſi accedat præceptum Superioris de eodem Calice dando, ſatisfacit debito voti, & obedientiæ dando vnum Calicem: ſicut etiam ſi ex voto debes ieiunare omnibus Feriis ſextis, & Confeſſarius præcipiat ieiunare vnâ ſextâ Feriâ, ſatisfacis vtrique debito illâ eadem feriâ ſextâ: Si verò debita reſpiciant res diuerſas, non ſatisfacis vnica ſolutione; vt ſi debebas Franciſco viginti, & rurſus fureris ei alia viginti, non ſatisfacis reddendo viginti tantùm, quia ille habet minus in bonis quadraginta, & debes ponere æqualitatem, faciendo quod nihil minus Franciſcus habeat, quàm deberet habere. Idem probant duo priora exempla in argumento propoſita: Tertium verò exemplum quod traditur de voto, pendet ex intentione vouentis; ſi enim vouit etiam opera præcepta, vtique per ea ſatisfaciet iuxta eius intentionem. Idem dico de alio vltimo exemplo de pœnitentia à Confeſſario iniuncta; nam eodem modo id pendet à Confeſſarij intentione; poteſt enim etiam Confeſſarius imponere opera aliàs præcepta, vt dicemus *diſput. ſequenti*. Quòd ſi nihil explicet, abſolutè intelligendum eſt imponere opera, quæ aliàs præcepta non ſunt.

SECTIO IV.

Vtrùm per ſola opera pœnalia poſſimus ſatisfacere pro pœna temporali reſtante poſt remiſſionem culpæ?

VArias ſententias proponit Suarez *diſp.* 37. *ſect.* 2. 1
quæ ibi videri poſſunt. Ipſe dico *primò*, cum communi ſententia, omne opus ſatisfactorium de condigno pro debito pœnæ, neceſſariò debere eſſe pœnale. Hæc concluſio eſt valdè conformis modo loquendi Concilij Tridentini, quod ſemper ſatisfactionem fieri dicit per opera pœnalia, & laborioſa. Attentè ponderandum eſt Caput octauum *ſeſſionis decimæquartæ*. In quo, inter alia, quibus neceſſitatem & vtilitatem ſatisfactionis valde confirmat, ſic ait primò: *Proculdubio enim magnopere à peccato reuocant, & quaſi fræno quodam coërcent hæ ſatisfactoriæ pœnæ, cautioreſque, & vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt.* Vbi opera ſatisfactoria vocat Satisfactorias pœnas. Secundò docet: *Dum ſatisfaciendo patimur pro peccatis, Chriſto Ieſu, qui pro peccatis noſtris ſatisfecit, ex quo omnis noſtra ſufficientia eſt, conformes efficimur.* Vbi ſupponit ſatisfactionem non niſi patiendo fieri. Tertiò dicit, *Certiſſimam inde ſatisfactionis arrham nos habere; quòd ſi compatimur, & cõglorificabimur.* Quartò ea opera pœnalia vocat, *fructus dignos pœnitentiæ.* Quintò ſeriò animaduertit; *vt Sacerdotes Domini habeant præ oculis, vt ſatisfactio, quam imponunt, non ſit tantùm ad nouæ vitæ cuſtodiam, & infirmitatis medicamentum, ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & caſtigationem.* Notanda ſunt hæc vltima verba. Nam vindicta & caſtigatio propriè fit per pœnam: Vnde in Purgatorio animæ etiamſi habeant optimos actus interiores, vt Charitatis, Fidei, & Spei; purgantur tamen, & puniuntur pœna; & illa pœna Purgatorij compenſatur ſatisfactione huius vitæ, iuxta diuinam ordinationem poſtulantem vt pœna per pœnam compenſetur. Sextò, Concilium, *can.* 15. illas ſatisfactiones, quas Confeſſarij imponunt in adminiſtratione Sacramenti Pœnitentiæ, appellat Pœnas. Vltimò idem Tridentinũ *eadem ſeſſ.* 14. *can.* 13. ſolùm definit, *Deo per Chriſti merita ſatisfieri pœnis ab eo inflictis, & patienter toleratis, vel à Sacerdote iniunctis, aut ſponte ſuſceptis, vt ieiuniis, orationibus, eleemoſynis, vel aliis etiam pietatis operibus*: de quibus omnibus dicit ſatisfacere, & Pœnarum nomine comprehendi. *Secundò* idem firmatur modo loquendi Sacræ Scripturæ, & ſanctorum Patrum: nam vbicumque exhortantur homines ad ſatisfaciendum pro peccatis, opera pœnalia proponunt. Ioëlis 2. *Conuertimini ad me in toto corde veſtro, in ieiunio, & in fletu, &*

in

Digitized by Google

in planctu. Matth. 11. *Olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egiſſent*, & alibi; eodem modo loquuntur ſancti Patres. Et in Catechiſmo Romano, in explicatione Sacramenti Pœnitentiæ *num.* 74. expreſsè exigitur ad ſatisfactionem, quòd opus pœnale ſit. Denique ratione probatur, quia ſatisfactio eſt actus Iuſtitiæ, quo pœnitens vindicat, & punit in ſe diuinam iuſtitiam: ſed vindicta propriè fit per pœnam: includit enim afflictionem, & punitionē in opere ſatisfactorio vt conſtat. ergo ſi tale opus non eſſet pœnale, non fundaret talem conditionem, & æquitatem per modum ſatisfactionis; ergo ſatisfactio condigna pro pœna temporali reſtante tantùm poteſt fieri per opera bona pœnalia. Firmo idem, quia condigna ſatisfactio pro pœna debita, vt à rigoroſa ſolutione pœnæ debitæ diſtinguitur, qua ipſiſſima pœna ſoluitur, non aliter fit quam efficiendo aliquid condignum ſeu moraliter æquiualens ipſi pœnæ debitæ, placando Iudicem, & impediendo punitionem, qua de cauſa in Tridentino *cap. [illegible] citato* dicitur Exſolutio, & dici poteſt, ac debet Recompenſatio: ſed ſolùm opus bonum pœnale poteſt eſſe condignum, ſeu moraliter æquiualens pœnæ debitæ eo modo quia ipſum ſolùm habet proportionem ad id, cùm ipſum ſolum ſit pœnalitas: ergo per ſolum opus bonum pœnale poteſt fieri condigna ſatisfactio pro pœna temporali debita reſtante.

2 Contrarium ſentit Vaſquez *queſtion. 94. artic. 1. dubio 5.* & inclinat etiam Coninck *diſputatione 10. dubio [illegible] numero* 29. decens, poſſe fieri condignam ſatisfactionem per quæcumque opera bona Iuſti, etiam nō pœnalia, ſi aliqua ſint non pœnalia. Probat, quia ſatisfactio quæ fit Deo pro pœna temporali, vtpote diſtincta à ſolutione non fit ſoluendo pœnam debitam, nec aliquid æquiualens, ſed condignè merendo apud Deū non puniri: At iuſtus quocumque opere bono, quamuis non pœnali condignè meretur apud Deum non puniri, quia quocumque opere meretur gloriam, atque adeò & remiſſionem pœnæ ordinatam ad gloriam, ad quam habet ius; imò non minus quàm opere bono pœnali, quando non pœnale non eſt minus bonum quam pœnale, quia quando non eſt minus bonum, non eſt minus meritorium gloriæ, quia ratione bonitatis eſt meritorium gloriæ, ac proinde non eſt minus meritorium non punitionis. Firmatur, nam per actum amoris Dei, tametſi hic & nunc ſit omninò iucundus, & delectabilis, poteſt quis ſatisfacere pro pœnis debitis; quod certè omnes concedere debent. *Reſpondeo*, condignam ſatisfactionem pro pœna temporali reſtante fieri, efficiendo aliquid condignum, ſeu moraliter æquiualens ipſi pœnæ reſtanti, vt dixi, non tamen fieri ſtrictè merendo de condigno non puniri, quia nullum opus bonum iuſti id meretur ſtrictè de condigno, quamuis ſic mereatur gloriam, quia non punitio non eſt aliquid ex natura rei ordinatum ad gloriam adipiſcendam, ſicut eſt augmentum gratiæ habitualis, quod eſt ius ad maiorem gloriam; & ideò opus meritorium gloriæ, etiam eſt meritorium gratiæ habitualis. Ad confirmationem, reſpondeo actum amoris Dei, tametſi hic & nunc ſit omninò iucundus, & delectabilis, eſſe tamen quoque pœnalem, quatenus eſt etiam opus humanæ naturæ corruptæ laborioſum; quæ difficillimè ſe à rebus terrenis perfectè ad Deum conuertit.

Hinc dico *ſecundo*, in ſtatu naturæ lapſæ, in quo nos
3 ſumus, omnem noſtram operationem bonam & meritoriam eſſe ſimul pœnalem, ac proinde ſatisfactoriam. Id etiam notauit Suarez citatus *numero* 8. Quod ſatis indicaſſe videtur Tridentinum *can.* 13. *ſuprà allato*, vbi opera ſatisfactoria vocauit Pœnas; & ſtatim addidit; *Ieiuniis, orationibus, eleemoſynis, vel aliis etiam pietatis operibus Deo ſatisfieri.* Quibus verbis omnia bona opera comprehendiſſe videtur, quaſi omnia ſint pœnalia, & apta ad ſatisfaciendū, prout reuera ſunt. Ratio à priori eſt, quia omne opus bonum & honeſtum, eſt homini laborioſum, & vt ſic eſt pœnale, ac ſenſui repugnans. Patet, quia nullum eſt opus honeſtum, quod non aduerſetur alicui bono delectabili, vel vtili, vel afferat aliquod malum ſecum, alioquin non eſſet liberum, ſi eſſet merum bonum ex parte obiecti, & in exercitio ipſius actus: affert igitur ſemper aliquid difficultatis vincendæ. Quod etiam in iis operibus, quæ maximè videntur eſſe iuxta propenſionem naturæ, locum habet; nam licet in manducatione, aut potu v. g. non ſit difficultas homini famelico, aut ſitibundo; in ipſa tamē rectificatione intentionis difficultas maxima eſt. Negari quoque non poteſt, quòd ſit difficile, eiuſmodi obiecta delectabilia, & facilia non amplecti propter eorum delectationem, ſed propter finem honeſtum, & eleuatum ſuperioris Ordinis; ſemper igitur vincitur aliqua repugnantia, & eſt ibi pœna. Quis etiam non videat, omnem actum honeſtum eſſe actum alicuius virtutis, atque ideò contrarium alicui actui vitij quatenus delectabilis; & conſequenter reprimere concupiſcentiam, ac priuare illius delectatione: ergo reſpondet illi aliqua pœna, & etiam condigna ſatisfactio, ſi cæteræ adſint conditiones ad condignè ſatisfaciendum. Nec refert, quòd in homine ſpirituali & feruente, ac benè affecto, minor, vel nulla appareat interdum repugnantia, aut pœna; id tamen non tollit pœnalitatem operis, cuius ratio, & natura conſideranda eſt, ſed indicat feruorem, & deſiderium patiendi, quo de ipſa paſſione, & pœnalitate gaudet: nam qui cum exultatione ſe verberat, & cruciat, negari non poteſt, quod patiatur, & puniat ſe; qui etiam ex feruenti Dei amore opes ac voluptates relinquit, verè patitur, licet cum gaudio propter amoris vehementiam, quia verè priuat ſe bono aliquo ſenſibili, delectabili, & æſtimabili.

Obiicies, ſi omne opus bonum, & meritorium eſt ſatisfactorium; cur a Theologis tres tantum actus ſatisfactorij numerantur, Oratio, Eleemoſyna, & Ieiunium. *Reſpondeo*, quia virtute continent cætera opera ſatisfactoria; nam ſub Eleemoſyna comprehenduntur omnia bona externa, & fortunæ, quæ homo poteſt offerre in ſatisfactionem; ſub Oratione, ſeu Eleuatione mentis in Deum, bona ſpiritus; ſub Ieiunio, bona corporis.

Ex dictis colligo *primò*, omne opus bonum, cùm ſit 4
pœnale, ex ſe aptum eſſe ad ſatisfaciendum; atque ideò nullum eſſe opus honeſtum, quod Confeſſarius non poſſit in pœnitentiam, & ſatisfactionem imponere: Vnde cùm quilibet virtutis actus ſit pœnalis, conſequenter quilibet eſt aptus ad ſatisfaciendum pro pœna cuilibet peccato debita: non quod in quantitate ſemper ſit æqualis; ſæpe enim peccatum maiorem pœnam meretur, quàm per vnum, vel alium actum virtutis perſoluatur; ſed quod quælibet ſpecies pœnæ ſufficiat, ac proinde multiplicando actus, poſſit tota pœna cuiuſque peccati ſolui, ac compenſari. Ratio eſt, quia Deus non diſtribuit, nec deſignauit quoſdam actus ad ſatisfaciendum pro quibuſdam peccatis, & alios pro aliis, ſed generatim exigit pro peccatis opera virtutis, & ſatisfactionis. Quare ſicut eadem Contritione poſſunt omnes culpæ diuerſæ rationis deleri, ita eadem honeſta virtutis pœna poteſt pro quolibet peccato ſatisfieri. Nec obſtat, quòd in Purgatorio diuerſis peccatis fortaſſe reſpondeant diuerſæ pœnæ; ibi enim fit ſolutio per modum ſatiſpaſſionis, & ideò redditur omninò pœna aſſignata tali peccato; in hac verò vita fit per modum ſatisfactionis, & redemptionis, & ideò redimi poteſt pœnis habentibus eundem valorem, etiamſi ſint diuerſæ rationis.

Colli

Digitized by Google

5 Colligo *ſecundò*, quomodo ſcilicet idem actus, cùm finiti valoris ſit, poſſit ſimul eſſe meritorius, & ſatisfactorius, itavt nec meritum Satisfactionem minuit, nec ſatisfactio meritum: hæc enim duo non ſe impediunt, quominùs per eundem actum fiant, quia ex diuerſis principiis, ſeu conditionibus ipſius actus procedunt: ſicut enim idem actus poteſt eſſe pœnalis, & bonus; ita etiam poteſt eſſe meritorius, & ſatisfactorius: habet enim actus bonus quaſi moralem valorem diſtinctum ad hos diuerſos effectus, nam quatenus eſt bonus & honeſtus, eſt meritorius augmenti gratiæ, & gloriæ, & dat ius ad vtrumque; prout verò eſt pœnalis, aufert reatum pœnæ temporalis, vel illum minuit, & ideò eſt ſatisfactorius: ac proinde hæc duo non ſe impediunt.

6 Vnde infero *tertiò*, tametſi opus omne bonum in homine iuſto ſit meritorium, & ſatisfactorium reipſa, & quaſi materialiter; nihilominùs tamen formaliter, cùm ſatisfactio vt ſatisfactio eſt, ſolùm reſpiciat ablationem, vel diminutionem pœnæ temporalis, & meritum vt ſic reſpiciat præmium gratiæ, & gloriæ, hinc manifeſtè ſequi ablationem, vel diminutionem pœnæ temporalis, quæ ſit per ſatisfactionem vt ſic, nullo modo computari pro parte aliqua præmij correſpondentis merito vt ſic: quia tota virtus, & actiuitas operis, vt eſt meritorium, exhauritur in ordine ad merendam gratiam, & gloriam, ac totus eius valor, & dignitas adæquatè remuneratur per hoc præmium: Vnde reatus pœnæ non impedit id, ad quod meritum dat ius, licet impediat gloriæ accelerationem, quia merita non dant ius ad gloriam ſtatim poſt mortem habendam, ſed ad gloriam poſt purgatam animam ab omni reatu pœnæ.

4 Colligo *vltimò*, vt plenè intelligatur, Satisfacere formaliter non eſſe mereri, manifeſtum diſcrimen inter hæc duo: nam in merito opus externum non auget eius valorem, nec præmium, ſi actus internus non augeatur, vel magis perſeueret, vt latè oſtendi ſupra *tractatu præcedenti*, *diſputatione ſexta*, *ſectione ſeptima*, in Satisfactione autem opus ipſum externum auget eius valorem, vt videbimus *ſectione ſequenti*. Cuius differentiæ ratio hæc eſt; nam ſatisfactionis condignitas ſumitur ex æquitate exigente, vt qui ſe voluntariè caſtigauit, & paſſus eſt laudabiliter pœnam, non cogatur iterùm pati, & torqueri, ne afflicto ſuperaddatur afflictio, ad quod multum facit afflictio & pœna reipſa tolerata: Vnde ſatisfactio non tantùm ſumitur ex bonitate, ſed maximè ex pœnalitate actus; exterior verò actus per ſe affert propriam pœnam, & dolorem: At meritum, & eius condignitas fundatur in æquitate poſtulante, quòd bonitas operis præmietur, vt homines alliciantur ad amorem boni. Quòd ſi ex defectu euentus ſecuti externi, bonitas operis minus præmiaretur, homines minùs allicerentur à præmio propoſito ad ſtudium virtutis, timentes, quòd abſque ſua culpa poſſent conatus, & affectus boni fraudari præmio ob effectum non conſecutum. Oportebat ergo eos hoc metu liberare, ſcientes, voluntatem bonam nullo præmio fraudandam, ob defectum, qui non eſt in poteſtate operantis.

***

SECTIO V.

Vtrùm actus externus, ſeu paſſio externa addat Satisfactionem ſupra actum internum?

Similem quæſtionem tractaui ſuprà *tractatu primo*, *diſputat. 6. ſect. 7.* & dixi actum externum etiam vt eſt actus humanus nihil addere meriti actui interno voluntatis; atque adeò eum qui dat eleemoſynam, non mereri plus, quàm qui illam efficaciter vult dare, & propter defectum pecuniæ eam non dat, ſi voluntas interior vtriuſque ſit æqualis, & æquè bona, ac cæteris paribus. Eandem quęſtionem moueo modò de Satisfactione, an augeatur per opus externum, id eſt per paſſionem externam, atque adeò iuſtus, qui v. g. ieiunat, magis ſatisfaciat, quàm qui vult ieiunare, & non poteſt, ſi actus interni ſint æquales in vtroque, & ſint cætera paria; an potiùs opus, & ieiunium externum non addat maiorem ſatisfactionem ſupra actum internum, cùm Deus in vtroque caſu cor intuatur, & affectum, & in vtroque voluntas debeat coram Deo pro facto reputari. 1

Noſter Cardinalis de Lugo *diſputatione* 24. *ſect.* 4. docet ſatisfactionem augeri etiam per opus, aut paſſionem externam, atque ideò plus extingui ex reatu pœnæ iuſto ieiunanti, quàm volenti ieiunare, ſi quoad actum internum, & reliqua ſint pares. Probat id ex æquitate ſatisfactionis, nam verè æquum eſt, vt non puniatur iterùm ille qui iam ſeipſum voluntariè caſtigauit: at caſtigatio voluntaria includit & voluntatem, & caſtigationem ipſam; atque ideò plus ſe caſtigauit, qui ieiunauit, quam qui voluit ieiunare: hic enim licèt voluerit æquè ſe caſtigare, re tamen ipſa non ſe æquè caſtigauit: ergo non eſt æquale fundamentum æquitatis, vt non iterùm caſtigetur; nam plus mali patitur qui ieiunat, quàm qui ſolam voluntatem habet ieiunandi. 2

In hac re, dico *primò* actum internum virtutis per ſe ſumptum, vel etiam coniunctum cum actu & opere externo, multùm poſſe valere ad ſatisfaciendum pro pœna temporali. In hoc conueniunt omnes, & eſt certiſſimum, quia actus interiores virtutis ſunt optimi, & maximè liberi, & valde difficiles, & laborioſi homini mortali, & pœnales, vt conſtat ex *præcedenti ſectione*. Quod experimur quotidie, præſertim in Contritione, & in ipſa oratione propter mentis attentionem. Quid ergo illis deeſſe poteſt, quominus valeant ad ſatisfaciendum. 3

Dico *ſecundò*, opus externum, ſeu paſſionem externam, quatenus ab interno actu voluntatis bono, morali ac humano modo procedit, valere quoque ad ſatisfaciendum, itavt vim ſatisfaciendi addat actui interiori. Hæc eſt communior nunc Doctorum ſententia: Idque benè probat Cardinalis Lugo ſuprà *Dicto primo*. Et ratio eſt, quia ſatisfactio ſit per pœnam voluntariè ac laudabiliter aſſumptam; ſed in ipſo opere externo eſt diſtincta pœna ab actu interiori, eſtque voluntariè, ac laudabiliter aſſumpta, vt conſtat; ergo. Firmo, nam maior bonitas actus interni voluntatis confert, cæteris paribus, ad maius augmentum meriti: ergo ſimiliter maior pœna voluntaria confert ad maiorem ſatisfactionem, cæteris paribus. Cùm enim hæc ſatisfactio ſit per modum vindictæ, & vltionis ipſius delinquentis, quò maior fuerit vltio, & punitio, eò erit maior ſatisfactio, 4

factio, cæteris paribus. In opere verò, & paſſione externa coniuncta cum actu interno maior eſt pœna, & vltio, quam in ſolo interno: Igitur dicendum eſt, augeri ſatisfactionem ratione actus externi, ſeu paſſionis externæ, non ſolùm quaſi per accidens, quia actus interior ſit intenſior, efficacior, vel diuturnior, ſed etiam per ſe & ratione ſui, quia ipſamet paſſio & pœnalitas externi actus auget ſatisfactionem.

5 Dico *tertiò*, hominem iuſtum per paſſiones, & pœnas, & flagella à Deo miſſa poſſe ſatisfacere pro debito pœnæ, ſi ea mala patienter toleret, itavt non ſolùm per patientiam, ſed per ipſa etiam flagella verè, ac per ſe ſatisfaciat. Id mihi videtur eſſe de Fide cum Suario *diſp.37.ſect. 7. num.* 1. Quia expreſsè illud definiuit Concilium Tridentinum *ſeſſ.14.cap.9.* his verbis: *Docet præterea* (intellige, ſancta Synodus) *tantam eſſe diuinæ munificentiæ largitatem, vt non ſolùm pœnis, ſponte a nobis pro vindicando peccato ſuſceptis, aut Sacerdotis arbitrio pro menſura delicti impoſitis, ſed etiam quod maximum amoris argumentum eſt, temporalibus flagellis, à Deo inflictis, & à nobis patienter toleratis, apud Deum Patrem per Chriſtum Ieſum ſatisfacere valeamus.* Quibus verbis expreſsè docet Tridentinum non ſolum per patientiam internam, ſed per ipſa etiam flagella, & paſſionem ipſam externam patienter toleratam ſatisfieri. Quod liquet *primò*, ex eo, quòd eodem prorſus modo loquitur de flagellis à nobis ſpontaneè ſuſceptis, & de illis aliis: ergo ſicut per flagella à nobis ſuſcepta ſatisfacimus, & non per ſolam voluntatem internam, ita etiam per illa alia. *Secundò*, quia fruſtra omninò, & abſque fundamento Tridentinum commendaſſet largitatem, & munificentiam Dei, in illo modo ſatisfaciendi peculiarem, provt de facto commendauit. Nam ſatisfacere per ſolum actum internum patientiæ, ſecundùm menſuram ipſius actus ſolius, nihil habet ſpeciale ac diuerſum ab alia ſatisfactione, quâ ſatisfacimus amore inimicorum, vel voluntate obſeruantiæ diuinæ legis, cùm ille actus patientiæ internæ non minùs ſit à nobis, nec minus ſcit aptus, & potens; vnde non eſt, cur magis appareat munificentia Dei in acceptanda ſatisfactione, quæ illi actui correſpondet. Igitur Concilium non loquitur ſolùm de patientia interna, ſed de paſſione ipſa, & pœna externa, in cuius acceptatione, quia non eſt à nobis illa paſſio, magis commendatur Dei benignitas, & beneficentia. Tandem ſi ſolùm nos ſatisfacimus per actum internum, nimis impropriè diceretur, quod nos ſatisfacimus illis pœnis, & flagellis, ex eo quòd hæc ſint obiectum patientiæ, & acceptationis, nam aliàs etiam poſſemus dicere quod ſatisfacimus per diuina beneficia, per creationem, per beatitudinem; quia hæc & ſimilia poſſunt eſſe obiecta actuum virtutis, quorum exercitio ſatisfacimus. Quæ omnia tradit, & rectè ponderat Cardinalis Lugo *diſp.24.ſect.5.* Quomodo verò paſſio illa quæ à nobis non procedit, vt ægritudo, perſecutio, & ſimilia, poſſit eſſe ſatisfactio, licet per illam qui patitur, nullo modo videatur ſeſe laudabiliter caſtigare, cum ipſe nullo modo ſit cauſa illius pœnæ, ſed potiùs paſſiuè ſe habeat: benè declarat Cardinalis Lugo *ibidem*, & Suarez *diſp. 37. ſect. 7.*

6 Dico *vltimò*, cum his grauiſſimis Doctoribus tametſi homo iuſtus ab extrinſeco patiatur eam pœnam, dummtamen illam voluntariè ſuſcipit, & offert Deo, facere eam ſuam moraliter; idque ſatis eſſe, vt per illam ſatiſfaciat. Probatur, nam qui patienter acceptat Dei flagella, eo ipſo conſentit Deo in illa punitione, & quantum eſt de ſe, vult Deo cooperari ad illam: Quare licet re ipſa nõ ſit cauſa flagelli, eſt tamẽ æquiualenter cauſa in cõſpectu Dei, quia æquitati conſonũ eſt, vt qui iudici punienti conſentit, nec vllo modo repugnat, mitiùs puniatur: Vnde licèt voluntariũ propriè nõ ſit, niſi quod procedit à voluntate; per illã tamen acceptationẽ, & patientiam fit quaſi voluntaria, hoc eſt æquiualẽter noſtra illa flagellatio, quatenus cõſentiendo Deo in illa punitione, offerimus quaſi nos ipſos ad cooperandum poſitiuè, ſi Deus ita voluerit; Vnde valor ſatisfactionis non conſiſtit in hoc, quòd ipſe dolor, ſeu pœna à nobis veluti actione phyſica fiat, ſed multò magis in hoc, quòd propter Deum ſuſtineatur, & voluntariè illi offeratur: ergo idem fiet in his flagellis, vt per illa ſatisfaciamus, quia moraliter non minus graue eſt ſuſtinere flagella extrinſecus illata, quàm a ſe. Firmo, nam licèt homo ab extrinſeco patiatur infirmitatem, bellum, famem, & alia omnia flagella ex quibuſcumque cauſis proueniant, dum tamen ea voluntariè acceptat, & offert Deo, moraliter facit ea propria. Firmo, exemplo Chriſti Domini, & paſſionum eius: ait enim Tridentinum *ſeſſ. 14. c. 8. Dum ſatisfaciendo patimur pro peccatis, Chriſto Ieſu, qui pro peccatis noſtris ſatisfecit, conformes efficimur*: ſed Chriſtus per paſſiones ſuas extrinſecus illatas ita ſatisfecit, vt non ſolùm interior actus, quo illas acceptabat, & offerebat Patri, ſed etiam ipſi dolores, & pœnæ corporales eſſent ſatisfactoriæ, etiãſi Chriſtus illas in ſe non efficeret, ſed ab aliis illatas ſuſtineret: ergo ſimili modo nos ſatisfacere valemus per paſſiones, & flagella aliunde illata.

7 Hinc colligo *primò*, cæteris paribus, plus ſatisfacere qui maiorem pœnam patienter ſuſtinet; cùm conſtet iam ipſam pœnam per ſe, & ratione ſui ad ſatisfaciendum conducere.

8 Colligo *ſecundò*, magis ſatisfacere, qui patitur vt innocens, quàm qui malefactor, etiamſi ipſa pœna ſit æqualis. Patet, quia habet maiorem improportionem, & ideò maiorem rationem mali.

9 Colligo *tertiò*, fieri poſſe, vt quis plus ſatisfaciat per hanc pœnam toleratam, quàm per ipſam ſponte ſuſceptam. Ratio eſt, quia licet pœna ex ea parte, quâ eſt magis voluntaria ac libera, magiſque propria, ſit magis ſatisfactoria; tamen ex parte difficultatis, quæ eſt in ſuſtinendis paſſionibus extrinſecè aduenientibus, multùm excedere poteſt hæc pœna tolerata, præſertim ſi cum illa ſit aliqua iniuria coniuncta.

SECTIO VI.

An actus externus, ſeu paſſio externa, vt ſit fructuoſa, & ſatisfactoria, requirat permanentiam actus interni voluntatis?

1 RAtio dubitandi eſt, quia videtur pars affirmans amplectenda, nam ſolùm eo tempore, quo durat actus interior voluntatis, videtur illa paſſio externa eſſe voluntaria, & libera; quia cùm non procedat ab actu voluntatis, ſed ſolùm ſit veluti obiectum eius, ceſſante actu, illa paſſio externa non erit voluntaria. In contrarium verò eſt, quia durum eſt affirmare, eum, qui graues pœnas patitur non ſatisfacere, niſi dum actu acceptat illas pœnas.

2 Cardinalis de Lugo *diſp.24. ſect.4. num.48. & ſequentibus*, docet duo. *Primum*, non requiri permanentiam voluntatis ad augmentum nouum ſatisfactionis per paſſionem externam, quamdiu homo ex voluntate laudabili præcedenti patitur de nouo.

Probat *primò*, quia quando adeſt præſens illa voluntas, paſſio externa addit nouam ſatisfactionem ſupra eam, quam attulit voluntas interna, vt oſtenſum eſt etiam à nobis *præcedenti ſectione*: ergo etiam tempore ſequenti paſſio externa durans augebit ſatisfactionem, licet iam non adſit voluntas interna. Conſequentia

probatur,

Digitized by Google

probatur, quia actus externus provt condiſtinctus ab interno, non addit nouam libertatem, ſed procedit neceſſariò, & tamen addit ſatisfactionem, quia eſt effectus voluntatis liberæ; ergo ſimiliter tempore ſequenti ob eandem rationem addit nouam ſatisfactionem: quòd enim ſit effectus voluntatis liberæ præſentis vel præteritæ, quid refert ad prædictum ſatisfactionis augmentum?

Secundò, caſtigatio externa ferè nunquam procedit à voluntate præſenti, provt nunc præſenti, ſed provt præceſſit antè: Nam voluntas, verbi gratia, cùm applicat manum ad flagellationem, manus eleuata, & flagellum vibratum, accepto impetu, vel impulſu, percutit independenter in ipſo ictu à voluntate præſenti, ſed dependenter à voluntate præterita, à qua accepit illum impulſum; & tamen homo non ſatisfacit per eleuationem brachij, & per flagellum vibratum, ſed per dolorem, eiuſque ſenſum, qui poſteà conſequitur; alioquin ſi carnem non percuteret, ſed pauimentum ex errore, non minùs ſatisfaceret; igitur ſatisfactio non deſumitur neceſſariò à voluntate præſenti, ſed poteſt ſufficienter prouenire à voluntate præterita.

Tertiò, per illam paſſionem externam tempore ſequenti conſecutam homo denominatur ſe voluntariè caſtigans, & illa eſt caſtigatio humana; nam actus dicitur humanus, qui vt procedit ab homine, procedit ab alio operante cum aduertentia, & ratione, licèt ipſius paſſionis tempore non ſit talis fortaſſe aduertentia; quia procedit ab homine, provt priùs operans cum aduertentia applicuit cauſas, ex quibus nunc conſequatur paſſio: ergo eſt verè caſtigatio humana.

Secundum docet conſequenter, ſatisfactionem augeri per dolorem, aut paſſionem cauſatam, tempore quo homo iam dormit, ex voluntate libera, & honeſta præcedenti: vt ſi quis velit dormire cum cilicio verbi gratia, etiam dum dormit, & patitur illud incommodum, vel dolorem, ſatisfacit. Probat, quia tunc etiam illa paſſio eſt voluntaria à voluntate præcedenti, quod ſufficit, vt homo dicatur ſe voluntariè, & laudabiliter caſtigaſſe. Sic enim, inquit, qui venenum tribuit Petro, licèt dormiat quando Petrus illud bibit, adhuc dicetur verè homicida, & illa occiſio erit actio humana: ergo ſi dediſſet aliquid doloris cauſatiuum eodem modo, fuiſſet etiam vexatio, & actio humana: ergo ſi teipſum eodem modo affligas, licèt dormias tempore quo pateris dolorem, & cruciaris cum ſenſu cruciatus, verùm erit quòd te cruciaſti, & te caſtigaſti humano modo; cùm nulla poſſit aſſignari differentia. Hoc idem confirmat, quia ſi alicui a Confeſſario imponatur, quòd vna nocte humi cubet, ſi ipſe ita dormiens, ſtatim ab aliis ſuper lectulo molli collocetur, verè non ſatisfecit præcepto Confeſſarij, ſed debet adhuc alia nocte humi cubare: ergo poterit etiam dormiens ſatisfacere, alioquin illa ſecunda cubatio humi ad nihil proderit ex opere operato: non poteſt enim eleuari ad ſatisfaciendum ex opere operato id, quod ex ſe non eſt aptum ad ſatisfaciendum ex opere operantis; ſi autem non poteſt operari ex opere operato, non tenetur id poni pœnitenti ex præcepto Confeſſarij, qui ſolùm poteſt præcipere id, quod eſt vtile ad ſatisfaciendum.

Ex his concludit Cardinalis Lugo *numero* 52. paſſionem tempore ſomni non eſſe humanam, ſed terminum, ſeu effectum actionis humanæ præcedentis, nihilominùs tamen ſatisfieri non ſolùm per actionem humanam; ſed etiam per effectum illius, quia ex actione humana præterita, & hoc effectu non humano poſteà conſequuto conflatur caſtigatio humana.

3 Suarez verò *diſp.* 37. *ſect.* 7. *num.* 13. ſentit, veriſimile eſſe, non eſſe neceſſarium, vt interior actus voluntatis continenter duret phyſicè, vt paſſio exterior ſit fructuoſa, ſed ſatis eſſe, vt moraliter durare cenſeatur: iudicabitur verò durare moraliter, quando & actus interior cecidit in totam illam paſſionem externam, quam homo humano modo ſentit, & patitur, quámque ex vi illius actus patienter ſuſtinet, nec repugnat, aut obmurmurat. Quare prædicta paſſio exterior tandiu erit fructuoſa, quandiu prior actus interior voluntatis non eſt per contrarium actum retractatus, & illius virtus adhuc moraliter durat.

Adhæreo huic doctrinæ. Ad cuius maiorem explicationem. Dico *primò*, non eſſe neceſſariam permanentiam actus voluntatis actualem, ſed ſufficere virtualem. 4
In hoc ferè omnes conueniunt: Quia hæc virtualis intentio ſufficit ad operandum moraliter, & humano modo; & communis modus agendi in hominibus hic eſt; hoc enim modo validi ſunt contractus, teſtamenta, donationes, vota, & alij actus humani. Idem igitur dicendum de prædictis paſſionibus externis, quæ licet dum fiunt, non ſit in reipſa actualis aduertentia, & intentio, propter naturalem inaduertentiam, vel diſtractionem ad alia negotia; ſufficiet tamen quòd tunc ſit virtualis in eo conſiſtens, quòd cenſeatur actualis intentio præcedens perſeuerare moraliter, & humano modo in illa paſſione externa, quatenus dimanat ex actuali, & formali intentione præterita, & fit ratione illius: Vix enim fieri poteſt, vt homo aliter operetur humano, & ordinario modo. Et vt ſuprà dixi *num.* 1. eſſet duriſſimum affirmare, eum qui graues pœnas patitur, non ſatisfacere, niſi dum actu vult & acceptat illas. Quid verò ſit hæc intentio virtualis, & quam virtutem relinquat illa prior intentio actualis influentem in actum externum, illúmque reddentem humanum, & liberum; latè oſtendi ſuprà *tractatu primo, diſputatione* 10. *ſect.* 3. à *n.* 4. vſque *in finem*.

Dico *ſecundò*, intentionem merè habitualem non ſufficere ad reddendam paſſionem externam fructuoſam, & ſatisfactoriam. Ita omnes: Ratio eſt, quia 5
prædicta intentio non influit, nec influere poteſt in dictam actionem pœnalem, quia ea debet eſſe moralis, & humana actio; talis verò eſſe nequit, niſi procedat ab aliquo actu interiori voluntatis, vt dicatur ab illo fieri: vocatur enim habitualis in hac materia, quæ actu nec eſt, nec fuit circa rem, quæ per eam intendi dicitur, nec circa rem aliam habentem cum ea connexionem: Vnde ſicut ex habitibus præcisè nulla procedit actio bona, vel mala; neque enim habitibus meremur, nec demeremur: ita ex illis nulla procedit actio humana, & libera. Videantur dicta ſupra *diſputatione decima citata, ſectione quarta*.

Dico *tertiò*, non augeri ſatisfactionem per dolorem, 6
aut paſſionem cauſatam tempore, quo homo iam dormit, ex voluntate libera, & honeſta præcedente: vt ſi quis velit dormire cum cilicio, v. g. dum dormit, vel ebrius eſt, non ſatisfacit. Ratio eſt, quia paſſio illa cilicij tempore ſomni ſeu ebrietatis non eſt humana, tametſi procedat ex antecedenti libera voluntate dormiendi cum cilicio, quia illa paſſio tempore ſomni facta non procedit ab homine conſtituto in ſtatu humano: ergo nequit coniungi humano modo cum voluntate præcedente: vnde illa voluntas libera, quæ præceſſit, nullo modo cenſetur moraliter perſeuerare tempore ſomni, vel ebrietatis; nam deſinit, vbi primùm homo ſtatum humanum amittit, vt etiam contingit quando homo moritur. Firmo, nam ex doctrina communi quam etiam defendit Cardinalis de Lugo, *de Sacramentis, diſput.* 8. *ſect.* 6 qui præuidet, & habet animum dicendi conuitia in aliquem, tempore ebrietatis, vel ſomni, non cenſetur iniuriam facere, vel conuitiari: vnde etiam periurium

rium ebrij,vel dormientis,etiam præuiſum,& anteà intentum non habet formaliter malitiam periurij, quia non ſunt actiones,vel locutiones humanæ, nec procedunt ab homine conſtituto in ſtatu humano:ergo idem dicendum de paſſione externa cilicij tempore ſomni, vel ebrietatis,licèt fuerit præuiſa, & intenta anteà, ob eandem omninò rationem.

Obiicies:ſi quis voluntariè ſe inebriat, volens furore vini occidere inimicum,vel eius bona diripere,& verè in eo ſtatu occidat, vel diripiat, ſi peccata illa eſſent reſeruata, vel haberent cenſuram annexam, contraheret reſeruationem, vel cenſuram: ergo idem dicendum in noſtro caſu,bona opera prouenientia paſſione externa,tempore ſomni,vel ebrietatis,anteà præciſa,& volita, eſſe quoque è conuerſo ſatisfactoria. *Reſpondeo*, eſſe diſparem rationem, quia iuſtitia, cui ea peccata opponuntur, non ſolùm prohibet occidere, & furari, ſed etiam cauſam apponere, ex qua eiuſmodi damna proximè inferantur; ac proinde tam erit contra præceptum iuſtitiæ, ponere homicidia, & furta formalia,quam abſque illis ponere effectum ipſum:vnde talis occiſio,vel furtum,tametſi non ſit formaliter peccatum homicidij,vel furti,quia non eſt in ſe voluntarium,& liberum, eſt tamen effectus eiuſmodi peccati. At pœnitentia externa,vel ſatisfactio debet eſſe actio humana, & libera,debetque procedere ab homine in ſtatu humano conſtituto, quia neſſariò debet eſſe laudabilis,qualis non eſt,nec poteſt eſſe pœnitentia,vel paſſio externa cilicij tempore ebrietatis,vel ſomni adducta,cùm in eo ſtatu laudabilis eſſe nequeat.

7 Ad argumenta Cardinalis de Lugo quibus probat ſuum primum Dictum, noſtræ doctrinæ oppoſitum. Ad primum, conceſſo Antecedente, negatur Conſequentia, quia quando non adeſt præſens voluntas interna, nec virtualiter,nullus actus internus influit,nec influere poteſt in actionem externam, etiam virtute:at hæc debet eſſe moralis, & humana actio: talis verò eſſe nequit niſi procedat ab aliquo actu voluntatis, vt dicatur ab illo fieri; atque ideò debet procedere vt ſit humana ex intentione ſaltem virtuali voluntatis.

Ad ſecundum,ſimiliter dico caſtigationem externam debere procedere ab homine, prout ſaltem virtualiter operante, cum aduertentia etiam virtuali; vt verè contingit cùm ſatisfecit per dolorem, ciúſque ſenſum cauſatum per eleuationem brachij, & per flagellum vibratum:vnde talis caſtigatio non prouenit ſufficienter à voluntate iam omninò præterita,nec virtualiter exiſtente.

Ex quo patet ad tertium; negandum enim eſt illam caſtigationem eſſe humanam, cùm nequeat eſſe actus humanus, quia deberet procedere ab homine prout ſaltem virtualiter aduertente, & operante: deficiente autem omninò totali aduertentia,vt verè deficit tranſacta omninò voluntate interna præterita, non eſt,nec verè cenſeri debet caſtigatio humana, & laudabilis.

8 Ad aliud ſecundum Dictum Cardinalis de Lugo, &ad Argumentum in eius probationem adductum, dico,eum qui vult dormire cum cilicio, dum vigilans ſentit illum dolorem,vel incommodum, verè ſatisfacere laudabiliter;non verò dum dormit, nec ſentit illum dolorem,ratione ſomni,quia tunc illa paſſio externa deſinit eſſe voluntaria, & humana, ac libera, & ideò tunc nec voluntariè,nec laudabiliter ſe caſtigat,vt conſtat ex noſtro Dicto 3. Ad illud verò quod ſupponit,illum qui venenũ tribuit Petro,licèt dormiat ille, quãdo Petrus illud bibit,dici verè homicidam, & illam occiſionem eſſe actionem humanam, dico vtrumque eſſe falſum: nam inprimis falſum eſt dici in rigore verè homicidam,ſed ſolùm dediſſe cauſam occiſioni Petri, quia formale homicidium non eſt contractũ in ſõno, vel in ebrietate, neque eſt peccatum formaliter, eo modo quo actus exterior malus manens ſub poteſtate & libertate noſtra cenſetur eſſe peccatum formale, vt latè oſtendi in materia *de peccatis*. Cuius rei hanc rationem adhibui, quia tandiu actus externus eſt capax malitiæ moralis, quandiu liber eſt, & humanus: eſt enim voluntarium & liberum bonitatis, & malitiæ fundamentum; atque adeò quando opus externum malum ſemper manet liberum, & ſub noſtra poteſtate, ſemper eſt formaliter peccatum:at homicidium quod fit in ſomnis,aut in ebrietate, non habet libertatem in ſe, ac proinde non eſt formaliter peccatum, quia dum fit, non exercetur humano, & libero modo: ſolùm ergo eſt liberum & peccatum in cauſa; ideoque propriè loquendo,dicitur ſolùm effectus peccati præteriti, non verò peccatum formaliter. Similiter dico in noſtro caſu, ſi quis ſeipſum affligat cilicio, tempore quo dormit, nec patitur moleſtiam, nec ſentit dolorem,non ſe caſtigat humano modo, quia nõ liberè patitur illud incommodum;atque ideò vexatio illa pro illo tunc non eſt voluntaria,nec humana. Præterea exemplum illud Confeſſarij,quod affert, magis fauet noſtræ Doctrinæ; nam ſi Confeſſarius pœnitenti imponat præceptum,vt vna nocte humi cubat, ſi ipſe ita dormiens,ſtatim ab aliis ſuper lectulo molli collocetur, ideò verè non ſatisfecit præcepto Confeſſarij; quia nullam eſt paſſus afflictionem, nullum dolorem, nec incommodum in humi cubatione, vnde nec potuit eſſe laudabiliter ſatisfactoria,ac propterea debet alia nocte humi cubare.Similiter dicimus nos,ſi quis velit ex deuotione cubare humi tempore ſomni,& ipſe toto illo tempore profundè dormiat ſine vllo incommodo, nec moleſtia,hæc certè cubatio externa non erit fructifera, nec ſatisfactoria.Neq;inde rectè infertur,cubationẽ humi,tempore ſomni,nõ poſſe in pœnitentiam imponi;nã cõmuniter,ac ordinariè loquẽdo,prædicta humi cubatio apta eſt ad ſatisfaciendũ:quandoquidem impedire ſolet ſomnum,vel illum tranſigere cum moleſtia, & incommoditate,ac pœnalitate,quę verè ſentiatur;atq;ideò cẽſetuŗ eſſe externa paſſio laudabilis,& ſatisfactoria. Tandem dico paſſionem iſtam externam tempore ſomni in dormiente, non ſolùm non eſſe humanam,tametſi ſit effectus actionis humanæ internæ;verùm etiã neq; ex illa actione interna pręterita,& hoc effectu non humano poſteà conſecuto conflari caſtigationem humanam laudabilem, & ſatisfactoriam:ſicut neque ex actu interno libero,& ex actu externo non libero,non fit vnus actus moralis,& humanus.

SECTIO VII.

An neceſſarium ſit, vt opus per quod ſatisfacimus de condigno, debeat eſſe ſupernaturale, & ex aliqua actuali gratia profectum?

IAm conſtat ex Sectione ſecunda, vt opus ſit ſatisfactorium ſimpliciter apud Deum,id eſt de condigno,neceſſarium eſſe,vt procedat ab habente gratiam habitualem ſanctificãtem;nunc quærimus,an ſit quoq; neceſſaria actualis gratia auxilians: videtur enim ſufficere ad ſatisfacendum pro pœna temporali opus morale naturalis ordinis; Nam licèt ad meritum præmij ſupernaturalis neceſſarium ſit opus ſupernaturale procedens ex actuali gratia,tamen ad merendum temporale præmiũ,opus morale,& naturalis ordinis videtur 1

ſufficere

ſufficere, cùm ſit proportionatum tali præmio; hoc autem meritum ſatisfactionis ſolùm videtur eſſe cuiuſdam præmij temporalis, ſcilicet remiſſionis pœnæ temporalis: ergo.

2 Dico *primò*, vt opus ſit ſatisfactorium de condigno, neceſſarium eſſe, vt ab actuali gratia procedat. Ita communiter Doctores: Probatur efficaciter *primo*, ex Concilio Tridentino *ſeſſ.* 14. *cap.* 8. Vbi poſtquam docuit, *dum ſatisfaciendo patimur pro peccatis, Chriſto Ieſu, qui pro peccatis noſtris ſatisfecit, ex quo omnis noſtra ſufficientia eſt, conformes efficimur*: requirit ad faciendum opera ſatisfactoria pro pœna temporali, quæ, remiſſâ culpâ, manet, actualia auxilia gratiæ, his verbis: *Neque verò ita noſtra eſt ſatisfactio hæc, quam pro peccatis noſtris exoluimus, vt non ſit per Chriſtum Ieſum; nam qui ex nobis tanquam ex nobis nihil poſſumus, eo cooperante, qui nos confortat, omnia poſſumus. Ita non habet homo vnde glorietur; ſed omnis gloriatio noſtra in Chriſto eſt, in quo viuimus, in quo meremur, in quo ſatisfacimus.* Hæc Tridentinum. Cuius verba ſi rectè ponderentur, ad omne opus ſatisfactorium, apertè dicunt neceſſarium eſſe actuale auxilium gratiæ. Idem probatur ex Scriptura Sacra, præſertim verbis illis Chriſti Domini Ioan. *cap.* 15. *Ego ſum vitis, vos palmites: qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum.* Hic autem fructus in meritis, & ſatisfactionibus maximè conſiſtit. Addit autem Chriſtus Dominus rationem. *Quia ſine me nihil poteſtis facere*: nihil videlicet quod inter illos fructus computari poſſit. Igitur ſine Chriſto nihil meriti, nec ſatisfactionis facere poſſumus. Illud verò, *Sine me*, intelligunt Concilia, & Patres; id eſt ſine auxilio meo, ſine excitatione, & cooperatione mea: ergo quodlibet opus meritorium, & ſatisfactorium ſub illa ſententia Chriſti comprehenditur. Ratione denique idem oſtenditur, quia licèt ſatisfactio formaliter non ſit meritum, imitatur tamen rationem meriti; & omne opus iuſti ſatisfactorium eſt ſimul realiter meritorium, vt conſtat ex dictis ſuprà *ſect.* 4. At negari non poteſt, opus meritorium de condigno vitæ æternæ, vel alicuius doni quod ad illam conferat, neceſſarium eſſe, vt ab actuali auxilio gratiæ procedat; nam id expreſsè aſſerit Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 6. *cap.* 16. vbi poſtquam docuit iuſtos ſuis bonis operibus mereri vitam æternam, rationem reddit his verbis: *Cum enim ille ipſe Chriſtus Ieſus tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites in ipſos iuſtificatos iugiter virtutem influat, quæ virtus bona eorum opera ſemper antecedit, & comitatur, & ſubſequitur, & ſine qua nullo pacto Deo grata, & meritoria eſſe poſſunt, nihil ipſis iuſtificatis ampliùs deeſſe credendum eſt, quo minus vitam æternam promeruiſſe cenſeantur.* Hæc Tridentinum, vbi cùm dicit, illam virtutem ſemper antecedere, comitari, & ſubſequi bona opera iuſtorum, apertè alludit ad auxilia præuenientia, comitantia, & ſubſequentia: & cùm dicit Chriſtum, influere hanc virtutem, ſicut vitis in palmites, planè loquitur de influxu auxilij actualis gratiæ.

3 Dico *ſecundò*, omnem actum ſatisfactorium eſſe aliquo modo ſupernaturalem, ſicut & actum meritorium. Ita Suarez *diſputatione* 37. *ſectione* 3. *numero* 3. & fauet D. Thom. *diſputatione* 15. *quæſtione* 1. *articulo* 4. *quæſtione* 1. qui vult cum ſatisfactione ſimpliciter eſſe coniunctum aliquod meritum. Imò noſtra ſatisfactio eſt per modum meriti, quia non eſt per exactam pœnæ inflictionem, ſed per quandam recompenſationem proportionatam ſecundùm moralem valorem, & exiſtimationem: atque ideò ſicut ad meritum neceſſarium eſt opus aliquo modo ſupernaturale, ita etiam ad ſatisfactionem. Et ratio à poſteriori eſt, quia quando opus tale eſt, vt ſemper, & in ſingulis, ac per ſe neceſſarium ſit auxilium gratiæ ad illud perficiendum, ſignum eſt tale opus eſſe ſupernaturale; nam quando opus eſt merè naturale, per ſe fieri poteſt per naturalia principia, & auxilia; quod ſi interdum fieri non poteſt ſine auxilio gratiæ, eſt quaſi ex accidenti propter difficultates, vel impedimenta ex peccato exorta: Vnde quia illæ difficultates poſſunt interdum in particulari ceſſare, non eſt illa neceſſitas tanta, vt non poſſit aliquis talis actus ſine auxilio gratiæ interdum fieri. Cum ergo in opere ſatisfactorio, ſicut & in opere meritorio, id non contingat, ſed neceſſitas auxilij gratiæ per ſe, ac ſemper, & in ſingulis operibus requiratur, neceſſe eſt, vt id proueniat ex aliqua ſupernaturalitate operis ad ſatiſfactionem, ſicut & ad meritum requiſita. A priori idem oſtenditur, quia media debent eſſe fini proportionata, opus autem ſatisfactorium eſt eiuſdem ordinis cum illo; at finis accelerationis æternæ beatitudinis eſt ſupernaturalis: ergo & medium quod eſt opus ſatisfactorium, debet quoque eſſe ſupernaturale, & eiuſdem ordinis cum illo fine. Simili enim diſcurſu probatur, eſſe aliquos actus ſupernaturales, & diſpoſitiones ad gratiam debere eſſe ſupernaturales; & ad primum auxilium gratiæ non poſſe diſpoſitionem præcedere, quia deberet eſſe naturalis. Dixi *opus ſatisfactorium debere eſſe aliquo modo ſupernaturale*; quia id ſolùm nunc intendo. Quis verò ſit ille modus, & qualis ſit, ſtatim dicam, declarando in particulari actus ſatisfactorios.

Dico *tertiò*, tametſi actus charitatis ſint apprimè ſatisfactorij, non tamen ſoli, ſed etiam actus aliarum virtutum ſupernaturalium. Hoc etiam concedunt communiter Doctores. Prima pars eſt per ſe nota, quia actus eliciti à Charitate, ſunt excellentiores actus, & Deo gratiores; ergo maximè ſunt per ſe, & intrinſecè de condigno ſatisfactorij, non ſecus ac meritorij. Secunda pars etiam liquet, quia omnes actus virtutum infuſarum facti ab homine grato abſque vlla alia relatione, quæ per actum Charitatis illis extrinſecè adueniat, ſunt meritorij de condigno ſupernaturalis beatitudinis, quia ſunt quoad ſubſtantiam ſupernaturales, & ex intrinſeca natura ſua habent, vt procedant à Deo tanquam à primo agente ſupernaturali, & tendant in Deum finem ſupernaturalem; nam vltimus finis ſemper proportionatur primo principio: vnde iſti actus ex ſe ſunt media proportionata ad tendendum in illum finem, & ex ſe habent ſufficientem proportionem ad illud meritum, atque ideò nulla indigent alia relatione per actum Charitatis; ergo potiori iure idem dicendum de illis vt ſint ſatisfactorij pro pœna temporali, quia magis eſt mereri vitam æternam, quàm ſatisfacere pro pœna temporali: Vnde poteſt quis pro altero condignè ſatisfacere, non tamen alteri gratiam, vel gloriam de condigno mereri. 4

Dico *vltimò*, actus moralium virtutum acquiſitarum, vt ſint ſatisfactorij, non ſatis eſt, quòd ſint ab homine grato, ſed debere fieri ex aliquo motiuo, & imperio ſupernaturali. Id communiter docent Doctores, vt ſint meritorij. Ratio eſt, quia ſi huiuſmodi actus morales aliter fiant, ſcilicet ex pura ratione, & honeſtate naturali, ſine actuali influxu gratiæ nequeunt eſſe meritorij, nec ſatisfactorij de condigno, quia oſtenſum iam eſt, nullum actum meritorium fieri poſſe ſine ſpeciali auxilio gratiæ. Quòd ſi actus virtutis acquiſitæ, & conſequenter bonus ex ſolo motiuo naturali non ſufficit ad meritum, neque ad ſatisfactionem de condigno, euidens eſt neceſſarium eſſe, vt bonitas ſuperioris ordinis, nempe ſupernaturalis, addatur illi, hæc autem addi non poteſt ſine aliquo ſuperiori, ſeu 5

Digitized by Google

ſupernaturali motiuo,vt conſtat;ergo. Ex quo verò motiuo,dicam *ſect.ſeq.*

Ad Argumentum *n.*1.ſuprà propoſitum,iam conſtat non ſufficere ad ſatisfaciendum de condigno pro pœna temporali opus morale ſolius naturalis ordinis;nam etiã diminutio pœnæ Purgatorij eſt magnum ſpirituale bonum,& ad ordinem ſupernaturalem ſpectans,cùm inde acceleretur æterna Dei viſio ; ideóque ad tale bonum promerendum etiam neceſſarium eſt opus aliquo modo ſupernaturale.

SECTIO VIII.

An opus ſatisfactorium de condigno debeat procedere ex motiuo charitatis , vel ſaltem ex motiuo ſatisfaciendi , an potiùs ſufficiat,vt fiat ex quocumque alio ſupernaturali motiuo?

1 Circa primũ motiuũ charitatis, opinio eſt probabilis,neceſſarium eſſe ex parte operantis,vt opus virtutis moralis acquiſitæ ſit meritorium de condigno vitæ æternæ , atque adeò vt ſit ſatisfactorium pro pœna de condigno.

Probari poteſt *primò* quia in Scriptura ſacra promiſſio beatitudinis præcipue ſit charitati vel elicienti , vel ſaltem imperanti. Iuxta illud Paul.1. *Cor.*13. *Charitas patiens eſt, benigna eſt,&c.* Cui adiungit Paul. *Si charitatem non habeam,nihil ſum,nihil mihi prodeſt.* Quod dicit de Charitate operante , vel eliciendo , vel ſaltem operando.

Secundò,opus morale naturâ ſuâ non tendit in proprium finem charitatis;ergo vt in illum tendat, neceſſe eſt vt ab operante per charitatem in illum referatur:ergo eadem relatio eſt ad meritum & ſatisfactionem talis operis neceſſaria, quia vt opus ſit proportionatum tali merito,& ſatisfactioni,oportet vt tendat in illud bonũ, quod eſt maxima merces,tanquã medium in ſuũ finem.

Tertiò, hoc meritum de condigno tam beatitudinis, quàm remiſſionis pœnæ temporalis, maximè fundatur in amicitia ſupernaturali inter Deum & hominem,ſed morale opus non eſt actus illius amicitiæ , niſi ab ipſo amore ſupernaturali charitatis aliquo modo procedat: ergo indiget huiuſmodi relatione.

Vltimò,ſi meritum,& ſatisfactio tribuitur actibus virtutũ infuſarũ;ergo ſolus actus infuſus, & nõ acquiſitus erit meritorius,& ſatisfactorius;nã actus moralis ſi fiat ex motiuo ſupernaturali,eo ipſo eſt actus virtutis infuſæ.

2 Cæterùm,vt latè docui in materia *de gratia* cum cõmuniori ſententia , dico non eſſe neceſſarium ad meritum operis moralis virtutis acquiſitæ,vt fiat ex motiuo charitatis,dummodò fiat ex alio inferiori motiuo ſupernaturali. Ratio eſt , quia licèt iuſtus non habuerit actum charitatis, poteſt per Fidem cogitare de aliis motiuis ſupernaturalibus,verb. grat.de redemptione ſuorũ peccatorum,de ſatisfactione eorum,de excellentia præmij,& ſpe illius,& ſimilibus,quæ per ſe ſufficiunt mouere voluntatem , etiamſi ab altiori motiuo bonitatis Dei nunc non excitetur : ergo poteſt voluntas ex illis motiuis ſupernaturalibus imperare ſibi actus naturales bonos,quia cogitari poſſunt media ad illos fines vtilia, & apta ad merendum & ſatisfaciendũ. Quare ſicut intra ordinem naturæ poteſt homo honeſtè operari , & propter intrinſecam honeſtatem obiecti, & ordinando illam ad alium finem honeſtum eiuſdem ordinis, quãuis Deum etiam vt auctorem naturæ nunquam ſuper omnia dilexerit , neque in ipſum retulerit , vel omnes actus ſuos in generali, vel illos in particulari;ita etiam in ordine gratiæ non repugnat ille modus operandi, ſine vlla relatione ad Dei bonitatem.

Ad Argumenta oppoſita. Ad primum,dico Scripturam 3 Sacram ac D. Paulum ſolùm intendere,neceſſarium eſſe ad meritum,vt opus aliquo modo pertineat ad ſupernaturalem charitatem,& in illa fundetur, ac radicetur; hoc autem habet eo ipſo quòd ſit ex motiuo quocumque ſupernaturali , dummodò fiat ab amico Dei, quia eſt proportionatum amicitiæ diuinæ , & de ſe tendens in finem charitatis,quæ in operante ſupponitur.

Ad ſecundum,ſolum illo argumento probatur, opus morale non eſſe proportionatum merito & ſatisfactioni,niſi ſub aliqua relatione ſupernaturali ex parte operantis fiat; non verò probat, quòd præter hanc relationem ſit neceſſaria propria relatio charitatis procedens ab actu elicito illius,quia prior ſufficit, vt actus ſic factus ſit proportionatus vltimo fini ſupernaturali , & tanquam medium per ſe , & ab intrinſeco tendens in illum.

Ad tertium,concedo meritum hoc & ſatisfactionem fundari in amicitia hominis cum Deo,quam facit gratia ſanctificans;at moralia opera facta ex ſupernaturali motiuo ex ſe, & ex vi illius modi quo fiunt,ſunt opera iſtius amicitiæ, etiamſi non imperentur ab elicito actu amoris Dei : ſicut inter homines qui beneficia confert filio amici,ſolùm quia filius eius eſt, verum opus amicitiæ exercet, etiamſi tunc non eliciat internum actum amoris circa amicum , neque talis actus præceſſerit , aut illum ad beneficium conferendum mouerit.

Ad vltimum, reſpondeo duobus modis poſſe voluntatem operari circa materias moralium virtutum ex motiuo ſupernaturali. *Primò*,vt illud motiuum ſit proximum,& conſtituens proprium obiectum formale talis actus; qui etiam dici ſolet finis intrinſecus eius. *Secundò*, vt illud motiuum ſit tantùm remotum , & non excludens proximum , ſed illud ad ſe referat, tanquam ad finem extrinſecum. Dico ergo ad virtutes infuſas morales pertinere,elicere actus ſuos circa materias morales priori modo : attamen poſſe quoque virtutes infuſas , intendendo ſuum proprium intrinſecum finem, ſeu motiuum , mouere virtutes acquiſitas ad operandum proximè, & immediatè propter ſuam honeſtatem naturalem , ordinando ſimul illum actum, ſibi quidem proprium , extrinſecum autem actui virtutis acquiſitæ, verbi gratia ; poteſt imperare actum eleemoſynæ etiã factum ex miſericordia acquiſita. Hoc ergo modo ſeruata diſtinctione inter actus morales acquiſitos & infuſos, diximus ſuprà ad meritum actuum acquiſitorum neceſſarium eſſe , vt ex motiuo ſupernaturali non intrinſeco , ſed vt ex fine extrinſeco fiant. Hoc autem non reſtringimus ad ſolam relationem charitatis , ſed extendimus ad omnem relationem ſupernaturalem , ac ſubinde ad relationem cuiuſcumque virtutis infuſæ; nulla enim eſt relatio ſupernaturalis , quæ ad aliquam virtutem infuſam non pertineat. Quare ſicut de merito dici ſolet, quòd ſufficiat, vt actus ipſe aliquo modo ſupernaturalis ſit , vel in ſe formaliter , vel ſaltem quòd procedat ab aliqua intentione ſupernaturali ; ita idem dicendum de noſtra ſatisfactione , quæ eſt per modum cuiuſdam meriti,quia non eſt per exactam pœnæ inflictionem, ſed per quandam recompenſationem proportionatam modo aliquo noſtris pœnis temporalibus, ſecundùm moralem valorem,& exiſtimationem.

Circa ſecundum motiuum , quòd opus ſatisfactorium procedere debeat ex formali , & expreſſa intentione ſatisfaciendi, docuit Henricus de Gandauo *quodlibeto* 4. *quæſt.*18. Quod probat , quia ſatisfactio eſt actus Iuſtitiæ Vindicatiuæ,& Commutatiuæ;at abſque 4

ea

ea intentione non datur actus iuſtitiæ vindicatiuæ, nec ſolutio debiti: ſicut ſi debeas centum Petro, & abſque animo ſoluendi totidem ei dones, non ſoluis debitum, licèt Petrus ex ſua benignitate poſſit illud remittere.

5 Vera tamen, & communis ſententia eſt, quam defendunt Suarez *diſp. 37. ſect. 4. num. 5.* Cardinalis Lugo *diſp. 24. ſect. 3. §. 3.* Fagundez *2. præcepto, lib. 9. c. 2. num.* 4. & alij, non requiri ad opus ſatisfactorium, vt procedat ex voluntate, & formali intentione ſatisfaciendi: Probatur; tum quia nullibi Scriptura ſacra requirit neceſſariò illam formalem intentionem: Tum etiam quia quod ſufficit ad merendum, ſufficit etiam ad ſatisfaciendum, ad merendum autem non requiritur, vt quis ex formali intentione merendi operetur: imò quò magis liberaliter, & abſque intuitu lucri & præmij, aliquis Deum diligit, eò magis præmium meretur, ſed ſatis eſt, vt faciat opus dignum meriti: ergo dicendum eſt de ſatisfactione: Tum denique, quia nullus eſt, qui vel formaliter, vel virtute non intendat conſequi apud Deum omnem ſpiritualem effectum ſuis operibus proportionatum.

Ad argumentum oppoſitum reſpondeo, ſicut ad meritum non requiritur intentio præmij, imò quò magis abſque intuitu præmij quis diligit Deum, eò magis præmium meretur, quia valor meriti fundatur in æquitate, quæ exigit, vt qui benè operatur, laudetur, & præmietur; ita ſatisfactionis valor non fundatur in contractu, vel intentione ſoluendi, ſed in æquitate, quæ exigit, vt qui propter Deum, vel quodlibet motiuum ſupernaturale, laudabiliter iam, & voluntariè paſſus eſt, non iterùm affligatur, & puniatur: ſicut ſi miles propter Regem, ſe mortis periculo expoſuit, vt Regem à periculo eriperet, & in captiuitatem venit, poſtea in patriam reuerſus non cogetur vincula, & pœnam pati propter delictum anteà commiſſum, etiamſi egregia illa facinora ſatisfaciendi causâ non fecerit, ſed ipſius Regis amore: non quia id fundetur in contractu, vel intentione ſoluendi, ſed in æquitate honeſta, quæ exigit, vt ille miles qui propter Regem talia paſſus eſt, non iterùm cogatur pœnam pati ob crimen anteà perpetratum. Addo, ſicut nullus eſt, qui vel formaliter, vel virtute non intendat ſatisfacere pro ſuis peccatis operibus ſuis; idque ſatis eſt, etiam ad rigorem Iuſtitiæ Vindicatiuæ, vel Commutatiuæ, ex parte ſoluentis; ita etiam ex parte Dei acceptantis, eſt promiſſio de condonanda pœna ſub conditione operis condignitatem habentis ad ſatisfaciendum, qualem habet opus ſatisfactorium procedens ex ſupernaturali motiuo, licèt non fiat ex intentione expreſſa ſatisfaciendi.

6 Circa tertium, iam conſtat ex dictis, vt actus morales acquiſiti ſint meritorij & ſatisfactorij de cõdigno in homine iuſto, ſatis eſſe, vt fiant ex quouis motiuo, ſeu imperio ſupernaturali, cuiuſuis virtutis moralis infuſæ, ſiue illud motiuũ pertineat ad obediẽtiam Fidei, ſiue ad fiduciã Spei, ſiue ad cultum Chriſti Domini, Beatiſſimæ Virginis, vel alicuius Sancti; quia ſicut quodlibet ex his, vel aliud ſimile ſupernaturale, ſufficiens eſt, vt opus ſit altioris ordinis, & ſic proportionatum ad meritum, & ad præmium, ita pariter & ad ſatisfaciendũ.

SECTIO IX.

Vtrùm diuina ordinatio, & acceptatio requiratur ad noſtram ſatisfactionem?

1 EXplicatis conditionibus ad ſatisfactionem neceſſariis ex parte operum & perſonæ ſatisfacientis, ſupereſt explicandum quid ex parte Dei, cui ſatisfit, neceſſarium ſit, vt noſtra opera verè habeant vim, & efficaciam ſatisfaciendi de condigno. Duo autem poſſunt in præſenti occurrere. *Vnum eſt*, ordinatio ſeu inſtitutio diuina, quâ voluerit tale opus ad talem ſatisfactionem, vel remiſſionem pœnæ ordinare: Quod etiam explicari ſolet nomine Acceptationis, ſumpto, non pro actu complacentiæ, quo opus dicitur eſſe gratum, & acceptum, (quia hoc modo ſatisfactio Iuſti non poteſt non acceptari a Deo quoad ſpecificationem, id eſt non poteſt ei diſplicere) ſed pro libera Dei acceptatione in recompenſationem pœnæ debitæ in Purgatorio. Eſt enim acceptatio Dei libera, & ordinationem eius requirit. *Aliud* eſt, diuina promiſſio, quâ ſe obligauerit Deus ad remittendam illam pœnam iuſto ſic operanti: Et quamuis communiter Theologi hæc duo non diſtinguant, & vtrumque ſub vna quæſtione concludant; tamen in rigore diuerſa ſunt; nam poſſet eſſe ordinatio & acceptatio ſine promiſſione, ſtatuendo conditiones neceſſarias ad ſatisfaciendum, & nihilominùs non ſe obligando ad remittendam pœnam, ſed liberalitati ſuæ hoc reſeruando: quamuis è contrario non poſſit eſſe promiſſio remiſſionis pœnæ de condigno ſine præuia ordinatione conditionum neceſſariarum ad ſatisfaciendum de condigno; ideò ad maiorẽ claritatem dicam diſtinctè de vtroque, nẽpe de ordinatione ſine promiſſione in hac præſenti Sectione; & de Promiſſione in ſequẽti.

2 Prima opinio, quæ tribuitur Scoto *in diſt. 18. q. vnica §. in iſta quæſtione*, ita neceſſariam putat ad meritum, & ſatisfactionem apud Deum, ipſius ordinationem, vt dicat eam ſufficere vt opus fiat meritorium, vel ſatisfactorium, ſi alioqui ſit opus liberum, & laudabile. Quod probari poteſt, quia valor non eſt aliquid phyſicum, & reale inhærens operi, ſed eſt quid morale conſiſtens in humana æſtimatione: ſic enim moneta accipit valorem ex impoſitione Principis, etiamſi ſit vltra qualitatem materiæ per ſe ſpectatæ: ergo valor operis ſatisfactorij, ſicut & meritorij, maximè augeri poteſt ex extrinſeca Dei impoſitione, ſeu ordinatione.

3 Altera opinio, quæ tribuitur Caiet. 1. 2. q. 114. a. 3. & ſequitur Soto *lib. 3. de natura, & gratia, c. 7.* non requirit dictam ordinationem, quia opera ſatisfactoria quæ oriuntur ex gratia, ex naturâ ſunt, & habent debitam proportionem & condignitatem: ergo non indigent aliqua Dei extrinſeca ordinatione. Firmatur idem; nam oppoſitorum eadem eſt proportionalis ratio; at opus malũ, vt ſit meritorium pœnæ, non eget ordinatione extrinſeca, non enim eſt dignum pœna, quia ordinatur ad illam, ſed potiùs quia dignum eſt pœna, ordinatur ad illam: ergo idem dicendum eſt de opere ſatisfactorio.

4 Dico *primò*, opera ſupernaturalia iuſti viatoris in ordine ad ſatisfaciendum, ſicut etiam in ordine ad merendum, habere de ſe ante omnem Dei ordinationem, & acceptationẽ, valorem, & condignitatem ad redimendã pœnam temporalẽ Purgatorij. Id admittunt modò cõmuniter Doctores; & probatum eſt *ſup. ſect. 1. Dict. 3. n. 5.* Vnde diuina ordinatio, vel acceptatio nõ facit quòd opus ſit melius, & quod de ſe habeat maiorem valorem, ſed ſolùm acceptat id quod de ſe v. g. habet decem ad danda decem pro illo, vel intuitu illius Firmo, nam ſi ex ſe prædicta opera non haberent condignitatem, neque etiam haberent illam accedente Dei ordinatione, vel acceptatione, atq; ideo non ſatisfaceremus per illa opera de condigno, ſed de congruo: ſicut etiam de facto non meretur peccator per contritionẽ gratiam iuſtificationis de condigno, ſed de cõgruo, etiam accedente Dei ordinatione infallibili; quia cõtritio de ſe nõ habet talẽ valorẽ, aut dignitatẽ; & ordinatio Dei nõ facit illã meliorẽ, aut digniorẽ. Similiter nõ ſatisfacimus de condigno, ſed de cõgruo per cõtritionẽ, pro culpa mortali, nec pro

debito pœnæ æternæ, etiam accedente Dei acceptatione, vel ordinatione, propter eandem rationem: ſicut damnatus ad triremes non ſatisfaceret condignè pro pœna ieiunando vno die, licet accederet ordinatio, & acceptatio iudicis.

5 Dico *ſecundò*, tametſi opera Iuſti habeant de ſe prædictum valorem, & dignitatem, non tamen auferrent debitum pœnæ temporalis, ſi non accederet acceptatio Dei, & ordinatio. Ratio eſt, quia iudex ſemper habet ius ad exigendam pœnam illam, quam ipſe imponere velit, & non tenetur ad acceptandam illam, quam reus imponere ſibi voluerit, etiamſi ſit æqualis, & maior; quia iudicis, & non delinquentis eſt, taxare pœnam, ac illam determinare. Poteſt quidem Princeps commutare vnam pœnam in aliam: quæ ſi fuerit æqualis, per illam dicetur reus ſatisfeciſſe æqualiter debito prioris pœnæ; tamen deficiente iudicis voluntate, vel acceptatione, ac Ordinatione, quantumuis reus ſe aliis ſuppliciis voluntariè caſtiget, non manet liber à debito pœnæ per iudicem taxatæ. Sicut ſi quis debeat triticum, & ſoluat oleũ valoris æqualis, non tenetur creditor illud acceptare. Quod maximè confirmatur, quia nec Adamus, nec nos per opera pœnalia, qualiacumque ſint, ſatisfacere poſſumus pro debito moriendi verb. grat. quæ eſt pœna debita ex peccato originali, quia nimirum Deus non vult acceptare vllam ſatisfactionem pro illa pœna. Sic etiã noluit acceptare vllam ſatisfactionem, vel pœnitentiã Dauidis pro pœna quam ei ſtatuerat pro ſuo peccato, quòd moreretur eius filius ex adulterio natus: non ergo extinguitur formaliter reatus pœnæ temporalis per ſolam ſatisfactionem ex parte noſtra exhibitam, ſine libera Dei ordinatione, & acceptatione.

Eandem Concluſionem probo manifeſtè, ac neceſſitatem dictæ ordinationis quaſi à poſteriori; quia de facto interuenit hæc ordinatio diuina, & neceſſaria eſt in noſtris meritis apud Deum, vt communiter ſentiunt Doctores in materia de Merito, & ſatis exprimitur in Concilio Tridentino *ſeſſ.6. cap.16.* ergo hæc ordinatio de facto interuenit quoque in noſtris operibus ſatisfactoriis, ſeu ſatisfactionibus. Atque in hoc ſenſu intelligendum eſt Dictum Tridentini *ſeſſ.14. cap.8.* eſſe neceſſariam Dei acceptationem per Chriſtum ad noſtram ſatisfactionem: Vbi duo docet: *Primum*, per Chriſtum habere nos gratiam & auxilium ad ſatisfaciendum, illis verbis: *Omnis gloriatio noſtra in Chriſto eſt, in quo viuimus, in quo meremur, in quo ſatisfacimus, facientes fructus dignos pænitentiæ, qui ex illo vim habent*: quibus verbis ſufficienter explicat gratiam, & auxilium per Chriſtum datum ad opera ſatisfactoria facienda. *Secundum*, ad noſtram ſatisfactionem neceſſariam eſſe Dei acceptationem per Chriſtum illis aliis verbis, *Noſtræ ſatisfactiones, quæ ex Chriſto vim habẽt, ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur à Patre.* Et certè cum opus pœnale à iuſto in hac vita aſſũptum ſit alterius rationis à pœna Purgatorij; nulla eſt ratio, ſecluſa lege Dei, & acceptatione, propter quam debitum illius pœnæ per hanc neceſſariò tollatur, vt ſatis probatum eſt.

6 Ad primæ opinionis fundamentum reſpondeo, tametſi verum ſit, impoſitionem Principis determinare valorem rei, aut monetæ, non fieri tamen ſine aliqua proportione, & æquitate, conſiderata qualitate operis, vel rei; ita ergo fatemur in merito, & opere ſatisfactorio apud Deum, vt perfectum ſit, ſupponi proportionem ex parte operis, & adiungi quandam determinationem, ſeu deſtinationem præmij ex parte Dei: Vnde non dicitur propriè opus accipere dignitatem, vel valorem ex extrinſeca ordinatione, & acceptatione Dei, quia illa extrinſeca ordinatio non eſt circumſtantia, vel obiectũ operis; ſed propriè dicitur determinare valorem, vel dignitatem eius, vt de facto ſit meritum huius præmij, vel huius remiſſionis pœnæ, & ad illud conferat aliquod ius. Quare licet vniuerſaliùs loquendo, aliqua actio ſit de ſe aptum medium ad aliquem finem, non habet actualem rationem medij, niſi ad illud actu ordinetur, ſeu eligatur; tametſi per illam electionem non accipiat proportionem ad finem, vel virtutem comparandi illũ, ſed moralem quandam habitudinem ad talem finem: ſic enim fides verb. grat. quamuis de ſe ſit aptiſſimum medium ad beatitudinẽ; tamen de facto vt ſit medium neceſſarium, oportet, vt à Deo fuerit ſub ea ratione peculiariter ordinatum. Ita ergo opera iuſtorum per ordinationem diuinam, vel electionem, non accipiunt proportionem, vel dignitatem, ſed moralem habitudinem ad tale præmium gloriæ, vel remiſſionis pœnæ, tanquam ad mercedem.

Ad fundamentum ſecundæ opinionis iam conſtat, 7
meritum iuſtorum ex intrinſeca natura gratiæ habere aliquem ordinem ad præmium gloriæ; negatur tamen id excludere neceſſitatem alterius ordinationis prouidentiæ Dei: quia licèt diuina ordinatio non addat operi dignitatem, ſeu bonitatem, nec proprium valorem intrinſecum, nihilominùs addit peculiarem habitudinem ad præmium, quæ neceſſaria eſt vt opus de ſe proportionatum tali præmio eſſe poſſit actuale, & determinatum meritum eius. Ad confirmationem, dico, quoad legem, vel ordinationem quæ in pœnis, etiam peccatorum requiritur, eſſe aliquam ſimilitudinem; quia licèt peccatum ex ſe ſit dignum pœnâ, tamen ex ſola natura rei non determinat ſibi certam ſpeciem, vel modum pœnæ, præſertim ſenſus, vt quòd ſit in hoc loco, vel in illo, in igne, vel in alia re: Vnde quoad hoc neceſſaria eſt peculiaris ordinatio ex libera prouidentia, & lege Dei taxantis vnicuique culpæ proprium modum pœnæ; qua lege ſuppoſita, vnumquodque peccatum merebitur talem pœnam, & non aliam.

SECTIO X.

Vtrùm requiratur diuina promiſsio, vt opus ſatisfactorium ſit de condigno.

QVamuis ſatisfactio, & meritum diuerſa ſint in ſua 1
ratione formali; tamen vtrique commune eſt, vt ſecundùm quandam æqualitatem, & iuxta leges iuſtitiæ fiant: Vnde ſicut merito proprio infallibiliter reſpõdet præmiũ, nec poteſt denegari ſine iniuſtitia, ita ſatiſfactioni Iuſti reſpondet infallibiliter condonatio pœnæ; Vnde poſitâ propriâ ſatisfactione de iuſtitia, impoſſibile eſt hominem pro illo peccato iuſte puniri, pro quo ſatisfecit. Cùm igitur iam conſtet ſatisfactionem Iuſti habere ex ſe valorem, condignitatem, & proportionem ad ſatisfaciendum, quærendum eſt nunc an ſit neceſſaria promiſſio Dei de condonanda pœna Purgatorij v. gr. infallibiliter & ex iuſtitia.

Opinio negans, probari poteſt. *Primò*, quia talis 2
promiſſio non eſt de ratione meriti apud homines; neque enim ipſe licèt nihil promiſerim benefactori meo, nihilominùs beneficiis in me ſponte collatis aliquid apud me promeruit; quia beneficium, vel obſequium ex vi ſua inducit aliquam obligationem retributionis, etiamſi promiſſio non præceſſerit: ergo idem erit apud Deum; ergo idem dici debet de opere ſatisfactorio apud Deum.

Secundò, ſi ob aliquam rationem eſſet neceſſaria hæc promiſſio; maximè, vt per opus ſatisfactoriũ acquireretur,

Digitized by Google

tur, ius iuſtitiæ ad condonationem pœnæ; at repugnat Deo obligatio iuſtitiæ ad prædictam pœnæ condonationem, quia non poſſet talis obligatio eſſe ſine imperfectione, & quaſi ſubiectione Dei ad creaturam; ergo.

Tertiò, quando promiſſio requiritur ad meritum, vel ſatisfactionem, neceſſarium eſt, vt innoteſcat his, qui merituri ſunt præmium, vel condonationem pœnæ, vt conſtat in exemplo de operantibus propter brauium obtinendum: at ad ſatisfaciendum coram Deo pro pœna debita, non eſt neceſſarium cognoſcere talem promiſſionem; nam multi ſunt iuſti ſimplices qui illam ignorant, & iuſti etiam ſapientes, & perfecti ſæpiſſimè non conſiderant illam, & operantur ſine vlla aduertentia talis promiſſionis, neque propterea minùs dignè ſatisfaciunt: ergo ſignum eſt non eſſe neceſſariam talem promiſſionem.

Quartò, ſi eſt neceſſaria promiſſio Dei, vt homo iuſtus ſatisfaciat de iuſtitia, ergo neceſſarius eſt fauor Dei, vt opera iuſti acceptet Deus in ſatisfactionem: ergo ea gratis acceptat cùm poſſet exigere pœnam à ſe ipſo infligendam; atque adeò nequit iuſtus de condigno, nedum de rigore iuſtitiæ, per ſua opera ſatisfacere pro debito pœnæ temporalis.

Quintò, opus ſatisfactorium non eſt, nec fit dignius, aut maioris valoris propter promiſſionem, ſed dignitatem ſupponit: ergo promiſſio neceſſaria non eſt, vt per opus ſatisfactorium acquiratur ius ad condonationem pœnæ, quod fieri ſine promiſſione poteſt.

Vltimò, in peccatis, peculiari ordinauit Deus prouidentia pœnas peccatorum, deputando talem ſpeciem pœnæ pro tali peccato, & aliam pro alia, & magis vel minùs grauem, ſeruata proportione, iuxta conſilium ſapientiæ, & voluntatis ſuæ; & nihilominùs propriam promiſſionem non adiunxit, quia neceſſaria non erat: ergo non eſt, cur in operibus Iuſti ſatisfactorijs ſit neceſſaria talis promiſſio.

3 Cum communi ſententia dico opera Iuſti ſatisfactoria indigere Dei promiſſione, vt remittatur pœna temporalis Purgatorij. Probatur *primò* à paritate; nam meritum de condigno iuſti apud Deum, eſt meritum Iuſtitiæ, ita vt iuſtus ratione operis ſui, aliquod verum ius ad præmium acquirat, iuxta illud 2. ad Timot. 4. *Supereſt mihi corona iuſtitiæ*; & illud Matth. 20. c. *Voca operarios, & redde eis mercedem.* Nomen autem Mercedis debitum Iuſtitiæ includit, ſicut & nomen ſtipendij: At hoc meritum intrinſecè requirit promiſſionem diuinam ſub conditione talis operis, vel ſub lege & pacto, cui innitatur, quod perinde eſt. Vt conſtat ex verbis Chriſti Domini Matth. 20. *Nonne ex denario conueniſti mecum, tolle quod tuum eſt, & vade*; vbi rationem æquitatis, & iuſtitiæ inter laborem, & mercedem ponit in conuentione, quæ idem eſt quòd pactum, ſeu promiſſio ſub conditione laboris. Conſtat etiam ex Tridentino *ſeſſ. 6. cap. 16.* vbi dicit iuſtis benè operantibus proponendam eſſe vitam æternam, tanquam mercedem ex ipſius Dei promiſſione, bonis ipſorum operibus & meritis fideliter reddendam: vbi ad declarandam rationem mercedis, interpoſuit promiſſionem; & ſtatim adiunxit: Hæc eſt enim illa corona iuſtitiæ, quam poſt ſuum certamen, & curſum, repoſitam ſibi eſſe aiebat Apoſtolus à iuſto iudice reddendam 2. *Timoth.* 1. Et ratio eſt manifeſta, quia meritum de iuſtitia, ſicut dat ius merenti, ita conſtituit debitorem illum, apud quem meretur; eſt enim illa relatio reciproca, quia repugnat, me habere ius iuſtitię reſpectu alterius, niſi alius ad illud ius reddẽdum mihi obligetur: At Deus nequit eſſe debitor niſi promittat, cùm ipſe ſit ſupremus omnium Dominus, & ideo à nemine poſſit obligari, niſi ipſe velit. Igitur hoc idem dicendum eſt de operibus Iuſti ſatisfactoriis. Patet Conſequentia ex Tridentino *ſeſſ.* 14. *cap.* 8. vbi eodem modo definit, nos ſatisfacere apud Deum, ſicut mereri: vnde tam in merito, quàm in ſatisfactione eſt eadem prorſus ratio.

Secundò, probatur noſtra Concluſio quaſi à priori; 4
nam pœna aſſumpta in hac vita eſt alterius rationis à pœna Purgatorij: ergo abſque promiſſione Dei nulla eſſet ratio, cur per hæc opera pœna illa remittatur; ſicut ſi ſtatuta eſſet certa pœna alicui peccato, Iudex non teneretur aliam acceptare illius loco, præſertim ſi eſſet inferior: ergo neque Deus opera & pœnas noſtras inferiores teneretur acceptare, niſi ipſe ita promiſiſſet.

Hoc etiam modo exponendum eſt Tridentinum *ſeſſione* 14. *cap.* 8. cùm dixit eſſe neceſſariam Dei acceptationem per Chriſtum ad noſtram ſatisfactionem: Concilium autem, ac communiter Theologi non diſtingunt in hac materia inter diuinam promiſſionem, & acceptationem, & pro eodem vtrumque ſumunt.

Vltimò, idem firmatur, quia iuxta leges iuſtitiæ ſa- 5
tisfactio oblata à reo pro pœna, nõ tollit Iudici ius exigẽdi pœnã ex eo, nec liberat reum ab obligatione ſubeundi pœnam à Iudice taxatam ex vi ſatisfactionis præciſe ipſius rei; nam debitum pœnæ in ratione ſua per ſe includit non ſolùm rem ipſam, in qua conſiſtit pœna, ſed etiam perſonam ipſam puniendam: ergo vt valeat ipſius rei ſatisfactio, requiritur obligatio, vel promiſſio, quâ Iudex promittat ſe illam accepturum, & non exacturum ab eo aliam pœnam, quam reuera poterat, & debebat ſubire. Totum hoc potiori iure vrget in ſatisfactione hominis iuſti debita pro pœna Purgatorij in ordine ad Deum, quæ reuerà indiguit promiſſione, & pacto diuino, vt Deus redderetur quaſi debitor homini ſatisfacienti, ſeu potiùs ſibi ipſi ſic promittenti: Addo falſum eſſe ſatisfactionem actualem hominis iuſti vt ſit ex iuſtitia, requirere vim obligandi ad eam acceptandam, ſeclusâ promiſſione, vt latè oſtẽdi in tractatu *de Incarnatione, diſputat.* 4. *ſect.* 11. *numero* 3. *& ſequentibus*: vbi manifeſtè probaui, ſi quis ſatisfactionem, quæ vim obligandi non inducit, acceptet, propter æqualitatem quam inuenit, exercere actum iuſtitiæ propriæ; ſatisfacientem quoque, ſi eam exhibeat, vt tollat inæqualitatem, & inducat æqualitatem, exercere actum propriæ iuſtitiæ, dummodò aliæ non deſint conditiones: vt ſi quis debeat equum, licèt non teneatur creditor pecuniam æquiualentem acceptare, ſi tamen illam acceptet, debitum ex iuſtitia ſoluitur, quia in eo caſu nihil gratis tollitur, ſed ex pretio, & valore æquali, vnde nullum remanet debitum ex iuſtitia, nihilque vlterius exigi poteſt; nam pecunia illa eſt pretium iuſtum emptionis equi. Quamuis enim equus in indiuiduo debitus erat, hoc tamen non tollit, quominus id quod offertur, & acceptatur, ſit æqualis valoris cum illa re debita: vnde ſatisfactio illa æqualis eſt; niſi enim eſſet æqualis, aliquid debiti remiſſum eſſet gratis: Quod tamen eſt falſum, quia quidquid debitum erat, tollitur ex vi acceptionis rei æqualis valoris cum debito; atque ideò nihil gratis remittitur: Verum eſt, Satiſfactionem prædictam hominis iuſti in ordine ad Deũ, non poſſe eſſe de toto rigore iuſtitiæ, non ſolùm quia Deus liberè promittit, & acceptat illam pœnam; & illa ſatisfactio non tollit pœnam, niſi pręcedat pactum vel promiſſio Dei, ſed etiam, quia omnes actus pœnales quos facit homo iuſtus pro pœna Purgatorij, ſunt debiti Deo multis titulis; vnde poſſet Deus illos exigere, & acceptare pro aliis obligationibus, & non pro remiſſione pœnæ Purgatorij.

Digitized by Google

7 Ad argumenta opinionis negantis. Ad primum negatur, ad meritum per quod proprium ius Iuſtitiæ acquiritur, non eſſe neceſſariam promiſſionem, maximè erga Deum, quem non poſſumus facere debitorem noſtrum, niſi in virtute promiſſionis eius, vt egregiè dixit D. Auguſtinus *ſermone 16. de verb. Apoſt.* ſic aiens, loquens de Deo. *Debitor factus eſt, non aliquid à nobis accipiendo, ſed aliquid, quod ei placuit, promittendo. Poſſumus exigere Dominum noſtrum, vt dicamus; Redde, quod promiſiſti, quia fecimus quod iuſſiſti.* Hæc Auguſtin. Cùm verò Deus ſit ſupremus Dominus omnium perſonarum & actionum, & omnia obſequia illi ſint aliis titulis debita; nullo modo fieri poteſt debitor etiam ex gratitudine, ex vi actionis creaturæ, niſi pactum præceſſerit.

Ad ſecundum, falſum eſt, debitum Iuſtitiæ repugnare Deo, ſuppoſita eius promiſſione ſub conditione condigni operis; nam eo ipſo quòd talis promiſſio ſupponitur, quæ Deo voluntaria omninò ac libera eſt, omnis ceſſat imperfectio.

Ad tertium dico, in priuatis contractibus, quales ſunt, qui inter homines fiunt, neceſſariam eſſe cognitionem promiſſionis, vel pacti, vt oriatur obligatio; tamen in his, quę per legem publicam ſtatuuntur, vel promittuntur, non eſſe neceſſariam illam notitiam: Nam etiam inter homines ſi publica lege eſſet propoſitum præmium faciendi tale opus, qui illud faceret cum ignorantia præmij promiſſi, ius ad præmium acquireret, quia ius ad præmium non naſcitur ex ſpeciali voluntate operantis acquirendi ius, & conſtituendi alium debitorem ſibi, ſed ex ipſo opere, ſuppoſita voluntate alterius, qui promiſit Id potiori iure habet locum in pacto ſeu promiſſione Dei, nam eſt à Deo facta per modum cuiuſdã legis vniuerſalis; & diuina voluntas, quæ ſuprema eſt, potuit ſola ſua auctoritate illam legem condere, ſeu promiſſionem facere cum conditione talis operis independenter a notitia talis legis in alio operante. Quare ſicut peccator etiamſi ignoret pœnam eſſe pro peccato à Deo ſtatutam, reatum eius incurrit; ita è contrario ignorans promiſſionem præmij benè operando, acquirere poteſt ius ad illud. Adde cùm ad meritum de condigno apud Deum non ſit neceſſaria intentio præmij; neque erit quoque neceſſaria voluntas acquirendi illud, vel ius ad illud: atque ideò non eſt, cur notitia promiſſionis ſit neceſſaria.

Ad quartum, conſtat ſolutio ex dictis ſuprà *preced. num. 5.*

Ad quintum concedo, promiſſionem non eſſe neceſſariam, vt actus meritorius ſit proportionatus præmio; vt verò per actum acquiratur ius ad præmium, promiſſio neceſſaria eſt: vnde quamuis promiſſio ſit extrinſeca actui quoad eius dignitatem, eſt tamen intrinſeca in ratione actualis meriti, & actus vt ſic meritorius innititur illi, & habet peculiarem cõformitatem cum voluntate promittentis, quam ſine tali promiſſione non haberet; & hoc ſatis eſt in materia morali, vt actus inde habeat peculiarem vim obligandi alium, ſeu acquirendi ius ad præmium, nam hęc vis moralis potius eſt, quàm phyſica, & ideò licèt in actu habeat fundamentum condignitatis, poteſt moraliter compleri in ratione actualis meriti per extrinſecam promiſſionem, ſeu per habitudinem moralem, quæ ex illâ naſcitur.

Ad vltimum, nulla eſt æquiparatio inter meritum, & demeritum, ſeu peccatum, ſed eſt omninò diſpar ratio; quia per peccatum non fit debitor Deus, neque obligatur ad puniendum, ſed fit debitor ipſe peccator, & pœnę obnoxius, & Deus veluti acquirit ius ad puniendum peccatorem propter iniuriam acceptam: At verò in merito, Deus eſt qui fit debitor, & quaſi obligatur, & homo acquirit ius; & ideò homo ſicut à ſe tantùm habet, quòd peccet: ita ex ſe, & ſine promiſſione Dei poteſt ſe conſtituere debitorem, & pœnæ obnoxium; non tamen ita poteſt facere debitorem Deum, à quo habet ipſum bonum opus, quod operatur, niſi ex parte Dei fũdamentum talis debiti præcedat, quod eſt promiſſio ſub conditione operis. Eſt etiam alia prædictæ diſparitatis ratio, quia licet homo per quodcumque bonum opus præbeat Deo obſequium, ſemper reddit, quod aliàs Deo debet; imò cùm ipſummet opus à Deo accipiat, vix reddit, quod pro illo beneficio ſolo debet, & ideò ex ſe non habet, vnde faciat ſibi debitum aliquod præmiũ à Deo reddendum: At verò peccatum eſt iniurioſum Deo ex ſe, & ex propria conditione talis operis, vt ab homine manat, eſtque contra obligationem, & debitum hominis ad Deum, ideòque per ſe poteſt inducere debitum ex parte ipſius hominis, & Deo ius conferre ad ſuam iniuriam vindicandam.

SECTIO XI.

An poſsit homo iuſtus ſatisfacere pro vno peccato, & non pro aliis: & an opera pœnalia in mortali facta poſſint reuiuiſcere?

Circa primum, Dico *primò*, certum eſſe, quando quis eſt in peccato mortali, ac debitor pœnæ æternæ pro illo peccato, non poſſe pro aliis remiſsis ſatisfacere, niſi prius in gratiam redeat, & conſequenter *ille* reatus pœnæ æternæ auferatur. Patet ex Tridentino *ſeſſ. 14. cap. 8.* dicente Satisfactionem eſſe fructum gratiæ Chriſti, in quo viuimus, in quo meremur, in quo ſatisfacimus: requirit ergo ſpiritualem vitam per gratiam; vnde quoad hoc idem iudicium facit de merito, & de ſatisfactione. Et ratio eſt, quia pœnæ huius vitæ non ſunt comparabiles, nec proportionem habent cum pœna Purgatorij; ergo per ſe non habent valorem vt remittant illam pœnam; ergo neceſſaria eſt gratia ſanctificans pręcipuè, vt conferat valorem, & dignitatem perſonæ, & moralem proportionem ad debitum perſoluendũ. Firmo, nam peccator, quandiu in peccato mortali eſt, dignus eſt, vt omni bono priuetur; & ideò incapax eſt, vt de cõdigno mereatur, vel ſatiſfaciat: vnde gratia eſt principium omnis iuſtitiæ apud Deum; & promiſsio diuina, in qua iuſtitia tam ſatisfactionis, quàm meriti fundatur, vt vidimus *præcedenti diſp.* non ſit hominibus in peccato mortali manentibus, ſed iuſtis: At dicere peccatorem ſatisfacere poſſe de congruo; merè gratis, ac ſine vllo dicitur fundamento. Vbi enim reuelatum eſt, aut vnde conſtat Deum vti hac liberalitate cum inimicis ſuis, vt eis remittat pœnas, pro quibus ipſi verè non ſatisfaciunt, cũ lex generalis ſit, vt quòd ſine charitate fit, nihil proſit; & etiam lex ſit ex Trid. ſatisfactionem eſſe fructum dignum pœnitentiæ. 1

Dico *ſecundò*, etiam certum eſſe, durante culpa etiam veniali, non poſſe quempiam pro pœna illi debita ſatisfacere. Ratio eſt, quia quandiu peccatum durat, & non eſt remiſſum, etiamſi ſit veniale, eſt homo dignus pœna ratione illius: ergo repugnat ſatisfacere pro pœna ante culpæ remiſsionem. 2

Hinc dico *tertiò*, poſſe iuſtum ſatisfacere pro pœna temporali debita, ratione peccati mortalis, vel venialis remiſsi, non ſatisfaciendo pro alia veniali culpa. Patet, quia peccatum veniale non tollit gratiam, nec amicitiam Dei diſſoluit, nec tollit ſtatum ſatisfaciendi: Vnde ſicut homo poteſt conſequi remiſsionem vnius peccati venialis, 3

nialis,& non alterius; ita poteſt pro pœna vni debita ſatisfacere, non alteri, ſi culpa illius iam ſit remiſſa, & non alterius. Quod accidere non poteſt in mortalibus; quia in mortalibus nunquam remittitur vnum ſine aliis, & ideò nec poteſt homo ſatisfacere pro pœna temporali vnius,non ſatisfaciendo pro aliis.

4 Dico *vltimò*,certum etiam eſſe,ſi homini iuſto plura ſint peccata remiſſa, & pro ſingulis aliqua ſuperſit pœna luenda,poſſe pro parte pœnæ ſatisfacere, quamuis totam non perſoluat.Ratio eſt quia pœna remittitur iuxta valorem Satisfactionis,& ideò hæc quando nõ eſt proportionata ad ſoluendam totam pœnam, remittit partem pœnæ iuxta proportionem operis ſatisfactorij,& ipſius valorem.

5 Circa ſecundum,an bona opera facta in mortali peccato,adueniente gratia ſanctificante,reuiuiſcant,quoad effectum ſatisfaciendi, ex opere operantis,& ſi non reuiuiſcant,quem fructum habeant?

Iuxta dicta *ſuprà diſp.*12.*ſect.vltima*,cum omnium Theologorum ſententia dicendum eſt, prædicta bona opera facta in mortali non reuiuiſcere ad Satisfactionem.Ratio eſt euidens,quia prædicta opera fuerũt non mortificata,ſed omnino mortua:ergo a principio caruerunt vita gratiæ; ergo caruerunt valore tam ad ſatisfaciendum,quam ad merendum,ergo ſicut poſteà non reuiuiſcunt ad meritum, ita neque ad Satisfactionem:nã gratia poſteà adueniens,non informat,illa opera; ergo nullo modo dignitatem, nec valorem conferre poteſt. Nec D.Th.*in* 4.*diſt.*15.*q.*1.*art.* 3. *quæſtiuncula* 2. *ad* 3.oppoſitum docuit,cùm dixit eſſe quædam opera pœnalia,quæ permanentem effectum in homine relinquũt vt ex eleemoſyna,remanet carentia alicuius boni temporalis;ex ieiunio,corporis debilitas; ac ea poſſe valere ad ſatisfaciendum adueniente charitate, quamuis in peccato facta ſint.Cuius mentem ſic explicandam iudico,vt non voluerit,quòd præteritus actus in peccato factus incipiat habere valorem Satisfactionis; ſed quòd ille effectus ex tali actu relictus, & poſteà in ſtatu gratiæ voluntariè acceptatus, Deóque in Satisfactionem oblatus, ad hunc effectum ſatisfaciendi conferat.

6 Quem verò fructum habeant bona opera in mortali facta,cùm neque ad meritum valeant, neque ad Satisfactionem;

Dico breuiter, hæc opera quia honeſta ſunt, ex ſe eſſe expetenda, & quaſi natura ſua diſponere hominem ad ſimilia opera faciliùs exhibenda:Item valere ad impedienda peccata. Præterea valere de congruo ad præmium aliquod temporale,nam peccator nullius meriti de condigno capax eſt.

SECTIO XII.

An poſſit iuſtus abſque condigna ſatisfactione liberari à debito pœnæ Purgatorij alia via, nempe per impetrationem?

1 QVæſtio procedit ex opere operantis,vt omittamus applicationem ſatisfactionis Chriſti, quæ fit per Miſſæ Sacrificium,aut per Sacramenta, aut per Martyrium,aut per Indulgentias.

Partem affirmantem defendit noſter Cardinalis de Lugo *diſp.*14.*ſect.*1.*num.*20. *& ſequentibus.* Primò; quia poteſt impetrari Defunctis remiſſio pœnæ; nam de B.Virgine Deipara,dicitur liberare ſæpe ſuos deuotos ex Purgatorij pœnis.Et de B. Lutgarda tradit Surius quod moriens tulit ſecum in cœlum animas aliquas ſuis precibus è Purgatorio liberatas.

Secundò, Chriſtus Dominus deſcendens ad inferos liberauit plures animas è Purgatorio,quæ nondum plenè debitas pœnas exſoluerant, vt tradunt communiter Theologi.

Tertiò,Eccleſia in Officio Defunctorum ſæpiùs petit, vt Deus condonet pœnas debitas animabus in Purgatorio exiſtentibus.

Quartò,Confeſſarius poteſt pœnitenti præcipere,vt oret pro defunctis,vt traditur in Catechiſmo Romano, *in Sacramento Pœnitentiæ,n.*80.Quo caſu non iubetur pœnitens abdicare à ſe ſatisfactionem,imò iubetur pro ſe ſatisfacere,cùm hoc ei in ſatisfactionem pro ſuis peccatis iniungatur:ergo ſolùm iubetur orare ad impetrandam Defunctis pœnæ remiſſionem.

His argumentis manifeſtè oſtenditur poſſe nos abſq; ſatisfactione impetrare aliquando expiationem reatus pœnę animabus Purgatorij.Hinc autem infertur probabilius eſſe, vel æque probabile, quòd id poſſimus aliquando nobis obtinere. 2

Suarez vero *diſp.*37.*ſect.*10. negatiuam ſententiam tenet, docens vnicam viam ad conſequendam in hac vita remiſſionem pœnæ Purgatorij per propriam actionem operantis eſſe condignam ſatisfactionem, & recompenſationem delicti.

Primò,quia non videtur conſonum Diuinæ Iuſtitiæ, & legi ſtatutæ viâ ordinariâ,vt peccata maneant impunita,& pœna gratis remittatur per ſolam communem impetrationem.

Secundò,homo poteſt cum diuina gratia ſoluere hoc debitum pœnæ, vt conſtat ex præcedentibus: ergo ſine cauſa peteret,vt ſibi gratis remitteretur,nec talis oratio mereretur exaudiri,cum non faciat quod in ſe eſt ad hãc remiſſionem obtinendam, donec proportionalem pœnam ſoluat.

Tertiò,ſi poſſet impetrari remiſſio pœnæ temporalis abſque ſatisfactione condigna: ergo & poſſet etiam impetrari augmentum gratiæ ſanctificantis immediatè abſque merito condigno:quod falſiſſimum eſt,& nemo dicet.

Hanc ſententiam Saurez iudico veriorem,cenſeóque ex opere proprio ipſius operantis,non eſſe aliud mediũ, neq; aliam viam certam & ordinatam ad cõſequendam remiſſionem pœnæ Purgatorij,præter condignam ſatisfactionem. 3

Moueor *primò*,quià id eſt manifeſtè conſonum legi diuinæ iuſtitiæ.Patet,quia in opere bono hominis iuſti, ſicut datur ratio meriti in ordine ad præmium augmenti gratiæ, & gloriæ;ita datur Satisfactionis ratio conueniens illi operi provt pœnale eſt, vt conſtat ex dictis in *hac diſputatione, ſectione quarta*: & ſicut Iuſtitia Commutatiua poſtulat meritum condignum in ordine ad præmium gratiæ,& gloriæ; ita Iuſtitia Vindicatiua exigit ſatisfactionem condignam in ordine ad remiſſionem pœnæ:ergo ſicut ex opere operantis nulla eſt alia via ad conſequendum augmentum gratiæ, & gloriæ, præter condignum meritum,vt omnes fatentur;ita nulla eſt alia via in hac vita ad conſequendam remiſsionem pœnæ ex opere operantis præter condignam Satisfactionem:ſic enim iſtæ duæ rationes formales meriti, & ſatisfactionis non confunduntur in eodem opere hominis iuſti,ſed omninò ſeruant debitam,ac ſimilem proportionem.

Neque ex præciſa ratione meriti,ſecluſa ratione ſatisfactionis,reſpondet noſtris operibus aliqua remiſsio temporalis

diuina gratia præditi ſunt, alterius nomine poſſunt quod Deo debetur perſoluere: & ſubdit, *Nec verò de hoc cuiquam fideliũ dubitandi locus relictus eſt, qui in Apoſtolorũ Symbolo, Sãctorum Cõmunionem profitemur.* Soluere autem, & ſatisfacere non eſt impetrare, vt conſtat, ſed pretium offerre. Et ratio à priori eſt, quia opera iuſti de ſe habent æqualitatem in ratione ſatisfactionis cum pœna illa temporali, pro qua offeruntur; alioqui nec iuſtus poſſet pro ſe condignè ſatisfacere: ergo oblata pro alio habebunt eandem condignitatem, cùm non ſit plus, quod alteri aufertur de debito pœnæ, quàm quod ipſi ſatisfacienti aufertur. Quare ſi impetratione poſſunt iuſti aliis obtinere remiſſionem pœnæ, cur non poterunt oblatione pœnæ æqualis; cùm facilius ſit apud homines, æquali, vel condigno pretio aliquid obtinere, quàm gratis ſolum, precibus, & impetratione. Et ſi de facto ſatisfactiones iuſtorum in Eccleſiæ Theſauro repoſitæ nobis applicantur per Indulgentias ad ſolutionem pœnæ debitæ; à fortiori ipſimet poterant eas applicare, quando eas operabantur actu. Quod enim Eccleſia quaſi eorum hęres facit; poterant ipſimet, qui domini erant eorum operum, quando ea faciebant, eodem modo diſponere, applicando aliis: Maximè, cum conſtet hunc modum ſoluendi, patiendo pro aliis, non repugnare ex ſe, cùm Chriſtus Dominus vtroque modo nobis profuerit, nempe merendo, & etiam ſatisfaciendo pro nobis, vt conſtat ex ſatisfactione ipſius, quæ pro debito pœnæ nobis applicatur per Sacramenta aliqua, & Indulgentias. Igitur poterit etiam ſatisfactio vnius iuſti applicari alteri.

2 Hinc colligo *primò*, ſicut debitum pœnæ tolli poteſt per meram, ac liberalem Dei condonationem; ita etiam per ſatisfactionem condignam, & æqualem ab alio oblatam, & à Deo acceptatam.

3 Colligo *ſecundò*, tametſi Contritio vnius nequeat ſatisfacere pro culpa alterius, poteſt tamen pro pœna; quia Deus congruentiſſime noluit de facto remittere culpam ſine retractatione ipſius peccatoris, vt qui voluntariè peccauit, voluntariè redeat ad Deum, quæ ratio non procedit in ſolutione pœnæ, quæ non debet eſſe ita voluntaria; quia hæc non maculat, ac deordinat ſicut ipſa culpa. Adde, remiſſionem culpæ pertinere ad intrinſecam rectitudinem, & ſanctificationem hominis; & ideò non fieri ſine actione propria perſonali, ac perſonali diſpoſitione hominis peccatoris, at remiſſio pœnæ temporalis eſt quid veluti extrinſecum ſanctificationi hominis: vnde poteſt per extrinſecam actionem & ſolutionem alterius, ſi illi applicetur, compenſari.

4 Colligo *tertiò*, ordinem charitatis exigere, vt nequeat vnus iuſtus applicare ſua merita æternæ gloriæ alteri, & ſeipſum illâ priuare, vt daret alij; nam in æternis bonis eiuſmodi ordo charitatis exigit, vt me aliis omnibus præferam ad ea aſſequenda: At in damno temporali, quale eſt pœnæ illius, Charitas inclinat ad ſubeundum eiuſmodi detrimentum pro meis proximis; præſertim cùm contingat, aliquem nunc non indigere ſibi illa ſatisfactione, & nunc ex illa liberalitate creſcat meritum in ordine ad maius præmium æternum conſequendum.

5 Colligo *quartò*, pœnam æternam reſpondentem culpæ mortali, non poſſe niſi per actionem propriam Confeſſionis, vel contritionis remitti, ac commutari in pœnam temporalem: nam cùm reatus pœnæ æternæ comitetur culpam mortalem, cùm hæc intrinſecè maculet, ac deordinet, vt conuenienter deleatur, requiritur intrinſecus aliquis ipſius peccatoris actus illi deordinationi contrarius; remiſſa autem hoc modo culpa mortali, ſtatim deſtruitur reatus pœnæ æternæ, & commutatur in pœnam temporalem ex diuina quoque diſpoſitione. Secus eſt de reatu pœnæ temporalis, pro qua poteſt ſatisfieri per actionem alterius.

Circa ſecundam Sectionis partem tres occurrunt difficultates. Prima eſt, an ſatisfactio noſtra pro alio oblata proſit illi infallibiliter, ſeu de lege Dei infallibili? 6

Medina *de pænitentia, tract. 3. q. 2. & 3.* & *tract. 6. de Oratione q. 19. in fine*, & Corduba *lib. 5. de Indulgẽtiis q. 5. ad* 8. prędictam ſatisfactionem aſſerunt non eſſe infallibilem, quia non eſt ex parte Dei infallibilis acceptatio, etiamſi à iuſto, & pro iuſto offeratur. Probant, quia punitio eſt propria actio iuſtitiæ vindicatiuæ, quæ veluti confert ius in ipſummet reum qui deliquit; & ideò iudex non tenetur ſatisfactionem per alium acceptare, etiamſi aliàs fortaſſe æqualis ſit, ſed ius habet puniendi ipſam perſonam quæ deliquit. Ex alio capite, de lege Dei, ſeu promiſſione facta non conſtat ex Scriptura ſacra, neque ex traditione; & prędicta ſatisfactio pro aliis, ſolùm fundatur ab aliquibus Theologis, in vnione membrorum Eccleſię, quæ per charitatem fit: quod ſatis non eſt, niſi præcedat ordinatio Dei, vel promiſſio, quæ ſimpliciter neceſſaria eſt ad infallibilitatem ſatisfactionis.

Dico *primò*, certum non eſſe in hac re interuenire promiſſionem vel pactum diuinum, & conſequenter infallibilem acceptationem: id notant Suarez *diſp.* 48. *ſect. 3. num. 9.* Coninx. *diſp. 10. dub. 7. num. 59.* & alij. Ratio eſt, quia quamuis Deus hoc potuerit conſtituere, non conſtat tamen eum ita inſtituiſſe; de quo non habemus certam reuelationem, nec conuincentem, aut ſatis vrgentem rationem ex principiis reuelatis. 7

Dico *Secundò*, probabiliorem eſſe ac veriorem ſententiam affirmantem, hanc ſatisfactionem vnius iuſti pro aliis iuſtis eſſe infallibilem, & meritò ac iure fundari in lege, & promiſſione Dei. Probatur id *primò* ex verbis Catechiſmi Romani traditis *ſectione præcedenti*, vbi vniuerſaliter dicitur de hominibus iuſtis poſſe alterius nomine, quod Deo debetur, perſoluere. Quibus verbis manifeſtè ſupponit legem & promiſſionẽ Dei: Nam ſi iuſti poſſunt perſoluere; ergo habent in ſua poteſtate id totum, quod requiritur ad illum effectum, ergo & promiſſionem Dei, ſeu acceptationem infallibilem, quæ vtique requiritur, vt ſatisfactio dicta ſit infallibilis: non enim dicimur ſimpliciter poſſe id quod non pendet à noſtra ſola voluntate. Addo etiam, quod communiter dicitur, id contineri in illo articulo Symboli, quo credimus Sanctorum Communionem: cùm enim verba illa non ſignificent Communionem poſſibilem, ſi Deus velit, ſed abſolutam; ſi in illis verbis continetur hæc ſatisfactio vnius pro alio, vt communiter docent Theologi, conſequens erit quòd ea acceptatio abſoluta ſit. Idem firmatur ex verbis Concilij Florentini in Litteris Vnionis. Vbi ſic dicitur: *Defunctis vt à pœnis releuentur, prodeſſe viuorum ſuffragia, Miſſarum ſcilicet Sacrificia, orationes, & eleemoſynas, & alia pietatis officia, quæ à fidelibus pro aliis fidelibus fieri conſueuerunt.* Quibus verbis vniuerſaliter docet, illa ſuffragia prodeſſe, quando pro defunctis fiunt. Et ratio eſt, quia ſatisfactio Sanctorum, quando ab Eccleſia per Indulgentias alicui legitimo modo applicatur, infallibiliter prodeſt, & acceptatur à Deo, vt conſtat apud omnes; ergo quando ab ipſomet operante applicatur, non minùs infallibiliter à Deo acceptatur: Nam plus iuris videtur habere in illa opera eius auctor, quando ea facit, quàm alij, in quos poſteà quaſi hęredes trãſiit diſtributio illarum ſatisfactionum: ergo ſi in illis non deeſt acceptatio Dei infallibilis, non eſt cur deſit etiam infallibilis illi alteri. Quare hoc noſtrum Dictum videtur magis conſentaneum dignitati gratiæ, & vnioni, quam charitas efficit inter iuſtos; ac diuinæ etiam benignitati, ac denique communi modo ſentiendi, & operandi fide-

lium,

Digitized by Google

lium,qui videtur ex antiqua traditione manaſſe; neque in hac re maiorem certitudinem inuenio.

9 Hinc dico *tertiò*, ex parte Dei etiam intercedere ſufficientem ordinationem, & promiſsionem acceptandi ſatisfactionem vnius pro alio, & ob illam remittendi proportionatam pœnam Purgatorij. Patet, quia prædicta ſatisfactio non eſt ita ſufficiens, & æquiualens, vt intrinſecè ac neceſſariò includat actualem ſolutionem, ita vt obliget Iudicem,ſeu perſonam offenſam ad illam acceptandam,ne poſsit ampliùs exigere talem pœnam: Nam hic modus acceptandi ſolutionem nec reperitur in iudice humano, qui verè habet ius puniendi ipſam perſonam, quæ deliquit,niſi ipſe aliud promittat. Multò minus poteſt habere locum inter Deum, & hominem,niſi ex ſuppoſitione pacti ſeu promiſsionis ex parte Dei de remittenda tanta pœna, etiam per alium exhibita.Igitur intercedere debet prædicta promiſsio, vt ſatisfactio quæ à iuſto, & pro iuſto offertur, infallibilis ſit. Ex quo patet ſolutio ad Argumentum contrariæ ſententiæ.

10 Secunda difficultas eſt,an prædicta ſatisfactio vnius pro alio ſit de condigno. Sumo autem ſatisfactionem condignã,eam quæ ſit ſecundùm quandam æqualitatem rei ad rem;quo modo dicitur aliquis condignè emere,& ſecũdùm leges Iuſtitiæ,quãdo ſoluit pretiũ æquiualens.

Hoc præmiſſo,dicendũ eſt cum communiori & veriſſima ſententia,ſatisfactionem vnius pro alio eſſe debere de condigno. Ratio eſt,quia prædicta ſatisfactio eſt vera ſolutio;ergo debet eſſe æqualis, & cõdigna:quia ſi ſatisfactio non eſt æqualis,& cõdigna,reuera nõ eſt ſolutio;ſicut qui nõ dat pretiũ æquale,non ſoluit rem,ſaltem integrè,ſed ad ſũmum ex parte:ergo cùm prædicta ſatisfactio fiat per modum ſolutionis,fieri debet ſecundùm proportionẽ æqualitatis, ſeu cõdignã æqualitatẽ.

Dices idem ſatisfactoriũ opus oblatũ pro alio non valere æqualiter ad remiſsionem pœnæ obtinendã,ac oblatum pro ſe. *Sed cõtrà* meritò obiicit Suar. *ſect.cit.n.8.* formaliter loquendo,ac cæteris paribus,idẽ opus oblatũ pro alio,vel pro ſe in ſatisfactionem habere eundẽ valorem.Ratio eſt,quia dignitas, ſeu valor talis operis,nõ ſumitur ex relatione ad ſe, vel ad alterũ, ſed ex conditione operis, & dignitate gratiæ, ſeu charitatis à qua procedit:non enim idẽ opus ſatisfactoriũ formaliter ac præcisè ſumptũ habet rationem maioris remiſsionis,nec ſit maioris valoris moralis, eo quòd pro altero offeratur,cæteris paribus.

11 Tertia difficultas eſt,an ſatisfactio vnius pro alio ſit de Iuſtitia. Breuiter reſpondeo eſſe de Iuſtitia, ſicut eſt ſatisfactio iuſti pro ſe.Et ratio eadem eſt,quia vt oſtendi ſup.*ſect.10.n.1.& ſeq.*meritum de condigno hominis iuſti apud Deum eſt meritum iuſtitiæ;nam ad debitum, ſeu obligationem Iuſtitiæ ſolùm requiritur dignitas operantis, proportio operis,& promiſsio Dei ſub conditione talis operis hæc omnia concurrunt in ſatisfactione vnius iuſti pro altero, vt conſtat ex *ſuperiùs* dictis non ſecus eſt ac concurrunt in ſatisfactione iuſti pro ſeipſo.

SECTIO XIV.

Vtrùm decedens ex hac vita in peccato mortali,ſeu in inferno exiſtens poſsit ſatiſpati pro pœna temporali peccato remiſſo reſtante; an ſolùm in Purgatorio poſsit eſſe ſatiſpaſsio.

DIctum eſt ſatis copioſè de vera,& propria ſatisfactione pro pœna temporali per liberum actum pœnitentis in gratia exiſtentis in hac vita: breuiter agendum eſt de ſatiſpaſsione, quæ valdè diuerſa eſt à ſatisfactione: nam iſtã tantùm quis dicitur ſatiſpati, quantum exigit ipſa pœna peccato remiſſo reſtante: Iuxta illud Deut. 2. *Iuxta menſuram peccati, erit & plagarum modus.*

Eſt igitur aliquorum Veterum opinio, quos refert 1 Fagund.*lib.9.de ſatiſf.ct.c.1.n.6* aſſerentium,hominem decedentem ex hac vita in peccato mortali poſſe in inferno pro pœna temporali peccatis remiſsis debita illam ſoluere ſatiſpatiendo. Probant, quia pœna temporalis eſt finita; ergo compenſari poteſt per æqualem pœnam, abſque gratia, & dignitate perſonæ patientis.

Veriſſima tamen ſententia eſt modò omnium Theo- 2 logorum, eum qui decedit in mortali ex hac vita, non poſſe in inferno ſatiſpati nec pro vnius venialis pœna. Probatur *primò*,quia apud Deum nulla pœna valet ad expiandum delictum etiam leue, ſeu reatum eius, niſi voluntariè acceptata; quia Deus non punit peccatum ſolùm in aliorum exemplum, ſed præcipue propter compenſationem debitam, vt qui voluntariè peccauit, voluntariè puniatur; & ſicut peccatum intulit iniuriam Deo,ita pœna in illius honorem redundet: Vnde pœna temporalis ex natura ſua ordinari ſolet ad correctionem etiam delinquentis, vt per ſupplicij dolores meliùs agnoſcat turpitudinem ſui peccati, vt meliùs ac firmiùs reſipiſcat. Pœna itaque temporalis præſcripta peccato veniali,vel illa temporalis, in quam commutatur pœna æterna peccati mortalis remiſſi,includit ſemper hanc conditionem; quia vtraque ordinatur etiam ad correctionem peccatoris,vt per dolorem pœnæ meliùs agnoſcat fœditatem & grauitatem culpæ.Cùm ergo in inferno anima propter vltimum peccatum mortale contraxerit obſtinationem in omni peccato, & cordis obdurationem: hinc fit, pœnam etiam peccati venialis non finiri, quia nunquam inuenitur voluntaria correctio ac reſipiſcentia, ad quam ordinabatur; non quia puniatur illa culpa noua obſtinationis, & affectus ad peccatum præteritum; ſed quia punitur culpa præterita, quandiu non apparet voluntaria reſipiſcentia illius. Et hoc eſt, fieri æternam illam pœnam venialis peccati, per accidens ex coniunctione ad mortale, quia per ſe debebat eſſe temporalis; per accidens autem eſt, quòd detur illa obſtinatio propter vltimum peccatum mortale, & ita per accidens continuatur etiam pœna venialis peccati. *Secundò* eadem Concluſio firmatur, quia homo in peccato mortali exiſtens in hac vita, & cum eo in infernum deſcendens, eſt Dei inimicus, & hoſtis, & conſequenter indignus omni gratia,& fauore; non poteſt autem negari, remiſsionem pœnæ eſſe maximam gratiam, & fauorem.

Hinc patet ſolutio ad Argumentum contrariæ ſen- 3 tentiæ; pœnam illam temporalem relictam ex peccato mortali, vel veniali, non poſſe compenſari, ac tolli,niſi per voluntariam acceptationem, quam non habent damnati in inferno, cùm inuiti tormenta ibi patiantur: Vnde pœna æterna quæ per pœnitentiam in hac vita condonata fuit, & remiſſa homini peccatori, cùm illi remiſſum fuit peccatum, non fuit remiſſa abſolutè, & ſimpliciter,ſed fuit commutata in pœnam temporalem voluntariam, & amicabilem, quæ ſolum ab homine amico Dei, & in gratia conſtituto vel in hac vita, vel in alia in Purgatorio, compenſari poteſt patiendo. Quare damnati non ſolùm non ſunt in ſtatu ſatisfaciendi, ſed nec etiam in ſtatu ſatiſpatiendi.

Hunc ſtatum ſatiſpatiendi habent animæ Purgato- 4 rij: ſuſtinent enim pœnam ignis; & quia illa pœna

temporalis

temporalis eſt,per ſufficientem durationem illius,dicũtur poſſe ſatiſpati, iuxta qualitatem ſeu quantitatem reatus;ad quod ſufficit illis eſſe in ſtatu gratiæ,& quòd illa pœna ſit voluntaria concomitanter, per conformationem cum diuina voluntate.

5 Non verò habent animæ Purgatorij ſtatum ſatisfaciendi,vt conſtat apud omnes.Et patet,quia ſolùm eſt conceſſum hominibus iuſtis, & viatoribus, vt poſſint mereri remiſſionem illius pœnæ per alias pœnas volũtarias huius vitæ,moraliter æquiualentes, iuxta diuinã legem,& iuſtam inſtitutionem:& hæc vocatur propria ſatisfactio,vt liquet ex dictis in tota hac diſputatione. Hanc verò nequeunt exhibere animæ Purgatorij, quia ſicut tempus merendi eſt tantum in hac vita,ita etiam ſtatus ſatisfaciendi per voluntarias pœnas, & afflictiones:Nam in hac vita priuſquam feratur vltima ſententia,eſt tempus miſericordiæ,tunc autem in alia vita eſt tempus rigoroſæ iuſtitiæ,& executionis pœnæ, provt fuit per ſententiã declarata.Adde illam Purgatorij pœnam,tametſi ſit voluntaria concomitanter in animabus Purgatorij,per conformationem cum diuina volũtate,non tamen eſſe voluntariè ac liberè aſſumptã:atq; ideò ex tali voluntate non habere valorem compenſãdi debitum culpæ,ſed ex ſua acerbitate iuxta menſurã diuinæ legis.Illa verò pœna licèt rigoroſa videatur,eſt tamen pœna amici;quẽ Deus vt pater,nõ vt inimicus caſtigat,vt tandẽ ſuo conſpectu dignus,& ad illũ omninò purus inueniatur:vnde ipſæmet animæ ſanctæ hanc diuinã iuſtitiã conſiderãtes,nolũt inde exire,donec perfectè purgatæ inueniãtur.Hoc autẽ non impedit,quominus ſuffragiis fidelium iuuari poſſint,vt eſt certum.

DISPVTATIO LVI.

De Satisfactione Sacramentali, provt eſt tertia pars Sacramenti Pœnitentiæ.

SAtis ſuperque dictum eſt in præced. Diſp. de Satisfactione ſecundùm ſe, quæ à nobis poteſt, & ſolet fieri extra Sacramentum Confeſſionis, provt eſt actus, vel effectus virtutis Pœnitentiæ,& aliarum virtutum:nunc iam dicere oportet de Satisfactione Sacramentali provt eſt ſatisfactio à Confeſſario impoſita in ipſo Sacramento Pœnitentiæ,virtute Clauium, quo pacto eſt pars dicti Sacramenti, & habet Sacramentalem effectum: Hæc verò tractatio in duas partes diſtingui poteſt: altera præcipuè ſe tenet ex parte Cõfeſſarij,imponentis pœnitenti debitam Satisfactionẽ,vel pœnitentiam: & altera ſe tenet ex parte pœnitẽtis complectentis, acceptantis, & adimplentis ſatisfactionem ſibi à Confeſſario impoſitam;de his duabus,ſeorſim:de prima *in hac Diſp.* & de ſecunda *in ſeq.* quæ eſt vltima totius huius operis, diſtinctè agemus.

SECTIO PRIMA.

Quomodo Satisfactio ſit pars Sacramenti Pœnitentiæ?

1 IAm oſtendimus ſuprà *diſp.*17 *ſect.*4.Satisfactionem eſſe partem ſolùm integralem Sacramenti Pœnitentiæ,non eſſentialem. Quod ampliùs firmo, quia hæc pars non ordinatur ad priorem effectum huius Sacramenti,ſed ad ſecundarium:quia primarius effectus huius Sacramenti eſt remiſſio culpæ, ſecundarius verò, remiſſio pœnæ temporalis:ergo illa non eſt ſimpliciter de neceſſitate & eſſentia Sacramenti,ſed ſolùm integrat illud ob remiſſionem pœnæ.

Dices,ante Satisfactionem expletam,cùm pœnitens accedit ad Confeſſionem,iam habet Satisfactionem in voto:ergo ſaltem hoc modo pars eſſentialis cenſenda eſt.*Sed contra eſt*,primò,quia adhuc ſub quæſtione eſt, an hoc propoſitum ſeu votum ſit neceſſarium; de quo *infra*: & probabilius videtur illud propoſitum magis pertinere ad Contritionem,quam ad Satisfactionem:& ſaltem eſt certum non ſemper eſſe neceſſarium, quia poteſt interdum perfici hoc Sacramentum nulla Satisfactione impoſita, vt in eo qui vel ſtatim emoritur, vel tantum habet dolorem culparum,vt prudenter iudicet Confeſſarius illum ſufficere ad totam pœnam temporalem remittendam: Quia tamen peccata moraliter ac regulariter loquendo,non ſunt remiſſa omninò quoad pœnam omnem temporalem; ideò ſatisfactio eſt moraliter ſemper pars integralis,eo modo quo *loco citato* explicui:nam in omni iudicio pertinente ad Iuſtitiam vindicatiuam,punitio rei eſt pars illius iudicij; Sacramentum autem Pœnitentiæ eſt per modum iudicij,vt liquet. 2

3 Hinc colligo manifeſtum diſcrimen Satisfactionis Sacramẽtalis ab alia Satisfactione nõ Sacramentali,de qua egimus *præcedenti Diſputatione*. Nam Satisfactio Sacramentalis eſt maioris virtutis, & efficaciæ, quam illa alia:ſemper enim Sacramentalis habet aliquem effectum ex opere operato certum & determinatum, vt conſtabit ex dicendis; hunc verò non habet alia. Quamuis enim Satisfactio non Sacramentalis,ſuppoſita promiſſione Dei,qua promiſit ſe accepturum noſtra opera bona pœnalia in Satisfactionem noſtrarum, vel alienarum pœnarum temporalium, quæ ex peccatis,ac culpis remiſſis relinquuntur, infallibilem habeat effectum;attamen ille effectus pendet ex opere operantis:& licèt ſit infallibilis, poſitis omnibus conditionibus requiſitis,& certus in aſſequutione; non tamen eſt certus quoad gradus,& entitatẽ illorum: at effectus Satisfactionis Sacramentalis,cùm ſit ex opere operato, infallibilis eſt,& certus quoad gradum in omnibus pœnitentibus.Et quamuis illi, qui maiori dolore peccatorum,& feruentiori Dei amore ſuã expleuerint pœnitentiam ſibi à Confeſſariis impoſitam, maiorem effectum remiſſionis pœnæ temporalis aſſequantur;id quidem iam eſt ex opere operantis,non ex opere operato, vt patet.

SECTIO II.

An Satisfactio Sacramentalis quando ponitur,cauſet aliquam gratiam ſanctificantem ex opere operato.

CErtum eſt,ac receptum apud omnes, Satisfactionem Sacramentalem,quando imponitur,aliquem effectum habere ex opere operato. Et ratio eſt, quia ſi nullum haberet, non eſſet maioris virtutis, & efficaciæ Satisfactio Sacramentalis, quàm non Sacramentalis; quod eſt abſurdum:quia ſic nulla eſſet ratio cur appellaretur pars Sacramenti Pœnitentiæ. Firmo, nam actio imponendi Satisfactionem, procedit aliquo modo à poteſtate ſoluẽdi,& remittẽdi peccata ſubiecta Sacerdoti per Confeſſionem;& ideò ex Chriſti inſtitutione 1

tione applicantur eius merita, & ſatisfactio ſpeciali modo per hanc partem Sacramentalem: vt indicat Trid. *ſeſſ.* 14. *c.* 3. ſic dicens: *Ipſius pœnitentis actus, nẽpe Contritio, Confeſſio, & Satisfactio, quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamque, & perfectam peccatorum remiſſionem ex Dei inſtitutione requiruntur, hac ratione Pœnitentiæ partes dicuntur.* Difficultas ergo eſt, quis ſit hic effectus, qui datur per ſatisfactionem Sacramentalem: modò inquirimus, an quando illa ponitur, cauſet ex opere operato aliquam gratiam ſanctificantem.

2 In hac re noſter Suar. *diſp.* 38. *ſect.* 2. *n.* 3. docet eam ſibi dubiam eſſe, quia pendet ex inſtitutione diuina, quæ nulla ſufficienti auctoritate habetur: & coniecturæ pro vtraque parte probabiles ſunt: tamen in re incerta illi placet adhærere parti affirmanti fauorabili, præſertim ob D. Thomæ auctoritatem, quia apertè eſt huius ſententiæ *q.* 90. *a.* 2. *ad* 2. Vbi Caiet. id notat, & ſequitur.

Probatur hæc opinio *primò*, quia Sacramenta nouæ Legis cauſant gratiam: ergo cum hæc ſatisfactio ſit pars Sacramenti, aliquid conferet gratię: nihil enim videtur poſſe intrare ad componendum Sacramentum in ratione Sacramenti, niſi illud, quod componit illud in ratione ſigni ſenſibilis ſignificantis practicè gratiam: quidquid enim eſt extra hunc conceptum, erit etiam extra conceptum Sacramenti vt Sacramentum eſt.

Secundò, ſi ſatisfactio fuiſſet iam exhibita tempore Abſolutionis, maiorẽ effectum gratiæ ex opere operato homo accepiſſet; eſſet enim magis, & melius diſpoſitus: at Satisfactio licet fiat tempore ſequenti, moraliter tamen coniungitur cum aliis partibus, cum quibus facit vnum Sacramentum: ergo totum illud Sacramentum conferet maiorem gratiam; atque adeò plus gratiæ dabitur poſita ſatisfactione ſupra eã, quæ iam data fuerat.

Tertiò, hæc Satisfactio non ſolùm eſt in vindictam, & remiſſionem pœnę, ſed etiam præcipuè ad curationem, & medicinam; ad quem finem & effectum eſt maximè neceſſaria gratia: ergo veriſimile eſt, quod eam afferat ex opere operato.

Quartò, in Abſolutione reperitur aliqua remiſſio pœnæ cum remiſſione culpæ; ergo etiam in Satisfactione cum remiſſione pœnæ inuenitur aliqua infuſio gratiæ ſanctificantis.

Quintò, in Abſolutione dicit Sacerdos, *Quidquid boni feceris &c. ſit tibi in remiſſionem peccatorum, augmentũ gratiæ, & præmium vitæ æternæ*: ergo ſignũ eſt, illa verba gratiam augere ex opere operato in pœnitente.

Vltimò, ſatis probabile eſt, apud Doctores, ſumptionẽ Calicis in Euchariſtia cauſare nouam gratiam poſt ſũptionem Corporis, quia eſt noua pars Sacramenti: idem dicitur de collatione poteſtatis abſoluendi data Sacerdoti poſt datam poteſtatem ad conſecrandum, ob eandem rationem: ergo idem dici debet de Satisfactione, quæ eſt noua pars Sacramenti Pœnitentiæ.

3 Contrariam ſententiam negantem iudicant probabiliorem Card. Lug. *diſp.* 25. *ſect.* 1. *n.* 2. Coninc. *diſp.* 10. *dub.* 10. *n.* 94. & alij. *Primò*, quia nullum eſt fundamentum in Scriptura, Patribus, aut Cõciliis ad illum effectũ gratiæ ſanctificantis tribuendum Satisfactioni Sacramentali.

Secũdò, nullum Sacramentũ integrum, nec aliqua eius pars confert vllum effectum, quem non ſignificet, ſiue ad quem conferendum nõ ſit inſtituta: at ſatisfactio nõ ſignificat collationem gratię ſanctificantis, nec ad hanc conferendam eſt inſtituta, ſed ad punitionem, & remiſſionem pœnæ temporalis, & ad facilitandam euaſionẽ peccati futuri: quæ non fiunt per infuſionem gratię habitualis, quia hæc nec remittit eas pœnas, vt per ſe cõſtat, nec facilitat exercitiũ virtutis, aut fugã peccati, ſed hoc fit per habitus acquiſitos, vel per gratias præuenientes: ergo Satisfactio Sacramentalis non confert talem gratiam ex opere operato.

Tertiò, Satisfactio, per ſe primò, vt dicetur *infr.* ex omnium ſententia, eſt inſtituta ad remiſſionem pœnæ: ad hunc autem effectum non eſt neceſſaria infuſio gratiæ: nam conſtat per Sacrificium Miſſæ, & per Indulgentias auferri reatum pœnæ ex opere operato abſque infuſione, vel augmento gratiæ; ergo.

Vltimò, ex hac ſententia ſequeretur, ſolam Satisfactionem poſſe facere ex attrito contritũ, & dare aliquando primã gratiã: ſi enim pœnitẽs poſt Abſolutionẽ peccaſſet mortaliter, & haberet Attritionẽ tũc quando implet pœnitentiam ei datam à Confeſſario, iuſtificaretur; nam Sacramenta quæ poſſunt conferre gratiam, poſſunt etiã primam gratiam conferre per accidens, in attrito, cùm iam non inueniant obicem.

4 Dico *primò*, rẽ hãc eſſe valdè incertã, ac dubiã. Id benè notau. Suar. relatus, & patet, quia id pẽdet ex inſtitutione, quę nulla manifeſta auctoritate habetur, neq; in Scriptura, neq; in Patribus, aut Cõciliis: igitur res dubia eſt.

5 Dico *ſecũdò*, vtrãq; opinionẽ negatiuã; & affirmatiuã probabilẽ eſſe. Probatur, quia pro vtraq; parte probabiles rationes extant, nẽpe adductæ, tametſi ſint ſolubiles: Vnde valde exceſſit Luyſ. Turriã. *in Select. p.* 2. *diſp.* 31. *dub.* 21. cùm dixit, ſententiã negãtẽ eſſe temerariã; cùm ſint quãplurimi Doctores graues, inter quos Vaſq. ſuus Magiſter, in cuius verba iurauit, qui eam defendant.

6 Dico *tertiò*, mihi magis placere partẽ affirmantẽ. Moueor nõ ſolùm coniecturis allatis, ſed præcipuè, quia vt dicã *ſect. ſeq.* verius exiſtimo per iſtã Satisfactionẽ dari ex opere operato aliquã gratiã Sacramentalẽ, id eſt, auxiliũ aliquod præſeruans, ſeu adiuuans ad emendanda peccata; ergo & gratiam aliquã habitualẽ, ſeu gratum facientem: patet Cõſequentia, quia in Sacramentali effectu ſẽper hęc duo cõiuncta ſunt, vt explicui in *tra. de Sacram. in genere diſp.* 12. *ſect.* 3. Vbi oſtendi *n.* 8. & 9. gratiam Sacramentalem eſſe ipſam gratiam habitualem communem cum ſpeciali exigentia ſpecialium auxiliorũ ad ſpeciales actus: Vnde eſt connexio inter hæc duo, non quidem intrinſeca, & phyſica, ſed moralis, & extrinſeca ex ſola Dei inſtitutione; Quare prædicta auxilia gratiæ Sacramentalis non debentur homini minimè accipienti in Sacramento gratiam ſanctificantem. Quia cùm dentur mediã gratiã habituali tanquã radice ea aliquo modo exigente gratia ſanctificante nõ acceptâ nõ debentur. Quod ſatis firmatur verbis illis formæ Sacramentalis in Diaconatu. *Accipe Spiritum Sãctum ad reſiſtendum Diabolo, & tentationibus eius.* Vbi auxilia ad reſiſtendum Diabolo non promittuntur niſi per aduentum Spiritus Sancti, qui non aduenit niſi per infuſionem gratiæ habitualis. Ex quo fit, vt ſicut nõ adueniente gratia habituali, non acquiritur ius illud ad auxilia; ſic abeũte eadẽ gratia per peccatũ mortale, amittitur etiam illud ius: Patet, quia eadem eſt vtriuſque cõnexio in conſeruatione gratiæ habitualis, ac in prima introductione, cùm nulla ſit ratio diſparitatis

Ex his facilè ſoluũtur Argumẽta cõtraria partis negãtis. Ad primũ dico probare tãtùm noſtrũ primũ Dictũ.

Ad ſecundũ reſpõdeo, Satisfactionẽ Sacramentalẽ, nõ ſolùm ſignificare remiſſionem, vel punitionem pœnæ; ſed etiam ex vi ſuæ inſtitutionis, ſignificare gratiam Sacramentalem, vt dicam *ſect. ſeq.* & conſequenter ſignificare gratiam habitualem, ſeu ſanctificantem; quia vt dixi, cum hac coniuncta eſt gratia Sacramentalis.

Hinc cõſtat ſolutio ad Tertiũ; nã licèt verũ ſit ad remiſſionẽ pœnæ præcisè nõ eſſe neceſſariã infuſionẽ gratię, cæterum ex inſtitutione diuina neceſſaria eſt ad collationẽ gratiæ Sacramentalis propter connexionem, quã habet cum gratia ſanctificante, ex qua oriuntur talia auxilia: quã perditã, perditur etiam ius acquiſitum per

dictam

Digitized by Google

dictam ſatisfactionem ad talia auxilia; & recuperatâ, recuperatur.

6 Ad vltimum, piè concedi poteſt, Satisfactionem Sacramentalem poſſe in illo caſu facere ex attrito, contritum; quia ſicut de omnibus Sacramentis id cōceditur à Doctoribus grauiſſimis, nō alia de cauſa, niſi quia ſunt per ſe inſtituta ad illū effectū gratiæ ſanctificātis præſtandū; poſſet idē piè concedi de Satisfactione Sacramētali, quatenus per ſe eſt inſtituta ad cauſandam gratiam Sacramentalem, ſiue ad dandū ius ad auxilia, quæ præſeruant hominem a peccatis, & ordinantur ad emendāda peccata. Quare cùm Satisfactio Sacramentalis det ius ad prędicta auxilia; conſequenter dat etiam gratiam habitualem in qua illud ius fundatur, ſicut omnia alia Sacramenta id faciunt.

SECTIO III.

Vtrùm Satisfactio Sacramentalis conferat aliquam gratiam Sacramentalem, id eſt auxilium aliquod præueniens, quo iuuetur pœnitens, vt in poſterū fugiat peccata?

1 CArdin. Lugo *diſp. 25. ſect. 1. n. 6.* cōſequēter docet, Satisfactionē Sacramentalē, ſicut non cōfert gratiam habitualem, vt ipſe exiſtimat, ita nec conferre ex opere operato ius ad auxilia aliqua in ordine ad præſeruandū hominem à peccatis, vel ad peccata emendāda. Probat, quia Sacramenta non ſolent cōferre ex opere operato ea auxilia, niſi quatenus afferunt gratiā habitualem, ex qua oriuntur talia auxilia, & cū ordine ad illam, quæ ſolet dici Gratia Sacramentalis; ergo ſi hæc ſatisfactio daret ius ad auxilia, daret etiam gratiam habitualem in qua illud ius fundaretur.

2 Suarez verò *diſp. 38. ſect. 2. n. 3.* verū iudicat, dari ex opere operato per hanc Satisfactionem Sacramentalē aliquam gratiā, id eſt auxiliū aliquod præſeruās, ſeu adiuuans, ad emendanda peccata; quia cū propter hunc finem ſit inſtituta hæc pars integralis Sacramenti Pœnitentiæ, non videtur dubium, quin illi ſit data virtus adiuuans hunc finem.

Firmat hanc ſententiā Coninck *diſp. 10. dub. 10. n. 92* aſſerens hanc ſatisfactionem ex opere operato cōferre ſuo tempore gratias aliquas præuenientes, quibus iuuetur pœnitens, vt in poſterum fugiat peccata. Probat, quia ſicut ipſum Sacramentum, ita quæuis eius pars habet vim efficiendi ex opere operato id quod ſignificat, & ad quod efficiendum directè eſt inſtitutum: At hæc Satisfactio, vt conſtat ex Tridentino, & communi Eccleſiæ ſenſu, eſt inſtituta non ſolùm ad delendas pœnas temporales, ſed etiam vt faciliùs peccata in poſterum caueantur; & conſequenter cùm Sacramenta ſignificēt ſuum effectum, ipſa etiam hunc effectum ſignificat. Igitur habet quoque vim, eum ex opere operato efficere. Hęc noſter Coninck.

3 Huic ſententiæ vt veriori, ac magis conformi doctrinæ ſanctorum Patrum, ac præcipue Concil. Trid. magis adhæreo. Quā ampliùs confirmo ex ipſo Tridentino; nā *ſeſſ. 14. c. 3.* agēs in genere de partibus, & fructu Sacramēti Pœnitētiæ, ait de Satisfactione ſimul ac de Cōtritione, & Confeſſione, eſſe has partes inſtitutas ad emendanda peccata, his verbis: *Sunt autem quaſi materia huius Sacramenti, ipſius pœnitentis actus, nempe Contritio, Confeſſio, & Satisfactio. Qui quatenus in pœnitente ad integritatē Sacramēti, ad plenāq; & perfectā peccatorum remiſſionem ex Dei inſtitutione requiruntur, hac ratione Pœnitentiæ partes dicuntur.* Hæc Trident. Vbi ponderandum eſt ad noſtrum intentum, quod expreſſè docet, Satisfactionem quoque tanquam partem huius Sacramenti, illud integrantem, requiri ex Dei inſtitutione ad plenam, & perfectam peccatorum remiſſionem. Cúmque conſtet hanc plenam, & perfectā peccatorū remiſſionem neceſſariò poſtulare deteſtationem peccatorū cōmiſſorū cū propoſito nō peccādi de cætero; & ad id obtinendū dicat Concilium, requiri quoque ex Dei inſtitutione ſatisfactionem Sacramentalem, manifeſtū eſt, hanc ex Trid. inſtitutā eſſe non tantū ad delendas pœnas temporales, ſed etiam, & præcipuè, vt faciliùs peccata in poſterùm caueantur. Quod magis in particulari declarat idem Tridentinum *cap. 8. eiuſdem ſeſſionis.* vbi agens in particulari dē Satisfactionis Sacramentalis neceſſitate, & fructu, & de ſatisfactoriis pœnis, quas debent Cōfeſſarij imponere pœnitentibus ſic ait: *Proculdubio enim magnopere à peccato reuocat, & quaſi fræno quodā coërcent hæ ſatisfactoriæ pœnæ, cautioréſque, & vigilātiores in futurū pœnitentes efficiunt; medētur quoque peccatorum reliquiis; & vitioſos habitus malè viuendo comparatos, contrariis virtutū actionibus tollunt.* Vnde infrà ſic quoque Trident. loquens cū Confeſſariis: *Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum ſpiritus & prudentia ſuggeſſerit, pro qualitate criminū & pœnitentium facultate, ſalutares, & conuenientes ſatisfactiones iniungere, ne, ſi fortè peccatis conniueant, & indulgentiùs cum pœnitentibus agant; leuiſſima quadā opera pro grauiſſimis delictis iniungendo, alienorū peccatorū participes efficiantur.* Et ad id perſuadendū, ſubdit. *Habeant autē præ oculis, vt ſatisfactio, quā imponūt, ſit quoq; ad nouæ vitæ cuſtodiā, & infirmitatis medicamentū.* Quâ egregiâ Trident. doctrinâ clarè docemur, Satisfactionē, quæ eſt pars Pœnitentiæ, habere vim ex opere operato, & ex vi inſtitutionis diuinæ, non ſolùm ad delendas pœnas temporales, ſed etiā ad faciliùs peccata in poſterū coërcenda, reuocātes à peccato; & quaſi fræno quodam coërcentes, cautiores ac vigilantiores in futurū pœnitentes efficiamus: At manifeſtè etiā cōſtat facilitatem hanc vitandi in poſterū peccata, quę ex doctrina allata Cōcilij datur per Satisfactionem Sacramētalem, dari per gratias, & auxilia præuenientia, & cooperantia, quibus iuuatur pœnitens vt in poſterum fugiat peccata. Igitur certum, ac veriſſimum videtur ſatisfactionem, quæ eſt pars Sacramenti Pœnitentiæ, conferre prædictas gratias, & auxilia; & iſta eſſe quoq; effectus illius: atque adeò conferre gratiā Sacramentalē.

Hinc manifeſtè colligitur, ſatisfactionem Sacramentalem non ſolùm eſſe inſtitutum ad remiſſionem, vel in vindictam pœnæ; ad quem effectum præciſe nō eſt neceſſaria infuſio gratiæ ſanctificantis; ſicut per Sacrificiū Miſſæ remittitur pœna, licet non infundatur prædicta gratia, ſed etiā & præcipuè in curationē, ac medicinā; ad quē effectū maximè neceſſaria eſt collatio gratiæ Sacramentalis; & cōſequenter gratiæ ſanctificātis, quia in Sacramentali effectu, ſemper hæc duo cōiūcta ſunt. 4

SECTIO IV.

An Satisfactio Sacramentalis conferat ex opere operato remiſſionem pœnæ temporalis; & quando ea conferatur; idque conueniat cuilibet Satisfactioni, & in qua proportione?

CIrca primū, certū eſt ac indubitatū, propriū effectū ex opere operato Satisfactionis Sacramentalis eſſe remiſſionem alicuius pœnę tēporalis, pręter illā quæ reſpondere poteſt ex opere, ſeu merito operantis; quę eſt maior, vel minor in entitate, & gradu, iuxta maiorē feruorem, & diſpoſitionem pœnitentis. Id firmatur *primò*, 1

auctoritate Trid.*ſeſs.*14.*c.*3.vbi enumeratis tribus partibus materiæ Sacramẽti Pœnitentię,nempe Contritione,Cõfeſſione,& Satisfactione,ait requiri illas ad plenã & perfectam peccatorum remiſſionẽ ex Dei inſtitutione.Cùm ergo ſatisfactio non requiratur ad remiſſionẽ peccati quod culpã,requiretur ad peccati remiſſionem quoad pœnã;cùm nihil aliud in peccato remitti poſſit: ergo circa remiſſionẽ huius pœnæ debet habere ſuum effectũ ex opere operato.*Secũdò*,ex Chriſti inſtitutione, & poteſtate ab eo accepta,Sacerdos imponit pœnitẽtiã, & habet poteſtatem ad faciendum quod ſignificat ſe facere;ſignificat autem dum pœnitentiam imponit, ſe imponere illam loco pœnæ, quæ reſtat in Purgatorio ſoluenda,ſeu ad finẽ expiãdi a debito pœnæ:ergo ſignificat ſe commutare pœnam Purgatorij in illã pœnã tẽporalem;ergo cùm hæc commutatio,& actio procedat ab habente auctoritatem,conſequens eſt,vt niſi Clauis erret, conſequatur ſuum effectum liberandi pœnitentem à debito pœnæ Purgatorij per ſatisfactionem impoſitam à Sacerdote auctoritate Chriſti.*Vltimò*, Sacramenta nouæ legis id infallibiliter efficiunt ex opere operato quod ſignificant.Vnde ſicut ipsũ Sacramẽtũ,ita quæuis eius pars habet vim efficiendi ex opere operato id quod ſignificat,& ad quod directè efficiẽdũ eſt inſtitutum.Atqui hæc ſatisfactio vt conſtat ex Trid.& cõmuni Eccleſiæ ſenſu, eſt inſtituta ad delendas pœnas temporales;& conſequenter cùm Sacramenta ſignificent ſuum effectum,ipſa etiam hunc effectum ſignificat:& ipſe quoque Confeſſarius ex inſtitutione Chriſti imponendo pœnitentiam,ſpecialiter ſignificat remiſſionem illius pœnæ:ergo neceſſe eſt,vt habeat vim eum effectum ex opere operato efficiendi.

2 Vnde colligo impletionem pœnitentiæ à Confeſſario iniunctæ,quæ prædictum confert effectum ex opere operato,nempe remiſſionẽ pœnę,eſſe verã partem Sacramenti,non quidẽ eſſentialẽ,quia aliàs ſine ea Sacramentum eſſentialiter perfici non poſſet,quod tamen eſt falſum;ſed integralem,ſicut manus,aut pes eſt pars hominis.Et in hoc ſenſu dixit Trid.*ſeſs.*14.*c.*3.Satisfactionem dici partem Pœnitentiæ,quatenus ad eius integritatem,& ad plenam & perfectam peccatorum remiſſionem ex Dei inſtitutione requiritur;ad cauſandam nimirùm remiſſionem peccati, non quoad culpam,ſed quoad reatum pœnæ temporalis.

3 Circa ſecundum:quando conferatur dictus effectus? poſſet quis opinari,ſi quis pœnitentiã impleret,antequã abſolueretur,ſtatim habere ſuum effectum ex opere operato,ſupponendo ſubiectum eſſe diſpoſitum,& in gratia.Quia tunc illa pœnitentia iam eſt pars Sacramẽti,& in virtute Clauium nititur;ergo ſuum effectum operatur etiam ante Abſolutionem.

Alij verò ſecuti Alenſem 4.*p.q.*8.*mẽbro.*2.*a.*3 exiſtimant ſtatim ac ſatisfactio imponitur à Sacerdote,incipere habere ſuum effectum antequam executioni mãdetur:quia ipſamet actio Sacerdotis habet aliquam efficaciam circa hunc effectum,cùm ex diuina inſtitutione talem pœnitentiam iniungat.

4 Dico *primò*,ſi quis pœnitẽtiã,& Satisfactionẽ à Cõfeſſario impoſitã impleat,antequam abſoluatur,vt fieri aliquãdo poteſt ad maiorẽ experiẽtiã emẽdationis pœnitẽtis,tũc expleta Satisfactio nõ habebit ſuũ effectũ ante datã Abſolutionẽ,tametſi pœnitẽs diſpoſitus ſit per Cõtritionẽ,& gratiã.Ita Suar.*diſ.cit.*38.*ſect.*4.*n.*5.Cardin.Lugo *diſ.*25.*ſect.*2.*n.*28.Fagũd.*c.*3.*n.*6.& alij.Ratio à priori eſt,quia Sacramentũ nõ habet ſuũ effectum ex opere operato,donec eſſentialiter conſũmatũ ſit per formã:vnde in nullo Sacramẽto datur effectus,antequã ponatur materia,& forma:Satisfactio autẽ ſecundũ ſe eſt ſolũ materia,quæ debet eleuari per formã Abſolutionis ad ſuum effectũ operãdũ:vt enim dixit Trid.*ſeſ.*14.*c.*3.ſtatim in initio:*Præcipua vis,& efficacia Sacramenti Pœnitentiæ ſita eſt in forma*;ergo.Præterea hic effectus remiſſionis pœnæ tẽporalis,ſecũdarius,& eſt cõiũctus alteri principali,qui eſt remiſſio culpæ:ſicut ergo non remittitur culpa ante Abſolutionem,ita nõ remittitur pœna temporalis ex opere operato ante illam,ſeruata eadẽ proportione:Quare ſicut homo per Contritionẽ,quæ eſt potior pars materialis in hoc Sacramẽto, non habet effectũ gratię ante Abſolutionẽ ex opere operato,ſed tantũ ex opere operantis;ſic etiã ſatisfactio ipſa ante Abſolutionẽ datã effectũ ſolũ habebit ex opere operãtis alicuius remiſſionis pœnę tẽporalis,nõ verò ex opere operato:poſteà verò cõſũmato Sacramẽto,dabitur totus effectus ex opere operato,modo ſtatim explicãdo.

Dico ergo *ſecundo*,ſuppoſita diſpoſitione pœnitentis, 5 & acceptatione pœnitentiæ,& propoſito implẽdi ſatiſfactionẽ impoſitã,per ipſãmet Abſolutionẽ Sacerdotis, antequam impoſita pœnitẽtia executioni mandetur,remitti ſẽper ex opere operato aliquid pœnę tẽporalis:vnde ratione Sacramẽti ſuſcepti remiſſius puniretur homo in Purgatorio,etiãſi moriatur antequã impoſitam pœnitentiã exequatur. Hoc patet ex dict. ſupra *diſ.*9.*ſect.*7.

Dico *tertio*,poſt datam Abſolutionẽ,quando pœni- 6 tens implet pœnitentiã impoſitã pro diſpoſitione quam habet,conferri quoq;remiſſionẽ pœnæ tẽporalis, ſi maneat alicuius pœnæ reatus.Ratio eſt, quia Sacramentũ Pœnitentię tunc perficitur quoad hunc effectũ,quamuis enim forma Abſolutionis fuerit anteà prolata, materia tamen quoad hanc partem nunc applicatur:ergo nunc perficitur Sacramentum in ordine ad hunc effectum:at Sacramentum habet effectum ſuum ex opere operato, cùm reipſa ſuſcipitur.Idẽ dicendum de parte Sacramẽti ſeruata proportione.Nec obeſt,ſententiam Abſolutionis fuiſſe anteà prolatã;quia ſententia illa non pręſcripſit tantam,vel tantam remiſſionẽ pœnæ, ſed obligauit ad talem ſatisfactionem;& eleuauit illam ad totum effectum,quem poſſet habere.

Circa tertium,an quælibet Satisfactio impoſita ha- 7 beat hunc effectum,& in qua proportione?

Quidam dixerunt,ſi Satisfactio ſit minima, & improportionata, nullum omninò habere effectum. Probant, quia talis Satisfactio eſt iniuſta,& intolerabilem continet errorem.

Alij verò è contra docent,etiamſi minima pœnitentia imponatur,illam remittere totũ reatũ pœnæ,quãtuſcumque ſit; quia Deus reliquit Sacerdoti poteſtatem commutandi pœnam Purgatorij in aliquam Satisfactionem ab ipſo impoſitam:ergo ſi pœnitens impleat illam, iam nihil debebit,quia iam ſuſtinuit pœnam à legitimo Iudice impoſitam.

Dico *primò*,pœnitentiam iniunctam non remittere 8 ſemper omnem pœnam debitam.Ita communiter omnes Doctores.Ratio eſt,quia ex eo quòd pœnitentia ex opere operato remittat eas pœnas nullo modo ſequitur, quòd ſemper omnes remittat,cùm effectus hic ſit diuiſibilis,ſed remittit maiores,vel minores pro ſui magnitudine,& diſpoſitione pœnitentis:ſicut etiã ſecundùm diſpoſitionem ſuſcipientis Sacramenta maiorẽ,aut minorem gratiã conferũt.Quare hic effectus remiſſionis pœnæ maior,vel minor eſt, pro maiori,vel minori diſpoſitione,quã inuenit in pœnitẽte.Quod certè nõ ſolũ ſpectat ad ſuauem Dei prouidentiam, & ſapientem ac iuſtiſſimam diſtributionem, ſed etiam expediens fuit ad maiorem hominum vtilitatem,ac prouentum,vt nimirùm pœnitentes excitarentur ad maiorẽ pœnitentiã, & ſatisfactionẽ cum maiori deuotione propter ſpem maioris fructus:vnde ſicut cùm homo iuſtificatur per Sacramentum,quia gratia nõ cõſiſtit in indiuiſibili,ſed habet magis,ac minus, & ad eã obtinendã in Sacramento requiritur diſpoſitio ex parte hominis;ideò cõſequẽs eſt vt

meliori

Digitized by Google

meliori diſpoſitioni abundantior gratia correſpondeat: vt clarè colligitur ex Trid. *ſeſſ.6. c.7.* dicente iuſtificari homines,& recipere iuſtitiam internam ſecundum propriam cuiuſque diſpoſitionem. Ita pariter dicendum eſt de remiſſione pœnæ debitæ per Sacramentum Pœnitentiæ pro meliori diſpoſitione augeri Satisfactionis valorem.

9 Hinc dico *ſecundò*, contingere poſſe, aliquam eſſe Satisfactionem ita proportionatam debito peccatorum, vt ſi illa imponatur, & impleatur, totum pœnæ reatũ deleat. Patet, quia cum hic reatus finitus ſit, poteſt adæquari per finitam ſatisfactionem: ergo interdum poteſt ſatisfactio excedere reatum, vel ſaltem æquare; & ideò ſi quis illam impleat, iam nihil debebit. Communiter verò ac moraliter loquendo ſolet eſſe inæqualis; & ideò habet ſolum ex parte effectum remiſſionis pœnæ iuxta proportionem, quam cum ipſo reatu habuerit.

10 Dico *tertiò*, etiamſi ſatisfactio in Sacramento minima ſit, & valdè improportionata reatui pœnæ, ſemper habere aliquem effectum remiſſionis alicuius pœnæ. Id benè notauit Suar. *diſp.* 38. *ſect.* 2. *n.* 7. ex communi doctrina. Probatur, quia illa ſatisfactio, quamuis minima eſt pars Sacramenti Pœnitentiæ; & hæc pars, præcipuè eſt inſtituta ad remiſſionem pœnæ temporalis; nam ad remiſſionem culpæ ordinata eſt Contritio, & Abſolutio: ergo cùm aliquem effectum Sacramentalẽ habere debeat, habebit hunc nempe remiſſionis pœnæ cum proportione: aliàs enim ſi nullum haberet, non eſſet alicuius maioris efficaciæ ſatisfactio Sacramentalis, quàm non Sacramentalis. Quod dici non poteſt, quia ſic nulla eſſet ratio, cur eſſet, & appellaretur pars Sacramenti. Firmo: nã actio Sacerdotis imponendi ſatisfactionem, procedit quoque à poteſtate ſoluendi, & remittendi peccata ſubiecta illi per Confeſſionem; vnde illa ſatisfactio impoſita ligat, id eſt, obligat vt impleatur: ergo impleta ſoluit cum proportione, vt ſit æqualitas: Nam illa pars pœnitentiæ debitæ, licet non correſpondeat toti debito, correſpondet tamen parti ipſius, & per conſequens pro ipſo ſatisfaciet. Sicut ſi iudex, reo criminis, cui debebatur triennium exilij, iniungat exilium Semeſtrẽ, ſatisfaciet illa pœna pro parte ſaltem pœnæ debitæ. In commutatione etiam Voti facta à Prælato in rem inæqualem, etiamſi nulla ad commutandũm cauſa ſubſit, nedum ad minuendum, valet vtique commutatio cum ſola obligatione ſupplendi id quod defuit ad æqualitatem materiæ ſubrogatę cum promiſſa, vt doctè probat noſter Thom. Sãch. *lib.* 4. *de vot. c.* 51. *n.* 8. Quia mitius agitur cũ Deo quàm cũ hominibus: At inter homines commutatio iniuſta defectu ęqualitatis inter res permutatas nõ eſt omninò irrita, ſed valet cũ obligatione ſupplendi exceſſus.

11 Argumentum primæ ſententiæ nullius eſt roboris: nã illa ſatisfactio impoſita à Sacerdote tametſi improportionata, & iniuſta, & intolerabilẽ contineat errorẽ, eſt quid accidentarium, & nihil obeſt remiſſioni pœnæ etſi leuiſſimę iuxta ipſius Satisfactionis proportionem, cùm ſit Abſolutio, & Sacramentum validum; quia illa nullo modo opponitur valori Sacramenti.

12 Ad illud aliud ſecundæ ſententiæ, dico, tametſi verũ ſit, Deum dediſſe poteſtatem iudicandi ipſi Sacerdoti; eam tamen dedit ſeruata Iuſtitiæ proportione, quia nõ fecit illum dominum, ſed iudicem: ratio verò iudicij poſtulat æquitatem; vnde non commiſit illi vt ſuo arbitrio imprudenter diſponeret, ſed ſeruato ordine diuinæ Iuſtitiæ. Quare eadem pœnitentia vel ſatisfactio Sacramẽtalis eadẽ deuotione, ac diſpoſitione pœnitentis peracta, ſemper habet eandem vim delendi pœnas peccatis debitas; nec vllo modo eſt in poteſtate Sacerdotis facere, vt in vno maiorem deleat pœnam, quàm in alio. Cęterùm quo pacto in impoſitione pœnitentiæ ſe habeat vt iudex, conſtabit *ſect. ſeq.*

SECTIO V.

An ſi Confeſſarius prudenter exiſtimet pœnitentiam iniunctam æqualem eſſe, liberetur pœnitens ab omni reatu pœnæ per illam pœnitentiam, tametſi reuera non fuerit æqualis.

CErtũ videtur *primò* apud Doctores, opus eſſe, aliquãdo minorẽ imponere pœnitentiã, quàm delicta poſtulabãt; quia cùm ſit in medelã, & punitionem, & pũnitio in medelã ordinetur, cauendũ eſt; ne grauis impoſita pœnitentia, ſeu pœna, ſit occaſio futura peccãdi. Quãdo verò pœnitentia ſic imponitur multò minor, prôvt ſæpe expedit facere iuſtas ob cauſas, nimirũ propter infirmitatẽ, aut impotentiã pœnitẽtis, & ne ipſe exponatur periculo non implendi pœnitentiam; tunc non tollitur reatus totius pœnæ debitæ per illam modicam pœnitentiã, nec extinguitur debitũ totius pœnę reſtãtis. 1

Secundo, etiã à Doctoribus conceditur, ſi Claue nõ errante, tãta imponeretur pœnitentia, quãta debita eſſet, nihil remanere ſoluendũ in alia vita, ſolutã pœnitentiã exactè in hac; quia tũc cum eſſet omnimoda æqualitas, tolleretur reatus totius pœnæ debitæ. Solùm dubiũ eſt, vtrum æqualitas hæc in aſſignanda pœna ſit omninò ſubdita Sacerdotis iudicio, vt quod ipſe prudẽter arbitratus fuerit ſecũdùm rigorẽ iuſtũ eſſe, vt nihil velit remittere ob fragilitatẽ pœnitentis, vel alia de cauſa, etiãſi in re deficiat, illud à Deo admittatur vt iuſta ſolutio pœnæ debitæ: ſicut pretiũ domus dicitur aſſignandum ſecundùm iudicium prudentum duorum, aut triũ; quos Iudex, vel Reſpublica aſſignauerit, & ſi illi bona fide decepti, minus, pluſve aſſignauerint, nihilominùs ipſum iudicatur iuſtum pretium. 2

Prima opinio, quæ eſt Scot *in* 4. *d.* 19. *q.* 1. §. *Ad quæſt. mot.* Gab. *d.* 18. *q.* 1. *a.* 1. *notab.* 5. *concl.* 2. Maior. *d.* 20. *q.* 1. *in princip.* Dominic. Sot. *d.* 20. *q.* 2. *a.* 3. & aliorum, affirmat, ita in arbitrium Confeſſarij collatum eſſe iudicium cauſæ pœnitentis, vt ſi ipſe imponat omnem pœnitentiam, quam iuſtam arbitratur, etiamſi errauerit parùm minùs, eſſe omninò remiſſam pœnam temporalem in alia vita ſoluendam; itavt non ſit neceſſarium iudicium Sacerdotis ferri ad indiuiſibile. 3

Probatur *primò*, quia Sacerdos eſt iudex arbitrarius in hac cauſa, hoc eſt in arbitriũ eius collatum eſt: ergo id quod ipſe prudẽter iudicat, debet ratũ haberi; quia arbitriũ nõ cõſiſtit in indiuiſibili, ſed latitudinẽ habet vt ſit iuſtũ; ergo intra illã latitudinẽ nõ errat Clauis, etiamſi aſſignet parũ minorem pœnitentiam; Claue autem non errante, & iuſtã pœnã arbitrante, iure optimo intelligitur abſoluta cauſa, & debitum omninò extinctum.

Secũdò, hoc iudiciũ pœnæ cõmiſsũ eſt homini, qui debet taxare pœnã cõdignã: ergo debet iudicare & taxare modo humano; & iuxta humanã æſtimationem, quę nõ conſiſtit in indiuiſibili: ergo licet paulò maiorem, vel minorem taxet pœnam, erit æqualis, eo modo, quo iudicium humanum, & iuſtitia requirit; alioqui nunquam poſſet Confeſſor iuſtum arbitrium ferre in hoc iudicio.

Tertiò, idẽ firmatur ex differẽtia inter Satisfactionẽ ex opere operãtis, & ex opere operato: nã in illa homo nõ eſt iudex, ſed reus pœnas luẽs; & ideò ibi datur certa ſatisfactio in indiuiſibili cõſiſtens; ſoli Deo cognita: at in poſteriori ſatisfactione homo eſt iudex arbiter iniũgens pœnam condignam: ergo pœna Sacerdotis arbitrio impoſita pro menſura delicti erit æqualis, & ſufficiens ad totum debitum omninò extinguendum.

Quartò, & vltimò probatur à ſimili, ex cõceſſione Indulgẽtię, ad cuius valorẽ licèt requiratur cauſa proportionata, ſi tamen talis cauſa prudenter exiſtimetur ſub-

eſſe, licèt reuera nõ ſit, Indulgẽtia erit valida, vt defẽdit, & probat Suarez in *hoc tomo de pœnitentia*, *diſp.* 54. *ſect.* 3. *num.* 11. ergo ſimiliter remiſſio pœnæ, quæ per talem, vel tantam ſatiſfactionem conceditur, valida erit, ſi prudenter exiſtimetur æqualis, tametſi reuerà non ſit talis æqualitas. Idem Argumentum fieri poteſt ex doctrina communiter recepta, quam ſequitur Thomas Sanchez *lib.* 8. *de matrimonio diſp.* 17. *num.* 8. diſpenſationem factam à Pontifice in voto, vel iuramento, quando diſpenſans iudicat prudenter, eſſe ſufficientem cauſam ad diſpenſandum, validam eſſe, etiamſi reuerà cauſa in ſe non eſſet omnino ſufficiens.

4 Secunda opinio eſt negans, quam tenent Durandus *in* 4. *d.* 20. *q.* 1. Petrus de Soto *lect.* 1. *de ſatiſfactione, circa medium*, Vaſq. *q.* 94. *art.* 2. *dub.* 6. Suar. *diſp.* 38. *ſect.* 5. *n.* 3. *&* 4. Card. Lug *diſp.* 25. *ſect.* 2. *n.* 19. *& ſeq.* & alij.

Probant, *primò*, quia ad cauſandos alios effectus Sacramentorum, non ſufficit prudens exiſtimatio Miniſtri: vt in Abſolutione, non ſufficit, quòd Sacerdos prudenter iudicet, eſſe pœnitentem diſpoſitum; nec ad effectum Euchariſtiæ ſufficit, quod prudenter aliquis exiſtimet, ſe eſſe in gratia, ſi reuera non ſit, & ſic de alijs: ergo nec ad hunc effectum remiſſionis pœnæ ſufficiet, quod Sacerdos prudenter exiſtimet, eſſe ſatiſfactionem æqualem, ſi reuera non ſit.

Secundò, non videtur credibile, relictum fuiſſe arbitrio Confeſſarij iudicium de æqualitate Satiſfactionis cum debito, vt ipſe prudenter ſtatuat, qualis debeat eſſe ſatiſfactio æqualis; quia vt hoc aliquis poſſet arbitrari, debebat cognoſcere grauitatem pœnæ temporalis in purgatorio debitæ, & diuturnitatem etiam illius, & quam habeat proportionem ſatiſfactio quæque temporalis ad illam pœnam ex ſe, & ex Sacramenti virtute: quæ omnia ſunt omninò ignota Confeſſario quantũlibet docto; ergo nulli humano iudicio commiſit Deus arbitrari de condignitate pœnæ hoc modo: quia arbitrium de duabus rebus non poteſt iuſtum æſtimari, niſi vtramque cognoſcat ille qui iudicium fert. Adde, Sacerdotem etiam ignorare, quem gradum diſpoſitionis, & Contritionis afferat pœnitens, vnde pendet etiã quantitas pœnæ quam debet: qui enim eſt magis contritus, minus debet ſatiſfactionis; at melior diſpoſitio eſt cauſa, vt minor ſatiſfactio valeat ad tollendum ex opere operato maiorem pœnam. Non ergo potuit relinqui Sacerdotis arbitrio hoc iudicium, quod ipſe nullo modo poterat prudenter ferre.

Tertiò, ſi ſufficeret iudicium prudens Sacerdotis de æqualitate ſatiſfactionis cum debito pœnæ ad extinguendum totum debitum; etiã ſufficeret iudicium prudens Sacerdotis de conuenientia ſatiſfactionis impoſitæ in his circũſtantiis, vt extingueretur totum debitum, etiamſi ſciret eſſe multo minorem. Patet Sequela, quia quando reuera eſt minor, & iudicatur æqualis, tunc defectus ſuppleri debet virtute Sacramenti, & Clauium, quas Sacerdos prudenter applicat, dum impoſitâ illâ pœnitentiâ, abſoluit pœnitentem: ſed ſimiliter, quando impoſita minori pœnitentia, quam ſolam prudenter iudicat eſſe nunc imponendam, applicat Claues Eccleſiæ, & eleuat illã pœnitentiam paruam, & conatur abſoluere pœnitentem quantum poteſt; ergo ſupplet etiam totum defectum virtute Sacramenti: ergo ſi in ſecundo caſu non ſoluit totum debitum, neque etiam in primo dicendum eſt ſolui, niſi iuxta vires illius ſatiſfactionis Sacramentalis, & eleuatæ.

Quartò, Sacerdos in Pœnitentiæ Sacramento non remittit immediatè debitum pœnæ, ſed applicat partem Sacramenti, quæ ex ſe habet virtutem ad operandum illum effectum; ſicut quando offert Sacrificium pro aliquo, non remittit ei debitum pœnæ, ſed applicat illi Sacrificium, quod de ſe habet ex diuina inſtitutione talem virtutem, & quando baptizat adultum non condonat immediate pœnam debitam, ſed mediatè applicando illi Sacramentum quod affert remiſſionem totius pœnæ. Igitur non eſt in arbitrio Sacerdotis, augere, vel temperare actiuitatem illius partis Sacramentalis, quia ad ipſum ſolùm pertinet applicare cauſam, quæ de ſe ex Dei inſtitutione habet talem vel talem efficaciam.

Vltimò, Pœnitentia Sacramentalis habet determinatum valorem ex opere operato pro quantitate iniunctæ pœnitentiæ, prout Chriſtus determinauit, & non prout Confeſſarius determinat, & taxat: ſicut valor Sacramenti ad conferendam gratiam determinatus eſt à Chriſto iuxta diſpoſitionem pœnitentis, non determinatur à Confeſſario; ergo ſi pœnitentia à Confeſſario iniuncta non eſt æqualis pœnæ reſtanti, quamuis humano iudicio Confeſſarij prudenter taxetur, non extinguet totam pœnam reſtantem; quia ex Iudicio Confeſſarij non minuitur, nec creſcit valor Pœnitentiæ qui a ſſte fuit à Chriſto determinatus iuxta quantitatem pœnitentiæ.

Perplacet prima opinio, eámque iudico veriorem ac magis piam: quam nouiſſime tenet Gaſpar Hurtado *diſp.* 14. *de Pœnitentia, difficultate* 15. Iuxta quam dico, pœnitentiam prudenter taxatam attenta grauitate peccatorum, & æqualitate proportionali in ratione condignæ ſolutionis, & non minorata ob fragilitatem pœnitentis, extinguere debitum totius pœnæ reſtantis, etiamſi ſit paulò minor in re ipſa. Moueor ad id præcipue, quia ex vna parte pœnitentia Sacramentalis inſtituta eſt à Chriſto Domino, vt ex opere operato compleat remiſſionem peccatorum, remittendo totam pœnam reſtantem, vt eſt certum. Ex altera parte taxatio, & impoſitio pœnitentiæ, quâ complenda eſt peccatorum remiſſio, commiſſa eſt arbitrio, & iudicio prudentis Confeſſarij tanquam iudicis, ad præteritorum peccatorum vindictam, & caſtigationem: vt patet, cùm Sacramentum Pœnitentiæ inſtitutum ſit inſtar iudicij. Et eſt expreſſa doctrina Concilij Tridentini *ſeſſ.* 14. Vbi *cap.* 8. loquens de Confeſſariis ſic dicit. *Debent ergo Sacerdotes Domini ſalutares, & conuenientes Satiſfactiones iniungere: ne, ſi forte peccatis conniueant, & indulgentius cum pœnitentibus agant, leuiſſima quadam opera pro grauiſſimis delictis iniungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.* Subdit autem ſtatim. *Habeant autem præ oculis, vt ſatiſfactio, quam imponunt, non ſit tantùm ad nouæ vitæ cuſtodiam, & infirmitatis medicamentum; ſed etiam ad præteritorum vindictam, & caſtigationem: Nam Claues Sacerdotum non ad ſoluendum dumtaxat ſed ad ligandum conceſſas, etiam antiqui Patres, & credunt, & docent.* Quibus verbis manifeſtè liquet, Confeſſores indulgendo pœnitentibus pœnitentiam, vel ſatiſfactionem procedere vt Iudices. Quòd verò taxatio, & impoſitio pœnitentiæ commiſſa ſit arbitrio Confeſſorum, apertè docet Tridentinum *cap.* 9. *ſequenti*, vbi loquens de operibus pœnalibus, ſeu ſatiſfactoriis, ait ea imponi Sacerdotis arbitrio pro menſura delicti. Igitur ex Concilio Tridentino manifeſtè conſtat, Confeſſarios ad iniungendas pœnitentias pro peccatis debitas procedere vt Iudices arbitrarios: ergo pœnitentia, quæ arbitrio prudentis Confeſſarij eſt proportionata ad vindictam, & ſatiſfactionem peccatorum, attendendo ad grauitatem eorum, complet remiſſionem peccatorum, totã pœnã reſtantẽ extinguẽdo, tametſi ſit parũ minor: aliàs enim Confeſſarius fere nunquã poſſet iuſtũ, & perfectũ iudicium efficere, quo peccata quoad totũ reatũ, ſeu debitũ iuſtè remittantur; quia ſi aliqua pœnitentia indiuiſibiliter requiſita eſſet, ferè ſemper deficeret. Quare ipſa adæquatio, ſeu æqualitas ſatiſfactionis, ſeu pœnæ, non eſt

Digitized by Google

eſt æqualitas mathematica, vt communiter dicunt Doctores, ſicut neque eſt talis æqualitas inter meritum condignum, & præmium, debet ergo eſſe æqualitas proportionis iuxta diſpoſitionem diuinam, quâ Chriſtus inſtituit Sacramentum, commiſſam prudenti taxationi Confeſſarij, quæ habet latitudinem intra rationem iuſtitiæ, & æqualitatis, ſicut pretia rerum dicuntur habere latitudinem rigoroſi, moderati ac infimi pretij intra rationem iuſtitiæ, & æqualitatis. Idque optime probant tria priora Argumenta primæ ſententiæ.

6 Addo, quod notauit Gaſpard Hurtado, fuiſſe maximè conueniens, valorem ex opere operato pœnitentiæ non determinari à Chriſto pro quantitate indiuiſibili pœnitentiæ, ſed ſufficientem ad extinguendam totam pœnam reſtantem conuenire pœnitentiæ prudenter à Confeſſore taxatæ intra latitudinem prudentis, & proportionalis, eo ipſo quòd iudicio prudenti Confeſſarij remiſit taxationem pœnitentiæ ad vindictam peccatorum; cuius impletione completur iudicium, & Sacramentum Pœnitentiæ ad plenè peccata remittenda inſtitutum. Atque in hoc ſenſu rectè intelligitur commune illud Theologorum Axioma, Claue non errante ſemper ſubſequi effectum ſolutionis, ſeu apertionis cœli: quoties autem prudenter, & fideliter fit ad æqualitatem taxatio pœnæ quantum in homine eſt, Clauis non errat: ergo integrè conſequitur effectum ſuum. Totum id magis clareſcet ex ſolutione Argumentorum ſecundæ ſententiæ.

7 Ad primam, conceſſo Antecedente, negatur Conſequentia ob manifeſtam diſparitatem; nam in Abſolutione ſacramentali, diſpoſitio eſt neceſſaria ex parte recipientis Sacramentum, & ex parte effectus conferendi, qui congruè fieri non poteſt in ſubiecto indiſpoſito; quæ indecentia, ac improportio fieri non poteſt vt ſuppleatur propter exiſtimationem, vel prudens iudicium Miniſtri, vel pœnitentis. Hic verò iuſta cauſa remiſſionis pœnæ reſtantis ſolùm requiritur ex parte Miniſtri taxantis, & iniungentis pœnitentiam, ſeu pœnam, ne ſit diſſipator alienæ ſubſtantiæ; & poteſtate dominatiua potiùs, quam miniſteriali vti videatur: ad hoc autem ſatis eſt, vt cauſa ſit ſufficiens, prudenti exiſtimatione illius, intra latitudinem æqualis pœnæ, ac proportionatæ.

8 Ad ſecundum, non ſolùm credibile, ſed valdè conueniens iudicatur arbitrio Confeſſarij fuiſſe relictum iudicium de æqualitate proportionali ſatisfactionis, ſeu pœnitentiæ cum debito pœnæ reſtante: Cùm enim ipſe Cōfeſſarius ſit Iudex arbitrarius inſtitutus à Chriſto ad iniungendam, & imponendam pœnitentiam ſatisfactoriam ad vindictam, & caſtigationem peccatorum, vt probatum eſt ex Tridentino; ad ipſum pertinet ſtatuere prudenter qualis debeat eſſe ſatisfactio & pœnitentia æqualis, attenta grauitate delictorum. Quia eo ipſo quòd iudicio prudentis Confeſſarij remiſit Deus vel Chriſtus Dominus taxationem pœnitentiæ ad plenam vindictam peccatorum; iam eius impletionē voluit vt compleretur iudicium & Sacramentum Pœnitentiæ ad plenè remittenda peccata inſtitutum. Neque ad id neceſſarium eſt, vt Confeſſarius clarè, & in particulari cognoſcat, quæ pœna Purgatorij debita ſit peccatis ab hoc pœnitente commiſſis; id eſt, vt conſideret qualitatem criminum, & valorem pœnitentiæ ad remittendam ex vi Sacramenti, & ex opere operato totam illā pœnam à Deo determinatam; atque hunc valorem ex Chriſti inſtitutione determinari à Confeſſario, iniungendo, & taxando debitam pœnitentiam ob vindictam peccatorum intra latitudinem prudentis æqualitatis, ac proportionis; attendendo ſimul, quòd Tribunal, quod miniſtrat, Sacramenti Pœnitentiæ, eſt Tribunal miſericorditer abſoluendi, inſtitutum in vtilitatem pœnitentis, & efficax, vt ex opere operato remittat non paruam pœnam: Vnde viſis omnibus, vt æqualitas moralis ac proportio ſit prudens & ſufficiens inter valorem, pœnitentiæ iniunctæ, & impletæ, & pœnam reſtantem non requiritur vt prædicta pœnitentia ex ſe, ſeu ex opere operantis ſit æquè condigna, ac moraliter æquiualens ipſi pœnæ reſtanti; ſed erit prudens, & ſufficiens, quamuis ex ſe ſit parùm minor, dummodò non ſit nimis minor, vt proportio ſufficiens ſeruetur inter peccata, & eorum punitionem, ac caſtigationem Sacramentalem.

Ad tertium, negatur Sequela: nam Confeſſarius quādo imponit modicam pœnitentiam, & multò minorem quàm delicta poſtulant pœnitentis, quam ſolam iudicat eſſe imponendam propter fragilitatem pœnitentis, ad cuius vtilitatem præcipuè attendit, iam videt nullā eſſe proportionem, & æqualitatem moralem inter valorem dictæ pœnitentiæ, ac debitum pœnæ reſtantis, etiam attendendo ad virtutem Sacramenti miſericorditer punientis, & ad Claues Pœnitentiæ, quas prudenter exercet; & ideò conſequenter exiſtimat nō tolli reatū totius pœnæ debitę in Purgatorio, per illam modicā, ac valdè improportionatam pœnitentiam: At id non contingit in caſu præſentis quæſtionis, quando videlicet Sacerdos taxat, & imponit debitam pœnitentiam, attendendo ad vindictam, & caſtigationem peccatorum plenam, & commenſuratam virtuti Sacramenti, quod eſt etiam Tribunal miſericorditer abſoluendi.

Ad quartum, negandum eſt, Sacerdotem in Sacramento Pœnitentiæ non remittere immediatè debitum pœnæ Purgatorij, per immediatam impoſitionem, ac iniunctionem ſatisfactionis, ſeu pœnitentiæ: Vnde non ſolùm applicat, vt in Sacrificio Miſſæ iam à Chriſto inſtituto, vel in Sacramento Baptiſmi cùm baptizat; ſed verè tanquam iudex iniungit, ac imponit ſuo arbitrio pœnitentiam ſalutarem ex commiſſione Chriſti Domini Pœnitentiæ Sacramentum inſtituentis, vt ſatis eſt explicatum.

Ad vltimum, dico pœnam temporalem reſtantem poſt Abſolutionem, eſſe à Deo determinatam pro quātitate peccatorum; nego tamen valorem pœnitentiæ impoſitæ à Confeſſario & à pœnitente impletæ eſſe determinatū à Chriſto, ſed eſſe determinatum ex Chriſti inſtitutione ab ipſo Confeſſario; nam valor ſufficiens ad extinguendam totam pœnam reſtantem, conuenit ex Chriſti inſtitutione ipſi pœnitentiæ à Confeſſario prudenter taxatæ, & iniunctæ ad vindictam peccatorum, & ipſe Confeſſarius eſt qui determinat illam intra latitudinem prudentis, & proportionalis ſatisfactionis, cuius impletione completur integraliter iudicium, & Sacramentum Pœnitentiæ ad plenè remittenda peccata inſtitutum. Quod non reperitur in aliis Sacramentis, imò nec in ipſo Sacramento Pœnitentię eſſentialiter accepto; quia valor eorum ad conferendam gratiam ſiue ſanctificantem, ſiue ſacramentalem, fuit ex ipſa Chriſti inſtitutione ab ipſo determinatus: vnde in Sacramentis nihil quod ad collationem gratiæ conducit, commiſſum eſt taxationi Miniſtri; ſicut commiſſa fuit pœnitentia Sacramentalis, ad remiſſionem pœnæ reſtantis conducens.

SECTIO VI.

An teneatur Confeſſarius imponere Satisfactionem pœnitenti?

Dico primò conſtare apud Doctores regulariter ac per ſe loquendo teneri Confeſſarium ſub culpa 1

graui imponere pœnitentiam, & ſatisfactionem pro peccatis mortalibus. Id colligitur manifeſtè ex Tridentino *ſeſſ.* 14. *c.* 8. ſic dicente: *Debent Sacerdotes Domini, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, ſa-*
2 *lutares, & conuenientes ſatisfactiones iniungere.* Et ratio eſt, quia in hoc Pœnitētiæ Sacramento, Confeſſarius eſt Medicus, & Iudex. Vt Iudex, tenetur ex iuſtitia vindicatiua in hoc iudicio Sacramētali æquitatē ſeruare, & pro qualitate criminum imponere maiorem, vel minorem pœnitentiam, & ſatisfactionem: vnde cùm iudicet inter Deum, & hominem, ſicut debet abſoluere pœnitentem diſpoſitum, ita conari debet vt homo ſatisfaciat Deo. Quare ex hac virtute iuſtitiæ tenetur ſub mortali, quando iniungenda eſt pœnitentia grauis. Vt medicus etiam, tenetur curare vulnera pœnitentis; vnde ratione officij Medici ſpiritualis, quod in hoc iudicio etiā exercet, tenetur adhibere pœnitentiam præſeruatiuam ad medelam pœnitentis contra aliquod peccatum mortale, quod timetur committendum.

2 Dico *ſecundò*, prædictam obligationem grauem in Sacerdote imponendi Pœnitentiam, non eſſe præciſe propter integritatem Sacramenti, ne videlicet relinquatur Sacramentum mutilum & imperfectum abſque hac eius parte. Id rectè notauit Cardinalis Lugo *diſputat.* 25. *ſect.* 4. *num.* 50. Et probat benè, quia ſi hæc obligatio grauis eſſet propter integritatem Sacramenti præciſe, ſequeretur ipſum pœnitentem teneri quoque ſub peccato mortali ad implendam pœnitentiam etiam leuiſſimam ſibi impoſitam, ne Sacramentum maneret imperfectum; quia tam requiritur ad integritatem Sacramenti ſatisfactio reipſa poſita in executione, quàm præceptum, ſeu impoſitio pœnitentiæ: Conſequens autem vt falſum ab omnibus negatur: ergo & Antecedens. Prætereà inter caſus, quibus Confeſſarius excuſatur ab imponenda pœnitentia, numerari ſolet à Doctoribus, præcipuè ab Henriquez *lib.* 5. *de Sacrament. cap.* 20. *num* 6. quando ſcrupuloſus ſæpè intra horam redit cum nouis peccatis, vt ſæpè abſoluatur, tunc autem etiam maneret Sacramentum imperfectum abſque illa parte integrante. Ratio à priori hæc mihi eſſe videtur, quia non debetur ſaltem ſub graui culpa hæc perfectio integralis Sacramenti, niſi in Satisfactionem grauem ad vindictam grauium peccatorum, vel in medelam contra peccatum mortale, vel in vtramque ſimul: nam per hoc Sacerdos non deeſt muneri ſuo in re graui. Tenetur igitur imponere pœnitentiam in re graui, quia tenetur curare ſalutem pœnitentis, vt medicus, & ſeruare æquitatem vt iudex, atque ideò eiuſmodi obligatio ex genere ſuo eſt grauis.

3 Vnde colligo *primò*, licèt obligatio imponendi pœnitentiam ſit ex genere ſuo grauis; poſſe tamen ex paruitate materiæ peccati, peccari ſolùm venialiter contra illam. Id tenet Petrus de Ochagauia *de Sacrament. Pœnitent. tract. vltim. quæſt.* 8. *num.* 7. Indicat Henriquez citatus, ſic dicens: *Sub mortali tenetur Confeſſarius in re graui iniungere aliquam pœnitentiam*; nam illa particula *in re graui*, excludit ſimilem obligationem, quandò res eſt leuis. Hoc idem ſentit Cardinalis Lugo citatus.

4 Colligo *ſecundò*, Confeſſarium ex duplici capite teneri iniungere pœnitenti ſalutarem pœnitentiam. *Primò*, in punitionem peccatorum præteritorum: nam cùm Confeſſarius immediatè in perſona Dei hoc iudicium exerceat, debet eum in iudicando imitari, qui ita communiter remittit peccata, vt tamen ſimul aliquam ſatisfactionem exigat. *Secundò*, in medelam pro futuris cauendis; quia Confeſſarius tenetur quantum poteſt, mederi animæ ipſius pœnitentis; & huic ſalutare eſt valdè, vt à peccando in poſterum deterreatur.

5 Dico *tertiò*, Confeſſarium abſoluentem pœnitentem aliquando non teneri imponere ei aliquam pœnitentiam. Ita docent communiter omnes Doctores. Et probatur, quia ſunt nonnulli caſus, in quibus licitum eſt ei abſoluere abſque iniunctapœnitentia, & ſatisfactione. *Primò*, in mortis articulo, quando pœnitens inter confitendum amittit omnem ſenſum; certum eſt enim tunc nullam ei pœnitentiam debere iniungi, quia ipſe eius incapax eſt. Si verò moribundus percipiat, & ſit capax receptionis, aut impletionis pœnitentiæ, imponenda eſt aliqua pœnitentia quamuis leuis, quam tunc poſſit exequi, vt vel ſemel ſaltem proferat nomen Ieſu, vel aliquē bonū motum eliciat: & etiam imponenda eſt alia pœnitentia ſi viuat, ſi illa leuis non ſufficiat, attenta grauitate peccatorum, quam ſi forſan vixerit, impleat. *Secundò*, eſt idem dicendum, quando Sacerdoti conſtaret, pœnitentem iam antè perfectè pro peccatis ſatisfeciſſe, ſi alias non ſit pœnitentia neceſſaria ad cautionem in futurum. Ratio eſt, quia tunc ex nullo titulo tenetur pœnitens pœnitentiam implere, quia non ob ſatisfactionem pro peccatis; vbi enim nulla opus eſt Satisfactione, ibi etiam nulla opus eſt pœnitentia: neque etiam tenetur ob cautionem in futurum, vt ſupponimus: nec denique tenetur vt integraliter perficiatur Sacramentum, quia vt *ſuprà* dixi, perfectio hæc non eſt debita niſi in Satisfactionem, vel in medelam, vel in vtramque. Cæterum addo, quia illud vix vnquam ſine reuelatione conſtare poteſt, conſultius notant Doctores eſſe, in eo caſu aliquam, vel leuem ſatisfactionem imponere. Ego exiſtimo, eſſe etiam neceſſarium vt vitetur ſaltem venialis culpa; quia eſt de integritate Sacramenti, vt imponatur pœnitentia: quando intelligitur durare reatus pœnæ, in hoc verò caſu vix vnquam ſine reuelatione conſtare poteſt de ſufficienti ſatisfactione iam facta. *Tertiò*, alium proponit caſum Gaſpar Hurtado, *de Pœnitentia, diſp.* 14. *difficultate* 2. videlicet Confeſſarium poſſe pœnitentem abſoluere, nullam illi imponendo pœnitentiam, quando pœnitens lucratur Indulgentiam plenariam; quia tunc impoſitio pœnitentiæ non eſt neceſſaria ad ſatisfactionem pro pœna temporali, quia remittitur, aut remiſſa eſt per Indulgentiam plenariam; & alias poteſt non eſſe neceſſaria in medelam. De quo caſu dicam *diſputatione ſequenti, ſect. vltima.* *Quartò*, alium caſum tradit Henriquez, vt dixi *ſuprà* de ſcrupuloſo qui ſæpè intra horam accedit, vt denuò confiteatur & abſoluatur. Hunc verò ipſe non admitto, quia tunc nouæ pœnitentiæ ſalutares iniungendæ ſunt nouis Confeſſionibus, cùm ſint diſtincta numero Sacramenta, & intelligatur eſſe nouus reatus pœnæ. *Vltimò*, addunt nonnulli alium caſum, non eſſe à Confeſſario iniungendam pœnitentiam, ſi probabiliter iudicat pœnitentem non eſſe admiſſurum vllam pœnitentiam: ne Sacramentum, quod inſtitutum fuit à Chriſto Domino in fauorem pœnitentis, in illius laqueum vertatur. Verùm ipſe neque hunc caſum admitto: imò ſentio debere Confeſſarium negare ei Abſolutionem quaſi impœnitenti, ſi in re graui pœnitentiam, & ſatisfactionem à ſe iniunctam acceptare detrectet: Quia cùm tunc acceptare detrectat, iam improbabilis cenſenda eſt ſententia oppoſita, nec ei poterit licitè Confeſſarius conformari; habet enim Clauium poteſtatem, & poteſt ligare, & obligare ſuâ ſententiâ, & præcepto, tanquam Iudex ipſum pœnitentem ad acceptandam condignam, & prudentem ſatisfactionem, vt rectè notauit Henriquez *lib.* 5. *de Pœnit. c.* 20. *num.* 1. & Fagundez 2. *præcepto lib.* 9. *c.* 3. *n.* 10.

Ex his colligo, quam rarò, aut ferè nunquam vlla limitatio adhibenda ſit practicè, & moraliter loquendo, ad doctrinam certam *ſuprà* traditam, abſolutè teneri Confeſſarium ad imponendam pœnitenti ſatisfactionem, & ſub graui culpa ex genere ſuo; niſi in-

inuincibilis

Digitized by Google

nincibilis ignorantia, aut inaduertentia excuſet, vel etiam paruitas materiæ, vt ſuprà notaui *num.* 3.

SECTIO VII.

An Confeſſarius teneatur imponere pœnitentiam obligantem ſub præcepto, an ſolùm liberè, & de conſilio implendam.

1 PRocedit quæſtio de Confeſſione, quæ eſt de materia mortali, & de pœnitentia illi impoſita proportionata, etiam graui; an videlicet hæc ſemper ſit imponenda per modum præcepti, an poſſit interdum applicari de conſilio tantùm, ſi pœnitens velit illam aſſumere.

Non teneri Confeſſarium ſemper imponere Satisfactionem & pœnitentiam per modum præcepti obligantis ad mortale, niſi impleatur, ſentiunt multi quos refert, & ſequitur Suarez *diſput.* 38. *ſect.* 3. *num.* 2. & Fagundez *c.* 3. *citat. n.* 11.

Probant *primò*, quia conceſsâ Indulgentiâ Pontifex eleuat illud opus per virtutem Clauium, vt licèt ſit liberum, afferat remiſſionem pœnæ: ergo poterit etiam Confeſſarius abſque præcepto eleuare opera pœnitentiæ vt ſint ſatisfactoria; nam etiam conceſſio Indulgentiæ eſt actus iuriſdictionis, licèt non ſit præceptum obligans.

2 *Secundò*, Prælatus aliqua præcipit non obligans ſub culpa: ſic enim aliquando per Regulas vult obligare ad pœnam, & non ad culpam: ergo Confeſſarius etiam poteſt imponere pœnam de conſilio, & non de præcepto.

Veriorem iudico oppoſitam ſententiam negantem poſſe à Confeſſario imponi pœnitentiam eo modo, ſed ſolùm per modum præcepti. Quam tenent Cardinalis Lugo *diſput.* 25. *ſect.* 4. *num.* 54. Vaſquez *quæſt.* 94. *articulo* 2. *dubio* 1. Coninck *diſput.* 10. *dub.* 8. *num.* 64. Torres *de pœnitentia*, *diſputat.* 35. *dubio* 2. & alij. Iuxta quam;

Dico *primò*, Confeſſarium debere pœnitentiam iniungere non per modum conſilij, ſed per modum præcepti. Hoc manifeſtè conſtat ex Tridentino *ſeſſ.* 14. *c.* 8. Vbi ait, Sacerdotes Domini debere pro qualitate criminum iniungere ſalutares, & conuenientes ſatisfactiones ad punienda peccata, ne alienorum peccatorum participes efficiantur. Ibi autem verbum, *debent*, non ſignificat conſilium, ſed præceptum. Apertè etiam oſtendit eſſe obligationem, quia aliter fiunt participes alienorum peccatorum: ergo eſt obligatio ſub pœna peccati pœnitentibus iniungere pœnitentias ſub præcepto. Prætereà Concilium id probat, quia Claues Sacerdotum non ad ſoluendum dumtaxat, ſed & ad ligandum conceſſas, etiam antiqui Patres & credunt, & docent. Quibus verbis manifeſtè oſtendit poteſtatem, iniungendi pœnitentiam oriri ex poteſtate Clauium ad ligandum: At pœnitentia impoſita per modum conſilij non ligat pœnitentem, vt conſtat; manet enim liber, ſicut anteà; & conſilium, quod homini omninò liberum relinquit vt aliquid faciat, aut non faciat, non poteſt vllo modo dici ligare: Igitur illa non oritur ex poteſtate iudiciaria. Tandem conſtat ex eodem Tridentino ibidem dicente, Confeſſarios debere habere præ oculis, vt pœnitentia, & ſatisfactio, quam imponunt, ſit ad peccatorum vindictam & caſtigationem; atque adeò Sacerdos debet ita imponere pœnitentiam, vt puniat peccata: At qui reum ſeu pœnitentem non obligat ad ſubeundam pœnam, ſed ſolùm ſuadet vt eam ſubeat, nullo modo eum punit, vel caſtigat, ſed ſolùm ſuadet vt ſeipſum puniat, & caſtiget. Igitur ſecundùm ſententiam, ac mentem Concilij apertum, ac manifeſtum videtur, Confeſſarium ſuo muneri non ſatisfacere, niſi verè obliget. Et ratio à priori eſt, quia Confeſſarius imponit pœnitentiam tanquam Iudex vt puniat pœnitentem; ſunt enim Confeſſarij, ex Tridentino *ſeſſ.* 14. *cap.* 5. Vicarij Chriſti, Præſides ac Iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferuntur, in quæ Chriſti fideles ceciderint: quo, pro poteſtate Clauium remiſſionis, aut retentionis peccatorum ſententiam pronunciant, & æquitatem in pœnis iniungendis ſeruant: Iudex autem non punit niſi per vim coërcitiuam, quâ obligat reum ad ſubeundam pœnam. Nec valet dicere, Confeſſarium imponentem pœnitentiam, non de præcepto, ſed de conſilio implentem, etiam obligare pœnitentem ad certam pœnitentiam ſubeundam, ſtatuendo, vt alias fructum Sacramentalis ſatisfactionis non percipiat. Non, inquam, valet; quia manifeſtum eſt id non ſufficere, vt dicatur pœnitentem ligare, aut punire. Patet, quia talis verè manet tam liber ad implendam illam pœnitentiam, quàm anteà erat: Aliàs enim Pontifex qui proponit Indulgentias certum opus facientibus, poſſet verè dici, quòd omnibus mortalibus tale opus iniungit, eóſque ad illud implendum obligat, & ligat, eorúmque peccata per id punit; quia imponit illis neceſſitatem illius operis faciendi ſub conditione, ſi velint debitarum pœnarum Indulgentiam conſequi. Et ſimili modo diceretur omnibus aliquod opus iniungere, qui illud facientibus certum præmium polliceretur. Hæc autem ſunt apertè abſurda apud hominum prudentum æſtimationem, ac iudicium.

Dico *ſecundò*, hinc ſequi, Confeſſarium non poſſe 3
grauem pœnitentiam iniungere, ac præcipere ſolum ſub veniali. Id rectè notauit Coninck relatus *num.* 65. Ratio eſt, quia tametſi probabilius ſit Prælatum communiter poſſe rem grauem præcipere ſub veniali tantùm: at Confeſſarius ideò non poteſt grauem pœnitentiam imponere ſub veniali ſolùm; quia non obligat nomine ſuo, nec in perſona ſua, ſed in perſona Dei, gerens perſonam Dei, & iuxta inſtitutionem Sacramenti, cuius vim ipſe Miniſter temperare non poteſt pro ſuo arbitrio, ſed neceſſariò agit provt poſtulat inſtitutio Sacramenti, quæ exigit, vt pœnitens ligetur: quod abſolutè ſumptum ſtrictam obligationem ſignificat. Aliqui firmant hoc Dictum exemplo Sacramenti Matrimonij, in quo non fieret proculdubio Sacramentum, ſi contrahentes vellent ſe obligare ſolùm ſub veniali. Cuius veritatis rationem reddidi in *tractatu de matrimonio diſputatione* 6. *ſect.* 3. *numer.* 7. quia obiectum Matrimonij cùm conſiſtat in traditione corporis, vinculo perpetuo, & indiſſolubili, ad prolis propagationem, & eius bonam educationem: ex illa traditione ſequitur neceſſariò obligatio grauiſſima, & ſub mortali; atque ideò qui contrahit matrimonium, tenetur habere abſolutam voluntatem ſe obligandi, quantum ipſum obligat Matrimonium, quia alias grauiter deciperet alium contrahentem: Vnde ſi haberet aliam intentionem non ſe obligandi grauiter, perinde eſſet, ac ſi fictè matrimonium contraheret. Similiter ergo inſtitutio Sacramenti Pœnitentiæ, cùm ſit inſtitutio veri, & proprij iudicij in foro interno, atque ideò & Confeſſoris verè & propriè Iudicis cum poteſtate ligandi reos ſeu pœnitentes, provt oportuerit, exigit obligationē grauem eos caſtigandi, & puniendi iuxta capacitatem materiæ, ad præteritorum peccatorum vindictam, ac proptereà ſi peccata fuerint grauia, & mortalia, inſtitutio huius iudicij obligat Confeſſarium vt Iudicem, vt vindicet, & puniat illa ſalutaribus, & grauibus pœnitentiis condignis,

gnis, itavt ſententia obliget pœnitentem ſub mortali: ſicut contingit in iudiciis aliis humanis iuxta grauitatẽ materiæ, de qua iudicatur.

4 Dico *tertio*, ſi Confeſſarius iniungeret pœnitentiam non per modum præcepti, ſed per modum conſilij, tunc non imponeret Pœnitentiã Sacramentalem, neque illa pœnitentia in eo caſu eſſet Sacramentalis. Ita Cardinalis Lugo, & Ægidius Coninck. Et conſtat ex dictis, quia impoſitio pœnitentiæ ſeu Satisfactionis Sacramentalis procedit ex poteſtate ligandi: ergo Sacerdos vt imponat pœnitentiam Sacramentalem, debet ligare; At qui non præcipit pœnitentiam, pœnitentem non ligat, vt patet; ergo non imponit pœnitentiam Sacramentalem. Firmo, nam in Eccleſia Dei nunquam Sacerdotes agnouerunt in ſe poteſtatem relaxandi pœnas temporales reſtantes, aliter quam imponendo pœnitẽtias, quibus vt Iudices punirent peccata; nec agnouerũt duos modos diuerſos imponẽdi pœnitentias, ex præcepto, & etiam ex conſilio; ergo vel negandum eſt, eos vnquam obligare pœnitentem, quod dici non poteſt; vel fatendum eſt ſemper ligare, quoties pœnitentiam imponunt, & ideò eam eſſe Sacramentalem. Nec vere ligare dicitur Sacerdos, quatenus imponit neceſſitatem non ſimpliciter, ſed ex ſuppoſitione, ſi velit pœnitens conſequi remiſſionem pœnæ ex opere operato; Nam ſi hoc eſt ligare, etiam ligat Papa, dum concedit Indulgentias: etiam ligat, dum concedit priuilegia, aut diſpẽſat cum Religioſis. Quod tamen in nullo ſenſu concedi poteſt, nec dici.

5 Hinc manet ſolutum primum Argumentum oppoſitæ ſententiæ, negando Conſequentiam; nam conceſſio Indulgentię, licèt ſit actus iuriſdictionis, procedit tamen ex poteſtate ſola ſoluendi; at impoſitio Satisfactionis Sacramentalis procedit ex poteſtate ligandi, vt vidimus ex Tridentino.

Ad ſecundum, dato Antecedente, adhuc non valet Conſequentia; quia ſi Confeſſarius non obligat ad culpam, non obligat etiam ad pœnam: non enim imponit aliam pœnam, ſi pœnitentia Sacramentalis non impleatur.

SECTIO VIII.

An Confeſſarius teneatur pœnitentiam æqualem imponere; vel quam menſuram ſeruare debeat?

1 DIco *primò*, certum eſſe, Confeſſarium non poſſe atque ideò non teneri imponere pœnitentiam mathematicè æqualem, ſeu æquiualentem pœnæ debitæ in Purgatorio. Patet, quia Confeſſarius citra reuelationẽ nequit ſcire quantã pœnam ſubire debeat pœnitens in Purgatorio, & qualis pœna, ſeu pœnitentia illi mathematicè ſit æqualis vel æquiualeat in hac vita: ergo nequit illam imponere.

2 Dico *ſecundò*, nullam eſſe legem diuinam, aut humanam Eccleſiaſticam præſcribentem, & taxantem certam aliquam pœnitentiam, vel determinatam Satisfactionis menſuram, quam teneatur Confeſſarius pro his vel illis peccatis iniungere. Hoc eſt certum, & apertè colligitur ex Concil. Nicen. *capite* 12. & *ex capite Menſuram, de pœnitentiis diſt.* 1. & ex multis aliis, quæ referuntur 26. *queſt.* 7. & ex *cap. Deus qui, de Pœnitentia & remiſſ.* Et ratio eſt, quia hæc pœnitentia maximè ordinatur in bonum, & curationem pœnitentis: at diſpoſitio pœnitentis poteſt eſſe tam varia, & multiplex, vt non poſſit eadem quantitas, nec idem modus pœnitentiæ illi expedire: ergo de illa imponenda expediens fuit, vt nulla fuerit lex taxans, vel determinans illam.

3 Dico *tertiò*, relinqui menſuram pœnitentiæ omninò arbitrio Confeſſarij. Ita omnes: Id docuit expreſsè Concilium Florentinum in Literis Vnionis: vbi agens de partibus Sacramenti Pœnitentiæ: *Tertia*, inquit, *pars eſt Satisfactio pro peccatis ſecundum arbitrium Sacerdotis.* Tridentinum quoque *ſeſſione* 14. *capite* 9. expreſsè docet, nos ſatisfacere Deo pœnis Sacerdotis arbitrio, pro menſura delicti impoſitis: Imò etiam olim ſimili modo fuiſse permiſsum Sacerdoti, vt in hoc foro eam pœnitentiam iniungeret, quam crederet hic & nunc maxime expedire iniungi, apertè colligitur ex *capite Menſuram* 85. *de pœnitentia, d.* 1. Quare Canones Pœnitentiales, qui in principio Decreti habentur, quique Pœnitentiales appellantur, eo quòd in illis deſignentur variæ Satisfactiones, ſeu pœnitentiæ, quæ in exordio naſcentis Eccleſiæ iniungi ſolebant pœnitentibus pro diuerſis delictis, ſeu peccatis, potiùs pertinebant ad forum externum Eccleſiæ, quàm ad forum internum Pœnitentię; quia interdum erat pœna depoſitionis, vel priuationis Eccleſiaſticæ dignitatis, vel quid ſimile. Et etiamſi aliquæ pœnæ pertinerent ad forum Pœnitentiæ, ſemper dabatur locus arbitrio Confeſsoris: Vnde erant quaſi regulæ directiuæ, vt illas Confeſsarij ſequerentur, quantum expedire cenſerent. Verùm nunc iam omnes illi Canones antiquati ſunt, & ad arbitrium Sacerdotis totum hoc negotium eſt reuocatum. 4 Quod quidam dicunt, olim pro quouis peccato mortali debuiſſe iniungi pœnitentiam, ſeptem annorum; ſine vllo fundamento, & probatione dicunt: Nam tales pœnitentiæ ſolum pro enormibus peccatis iniungebantur, præſertim cùm aliorum ſcandalo erant facta.

5 Dico *quartò*, hoc arbitrium non eſſe relictum abſolutè in poteſtate Confeſſarij voluntaria, ſed conſiderata grauitate peccatorum, & diſpoſitione pœnitentis, aliiſque circumſtantiis, perſonæ, temporis, &c. debere prudenter imponi proportionatam Satisfactionem. Ita communiter Doctores omnes. Idque manifeſtè declarat Tridentinum *ſeſſ.* 14. *c.* 8. his verbis: *Debent Sacerdotes Domini, quantum ſpiritus, & prudentia ſuggeſſerit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, ſalutares, & conuenientes ſatisfactiones iniungere, ne ſi fortè peccatis conniueant, & indulgentius cum pœnitentibus agant, leuiſſima quadam opera pro grauiſſimis delictis iniungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem præ oculis, vt Satisfactio, quam imponunt, non ſit tantùm ad nouæ vitæ cuſtodiã, & infirmitatis medicamentum, ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & caſtigationem. Nam Claues Sacerdotum non ad ſoluendum duntaxat, ſed & ad ligandum conceſſas, etiam antiqui Patres, & credunt, & docent.* Hæc Tridentinum. Et ratio eſt, quia Confeſſarius eſt Iudex, & veluti mediator inter Deum, & homines: debet ergo ſeruare æquitatem; atque adeò ſicut ſi grauiſſimam pœnitentiam imponeret pro leuiſſimis peccatis faceret iniuriam pœnitenti, ita ſi leuiſſimam pro grauiſſimis, faceret iniuriam Deo.

6 Dico *quintò*, poſſe aliquam Satisfactionem ita eſſe proportionatam peccatis confeſſis, vt illã impoſitã, & expletã, totus reatus pœnæ temporalis remittatur. Id firmatur ſatis doctrina tradita *ſuprà ſect.* 5. Vbi oſtendi in ordine ad effectum remiſſionis pœnæ, non conſiſtere in indiuiſibili, ſed habere latitudinem. Idem modò confirmo, quia cùm reatus pœnæ temporalis ſit finitus, poteſt adæquari per Satisfactionem finitam. Imò fieri poteſt

Digitized by Google

poteſt quoque, vt interdum tanta ſit ea ſatisfactio, vt excedat ipſum reatum pœnæ, ſicut interdum eſt tam remiſſa, vt pœnam adæquare non poſſit.

7 Dico *ſextò*, ex rationabili cauſa, vt ob impotentiam, vel fragilitatem pœnitentis, poſſe Confeſſarium aliquando imponere leniorem Satisfactionem. Sic D.Th. *in Add. q.* 18. *art.* 4. Soto *d.* 20. *quæſt.* 2. *art.* 3. Cardinalis Lugo citatus *ſupra*, *num.* 60. & alij cum Suarez, *ſect.* 4. *num.* 4. Ratio eſt, quia in hoc Sacramento magis intenditur emendatio, & ſalus pœnitentis, quam ſatisfactio pro pœna: ſi ergo ita expediat pro bono pœnitentis, poterit fieri; id enim tandem cedit in maiorem Dei gloriam, qui vult præcipuè curationem peccatoris: & alioquin cauſa Dei ſemper manet integra, quia ſi in hac vita non ſatisfaciat peccatis, ſatisfaciet in Purgatorio. Quod etiam ſatis ſignificat Tridentinum *loco citato*, cum dicit, debere Confeſſarium ſalutares, & conuenientes Satisfactiones iniungere: quibus verbis apertè declarat attendi debere præcipuè ac primo loco, ad vtilitatem ſpiritualem pœnitentis, ne ſcilicet, laquei ipſi iniiciantur, vt noua peccata committat. Hac de cauſa, iure ac meritò Confeſſariorum prudentum praxis excuſatur, qui leues imponunt pœnitentias pro grauibus peccatis: id enim ſæpe fit propter ſpiritualem infirmitatem pœnitentium, qui grauioribus pœnitentiis ſcandalizabuntur, & vel Confeſſionem fugient, vel certe Confeſſarios ineptos adibunt, qui eos curare neſciant: vnde infero, in dubio inclinandum eſſe in partem benigniorem, in qua eſt minus periculi, quam in oppoſitam. Addo tamen, quando Confeſſarius multò leniorem pœnitentiam imponeret, quam peccata pœnitentis merentur, debere eum admonere, talem pœnitentiam non eſſe ſufficientem, ſed ob indiſpoſitionem eius benignius cum eo agi, vt ipſe moueatur, vel ad maiorem petendam, vel ad alias aſſumendas voluntariè. Conſulendus eſt etiam illi vſus Indulgentiarum, & aliquando imponendus, vt ea ratione ſuppleatur defectus propriæ Satisfactionis, & pœnitentiæ.

SECTIO IX.

Quæ opera poſſit Confeſſarius imponere pœnitentibus in pœnitentiam Sacramentalem?

1 EX dictis ſupra *diſputatione præcedenti*, *ſectione quarta* præcipuè, conſtat, quodlibet opus bonum, externum, pœnale, & quodlibet ex illis tribus, vt Orationem, Ieiunium, vel Eleemoſynam, & quodlibet aliud quod poſſit reduci ad illa, poſſe imponi à Confeſſario in Satisfactionem Sacramentalem. Non verò oportet eſſe opus ſupererogationis; poteſt etiam aliquando imponi opus præceptum; vt dixi *ſect.* 3. *prædictæ diſputationis*. Verum quidem eſt, regulariter debere eſſe opus ſupererogationis, vt Satisfactio maior ſit, & detur occaſio pœnitentibus plura bona agendi. Quòd ſi Confeſſarius aliud non explicet, intelligitur loqui de opere ſupererogationis. Quare ſi imponat ieiunium, v.g. præſumitur velle ieiunium non debitum. Si verò Confeſſarius imponat, & præcipiat ieiunium iam debitum ex præcepto Eccleſiæ, & pœnitens omittat illud; duplex peccatum committit ſpecie diuerſum, quia præceptum Eccleſiæ conſtituit illud peccatum in ſpecie intemperantiæ, cùm præceptum intendat honeſtatem Temperantiæ: præceptum verò Confeſſarij intendit virtutem pœnitentiæ, contra quam peccat, qui non implet pœnitentiam ſibi impoſitam. Nec denique oportet, vt quod in pœnitētiam Sacramentalem imponitur, ſit opus externum: nam etiam opus internum poteſt iniungi. Quia ex vna parte actus internus; v. g. actus intellectus, & actus voluntatis, poteſt eſſe pœnalis, ſeu afflictiuus, & difficilis, vt actus Fidei, & actus Contritionis; & ex altera parte nihil obſtat, vt imponi poſſit, tametſi ſit pars integralis Sacramenti ſenſibilis: quia ad id ſufficit, quòd fiat ſenſibilis, & quaſi externa per accidens, ratione alterius, nempe ratione impoſitionis exterioris, quâ imponitur à Confeſſario, & ratione acceptationis, quâ acceptatur à pœnitente, ſicut Contritio fit ſenſibilis, & externa, ratione Confeſſionis.

Ex his colligo, Confeſſarium nunquam debere talem iniungere pœnitentiam, quàm omninò credit pœnitentem ex aliqua imbecillitate non impleturum, quia exponeret eum grauibus periculis peccandi, cùm tamen ipſius ſit maximè omnia ea pericula à pœnitente arcere: Vnde vt prudenter notauit Suarez *diſput.* 38. *ſect.* 7. *num.* 4. Confeſſarij in hoc non debent eſſe nimis difficiles, ſed accommodare ſe debent fragilitati pœnitentis, & leuiores illi pœnitentias imponere, ſi grauiores ille acceptare nolit; præſertim quando non eſt aperta eius malitia, & medicinæ neceſſitas in futurum non vrget. 2

Reſtat verò circa præſentem quæſtionem tria obſeruanda. *Primum eſt*, propter peccata occulta non eſſe imponendas publicas pœnitentias, quia ſunt improportionatæ, & contra bonam famam pœnitentis; & inde fieret confeſſio odioſa. Pro publicis autem peccatis imponendas eſſe quoque publicas, quando ad tollendum ſcandalum aliquod, vel ad ſatisfaciendum Eccleſiæ in crimine publico, & notorio indicatur neceſſarium ad ſatisfactionem Eccleſiæ. Nec propterea tunc dicitur pœnitens cogi, ſed rationabiliter induci ad id quod ex ſe facere debet, quòd ſi nolit, non abſoluatur. 3

Secundum eſt, regulariter non expedire, quòd Confeſſarius imponat in pœnitentiam, quòd abſtineat pœnitens à Communione aliquot diebus, in aliquo tamen caſu raro, negandum non eſt quòd poſſet vtiliter imponi, vt obſeruat Cardinalis Lugo *diſputat.* 25. *ſect.* 4. *num.* 65. quando videlicet clarè conſtat, melius eſſe abſtinere, quàm accedere; etiamſi non ſit conſcientia peccati mortalis. Quod ex ſtatu pœnitentis, & defectu reuerentiæ, & diſpoſitionis colligi prudenter poteſt: dum tamen illa omiſſio Communionis non ſit occaſio aliis indicandi, quòd à Confeſſario fuerit in pœnitentiam impoſita, ne forte hac via cogeretur pœnitens ſuam Confeſſionem manifeſtare. 4

Tertium eſt, pœnitentiam poſſe imponi ante Abſolutionem datam, vel poſtea; Vtrumque enim poteſt licitè fieri, modò ſaltem ſtatim poſt datam Abſolutionem imponatur, antequam pœnitens diſcedat; quia idem iudicium adhuc durat. Communiter tamen ſolet dari ante Abſolutionem, & conſultius eſt ita facere. 5

DISPVTATIO LVII.

De Satisfactione, ſeu pœnitentia à Confeſſario iniuncta, quam pœnitens tenetur acceptare, & exequi; eiuſque commutatione.

VLTIMO loco hanc Diſputationē inſtituo, in qua dicendum eſt de his, quæ pœnitens exhibere tenetur in ordine ad ſatisfactionem, ſeu pœnitentiam iniunctam, quam pœnitens tenetur acceptare, & exequi. Diſputatio autem

non

non procedit, quando perſpicuè conſtaret pœnitentiam à Confeſſario iniunctam, eſſe temerariam, & iniuſtam; quia tunc certum eſt, non teneri pœnitentem ad eam acceptandam, nedum ad exequendam; ſed de pœnitentia iniuncta rationabili, & prudentiali, de cuius iniuſtitia certò non poteſt pœnitentibus conſtare. Tractabitur quoque de commutatione pœnitentiæ impoſitæ, quo pacto, & à quo debeat licitè, & validè fieri.

SECTIO PRIMA.

Vtrùm pœnitens teneatur Satiſfactionem, ſeu pœnitentiam ſibi impoſitam acceptare?

1 PArtem negantem docet expreſsè Nauarrus *in Manuali Latino, cap. 26. num. 20.* Probari poteſt *primò*, quia homo poteſt licitè non ſatisfacere in hac vita pro pœna temporali, ſed relinquere totam illam luendam in Purgatorio: ergo poteſt relinquere Satiſfactionem Sacramentalem, quæ ordinatur ad extinguendum illud debitum. Confirmatur, nam Confeſſarius eſt Iudex arbiter: nemo autem tenetur ad ſtandum ſententiæ Iudicis arbitri.

Secundò, ſi teneretur, maximè propter irreuerentiam Sacramenti, quæ ibi datur, vbi cauſa relinquendi inceptum Sacramentum non datur: at hæc ratio efficax non eſt, quia licèt integritas Sacramenti non ſeruetur, tamen eſt in re valdè extrinſeca, & ſecundaria: ergo.

Vltimò, quia ex contraria ſententia ſequeretur, hominem teneri ad acceptandam Satisfactionem æqualem, & ſufficientem pro extinguendo toto debito, quod certè eſſet duriſſimum.

2 Sententia oppoſita affirmatiua adeò eſt vera poſt Tridentinum, vt dicat Suarez, *diſput. 38. ſect. 7. num. 2.* ſine temeritate negari non poſſe. Oppoſitam, eſſe contra Fidem dicit Vaſquez *vbi ſuprà*: Ego exiſtimo eſſe improbabilem cum Henriquez *lib. 5. de Sacramentis, cap. 20. §. 2.*

3 Dico itaque *primò*, certum eſſe obligari pœnitentem ad pœnitentiam acceptandam. Moueor præcipuè ex verbis Tridentini *ſeſſ. 14 cap. 8.* relatis *ſuprà diſput. præcedenti, ſect. 8. num. 5.* Quibus dicitur, Sacerdotem debere imponere condignam pœnitentiam, ne ſi leuem imponat, particeps fiat peccatorum pœnitentis: atque hanc Satisfactionem curare debere, vt ſit non ſolùm in medicinam, ſed etiam in vindictam, & caſtigationem; nam Claues non ſolùm ad ſoluendum, ſed etiam ad ligandum conceſſæ ſunt. Ex quibus verbis manifeſtè colligitur, pœnitentem obligari ad pœnitentiam acceptandam; nam ſi pœnitens non tenetur eam acceptare, non peccabit Sacerdos, nec fiet particeps peccati pœnitentis, imponendo leuem pœnitentiam pro peccatis grauibus; faceret enim id quod pœ-
4 nitens vtens iure ſuo poſſet velle fieri. Nec valet dicere, poſſe quidem Confeſſarium ligare ad pœnam, eo modo quo poteſt ſoluere à culpa; atque adeò ſicut non poteſt ſoluere niſi volentem ſolui, ſic nec poterit ligare, niſi volentem ligari, & acceptare pœnitentiam Non, inquam, valet, quia licèt exigatur conſenſus pœnitentis in Sacramentum, non tamen poteſt velle abſolui, & non velle ligari, quia poteſtas datur à Chriſto indiuiſibiliter Confeſſario vt ferat ſententiam: poteſt quidem pœnitens non adire hunc Confeſſarium, non tamen poteſt diuidere eius poteſtatem, & velle illum Iudicem quoad vnam partem, & non quoad aliam. Quare ſicut non poteſt velle ligari præcepto Confeſſarij ad pœnam, & non velle Abſolutionem, propter inſeparabilitatem vtriuſque poteſtatis, ſic nec poteſt velle eum Iudicem ad abſoluendum, & non ad ligandum. Firmatur hoc idem ex eodem Tridentino, *eodem c. 8.* Vbi dicitur, eſſe in Sacerdotibus poteſtatem ligandi non tantum ad infirmitatis medicamentum, ſed etiam ad peccati commiſſi vindictam. Et hoc ſenſu definit *dicta ſeſſ. 14. can. 15.* datam eſſe Sacerdotibus poteſtatem, non ſolùm abſoluendi, ſed etiam ligandi: & anathemate ferit, & damnat eum, qui dixerit, Claues Eccleſiæ eſſe datas tantùm ad ſoluendum, non etiam ad ligandum, & propterea Sacerdotes, dum imponunt pœnas confitentibus, agere contra finem Clauium, & contra inſtitutionem Chriſti. Igitur ex Tridentino clarè liquet, ex Chriſti inſtitutione eſſe ſimul poteſtatem ad ſoluendum, & ad ligandum in Sacerdote; ac proptereà ſi eſt in illo poteſtas ad ligandum, neceſſariò debet etiam eſſe poteſtas obligandi reum ad acceptandum. Addo, in rigore non requiri acceptationem pœnitentis, ſed ſolùm quòd ſe ſubmittat Confeſſario in hoc Tribunali; nam ex poteſtate iudiciaria oritur, poſſe præcipere, & ligare independenter ab alia voluntate ſubditi pœnitentis: ſicut cæteri Iudices, eo ipſo, quòd Iudices fiunt, obligant independenter ab eo, quod reus acceptet ſententiam, niſi vbi datur locus appellationi; quæ in præſenti dari non poteſt, cùm ſit ſupremum Tribunal, & idem cum ipſo Tribunali Dei.

Ex prædicta doctrina facilè colligitur ratio efficax Concluſionis: nam de ratione iudicij eſt, vt reus teneatur obedire Iudici, & Iudex poſſit cogere, & coërcere reum ad parendum, & ſubeundam pœnam: ergo cùm Confeſſarius ſit conſtitutus Iudex in hoc Sacramento à Chriſto Domino, neceſſe eſt, ipſum habere vim coactiuam, quâ poſſit obligare pœnitentem ad ſubeundam pœnam impoſitam. Firmo idem, quia Confeſſor tenetur Satisfactionem ac pœnitentiam imponere, vt conſtat ex dictis ſuprà *diſputatione præcedenti, ſect. 6. & 7.* ergo pœnitens tenetur eam acceptare. Patet Conſequentia, quia cùm vterque concurrat ad Sacramentum, vterque tenetur ſuum officium exercere. Et certè ſi pœnitens non teneretur, poteſtas Sacerdotis vindicatiua valdè inefficax eſſet. Et cùm impoſitio pœnitentiæ ſit pars Iuſtitiæ, & vnuſquiſque teneatur parêre Iudici rectè iudicanti, tenetur pœnitens obedire, & acceptare pœnitentiam. 5

Dico *ſecundò*, teneri pœnitentem ſub peccato mortali acceptare à Confeſſario pœnitentiam pro peccato mortali legitimè iniunctam, ſi velit Abſolutionem conſequi. Hoc eſt certum, ſicut & præcedens Dictum. Et ratio eſt, quia omne iuſtum, & ſanctum præceptum in materia graui obligat ſub peccato mortali, vt omnes communiter fatentur, & eſt per ſe notum: At Confeſſarius tenetur ſtrictè & ſub culpa mortali pœnitentiam præcipere pœnitenti, cúmque ad eius impletionem obligare: ergo hic in materia graui tenetur ſub peccato mortali eam acceptare; nam ſunt apertè correlatiua hæc duo; poteſtas imperandi in Sacerdote, & neceſſitas obediendi in pœnitente inferiori: nec illa ſine hac poteſt vllo modo conſiſtere: At nullo modo poteſt eſſe neceſſitas obediendi in pœnitente, ſi iſte liberè poteſt detrectare imperium recuſando pœnitentiam. Dixi, *ſi velit abſolui*, quia valdè probabile mihi videtur, poſſe id fieri abſque culpa mortali, vt docent Suarez loco ſuprà citato, *num. 4.* Cardinalis Lugo *num. 77.* Et Coninck *diſp. 10. num. 80.* Ratio eſt, quia cùm pœnitenti liberum ſit, huic vel alteri Sacerdoti confiteri; Sicut ab initio non tenebatur illi Sacerdoti præciſe confiteri, ita nec poſt inchoatam, 6

ant

aut abſolutam Confeſſionem abſolutè obligatur ab eo Abſolutionem accipere, quia nulla eſt ratio talis obligationis: modò ſit paratus alteri legitimo Iudici confiteri: ergo nec etiam tenetur acceptare pœnitentiam, niſi velit accipere Abſolutionem; ſaltem poteſt id fieri abſque graui peccato. Firmo, quia non apparet, cur aliquis, poſtquam incepit Confeſſionem, relinquere poſſit ex aliqua cauſa illam in aliud tempus, & nolle pro tunc perficere Sacramentum; ſicut in matrimonio poſſet coniux poſt conſenſum expreſſum ab alio coniuge, non præſtare ſuum: ergo ſicut ex alia cauſa poſſet pœnitens nolle recipere Abſolutionem, ſic poſſet ob metum obligationis ſubeundæ ad talem pœnitentiam. In hoc enim non videtur eſſe culpa grauis, quia nondum contraxerat obligationem abſolutam illius pœnitentiæ; nam ſi poſt pœnitentiam impoſitam, & ante datam Abſolutionem, Sacerdos moreretur, proculdubio pœnitens non obligaretur ad pœnitentiam impoſitam: ergo non obligat præceptum Confeſſarij ante præſtitam Abſolutionem; hanc autem poteſt pœnitens nolle accipere: ergo & impedire obligationem ad pœnitentiam. Notat benè Coninck, quòd eſſet aliqua indecentia, Sacramentum ita inchoatum abrumpere, præſertim ſi reuera Confeſſor conuenientem pœnitentiam imponat, & effugere Sacerdotis iuſtum iudicium, cui iam ſemel ſe ſubdidit; non eſſet tamen grauis culpa. Sacerdos autem in eo caſu benè faceret condeſcendendo infirmitati pœnitentis, niſi eſſet iuſta cauſa faciendi contrarium, & medicinę neceſſitas in futurum non vrgeret.

7 Ad Argumenta oppoſita. Ad primum & eius confirmationem dico, quamuis ſtando in ſolo iure naturæ, & extra hoc Sacramentum, peccator poſſit temporalem ſatisfactionem in Purgatorium reſeruare; tamen ſuppoſita ſubiectione ad Claues, & ad hoc iudicium pœnitentiæ, accepta iam Abſolutione, teneri Satisfactionem, vel pœnitentiam impoſitam acceptare, quia in iudicio recto, ac bene inſtituto arbitrium pœnæ, vbi illud locum habet, non eſt commiſſum reo, ſed Iudici, apud quem eſt poteſtas vindicatiua, & etiam coactiua, reum ligando per præcepti neceſſitatem: Confeſſarius autem non eſt iudex arbiter abſolutè, quaſi ſemper ad arbitrium pœnitentis eligi poſſit; nam ſæpe tenetur confiteri determinato Sacerdoti, & ſaltem in generali obligatur confiteri alicui Sacerdoti, eo ipſo, quòd habeat culpam lethalem: & ita non mirum eſt, ſi teneatur illi obedire: Tum quia Superior legitimus præcipit illi, ne differat: Tum etiam quia Satisfactio non ſolùm iniungitur ad relaxandam pœnam, ſed etiam ad præſeruandum à peccatis in futurum; & ea præſeruatio non habet locum, niſi in hac vita: quare in hac tenetur Satisfactionem acceptare, & exequi.

Ad ſecundum, negatur, teneri pœnitentem ſub graui culpa propter integritatem illam extrinſecam, acceptare pœnitentiam, vt conſtat ex dictis ſupra *diſputatione præcedenti ſectione 6. numero 2.* Sed quia eſt in Confeſſario poteſtas vindicatiua vt Iudice potente ſub graui culpa efficaciter obligare; ideo tenetur pœnitens obedire, & acceptare ab illo pœnitentiam rectè iudicante.

Ad tertium negatur Sequela, quia ſuppoſitâ fragilitate hominum, & conſuetudine rationabili, quæ propter illam fragilitatem iam eſt introducta, non eſſet conueniens, nec rationabilis talis pœnitentia: vnde poſſet pœnitens illam tanquam inconuenientem ac irrationabilem reiicere. Et quamuis Confeſſarius poſſit obligare ad Satisfactionem, & pœnitentiam condignam, ea tamen debet eſſe ſimul medicinalis, ac tolerabilis, & accommodata humanę fragilitati, vt condigna cenſeatur, & conueniens.

Ex dictis colligo, pœnitentem ſub culpâ graui teneri quoque exequi, & adimplere pœnitentiam iniunctam à Confeſſario pro peccatis lethalibus. Hoc colligitur ex dictis, & cōſtat ex *c. Omnis vtriuſque ſexus, de pœnit. & remiſſ.* Vbi eodem planè tenore dicitur, vt *omnis fidelis ſua peccata confiteatur, & pœnitentiam iniunctam ſtudeat pro viribus adimplere.* Et ratio eſt, quia omne iuſtum & ſanctum præceptum, quale eſt hoc, in materia graui obligat ſub peccato mortali. Quod ſanè intelligitur non ſolùm in annua Confeſſione, ſed etiam in quacumque alia ſi ſit de materia neceſſaria, quia eſt eadem ratio.

SECTIO II.

An in aliquo caſu omiſſio pœnitentiæ iniunctæ non ſit culpa grauis, ſed leuis, ſeu venialis?

Conſtat apud omnes Doctores, obligationem adimplendi pœnitentiam iniunctam à Confeſſario, tametſi ex genere ſuo ſit grauis, & ſub reatu peccati mortalis; tamen in indiuiduo ſæpe poſſe eſſe tantùm ſub veniali. Patet hoc ex generali regula peccatorum, quæ ex leuitate materiæ venialia fiunt. Erit autem venialis materia, quando omittitur vel pars parua materiæ iniunctæ vel tota etiam pœnitentia, quæ leuis eſt, vt ſi vnus Pſalmus *Miſerere*, impoſitus fuit. Et ratio eſt, quia primum fundamentum huius obligationis eſt materię capacitas, nec poteſt Confeſſarius, ſicut nec legiſlator facere, vt actus excedat potentiam, id eſt obligatio capacitatem materię; eſſet enim iniuſtum, & ſtultum præceptum. Quid enim magis inordinatum, quàm propter rem leuem obligare ad pœnam æternam: Vnde talis poteſtas in Confeſſario non eſſet in ædificationem, ſed in deſtructionem, & ſcandalum, & occaſionem ruinæ, & onus poneret graue, & importabile; non ergo poteſt Confeſſarius talem imponere obligationem. 1

Solùm igitur reſtat duplex difficultas. *Prima eſt*, vtrùm pœnitentia leuis à Confeſſario iniuncta ob peccata grauia mortalia obliget ſub mortali, vel ſolùm ſub veniali. *Secunda eſt*, è contra, quando propter ſola venialia, vel mortalia prius ritè confeſſa iniuncta eſt pœnitentia grauis, obliget ſolum ſub veniali, an verò ſub mortali.

Circa priorem difficultatem, poſſet quis opinari non eſſe in poteſtate Confeſſarij ſua intentione limitare pœnitentiam leuem, quæ iniungitur ob peccata grauia, & mortalia, vt ad veniale obliget, & non ad mortale: Quia quamuis ſit in voluntate Confeſſarij obligare, vel non obligare pœnitentem ad Satisfactionem vllam, vel pœnitentiam; tamen ex ſuppoſitione quòd velit obligare ad aliquam, non eſt in eius poteſtate limitare, vt ſit ſolùm ſub veniali, quando peccata, propter quæ imponitur, grauia ſunt, quia qualitas pœnitentiæ ex quantitate & grauitate peccatorum perpendenda eſt, inſpecto iure naturæ, ac iure proprio inſtitutionis Sacramenti Pœnitentiæ. Firmatur, nam Confeſſarius in hoc foro ſe habet ſicut Legiſlator: hic autem tametſi poſſit præceptum ferre, aut non ferre; ſi tamen ferat, non eſt in poteſtate eius, magis, vel minus obligare, ſed id neceſſariò ſequitur ex materiæ grauitate: ergo. 2

Digitized by Google

3 Affirmant tamen communiter Doctores, & meritò eſſe culpam ſolùm venialem, quando omittitur tota pœnitentia iniuncta, quæ leuis eſt, vt ſi vnus Pſalmus *Miſerere*, impoſitus fuit, etiamſi propter peccata grauia, & mortalia fuerit iniuncta. Ita Suarez *diſputatione* 38. *ſectione* 7. *num.* 5. Cardinalis Lugo *diſputatione* 25. *ſectione* 5. *numero* 74. Coninck *diſputatione* 10. *dubio* 9. *num.* 81. Henriquez *libr.* 5. *de Sacramentis*, *cap.* 10. *numero* 3. & alij. Probo id *primò*, quia legiſlator, & quiuis præcipiens poteſt obligationem moderari infra materiæ grauitatem, vt non obliget niſi ſub veniali, quia in hoc non ſe habet tanquam agens naturale, vt neceſſariò agat ſecundùm vltimum potentiæ ſuæ; quia ipſa obligatio eſt effectus moralis ab homine faciendus, qui non poteſt fieri ſine conſenſu legiſlatoris, & ipſe expreſsè vult non obligare ad mortale: non ergo inducitur talis obligatio. De qua re videatur Suarez *tractatu de legibus libr.* 3. *cap.* 16. *numero* 6. *& ſequentibus.* Prætereà idem Argumentum probat, votum in materia graui poſſe tantùm ſub veniali obligare, vt tenet idem Suarez *tom.* 2. *de Religione libro quarto*, *de obligatione voti*, *cap.* 4. *numero* 4. Quia obligatio voti introducitur per voluntatem hominis: ergo impoſſibile eſt, vt obliget contra intentionem vouentis; ergo ſi vouens intendit non ſe obligare ad mortale, obligari non poteſt per votum: idem igitur dicendum de Confeſſario, qui noluit obligare pœnitentem ad pœnitentiam grauem, ſed leuem tantum, etiamſi iniuncta fuerit propter peccata grauia, non obligare niſi ſub veniali tantùm, quia hoc pendet ex voluntate eius: vnde poteſt pœnitentiam limitare, & ſic obligationem moderari. Poteſt enim Iudex Confeſſarius habere cauſas ſufficientes, & rationabiles iudicandi eam pœnitentiam admodum leuem, tunc ſufficere, etiam pro peccatis mortalibus; & cauſæ eſſe poſſent, vel nimia patientia, & tolerantia pœnitentis in perferenda obiurgatione Confeſſarij, vel magnus dolor illius, vel conſcientiæ timor, vel fragilitas ipſius, vel etiam quòd imponatur tempore Iubilæi; ſemper enim præſumendum eſt pro Iudice. In his igitur, & ſimilibus caſibus, in quibus leuis pœnitentia ob mortalia im ponitur, illa non obligat ſub mortali.

4 Maior dubitatio videtur eſſe poſſe circa ſecundam difficultatem. In qua ſentiunt multi, obligare ſolùm ſub veniali.

Probari poteſt *primò*, quia in eo caſu obligatio grauis excedit materiæ capacitatem, quæ de ſe tantùm capax eſt obligationis leuis: ergo excedit poteſtatem Confeſſarij obligatio grauis pœnitentiæ, quam imponit. Quamuis enim materia capax grauioris obligationis à fortiori eſt capax minoris; non verò è conuerſo, materia capax de ſe tantùm obligationis leuis, conſequenter eſt capax obligationis grauis.

Secundo, tota obligatio in præſenti caſu ſuccedit peccato veniali, & eius obligationi, quæ tota eſt leuis: ergo ſuccedit cum eadem leuitate; ergo nequit eſſe grauis.

Tertio, pœnitens non tenebatur ſub mortali confiteri peccata venialia, aut mortalia iam ritè confeſſa & directè abſoluta, vt eſt certum: ergo ex illa Confeſſione nequit oriri obligatio pœnitentiæ ſub mortali, & grauis.

Vltimò, quando materia voti, penſatis omnibus eius reſpectibus, permanet leuis, tale votum non obligat grauiter, non obſtante intentione vouentis volentis ſe grauiter obligare, quia excedit materiæ capacitatem: ſicut nec poteſt legiſlator obligare in materia leuiſſima ob eandem rationem: ergo idem dicendum de Confeſſario, quando materia Confeſſionis leuis eſt.

Contrarium ſentit cum aliquibus noſter Cardinalis Lugo *diſputatione* 25. *ſectione* 5. *numero* 74. 75. *&* 76. 5

Probat *primò*, quia grauitas obligationis non eſt deſumenda ex peccato veniali, v.g. pro quo imponitur, ſed ex materia quæ præcipitur; ſed materia quæ præcipitur, eſt pœnitentia grauis, verbi gratia, Ieiunium pro peccato veniali confeſſo: ergo obligat grauiter, cùm oriatur à poteſtate Iudicis, & res præcepta ſit grauis, & capax præcepti grauis.

Secundo, hæc obligatio propriè loquendo, non ſuccedit obligationi vitandi peccatum veniale, quæ erat leuis, ſed obligationi, & debito paſſiuo patiendi pœnam temporalem, quod relictum fuit ex culpa veniali; hoc autem debitum, ſeu hæc obligatio eſt ad pœnam grauem: nam eſt obligatio eiuſdem rationis cum illa, quæ remanet ex culpa etiam mortali iam remiſſa ad pœnam temporalem, quæ obligatio commutatur in obligationem Satisfactionis Sacramentalis: & poteſt contingere, quòd aliquis debeat maiorem pœnam temporalem propter multa peccata venialia, quam alius propter mortalem culpam iam remiſſam: ergo ſi Satisfactio impoſita propter culpam mortalem obligat grauiter, eodem modo poterit obligare ſatisfactio impoſita propter multa venialia; cùm hæc etiam ſatisfactio ſuccedat obligationi ad pœnam temporalem debitam, ſicut illa.

Tertiò, ſi quis promitteret ieiunium ad finem ſatiſfaciendi pro ſuis venialibus, votum illud obligaret, ſub mortali, vt eſt certum: ergo ſi ad eundem finem præcipiatur à Confeſſario ieiunium, etiam obligabit eodem modo grauiter.

Vltimò, Prælatus ſi ad eundem finem præciperet ſubditis vnum ieiunium, vt placaretur Deus offenſus noſtris peccatis venialibus, illud præceptum obligaret ſub mortali: ergo potiori iure Confeſſarius qui eſt Superior, & Iudex legitimus, ſi præcipiat ieiunium ad eundem finem pœnitenti, tale præceptum æquè grauiter obligabit.

Magis adhæreo priori Sententiæ, quæ communior eſt, & meo iudicio verior. Iuxta quam; 6

Dico *primò*, pœnitentiam grauem iniunctam pro veniali culpa præcisè non poſſe obligare ſub culpa mortali. Moueor præcipuè, quia Confeſſarius non tenetur, nec debet grauem pœnitentiam pro peccatis venialibus iniungere: ergo ſi eam imponat pro illis, non tenetur pœnitens ſub graui culpa eam acceptare, nedum implere. Antecedens admittitur à Doctoribus contrariæ ſententiæ, præſertim à Coninck *diſputatione* 10. *dubio* 9. *numero* 81. Et colligitur maniſeſtè ex Tridentino *ſeſſ.* 14. *cap.* 8. dicente, debere Sacerdotes Domini pro qualitate criminum ſalutares, & conuenientes Satisfactiones iniungere. Quis autem dicet pœnitentias, & Satisfactiones graues, quæ debent iniungi pro grauibus peccatis, Confeſſarium teneri, ac debere eas iniungere pro leuibus culpis? Eſſetne hoc attendere ad qualitatem criminum & imponere ſalutares, conuenientes, ac rationabiles Satisfactiones; Nónne hoc eſſet, Confeſſionem venialium præcisè, de qua dixit Tridentinum *ſeſſ.* 14. *cap.* 5. rectè, & vtiliter fieri, vt piorum hominum vſus demonſtrat, reddere difficilem, ac omninò exoſam? ergo in nullo caſu debet hoc fieri: Imò nec poteſt Confeſſarius per ſe id facere, quia forum Sacramenti Pœnitentiæ non eſt forum iræ, vel pœnarum, vt docuit Tridentinum ex antiquis Patribus *dicto c.* 8. ſed forum eſt miſericordiæ: ergo nequit extendi ad pœnitentias inconuenientes, 7

inconuenientes, ac irrationales, quales ſunt pœnitentiæ graues vindicatiuæ propter culpam tantum venialem, quia qualitas culpæ venialis ex ſe, & per ſe ſemper eſt leuis, nec debet, nec poteſt iuſtitia vindicatiua procedere ad grauem punitionem pro leui delicto, multò minùs quæ ſimul eſt Tribunal Iuſtitiæ, & Miſericordiæ, & magis inclinat in miſericordiam quàm in vindictam peccati. Conſequentia autem illius Antecedentis manifeſta videtur, quia in Sacramento Pœnitentiæ obligatio puniendi, & obligatio obediendi, ſeu patiendi ſunt aperte correlatiua; neque hæc abſque illa poteſt vllo modo conſiſtere in hoc foro, vt eſt per ſe notum.

8 Obijcies verum eſſe, vt probat argumentum, regulariter Sacerdotem non teneri grauem pœnitentiam pro venialibus peccatis iniungere; nihilominus tamen poſſe id facere in aliquo caſu, quando credit neceſſarium, vt arceat pœnitentem à peccato mortali, ſi nimirum pœnitens venialia peccata parum, ac leuiter æſtimet, & ea ſine ſcrupulo committat, atque ita ſe periculo peccandi mortaliter exponat. Verum neque in hoc caſu teneri Confeſſarium, vel etiam poſſe iniungere pœnitentias graues quæ ſolent iniungi culpis mortalibus & grauibus, pro venialibus peccatis, oſtendo: *Primò*, quia peccata venialia, etſi ad mortale diſponant, non diſponunt proximè, & moraliter, ſed remotè; nam ſæpè videmus homines; qui de fugandis venialibus parum, aut nihil curant, mortale non committere. Et ratio eſt, quia licèt venialia peccata animum labefactent, & Charitatem refrigerent; at propoſitum non committendi mortale, & exercitium operum pietatis, & religionis detinet, & firmum reddit animum, ne corruat; atque adeò quod ex vna parte deperditur, alia via reparatur: Vnde propoſitum faciendi venialia, non eſt propoſitum periculi moralis, & occaſionis proximæ committendi mortale; quia alias quilibet obligatus eſſet ſub graui peccato vitare venialia, quod eſt plus quàm falſum: item noſtra ſalus non conſiſteret totum in obſeruatione præceptorum obligantium ſub mortali, ſed etiam in obſeruatione præceptorum obligantium ſub veniali, ſi ipſa vitatio venialium ad vitationem mortalium neceſſariò requireretur: Imò & teneretur quis ad Contritionem habendam non ſolum conteri de mortalibus, ſed etiam de venialibus, vtpote illorum diſpoſitionibus proximis. Quod nullo modo concedi debet. Igitur propoſitum non vitandi venialia, poteſt componi cum propoſito firmo non admittendi mortale, atque adeò falſum eſt, eum qui venialia peccata parum, ac leuiter æſtimat, & ſine ſcrupulo frequentat ſe exponere periculo peccandi mortaliter. Præterea ſi in eo caſu timeat Confeſſarius pœnitentem propter frequentiam venialium peccatorum parui pendere ea, & non accedere cum debita diſpoſitione ad eorum Confeſſionem, poterit tunc ac debebit illum melius præparare ad dolorem requiſitum in Confeſſione venialium: De quo egi ſupra *diſputatione* 20. *ſectione* 1. 2. & 4. ne ſacrilegium committat ex defectu doloris neceſſarij, vel ſaltem faciat Sacramentum informe, & careat fructu illius. Non propterea tenetur imponere illi pœnitentias graues, vltra menſuram, ſeu quantitatem vel qualitatem paruæ materiæ, ſeu culpæ leuis, qualis eſt venialis. Quòd ſi eas impoſuerit, meritò, ac iure pœnitens non tenebitur illas adimplere ſub graui culpa.

9 Dico *ſecundò*, idem dicendum potiori iure de pœnitentiis grauibus ſi imponantur pro peccatis mortalibus iam ritè, & directè confeſſis & abſolutis. Patet, quia cum pro iſtis peccatis fuerit iam in priori Confeſſione præſcripta grauis, & proportionata pœnitentia, & executioni mandata, & ſupponitur, non videtur iuri, nec rationi conſonum, etiamſi iterum ſubijciantur Clauibus Pœnitentiæ, ea iterum grauiter punire; atque ideò ſi iterum illis grauis pœnitentia iniungatur, ea non obligabit ſub graui culpa: maximè cum inde pœnitens non ſe exponat morali periculo peccandi mortaliter: vnde nequit occurrere vlla rationabilis cauſa grauem pœnitentiam iniungendi.

Ad Argumenta Cardinalis Lugo. Ad primum, reſpondeo negando, grauitatem obligationis pœnæ, ſeu pœnitentiæ non eſſe deſumendam ex quantitate, vel qualitate culpæ: cùm enim pro illa vindicanda & caſtiganda imponi debeat, vt ſit pœnitentia, & ſatisfactio ſalubris, conueniens, & proportionata; & pœnitentia grauis ſit omninò improportionata, ac diſconueniens leuitati culpæ venialis: ideò nequit illa iure præcipi, nec obligare ſub graui culpa. 10

Ad ſecundum dico, tametſi obligatio ſatisfaciendi in pœnitente, ſeu adimplendi pœnitentiam, ſupponat obligationem, ac debitum paſſiuum patiendi pœnam temporalem in Purgatorio; illa tamen radicaliter oritur, & procedit ex qualitate culpæ venialis, & ideò debet illi proportionari; cúmque venialis culpa ſit leuis offenſa, neceſſe eſt, vt talis pœna leuis quoque ſit iniungenda: vnde quamuis contingere poſſit, vt aliquis debeat maiorem pœnam temporalem in Purgatorio propter multiplicationem quamplurimorum, ac ferè innumerabilium peccatorum venialium, quæ committit, quàm ipſemet, vel alius debeat propter peccatum mortale ſemel commiſſum, & iam remiſſum; inde non ſequitur, eſſe illi imponendam pro venialibus grauiorem, vel grauem pœnitentiam æqualem illi, quæ iniungi debet pro culpa graui, ſeu mortali. Ratio eſt, quia nullum peccatum veniale ex genere ſuo ſit mortale ex ſola multiplicatione; vnde ſi verbum otioſum eſt ſolùm veniale peccatum, etiamſi ſæpiùs multiplicetur, veniale ſemper conſtituet, & idem eſt de alijs venialibus, vt eſt certum apud omnes; quia multiplicatio præciſè non conſtituit actum in alia ſpecie, neque auget peccati grauitatem intenſiuè, ſed ſolum extenſiuè; hoc eſt plura peccata eiuſdem rationis conſtituit: Ac propterea nullum veniale exigit grauem, ſeu æquè grauem pœnitentiam, ac eam petit peccatum mortale, atque ideò Confeſſarius non debet, nec poteſt eam iniungere. 11

Ad tertium, Antecedens eſt verum, quia eſt votum de re graui, & ideò grauiter obligat, iuxta qualitatem, & capacitatem materiæ: at pœnitentia grauis peccato mortali proportionata, excedit capacitatem, ac qualitatem culpæ venialis, vt iam dictum eſt.

Ad vltimum, ideò Prælatus poſſet imponere illud ieiunium ſuis ſubditis, quia habet poteſtatem præcipiendi actum illum Temperantiæ ob honeſtam cauſam, qualis eſt illa, in bonum etiam, & obſeruantiam Communitatis Religioſæ: At Confeſſarius ſolùm habet poteſtatem iniungendi pœnitentiam Sacramentalem, quæ ſit condigna & proportionata qualitati criminum & grauitati, vt explicatum eſt.

eſſe, licèt reuera nō ſit, Indulgē tia erit valida, vt defēdit, & probat Suarez in *hoc tomo de pœnitentia, diſp.* 54. *ſect.* 3. *num.* 11. ergo ſimiliter remiſſio pœnæ, quæ per talem, vel tantam ſatiſfactionem conceditur, valida erit, ſi prudenter exiſtimetur æqualis, tametſi reuera non ſit talis æqualitas. Idem Argumentum fieri poteſt ex doctrina communiter recepta, quam ſequitur Thomas Sanchez *lib.* 8. *de matrimonio diſp.* 17. *num.* 8. diſpenſationem factam à Pontifice in voto, vel iuramento, quando diſpenſans iudicat prudenter, eſſe ſufficientem cauſam ad diſpenſandum, validam eſſe, etiamſi reuera cauſa in ſe non eſſet omnino ſufficiens.

4 Secunda opinio eſt negans, quam tenent Durandus *in* 4. *d.* 20. *q.* 1. Petrus de Soto *lect.* 1. *de ſatiſfactione, circa medium*, Vaſq. *q.* 94. *art.* 2. *dub.* 6. Suar. *diſp.* 38. *ſect.* 5. *n.* 3. & 4. Card. Lug *diſp.* 25. *ſect.* 2. *n.* 19. & *ſeq.* & alij.

Probant *primo*, quia ad cauſandos alios effectus Sacramentorum, non ſufficit prudens exiſtimatio Miniſtri: vt in Abſolutione, non ſufficit, quòd Sacerdos prudenter iudicet, eſſe pœnitentem diſpoſitum; nec ad effectum Euchariſtiæ ſufficit, quod prudenter aliquis exiſtimet, ſe eſſe in gratia, ſi reuera non ſit, & ſic de alijs: ergo nec ad hunc effectum remiſſionis pœnæ ſufficiet, quod Sacerdos prudenter exiſtimet, eſſe ſatiſfactionem æqualem, ſi reuera non ſit.

Secundo, non videtur credibile, relictum fuiſſe arbitrio Confeſſarij iudicium de æqualitate Satiſfactionis cum debito, vt ipſe prudenter ſtatuat, qualis debeat eſſe ſatiſfactio æqualis; quia vt hoc aliquis poſſet arbitrari, debebat cognoſcere grauitatem pœnæ temporalis in purgatorio debitæ, & diuturnitatem etiam illius, & quam habeat proportionem ſatiſfactio quæque temporalis ad illam pœnam ex ſe, & ex Sacramenti virtute: quæ omnia ſunt omninò ignota Confeſſario quantũlibet docto; ergo nulli humano iudicio commiſit Deus arbitrari de condignitate pœnæ hoc modo: quia arbitrium de duabus rebus non poteſt iuſtum æſtimari, niſi vtramque cognoſcat ille qui iudicium fert. Adde, Sacerdotem etiam ignorare, quem gradum diſpoſitionis, & Contritionis afferat pœnitens, vnde pendet etiā quantitas pœnæ quam debet: qui enim eſt magis contritus, minus debet ſatiſfactionis; at melior diſpoſitio eſt cauſa, vt minor ſatiſfactio valeat ad tollendum ex opere operato maiorem pœnam. Non ergo potuit relinqui Sacerdotis arbitrio hoc iudicium, quod ipſe nullo modo poterat prudenter ferre.

Tertio, ſi ſufficeret iudicium prudens Sacerdotis de æqualitate ſatiſfactionis cum debito pœnæ ad extinguendum totum debitum; etiā ſufficeret iudicium prudens Sacerdotis de conuenientia ſatiſfactionis impoſitæ in his circũſtantiis, vt extingueretur totum debitũm, etiamſi ſciret eſſe multo minorem. Patet Sequela, quia quando reuera eſt minor, & iudicatur æqualis, tunc defectus ſuppleri debet virtute Sacramenti, & Clauium, quas Sacerdos prudenter applicat, dum impoſitâ illâ pœnitentiâ, abſoluit pœnitentem: ſed ſimiliter, quando impoſita minori pœnitentia, quam ſolam prudenter iudicat eſſe nunc imponendam, applicat Claues Eccleſiæ, & eleuat illā pœnitentiam paruam, & conatur abſoluere pœnitentem quantum poteſt; ergo ſupplet etiam totum defectum virtute Sacramenti: ergo ſi in ſecundo caſu non ſoluit totum debitum, neque etiam in primo dicendum eſt ſolui, niſi iuxta vires illius ſatiſfactionis Sacramentalis, & eleuatæ.

Quartò, Sacerdos in Pœnitentiæ Sacramento non remittit immediatè debitum pœnæ, ſed applicat partem Sacramenti, quæ ex ſe habet virtutem ad operandum illum effectum; ſicut quando offert Sacrificium pro aliquo, non remittit ei debitum pœnæ, ſed applicat illi Sacrificium, quod de ſe habet ex diuina inſtitutione talem virtutem, & quando baptizat adultum non condonat immediatè pœnam debitam, ſed mediatè applicando illi Sacramentum quod affert remiſſionem totius pœnæ. Igitur non eſt in arbitrio Sacerdotis, augere, vel temperare actiuitatem illius partis Sacramentalis, quia ad ipſum ſolùm pertinet applicare cauſam, quæ de ſe ex Dei inſtitutione habet talem vel talem efficaciam.

Vltimò, Pœnitentia Sacramentalis habet determinatum valorem ex opere operato pro quantitate iniunctæ pœnitentiæ, prout Chriſtus determinauit, & non prout Confeſſarius determinat, & taxat: ſicut valor Sacramenti ad conferendam gratiam determinatus eſt à Chriſto iuxta diſpoſitionem pœnitentis, non determinatur à Confeſſario; ergo ſi pœnitentia à Confeſſario iniuncta non eſt æqualis pœnæ reſtanti, quamuis humano iudicio Confeſſarij prudenter taxetur, non extinguet totam pœnam reſtantem; quia ex Iudicio Confeſſarij non minuitur, nec creſcit valor Pœnitentiæ quia ille fuit à Chriſto determinatus iuxta quantitatem pœnitentiæ.

Perplacet prima opinio, eámque iudico veriorem ac magis piam: quam nouiſſimè tenet Gaſpar Hurtado *diſp.* 14. *de Pœnitentia, difficultate* 15. Iuxta quam dico, pœnitentiam prudenter taxatam attenta grauitate peccatorum, & æqualitate proportionali in ratione condignæ ſolutionis, & non minorata ob fragilitatem pœnitentis, extinguere debitum totius pœnæ reſtantis, etiamſi ſit paulò minor in re ipſa. Moueor ad id præcipue, quia ex vna parte pœnitentia Sacramentalis inſtituta eſt à Chriſto Domino, vt ex opere operato compleat remiſſionem peccatorum, remittendo totam pœnam reſtantem, vt eſt certum. Ex altera parte taxatio, & impoſitio pœnitentiæ, quâ complenda eſt peccatorum remiſſio, commiſſa eſt arbitrio, & iudicio prudentis Confeſſarij tanquam iudicis, ad præteritorum peccatorum vindictam, & caſtigationem: vt patet, cùm Sacramentum Pœnitentiæ inſtitutum ſit inſtar iudicij. Et eſt expreſſa doctrina Concilij Tridentini *ſeſſ.* 14. Vbi *cap.* 8. loquens de Confeſſariis ſic dicit. *Debent ergo Sacerdotes Domini ſalutares, & conuenientes Satiſfactiones iniungere: ne, ſi fortè peccatis conniueant, & indulgentiùs cum pœnitentibus agant, leuiſſima quædam opera pro grauiſſimis delictis iniungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.* Subdit autem ſtatim. *Habeant autem præ oculis, vt ſatiſfactio, quam imponunt, non ſit tantùm ad nouæ vitæ cuſtodiam, & infirmitatis medicamentum; ſed etiam ad præteritorum vindictam, & caſtigationem: Nam Claues Sacerdotum non ad ſoluendum duntaxat ſed ad ligandum conceſſas, etiam antiqui Patres, & credunt, & docent.* Quibus verbis manifeſtè liquet, Confeſſores indulgendo pœnitentibus pœnitentiam, vel ſatiſfactionem procedere vt Iudices. Quòd verò taxatio, & impoſitio pœnitentiæ commiſſa ſit arbitrio Confeſſorum, apertè docet Tridentinum *cap.* 9. *ſequenti*, vbi loquens de operibus pœnalibus, ſeu ſatiſfactoriis, ait ea imponi Sacerdotis arbitrio pro menſura delicti. Igitur ex Concilio Tridentino manifeſtè conſtat, Confeſſarios ad iniungendas pœnitentias pro peccatis debitas procedere vt Iudices arbitrarios: ergo pœnitentia, quæ arbitrio prudentis Confeſſarij eſt proportionata ad vindictam, & ſatiſfactionem peccatorum, attendendo ad grauitatem eorum, complet remiſſionem peccatorum, totā pœnā reſtantē extinguēdo, tametſi ſit parũ minor: aliàs enim Confeſſarius ferè nunquā poſſet iuſtũ, & perfectũ iudicium efficere, quo peccata quoad totũ reatũ, ſeu debitũ iuſtè remittantur; quia ſi aliqua pœnitentia indiuiſibiliter requiſita eſſet, ferè ſemper deficeret. Quare ipſa adæquatio, ſeu æqualitas ſatiſfactionis, ſeu pœnæ, non 5

eſt

eſt æqualitas mathematica, vt communiter dicunt Doctores, ſicut neque eſt talis ęqualitas inter meritum condignum, & præmium, debet ergo eſſe æqualitas proportionis iuxta diſpoſitionem diuinam, quâ Chriſtus inſtituit Sacramentum, commiſſam prudenti taxationi Confeſſarij, quæ habet latitudinem intra rationem iuſtitiæ, & æqualitatis, ſicut pretia rerum dicuntur habere latitudinem rigoroſi, moderati ac infimi pretij intra rationem iuſtitiæ, & æqualitatis. Idque optime probant tria priora Argumenta primæ ſententiæ.

6 Addo, quod notauit Gaſpard Hurtado, fuiſſe maximè conueniens, valorem ex opere operato pœnitentiæ non determinari a Chriſto pro quantitate indiuiſibili pœnitentiæ, ſed ſufficientem ad extinguendam totam pœnam reſtantem conuenire pœnitentiæ prudenter a Confeſſore taxatæ intra latitudinem prudentis, & proportionalis, eo ipſo quòd iudicio prudenti Confeſſarij remiſit taxationem pœnitentiæ ad vindictam peccatorum; cuius impletione completur iudicium, & Sacramentum Pœnitentiæ ad plene peccata remittenda inſtitutum. Atque in hoc ſenſu recte intelligitur commune illud Theologorum Axioma, Claue non errante ſemper ſubſequi effectum ſolutionis, ſeu apertionis cœli: quoties autem prudenter, & fideliter fit ad æqualitatem taxatio pœnæ quantum in homine eſt, Clauis non errat: ergo integre conſequitur effectum ſuum. Totum id magis clareſcet ex ſolutione Argumentorum ſecundæ ſententiæ.

7 Ad primum, conceſſo Antecedente, negatur Conſequentia ob manifeſtam diſparitatem; nam in Abſolutione ſacramentali, diſpoſitio eſt neceſſaria ex parte recipientis Sacramentum, & ex parte effectus conferendi, qui congrue fieri non poteſt in ſubiecto indiſpoſito; quæ indecentia, ac improportio fieri non poteſt vt ſuppleatur propter exiſtimationem, vel prudens iudicium Miniſtri, vel pœnitentis. Hic verò iuſta cauſa remiſſionis pœnæ reſtantis ſolùm requiritur ex parte Miniſtri taxantis, & iniungentis pœnitentiam, ſeu pœnam, ne ſit diſſipator alienæ ſubſtantiæ; & poteſtate dominatiua potiùs, quàm miniſteriali vti videatur: ad hoc autem ſatis eſt, vt cauſa ſit ſufficiens, prudenti exiſtimatione illius, intra latitudinem æqualis pœnæ, ac proportionatæ.

8 Ad ſecundum; non ſolùm credibile, ſed valdè conueniens iudicatur arbitrio Confeſſarij fuiſſe relictum iudicium de æqualitate proportionali ſatisfactionis, ſeu pœnitentiæ cum debito pœnæ reſtante: Cùm enim ipſe Cōfeſſarius ſit Iudex arbitrarius inſtitutus a Chriſto ad iniungendam, & imponendam pœnitentiam ſatisfactoriam ad vindictam, & caſtigationem peccatorum, vt probatum eſt ex Tridentino; ad ipſum pertinet ſtatuere prudenter qualis debeat eſſe ſatisfactio & pœnitentia æqualis, attenta grauitate delictorum. Quia eo ipſo quòd iudicio prudentis Confeſſarij remiſit Deus vel Chriſtus Dominus taxationem pœnitentiæ ad plenam vindictam peccatorum; iam eius impletionē voluit vt compleretur iudicium & Sacramentum Pœnitentiæ ad plenè remittenda peccata inſtitutum. Neque ad id neceſſarium eſt, vt Confeſſarius clarè, & in particulari cognoſcat, quæ pœna Purgatorij debita ſit peccatis ab hoc pœnitente commiſſis; ſat eſt, vt conſideret qualitatem criminum, & valorem pœnitentiæ ad remittendam ex vi Sacramenti, & ex opere operato totam illā pœnam à Deo determinatam; atque hunc valorem ex Chriſti inſtitutione determinari à Confeſſario, iniungendo, & taxando debitam pœnitentiam ob vindictam peccatorum intra latitudinem prudentis æqualitatis, ac proportionis; attendendo ſimul, quòd Tribunal, quod miniſtrat, Sacramenti Pœnitentiæ, eſt Tribunal miſericorditer abſoluendi, inſtitutum in vtilitatem pœnitentis, & efficax, vt ex opere operato remittat non paruam pœnam: Vnde viſis omnibus, vt æqualitas moralis ac proportio ſit prudens, & ſufficiens inter valorem, pœnitentiæ iniunctæ, & impletæ, & pœnam reſtantem non requiritur vt prædicta pœnitentia ex ſe, ſeu ex opere operantis ſit æquè condigna, ac moraliter æquiualens ipſi pœnæ reſtanti; ſed erit prudens, & ſufficiens, quamuis ex ſe ſit parùm minor, dummodò non ſit nimis minor, vt proportio ſufficiens ſeruetur inter peccata, & eorum punitionem, ac caſtigationem Sacramentalem.

Ad tertium, negatur Sequela: nam Confeſſarius quādo imponit modicam pœnitentiam, & multò minorem quàm delicta poſtulant pœnitentis, quam ſolam iudicat eſſe imponendam propter fragilitatem pœnitentis, ad cuius vtilitatem præcipuè attendit, iam videt nullā eſſe proportionem, & æqualitatem moralem inter valorem dictæ pœnitentiæ, ac debitum pœnæ reſtantis, etiam attendendo ad virtutem Sacramenti miſericorditer punientis, & ad Claues Pœnitentiæ, quas prudenter exercet; & ideò conſequenter exiſtimat nō tolli reatū totius pœnæ debitę in Purgatorio, per illam modicā, ac valdè improportionatam pœnitentiam: At id non contingit in caſu præſentis quæſtionis, quando videlicet Sacerdos taxat, & imponit debitam pœnitentiam, attendendo ad vindictam, & caſtigationem peccatorum plenam, & commenſuratam virtuti Sacramenti, quod eſt etiam Tribunal miſericorditer abſoluendi.

Ad quartum, negandum eſt, Sacerdotem in Sacramento Pœnitentiæ non remittere immediatè debitum pœnæ Purgatorij, per immediatam impoſitionem, ac iniunctionem ſatisfactionis, ſeu pœnitentiæ: Vnde non ſolùm applicat, vt in Sacrificio Miſſæ iam à Chriſto inſtituto, vel in Sacramento Baptiſmi cùm baptizat; ſed verè tanquam iudex iniungit, ac imponit ſuo arbitrio pœnitentiam ſalutarem ex commiſſione Chriſti Domini Pœnitentiæ Sacramentum inſtituentis, vt ſatis eſt explicatum.

Ad vltimum, dico pœnam temporalem reſtantem poſt Abſolutionem, eſſe à Deo determinatam pro quātitate peccatorum: nego tamen valorem pœnitentiæ impoſitæ à Confeſſario & à pœnitente impletæ eſſe determinatū à Chriſto, ſed eſſe determinatum ex Chriſti inſtitutione ab ipſo Confeſſario; nam valor ſufficiens ad extinguendam totam pœnam reſtantem, conuenit ex Chriſti inſtitutione ipſi pœnitentiæ à Confeſſario prudenter taxatæ, & iniunctæ ad vindictam peccatorum, & ipſe Confeſſarius eſt qui determinat illam intra latitudinem prudentis, & proportionalis ſatisfactionis, cuius impletione completur integraliter iudicium, & Sacramentum Pœnitentiæ ad plenè remittenda peccata inſtitutum. Quod non reperitur in aliis Sacramentis, imò nec in ipſo Sacramento Pœnitentię eſſentialiter accepto; quia valor eorum ad conferendam gratiam ſiue ſanctificantem, ſiue ſacramentalem, fuit ex ipſa Chriſti inſtitutione ab ipſo determinatus: vnde in Sacramentis nihil quod ad collationem gratiæ conducit, commiſſum eſt taxationi Miniſtri; ſicut commiſſa fuit pœnitentia Sacramentalis, ad remiſſionem pœnæ reſtantis conducens.

SECTIO VI.

An teneatur Confeſſarius imponere Satisfactionem pœnitenti?

Dico primò conſtare apud Doctores regulariter ac per ſe loquendo teneri Confeſſarium ſub culpa 1

graui imponere pœnitentiam , & ſatisfactionem pro peccatis mortalibus. Id colligitur manifeſtè ex Tridentino *ſeſſ.* 14. *c.* 8. ſic dicente: *Debent Sacerdotes Domini, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, ſa-*
2 *lutares, & conuenientes ſatisfactiones iniungere.* Et ratio eſt, quia in hoc Pœnitẽtiæ Sacramento, Confeſſarius eſt Medicus, & Iudex. Vt Iudex, tenetur ex iuſtitia vindicatiua in hoc iudicio Sacramẽtali æquitatẽ ſeruare, & pro qualitate criminum imponere maiorem, vel minorem pœnitentiam, & ſatisfactionem: vnde cùm iudicet inter Deum, & hominem, ſicut debet abſoluere pœnitentem diſpoſitum, ita conari debet vt homo ſatisfaciat Deo. Quare ex hac virtute iuſtitiæ tenetur ſub mortali, quando iniungenda eſt pœnitentia grauis. Vt medicus etiam, tenetur curare vulnera pœnitentis; vnde ratione officij Medici ſpiritualis, quod in hoc iudicio etiã exercet, tenetur adhibere pœnitentiam præſeruatiuam ad medelam pœnitentis contra aliquod peccatum mortale, quod timetur committendum.

2 Dico *ſecundò*, prædictam obligationem grauem in Sacerdote imponendi Pœnitentiam, non eſſe præcisè propter integritatem Sacramenti, ne videlicet relinquatur Sacramentum mutilum & imperfectum abſque hac eius parte. Id rectè notauit Cardinalis Lugo *diſputat.* 25. *ſect.* 4. *num.* 50. Et probat benè, quia ſi hæc obligatio grauis eſſet propter integritatem Sacramenti præcisè, ſequeretur ipſum pœnitentem teneri quoque ſub peccato mortali ad implendam pœnitentiam etiam leuiſſimam ſibi impoſitam, ne Sacramentum maneret imperfectum; quia tam requiritur ad integritatem Sacramenti ſatisfactio reipſa poſita in executione, quàm præceptum, ſeu impoſitio pœnitentiæ: Conſequens autem vt falſum ab omnibus negatur: ergo & Antecedens. Præterea inter caſus, quibus Confeſſarius excuſatur ab imponenda pœnitentia, numerari ſolet à Doctoribus, præcipuè ab Henriquez *lib.* 5. *de Sacrament. cap.* 20. *num* 6. quando ſcrupuloſus ſæpè intra horam redit cum nouis peccatis, vt ſæpè abſoluatur, tunc autem etiam maneret Sacramentum imperfectum abſque illa parte integrante. Ratio à priori hæc mihi eſſe videtur, quia non debetur ſaltem ſub graui culpa hæc perfectio integralis Sacramenti, niſi in Satisfactionem grauem ad vindictam grauium peccatorum, vel in medelam contra peccatum mortale, vel in vtramque ſimul: nam per hoc Sacerdos non deeſt muneri ſuo in re graui. Tenetur igitur imponere pœnitentiam in re graui, quia tenetur curare ſalutem pœnitentis, vt medicus, & ſeruare æquitatem vt iudex, atque ideò eiuſmodi obligatio ex genere ſuo eſt grauis.

3 Vnde colligo *primò*, licèt obligatio imponendi pœnitentiam ſit ex genere ſuo grauis; poſſe tamen ex paruitate materiæ peccati, peccari ſolùm venialiter contra illam. Id tenet Petrus de Ochagauia *de Sacrament. Pœnitent. tract. vltim. quæſt.* 8. *num.* 7. Indicat Henriquez citatus, ſic dicens: *Sub mortali tenetur Confeſſarius in re graui iniungere aliquam pœnitentiam*; nam illa particula *in re graui*, excludit ſimilem obligationem, quando res eſt leuis. Hoc idem ſentit Cardinalis Lugo citatus.

4 Colligo *ſecundò*, Confeſſarium ex duplici capite teneri iniungere pœnitenti ſalutarem pœnitentiam. *Primò*, in punitionem peccatorum præteritorum: nam cùm Confeſſarius immediatè in perſona Dei hoc iudicium exerceat, debet eum in iudicando imitari, qui ita communiter remittit peccata, vt tamen ſimul aliquam ſatisfactionem exigat. *Secundò*, in medelam pro futuris cauendis; quia Confeſſarius tenetur quantum poteſt, mederi animæ ipſius pœnitentis; & huic ſalutare eſt valdè, vt à peccando in poſterum deterreatur.

5 Dico *tertiò*, Confeſſarium abſoluentem pœnitentem aliquando non teneri imponere ei aliquam pœnitentiam. Ita docent communiter omnes Doctores. Et probatur, quia ſunt nonnulli caſus, in quibus licitum eſt ei abſoluere abſque iniuncta pœnitentia, & ſatisfactione. *Primo*, in mortis articulo, quando pœnitens inter confitendum amittit omnem ſenſum; certum eſt enim tunc nullam ei pœnitentiam debere iniungi, quia ipſe eius incapax eſt. Si verò moribundus percipiat, & ſit capax receptionis, aut impletionis pœnitentiæ, imponenda eſt aliqua pœnitentia quamuis leuis, quam tunc poſſit exequi, vt vel ſemel ſaltem proferat nomen Ieſu, vel aliquẽ bonũ motum eliciat: & etiam imponenda eſt alia pœnitentia ſi viuat, ſi illa leuis non ſufficiat, attenta grauitate peccatorum, quam ſi forſan vixerit, impleat. *Secundo*, eſt idem dicendum, quando Sacerdoti conſtaret, pœnitentem iam ante perfectè pro peccatis ſatisfeciſſe, ſi alias non ſit pœnitentia neceſſaria ad cautionem in futurum. Ratio eſt, quia tunc ex nullo titulo tenetur pœnitens pœnitentiam implere, quia non ob ſatisfactionem pro peccatis; vbi enim nulla opus eſt Satisfactione, ibi etiam nulla opus eſt pœnitentia: neque etiam tenetur ob cautionem in futurum, vt ſupponimus: nec denique tenetur vt integraliter perficiatur Sacramentum, quia vt *ſupra* dixi, perfectio hæc non eſt debita niſi in Satisfactionem, vel in medelam, vel in vtramque. Cæterum addo, quia illud vix vnquam ſine reuelatione conſtare poteſt, conſultius notant Doctores eſſe, in eo caſu aliquam, vel leuem ſatisfactionem imponere. Ego exiſtimo, eſſe etiam neceſſarium vt vitetur ſaltem venialis culpa; quia eſt de integritate Sacramenti, vt imponatur pœnitentia: quando intelligitur durare reatus pœnæ, in hoc verò caſu vix vnquam ſine reuelatione conſtare poteſt de ſufficienti ſatisfactione iam facta. *Tertio*, alium proponit caſum Gaſpar Hurtado, *de Pœnitentia, diſp.* 14. *difficultate* 2. videlicet Confeſſarium poſſe pœnitentem abſoluere, nullam illi imponendo pœnitentiam, quando pœnitens lucratur Indulgentiam plenariam; quia tunc impoſitio pœnitentiæ non eſt neceſſaria ad ſatisfactionem pro pœna temporali, quia remittitur, aut remiſſa eſt per Indulgentiam plenariam; & alias poteſt non eſſe neceſſaria in medelam. De quo caſu dicam *diſputatione ſequenti, ſect. vltima*. *Quarto*, alium caſum tradit Henriquez, vt dixi *ſupra* de ſcrupuloſo qui ſæpe intra horam accedit, vt denuò confiteatur & abſoluatur. Hunc verò ipſe non admitto, quia tunc nouæ pœnitentiæ ſalutares iniungendæ ſunt nouis Confeſſionibus, cùm ſint diſtincta numero Sacramenta, & intelligatur eſſe nouus reatus pœnæ. *Vltimo*, addunt nonnulli alium caſum, non eſſe à Confeſſario iniungendam pœnitentiam, ſi probabiliter iudicat pœnitentem non eſſe admiſſurum vllam pœnitentiam: ne Sacramentum, quod inſtitutum fuit à Chriſto Domino in fauorem pœnitentis, in illius laqueum vertatur. Verùm ipſe neque hunc caſum admitto: imò ſentio debere Confeſſarium negare ei Abſolutionem quaſi impœnitenti, ſi in re graui pœnitentiam, & ſatisfactionem à ſe iniunctam acceptare detrectet: Quia cùm tunc acceptare detrectat, iam improbabilis cenſenda eſt ſententia oppoſita, nec ei poterit licitè Confeſſarius conformari; habet enim Clauium poteſtatem, & poteſt ligare, & obligare ſuâ ſententiâ, & præcepto, tanquam Iudex ipſum pœnitentem ad acceptandam condignam, & prudentem ſatisfactionem, vt rectè notauit Henriquez *lib.* 5. *de Pœnit. c.* 20. *num.* 1. & Fagundez 2. *præcepto lib.* 9. *c.* 3. *n.* 10.

Ex his colligo, quam rarò, aut ferè nunquam vlla limitatio adhibenda ſit practicè, & moraliter loquendo, ad doctrinam certam *ſuprà* traditam, abſolutè teneri Confeſſarium ad imponendam pœnitenti ſatisfactionem, & ſub graui culpa ex genere ſuo; niſi inuincibilis

Digitized by Google

ninoibilis ignorantia, aut inaduertentia excuſet, vel etiam paruitas materiæ, vt ſuprà notaui *num.* 5.

SECTIO VII.

An Confeſſarius teneatur imponere pœnitentiam obligantem ſub præcepto, an ſolùm liberè, & de conſilio implendam.

1 PRocedit quæſtio de Confeſſione, quæ eſt de materia mortali, & de pœnitentia illi impoſita proportionata, etiam graui; an videlicet hæc ſemper ſit imponenda per modum præcepti, an poſſit interdum applicari de conſilio tantùm, ſi pœnitens velit illam aſſumere.

Non teneri Confeſſarium ſemper imponere Satisfactionem & pœnitentiam per modum præcepti obligantis ad mortale, niſi impleatur, ſentiunt multi quos refert, & ſequitur Suarez *diſput.* 38. *ſect.* 3. *num.* 2. & Fagundez *c.* 3. *citat. n.* 11.

Probant *primò*, quia conceſſâ Indulgentiâ Pontifex eleuat illud opus per virtutem Clauium, vt licèt ſit liberum, afferat remiſſionem pœnæ: ergo poterit etiam Confeſſarius abſque præcepto eleuare opera pœnitentiæ vt ſint ſatisfactoria; nam etiam conceſſio Indulgentiæ eſt actus iuriſdictionis, licèt non ſit præceptum obligans.

2 *Secundò*, Prælatus aliqua præcipit non obligans ſub culpa: ſic enim aliquando per Regulas vult obligare ad pœnam, & non ad culpam: ergo Confeſſarius etiam poteſt imponere pœnam de conſilio, & non de præcepto.

Veriorem iudico oppoſitam ſententiam negantem poſſe à Confeſſario imponi pœnitentiam eo modo, ſed ſolùm per modum præcepti. Quam tenent Cardinalis Lugo *diſput.* 25. *ſect.* 4. *num.* 54. Vaſquez *quæſt.* 94. *articulo* 2. *dubio* 1. Coninck *diſput.* 10. *dub.* 8. *num.* 64. Torres *de pœnitentia, diſputat.* 35. *dubio* 2. & alij. Iuxta quam;

Dico *primò*, Confeſſarium debere pœnitentiam iniungere non per modum conſilij, ſed per modum præcepti. Hoc manifeſtè conſtat ex Tridentino *ſeſſ.* 14. *c.* 8. Vbi ait, Sacerdotes Domini debere pro qualitate criminum iniungere ſalutares, & conuenientes ſatisfactiones ad punienda peccata, ne alienorum peccatorum participes efficiantur. Ibi autem verbum, *debent*, non ſignificat conſilium, ſed præceptum. Apertè etiam oſtendit eſſe obligationem, quia aliter fiunt participes alienorum peccatorum: ergo eſt obligatio ſub pœna peccati pœnitentibus iniungere pœnitentias ſub præcepto. Præterea Concilium id probat, quia Claues Sacerdotum non ad ſoluendum dumtaxat, ſed & ad ligandum conceſſas, etiam antiqui Patres & credunt, & docent. Quibus verbis manifeſtè oſtendit poteſtatem, iniungendi pœnitentiam oriri ex poteſtate Clauium ad ligandum: At pœnitentia impoſita per modum conſilij non ligat pœnitentem, vt conſtat; manet enim liber, ſicut anteà; & conſilium, quod homini omninò liberum relinquit vt aliquid faciat, aut non faciat, non poteſt vllo modo dici ligare: Igitur illa non oritur ex poteſtate iudiciaria. Tandem conſtat ex eodem Tridentino ibidem dicente, Confeſſarios debere habere præ oculis, vt pœnitentia, & ſatisfactio, quam imponunt, ſit ad peccatorum vindictam & caſtigationem; atque adeò Sacerdos debet ita imponere pœnitentiam, vt puniat peccata: At qui reum ſeu pœnitentem non obligat ad ſubeundam pœnam, ſed ſolùm ſuadet vt eam ſubeat, nullo modo eum punit, vel caſtigat, ſed ſolùm ſuadet vt ſeipſum puniat, & caſtiget. Igitur ſecundùm ſententiam, ac mentem Concilij apertum, ac manifeſtum videtur, Confeſſarium ſuo muneri non ſatisfacere, niſi verè obliget. Et ratio à priori eſt, quia Confeſſarius imponit pœnitentiam tanquam Iudex vt puniat pœnitentem; ſunt enim Confeſſarij, ex Tridentino *ſeſſ.* 14. *cap.* 5. Vicarij Chriſti, Præſides ac Iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferuntur, in quæ Chriſti fideles ceciderint: quo, pro poteſtate Clauium remiſſionis, aut retentionis peccatorum ſententiam pronunciant, & æquitatem in pœnis iniungendis ſeruant: Iudex autem non punit niſi per vim coërcitiuam, quâ obligat reum ad ſubeundam pœnam. Nec valet dicere, Confeſſarium imponentem pœnitentiam, non de præcepto, ſed de conſilio implentem, etiam obligare pœnitentem ad certam pœnitentiam ſubeundam, ſtatuendo, vt aliàs fructum Sacramentalis ſatisfactionis non percipiat. Non, inquam, valet; quia manifeſtum eſt id non ſufficere, vt dicatur pœnitentem ligare, aut punire. Patet, quia talis verè manet tam liber ad implendam illam pœnitentiam, quàm anteà erat: Aliàs enim Pontifex qui proponit Indulgentias certum opus facientibus, poſſet verè dici, quòd omnibus mortalibus tale opus iniungit, eóſque ad illud implendum obligat, & ligat, eorúmque peccata per id punit; quia imponit illis neceſſitatem illius operis faciendi ſub conditione, ſi velint debitarum pœnarum Indulgentiam conſequi. Et ſimili modo diceretur omnibus aliquod opus iniungere, qui illud facientibus certum præmium polliceretur. Hæc autem ſunt apertè abſurda apud hominum prudentum æſtimationem, ac iudicium.

Dico *ſecundò*, hinc ſequi, Confeſſarium non poſſe grauem pœnitentiam iniungere, ac præcipere ſolùm ſub veniali. Id rectè notauit Coninck relatus *num.* 65. Ratio eſt, quia tametſi probabilius ſit Prælatum communiter poſſe rem grauem præcipere ſub veniali tantùm: at Confeſſarius ideò non poteſt grauem pœnitentiam imponere ſub veniali ſolùm; quia non obligat nomine ſuo, nec in perſona ſua, ſed in perſona Dei, gerens perſonam Dei, & iuxta inſtitutionem Sacramenti, cuius vim ipſe Miniſter temperare non poteſt pro ſuo arbitrio, ſed neceſſariò agit prout poſtulat inſtitutio Sacramenti, quæ exigit, vt pœnitens ligetur: quod abſolutè ſumptum ſtrictam obligationem ſignificat. Aliqui firmant hoc Dictum exemplo Sacramenti Matrimonij, in quo non fieret proculdubio Sacramentum, ſi contrahentes vellent ſe obligare ſolùm ſub veniali. Cuius veritatis rationem reddidi in *tractatu de matrimonio diſputatione 6. ſect.* 3. *numer.* 7. quia obiectum Matrimonij cùm conſiſtat in traditione corporis, vinculo perpetuo, & indiſſolubili, ad prolis propagationem, & eius bonam educationem: ex illa traditione ſequitur neceſſariò obligatio grauiſſima, & ſub mortali atque ideò qui contrahit matrimonium, tenetur habere abſolutam voluntatem ſe obligandi, quantum ipſum obligat Matrimonium, quia aliàs grauiter deciperet alium contrahentem: Vnde ſi haberet aliam intentionem non ſe obligandi grauiter, perinde eſſet, ac ſi fictè matrimonium contraheret. Similiter ergo inſtitutio Sacramenti Pœnitentiæ, cùm ſit inſtitutio veri, & proprij iudicij in foro interno, atque ideò & Confeſſoris verè & propriè Iudicis cum poteſtate ligandi reos ſeu pœnitentes, prout oportuerit, exigit obligationẽ grauem eos caſtigandi, & puniendi iuxta capacitatem materiæ, ad præteritorum peccatorum vindictam, ac proptereà ſi peccata fuerint grauia, & mortalia, inſtitutio huius iudicij obligat Confeſſarium vt Iudicem, vt vindicet, & puniat illa ſalutaribus, & grauibus pœnitentiis condignis,

Digitized by Google

gnis, itavt ſententia obliget pœnitentem ſub mortali: ſicut contingit in iudiciis aliis humanis iuxta grauitatẽ materiæ, de qua iudicatur.

4 Dico *tertiò*, ſi Confeſſarius iniungeret pœnitentiam non per modum præcepti, ſed per modum conſilij, tunc non imponeret Pœnitentiã Sacramentalem, neque illa pœnitentia in eo caſu eſſet Sacramentalis. Ita Cardinalis Lugo, & Ægidius Coninck. Et conſtat ex dictis, quia impoſitio pœnitentiæ ſeu Satisfactionis Sacramentalis procedit ex poteſtate ligandi: ergo Sacerdos vt imponat pœnitentiam Sacramentalem, debet ligare; At qui non præcipit pœnitentiam, pœnitentem non ligat, vt patet; ergo non imponit pœnitentiam Sacramentalem. Firmo, nam in Eccleſia Dei nunquam Sacerdotes agnouerunt in ſe poteſtatem relaxandi pœnas temporales reſtantes, aliter quam imponendo pœnitẽtias, quibus vt Iudices punirent peccata; nec agnouerũt duos modos diuerſos imponẽdi pœnitentias, ex præcepto, & etiam ex conſilio; ergo vel negandum eſt, eos vnquam obligare pœnitentem, quod dici non poteſt; vel fatendum eſt ſemper ligare, quoties pœnitentiam imponunt, & ideò eam eſſe Sacramentalem. Nec verè ligare dicitur Sacerdos, quatenus imponit neceſſitatem non ſimpliciter, ſed ex ſuppoſitione, ſi velit pœnitens conſequi remiſſionem pœnæ ex opere operato; Nam ſi hoc eſt ligare, etiam ligat Papa, dum concedit Indulgentias: etiam ligat, dum concedit priuilegia, aut diſpẽſat cum Religioſis. Quod tamen in nullo ſenſu concedi poteſt, nec dici.

5 Hinc manet ſolutum primum Argumentum oppoſitæ ſententiæ, negando Conſequentiam; nam conceſſio Indulgentię, licet ſit actus iuriſdictionis, procedit tamen ex poteſtate ſola ſoluendi; at impoſitio Satisfactionis Sacramentalis procedit ex poteſtate ligandi, vt vidimus ex Tridentino.

Ad ſecundum, dato Antecedente, adhuc non valet Conſequentia; quia ſi Confeſſarius non obligat ad culpam, non obligat etiam ad pœnam: non enim imponit aliam pœnam, ſi pœnitentia Sacramentalis non impleatur.

SECTIO VIII.

An Confeſſarius teneatur pœnitentiam æqualem imponere; vel quam menſuram ſeruare debeat?

1 Dico *primò*, certum eſſe, Confeſſarium non poſſe atque ideò non teneri imponere pœnitentiam mathematicè æqualem, ſeu æquiualentem pœnæ debitæ in Purgatorio. Patet, quia Confeſſarius citra reuelationẽ nequit ſcire quantã pœnam ſubire debeat pœnitens in Purgatorio, & qualis pœna, ſeu pœnitentia illi mathematicè ſit æqualis vel æquiualeat in hac vita: ergo nequit illam imponere.

2 Dico *ſecundò*, nullam eſſe legem diuinam, aut humanam Eccleſiaſticam præſcribentem, & taxantem certam aliquam pœnitentiam, vel determinatam Satisfactionis menſuram, quam teneatur Confeſſarius pro his vel illis peccatis iniungere. Hoc eſt certum, & apertè colligitur ex Concil. Nicen. *capite* 12. *& ex capite Menſuram, de pœnitentiis diſt.* 1. & ex multis aliis, quæ referuntur 26. *quæſt.* 7. & ex *cap. Deus qui, de Pœnitentia & remiſſ.* Et ratio eſt, quia hæc pœnitentia maximè ordinatur in bonum, & curationem pœnitentis: at diſpoſitio pœnitentis poteſt eſſe tam varia, & multiplex, vt non poſſit eadem quantitas, nec idem modus pœnitentiæ illi expedire: ergo de illa imponenda expediens fuit, vt nulla fuerit lex taxans, vel determinans illam.

Dico *tertiò*, relinqui menſuram pœnitentiæ omninò arbitrio Confeſſarij. Ita omnes: Id docuit expreſſe Concilium Florentinum in Literis Vnionis: vbi agens de partibus Sacramenti Pœnitentiæ: *Tertia*, inquit, *pars eſt Satiſfactio pro peccatis ſecundum arbitrium Sacerdotis.* Tridentinum quoque *ſeſſione* 14. *capite* 9. expreſsè docet, nos ſatisfacere Deo pœnis Sacerdotis arbitrio, pro menſura delicti impoſitis: Imò etiam olim ſimili modo fuiſſe permiſſum Sacerdoti, vt in hoc foro eam pœnitentiam iniungeret, quam crederet hìc & nunc maximè expedire iniungi, apertè colligitur ex *capite Menſuram* 85. *de pœnitentia, d.* 1. Quare Canones Pœnitentiales, qui in principio Decreti habentur, quique Pœnitentiales appellantur, eo quòd in illis deſignentur variæ Satisfactiones, ſeu pœnitentiæ, quæ in exordio naſcentis Eccleſiæ iniungi ſolebant pœnitentibus pro diuerſis delictis, ſeu peccatis, potiùs pertinebant ad forum externum Eccleſiæ, quàm ad forum internum Pœnitentię; quia interdum erat pœna depoſitionis, vel priuationis Eccleſiaſticæ dignitatis, vel quid ſimile. Et etiamſi aliquæ pœnæ pertinerent ad forum Pœnitentiæ, ſemper dabatur locus arbitrio Confeſſoris: Vnde erant quaſi regulæ directiuæ, vt illas Confeſſarij ſequerentur, quantum expedire cenſerent. Verùm nunc iam omnes illi Canones antiquati ſunt, & ad arbitrium Sacerdotis totum hoc negotium eſt reuocatum. Quod quidam dicunt, olim pro quouis peccato mortali debuiſſe iniungi pœnitentiam, ſeptem annorum; ſine vllo fundamento, & probatione dicunt: Nam tales pœnitentiæ ſolum pro enormibus peccatis iniungebantur, præſertim cùm aliorum ſcandalo erant facta. 4

Dico *quartò*, hoc arbitrium non eſſe relictum abſolutè in poteſtate Confeſſarij voluntaria, ſed conſiderata grauitate peccatorum, & diſpoſitione pœnitentis, aliiſque circumſtantiis, perſonæ, temporis, &c. debere prudenter imponi proportionatam Satisfactionem. Ita communiter Doctores omnes. Idque manifeſtè declarat Tridentinum *ſeſſ.* 14. *c.* 8. his verbis: *Debent Sacerdotes Domini, quantum ſpiritus, & prudentia ſuggeſſerit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, ſalutares, & conuenientes ſatisfactiones iniungere, ne ſi fortè peccatis conniueant, & indulgentiùs cum pœnitentibus agant, leuiſſima quædam opera pro grauiſſimis delictis iniungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem præ oculis, vt Satisfactio, quam imponunt, non ſit tantùm ad nouæ vitæ cuſtodiã, & infirmitatis medicamentum, ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & caſtigationem. Nam Claues Sacerdotum non ad ſoluendum duntaxat, ſed & ad ligandum conceſſas, etiam antiqui Patres, & credunt, & docent.* Hæc Tridentinum. Et ratio eſt, quia Confeſſarius eſt Iudex, & veluti mediator inter Deum, & homines: debet ergo ſeruare æquitatem; atque adeò ſicut ſi grauiſſimam pœnitentiam imponeret pro leuiſſimis peccatis faceret iniuriam pœnitenti, ita ſi leuiſſimam pro grauiſſimis, faceret iniuriam Deo. 5

Dico *quintò*, poſſe aliquam Satisfactionem ita eſſe proportionatam peccatis confeſſis, vt illâ impoſitâ, & expletâ, totus reatus pœnæ temporalis remittatur. Id firmatur ſatis doctrina tradita *ſuprà ſect.* 5. Vbi oſtendi in ordine ad effectum remiſſionis pœnæ, non conſiſtere in indiuiſibili, ſed habere latitudinem. Idem modò confirmo, quia cùm reatus pœnæ temporalis ſit finitus, poteſt adæquari per Satisfactionem finitam. Imò fieri 6

poteſt

poteſt quoque, vt interdum tanta ſit ea ſatisfactio, vt excedat ipſum reatum pœnæ, ſicut interdum eſt tam remiſſa, vt pœnam adæquare non poſſit.

7 Dico *ſexto*, ex rationabili cauſa, vt ob impotentiam, vel fragilitatem pœnitentis, poſſe Confeſſarium aliquando imponere leuiorem Satisfactionem. Sic D.Th. *in Add.q.*18.*art.*4. Soto *d.*20.*quæſt.*2.*art.*3. Cardinalis Lugo citatus *ſupra*, *num.*60. & alij cum Suarez, *ſect.*4. *num.*4. Ratio eſt, quia in hoc Sacramento magis intenditur emendatio, & ſalus pœnitentis, quam ſatisfactio pro pœna: ſi ergo ita expediat pro bono pœnitentis, poterit fieri; id enim tandem cedit in maiorem Dei gloriam, qui vult præcipue curationem peccatoris: & alioquin cauſa Dei ſemper manet integra, quia ſi in hac vita non ſatisfaciet peccatis, ſatisfaciet in Purgatorio. Quod etiam ſatis ſignificat Tridentinum *loco citato*, cum dicit, debere Confeſſarium ſalutares, & conuenientes Satisfactiones iniungere: quibus verbis apertè declarat attendi debere præcipue ac primo loco, ad vtilitatem ſpiritualem pœnitentis, ne ſcilicet, laquei ipſi iniiciantur, vt noua peccata committat. Hac de cauſa, iure ac meritò Confeſſariorum prudentum praxis excuſatur, qui leues imponunt pœnitentias pro grauiſſimis peccatis: id enim ſæpe fit propter ſpiritualem infirmitatem pœnitentium, qui grauioribus pœnitentiis ſcandalizabuntur, & vel Confeſſionem fugient, vel certè Confeſſarios ineptos adibunt, qui eos curare neſciant: vnde infero, in dubio inclinandum eſſe in partem benigniorem, in qua eſt minus periculi, quam in oppoſitam. Addo tamen, quando Confeſſarius multò leuiorem pœnitentiam imponeret, quàm peccata pœnitentis mereantur, debere eum admonere, talem pœnitentiam non eſſe ſufficientem, ſed ob indiſpoſitionem eius benignius cum eo agi, vt ipſe moneatur, vel ad maiorem petendam, vel ad alias aſſumendas voluntariè. Conferendus eſt etiam illi vſus Indulgentiarum, & aliquando imponendus, vt ea ratione ſuppleatur defectus propriæ Satiſfactionis, & pœnitentiæ.

SECTIO IX.

Quæ opera poßit Confeſſarius imponere pœnitentibus in pœnitentiam Sacramentalem?

1 EX dictis ſupra *diſputatione præcedenti*, *ſectione prima* præcipue, conſtat, quodlibet opus bonum, externum, pœnale, & quodlibet ex illis tribus, vt Orationem, Ieiunium, vel Eleemoſynam, & quodlibet aliud quod poſſit reduci ad illa, poſſe imponi à Confeſſario in Satisfactionem Sacramentalem. Non verò oportet eſſe opus ſupererogationis; poteſt etiam aliquando imponi opus præceptum; vt dixi *ſect.*3. *prædictæ diſputationis.* Verum quidem eſt, regulariter debere eſſe opus ſupererogationis, vt Satisfactio maior ſit, & detur occaſio pœnitentibus plura bona agendi. Quòd ſi Confeſſarius aliud non explicet, intelligitur loqui de opere ſupererogationis. Quare ſi imponat ieiunium, v.g. præſumitur velle ieiunium non debitum. Si verò Confeſſarius imponat, & præcipiat ieiunium iam debitum ex præcepto Eccleſiæ, & pœnitens omittat illud; duplex peccatum committit ſpecie diuerſum, quia præceptum Eccleſiæ conſtituit illud peccatum in ſpecie intemperantiæ, cùm præceptum intendat honeſtatem Temperantiæ: præceptum verò Confeſſarij intendit virtutem pœnitentiæ, contra quam peccat, qui non implet pœnitentiam ſibi impoſitam. Nec denique oportet, vt quod in pœnitẽtiam Sacramentalem imponitur, ſit opus externum: nam etiam opus internum poteſt iniungi. Quia ex vna parte actus internus; v. g. actus intellectus, & actus voluntatis, poteſt eſſe pœnalis, ſeu afflictiuus, & difficilis, vt actus Fidei, & actus Contritionis; & ex altera parte nihil obſtat, vt imponi poſſit, tametſi ſit pars integralis Sacramenti ſenſibilis: quia ad id ſufficit, quòd fiat ſenſibilis, & quaſi externa per accidens, ratione alterius, nempe ratione impoſitionis exterioris, quâ imponitur à Confeſſario, & ratione acceptationis, quâ acceptatur à pœnitente; ſicut Contritio fit ſenſibilis, & externa, ratione Confeſſionis.

Ex his colligo, Confeſſarium nunquam debere talem iniungere pœnitentiam, quàm omninò credit pœnitentem ex aliqua imbecillitate non impleturum, quia exponeret eum grauibus periculis peccandi, cùm tamen ipſius ſit maximè omnia ea pericula à pœnitente arcere: Vnde vt prudenter notauit Suarez *diſput.*38. *ſect.*7. *num.*4. Confeſſarij in hoc non debent eſſe nimis difficiles, ſed accommodare ſe debent fragilitati pœnitentis, & leuiores illi pœnitentias imponere, ſi grauiores ille acceptare nolit; præſertim quando non eſt aperta eius malitia, & medicinæ neceſſitas in futurum non vrget. 2

Reſtat verò circa præſentem quæſtionem tria obſeruanda. *Primum eſt*, propter peccata occulta non eſſe imponendas publicas pœnitentias, quia ſunt improportionatæ, & contra bonam famam pœnitentis; & inde fieret confeſſio odioſa. Pro publicis autem peccatis imponendas eſſe quoque publicas, quando ad tollendum ſcandalum aliquod, vel ad ſatisfaciendum Eccleſiæ in crimine publico, & notorio iudicatur neceſſarium ad ſatisfactionem Eccleſiæ. Nec propterea tunc dicitur pœnitens cogi, ſed rationabiliter induci ad id quod ex ſe facere debet, quòd ſi nolit, non abſoluatur. 3

Secundum eſt, regulariter non expedire, quòd Confeſſarius imponat in pœnitentiam, quòd abſtineat pœnitens à Communione aliquot diebus, in aliquo tamen caſu raro, negandum non eſt quòd poſſet vtiliter imponi, vt obſeruat Cardinalis Lugo *diſputat.*25. *ſect.*4. *num.*65. quando videlicet clarè conſtat, melius eſſe abſtinere, quam accedere; etiamſi non ſit conſcientia peccati mortalis. Quod ex ſtatu pœnitentis, & defectu reuerentiæ, & diſpoſitionis colligi prudenter poteſt: dum tamen illa omiſſio Communionis non ſit occaſio aliis iudicandi, quòd à Confeſſario fuerit in pœnitentiam impoſita, ne forte hac via cogeretur pœnitens ſuam Confeſſionem manifeſtare. 4

Tertium eſt, pœnitentiam poſſe imponi ante Abſolutionem datam, vel poſtea, Vtrumque enim poteſt licitè fieri, modò ſaltem ſtatim poſt datam Abſolutionem imponatur, antequam pœnitens diſcedat; quia idem iudicium adhuc durat. Communiter tamen ſolet dari ante Abſolutionem, & conſultius eſt ita facere. 5

DISPVTATIO LVII.

De Satisfactione, ſeu pœnitentia à Confeſſario iniuncta, quam pœnitens tenetur acceptare, & exequi; eiuſque commutatione.

VLTIMO loco hanc Diſputationẽ inſtituo, in qua dicendum eſt de his, quæ pœnitens exhibere tenetur in ordine ad ſatisfactionem, ſeu pœnitentiam iniunctam, quam pœnitens tenetur acceptare, & exequi. Diſputatio autem

non

Digitized by Google

non procedit, quando perſpicuè conſtaret pœnitentiam à Confeſſario iniunctam, eſſe temerariam, & iniuſtam; quia tunc certum eſt, non teneri pœnitentem ad eam acceptandam, nedum ad exequendam; ſed de pœnitentia iniuncta rationabili, & prudentiali, de cuius iniuſtitia certò non poteſt pœnitentibus conſtare. Tractabitur quoque de commutatione pœnitentiæ impoſitæ, quo pacto, & à quo debeat licitè, & validè fieri.

SECTIO PRIMA.

Vtrùm pœnitens teneatur Satisfactionem, ſeu pœnitentiam ſibi impoſitam acceptare?

1 PArtem negantem docet expreſsè Nauarrus *in Manuali Latino, cap.* 26. *num.* 20. Probari poteſt *primò*, quia homo poteſt licitè non ſatisfacere in hac vita pro pœna temporali, ſed relinquere totam illam luendam in Purgatorio: ergo poteſt relinquere Satisfactionem Sacramentalem, quæ ordinatur ad extinguendum illud debitum. Confirmatur, nam Confeſſarius eſt Iudex arbiter: nemo autem tenetur ad ſtandum ſententiæ Iudicis arbitri.

Secundò, ſi teneretur, maximè propter irreuerentiam Sacramenti, quæ ibi datur, vbi cauſa relinquendi inceptum Sacramentum non datur: at hæc ratio efficax non eſt, quia licèt integritas Sacramenti non ſeruetur, tamen eſt in re valdè extrinſeca, & ſecundaria: ergo.

Vltimò, quia ex contraria ſententia ſequeretur, hominem teneri ad acceptandam Satisfactionem æqualem, & ſufficientem pro extinguendo toto debito, quod certè eſſet duriſſimum.

2 Sententia oppoſita affirmatiua adeò eſt vera poſt Tridentinum, vt dicat Suarez, *diſput.* 38. *ſect.* 7. *num.* 2. ſine temeritate negari non poſſe. Oppoſitam, eſſe contra Fidem dicit Vaſquez *vbi ſupra*: Ego exiſtimo eſſe improbabilem cum Henriquez *lib.* 5. *de Sacramentis, cap.* 20. §. 2.

3 Dico itaque *primò*, certum eſſe obligari pœnitentem ad pœnitentiam acceptandam. Moueor præcipuè ex verbis Tridentini *ſeſſ.* 14 *cap.* 8. relatis *ſupra diſput. præcedenti, ſect.* 8. *num.* 5. Quibus dicitur, Sacerdotem debere imponere condignam pœnitentiam, ne ſi leuem imponat, particeps fiat peccatorum pœnitentis: atque hanc Satisfactionem curare debere, vt ſit non ſolùm in medicinam, ſed etiam in vindictam, & caſtigationem; nam Claues non ſolùm ad ſoluendum, ſed etiam ad ligandum conceſſæ ſunt. Ex quibus verbis manifeſtè colligitur, pœnitentem obligari ad pœnitentiam acceptandam; nam ſi pœnitens non tenetur eam acceptare, non peccabit Sacerdos, nec fiet particeps peccati pœnitentis, imponendo leuem pœnitentiam pro peccatis grauibus; faceret enim id quod pœ-
4 nitens vtens iure ſuo poſſet velle fieri. Nec valet dicere, poſſe quidem Confeſſarium ligare ad pœnam, eo modo quo poteſt ſoluere à culpa; atque adeò ſicut non poteſt ſoluere niſi volentem ſolui, ſic nec poterit ligare, niſi volentem ligari, & acceptare pœnitentiam Non, inquam, valet, quia licèt exigatur conſenſus pœnitentis in Sacramentum, non tamen poteſt velle abſolui, & non velle ligari, quia poteſtas datur à Chriſto indiuiſibiliter Confeſſario vt ferat ſententiam: poteſt quidem pœnitens non adire hunc Confeſſarium, non tamen poteſt diuidere eius poteſtatem, & velle illum Iudicem quoad vnam partem, & non quoad aliam. Quare ſicut non poteſt velle ligari præcepto Confeſſarij ad pœnam, & non velle Abſolutionem, propter inſeparabilitatem vtriuſque poteſtatis, ſic nec poteſt velle eum Iudicem ad abſoluendum, & non ad ligandum. Firmatur hoc idem ex eodem Tridentino, *eodem c.* 8. Vbi dicitur, eſſe in Sacerdotibus poteſtatem ligandi non tantùm ad infirmitatis medicamentum, ſed etiam ad peccati commiſſi vindictam. Et hoc ſenſu definit *dicta ſeſſ.* 14. *can.* 15. datam eſſe Sacerdotibus poteſtatem, non ſolum abſoluendi, ſed etiam ligandi: & anathemate ferit, & damnat eum, qui dixerit, Claues Eccleſiæ eſſe datas tantùm ad ſoluendum, non etiam ad ligandum, & propterea Sacerdotes, dum imponunt pœnas confitentibus, agere contra finem Clauium, & contra inſtitutionem Chriſti. Igitur ex Tridentino clarè liquet, ex Chriſti inſtitutione eſſe ſimul poteſtatem ad ſoluendum, & ad ligandum in Sacerdote; ac proptereà ſi eſt in illo poteſtas ad ligandum, neceſſariò debet etiam eſſe poteſtas obligandi reum ad acceptandum. Addo, in rigore non requiri acceptationem pœnitentis, ſed ſolùm quòd ſe ſubmittat Confeſſario in hoc Tribunali; nam ex poteſtate iudiciaria oritur, poſſe præcipere, & ligare independenter ab alia voluntate ſubditi pœnitentis: ſicut cæteri Iudices, eo ipſo, quòd Iudices fiunt, obligant independenter ab eo, quod reus acceptet ſententiam, niſi vbi datur locus appellationi; quæ in præſenti dari non poteſt, cùm ſit ſupremum Tribunal, & idem cum ipſo Tribunali Dei.

Ex prædicta doctrina facilè colligitur ratio efficax 5
Concluſionis: nam de ratione iudicij eſt, vt reus teneatur obedire Iudici, & Iudex poſſit cogere, & coercere reum ad parendum, & ſubeundam pœnam: ergo cùm Confeſſarius ſit conſtitutus Iudex in hoc Sacramento à Chriſto Domino, neceſſe eſt, ipſum habere vim coactiuam, quâ poſſit obligare pœnitentem ad ſubeundam pœnam impoſitam. Firmo idem, quia Confeſſor tenetur Satisfactionem ac pœnitentiam imponere, vt conſtat ex dictis ſuprà *diſputatione præcedenti, ſect.* 6. & 7. ergo pœnitens tenetur eam acceptare. Patet Conſequentia, quia cùm vterque concurrat ad Sacramentum, vterque tenetur ſuum officium exercere. Et certè ſi pœnitens non teneretur, poteſtas Sacerdotis vindicatiua valdè inefficax eſſet. Et cùm impoſitio pœnitentiæ ſit pars Iuſtitiæ, & vnuſquiſque teneatur parere Iudici rectè iudicanti, tenetur pœnitens obedire, & acceptare pœnitentiam.

Dico *ſecundò*, teneri pœnitentem ſub peccato mor- 6
tali acceptare à Confeſſario pœnitentiam pro peccato mortali legitimè iniunctam, ſi velit Abſolutionem conſequi. Hoc eſt certum, ſicut & præcedens Dictum. Et ratio eſt, quia omne iuſtum, & ſanctum præceptum in materia graui obligat ſub peccato mortali, vt omnes communiter fatentur, & eſt per ſe notum: At Confeſſarius tenetur ſtrictè & ſub culpa mortali pœnitentiam præcipere pœnitenti, cúmque ad eius impletionem obligare: ergo hic in materia graui tenetur ſub peccato mortali eam acceptare; nam ſunt apertè correlatiua hæc duo; poteſtas imperandi in Sacerdote, & neceſſitas obediendi in pœnitente inferiori: nec illa ſine hac poteſt vllo modo conſiſtere: At nullo modo poteſt eſſe neceſſitas obediendi in pœnitente, ſi iſte liberè poteſt detrectare imperium recuſando pœnitentiam. Dixi, *ſi velit abſolui*, quia valdè probabile mihi videtur, poſſe id fieri abſque culpa mortali, vt docent Suarez loco ſuprà citato, *num.* 4. Cardinalis Lugo *num.* 77. Et Coninck *diſp.* 10. *num.* 80. Ratio eſt; quia cùm pœnitenti liberum ſit, huic vel alteri Sacerdoti confiteri; Sicut ab initio non tenebatur illi Sacerdoti præciſè confiteri; ita nec poſt inchoatam,

Digitized by Google

aut abſolutam Confeſſionem abſolutè obligatur ab eo Abſolutionem accipere,quia nulla eſt ratio talis obligationis;modò ſit paratus alteri legitimo Iudici confiteri: ergo nec etiam tenetur acceptare pœnitentiam,niſi velit accipere Abſolutionem; ſaltem poteſt id fieri abſque graui peccato. Firmo, quia non apparet, cur aliquis,poſtquam incepit Confeſſionem,relinquere poſſit ex aliqua cauſa illam in aliud tempus,& nolle pro tunc perficere Sacramentum;ſicut in matrimonio poſſet coniux poſt conſenſum expreſſum ab alio coniuge, non præſtare ſuum: ergo ſicut ex alia cauſa poſſet pœnitens nolle recipere Abſolutionem,ſic poſſet ob metum obligationis ſubeundæ ad talem pœnitentiam. In hoc enim non videtur eſſe culpa grauis, quia nondum contraxerat obligationem abſolutam illius pœnitentiæ; nam ſi poſt pœnitentiam impoſitam, & ante datam Abſolutionem,Sacerdos moreretur,proculdubio pœnitens non obligaretur ad pœnitentiam impoſitam: ergo non obligat præceptum Confeſſarij ante præſtitam Abſolutionem; hanc autem poteſt pœnitens nolle accipere: ergo & impedire obligationem ad pœnitentiam.Notat benè Coninck,quòd eſſet aliqua indecentia, Sacramentum ita inchoatum abrumpere,præſertim ſi reuera Confeſſor conuenientem pœnitentiam imponat, & effugere Sacerdotis iuſtum iudicium, cui iam ſemel ſe ſubdidit;non eſſet tamen grauis culpa. Sacerdos autem in eo caſu benè faceret condeſcendendo infirmitati pœnitentis, niſi eſſet iuſta cauſa faciendi contrarium, & medicinę neceſſitas in futurum non vrgeret.

7 Ad Argumenta oppoſita. Ad primum & eius confirmationem dico, quamuis ſtando in ſolo iure naturæ, & extra hoc Sacramentum, peccator poſſit temporalem ſatisfactionem in Purgatorium reſeruare; tamen ſuppoſita ſubiectione ad Claues, & ad hoc iudicium pœnitentiæ, accepta iam Abſolutione, teneri Satisfactionem, vel pœnitentiam impoſitam acceptare, quia in iudicio recto,ac bene inſtituto arbitrium pœnæ, vbi illud locum habet, non eſt commiſſum reo, ſed Iudici, apud quem eſt poteſtas vindicatiua, & etiam coactiua,reum ligando per præcepti neceſſitatem: Confeſſarius autem non eſt iudex arbiter abſolutè,quaſi ſemper ad arbitrium pœnitentis eligi poſſit; nam ſæpe tenetur confiteri determinato Sacerdoti, & ſaltem in generali obligatur confiteri alicui Sacerdoti, eo ipſo, quòd habeat culpam lethalem: & ita non mirum eſt, ſi teneatur illi obedire: Tum quia Superior legitimus præcipit illi, ne differat: Tum etiam quia Satisfactio non ſolùm iniungitur ad relaxandam pœnam, ſed etiam ad præſeruandum à peccatis in futurum; & ea præſeruatio non habet locum, niſi in hac vita: quare in hac tenetur Satisfactionem acceptare, & exequi.

Ad ſecundum,negatur, teneri pœnitentem ſub graui culpa propter integritatem illam extrinſecam, acceptare pœnitentiam, vt conſtat ex dictis ſupra *diſputatione præcedenti ſectione* 6. *numero* 2. Sed quia eſt in Confeſſario poteſtas vindicatiua vt Iudice potente ſub graui culpa efficaciter obligare; cui tenetur pœnitens obedire,& acceptare ab illo pœnitentiam rectè iudicante.

Ad tertium negatur Sequela, quia ſuppoſitâ fragilitate hominum, & conſuetudine rationabili, quæ propter illam fragilitatem iam eſt introducta, non eſſet conueniens, nec rationabilis talis pœnitentia: vnde poſſet pœnitens illam tanquam inconuenientem ac irrationabilem reiicere. Et quamuis Confeſſarius poſſit obligare ad Satisfactionem, & pœnitentiam condignam,ea tamen debet eſſe ſimul medicinalis,ac tolerabilis, & accommodata humanę fragilitati, vt condigna cenſeatur, & conueniens.

Ex dictis colligo,pœnitentem ſub culpâ graui teneri quoque exequi, & adimplere pœnitentiam iniunctam à Confeſſario pro peccatis lethalibus. Hoc colligitur ex dictis,& cõſtat ex *c. Omnis vtriuſque ſexus,de pœnit.& remiſſ.* Vbi eodem planè tenore dicitur,vt *omnis fidelis ſua peccata confiteatur, & pœnitentiam iniunctam ſtudeat pro viribus adimplere.* Et ratio eſt, quia omne iuſtum & ſanctum præceptum, quale eſt hoc,in materia graui obligat ſub peccato mortali. Quod ſanè intelligitur non ſolùm in annua Confeſſione, ſed etiam in quacumque alia ſi ſit de materia neceſſaria, quia eſt eadem ratio.

SECTIO II.

An in aliquo caſu omiſsio pœnitentiæ iniunctæ non ſit culpa grauis, ſed leuis, ſeu venialis?

Conſtat apud omnes Doctores, obligationem adimplendi pœnitentiam iniunctam à Confeſſario, 1 tametſi ex genere ſuo ſit grauis, & ſub reatu peccati mortalis; tamen in indiuiduo ſæpe poſſe eſſe tantùm ſub veniali. Patet hoc ex generali regula peccatorum, quæ ex leuitate materiæ venialia fiunt. Erit autem venialis materia, quando omittitur vel pars parua materiæ iniunctæ vel tota etiam pœnitentia, quæ leuis eſt, vt ſi vnus Pſalmus *Miſerere*, impoſitus fuit. Et ratio eſt, quia primum fundamentum huius obligationis eſt materię capacitas,nec poteſt Confeſſarius, ſicut nec legiſlator facere, vt actus excedat potentiam, id eſt obligatio capacitatem materię;eſſet enim iniuſtum,& ſtultum præceptum. Quid enim magis inordinatum,quàm propter rem leuem obligare ad pœnam æternam: Vnde talis poteſtas in Confeſſario non eſſet in ædificationem,ſed in deſtructionem,& ſcandalum,& occaſionem ruinæ,& onus poneret graue,& importabile; non ergo poteſt Confeſſarius talem imponere obligationem.

Solùm igitur reſtat duplex difficultas. *Prima eſt*, vtrùm pœnitentia leuis à Confeſſario iniuncta ob peccata grauia mortalia obliget ſub mortali,vel ſolùm ſub veniali. *Secunda eſt*, è contra, quando propter ſola venialia,vel mortalia prius ritè confeſſa iniuncta eſt pœnitentia grauis, obliget ſolùm ſub veniali, an verò ſub mortali.

Circa priorem difficultatem,poſſet quis opinari non 2 eſſe in poteſtate Confeſſarij ſua intentione limitare pœnitentiam leuem, quæ iniungitur ob peccata grauia,& mortalia,vt ad veniale obliget,& non ad mortale: Quia quamuis ſit in voluntate Confeſſarij obligare, vel non obligare pœnitentem ad Satisfactionem vllam,vel pœnitentiam;tamen ex ſuppoſitione quòd velit obligare ad aliquam, non eſt in eius poteſtate limitare, vt ſit ſolùm ſub veniali, quando peccata, propter quæ imponitur, grauia ſunt, quia qualitas pœnitentiæ ex quantitate & grauitate peccatorum perpendenda eſt, inſpecto iure naturæ, ac iure proprio inſtitutionis Sacramenti Pœnitentiæ. Firmatur, nam Confeſſarius in hoc foro ſe habet ſicut Legiſlator: hic autem tametſi poſſit præceptum ferre, aut non ferre; ſi tamen ferat, non eſt in poteſtate eius, magis, vel minus obligare,ſed id neceſſariò ſequitur ex materiæ grauitate: ergo.

3 Affirmant tamen communiter Doctores, & meritò eſſe culpam ſolùm venialem, quando omittitur tota pœnitentia iniuncta, quæ leuis eſt, vt ſi vnus Pſalmus *Miſerere*, impoſitus fuit, etiamſi propter peccata grauia, & mortalia fuerit iniuncta. Ita Suarez *diſputatione* 38. *ſectione* 7. *num.* 5. Cardinalis Lugo *diſputatione* 25. *ſectione* 5. *numero* 74. Coninck *diſputatione* 10. *dubio* 9. *num.* 81. Henriquez *libr.* 5. *de Sacramentis*, *cap.* 20. *numero* 3. & alij. Probo id *primò*, quia legiſlator, & quiuis præcipiens poteſt obligationem moderari infra materiæ grauitatem, vt non obliget niſi ſub veniali, quia in hoc non ſe habet tanquam agens naturale, vt neceſſariò agat ſecundùm vltimum potentiæ ſuæ; quia ipſa obligatio eſt effectus moralis ab homine faciendus, qui non poteſt fieri ſine conſenſu legiſlatoris, & ipſe expreſsè vult non obligare ad mortale: non ergo inducitur talis obligatio. De qua re videatur Suarez *tractatu de legibus libr.* 3. *cap.* 16. *numero* 6. *& ſequentibus.* Prætereà idem Argumentum probat, votum in materia graui poſſe tantùm ſub veniali obligare, vt tenet idem Suarez *tom.* 2. *de Religione libro quarto*, *de obligatione voti*, *cap.* 4. *numero* 4. Quia obligatio voti introducitur per voluntatem hominis: ergo impoſſibile eſt, vt obliget contra intentionem vouentis; ergo ſi vouens intendit non ſe obligare ad mortale, obligari non poteſt per votum: idem igitur dicendum de Confeſſario, qui noluit obligare pœnitentem ad pœnitentiam grauem, ſed leuem tantùm, etiamſi iniuncta fuerit propter peccata grauia, non obligare niſi ſub veniali tantum, quia hoc pendet ex voluntate eius: vnde poteſt pœnitentiam limitare, & ſic obligationem moderari. Poteſt enim Iudex Confeſſarius habere cauſas ſufficientes, & rationabiles iudicandi eam pœnitentiam admodum leuem, tunc ſufficere, etiam pro peccatis mortalibus; & cauſæ eſſe poſſent, vel nimia patientia, & tolerantia pœnitentis in perferenda obiurgatione Confeſſarij, vel magnus dolor illius, vel conſcientiæ timor, vel fragilitas ipſius, vel etiam quòd imponatur tempore Iubilæi; ſemper enim præſumendum eſt pro Iudice. In his igitur, & ſimilibus caſibus, in quibus leuis pœnitentia ob mortalia iam ponitur, illa non obligat ſub mortali.

4 Maior dubitatio videtur eſſe poſſe circa ſecundam difficultatem. In qua ſentiunt multi, obligare ſolùm ſub veniali.

Probari poteſt *primò*, quia in eo caſu obligatio grauis excedit materiæ capacitatem, quæ de ſe tantùm capax eſt obligationis leuis: ergo excedit poteſtatem Confeſſarij obligatio grauis pœnitentiæ, quam imponit. Quamuis enim materia capax grauioris obligationis à fortiori eſt capax minoris; non verò è conuerſo, materia capax de ſe tantùm obligationis leuis, conſequenter eſt capax obligationis grauis.

Secundò, tota obligatio in præſenti caſu ſuccedit peccato veniali, & eius obligationi, quæ tota eſt leuis: ergo ſuccedit cùm eadem leuitate; ergo nequit eſſe grauis.

Tertiò, pœnitens non tenebatur ſub mortali confiteri peccata venialia, aut mortalia iam ritè confeſſa, & directè abſoluta, vt eſt certum: ergo ex illa Confeſſione nequit oriri obligatio pœnitentiæ ſub mortali, & grauis.

Vltimò, quando materia voti, penſatis omnibus eius reſpectibus, permanet leuis, tale votum non obligat grauiter, non obſtante intentione vouentis volentis ſe grauiter obligare, quia excedit materiæ capacitatem: ſicut nec poteſt legiſlator obligare in materia leuiſſima ob eandem rationem: ergo idem dicendum de Confeſſario, quando materia Confeſſionis leuis eſt.

Contrarium ſentit cum aliquibus noſter Cardinalis Lugo *diſputatione* 25. *ſectione* 5. *numero* 74. 5
75. *&* 76.

Probat *primò*, quia grauitas obligationis non eſt deſumenda ex peccato veniali, v.g. pro quo imponitur, ſed ex materia quæ præcipitur; ſed materia quæ præcipitur, eſt pœnitentia grauis, verbi gratia, Ieiunium pro peccato veniali confeſſo: ergo obligat grauiter, cùm oriatur à poteſtate Iudicis, & res præcepta ſit grauis, & capax præcepti grauis.

Secundo, hæc obligatio propriè loquendo, non ſuccedit obligationi vitandi peccatum veniale, quæ erat leuis, ſed obligationi, & debito paſſiuo patiendi pœnam temporalem, quod relictum fuit ex culpa veniali; hoc autem debitum, ſeu hæc obligatio eſt ad pœnam grauem: nam eſt obligatio eiuſdem rationis cum illa, quæ remanet ex culpa etiam mortali iam remiſſa ad pœnam temporalem, quæ obligatio commutatur in obligationem Satisfactionis Sacramentalis: & poteſt contingere, quòd aliquis debeat maiorem pœnam temporalem propter multa peccata venialia, quam alius propter mortalem culpam iam remiſſam: ergo ſi Satisfactio impoſita propter culpam mortalem obligat grauiter, eodem modo poterit obligare ſatisfactio impoſita propter multa venialia; cùm hæc etiam ſatisfactio ſuccedat obligationi ad pœnam temporalem debitam, ſicut illa.

Tertio, ſi quis promitteret ieiunium ad finem ſatiſfaciendi pro ſuis venialibus, votum illud obligaret, ſub mortali, vt eſt certum: ergo ſi ad eundem finem præcipiatur à Confeſſario ieiunium, etiam obligabit eodem modo grauiter.

Vltimò, Prælatus ſi ad eundem finem præciperet ſubditis vnum ieiunium, vt placaretur Deus offenſus noſtris peccatis venialibus, illud præceptum obligaret ſub mortali: ergo potiori iùre Confeſſarius qui eſt Superior, & Iudex legitimus, ſi præcipiat ieiunium ad eundem finem pœnitenti, tale præceptum æquè grauiter obligabit.

Magis adhæreo priori Sententiæ, quæ communior eſt, & meo iudicio verior. Iuxta quam; 6

Dico *primò*, pœnitentiam grauem iniunctam pro veniali culpa præcisè non poſſe obligare ſub culpa mortali. Moueor præcipuè, quia Confeſſarius non tenetur, nec debet grauem pœnitentiam pro peccatis venialibus iniungere: ergo ſi eam imponat pro illis, non tenetur pœnitens ſub graui culpa eam acceptare, nedum implere. Antecedens admittitur à Doctoribus contrariæ ſententiæ, præſertim à Coninck *diſputatione* 10. *dubio* 9. *numero* 81. Et colligitur manifeſtè ex Tridentino *ſeſſ.* 14. *cap.* 8. dicente, debere Sacerdotes Domini pro qualitate criminum ſalutares, & conuenientes Satisfactiones iniungere. Quis autem dicet pœnitentias, & Satisfactiones graues, quæ debent iniungi pro grauibus peccatis, Confeſſarium teneri, ac debere eas iniungere pro leuibus culpis? Eſſetne hoc attendere ad qualitatem criminum & imponere ſalutares, conuenientes, ac rationabiles Satisfactiones; Nónne hoc eſſet, Confeſſionem venialium præcisè, de qua dixit Tridentinum *ſeſſ.* 14. *cap.* 5. rectè, & vtiliter fieri, vt piorum hominum vſus demonſtrat, reddere difficilem, ac omninò exoſam? ergo in nullo caſu debet hoc fieri: Imò nec poteſt Confeſſarius per ſe id facere, quia forum Sacramenti Pœnitentiæ non eſt forum iræ, vel pœnarum, vt docuit Tridentinum ex antiquis Patribus *dicto c.* 8. ſed forum eſt miſericordiæ: ergo nequit extendi ad pœnitentias inconuenientes,

inconuenientes, ac irrationales, quales ſunt pœnitentiæ graues vindicatiuæ propter culpam tantum venialem, quia qualitas culpæ venialis ex ſe, & per ſe ſemper eſt leuis, nec debet, nec poteſt iuſtitia vindicatiua procedere ad grauem punitionem pro leui delicto, multò minus quæ ſimul eſt Tribunal Iuſtitiæ, & Miſericordiæ, & magis inclinat in miſericordiam quam in vindictam peccati. Conſequentia autem illius Antecedentis manifeſta videtur, quia in Sacramento Pœnitentiæ obligatio puniendi, & obligatio obediendi, ſeu patiendi ſunt apertè correlatiua, neque hæc abſque illa poteſt vllo modo conſiſtere in hoc foro, vt eſt per ſe notum.

8 Obiicies verum eſſe, vt probat argumentum, regulariter Sacerdotem non teneri grauem pœnitentiam pro venialibus peccatis iniungere; nihilominus tamen poſſe id facere in aliquo caſu, quando credit neceſſarium, vt arceat pœnitentem à peccato mortali, ſi nimirum pœnitens venialia peccata parum, ac leuiter æſtimet, & ea ſine ſcrupulo committat, atque ita ſe periculo peccandi mortaliter exponat. Verum neque in hoc caſu teneri Confeſſarium, vel etiam poſſe iniungere pœnitentias graues quæ ſolent iniungi culpis mortalibus & grauibus, pro venialibus peccatis, oſtendo: *Primò*, quia peccata venialia, etſi ad mortale diſponant, non diſponunt proximè, & moraliter, ſed remotè; nam ſæpe videmus homines; qui de fugandis venialibus parum, aut nihil curant, mortale non committere. Et ratio eſt, quia licèt venialia peccata animum labefactent, & Charitatem refrigerent; at propoſitum non committendi mortale, & exercitium operum pietatis, & religionis detinet, & firmum reddit animum, ne corruat; atque adeò quod ex vna parte deperditur, alia via reparatur: Vnde propoſitum faciendi venialia, non eſt propoſitum periculi moralis, & occaſionis proximæ committendi mortale; quia alias quilibet obligatus eſſet ſub graui peccato vitare venialia, quod eſt plus quam falſum: item noſtra ſalus non conſiſteret ſolùm in obſeruatione præceptorum obligantium ſub mortali, ſed etiam in obſeruatione præceptorum obligantium ſub veniali, ſi ipſa vitatio venialium ad vitationem mortalium neceſſariò requireretur: Imò & teneretur quis ad Contritionem habendam non ſolùm conteri de mortalibus, ſed etiam de venialibus, vtpote illorum diſpoſitionibus proximis. Quod nullo modo concedi debet. Igitur propoſitum non vitandi venialia, poteſt componi cum propoſito firmo non admittendi mortale, atque adeò falſum eſt, eum qui venialia peccata parum, ac leuiter æſtimat, & ſine ſcrupulo frequentat ſe exponere periculo peccandi mortaliter. Præterea ſi in eo caſu timeat Confeſſarius pœnitentem propter frequentiam venialium peccatorum parui pendere ea, & non accedere cum debita diſpoſitione ad eorum Confeſſionem, poterit tunc ac debebit illum meliùs præparare ad dolorem requiſitum in Confeſſione venialium: De quo egi ſupra *diſputatione* 20. *ſectione* 1. 2. & 4. ne ſacrilegium committat ex defectu doloris neceſſarij, vèl ſaltem faciat Sacramentum informe, & careat fructu illius. Non propterea tenetur imponere illi pœnitentias graues, vltra menſuram, ſeu quantitatem vel qualitatem paruæ materiæ, ſeu culpæ leuis, qualis eſt venialis. Quòd ſi eas impoſuerit, meritò, ac iure pœnitens non tenebitur illas adimplere ſub graui culpa.

9 Dico *ſecundò*, idem dicendum potiori iure de pœnitentiis grauibus ſi imponantur pro peccatis mortalibus iam ante, & directè confeſſis & abſolutis. Patet, quia cum pro iſtis peccatis fuerit iam in priori Confeſſione præſcripta grauis, & proportionata pœnitentia, & executioni mandata, & ſupponitur, non videtur iuri, nec rationi conſonum, etiamſi iterum ſubiiciantur Clauibus Pœnitentiæ, ea iterùm grauiter punire; atque ideò ſi iterùm illis grauis pœnitentia iniungatur, ea non obligabit ſub graui culpa: maximè cùm inde pœnitens nulli ſe exponat morali periculo peccandi mortaliter: vnde nequit occurrere vlla rationabilis cauſa grauem pœnitentiam iniungendi.

Ad Argumenta Cardinalis Lugo. Ad primum, 10
reſpondeo negando, grauitatem obligationis pœnæ, ſeu pœnitentiæ non eſſe deſumendam ex quantitate, vel qualitate culpæ: cùm enim pro illa vindicanda & caſtiganda imponi debeat, vt ſit pœnitentia, & ſatisfactio ſalubris, conueniens, & proportionata; & pœnitentia grauis ſit omninò improportionata, ac diſconueniens leuitati culpæ venialis: ideò nequit illa iure præcipi, nec obligare ſub graui culpa.

Ad ſecundum dico, tametſi obligatio ſatisfacien- 11
di in pœnitente, ſeu adimplendi pœnitentiam, ſupponat obligationem, ac debitum paſſiuum patiendi pœnam temporalem in Purgatorio; illa tamen radicaliter oritur, & procedit ex qualitate culpæ venialis, & ideò debet illi proportionari; cùmque venialis culpa ſit leuis offenſa, neceſſe eſt, vt talis pœna leuis quoque ſit iniungenda: vnde quamuis contingere poſſit, vt aliquis debeat maiorem pœnam temporalem in Purgatorio propter multiplicationem quamplurimorum, ac ferè innumerabilium peccatorum venialium, quæ committit, quam ipſemet, vel alius debeat propter peccatum mortale ſemel commiſſum, & iam remiſſum; inde non ſequitur, eſſe illi imponendam pro venialibus grauiorem, vel grauem pœnitentiam æqualem illi, quæ iniungi debet pro culpa graui, ſeu mortali. Ratio eſt, quia nullum peccatum veniale ex genere ſuo fit mortale ex ſola multiplicatione; vnde ſi verbum otioſum eſt ſolùm veniale peccatum, etiamſi ſæpiùs multiplicetur, veniale ſemper conſtituet, & idem eſt de aliis venialibus, vt eſt certum apud omnes; quia multiplicatio præcisè non conſtituit actum in alia ſpecie, neque auget peccati grauitatem intenſiuè, ſed ſolùm extenſiuè; hoc eſt plura peccata eiuſdem rationis conſtituit: Ac propterea nullum veniale exigit grauem, ſeu æquè grauem pœnitentiam, ac eam petit peccatum mortale; atque ideò Confeſſarius non debet, nec poteſt eam iniungere.

Ad tertium, Antecedens eſt verum, quia eſt votum de re graui, & ideò grauiter obligat, iuxta qualitatem, & capacitatem materiæ: at pœnitentia grauis peccato mortali proportionata, excedit capacitatem, ac qualitatem culpæ venialis, vt iam dictum eſt.

Ad vltimum, ideò Prælatus poſſet imponere illud ieiunium ſuis ſubditis, quia habet poteſtatem præcipiendi actum illum Temperantiæ ob honeſtam cauſam, qualis eſt illa, in bonum etiam, & obſeruantiam Communitatis Religioſæ: At Confeſſarius ſolùm habet poteſtatem iniungendi pœnitentiam Sacramentalem, quæ ſit condigna & proportionata qualitati criminum & grauitati, vt explicatum eſt.

SECTIO III.

An, & quomodo obligetur pœnitens ad circumſtantias operis à Confeſſario iniuncti in Satisfactionem, ſeu pœnitentiam?

1 SVb hoc titulo tres difficultates includuntur. *Prima eſt*, ſi Confeſſarius imponat pœnitenti, vt recitet Coronam flexis genibus, vel coram tali Imagine, an ſatisfaciat, licèt non flexis genibus, nec coram illa imagine. *Secunda eſt*, an pœnitens liberetur ab obligatione implendi pœnitentiam, quando non poteſt exequi circumſtantiam à Confeſſario iniunctam, vt ſi præcepit recitare coram tali Imagine, vel in tali Eccleſia, quod facere non poteſt. *Tertia eſt*, de tempore quo debeat pœnitens adimplere pœnitentiam iniunctam.

2 Circa primam difficultatem, ratio dubitandi eſt, quia ex vno capite videtur pars affirmans vera, nempe ſatisfacere; quia in prædicta pœnitentia attendi debet magis ad ſubſtantiam, quam ad circumſtantias: ex alio verò capite pars negans firmatur, quia recitare Coronam v. g flexis genibus, videtur addere aliquid pœnale ſubſtantiale ſimplici recitationi.

3 Placet mihi reſolutio Cardinalis Lugo *ſect.* 5. *num.* 90. qui diſtinguit cum Thoma Sanchez *lib.* 4. *in Decalog. cap.* 12. *num.* 8. vbi in ſimili, de voto docet, quando res promiſſa eſt materia grauis, & circumſtantia leuis, vt ſi quis vouit recitare coram tali imagine Beatæ Virginis, votum principale obligabit ad mortale; circumſtantia autem, nempe, vt ſit hæc imago ſpecialis, obligabit communiter ſub veniali, quia communiter æquale, aut ferè æquale eſt Beatæ Virginis obſequium, & ita res leuis eſt mutatio illa: At poſſet eſſe culpa mortalis ex circumſtantia multò maioris cultus diuini, orando coram tali Imagine, propter multò maiorem deuotionem, & populi concurſum, quæ excitatur illuc confluendo, & orando. Hoc idem dicendum videtur de circumſtantiis à Confeſſario adiunctis, cùm militet eadem prorſus ratio.

4 Circa ſecundam difficultatem, an liber ſit pœnitens à pœnitentia iniuncta, quando non poteſt exequi circumſtantiam à Confeſſario iniunctam, recitandi v. g. coram aliqua ſpeciali Imagine, vel in tali Eccleſia. Eadem quæſtio eſt, ac de voto, an propter impotentiam ad circumſtantiam liberetur vouens à ſubſtantia.

De qua re Thomas Sanchez *lib.* 4. *Decalogi cap.* 14. *num.* 2. ſentit, vouentem recitare coram aliqua ſpeciali Imagine, vel in aliquo ſpeciali Oratorio, ex peculiari illius imaginis, vel Oratorij deuotione, ſi coram illa, vel in eo loco nequeat, liberum eſſe à voto: ſecus eſſet, ſi non ex peculiari illius affectu, ſed materiæ promiſſæ. Hoc autem poſteriori modo votum emitti contingit, quando locus ille eligitur ratione ſolius maioris commoditatis ad recitandum, & vt quietius, ac deuotius recitetur: Vt contingit habentibus Oratorium domi, vouentibuſque fore, vt quotidie illuc confluant ad recitandum. Non enim ſpeciali Oratorij deuotione quaſi illi alligantes ſuum votum, id promittunt, ſed quod ille locus commodior ſit ad recitandum. Idem iudicat dicendum Cardinalis Lugo de dicta circumſtantia à Confeſſario impoſita pœnitentiæ.

5 Ego verò exiſtimo eſſe diſparitatem manifeſtam in hoc caſu; nam in illo alio de voto, tametſi vouentis obligatio pendeat ex ipſius intentione, & ea colligenda ſit ex variis ſignis quæ tradit Sanchez; quia nimirùm poteſt rationabiliter dubitari, an fuerit intentio vouentis ſe obligandi ad ſubſtantiam materiæ, vel rei promiſſæ, an potiùs ſe obligandi ex peculiari illius Imaginis, vel Oratorij deuotione: tamen in noſtro caſu nulla videtur poſſe eſſe dubitatio de intentione Confeſſarij, & obligatione paſſiua pœnitentis adimplendi pœnitentiam, etiamſi eam nequeat adimplere coram tali imagine, vel in tali Eccleſia. Ratio eſt, quia cùm Confeſſarius ex vi ſui officij teneatur, ac debeat imponere pœnitentiam pœnitenti, vt ſatisfaciat pro debito relicto ex peccatis commiſſis, tametſi vellet vt eam adimpleret in tali Eccleſia, vel coram tali Imagine ex deuotione, ac ſpeciali affectu ad illam; quia verò ſemper attendit ad prædictam Satisfactionem, nequit eſſe eius mens vel intentio, vt ceſſante illa circumſtantia, ceſſet omninò obligatio recitandi quoad ſubſtantiam, quia vult ſemper vt ſatisfaciat pro ſuis peccatis, & adimpleat pœnitentiam Sacramentalem iniunctam ab ipſo; & ideò nequit velle, vt ceſſet obligatio, ceſſante illa circumſtantia. Declaratur hoc alio exemplo, quod tradit Cardinalis Lugo, *n.* 88. Si alicui imponat Confeſſarius pœnitentiam ieiunij duplici Feriâ ſextâ ſequenti, & ipſe pœnitens oblitus fuerit, ideò communiter debet ieiunare poſteà, quia non eſt intentio Confeſſarij ita alligata ad talem diem, vt velit eſſe pondus illius diei, quo elapſo maneat pœnitens liber; ſicut contingit in recitatione Officij diuini, vel in auditione Sacri in die feſto; ſed principaliter intendit Satisfactionem, ſecundariò præſcribit terminum diei, vt certiùs fiat, & non differatur vlteriùs. Idem ergo dico de pœnitentia Coronæ iniuncta, vt fiat coram aliqua ſpeciali Imagine, vel in aliqua Eccleſia.

Circa tertiam difficultatem de circumſtantia temporis quo tenetur pœnitens adimplere pœnitentiam ſibi impoſitam. Dico cum communi ſententia, pœnitentem obligari ad implendam pœnitentiam, quamprimum commodè poteſt, ſi Confeſſarius non determinet tempus; quia ratio medicinæ, & iuſta ſententia ſecum affert adiunctam executionem, & ipſa rationabilis intentio Confeſſarij hoc requirit. Verùm non debet ſtatim iudicari peccatum mortale quæuis dilatio, niſi quando iudicio prudentis Confeſſarij eſſet nimia, & ad longum tempus. Quòd ſi Confeſſor deſignet tempus, impleri debet pœnitentia intra illud, vt conſtat: ſi pœnitens non faciat, non proptereà ceſſat obligatio eam implendi, vt contingit in præceptis Eccleſiaſticis, quæ ſi præcipiunt ieiunium, vel Miſſam tali die, illo tranſacto ceſſat; quia intentio talis legis eſt omninò definita ad tale tempus: at verò intentio Confeſſarij eſt Satisfactio pro peccatis; circumſtantia verò temporis ſolùm eſt, ne nimia ſit dilatio: Vnde præceptum Confeſſarij iniungentis pœnitentiam, cadit directè & per ſe in ſubſtantiam operis; in tempus verò, tanquam in circumſtantiam accidentalem. Cuius rei ratio à priori hæc eſt, quia pœnitentia non iniungitur ad celebrandum, vel ſanctiùs tranſigendum certum aliquod tempus, ſicut inſtituuntur feſta, & ieiunia; ſed vt pœnitens ſatisfaciat Deo pro pœnis ei debitis, & auertatur à peccatis futuris: quæ cauſæ, tranſacto præſcripto tempore, adhuc perſeuerant; ideóque in pœnitente manet eadem obligatio. 6

Quæres, quid debeat facere pœnitens, qui oblitus eſt pœnitentiæ ſibi iniunctæ? teneturne ſecundò eadem peccata confiteri, vt aliam pœnitentiam pro iis accipiat? 7

Digitized by Google

accipiat? *Reſpondeo* cum Caietano, Soto, Medina, & Nauarro, quos refert, & ſequitur Coninck *diſputatione 10. dubio 9. num. 85.* Oblitum ſuæ pœnitentiæ non teneri ſecundò eadem confiteri. Ratio eſt, quia illa repetitio Confeſſionis, neque eſt neceſſaria ad remiſſionem peccatorum, quæ iam abſolutè remiſſa ſunt, neque ad remiſſionem pœnæ temporalis iis debitæ, quia hæc alia ratione etiam in hac vita obtineri poteſt; neque etiam ad implendum præceptum Confeſſarij, quia ipſe non præcepit iterare Confeſſionem, ſed aliud opus facere, quod pœnitenti iam eſt impoſſibile, ideòque ab eo excuſatur. Quòd ſi ſuâ culpa, vt quia nimis diu pœnitentiam diſtulit, hoc acciderit, tenetur hoc peccatum confiteri; ſed non tenetur Confeſſionem repetere, vt iterum pœnitentiam accipiat. Verum quidem eſt, ſi fortè obliuio accidiſſet, ſtatim poſt datam pœnitentiam, & crederet Confeſſarium adhuc eius eſſe memorem, teneretur, ſi poſſet, ab eo petere quid iniunxiſſet, præſertim quando pœnitentia eſſet grauis.

SECTIO IV.

An ſit neceſſe implere poenitentiam in ſtatu gratiæ?

1 NEgant nonnulli, quibus conſentit Suarez, *diſp.* 38. *ſectione* 8. *numero* 7. poſſe licitè & abſque vllo peccato pœnitentiam iniunctam impleri in ſtatu peccati.

Primò, quia opus iniunctum à Confeſſario, ſi fiat in peccato, nequit eſſe pars Sacramenti, quia vt ſit pars Sacramenti, debet eſſe ſatisfactorium, nam pars Sacramenti eſt Satisfactio.

Secundò, recipitur pars Sacramenti indignè, & ponitur obex eius effectui, nempe remiſſioni pœnæ, quod ſaltem eſt veniale peccatum.

Tertiò, in opinione probabili, quam nos ſecuti ſumus *diſputatione præcedenti*, *ſect.* 2. Satisfactionem Sacramentalem conferre augmentum gratiæ ex opere operato; per pœnitentiam in ſtatu peccati impeditur eiuſmodi effectus gratiæ ſanctificantis: ergo non ſolùm venialiter, ſed etiam mortaliter peccatur; ſicut eſt peccatum mortale, ſuſcipere matrimonium in mortali, vel aliud ſimile Sacramentum, quia ponitur obex gratiæ ſanctificanti.

2 Dico *primo*, Satisfactionem & pœnitentiam exhibitam in ſtatu peccati mortalis, ſufficere ad implendam obligationem & præceptum à Confeſſario impoſitum. Eſt communis apud Doctores. Patet, quia in aliis præceptis non eſt obligatio implendi ea in ſtatu gratiæ, ſed ſufficit ponere ſubſtantiam operis ſeu præcepti, neque eſt hic noua fingenda obligatio ſine neceſſitate. Et ratio eſt, quia Confeſſarius, ſicut & Legiſlator tantùm præcipit opus, & non modum, ſeu finem eius: nam finis legis non cadit ſub præcepto. Quare in præcepto impoſito à Confeſſario ſiue ieiunandi, ſiue recitandi Coronam, & ſimilium, ſatis eſt ponere ieiunium, vel Coronam iniunctam, licet non habeatur finis ſatisfaciendi, qui eſt remiſſio pœnæ: Imò & propter hanc rationem, etiamſi opus ſatisfactorium malè fiat, ita vt ex aliqua circumſtantia ſit peccatum, ſufficiet. Sicut enim ad ſatisfaciendum aliis præceptis, ſufficit etiam opus peccaminoſum, vt per auditionem Miſſæ peccaminoſam ſatisfit præcepto Eccleſiaſtico; ita & ad ſatisfaciendum præcepto Confeſſarij ſufficiet ſimile opus. Vnde ſi imponat ieiunium, & pœnitens in fine ieiunij deficiat, ſi tamen formam ieiunij ſeruet, implebit præceptum ſibi impoſitum.

Dico *ſecundò*, Satisfactionem, & pœnitentiam in mortali, non conferre vllum effectum operanti, durante illo ſtatu. Ita ſentiunt communiter Doctores. Et ratio eſt, quia pœna, cuius remiſſio eſt apud omnes potiſſimus effectus, non remittitur homini exiſtenti in peccato mortali: cum enim remiſſio pœnæ temporalis ſit effectus aliquo modo ſupernaturalis, remouens impedimentum gloriæ, non eſt cur conferatur, niſi ei, qui eſt amicus Dei, & proportionatus ad gloriam. Quare dum aliquis eſt actu inimicus Dei; & reus æternæ pœnæ, non eſt ſubiectum aptum, cui remittatur aliqua pœna; præſertim cùm ſecundum præſentem iuſtitiam quælibet pœna correſpondens etiam culpæ mortali, vel veniali remiſſæ, debeat eſſe æterna. Firmatur, nam hic effectus remiſſionis pœnæ temporalis eſt ſecundarius ipſius Sacramenti: ergo videtur dependere à perſiſtentia primarij effectus, ſcilicet gratiæ iuſtificantis, quâ peccatum remiſſum fuit. Præterea Confeſſarius non ita commutat pœnam Purgatorij, vt ex vi operis impoſiti remittatur, ſed vt per illud applicetur virtus Paſſionis Chriſti, & meritorum eius, propter quæ pœnitenti remittitur pœna temporalis; ea verò applicatio eſt quidam affectus amicitiæ; non igitur videtur vnquam concedi inimicis. 3

Dico *tertio*, probabilius eſſe hunc effectum remiſſionis pœnæ temporalis habere effectum recedente fictione, ſeu obice, ſtatim ac pœnitens reſurgit à peccato. Ratio eſt, quia hæc pœnitentia, ſeu Satisfactio, quatenus eſt pars Sacramenti, cùm ſit aliquo modo opus Chriſti non videtur omnino eſſe mortuum, ſed tantùm mortificatum, atque ita recedente obice, habere ſuum effectum: Quare ſicut Sacramentum Pœnitentiæ, ſi contingat eſſe informe, habet effectum recedente fictione, & non tenetur quis iterare Confeſſionem informem; ita credibile eſt, partem imitari naturam totius, cùm etiam pœnitens non teneatur iterare ſatisfactionem, vel pœnitentiam extra ſtatum gratiæ exhibitam. 4

Dico *vltimò*, non eſſe peccatum nequidem veniale implere pœnitentiam in ſtatu peccati, atque ideò licere in eo ſtatu illam explere. Ita Cardinalis Lugo *diſputatione* 25. *ſectione* 3. *numero* 32. Et probat, quia hæc pars Sacramenti, nempe Satiſfactio, non eſt collatiua gratiæ, vt ipſe opinatur. Præterea, ponere obicem effectui remiſſionis pœnæ temporalis oſtendit non arguere culpam venialem; nam alias etiam eſſet peccatum veniale audire Sacrum in ſtatu peccati, aut adeſſe in peccato benedictioni Pontificis, quando conceduntur Indulgentiæ, quia ponitur obex ſimili effectui. Quod tamen nemo fatebitur: Ac multò minus id debet fateri in noſtro caſu, in quo illud detrimentum poſteà reſarcitur, cùm ablato obice, habeatur totus ille effectus, vt dixi: quod in auditione Miſſæ, & Indulgentiis non contingit. Firmatur idem praxi fidelium, nam ſi alicui pro pœnitentia detur recitare ſingulis diebus Coronam, aut dicere Orationem breuem quoties iurat, nemo dicet eſſe peccatum veniale non conſtituere ſe in ſtatu gratiæ, quoties dicit Coronam, vel illam orationem breuem. Idem igitur dicendum eſt in præſenti. Quod magis conſtabit ex ſolutionibus Argumentorum ſuprà *numero primo* propoſitorum. 5.

Ad primum, negatur Antecedens, nam ieiunium, vel Corona, & quoduis aliud opus impoſitum à Confeſſario, etiam in peccato impletum, eſt pars Sacramenti 6

Pœnitentiæ,& ſufficit ad integritatem Sacramenti,quia hæc nihil aliud exigit,quàm vt ſatisfiat præcepto Confeſſarij,quod iam obtinetur per opus etiam in peccato poſitum, vt oſtenſum eſt *ſupra Dicto primo.* Vnde vt optimè notauit Vaſquez *quæſt.94. art.2. dub.5. numero 17.* prædictum opus,tametſi tunc non habeat Satisfactionem pro pœna temporali, retinet tamen totam ſubſtantiam operis ſecundùm intentionem Confeſſarij obligantis ad illud,& tanquam Iudicis id iniungentis,idque ſufficit vt ſit pars Sacramenti. Neque enim ad Satisfactionem obligat Sacerdos vt tollatur pœna temporalis alterius vitæ,ſed vt caſtiget,& puniat delicta;& hoc fit,etiamſi Satisfactio nihil tollat pœnæ, modò ſecundùm ſubſtantiam obſeruetur. Quare vt ſit pars Sacramenti,ſufficit quòd ſit punitio voluntaria impoſita à Iudice ad puniendum peccatorem, qui effectus iam obtinetur per ieiunium,verb.grat.etiam in peccato impletum. Adde, hoc ieiunium eſſe ſatisfactorium, ex opere operato,& Sacramentale,quia poſteà ablato obice operatur ſuum effectum: Vnde ſicut Sacramentum Euchariſtiæ in peccato ſuſceptum, eſt de ſe collatiuum gratiæ,licèt propter obicem eam non conferat,ſic ieiunium iniunctum à Confeſſario eſt Sacramentale;atque adeò de ſe eſt remiſſiuum pœnæ, licèt propter obicem, effectum non cauſet.

Ad ſecundum dico, tametſi illa pars Sacramenti à Confeſſario iniuncta,nempe Satisfactio; recipiatur indignè,id eſt in peccato, & tunc ponatur obex eius effectui; ideò tamen in impletione illius Satisfactionis ſeu pœnitentiæ non eſt venialis culpa, quia adhuc tunc eſt pars Sacramenti,vt dictum eſt, & ſufficit ad integritatem Sacramenti; & etiam oſtenſum eſt,non eſſe veniale peccatum,ponere obicem effectui remiſſionis pœnæ temporalis.

Ad tertium,dico Argumentum illud valdè vrgere in noſtra opinione, quam ſecuti ſumus vt probabilem, & piam *diſputatione præcedenti, ſectione 2. num.4.* nempe hanc partem Sacramenti dare gratiæ augmentum ex opere operato; videtur enim inde ſequi, non ſolùm venialiter,ſed etiam mortaliter peccare, quia ponit obicem gratiæ ſanctificanti. Quare ſpeculatiuè loquendo vincit ratio,& intentum. Verùm, quia hic effectus eſt valdè incertus,ac dubius, vt *loco citato* notaui, & contraria opinio eſt valdè probabilis;ideò dico cum Suario *diſputatione 38. ſect.8. ad finem*, non eſſe practicè, & moraliter imponendum tantùm onus, ſine maiori certitudine; & ita dicendum practicè loquendo, hoc non eſſe peccatum mortale propter dictum Argumentum, quia opinio contraria eſt practicè probabilis, & ſequenda.

SECTIO V.

Vtrùm pœnitens debeat per ſeipſum pœnitentiam implere, an verò poſſit per alium?

1 NOn procedit quæſtio de Pœnitentia, vel Satisfactione,quæ non eſt pars Sacramenti,quia certum eſt Satisfactionem reſpondentem operibus vnius Iuſti ex opere operantis, poſſe ab ipſo applicari alteri Iuſto, tam viuo,qui illa indigeat, quàm defuncto,qui in Purgatorio detinetur. Solùm ergo inquiritur de Satisfactione, quæ iniungitur pœnitenti ab ipſo Confeſſario, & eſt pars Sacramenti, an ſcilicet poſſit illam exequi mediante alio. Et quidem ſi hic alius foret ſolùm inſtrumentum, quo mediante pœnitens exequeretur Satisfactionem,non dubium eſt,quin poſſit,& ſoleat ita fieri: vt ſi Confeſſarius iniungat pœnitenti eleemoſynam, & pœnitens per famulum mittat, ſeu eroget illam,procuidubio implet pœnitentiam ſibi iniunctam. Quæſtio igitur eſt, quando qui implet Satisfactionem, non eſt inſtrumentum,ſed veluti alia cauſa non ſubordinata,vt ſi iniungitur pœnitenti à Confeſſario ieiunium, & alter ieiunet loco illius, an tunc pœnitens maneat liber ab obligatione.

Præterea, ſine Confeſſarij voluntate,non poſſe pœnitentem ſua propria auctoritate pœnitentiam,vel Satiſfactionem per alium implere, ſed debere per ſe illam exequi, videtur mihi certum, quod etiam tenent communiter Doctores. Ratio eſt, quia ea obligatio oritur ex præcepto impoſito pœnitenti à legitimo Superiore; non poteſt autem ſubditus obligationem ſibi impoſitam transferre in alium propria auctoritate. Hoc autem præcipuè habet vim in Satisfactione, quæ iniungitur etiam, vt ſit preſeruatio peccati in futurum; quæ certè non ita obtinebitur, ſi pœnitens non exequatur ſatisfactionem, & dolorem ſubeat, qui illum auocet ab inordinato amore peccati. Quare ſi Confeſſarius præcipiat pœnitenti vt ipſe ieiunet, verbi gratia, non implebit præceptum, etiamſi alius ipſius nomine ieiunet: Vnde ſicut in aliis præceptis, non poteſt vnus pro alio implere præceptum, verbi gratia, in audienda Miſſa,in recitando Officio, in ieiunio,& ſimilibus;ita nec in hoc præcepto Satisfactionis,cùm ſit ſimile,imò habeat maiores cauſas ad exigendam actionem perſonalem; cùm imponatur pœnitentia ex Tridentino *ſeſſ.14. cap.8.* ad curationem,& punitionem pœnitentis. Et certè cùm conſtet ex eodem Tridentino *ſeſſione 14. capite 3. & Canone 4.* partes materiæ in hoc Sacramento eſſe ipſius pœnitentis actus, nempe Contritionem, Confeſſionem, & Satisfactionem; Satisfactio, quæ eſt pars huius Sacramenti, debet eſſe actus ipſius pœnitentis, non alterius,ſicut nec Contritio,aut Confeſſio alterius poteſt eſſe materia in hoc Sacramento. Reſtat igitur difficultas, an ex licentia Confeſsoris imponentis v.g. ieiunium,vel aliud opus,poſſit per alium impleri; & ſic quoque ſit pars Sacramenti, & conferat fructum pœnitenti ex opere operato.

Suarez ſecutus Bonauenturam, Durandum, Argentinas,Richardum,Caietanum,Soto, & alios,*diſput.38. ſect.9.* docet duo. *Primũ eſt*,poſſe Confeſſarium ex iuſta, & neceſſaria cauſa imponere pœnitentiam, per alium implendam,& tunc ſatisfieri præcepto eius,ſi tali modo fiat: Quia hoc præceptum pendet ex voluntate Confeſſarij, & ideò illi ſatisfit, ſi iuxta eandem voluntatem impleatur. *Secundum eſt*, eo ipſo quòd à Confeſſario iniungatur, vt fiat pœnitentia per alium, & ab altero acceptetur nomine pœnitentis, fieri partem Sacramenti Pœnitentiæ, & ſortiri poſſe eundem effectum ex opere operato, quem ſortiretur, ſi ab ipſo pœnitente mandaretur executioni. Quia quando pœnitentia imponitur per alium implenda, cùm ſic fiat ex motione, & petitione ipſius pœnitentis, cenſetur eſſe aliquo modo illius: ergo vt ſic, etiam poteſt eſſe aliquo modo pars Sacramenti ab illo ſuſcepti; ergo etiam poteſt habere effectum ex opere operato circa illum. 3

Cardinalis Lugo *diſp.25. ſect.5. num.81. & 82.* exiſtimat,tale opus alienum non poſſe eſſe partem Sacramenti, nec conferre pœnitenti fructum ex opere operato. Probat *primò*, quia Tridentinum *ſuprà* citatum expreſsè exigit pro Satisfactione actus pœnitentis: ergo ieiunium alienum,verbi gratia,non poteſt eſſe pars 4

Sacra

Sacramenti pœnitentis, cùm non ſit actus ipſius: *Secundò*, quia ieiunium alterius vt ſic, non ſit ex præcepto Confeſſarij, cùm Confeſſarius ſoli pœnitenti poſſit præcipere: ergo vt ſic, non poteſt eſſe Satisfactio Sacramentalis, quæ prout talis, debet eſſe ex Confeſſarij præcepto.

Placet magis hæc ſecunda Sententia, quam etiam defendit noſter Ludouicus Mæratius *de Sacramento Pœnitentia, diſp.* 42. *ſect.* 3. *n.* 3. 4. *&* 5. Quam magis declaro ſeqq. Dictis.

5 Dico ergo *primo*, non poſſe pœnitentem per ratihabitionem, aut conſenſum præſumptum Confeſſarij committere alteri pœnitentiam ſibi impoſitam. Hoc mihi videtur certum: quia ratihabitio de futuro, aut conſenſus præſumptus ſi peteretur, in præſenti parum iuuat; nam ad Satisfactionem Sacramentalem requiritur, quòd actio ſit ex præcepto Confeſſarij: at non fit ex eius præcepto id quod ego ſcio præcipiendum, ſi ego peterem; hæc enim voluntas eſt ſolum conditionata, quæ in Sacramentis non poteſt influere. Firmo, nam vt late oſtendit Suarez *lib.* 6. *de legibus c.* 7. *&* 8. *& cap.* 13. *n.* 20. non excuſatur ſubditus ab inobedientia, eo quòd ſciat, Prælatum diſpenſaturum fore in lege, vel præcepto, ſi peteretur diſpenſatio; hoc enim modo frequenter frangerentur præcepta Superiorum cum tali diſpenſatione præſumpta. Aliud enim eſt, nos excuſari à præcepto per epikeiam; aliud verò poſito præcepto, nos excuſari per diſpenſationem vel conſenſum præſumptum, ſi peteretur. Hoc ſecundum illicitum non eſt, quia eſt contra voluntatem præſentem legiſlatoris, vel præcipientis. Primum illud licitum eſt & honeſtum, quia tunc iudicamus rationabiliter hunc caſum nunquam fuiſſe ab initio comprehenſum ſub lege, aut præcepto.

6 Dico *ſecundò*, etiam mihi videri certum quod docent communiter Doctores, illum qui redditus eſt impotens ad implendam pœnitentiam ſibi impoſitam, non teneri ad illam implendam per alium, etiamſi commodè id facere poſſit. Ratio eſt manifeſta, quia cùm Confeſſarius præcipit ieiunium, verbi gratia, pœnitenti, præceptum non eſt de procurando alieno ieiunio, ſed de ieiunio proprio, quod quidem ſi non poteſt poni, ceſſat obligatio. Id autem eſt etiam verum, tametſi culpabiliter redditus ſit impotens ad ieiunium implendum; tunc enim ſatis erit, confiteri peccatum talis impotentię culpabilis: ſicut in ſimili diximus *ſuprà ſect.* 3. *n.* 7. de eo qui culpabiliter oblitus fuit pœnitentiæ ſibi impoſitæ à Confeſſario: tunc enim ſatis eſt, confiteri peccatum ſuæ negligentiæ, & obliuionis culpabilis.

7 Dico *tertiò*, poſse Confeſsarium, ſi iudicauerit expedire, imponere pœnitentiam pœnitenti, verbi gratia, ieiunia, orationes, diſciplinas, quæ ex parte impleantur ab ipſo, partim ab alio, qui velit hunc laborem ſubire pro illo. Ita S. Thom. *in* 4. *diſtinct.* 2. *quæſt.* 1. *articul.* 2. *quæſtiuncula* 3. Soto, *in* 4. *diſt.* 19. *quæſt.* 9. *articul.* 3. Syluester, *verbo Satisfactio, quæſt.* 3. Suarez *ſuprà* relatus, Cardinalis Lugo *loco citato num.* 84. & alij. Ratio eſt, quia Confeſſarius in aliquo caſu poteſt prudenter iudicare, pœnitentem indigere magna Satisfactione; & aliunde propter eius fragilitatem, vel alia impedimenta non poſſe ipſi iniungi immediatè totum illud: ergo rectè faciet, ſi imponat pœnitenti aliquam partem, & ſimul ei imponat quòd procuret iuuari Satisfactione aliena; ergo ſi id præſtet pœnitens, ſatisfaciet præcepto Confeſſarij. Patet Conſequentia, quia cùm hoc præceptum ſatisfaciendi pendeat ex voluntate, & diſpoſitione Confeſſarij; ſi iuxta illius voluntatem ac diſpoſitionem impleatur, ei verè ac integrè ſatisfit: Atque hunc modum Satisfactionis imponere, iuſta exiſtente cauſa, experientia docuit fuiſſe valde vtilem pœnitenti; nam cùm videat partem Satisfactionis aſſumi ab alio, vel etiam ab ipſomet Confeſſario nomine pœnitentis, mouetur iſte vehementer ad maiorem ſuorum peccatorum compunctionem, & ad ſatisfaciendum per ſeipſum ſingulari feruore. Addo aliquando, occurrere poſſe circumſtantias, in quibus tota ſatisfactio iniungi poſſet alteri. Verum id rariſſime, & magna cum circumſpectione fieri deberet; quia nec eſt adeò in Eccleſia vſitatum, neque ad finem huius Sacramenti adeò expediens. Eſt verò maximè obſeruandum, cùm finis ob quem imponenda eſt pœnitentia, ſit duplex, ex Tridentino *ſeſſione decimaquarta, cap.* 8. Primus; vitæ nouæ cuſtodia, & infirmitatis medicamentum: Secundus, præteritorum peccatorum vindicta, & caſtigatio: ex primo fine non poteſt alteri quam pœnitenti imponi pœnitentia præſeruatiua in futurum, vt per ſe patet: ex ſecundo verò poteſt alteri imponi pœnitentia punitiua. Et de hac Satisfactione vindicatiua, ſeu punitiua intelligendum eſt præſens Dictum.

Dico *vltimò*, pœnitentiam, quæ per alium fieret, non eſſe Satisfactionem Sacramentalem, nec partem Sacramenti Pœnitentiæ, nec vim habere ex opere operato remittendi aliquam pœnam temporalem. Probatur manifeſta ratione, quia illa ſola pœnitentia eſt Satisfactio Sacramentalis, & vim habet ex opere operato, quam Sacerdos imponit ex virtute Clauium ſeu iudiciaria poteſtate ligandi ad pœnam. Patet, quia virtus Clauium in imponenda pœnitenti pœnitentia, eſt poteſtas Iudicis ſententiam ferentis, & iuridice ad pœnam condemnantis; hæc autem ſententia reum ligat, & ad illam ſuſtinendam obligat: nam quæ ſententia reum non ligat, pœnamque in eum latam in eius libera poteſtate relinquit, eo ipſo non eſt ſententia Iudicis iudiciariam poteſtatem exercentis: At ex hac virtute, & Clauium poteſtate, nulli alij quàm pœnitenti, cuius Confeſſionem excepit, pœnitentiam imponere poteſt: alioqui poſſet ex hac ipſa poteſtate obligare alium ad id ſaltem ſe ſponte offerentem ad pœnam pro pœnitente ſuſtinendam: quod tamen non poteſt, quia ſicut virtutem Clauium, & iudiciariam ad ſoluendum poteſtatem circa ſolum pœnitentem exercere poteſt, ita & ad ligandum. Firmo, quia ſolus ille puniendus eſt, & puniri poteſt, qui pœna dignus eſt, non autem punitur à Confeſſario pœnitens ob peccata, quæ confeſſus eſt, niſi pœnitentiam impoſitam ipſe impleat, non enim punitur, niſi pœnam ipſe ſuſtineat: non ſuſtinebit autem ipſe, niſi pœnitentiam illam per ſe impleat, aut ſi ex eo quòd ab altero impleatur, pœnam aliquam ipſe ſuſtinet vt aliquando ſuſtinent parentes, dum in filiis à Deo puniuntur; ergo ſicut hæc ſola pœna ipſius eſt, quam ipſe ſuſtinet in ſe, ita ſola Satisfactionis Sacramentalis rationem habebit, vimque redimendi temporalem pœnam ex opere operato. 8

Hinc colligo *primò*, opera quæ à Confeſſario pœnitenti non ſunt imperata, ſeu non impoſita cum obligatione ea exercendi, ſed tantùm conſilio data, & liberæ pœnitentis poteſtati relicta, vt faciat, vel non faciat, non eſſe Satisfactionem Sacramentalem, nec habere vim ad redimendam ex opere operato pœnam temporalem: Quia ea ſola Sacramentalis eſt, & hanc vim habet, quam imponit Confeſſarius ex poteſtate ſibi à Chriſto data imponendi pœnitentiam in nouæ vitæ cuſtodiam; in infirmitatis medicamentum, & in præteritorum peccatorum vindictam & caſtigationem, vt Tridentinum *ſeſſ.* 14. *capit.* 8. loquitur: atqui eam quam non præcipit, ſed tantùm conſulit, ex illa poteſtate non imponit; nam illa poteſtas non eſt alia quàm poteſtas ligandi ad pœnam, poteſtas autem ligandi eſt poteſtas obligandi pœnitentem ad pœnæ ſibi impoſitę exe- 9

cutionem, ac proinde poteſtas eſt non conſulendi, ſed præcipiendi.

10 Colligo *ſecundò*, ex verbis illis generalibus, quæ dicit Confeſſarius in Abſolutione: *Quidquid boni feceris, & mali patienter ſuſtinueris ſit tibi in remiſſionem peccatorum, &c.* non fieri, vt omnia opera bona tam præcepti quàm conſilij, quæ poſtea facit pœnitens, vim habeāt ex opere operato ad pœnæ temporalis redemptionem: prædicta enim verba tantum abeſt vt præceptum, quinimò ne conſilium quidem contineant, ſed deprecationem tantummodò, quæ vim pœnæ huius ex opere operato redimendæ illis operibus non tribuit: & quam ſi tribueret, fatendum eſſet conſequenter, omnia illa opera eſſe verè Sacramentalem Satisfactionem, partemque proinde integrantem Sacramenti Pœnitentiæ, cùm ei ſoli Satisfactioni vis inſit ex opere operato prędictæ pœnæ redimendæ, quæ Sacramentalis eſt, & pars integralis huius ipſius Sacramenti. Et quidem ſi illud verum eſſet, eleuarentur quoque ad effectum illum ex opere operato, merita B. Virginis, & omnium Sanctorum, quorum in prædicta Abſolutione fit etiam mentio. Igitur dicendum eſt, illam eſſe meram deprecationem, ſicut & verba præcedentia: *Miſereatur tui*, &c. Cenſuit bene noſter Cardinalis Lugo *diſp. 25. ſect. 4. n. 56.* eſſe parum credibile, quòd per illa verba generalia, omnia opera pœnitentis maneant Sacramentalia. Quam abſurditatem, inquit, vt vitaret Suarez *diſp. 38. ſect. 6. in fine*, qui contrariæ ſententię vt piæ fauere videtur, aduertit, illam virtutem extendi ſolum ad ſatisfaciendum pro peccatis in illa Confeſſione confeſſis, quia de illis tantùm fertur iudicium: atque adeò poſtquam illa fuerint remiſſa, ille effectus ceſſabit. Adhuc non obſtante hac limitatione videtur id dici abſque vllo fundamento, quia licèt poſteà ex defectu indigentiæ illa opera viteriora non cauſent remiſſionem pœnæ, adhuc eſſent verè pars Sacramenti; ſicut ſi alicui, qui nullam pœnā debet, imponatur vnum ieiunium, verè illud erit pars Sacramenti Pœnitentiæ.

11 Hinc colligo *vltimò*, non eſſe vllo modo in praxi admittendam doctrinam aliquorum, quos affert Dian. 2. *tom. tract. 4. de Sacra o. reſol. 97.* qui excuſant à peccato Confeſſarios imponentes leues pœnitentias pro grauiſſimis peccatis, quando addunt in fine Abſolutionis verba illa; *Quidquid boni feceris &c.* Ratio eſt, quia ſi hæc doctrina vera eſſet, fruſtrà Concilium Tridentinum *ſeſſ. 14. c. 4.* ad deterrendos Confeſſores grauiſſima illa verba vſurpaſſet. *Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum ſpiritus, & prudentia ſuggeſſerit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, ſalutares, & cōuenientes ſatisfactiones iniungere, ne ſi fortè peccatis conniueant, & indulgentiùs cum pœnitentibus agant, leuiſſima quædam opera pro grauiſſimis delictis iniungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.* Nā certè hoc ingens periculum vno verbo addito vitaretur, dicendo: *Quidquid boni feceris, &c.* Quem Sacerdotum vſum proferendi illa verba, Concilium non ignorabat; Non ergo videtur illa doctrina probabilis, vt rectè cenſet Card. Lug. *loco cit. n. 57.*

Ad primam ſententiam propoſitam *ſup. n. 3.* iam dictum eſt, *n. 7.* quo pacto poſſit Confeſſarius imponere pœnitentiam pœnitenti per alium faciendam: & eam pœnitentiam quæ per alium fieret, non eſſe Satisfactionem Sacramentalem, nec partem Sacramenti, nec vim habere ex opere operato remittendi pœnam aliquam temporalem, vt oſtendi *n. 8.*

SECTIO VI.

An pœnitens poſſit propria auctoritate commutare pœnitentiam ipſi impoſitam, in aliquid euidenter melius?

PRocedit quæſtio de pœnitentia impoſita, Claue nō errante, vt loquuntur, id eſt iuſtè: Nam ſi manifeſtè iniuſta eſt, eā parte, quā eſt iniuſta, cùm non obliget, omitti à pœnitente poteſt. Dico, *ea parte*, quia quā parte iuſta eſt, ſicut obligat, ita implenda eſt; ac proinde partem illam impoſitæ pœnitentiæ obligabitur implere pœnitens, quæ ſi ſola impoſita fuiſſet, iuſta eſſet, & ad ſui obſeruationem obligaret, poterit verò omittere partem illam, quæ iuſtæ pœnitentiæ quantitatem manifeſtè excedit. Addo *manifeſtè*, nam ſi dubium ſit, vtrùm excedat, an non; obligatio eſt eius implendæ, quia in dubiis ſicut eſt potior conditio Superioris, quàm ſubditi; ita Confeſſarij Iudicis, quàm rei pœnitentis. Sermo quoque eſt de pœnitentia, quam adhuc implere & poteſt pœnitens, & obligatur: Nam ſi quo caſu factus eſt ad eam implendam vel phyſicè, vel moraliter impotens, ita ceſſat eius implendæ obligatio, vt non teneatur commutationem eiuſdem in alteram ab vllo poſtulare, ſicut qui factus eſt ad implendum votum impotens, non tenetur ipſius commutationem in opus aliud petere. Sermo igitur eſt in caſu, quo pœnitentia verè obligat pœnitentem, & quæritur à quo commutari poſſit: Quoniam verò hic poteſt eſſe multiplex, nam poteſt quæri an idem pœnitens poſſit mutare pœnitentiam à Confeſſario iniunctam illi; an idem Confeſſarius, Superior etiam, poſſit mutare iniunctam ab inferiore? vtrùm par poſſit mutare iniunctam à pari, vtrùm inferior poſſit mutare iniunctam à Superiore: ac denique vtrùm, vt quis ex his Sacerdotibus mutet pœnitentiam, neceſſarium ſit pœnitentem ſecundò eadem peccata confiteri; de his omnibus agendum eſt in hac, & ſequentibus Sectionibus: modò verò in hac Sectione primum inquirimus. 1

Diana ad præſentem quæſtionem, *tom. 1. tract. 1. miſcellaneor. reſolut. 53.* affirmat, poſſe pœnitentem auctoritate propria commutare pœnitentiam ſibi impoſitam in aliud opus euidenter melius. Idque probabiliter docet Portel *in Additionibus ad dubia regularia, verbo Pœnitentia Sacramentalis n. 6.* 2

Probatur *primò* à ſimili, nam ex communi ſententia in materia de Voto, poteſt qui habet votum, commutare illud propria auctoritate in aliquid euidenter melius: ergo qui debet ieiunium verb. gr. ex pœnitentia, poterit etiam illud commutare in aliquid euidenter melius.

Secundò, Confeſſarius illud opus ieiunij præcepit in ordine ad ſpiritualem pœnitentis vtilitatem: ergo ſi ei diceret, ſe velle loco illius pœnitentiæ ſubrogare aliud manifeſtè vtilius in ratione Satisfactionis, & medicinæ; certum videtur, quòd conſentiret Confeſſarius: ergo ex præſumpta voluntate poterit pœnitens facere dictam commutationem.

Non poſſe pœnitentem id facere propria auctoritate docet verior, & communior Theologorum ſententia. Probatur, quia rem præceptam à Superiore non poteſt ſubditus commutare in aliam, vt conſtat in omnibus aliis pręceptis; in quibus nullus poteſt propria auctoritate rem præceptam commutare ſibi in opus aliud manifeſtè 3

niſeſtè melius: Nam Eccleſia v.g. ieiunium præcipit ad carnis macerationem, vel auditionem Miſſæ ad cultum Dei; & tamen licet melius ſit ad eos fines cilicio aſperrimo ea die veſtiri, vel Euchariſtiam ſumere, nemo dicet, poſſe ſubditum ſubrogare hæc opera pro illis, quæ præcipiuntur. Quod idem Argumentum fieri poteſt de præceptis diuinis: nemo enim poteſt propria auctoritate commutare Communionem verbi gratia, ex præcepto diuino in mortis articulo, vel alias debitam, in aliud inſigne pietatis opus, vt in ſtatum Religionis, vel in votum Caſtitatis, vel in aliud ſimile, etiam quando res præcepta eiuſmodi opera non impediret. Cum igitur Confeſſarius in foro Pœnitentiæ ſit verus Superior, & præcipere poſſit, ſicut alij Superiores, nullus pœnitens ſubditus poterit propria auctoritate rem præceptam in alia opera etiam meliora commutare, quando vtrunque præſtare poteſt. Et ratio à priori eſt, quia quando interuenit lex, vel præceptum, & conſequenter obligatio; ideò non poteſt ſubditus pro re præcepta aliam etiam meliorem ſubrogare, quia lex, vel præceptum abſolutè determinat, & præſcribit materiam, ſeu rem præceptam, & facit illam ſimpliciter neceſſariam, atque ideò iam non poteſt habere rationem boni quidquid impediuerit obſeruationem legis, & præcepti. Quod certè efficaciter firmatur alio exemplo manifeſto, in conceſſione Indulgentię plenariæ, quam concedit Summus Pontifex iis qui ieiunauerint, & quædam alia determinata pietatis opera fecerint; ideò certum eſt, quòd ij ſaltem, qui prędicta opera exercere poſſunt, alia etiam meliora opera ſubrogare nequeunt pro illis, vt pro ieiunio verbi gratia, alias acerbiores pœnas, ſeu pœnitentias aptiores ad macerationem carnis, & ad placandam iram diuinam; quia nimirum Pontifex talia opera determinata exigit, quibus, & non aliis poſitis, concedere vult Indulgentiam plenariam, ſeu remiſſionem totius pœnæ ex Eccleſię theſauro. Cum igitur Confeſſarius iniungendo pœnitentiam, & ſatisfactionem pro peccatis confeſſis, ſimiliter eligat talia opera determinata, quæ præcipit, vt per virtutem Sacramenti applicetur Satiſfactio Chriſti ad eluendum debitum pœnæ, multò minùs poterit pœnitens, pro illis alia ſubrogare etiam meliora. Patet Conſequentia, quia in hoc caſu Confeſſarij interuenit præceptum, & obligatio Superioris, quod in Conceſſione Indulgentię non reperitur.

Denique idem firmatur, quia pœnitens nullo modo ſatisfacit, ſi loco pœnitentiæ faciat quoduis aliud opus etiam apertiſſimè longè melius: Tum quia cum non exequatur ſententiam iudicis, non poteſt eius præcepto Satisfacere; ſicut nullo modo ſatisfacit præcepto Eccleſiæ, qui loco ieiunij, ad quod obligatur, facit alia opera longe meliora: Tum etiam, quia ſecundum illud opus ſubrogatum, cùm non ſit pœnitenti iniunctum virtute Clauium, non poteſt habere rationem pœnitentiæ Sacramentalis.

4 Ex quo patet ſolutio ad primum Argumentum contrarium, ob manifeſtam diſparitatem: Nam in voto naſcitur obligatio ex promiſſione rei, quæ creditur grata Deo, cui promiſſio facta eſt, & cùm res ſubrogata ſit illi gratior, non fit contra Religionem ſoluendo vnum pro alio: Maximè quia votum in ſua origine pendet ex propria voluntate vouentis, & ideò votum poteſt per eandem voluntatem mutari, quando conſtat de conſenſu creditoris, quia per quas cauſas naſcitur obligatio, per eaſdem diſſoluitur: Vnde obligatio voti cùm ſit ex voluntate vouentis, poteſt transferri in aliam materiam; & ita ex illa parte: ſemper ſeruatur æqualitas, quia non facit rem ſimpliciter neceſſariam, ſed reſpiciendo ſemper ad melius bonum, & includendo conditionem, & quaſi exceptionem, dummodò illud melius bonum non impediatur: at verò nihil horum reperitur, in re præcepta per Confeſſarium, qui eſt verè Superior in foro Pœnitentiæ, ſicut nec in quolibet alio præcepto legis, vel Superioris præcipientis; Nam in re præcepta determinatio rei oritur ex voluntate Superioris petentis hanc rem in particulari, & non aliam; quæ iam debetur, non ſolum ex ratione generali, quia eſt aliquid gratum Superiori, ſed quia vult hoc opus in particulari, & determinatum, quod per voluntatem determinatam exigit; atque ideò non poteſt ſubditus mutare vnũ pro alio: ſed ſi mutari debet vnum pro alio, per voluntatem Superioris mutandum eſt. Vnde lex ſeu præceptum abſolutè præſcribit rem pręceptam, & facit illam eſſe neceſſariam; & ideò iam non poteſt habere rationem boni, quidquid impediuerit obſeruationem legis, vel præcepti.

Ad ſecundum, ſicut conſtat ex Dicto primo præcedentis Sectionis, ratihabitionem de futuro, aut conſen- 5
ſum præſumptum, ſi peteretur, non ſufficere ad committendam alteri pœnitentiam, quam ipſi pœnitenti impoſuit Confeſſarius; ſic neque ſufficere ad illam mutandam pro alia, quia eſt contra voluntatem Confeſſarij de præſenti obligantem. Quare ſicut nemo poteſt ex præſumpta Eccleſiæ voluntate, loco ieiunij præcepti ab ipſa ob carnis macerationem, mutare, vel ſubrogare cilicium aſperrimum, eoque veſtiri, ita nec pœnitens poteſt pœnitentiam ſibi iniunctam à Confeſſario in aliud opus melius commutare.

SECTIO VII.

An idem Confeſſarius poſſit extra Confeſſionem pœnitentiam à ſe impoſitam mutare, vel minuere?

SVppono *primò*, quod certum eſt, Satiſfactionem, ſeu 1
pœnitentiam iuſtam & rationabilem, de qua ſemper erit ſermo, non niſi à Confeſſario tolli, minui, aut mutari poſſe. Patet, quia eſt præceptum impoſitum intra forum Confeſſionis: ergo ſolus Sacerdos, qui intra illud forum exercere poteſt iuriſdictionem, ſeu poteſtatem, poterit Satiſfactionem immutare.

Suppono *ſecundo*, ſine rationabili cauſa nullum Cō- 2
feſſarium poſſe tollere, minuere, aut mutare Satiſfactionem in præcedente Confeſſione iniunctam. Patet, quia ſententia iuſtè lata, non poteſt ſine rationabili cauſa mutari.

Hinc Suppono *tertiò*, id verum eſſe de eodem 3
Confeſſario, qui audita Confeſſione pœnitentis, illi Satiſfactionem ſeu pœnitentiam iniunxit; nam iſte iam tulit ſententiam iuſtam, & functus eſt officio ſuo: ergo non habet poteſtatem, vt pro libito, cùm iterum audit eundem, ſententiam mutet ſine rationabili cauſa, & reuocet, quod ſemel benè peractum eſt.

Quibus præmiſſis, ratio dubitandi eſt *primò*, quia 4
Confeſſarius non poteſt poſteà poſt primam Confeſſionem abſolutam, augere pœnitentiam, quam prius impoſuit, inuito pœnitente; quia ſententia ſemel legitimè prolata, & acceptata videtur tranſire in rem iudicatam, quaſi per modum contractus, ita vt non poſſit mutari, niſi ex conſenſu vtriuſque ſcilicet, & Iudicis, & ſubditi: ergo ſimiliter nec poterit minuere, moderari, vel mutare poſtea illam.

Secundò, prædicta immutatio pœnitentiæ non poteſt fieri

Digitized by Google

fieri niſi intra Confeſſionem, aut proximè circa illam; nam iſte actus pertinet ad Confeſſionem, ac proinde ſicut taxatio pœnitentiæ, ſeu iniunctio Satisfactionis debet fieri intra Confeſſionem, aut proximè ad illam, quia pertinet ad Sacramentum; ita immutatio Satisfactionis, quæ ad ipſam Satisfactionis iniunctionem reducitur, debet fieri proximè ad Confeſſionem; ergo ſaltem poſt longum tempus, nec idem Confeſſarius qui priùs iniunxerat pœnitentiam, commutare illam poteſt; cùm nec adſint iam peccata in memoria, nec idem iudicium ſtatus pœnitentis cenſeatur perſeuerare.

Tertiò, ex alio capite obiici poteſt, Confeſſarium poſſe pœnitentiam extra Confeſſionem commutare, quia poteſt Confeſſarius iniungere pœnitentiam poſt Abſolutionem Sacramentalem: ergo etiam poteſt poſt Abſolutionem commutare, & conſequenter extra Confeſſionem & extra Sacramentum.

Vltimò, Confeſſarius poteſt commutare vota, & abſoluere à cenſura extra Confeſſionem Sacramentalem: ergo poterit quoque extra Confeſſionem pœnitentiam à ſe iniunctam, minuere, ac commutare.

5 Dico *primò*, Confeſſarium ex iuſta, & rationabili cauſa poſſe pœnitentiam à ſe iniunctam commutare, ac diminuere. Ita communiter omnes Doctores: Tum quia, ſicut Confeſſarius ſemel iniunxit, ita & poteſt commutare, cùm alienam non vſurpet iuriſdictionem, nec vlli faciat iniuriam: Tum quia Confeſſarius licèt à Deo habeat poteſtatem imponendæ pœnitentiæ, nihilominus ipſum præceptum humanum eſt, vtpote ab hominis voluntate pendens; ſicut etiam præceptum ſummi Pontificis eſt humanum, quamuis ſuam habeat poteſtatem à Chriſto: in preceptis autem humanis, vt conſtat ex materia de Legibus, admittitur commutatio, & diſpenſatio, ex iuſta, & rationabili cauſa: Tum denique, quia hic eſt vſus, & praxis communis Eccleſiæ: Iuſta verò cauſa commutandæ pœnitentiæ eſt neceſſitas, vel notabilis vtilitas, vel difficultas pœnitentis in præſtanda pœnitentia, vt notant communiter Doctores.

6 Dico *ſecundò*, vt idem Confeſſarius poſſit mutare pœnitentiam, neceſſarium eſſe vt pœnitens ſecundò ei confiteatur peccata, ob quæ illa fuit iniuncta; niſi actu recordetur peccatorum, pro quibus illam impoſuit. Hæc eſt communior Doctorum ſententia. Prima pars probatur, quia hæc mutatio debet fieri per actum iudicialem in hoc foro Pœnitentiæ; nam eſt actus iuriſdictionis, qui fit à Iudice, vt iudex eſt: at hoc iudicium neceſſariò debet verſari circa peccata, ob quæ iniuncta fuit pœnitentia: ergo neceſſe eſt, vt tale iudicium fiat, vt in eo talia peccata denuò proponantur, quia omnis actus iudicialis debet fieri cognitâ causâ, circa quam verſatur, ne ſententia contineat errorem intolerabilem: ergo debet pœnitens ſecundò ei talia peccata confiteri, quia non poteſt idem Confeſſarius ſecundò circa eadem peccata ferre iudicium, niſi per Confeſſionem eorundem peccatorum ſecundò ad eum deferantur. Secūda pars negari non poteſt, quia ſi idem Confeſſor actu recordetur peccatorum, pro quibus pœnitentiam iniunxit, ſaltem aliqua memoriâ confusâ, qualis ſufficit ad imponendam pœnitentiam, iam procedit cum notitia cauſę quę iudicatur, & primum iudicium cenſetur adhuc moraliter durare: ergo poteſt ſine iteratione Confeſſionis mitigare pœnitentiam, vel commutare. Ita notauit Suarez *diſputatione* 38. *ſectione* 10. *numero* 3. & Cardinalis Lugo *diſputatione* 25. *ſectione* 6. *numer.* 125.

7 Hinc colligo prædictam immutationem fieri non poſſe, niſi intra Confeſſionem, aut proximè circa illam; ſicut enim taxatio pœnitentię ſeu iniunctio Satisfactionis debet fieri intra Confeſſionem, aut proximè ad illam, quia pertinet ad Sacramentum Pœnitentiæ; ita etiam immutatio Satisfactionis, quæ ad ipſam Satisfactionis iniunctionem reducitur, debet fieri ſaltem proximè ad Confeſſionem. Vnde dictus Confeſſarius poteſt pœnitentiam iniunctam commutare, & minuere, vel facta ipſi rurſus à pœnitente eorundem peccatorum Confeſſione, quorum nullo modo recordatur, nec cauſę præcedentis, aut ſtatus ipſius pœnitentis memoriam habet: vel non repetita à pœnitente Confeſſione, ſed vi præcedentis Confeſſionis, Confeſſario eandem veluti cauſam tractante adhuc, & iudicante: Vnde hoc ſecundo modo hæc actio refertur ad Confeſſionem, & Abſolutionem præteritam, & cum illa componit vnum integrum iudicium; neque enim negari poteſt in hoc Sacramento partes tempore diſtantes poſſe vniri moraliter ad integrandum vnum Sacramentum; nam Abſolutio hodierna poteſt vniri cum Confeſſione facta ante octo dies; ſimiliter ergo limitatio, vel mutatio ſententiæ poterit vniri cum Confeſſione, & ſententia præterita. Et quamuis ad hoc nonnulli Doctores requirant, vt ad eundem Confeſſarium recurrat pœnitens non longo tempore poſt Abſolutionem datam, vt intra ſeptimum, aut octauum diem; mihi placet dicere cum Vaſquez *q.* 94. *art.* 2. *dub.* 3. *n.* 2. & Ludouico Meratio *diſputat.* 42. *ſect.* 4. *num.* 8. nihil ad id referre, vtrùm breui, vel longo poſt Abſolutionem datam tempore recurrat, dummodò eo quo recurrit tempore, Confeſſarius cauſæ præcedentis, aut ſtatus ipſius pœnitentis memoriam adhuc habeat, aut ad illam ab illo reuocetur.

Dico *tertiò*, eundem Confeſſarium non poſſe pœnitentiam à ſe iniunctam mutare, vel minuere extra Cōfeſſionem. Sequitur ex præcedentibus, quia in foro Pœnitentiæ eadem eſt poteſtas ligandi, & ſoluendi: ergo ſicut non poteſt ligare, ſeu imponere pœnitentiam extra Confeſſionem; ita neque poteſt relaxare, ſeu minuere, vel commutare. Et quidem cùm Satisfactio ſit Sacramentalis, & ſit actus iuriſdictionis Clauium in foro Sacramentali, manifeſtè ſequitur, pœnitentiam non poſſe extra Confeſſionem commutari. Et ratio à priori eſt, quia Confeſſarius non eſt Iudex, nec habet vllam poteſtatem, niſi dum eſt in hoc Tribunali Sacramenti Pœnitentiæ, exercens illud munus in pœnitentem; non ergo poteſt procedere ex poteſtate Clauium ille actus extra Confeſsionem factus, ac per conſequens non poteſt eſſe actus iudicialis, nec validus. 8

Ad Argumenta contraria. Ad primum, conceſſo Antecedente, negatur Conſequentia, quia ideò ſemel impoſitâ pœnitentiâ poſt Abſolutionem & acceptatâ à pœnitente, non poteſt Confeſſarius addere nouam vel grauiorem pœnitentiam pœnitente inuito; quia ſententia prolata, & acceptata videtur tranſire in rem iudicatam, vt dicitur in Argumento; & ideò non poteſt alteri ſine conſenſu vtriuſque partis, maximè cum ſit in grauamen pœnitentis: at poteſt mutare, & minuere, quia eſt in leuamen pœnitentis, & ex conſenſu illius: Imò, & inuito pœnitente poteſt idem præſtare, nam ſi Confeſſarius imponens pœnitentiam, expreſsè retineret ſibi facultatem moderandi, vel mutandi poſteà illam, non videtur dubitandum, quin poſſet hoc facere independenter à conſenſu pœnitentis. Hoc idem præſumendum eſt ſemper de Confeſſario, quòd ſemper virtualiter habeat illam intentionem relinquendi ſibi talem facultatem, quia ſemper intendit ſe obligare, quamminimùm poſsit, & retinere totam poteſtatem quam poteſt. 9

Ad ſecundum, iam dictum eſt *Dicto ſecundo, numero ſexto, & ſeptimo*, oportere ad commutandam pœnitentiam,

tentiam, vt idem Confeſſarius cauſæ præcedentis, aut ſtatus ipſius pœnitentis memoriam adhuc habeat, vt immutatio pœnitentiæ fiat intra Confeſſionem, aut proximè circa illam & conſequenter intra Sacramentum.

Ad tertium conſtat quoque eundem Confeſſarium poſſe poſt Abſolutionem commutare, non verò extra Confeſſionem, vt dictum eſt *ſuprà n.8.*

Ad vltimum, diuerſa eſt ratio de commutatione voti, & Abſolutione à cenſura, ac de poteſtate circa pœnitentiam Sacramentalem imponendam, aut commutandam; hæc enim pertinet omninò ad iudicium Sacramentale, nec poteſt extra illud ab aliquo exerceri: illa verò ideò ab aliquibus poteſt etiam extra Confeſſionem fieri, quia illæ non ſunt actiones Sacramentales, nec pertinent ad hoc iudicium fori pœnitentialis, ſed procedunt ex alia poteſtate quam Pontifex habet, & ipſe poteſt communicare illam prout voluerit, ſcilicet ita vt poſſit exerceri intra, vel etiam extra Sacramentum.

SECTIO VIII.

An alius Confeſſarius æqualis poſſit, audita iterùm confeſſione eorundem peccatorum, tollere, minuere, vel moderari pœnitentiam ab alio impoſitam?

1 PRæſens quæſtio duas continet præcipuas difficultates. *Prima eſt*, an ſit poteſtas in quolibet alio Confeſſario æquali reſpectu æqualis, ad tollendam, mutandam, vel moderandam pœnitentiam ab alio æquali impoſitam. *Secunda eſt*, an ad faciendam commutationem, vel immutationem, ac moderationem pœnitentiæ impoſitæ ab alio Confeſſario æquali, neceſſarium ſit quòd Confeſſarius eadem peccata iterùm in Confeſſione audiat.

2 Circa priorem difficultatem, ſententia eſt Dominici Soto *diſp. 10. q. 1. art. 5.* Victoriæ *in ſumma, num. 323.* & recentiorum Thomiſtarum negantium poſſe æqualem Confeſſarium tollere, minuere, mutare, aut moderari pœnitentiam ab alio ſibi æquali impoſitam, etiam audita iterùm Confeſſione eorundem peccatorum. Eandem ſequitur Vaſquez *q. 94. art. 2. dub 3. n. 8.* ſic dicens *Veriorem exiſtimo ſententiam Soti, quamuis probabilem exiſtimem ſententiam aſſerentium poſſe commutari, ſed non ita benè probari poſſe; in praxi verò tutum erit illam ſequi vt probabilem auctoritate Doctorum.* Hæc noſter Vaſquez.

Hæc ſententia negans probatur *primò*, quia par in parem non habet imperium, nec Iudex æqualis, ſeu æqualis poteſtatis poteſt mutare ſententiam ab æquali datam.

Secundò, in ea mutatione videtur inferri magna iniuria alteri Confeſſario; quia ille iuſtam tulit ſententiã, & erat legitimus Iudex in eo foro; quæ ſententia non poteſt reuocari ab alio æquali, nec ex toto, nec ex parte: vnde in foro externo ſententia ab vno Iudice lata, non reuocatur ab alio æquali.

Tertiò, quia iam cauſa, & iudicium fuit à priore Cõfeſſario præuentũ, & illi ſe reus ſponte ſubdidit, ac commiſit, & ab eo pœnitentiam acceptauit; & remiſſionem culpæ obtinuit: ergo illi debet omninò parere in executione pœnæ.

Quartò, fauet huic ſententiæ caput *Placuit, de Pœnitentia, in 6.* vbi prohibetur, ne pœnitens qui ſe prius vni Sacerdoti commiſit, ſe poſteà alteri committat.

Vltimò, ex contraria ſententia ſequeretur, illud primum Sacramentum non manere integrum, ſed mutilum, & incompletum, ac imperfectum. Probatur Sequela; qua ipſa ſecunda ſatisfactio ab hoc ſecundo Confeſſario impoſita non poteſt eſſe pars primi Sacramenti, quia non eſt impoſita ab eodem primo Confeſſario, ſed eſt pars ſecundi Sacramenti, in quo propter eadem peccata imponitur; non poteſt autem idem Sacramentum Pœnitentiæ habere vnam partem ab vno Miniſtro, & aliam ab alio: Igitur illud primum Sacramentum manet imperfectum, & mutilum abſque Satisfactione Sacramentali.

His non obſtantibus, perplacet mihi oppoſita ſententia affirmatiua, vtpote verior, ac probabilior, quam tenent Syluester *verbo Confeſſio I. quæſt. 27. num. 31.* Angelus *verbo Confeſſio V I. n. 4.* Nauarrus *in Manuali, cap. 16. num. 22.* Roſella, *verbo, Confeſſio Sacramentalis, num. 11.* Ledeſma *q. 10. art. 4.* Medina *in 1. 2. q. 45.* Suarez *diſp. 38. ſect. 10. num. 4.* Cardinalis Lugo *diſ. 25. ſect. 6. n. 103.* Fagundez, *2. præcepto, c. 3. num. 15.* & communiter omnes Recentiores. Quam magis declaro *ſeqq. Dictis.* 3

Dico itaque *primò*, poſſe æqualem Confeſſarium pœnitentiam ab alio æquali impoſitam, mutare, imminuere, ac moderari. Ratio à priori eſt, quia idem Confeſſarius poteſt pœnitentiam à ſe impoſitam mutare, minuere, ac moderari, vt conſtat ex *præcedent. ſect.* & neceſſariò concedere debent Auctores prioris ſententię ergo & alius æqualis idem etiam poterit: patet Conſequentia, quia eſt eadem ratio de æquali Confeſſario, & de eodem: nam iſti duo Sacerdotes non habent ſe, ſicut Superior, & inferior; ſed ſicut duo Iudices ſuccedentes in eodem Tribunali, & munere, cum eadem poteſtate. Quare ſicut vnus, & idem Sacerdos poteſt mutare Satisfactionem, & eam minuere in bonum pœnitentis: ita poterit idem præſtare ſecundus, æqualem poteſtatem habens: ſicut ſecundus Epiſcopus poteſt commutare, vel moderari pœnam impoſitam a prædeceſſore. Neque in hoc infert ſecundus Confeſſarius iniuriam aliquam priori; cùm eius locum occupet, & ei ſuccedat cum æquali poteſtate. Firmo, quia licet prior Confeſſarius tanquam legitimus Iudex, iuſtam ſententiam tulerit, nihilominus pœnitens eandem cauſam iam iuſte iudicatam iterùm in aliud iudicium æquale afferre poteſt, & nouam expectare ſententiam, vt ordinariè fit in Confeſſionibus generalibus; ergo alius Confeſſarius poterit ſuo arbitratu prudenti iuſtam pœnitentiam imponere, iuxta præſentem ſtatum pœnitentis, ac ſi priùs non eſſet cauſa iudicata: ergo poterit priorem pœnitentiam mutare in aliam, non ſolum ęqualem, ſed etiam minorem. 4

Dico *ſecundò*, poſſe etiam ſecundum Confeſſarium æqualem, non ſolum minuere, ac moderari pœnitentiã à priori Confeſſario iniunctam, ſed etiam eam omninò tollere, & vel leuiſſimam, vel nullam imponere, ſi ita prudenter iudicauerit ad bonum animæ pœnitentis expedire. Id rectè animaduertit Suarez citatus *n. 6.* Et patet, quia contingere poteſt, vt pœnitens ſit multò melius diſpoſitus, magiſque contritus, & Confeſſarius intelligat illum non egere alia medicina ad dimiſſionem pœnæ: ergo omnibus penſatis, ſeruata quoque iuſtitiæ æquitate, poteſt prudenter iudicare, leuiſſimam, vel nullam eſſe pœnitentiam imponendam; ergo id poterit facere, & pœnitens tutò ſe illius ſententię conformare.

Dico *tertiò*, ad minuendam, vel tollendam obligationem prioris pœnitentiæ iniunctæ à Confeſſario priori non requiri in ſecundo Confeſſario intentionẽ 6

reua

Digitized by Google

reuocandi, vel commutandi priorem pœnitentiam, ſed ſufficere, vt auditis eiſdem peccatis, imponat pœnitentiam pro illis, abſque eo quòd ſciat impoſitam fuiſſe aliam pœnitentiam pro eiſdem; idque etiam ſufficere, vt pœnitens poſſit accipere hanc ſecundam pœnitentiam, & relinquere priorem. Contrarium docet Cardinalis Lugo citatus, *n.* 103. cenſet enim, id non ſufficere, ſed requiri reuocationem, ſeu commutationem prioris ſententiæ. Probat, quia cùm præceptum prioris Confeſſionis validum fuerit, manet in ſuo robore, niſi in eodem Tribunali reuocetur, ad quod oportet manifeſtari ſecundo Confeſſario, & quòd iſte habeat intentionem reuocandi priorem Satisfactionē, & auferendi obligationem illam adimplendi. Ego verò exiſtimo id non eſſe neceſſarium. Moueor ad id aſſerendum, quia pœnitens ſemel à peccatis abſolutus habet integrum ius, eadem rurſus eidem Tribunali Pœnitentiæ ſubiiciendi, & nouum de iis iudicium poſtulandi, vt conſtat, & eſt certum, quia in bonum, & vtilitatem pœnitentis eſt ita inſtitutum, vt ſuper eandem cauſam ſit iterabile in fauorem ipſius. Præterea Confeſſarius habet quoque poteſtatem reum abſoluendi à peccatis, & pœnitentiā ei iniungendi eodem modo, ac ſi nunquam fuiſſet abſolutus: quo poſito, cùm hoc iudicium ſit legitimum, poteſt ſe reus ei conformare: ergo eo facto per ſe deſinit omninò obligatio prioris ſententiæ abſque vllo alio. Patet Conſequentia, quia in hoc iudicio Sacramentali omnes Confeſſarij ſunt legitimi Iudices ſupremi ſub Chriſto, & eſt illud præcipuè inſtitutum in vtilitatem pœnitentis, & in fauorem ipſius iterabile, non per modum appellationis, ſed per modum noui iudicij æqualis præcedenti; & ideò nec poſterior Iudex facit iniuriam priori, nec è conuerſo: imò illa temporalis anteceſſio accidentaria eſt; neque hic acquiritur ſpecialis iuriſdictio quaſi per anticipationem, ſeu præoccupationem iudicij, quia vt optimè notauit Suarez citatus *n.* 7. reus à principio habet hunc fauorem, vt ſæpius poſſit iudicari ſi velit, & æqualiter à ſingulis, ſi æqualem habeant iuriſdictionem. Vnde infert, & benè, poſteriorem non reuocare propriè ſententiam prioris, ſed ſuam proferre; & pœnitenti liberum eſſe, quam voluerit pœnam ſeu pœnitentiam eligere.

6 Ad Argumenta oppoſita. Ad primum, dico pronuntiatum illud, *Par in parem non habet imperium*, verum eſſe in iudicio forenſi, ac foro ſoli, non autem in foro poli, ſeu Pœnitētiæ. Quamuis enim Sacramentum Pœnitentiæ inſtitutum ſit à Chriſto Domino ad formam iudicij, tamen ea iudicij forma ſemper ordinata eſt in bonum rei; neque in omnibus ſequi debet proportionem iudicij forenſis, vt conſtat.

Ad ſecundum, reſpondeo nullam fieri iniuriam priori Confeſſario; quia iudicium hoc Pœnitentiæ cùm nō ordinetur ad auctoritatem, aut vtilitatem Iudicis pœnitentiam imponentis, ſed ad bonum pœnitentis, ac rei, illúdque Chriſtus inſtituerit, vt ſuper eandem cauſam ſit iterabile, toties, quoties pœnitens voluerit illud iterare; & non per modum appellationis, ſed per modum iudicij æqualis præcedenti; ideò nec poſterior Iudex facit iniuriam priori, nec prior poſteriori, quia etiam prior non poteſt imponere præceptum pœnitenti, vt alteri eadem peccata non confiteatur, regulariter loquendo.

Ad tertium, conceſſo Antecedente, negatur Conſequentia, quia parum refert, quòd cauſa, & iudicium ſit præuentum à priori Confeſſario, nam per illam præuētionem, ac præoccupationem non acquiritur ſpecialis iuriſdictio, quia Chriſtus ita inſtituit hoc iudicium in fauorem pœnitentis, vt quoties voluerit, poſſit ęqualem iuriſdictionem adire, & ſic, propriè loquendo, non reuocat prioris ſententiam, vt iam dixi *Diſt.* 3. ſed ſuam coram Domino profert; ad cuius prolationem ceſſat alia, ſi reus iſtam voluerit acceptare: ſemper enim illi liberū eſt quam voluerit eligere.

Ad quartum, reſpondeo, caput illud ſolum intelligi de pœnitentiis publicis, in quibus per ipſam mutationem gubernatio, & politia externa valde turbaretur, ſecus eſt de foro interno.

Ad vltimum, negandum eſt ſequi, illud primum Sacramentum non manere perfectum, & integrum, ſed mutilum ac imperfectū: non enim deeſt aliquid neceſſarium ad perfectionem iudicij, quando ex commutatione, aut diminutione ſententiæ facta ab eodem Iudice, vel ab eius ſucceſſore in eodem Tribunali, & foro, non ponitur executio ſententiæ anteà prolatæ, vt contingit in præſenti caſu; nam etiam in foro externo, non deeſt aliquid requiſitum ad integritatem iudicij, quando ex remiſſione pœnæ facta à Principe, aufertur obligatio ſoluendi pœnam impoſitam per ſententiam Iudicis.

Circa poſteriorem difficultatem, an poſſit commuta- 7
ri pœnitentia, non auditis peccatis; certum eſt extra Cōfeſſionem hoc fieri non poſſe. Patet, quia tam actus ligandi, pœnitentiā Sacramentali impoſitā, quàm ſoluendi ab illa, ad eandem poteſtatem Clauium pertinet: ergo ſicut vnus Confeſſarius non poteſt ligare pœnitentem extra Confeſſionem ad ipſam pœnitentiam; ita neque alius ſoluere illum poterit extra illam. Solum dubitari poteſt, vtrùm neceſſe ſit vt Confeſſarius ad hoc vt mutet pœnitentiam priorem ab alio impoſitam, audiat eadem peccata, pro quibus fuit impoſita; an verò ſufficiat quòd in Confeſſione eam pœnitentiam immutet, illis tamen peccatis prioris Confeſſionis non auditis.

Breuiter dico cum Suarez, Vaſquez, Reginaldo, Fa- 8
gundez, Molfeſio, Cardinali Lugo, & aliis, requiri ad hanc immutationem faciendam, nouam, ac repetitam eorundem peccatorum, pro quibus fuit impoſita pœnitentia, Confeſſionem. Ratio eſt, quia Sacerdos non poteſt ſententiam proferre, aut exercere iuriſdictionem in pœnitentem, niſi in hoc iudicio Sacramentali; ſed nō exercetur iudicium, niſi ipſe pœnitens ſe accuſet, & deferat peccata ſua: ergo non auditis peccatis, non poteſt pro illis pœnitentiam imponere: alıter enim pro peccatis confeſſis, & pro nunquam confeſſis poſſet Confeſſarius pœnitentiam Sacramentalem imponere; quod dici non poteſt: Tum quia inauditā cauſā, non poteſt iuſta ferri ſententia, neque in hoc foro, neque in alio: Tum etiam quia illa pœnitentia fuit medicinalis, ad euitanda vulnera, & remittendam pœnam temporalem peccatoris; Medicus autem & Medicina non curant vulnera quæ non vident. Quomodo enim iudicare poteſt Confeſſarius, Medicus, & Iudex, medicinam pœnitentię impoſitæ fuiſſe aſperam, ac duram, niſi in Confeſſione videat vulnera peccatorum? Firmo hoc idem, quia pœnitentia, quam ſecundus Confeſſarius imponit pro prioribus peccatis eſt Sacramentalis, & conſequenter eſt pars Sacramenti, nequit autem ſciri cuius Sacramēti ſit pars, ſi contraria ſententia vera eſt; quia nequit eſſe pars huius Sacramenti ea Satisfactio, quæ non imponitur pro peccatis confeſſis in hoc Sacramento, & quorum non datur Abſolutio: nam Satisfactio ſequitur Confeſſionem, & Abſolutionem; ſed neque poteſt eſſe pars prioris Sacramenti, quia non eſt ex præcepto primi Confeſſarij, qui fuit eius miniſter, ſed ex præcepto ſecundi; ergo non eſt pars illius Sacramenti. Et quidem cùm Confeſſarius non poſſit pro libito paruas, vel magnas pœnitentias imponere, ſed teneatur ſequi cauſæ æquitatem, ſpectatā grauitate peccatorum, aliiſque circumſtantiis; certè id fieri nequit ſine iudiciali pec-

catorum cognitione, & eorum Confeſſione.

9 Eſt verò obſeruandum, in quodam caſu, quem tradit noſter Fagundez *Præcepto* 2. *lib.* 9. *cap.* 4. *num.* 22. *ad finem*, contrariam ſententiam eſſe veram, in eo videlicet, quo Confeſſoris, ex Confeſſione aliorum peccatorum, intelligat ex ipſo pœnitente, plus, minúſve eadem fuiſſe præterita peccata, quorũ pœnitentiã mutari, vel minui poſtulat, quia tunc iam habet ſufficientem vulnerum notitiam, & cauſæ, vt congruentem ſententiam ferre, & medicinam applicare poſſit. Quod maximè probatur, quia cum hæc notitia iam poſſunt fieri materia huius ſecundæ Confeſſionis, & Abſolutio poteſt ſuper illa cadere, & conſequenter impoſitio pœnitentiæ nouæ. Obligatio autem procurandi notitiam magis diſtinctam, non videtur fortaſſe procedere in hoc caſu, quia in ordine ad Satisfactionem conuenientem imponendam, videtur ſufficiens illa notitia confuſa; nam de facto quando Sacerdos imponit pœnitentiam, non retinet niſi huiuſmodi notitiam confuſam peccatorum. Aliunde verò illa peccata ſupponuntur iam ſufficienter explicata diſtinctè in alia Confeſſione. Quæ eſt optima ratio, quam tradit Cardinalis Lugo ſuprà citatus, *num.* 109.

SECTIO IX.

An poſſit Sacerdos inferior pœnitentiam pro peccatis reſeruatis à Superiore impoſitam immutare, vel etiam imminuere?

1 NOmine Sacerdotis inferioris vt ſic, intelligo Confeſſarium, qui neque per ſe, neque per priuilegium poteſt abſoluere à reſeruatis: Quamuis enim in Confeſſionis, & Abſolutionis munere, reſpectu eorum peccatorum, in quæ habent propriam iuriſdictionem, à quibus per ſe abſoluunt, omnes Sacerdotes videantur æquales, quia proferunt vltimam, ac difinitiuam ſententiam, vt ipſius Chriſti immediati miniſtri; nihilominùs tamen reſpectu peccatorum reſeruatorum, Sacerdotes qui iuriſdictionem non habent, dicuntur inferiores, quia manent inferiores in ordine ad munus Confeſſionis, & in ordine ad iudicium ferendum de talibus peccatis. Et de illis quærimus, an poſtquam Superior directè abſoluit de illis peccatis, & pro eis Satisfactionem impoſuit, poſſit aliquis Sacerdos inferior pœnitentiam pro iiſdem reſeruatis à Superiore impoſitam immutare, vel imminuere.

2 Sentiunt nonnulli poſſe, inter quos noſter Vaſquez, *quæſt.* 94. *art.* 2. *dubio* 3. *num.* 9. Probant *primò*, quia illa peccata poſt Abſolutionem iam non manent reſeruata; ergo poteſt talis Sacerdos de illis abſoluere audita ipſorum Confeſſione, & pœnitentiam pro illis imponere: ergo & alteram pœnitentiam in hanc commutare; quia iam manet in iuriſdictione æqualis, & dum ita agit, iam non eſt inferior, ſed æqualis, neque exercet imperium in primum Confeſſarium Superiorem, ſed in conſcientiam pœnitentis ſibi plenè ſubiecti circa ea peccata, quæ iam non ſunt reſeruata.

Secundò, in votis reſeruatis, poſtquam Superior cõmutauit votum ſibi reſeruatum in aliam materiam, poteſt inferior, ſeu quilibet habens poteſtatem commutandi alia vota, etiam illam materiam commutare, ſicut poſſet vota non reſeruata: ergo poſtquam Superior abſoluit à peccato reſeruato, poterit inferior pœnitentiam iniunctam commutare, quia pœnitentia non eſt materia reſeruata, ſed eiuſdem rationis cum aliis pœnitentiis.

Tertiò, idem probatur ex Gloſſa *in c. Antecedens*, 50. *diſtinct.* & *in cap. Tempora*, *decimaſexta*, *quæſt.* 97. dicente pœnitentias omnes eſſe arbitrarias; ideóque poſſe Epiſcopum minuere pœnã quam indixit Papa. Idem habet *in cap. Latorem*, 33. *quæſt.* 2. Illúdque extendit ad Clericum inferiorem, vt poſſit minuere pœnitentiam ab Epiſcopo impoſitam.

Cæterùm, non poſſe inferiorem in eo caſu auferre pœnitentiam à Superiore impoſitam, per ſe loquendo, verius iudico cum Suario, *diſp.* 38. *ſect.* 10. *num.* 14. & aliis quos ibi affert, & cum Fagundez citato *n.* 18. ac Cardinali Lugo *diſp.* 25. *ſect.* 6. *num.* 105. 3

Moueor *primò*, quia in caſu peccati reſeruati, tametſi poſtquã quis eſt ab illo legitimè abſolutus, poſſit quilibet ſimplex Confeſſarius ab illo abſoluere, & pro eo pœnitentiã imponere, nequit tamen priorem ſententiã abſoluentis à reſeruato mutare, & efficere quòd ceſſet, quia nequit iudicare de illo, eodem modo, ac ſi non fuiſſet iudicatum, & pro illo pœnitentiã imponere eodem modo ac ſi nõ fuiſſet impoſita, cuius impoſitione ceſſaret prima ſententia; ſed tantùm poteſt imponere pœnitentiã pro illo, tanquã pro eo à quo pœnitens iam fuit abſolutus, & pro quo impoſita fuit conueniens pœnitentia; ſicut Sacerdos nõ approbatus nequit mutare pœnitentiã impoſitã pro mortalibus iam legitimè confeſſis, quamuis ab eis iam cõfeſſis poſſit abſoluere, & pro eis pœnitentiã imponere, vt omnes fatentur. At ſecundus Cõfeſſarius in tantũ poteſt commutare ſententiã priorem primi Confeſſarij, in quantum reducit totã cauſam ad eum ſtatum, ac ſi nunquã iudicata eſſet in eo tribunali atque adeò reuocat ſententiam priorem quoad illam partem, & profert aliam ſententiam perinde ac ſi eſſet prima.

Secundò, inferior Confeſſarius reſpectu peccatorum reſeruatorũ, non habet idem Tribunal cum Superiore, nec in eo ſuccedit Superiori: ergo non poteſt mutare ſententiã prolatam à Iudice Superiori per poteſtatem Superiorẽ. Antecedens patet, quia licèt quoad Abſolutionem ſecundã eorundem peccatorũ reſeruatorum, iam inferior habeat plenã poteſtatẽ, quia iam non ſunt reſeruata; quoad primã tamen ſententiã circa illa prolatã à Superiore, non habet poteſtatẽ, quia quoad primã ſententiã pertinere debent ad Tribunal Superius.

Tertiò, inferior non poteſt mutare Superioris præceptũ per ſe loquendo: at pœnitentia illa à Superiore impoſita includit quoddã præceptũ à Superiore impoſitum, quatenus Superior eſt; ergo. Dixi, *per ſe loquẽdo*, quia intelligenda eſt Concluſio, niſi neceſſitas, vel pia vtilitas aliud poſtulet, quia tunc piè præſumitur hanc eſſe intentionẽ Superioris; modò id fiat ex graui cauſa, quando videlicet non eſt recurſus facilis ad Superiorẽ, qui talem impoſuit pœnitentiã, & difficilè poteſt pœnitens eam implere, aut periculum eſt ne malè impleatur ex humana fragilitate; quia in hoc nullus perturbatur Iuris ordo, ſed prouidetur conſcientiis in eo foro. Quod intelligendum eſt quoque, modò Papa vel Epiſcopus ſibi ſpecialiter eam non reſeruauerint pœnitentiam; nam cùm illam ſpecialiter ſibi non reſeruant, videntur facilè licentiam concedere ad illam immutandam vel minuendam, quando ad illos non eſt facilis recurſus, vel quia ſunt diſtantes, vel quia ſunt valdè impediti.

Notat verò optimè Suarez citatus *num.* 15. eſſe differentiam inter peccata reſeruata, & non reſeruata, nam in non reſeruatis poteſt Cõfeſſarius facere hanc 4

immutationem ex vi ſuæ propriæ iuriſdictionis :in reſeruatis verò ex virtuali commiſſione, & interpretatiua licentia, ac voluntate Superioris prioris Confeſſarij per Epikeiam : Vnde licèt fortaſſe in non reſeruatis requiratur aliqua rationabilis cauſa, vt id fiat ordinatè, & ne detur occaſio pœnitentibus procurandi facilè has immutationes; non oportet autem, vt tanta ſit cauſa, quæ moralem neceſſitatem inducat, aut quæ obliget ad coniecturam faciendam de alterius Confeſſarij voluntate : At verò in caſibus reſeruatis oportet, vt grauiſſima ſit cauſa, & vt tanta neceſſitas interueniat, vt hanc moralem neceſſitatem inducat iudicandi, hanc eſſe voluntatem Superioris.

5 Ad Argumenta contraria. Ad primum negatur ſecunda Conſequentia, quia illa peccata poſt Abſolutionem, tametſi iam non maneant reſeruata, manent tamen ita affecta erga talem Superiorem , & in eius iudicio, vt abſque illius iniuria, ab alio illorum pœnitentia mutari non poſſit : illa enim pœnitentia à Superiore impoſita, nihil eſt aliud, quàm quoddam præceptum à Superiore impoſitum; quod præceptum adhuc manet poſt Abſolutionem datam, & reſeruationẽ ſublatã; & alius Sacerdos reſpectu illius præcepti, eſt inferior: inferior autem non poteſt mutare præceptũ, quod, quatenus Superior, fuit impoſitum. Addo, inferiorem Sacerdotem habere iuriſdictionem in talia peccata ſolùm quaſi per accidens, ex ſuppoſitione prioris Abſolutionis; & ideò non poteſt de illis ita liberè iudicare, ac ſi antea non fuiſſent iudicata, ſicut poteſt facere in peccatis non reſeruatis, nec poteſt per ſe loquendo immutare prius iudicium de illis peccatis factum , ſed tunc ſolùm, quãdo ad hoc intelligitur per epikeiam accipere poteſtatem ab ipſo Superiore. Non intelligitur autem illam accipere ex vi ſolius prioris Abſolutionis, aliter enim eneruaretur ferè omninò fructus reſeruationis, quia ſtatim data Abſolutione, poſſet alius Sacerdos iterùm abſoluere, pœnitentiam minuendo, aut immutando. Ad id declarandum, eſt optimum exemplum illud de peccatis mortalibus ſemel confeſſis; nam licèt ſimplex Sacerdos poſſit de illis abſoluere , ſicut de venialibus , non tamen poteſt pœnitentiam à legitimo Confeſſore pro illis iniunctam immutare.

Ad ſecundum, conceſſo Antecedente, negatur Conſequentia, quia faciliùs poteſt materia voti, quam pœnitentia iniuncta commutari. Ratio eſt , quia quando commutatur votum reſeruatum, v.g. Caſtitatis in ieiunia, Superior non imponit præceptum, nec profert ſententiam, ſed ſolùm præſtat conſenſum vt ſubditus ſoluat vnum pro alio , perinde ac ſi ſola ieiunia vouiſſet; cum autem votum ieiunij non ſit reſeruatum, non mirum, quod inferior poſſit illud iam commutare : At verò in noſtro caſu, obligatio ad pœnitentiam prouenit ex præcepto , & ſententia Superioris, nam Superior, quando pœnitentiam imponit, ſua authoritate, & iuriſdictione imponit ſpecialem obligationem , & præceptum, quod ab inferiori mutari non poteſt , quia ſolùm poteſt reuocari per eundem Superiorem, aut alium ſuccedentem in eodem gradu, & officio.

Ad vltimum , dico illas Gloſſas intelligendas eſſe iuxta limitationes dictas, in quibus ex epikeia , in aliquo caſu neceſſitatis iam diximus, poſſe Confeſſarium inferiorem minuere, aut immutare pœnitentiam à Superiore Confeſſario impoſitam pœnitenti pro reſeruatis, à quibus eum abſoluit : Nam per ſe loquendo id non poſſe fieri notauit Gloſſa in *cap. Latorem.*

* * *

SECTIO X.

An Confeſſarius Superior poſſit mutare , ac diminuere pœnitentiam ab inferiori impoſitam ?

NOn deſunt qui dicant , neque Confeſſarium Superiorem hanc habere poteſtatem. Probant, quia in hoc foro nullus videtur eſſe Superior , ſed omnes Confeſſarij ſunt æquales, quia omnes vtuntur poteſtate à Chriſto accepta, & conferunt vt Miniſtri Chriſti Abſolutionem; atque ideò à quocumque data, eſt definitiua, & vltima, & cõſequenter, à nullo mutari poteſt. Firmant, quia Abſolutio Sacramentalis à peccatis, tametſi ſit ab inferiori Sacerdote, nequit corrigi à Superiore : ergo neque pœnitentia iniuncta ab illo poteſt à Superiore moderari, aut minui. 1

Victoria, Ledeſma, & Nauarrus, relati à Suarez dicunt, etiam extra Confeſſionem poſſe Superiorem auferre pœnitentiam iniunctam ab inferiori.

Dico *primò*, cùm ſermo ſit de poteſtate ordinaria ad adminiſtrandum hoc Sacramentum, ſicut alij ordinarij, & communes Sacerdotes adminiſtrare ſolent, poſſe Superiorem mutare, vel minuere pœnitentiam ab inferiore Confeſſario impoſitam. Ita Suar. *diſ.* 38. *ſect.* 10. *n.* 8. Henriq. *lib.* 5. *de pœnit. c.* 22. *in initio*, & communiter omnes , præſertim illi , qui dicunt , id etiam efficere poſſe æqualem Sacerdotem. Ratio eſt, quia in hoc foro, cùm non agitur de materia reſeruata, nullus Confeſſarius videtur eſſe Superior formaliter, ſed omnes videntur æquales , quia omnes vtuntur poteſtate à Chriſto Domino accepta, & vt Miniſtri eius abſoluunt : Vnde quòd Superior poſſit huiuſmodi mutationem facere, à fortiori liquet ex dictis *ſup. ſect.* 8. de Confeſſario æquali. Quo Argumento etiam probatur vice verſa, inferiorem Sacerdotem , qualis eſt Parochus, vel Religioſus, vel alius ſimilis, poſſe eandem pœnitentiam à Superiore in materia non reſeruata iniunctam immutare, quia ſecluſa materia reſeruata, omnes Confeſſarij, & miniſtri huius Sacramenti, ſiue alioquin ſint Superiores, ſiue non ſint, in hac adminiſtratione ſunt æquales, & omnes Iudices ſupremi ; quia omnes vice Chriſti abſoluunt : Neque in hoc perturbatur ordo iuris, aut non ſeruatur debita reuerentia, & obedientia erga Superiores , quia reuera in hoc foro non ſunt Superiores, vbi non agitur de materia reſeruata. Addo tamen, quamuis Confeſſarius Superior non ſit formaliter Superior in hoc foro, ſed æqualis, adhuc dici poſſe, concedendam illi eſſe prædictam poteſtatem maiori quadam ratione, quia in dicta poteſtate iuriſdictionis videtur quodammodo excedere, quatenùs ad eius munus maximè pertinet, iudicare oues ſuas in hoc Sacramento, & ſalutares pœnitentias illis imponere; atque adeò licèt ab inferiore Confeſſario hoc etiam fiat, non tamen iſte poteſt impedire Superiorem, quin ipſe poſſit potiori ratione prouidere animabus ſubditorum ſuorum , in eodem foro , prout magis ipſe expedire iudicauerit. 2

Dico *ſecundò*, Superiorem Confeſſariũ poſſe pœnitẽtiam impoſitã ab inferiore mutare, audita tamen Confeſſione eorumdem peccatorũ, & non extra Confeſſionẽ. Id conſtat ex dict. *ſupr. ſect.* 8. *à n.* 7. *vſq. ad fin. ſect.* Idque notauit Suar. *d. ſect.* 10. *n.* 8. & optimè probat, quia eadẽ eſt poteſtas ligandi, ac ſoluẽdi in foro Pœnitentiæ : ergo ſicut Superior nõ poteſt ligare, ſeu imponere pœnitentiam Sacramentalem extra Confeſſionem; ita nec poteſt ab illa ſoluere, ſeu illam immutare, 3

quia

quia vterque eſt actus Clauium, & ad huius Sacramenti miniſterium pertinet; & vterque eſt actus ordinis, & iuriſdictionis, & iudicij, qui actus non poteſt exerceri causâ inauditâ, vt latè oſtendi *dict. ſect.* 8.

4 Ad Argumentum propropoſitum *n.* 1. reſpondeo, tametſi in hoc iudicio Sacramentali omnes Confeſſarij ſint legitimi Iudices ſupremi ſub Chriſto; & ſententia à quocumque Confeſſario data ſit abſoluta, & definitiua; quia tamen hoc Sacramentum ex vi ſuę inſtitutionis eſt iterabile in fauorem, & vtilitatem pœnitentis, & non per modum appellationis, ſed per modum noui iudicij, æqualis pręcedenti, ſitque in poteſtate pœnitentis, ſæpius poſſe iudicari ſi velit; ideò poteſt quiuis ex Confeſſariis priorem pœnitentiam mutare in aliam ab ipſo iniunctam, non ſolùm æqualem, ſed etiam minorem. Ad confirmationem dico, non eſſe eandem rationem de Abſolutione à peccatis, & de pœnitentia iniuncta, nam Abſolutio ſtatim habet effectum, ſi Clauis non errat; ſi autem errat, non ſolum à Superiore, ſed à quocumque habente poteſtatem corrigi poteſt: At verò executio pœnitentiæ impoſitæ pendet in futurum; & ideò quamuis Clauis non errauerit, ſed iuſtè ac prudenter fuerit impoſita, & habuerit effectum obligandi, adhuc tamen quoad executionem eſt locus mutationi, quia poteſt cauſa iuſta, ac rationabilis ſubeſſe, & intra Iuſtitiæ, ac Prudentiæ latitudinem poteſt eſſe arbitrium.

SECTIO XI.

An ſi pœnitentia fuerit impoſita, vt præſeruatiua à primo Confeſſario, poſſit commutari, vel minui à ſecundo Confeſſario.

1 QVę hactenus dicta ſunt de pœnitentiæ commutatione, intelligi videntur de pœnitentia vindicatiua, ſeu punitiua peccatorum. Eſt verò peculiaris difficultas de pœnitentia præſeruatiua: Cum enim huiuſmodi pœnitentia imponatur per modum medicinę, vt pœnitens retrahatur, & præſeruetur à peccato; & medicina non proſit, niſi ſuſcipiatur, ſequitur, Confeſſarium non poſſe pœnitentiam pręſeruatiuã cõmutare.

2 Dico *primò*, meo iudicio debere admitti, poſſe Confeſſarium iuſta, & rationabili de cauſa, & in bonũ pœnitentis, pœnitentiam quoque præſeruatiuam commutare in aliam præſeruatiuam, & ſalutarem. Moueor, quia Sacramentũ Pœnitentiæ eſt inſtitutum ad bonũ ſpirituale animarum: ergo cum bono animarum aliquando poſſit expedire, pœnitentiã etiam reſeruatiuam ab alio Confeſſore iniunctam commutare in aliã præſeruatiuam, ſequitur, Confeſſarium poſſe eam pœnitẽtiã cõmutare iuſta, & rationabili de cauſa. Firmo, quia ſi Cõfeſſarius non poſſet dictam pœnitentiam ab alio impoſitam commutare, maximè quia non poſſet ferre iudicium circa peccata aliàs confeſſa, & circa ſtatum peccatoris: at hoc eſt falſum, cum id præſtare non poſſet, niſi audita prius eorundem peccatorum Confeſſione, & cognito bene ſtatu pœnitentis; ergo.

3 Hinc dico *ſecundò*, quotieſcumque pœnitentia pręſeruatiua impoſita à primo Confeſſario, eſt quidem vtilis, ſed non abſolutè neceſſaria ad vitanda peccata futura pœnitentis, poteſt ſecundus Confeſſarius audita priori Confeſſione, validè, & licitè tollere obligationem ad illam pœnitentiam præſeruatiuam, commutando in aliam, ſicut potuiſſet primus in prima Confeſſione. Ratio eſt, quia quamuis teneatur ſæpè Confeſſarius ad imponendas pœnitentias medicinales, & præſeruatiuas, vt conſtat ex Trid. *ſeſſ.* 14. *c.* 8. Et patet, quia cum ſit medicus, debet medicinam conuenientẽ applicare; cùm etiam ſimul ſit Iudex, poteſt & debet illam pœnitentiam medicinalem præcipere, & ad illam implendam obligare. Nihilominùs tamen poſſunt tales occurrere circumſtantiæ, ob quas iudicet prudenter ſecundus Confeſſarius, attenta vel fragilitate pœnitentis, qui pœnitentiam non implebit, vel eius emendatione, vel alia cauſa rationabili, iam non opus eſſe, imò nec conueniens, quòd talis pœnitentia medicinalis ei ex obligatione, & ſub præcepto iniungatur: ergo tunc poterit illam in aliam pœnitentiam pręſeruatiuam, quam pœnitens faciliùs implebit, commutare.

Solùm difficultas eſſe poteſt de pœnitentia pręſeruatiua, quam Confeſſarius primus iudicauit, cognito ſtatu pœnitentis, ita neceſſariam ad eius peccata vitãda, vt pœnitens ipſe ex ſe obligatus eſſet ad illam ſibi adhibendam; qualiter poteſt aliquando teneri ad vtẽdum carnis maceratione, ieiuniis, vel flagellis, qui grauiſſimis carnis tentationibus vexatur cũ periculo proximo conſentiendi; an tunc Confeſſarius ſecundus, auditis eiſdem peccatis, poſſit licitè, & validè pœnitentiam illam auferre. 4

Card. Lug. *diſp.* 25. *ſect.* 6. *n.* 114. ad hanc difficultatẽ duo dicit. *Primum*, non poſſe ſecundum Confeſſarium licitè illam pœnitentiam auferre, cùm ea pœnitentia adeò ſit neceſſaria, vt neque ipſe pœnitens, etiã ablatam à Confeſſario poſſet relinquere; quia cùm ex ſe obligatus eſſet ad illam ſibi adhibendam, ſi eam relinqueret, peccaret grauiter contra hanc obligationem naturalem. *Secundum*; ſi ſecundus Confeſſarius, auditis eiſdem peccatis, pœnitentiam illam auferret, valida eſſet ablatio quoad hoc, vt iam pœnitens non teneretur ex præcepto primi Confeſſarij illam exequi, ſed ſolùm ex præcepto naturali, quo obligatur ad vtendum mediis neceſſariis ad vitandum peccatum mortale; atque adeò tunc pœnitens, omiſsâ illâ pœnitentiâ præſeruatiua peccaret contra hanc obligationem naturalem, non tamen contra præceptũ poſitiuũ Cõfeſſarij. Quod probat, quia ſicut primus Confeſſarius, licèt peccaſſet non admonendo pœnitentem de illa obligatione, validè tamen operaretur, non adiiciendo præceptum poſitiuum circa illam pœnitentiam; ita ſecundus, audita iterùm Confeſſione, poſſet eodem modo relinquere pœnitentem liberum à vinculo illo præcepti poſitiui.

Fateor, ſecundum Confeſſarium, perſeuerante neceſſitate pœnitentiæ præſeruatiuæ à primo Confeſſario iniunctæ, grauiter peccaturũ, ſi illam auferret, & timeret, eâ ablatâ, pœnitentem relicturum remedium illud neceſſarium ſibi ad vitandos lapſus graues. Patet, quia illo præcepto coërcebatur pœnitens, ne faciliùs laberetur in peccata illa grauia. Nego tamen, fore tunc validam ablationem illius pœnitentiæ; quia maneret adhuc in ſuo robore, perſeuerante dicta neceſſitate, & pœnitens per ſe loquendo, peccaret quoque contra illud præceptum poſitiuum primi Confeſſarij, ſi illud non obſeruaret. Ratio eſt, quia ſecundus Confeſſarius temerè, imprudenter, ac ſine vlla cauſa rationabili abſtulit illud præceptum: ergo non ſolùm illicitè, ſed etiam inualidè; patet Conſequentia, quia ſicut ſi illa neceſſitas omninò ceſſaret, ita vt illud pręceptum nullo modo eſſet vtile, nedum neceſſarium, ceſſaret obligatio illius, ita è contra obligare debet, ſi manente eius neceſſitate, ſi irrationabiliter, & abſque vlla cauſa tolleretur. Firmatur, nam Confeſſarius ſecundus non poteſt auferre pœnitentiam impoſitam à primo Cõfeſſario, ſi id faciat temerè, ac pro ſuo imprudenti arbitratu tãtùm, ſed debet id præſtare ex aliqua 5

rationabili cauſa, prudenter iudicans, id expedire ad bonum animæ pœnitentis; neque enim data eſt illi poteſtas ad deſtructionem, ſed ad ædificationem: at confeſſarius ſecundus, auferendo illam præſeruatiuam pœnitentiam, quæ adhuc eſt neceſſaria, non operaretur in ædificationem, ſed in deſtructionem ſalutis ſpiritualis pœnitentis, temerariè, ac imprudenter, nam tollere remedium ſeu medicinam peccati curatiuam, eſt magnum animarum detrimentum: ergo inualidè quoque operaretur: Vnde pœnitens per ſe loquendo, peccaret grauiter, ex vi præcepti primi Confeſſarij, quod adhuc non eſt reuocatum,& verè ligat. Dixi *per ſe loquendo*, quia per accidens ignorantia illum excuſare poſſet. Nec valet Argumentum illud in contrarium adductum,nam primus Confeſſor ideò validè operatur abſoluendo pœnitentem, licèt peccet non admonendo illum de illa obligatione; quia nimirùm id nihil refert ad validam ipſius abſolutionem, dummodò habeat intentionem abſoluendi, & pœnitens ſit ritè ac benè diſpoſitus: at ſecundus Confeſſarius errat in Claui, auferendo temerè, ac irrationabiliter illam pœnitentiam præſeruatiuam; & ideò cum ad id non habeat poteſtatem, non relinquit pœnitentem liberum à vinculo illius præcepti poſitiui.

SECTIO XII.

Vtrum obligatio implendæ Pœnitentiæ à Confeſſario impoſitæ, tolli poſſit ab alio habente poteſtatem concedendi Indulgentias?

1 CErtum eſt, Indulgentias non tollere pœnitentias præſeruatiuas iniunctas in Confeſſione in medicinam, quatenus neceſſariæ ſunt ad peccata in poſterum vitanda. Patet, quia aliàs cederent in perniciem pœnitentis. Tota difficultas eſt de pœnitentiis præciſè iniunctis in punitionem peccatorum, & de pœnis luendis in Purgatorio.

2 Ratio dubitandi eſt, quia ſi per Indulgentiam auſertur omninò obligatio implendi pœnitentiam impoſitam: ergo etiam ſi pœnitens velit illam implere, prout de facto omnes communiter eam implent, illa ſatisfactio nullum habebit effectum ex opere operato; Patet Conſequentia, quia quod non oritur ex obligatione, & præcepto Confeſſarij, non eſt pars huius Sacramenti, nec eleuatur per Claues ad effectum Sacramentalem operandum. Fieret quoque Pœnitentiæ Sacramentum integrum non futurum iis in caſibus in quibus concederetur Indulgentia ab omnibus pœnis iniunctis, ſi vi huiuſmodi Indulgentiæ tolleretur omnis à pœnitente harum pœnarum ſuſtinendarum obligatio.

3 Breuiter dico, communem eſſe Antiquorum, & Recentiorum partem affirmantem, & conſequenter liberari pœnitentem ab obligatione pœnitentiæ iniunctæ adimplendi. Quod ſatis firmatur ex Concilio Lateranenſi primo *capite 61.* referturque in *capite, Cùm ex eo, de pœnitentiis, & remiſſionibus.* Vbi dicit Innocentius Tertius, per indiſcretas, & ſuperfluas Indulgentias eneruari ſatisfactionem pœnitentialem. Quæ verba apertè ſignificant, vi conceſſarum Indulgentiarum tolli ſaltem aliquando obligationem implendæ pœnitentiæ in Sacramento impoſitæ; ſi enim maneret obligatio implendi illas, nihil prorſus eneruaretur ſatisfactio. Hoc ipſum clarè conſtat ex Bonifacio Octauo in extrauaganti, *Antiquorum, de pœnit. & remiſſ.* In qua plenariam Indulgentiam conceſſit viſitantibus illo anno quindecim diebus Baſilicas Petri, & Pauli: quam Indulgentiam adeò vniuerſalem intellexit, vt dixerit,ſe intelligere cum omni vniuerſalitate poſſibili: imò ægrè tulit, quòd Confeſſarij eo anno pœnitentias iniungerent lucrantibus illum Iubilæum, vt refert Gloſſa *ibi*, cuius Auctor dicit ſe id à Pontifice audiuiſſe. Noluit itaque dictus Bonifacius VIII. Confeſſarios imponere aliquam pœnitentiam iis qui Iubilæum Anni ſancti lucrabantur, quia nimirum ſatisfactione aliqua non indigebant. Et ratio eſt manifeſta, quia Confeſſarius imponit pœnitẽtiam, vt pœnam,ad ſatisfaciendum pro peccato: ergo ſublato debito totius pœnæ, prout fit per Indulgentiam, ceſſat omninò fundamentum illius obligationis: ſicut ſi condonaretur à Rege pœna debita pro aliquo crimine, eo ipſo ceſſaret obligatio impoſita per ſententiam Iudicis ad pœnam quamuis pro illo delicto ſubeundam.

Hinc colligo *primò*, tempore Iubilæi, poſſe Confeſsarium leuiores pœnitentias imponere; obligando tamen pœnitentem ad lucrandum Iubilæũ. Ratio eſt, quia ad hoc conceditur illa remiſſio à Pontifice, vt ſubleuetur pœnitens, qui pro tantis peccatis non poterat agere debitam pœnitentiam. Quod redundat quoque in leuamen Confeſsarij, qui frequenter dubitat, quomodo peccatori ingentibus peccatis grauato poſſit congruentem pœnitentiam imponere; præſertim ſi illum inueniat difficilem ad quamlibet grauiorem pœnitentiam. 4

Colligo *ſecundò*, hoc pacto etiam Confeſsarium prouidere pœnitenti, quem inuenit grauatum multis pœnitentiis ex anteactis Confeſſionibus, quas non impleuit. In quo caſu Confeſsarius non poteſt commutare illas pœnitentias, non auditis prioribus peccatis, vt oſtenſum eſt *ſuprà ſectione ſeptima, & octaua*; poterit tamen commutare illas in aliquam Indulgentiam plenariam, quam pœnitens lucretur; hoc enim pacto eum liberabit ab eo onere; nam per Indulgentiam extinguitur totum illud debitum pœnæ, vel ſatisfactionis pœnalis. 5

Colligo *Tertiò*,poſse id præſtare Confeſsarium non ſolùm in Confeſſione, ſed etiam extra Confeſſionem Sacramentalem. Ratio eſt, quia cùm hic modus liberandi reum multis pœnitentiis grauatum commutando illas in aliquam Indulgentiam plenariam, non oriatur ex poteſtate ſecundi Confeſſarij, ſed ex ſubtractione materiæ, quatenus per Indulgentiam extinguitur illud debitum pœnitentiæ, idque fiat per conceſſionem Indulgentiæ; conſequens eſt, vt poſſit hoc etiam extra Confeſſionem facere Confeſſarius. 6

Colligo *Quartò*, probabile eſſe, quod notauit Cardinalis Lugo, *diſput. 27. ſect. 2. numer. 31.* ipſummet pœnitentem multis pœnitentiis grauatum, ſi homo doctus ſit, poſſe facere prædictam commutationem omnium ſuarum pœnitentiarum in aliquam Indulgentiam plenariam quam lucretur, quia verè, ac propriè loquendo ipſe non facit eam commutationem, ſed ſummus Pontifex, qui per conceſſionem Indulgentiæ plenariæ tribuit facultatem extinguendi debitum pœnæ, quod erat fundamentum illius obligationis. Quam doctrinam ait Cardinalis Lugo approbaſse viros doctiſſimos Salmanticenſes ab ipſo conſultos, & illam etiam inueniſſe approbatam apud Patrem Ioannem de Salas, & Patrem Alphonſum Rodriguez in ſuis Manuſcriptis. 7

Colligo *Vltimò*,conſulendũ ſemper eſse pœnitenti, 8
vt totam

Digitized by Google

vt totam pœnitentiam impleat, nec debere pœnitentias omitti Indulgentiarum occaſione. *Primo*, quia ſæpè iniuncta eſt pœnitentia per modum medicinæ, maximè illis qui ſæpè in eadem peccata labuntur; & tunc Indulgentia ab ea præſeruatiua pœnitentia non liberat. *Secundò*, quia ſæpè non eſt certum, an Indulgentias lucrati ſimus; vel ſaltem an eas ita lucrati ſimus, vt ab omnibus pœnis liberemur, quia frequenter homo reus eſt maioris pœnæ, quàm putat; & facilè contingere poteſt, vt poſt Iubilæum etiam reus maneat alicuius pœnæ, quia propter varias cauſas Indulgentiæ effectus poteſt ex aliqua ſaltem parte impediri. *Tertiò* denique, quia tantum conceſſionis Indulgentiarum beneficium exigit, vt erga Deum oſtendamus nos liberales, aliquam Satisfactionem exhibendo, maximè cum illa Satisfactio, & pœnitentia proſit ad meritum; quod pluris faciendum eſt, quàm redemptio pœnæ temporalis.

9 Ad rationem dubitandi reſpondeo cum diſtinctione: nam ſi pœnitentia impletur, antequam pœnitens lucretur Indulgentiam, erit pars Sacramenti, & dabit effectum Satisfactionis ex opere operato, quia adhuc manebat debitum pœnæ, & durabat obligatio ex præcepto Confeſſarij ad ſatisfaciendum, ſi non eſſet aliunde extinctum debitum. Similiter ſi pœnitentia impletur poſt obtentam Indulgentiam, & ipſa Indulgentia non abſtulit totum debitum illud, ſed partem; pœnitentia operabitur effectum ſacramentalem quoad aliam partem quæ remanet, & fiet verè ex præcepto Confeſſarij durante, quamdiu non eſt extinctum totum debitum. Si verò Indulgentia extinxit totum debitum pœnæ, ceſſat obligatio pœnitentis ad illam pœnitentiam, ſeu pœnam, & ceſſat punitio, quia ceſſante obligatione, ceſſat punitio; atque ideò obtentâ Indulgentiâ, nec illa Satisfactio habet effectum ex opere operato, nec eſt Satisfactio ſacramentalis. Neque eſt vllum inconueniens, quòd Pœnitentiæ Sacramentum non ſit futurum integrum iis in caſibus, in quibus concederetur Indulgentia ab omnibus pœnis. Quia non eſt obligatio quolibet in caſu, Sacramentum iſtud perficiendi integrè, ſed tunc ſolùm, cùm nulla legitima cauſa ab hac excuſat obligatione; cauſa autem legitima eſt prædictæ Indulgentiæ conceſſio, cùm ex vna parte per hanc, pœnæ in futura vita luendæ redimantur, ſicut & per iniunctam Sacramentalem Pœnitentiam; & altera ſit communis omnium ſententia, nullam fore obligationem imponendi vllam huiuſmodi pœnitentiam pœnitenti, ob grauiſſima etiam crimina quæ confeſſus eſt, ſi conſtaret, eum, vel vi intenſiſſimæ Contritionis, vel pœnarum voluntariè aſſumptarum ſatisfeciſſe iam pro tota illa pœna, quia Sacramentalis Pœnitentia eo fine imponitur, vt pœna iſta ex opere operato redimatur. Atque de Pœnitentiæ Sacramento hactenus, & de vniuerſo hoc opere Theologico dicta ſint, ad Dei Optimi Maximi, Virginiſque Matris Sanctiſſimæ honorem, & gloriam; ad ædificationem quoque ſanctæ Catholicæ, Apoſtolicæ, & Romanæ Eccleſiæ, cuius iudicio, & cenſuræ omnia mea Opera fidiſſimè, atque amantiſſimè ſubmitto.

FINIS.

INDEX
RERVM NOTABILIVM, QVÆ in his de Pœnitentia Diſputationibus continentur.

Prior numerus ſedem materiæ; poſterior paginam indicat.

A

Abſens.

IN nullo caſu valida eſt abſolutio abſenti data, ex decreto Clementis VIII. n.2.& 3.pag.198
Neque ante decretum Clementis potuit validè conferri abſenti abſolutio. n.5.p.199.

Abſolutio.

Duo illa verba, *Abſoluo te*, ſunt de eſſentia formæ Sacramenti Pœnitentiæ. n.1.p.187
Pronomen *Ego*, explicitè pronunciatum non eſt de eſſentia formæ abſolutionis. n.4.& 5.ib.
Verba illa, *à peccatis*, explicitè prolata ſunt de eſſentia formæ abſolutionis. n.7.p.188
Illa particula, *tuis*, non eſt de eſſentia. n.8.ibid.
Sufficit dicere, *abſoluo à peccatis tuis*, tametſi non dicat, *te*, n.8.ibid.
Particula, *omnibus*, neque eſt eſſentialis, neque neceſſaria. n.9.ibid.
Non requiritur eſſentialiter inuocatio Trinitatis n.13. p.189
Verba illa antecedentia abſolutionem; *Miſereatur tui*, &c.& illa alia: *Dominus noſter Ieſus-Chriſtus te abſoluat*: non cadunt ſub præceptum. n.1.p.189
Omiſſio pronominis, *Ego*, non eſt mortalis, ſed venialis. n.2.ibid.
Illa alia particula, *à peccatis tuis*, non eſt omittenda ſub veniali. n.3.ibid
Inuocatio Trinitatis non cadit ſub præceptum. num.4. ibid.
Alia deprecatio ſubſequens formam abſolutionis non eſt neceſſaria, nec obligans ſub culpa, ſaltem graui. n.5.ibid.
In abſolutione Sacramentali poſt dictam deprecationem, conceſſio indulgentiarum laudabilis eſt. num. 6.ibid.
Quando abſolutionis formæ adduntur illa alia verba: *à peccatis tuis*, & pronomen *Ego*, & illa, *in nomine patris, & Filij, & Spiritus ſancti*, non concurrunt ad valorem Sacramenti, neque ad effectum illius. n.2.3.4.& 5.p.190
Quem ſenſum habeant verba formæ abſolutionis; & quomodo verificetur peccatis iam per contritionem ablatis: latè explicatur per totam ſectionem quintam. p.199
Abſolutio non valet modo deprecatiuo, ſed proferri debet modo indicatiuo. n.1.p.193
Poteſt proferri modo imperatiuo. n. 2.3.& 4. p.193. & 194
Illa verba abſolutionis, *Abſoluo te*, etiam materialia, ſunt de neceſſitate præcepti. n.6.p.194
An ſit abſolutionis forma ſufficiens: *Nos abſoluimus vos*: Explicatur. n.7.p.194
Abſolutio poteſt impendi ſupra Confeſſionem multis antè diebus factam. n.5.p.195
Abſolutionem non inualidat conditio de præſenti, vel de præterito. n.1.p.194
Adiectio conditionis futuræ inualidat abſolutionem. n.2.& ſeqq.p.194
Si duo Sacerdotes ſimul perficiant prolationem verborum, & abſolutè concurrant, & pœnitens ſit diſpoſitus; valida eſt abſolutio vtriuſque, tametſi illicita. n.1.2.& 4.p.196, & 197.
Si duo Sacerdotes ſimul abſoluant, ſignificantes illis verbis voluntatem abſoluendi ſolum partialiter cum alia; inualida eſt abſolutio. num. 3. & 6. p. 196. & 197
Abſolutio à reſeruatis: infra Littera R. verbo, *Reſeruatio*.

Actus.

Actus eliciti virtutis Pœnitentiæ. Vide *virtutis pœnitentiæ actus*.
Actus externi Pœnitentiæ, Vide, verbo *Sacramenti Pœnitentiæ actus*, & Verbo, *Voluntatis imperium*.

Amor.

Duplex eſt amor, appretiatiuus, & intenſiuus; & quis vterque ſit. n.1.& 2.p.61
In amore perfectio appretiatiua eſt ſubſtantialis; intenſiua eſt accidentalis. n.3.p.61

Amor ſeu dilectio Dei.

Amor, ſeu dilectio Dei ſupernaturalis eſt per ſe neceſſaria ad complendam vltimam gratiæ diſpoſitionem

tionem. n.1.& 5. p.73.& 74
Sola Dei dilectio per accidens poteſt vltimò diſponere ad gratiam. n.3.p.74
Amor Dei,qui eſt diſpoſitio ad gratiam, non poteſt procedere ab habitu charitatis. n.12.p.78
Amor Dei ſupernaturalis poteſt remittere peccata venialia abſque actu contritionis. n.6.p.104
Amor, ſiue dilectio Dei opponitur cum quocumque peccato mortali, ſed non cum omni veniali. n.7. & 8.p.104.

Angelus.

Angeli ex ſe non ſunt immutabiles in ſuis determinationibus. n.1.p.43
Angeli fuerunt ſanctificati in eo inſtanti in quo ſe diſpoſuerunt. n.4.p.64
In Angelis in via fuit virtus Pœnitentiæ. num. 3. & 4.p.44.

Anima.

Anima influit immediatè in actus vitales naturales. n.6.p.99.
Cur anima immediatè influat in actus naturales abſque vllo habitu. n.7.p.99

Apoſtaſia.

Apoſtaſia eſt circumſtantia explicanda in Confeſſione. ſect.11.p.349

Attritio.

Vera attritio eſt actus ſupernaturalis quoad ſubſtantiam. n.3.& ſeqq.p.147
Quid ſit Attritio,explicatur. n.1 p.148
Attritio ſpecie multiplex eſt. n.2.p.148
Poteſt dari attritio mixta,contenta immediatè ſub duplici genere diſparato. n.4. p.149
Attritionis motiua ad duo capita reducuntur. num.1 p.149.
Motiuum gehennæ, explicatur ibid. n.2.
Non eſt motiuum attritionis infamia more humano, nec qualibet pœna à iudice humano inferenda. n.4.p.150.
Attritio ex motiuo gehennæ eſt honeſta, ac ſupernaturalis. ibid.n.5.& 6.
Motiuum turpitudinis peccati in attritione explicatur. n.7. & ſeqq. ibid.
Propoſitum non peccandi in futurum neceſſarium eſt in qualibet attritione. n.3.4. & 5.p.151
Attritio peccati propter pœnam æternam non eſt deteſtatio peccati ſupra talem pœnam. n.10.p.152
Singulæ attritiones ſpectant ad ſingulas virtutes.n.4. & 5.p.153.
Attritionis actus procedentes ex timore gehennæ pertinent ad virtutem ſpei. ibid.n.5
Deteſtatio peccati commiſſi propter turpitudinem in genere,pertinet ad eam virtutem quæ reſpicit honeſtatem in genere. n.8.p.154
Attritio ſemper eſt ſufficiens diſpoſitio ſimul cum Sacramento ad conſequendam gratiam.ſect.6. per totam.p.155.
In articulo mortis ſufficit attritio cognita. ſect.7. per tot.p.156.
In quo differat Attritio à Contritione,explicatur ibid. ſect.8.p.157.
Attritio in homine peccatore neque eſt forma expellens veniale peccatum, neque eſt meritoria, nec æqualis ſatisfactionis, neque vltima diſpoſitio extra Sacramentum. n.1.2.& 3. p.104
Attritio in homine iuſto habet ſufficientem condignitatem ad remiſſionem peccati venialis extra Sacramentum. n.4.& 7.p.105.& 106
Per Attritionem in homine iuſto remittuntur quælibet peccata venialia ad quæ ipſa ſe extendit. n.3. p.105.

Auxilium.

Auxilium gratiæ ſufficiens ad agendam Pœnitentiam, vel contritionem eliciendam, non denegat Deus in hac vita peccatoribus obſtinatis.diſp.9. ſect.2.ferè per tot.p.83.
Auxilium gratiæ ſufficiens non datur peccatori quouis momento, ſed opportuno tempore. num. 5. p.84.

B

Baptiſmus.

Baptiſmi Sacramentum diſtinctum eſt à Sacramento Pœnitentiæ. ſect. 3. p.163
Baptiſmus fuit inſtitutus ad remittenda peccata ante ipſum commiſſa. ſect.5.p 165
Baptiſmus vtrùm per ſe,& ex vi ſuæ inſtitutionis remittat peccatum formalis fictionis: latè tractatur ſect.6.p.166.
Peccata quæ remittuntur in inſtanti vltimo quo quis Baptizatur, præter peccatum fictionis,non ſpectat ad Sacramentum Pœnitentiæ,ſed Baptiſmi. n.3.4 & ſeqq p.169.
Baptiſmus cur iterari non poſſit. ibid.
Cur ſuſceptio Baptiſmi ſit neceſſaria neceſſitate medij in re,vel in voto,& non ſit neceſſaria reſtitutio niſi neceſſitate præcepti? explicatur n.9,10. & 11. p.245.

Beata Virgo.

In Beata Virgine fuit virtus Pœnitentiæ, ſed non ſub appellatione rigoroſa Pœnitentiæ. n.8.p.42
Præceptum diuinum Confeſſionis non obligauit beatam Virginem. n.1.p.249

Beatus.

In Beatis concedenda eſt ſpecialis virtus Pœnitentiæ; p.43.

Blaſphemia.

Blaſphemiæ hæreticales debent in Confeſſione explicari, vt peccata ſpecie diuerſa ab aliis blaſphemiis non hæreticalibus. n.3.p.346
Blaſphemiæ contra ſolum Deum ſunt ſpecie diuerſæ ab illis quæ proferuntur contra Sanctos: & qualitas ipſorum eſt in Confeſſione explicanda. num.4. p.346.
Blaſphemia in Sanctum poteſt habere duplicem malitiam in Confeſſione neceſſariò declarandam. n.5.p.346.
Blaſphemia contra Virginem eſt ſpecie diuerſa à blaſphemiis contra alios Sanctos; & eſt ſpeciatim in Confeſſione aperienda. n.10. p.347
Blaſphemia in Sanctos,communiter ſunt omnes eiuſdem ſpeciei. n.11.p.348

Bonum honeſtum.

Bonum honeſtum vt ſic,poteſt eſſe obiectum formale ſpecificans actum. n.1.p.16
Boni honeſti amor vt ſic, eſt ſpecialis virtutis. n.3. & 4. ibid.
Boni honeſti amor quando eſt ſupernaturalis non elicitur à virtute Pœnitentiæ, ſed à ſpeciali virtute ſupernaturali. n.5.& 7.p.16. & 17.
Datur actus naturalis tendens in bonum honeſtum vt ſic. n.9.p.16.

C

Calamitas.

Calamitatibus quibuſcumque ſatisfieri poteſt Deo pro peccatis. ſect.5.p 567

An ſine patientiæ actu proſint aliquando ad ſatiſpaſſionem. ibid.

Cardinales.

Cardinales habent vt Ordinarium ſuum ſummum Pontificem ſolum. ſect.4.p.430

Cardinales, etiamſi Epiſcopi non ſint, poſſunt eligere ſibi Confeſſarium. ibid.

Cardinales omnes poſſunt dare facultatem ſuæ familiæ eligendi Confeſſarium. ibid.

Caſus reſeruati.

Caſus reſeruati, vide infra, littera, R. verbo *reſeruatio.*

Cenſuræ.

Nequeunt Prælati regulares propria authoritate ſine conſenſu Capituli prohibere aliquod peccatum graue ſub cenſura excommunicationis maioris ſibi reſeruata. ſect.3.p.475

Charitas.

Charitatis formale obiectum differt ab obiecto formali Pœnitentiæ. ſect.5.p.19

An actus charitatis ſolus ſit ſufficiens diſpoſitio ad iuſtificationem extra Sacramentum. ſect.5.p.73

Charitatis actus nequit eſſe ſimul cum peccato mortali. ſect.6.p.79

Charitas Dei, quæ eſt diſpoſitio ad gratiā ſanctificantem non poteſt procedere effectiuè ab habitu charitatis. ſect.5.p.76

Chriſtus.

In Chriſto Domino fuit virtus Pœnitentiæ, ſed non ſub appellatione rigoroſa Pœnitentiæ. ſection.2. p.34. & 35.

In Chriſto potuerunt eſſe ab habitu Pœnitentiæ aliqui actus qui in nobis fiunt. ibid.

Chriſtus multis quibus peccata remiſit, non iniunxit pœnitentiam, & aliis iniunxit. n.7.p.92

Chriſtus ſatisfecit ſufficienter pro omnibus peccatis, & pœnis. n.9.p.93

Quando Chriſtus Dominus Sacramentum Pœnitentiæ inſtituerit? per ſect.4.p.164

Chriſtus non habuit proprium actum pœnitentiæ. ſect.2.p.34.

Circumſtantiæ peccatorum in genere.

Circumſtantię mutantes ſpeciem ſunt neceſſariò confitendæ. ſect.1.p.300

Vtrùm autem repetenda ſit Confeſſio peccati integri, quando ex obliuione fuit omiſſa circumſtantia ſpecie diuerſa; vel ſufficiat confiteri ſolam circumſtantiam omiſſam: examinatur. ſect. 2. p.301

Circumſtantiæ aggrauantes intra eandem ſpeciem per ſe non ſunt neceſſariò confitendæ. num.2.4.& 9. p. 303.

Sunt verò per accidens neceſſariò confitendæ. ibid.n. 5.p.305.

Circumſtantiæ minuentes quæ ſpeciem mutant adeò vt de veniali faciant mortale, neceſſariò ſunt aperiendæ. n.1. p.307

Circumſtantiæ quæ non ita notabiliter minuunt, non ſunt neceſſariò confitendæ. ibid.n.2

Non inueniuntur circumſtantiæ, quæ mortale peccatum minuant notabiliter intra eandem materiam moralem. n.4 p.308

Nullæ circumſtantiæ minuentes intra eandem ſpeciem ſunt neceſſariò in Confeſſione declarandæ. ibid.n.5.

Circumſtantiæ peccatorum ſeptem. ſect.1.p.308

Circumſtantia prima, Quis, id eſt, qualis perſona, quando peccatum commiſit.

Circa hanc circumſtantiam de pluribus dubitatur, quæ debent explicari in particulari.diſ.28.in procemio, & ſect.1.n.1.p.308.

Circumſtantia Voti.

Religioſus peccans contra caſtitatem, tenetur explicare circumſtantiam Voti. n. 1. ibid.

Si Religioſus habens votum caſtitatis iureiurando ſe adſtringat quoque ad illam, & peccet contra illam, tenetur explicare vtramque circumſtantiam. ibid. num. 1.

Religioſus tametſi millies repetat votum caſtitatis, non tenetur in Confeſſione mentionem facere voti repetiti. ibid.n.2

Religioſus qui fornicatus eſt, non tenetur explicare ſtatum religioſum. n.56.& 7.p.309

Sacerdos profeſſus fornicans ſatisfacit Confeſſioni, ſi dicat ſe votum caſtitatis emiſiſſe. n.2.p.310

Si fornicans ſit Sacerdos, & profeſſus, ſatisfacit ſolum dicens ſe eſſe Sacerdotem, tacita profeſſione; vel eſſe profeſſum, tacito Sacerdotio. ibid.n.3

Sacerdos non profeſſus, ſed ſimplici voto caſtitatis ligatus fornicans non tenetur Sacerdotij circumſtantiam fateri, nec ſe eſſe ſacri ordinis, ſed ſatisfacere ſi dicat ſe voto caſtitatis ligatum eſſe. ibid.n.4

Circumſtantia Virginitatis.

In viro peccante contra caſtitatem, non reſt neceſſariò explicanda circumſtantia Virginitatis. n.2.p.313

Circumſtantia Virginitatis in fœmina fornicante nō addit malitiam ſpecie diuerſam contra virtutem caſtitatis, in Confeſſione neceſſariò explicandam.n.4 p.314.

Circumſtantia Virginitatis in fœmina liberè conſentiente, non addit malitiam ſpecificam contra iuſtitiam. ibid.n.5. & 6

In Virginis conſentientis defloratione nulla eſt iniuſtitia ex parte damni prolis, vel ex parte parentū, in Confeſſione neceſſariò explicanda. ibid.n.7.& 8 p.315.

Nec circumſtantia Virginitatis eſt neceſſariò fatenda quando virgo rapta eſt, & præ timore conceſſit. ibid.n.9. p.ead.

Circumſtantia Obedientiæ.

Tranſgredi obedientiam ex contemptu Dei legiſlatoris, eſt graue peccatum in Confeſſione explicandum. n.4.p.359.

Tranſgredi obedientiam, vel legem etiam minimam ex contemptu formali Superioris quatenùs eſt Prælatus, eſt circumſtantia peccati mortalis. ibid. n.5 6.& 7.

Tranſgredi obedientiam, vel legem humanam ex contemptu Superioris, vel Legiſlatoris humani quatenus homo eſt, poteſt eſſe venialis circumſtantia ex leuitate materiæ. ibid.n.4

In tranſgreſſione obedientiæ Religioſi voto conſecratæ poſſunt interuenire quatuor malitiæ ſpecie diuerſæ in Confeſſione explicandæ. n.5.& 6.p.312

In dicta tranſgreſſione communiter non datur malitia inobedientiæ formalis. ibid n.7

Si Prælatus præcipiens exprimat intentionem obligandi triplici titulo, interuenient tres circumſtantiæ ſpecie diuerſæ in Confeſſione aperiendæ. ibid. num.8.

In ordinario gubernandi modo non committitur in tranſgreſſione voti obedientiæ niſi vnicum mortale peccatum contra votum. ibid n.9

Circumſtantia inceſtus, & affinitatis.

In inceſtu primi gradus, circumſtantia inceſtus explicanda eſt, vt ſi fuit cum matre, vel cum filia, vel cum ſorore. n.2. p.316

Diuerſa eſt ſpecie deformitas, peccaſſe filiam cum patre, vel neptem cum auo, in Confeſſione explicandam. ibid. n.4

Non eſt circumſtantia ſpecie diuerſa copula cum auo,

Digitized by Google

auo,& cum proauo. ibid.n.6
In peccato cum ſorore,non eſt circumſtantia explicanda,quòd ſit ſoror ex vtroque parente. n.7.p.317
Qui peccauit cum propria filia, & cum nepte ſua, filiæ eiuſdem filia debet id diſtinctè explicare in Confeſſione. ibid.n.8
Inter conſanguineos explicanda eſt. ibid.n.10
Circumſtantiæ ſunt ſpecie diuerſæ conſanguinitas, & affinitas. n.4.& 5.p.318
Copula cum matre,& copula cum nouerca,copula cum filia,& cum priuigna ſeu filiaſtra,ſunt peccata inceſtus ſpecie diuerſa in confeſſione aperiendæ.ibidem num.7
Peccare cum tua nouerca,viuente patre tuo, & peccare cum ipſa mortuo iam patre tuo, eſt circumſtantia ſpecie diuerſa in Confeſſione explicanda.num. 8.p.319
Affinitas ex matrimonio, & affinitas ex copula illicita in gradu æquali prohibita non refundunt circũſtantiam,& malitiam ſpecie diuerſam in Confeſſione explicandam. n.9.ib.
In affinitate in primo gradu in recto non ſunt actus inceſtus ſpecie diuerſi. n.11.ib.
Inter affines lineæ tranſuerſæ etiam in primo gradu non ſunt inceſtus ſpecie diuerſi ratione affinitatis. ibid.n.12.
Copula illicita inter cognatos legales quandiu impedimentum durat,addit malitiam ſpecificam inceſtus neceſſariò in Confeſſione aperiendam. num. 5. & 6.p.320.
Circumſtantia ſponſalium non eſt neceſſariò in Confeſſione aperienda. ſect.8.per totam p.321

Circumſtantia cognationis ſpiritualis.

Cognatio ſpiritualis circumſtantia eſt ſpecie diuerſa.n. 4.5.6.& 7.p.321.& 322.
Peccatum Confeſſarij cum filia confeſſionis non eſt inceſtus,ſed ſpeciale ſacrilegium.n.6.7.& 8.p.324. & 325
Ex Baptiſmo, & Confirmatione oritur propriè cognatio ſpiritualis,non ex Sacramento Pœnitentiæ. ibid.n.9
Non ſolum copula, ſed tactus etiam impudici, & pollutiones Confeſſarij cum filia pollutionis afferunt ſpecialem malitiam ſacrilegij iure naturæ,& Eccleſiaſtico. n.12.p.326
An & quando copula fornicaria inter affectos aliquo impedimento habeat ſpecialem malitiam in Confeſſione explicandam, explicatur ſect.integra 11.p. 326.& ſeqq.
Fornicatio Epiſcopi ſolùm electi, nec vllo ſacro ordine initiati, non eſt circumſtantia excedens ſpecie malitiam fornicationis, ſecluſo ſcandalo. num.2. p.328
Neque Epiſcopus conſecratus ſi fornicetur tenetur Epiſcopatus circumſtantiam fateri. ibid.n.3.
Nec tenetur Epiſcopus in omni peccato circumſtantiam Epiſcopatus fateri. n.5.p.329
Non tenetur Gubernator,aut publicus Magiſtratus, ſi fornicetur,aut furetur,circumſtantiam officij ſui explicare. ib.n.6

Secunda Circumſtantia,Quid, prout ſe tenet ex parte obiecti.

Vnum odium contra proximum diſtinctum ſpecie eſſe poteſt ab alio proximi odio. n.6.p.330
Ratione diuerſi mali,quod proximo deſideratur poteſt eſſe circumſtantia ſpecie diuerſa. ibid. num. 2. 7. 8.& 10.
Circunſtantia perſonæ coniunctæ contra quam peccatur,vt odium contra parentes,auum,proauum reſpectu nepotis,& patris contra filios,eſt ſpecie diuerſa. n.11.p.331
Contumelia prout eſt contra iuſtitiam humanam eſt ſpecie multiplex, & aperienda in Confeſſione. n.4.5.& 8.p.332.& 333
Circunſtantia detractionis variatur ſpecie pro diuerſitate materiæ. ibid.n.6.p.333
Idem dic de circunſtantia iudicij temerarij. ibidem num.7.
Non eſt mortale laudare ſe,non de opere malo, ſed de ipſa dexteritate. n.7.p.333
Circunſtantia iactantiæ de peccato mortali eſt confitenda ſimul cum peccato mortali in ſpecie de quo fuit iactantia. n.5.6.& 7.p.334.& 335
Iactantia de circumſtantiis peccati mortalis, vt ſi fuit de peccato luxuriæ cum coniugata,vel Moniali, fatenda eſt. n.9.p.335
Circumſtantia delectationis moroſę de fœmina poteſt eſſe quin apprehendatur coniugata,vel Monialis,& tunc non eſt confitenda circunſtantia coniugij, vel religioſæ. n.3.p.336
Si delectatio ſit de copula cum fœmina quatenus coniugata eſt,vel voto caſtitatis ligata,hæc circumſtantia fatenda eſt. ibid.n.4
Si delectatio non feratur in obiectum turpe ſecundum totam ſuam malitiam,ſed ſecundum partem,ea ſola malitia fatenda eſt. ibid.n.5.& 6
Delectatio de copula Sodomitica, aut de peccatis contra naturam,ſemper eſt confitenda cum circunſtantia ſpecifica ipſius obiecti. n.7.p.337
Moraliter,& vt in plurimum delectatio de copula habita cum coniugata, vel cum conſanguinea, non eſt de illa quatenus talis eſt. ibidem numero 9
Delectatio coniugis cum alia muliere pręter propriam vxorem,contrahit ſpecialem malitiam contra iuſtitiam neceſſariò confitendam. ibid.n.10.& 11
Fornicans tenetur circunſtantiam copulæ explicare; & cur? n.2.p.338
Tactus impudici qui præcedunt copulam, & conantur ad ipſam non ſunt neceſſario explicandi in Confeſſione præter copulam. n.5.p.339
Tactus impudici, qui ſubſequuntur copulam, debent explicari, nec ſufficit fateri copulam. ibidem num.7
Actus exterior fornicationis habet certum terminum, & delectari poſtea de fornicatione conſummata eſt nouum peccatum. n.8.& 9.p.340
Tactus impudici præcedentes, tametſi non ordinentur ad copulam,ſunt neceſſariò explicandi,vt peccatum diſtinctum à fornicatione. ibid.n 11
Qui directè inducit alium ad peccãdum, incurrit malitiam ſcandali contra charitatem proximi, eſtque circunſtantia in Confeſſione explicanda. n.4.p.341 & n.3.& 4.p.359
Qui induxit ad actum peccati,directè intendendo peccatum proximi, debet explicare ſpeciem peccati ad quem proximus fuit inductus. numero 5. p.341
Qui inducit indirectè alium ad peccandum, incurrit ſpecialem malitiam ſcandali. ibidem numerò 6. & 7.
Quando indirectè inducitur proximus, præuiſo, ſed non volito directè eius periculo, ſatisfit in confeſſione explicando malitiam ſcandali; ſed non eſt obligatio explicandi ſpeciem peccati ad quod proximus induci potuit. n.9.& 10.p.342
Quando indirectè præbetur ſcandalum, non oportet explicare numerum perſonarum,vel ſtatum,vel cõditionem

ditionem earum quæ aderant. n.1.p.343

Si quis directè intendat inducere adſtantes,v.g.ad peccatum contra caſtitatem,vel contra aliam virtutem, tenetur explicare numerum ipſorum non determinatum,ſed indeterminatè,& confusè. n.2.4.5.& 6. p.343.& 344

Debet tamen explicare conditionem ac ſtatum ipſorum. n.7.p.344

Quando mulier non eſt parata, & mouetur viri petitione ad fornicandum, tenetur vim fateri petitionis. ſect.integra ſecunda.p.358.n.6.p.359

Circunſtantia conſulentis inducentis alium ad graue peccatum eſt explicanda in Confeſſione, & ſimul peccatum, & materia grauis. num. 1. & 2. p.344

Grauiùs peccat qui alteri conſulit peccatum luxuriæ, quam ſi ipſemet committeret illud. ibid.n.4

Si religioſus conſulat Franciſcæ, vt conſentiat Petro fornicationem petenti, tenetur circunſtantiam ſui voti exprimere in Confeſſione.ibidem num.5.& 6. p.345

Circunſtatia Apoſtaſiæ, an ſit explicanda in Confeſſione;tractatur n.5.6.& 7.p.350

Qui peccatum hæreſis commiſit nullam ſectam amplectẽs,neque blaſphemiã,ſatisfacit dicens in genere lapſus ſum in hæreſim. n.3.4.& 5.p.348

Qui incidit in hæreſim,amplectens in particulari aliquam ſectam,debet etiam eam exprimere. num.6. p.349

Hæreſis externa ſi contineat blaſphemiam; debet explicari in Confeſſione non ſolum hæreſi, ſed etiam blaſphemia. ibid.n.7

Circunſtantia effectus peccati vt ſic per ſe loquendo nõ eſt explicanda inConfeſſione,ſed ſolũ peccatum: oportet tamen vt effectus exprimantur ad hoc vt optimè explicetur quidquid peccati in cauſa præceſſit. n 6.& 7.p.351.& ſeq.

Tertia Vbi,*vel loci ſacri circumſtantia.*

Furari rem ſacram de loco ſacro ſacrilegium eſt: & vtraque circunſtantia rei, & loci aperienda eſt in Confeſſione. n.1.p.353

Furtum de re non ſacra in loco ſacro eſt ſacrilegium in Confeſſione exprimendum. ibidem num. 5. 6. 7. 8.& 9

Quid intelligatur nomine loci ſacri in ordine ad furtum?explicatur. n.10.p.354

Furtum de re ſacra in loco non ſacro, etiam eſt ſacrilegium. ibid n.12

Iniurioſa,& magna effuſio ſanguinis in Eccleſia violat illam;& eſt circunſtantia grauis ſacrilega in Confeſſione aperienda. n.2.& 3.p.354.& 355

Non violatur Eccleſia per actum coniugalem. ibidem n.5.p.355

Copula illicita,vel pollutio voluntaria in loco ſacro, non polluit Eccleſiam;hæc tamen polluitur,quando notoria eſt,& publica. n.1.& 2.p.356

Nullum eſt peccatum extrahere reum per vim fugientem ad Eccleſiam abſque vllo iure. n.2 p.356

Si iudex vim non inferat,ſed blanditiis roget reum fugientem ad Eccleſiam,non peccat. ibid n.3

Iudex extrahens reum ab Eccleſia per vim, committit Sacrilegium, & hæc circumſtantia loci ſacri eſt confitenda. ibid.n.4

In eo caſu facit iudex contra iuſtitiam commutatiuam, & omnes illius actus ſunt violenti,ac nulli. num.6. p. 357

Tenetur iudex ad reſtituendum reo omnia nocumenta. ibid n.7

*Circunſtantia quarta.*Quibus auxiliis.

Inſtrumenta quibus peccatum committitur non ſunt regulariter neceſſariò confitenda niſi in tribus caſibus. n.1.& 2.p.357

Quo pacto ſe debeat habere Confeſſarius circa maledicum pœnitentem. ibid. n.3.4.5.& 6.

Auxilium Dæmonis ad maleficium,eſt in Confeſſione aperiendum. ſect.integr.4.p.361

Circunſtantia quinta,Cur,*ſeu finis.*

Explicari debet in Confeſſione circunſtantia *Cur*, ſeu finis,habens malitiam grauem,tametſi medium nullam habeat. ſect.1 n.1.p.362

Si quis peccet ex confidentia veniæ, non tenetur hanc circunſtantiam confiteri. ib.n.2.3.& 4

Quomodo intentio finis,& electio medij quando vtrũque eſt malum debeat in Confesſione explicari: tractatur. ſect.3.p 363.& ſeq.

Qui in die feſto omittit Sacrum propter ſtudium,tenetur explicare ſolùm omiſſionem Sacri. ſect.4.num. 8.p.366

Multo minus explicandum eſt ſtudium in Confesſione,quando illud ſumitur ex ſuppoſitione, quod non audiatur Sacrum, ne homo ſit otioſus. ibidem num.9

*Circunſtatia ſexta.*Quomodo.

Qui præ grauiſsimo odio non ſolum committit homicidium,ſed mortuum in fruſta concidit, iecur extrahit,& alia crudelia exercet, debet hanc circunſtantiam feritatis etiam confiteri. ſect.1.n.1 p.366

Circunſtantia raptus debet in Confeſſione explicari. ibid n.4.5.6.& 7.p.367

Circumſtantia rapinæ eſt quoque in Confeſſione aperienda. ib n.9.10.11. 2.& 13

Circunſtantia conſuetudinis ſæpe eſt grauis obligatio illam confitendi. n.6.9.12.15.& 16.p.368

Confeſſor habet ius ad interrogandum pœnitentem de conſuetudine peccandi. n.18.p. 370

Pœnitens interrogatus debet dicere conſuetudinem preteritam. n.20 p.371

Poteſt eſſe rationabile onus differendi abſolutionem. ibid.n.23

Pœnitens interrogatus à Confeſſario de occaſione proxima,tametſi ineuitabili,an teneatur eam declarare. ibid.n.24

Circumſtantia modi peccandi grauiter ex ignorantia vincibili,vel ſcientia,non eſt explicanda in aliis materiis præterquam Fidei. n.9.& 10 p.375

Per accidens eſt explicanda aliquando in ordine ad cenſuras. ibid.

Peccata commiſſa ſcienter,& ignoranter ſunt eiuſdem ſpeciei. ibid.

Circa circunſtantiam *Quomodo*,de aliis peccandi modis,an debeant in Confeſſione explicari, tractatur. ſect.3.p.373

Circunſtãntia ſeptima,Quando,*ſeu tempus in quo peccatur.*

Circunſtatiam diei feſti non tenetur quis in Confeſſione exprimere. n.3.4.5.p.377

Nec tenetur explicare diẽ Veneris,vel Iouis hebdomadæ ſanctæ;vel etiam diem quo accepta eſt Euchariſtia. ib.n.7.& 11.p.378.& 379

Contraheret nouam malitiam in Confeſſione explicandam qui in die Veneris hebdomadæ ſanctæ vellet ludos publicos,comœdias, & ludicra ſpectacula populo exhibere. n.10.p.379.

Diuerſitas præceptorum ex eodem motiuo non variat ſpeciem violationis,nec eſt neceſſariò in Confeſſione explicanda. n.2.3.& 4.p.379.& 380

Duratio peccati mortalis,etiamſi ſit notabilis, non eſt circunſtantia neceſſario confitenda. ſectione 3. p.381

Circumſtantia complicis,ſeu ſocij criminis.

Nequit

Nequit pœnitens in Confeſſione reuelare peccatum complicis ſine iuſta cauſa. n.4 & 6.p.382
Si ſubſit legitima cauſa, poteſt pœnitens in Confeſſione reuelare graue crimen complicis. ibidem num.5.
Poteſt licitè pœnitens ob ſolam, & præciſam integritatem ſuæ Confeſſionis explicare circumſtantiam complicis. n.3.& 4.p.383
Non ſolum pœnitens licitè poteſt, ſed etiam tenetur ad ſolam integritatem ſuæ Confeſſionis explicare circunſtantiam complicis. ſect. 3. n. 2. 3.4.& 5. p.385
Quod dictum eſt de manifeſtatione complicis, procedit quoque in Confeſſione peccati venialis, ſi dubitetur eſſe mortale, ſed non in Confeſſione purè, & clarè venialis. ſect.4.num. 2.3. & 4.p.ead. & 386.
Non procedit quoque in Confeſſione peccati mortalis iam aliàs ritè,& plenè confeſſi. n.5.p.386
Pœnitens non ſolum in extrema neceſſitate, ſed etiam quoties vrget præceptum Confeſſionis, vel ſuſcipiendi Euchariſtiam, debet integrè confiteri cum reuelatione complicis. ſectione 5. num. 2. p.386.
Etiamſi Confeſſio non ſit in præcepto, non eſt obligandus pœnitens vt multo tempore differat Confeſſionem, ne reueletur omplex. ibid.n.3
Si vno vel altero die differendi Confeſſionem, ſperaretur alius Confeſſarius, cui ſine noticia complicis poſſit fieri Confeſſio integra, obligatur pœnitens ad ſpectandum illum ex charitate, & ex iuſtitia. ibid. num.4.
Non tenetur pœnitens differre Confeſſionem, vel quærere ignotum Confeſſorem, ſi ideo deberet priuari Iubilæo, vel indulgentia quæ iam inſtat.n.5. p.387
Nequit pœnitens manifeſtare Confeſſario perſonam, quæ non eſt complex, ſed obiectum peccati. n.3.4. & 5.p.388
Pœnitenti licet dare notitiam Confeſſario complicis ad bonum ſpirituale ipſius. num. 2. 3. 4. 5. & 6. p.389
Poteſt Confeſſarius ex licentia pœnitentis vti notitia complicis ad bonum ſpirituale ipſius. num. 7. p.390.
Poteſt in aliquo caſu etſi ratò obligari pœnitens ad manifeſtandum Confeſſario nomen complicis, & ſi renuat, negare abſolutionem. ſect. 8. per totam. p.390

Compenſatio.

Vide infra, verbo *Obiectum.*

Confeſſarius.

Ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ non requiritur in Confeſſario ſtatus gratiæ. ſect.1.n.1.& ſequentibus p.519.
Vt licitè Confeſſarius miniſtret Sacramentum pœnitentiæ, requiritur ſtatus gratiæ: & ſi ſit in peccato mortali, debet præmitti contritio, ſed non neceſſariò ipſa Confeſſio. ſectione 2.num.1.& 2.ibid. & p.520
Debet Confeſſarius eſſe in gratia, non ſolum quando abſoluit, ſed etiam dum audit peccata. numero 5. p.520
Non debet neceſſariò eſſe in gratia dũ imponit pœnitentiam Sacramentalem. ibid.n 6
Quæ ſcientia,& doctrina requiratur, vt Confeſſarius licitè Sacramentum pœnitentiæ miniſtret; tractatur ſect.3.& 4.p.521
In duobus caſibus tenetur pœnitens iterare Confeſſionem ob imperitiam Confeſſarij. n.9.p.522
Quando teneatur Confeſſarius audire Confeſsiones, ſi ex obligatione miniſtret, vel ſolum ex voluntate ſua. ſect.1.integ.p.523
Qualiter debeat Confeſſarius interrogare pœnitentem in ipſo actu Confeſsionis, explicatur ſectione 2. p.524
Ac illum corrigere,& docere. ſect.3.p.525
Quoties, dum ignorantia pœnitentis eſt vincibilis, debeat Confeſſarius eam auferre, vel admonere. n.2. ibid.
Si ſit ignorantia inuincibilis, caute debet Confeſſarius procedere. ibid.n.3
Si Confeſſario conſtet pœnitentem eſſe ritè confeſſum & diſpoſitum, tenetur ſub graui peccato illum abſoluere. n.4 p.527
Confeſſarius tam proprius quàm delegatus tenetur pœnitentem abſoluere poſtquam Confeſsionem audiuit. ibid.n.5
Vterque Confeſsarius debet ſe conformare cum opinione probabili pœnitentis ſub graui culpa. ibid. num.6.
Confeſsarius antequam abſoluat, prudenter debet ac probabiliter iudicare pœnitentem eſse diſpoſitum.n. 1. & 2.p.528
Confeſsarius debet iudicare probabiliter de pœnitente duo, nempe debitum dolorem,& integram accuſationem. ibid.n.3.4.& 5
Quomodo debeat Confeſsarius ſupplere defectus à ſe commiſsos circa ſubſtantiam,& valorem Sacramẽti pœnitentiæ. ſect.6.integ p.529
Quando Confeſsarius omiſsiuè errauit,& culpabiliter, non admonendo pœnitentem, vel non præcipiendo reſtitutionem debitam, non peccauit contra iuſtitiam,& ideo non tenetur ad vllam reſtitutionem.n. 5.p.532
Tenetur tamen poſtea monere pœnitentem ex Charitate. ibid.n.6
Si Confeſsarius abſque ſcandalo,& ſine vllo nocumẽto poteſt monere pœnitentem de omiſsione interrogationis neceſsaria ad integritatem confeſsionis, tenetur illum monere. n.4.p.533
Graui ſcandalo, vel damno interueniente, non tenetur Confeſsarius, etiamſi illum defectum commiſerit ex malitia. n.5.& 6.p.534
Quacumque ratione Confeſsarius indebitè miniſtret Sacramentum Pœnitentiæ, non ncurrit vllam pœnam Eccleſiaſticam iure communi. numero 2. p.534
Qui fingeret ſeriò ſe ſacerdotem eſse, vt fictè miniſtraret, incurrit pœnam irregularitatis.n.3.4.& 5. ibid.& 535
In hac irregularitate poteſt Epiſcopus diſpenſare poſt Tridentinum, ſi delictum ſit occultum. ibidem n.6. p.535

Confeſſarij approbatio.

Nulla requiritur approbatio Epiſcopi vt quis audiat Confeſsiones Regularium. n.1.p.506
Duo ſunt modi quibus Confeſsarius reputatur idoneus ad audiendas confeſsiones, nempe vel Parochiali beneficio, vel approbatione Epiſcopi.n.2. 3.& 4 p.507
Per approbationem Epiſcopi præciſè non confertur vllum ius, ſed perſona iudicatur idonea. ibidem, num.5.
Habens beneficium Parochiale idoneus eſt, vt in tota Diœceſi,& etiam extra Diœceſim, ac vbique eligatur, per Bullam. ſect.2.p.508
Approbatio Epiſcopi petenda eſt neceſsariò ab actuali Epiſcopo Confeſsarij.ſect.3.num.præſertim 7.p. 509.& ſeq.

Digitized by Google

Index Rerum Notabilium.

Approbatio Epiſcopi Confeſſarij ſolum durat, quandiu manet ſub illo: vnde ſi mutat domicilium, requirit nouam Ordinarij approbationem. n.8.p.510

Approbatus à ſuo Epiſcopo non abſolutè, ſed ſolum ſecundum quid pro certo loco, vel ad tempus certum, vel pro certis perſonis, talis approbatio non ſufficit vt poſſit cenſeri approbatus pro omnibus locis, vel perſonis. n.1.p.511

Approbatio ab vno Epiſcopo non ſufficit pro tota Eccleſia. ibid.n.3

Semper, & vbique eſt neceſſaria approbatio Epiſcopi Confeſſario. n.4.& 5.p.512

Poteſt Epiſcopus ex iuſta cauſa negare approbationem. n.1.p.513

Non poſſunt Epiſcopi perſonas idoneas ſine cauſa, & ex mala voluntate repellere. ibid.n.2

Approbatio Epiſcopi eſt requiſita eſſentialiter ad valorem Sacramenti, nec ſufficit petita, tametſi iniuſtè negetur. ibid.n.4

Poteſt Epiſcopus iuſte approbare regulares, cum limitatione ad tempus, ad perſonas, &c. numero 2. p.514

Non poteſt pro libito apponere prædictas limitationes. ibid.n.3.& 4

Approbatio cum limitatione ex iuſta cauſa, & debito modo facta, non ſufficit vltra terminos conceſſionis n.2.3 & 4.p.515

Approbatus cum limitatione, non poteſt vbique, per Bullam. ibid.n.5.& 6.p.516

Religioſus ab Epiſcopo approbatus poteſt eligi per Bullam, quamuis à ſuo ſuperiore prohibeatur tale miniſterium exercere. n.2.3.4.& 5.p.516

Approbatio Parochi non poteſt ab eo auferri, niſi priuetur Officio Parochi, vel ſuſpendatur ab illo. num. 3.p.517

Approbatio data Sacerdoti ſeculari ad beneplacitum, poteſt ex cauſa iuſta reuocari. ibid.n.4

Dic idem de data Regulari ad beneplacitum. num.7. p.518

Approbatio abſolutè data non poteſt ſine iuſta cauſa licitè reuocari, Sacerdoti ſæculari, imò nec validè. n.5.p.517

Mendicantibus, ex priuilegio non poteſt reuocari approbatio præuio examine data ab eodem Epiſcopo. n.9 p.518

Succeſſor Epiſcopi habet ius ad examen vocandi omnes approbatos. ibid.n.10

Non oportet approbationem dari in ſcriptis. ſect.10.n. 1.& 2.p.518

Approbatio gratis debet dari: ſi tamen quis accepto pretio approbetur, non ideo eſt non validè appobatus. ibid.n.3

Si approbatio obtineretur in Curia à Vicario ſummi Pontificis accepto pretio, eſſet inualida. Ibidem num.4.

Confeſſio.

Eſt vera Confeſſio Sacramentalis ex inſtitutione Chriſti. ſect.1.n.1.p.284

Quid ſit Confeſſio Sacramentalis explicatur ibidem num.2.

Conditiones, & qualitates Confeſſionis Sacramentalis, declarantur. ſect.2.p.285

Ad Sacramenti Pœnitentiæ eſſentiam nihil refert, an Confeſſio fiat ſecretè, an publicè. n.3 p.286

Ab exordio naſcentis Eccleſiæ fuit in vſu auricularis Confeſſio. ibid.n.4

Poteſt aliquando Confeſſio fieri publicè, validè, & licitè. ibid.n.5

Nemo tenetur ex vi præcepti Confeſſionis confiteri publicè. ibid.n.6

Nulla eſſe poteſt lex Eccleſiaſtica quæ abſolutè obliget fideles ad publicam Confeſſionem mortalium, præſertim occultorum. n.7.p.287

In nullo caſu poteſt quis obligari ad ſolam ſecretam Confeſſionem. ibid.n.10

Per ſe, & ex genere ſuo eſt peccatum graue ſine neceſſitate, aut ſine cauſa rationabili, confiteri alio modo, quam per Confeſſionem auricularem. num.12 p.288

Confeſſio fieri poteſt per interpretem. numero 1. p.288

Nunquam ex vi præcepti Eccleſiaſtici Confeſſionis obligatur pœnitens ad confitendum per interpretem. n.5.p.289.

Nullus tenetur ad Confeſſionem per interpretē faciendam iure diuino extra mortis articulum. n.6.p.290

Si quis in mortis articulo prudenter timeret de Contritione ſuorum peccatorum, teneretur ex præcepto propriæ charitatis confiteri per interpretem. ibid.n. 8.11.& 12.& p.291

Confeſſio Sacramentalis inſtituta eſt à Chriſto Domino tanquam neceſſaria ad remiſſionem peccatorum. n.2.p.246

Confeſsionis neceſsitas non eſt in re, ſed vel in re, vel in voto. ibid.n.3

Confeſsio Sacramentalis in re vel in voto, ſub diſiunctione, eſt neceſſaria neceſsitate medij. n. 4. & 6. p.247

Quid ſit per Confeſsionem Sacramentalem in voto iuſtificari peccatores: latè explicatur. ſect.3. integra p.147

Votum Confeſsionis in Contritione incluſum non debet eſse explicitum, ſufficit implicitum. n.2.3.& 4. p.248

Confeſsio mortalium obligat iure diuino. ſect.1.n.2. p.249

Confeſsio non eſt de iure naturæ, nec de iure diuino veteris legis. ib.n.3.& 4

Non fuit Confeſsio ab Innocentio III. inuenta, ſeu primò præcepta. ibid.n.5

Infantes ante vſum rationis non ſunt capaces Sacramentalis Confeſsionis. ſ.2.n.2.p.249

Confeſsio obligat omnes fideles adultos poſt Baptiſmum lapſos in peccata mortalia, ibid.n. 3.& 4.& p.250

Obligat quoque illos qui habent dubiam conſcientiā peccati mortalis. ibid.n.5.p.250

Non obligat eos qui habent ſola venialia. n.3.p.267

Infideles, non baptizati non ligantur præcepto diuino Confeſsionis. n.7.& 8.p.268

Hæretici, & Apoſtatæ à fide, ligantur. ibid.n.9

Præceptum diuinum Confeſsionis non obligat ſtatim ac commiſsum eſt peccatum mortale. numero 2. p.251.

Confeſsio obligat pro articulo, & periculo mortis. ibid. num.3

Confeſſionis preceptum.

Præceptum diuinum Confeſsionis, vt diuinum eſt, obligat extra articulum mortis, ſed non aliquo determinato tempore. n.7.& 8.p.252

Chriſtus dedit poteſtatem Eccleſiæ, vt determinet tempus. ibid.n.9

Eccleſia fecit hanc determinationem Confeſsionis prudenter, vt ſit tempus determinatum annuæ Confeſsionis. ibid.n.10

Si Eccleſia non determinaſset tempus annuæ Confeſſionis, adhuc præceptum diuinum obligaret aliquoties in vita. ibid.n.11

Qui ita careret Confeſſario, vt nunquā poſtea illū haberet, teneretur ad nunc confitendum. ib.n.13.p.253

Obligat

Obligat præceptum diuinum Confeſſionis quando ſumenda eſt Euchariſtia, non obligat propter alia Sacramenta. n.3.& 4.p.253.

Qui ſumeret Euchariſtiam non præmiſſa confeſſione vnum peccatum committeret. ibid.n.4.

Præceptum diuinum confeſſionis obligat quando confeſſio iudicatur neceſſaria ad vitandam tentationem in particulari. n.6.p.254.

Non obligat dictum præceptum etiamſi credatur peccata in communi vitanda per frequentem confeſſionem. ibid.n.7.8.& 9.

Hoc diuinum præceptum impletur per confeſſionem validam, & formatam. n.2.p.255.

Non impletur per confeſſionẽ quouis modo nullã. ibid.

Impletur per confeſſionem informem. ibid.n.3.& 4.

In hoc præcepto diuino poteſt Deus diſpenſare; ſed non eſt admittenda talis diſpenſatio, niſi Eccleſiæ conſtet de illa. n.1.p.256.

Vtrùm verò prædicta confeſſio ſi non fuiſſet iure diuino præcepta, ſed eſſet remiſſa libero fidelium arbitrio, potuiſſet Eccleſia eius vſum præcipere: tractatur. ſect.7.p.257. & pars negans defenditur.

Præceptum Eccleſiaſticum annuæ confeſſionis potuit Eccleſia præcipere, & de facto præcepit. num. 1. p.259.& ſect.2.n.3.p.260.

Præceptum confeſſionis per ſe obligat, & non tantum per accidens ratione Euchariſtiæ. ibid.n.4.

Hoc præceptum non eſt purè diuinum,ſed modificatio diuini præcepti. ibid.n.5.& 6.p.261.

Præcepto annuæ confeſsionis æquè directè præcipitur confeſsio peccatorum merè internorum, atque externorum. ibid.n.8.

Hoc præceptum prout modificans,& determinans ius diuinũ,eſt merè humanũ,ac Eccleſiaſticum.ib.n.10.

Præceptum hoc Eccleſiaſticum annuæ confeſsionis quas perſonas obliget;late explicatur.ſect.6.p.267.

Ad Sacramenti valorem ſufficit confiteri per ſcripturam quando aliter non poteſt pœnitens ſe explicare. n.1.3.& 4.p.291.& 292.

Non eſt de eſſentia confeſsionis vt voce fiat, ſed ſufficit in neceſsitate vt per nutus, & ſigna fiat ſenſibilia. n.3.& 4.& ſect.ſeq.n.1.p.292.

Non eſt ſpeciale præceptum diuinum vt fiat confeſſio verbis propriis, nec præceptum humanum ſcriptum. ſect.6.n.2.& 3.p.293.

Nulla exiſtente cauſa abſque vllis verbis confiteri eſt peccatum mortale; erit tamen veniale ex leuitate materiæ. ibid.n.5.& 6.

Ceſſat obligatio confitendi per verba, ſi adſit rationabilis cauſa. ibid.n.7.

Confeſsio per literas, vel per internuntium, facta Sacerdoti abſenti,iam eſt damnata à Clemente VIII. ſect.7. n.2.3.& 4.p.294.

Nequit Eccleſia confeſſionem venialium præcipere determinando tempus in quo debeat obligare. n.4. p.265.

Quo pacto non excedat poteſtatem Eccleſiæ præcipere purè humano, & Eccleſiaſtico præcepto exercitium confeſſionis;explicatur ibid.n.5.6.& 7.

Excedit poteſtatem Eccleſiæ directè præcipere ſub graui culpa confeſſionem aliquorum determinatè venialium. ibid.n.9.p.266.

Nec tale præceptum imponi poteſt religioſæ Communitati, etiam ſub leui culpa ibid.n.10.

Præceptum annuæ Confeſſionis computatur à prima die Ianuarij vſque ad vltimã Decẽbris. n.4.p.271.

Conſuetudo adimplendi præceptum à Quadrageſima ad Quadrageſimã fuit introducta ratione præcepti Euchariſtiæ obligantis tempore Paſchatis. ibid. num.5. & 6.

Præceptum annuæ confeſſionis per ſe, & ratione ſui obligat ſub mortali etiam eos qui non communicant. n.1.p.272.

Præceptum confeſſionis adimpletur quouis anni die. num.8.p.273.

Quantum eſt præcisè ex præcepto confeſsionis poteſt quis fere per duos annos integros licitè abſtinere à confeſsione ſine violatione huius præcepti. ibid.n.9.

Qui confitetur mortalia quorum nunc recordatur, & poſt confeſsionem recordaretur vnius, non tenetur illud hoc eodem anno confiteri, niſi occurrat periculum mortis, aut neceſsitas confitendi. ibid.n.10.

Idem dic de eo qui in ea confeſsione propter iuſtam cauſam ſcienter omiſit aliquod graue peccatum. ibid.n.10.

Qui hoc anno confeſſus eſt venialia, & mortale dubium, poſtea incidit in aliquod mortale certum, non tenetur ad hoc confitendum ante finem anni. ibid.n.11.

Si quis habens mortale, cuius non recordatur, ſola venialia confiteatur, tenetur cum illius recordatur, confiteri eodem anno. n.12.p.274.

Confeſsionis annuæ præcepti obligatio manet tranſacto anno,& fieri debet anno tranſacto. n.5.p.275.

Ille qui hoc anno non fuit confeſſus, tenetur ſequenti anno ſtatim data commoditate confiteri. ibid. num.6.

Qui elapſo toto anno abſque confeſsione,poſtea confitetur inchoato iam anno ſequenti, & fatetur mortale anni præſentis, non tenetur iterum confiteri eodem anno. n.3.p.277.

Si ad finem anni præſentis,vel medio anno iam elapſo fieret mortalium præcedentis anni & præſentis anni etiam confeſsio vnica, ea ſufficeret pro anno etiam præſenti. ibid.n.4.

Qui omiſit anno præterito confiteri, & initio huius anni præſentis confitetur, tametſi nullum habeat mortale peccatum in hoc anno commiſſum, ſatisfacit præcepto, nec tenetur in hoc anno præſenti amplius confiteri. ibid.n.5.

Qui initio anni eſt in peccato mortali, & præuidet, quod ſi tunc non confitetur, non habebit amplius occaſionem in toto anno confitendi, tenetur ex vi præcepti confeſsionis tunc confiteri ſi habeat opportunitatem. n.3.& 4.p.278.

Si quis poſtquã hoc anno impleuit præceptũ cõfeſsionis, incidat in peccatum mortale, & videat ſe non habiturum occaſionem confeſsionis anno ſequenti, nõ tenetur ex vi præcepti annuæ cõfeſsionis anticipare,& confiteri ante annũ illũ.n.6.& 7.p.279.

Spectata inſtitutione Sacramenti non poteſt Eccleſiã præcipere vt ſecundò confiteamur ea peccata à quibus ſumus ſemel directè abſoluti. ſect. 12. num.3.p.279.

Eccleſia bene poteſt imponere præceptum de iteranda in aliquo caſu valida confeſsione alicui Statui religioſo. Quia tamen id poſſet habere aliquid periculi, non debet ſtatui ſub graui culpa. ibid. n. 5. pag.280.

Non ſatisfit præcepto annuæ confeſsionis per confeſſionem ſolium venialium, nec per confeſsionem cui deeſt integritas confeſsionis formalis, ſed per confeſsionem cum ſuſceptione Sacramenti, & fructu illius; & etiam per Sacramentum validum, & informe. ſect.13. n.1.2.3.& 4.p.280.

Non ſatisfit præcepto Eccleſiæ quacumque confeſsione, non ſecuta abſolutione; eſt enim abſolutio intrinſeca pars Sacramenti. ibid.n.6.& 7.& p.281.

Impotentia phyſica confitendi,& etiam impoſsibilitas

Digitized by Google

moralis excuſat omnino ab impletione præcepti. ſ. 14.n.2.& 3.p.281

Etiamſi cauſa ſit ſufficiens ad excuſandum ſe à Confeſſione vnius, vel alterius peccati, non ideo tamen quis excuſatur ab obſeruatione præcepti annuæ Cõfeſſionis. ibid.n.4.& 5.p.282

Quid in articulo, vel periculo mortis. ib.n.6

Pœnæ iuris communis contra transgreſſorem præcepti annuæ Confeſſionis non incurruntur ipſo facto; ſed cognita omiſſione in iudicio, ob ſolam omiſſionem Confeſſionis poſſunt à iudice infligi. ſ.15.n.1.& 2. p.282

Si iniungatur ab Epiſcopo pœna excommunicationis ipſo facto, ea incurritur. ibid.n.3

Si ſit pœna pecuniaria, nemo tenetur illã ſoluere, niſi exigatur à iudice competente. n.4.p.283

Excommunicatio quæ de facto imponitur, verè incurritur ab his qui non faciunt Confeſſionẽ validã ex defectu doloris, vel integritatis Confeſſionis. ib.n.6.7

Confeſſionis integritas ex parte peccatorum, quæ in Confeſſione dici debent.

Ad integritatem Confeſsionis debet præcedere prudens, ac diligens examen. ſ.1.n.2.p.294

Non poteſt dari certa regula pro dicto examine. num. 3.p.295.

Non requiritur diligentia extraordinaria, qualis eſſet ſcribere peccata poſtquam commiſſa ſunt ne obliuioni tradantur. ibid.n.4.7

Sufficit examen mediocriter diligens. ibidem num.5. & 6.

Sufficiens diligentia poteſt ſuppleri à Confeſſario. ib. n.8.& 9.

Obligatio examinis diligentiæ mediocris poteſt ceſſare in aliquibus caſibus. ibid.

Ad integritatem Confeſsionis neceſſaria eſt Confeſsio omnium mortalium ex inſtitutione Chriſti. ſ.2.n.3. 4.& 5.p.296

Non eſt neceſſarium per ſe loquendo confiteri omnes ſpecies peccatorum phyſicè diſtinctas. ſ.3.n.2.ibid.

Ad integritatem Confeſsionis explicari debent neceſſario diſtinctè ſpecies peccatorum. num. 3.5.& 6. p.297

Ad integritatem Confeſsionis aperiendi ſunt actus externi mali prout coniuncti ſunt cum actu interno malo, n.2.p.298

Actus externi qui non pendẽt immediatè à libero exercitio voluntatis non ſunt neceſſario in Confeſsione aperiendi. ibid.n.3.4.& 5.

Meræ imperfectiones non ſunt explicandæ in Confeſſione niſi ad maiorem inſtructionem. ſ.5.n.3. & 4. p.299

Confeſſarij iure optimo non impediunt pœnitentes vt explicent in Confeſsione meras imperfectiones. ibid. num.5.

Si quis neget in Confeſsione ſe feciſſe aliquod veniale peccatum quod verè fecit, venialiter peccat. ſ.6.n. 2.p.299

Si quis neget ſe feciſſe aliquod mortale quod non tenetur hic, & nunc confiteri, non peccat contra integritatem Confeſsionis. ibid.n.3

Confitens veniale quod non fecit, ſi confiteatur ſimul alia peccata quæ fecit, ſolum venialiter peccat. ibid. n.4.& 5.p.300

Qui ſciens negat ſe feciſſe aliquod mortale, quod tenetur confiteri, peccat mortaliter contra integritatem. ibid.n.6

Qui confitetur vnum mortale quod ſcit non feciſſe, peccat mortaliter contra integritatem. ibidem num.7

Eſt etiam peccatum graue contra integritatem mentiri circa peccatum graue iam antea confeſſum, addendo aliquam circumſtantiam grauem. ibidem, num.8

Omnes circunſtantiæ peccatorum mutantes ſpeciem, etiam internæ, & quæ ex veniali faciunt mortale, ſũt exprimendæ in Confeſsione ad eius integritatem. n.2.3.4.6.p.301

Circunſtantia furti magni cur fatenda ſit ad Confeſsionis integritatem. ibid.n.5

Vtrum autem repetenda ſit Confeſsio peccati integri, quando ex obliuione fuit omiſsa circũſtantia ſpecie diuerſa; vel ſufficiat confiteri ſola circunſtantia omiſſa tractatur ſ.2.integr.p.301.& ſeqq.

Omnia, & ſingula peccata mortalia ſecundũ numerum intra eandem ſpeciem ſunt in Confeſſione aperienda, ſi id commodè fieri poſſit. n.1.& 3.p.391

Velle occidere plures homines, eſt multiplex numero peccatum in Confeſſione declarandum. n.13.& 15. p.306

Cur in furto ſingulæ partes pecuniæ furtiuæ non multiplicent malitias numero in peccato furti, explicatur. ib.n.13.& n.8.p.394

Non eſt neceſſarium quodlibet mortale peccatũ ſeorſim in indiuiduo confiteri, ſed ſufficit omnia illa ſimul in aliquo numero confiteri. n.4.p.391

Quandiu voluntas durat in vno actu, vnum tantum numero peccatum conſtituitur. n.2.p.392

Peccata interna in eadem perſona, & circa idem obiectum, nequeunt multiplicari, niſi per interruptionem vnius actus, & ſucceſſiuam effectionem alterius. ibid.n.3.& 4

Poteſt eſſe inter internas voluntates malas ſæpius repetitas aliquis ordo ac dependentia. ibid.n.5

Interruptiones actuum internorum ſunt explicandæ in Confeſſione, quando ſunt notabiles; non vero quando ſunt ita breues, vt vix notari poſsint. ib.n.7.8.10. 11.& 12

Quomodo prauæ voluntates habentes inter ſe connexionem, ſint exprimendæ? Explicatur. ibid.n.13

Peccata externa quando omninò interrumpuntur, tunc verò multiplicantur, & vt ſic in Confeſsione explicanda. ſ.3.n.1.p.393

Non eſt neceſſaria continuatio phyſica, ſed ſufficit moralis diuerſarum actionum ad vnitatem vnius peccati. ibid.n.2

Quando facta morali diligentia recurrit certus numerus peccatorum, iſte eſt explicandus: & ſi non occurrat niſi alius qui plus, minuſve creditur parum à certo diſtare, is ſufficiet. ſ.4.n.2.& 3.ib.

Quando neuter ex dictis modis poteſt affirmari numerus certus, declaranda eſt conſuetudo peccãdi, & tẽpus, & modus frequentiæ per dies, hebdomadas, aut menſes. ibid.n.3

De meretricibus quomodo accedere debeant ſi reſipiſcãt ad confitendũ; & de aliis ſimilibus qui longo tẽpore vixerunt in peccato mortali, nec poſſunt numerum reducere ad aliquam multitudinem etiã cõfuſam. Quid etiam dicendum de eo qui annum integrũ omiſit recitare officium diuinum. Quid de ruſtico qui groſſo modo confitetur. Quid de Confeſſario qui ſucceſsiuè audit plures confeſsiones in mortali. Hæc omnia tractantur ſect. 4. à num. 4. vſque ad n.decimum. p.394

Confeſſionis integritas in caſu neceſſitatis moribundi.

Confeſſarius tenetur abſoluere moribundum audito vno tantùm mortali peccato. n.1.p.402

Quod intellige quoque tametſi numerum non explicet. ibid.n.2

Moribundus ſi habeat materiam neceſſariam quam nunquam

Digitized by Google

nunquam eſt confeſſus, tenetur potiùs illam confiteri, quam non neceſſariam. ibid.n.3.& 4

In his euentibus moribundus certã, & determinatam materiam confiteatur, ſi poſſit. n.5.p.403

Si moribundus dicat in genere, ſe mortaliter peccaſſe, nec aliud poſſet dicere, poteſt abſolui. ibid.ſ.2.n.3

Si moribũdus dicat peccatum mortale in genere ſubalterno, vt ſe fornicatum eſſe, poteſt etiam abſolui. ib.n.4

Si moribundus dicat ſe peccaſſe, exprimendo dubium quod habet, poteſt etiam abſolui. ibid.n.5

In prædictis caſibus non ſolùm poteſt, ſed etiam tenetur illum abſoluere. ib.n.6.& 7

Debet etiam Confeſſarius abſoluere moribundum, quãdo ſolum dicit vnum peccatum in genere, etiãſi ſolum ſit veniale, nullo determinato veniali explicato. n.3.4.5.p.404

Moribundus ſolum dans ſigna in ordine ad Confeſſionem poteſt, & debet abſolui. numero 1. pagin. 405.

Si moribundus præbeat doloris ſigna ipſi Confeſſario præſenti, manifeſtè ſunt ſigna ſufficientia in ordine ad Claues. ibid n.5

Sunt quoque ſigna in ordine ad claues, quando exhibentur coram Confeſſario, quem moribundus ſcit adeſſe. ibid.n.6

Quando ſigna doloris exhibentur coram ſacerdote, tametſi moribundus neſciat ibi adeſſe, præſumuntur fieri in ordine ad Claues. ibid.n.7

In eo caſu tenetur Sacerdos abſoluere illum. num.8. p.406

Si contingat dubium eſſe an illa ſigna exhibeantur in ordine ad Claues, an potiùs oriantur ex anguſtia, & mœrore mortis; adhuc in eo dubio eſt Abſolutio dãda ſub conditione. ib.n.9.& 10

In Decreto Clementis VIII. non ſolùm damnatur Abſolutio abſente pœnitente, ſed etiam Confeſſio abſente Confeſſario. n.4. 6. 7. & 8. pag. 407

Poteſt conferri Abſolutio moribundo, ſi ante aduentum Sacerdotis oſtenderit ſigna, & petierit confiteri & id præſentes teſtentur Confeſſario. numero 5. p.408

Ab iſto prædicto caſu moribundi valdè diſtinctus eſt caſus ille damnatus à Clem.VIII.ibid.n.6.& ſeqq. vſque ad fin.ſect.

Vnius teſtis teſtimonium teſtantis moribundum ſigna pœnitentiæ dediſſe ſufficit. numero 2. & 3. pag. 410.

Non ſunt idonea teſtimonia ad Confeſſionem per interpretem, quæ non ex viſu moribundi, ſed ex aliorũ narratione proferuntur. ibid.n.5

Qui audiuit moribundum petentem Confeſſionem, & in itinere inuenit Sacerdotem, & hoc ei manifeſtat, & ipſe diſcedit ad alium locum; ex vi huius notitiæ non poteſt Sacerdos abſoluere moribundum quem poſteà inuenit à ſenſibus deſtitutum, ſ.8.p.411

Sacerdos poteſt, & tenetur abſoluere moribundum ſenſibus deſtitutum, quando circumſtantes coram illo fatentur petiiſſe Confeſſionem, vel ſigna Contritionis adhibuiſſe. ibidem ſectione 9. numero 3. & 4.

Poteſt Sacerdos in hoc caſu abſoluere abſolutè. num.5 p.411.

Si dubitat de ſignis, detur ſub conditione. ib.

Nequit moribundus abſolui qui nec Confeſſionem petiit, nec dedit ſignum aliquod pœnitentiæ. ibid.ſ. 10.integra.

Perca de Sacramento Pœnitentiæ.

Quæ cauſæ excuſent ab integritate materiali Confeſſionis.

Non tenetur pœnitens ad confitendum mortale aliquod cum morali periculo alicuius grauis nocumenti proprij. n.4.5.6.7.8 9.p.396

Dantur caſus in quibus pœnitens tacere poteſt aliqua mortalia propter detrimentum proximi.n.1.2.3.4.5 & 6.p.397

Confeſſio non integra, ſed dimidiata poteſt fieri in articulo, vel periculo mortis, cùm vrget neceſſitas ſeruandi præceptum annuæ Confeſſionis n.2.3.p.398

Si inſtante præcepto quis ſolum haberet venialia, poſſet, ſed non teneretur illa confiteri. ibid.n.4

Si vrgeret neceſſitas ſuſcipiendi Euchariſtiam, vel faciendi Sacrum, deberet præmittere Confeſſionem dimidiatam. n.5.p.399

Si longo tempore differenda eſſet Confeſſio, etiam non vrgente præcepto, poſſet etiam illam dimidiare. ibid.n.6

Qui propter damnum notabile omittit peccatum mortale; ſufficit vt habeat de illo attritionem. ibidem ſ. 4.n.2.

Non tenetur pœnitens illud fateri, niſi cùm iterùm accedat tempus in quo obliget præceptum annuæ Confeſſionis. ibid.n.4

Tenetur pœnitens confiteri illud peccatum omiſſum eodem anno, ceſſante cauſa illud reticendi. num.5. p.400

Obliuio, ſeu ignorantia inuincibilis ſufficit ad valorem Confeſſionis, tametſi materialiter deſit peccatum mortale confiteri. n.2.p.400

Si fuerit obliuio, vel ignorãtia culpabilis mortaliter, facit inualidum Sacramentum. ibid.n.4.& 5

Integritas formalis ita eſt obligatoria in Confeſſione, vt in nullo euentu poſſit eſſe valida Confeſſio abſque illa. n.2.p.401

Omnis integritas ſufficiens ad valorem Sacramenti, quantum eſt ex parte integritatis, ſufficit quoque ad effectum illius. ibid.n.4.& 5

Confeſſio quando ex neceſſitate reiteranda, et repetenda.

Reiteranda eſt ex defectu integritatis Confeſſionis, propter culpam, & malitiam pœnitentis.n.2.p.413

Confeſſio reiteranda eſt ex defectu formæ. num. 3. p.414.

Repetenda eſt, quando Confeſſarius non habet iuriſdictionem neceſſariam. ibid.n.4

Confeſſio facta excommunicato ob defectum iuriſdictionis, repetenda eſt. ibid.n.7.8.& 10

In caſu extremæ neceſſitatis valida eſt Confeſſio, nec repetenda, facta Confeſſario ignaro. numero 2. pag. 415.

Etiam valida, eſt, & non repetenda tametſi Sacerdos ignoret aliquod peccatum eſſe mortale, cùm verè ſit tale. ibid.n.4

Confeſſarius, etiamſi ſit ignarus circa maiorem partem peccatorum dummodò habeat notitiam de aliquo ſaltem peccato pœnitentis bona fide procedentis Confeſſio valida eſt, nec repetenda. ibid.n.3

Repetenda eſt Confeſsio facta Confeſsario dormienti. ibid.n.9

An pœnitens excommunicatus poſſit abſolui, & eius Confeſſio ſit valida, examinatur. ſ.3.per tot.p.416

Si ante Abſolutionem Confeſsio repetatur alteri diuerſo Confeſsario, vt valida ſit, integrè eſt repetenda. n.1.p.418

Repetenda eſt Confeſsio ſi Confeſsarius ante Abſolutionem oblitus eſt omnino & Confeſsionis, & ſtatus pœnitentis. ib.n.4.5.& 6.

Non eſt neceſſariò repetenda Confeſſio facta homini non approbato, eidem poſteà non approbato. num.8.pag.419.

Confeſſio reiteranda eſt, ſi fiat ex malo fine mortali. num.1. pag.420.

Non verò eſt repetenda, ſi fiat ex fine malo veniali. ibid. num.2.3.& 4.

Confeſſionis ſigillum.

Confeſſionis ſigillum, vide *infrà litera S.* verbo *ſigillum confeſſionis.*

Clauium poteſtas.

Chriſtus dedit Paſtoribus Eccleſiæ poteſtatẽ Clauium remittendi peccata, & retinendi. num.1.pag.421.

Prædicta poteſtas eſt iudiciaria, ſemper per modum iudicij exercenda. ibid.num.2.

Prædicta Clauium poteſtas non eſt arbitraria, ſed neceſſaria fidelibus lapſis. ibid.num.3.& 4.

Clauium poteſtatis duo ſunt actus, ſcilicet remittendi, & retinendi. ibid.ſect.2.

Per Clauem Regni Cælorum metaphoricè ſignificatur poteſtas remittendi peccata in foro pœnitentiæ. num.1.pag.426.

Poteſtas remittendi peccata vna eſt Clauis adæquatè, nomine plurium ſignificatur penes diuerſos conceptus. ibid.num.2.3.& 4.

Claues Pœnitentiæ, prout nunc ſunt in Eccleſia, ſunt propriæ legis gratiæ. num.5.pag.427.

Conſuetudo.

Conſuetudo. Vide *ſuprà, in hac litera, C.* verbo *Circumſtantia ſexta.*

Conſcientia erronea.

Cõſcientia erronea dicitur illa, quæ dictat eſſe bonum, quod alioqui eſt malum, vel è contrario. n.1.p.375.

Conſcientia erronea vel eſt inuincibilis, vel vincibilis. ibid.n.2.

Operari contra conſcientiam erroneam inuincibilem, eſt peccatum. ibid.n.3.& 7.

Obligatio ſequendi conſcientiam erroneam inuincibilem, oritur ex vi præcepti illius virtutis, ad quam pertinet talis actus. ibid.n.4.

Operari contra conſcientiam erroneam etiam vincibilem, eſt malum. ibid.n.5.& 6.

Circumſtantia modi peccandi grauiter cum conſcientia erronea per ſe non obligat ad declarandum fuiſſe contra conſcientiam erroneam; ſat eſt explicare præcepti violationem. n.8.p.376.

Cùm conſcientia erronea dictat ſolam malitiam in genere, non eſt mortale, nec neceſſariò fatendum in Confeſſione. ibid.n.10.

Contritio.

Contritio eſt actus pœnitentiæ generatim. n.2.p.56.

Contritio eſt formaliter deteſtatio. n.3.p.57.

Contritio eſt actus ſupernaturalis. ibid.n.4.

Obiectum formale Contritionis non eſt virtutis pœnitentiæ, ſed Charitatis. ibid.n.6.7.& 8.

Contritio eſt actus elicitus à virtute Theologica Charitatis. n.9.p.58.

Non eſt de eſſentia Contritionis amor Dei formalis. n.3.p.59.

Contritio eſt actus re diſtinctus ab actu amoris Dei, ibid.n.2.& 3.

Non repugnat eundem numero actum eſſe ſimul Contritionem, & amorem Dei ibid.n.4.

Contritio non ſupponit actum amoris Dei neceſſario. n.2.p.60.

Contritio debet deteſtari peccata ſuper omnia. ſect.6. pag.65.

Contritio ſicut & dilectio Dei continetur eminentialiter virtute in habitu Theologico Charitatis. n.3. pag.66.

Actus Contritionis virtute continetur in actu dilectionis Dei, & è contra, ratione connexionis ſub eodem obiecto formali. ibid.n.4.

Contritio peccati debet eſſe ſumma appretiatiuè, n.4.p.62.

Ad Contritionem non requiritur intenſio ſumma. ibid.n.8.& 9.

Nec Contritio debet eſſe intenſior quocumque dolore mali pœnæ. n.10.p.63.

Nec Contritio debet eſſe determinati gradus intenſionis; ſufficit quiuis illius gradus. ibid. num. 10. & 11.

Contritio de ſe poſtulat fieri in inſtanti. n.2.p.61.

In eo inſtanti in quo eſt Contritio vltima diſpoſitio, infunditur gratia. num. 4. pag. 62. & n.4.5.6. & 7.p.75.

Non requiritur ad Contritionem determinata duratio pro aliquo tempore, ſed ſolius inſtantis ſufficit duratio. Diſp.7.ſect.5.p.63.

Vna Contritio ſufficit omnium peccatorum. n.1.p.65. & diſp.9.ſect.1.p.82.

Ad Contritionem ſufficit cogitatio omnium peccatorum in confuſo; non verò neceſſaria eſt in particulari cogitatio ſingulorum peccatorum. n. 3.4. 5.& 6. p.66.

In Contritione includitur virtute propoſitum non peccandi. n.2.p.67.

Non requiritur neceſſariò in Contritione propoſitum formale vitandi in poſterum peccata niſi cùm diſponit de vita futura. ibid.n.3.& 4.

Contritio non eſt actus elicitus à virtute ſpeciali Pœnitentię. ibid.n.5.

Quænam ſit Contritionis perfectæ vera, & propria definitio. n.2.p.68.

Contritio non eſt forma ex ſe formaliter ſanctificans peccatorem; nec de poſſibili in vllo caſu poteſt eſſe forma ſanctificans. ibid.ſect.1.n.1.& 7.

Contritio eſt vltima, & proxima diſpoſitio ad gratiam habitualem. n.3.& 4. p.73.

Contritio non eſt phyſica diſpoſitio, ſed moralis tantùm. ibid.n.5.

Contritio ſimul ac dilectio Dei eſt per ſe neceſſaria diſpoſitio ad iuſtificationem; per accidens ſola ſufficit contritio. ibid.n.1.

Quo pacto debita ſit contritioni infuſio gratiæ. n.8.p.76.& ibid.ſect.5.n.3.& 4.

Contritio vt eſt Contritio, non poteſt effectiuè procedere ab habitu Charitatis, vel gratiæ, ſed producitur à peccatore adiuto ſpeciali auxilio. n.6.8.9 & 10.p.77.

Poteſt diuina virtute Contritio eſſe vltima diſpoſitio ad gratiam, & ſimul efficienter procedere ab habitu Charitatis. n.11.p.78.

Contritio, & mortale actuale peccatum nequeunt eſſe ſimul. n.2.p.79.

Non implicat cum actuali Contritione Deum non remittere peccatum habituale. ibid.n.3.

Poteſt peccatum remitti de potentia Dei abſoluta abſque vlla diſpoſitione Contritionis. ſect. 7.p.80.

Contritio poteſt mereri de condigno primam gloriam vt præmium. n.5.p.89.

Per Contritionem remittitur aliquid pœnæ temporalis. n.4.p.92.

Per Contritionem in lege Gratiæ cæteris paribus non remittitur plus pœnæ temporalis quàm antea. n.2.4.5.& 6.p.93.

Nullum eſt peccatum adeò graue, nec ſæpe ſæpius commiſſum, quod non poſſit per Contritionem deleri in hac vita. n.4.& ſequentibus.p.82.

Actus Contritionis, & etiam amoris Dei, eſt ſatiſ-

ſactorius de condigno pro veniali peccato. n. 5. p. 101. & n. 2. 3. & 4. p. 103
Contritionis valor condignus non ſolum meretur augmentum gratiæ, & gloriæ, ſed extenditur quoque ad remiſſionem venialium, tanquam ad quid connexum cum tali premio. num. 9. & 10. p. 104
Contritio vel dolor eſt pars eſſentialis Sacramenti Pœnitentiæ diſtincta à Confeſſione. n. 3. 4. & 6. p. 200
Non requiritur quòd dolor peccatorum tempore antecedat vel natura Confeſſionem. num. 2. 3. 4. & 5. p. 202
Contritio vel dolor poſt impenſam Abſolutionem, non ſufficit ad valorem, & fructum Sacramenti. n. 1. p. 203
Probabile eſt ad valorem, & fructum Sacramenti ſufficere dolorem habitum in vltimo inſtanti, in quo perficitur Abſolutio. ib. n. 4. & 5
In caſu quo pœnitens confitetur peccata oblita poſt acceptam Abſolutionem, non requiritur nouus actus Contritionis, vel doloris formalis, ſed ſufficit prior virtute, ac moraliter permanens. n. 3. 4. & 5. p. 204
Verùm actus Cõtritionis vel doloris debeat elici à pœnitente ex intentione, ac relatione ad Confeſſionem vt ſit validum Sacramentum: exactè tractatur ſ. 6. p. 207
Vt ſit validum Sacramentum, non ſufficit intentio habitualis, ſicut ea ſufficit ad recipiendum Baptiſmum; & cur? n. 4. p. 209

Contritionis præceptum.

Contritionis præceptum obligat ex ſuppoſitione peccati mortalis, & non remiſſi. ſectione 1. & 3. p. 133
Præceptum Contritionis, vel doloris oritur ex ſpeciali virtute Pœnitentiæ, ſeu iuſtitiæ ad Deum. n. 3. & 4. p. 135
Præceptum Contritionis oritur ex virtute charitatis erga Deum. ibid. n. 6
Oritur etiam in homine, ex propria charitate erga ſe ipſum. n. 7. p. 136
Oritur ex virtute Miſericordiæ. ibid. n. 9
Præceptum Contritionis non eſt iure humano. num. 1. p. 137
Præceptum ſatisfaciendi Deo in genere, eſt naturale. ibid. n. 4
Præceptum in ſpecie Contritionis eſt diuinum poſitiuum ex diuina diſpoſitione. ib. n. 5
Præceptum conterendi, ſeu pœnitendi ita eſt naturale, vt non ſit diſpenſabile niſi per mutationem materiæ. n. 6. p. 138
Præceptum conterendi, ſeu pœnitendi non eſt expreſsè in Decalogo. ibid. n. 7
Præceptum conterendi, ſeu pœnitendi eſt ſupernaturale, & quodammodò connaturale. ibid. n. 8
Qui iam iuſtificatus eſt per Attritionem cum Sacramento, non obligatur ad Contritionem. n. 3. & 4. p. 139
Qui iuſtificatus eſt per ſolam Dei dilectionem, obligatur quando poſtea recordatur peccatorum, ad præceptum Contritionis. n. 7. & 8. p. 140
Qui peccauit, non tenetur conteri, quoties recordatur peccatorum. ibid. n. 11
Præceptum Contritionis, vel pœnitentiæ ex ſe ſemel tantùm obligat circa eadem peccata. ibid. num. 12. & 13.
Præceptum Contritionis, vel pœnitentiæ non obligat ſtatim poſt commiſſum peccatum, neque ex virtu ſpeciali Iuſtitiæ, neque ex charitate Dei, nec ex charitate propria, neque ex virtute Miſericordiæ. n. 1. 2. 3. 5. 6. 9. 10. 11. & 12. p. 141
Præceptum Contritionis, vel pœnitentiæ obligat in articulo mortis. n. 4. p. 144
Extra articulum mortis nullo modo obligat. ibid n. 5. & ſequentibus.
Præcepto Contritionis non tenetur peccator diebus Dominicis, vel feſtis. ſ. 7. n. 1. p. 145
Quando obligat præceptum Confeſſionis, ſi non poteſt confiteri, non tenetur conteri. ibid. n. 2
Non poteſt tempus Contritionis, ſicut nec dilectionis certo, ac definitè deſignari. ib. n. 4
Præceptum Contritionis obligat, quando eſt multorũ annorum diuturna dilectionis Dei dilatio. ib. n. 5

Culpa.

Cum mortali culpa auffertur ſimul pœna æterna. n. 2. & 3. p. 89
Nequit manere reatus æternæ pœnæ, remiſsâ culpâ mortali. n. 8. & 9 p. 90
Remiſsâ omni culpâ, poteſt Deus infligere homini priuationem æternæ gloriæ, imò, & pœnam aliquam damni de potentia abſoluta, non verò ſecundum præſentem Dei conſtitutionem. n. 10. 11. & 12. p. 91
Non poteſt Deus iuſtum punire, remiſsâ culpâ, æterna pœna, qualem habent damnati in inferno. num. 3 p. 89
Remiſsâ culpâ, & pœnâ æternâ, ſæpè ſuper eſt aliqua pœna temporalis perſoluenda. numero 2. pagina 91.
Non ſemper remiſſa culpa auffertur totum debitum pœnæ. ib. 57
Quoties culpa mortalis remittitur, & pœna æterna, deletur quoque aliqua pars pœnæ temporalis. n. 4. & 5. p. 92
Si remittatur culpa per infuſionem gratiæ, vel debitum pœnæ æternæ ſit abſolutè remiſſum, non poteſt redire per ſubſequentem culpam. num. 4. & 5. p. 120
Si remittatur culpa per extrinſecam denominationem, poteſt debitum pœnæ æternæ reuiuiſcere. n. 6. 7. & 8. p. 121
Vide plura *infrà litera P. verbo, peccatum.*

D

Dæmon.

DÆmonis adiutorium à malefico inuocatum, cum reliquis malitiis, & criminibus ſpecie diſtinctis illi adiunctis, eſt in Confeſſione aperiendum. ſ. 4. per tot. p. 361
Vide *infrà, litera M. verbo Maledicus.*

Demeritum.

Demerita cur non reuiuiſcant, ſicut merita? n. 5. & 6. p. 226
Vbi differentia meriti, & demeriti aſſignatur.
Demerita, ſeu opera mortua non poſſe per pœnitentiam viuificari, oſtenditur. ſ. 6. p. 132

Deteſtatio.

Deteſtatio eſt actus elicitus diſtinctus ab odio. n. 3. 4. & 5. p. 22. & 23
Actus deteſtationis ſeu doloris peccati eſt actus præcipuus pœnitentiæ. n. 7 p. 23
Deteſtatio peccati præteriti quomodo ſit conditionatus actus. ſ. 3. per tot p. 23
Deteſtatio peccati eſt actus ſupernaturalis quoad ſubſtantiam. ſ. 4. p. 25
Actus deteſtationis vnius peccati mortalis eſt virtualis deteſtatio omnium mortalium. ſ. 5. p. 26
Deteſtatio venialis, provt eſt iniuria Dei leuis, etiã eſt virtualis deteſtatio leuis omniũ venialiũ. n. 6. 7. p. 27

Deteſtatio peccati ex motiuo pœnitentiæ, debet eſſe deteſtatio ſuper omnia appretiatiuè. n. 2. p. 28
Quid ſit appretiatiuè deteſtari explicatur. ibid. n. 3
Deteſtatio peccati ex motiuo pœnitẽtiæ eſt ſupra omne malum pœnæ. ibid. n. 4
Deteſtatio peccati propter pœnas Inferni non eſt ſuper omnia. n. 5. p. 29
Deteſtatio eò maior eſt, quò eſt grauioris peccati. ibid. num. 3
Per deteſtationem pœnitentiæ magis eſt per ſe deteſtabile peccatum veniale quàm habituale mortale. n. 7. p. 32.
Per accidens in aliquo caſu non eſt deteſtabile veniale peccatum; imò eligi poteſt, ac debet, potiùs quam permanere in peccato habituali. n. 2. 3. 4. 5. & 6. p. 32.
Actu deteſtationis magis debet deteſtari peccatum perſonale, mortale, & veniale quoque, quam peccatum originale. n. 3. & 4. p. 33

Deus, Dei ordinatio.

Deus iure naturæ eſt ſupremus Dominus, atque eo titulo tenemur illi obedire. n. 2. p. 14
Dei ordinatio, & acceptatio requiritur ad noſtram ſatisfactionem, & meritum. ſ. 9. p. 573
Dei promiſſio requiritur vt opus meritorium, & ſatisfactorium Iuſti ſit de condigno, ac de iuſtitia. ſ. 10. per totam p. 574:
Dei ordinatio requiritur ad remiſſionem venialium peccatorum. n. 4. p. 97
Per actum Attritionis, extra Sacramentum in homine iuſto non remittitur veniale, niſi dependenter à beneplacito Dei. n. 9. p. 106
Non apparet lex, vel ordinatio Dei ad hanc remiſſionem per Attritionem. ib. n. 9. 11. & 12

Dolor.

Dolor, vel Attritio efficax quæ fit de ſolis venialibus, requiritur in Confeſſione. ſ. 1. p. 221
Venialia confiteri ſine vllo dolore, eſt mortale. ibid. ſect. 2
An ex defectu integritatis doloris poſſit Sacramentum Pœnitentiæ de venialibus eſſe validum, & informe? explicatur. ſ. 5. p. 225
Non eſt mortale non habere dolorem de omnibus venialibus, quæ in Confeſſione declarantur. ſect. 3. p. 222
An retractetur dolor totaliter; ſi fiat aliquod veniale poſt Confeſſionem? tractatur ſectione 6. pag. 225.
Alia *ſuprà* vide verbo *Attritio*, & *Contritio*.

Dormiens.

Dormienti Confeſſario facta Confeſſio eſt repetenda. n. 9. p. 415

E

Eccleſia.

ECcleſiæ dedit Chriſtus poteſtatem Clauium, remittendi peccata, & retinendi. ſect. 1. p. 420.
Reliqua vide *infra*, verbo, *poteſtas clauium*.
An Eccleſia præcipere poſſit Confeſſionem venialium peccatorum? explicatur. ſ. 5. per tot. p. 264
In violatione Eccleſiæ quale crimen Iudices committant? tractatur. ſ. 4. p. 356

Epiſcopus.

Epiſcopi ſunt Miniſtri ordinarij ſuorum Parochorum, & ſubditorum. ſ. 1. p. 427. & ſ. 4. n. 6. p. 431
Nomine Epiſcopi Vicarius Generalis comprehenditur. ibid.
Poteſt Epiſcopus audire Confeſſionem ſui ſubditi extra ſuam Diœceſim. n. 2 p. 429
Epiſcopi non habent proprium Ordinarium præter ſũmum Pontificem. n. 3. & 4. p. 430

Euchariſtia.

Eſt præceptum diuinum Euchariſtiæ ſumendæ. num. 3. p. 255
Obligat etiam infideles. n 8. p. 250
Præceptum Euchariſtiæ ſumendum non extinguitur tranſacto tempore Paſchatis, ſed adhuc durat. n. 9. p. 276
Cur ad receptionem Euchariſtiæ præcedere debeat Confeſſio Sacramentalis? n. 6. p. 76

Excommunicatio.

Confeſſio facta excommunicato ob defectum iuriſdictionis, eſt repetenda. n. 7. & 8. p. 414
An propter excommunicationem non ablatam ſit nulla Confeſſio, & repetenda? latè explicatur. ſ. 3. per tot. p 416

F

Flagella.

FLagellis quibuſlibet ſatisfieri poteſt Deo pro peccatis. ſ. 4. p. 565
Flagella, ſeu paſſiones externæ ſeu actus externi addunt ſatisfactionem ſupra actum internum, latè ſect. 5. p. 567

Finis.

Vide *ſuprà*, *littera*, C. Verbo, *Circumſtantia quinta* Cur, *ſeu finis*.

Fuga.

Quos actus fugæ eliciat virtus pœnitentiæ? ſ. 3. per totam. p. 23
Actus fugæ habet pro obiecto materiali omne peccatum mortale. n. 1. p. 3
Actus fugę habet quoque pro obiecto materiali omne veniale peccatum. n. 3. 4. & 5. p. 5

Furtum.

Furtum in quibus caſibus ex loco ſacro accipiat ſpecialem malitiam Sacrilegij neceſſariò in Confeſſione explicandam?
Vide *ſuprà Littera C*, verbo, *Tertia Circumſtantia*, Vbi vel loci ſacri.

G

Gratia ſanctificans.

GRatia ſanctificans neque eſt, neque eſſe poteſt Contritio, n. 6. & 7. p. 70
A gratiæ ſanctificantis habitu Contritio, quæ eſt vltima diſpoſitio iuſtificationis, non procedit. n 7. 8. & 9. p. 76.
Gratia ſanctificans neceſſaria eſt in aliquo genere cauſæ ad remiſſionem peccati venialis in hoc mundo. ſ. 3. per tot. p. 98
An, & quomodo requiratur ſtatus gratiæ ſanctificantis ad condignam Satisfactionem, pro pœnis peccatis debitis. ſ. 2. p. 563

Gaudium.

Gaudium, actus eſſe elicitus poteſt virtutis pœnitentiæ. n. 2. p. 2

H

Habitus Pœnitentia.

HAbitus Pœnitentiæ. Vide *infrà lit. P.* verbo *Pœnitentia*, ſeu *Pœnitentia virtus*.

Hæreſis

Hæreſis, Hæretici.
Hæreſis qualitas eſt neceſſariò in Confeſſione explicanda. diſp.19. ſect.10. p.348
Hæretici obligantur præcepto diuino Confeſſionis Sacramentalis. n.9.p.250
Hæretici præcepto annuæ Confeſſionis Eccleſiæ obligantur. n.5.p.267

I

Iactantia.

IActantia. Vide *ſupra, Littera, C. verbo ſecunda Circumſtantia,* Quid.
Inceſtus.
Vide *ſupra litt. C. verbo Circumſtantia inceſtus.*
Infamia.
Reuelare peccatum proximi in particulari, & cum infamia eius, extra Confeſſionem, abſque vlla neceſſitate, & cauſa rationabili eſt mortale peccatum. n.3 p.581.
Vide *ſuprà lit.* C. verbo, *contumelia.*
Ingratitudo.
Propter adiunctam ingratitudinis circumſtantiam aggrauatur peccatum. n.1.2.& 3.p.121
Peccatum ſubſequens iuſtificationem à præcedentibus non habet neceſſariò ratione ingratitudinis adiunctæ tantùm malitiæ, quantum omnia illa præcedentia. n.4.p.122
Contingere poteſt, vt in aliquo caſu peccatum ingratitudinis æquet, ac ſuperet malitiam omnium præcedentium. ibid.n.5
Maior eſt ingratitudo, ſi peccetur contra maius beneficium. ibid.
Ingratitudo eſt ſpeciale peccatum, quando peccatur ex formali, ac expreſſo contemptu beneficij. num.1. p.122.
Ingratitudo eius, qui per peccatum iacturam fecit innocentiæ ſpectatæ præciſè in ratione boni, maior eſt ingratitudine illius, qui per peccatum à beneficio iuſtificationis excidit. n.2. & 5. p.123
Ingratitudo eius qui per peccatum à beneficio iuſtificationis excidit, maior eſt ingratitudine illius qui ab innocentia receſſit in ratione boni gratuiti. ibid. num.3.
Infernus.
Vtrùm decedens ex hac vita in peccato mortali, ſeu in inferno exiſtens, poſſit ſatiſpati pro pœna temporali pro peccato remiſſo reſtante; an ſolum in Purgatorio eſſe poſſit ſatiſpaſſio. ſect.14. p.580
Intentio.
Intentio Miniſtri abſoluentis eſt pars intrinſeca Sacramenti Pœnitentiæ, non pro materia, ſed pro forma. n.4.& 5.p.178.
Intentio pœnitentis Sacramentaliter confitendi, eſt de eſſentia Sacramenti Pœnitentiæ pertinens ad partem materialem. ibid. n.6
Intentio imponendi pœnitentiam, & eam acceptandi non eſt pars eſſentialis, ſed integralis. num.7 pag.179.
Si deſit intentio in Confeſſione, vel in Confeſſario, vel in ipſo pœnitente, Confeſſio ipſa eſt repetenda. n.3.p.414.
Intentio ſatisfaciendi non requiritur ad ſatisfaciendum diſp.55.ſect.8. per totam, p.572.
Interpres.
Poteſt quis per interpretem confiteri. diſp.25. ſect.4 p.288.
Vtrùm quis teneatur aliquando ex vi præcepti Confeſſionis per interpretem confiteri. ibid.
Interpres tenetur obligatione ſigilli Confeſſionis diſp. 54.ſect.5.p.542.
Inobedientia.
Inobedientia. Vide *infra, litt.O. verbo obedientia.*
Interrogatio.
Interrogationes pœnitenti à Confeſſario faciendæ in actu ipſo Confeſſionis. diſput. 53. ſect. 3. & 4. p.525.
Iniuria, Iniuſtitia.
Quoduis mortale peccatum, eſt grauis iniuria, & propria iniuria in Deum. num.2.& ſeqq.p.14
Ex peccato commiſſo manet in peccatore obligatio ad ſatisfaciendum Deo, quantum illi poſſibile eſt. n.2 & 4.p.14.& 15.
Iuſtitia.
Iuſtitia non poteſt inclinare ad actu ſoluendum iterum debitum illud quod iam ſufficienter ſolutum eſt, à numero 4. vſque ad finem ſectionis; pag.9
Cur obligatio reſtituendi oriatur ex iuſtitia, & nequeat oriri ex charitate? n 6. p.532
Ius diuinum eſt motiuum formale ſpecificum virtutis Pœnitentiæ. diſp. 2.ſect. 5.p.19
Iuſtitiæ virtus eſt virtus pœnitentiæ re, & ſpecie diſtincta à virtute religionis. n.4.p.37
Iudex.
Iudex in humanis non poteſt proferre ſententiam ſecundùm opinionem probabilem, relicta probabiliori. ſect.4 p.517
Iudex Confeſſarius in ſacra Confeſſione poteſt, & debet tenere, & ſequi opinionem probabilem pœnitentis contra propriam ſententiam probabilem, vel probabiliorem. ibid.
Quis Iudex debeat inferre pœnas violantibus ſigillum Confeſſionis. diſp.54.ſect.15.p.559
Vide *infrà, lit.S. verbo, ſatisfactio ad finem.*
Iuſtificatio.
Vide *ſupra, lit.C. verbo, Contritio.*
Quid ſit, peccatores iuſtificari per Confeſſionem Sacramentalem in voto, explicatur diſput.22. ſect.4. p.248.

L

Laicus.

LAicus in nullo caſu poteſt abſoluere pœnitentem à peccatis. diſp.40. ſect.3. p.422
Laicus, cui aliquis confeſſus eſt, an teneatur ad ſigillum? tractatur. diſp 44. ſect.5.p.461
Lex.
Quid ſit diſpenſatio legis; & quid ſit abrogatio legis. n.4.p.256.
Licentia.
De licentia pœnitentis poteſt Confeſſarius de Confeſſione ipſius loqui. diſp.54. ſect.14.p.557
Luxuria.
In luxuriæ peccatis confitendis, an copula conſummata debeat explicari: & an etiam luxurioſi tactus copulam illicitam præcedentes, & ſubſequentes ſint explicandi.
Vide *ſuprà litt.C. verbo, Circumſtantia copula*

M

Maleficium.

MAleficium. Vide *infra, littera, S. verbo, Superſtitio.*
Matrimonium.
Cur ad Matrimonij formam non requirantur verba propria

proprie dicta, ſicut requiruntur ad formam Sacramenti Pœnitentiæ. diſp. 18. ſect. 1. p. 185

Medicus.

Medicus quomodo obligetur ad infirmum admonendum vt confiteatur in periculo mortis? num. 4 p. 251.

Medium.

Medij neceſſitas dicitur id ſine quo ſalus obtineri non poteſt. n. 1. p. 243

Quodnam ſit diſcrimen inter medij neceſſitatem, ac præcepti neceſſitatem. ibid. n. 2

Mendicantes.

Mendicantes. Vide *infrà*, *litt. R.* verbo, *Religioſi mendicantes.*

Mendacium.

An ſit contra integritatem Confeſsionis mentiri in ea; & an omne mendacium in ea admiſſum ſit peccatum mortale? tractatur. diſp. 16. ſect. 6. p. 199

Vide *ſuprà litt. C.* verbo, *Confeſſionis integritas ex parte peccatorum.*

Meritum.

Meritum adhuc in re debet habere realem exiſtentiam. n. 5. p. 77

Merita mortificantur per peccatum mortale. num. 3 p. 224.

Merita reuiuiſcunt per pœnitentiam, ſeu Contritionem. ibid. n. 5

Sine impietate, ac temeritate negari non poteſt, merita, ſeu opera mortificata reuiuiſcere. num. 10. pag. 225.

Cur reuiuiſcantur, exactè oſtenditur. num. 5. & 6. pag. 226.

Vt meritoria opera reuiuiſcant, requiritur voluntas Dei, & promiſsio. n. 5. & 6. p. 227

Priora merita reuiuiſcunt ex natura rei, & etiam ex iuſtitia. n. 8. & 9. p. 228

Meritoria opera mortificata manſerunt in acceptatione Dei. ibid. n. 10

Vtrùm merita reuiuiſcant ad totum præmium? latè tractatur. ſect. 4. per tot. p. 229

Vtrùm etiam priſtina gratia, quæ data fuerat ſine meritis, virtute Sacramentorum; reſtituatur per Pœnitentiam, ſeu Contritionem? explicatur ſect. 5 pag. 130.

Opera mortua priuatiuè nequeunt per pœnitentiam reuiuiſcere, oſtenditur. ſect. 6. p. 132

Meretrix.

Meretrices publicæ obligantur ad præceptum annuæ Confeſsionis Sacramentalis, ſicut alij publici peccatores. n. 7. p. 268

Meretrices publicæ ſi non confiteantur ſuo tempore, per ſe incurrunt excommunicationem maiorem, ſicut alias iuris pœnas. ibid. n. 8

Miniſter Ordinarius Sacramenti Pœnitentiæ.

Miniſter Ordinarius Sacramenti Pœnitentiæ, omnium maximus eſt Papa. n. 2. p. 427

Miniſtri Ordinarij ſunt Epiſcopi ſuorum omnium ſubditorum. ibid. n. 3. 4. 5. & 6

Nomine Ordinarij Epiſcopi comprehenduntur Abbates, Dignitates exemptæ, Generales, Prouinciales Religioſorum. n. 7. & 8. p. 428

Parochi quoque ſunt Miniſtri Ordinarij. ibid. n. 9

Quiuis Sacerdos qui in foro Pœnitentiæ eſt miniſter Ordinarius, dicitur in iure Sacerdos proprius. n. 4 pag. 419.

Quiuis Miniſter Ordinarius poteſt Confeſsionem ſui ſubditi audire extra Diœceſim ſuam, vel Parochiam. ſect. 3. n. 2. p. 429.

Idem habet Miniſter delegatus. ibid. n. 2

In foro Pœnitentiæ habet Miniſter Ordinarius iuriſdictionem in ſuum ſubditum, & non alius Miniſter Ordinarius ratione delicti. ibid. n. 3

Miniſter Ordinarius Parochus eſt etiam proprius Sacerdos eorum qui degunt intra propriam Parochiam. n. 1. & 2. p. 431.

Quando quis habet domicilium in duabus Parochiis, poteſt prout voluerit, confiteri vtrique Miniſtro ordinario. ibid. n. 4. & 5

Vagi, ſeu Vagabundi habent pro Miniſtro ordinario Parochum, in cuius Parochia verſentur. num. 2 pag. 432.

Iter agentes poſſunt ſua peccata confiteri Parocho Miniſtro ordinario loci ad quem perueniunt. ibid. n. 4. 5. & 6.

Miniſter ordinarius putatiuus habet iuriſdictionem ordinariam, & validè abſoluit. num. 1. 2. 3. 4. 5. & 6 p. 433.

Miniſter delegatus Sacramenti Pœnitentiæ, ac eius iuriſdictio.

Delegare poſſunt qui habent iuriſdictionem ordinariam: Vnde Vicarius Generalis poteſt etiam delegare. n. 2. 3. 4. & 5. p. 434

Sunt Miniſtri delegati qui non poſſunt ſubdelegare; & ſunt etiam alij qui poſſunt ex parte ſubdelegare. ibid. ſect. 2. n. 4. 5. 6. & 7.

Religioſi ab Epiſcopo miniſtri delegati, & approbati non indigent Parochi licentiâ; nec ille impedire poteſt Parochianum ſuum, vt illi confiteatur. n. 8. 9 & 10. p. 435.

Vtrùm ſine notitia delegationis, Miniſter cui talis iuriſdictio datur, validè abſoluat? latè explicatur ibid. ſect. 3.

Ad iuriſdictionem delegandam non ſufficit ratihabitio de futuro. n. 2. 4. & 5. p. 436

Ratihabitio de præſenti ſufficienter manifeſtata aliquo ſigno externo, ſufficit ad iuriſdictionem delegandam. n. 6. & 7. p. 437.

Etiamſi ſigna externa, non certam, ſed probabilem faciant exiſtimationem de præſenti conſenſu delegantis, ſufficiunt ad dandam iuriſdictionem Miniſtri delegati. ibid. n. 8

Conſuetudo quæ exercetur Superiore conſcio, & non contradicente, cùm facilè poſſit, dat iuriſdictionem delegatam in foro pœnitentiæ. num. 4. 5. 6. 7. & 8. p. 438.

Si ſit fictus delegantis conſenſus, iuriſdictio delegata conceſſa inualida eſt. n. 2. p. 439

Valida eſt iuriſdictio delegata, tametſi metu graui extorta. ibid. n. 4

Non eſt valida iuriſdictio delegata dolo, & mendaciis nomine alicuius Magnatis, vel Parentis impetrata, ſi illa exiſtimatio fuit vnica, & totalis cauſa finalis, & motiua talis conceſſionis. ibid. num. 7. 8. 9. 10. & 11.

Qui habens iuriſdictionem delegatam cæpit audire Confeſſionem, poteſt illam finire etiamſi interim delegatio expiret. numer. 1. & ſequentibus pag. 440.

Poteſt delegari iuriſdictio in perpetuum; & Epiſcoporum conceſſio iuriſdictionis delegatæ durat poſt mortem Epiſcopi concedentis. ſect. 8. per totam p. 441.

Cum iuriſdictione delegata dubia negatiuè non poteſt licitè dari Abſolutio Sacramentalis. num. 4. & 5 p. 442.

Vtrùm ſufficiat iuriſdictio delegata, tantùm probabilis, latè tractatur ſectione 10. per totam. p. 443.

Et pars affirmans validiſſimis rationibus apertè probatur.

Miniſter

Miniſter Pœnitentiæ in articulo mortis.

In articulo mortis quiuis Sacerdos, etiamſi ſit hæreticus, vel excommunicatus vitandus habet iuriſdictionem abſoluendi. n.3.4.5.& 6.p.452

In articulo mortis licitum eſt accipere Abſolutionem à quouis Sacerdote etiam hæretico, cui teneatur confiteri moribundus, ſi alius Sacerdos non adſit. ibid. n.8.9.& 10.

In articulo mortis facultas abſoluendi eſt de iure Eccleſiaſtico. ſect. 1. p.453

Facultas abſoluendi in articulo mortis conceſſa conceditur quoque in periculo mortis. num.3. 4. & 6 p.454.

Idem dic ſi fuerit probabile periculum incidendi in amentiam. ibid.n.5

Damnati ad Triremes non ſunt in periculo mortis. ibid.n.7.

Neque omnes prægnantes ſunt in morali mortis periculo. ibid.n.8

Sententia affirmans poſſe ſimplicem Sacerdotem etiam præſente Confeſſario approbato; & hunc etiam præſente ſuperiore cui caſus ac cenſuræ reſeruatæ ſunt, abſoluere in articulo mortis, vel etiam periculo, ab omnibus illis, non ſolùm eſt probabilis, ſed valdè probabilis, & in praxi valdè ſecura. num.1.4.& 5 p. 455.

Qui in articulo, vel periculo mortis abſolutus eſt à reſeruatis, non tenetur poſteà ad Superiorem recurrere. n.8.p.456

Idem de cenſuris dicendum eſt, vt ab illis abſoluatur. ibid.

De Miniſtro Confeſſionis in ordine ad peccata reſeruata. Vide *infrà, lit. R. verbo, Reſeruatio.*

N

Neceſſitas.

Neceſſitas duplex enumeratur, & explicatur. n.1 p.243.

In neceſſitatis caſu quæ ſufficiat Confeſſio? latè integra diſp.38. *de integritate, & Confeſſione ſufficienti in caſu neceſſitatis moribundi.* p.402

O

Obedientia.

Tranſgredi obedientiam ex contemptu Dei legiſlatoris, eſt graue peccatum in Confeſſione declarandum. n.4.p.363

Tranſgredi obedientiam, vel legem etiam minimam ex contemptu Superioris formali, quatenus eſt Prælatus, eſt peccatum mortale. ibid.n.5.6.& 7

Tranſgredi obedientiam, vel legem humanam ex contemptu Superioris, vel legiſlatoris humani quatenus homo eſt, poteſt eſſe veniale ex leuitate materiæ. ibid.n.4.

In tranſgreſſione Obedientiæ Religioſi voto conſecratæ poſſunt interuenire quatuor malitiæ ſpecie diuerſæ in Confeſſione explicandæ. num.5. & 6 p.512.

In dicta tranſgreſſione communiter non datur malitia inobedientiæ formalis. ibid.n.7

Si Prælatus præcipiens exprimat intentionem obligandi triplici titulo, interuenient tres malitiæ ſpecie diuerſæ in Confeſſione aperiendæ. ibid.n.8

In ordinario gubernandi modo non committitur in tranſgreſſione voti obedientiæ niſi vnicum peccatum mortale contra votum. ibid.n.9

Si Prælatus præcipiat ſolùm ſub excommunicatione, eſt vnica culpa in tranſgreſſione, non contra votum, ſed contra præceptum Eccleſiaſticum. ibid. numer. 10.

Obiectum materiale virtutis Pœnitentiæ.

Obiectum materiale virtutis Pœnitentiæ duplex eſt, amoris, ſeu proſecutionis, & odij, ſeu fugæ. num.1 pag.2.

Obiectum materiale amoris, ſeu proſecutionis eſt omne bonum neceſſarium, vel vtile ad Pœnitentiam. ibid.n.4.

Eiuſmodi obiectum ſunt aliarum virtutum actus. ibid. n.5.& ſect.11.n.6.p.13.

Sunt quoque actus boni alieni. ibid.

Deus eſt obiectum indirectum, non directum virtutis Pœnitentiæ. n.2.& 3.p.3

Deus etiam eſt obiectum materiale *Cui.* ibidem num.4.

Obiectum materiale odij, vel fugæ, eſt omne peccatum mortale. ibid. ſect.3.n.1

Non eſſet tale obiectum materiale, nec poſſet eſſe ſi dari poſſet, quin eſſet iniuria Dei. numer. 5 & 6.pag.4.

Veniale peccatum eſt quoque obiectum materiale. n.3 4 & 5.p.5.

Actus materialiter mali ſunt obiectum materiale non immediatè, ſed remotè, ſeu mediatè. ibid. ſect.5

Peccatum habituale prout eſt Deo iniurioſum, eſt etiam obiectum materiale. numer. 4. 8. & 9. pag.8.

Vtrùm verò habituale vt diſtinguitur ab actuali, poſſit eſſe explicatur. n.8

Originale peccatum poteſt eſſe obiectum materiale odij, non verò retractationis. numer. 6. 7. & 8 pag.9.

Peccatum nondum commiſſum, etiam eſt obiectum materiale. ibid. ſect.9.n.2

Peccatum iam dimiſſum, ac plenè ſatisfactum poteſt per pœnitentiam retractari. n.3.p.10

Peccatum omninò dimiſſum etiam quoad reatum pœnæ, non poteſt iterùm per pœnitentiam ſatisfieri. ib. à n.5. vſq. ad fin. ſect.

Obiectum materiale pœnitentiæ per retractationem non ſunt peccata aliena; ſunt verò per actus odij, & deteſtationis. n.1.& ſeqq.p.12

Malum pœnæ vt amplectendum, eſt materia pœnitentiæ. n.1.& 3.p.13

Obiectum formale Virtutis Pœnitentiæ.

Obiectum formale virtutis Pœnitentiæ non eſt bonitas pacis cum Deo ad vitandam offenſam. diſ.2.ſect.4.per tot.p.17.

Formale obiectum eſſe diuinum ius, explicatur. ſect.5. per tot.p.19.

Formale obiectum partiale eſt bonum compenſationis congruæ. ſect.6. per tot. p.20

Occaſio peccandi.

Occaſio peccati duplex eſt, proxima, & remota. num.1 p.212.

Non eſt obligatio vitandi occaſiones remotas peccandi. ibid.

Obligatio eſt per ſe loquendo, vitandi occaſiones proximas peccandi. ibid n.2

Per accidens non obligat. ibid.

Permanentia in occaſione proxima præciſè non repugnat cum propoſito vitandi peccatum, niſi ſit liberè volita abſque vlla cauſa. ibid.n.4

Si non poteſt auferri occaſio abſque graui detrimento, poteſt per ſe abſolui pœnitens. ibid.n.5

Obligatio eſt quoque vitandi occaſionem proximam committẽdi aliquod mortale indeterminatè. n.8.p.213

Vtrùm

Digitized by Google

Vtrùm verò quando occaſio proxima tolli non poteſt, & eſt frequens reincidentia, debeat Confeſſarius differre Abſolutionem; tractatur ibid. n. 7. & ſeqq. vſque ad fin. ſect.

Odium.

Odium peccati prout eſt oppoſitum iuri diuino, actus eſt elicitus à virtute Pœnitentiæ. numer. 3 pag. 22.

Opus ſatisfactorium.

Opus ſatisfactorium. Vide *infrà, littera, S.* verbo, *Satisfactio.*

Ordinarius.

Vide *ſuprà, littera, M.* verbo, *Miniſter Ordinarius Sacramenti Pœnitentiæ.*

P

Papa.

Papa ad Confeſſionem obligatur. diſp. 24. ſect. 6. pag. 267.

Papa ligatur præcepto annuæ Confeſſionis; ſed non pœna ſtatuta contra illius tranſgreſſionem. num. 12 p. 261.

Poteſt Papa præceptum Confeſſionis quatenus humanum eſt annuale, abrogare, mutare, & in eo diſpenſare. ibid. n. 11

Parochus.

Parochorum immediatus Paſtor eſt Epiſcopus. n. 3. 4. 5 & 6. p. 427. & 428.

Parochus vagorum quis ſit. n. 2. p. 439

Parochus relicto Beneficio Parochiali indiget approbatione Epiſcopi ad audiendas Confeſſiones. ſect. 2. p. 508.

Qualiter teneatur Parochus audire Confeſſiones ſubditorum, cùm ex obligatione miniſtret. ſectione 1. p. 523.

Paſſio.

Paſſio externa, ſeu actus externus addit ſatisfactionem ſupra actum internum. ſect. 5. p. 567

Quo pacto externa paſſio vt ſit fructuoſa, requirat permanentiam actus interni voluntatis; explicatur: ſect. 6. p. 568.

Peccatum.

Quoduis peccatum, maximè mortale eſt iniuſtitia, & propriè iniuria in Deum. num. 2. & ſequentibus pag. 14.

Nequit eſſe peccatum contra rationem, quin etiam ſit iniuria Dei. ibid. n. 4

De facto non remittitur vnum peccatum mortale ſine alio; poteſt tamen remitti de potentia Dei abſoluta. n. 1. 2. 3. 4. & 5. p 87.

Peccato mortali amittitur gratia ſanctificans, & ius ad gloriam. n. 2. & 3. p. 224

Peccata poſſibilia non condonat Deus. numero 3. p. 88.

Peccatum non poteſt condonari pro eo inſtanti in quo eſt. ibid. n. 5

Nec poteſt condonari peccatum antequam re ipſa, & phyſicè exiſtat. n. 6. & 7. p. 89

Peccata præterita ſunt quæ à Deo condonantur. n. 4. pag. 88.

Peccatum leuius per ſe loquendo non poteſt eligi vt videtur grauius. n. 4. p. 29

Poteſt per accidens eligi in quodam caſu abſque peccato. ibid. n. 5

Poteſt etiam in quodam caſu conſuli leuius peccatum vt videtur grauius ibid. n. 4

Grauiùs peccat qui præelegit peccatum grauius præ minùs graui. n. 6. p. 30

Peccatum proprium, etſi leue, magis eſt deteſtandum, quam alienum peccatum etiam grauiſſimum. n. 6. p. 31.

Poteſt quis ſe exponere periculo graui peccandi propter neceſſitatem proximi. ſect. 8. p. 30

Peccata actualia commiſſa ante Baptiſmum non ſunt materia Sacramenti Pœnitentiæ. n. 4. p. 216

Peccata actualia poſt Baptiſmum ſunt materia. ibid. num. 5.

Peccatum Sacrilegij fictæ ſuſceptionis Baptiſmi, vt opere conſummatum, eſt materia. ibid. n. 6. & ſect. 6 p. 166.

Peccata quæ committuntur in vltimo inſtanti quo perficitur Baptiſmus, præter peccatum formalis fictionis non ſunt materia pœnitentiæ. ſ. 7. p. 169. & n. 7 p. 216.

Omnia mortalia poſt Baptiſmum commiſſa ſunt materia neceſſaria. n. 8. p. 216

Peccata mortalia commiſſa ante diem Pentecoſtes non fuerunt materia neceſſaria Confeſſionis. num. 10. pag. 217.

Peccatum dubium dubio probabili, ſi iudicem probabiliter eſſe confeſſum, non teneor confiteri. n. 4. pag. 228.

Etiamſi peccatum fuerit certum, ſi probabiliter iudicem confeſſum eſſe, non teneor confiteri. ibid. num. 5.

In articulo mortis aliter eſt dicendum. ibid. num. 7. 8. & 9.

Peccata dubia negatiuè aperienda ſunt in Confeſſione. n. 2. p. 229.

Eiuſmodi peccata dubia ſunt confitenda vt dubia. ibid. num. 3.

Quo pacto ſit intelligendum Dictum illud. *In dubio melior eſt conditio poſſidentis*: explicatur. ibid. num. 5.

Qui certus eſt ſe peccaſſe mortaliter, & dubius ſit an illud ſit confeſſus, tenetur illud confiteri. num. 1. pag. 231.

Qui certus eſt ſe commiſiſſe aliquod peccatum, & dubius eſt an ſit mortale, an veniale, tenetur ad illius Confeſſionem. ibid. n. 2. & 4.

Dubius an caſus ſit reſeruatus, non tenetur adire Superiorem reſeruantem. n. 4. p. 232

Vtrùm peccatum mortale dictum vt dubium, debeat iterùm ceſſante dubio aperiri vt certum in Confeſſione; latè diſputatur. ſect. 5. p. 232

Peccata ritè confeſſa, & remiſſa non ſunt iterùm neceſſariò confitenda. ſect. 7. p. 237

Vtrùm qui confitetur peccata dubia propriè, ſi experiatur difficultatem excitandi in ſe dolorem de veniali culpa, teneatur adducere aliam materiam certam, latè explicatur. ſect. 6. p. 235

Peccata validè confeſſa, & remiſſa poſſunt eſſe materia ſufficiens Sacramenti Pœnitentiæ. numero 4. pag. 237.

Quatuor ſunt aduertenda pro praxi iteratæ Confeſſionis eorundem peccatorum. n. 5. p. 238

Peccata validè confeſſa, tametſi Confeſſio fuerit informis, non manent deinceps materia neceſſaria. ibid. n. 8.

Peccata ſemel remiſſa nequeunt retineri; nec eſt poteſtas ea retinendi. ibid. n. 9

Qui facit Confeſſionem generalem, non tenetur omnia mortalia vitæ præteritæ repetere. numero 2. pag. 239.

Non eſt contra valorem Sacramenti ſi quis habeat duos Confeſſores, quorum alteri priùs confiteatur peccata grauia, & alteri peccata ſolùm venialia. ibid. n. 3

Peccator.

Peccator nequit exhibere ſufficientem ſatiſfactionem pro iniuria Deo facta per peccatum mortale. n. 3. pag. 16.

Peccator etſi valdè obduratus, non caret auxilio gratiæ ſufficienti ad agendam pœnitentiam. n. 2. 3. 6. & 7. pag. 84.

Non omnes peccatores habent de facto poſt peccatum potentiam proximam ad agendam pœnitentiam. ibid. n. 3

Auxilium gratiæ ſufficiens non datur peccatori quouis inſtanti, ſed opportuno tempore. ibidem. num. 5.

In peccatoribus obduratis non eſt impotentia phyſica ad agendam pœnitentiam. n. 1. p. 85

In aliquibus peccatoribus valdè obduratis eſt impotentia moralis ad agendam pœnitentiam. n. 4. & 5. p. 86.

Peccatum veniale.

Venigle peccatum remitti poteſt in hac vita. num. 1. pag. 94.

Veniale peccatum poſtquam phyſicè præteriit, relinquit maculam. ibid. n. 2.

Peccatum veniale eſt iniuria leuis. n. 3. p. 95

Veniale remitti, non eſt remitti pœnam, ſed maculam. ibid. n. 4.

Peccatum veniale variis modis remittitur. ibidem. num. 6.

Venialium remiſſio requirit ſemper in hac vita gratiam ſanctificantem in eo cui confertur. ibid. n. 7. & ſeqq.

Vt veniale peccatum remittatur, requiritur propoſitum vitandi totam deformitatem quæ eſt in tali peccato, non verò propoſitum vitandi alia peccata venialia. n. 9. p. 104

Venialis peccati remiſſio, quæ fit ſimul cum mortali per Sacramentum, fit ex opere operato. num. 1. pag. 107.

In homine iuſto delentur venialia peccata ſeorſim ſumpta ex opere operato per omnia Sacramenta. n. 4. 5. 6. & 7. p. 108.

Omnia nouæ legis Sacramenta delent immediatè veniales culpas ex opere operato. n. 8. p. 109

An vt Sacramenta remittant venialia peccata, requirant tanquam diſpoſitionem Attritionem. ibidem num. 9.

Sacramenta remittunt venialia peccata per infuſionem gratiæ intuitu Attritionis, accedente Dei condonatione. n. 10. p. 110

Venialia peccata remittuntur quoad culpam in altera vita per actum Contritionis quem anima Iuſti in primo inſtanti poſt mortem elicit. ibid. n. 2

Ille actus Contritionis non eſt meritorius, nec ſatisfactorius, ſed diſpoſitio ſufficiens, vt Deus venialia remittat. ibid. n. 3. 4. 5. 6. & 7

Venialis peccati Confeſſio requirit dolorem efficacem illius. ſect. 1. p. 221

Confiteri venialia abſque vllo dolore eſt mortale peccatum. ibid. ſect. 2

Si materia venialium partialis eſt ſine dolore, & altera pars eſt cum dolore, non fit ſacrilegium. ſect. 3. p. 222.

In Confeſſione venialium requiritur propoſitum ſaltem virtuale vitandi veniale ſimile omninò alteri veniali iam retractato. ſect. 4. p. 223

Nequit dari communiter Sacramentum validum de peccatis venialibus, quod non ſit quoque formatum. n. 1. p. 225.

In quodam caſu poſſet eſſe ſimul validum, & informe ex defectu integritatis doloris. ibid. n. 2

Vtrùm peccatum veniale in genere, & non in ſpecie declaratum, ſit ſufficiens materia Confeſſionis. ſ. 10. per tot. p. 240.

Modus Abſolutionis indirectè de ſolis venialibus non datur. ſect. 6. n. 2. p. 225

Quid ſi pœnitens habeat dolorem vniuerſalem omnium venialium in genere, remittentúrne omnia illa. ibid.

Peccatum veniale non diſponit proximè, ſed remotè ad mortale. n. 7. p. 594

Idem numero actus peccaminoſus materialiter poteſt reproduci, ſed non idem peccatum, ſeu malitia moralis. n. 5. & 6. p. 114

Peccata, & culpæ remiſſæ formaliter, & in ſe non redeunt, quamuis noua peccata multiplicentur. n. 3. & ſeqq. p. 115.

Si peccata remitterentur per ſolam extrinſecam condonationem, poſſent remitti ſub conditione. num. 4. p. 118.

Etiamſi remittantur per gratiæ infuſionem, poſſunt remitti ſub conditione. ibidem à numero 6. vſque ad numerum 12.

Peccata remiſſa abſolutè abſque vlla conditione ſiue venialia, ſiue mortalia, nequeunt redire per ſubſequens peccatum; benè tamen ſi fuerint remiſſa ſub conditione. n. 13. & 14. p. 119

Peccatum habituale.

Peccatum habituale eſt ipſum actuale peccatum moraliter perſeuerans. n. 1. & 2. p. 7

Peccatum habituale prout eſt Deo iniurioſum, eſt obiectum materiale Pœnitentiæ. num. 4. 8. & 9. pag. 8.

Habituale prout diſtinguitur ab actuali, non poteſt eſſe obiectum materiale Pœnitentiæ. ibid.

Peccatum originale.

Peccatum originale quid ſit; explicatur. num. 1. 2. & 3. p. 8.

Peccatum originale poteſt eſſe obiectum materiale Pœnitentiæ per actum odij; non per actum retractationis. ibid. num. 6. 7. & 8. & ſect. 1. n. 3. pag. 226.

Pœnitentia Virtus.

Pœnitentia eſt ſimpliciter virtus. n. 2. p. 34

Pœnitentia eſt virtus reflexa. num. 7. p. 6. & n. 5. & 6 pag. 13.

Pœnitentia eſt virtus ſpecialis. num. 2. pag. 35. & n. 7. pag. 37.

Pœnitentia eſt ſupernaturalis virtus, ac per ſe infuſa ibid. n. 6. & 7.

Pœnitentia non eſt virtus Theologica, ſed moralis. ſ. 3. pag. 36.

Pœnitentia eſt ſpecialis virtus iuſtitiæ erga Deum. n. 2. & 3. p. 37.

Pœnitentia eſt Iuſtitia commutatiua erga Deum, ſpecie diſtincta ab omni iuſtitia commutatiua, quæ eſt inter homines. ibid. n. 4

Pœnitentia eſt virtus diſtincta ſpecie à virtute Religionis. ibid. n. 5

Virtus Pœnitentiæ reipſa diſtinguitur à virtute obedientiæ. ibid. n. 6

Præfertur obedientiæ. n. 6. p. 38

Pœnitentiæ virtus ſuperatur in perfectione à virtutibus Theologicis. ibid. n. 1

Pœnitentiæ virtuti præferenda eſt virtus piæ affectionis circa res Fidei. ibid. n. 2

Pœnitentiæ virtus excedit in perfectione virtutes morales verſantes circa paſſiones. ibid. n. 3

Excedit virtutem iuſtitiæ humanæ. ibidem numero 4.

Perfectior eſt virtute Miſericordiæ. ibid. n. 5

Perfectior eſt virtute Religionis. n.8.& 9.p.39
Virtutis pœnitentiæ definitio. ibid.n.10
Virtus pœnitentiæ habet duo genera actuum elicitorum. n.2.p.2
Quos actus proſecutionis,ſeu amoris eliciat virtus pœnitentiæ. ſect.1.p.21
Quos actus odij, ſeu fugæ eliciat virtus pœnitentiæ, ſ.2.p.22.
Virtus pœnitentiæ habet externos actus imperatos per ſe honeſtos, & condignè ſatisfactorios pro pœna temporali. n.1.2.3.4.& 5.p.157
Prædicti actus,ſeu opera externa poſſunt interdum eſſe obligatoria. n.1.p.158
Obligatio externa pœnitentiæ poteſt ad diuerſas virtutes pertinere. ibid.n.2.& 3
Actus externi Pœnitentiæ non cadunt ſub præceptum ex natura rei,ſeu ex vi præcepti naturalis. ibid.ſect.3 num.3.
Dari poteſt pœnitentiæ habitus, ſeu virtus naturalis. n.2.3.4.& 5.p.37.
Pœnitentiæ virtus fuit in ſtatu innocentiæ ſect.1. p.40.
In omnibus hominibus viatoribus conſtituenda eſt. ſect.3.p.42.
In omnibus Beatis eſt concedenda. ſ.4.p.43

Pœnitentiæ Sacramentum.

Datur in Eccleſia Dei Sacramentum Pœnitentiæ à Chriſto Domino inſtitutum. n.2.& ſeqq.p.161
Chriſtus inſtituit immediatè ſenſibili ritu Sacramentum Pœnitentiæ. ibid.ſ.2.n.1.2.& 3
Chriſtus inſtituit SacramentumPœnitentiç ad modum iudicij,& Tribunalis. n.7.p.162
Pœnitentiæ Sacramentum eſt inſtitutum diſtinctum à Sacramento Baptiſmi. n.2.& ſeqq. p.163
Sacramentum Pœnitentiæ eſt ſecunda Tabula; & cur ita dicatur? ibid.n.7
Chriſtus non inſtituit hoc Sacramentum ante mortẽ, in nocte Cœnæ. n.4.p.164
Illud inſtituit poſt Reſurrectionem. ibid.n.2.& 8
Non fuit inſtitutum in ſtatu Innocentiæ. ibid.n.5
Non fuit inſtitutum in lege veteri. ibid.n.6.& 7
Cur Chriſtus per ſe ipſum non exercuerit Sacramentum Pœnitentiæ. n.9.p.165
Sacramentum pœnitentiæ non eſt inſtitutum ad tollendum originale peccatum. n.1.p.165
Neque eſt inſtitutum ad remittenda peccata actualia commiſſa ante Baptiſmum. ibid.n.2
Inſtitutum eſt ad remittenda peccata actualia commiſſa poſt Baptiſmum. n.3.& 4.p.166
Pœnitentiæ Sacramentum ex vi ſuæ inſtitutionis iterari poteſt,non verò Baptiſmus. ibid.n.5.&6
Ex vi inſtitutionis Sacramenti Pœnitentiæ pertinet ad illud remiſſio peccati formalis fictionis.n.4.6.& 7 p.167.
Non oportet aperire in Confeſſione numerum volitionum indignæ ſumptionis ſi præceſſerunt moraliter interrupto tempore ante indignam Baptiſmi ſuſceptionem; ſed ſatis eſt explicare peccatum iſtud opere conſummatum. n.5. p.168
Peccata quæ committuntur in inſtanti vltimo quo perficitur Baptiſmus,præter fictionem,non ſpectant ad Sacramentum Pœnitentiæ. n.3.4.& ſeqq.p.169
Pœnitentiæ Sacramentum habet ſuam eſſentiam metaphyſicam. n.3: p.172
Illius definitio. ibid.n.4
Sacramentũ pœnitentiæ conſtat phyſicè tanquã partibus, ex materia, & forma.num.4.5.6.& 7.p.179. & 180.
Actus pœnitentiæ,nempe Contritio,Confeſſio,& Satisfactio ſunt partes materiæ componentes Sacramentum Pœnitentiæ. n.5.& 6.p.180
Cur pœnitens, tametſi per ſuos actus gratiam cauſet, non ideò tamen gratiã ſibi conferat,nec ſe abſoluat, nec in ordinę ad ſe vtatur Clauibus. n.10.p.175
Contritio eſt pars materialis Sacramenti,ſenſibilis per Confeſſionem. ibid.n.11
Contritio eſt ſimul pars Sacramenti, & diſpoſitio non ad Sacramentum,ſed ad gratiam. ibid.n.12
Sacramentum cur dicatur Pœnitentiæ,ſumpto nomine ex vna ſolùm parte. ibid.n.13
Satisfactio pars materialis eſt Sacramenti, ſed non eſſentialis, ſed integralis. n.4.5.6.& 7.p.176
Qua ratione ſit pars integralis. n.8.9.& 11.p.177
Vox,*Sacramentum Pœnitentiæ*,ſignificat in recto coniunctum ex omnibus illis quæ ad illius phyſicam pertinent conſtitutionem. n.5.& 6. p.180
Forma Sacramenti pœnitentiæ ſunt verba Sacerdotis; ſeu quod idem eſt, Abſolutio eſt pars huius Sacramenti. n.4.p.174.& n.2.& ſeqq.p.186
Duo illa verba,*Abſoluo te*,ſunt dé eſſentia formæ Abſolutionis. n.2.p.187
Reliqua de forma Abſolutionis videantur *ſuprà*,verbo *Abſolutio*,& verbo, *Abſens*.
Poteſt dari Sacramentum Pœnitentiæ validum ſimul, & informe. ſ.10.per tot. p.214
Quid ſit in Sacramento Pœnitentiæ, Res tantùm,Sacramentum tantùm,res & Sacramentum ſimul? ſ.8 per tot.p.188.

Propoſitum.

Propoſitum non peccandi in futurum eſt neceſſarium in qualibet Attritione. n.3.4.& 5. p.151
In actu Contritionis, amoris,& etiam Attritionis virtute includitur propoſitum non peccandi in futurum. n.3.5.7.& 8.p.210.
Si menti pœnitentis occurrat diſponere de futura vita, neceſſarium eſt per ſe loquendo propoſitum formale. ibid.n.2.
Pœnitens debet habere propoſitum obediendi Confeſſario. ibid.
Non tenetur habere pœnitens extra Sacramentũ, propoſitum ſatisfaciendi pro pœna temporali. num.5. p.67.
Triplex diſcrimen explicatur inter propoſitum requiſitum ad remiſſionem venialis peccati,& ad illud aliud quod requiritur ad remiſſionem peccati mortalis.n.5. & ſeqq.vſque in fin. ſect.p.224.

Poteſtas Clauium;ſeu poteſtas remittendi peccata.

PoteſtatemClauium,ſeu poteſtatem remittendi peccata Chriſtus dedit Eccleſiæ Paſtoribus. n.1.p.421
Reliqua,Vide *ſuprà,lit.C.verbo,Clauium poteſtas.*
Poteſtas remittendi peccata eſt ſolius poteſtatis Ordinis. n.2.p.422
In Sacerdote eſt duplex poteſtas Ordinis, & vtraque neceſſaria ad remittenda peccata. n.3.p.423
In nullo neceſſitatis caſu poteſt Laicus, & non Sacerdos abſoluere à peccatis. ibid.n.4
Poteſtas Ordinis, ſeu quod accipitur in Ordinatione, non ſufficit ad validè abſoluendum. n.2.p.423
Poteſtas iuriſdictionis, & iuriſdictio pro eodem vſurpantur. ibid.ſ.5.n.1
Poteſtas abſoluendi in Ordinatione accepta non eſt poteſtas iuriſdictionis,ſed illa eſt neceſſariò præſuppoſita ad hanc. n.5.& 7. p.425
Poteſtas Ordinis,& poteſtas Iuriſdictionis ſunt re ipſa diſtinctæ. ibid.n.8
Poteſtas Ordinis datur per Sacramentum Ordinis;poteſtas iuriſdictionis per delegationem,vel per ordinariam poteſtatem. n.9.p.426

In

In vtraque poteſtate Ordinis,& Iuriſdictionis cōpletur integra facultas ad actum iudicij in Sacramento Pœnitentiæ in ordine ad remiſſionem peccatorum. ib. num.10

De poteſtate abſoluendi à reſeruatis. Vide *infrà lit. R.* verbo *Reſeruatio.*

Poteſtas, ſeu facultas eligendi Confeſſarium ex parte ipſius pœnitentis.

Quo pacto qui habet iuriſdictionem ordinariam, poſſit ſuis fidelibus concedere facultatem eligendi Cōfeſſarium. n.1.2.3.4.& 5.p.459

Non requiritur ad id alia cauſa, niſi ſola pœnitentis petitio. n.6.p.460

Solus Papa poteſt eligere ſibi iure diuino Confeſſarium. n.1.p.460

Poſſunt Epiſcopi,& Prælati exempti iure Eccleſiaſtico eligere ſibi Confeſſarium. ib.n.2

Vbi eſt introducta conſuetudo, vt Parochi eligant Cōfeſſariū abſque ſpeciali licētia Epiſcopi, id ſatis eſt, vt ſecuri poſſint eâ vti. n.3.4.& 5.p.461

Quibus ſit conceſſa facultas eligendi Confeſſarium ab homine, pendet ex voluntate Paſtorum. n.1.2.& 3. p.461

Sub conceſſione generali dictæ facultatis non comprehenduntur caſus reſeruati. ibid.n.4

Talis facultas non finitur per mortem concedentis, quando datur abſolutè. ibid.n.5

Sufficit facultas interpretatiua, vel præſumpta, ſi fundetur in ſignis quæ ſufficienter indicent præſentē voluntatem Superioris concedentis; non aliter. n.1.& 2. p.462

Expediuntur circa hanc rem aliqui caſus. ib.n. 3. 4.5.6

Non ſatis eſt facultatem eſſe petitam, etſi non obtentam. ſ.6.n.2.p.462

Non eo ipſo quod proprius Sacerdos negat, dat ius facultatem. ibid.n.3.4.5.& 6.

Puer.

Pueri tametſi impuberes ſint, cùm primū poſſunt mortaliter peccare, ſi ſic peccent, tenētur ad annuam Cōfeſſionem. n.10.p.268

Si pueri ſeptennes iam ſint etiamſi dubitetur an habeant vſum rationis, obligantur ad Confeſſionem. ibid.n.11.

Pueri ante ſeptennium in dubio vſus rationis non obligantur. ibid.

Pueri ante ſeptennium ſi habeant vſum rationis tenentur confiteri. n.12.p.269

Si pueri obligati ad confitendum non confiteantur, nō ligantur excommunicatione, nec aliis pœnis quas ſtatuta ſynodalia ſolent imponere in tranſgreſſores præcepti Confeſſionis. ibid.n.13

Vtrùm puerorum peccata poſſint reſeruari? *infrà lit. R.* verbo, *Reſeruatio.*

R

Reatus.

Reatus pœnæ, an ſit obiectum materiale Pœnitentiæ. ſ.11.p.3

Reatus pœnę æternæ,& ipſa pœna æterna aufertur ſimul cum culpa mortali. n.2.p.89

Nequit manere reatus æternæ pœnæ remiſſâ culpâ. n. 8.& 9.p.90

Vide plura *ſupra lit. C.* verbo, *culpa.*

Reſeruatio.

De Prælatis, qui & quomodo poſſint ſibi reſeruare peccata?

In Eccleſia eſt poteſtas reſeruandi peccata in foro Pœnitentiæ. n.1.& 2.p.463

Qui poſſint reſeruare ſibi, vel alteri. ib. n.3.4.5.6.& 7

Valida eſt reſeruatio Papæ abſque legitima cauſa. n.5 p.464

Valida eſt reſeruatio Epiſcoporum, etiamſi ſit aliquis exceſſus. ib.n.7.8.& 9

Si Epiſcopus reſeruaſſet eo exceſſu, vt notabiliter impediret, vel diminueret Parochis iuriſdictionem neceſſariam ad ſuum officium exercendum, tota ea reſeruatio eſſet inualida. ibid.n.10

Reſeruatio obligat pueros quando eſt lex medicinalis, quando verò eſt pœna, non obligat illos niſi puberes ſint. n.3.& 4.p.465

Perſonæ ignorantes inuincibiliter non incurrunt reſeruationem pœnalem. n.1.p.466

De caſibus qui poſſunt reſeruari in Religionibus iuxta Decretum Clem. VIII. *infrà* dicetur.

De obiecto, ſeu materia, circa quam cadere poſſit reſeruatio.

Poteſt Eccleſia de rigore reſeruare aliquod veniale, ſi obligaret ad Confeſſionem dicti venialis. n.3.p.466

Idem dic de mortalibus iam confeſſis. numero 6. p.467

Poteſt Eccleſia peccata merè interna reſeruare. n.2.& 3.p.467

De facto non reſeruantur peccata merè interna; idque fuit valdè expediens. ibid.n.4

Quando reſeruatur peccatum externum, requiritur vt ipſa actio externa ſecundum ſe habeat grauitatem. n.4.5.& 6.p.468

Quando peccatum aliquod mortale ſimpliciter reſeruatur, non cenſetur reſeruatum, ſi ſit dubium negatiuè. n.5.& 6.p.469

Neque etiam tale peccatum dubium eſt reſeruatum, tametſi præſumptio in foro externo ſit pro illius delicti admiſſi veritate. ibid.n.7

Prædictum peccatum dubium non reſeruatum, iam abſolutum, ſi poſteà deponatur dubium,& certò ſciatur fuiſſe reſeruatum, iam legitimè manet abſolutum,& non eſt ad Superiorem recurrendum. n.8.9.& 10. p.470

Papa de facto nunquam reſeruat peccata abſque cenſura. n.2.p.471

Cùm Papa reſeruat peccatum cum cenſura, vtrumque æqualiter, ac immediatè reſeruat. ibid.n.5

Eo ipſo quòd Papa aufert reſeruationem cenſuræ, aufert quoque reſeruationem culpæ. ibid.n.6

Si ex ignorantia inuincibili non cenſeatur à Papa reſeruari peccatum cum cenſura, nec peccatum manebit reſeruatum. n.8.p.471

Epiſcopi in ſua Diœceſi poſſunt reſeruare peccata,& cenſuras;& illa ſine cenſuris. n.2.3.& 4.p.472

Si cum reſeruatione caſus, ac cenſuræ Papalis, concurrat etiam reſeruatio caſus,& cēſuræ Epiſcopalis; ſublata reſeruatione Papali per Bullam, aut Iubilæum, tollitur etiam reſeruatio Epiſcopalis. ibid.n.5

Quæ peccata ſint Epiſcopis reſeruata: ibid.n.7.8.9. & 10.

De caſibus ſeu peccatis in Religionibus reſeruatis iuxta Conſtitutionem Clementis VIII.

Quos caſus, ſeu peccata ſtatuerit Clem. VIII. poſſe in Religionibus reſeruari; explicatur. ſ.1.p.473

Non obſtat conſtitutio Clementis VIII. vt poſſit Capitulum generale, vel prouinciale reſeruare aliquod peccatū graue ſolùm pro vna Domo,& nō pro toto Ordine, vel Prouincia. n.3.4.& 5.p.474

Prælatis regularibus per Decretum Congregationis Cardinalium ſublata eſt poteſtas ſibi reſeruādi culpas,& cenſuras. ſ.3.p.475

Nequeunt Prælati Regulares propria auctoritate ſine conſenſu Capituli aliquod peccatum graue prohibere

re ſub excommunicatione maiori ſibi reſeruata. ibid.
Primus caſus in Religionibus reſeruatus iuxta Conſtitutionem Clementis Octaui, eſt veneficiorum, incantationum, & ſacrilegiorum. ſect.4.p.476.
Incurritur hæc cenſura ab his qui faciunt veneficia, & etiã ab illis qui conſulunt veneficos, & veneficas;& illorũ veneficiis ac remediis vtuntur.ib.n.4.
Non verò incurritur ab illis qui illorum remediis non vtuntur, nec qui colligunt mortuorum oſſa ad facienda, & illa non faciunt. ibid.
Circa incantationes eſt caſus reſeruatus expreſſa incantatio, & inuocatio Dæmonis ibid.n.5.
Et etiam inuocatio,& incantatio tacita. ibid.n.6.
Sacrilegium cum pacto explicito cum Dæmone, & etiam implicito, eſt caſus reſeruatus. n.7.p.477.
Secundus caſus reſeruatus eſt apoſtaſia Religione, ita vt egreſſio fiat extra ſepta Monaſterij, vel Conuentus. ibid.n.1.& 2.
Tertius caſus reſeruatus eſt nocturna, ac furtiua à Monaſterio egreſſio etiam non animo apoſtatandi facta. ibid.n.3.4.& 5.
Non extenditur hic caſus reſeruatus ad egreſſum furtiuum diurnum. ibid.n.6.
Quartus caſus eſt proprietas contra votum paupertatis, quæ ſit peccatum mortale. ibid.n.7.
Quintus caſus eſt iuramentum falſum in iudicio regulari,ſeu legitimo. ibid.n.8.& 9.
Non eſt caſus reſeruatus ſi ſit mendacium circa circumſtantiam, ex qua ſtatus cauſæ non pendeat. num.11.p.478.
Non eſt caſus reſeruatus in multis caſibus in quibus non tenetur Religioſus veritatem fateri ſub iuramento rogatus. ibid.n.11.
Sextus caſus eſt procuratio, auxilium, vel conſilium ad abortum faciendum poſt animatum fœtũ etiam effectu non conſecuto. ibid.n.2.
Non eſt reſeruata procuratio aborſus ante animatum fœtum. ibid.
In dubio animationis fœtus non eſt reſeruata procuratio aborſus. ibid.n.4.
Septimus caſus eſt falſificatio manûs, vel ſigilli Officialiũ Monaſterij,aut Conuentus. ib.n.5.6.7.& 8.
Octauus,Furtũ de rebus Monaſterij,ſeu Conuẽtus in ea quantitate quæ ſit peccatum mortale.n. 10.p.479.
Nonus,lapſus carnis voluntarius opere conſummatus. n.1.p.479
Oſcula,& tactus impudici præciſè non ſunt reſeruati. ibid.n.2.& 3.
Si tactus perueniant ad fornicationem, vel pollutionem voluntariam,ſunt reſeruati. ibid.n.4.& 5.
Decimus caſus eſt occiſio, aut vulneratio, ſeu grauis percuſſio cuiuſcumque perſonæ. ibid.n.6.& 7.
Vndecimus caſus eſt malitioſũ impedimentũ,aut retardatio, aut apertio litterarum à Superioribus ad inferiores,vel ab inferiorib.ad Superiores.n.8.&9 p.480.
Si ex Epiſtolis timeatur aliquod iniuſtum malum licitè poteſt eas aperire, legere, vel retardare, vel comburere. ibid n.10.
Quos verò caſus habeat reſeruatos Religio Societatis Ieſu ex parte materiæ; late traditur. ſect.8.per totam. p.480.

De habente poteſtatem Ordinariam directè, & per ſe abſoluendi à caſibus reſeruatis.

Prælati qui peccata reſeruant, poſſunt per ſe, & directè ab illis abſoluere. n.1.p.482.
Qui in iuriſdictione fori interni Superiores ſunt illis qui peccata reſeruant, poſſunt per ſe, & directè abſoluere à reſeruatis. ibid n.2.3.& 4.
An Epiſcopi habeant ordinariam facultatem ad abſoluendum directè, & per ſe à caſibus Sedi Apoſtolicæ reſeruatis? tractatur ibid.ſect.2.
Vtrùm etiam Epiſcopi,& eorum Vicarij poſſint abſolui à ſibi reſeruatis in caſibus Papæ reſeruatis? tractatur. ſect 3.p.484.
Prælati Regulares poſſunt abſolui à ſuis Confeſſoribus à peccatis reſeruatis per Generalem Ordinis ſimul cum Capitulo,ſi non ſit deſignatus illis peculiaris Confeſſarius. ſect.4.p.485.
Facta ſemel Confeſſione cum habente poteſtatem Ordinariam abſoluendi à reſeruatis, cenſetur ablata reſeruatio pro omnibus quæ pœnitens propter obliuionem non aperuit. n.3.p.486.
Si pœnitens confiteatur ſuo Superiori ſua peccata ordinaria non reſeruata, & obliuiſcatur omnium reſeruatorum, & abſoluatur,manet liber ab eâ reſeruatione. ibid.n.5.6.& 7.
Quando habens poteſtatem ordinariam abſoluendi à cenſuris reſeruatis, abſoluit generaliter ab omni excommunicatione inquantum poteſt,& indiget, abſoluit quoque ab excommunicatione reſeruata omninò oblita. n.3.p.487.

De habente poteſtatem delegatam abſoluendi à reſeruatis.

Oportet hanc iuriſdictionẽ dare,& determinatè concedere; vt explicatur n.1. & ſequentibus, p.488.
Si licentia petatur, & detur pro peccato reſeruato commiſſo, non poteſt extendi ad aliud peccatum reſeruatum nondum tunc commiſſum, ſed poſteà. num.3.& 4.p.489.
Si detur facultas abſoluendi pro hac vice à reſeruatis, poteſt pœnitens abſolui à commiſſis ſimilibus poſt licentiam conceſſam, atque etiam poſt habitam notitiam facultatis conceſſæ. n.5.& 6.p.490.
Cùm conceditur facultas *pro hac vice*; ſolùm requiritur quòd Abſolutio virtute illius fiat hoc tẽpore moraliter loquendo,nõ alio longe diſtanti.ib.n.7.
Si poſt cœptam Confeſſionem pœnitens commiſit alia reſeruata intra tempus Iubilæi, vel ſimilis facultatis delegatæ, poteſt ab illis poſteà abſolui ibid.ſect.3.n.1.
Quando Confeſſio perficitur poſt tranſactum Iubilæi tempus, non poteſt Cõfeſſarius abſoluere tunc à reſeruatis cõmiſsis poſt finitũ Iubilæi tẽpus. ib.n.2.
Poteſt quis diligentiis adhibitis prima hebdomada Iubilæi lucrari illum, & poſteriori hebdomada eiſdem diligentiis repetitis iterùm lucrari Iubilæum; & ſic abſolui à reſeruatis nouis in quæ poſteà incidit eâ hebdomadâ. ibid.n.4.& 5.
Si quis ſine animo lucrandi Iubilæum, tranſegerit vtramque hebdomadam, & hic ipſo Sabbathi die in fine ſecundę hebdomadæ,mutato animo velit illum lucrari, poteſt tunc abſolui à reſeruatis virtute Iubilæi. ibid.n.6.
Confeſsione facta habenti facultatem delegatã abſoluendi à reſeruatis, ſi inculpabiliter omiſit peccatum reſeruatum, manet liber à reſeruatione peccati omiſsi. n.2.3.& 4.p.491.
Si pœnitens ex priuilegio Iubilæi abſolutus in aliquo die ſeptimanæ à reſeruatis,antequã impleat omnia alia quæ præcipiuntur facienda per totam Septimanam, ſi poſteà non impleat, non tenetur iterum ea confiteri. n.3.& 4.p.492.
Idem dicendum de abſolutione à cenſura,ſi contingat peccatum reſeruatum habere cenſuram annexam, & reſeruatam. ibid.n.5.
Vota quoque commutata virtute Iubilæi,quem pœnitens intẽdebat lucrari,manẽt verè cõmutata.ib.n.6.
Neque in his caſibus pœnitens fit reus culpæ grauis. num.8 & 9.p.493.
Virtute facultatis delegatæ non poteſt tolli reſeruatio ſine abſolutione à culpa. ibid.ſect.6.n.1.2.& 3.

Quo

Quo pacto poſſit idem peccatum eſſe multipliciter reſeruatum à Papa,& ab Epiſcopo;& tunc ablata vna reſeruatione poſſit remanere alia?tractatur.ibid.ſ.7

De modo abſoluendi à reſeruatis.

Quis Sacerdos poſſit pœnitentem abſoluere à reſeruatis,& qua facultate: explicatur. ſ.1.494

Non poteſt Prælatus, vel Superior abſque rationabili cauſa ſola reſeruata abſoluere,remittendo cætera inferiori Sacerdoti. n.4.p.496

Non poteſt Superior audita integra Confeſſione tam reſeruatorum, quàm non reſeruatorum, dimidiare validè Abſolutionem,ſed omnia illa tenetur directè abſoluere. ibid.n.7

Si Prælatus auditis ſolis reſeruatis,ex vrgenti cauſa abſoluat,validè abſoluit,à reſeruatis directè,& ab aliis non reſeruatis, indirectè. ibid.n.8.& 10.

Pœnitens ſic abſolutus non tenetur ampliùs confiteri peccata reſeruata,ſed ſolùm alia quæ confiteri non potuit tunc. n.9. p.497

Superior tenetur ex charitate,& ex iuſtitia ad facultatem concedendam,ad abſoluendum à reſeruatis.n.7 8.9.10.11.& 12.p.498.

Non tenetur Superior dare prædictam facultatem cuilibet Confeſſario, ſed prudenti,& probo. num. 15. p.499.

Non poteſt Superior concedere facultatem,vt ſubditus à reſeruatis abſoluatur,cum onere poſteà comparendi coram Superiore, vt ex præcepto ipſi iterùm reſeruata Sacramentaliter confiteatur.n.7.& 8.p.507

Poteſt Superior dare facultatem abſoluendi à reſeruatis ſubdito in itinere,petendo à ſubdito votum,vel iuramentum quoad iterandam Confeſſionem cum ipſo Superiore. n.5.6.7.&8.p.502

Quo pacto intelligenda ſit doctrina communis, nempe licitum eſſe Superiori concedere facultatem abſoluendi ſubditum à caſibus reſeruatis; cum onere tamen comparendi poſteà, & manifeſtandi eadem peccata reſeruata Superiori?explicatur latè.ibid ſ.6 per tot.

Non poteſt Superior facultatem à reſeruatis concedere, reſtringendo poteſtatem iniungendi pœnitentiam Sacramentalem ex parte, reſeruando ſibi partē prædictæ pœnitentiæ. n.3.& 6. p.504

Nec poteſt dare facultatem abſoluendi à reſeruatis,cum onere reſeruandi ſibi munus curandi pœnitentem in futurum. ibid.n.7

Si non adſit rationabilis cauſa,& vrgens neceſſitas,non poteſt inferior Sacerdos Sacramentaliter abſoluere pœnitentem habentem caſus reſeruatos; benè tamen ex cauſa rationabili, & Superior non poſſit adiri. n.1.2.3.& 4. p.505

Reproductio.

Non repugnat reproductio eiuſdem numero actus.n.3 p.114.

Reproductio eiuſdem rei iam deſtructæ eſt naturaliter impoſſibilis. ibid.n.4

Reuelationes.

Reuelationes,& virtutes an ſint materia ſigilli Confeſſionis. Vide *litt.S.ſequent.*verbo,*Sigillum*.

Quomodo Confeſſarius loqui debeat, vt vitet reuelationem. Vide verbo,*Sigillum*.

S

Sacramenta.

Sacramenta omnia an tollant ex opere operato peccata venialia: explicatur per tot. ſ.7.p.107

Sacramentalia.

Sacramentalia quomodo remittant venialia peccata; & ex Eccleſiæ inſtitutione proſint magis quàm alia: examinatur. ſ.9.per tot.p.111

Satisfactio.

De ſatisfactione ſecundum ſe,ſeu extra Sacramentum.

Satisfacere poteſt Iuſtus de condigno pro peccatis venialibus. n.4.p.101

Certum eſt Iuſtos poſſe ſatisfacere per opera bona pro pœna temporali, quæ poſt remiſſionem culpæ, & pœnæ æternæ,manet luenda. n.3.& 4.p.561

Opera Iuſti ſunt ſatisfactoria de condigno,& ad æqualitatem,pro dicta pœna temporali. n.5.& 6.p.562

Non poteſt Iuſtus de condigno ſatisfacere pro pœna extraordinaria poſita à Deo extraordinariè ex ſpeciali ordinatione. ibid.n.7

Satisfactionis valor ſumitur præcipuè ex qualitate perſonæ ſatisfacientis. n.4.p.73

Ex parte ſatisfacientis pro pœna ordinaria requiritur vt ſit in gratia. n.2.4.& 5 p.563

Valor Satisfactionis creſcit pro maiori gratia quam homo habet. n.6.p.564

Ad ſatisfaciendum neceſſaria quoque eſt gratia viatoris. ibid. n.7

Vt opus ſit ſatisfactorium oportet vt ſit liberum, & voluntarium. ibid.ſ.3.n.1.2.3.&4

Ad opus ſatisfactorium requiritur vt ſit opus bonum moraliter,& honeſtum. ibid.n.5

Opus indifferens manens in ſua indifferentia, nequit eſſe opus ſatisfactorium, ſicut nec meritorium. ibid. num.6.

Per opera bona etiam præcepta,& aliunde debita, poteſt homo ſatisfacere pro pœna temporali.ibid.n.8.9 & 11.

Imò opus præceptum eſt magis ſatisfactorium,& magis meritorium,cæteris paribus,quàm non præceptum. ibid.n.10

Omne opus ſatisfactorium de condigno pro debito pœnæ neceſſariò debet eſſe pœnale.n.1.& 2.p.565

In ſtatu naturæ lapſæ omnis noſtra operatio bona, & meritoria eſt ſimul pœnalis, ac proinde ſatisfactoria, n.3.p.566.

Nullum eſt opus honeſtum quod Confeſſarius nō poſſit in pœnitentiam,& ſatisfactionē imponere.ib.n.4

Satisfacere formaliter non eſt mereri. ibid.n.5

Opus externum,ſeu paſſio externa valet ad ſatisfaciendum,itavt vim ſatisfaciendi addat actui interno.n.2 & 4.p.567.

Iuſtus per paſſiones,& pœnas, ac flagella à Deo miſſa poteſt ſatisfacere pro debito pœnæ. n.5.6.7.8.& 9 p.568.

Vt paſſio externa ſit ſatisfactoria, requirit permanentiam actus interni voluntatis,non actualem,ſed virtualem,ſeu moralem. n.4. p.569.

Non ſufficit intentio merè habitualis. ibid.n.5. & 6

Qui vult dormire cum cilicio,dum vigilans ſentit illud incommodum,ſatisfacit laudabiliter, non verò dum dormit. n.8 p.570

Vt opus ſatisfactorium ſit de condigno, neceſſarium eſt vt procedat ab actuali gratia excitante. num. 2. p 571.

Omnis actus meritorius eſt aliquo modo ſupernaturalis. ibid.n.3 & 5

Non requiritur vt actus ſatisfactorius ſit actus charitatis;Sat eſt vt ſit actus aliarum virtutum ſupernaturalium. ibid.n 4

Vt opus virtutis adquiſitæ ſit ſatisfactorium,non debet procedere ex motiuo charitatis,ſed ſolùm vt fiat ex alio inferiori motiuo ſupernaturali. n.2.& 3.p.572

Non requiritur ad opus ſatisfactorium quòd procedat ex formali intentione ſatisfaciendi. n.5.& 6.p.573

Ad noſtrā ſatisfactionē requiritur diuina ordinatio, & accepta

acceptatio. ibid. ſect.9. n.4.5.& 6. ac n.6.8.& 10. p.102.

Opera Iuſti ſatisfactoria indigent quoque Dei promiſſione vt remittatur pœna temporalis Purgatorij de condigno, ac de iuſtitia. n.3.4.5.& 6.p.575

Poteſt homo iuſtus ſatisfacere pro vno peccato, & non pro aliis. n.2.3. & 4.p.576

Opera bona pœnalia in mortali facta non reuiuiſcunt adueniente poſteà gratia ſanctificante. n.5.p.577

Quem fructum habeant ea opera; explicatur. ibid.n.6

Vnica via ad conſequendam in hac vita remiſſionem pœnæ Purgatorij per propriam actionem operantis, eſt condigna ſatisfactio, & recompenſatio, & non impetratio abſque vlla ſatisfactione. ibid.ſ. 12.n.3.4 5.& 6.

Poteſt vnus Iuſtus pro altero ſatisfacere, & ſoluere pœnam temporalem alterius vitæ. n.1.2. 3.4.&5.p.578 & 579.

In hac ſatisfactione noſtra pro alio oblata non eſt certum, ſed probabile tantùm, interuenire ex parte Dei promiſſionem, ac infallibilem acceptation em. ibid. n.7.8.& 9.

Vnde probabile eſt, ſatisfactionem vni us pro alio eſſe de condigno, & de iuſtitia. n.10.& 11.p.580

Decedens ex hac vita in peccato mortali, ſeu in inferno exiſtens, non poteſt ſatiſpati, nec pro vnius peccati venialis pœna. ibid.ſ.14.n.2.& 3

Statum ſatiſpatiendi habent animæ Purgatorij; non verò habent ſtatum ſatisfaciendi. ibid.n.4.&5

Satisfactio Sacramentalis.

Satisfactio Sacramentalis eſt tertia pars Sacramenti Pœnitentię, non eſſentialis, ſed integralis. n.2.p.581

Diſcrimen Confeſſionis Sacramentalis à non Sacramentali. ibid.n.2

Satisfactio Sacramentalis neceſſariò confert aliquem effectum. ibid.ſ.2.n.1

Probabile eſt Satisfactionem Sacramentalem non conferre gratiam ſanctificantem: probabilius eſt oppoſitum. n.2.4.& 5.p.582

Quòd Sacramentalis Satisfactio in quodam caſu faciat de attrito contritum, & det primam gratiam, piè cōcedi poteſt. ibid.n.6

SatisfactioSacramentalis confert aliquas gratias pręuenientes. n.2.3. & 4.p.583

Satisfactio Sacramentalis confert vt primarium effectum ex opere operato remiſſionem pœnæ temporalis. ibid.ſ.4. n.1

Impletio pœnitentiæ iniunctæ eſt vera pars Sacramentalis integralis. n.2.p.584

Satisfactio ante Abſolutionem non dat remiſſionem pœnæ. ibid.n.4

Per ipſam Abſolutionem datur. ibid.n.5

Poſt Abſolutionem quando pœnitens implet pœnitentiam, confertur, ſi maneat alicuius pœnæ reatus. ibid.n.6.

Satisfactio iniuncta non ſemper remittit omnem pœnam debitam. ibid.n.8.& 9

Quælibet Satisfactio etiam minima remittit aliquid pœnæ. n.10.p.585

An ſi Confeſſarius prudenter exiſtimet pœnitentiam iniunctam æqualem eſſe, liberetur pœnitens ab omni reatu pœnæ per illam pœnitentiam, tametſi reuera non fuerit æqualis? latè explicatur. ibid.ſ.5

Satisfactionem Sacramentalem tenetur Confeſſarius ſub graui culpa per ſe loquendo imponere pœnitenti pro peccatis mortalibus. n.1.2.& 4.p.587.&588

Ex paruitate materiæ poteſt ea obligatio eſſe leuis. n.3 p.588.

In aliquibus caſibus non tenetur Confeſſarius aliquam imponere ſatisfactionem, vel pœnitentiam. ibid.n.5

Nequit Confeſſarius imponere ſatisfactionem, vel pœnitentiam per modum conſilij, ſed eam debet imponere per modum præcepti. n.2.p.589

Nec poteſt iniungere grauem ſatisfactionem, ſeu pœnitentiam ſub veniali ſolùm. ibid.n.3

Si iniungeretur ſatisfactio, vel pœnitentia per modum Conſilij ſolùm, non eſset Sacramentalis. n.4.p.590

Non tenetur Confeſſarius imponere Satisfactionem, ſeu pœnitentiam matemathicè æqualem peccatis. ibid.ſ.8.n.1.

Nulla eſt lex taxans determinatam Satisfactionis menſuram quam teneatur Confeſſarius iniungere. ibid. num. 2.

Satisfactionis menſura relinquitur arbitrio prudentis Confeſſarij. ibid.n.3.4.& 5

Aliqua ſatisfactio potuit eſſe ita proportionata, vt remittat totam pœnam temporalem. ibid.n.6

Ex cauſa rationabili poteſt imponi leuior ſatisfactio. n.7.p.591.

Per quæ opera poſſit Satisfactio iniungi. ibid.n.1.& 3

Satisfactio poteſt imponi ante Abſolutionem datam, vel poſteà. ibid.n.4

De obligatione acceptandi Satisfactionem, vel pœnitentiam iniunctam; ac de eius commutatione.

Pœnitens obligatur acceptare Satisfactionem, vel pœnitentiam ſibi impoſitam à Confeſſario. n.2.p.592

Sub peccato mortali tenetur pœnitens acceptare ſatisfactionem pro peccato mortali. ibid.n.5.& 6

Ex paruitate materiæ tenetur ſub veniali. n.1.p.593

Neque obligatur ſub mortali, ſi Confeſſarius nolit obligare niſi ſub veniali. n.3.p.594

Satisfactio, ſeu pœnitentia grauis iniuncta pro veniali culpa, non poteſt obligare ſub culpa mortali. ibid. n.6.7.& 10.

Satisfactio, ſeu pœnitentia grauis iniuncta pro peccatis mortalibus iam confeſſis, non poteſt obligare ſub culpa mortali. n.8.p.595

Satiſfactionis circumſtantia communiter obligat ad veniale. n.3.p.596

Ceſſante ſatisfactionis circumſtantia, non ceſſat obligatio pœnitentiæ iniunctæ. ibid.n.5

Qui oblitus eſt Satisfactionis iniunctæ, non tenetur ſecundò eadem peccata confiteri. ibid.n.6

Satisfactio, & pœnitentia exhibita in peccato mortali ſufficit ad implendum præceptum à Confeſſario iniunctum. n.2.& 5.p.597

Satisfactio facta in mortali non confert vllum effectū operanti, durante illo ſtatu. ibid.n.3

Satisfactio Sacramentalis recedente obice habet ſuum effectum. ibid.n.4

Satisfactio etiam in peccato impleta, eſt pars Sacramenti Pœnitentiæ. ibid.n.6

Satisfactio quæ non eſt pars Sacramenti, poteſt alteri applicari. n.1.p.598

Satisfactionem, quæ eſt pars Sacramenti, & iniungitur à Confeſſario, nequit pœnitens propria authoritate transferre in aliam. ibid.n.2

Nequit pœnitens per ratihabitionem præſumptam committere alteri Satisfactionem ſibi impoſitam. n.5.p.599.

Qui redditus eſt impotens ad implendam ſatisfactionem, vel pœnitentiam ſibi impoſitam, non tenetur ad illam per aliam implendam. ibid.n.6

Poteſt Confeſſarius imponere pœnitentiam, & ſatisfactionem, quæ partim impleatur à pœnitente, & partim ab alio. ibid.n.7

Satisfactio quæ per alium fieret, non eſſet Sacramentalis, nec pars Sacramenti. ibid.n.8

Satisfactio

Satisfactió quæ à Confeſſario non imperatur, ſed conſulitur, non eſt Sacramentalis. ib.n.9

Non ſunt ſatisfactio Sacramentalis verba illa generalia *Quidquid boni feceris, &c.* quæ dicit Confeſſarius. n.10. p.600

Propter verba generalia dicta non excuſantur Confeſſarij à peccato, imponentes leues ſatisfactiones, ſeu pœnitentias pro grauiſſimis peccatis. ibidem num.11

In dubio de ſatisfactione ſi excedat, obligat & eſt implenda. n 1.p.600

Nequit pœnitens propria authoritate commutare ſatisfactionem ſibi iniunctam in aliud melius opus.ib. n.3.& 4

Cõfeſſarius ex iuſta, & rationabili cauſa, & non aliter poteſt ſatisfactionem ſeu pœnitentiam à ſe iniunctam commutare ac diminuere. num.1.2.3.5.& 9. p.601

Vt poſſit mutare ſatisfactionem, neceſſe eſt, vt pœnitens ſecundò ei confiteatur; niſi actu recordetur peccatorum, pro quibus illam impoſuit. num.6. & 7. p.602

Nequit idem Confeſſarius ſatisfactionem, vel pœnitẽtiam à ſe iniunctam mutare, vel minuere extra Confeſſionem. ibid.n.8

Poteſt æqualis Confeſſarius ſatisfactionem vel pœnitentiam ab alio æquali impoſitam mutare, imminuere, & moderari, & etiam omninò tollere. n. 3.& 4. p.604

Requiritur ad hanc immutationem noua ac repetita eorundem peccatorum Confeſſio, pro quibus fuit impoſita ſatisfactio, niſi in quodam caſu n.8.& 9.p.604

Nequit Confeſſarius inferior per ſe loquendo minuere, vel auferre pœnitentiam, & ſatisfactionem à ſuperiore impoſitam pro peccatis reſeruatis niſi per Epikeiam. n.3.& 4.p.605

Confeſſarius ſuperior poteſt pœnitentiam vel ſatisfactionem impoſitam ab inferiori mutare, audita Cõfeſſione eorundem peccatorum, & non extra Confeſſionem. n.2.3.4.p.606

Poteſt Confeſſarius iuſta, & rationabili de cauſa Satiſfactionem ſeu pœnitentiam præſeruatiuam in aliam præſeruatiuam, & ſalutarem commutare. ſi illa prior ſit ſolùm vtilis, & non ſit ſimpliciter neceſſaria.n.2. & 3.p.607

Si ſecundus Confeſſarius temerè præſeruatiuam ſatiſfactionem abſolutè neceſſariam à primo Confeſſario iniunctam auferret, grauiter peccaret; nec ablatio talis ſatisfactionis valida eſſet. ibidem numero 5.

Indulgentia non tollit Satisfactionem, vel pœnitentiam præſeruatiuam. n.1.p.608

Indulgentia plenaria liberat pœnitentem ab obligatione ſatisfactionis vel pœnitentiæ iniunctæ adimplendæ ibid.n.3

Tempore Iubilæi poteſt Confeſſarius leuiores ſatisfactiones ſeu pœnitentias imponere, obligando pœnitentem ad lucrandum Iubilæum. ibidem num. 4. & 5.

Poteſt id præſtare intra, & extra Confeſſionem Sacramentalem. ibid.n.6

Probabile eſt poſſe quoque ipſum pœnitentem commutare ſuas ſatisfactiones, & pœnitentias in aliquam Indulgentiam plenariam quam lucretur. ibid.n.7

Conſulendum tamen eſt pœnitenti, etiamſi lucretur Indulgentiam, vt ſatisfactionem, & pœnitentiam iniunctam adimpleat. ibid.n.8

Obtentâ indulgentiâ, antequam fiat ſatisfactio, ſi hæc fiat non habet effectum ex opere operato, neque eſt Sacramentalis. n.9.p.609

Scientia.

Quæ ſcientia requiratur vt ſacerdos licitè Sacramentum Pœnitentiæ adminiſtret. ſectione 4. p.521

An ſcientia ſacerdotis ſit conditio ſubſtantialis ad Cõfeſſiones audiendas. ſ.3.p.521

Scientiâ habitâ ex Confeſſione quomodo nequeat vti Confeſſarius? Vide *infrà* verbo *ſigillum.*

Scriptura.

An per ſcripturam confiteri quis poſſit, & ſit obligatio per ſcripturam confitendi, quando voce non poteſt ſ.3.p.191

Sigillum Confeſſionis.

Certum eſt Confeſſarium teneri ſeruare ſigillum ac ſecretum Confeſſionis. n.1.p.535

Hoc ſigillum tam ſtrictè obligat vt in nullo caſu liceat aliquid quod ſub illud cadit reuelare, etiamſi alias totus orbis perire deberet. ibidem num. 2. & 3.

Non poteſt Confeſſarius in caſu euidentis mortis periculi ſigillum Confeſſionis violare. numero 6. p.536

Stricta ſigilli obligatio non eſt inducta ex ſolo iure humano, neque ex quouis iure naturæ, ſed ex iure diuino poſitiuo ſuperaddito ex voluntate Chriſti inſtitutoris Sacramenti Pœnitentiæ. n.1.2.3.4.5. 6.7.& 8.p.536

Hæc tam ſtricta obligatio ſigilli oritur ex omni, & ſola Confeſſione Sacramentali. ſectione 3. num. 1. p.538

Si Confeſſio ex defectu Sacerdotis fiat ſcienter laico, vel clerico non Sacerdoti, non inducitur obligatio ſigilli. ibid.n.2

Confeſſio facta ei, quem pœnitens bona fide licet falſa, credebat eſſe Sacerdotem, inducit ſigillum, n.3. & 5.p.539

Confeſſio vt ſic ſtrictè obliget debet fieri intentione Sacramentali. ibid.n.4

Si pœnitens bona fide conſulat Confeſſarium, & communicet illi res ſuas, non inde oritur obligatio ſigilli, quia non eſt Confeſſio Sacramentalis. ibid. num.8.

Omnia peccata mortalia non ſolum in ſpecie, ſed etiam in genere cadunt ſub ſigillum Confeſſionis.n. 2.p.540

Peccata venialia non in genere, ſed in ſpecie ſunt materia ſigilli. ibid.n.3

Materia ſigilli eſt quoque peccatum committendum. ibid.n.5

Circumſtantiæ, & obiecta peccatorum continentur ſub ſigillo Confeſſionis. ibid n.6

Omnia quæ dicuntur etiam vtilia ad explicandum peccatum manent ſub ſigillo Confeſſionis. ibid. num.7

Defectus naturales, originis, natalium, &c. ſunt etiam materia ſigilli. n.10 p.541

Alij verò defectus naturales, vt pœnitentem eſſe ſcrupuloſum, ac impertinentem, caput audientis rumpere, tempus terere, &c. non ſunt materia Confeſſionis. ibid.n.11

Poteſt Confeſſarius loqui de peccato in Confeſſione audito, ſi alias id nouerit. ibidem numero 12.

Virtutes, reuelationes, & aliæ ſimiles gratiæ, quæ manifeſtantur in Confeſſione, ſunt materia ſigilli ſi dicantur ad declarandum peccatum ingratitudinis. n.13.p.542

Licet referre peccatum, non nominando perſonam pœnitentis,

nitentis;ſed maxima cautela neceſſaria eſt propter acutum audientium ingenium. ibidem numero 14.

Per ſe loquendo peccatum veniale,vel minimum reuelare,eſt graue peccatum contra ſigillum Confeſſionis. ibid.n.16

Præceptum ſigilli directè pertinet ad Confeſſarium. ſ.5.n.1.p.542

Interpres obligatur eodem ſigillo. ibid.n.2

Qui furtiuè audit Confeſſionem alterius,obligatur ſigillo Confeſſionis. n.3.p.543

Si quis ſine culpa propter inaduertentiam aliquid Confeſſionis audiuit,tenetur eodem ſigillo. ibidem num.4

Quando in naufragio , vel in incendio quis alta voce confitetur,obligantur circunſtantes ad ſigillum.ibid. num.5.

Si pœnitens velit ad ſui confuſionem vt aliqui ſint præſentes ſuæ Confeſſioni Sacramentali, non obligantur ſigillo Confeſſionis. ibid.n.6

Si Confeſſarius inique manifeſtet alteri Confeſſionem, ille qui audit tenetur ſigillo. ib.n.7

Vtrum conſiliarius , quem Confeſſarius conſulit ad ſciendum quid debeat facere cum pœnitente in aliquo caſu,teneatur ſigillo Confeſſionis ; exactè tractatur ſ.6.p.543

Et non teneri oſtenditur firmioribus argumentis. ibid.

Ille qui inuenit ſcripturam, ſeu chartam in qua pœnitens ſua peccata ſcripſit ad Confeſſionem faciendam,non manet obligatus ſigillo Confeſſionis. ſ.7. n.3.p.546

Litera qua vtitur mutus ad confitendum,ſi legatur ab aliquo,tenetur ad ſigillum. ib.n.4.& 5

Eodem ſigillo tenetur Confeſſarius ſeruare peccatum complicis,quo peccatum pœnitentis , quando illud neceſſe eſt explicare ad huius integritatem. num.2. p.547.

Tenetur quoque ſeruare dictum ſigillum,tametſi pœnitens manifeſtauerit complicem ex ignorantia, vel malitia. ibid.n.3

Si pœnitens reuelet peccata complicis , non tanquam quid pertinens ad Confeſſionem, ſed ſolum concomitanter,tunc illa peccata non manent ſub ſigillo. ibid.n.4

Quomodo autem reſpondere debeat Confeſſarius ne ſigillum frangat,quando iniquè interrogatur de peccato pœnitentis:tractatur ſ.9.p.548

Quomodo ſit reſpondendum interrogantibus ea, quæ in Confeſſione cognita ſunt abſque fractione ſigilli: declaratur ſ.10.p.550

Non poteſt Prælatus,vel Superior regularis vti ſcientia habita ex Confeſſione Sacramentali ad gubernationem ſubditorum.ſect.11.n.2.& 6. p. 551. & ſeq.

Non poteſt Prælatus ob peccatum tantum in Confeſſione notum amouere pœnitentem ab officio,quando alij ſuſpicari poſſint probabiliter id fieri ob peccatum confeſſum. n.4.p.552

Neque etiam remouere poteſt , tametſi ipſe ſolus pœnitens coniicere queat probabiliter id fieri ob peccatum confeſſum. ibid.n.5

Notitia Confeſſionis eſt omnino inutilis ad vſum fori iudicialis. ſ.11.n.10.p.553

Peccatum in Confeſſione tantum notum,nec indirectè reuelari poteſt, quamuis ſit ad vitandam mortem. ſ.12.n.1.& 2.p.553

Proponuntur,& explicantur varia exempla.n.3.4.5.6. 8.& 9.p.554

Quid in aliis caſibus ſimilibus præſtare debeat Confeſſarius vt ſeruet ſigillum. ſ.13.p.555

Poteſt Confeſſarius ſtatim finita Confeſſione, aliquid circam illam addere,vel aduertere pœnitenti quod oblitus fuerit. n.2.p.557

De licentia formali tamen, & expreſſa pœnitentis poteſt Confeſſarius loqui de auditis in Confeſſione. n.3.& 4.ibid.

Pœnitens poteſt dare prædictam licentiam vt Confeſſarius vti poſſit illâ ad talem effectum ſub eodem ſigillo tamen. n.6.p.558

Diſcrimen inter modum licentiæ intra Sacramentum, vel extra Sacramentum. ibid.n.9

Sufficit licentia pœnitentis abſque licentia complicis, vt poſſit Confeſſarius vti notitia Confeſſionis .ibid. num.11

In nullo caſu ſufficit licentia petita à pœnitente, & non obtenta,ad loquendum cum eodem de Confeſſione audita. ib.n.12.p.559

Pœna quæ in iure ſtatuitur Sacerdoti reuelanti peccatum pœnitentis eſt depoſitio,& perpetua recluſio.ſ. 15.n.1.p.559

Neutra pœna depoſitionis,& perpetuæ recluſionis incurritur ipſo facto ante ſententiam iudicis. num. 2. p.560

Nulla irregularitas eſt impoſita in pœnam. ibidem num.3

Pœna depoſitionis , & recluſionis ſolum ponitur Sacerdoti frangenti ſigillum non aliis fractoribus.ibid. num.4

Quomodo de hoc delicto conſtare poſsit in iudicio,vt puniri poſsit. ibid.n.5

Spectat ad iudicem Eccleſiaſticum hoc delictum punire. ibid.n.5

Studioſitas.

Studioſitas quid ſit,& quodnam eius obiectum formale. n.4.& 5.p.365

Superſtitio.

Superſtitionis ſpecies,Idololatria,Diuinatio,obſeruantia vana,& Magia. ſ.4.n.2.p.361

In Magia,ſeu maleficio certiùs cognoſcitur ſocietas, & pactum cum Dæmone. ib.n.2

Maleficium peccatum grauiſsimum eſt,ibidem numero 3.

De pœna malefici. ibid.n.7

V

Vagus.

Vagorum quis ſit Parochus.

Vbi declaratur Parochus iter agentium, ſeu peregrinorum. ſ.6.p.431

Vagus,qui debeat confiteri. ibid.& p.ſeq.

Virginitas.

Virginitatis circunſtantia,an in peccatis contra caſtitatem ſit explicanda,*ſuprà lit.C.*verbo.*Circunſtantia Virginitatis.*

Virgo Beata.

Virgo Beata. Vide *ſuprà* , *littera B*. verbo. *Beata Virgo.*

Virtus.

Virtus omnis,quæ odio habet aliquod malum, primario diligit contrarium bonum. n.1.p.2

Omnis virtus quo pacto ſit reflexa. n.7.p.6

Virtus ſimpliciter poteſt ex ſuo conceptu eſſentiali deteſtari malum in aliquibus actibus,non in omnibus. ſ.1.n.3.p.34

Quælibet virtus ſpecialis poteſt deteſtari ex ſua peculiari ratione formali peculiare peccatum ſibi oppoſitum. ſ.2.n.3.p.35

Virtus

Digitized by Google

Virtus non ſolum ſuperior, ſed etiam inferior poteſt imperare. ſect.1.p 44

Virtutes . & reuelationes an ſint materia ſigilli Confeſſionis. Supra littera S, verbo *Sigillum Confeſſionis.*

Voluntatis imperium.

In voluntate vnus actus internus poteſt alium internum immediatè imperare. ſect 1.n.1.p.45

In voluntate virtus ſuperior poteſt imperare inferiorem. ibid.ſect.2.n.1

Virtus quoque inferior poteſt imperare ſuperiorem. n.3.4.5.& 6. p.46

In voluntate quomodo actus malus poſſit imperare actum bonum etiam ſupernaturalem.ſect.3.per totam.p.46.& ſeqq.

In quo conſiſtat influxus actus imperantis in actum imperatum. ſect.4.p.49

Quo pacto actus imperatus ſit liber etiam cum imperio præcedentis actus imperantis: explicatur fusè. ſect.5 p.50 & ſeqq.

Quomodo actus intentionis, & electionis ſit vterque liber. ibid.n.5.p.51

Actus imperans non adimit, nec minuit actus imperati meritum ſibi proprium. ſect.6.n.2. & 3.p.52. & 53

Actus imperatus virtutis naturalis non habet rationem ſuæ bonitatis naturalis proprium meritum.n 6.p.53

Actui interno,& non actui externo intrinſeca eſt formalis bonitas,& malitia. ſect.7.n.4.p.54

Actus internus,& externus, eſt vnus actus in genere moris, ibid.n.4

Actus externus per ſe non confert ad augmentum bonitatis, vel malitiæ; bene verò per accidens. ibid. num.4

Actus externus nihil addit meriti actui interno.ibid. n.5.& ſeqq. vſque ad finem ſectionis. p.54.& 55

Votum.

Voti circumſtantia eſt in Confeſſione aperienda.ſect. 1.p.308

Poteſt votum in melius commutari ab ipſo vouente, & cur. ſect 6.n.4.p.601

In votis reſeruatis, poſtquam Superior commutauit votum ſibi reſeruatum in aliam materiam, poteſt inferior eam materiam commutare; ſicut poſſet vota non reſeruata: & aſſignatur ratio. ſect. 9. num.6.p.606.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

5-3-5-3

Digitized by Google